# ANNALES
## MINORVM
# CAPVCINORVM.

*AVCTORE*

R·P·ZACHARIA BOVERIO
SALVTIENSI, EIVSDEM
ORDINIS.

## Tomus Primus.

# ANNALES MINORVM CAPVCINORVM.

*AVCTORE*

R. P. ZACHARIA BOVERIO SALVTIENSI, EIVSDEM ORDINIS.

**Tomus Primus.**

del Convto de los Capuchinos de Granada

# D. O. M.

SOLI,

ÆTERNO, IMMENSO, INCOMPREHENSIBILI,

VNI,

IN TRIADE PERFECTA, PERFECTO,

TRINO,

IN MONADE INDIVISA, INDIVISO,
COELO, TERRAQVE ADORANDO,

DEO INGENITO,

A QVO GENITVM SINE PRINCIPIO, PRINCIPIVM,
DEITATIS TOTIVS FONTI VBERRIMO,
OMNIVM CONDITORI, VNIVERSORVM DOMINO,
CVNCTORVM MODERATORI.

DEO GENITO,

ANTE OMNIA SÆCVLA SEMPITERNO,
VIVENTI VIVENTIS PATRIS IMAGINI, VERBO, VIRTVTI,
PER QVEM VNIVERSA CONDITA,
HOMINVM REDEMPTORI,
COELESTIVM REPARATORI.

# DEO AB VTROQVE PROCEDENTI.

ALMO SPIRITVI, VTRIVSQVE ARDORI,
NEC GENITORI; NEC GENITO;
SED GENITORIS, ET GENITI;
ESSENTIALI NEXVI, COÆTERNO AMORI,
MVTVÆ AMBORVM SVAVITATI,
VERITATIS LVCI, CHARITATIS PLENITVDINI,
OMNIVM SANCTIFICATORI,

## SVMMÆ DEITATI.

BONORVM OMNIVM SCATVRIGINI,
DONORVM FONTI, ORIGINI, AVCTORI,
BONA REFERT, DONA REDONAT, ACCEPTA REDDIT,
OPVS, LABOREM, ANIMVM,
VOVET, DICAT, CONSECRAT,
VILE,
ET INDIGNVM PLASMA.





# MARIÆ MATRI MAGNÆ.

MAGNO Orbis Miraculo,
Cœlorum Prodigio,
Angelorum, Hominúmque ſpectaculo.
Quæ Diuina, ante primas Naturæ tenebras,
Luce circunfuſa.
Clariſſimis in Sanctorum ſplendoribus orta, & concepta,
Immaculato vtriúſque Natalis candore admirabilis,
Angelicis fulgoribus purior,
Seraphicis ardentior,
Cunctis eminentior,
Deo duntaxat Inferior aſſurgit.
MAGNO Cœleſtium omnium virtutum Flumini,
Vnde perennis Virginitatis vnda pellucida,
Inexhauſta totius Sanctitatis profunditas,
Tota denique Gratiæ Plenitudo,
Superefluenti latice fœcunda,
Quaſi impetu exundat.
MAGNÆ Dei Parenti,
Viuo viuentis Dei Tabernaculo,
Chriſtiani Orbis Auroræ,
Quæ inoccidui Solis partu fœcunda,
Incomprehenſibilem aluo continuit,
Ante ſæcula genitum genuit,
Dei verbum Fide, & carne peperit,
Partu integritatem
Non minuente.

MAGNÆ Cœlorum Reginæ,
Sydereis vndique Gloriæ coronis redimitæ,
Hominum Propugnaculo,
Miſerorum luci,
Nouæ Eccleſiæ Lunæ, in æternum plenæ, & perfectæ,
Cuius ſplendor, nec pietatis vices
Alternat,
Neque vllis Humanæ impietatis nebulis
Obtegitur.
Sed perpetuo lumine coruſcans,
Tenebris merſos
Ad lucem reuocat.
MAGNÆ Electorum Duci,
Peccatorum Reduci,
Perfectorum Magiſtræ,
Minorum Columnæ, Capucinorum Anteſignanę,
Piæ Auctoris Patronę,
Omnium Matri,
Hoc Annalium Volumen,
Quod Diuinę, & Auguſtiſſimę
Triadi,
Tanquam Supremo illius Auctori, reddidit;
Ad te, ô Auguſta,
Velut tua ope, ac dono acceptum,
Refert humilis,
Et indignus Seruulus.

BEATISSIMO

BEATISSIMO PATRI

# VRBANO VIII. PONTIF. MAX.

*F.* ZACHARIAS BOVERIVS, *Ordinis Minorum S.Franciſci Capucinorum, indignus ſeruulus, ſemp. fel. D.*

PRODIT, Beatiſſime Pater, ad ſanctiſſimorum pedum tuorum oſcula, primus hic Annalium noſtrorum Liber; haud leuibus ſanè eò cauſis adductus. Mouet enim cum primis ſuprema illa Ieſu Chriſti Majeſtas; cui rerum omnium primitias in ſubiectionis, ac ſeruitutis teſtimonium offerri, diuina lege ſancitum eſt: quæ cùm in Te vno, optimo, ac legitimo Vrbis, atque Orbis Paſtore, diuino quodam ſplendore clariſſimè eluceat; ad eam (gracilia licet) hæc Annalium noſtrorum primigenia confluere neceſſe fuit; quæ ſummam meam, ac Noſtrorum in Te obedientiam, ac ſubiectionem teſtarentur.

Mouet quoque pia, & Catholica B.Patriarchæ noſtri Franciſci inſtitutio; cuius cùm tanta eſſet erga Apoſtolicam Sedem obſeruantia; vt ſe, ſuaque omnia ipſius pedibus ſubijceret: Ego, qui illud vitæ inſtitutum iamdudum, Deo adſpirante, amplexus ſum, quod Tibi maximè ſubiectum eſſe oportet: quidni, eo Magiſtro, ac Doctore didicerim; me, meáque omnia ſanctiſſimis pedibus tuis ſubſternere?

Mouet poſtremò neceſſarius ipſe Naturæ Ordo: quo vniuerſa, quæ natura conſtant, ad ſua principia; vnde ſemel effluxêre, contendunt;

tendunt;

tendunt; ac duce ipſa Natura feruntur: quo fit, vt cùm à Chriſto Dei Filio Opt. Max. velut à bonorum omnium fonte, ac principio; hos mihi lucubrationum riuulos effluxiſſe, mihi certo certiùs exploratum ſit; ad eundem ipſo naturæ ductu, ac præſtituta lege, qua cætera omnia reguntur, quam primùm refluere; gratiſſimóque (quoad fieri poteſt) animo referri neceſſe ſit. Id verò haud meliùs, ac faciliùs me aſſequuturum ſperaui; quàm ſi modò à me editum Volumen, Tuæ Beatitudini; quæ Vicaria Chriſti perſona, ac dignitate apud homines frueris, quàm humillimè conſecrarem: vt inde velut per manus, ad ſummam illam Chriſti Dei Majeſtatem, quæ in Cælo eſt, tranſmiſſum pertingeret.

Atque hæc quidem, quæ Tibi, Beatiſſime Pater, cum cœteris Summis Pontificibus communia ſunt, cùm iuſtè me ad hæc Tibi dicanda compulerint: an non iis maximè, quæ non communibus, aut vulgaribus titulis; ſed priuatis tantùm, ac grauiſſimis nominibus debentur, me commoueri æquum fuit? Cui enim non perſpicuum eſt; quàm pia, quàm paterna, quámque ſingulari, puſillam hanc noſtram Congregationem, beneuolentia complectaris? Quantis eam in dies beneficiis accumules? Quibus benignitatis, ac protectionis tuæ præſidiis fulcias? Quot denique liberalitatis, ac munificentiæ; quæ primùm Tibi naturæ indita, Tecum quoque ſimul cum ætate creuit, donis amplifices? Teſtes ſunt Apoſtolica Diplomata: quibus Religionis noſtræ genus, ac nomen, quorundam morſibus dilaceratum, & labefactatum, in priſtinum ſplendorem vendicas. Teſtis Cardinalitia purpura; qua Antonium Barberinum, Germanum Fratrem; virum alioqui animi probitate conſpicuum, doctrináque, conſilio, ac virtute inter Capucinos præſtantem, exornaſti: vt qui inter Minores minor, ac velut ignotus deliteſcebat; inter Purpuratos Patres, Purpuratus & is aliquando ſederet. Teſtes præclara, tum prædicationis, tum Viſitationis Apoſtolicæ munera; quæ inter alios, Noſtris in Vrbe paſſim obeunda committis: quibus Capucinorum familiam, haud aſpernandis honorum gradibus cohoneſtas. Teſtis denique ipſa Capucinorum Domus: quam ipſe Antonius Barberinus S. R. E. Cardinalis, proprio ære à fundamentis, Te Auctore, in Vrbe erigendam curauit. Cuius (ne quidquam paternæ tuæ ſollicitudini, & humanitati deeſſet) fundamenta, Tua non modò præſentia illuſtrare: verùm, vt perpetuò immota conſiſterent, benedictione Apoſtolica firmare; Pontificia Majeſtate, haud indignum iudicaſti. Quo fit, vt



exigua hæc noſtra Capucinorum Familia tot honoribus ac beneficiis aucta: Te non ſolùm ob Vicariam Chriſti poteſtatem, qua Solis inſtar in Orbe præfulges, ſupremum Dominum, ac Paſtorem; verùm & ob ſummam benignitatem, ac humanitatem, qua illam complecteris; amantiſſimum Patrem, Propugnatorem, Vindicem, Benefactorem, Nutritium, immò & Conſanguineum agnoſcat. Ex quo, Tu illi Germanum Fratrem, olim Filium dediſti. Ea verò Tibi, & Filium, & Fratrem, & Cardinalem nuper reddidit. Et quidem cùm nihil tam proprium hominis ſit, quàm non modò beneficio, ſed etiam beneuolentiæ ſignificatione alligari: Quid eſt, Pater Beatiſſime, quod tot beneficiis æquum ab ea Tibi rependi queat? Quid verò tanta beneuolentia dignum? Cuncta planè, quæ huius Familiæ ſunt, ſtudia, animos, amorem, præcordia ipſa iampridem tua Tibi humanitate comparaſti. Verumtamen, cùm hæc, quæ præſentem tantummodò in Te ſuorum Obſeruantiam, ac ſtudia indicant; ſimúlque ſeipſam Tibi dediſſe, ea ſatis minùs ſibi ſufficere arbitretur. En hos Tuæ Beatitudini Sacros Annales, quibus integra Religio conſtat; integrè dicat, donat, conſecrat: vt non diſſectam, aut aliqua ex parte imminutam; ſed ſimul totam; nouam ſcilicet, & antiquam Congregationis Sobolem, omniúmque collectos animos habeas; ſacróque ac perpetuo Tibi iure comparatos poſſideas.

Quòd ſi poſtremam mihi his tandem cauſam addere licet: hanc certè ſumma mea erga Beatitudinem Tuam Obſeruantia, ſingularéque deuotiſſimæ ſeruitutis vinculum plurimis, grauiſſimíſque titulis contractum, iure ſibi vendicat. Huic cùm nullis ſtudiis, nullíſque officiis, quæ vel à me hactenus tentata ſunt; vel vllo vnquam tempore exhiberi poſſunt, ſatisfacere valeam. Id ſaltem tenui hoc Opuſculo, velut grata quadam animi ſignificatione declaratum cupio.

Quòd ſi, Beatiſſime Pater, hoc pauperculi munus, licèt perexiguũ (quod tamen maximos ſæpè viros, ac Reges delectare ſolet) pro innata Tibi animi manſuetudine, ac magnitudine non exhorrueris; verùm benigniùs exceperis; ac gratum probaueris: iam profectò ampliſſimam horum, qua-

liuncumque laborum, mercedem me aſſequutum puto. Nec quicquam præterea mihi optandum ſupereſt; niſi vt, quæ hactenus, Deo obſtetricante, à me parta ſunt; tua benignitate foueas: libellumquè tua benedictione proſequare: vt noua, ac futura prole fœcundior, nouos quoque tuæ Beatitudini Voluminum propediem fœtus progignat. Diù igitur, ac felix viue, & Vale, Optime Pontifex: atque vt æternum viuas, & valeas, det qui immortalem ſuis poſt hanc vitam largitur.



# Præfatio ad Lectorem.

PRÆCLARVM apud omnes Hiſtoriæ nomen, ac dignitatem ſemper extitiſſe, Antiquorum omnium, atque eorum præſertim vox fuit; qui de Hiſtoria tam magnifica, ac illuſtria ſenſêre: vt eam alij rerum, actionúmque humanarum compendium, ea potiſſimùm ratione appellandam ſenſerint; quòd dum ſummorum Virorum, qui nos anteriori æuo præceſſerunt, conſilia, actiones, rerum exitus proſequitur; velut loquax quædam præteritorum imago, cunctas Orbis ætates ante oculos ponat; ac præteritorum temporum memoriam quaſi faſciculo colligat. Alij, temporum teſtem, vitam memoriæ, veritatis lucem, ac vetuſtatis nunciam idcircò eſſe dixerint; quòd cùm rerum geſtarum ſeriem, ac veritatem lucidam, perſpicuam, conſtantem, fidelem, nullóque vitio labefactatam præſeferat: vetuſtam temporum conditionem, eorúmque memoriam, quæ cum virtute à maioribus acta ſunt, ab interitu vendicet. Alij denique vitæ normam, ac magiſtram ob id maximè nuncupauerint: quandoquidem ex ea præclara humanæ vitæ inſtitutio exoritur, ac velut conglobata quædam, ac coaceruata ſapientia, vt ait Nazianzenus, hominum mentes de agendis, ac fugiendis erudiat. Siue enim Remp. regas, ſiue domum adminiſtres, ſiue militiæ degas: quicquid denique domi, foríſve agas, id rerum præteritarum exemplis cautiùs, & accommodatiùs præſtes: multarum ſiquidem rerum diſciplina in Hiſtoriæ lectione animus inſtruitur; & dum optimos quoſque immortalem nominis gloriam, ex virtute adeptos oſtendit, vnumquemque ad præclara virtutum facinora accendit. Iuniores antiquioribus prudentia exæquat, Senioribúſque rerum experimenta ſubminiſtrat: improbos quoque, ac prauos homines, quos virtutis amor minùs ad meliora allicit, malorum exitiis à vitiis exterret. Demùm, ea totius Orbis, ac omnium temporum diſciplina cenſenda eſt; qua hominum vita componitur, hiſque abundè inſtruitur, quibus ad benè, beatéque viuendum duci poſſit.

*Hiſtoriæ laus, & vtilitas.*

Gregor. Nazianz. ad Nicobol. de Hiſt. leg.

Porrò, ſi hæc antiquis humanarum rerum monumentis vtilitas ineſſe creditur; vt eorum ſtudioſos ſuapte natura ad virtutem, & ſapientiam trahat: quid de diuinarum rerum hiſtoria ſentiendum erit? cui ea ab ipſa ſacrorum natura vis indita eſt; vt legentium animos non modò cœleſti ſapientia imbuat: ſed & impetu quodam ad Deum, diuináque amplectenda impellat? Nam quemadmodum ex igne naturaliter emicat ſplendor, & ex vnguento præſtanti odor diffunditur: ita è ſanctorum geſtorum commemoratione, diuinorum appetitus in animo generatur; melióрque, ac ſapientior mens fit, quum diuinis rebus erudita, ſæpè in ſacræ

*Sacrarum Hiſtoriarum lectio quæ bona conferat.*

Hiſtoriæ lectione verſatur. Cùm enim ſacra Hiſtoria virtutes perſuadeat, vitia ſubmoueat, varios vitæ humanæ caſus, ac mutationes aperiat, diuina conſilia patefaciat; animúmque ad diuinam pietatem, charitatem, Religionémque impellat: hinc cœleſtium virtutum in homine ſumma exoritur: hinc pietas, hinc fides, hinc religio, hinc probitas, hinc conſtantia, hinc integritas, ac omnium bonorum ſeges pullulat: prudentia, conſultatio, æquitas, fortitudo, temperantia, iuſtitia, cæteræque virtutes omnes; velut ſacræ Hiſtoriæ ſoboles ab ea naſcuntur.

Baſil. Imper. epiſt. ad Leon. filium.

Quamobrem Baſilius Imperator Leoni filio, præter ſacrorum librorum Hiſtoriam, nihil magis commẽdare viſus eſt, quum ad eum ita ſcribit. *Per Hiſtorias* (inquit) *veteres ire non recuſa: ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt: atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones. Mundi huius inſtabilitatem, & præcipites Imperiorum caſus; & vt vno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in diuinæ iuſtitiæ manus incidas: hæc amplecteris; vt præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.*

*Sacræ Hiſtoriæ quomodo legendæ.*

Verùm qui ad ſacras Hiſtorias accedit, id magnopere cauere debet: ne in Torrentis modum, raptim in ſacrorum voluminum lectione fluat; aut Venatici canis inſtar, velociùs per Hiſtoriæ agrum excurrat: quæ enim rapidè, ac feſtinanter leguntur, vix animo inhærent: neque ager fœcundus fit; quem vnda placidè ſubſiſtens non rigat. *Quid enim prodeſt* (teſte Auguſtino) *lectione continua tempus occupare, Sanctorum geſta, & ſcripta legendo tranſcurrere, niſi ea maſticando, & ruminando ſuccum bibamus; & tranſglutiendo vſque ad cordis intima tranſmittamus? vt iis diligenter conſideremus ſtatum noſtrum; & ſtudeamus eorum opera agere, quorum facta, & verba cœpimus lectitare.* Lentè igitur, ac moroſè in Hiſtoriæ ſacræ lectione incedendum eſt: vt ex ea tum humanæ, tum diuinæ prudentiæ leges, ac vitæ exempla hauriri queant.

Auguſt. lib. de Scala Parad.

*In Hiſtoria legenda quid fugiendum.*

Ea quoque lex ſacras Hiſtorias legenti ſancita eſt. Ne quid nimis: neue in Hiſtoriarum lectione, ingluuie quadam, ac immoderato rerum appetitu feratur: quo vel mentem ingurgitet, vel plus lectionis deuoret, quàm animi ſtomachus ferre, ac decoquere valeat. Dictum ſapientis eſt: *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud.* Cùm enim Hiſtoriæ legendæ ratio, ea cuíque iucunda ſit; vt ex ea vitæ, ac prudentiæ exempla decerpat: qui animum hiſtorica lectione obruunt, id planè efficiunt; vt nimio rerum pondere ipſius vires exhauriant. Fatigata autem mens, cùm è lectione ſurgit; vel priorum, quæ legerat, obliuiſcitur; vel rerum multitudine obruta, minus ſingulis vacare poteſt, quibus prudentior, ac ſapientior fieri debuit. Immò & eo plerúmque fit; vt quemadmodum qui os Phialæ anguſtum vino obruunt, vinum potiùs effundunt, quam Phialam impleant. Ita qui ſe plus æquo hiſtorica lectione ingurgitant, cùm mentis anguſtias patiantur; ab ea nonnunquam Hiſtoria, ac prudentia vacui redeant.

Prou. 25.

His itáque præceptis prælibatis: Si quæ in contexenda huius Volumi-





nis Hiſtoria ratio à nobis inita; quis ordo, quiſuè operi ſcopus præſtitutus ſit, exquiratur. Quod ad titulum ſpectat; nequaquam Te, Lector, ignorare decet: nos haud fruſtra huic operi, Annalium, ſeu ſacrarum Hiſtoriarum nomen indidiſſe: Annalium enim nomen, ac ſcriptionis formam, velut antiquiſſimam; qua res geſtæ luculentiùs, ac diſtinctiùs ſuis quæque temporibus, per annos ſingulos diſtribuuntur, retinenda duximus. Olim ſiquidem (Luceio teſte) Hiſtoria nihil aliud erat, præterquam Annalium confectio; qui eò fideliores, & accuratiores erant, quòd à Sacerdotibus, Viríſque integerrimis conficiebantur. Illud tamen ab Hiſtoriæ nomine haud diſiungendum cenſuimus. Cùm enim Hiſtoria (vt nonnullis placet) rerum antiquiſſimarum ſit: Annales verò res, aut præſentes, aut parum à noſtra ætate, memoriáque remotas complectantur: ne antiqua ordinis monumenta Annalibus deeſſent, Hiſtoriam cum Annalibus coniunximus: neve præclara huius tempeſtatis geſta, quæ ab obliuione, ac obliteratione vendicare æquum eſt, ab Hiſtoria arceantur: Annales Hiſtoriæ adnectendos curauimus: vt dum Annales, ſiue ſacras Hiſtorias nuncupamus; ſimul vtráque & vetuſta, & præſens Religionis ætas colligeretur. Cæterum, cùm rerum geſtarum veritas ita Hiſtoriæ neceſſaria ſit, vt illius vita, ac fundamentum iure nuncupari debeat: qua è medio ſublata, nec vetuſtas, nec rerum memoria, nec legitima narratio, neque Hiſtoria ipſa ſtare queat. Ex quo egregiè Tullius, duas Hiſtorico leges ſancitas eſſe docet. Prima, Ne quid falſi dicere audeat. Altera, Ne quid veri dicere non audeat. Atque id rectè. Hiſtoria enim, ſi obſcura, ſi perplexa, ſi perturbata fuerit, Hiſtoria eſt: at vbi mendax euincitur: non Hiſtoria, ſed fabula nuncupatur. Nam quemadmodum humanum corpus, ſimul ac diſceſſerit animus, exanime cadauer efficitur: ita etiam Hiſtoria, ſi à veritate, quæ illius vita, & anima eſt, deſeratur: protinus vel in commentum, vel in fabulam mutatur. Quapropter hanc mihi ante omnia, in hiſce Annalibus, ita proſequendam ſtatui; vt non dubiam, aut incertam; non ſuſpectam, non vitio aliquo laborantem; ſed dilucidam, certam, probatam, è tenebris erutam, atque in lucem vendicatam, cunctis aſpectandam proponerem. Quod planè me aſſequutum ſpero, præſertim cùm huc non omnia paſſim, quæ obuia fierent; ſed ea tantummodò, quæ vel ab antiquis Patribus, qui propiùs à Religionis ortu abfuerunt, memoriæ tradita; vel à grauiſſimis Viris certa fide, ac iureiurando confirmata fuêre: omnium habito delectu, contulerim: vti ex Indice, qui operi præpoſitus eſt, cunctis perſpicuum eſſe poteſt.

*Hiſtoria quo ab Annalibus differat.*

*Veritas Hiſtoriæ neceſſaria.*

*Annalium Capuccinorum veritas.*

Id quidem prudentem Lectorem rogatum velim: ne in Annorum, ac temporum particulis accuratiùs examinandis, nimiùm diligens ſit, & exquiſitus: nam etſi in his cuíque rei geſtæ ſingillatim aſſignandis, ſtudium omne, ac diligentiam contulerim; haud tamen, præſertim ob manuſcriptorum vitia, ac inopiam, ſingula tam certis temporum periodis, adamuſſim reſpondere confido; vt non aliquid, vel minimum, plùs minúſvè effugiat. At ſanè hęc modica, quæ forte irrepſit, incerta, aut indiſtincta temporum traditio, haud tanti æſtimanda eſt; vt à fide Anna-

lium quemquam reuocare debeat; præſertim cùm rerum veritas ſarta-recta teneatur: atque in temporum veritate aſſignanda, ad veritatem acceſſiſſe ſat ſit.

Id Te quoque, Lector, admonitum volo; me non omnia clariſſimorum Virorum, quorum Capucinorum Religio, à ſui ortu, ad hæc vſque tẽpora ferax fuit, geſta, ac virtutes in hoc Volumine perſtrinxiſſe. Cùm enim prior illa humillimorum Patrum noſtrorum ætas; quibus maior humilitatis, ac propriæ deſpicientiæ ſectandæ, quam exiſtimationis apud homines captandæ, cura erat: Illuſtrium Virorum, qui in Religione florebant, facta potiùs ſilentio tegere, ac celare, quàm in publicum proferre curaret: ab hiſque maximè abhorreret, quæ ſuorum virtutes, ac præclarè geſta memoriæ commendare videbantur: eo planè accidit, vt innumeri ferè ſanctorum hominum actus, virtutes, miracula, ſilentio, ac vetuſtate deleta interierint, quorum vix leuis, ac per manus tradita, ad nos memoria peruenit. Quo fit, vt eorum duntaxat hîc à nobis geſta referantur: quæ ex Manuſcriptis abſolutiſſima, & probatiſſima hauſimus. Hos verò, neque omnes, neque promiſcuè, abſque delectu, ad Annales vocauimus: Eos enim, qui etſi virtute præſtantes, nullis à Deo ſignis, aut viſionibus, aut reuelationibus probati fuêre; conſultò prætermiſimus, ne Volumen in immenſum excreſceret: iis tantùm ad Annalium memoriam accitis, quos Deus Opt. Max. vel diuinis hiſce teſtimoniis illuſtriores eſſe voluit, vel eorum gloriam poſt mortem declarauit. Quorum geſta, ac vitam ſumma cum virtute tranſactam: Eccleſiæ ſanctæ veſtigiis inhærens, quæ laudat poſt mortem, magnificat poſt conſummationem: eo tantùm anno conſcribendam duxi, quo ij ex hac mortali luce migrarunt.

*Religionis Capucinorum humilitas.*

*Quorumnam vita in hoc volumine cõſcribantur.*

Mihi quoque propoſitum fuit, ab omnibus, tum profanis, tum alienis ab inſtituta Religionis Hiſtoria, quantum fieri potuit, rebus conſcribendis abſtinere. Quid enim Sacrę Hiſtorię cum profana commune eſſe debet? Habent humana Scriptores ſuos: habent & aliorum Ordinum propria, qui accuratiùs, ac pleniùs res ſuas conſcribant. Quapropter ea tantùm, quæ ad Minorum Capucinorum Annales ſpectant, mihi calamo proſequenda fuêre. Religionis nimirum ortus, progreſſus; Prouinciarum erectiones, pręcipuorúmque duntaxat Conuentuum fundationes; Viri ſanctimonia, vel doctrina illuſtres: quæque in Religione memoratu digna quoquo anno euenêre: atque alia, quæ ad Religionis ſtatum, aut propagationem declarandam pertinent, ſuo ordine diſtinguenda curaui.

Porrò, ne quis fortè nos ad arbitrium noſtrum aliqua confinxiſſe exiſtimet: in ipſo Voluminis fronte, Indicem Auctorum, ac Manuſcriptorum, ex quibus tota hæc Annalium Hiſtoria per ſingulas illius partes deſumpta eſt, adiecimus: vt eo perſpicuum fiat, nihil à nobis ex arbitrio confictum: ſed ea duntaxat, quæ certo aliorum grauiſſimorum virorum teſtimonio probata ſunt, fideliter, ac ſyncerè hic allata fuiſſe.

Sæpè quidem illud me anxium, ac ſollicitum reddidit quiſnam in no-





minibus Vrbium, & Oppidorum, quæ paſſim hiſce in Annalibus obuia fiunt, explicandis modus mihi obſeruandus eſſet. Si quis enim vniuerſa velit latinis priſcis dictionibus efferri: cum Volumine, & Dictionarium nominum interpres emitti neceſſe erit: qui contrà, nullum latinis nominibus donari velit, ſed omnia proprio Idiomati explicanda committat: is videatur omnem antiquitatem faſtidire. Modus itáque tenendus eſt: quem cùm nemo certum queat præſcribere, hunc nos medium quoddam ſeruantes, nobis præſtituimus: vt alia ad recepta iam latinæ linguæ vocabula referamus: aliis latinum ſonum quaſi veſtem aptemus, vt faciliùs intelligi queant.

At quod ad Orationis, ſeu locutionis genus pertinet; ab eo præſertim mihi abſtinendum duxi: quod pigmentis, & lenociniis aſperſum, ad iucunditatem potiùs, & eloquentiæ, ingeniíque oſtentationem, quàm ad ſinceram rerum narrationem, natiuámque Hiſtoriæ faciem exprimendam inſtitutum videtur. Illud verò Hiſtorici proprium, ac genuinum ſemper arbitratus ſum: quod purum, quod perſpicuum, quod ſimplex, atque à ſuperfluo verborum ornatu alienum eſſet. Cùm enim Oratoria dictio Regiæ ſponſæ ſimilis ſit, cuius non modò aurum, & purpura: ſed flores etiam, ac gemmæ maieſtatem ornant: Hiſtorica tamen locutio, nobilis Matronæ, ac Matrisfamilias honeſtatem refert: in qua cultus, habitus, inceſſus grauis, ac moderatus eſſe debet: atque vbi munditiam retinuerit, maiora ornamenta abiicit: ita vt in ea locum habeat illud Manilij.

*Hiſtoricus ſtilus qualis eſſe debeat.*

*Ornari res ipſa nequit, contenta doceri.*

Hinc Tullius in Bruto, Cæſaris Commentarios, hac ratione mirificè commendat. *Commentarios*, inquit, *ſcripſit rerum ſuarum valde probandos. Nudi, enim recti, ac venuſti ſunt, atque omni ornatu Orationis, tanquam veſte detracta.* Quamobrem Oratoriis fucis, ac ornamentis longè abiectis, ſimplex, ac naturale dicendi genus ſequuti ſumus, quo rerum geſtarum veritas purior, ac luculentior appareat.

Tull. in Brut.

Iam verò ex ipſo Hiſtoriæ fine, quis in hoc Annaliũ Volumine exarãdo, ſcopus mihi pręſtitutus fuerit, licet perpendere. Hiſtoriæ ſinẽ alij quidẽ in eo repoſitũ volunt: ne res à maioribus geſtæ obliterẽtur. Alij ne præclara illorum facta, & admiranda, ſua fraudentur gloria. Alij denique vt ex rerum geſtarum monumentis Mortales exempla hauriant: vnde cautè, ac prudenter vitam inſtituant. Prior quidem vtérque finis nobis communis eſt. Neque enim vlla aut ratio, aut publica vtilitas fert: vt tot præclara ſanctorum Virorum geſta, quibus poſteritas iuuari, & ad virtutem accendi poteſt, vna nominis obliuione deleantur: Et qui ſua virtute, atque admirandis vitæ exemplis nobis præluxerunt, ea gloria fruſtrentur: quam ſibi tum apud homines, tum apud Deum, immortalem compararunt. Et quidem cùm Sacros Scriptores huius rei ſtudioſiſſimos offendamus, quorum hæc vox eſt: *Laudemus Viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua, &c. ſapientiam eorum laudent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.* Quî nobis fas erit, Patrum, ac maiorum noſtrorum: homi-

*Hiſtoriæ quis finis præſtitutus.*

[illegible]

num diuitum in virtute, quorum labore Religio ſata eſt, ac Sanctimonia refloruit, facta perpetuo ſilentio obtegere? Eáque quam ſibi apud poſteros promeruerunt, gloria expoliare? Cùm ſimul immortali Deo honor, qui in eum ex Sanctorum gloria redundat, eripiatur. Nam (vt Hieronymus ait) *Honoramus Seruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum; qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.*

Hieron, epiſt. 53. ad Ripar.

Id itaque, tum Dei Opt. Max. tum Sanctòrum ſuorum gloriæ, quam omni ſtudio proſequi, omnibus maximè debitum, nedum honeſtiſſimum eſt, donandum cenſui: vt præcipuam ei cauſam adſcribam, quæ me ad hoſce Annales conſcribendos potiſſimùm compulit. Cui ſi alteram addas, quæ ad multorum commodum, atque vtilitatem ſpectat, integrum planè, ac perfectum huius hiſtoriæ, atque Hiſtorici finem attinges. Omnis quidem hiſtoriæ finem eum eſſe, nemo ignorat: vt mortales ad benè, beatéque viuendum inſtituat: quatenus ſcilicet exemplorum varietate eos ad prudentiam dirigit. At Sacra hæc HIſtoria, præter hunc, præſtantiorem quoque alium finem agnoſcit; quo hominem, non tam ad præſentis, quàm ad futuræ vitæ ſtatũ inſtituit. Neque enim eam tantùm nominis immortalitatem ſectandam proponit, quæ ex prudentiæ virtute, atque humana nominis gloria proficiſcitur: ſed quoniam ad veram immortalitatem nobis aſpirandum eſt, eò etiam ſpectat: vt rerum geſtarum cognitione, beatæ immortalitatis, ac perennis vitæ incitamentum, ac ſubſidium miniſtret. Vſu enim, & experientia probatum eſt: virtutum exemplis, atque earum rerum commemoratione, quæ fortiter à Sanctis Viris toleratæ, atque exantlatæ ſunt, animum cuiuſque pungi, ac commoueri: atque inde meliorem fieri: dum vel ad res aduerſas fortiter ferendas: vel ad ſuperbos honores calcandos: vel ad blandas voluptates ſuperandas; vel ad carnem caſtigandam; vel ad orationis, ac meditationis ſtudium amplexandum: denique ad perfectam Chriſti imitationem impellitur.

*Sacræ Hiſtoriæ finis præſtantiſſimus.*

Sunt enim, quorum animus limo infixus, ſæcularium cupiditatum fæcibus adhæret: humi repentes, qui vix cœleſtia norunt, neque æterna, ac inuiſibilia bona diligunt: atque his interdum contingit, vt vel facinoroſi hominis pœnitentiam, vel horrendum Dei in aliquos iudicium perlegant; cuius horrore perciti, mox ad pœnitentiam conſurgunt. Sunt & inter Religioſorum clauſtra alij, qui in Regulæ, ac Conſtitutionum cultu ſegniùs, ac negligentiùs ſe gerunt: quorum profectò ſalus maximo in diſcrimine verſatur. Nullæ hos Superiorum correptiones, nulla amicorum monita, nulla virtutum exempla ad meliorem frugem prouocant. Vnde hi à periculo liberari queunt? Eo planè, ſi in aliquam fortè huiuſmodi Sacrorum Voluminum lectionem incidant, cui fortiùs animum intendant. Sanctorum enim exempla, quaſi ſtimulo acriùs pungunt, prouocant fortiùs, hærent diutiùs. Sunt denique, qui ad virtutum ſtudia, ac res diuinas, haud aſpernanda animi cupiditate feruntur: qui dum res à Sanctis, eiuſdem præſertim Inſtituti, Viris præclarè actas perlegunt: ad maiora virtutũ incrementa, ac perfectioris vitæ ſtudia animantur. Vt

*Sacræ Hiſtoriæ vtilitas.*

enim



enim Pictores, quum ex Imagine Imaginem pingunt, exemplar aſpectantes, lineamenta eius magno ſtudio, in ſuam tabulam transferre conantur. Ita qui ſe præclaris virtutibus exornatos optant: Sanctorum vitas, velut cæleſtia quædam ſimulacra intuentes, egregia ipſorum facta ſtudioſè imitari curant.

En igitur, Suauiſſime Lector, Primum Annalium, ac Sacrarum Hiſtoriarum, Seraphicæ Religionis Minorum, qui Capucini nuncupantur, Volumen, Orbi expectatiſſimum: maximis, innumeriſque virtutum exemplis vndequaque refertum: quod ſanè, non inanis exiſtimationis captandæ amor, non honoris apud homines aucupandi cupiditas, non Religionis concrepandæ, aut efferendæ libido (abſit): Verùm quod ad me attinet, Admodum R.P. Ioannis Mariæ à Noto, noſtri Ordinis nuper Generalis Miniſtri: tum verò eo ex humanis ſublato: admodum R.P. Hieronymi Narnienſis Generalis Vicarij, totiúſque Generalis Congregationis duntaxat imperium: quod verò ad eos ſpectat; importuna, tum Illuſtriſſimorum, tum aliorum omnis generis Virorum, ne dicam omnium, qui iamdudum illud efflagitare viſi ſunt, poſtulatio extorſit. Iam verò in eo nouæ, ac Seraphicæ Reformationis ortum, admirabiléſque inter vincula, inter carceres, inter fugas, inter exilia, atque innumeras perſecutionum procellas, progreſſus aſpicias. Hîc vanos hominum in eam conſpirantium conatus: hîc diuinæ protectionis præſidia: hîc parentum noſtrorum, qui olim pro ea decertarunt, labores, ærumnas, fortitudinem intueri liceat. Hîc Euangelicorum hominum, ac perfectiſſimorum Virorum, qui nos ſua virtutum luce anteceſſerunt; Angelica planè caſtra, Chriſtiana bella, victorias, triumphos de antiquo hoſte reuectos, ac Cœleſtes coronas cernas. Huius per Voluminis campos (dum alia parantur) ſi à curis, cupiditatibúſque liber, ac expeditus excurras, vndíque virtutum floſculos colligas, quos animo reponas. Vbique iucundiſſima altiſſimæ paupertatis parata conuiuia, auſteritatis, abſtinentiæ, humilitatis, obedientiæ, ſilentij, vigiliarum, meditationum, contemplationum fercula reperias, quibus ſagineris.

*Capucinorum Annales quid cõtineant.*

Cæterùm quia HIſtorici munus eſt, non ſolùm proborum virtutes aſſerere; ſed & nonnunquam improborum caſus aperire; vt in victoria fortium, quid imitandum; & in aliorum lapſibus, quid timendum, fugiendúmve ſit, cuique perſpectum eſſe poſſit: hîc quoque aliquorum pericula, lapſus, exitia habes, quibus terreare.

His accedat, quòd cùm in omni rerum geſtarum narratione illud potiſſimùm ſcribentis videatur eſſe officium: vt eorum, quæ ad totius HIſtoriæ ſeriem rectè inſtituendam, ac exarandam conferunt, in ipſo Operis veſtibulo, quemdam velut apparatum inſtruat; quo faciliorem, ac luculentiorem ad ea, quæ dicenda ſunt, viam ſternat. Plerunque enim accidit; vt rerum primordiis, earúmque cauſis à Scriptore neglectis, aut minùs patefactis: quæ inde oriuntur, tanquam ſublata face, legentibus obſcuriora fiant, eorúmque animos quaſi tenebris inuoluant. Idcircò cùm de Sacra Minorum Religione, ac poſtrema ipſius Reformatione,

*Annalium apparatus quò ſpectet.*

quæ

quæ ſub Capucinorum titulo euulgatur; hîc nobis hiſtoricè agendum ſit: neceſſarium duxi, nonnulla, quæ vel ad Religionis ortum, vel ad nouæ Reformationis principia ſpectant, prælibare: quibus lectoris mens, velut præuio quodam rerum apparatu inſtructa, ac velut præeuntis facis luce illuſtrata, ad ea, quæ poſteriùs conſcribenda ſunt, pleniùs, ac vberiùs intelligenda paretur.

*Pro Sacræ Congregationis Decreto Cautela, & declaratio.*

Poſtremò id cunctis maximè exploratum eſſe volo: me Illuſtrium Virorum, quorum Vitæ, in hoc primo Annalium noſtrorum Volumine exarantur; ac poſterioribus libris, ſi vita comes fuerit, Deo bene iuuante, conſcribentur; geſta, miracula, reuelationes, demùm ſi quæ alia beneficia eorum interceſſione à Deo lata fuerunt, haud ita legentibus credenda proponere; quaſi ab Apoſtolica Sede iam examinata, atque approbata; ab ea fidem, & auctoritatem acceperint: cùm his eam tantùm apud homines fidem conciliare mihi propoſitum fuerit, quæ cæteris rerum humanarum Hiſtoriis communis eſſe ſolet; quæquæ neminem, vel ad Catholicæ, vel ad certæ fidei Canonem perſtringat. Demùm quæ Apoſtolico Sacræ Congregationis S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Decreto (quod per omnia integrum, ac ſartumtectum ſeruatum volo) nullatenus aduerſetur. Quanquam enim in his tradendis ſtudium omne, ac diligentiam contulerim, vt vera duntaxat, & quæ certa fide, ac fama probata accepi, in medium afferrem: ea tamen, neque ab Eccleſia Canonicè approbata cenſeri; neque maiori, aut ampliori, quàm humana, ac Hiſtorica fide potiri, certum apud omnes, & velut ſacrum eſſe volo. Quin etiam cùm ſæpenumerò, in Virorum Illuſtrium, qui apud nos, vel miraculis floruerunt, vel virtutibus excelluêre; vitæ perfectione explicanda, ſanctitatis nomine vſus fuerim: quo in ſenſu illud paſſim tum apud Scripturas, tum apud Patres vſurpatur: Sanctóſque, ac beatos homines nonnunquam appellauerim; quos Euangelica perfectione inſigniores offendi: ne quemquam ea Sanctitatis nuncupatio moueat, quaſi ij iam ab Apoſtolica Sede, in Sanctorum album conſcripti fuerint: cunctis perſpicuum ſit: nihil in ea nuncupatione Eccleſiaſticæ Canonizationis, ſiue Beatificationis; qua Sancti, ac Beati ab Eccleſia declarari ſolent, qui publico cultu ac veneratione apud homines donantur; inſinuari: ſed eam tantùm ſanctitatem in his à nobis commendari ſciant: quæ, ex eorum virtute, & morum excellentia proficiſcitur. Vniuerſa demùm, quæ tùm in hoc, tum in altero volumine conſcribentur; per omnia S. R. E. examini, ac iudicio ſubiecta ſunto. Quòd ſi quæ in hiſce Annalibus, aut ampliore, aut politiore ſtilo exarata deſiderantur; ea mihi Auctori, ac mei ingenij tenuitati, cui plura, & meliora non ſuppetunt, adſcribi, haud ſanè moleſtè feram: dummodò quæ in eis bona, ac bene parta videri poſſunt, ad Deum Opt. Max. ſupremum eorum Auctorem, referant; cui ſoli honor & gloria debetur.

INDEX

# INDEX VIRORVM ILLVSTRIVM;

## Virtutum Sanctimonia Inſignium, quorum vita, & geſta in hoc primo Annalium Tomo exarantur.

A


| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *AEgidius ab Aquis Porretanis Laïcus.* | *Anno* | 1566 | *pag.* | 649 |
| *Aegidius Turrianus Sacerdos.* | *anno* | 1558 | *p.* | 557 |
| *Aegidius Syracuſanus Laïcus.* | *anno* | 1667 | *p.* | 664 |
| *Aegidius à Mola Laïcus.* | *anno* | 1576 | *p.* | 810 |
| *Aegidius Tarentinus Laïcus.* | *anno* | 1566 | *p.* | 649 |
| *Aegidius Luppieſis Sacerdos, & Cõcionator.* | *anno* | 1578 | *p.* | 834 |
| *Albertus Neapolitanus Laïcus.* | *anno* | 1551 | *p.* | 462 |
| *Alexander à Fano Sacerdos.* | *anno* | 1564 | *p.* | 610 |
| *Alexander ab Interamnea Sacerdos.* | *anno* | 1572 | *p.* | 735 |
| *Alexander Catanenſis Clericus.* | *anno* | 1572 | *p.* | 729 |
| *Alexander à Butrio Sacerdos.* | *anno* | 1580 | *p.* | 860 |
| *Alexius à Petra Rubea Laicus.* | *anno* | 1574 | *p.* | 753 |
| *Alexius à Cunio.* | *anno* | 1551 | *p.* | 462 |
| *Alphonſus Sueſſanus Sacerdos.* | *anno* | 1575 | *p.* | 779 |
| *Ambroſius Locrenſis Laicus.* | *anno* | 1579 | *p.* | 846 |
| *Amadeus de Anteniato Sacerdos.* | *anno* | 1566 | *p.* | 674 |
| *Angelicus à Bocherio Sacerdos.* | *anno* | 1570 | *p.* | 710 |
| *Angelus Saonenſis Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1556 | *p.* | 540 |
| *Angelus Tifernas Laicus.* | *anno* | 1566 | *p.* | 649 |
| *Angelus Aſtenſis Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1560 | *p.* | 575 |
| *Angelus à Ferno Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1568 | *p.* | 675 |
| *Angelus à Tiferno Metaurenſi Sacerdos.* | *anno* | 1569 | *p.* | 690 |
| *Angelus à S. Martino Calaber Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1572 | *p.* | 727 |
| *Angelus à Caſtellanetta Sacerdos.* | *anno* | 1567 | *p.* | 664 |
| *Angelus Saonenſis Clericus.* | *anno* | 1574 | *p.* | 754 |
| *Angelus Ferrarienſis Sacerdos.* | *anno* | 1576 | *p.* | 808 |


*Angelus*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Angelus à Canobio Sacerdos. | anno | 1579 | p. | 841 |
| Andreas Crotonienſis Laicus. | anno | 1571 | p. | 718 |
| Andreas Burgundus Sacerdos. | anno | 1579 | p. | 852 |
| Andreas Tudertinus. | anno | 1573 | p. | 749 |
| Anſelmus Aletinus Clericus. | anno | 1580 | p. | 858 |
| Anſelmus Panormitanus Sacerdos. | anno | 1573 | p. | 749 |
| Antonius Luſitanus Clericus. | anno | 1545 | p. | 377 |
| Antonius Cyrneus Sacerdos. | anno | 1548 | p. | 400 |
| Antonius à Monte Sicardo Sacerdos. | anno | 1550 | p. | 429 |
| Antonius Politianus Laicus. | anno | 1550 | p. | 438 |
| Antonius Siculus Laicus. | anno | 1555 | p. | 528 |
| Antonius à Lacu nigro Sacerdos. | anno | 1572 | p. | 721 |
| Antonius à Puſiniano. | anno | 1568 | p. | 679 |
| Antonius à Potentia Laicus. | anno | 1567 | p. | 664 |
| Antonius Senenſis Clericus. | anno | 1560 | p. | 577 |
| Antonius Lochienſis Laicus. | anno | 1568 | p. | 674 |
| Antonius à Spinatiola Sacerdos. | anno | 1568 | p. | 675 |
| Antonius Aletinus Laicus. | anno | 1573 | p. | 740 |
| Antonius Monopolitanus Sacerdos. | anno | 1579 | p. | 847 |
| Antonius à Cianciano Laicus. | anno | 1580 | p. | 855 |
| Archangelus Panormitanus Sacerdos, & Concionator. | anno | 1577 | p. | 820 |
| Archangelus Saccenſis Clericus. | anno | 1577 | p. | 822 |
| Arſenius Bergomas Clericus. | anno | 1580 | p. | 867 |
| Auguſtinus Dipinianenſis Laicus. | anno | 1572 | p. | 734 |
| Auguſtinus à Latertia Laicus. | anno | 1580 | p. | 857 |
| Auguſtinus Pactenſis Sacerdos. | anno | 1572 | p. | 735 |
| Auguſtinus Gallus Concionator. | anno | 1566 | p. | 649 |

B

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Baldus à Callio Sacerdos. | anno | 1574 | p. | 753 |
| Baptiſta Laritionenſis Sacerdos. | anno | 1564 | p. | 611 |
| Baptiſta Fauentinus Laicus. | anno | 1562 | p. | 588 |
| Bartholomeus Hiſpellenſis Sacerdos. | anno | 1562 | p. | 596 |
| Bartholomeus Gallus Sacerdos. | anno | 1566 | p. | 640 |
| Bartholomeus à Luciniano Sacerdos, & Concionator. | anno | 1579 | p. | 848 |
| Bartholomeus à Murciano Laicus. | anno | 1580 | p. | 862 |
| Benedictus Galleratenſis Sacerdos. | anno | 1575 | p. | 785 |
| Benedictus Brixienſis Laicus. | anno | 1560 | p. | 576 |
| Benedictus Vercellenſis Clericus. | anno | 1565 | p. | 619 |
| Bernardinus Aſtenſis ſecundus Generalis. | anno | 1554 | p. | 510 |
| Bernardinus Rheginus cognomento Georgius Sac. & Conc. | anno | 1536 | p. | 226 |
| Bernardinus à Monte Vlmi Sacerdos, & Conc. | anno | 1565 | p. | 625 |
| Bernardinus Vrbinas Clericus. | anno | 1568 | p. | 676 |
| Bernardinus à Lauro Clericus. | anno | 1571 | p. | 718 |
| Bernardinus Aſculanus Laicus. | anno | 1572 | p. | 734 |
| Bernardinus à Latertia. | anno | 1575 | p. | 780 |
| Bernardinus à Murciano Laicus. | anno | 1580 | p. | 856 |
| Bernardinus Eugubinus Laicus. | anno | 1580 | p. | 866 |
| Bernardinus à Balbano Sacerd. & Concionator. | anno | 1558 | p. | 553 |
| Bernardinus Aſſanenſis Sacerdos. | anno | 1563 | p. | 606 |
| Bernardus Offidanus Laicus. | anno | 1558 | p. | 554 |
| Bernardus Eutneus Clericus. | anno | 1554 | p. | 510 |
| Bernardus Foroſempronianus Laicus. | anno | 1539 | p. | 279 |
| Bernardus Aſiſias Sacerdos. | anno | 1547 | p. | 392 |







| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Bernardus Mediolanenſis Laicus. | anno | 1565 | p. | 624 |
| Bernardus Catacienſis Clericus. | anno | 1567 | p. | 663 |
| Blaſius de Hali Sacerdos. | anno | 1576 | p. | 809 |
| Bonauentura Rheginus Laicus. | anno | 1555 | p. | 531 |
| Bonauentura à Monte Regali Sacerdos. | anno | 1555 | p. | 548 |
| Bonauentura à Raticina Laicus. | anno | 1575 | p. | 778 |
| Bonauentura Panormitanus Sacerdos. | anno | 1580 | p. | 866 |
| Bonauentura Picens Laicus. | anno | 1567 | p. | 662 |
| Bonauentura Bercellenſis Laicus. | anno | 1563 | p. | 606 |
| Bonauentura Cremonenſis Sacerdos. | anno | 1571 | p. | 719 |
| Bonauentura Rhegienſis Sacerdos, & Concionator. | anno | 1572 | p. | 723 |
| Bonauentura Gallus Laicus. | anno | 1563 | p. | 606 |

C

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Clemens à Bocherio Laicus. | anno | 1577 | p. | 817 |
| Coſmas à Martina Sacerdos. | anno | 1577 | p. | 818 |

D

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Damianus Bergomas Sacerdos. | anno | 1576 | p. | 804 |
| Daniel Leontinus Clericus. | anno | 1554 | p. | 510 |
| Deodatus à Ripa Tranſona Sacerdos. | anno | 1566 | p. | 649 |
| Dominicus Bononienſis Sacerdos. | anno | 1551 | p. | 462 |
| Dominicus à Molochio Clericus. | anno | 1555 | p. | 532 |
| Donatus Aletinus Laicus. | anno | 1539 | p. | 280 |

E

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Euſebius à S. Catharina. | anno | 1537 | p. | 241 |
| Euſebius Anconitanus Generalis | anno | 1569 | p. | 692 |

F

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Felix à Carauaſio Clericus. | anno | 1572 | p. | 735 |
| Felix Meſſanenſis Clericus. | anno | 1576 | p. | 809 |
| Franciſcus Titelmanus Sacerdos, & Concionator. | anno | 1537 | p. | 252 |
| Franciſcus à Palemone Sacerdos. | anno | 1544 | p. | 367 |
| Franciſcus Aeſinus Generalis. | anno | 1549 | p. | 413 |
| Franciſcus Curenſis Laicus. | anno | 1557 | p. | 550 |
| Franciſcus à Sinagria Sacerdos. | anno | 1560 | p. | 577 |
| Franciſcus Nouarienſis Sacerdos. | anno | 1562 | p. | 594 |
| Franciſcus à Soriano Sacerdos, & Concionator. | anno | 1567 | p. | 658 |
| Franciſcus Maceratenſis Laicus. | anno | 1568 | p. | 666 |
| Franciſcus Matteolenſis Laicus. | anno | 1569 | p. | 689 |
| Franciſcus à Canobio Sacerdos. | anno | 1570 | p. | 703 |
| Franciſcus à Monte Politiano Sacerdos, & Concionator. | anno | 1571 | p. | 717 |
| Franciſcus à S. Martino Sacerdos. | anno | 1574 | p. | 755 |
| Franciſcus à S. Petro Sacerdos, & Concionator. | anno | 1574 | p. | 755 |
| Franciſcus Saccenſis Sacerdos. | anno | 1575 | p. | 773 |
| Franciſcus Abellinenſis Clericus. | anno | 1577 | p. | 817 |
| Franciſcus à Chio Græcus Laicus. | anno | 1578 | p. | 834 |
| Franciſcus à S. Petro Calaber Sacerdos. | anno | 1578 | p. | 835 |
| Franciſcus Luppienſis Sacerdos. | anno | 1579 | p. | 846 |
| Franciſcus à Fuxiano Sacerdos, & Concionator. | anno | 1579 | p. | 842 |
| Franciſcus à Caſtro Veteri Sacerdos. | anno | 1580 | p. | 868 |
| Franciſcus Racalenſis Sacerdos. | anno | 1568 | p. | 679 |
| Franciſcus à Cartoceto Sacerdos. | anno | 1526 | p. | 753 |

G

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Gabriel à Calataniſſeta. | anno | 1550 | p. | 439 |
| Gabriel à Iaueno Sacerdos. | anno | 1570 | p. | 702 |
| Geruaſius Hirminienſis Laicus. | anno | 1574 | p. | 756 |
| Gratus Septempedanus Sacerdos. | anno | 1575 | p. | 773 |
| Gratia Septempedanus Clericus. | anno | 1578 | p. | 833 |

# Index Virorum Illuſtrium.


Gregorius Genuenſis Laicus. anno 1579 p. 848
Gregorius Gallipolitanus Clericus. anno 1580 p. 858

H

Hieronymus à Georgia Sacerdos. anno 1561 p. 581
Hieronymus à Montepolitiano Sacerdos, & Conc. anno 1546 p. 381
Hieronymus à Monteſoro Sacerdos. anno 1561 p. 581
Hieronymus à Forolinio Sacerdos, & Concionator. anno 1566 p. 643
Hieronymus Piſtorienſis Sacerdos, & Concionator. anno 1570 p. 706
Hieronymus Rheginus Sacerdos. anno 1572 p. 727
Hieronymus à Pedona Sacerdos. anno 1576 p. 805
Hieronymus à Paradiſione Sacerdos. anno 1577 p. 822
Hieronymus Panormitanus Sacerdos. anno 1579 p. 846
Hieronymus à Butunto Sacerdos. anno 1580 p. 858
Honorius à Monte Granario Sacerdos, & Concionator. anno 1569 p. 682
Humilis Offidanus Sacerdos. anno 1541 p. 294
Humilis à Spoleto Sacerdos. anno 1580 p. 863
Humilis à Paterno Clericus. anno 1580 p. 868
Hyacinthus Faneſtris Laicus. anno 1560 p. 576

I

Iacobus à Melfićto Sacerdos, & Concionator. anno 1561 p. 581
Iacobus Hiſpellenſis Laicus. anno 1544 p. 370
Iacobus Florentinus Sacerdos. anno 1548 p. 409
Iacobus de Nurſia Laicus. anno 1566 p. 639
Iacobus Aletinus Sacerdos, & Concionator. anno 1580 p. 857
Ignatius ab Apiro Sacerdos, & Concionator. anno 1569 p. 697
Ignatius de Valle duplici Sacerdos. anno 1571 p. 716
Illuminatus à Nurſia Laicus. anno 1580 p. 862
Ioannes à Fano Sacerd. & Concionator. anno 1539 p. 266
Ioannes à Metymna Campeſtri Sacerdos, & Martyr. anno 1551 p. 443
Ioannes Apulus Laicus, & Martyr. anno 1551 p. 456
Ioannes Candela Laicus. anno 1555 p. 531
Ioannes à Corleone Sacerdos. anno 1562 p. 599
Ioannes Faſſatius Mediolanenſis Sacerdos, & Conc. anno 1565 p. 620
Ioannes à Leoniſſa Sacerdos, & Concionator. anno 1565 p. 621
Ioannes Viterbienſis Sacerdos. anno 1569 p. 692
Ioannes Iarratanenſis Sacerdos, & Concionator. anno 1570 p. 710
Ioannes Sorianus Sacerdos. anno 1572 p. 727
Ioannes de Via Laicus. anno 1541 p. 295
Ioannes Gallus Laicus. anno 1576 p. 804
Ioannes à Nicoſia Laicus. anno 1570 p. 704
Ioannes Illiricus Sacerdos, & Concionator. anno 1577 p. 816
Ioannes à Forolinio Sacerdos. anno 1580 p. 860
Ioanninus Florentinus Laicus. anno 1569 p. 691
Ioannellus à Terra noua Sacerdos, & Concionator. anno 1573 p. 738
Ioannes Andreas venetus Sacerdos. anno 1569 p. 692
Ioannes Andreas à Rhodigio Sacerdos. anno 1577 p. 818
Ioannes Baptiſta Pedemontanus Sacerdos. anno 1549 p. 421
Ioannes Baptiſta à Nurſia Sacerdos. anno 1550 p. 421
Ioannes Baptiſta Aſculanus Clericus. anno 1572 p. 727
Ioannes Baptiſta Saonenſis Sacerdos. anno 1575 p. 750
Ioannes Baptiſta Foſſanenſis Clericus. anno 1575 p. 777
Ioannes Baptiſta de Caſtro S. Petri Clericus. anno 1571 p. 715
Ioannes Baptiſta Cherienſis Sacerdos. anno 1568 p. 679
Ioannes Baptiſta ab Apiro Sacerdos. anno 1575 p. 771
Ioannes Baptiſta Ferrarienſis Clericus. anno 1580 p. 859
Ioachimus à Leuanto Laicus. anno 1578 p. 835


Ioſephus


Ioſephus à Ferno Sacerdos, & Concionator. anno 1556 p. 535
Ioſephus Drepanenſis Laicus. anno 1575 p. 785
Ioſephus à Colle Amato Sacerdos. anno 1557 p. 543
Ioſephus à Corleone Laicus. anno 1580 p. 868
Iulianus Salodienſis Sacerdos. anno 1551 p. 461
Iulianus à Deſio Laicus. anno 1566 p. 649
Iulianus ab Ameſtrata Laicus. anno 1576 p. 810
Iulianus Camerinenſis Clericus. anno 1568 p. 676
Iulius à Caſali Piſtorum Sacerdos. anno 1570 p. 785
Iuo Meſſanenſis Sacerdos. anno 1572 p. 729
Iuniperus à Campo Laicus. anno 1537 p. 251
Iuſtinus à Panigaleo Laicus. anno 1547 p. 387

L

Laurentius à Funiano Sacerdos, & Concionator. anno 1566 p. 640
Laurentius à Sarnano Laicus. anno 1569 p. 691
Leo Drepanenſis Sacerdos. anno 1535 p. 496
Leo Genuenſis Sacerdos. anno 1571 p. 719
Leo Veronenſis Sacerdos. anno 1555 p. 533
Leo Catanenſis Laicus. anno 1580 p. 864
Leonardus Auguſtanus Clericus. anno 1548 p. 408
Lucas Narinus Sacerdos. anno 1555 p. 529
Ludouicus Nettinus Sacerdos. anno 1574 p. 755
Ludouicus Rheginus Sacerdos, & Concionator. anno 1537 p. 240
Ludouicus Fulginas Sacerdos, & Concionator. anno 1557 p. 548
Ludouicus Vrbinas Sacerdos, & Concionator. anno 1560 p. 576
Ludouicus à Monte ſancti Sauini Laicus. anno 1570 p. 705
Ludouicus Parmenſis Clericus. anno 1574 p. 755
Ludouicus Agrigentinus Sacerdos. anno 1577 p. 822
Ludouicus à Stronconio Sacerdos. anno 1562 p. 597

M

Marianus Cyrneus, Concionator. anno 1540 p. 281
Maria Longa Capucinarum Fundatrix Neap. anno 1542 p. 324
Marinus à Sancta Victoria Sacerdos. anno 1576 p. 805
Martinus Rheginus Laicus. anno 1571 p. 720
Martinus Belga Laicus. anno 1550 p. 439
Maſſeus Tudertinus Laicus. anno 1565 p. 619
Maſſeus Genuenſis Laicus. anno 1571 p. 717
Mattheus à Baſſio Generalis. anno 1552 p. 467
Mattheus Venetus. anno 1569 p. 692
Matthaeus Leopolitanus Sacerdos, & Concionator. anno 1531 p. 146
Matthaeus à Leoniſſa Sacerdos, & Concionator. anno 1553 p. 497
Matthaeus à Schio Sacerdos, & Concionator. anno 1563 p. 604
Matthaeus Rheginus Clericus. anno 1555 p. 528
Matthaeus Auenionenſis Laicus. anno 1564 p. 613
Michael Apruſtenſis. anno 1537 p. 251
Michael Angelus Florentinus Sacerdos, & Concionator. anno 1572 p. 735
Michael à Neapoli Sacerdos, & Concionator. anno 1580 p. 871
Modeſtus à Forolinio Clericus. anno 1568 p. 677
Modeſtus Placentinus Clericus. anno 1570 p. 706

N

Nicolaus Anconitanus Sacerdos. anno 1563 p. 603
Nicolaus ab Antio nouo Sacerdos. anno 1569 p. 692
Nicolaus à Quinque frondibus Laicus. anno 1570 p. 704

O

Onufrius Bononienſis Laicus. anno 1579 p. 845
Otho à Santo Germano Sacerdos. anno 1571 p. 715

P

Pacificus à Fano Sacerdos. anno 1566 p. 637
Pacificus à Foroſempronio Sacerdos. anno 1568 p. 674
Pacificus Luganenſis Sacerdos, & Concionator. anno 1568 p. 676
Pacificus à S. Geruaſio Sacerdos, & Concionator. anno 1575 p. 770
Pacificus Calaber Laicus. anno 1577 p. 819
Pacificus Matterenſis Laicus. anno 1569 p. 697
Pacificus à Spoleto Laicus. anno 1580 p. 862


§ 2 Pandulphus

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Pandulphus à S. Cyrillo Nouitius.* | *anno* | 1568 | *p.* | 677 |
| *Paulinus Piſtorienſis Sacerdos.* | *anno* | 1568 | *p.* | 674 |
| *Paulus Clodienſis Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1531 | *p.* | 143 |
| *Paulus à Francauilla Sacerdos.* | *anno* | 1572 | *p.* | 733 |
| *Paulus à Pedona Clericus.* | *anno* | 1573 | *p.* | 739 |
| *Paulus ab Arenaria Sacerdos.* | *anno* | 1575 | *p.* | 780 |
| *Paulus Ferrarienſis Sacerdos.* | *anno* | 1574 | *p.* | 754 |
| *Paulus à Nicoſia Laicus.* | *anno* | 1576 | *p.* | 810 |
| *Paulus ab Alchamo Nouitius.* | *anno* | 1577 | *p.* | 822 |
| *Paulus Bercellenſis.* | *anno* | 1579 | *p.* | 845 |
| *Paulus Catanenſis Laicus.* | *anno* | 1579 | *p.* | 846 |
| *Petrus Tudertinus Sacerdos.* | *anno* | 1540 | *p.* | 285 |
| *Petrus à Mazara Sacerdos.* | *anno* | 1550 | *p.* | 434 |
| *Petrus Vrbinas Clericus.* | *anno* | 1572 | *p.* | 726 |
| *Petrus à Martina Sacerdos.* | *anno* | 1559 | *p.* | 559 |
| *Petrus Ponſeueranus Genuenſis Laicus.* | *anno* | 1572 | *p.* | 727 |
| *Petrus à Meſſapia Sacerdos.* | *anno* | 1576 | *p.* | 808 |
| *Petrus Clodienſis Laicus.* | *anno* | 1555 | *p.* | 533 |
| *Petrus à Seminaria Sacerdos.* | *anno* | 1576 | *p.* | 808 |
| *Petrus à Ciuitate Ducali Concionator.* | *anno* | 1566 | *p.* | 641 |
| *Petrus Enneus Laicus.* | *anno* | 1578 | *p.* | 834 |
| *Petrus de Quarteriis Sacerdos.* | *anno* | 1580 | *p.* | 867 |
| *Philippus à Monte Veteri Sacerdos.* | *anno* | 1580 | *p.* | 772 |
| *Proſper à S. Angelo Laicus.* | *anno* | 1573 | *p.* | 740 |
| R | | | | |
| *Rogerius Enneus.* | *anno* | 1550 | *p.* | 439 |
| *Ruffinus à S. Vrſo Sacerdos.* | *anno* | 1575 | *p.* | 780 |
| *Ruffinus Libunatenſis Sacerdos.* | *anno* | 1572 | *p.* | 721 |
| S | | | | |
| *Sauinus Firmanus Clericus.* | *anno* | 1566 | *p.* | 649 |
| *Sebaſtianus Agricienſis Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1570 | *p.* | 709 |
| *Sebaſtianus à Gratterio Sacerdos.* | *anno* | 1572 | *p.* | 731 |
| *Sebaſtianus Engienſis Sacerdos.* | *anno* | 1576 | *p.* | 809 |
| *Sebaſtianus Vibonenſis Laicus.* | *anno* | 1577 | *p.* | 822 |
| *Seraphinus Panormitanus Clericus.* | *anno* | 1567 | *p.* | 664 |
| *Seraphinus Saonenſis Sacerdos.* | *anno* | 1574 | *p.* | 754 |
| *Silueſter Bocherenſis Sacerdos.* | *anno* | 1570 | *p.* | 710 |
| *Silueſter Vtinenſis Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1576 | *p.* | 808 |
| *Simon Monticalenſis Laicus.* | *anno* | 1569 | *p.* | 697 |
| *Stephanus Fulginas Sacerdos, & Conc.* | *anno* | 1580 | *p.* | 863 |
| *Stephanus Bocherenſis Sacerdos.* | *anno* | 1570 | *p.* | 710 |
| T | | | | |
| *Thadeus à Monte Petriolo Sacerdos.* | *anno* | 1580 | *p.* | 863 |
| *Thomas à Nouio Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1568 | *p.* | 679 |
| *Thomas Taurinenſis Sacerdos.* | *anno* | 1575 | *p.* | 777 |
| *Thomas Tifernas Generalis.* | *anno* | 1576 | *p.* | 800 |
| V | | | | |
| *Valerianus Viterbienſis Laicus.* | *anno* | 1545 | *p.* | 378 |
| *Valerianus à Caſtro bono Sacerdos.* | *anno* | 1576 | *p.* | 809 |
| *Valentinus Drepanenſis Laicus.* | *anno* | 1570 | *p.* | 709 |
| *Victor Bergomenſis Laicus.* | *anno* | 1566 | *p.* | 638 |
| *Vincentius Calaritanus Laicus.* | *anno* | 1541 | *p.* | 295 |
| *Vincentius à Collea rio Laicus.* | *anno* | 1548 | *p.* | 409 |
| *Vincentius Caſſanenſis Sacerdos.* | *anno* | 1567 | *p.* | 664 |
| *Vincentius Platienſis Laicus.* | *anno* | 1568 | *p.* | 675 |
| *Vincentius à Flauiano Sacerdos.* | *anno* | 1573 | *p.* | 741 |
| *Vitus à Monte Laicus.* | *anno* | 1577 | *p.* | 820 |
| *Vrbanus à Manfredonia Sacerdos, & Concionator.* | *anno* | 1578 | *p.* | 831 |




# INDEX RERVM SINGVLARVM,

## quæ in hoc primo Annalium Volumine continentur, vnà cum Auctorum, ac vetuſtorum Manuſcriptorum citatione, ex quibus tota hæc Annalium Hiſtoria eſt deſumpta.

NE apud vllum fortè, Auctorum, ac Manuſcriptorum; quæ in hoc Indice, velut totius Hiſtoriæ fontes, ac teſtes adferuntur; fides, & auctoritas in diſcrimen, aut ſuſpicionem vocetur. Lectorem admoneo. Duo me potiſſimùm in hac Annalium Hiſtoria tradenda; Scriptorum, qui apud nos omni exceptione maiores habentur, genera ſequutum fuiſſe. Primum. Eorum, qui res ab initio geſtas, ac Religionis noſtræ primordia, à quibus propiùs abfuerunt, conſcripsêre: Porrò hi quatuor enumerantur. Primus F. Marius à Foroſarſinio, Vir grauiſſimus; qui anno 1567. Generalis electus, res vti viderat, ſe conſcripſiſſe affirmat. Secundus. F. Hieronymus à Monteflorum: qui anno 1575. & ipſe ad Generalatus Officium aſſumptus, nonnulla duntaxat, à Priſcis Patribus præclarè geſta è tenebris vendicauit: tum verò ſanctimonia, ac miraculis clarus, è viuis exceſſit: quemadmodum in ſecundo Annalium volumine fusè exarabitur. Tertius. F. Matthias Salodienſis, Vir præclarus; qui ſæpenumerò Definitoris Generalis munere functus ac multis in Religione dignitatibus cohoneſtatus; fuſiùs totam Inſtitutæ Capucinorum Reformationis Hiſtoriam, vſque ad annum 1576. duobus Voluminibus complexus eſt. Huius viri Virtus, auctoritas, fides, ne vlli ſuſpecta eſſet, à Deo ſignis poſt mortem comprobata fuit: vti ſuo loco explicabitur. Quartus denique F. Bernardinus à Collepetracio, eximiæ virtutis Concionator: qui cùm prima illa Religionis tempora, quæ ſub Matthæo à Baſſo, ac Bernardino Aſtenſi defluxêre, conſpexiſſet: res ampliori rerum narratione, ac volumine proſequutus eſt: quarum veritatem, vita ab eo ſummis in virtutibus tranſacta, ac pleriſque miraculis illuſtrata, ſua annorum ſerie conſcribenda, non obſcurè confirmat. Atque hi ſunt, quos cùm tanquam Anteſignanos, ac fideliſſimos Hiſtoriæ duces, ſequutus fuerim; eorum teſtimonia paſſim in hoc Indice citantur.

Alterum Scriptorum genus huic ſuccedit; ex antiquis Prouinciarum Monumentis, Generalium Miniſtrorum iuſſu, & auctoritate; ſumma fidelitate, ac diligentia; necnon interpoſito iuſiurando, vndique collectum, ac conſignatum: quorum fidem nefas duxerim in diſcrimen addùcere. Ab his igitur, cùm tota hæc Annalium Hiſtoria hauſta fuerit; minùs profectò ea obloquentium calumniis obnoxia eſſe poteſt. Mihi verò id apud æquum Lectorem fidei comparatum opto: vt mutuò accepta, tantùm à me reddita exiſtimet.

# INDEX ANNORUM HVIVS PRIMI

## TOMI ANNALIVM.



| | | | |
|---|---|---|---|
| ANnvs Chriſti 1524 | pag. 21. | Annus 1553. | p. 494. |
| Annus 1525. | p. 39. | Annus 1554. | p. 510. |
| Annus 1526. | p. 52. | Annus 1555. | p. 527. |
| Annus 1527. | p. 79. | Annus 1556. | p. 535. |
| Annus 1528. | p. 93. | Annus 1557. | p. 543. |
| Annus 1529. | p. 113. | Annus 1558. | p. 552. |
| Annus 1530. | p. 136. | Annus 1559. | p. 559. |
| Annus 1531. | p. 143. | Annus 1560. | p. 567. |
| Annus 1532. | p. 150. | Annus 1561. | p. 579. |
| Annus 1533. | p. 177. | Annus 1562. | p. 587. |
| Annus 1534. | p. 186. | Annus 1563. | p. 601. |
| Annus 1535. | p. 197. | Annus 1564. | p. 609. |
| Annus 1536. | p. 208. | Annus 1565. | p. 618. |
| Annus 1537. | p. 233. | Annus 1566. | p. 636. |
| Annus 1538. | p. 270. | Annus 1567. | p. 653. |
| Annus 1539. | p. 286. | Annus 1568. | p. 666. |
| Annus 1540. | p. 281. | Annus 1569. | p. 680. |
| Annus 1541. | p. 288. | Annus 1570. | p. 700. |
| Annus 1542. | p. 296. | Annus 1571. | p. 711. |
| Annus 1543. | p. 331. | Annus 1572. | p. 721 |
| Annus 1544. | p. 356. | Annus 1573. | p. 737. |
| Annus 1545. | p. 372. | Annus 1574. | p. 752. |
| Annus 1546. | p. 379. | Annus 1575. | p. 764. |
| Annus 1547 | p. 386. | Annus 1576. | p. 788. |
| Annus 2548. | p. 397. | Annus 1577. | p. 815. |
| Annus 1549. | p. 411. | Annus 1578. | p. 827. |
| Annus 1550. | p. 429. | Annus 1579. | p. 840. |
| Annus 1551. | p. 441. | Annus 1580. | p. 852. |
| Annus 1552. | p. 465. | | |








### ANNVS CHRISTI. 1524.

*VISIO Beatiſſimæ Virginis, ex cuius ſinu Capucinorum Religio prodit, integra deſcribitur à F. Matthia Salodienſi. tom. 1. fol. 399. à Manuſcriptis Romanæ Prouinc. lit. C. tom. 2. fol. 104.*

*Vaticinium B. Bernardi à Quintanalle, de futura ordinis Reformatione, habetur apud F. Matthiam Salod. tom. 1. 330. & Angelum Clarenum lib. de Sept. Tribul.*

*Illud de Capucinorum Reformatione explicatur apud Matth. tom. 1. 130. 131.*

*Vaticinium B. Franciſci Politiani de Capucinorum Reformatione apud Matth. tom. 1. 348.*

*Vaticinium B. Bernardini Feltrij de Capucinorum Reformatione. Matth. tom. 1. 348.*

*Vaticinium F. Auguſtini Fulginatis de Capucinorum Reformatione, & Romanæ Vrbis deprædatione. Matth. tom. 1. 349.*

*Angelus ſub Capucini forma Ioanni à Galatro apparet, & Capucinorum Reformationem prænunciat. M. S. Rhegienſis Prouinc. tom. 2. 51.*

*Quidam Pater venerabilis Min. Obſer. Capucinorum Reformationem Franciſco Licheto Generali prænunciat. Chronic. Fratr. Minor. tom. 3. lib. 9. c. 16.*

*F. Matthæi de Baſſo, dum inter Minores Obſeru. degeret, virtutes enarrantur. Chronic. ord. t. 3. l. 9. c. 16. Rodulph. Toſſin. Hiſt. Seraph. l. 2. fol. 158. Matth. t. 1. 163. Marius à Foroſurſinio F. 38. Bernardinus Petracius. fol. 115.*

*Matthæus à Sacerdote, quæ vera fuerit B. P. Franciſci habitus forma, addiſcit. Matth. t. 1. 65.*

*B. P. Franciſcus Capucinorum habitum indutus, ſæpè Matthæo in via apparet. Chronic. Ord. p. 3. l. 9. c. 16. Matth. t. 1. 67. Marc. 39. Petrac. 116.*

*Matthæus à Deo illuminatur: eóque intus docente diſcit, B. Franciſcum illum eſſe, qui in via ſæpè illi apparuerat; veráque ipſius habitus formam demonſtrauerat. Matth. t. 1. 66. Marc. 41. Petrac. 120. Chron. ord. p. 3. lib. 9. c. 16.*

*Chriſtus in Mendici forma Matthæo apparet, & ab eo eleemoſynam petit. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16. §. 2. Matth. t. 1. 68. Marc. 40. Petrac. 122.*

*Matthæus ſubdititium pannum ſibi ab habitu diſſuens, Chriſto pauperi elargitur. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16. §. 2. Matth. t. 1. 66. Marc. 16. Petrac. 122.*

*Dei vox è Cælo Matthæum orantem alloquitur. Matth. t. 1. 69. Marc. 41. Petrac. 125. Chron. Ord. p. 3. lib. 9. c. 16.*

*Matthæus Romam proficiſcitur. Matth. t. 1. 70. Marc. 42. Petrac. 126. Chron. ord. p. 3. lib. 9. c. 16. §. 3.*

### ANNVS CHRISTI. 1525.

*MAtthæus Romam iterfaciens à nebulonibus ligatur, & contumeliis afficitur. Marc. 42. Petrac. 127.*

*Matthæus Franciſcum à Cartoceto inuiſit in Eremo S. Iacobi. Matth. t. 1. 71. Petrac. 149. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16 §. 5.*

*Franciſcus à Cartoceto, Vir Sanctus, Reformationem Ordinis expectat, ac diuina reuelatione futuram addiſcit. Matth. t. 1. 71. Petrac. 149. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16.*

*Franciſcus, priuſquàm ad eum accederet, Matthæum in viſione videt. Matt. 161. Petrac. 161. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16. Matth. 161. Petrac. ibid. Chron. ibid.*

*Franciſcus exclamat Reformationem propè eſſe in ianuis.*

*Franciſci gaudium ob aduentum Matthæi, & Reformationis exordium. Matth. t. 1. ibid. Petrac. ibid. Chron. ord. ibid.*

*Matthæus Franciſci ſuaſu quadratum Caputium deponit, donec illi à Pontifice concedatur. Matth. t. 1. 71.*

*Matthæus multa in itinere patitur, ac patienter ſuſtinet. Petr. 129.*

*Matthæus Romam peruenit, Angelúmque ſub Viri ſpecie in gradibus Eccleſiæ SS. Apoſtolorum offendit. Matth. t. 1. 72. Marc. 42. Petrac. 129. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16.*

*Matthæus miraculo ad Pontificem penetrat. Matth. t. 1. 72. 73. Marc. 43. Petrac. 131. Chron. ibid.*

*Pontifex Matthæum audit, quadratum illi Caputium concedit, ab ordine eximit, ac Diploma pollicetur. Matt. t. 1. 74. Marc. 43. Petrac. 132. Chron. ord. ibid.*

*Matthæus nocte in Eccleſia Apoſtolorum orans febre corripitur, vocémque de Cælo audit, quæ illum à Diplomate exſpectando abſterret. Matt. t. 1. 74. Marc. 44. Petrac. 133. 134. Chron. ordin. p. 3. l. 9. c. 16. §. 3.*

*Matthæus ab Vrbe diſcedit, ac in Picenum proficiſcitur, vbique Dei Verbum prædicans. Matth. t. 1. 75. Marc. 44. Petrac. 135. Chron. ord. ibid.*

*Matthæus antiquum ſigillum Religionis à Carbonario inuentum accipit. Matt. t. 1. 75.*

*Iterum ad Franciſcum de Cartoceto redit. Matth. t. 1. 75. Marc. 49.*

*Verbum Dei diſſeminat in Oppidis Montisfeltrij. Matt. t. 1. 78. Petrac. 137.*

*A Ioanne à Fano Miniſtro in carcerem detruditur. Matth. t. 1. 79. Marc. 46. Petrac. 141.*

*Matthæus Deum inter paſſiones, & carceres laudat. Matt. t. 1. 79. Petrac. 141. & 142.*

*Matthæo ſuadetur egreſſus è carcere, iſque recuſat. Petrac. 142.*

*Catharina Camerini Duciſſa de carcere Matthæi fit certior. Matth. t. 1. 80. Marc. 46. Petr. 143.*

*Catharina Duciſſa Camerinenſium graues literas ad Ioannem à Fano Miniſtrum ſcribit, & Guardiano Camerin. comminatur. Matth. t. 1. 80. Marc. 47. Petr. 144. Chron. ord. p. 3. lib. 9. c. 16.*

*Matthæus è carcere euadit. Matt. t. 1 80. Mar. 47. Petr. 145.*

*Matthæus liber è carcere Catharinã Duciſſam inuiſit, & Miniſtri factum excuſat. Matt. t. 1. 80. Mar. 50. Petr. 145. & 146. Chron. ord. min. p. 3. l. 9. c. 16.*

*Matthæus feruentius prædicationi incumbit. Matt. t. 1. 80. Mar. 51. Petr. 151*

*Catharina Duciſſa agit per literas cum Miniſtro, ne Matthæo moleſtiam inferat. Petrac. 148.*

### ANNVS CHRISTI, 1526.

*MAtthæus per Camerinenſem agrum prædicat Matt. t. 1. 81. Mar. 51. Petrac. 151.*

*Fabas ad pauperum inopiam ſubleuandam ſeminat, ac de miraculo fabarum. Matt. ibid. Mar. ibid. Petrac. ibid.*

*Franciſci à Cartoceto vita, & mors deſcribuntur. Petr. 852.*

*Ipſius virtutes enarrantur. Petr. ibid. Chron. ord. p. 3. l. 9. c. 16.*

*Franciſcus ad ordinis reformationem anhelat. Petr. Chron. ord. ibid.*

*Eremum S. Iacobi à ſuperioribus impetrat, vbi auſteriſſimè cum Pacifico viuit. Chron. ord. ibid. Petr. ibid.*

*In morte lucidiſſimam viam ad Cælum vſque pertingentem*

& Beatiſſimam Cælorum Reginam aduenientem cernit, ac moritur. Petr.857.858.
Ludouicus Foroſempronianus, cuius naturæ & conditionis fuerit, deſcribitur. Matth.t.1.84. Marc.53.54. Petr.154. Chron.ord.p.3.l.9.c.16.§.6.
Fuit Reformationis ſtudioſus. Matth.Marc. Petrac. Chron. ibid.
A Ioanne Faneſtri Miniſtro Conuentum ad ſui reformationem poſtulat. Matt.t.1.88. Mar.55.Petr.155. Chron. ibid.
Palàm in Refectorio à Miniſtro licentiam petit, Matthæum de Baſſò adeundi. Matt.t.1.88. Mar.55. Petr.155. Chron. ord.p.3.l.9.c.16.§.6.
Miniſter rem in conſultationem vocat, ac Ludouicum in vincula conijcit. Matt. Mar. Petrac. Chron. ord. ibid.
Fratres à Miniſtro miſſi Ludouico ſuadent, vt propoſitum abijciat. Matt. Mar. Petrac. ibid.
Ludouicus ad Generalem Miniſtrum ſcribit, & de Generalis reſponſo. Petrac.164.
Ludouicus rurſus ad Protectorem dat literas, & de illius reſponſo. Petr.165.
Ludouicus Deum in oratione, & doctos conſulit. Petrac.163.164.
Ludouicus & Raphaël habitum Capucinorum induunt. Matt.1.89. Marc.57. Petr.166.
Ludouicus & Raphaël à Monaſterio diſcedunt, & de illorum poſt diſceſſum puſillanimitate. Petr.167.
Ludouicus & Raphaël Matthæum conueniunt, habitum exuunt, & rurſus aſſumunt, itémque ad Catharinam Duciſſam Camerinenſium ſimul pergunt, à qua literas ad Pontificem obtinent. Matt.1.93. Marc.57. Petr.207.
Ludouicus Romam ad Pontificem pergit, vt Diploma obtineat. Matt.1.93. Marc.56. Petr.171.
Ludouicus Romæ inuiſit loca ſacra, rémque Deo commendat. Petr.ibid.
Ludouicus cum Papæ Eleemoſinario colloquitur, & ab eo de adeundo Io: Petro Caraffa conſilium accipit. Petr.172.
Ludouicus accedit ad Pontificem, & diploma impetrat. Matt.1.93. Mar.58. Petr.ibid.
Ludouicus offert diploma Miniſtro, qui de eo cum Patribus confert. Petr.174.
Miniſter Pontificem adit, vt Diplomatis reuocationem obtineat; quam cùm non impetraſſet, aliud diploma contra Apoſtatas obtinet, quo Ludouicum perſequitur. Matth.1.102. Petra.175.& ſeq.
Miniſter Ludouicum perſequitur, & illius acta in agro Cingulano contra Ludouicum deſcribuntur. Matth.1.101. & 102. Marc.60.61. Petr.186.
Ludouicus ad Eremum Cryptarum Monachorum Camaldulenſium, propè Maſſacium tranſmigrat. Matth.1.104. Petr.192.
De Paulo Auctore Camaldulenſium Montis Coronæ. Romualdina. l.4.c.1.
Ludouici & Raphaëlis in ea Eremo auſteritas, & viuendi ratio laudatur. Matt.1.104. Petr.192.
Ludouici, & Raphaëlis pietas in Infirmorum cura commendatur. Matt.1.104. Petr.192.
Miniſter de Ludouico certior, ad Guardianum epiſtolam ſcribit: Duo Fratres ad Eremum mittuntur: Epiſtola Miniſtri ſub menſa cadit, à Monacis legitur, & in Ludouici manus peruenit. Matt.1.105. Petr.194.
Fratres à Miniſtro miſſi, cum armata familia ad Eremum pergunt: rixa inter factiones excitatur: Ludouicus vltrò ſe lictoribus tradit, & vnà cum ipſis Legatum adit. Matt.1.106. Petr.197.
Ludouicus cauſam ſuam coram legato Apoſtolico tuetur, Diploma Pontificis, & Epiſtolam Miniſtri accuſatoribus obijcit. Matt.t.1.107. Petr.197.198.
Legatus de Miniſtro conqueritur, & Ludouicum liberat. Matt.1.107. Petr.176.
Ludouicus Paſcilupum tranſmigrat, vbi illum Miniſter perſequitur: is verò bellico ſtratagemate ſe liberat. Matt.1.108. Petr.199.& 200.
De F. Angelico, illius fallacia, & Pauli Clodienſis recepti one. Matt.95. Mar.62.
Paulus Clodienſis Romam proficiſcitur, & Matthæum inuiſit. Matt.196. Marc.58.
Paulus à Pontifice licentiam impetrat, quæ Matthæo ac Ludouico conceſſa fuerat. Matt.1.97.

ANNVS CHRISTI. 1527.

Magna fit in Ordine ad Reformationem commotio. Matt.1.103. Petr.275.
Ludouicus cum Raphaële Foroſempronium migrat, ibique in quadam campeſtri domo habitat. Petr.221.
Matthæus & Paulus ibi Ludouicum inuiſunt: & cum eo per aliquot dies commorantur. Petr.ibid.
Miniſter à Duce Vrbinate armatam familiam impetrat, & Ludouicum aggreditur. Petr.221.& 224.
Ludouicus bellico ſtratagemate à periculo ſe, & ſocios liberat. Petr.222.
Ludouicus, Matthæus, ac reliqui Deo ob liberationem gratias agunt. Petr.223.
Ludouicus vnà cum Matthæo ac reliquis Camerinum petunt, & cum Catharina Duciſſa agunt. Petr.208.
Duciſſa Ludouicum, ac cæteros hoſpitio excipit, ac illis patrocinatur. Marc.96. Petr.212.
Matthæus, Ludouicus, ac cæteri cæleſtem in palatio vitam ducunt. Petrac.ibid.
Matthæus, Ludouicus, ac cæteri Infirmorum obſequiis vacant. Marc.52.61. Matt.82. Petr.268.
Miniſter ad Camerinenſem Ducem, ac Duciſſam contra Ludouicum literas ſcribit, vt illos è Palatio exturbet, illique ad Miniſtrum reſcribunt. Matth.1.100. Marc.58. Petr.236.
Miniſter Ducem, ac Duciſſam adit, eóſque à Ludouici, ac aliorum patrocinio remouere nititur. Matth.1.101. Petr.237.
Dux Miniſtro reſpondet, Fratréſque coram Miniſtro aduocat. Matth.1.101 Petr.239.
Miniſter Ludouicum, ac cæteros alloquitur, & obiurgat; reditum tandem ad ordinem perſuadet. Matt. Petr. ibid.
Matthæus, & Ludouicus Miniſtro reſpondent. Matt.ibid. Petr.240.
Miniſter obmuteſcit, ac confuſus diſcedit. Petr.241.
Miniſter contra Duciſſam ad Pontificem ſcribit. Petrac.253.
Ludouicus, ac cæteri ſe Prouinciali Miniſtro Conuentualium ſubdunt, vt Miniſtri perſecutionem declinent. Matt.1.109. Petr.209. Mar.57.
Catharina Duciſſa ad Pontificem ſcribit, & Ludouicum, ac cæteros ſummoperè commendat. Petr.284. Marc.61.

ANNVS CHRISTI. 1528.

Ludouicus à Camerinenſi Epiſcopo literas ad Pontificem accipit, itidem à Catharina Duciſſa. Petr.210.
Romam ſub F. Min. Conuentualium obedientia proficiſcitur. Petr.209. Matt.1.110.
Pontificem adit, à quo Bullam propagationis ſub nonnullis conditionibus obtinet Petr.288. Matt.1.111. Marc.73.





Bulla exaratur, & ponderatur. Bullarium in Clement. VII.
Hoc Anno Capucinorum Religio exorta. Mar.62. Matt.1.111. Petrac.287.
Bulla in Vrbe Camerinenſi voce publica præconis, & buccinarum clangore, Duciſſa imperante proclamatur. Petr.289. Marc.62.
Capucinorum appellatio à pueris orta Camerini, & in Calabria. Romualdin l.3.c.14.
Ludouicus Ædem S. Chriſtophori propè Camerinum, in Hoſpitium eligit. Salod. in vita B. Matthæi.
Inde Colmenzonum migrat. Petr.312. Marc.62.
Quinque Fratres de Obſeruantia ad Capucinos tranſeunt, qui proprio nomine nuncupantur. Marc.73. Matt.1.120. Petrac.277.
Tres alij de Obſeruantia à Ludouico recipiuntur. Mat.1.134.
Ex ſecularibus Viris Religionem ingrediuntur, F. Bernardus à Foroſempronio, & F. Ioſephus à Colle-amato. Matt.1.116. Mar.71.
Quatuor alij de Obſeruantia Capucini fiunt, & ad decimum octauum numerum pertingunt. Petr.278. Marc.73.
Eorum paupertas in Eccleſiis, & Domibus ædificandis deſcribitur. Matt.1.145. Marc.82. Salod.
Peſtis ſæua Camerinenſem agrum inuadit. Petrac.269. Marc.61.
Duodecim Fratres à Ludouico petunt, peſte laborantibus inſeruire. Petr.270.
Ludouicus Fratres hortatur ad opus tam pium, & quædam monita præbet. Petrac.ibid.
Fratres per diuerſa Oppida diſpertiti, peſte correptis inſeruiunt. Petr.271. Marc.68.
Fratrum nemo peſte corripitur. Petr.272.
Catharina Duciſſa Fratres, qui laborantibus inſeruierant, Colmenzoni inuiſit, & fauſta Reformationi prænunciat. Petr.273. Matt.1.143.
Duciſſa à Ludouico Concionatores poſtulat, & apud Pontificem commendat. Petr.272.
Ioannes Maria Varanus Camerinenſium Dux, peſtilentia obit. Mar.52. M.S. prou. March.
Catharinæ Ciboæ genus, & virtutes commendantur. Mar.46. M.S. prou. March.
Florentiæ moritur. M.S. prou. March.

ANNVS CHRISTI. 1529.

Multi ex Obſeruantia, & aliis Regularium Ordinibus ad Religionem confluunt. Petr.312.
Ludouicus præter Colmenzoni, & Montis Melonis loca, duo alia Aluacinæ, & Foroſempronij ædificat. Petr.314.
Ludouicus Capitulum Aluacinæ conuocat. Matt.1.142. Mar.76. Petr.298.
Aluacinæ Conuentus deſcribitur, & Capituli in eo celebrati myſterium explicatur. Matt. Mar. Petrac.ibid.
Ludouicus Fratribus ante Comitia ſermonem habet, & orationem indicit. Matt. Mar. Petr.ibid.
Huius Capituli conuiuia deſcribuntur. Matth. Marc. Petrac. ibid.
Spiritus ſanctus ſenſibiliter, in Fratres ipſum inuocantes illabitur, ac mirificè illos illuſtrat. Matt. Mar. Petr.ibid.
Ludouicus Bullam, & ſigillum coram omnibus deponit. Matt. Mar. Petr.ibid.
Quatuor Definitores à Compromiſſariis eliguntur. Matt. Marc. Petr.ibid.
Matthæus Generalis per ſpirationem eligitur. Matth.1.142. Mar.76. Petr.298.
Matthæus electioni repugnat, deinde rogatus aſſentitur. Petrac.299.
Conſtitutiones in Capitulo eduntur. Matt.1.142. Marc.77. Petr.301.
Conſtitutiones dum conſcriberentur, Spiritus ſanctus in Columbæ ſpecie viſus. Salod.
Conſtitutiones à Chriſto editas cui reuelatum fuerit. Salod.
De Conſtitutionibus Capucinorum, viuæ vocis Oraculum Pij V. Salod.
Conſtitutiones Aluacinæ editæ exarantur. Matt.1.146.
Guardiani ac familiæ ſuis locis conſtituuntur; Ludouicúſque Foroſempronij Guardianus collocatur. Petr.299.
Priorum illorum Fratrum mores, ac virtutes deſcribuntur. Matth.1.143. Marc.82. Petr.301.
Dauidis Romæi de Capucinorum vita teſtimonium. de Sept. Vrb. Neap. Cuſtod. in S. Euphebio fol.110.
Matthæus fratres viſitat. Petrac.307.308.
Matthæi quis in viſitandis Fratribus modus. Petrac.303.
Quænam Matthæus in viſitatione Fratribus proponeret. Petr.302.
Matthæus Generalatus officio renunciat, ſigillúmque Ludouico tradit. Matt.1.160. Mar.76. Petr.361.
Ludouicus aſſumpto officio Fratres viſitat. Mar.44.
Ludouicus Romam proficiſcitur, & Victoriæ Columnæ opera Ædem S. Mariæ miraculorum obtinet. Mar.94. Matt.1.161. Petrac.363.
Plerique illuſtres Viri erga Capucinos benè afficiuntur. Matt.1.161. Marc.95.
Ludouicus Rheginus, & Bernardinus Georgius, inter Obſeruantes Reformationi ſtudent. Petrac.394. Matth.1.180. Marc.111.
A Clemente VII. impetrant Eccleſiam SS. Apoſtolorum vt in ea reformatè viuant. M.S Prou. Calab.
In Calabriam redeunt Diplomate à Pontifice impetrato, vt tria ad reformationem ſibi loca eligant. M.S. Prou. Calab.
Ludouicus Bernardinum, pro nouo Diplomate impetrando Romam mittit. Mar.111. Matt.1.170. Petr.395. M.S. Prou. Calab.
Bernardinus Romæ Ludouicum Foroſemp. adit, & cum eo de Ludouici, ſua, & aliorum Calabrorum receptione pacifcitur. Matt.1.170. Marc.111. Petrac.395. M.S. Calab.
Ludouicus Bernardino Caputium Quadratum, Conſtitutionum, & Bullæ exemplar tradit. Petrac.395. Matt.1.170. Mar.111. Salod.
Publicum receptionis inſtrumentum exaratur. M.S. Calab.
Bernardinus in Calabriam redit, & acta cum Ludouico Foroſemp. refert. Petrac.395. Matth.1.170. Mar.111.
Ludouicus Foroſemp. à Pontifice, Generalis Vicarius Congregationis confirmatur. Petrac.1331.& 1362.

ANNVS CHRISTI. 1530.

Miniſtri de Obſeruantia in Capucinos conſpirantes, libellum ſupplicem Pontifici offerunt. Petrac.361.
Pontifex Capucinis Fratrum de Obſeruantia receptionem Diplomate interdicit. Petrac.ibid.
Pontifex Diploma reuocat, & Ludouico facultatem impertit, clam aliquos de Obſeruantia recipiendi. Petr.331.
Monaſteria pleriſque in locis ædificantur. Petrac.377.441.
Ludouicus nonnullos ex Obſeruantium familia Romæ recipit, quos in Vmbriam tranſmittit. Petr.331.
Obſeruantium Miniſtri in Capucinos, ob ſuorum Fratrum receptionem acriter inuehuntur. Petr.331.363.
Obſeruantes querimonias apud Pontificem deferunt. Petrac.363.

*Pontifex tribus Cardinalibus rem committit, quos recipiendorum Iudices conſtituit. Petr.363.*

*Franciſcus Aeſinus cum Ludouico paciſcitur de Religionis ingreſſu. Petrac.364.*

*Pontifex Bononiam profectus Car. V. Imperatorem coronat. Ciacon.in Clement.7.*

*Tiberis prodigioſè exundat, & multis naufragium infert. Tarcagnot.3.par.l.2.pag.124.*

*Capucini ex S. Maria miraculorum ad S. Euſemiam migrant. Matt.1.161. Mar.95. Petr.365.*

*S. Euphemiæ Monaſterium, opera Victoriæ Columnæ, à Cardinali de Valle Capucinis conceditur. Petrac.1363.1390.*

*Capucini in Vrbe Verbum Dei diſſeminant. Matth.1.168. Marc.95.*

*Ludouicus ad Infirmorum incurabilium curam, in S. Iacobi incurabilium domo Fratres deſtinat. Petr.366.*

*Capucini in domo Hoſpitali S. Iacobi ægrotis diligenter inſeruiunt. Petr.ibid.*

*Capucinorum obſequiis Domus vectigalia excreſcunt, & tota Vrbs ædificatur. Petrac.366.*

*Ludouicus nonnullos ad Reformationem recipit. Matt.1.168. Mar.95.*

*Obſeruantes contra Capucinos obſtrepunt, eóſque variè exagitant. Petr.331. Matt.1.169. Mar.94.*

*Ioannes à Fano Dialogum aduerſus Capucinos in lucem edit. Pet.695. Matt.1.198. Mar.102.*

*Capucini contra aduerſarios patientia, & orationibus pugnant. Petr.368. Matt.1.169.*

*In Neapolitana Vrbe S. Euphebij Monaſterium primùm à Capucinis conſtruitur. Petr.325. M.S.* Prou. Calab. *Romaus de 7. Cuſtodibus Neap. Neapolis ſacra* 644.

*Neapolitana Vrbs deſcribitur Io. Merul. Abrah. Ortel.*

*Monaſterium S. Euphebij à Ludouico Calabro fundatum fuiſſe reprobatur.* Petr.*325. Neap. ſacr.644.*

*A Ludouico Foroſemproniano fundatum aſſeritur.* Pe*trac.325.*


## Annvs Christi. 1531.


*Frater Paulus Clodienſis extremum diem obit. Matt.1.95.* Mar.*70. Petr.633.*

*Ipſius vita deſcribitur. Matth. ibid. Marc.63.* Petrac. 620.

*Sanctitatis ſigna in ipſa ætate tenera præfert.* Salod.

*Tabellionis officio ſæcularis fungitur. Marc.63.* Petr.*620.*

*Sacris initiatus, Generalis Vicarij munus apud* Clodienſes *Epiſcopos obit. Marc.63. Petr.621.*

*Ordinem de obſeruantia ingreditur.* Marc.63. *Petr.622.*

*Virtutum ſtudioſiſſimus, & Regulæ obſeruantiſſimus aſſeritur. Petr.623.*

*Dum Pennæbiliorum Verbum Dei diſſeminat, in morbum incidit. Mar.69. Petr.633.*

*Frater Matthæus à Baſſo illum ægrotum inuiſit. Mar.69. Petr.633.*

*Moriens humi ſe deponi voluit. Marc.69.* Petr.*ibid.*

*Sanctiſſimè Deo Animam reddit, in* Confraternitate *S. Mariæ. Mar.70.* Petr.*633.*

*F. Vincentius Foianus, & Raynerius à Calipando Capucinorum habitum aſſumunt.* Petr.*975.*

*Thomas Eremita, Eugubij ſanctitate clarus, à Generali Obſeruantiæ inuiſitur.* Petrac.*279.*

*Quid de Capucinorum reformatione ſentiat, ab eodem interrogatur.* Petrac.*ibid.*

*Thomas à Deo reuelatur, Reformationem Capucinorum Dei plantationem eſſe* Petrac.*280.*

*Generalem Miniſtrum ab ea vexanda deterret. Petr.ibid.*

*Frater Matthæus à Sancto Leone extremum diem propè Camerinum claudit. Matth.1.123.* Petrac.*648. Marc.73.*

*Ipſius Vita deſcribitur. Matt.1.121, Petr.644. Mar.73.*

*In ipſius obitu Campanas Sancti Franciſci Angeli pulſant. Matt.1.123.* Petr.*648. Marc.73.*

*In Eccleſia Sancti Franciſci ſepelitur, tota Vrbe affluente.* Matth.*1.124. Petr.649. Mar.73.*


## Annvs Christi, 1532.


*Lvdouicus, ac Bernardinus Rhegini à Miniſtro Generali tria loca ad Reformationem apta poſtulant. Mar.111. Matt.1.170. Petr.395. M.S. Prou. Calabr.*

*Generalis deliberationem ad Maſſana Comitia transfert. Salod. M.S.* Prou. *Calab.*

*Ludouicus ac Bernardinus ad Meſſana Capitulum conueniunt. Salod. M.S.* Prou. *Calab.*

*Generalis Miniſter de iis in carcerem trudendis agit: tum verò conſilio mutato illos Guardianos inſtituit. Salod.*

*Ludouicus, & Bernardinus literas ad Generalem Miniſtrum Scyllatium ſcribunt, & Capucinorum Reformationi ſe aſſociari petunt. Marc.112, Matth.1.170.* Petrac. *396.*

*Generalis Tabellarios ad carcerem quærit, qui clam aufugiunt. Mar.112. Matt.1.170.* Petrac.*396.*

*Ludouicus ad Ducem Nucerienſem ſe confert, ac illius præſidium implorat. Marc.112. Matth.1.171. Petrac.* 397.

*Dux Nucerienſis Ludouicum, ac ſuos in ſui Fidem recipit, & ad* Proregem Prouinciæ *pro iis literas ſcribit. Marc. Matt.* Petr.*ibid.*

*Ludouicus Epiſtolam ad Bernardinum ſcribit, & quid illi agendum ſit, admonet. Marc.113. Matth.ibid.* Petrac. 398.

*Ludouici, ac Bernardini literis, triginta Fratres de Obſeruantia in reformationem conſpirant, & ad ſancti Martini Oppidum, deinde* Philocaſium *conueniunt. Marc. Matth.* Petrac. *ibidem. Salod. M. S. Prouinc.* Calabr.

*Eleonoræ* Concubletæ *Duciſſæ pietas, & in* Capucinos *deuotio. Mar.114. Matth.1.172.* Petrac.400. *M.S. Prou.* Calabr.

*Eadem primum* Caputium *ſuis manibus præſcindit, ac conſuit. Mar.* Matt. *Petr.ibid.*

*Ludouicus Rheginus, ac cæteri in* Cenobio *Sancti Dominici* Capucinorum *habitum ſuſcipiunt, & primum Capitulum in* Calabria *celebrant. Marc.113. Matth.1.172. Petrac.398.*

*Ludouicus* Prouincialis *eligitur, & ad Foroſempronienſem ſcribit. Marc. Matth. Petrac. ibidem. M. S.* Prouinc. Calabr.

*Primum Panaliæ Monaſterium extruit, alterum propè Eccleſiam. S. Eliæ. Matth.1.113. Mar.115. M.S.* Prou. Calabr.

*De Monaſterio Sancti Eliæ Angeli Vaticinium. Marc.* 114. *Matth.1.175.* Petrac. 401. *M. S. Prouinc. Calabr.*

*Fratrum* Capucinorum*, in his Monaſteriis degentium, vita deſcribitur. M.S. Salod. M.S. Prou.* Calab.

*Capucini Populis Dei Verbum diſſeminant, apud quos pro Angelis habentur. M. S. Salod. M. S. Prouinc. Calabr.*

*Generalis Miniſter obſeruantium aduersùs Ludouicum Pontificem adit, & contra* Calabros *excommunicationis ſententiam obtinet.* Mar. 114. *Matth.* 1. 173. Petr. 400. *M.* S. prou. *Calab.*

*Commiſſarium cum Apoſtolico Anathemate in* Calabriam *mittit.* Mar. 115. *Matt.* 1.174. M. *S. Salod. M.* S. Prou. Calabr.

*Ludouicus à Foroſempronienſi de Excommunicationis ſententia commonefactus, ſuis proſpicit. Mar.* 14. *Matt.* 1. 173. P*etrac.* 401. M. S. *Prou.* Calabr.

*Commiſſarius duabus Fratrum turmis* Capucinos *perſequitur. Mar.* 115. P*etr.* 401. M. S. prou. *Calabr.*

*Capucini* S. *Eliæ de Obſeruantium Fratrum turma commonefacti, in Syluam aufugiunt.* Mar. 115. Matt. 1. 174. Petr. 402. M. S. prou. *Calabr.*

Panem, *& fructus ad perſequutores refocillandos, in menſa relinquunt.* Mar. 115. Matt. 174. petr. 402. M. S. prou. *Calab.*

*Nouitius, qui cum obſeruantibus venerat, aſpera Capucinorum vita, ac charitate commotus ad eos migrat.* Mar. Matt. *Petr. ibid.* M. S. prou. Calab.

*Ludouicus Sacra facturus, à puero exclamante admonetur, vt ab Obſeruantibus caueat.* Mar. 116. Matt.1.175. petr. 403. M. S. Prou. *Calab.*

*Ludouicus Deo confiſus Miſſam abſoluit, & fugam conſulit.* Mar. *ibid.* M. *S. Salod. M.* S. Prou. Calab.

*Ludouico* B. P. *Franciſcus apparet, dum in fouea iacet, illúmque conſolatur. Mar.ibid. Matth.1.176. Petrac.408. M.* S. *Prou. Calabr.*

*Commiſſarius Ducem Nucerienſem adit, & à Capucinorum patrocinio eum abſterrere conatur. Mar.118. Matth.1.176. Petr.404.* M.S. Prou. *Calab.*

*Dux Nucerienſis Capucinos defendit, & minitantem Commiſſarium obiurgat. Mar.118. Matth.1.176.* Petr.406. *M.S. Prou. Calabr.*

*Dux Nucerienſis diſceptationem de Regula inter Capucinos, & Obſeruantes inſtituit. Mar.119. Matth.1.177. Petr.* 409. *M.S. Salod. M. S. Prou. Calabr.*

*Ludouicus ex aperta Regulæ tranſgreſſione, quæ apud Obſeruantes graſſatur, ſuum, ac ſuorum ab Ordine diſceſſum neceſſarium oſtendit, Mar.120. Matth.1.177.* Petr. 411. *M.S. Salod. M.S. Prou. Calab.*

*Commiſſarius tranſgreſſiones excuſare nititur; & excuſatio reijcitur. Mar. 120. Matth.* Petr. *ibid. M.* S. Prou. *Calab.*

*Ex altero capite hoc ipſum Ludouicus demonſtrat, quod Commiſſarius diluere conatur. Mar.121. Matt.177. Petr.413.* M.S. Prou. *Calab.*

Bernardinus *Commiſſarij reſponſionem infringit, & quæ in habitu* Minorum *vilitas ineſſe debeat, luculentiùs demonſtrat. Mar. Matth. Petr. ibid.* M.S. prou. *Calab.*

Bernardinus *captata Commiſſarij interrogatione, nullam intra Ordinis gremium ſtabilem Reformationem fieri poſſe oſtendit. Mar.125. Matth.* 1.179. Petr.420. M.*S.* prou. *Calab.*

*Bernardinus præterea ex aliis Regulæ Capitibus, Regulam in Ordine violari docet. Mar.126. Petrac.431.* M. S. prou. *Calabr.*

*Ludouicus Commiſſario de Caputio percunctanti occurrit, & à B. Franciſco inſtitutum probat. Mar.132. Matth.1.179. Petr.424.* M.S. *Prouinc. Calabr.*

*Dux Nucerienſis Commiſſarium, vt à Capucinorum perſequutione deſiſtat, hortatur; & maiori erga Capucinos deuotione afficitur. Mar.137. Matt.1.179. Petr.432.* M.S. *Prou. Calab.*

*Dux Tiberium filium cum literis ad Pontificem mittit, vt ſententiam excommunicationis ab eo latam, reuocandam curet. Matth.1.170. M.S. Prouinc. Calabr.55.*

*In hac perſequutione, plerique ex iis, qui ad Capucinos tranſierant, ad Obſeruantes redeunt, qui verò remanent enumerantur. M.S. Prouinc. Calabr.*

*Ludouicus Romanam profectionem cogitat, & ad Foroſempronianum ſcribit. M. S. Sal. M. S. Prouinc. Calabr.*

*Ludouicus Bernardino Prouinciam curandam demandat, & cum duobus ſociis Romam proficiſcitur; Dux autem Cubicularium addit. M.S. Salodien. M.S. Prouinc. Calabr.*

*Ludouicus miraculo, in itinere Cubiculario fame languenti ſuccurrit.* Petr. 83. *Matt.* 185. *M.* S. Prouin. Calabr.

Cubicularium *præire iubet, ne Burſarius cenſeatur. M.* S. *Salod. M.* S. Prou. *Calabr.*

*Sociis in itinere defeſſis prædicit hoſpitium M.* S. Prouinc. Calabr. *M.* S. Prouin. *Rheg.* 1. *29.*

*Tugurium illis inter Niues apparet, ſenexque illos ad hoſpitium recipit. M.* S. Salodienſ. *M.* S. Prouin. *Rheg. ibid.*

*Senex chariſſimè Ludouicum amplexatur, & prolixum cum eo colloquium habet.* S*alodienſis.* M. S. prouinc. *Rheg. ibid.*

*Tugurium, ac Senex illis abſcedentibus continuò euaneſcunt, & Ludouicus B. Petrum Apoſtolum Senem illum fuiſſe indicat. Sal.* M.S. prou. *Rheg. ibid.*

*Quid in eo B.* Petri *cum Ludonico colloquio actum fuerit, declaratur.* M. S. *Salod.* M. S. prou. *Rheg.* 1. 30.

*Ludouicus per* Lucaniam *gradiens, miraculosè Vas vacuum oleo plenum præſtat, atque illud deinde multiplicat.* M.S. prouinc. *Rheg.* 1.30.

*Neapoli Nobili adoleſcenti liberationem ab anguſtia, & Frãciſcani habitus ſuſceptionem prophetico ſpiritu prænunciat.* M.S. prou. *Calabr.*

*Tiberius ſententiæ reuocationem à pontifice impetrat.* M. *S.* prouinc. *Calabr.*

*Ludouicus Pontificem adit, à quo humaniter excipitur; & apud illum de cauſa ſua terminanda agit.* M.S. *Prouinc. Rheg.1.30.*

*Pontifex Generalem* Miniſtrum *Obſeruantium, & Procuratorem Generalem ad ſe vocandos imperat.* M. *S.* Prou. *Calabr.*

*Miniſter Generalis Ludouico, & ſuis quædam criminum capita obiicit, quæ Ludouicus ſingillatim coram* Pontifice *diluit. M.* S. Prou. Calabr.

*Ab Apoſtaſiæ ſe, ſuoſque crimine, allatis rationibus, liberat. M.* S. *Prou. Calabr.*

*Regularis inobſeruantiæ exceſſus, qui in Ordine vigebant,* Pontifici *aperit, ac neceſſariam reformationem demonſtrat.* M. S. Prou. *Calabr.*

Pontifex *Generalem* Miniſtrum *increpat; & vt à* Capucinis *moleſtandis abſtineat, grauiter præcipit.* M. S. *Prou. Calabr.*

Pontifex *Ludouicum in cœpto Reformationis opere confirmat, & Apoſtolicæ ſedis opem pollicetur.* M. S. *Prou. Calabr.*

Procella *iterum ab Aduerſariis in Reformationem excitatur.* M.S. Prou. *Roman.*

*Cauſa à* pontifice *duobus Cardinalibus committitur.* M*an.*S. Prou. *Roman.*

*Cardinales Bullam edunt, qua Capucinos moleſtari prohibent,* M. S. prou. *Rom.*

*Franciſcus Aeſinus Bullam Reformationis à* Pontifice *impetrat, & in carcerem truditur. Bullarium. Petr.* 365.

Minores Conuentuales Reformati Montis Politiani ad Capucinos migrant. M. S. Prouinc. Ethrur. lit. A. 29.

## ANNVS CHRISTI. 1533.

EX variis Prouinciis Obſeruantes ad Capucinos tranſuolant. Petr.436. Mar.96.
Ex ſæculo nonnulli ad Religionem accedunt. Petr.437.
Capucini fratres martyrij cupiditate flagrant, qui à Ludouico Foroſemp. compeſcuntur. Petr.260.
Huius rei cauſæ indagantur. Petr.261.
Capucini fratres ad ſolitariam vitam ſecedere, qua ratione tentarentur. Petr. 262.
Ludouicus Foroſemp. quo pacto illos à propoſito auocauerit. Petr.264.
Ludouicus Rheginus, pleroſque ex ſecularibus Viris in Calabria ad habitum recipit. Petr.986. 1125.
Ludouicus pleraque Monaſteria extruit in Calabria, ac præcipuè Rhegij. Salod. l.2. M.S. prou. Calab.
Loci huius qualitas deſcribitur M.S. prou. Calab.
Ludouicus Rheginus Bernardinum Georgium in Siciliam deſtinat. Petr.388. M.S. Salod.
Bernardinus Meſſanæ prædicat, ac Monaſterium ædificat. Petr.441. & 849.
Bernardinus Panormum, & Catanam proficiſcitur; atque vtrobique prædicat, & Conuentus extruit. Petr. ibid. M. S. Salod.
Ludouicus Foroſemp. Prædicatores in Apuliam mittit. M.S. Salod. Petr. 379. Mar. 142.
Ludouicus Foroſempr. profectionem in Siciliam parat, & vſque ad pharum Meſſanæ peruenit. Petrarch. 387. Salod.
Bis à Maris fluctibus, Deo diſponente ad littus reijcitur. Petr.387. M.S. Salod.
Fratrum literis in Vrbem feſtinatò reuocatur, & iter in Siciliam deſerit. Petr.387. M.S Salod.
Generalis Miniſter Fr. Obſeruantium Capucinos ſibi ſubijcere tentat, & quibus id rationibus obtenderet, indicatur. M.S. Salod. Petr.388.
Quorſum hanc ſubiectionem prætenderet. M. S. Salod.
Pontifex nonnihil Generalis Miniſtri clamoribus, ac potentum Miniſtro fauentium, ſuffragiis commouetur. M. S. Salod. Petr.388. 391.
Ludouicus Foroſemp. Generalis Miniſtri rationes retundit, & ſingillatim diluit. Salod. Petr.391.
Generalis Miniſter Ludouicum Foroſemp. accerſit, & in vincula conijcit. Petr. 383. Matt. 1. 194. Mar. 149.
Ludouicus Foroſemp. in vincula coniectus, à Potenti quodam Viro liberatur. Petr. 386. Matth. 1. 194. March. 150.
Bernardinus Georgius in Sicilia, Generalis Miniſtri Obſeruantium iuſſu, in carcerem truditur. Petr. 861. Matt. 1. 189. Mar. 137.
A Siciliæ Prorege non abſque miraculo liberatur. Petr. 851. Matt. ibid. Mar. 138.
F. Tellius a Potentia in Apuliā miſſus, pleraque Monaſteria ædificat. M. S. Salod. M. S. Prouinc. Hidrunt.
Prouinciæ Apuliæ Peucetiæ, Lucaniæ, & Hidruntinæ, diuiſio indicatur: M. S. prouinc. Hidrunt. t. 1. n. 1. M.S. Salod
F. Benedictus Senenſis Ferrariæ prædicat, & primum ibi Monaſterium extruit, quod Bononienſis prouinciæ initium dedit. M. S. prou. Bononienſis. 1. 3. 148. Petr. 3[illegible]7.

## ANNVS CHRISTI. 1534.

GEneralis miniſter Obſeruantium, aduersùs Capucinos literas ad vniuerſos Orbis Chriſtiani Reges, ac principes ſcribit, ac tenor exaratur. Petrac. 366. Mar. 152. M. S. Salod.
Ab ijs literas ad pontificem poſtulat, vt Capucinorum Reformatio deleatur. Petr. Mar. ibid. M. S. Salod.
Prouinciales Miniſtros excitat, vt haud ſegniter huic negotio incumbant. Petr. Mar. ibid. M. S. Salod.
Dei erga Capucinorum Reformationem prouidentia declaratur, dum illuſtriores Viros ex obſeruantia ad illius ſinum hoc tempore conuocat. Petr. 438. Mar. 96.
Viri illuſtriores, qui hoc tempore ad Reformationem ex Obſeruantium prouinciis accedunt, enumerantur. Petrac. 436. Mar. 96.
Ioannes à Fano, ex Saulo paulus, ad Capucinos migrare cogitat. Petr. 644. Mar. 101. Matth. 1. 197.
Quibus id rationibus ſibi præſtandum perſuaderet. Petr. Mar. ibidem. Matth. 1. 198.
Ipſius ob præteritas Reformationis perſecutiones luctus, ac pœnitentia. Mar. 101. Matt. 1. 198. Petr. 345. & 694. unto
Duo Capucini Fratres, ad Ioannis à Fano Conuentum accedunt. Matt. 1. 298. M. S. Salodiens.
Ioannis à Fano, ac cæterorum Fratrum de Obſeruantia in eos charitas. Matt. 198. M. S. Salod.
Ioannes à Fano, ac cæteri Obſeruantes Capucinorum aſpectu piè commouentur. Matt. Salod. ibidem.
Ioannes à Fano eos fuſiùs alloquitur, & ſe Capucinum futurum inſinuat. Salod. Matth. ibidem.
Mirabilis Fratrum illius Conuentus ad Capucinos tranſmigratio. Salod. Matt. ibid. Petr. 694.
F. Ioannes à Fano, ſimul cum F. Euſebio Anconitano Romam proficiſcitur. Salod. Matt. 1. 198. Petr. 695. Mar. 101.
Cuncti illius Conuentus Fratres, vno tantum relicto, bini Romam pergunt, atque in S. Euphemiæ Ianua ſibi inſperatò obuij fiunt. Salodiens. Petr. Matth. Mar. ibidem.
Quid Ioannes à Fano apud Ludouicum egerit, & quænam illius verba, ac humilitas. Matt. 1. 199. Petr. 695. Mar. 101. M. S. Salod.
Ioannes à Fano præteritorum veniam publicè à Fratribus poſtulat. Matt. 1. 199. Petr. Mar. 101. Salod.
Ludouicus vniuerſos ad Reformationis gremium excipit. Matth. 198. Petr. 695. Mar. 101. M.S. Salod.
Bernardinus Ochinus ad Capucinos ex Obſeruantium Familia migrat. Matt. 2. 1. Mar. 110. 151. Petr. 436.
Qualis inter Obſeruantes extiterit, & de ipſius ambitione Pontifici nota quàm plura. Matt. 2. 1. M. S. Salod.
Quo conſilio Capucinorum Religionem ingreſſus fuerit. Mat. Salo d. ibid.
Capucinorum Reformatio ad trecentorum Fratrum numerum aucta. Matth. 2. 1. M. S. Salod.
Ludouicus publicam Fratrum ſupplicationem, ad ſeptem Vrbis Eccleſias inſtituit. Petr. 369. Salod.
Vrbis totius ædificatio, ob præclara Fratrum in ea ſupplicatione exempla. Petr. Salod. ibid.
Prouinciales Miniſtri Obſeruantium, Epiſtolas à Regibus ac Principibus, aduersùs Capucinos ad Pontificem obtinent, & ad Generalem eodem tempore tranſmittunt. Matt. 1. Petr. 370. Mar. 152.
Generalis Miniſtri ſollicitudo, ac ſagacitas, in machinis diſponendis, quas aduerſus Capucinos parat, explicatur. Petr. 370. Matt. 1. 195. Mar. 152. Salodienſ.





Pontifex ob Principum literas, & Potentium querimonias, Reformationem extinguere cogitat. Petrarch. 366. Salod.
Pontifex fulminibus territus, animum ab extinguendis Capucinis reuocat. Petr. 367. Salod.
Pontifex vt Principibus ſatisfaciat, edicto Capucinos ab vrbe expellit. Petr. 372. Mar. 152. Matt 1. 195. Salod.
Pontificis in Capucinis expellendis conſilium declaratur. Petr. 372. Mar. 152. Matt 195. Salod.
Capucini, vt promptè Pontifici obediant, prandium cœptum intermittunt. Petr. 373. Mar. Matth ibid. Salod.
Quid Capucini percunctantibus de diſceſſu reſponderent, explicatur. Petr. 373. Salod.
Qui Conuentum poſt Capucinorum diſceſſum perluſtrāt, illorum paupertate, ac ſimplicitate ædificantur. Petr. 371. Salod.
Capucini ad S. Laurentium extra muros pergunt, & à Canonicis Lateranenſibus benignè excipiuntur. Matth. 1. 195. Mar. 152. Petr. 373. Salod.
Ludouicus per amicos Pontificis animum inueſtigat, & ſpem reditus concipit. Petr. 372. Salod.
Canonici Lateranenſes Capucinorum vitam admirantes, eos in vrbe ſanctos prædicant. Petr. 374. Salod.
Capucini extra vrbem eleemoſynis abundant. Mar. 152. Matth. 1. 195. Salod.
Confraternitatis Crucifixi erga Capucinos pietas, & quid Capucini viciſſim eidē rependant, indicatur. M. S. Salod.
Plebs Romana contra Capucinorum aduerſarios obmurmurat. Petr. 376. Mar. 153.
Ioannes à Fano ad Venetorum, ac Mediolanenſium plagas à Ludouico deſtinatur, & Prouincias fundat. Matth. 1. 201. M. S. Prouin. Brix. A Monteſalcus. M. S. Salod.
Catharina Ciboa Camerinenſium Duciſſa audita Capucinorum eiectione Romam aduolat ad ipſum & Victoria Columna. Mar. 152. Matth. 1. 196. Petrarch. 374.
Brandanus Eremita, triduò Vrbis Vicos & plateas circumiens, Capucinorum eiectionem Romanæ Vrbi exprobrat. Petr. 376. Matt. 1. 197. Mar. 143. Salod.
Camillus Vrſinus pontificem adit, & ab eo Capucinorum in Vrbem reditum impetrat. Petr. 374.
Capucini ſeiuncti in S. Euphemiam redeunt. Petr. 375. Matt. 1. 197. Mar. 153. Salo.
F. Bernardinus à Collepetracio ex Obſeruantibus ad Capucinos accedit. Petr. 10. 1030.
Admiranda F. Petri Apuenſis, & trium aliorum fratrum, in probris, ac verberibus tolerandis patientia commendatur. Petr. 378.
Duorum aliorum fratrum, in paratis ſuppliciis perferendis, fortitudo deſcribitur. Petr. 378.
Aliorum quoque fratrum virtus in duris probata laudatur. Mar. 142. Petr. 379.
Henricus VIII. Angliæ Rex hoc anno ſchiſma in Regno excitat, & Sacra Societas IESV prima fundamenta iacit. Genebrard. in Leon. X. & in Clement. VII. Onuph. anno 1634. 1535. Ribald. l. 2. Vitæ Ignat. c. 4. Orland. l. 1. hiſt. Societ. 2. q. Iacob. Gaulter. 1534.
Clemens VII. è viuis excedit, & Paulus III. in Petri Sedem ſubleuatur. Geneb. ann. 1534. Onuph. ibidem.

## ANNVS CHRISTI 1535.

F. Ioannes à Fano Bergomi prædicat, & Monaſterium conſtruit. Matth. 1. 203. M. S. Prou. Brix. A. 251. Vinea Bergom. par. 2. c. 117. Salod.
Idem Veronæ Verbum Dei diſſeminat, & Conuentum extruit. Matth. Salod. ibidem.
F. Paulus à Seſtino in Apuliam mittitur, & Larini primum Conuentum ædificat. M. S. Prou. S. Ang. p. 2. num. 12. 149.
Plerique ex Obſeruantium familia, & ex ſæculo habitum Reformationis aſſumunt. Petr. 816. 854. 873. iij. 1128. Matt. 2. 66. 104.
Religionis incrementa tempore perſequutionis maiora exurgunt. Matt. 2. 1. Petr. 443. Salod.
Capituli Generalis hoc tempore neceſſitas explicatur. Petr. 443. Salod.
Qua ratione hoc tempore Religionis ſtatus adminiſtraretur. Petr. 443. & 444. Salod.
Ludouicus Foroſemp. celebrationi Capituli reluctatur, & qua de cauſa. Petr. 443. Salod.
Varia de Ludouici mente exponuntur. Petr. 444. 448. 450. Mar. 159. Matt. 2. 2. Salodienſ.
Ambitio Ludouici animum pulſat. Matt. 2. 1. Salod.
F. Bernardinus Ochinus cum Victoria Columna agit, vt Comitia celebrentur, & quo conſilio. Petr. 447. Mar. 157. Matt. 2. 1. & 2. Salod.
Victoria Columna cum Ludouico de Capitulo celebrando agit, nec quicquam obtinet. Petr. Matth. ibid. Mar. 159. Salod.
Victoria ad Duciſſam Tallequitij ſcribit, eaque Ludouico Capitulum perſuadet, ſed fruſtra. Petr. 444. Mar. 160. Matth. 2. 2. Salod.
Victoria tandem Ludouicum ad Capitulum compellit. Petr. 448. Mar. Matt. ibid. Salod.
Ludouicus Capitulum in dies differt. Victoria tandem illud à Pontifice impetrat. Petr. 448. Mar. 161. Matth. 2. 2. Salod.
Ludouicus de Capitulo celebrando mandatum à Pontifice accipit, & Capitulum indicit. Petr. 455. Mar. 161. Matth. 2. 2. Salod.
Ludouicus Capitulo congregato ſermocinatur, & à Generalatus munere ſe alienum ſimulat. Petr. 455. Mar. 161 Matth. 2. 3. Salod.
Bernardinus Aſtenſis Generalis eligitur. Matt. 2. 3. Petrac. 453. Mar. 162. Salod.
Ludouicus, neque in Generalem, neque in Diffinitorem eligitur, ob idque grauiter ſtomachatur. Petr. 453. Mar. 162. Matth. 2. 3. Salod.
Ludouicus ſubiectionis ſigna Bernardino Generali electo negat, & cum eo de ipſius electione conqueritur. Matth. 2. 3 Salod.
Bernardinus Aſtenſis Generalis humilem ſe erga Ludouicum præbet. Matt. 2. 3. Salod.
Ludouicus arroganter ſuggeſtum aſcendit, atque inſanis vocibus Patribus minatur. Petr. 478. Mar. 162. Matt. 2. 4. Salod.
Bernardini Generalis, & aliorum Patrum erga Ludouicum humilitas, & officia. Mar. 163. Matt. 2. 4. Salod.
Ludouici erga Generalem, & Patres proteruia. Mar. 163. Matt. 2. 4. Salod.
Quid in eo Capitulo circa Conſtitutiones Ordinis, & Religionis ſtatum Patres diſpoſuerint. Matt. 2. 4.
B. P. Franciſcus Bernardino Generali ſermocinanti aſſiſtens conſpicitur, qui verba prædicati ſubminiſtrat, ac tandem fratribus benedicit. Mar. 168. Matth. 2. 4. Salodienſis.
Ludouicus Cardinalem Tranenſem adit, ac querimonias aduerſus fratres inſtituit; ab eóque vt Capitulum rurſus à Pontifice inſtauretur, aſſequitur. Mar. 163. Matt. 2. 5. Salod.

Quo conſilio Ludouicus Capitulum denuò celebrandum curauerit. Petr. 458. Mar. 163. Matt. 2. 5. Salodiens.

Ludouicus ſe cum nonnullis à Religione ſeparat, & in Ædem S. Thomæ ſe confert. Petr. 459. Salod.

Grauia ex Ludouici ſeparatione ſcandala in Populo oriuntur. Petr. 859. 490. Salod.

Plerique ex Fratribus à Religione ob eandem cauſam deſciſcunt. Petr. 459. Salod.

Bernardinus Generalis Fratres ad conſtantiam hortatur. Petr. 460. Salod.

Ex his, qui Ludouicum ſequuti fuerant, plerique ad Religionem perterriti redeunt. Petr. 464. Salod.

Ludouicus ad Religionem reuertitur, & honeſtius agit. Salod.

Camillus Vrſinus, & Victoria Columna pro Capucinis aduersùs obtrectantes pugnant. Petr. 464. Salod.

Frater Franciſcus Titelmanus cum Fratre Franciſco de Soletro, ac duobus aliis ex Obſeruantia ad Capucinos tranſeunt. Petr. 789. Matt. 2. 78. Salod.


## Annvs Christi. 1536.


ROmæ rurſus Comitia celebrantur, quibus Tranenſis Cardinalis Apoſtolica authoritate præſidet. Petr. 467. Mar. 163. Matt. 2. 5. Salod.

Bernardinus Aſtenſis iterum omnium ſuffragiis Generalis eligitur. Petr. 468. Mar. 164. Matt. 2. 5. Salod.

Ludouicus ambitionis furiis agitatur, Generalemque agnoſcere, aut venerari detractat, Cardinaliſque monita contemnit. Mar. Matt. ibid. Salod.

Ludouicus in Congregationem inuehitur, & ingratam appellat. Mart. 164. Matt. 2. 5. Salod.

Chriſtus, Beata Virgo, ac B. P. Franciſcus cuidam Fratri apparentes eodem tempore Ludouico minantur. Salod.

Quenam frater ille Chriſti iuſſu fecerit, ac Ludouico coram Cardinali, & Capitulo dixerit, explicatur. Petr. 468. Matt. 2. 5. Salod.

Cardinalis Ludouicum placidis verbis demulcere tentat. Petr. 469. Salod.

Tria in Capitulo Religioni pernicioſa Ludouicus proponit, quæ minimè accipiuntur. Petr. 464. Salod.

Ludouici propoſitionibus Patres reſpondent. Pet. 471. Salod.

Ludouicus iterum inſanit, ac in Religionem debacchatur. Petrac. 471. Mar. 174. Salod.

Bernardinus Generalis, ac cæteri Patres ad illius ſe pedes proſternunt, atque omnia humilitatis, & humanitatis ſigna oſtendunt, vt illum demulceant. Petrac. 471. Mar. Matth. ibidem.

Iterum Cardinalis illum ſuauibus verbis monet, vt à furore quieſcat. Petr. Mar. ibid.

Ludouicus magis in furias excreſcit, & à Religione ſe alienum declarat. Petr. Mar. ibid. Matt. 2. 6. Salod.

Cardinalis illum grauiter increpat, & à Capitulo expellit. Petrac. Mar. Matth. ibidem. Salod.

Cardinalis Tranenſis Fratribus ſermocinatur, ac Religionem commendat, ad perſeuerantiamque hortatur. Pet. 474. Mar. 165. Matth. 2. 6. Salod.

Cardinalis Religionem apud Pontificem commendat. Pet. 471 474 Mar. 165. Matth. 2. 6. Salod.

Pontifex Generalis electionem Bulla confirmat, ac priora priuilegia corroborat. M. S. Prouinc. March. to. 3. 255.

Ludouicus è Religione expellitur. M. S. Rom. Prou.

Bulla edita hoc anno exaratur. M. S. Prou. March. ibid.

Lunellus Obſeruantium Miniſter Generalis Capucinos ſibi ijcere nonnullis rationibus apud Pontificem tentat. Petr. 499. Mar. 171. 172. Matt. 2. 15. Salod.

Pontifex ſex Cardinalibus vtrimque eligendis, totum negotium committit. Petr. 502. Mar. 172. Matth. 2. 15. Salodienſ.

Bernardinus Generalis ſchedulam rationum Cardinali Sanſeuerino offert, pro Religione ab Obſeruantium iugo liberanda. Salod. Vide ſched. in Archiuio Rom.

Iudicio controuerſiæ contra Capucinos pendente, Cardinalis Sanſeuerinus ſolus pro Capucinis ſtat, ac reliquos Cardinales in ſuam ſententiam trahit. Petr. 502. 503. Mar. 175. Matth. 2. 15. Salodiens.

Cardinalis Sanſeuerini ad cæteros Cardinales Oratio deſcribitur. Petr. 504. Mar. 173. 174.

Ludouicus Rheginus cum Generali Lunello de vnione Capucinor. & Obſeruantium agit. Salod. Elicitur ex Epiſtola Ludouici in Archiu. Roman.

Ludouicus ac Bernardinus Rhegini ad Bernardinum Generalem ſcribunt, & Generalis promiſſa aperiunt. Salod. Vid. Vid. Epiſt. in Aretin Rom.

Bernardinus Generalis ad illos reſcribit, nihil ea re innouandum. Salod. ex eadem Epiſt.

Sex Cardinales Iudices pro Capucinis ſententiam ferunt, & vnionem diſſoluunt. Petr. 506. Mar. 175. Matt. 2. 15. M.S. Patrum Brixiæ. B. fol. 100.

Pontifex Capucinos ſub PP. Conuentualium obed. confirmat, & Cardinalium iudicium Bulla corroborat. Petr. 506. Mar. 175. Matt. 2. 15. M.S. Brixiæ ibid. Salod.

Bulla ſecunda hoc anno edita apponitur, quidvè contineat, explicatur. Bull. in Paul. 3. 632.

Aduerſarij obtrectationibus Capucinos impetunt. Petr. 507. Mar. 175. Matt. M.S. Brix. ibid.

Generalis Bernardinus rem ad Pontificem deferendam, & coram eo cauſam cum aduerſariis diſputandam decernit. Petr. 507. Mar. 176. Matt. 2. 16. Salodienſ.

Cardinalem Quignonium Obſeruantium Protectorem adit, deliberationémque aperit, niſi aduerſarij ab obtrectatione abſtineant. Petr. 508. Mar. Matt. Salod. ibid.

Cardinalis Quignonius cum aduerſariis agit, eoſque à detractionibus reuocat. Petr. 509. Mar. 177. Matt. Sal. ibid.

Plerique illuſtres Viri hoc tempore Capucinorum habitum ſuſcipiunt. Petr. 740. Matt. 2. 104. M.S. Brix. A. 147.

Generalis Obſeruantium apud Pontificem, de ſuorum ad Capucinos tranſitu conqueritur. Salod. Vid. Bull. in Arch. Rom.

Pontifex Diplomate Capucinis interdicit, ne Obſeruantes accipiant, ſub aliquibus tamen conditionibus. Salod. Bull. Paul. III. quæ incipit. Nuper per nos.

Bernardinus Georgius hoc anno moritur, eiuſque vita deſcribitur. Petr. 846. Matt. 1. 187. Salod. M.S. Prou. Calab. M.S. Rhegij.

Bernardinus, ac Ludouicus Rhegini in ſæculo amiciſſimi ſimul Ordinem Obſeruantium ingrediuntur. Salodienſ. M. S. Prou. Calab. & M. S. Prou. Rheg. 2. 64.

Bernardinus Brixiæ ſub Licheto Theologiæ operam dat, Lutetiamque Pariſiorum miſſus, lauream Doctoratus in Pariſienſi facultate aſſequitur. Salod. M.S. Prou. Calab. M.S. Prou. Rheg. ibid.

Bernardini ingenij præſtantia præſertim in publicis diſputationibus. M.S. Prou. Rheg. Salod.

Meſſanæ, ob egregiam Theſium Theologicarum propugnationem, Georgij agnomen conſequitur. Salod. M.S Prou. Calab.

Bernardini mores deſcribuntur. Hieronym. à Monte-florum. 81. M.S. Prou. Calab.

Bernardinus cum Ludouico Rhegino Reformationis conſilium init. Petr. 847. Matt. 1. 170. Mar. iij. M.S. Prou. Calab. Salo.

Cum eo Capucinorum inſtitutum amplectitur. Petr. 398. Matt. 1. 172. Mar. 113. M.S. Prou. Rheg. Salod.





Cùm nimis ornatè prædicaret Panormi minimè acceptus fuit. Petr. 850.

A Deo admonitus ſermonis ornatum exuit, & cum feruore prædicans, fructus animarum refert. Petr. 847. Monteflor. 81. M.S. Prou. Calab. Salod.

Panormi prædicans exortas lites componit, & Panormi Apoſtolus prædicatur. M.S. Prou. Calab. Salod.

Catanæ futurum incendium ab Æthna illi imminere prænunciat. M.S. Prou. Calab. Salod.

Rhegij deuaſtationem Turcarum deprædatione futuram prædicit. M.S. Prou. Calab. Salod.

Illius in prædicando, ac exhortando charitas. Matt. 1. 188. Monteflor. 161. M.S. Prou. Calab.

Cordis arcana Rhegino Iuueni patefacit, quo eum à ſcelere reuocat. Salod.

Grauiter à Dæmone de Reformatione deſerenda tentatur. M.S. Prou. Calab.

Amicum Patrem ex Obſeruantibus in tentatione conſulit. M.S. Prou. Calab.

A Chriſto Domino illi apparente increpatur, & in vocatione confirmatur. M.S. Prou. Calab.

Perſecutores fugiens ab Angelo confortatur. Matth. 1. 188. Salod.

Prouincialis Calabriæ eligitur. Salod. M.S. Prou. Calab.

Suæ mortis à Deo reuelationem accipit, ſéque ad eam præparat. M.S. Prou. Calab. Salod.

Rhegij in morbum incidit, Fratréſque ad Regulæ obſeruantiam, ac virtutes hortatur. M.S. Prou. Calab. M.S. Prou. Rheg. Salod.

De Vocationis ad Capucinos dono Deo gratias agit, & à Fratribus veniam petit. M.S. Prou. Calab. Salod.

Diem obitus prænunciat. M.S. Prou. Calab. Salod.

Chriſtum Dominum Angelis ſtipatum ſibi apparentem videt, & de ſæculo migrat. M.S. Prou. Cal. Salod.

Angelorum concentus ſui tranſitus tempore exauditur. M.S. Prou. Calabr. Salodienſ.

Caro ipſius mollis, membrorum iuncturæ flexibiles, facies venuſta videtur. M.S. Prou. Calab. Salod.

Poſt aliquot annos corpus illius integrum reperitur. M. S. Prou. Calabr. Salod.


## Annvs Christi. 1537.


POntifex Paulus III. diplomate cauet, ne Obſeruantes ad Capucinos tranſeant. Salod. videtur in Arch. Rom.

Bernardinus Generalis ob id libellum ſupplicem Pontifici offert. Salod. Archiu. Rom.

Libelli tenor exaratur. Salod. Archiu. Rom.

Pontifex nihilominus in ſententia perſtat. Salod.

Bernardinus Generalis Religionem viſitat. Matt. 2. 16. Salod.

Religionis ſtatus adhuc eo tempore difformis. Mar. 165. Matt. 2. 9. & 16.

Bernardinus ſua viſitatione Religioni perfectum ſplendorem confert. Mar. Matt. ibid. Salod.

Quis eſſet Bernardini in Religione viſitanda modus. Mar. Matth. ibid. Salod.

Erga delinquentes cur potius pius quàm rigidus eſſet. Mar. 166. Matth. ibidem.

Aliorum conſilio in rebus arduis vtebatur. Matt. 2. 10.

Paupertatis exceſſum in Fratribus moderatur, iuxtà diſcretionis modum. Matth. 2. 10.

Ægrotis quanta charitate miniſtrandum, & quàm parcè iis medicamentis vtendum ſit, docet. Mat. 2. 10.

Sæpè Fratribus ſermocinatur, & relaxationum quarumlibet principia vitanda eſſe monet, Ruſtici exemplo. Matth. 2. 10.

Ioſephus à Ferno, ſeu Mediolano Ticinum mittitur. Matth. 2. 160.

Ioſephus Vrbem perterritam Crucis ſpectaculo ad pœnitentiam prouocat. Matth. ibidem.

Quadraginta Horarum Orationem inſtituit, ad quam tota Vrbs confluit. Matth. 2. 160.

Primum Genuenſis Prouinciæ Conuentum in ea Vrbe conſtruit. Matth. 2. 160.

Matthæus à Baſſo Romæ apparet, & à Fratribus hoſpitio excipitur. Petr. 603. M.S. Brix. A. 154. M.S. Prou. Rom. D. 39.

Caputij acumen mauult dimittere, quàm prædicationem deſerere. Petr. 603. M.S. Brix. A. 45. M.S. Prouinc. Rom. D. 39.

Ad Obſeruantium tamen habitum non rediſſe re ipſa probatur. Petr. 603. M.S. Brix. A. 154.

Quomodo id Dei conſilio non vacauerit, explicatur. Salod. Mar. 169. M.S. Prou. Brix. A. 49.

Matthæus diuino conſilio factum fatetur, vt ipſe & Ludouicus Foroſempr. è Capucinorum Reformatione recederent. Mar. M.S. Prou. Brix. ibid.

Ludouicus Rheginus Mottæ Philocaſtri ex humanis migrat. Petr. 837. Mat. 1. 186. Monteflor. 103. M.S. Calab. M.S. Prou. Rheg. Salod.

Ludouici vita, ac geſta deſcribuntur. Petr. 820. Matt. 1. 180. Monteflor. 97. M.S. Prou. Calab. & Rheg. t. 2. 47. Salod.

Ludouicus Rhegij apud Calabros Patre Agricola natus, Chriſtaldus in Baptiſmo appellatur. Petr. 820. M.S. Prou. Calab. Salod.

Puer ad literas propenſus Patris mortem luget. Salod.

Tam in literis proficit, vt ludum literarium aperiat. M.S. Prou. Rheg. 2. 47. Salod.

Egregij Chriſtaldi mores, dum adhuc in ſæculo degeret. Petr. 821. Matt. 1. 180. M.S. Calabr. Salod.

Sacris Ordinibus initiatur, & Sacerdotio fruitur. Salod.

Cum Bernardino Rhegino arcto amicitiæ vinculo coniunctus, quid ea amicitia vtrique contulerit. M.S. Prouinc. Calab. & Rheg. t. 47. Salod.

Ludouicus & Bernardinus eodem die Sacrum Obſeruantium habitum ſuſcipiunt. M.S. Prou. Calab. M.S. Prou. Rheg. ibid. Salod.

Ludouicus in virtutibus proficit, orationémque interdum ad duodecim horas producit. Petr. 823. Matt. 1. 181. Hieron. à Monteſl. 97. M.S. Prou. Calab. M.S. Prou. Rheg. t. 2. 48. Salod.

Pro Ægroto ſex horarum ſpatio genuflexus orat. M.S. Prouinc. Calab. M.S. Prou. Rheg. ibid. Salod.

Varias carnis auſteritates exercet. M.S. Prouin. Rheg. 47. Salod.

Brixiam cum Bernardino mittitur, vt ſub Licheto ſtudiis incumbat. M.S. Prou. Calab. Salod.

Ludouicus Prædicator inſignis euadit, ac in ſpiritu, & virtute Dei prædicat. Petr. 821. M.S. Prou. Calab. Salod.

Diuino ſpiritu Patriæ liberationem à Gallorum Exercitu prænunciauit. M.S. Calab. & Rheg. 2. 98. Salod.

Nepotis futurũ periculum matri prædixit. M.S. Prou. Calab. M.S. Prou. Rheg. Salod.

Guardianus Thurij Noui panem Fratribus è Cælo impetrat. Petr. 828. Matt. 1. 184. Monteflor. 99. M. S. Prou. Calab. & Rheg. 2. 49. Salod.

Reformationem inter Obſeruantes tentat, & denique ad Capucinos migrat. Petr. 822. Matt. 1. 181. Monteſl. 98. M.S. Prou. Calab. & Rheg. 2. 50. Salod.

Eius in perſecutionibus conſtantia aſſeritur. Petr. 400. Matt. 1. 173. Monteſl. 98. M.S. Prouinc. Calab. & Rheg. 2. 51. Salod.

Ipſius ieiunia quotidiana, carnis flagellationes vſque ad ſeptem Pſalmos protractæ, ferreæ loricæ pondera deſcribuntur. Petr.828. Matt.1.181. Monteſl.99. M.S.Prou.Rheg.2.47.Salod.

Animi remiſſiones honeſtas Fratribus permittit, atque eo tempore in extaſim ſæpè raptus videtur. M.S.Prou.Reg.2.48. Salod.

Reformationis apud Calabros Apoſtolus nuncupatus. Petr.826.Monteſl.98.M.S.Prou.Calab.Salod.

Paupertatis ſectator inſignis ab omni rerum prouiſione abhorret. Petr.828.Monteſl.99.Salod.

In itinere, Socio præ fame deficienti panem à Deo impetrat. Petr.829.Matt.1.184.Monteſl.100.Salod.

Prædicationi feruentiſſimus inſiſtit, ac ſæpè futura prædicit. Petr.826.Matt.1.181.Monteſl.98.M.S Prouinc. Calab. Salod.

Balni Oppidi deuaſtationem futuram prænunciat. M.S. Prou.Calab.& Rheg.2.58.Salod.

Inter prædicandum, cædem Rhegij patrari diuinitùs conſpicit, ac nonnullis indicat.Petr.832. Matt.1.182.Montef.102.M.S.Prou.Calab. & Rheg.2.58.Salod.

Seminariæ dum prædicat, in extaſim rapitur, & Rhegij excidium videt, ac renunciat. Petr.831.Matt.ibid. Monteſl.101.M.S.Prou.Calab.& Rheg.2.58.Salod.

Sereno Cælo pluuiam, ad terræ fœcunditatem prænunciat. Petr.834.Matt.1.183.Montef.102.Salod.

Dæmon, ſub cuiuſdam Iuuenis ſpecie, illius prædicationem impedire conatur. M.S Prou.Rheg.t.1.52.Salod.

Nobili cuidam Viro maſculam, ac fœmineam prolem prædicit. Petr.833. Matt.1.182.Montef.102.M.S.Prou.Calab. & Rheg.2.51.Salod.

Nobili quoque fœminæ maſculum pollicetur, quem Ludouicum appellari iubet, & quo conſilio. Salod.

Alteri quoque fœminæ, & mariti reditum, & prolem prænunciat. M.S Prou.Calab.& Rheg.2.51.Salod.

Mulierem nec dum fœtam, prolem mortuam parituram prædicit.Petr.833.Matt.1.182.Montef.102.Salod.

Fratri Angelo à Calamnia futuram tentationem, & poſt eam mortem præſignificat. Petr.834.Matth.1.183. Monteſl.102.M.S.Prou.Calab.& Rheg.2.58. Salod.

Frater Eliſæus Meſſanenſis, Ludouicum in aëra ſublatum videns, ex Carmelitano Capucinus efficitur. M.S. Prouinc. Calab.& Rheg.2.57.Salod.

Ludouicus ægrotum puerum inuiſens, ſurſum orando in aëra rapitur. M.S.Prou.Calab.& Rheg.ibid Salod.

Dum Horas Canonicas in Choro recitat cubito, è terra elatus videtur. Petr.825.Matt.1.181.Montef.98. M.S.Prou. Calab.& Rheg.2.58.Salod.

Mulierem penè oculis captam ſigno crucis repentè ſanat. M.S Prou.Calab.& Rheg.ibid.Salod.

Panem Fratribus, ac Operariis è Cælo impetrat. Petr.830. Matt.1.184. Montef.100. M.S Prou.Calabr. & Rheg. ibid.Salod.

Ipſius baculus Tertiarium à Canibus liberat, ac rectà Rhegium ducit, & reducit. Petrac.835. Matt.1.183. Montef.102. M.S.Prouinc.Calabr. & Rheg.2.59.Salod.

Infantem à Matre in lecto oppreſſum, in vitam vindicat. M.S Prou.Rheg.1.64.Salod.

Bernardinus Georgius illi in Prouincialatus munere ſufficitur. M.S Prou.Calab.& Rheg.2.59.Salod.

Ludouicus Bernardini obitum ante ſuum ſex menſium ſpatio futurum prænunciat.Petrac.835.Matt.1.183. Monteflor.102 Salod.

F. Angelum à Calamnia ſibi in morte adfuturum, eidem prædicit. M.S.Prou.Calab.& Rheg.2.59 Salod.

F. Archangelo à Poliſtena obitum ſuum prænunciat. M.S. Prouinc.Rheg.ibid. Salod.

Paralitico cuidam, tertio poſt ſe die, obiturum prænunciat. M.S.Prou.Calab.& Rheg.2.59.Salod.

Mottæ Philocaſtri, inter prædicandum, palàm obitum ſuum prædicit.Petrac.836. M.S.Prou.Calab.M.S.Prou.Rheg.2.60.Salod.

Ludouicus Sacramentis ſe ante obitum munit. Petrac. 837. Matt.188. Monteflor.103. M.S.Prou. Calab. & Rheg.2.61.

F. Angelus à Calamnia ad illum cum literis mittitur, ac morienti aſſiſtit. M.S.Prouinc.Calab.M.S.Prou.Rheg.2.60. Salod.

Fratres illius obitum lachrymis proſequuntur, cauſámque luctus explicant. Matth.1.185.Monteflor.103.M.S.Prou. Calab.& Rheg.ibid.Salod.

Eximium Ludouici reſponſum, & de futura Reformationis amplitudine vaticinium.Petr.837.Matt.1.186. Monteſl.103. M.S.Prou.Calab.M.S.Prou.Rheg.2.61.Salod.

Ante obitum ſuum Fratres ad Regulæ obſeruantiam, ac virtutes hortatur. Matt.1.185. Montef.103. M.S.Prouinc. Calab.& Rheg.2.60.Salod.

Tertiarius Ludouici Animam, ſtellæ inſtar Cælos penetrantem videt.Petr.837. Matt.1.186. Monteſl.103. M.S.Prou. Calab.M.S.Prou.Rheg.2.61.Salod.

Paraliticus Ferlitenſis Ludouici animam, Cælum petentem aſpicit, & tertio poſt die moritur. M.S. Prou. Calab. & Rheg.ibid.Salod.

Tertiarius inter Obſeruantes degens, Ludouici Animam rectà Cælum conſcendentem moribundus intuetur; móxque migrat è vita. M.S.Prouinc.Calab.M.S. Prou.Rheg.ibid. Salod.

Ingens ad illius corpus populorum concurſus, & deuotio. Petr.838. Matt.1.186. Monteflor.103.M.S. Prou.Calab.& Rheg.ibid.Salod.

Caro illius poſt mortem tenera, ac tractabilis, ſuauiſſimum odorem afflat Petr. Matt.Montef.ibid. M.S.Prou.Calab. M.S.Prou.Rheg.2.62.Salod.

Iis qui eam contingerent, odorem impertiebatur. Petr. Matt. M.S. Prou. Calab.M.S. Prou.Rheg.ibid. Montef.104. Salod.

Attractus, ac Paraliticus ex ſacri illius corporis tactu conualeſcit. Petr.839.Matt.1.187. Monteflor.104. M.S. Prou.Calabr.ibid.Salod.

Claudus abſens ſe Ludouico commendans repentè curatur. M.S.Prou.Calab.

Ciues Rhegini Mottam conueniunt, vt Ludouici corpus armata manu rapiant, ac Rhegium aſportent. M.S Prouinc. Rheg.ibid.Salod.

Conſilium mutant, ac Sanctum Corpus venerantur. M.S. Prou.Rheg.ibid.Salod.

Epiſcopus Nicoterienſis, exequias Ludouico, in Capucinorum Eccleſia cum ſuo Clero celebrat. Monteſl.104.M.S.Prou. Rheg.ibid.Salod.

Poſt tres annos Fratres illius corpus integrũ, incorruptũ albũ, tractabile, ac ſuaue olens reperiunt. Petr.839. Matt.1.187.Montef.104 M.S.Prou.Rheg.ibid.Salod.

Renouatur Populi concurſus, ac mulier quædam dentibus digitum ex illius manu amputat. M.S. Prou. Calab. M.S. Prou.Rheg.ibid.Salod.

Mulierem Deus ob factum flagellat, tum ea digitum reſtituit. M.S.Prou.Calabr.& Rheg.ibid.Salod.

F.Bernardinus Rheginus Concionator, lethali morbo laborans, ex digiti contactu à morbo, & à morte liberatur. M.S. Prou.Rheg.2.63.Salod.

Idem ab alio mortis periculo, ſacro digito ſibi applicato, liber euadit. M.S.Prou.Rheg.ibid.Salod.





Cæſar Zita Pignatellus à molarium dolore, digiti contactu repentè liberatur. M.S.Prou.Calab.6. M.S. Prou.Rheg. in fol.ſeparato.

Franciſcus Zita ab eodem dentium dolore, ſacri digiti tactu ſe liberatum ſentit. M.S.Prou.Calab.6. M.S. Prouinc. Rheg.in fol.ſeparato.

F. Hieronymus à Dinamo B. Ludouici Caputium deferens, illud ſuauiſſimo odore fragrans experitur, & à tentatione præſeruatur. M.S.Prou.Calab.6.

Corpus Ludouici in Sacriſtiam transfertur, & capſa lignea claue obſerrata includitur. M.S. Prouinc. Rheg.2.62. Salod.

Quindecim Sanctorum Fratrum Corpora Mottæ Philocaſtri condita. M.S.Prou.Rheg.2.63.

F. Michaëlis Apruſtenſis virtutes recenſentur, mórſque illius populorum concurſu celebratur. M.S.Prou.Rheg.ibid.

F. Iuniperus à Campo virtutibus inſignis. M.S.Prou.Rheg. ibid.

F. Euſebius à Sancta Catharina ſanctitate illuſtris, cum B. Virgine familiariter colloquitur. M.S.Prou.Rheg.2.63.

F. Franciſcus Titelmanus Romanæ Prouinciæ Prouincialis Vicarius electus.Petr.789. Matt.2.77. Montef.71.M.S. Prou.Brix.A.94.Chron.Fr.Min.p.3.l.9.302.

Ipſius ortus, ac Parentes. Petr.789. Hieron.à Montef.70.

Ad literas addiſcendas ipſius ingenium, ac facilitas. Petrac. Matth.ibid.M.S.Prou.Brix.A.94.

Euſdem in humanis literis mirabilis profectus. Petr.Montef.Matt.M.S.Prou.Brix.A.ibid.

Minorum de Obſeruantia Ordinem ingreditur, ac virtutibus ſtudet.Petr.789.Matt.2.78.Montef.70.

Publicus Haſſellenſis Academiæ profeſſor libros componit, qui enumerantur. Petr.489.& 796. Matt.2.77.& 79.M.S. Prou.Brix.A.94.

In Eraſmum Rotorodamum ſcriptis inuehitur, & Iacobum Fabrum egregiè confutat.Petrac.Monteflor.M.S.Prouinc. Brix.ibid.

Audita Capucinorum fama in Italiam proficiſcitur, cum aliis ad Capucinos migrat, & à Bernardino Aſtenſi recipitur.Matt.2.78.Petr.790.M.S.Prou.Brix.A.94.Montef.70.Chron.Fr.Min.3.par.l.9.302.

Ad ægrotorum curam ſe tranſmitti curat, vt ſeſe profundiùs deijciat. Petr.791.Matt.2.78.Montef.71.M.S. Brix.A.95.Chron.ord.Min.ibid.

Admirabilis ipſius charitas, & humilitas in his miniſteriis deſcribitur. Petr.Montef.M.S.Prouinc. Brix.Chron.ord. ibidem.

Idiotam, ac imperitum ſe ſimulat, vt ſuperbiam opprimat. Petr.791. Matth.2.78. Montef.71. M.S.Prou.Brix. A.95.96.

Quid nonnullis reſponderit, qui illi Voluminum compoſitionem ſuadebant. Petr.347.Chron.ord.Min.3. par.l.9.303.

Dum ægrotorum curæ incumbit, librum componit de exercitiis Religioſorum.Petr.792.

Romanæ Prouinciæ Vicarius Prouincialis eligitur. Petr.789. Montef.72. M.S. Prou.Brix. A.95. Chron.ord.Min.3. par.l.9.303.

Perfectiſſimè in id munus paſtorale incumbit. Petr.792. Montef.73.M.S Prou.Brix. A.96.Chron.ord.ibid.

Paupertatem maximè in Viſitationibus inculcat, quam Religionis fundamentum, & gladium ancipitem vocat. Petr.792.

Fratres ad labores manuum ex Regulæ præcepto prouocat. Petr.793.Matt.2.78.Montef.71.M.S.Prou.Brix.A. 94.

Quibus argumentis id perſuaderet. Petr.Matt.Montef.M S. Prou.Brix.A.ibid.

Caniſtros, & ſportas ipſe cum aliis texit. Petr.795. Matt.2.78.Montef.72. M.S. Prou.Brix.A.95.

Quoniam labores minimè probaret. Petrac.794. Matth. Montef.ibid.

Regulæ intelligentiam claram eſſe quo argumento probat. Montef.71.

Expoſitiones in Regulam quas probaret. Matth.2.78. Montef.71.

Quot in Paſtoris munere virtutibus emicaret. Petrac.795. Matth.2.79.Montef.73.M.S. Prou.Brix.A.96.Chron. ord.Min.3.p.l.9.303.

Ipſius auſteritas quanta. Petr.791.795. Matth.2.79.M.S. Prou.Brix.A 95, Montef.73.Chron.ord.Min.ibid.

Paupertatis amore flagrabat. Petr.795.

Anticoli obitum ſuum Guardiano, & Fratribus prædicit. Chron.Ord.Min.ibid.

Anticoli in morbum incidit, atque in diutino languore ſummam alacritatem oſtendit. Petrac.796. Matth.2.79. Montef.72. M.S. Prou. Brix. A.96. Chron.ord.Min. ibid.

Sacramentis inſtructus ſanctiſſimè moritur, non amplius quàm quadragenarius. Petr.M.S.Prou.Brix.Chron.ord. Min.ibid.Montef.73.

In ſui obitus hora, glorioſus cuidam Bernardino, & Ioanni apparet. Petr.797. Montef.73. Franc.à Canob.in eius vita.

Myſterioſa Ioannis Viſio deſcribitur. Franc.à Canob.in eius Vita. M.S.Prou.Rom.

Habitus ſui ſegmen plurimis ægrotis incolumitatem præſtat. Petr.Montef.ibid.

Mulier à ſanguinis fluxu ipſius meritis liberatur. Petr.797.

Poſt quartum ab ipſius ſepultura annum, corpus album, molle, ac odoriferum in ſepulchro reperitur. Petr.796. Matt.2.79.Montef.74. M.S. Prou.Brix.A.96.

Cùm prius facie ad parietem verſa ſepultus fuiſſet, ad Cælum conuerſa inuenitur. Montef.M.S.Brix.ibid.

Plurimi ad ſepulchrum illius confluentes à morbis liberantur. Petr.798.

Archipresbyter Anticolenſis poſt multos annos, ſacrum corpus in tumulo perluſtrat, & eodem modo integrum, ac odoriferum reperit. Petr.798. Montef.74.

Idem B.Viri manum ſibi admouens, oculi cæci lucem adipiſcitur. Petr. Montef.ibid. M.S. Prou.Rom.

Clariori quàm antea oculorum luce fruitur. Petr.798. M.S. Prou.Rom.

Goſſipij, quod ſacrum corpus attigit, contactu, mulieris oculus penè cœcus ſanatur. M.S.Prou.Rom.

Eodem goſſipio Catharinæ Anticolenſis guttur à morbo curatur. M.S.Prou.Rom.

Sancti huius Viri memoria apud Scriptores illuſtris. Sixtus Senenſ. Bellarm. de ſcriptor. Eccleſ. 254. Gonzag. de orig. Relig. Seraph. p.3. 1160. Toſſinian. in ſua hiſt. l.3.316.

ANNVS CHRISTI. 1538.

Bernardinus Ochinus Venetiis Prædicat, & Monaſterium acceptat. M.S.Prou.Venet.

F. Bonauentura Venetus Ordinis Min. de Obſeruant. quomodo eo Monaſterio potitus fuerit. M.S. Prouinc. Venet.

F. Bonauentura ad habitum Capucinorum migrat, & Monaſterium Capucinis tradit. M.S Prou.Venet.

In Monaſterij fundamentis Vas teſtaceum, S. Franciſci Imagine ornatum reperitur, Caputium quadratum geſtantis. M.S Prou.Venet.

*Genuæ Conuentus S. Barnabæ inchoatur.* Matth.2.16.M.S. Prou.Gen.39.

*Capucini longè antea in Eccleſia S. Columbani Genuæ hoſpitantes Hoſpitali Incurabilium inſeruiunt.* M. S. prou. Genu. 38.

*Capucinorum, qui in Ægrotorum cura eiuſdem Hoſpitalis deceſſerunt, corpora poſt multos annos integra reperiuntur.* M.S.Prou.Gen.38.

*F. Vbertinus ex Oppido Tipherni Metaurenſis, ex Min. Conuentualibus Reformatis cum ſuis omnibus ad Capucinos accedit, & Monaſterium Tipherni illis tradit.* Petr.749. M.S.Prou.March.t.2.124.Salod.

*Reformationis inter Conuentuales Auctores enumerantur.* Petr.M.S.Prou.March.Salod. ibid.

*F. Ioannes à Fano in Oppido Tipherni Metaurenſis prædicat.* Salod.

*F. Marius à Foro Sarſinio cum aliis ad Religionem accedit.* Manuſcrip.Prou.March.t.2.97.

*Generalis Aſtenſis in morbum incidit, Euſebiúſque Anconitanus Generale Capitulum Florentiæ conuocat.* M.S. Prou. Venet.Matt.2.16. Petr.512.Salod.

*Bernardinus Ochinus Generalis eligitur, ipſiúſque qualitates deſcribuntur.* M.S.prou.Venet.Matt.Petrac.ibid.

*Bernardinus Ochinus Religionem toto triennio ſanctè adminiſtrat.* M. S. Prouinc. Venet. Matth.2.16. Petrac. ibid.

*F. Angelus à Caſtro S. Petri cum Socio peſte laborantibus Venetiis miniſtrat.* M.S.Prou.Bonon.tom.1.234.

*Chriſtus vtrique apparens laborum mercedem pollicetur.* M.S.Prou.Bonon.ibid.

*Bononiæ extremum diem vterque obit.* M.S. Prouinc.Bonon. ibid.

*Capucini curam Monialium S. Mariæ in Hieruſalem ſuſcipiunt.* Matt.2.112.Neapol.Sacra.193. Hiſtoria Clericorum Regularium.c.4.24.

*Maria Longa ad Sacram Ædem Lauretanam pro ſalute corporis impetranda defertur.* Matth.2.109.M.S. Prou. Vmbr.M.3.Neap.ſacr.184.hiſt.Cler.Rheg.ibid.

*Sacerdos ignotus Miſſam illi inſolitis cæremoniis celebrat.* Matt.M.S. Prou.Vmbr.Neap.ſacr.Hiſt.Cler.Rheg.ibid. Hiſtoria Lauretana Turſellini.l.2.c.10.

*Miſſa abſoluta ſe toto corpore ſanatam perſentit, Sacerdóſque minimè reperitur.* Matth.M.S. Prou.Vmbr.hiſt. Cler.Rheg.Neap.ſacr.hiſt.Laur.ibid.

*Maria Longa facultates ſuas in vſus pauperum erogat.* Matth.2.109.Neap.ſacr.185.hiſt.Cler.Rheg.c.4.25.

*Incurabilium Hoſpitale in Neapolitana Vrbe, & Monaſterium S. Mariæ in Hieruſalem fundat.* Matth.hiſt. Cler.Reg.ibid. Vide Bullam Paul. III. in Arch.Monaſterij.

*Clerici Theatini primum Monaſterij Curæ incumbunt.* Ex Arch.Cleric.Rheg.S.Pauli Neap.Matt.2.

*Vnde huius Monaſterij Moniales, Capucinarum cognomen acceperint.* Matth.2.112. Bull.Paul. IV. in Arch.Monaſterij.

*Capucini Apoſtolico Diplomate in Capucinarum huius Monaſterij cura confirmantur, ac Diplomatis tenor exaratur.* Archiu.Neap.

## Annvs Christi, 1539.

*F. Ioannes Hiſpanus cum aliis ad Reformationem accedit.* Petr.743.736.778.932. Matth.2.67.90.91.95. Salod.

*Ioannes à Fano Durantij extremum diem obijt.* Petr. 708. Mar.109. Matth.1.208.Monteſl.65.M.S.Prou.Brix. A.195.Montefalcus 439.Salod.

*Fanum Vrbs vnde eo nomine appellata.* Plin.l. 3. c. 5.14. Strab.l.5.

*Ioannis Faneſtris natura ac adoleſcentia laude digna.* Petr. 693. M.S. Prou.Brix.A.189. Monteſl.62. Montefalc. 376.

*Adoleſcens mundum contemnit, & ordinem Min. Obſeruantium ingreditur.* Petr.Montefal.Monteſl.M.S.Brix. ibid. Salod.

*In Religione virtutum ac literarum ſtudioſus, inſignis Prædicator euadit.* Petrac. M. S. Prouinc. Brix. ibidem. Montefal. 177. M. S. Prouinc. March. tom. 2.111. Salod.

*Definitor Picentis Prouinciæ, ac Miniſter ſæpè eligitur.* Petr. M.S.Brix.ibid.Montefal.378. Monteſl.62.M.S.Prou. March.ibid.Salod.

*Ordinis abundantiùs æmulator exiſtens, Matthæum à Baſcio, & Ludouicum Foroſempr. perſequitur.* Petr.693. Marc.46.111.112. Matth.1.79. M.S.Prou.March. tom.2.112. M.S. Prouinc. Brix. A.149. Montefal. 388.

*Capucinorum Reformationi ſeſe adiungit, atque in eam prius acta quotidianis lachrymis abſtergit.* Petrac.695. Mar. 101. Matth.1.199. M.S. Prouinc.Brix. A. Salod.

*In Scandriliæ locum ſecedit, & incredibili auſteritate nouum vitæ tyrocinium inſtituit.* Petr.695. Matt.1.200. Mar. 102.Montefal.414.Salod.

*In hac ſolitudine nonnulla opuſcula componit, & Dialogum aduerſus Capucinos editum retractat.* Petrac. Matth. Mar.Montefal.Salod. ibid. M.S.Prouinc.March.tom.2. 112.

*Literis, ac voce, contumelias in Reformationem effuſas abſtergit.* Petr.696.& 704. Mar.102. Matth.1.201. Montefal.415.Salod.

*Niſi Capucinorum habitum ſuſcepiſſet, fatetur, quòd Deo nunquam pro illatis Reformationi iniuriis ſatisfeciſſet.* Petr.703.M.S.Prou.March.ibid.Salod.

*A Ludouico Commiſſarius Generalis inſtituitur, & ad Venetos, Mediolanenſéſque mittitur.* Petr.697.Matth.1.201. Mar.102. M.S. Prouinc. Brix.A.191. Montefal.430. Salod.

*Bergomi, & Brixiæ Monaſteria ædificat.* Matth. 1.203. Salod.

*Brixiæ Dei verbum Epiſcopo poſtulante diſſeminat.* Matt.1. 204.Petr.702.Salod.

*Nobilis Viri, qui ſe, eo viſo, Cruce ſignat, occurſus narratur, & Ioannis humilitas explicatur.* Petr. 702. Mar. 103. Matt. 1. 200. Salod.

*Publicè ab eo in Capucinos dicta Brixiæ retractat.* Petr. 703. Matt. 1. 201. Mar. 103. Salod.

*Cùm Hieronymo Miano Congregationis Somaſchæ fundatore amicitias iungit, & cum eo Domum Orphanorum inſtituit.* Matth. 1. 204. Salod.

*Mediolanum proficiſcitur, & Conuentum Sancti Ioannis ad Viperam extruit.* Matth.1.205. M.S. Prouinc. Mediol. Salod.

*Veronam profectus amens cum Socio reputatur, atque indigna ab Opificibus, & à pueris patitur.* Petrac. 697. Matth. 1. 202. Mar. 103. Montefal. 430. Salod.

*Improbus ac facinoroſus deinde exiſtimatur, ac ſacra facere interdicitur.* Montefal. 471. Monteſl. 63.

*Mira in his Ioannis, & Socij patientia declaratur.* Petr. 697. Matt. 1. 201. Montefal. 430. Monteſl. 63. Salodiens.





*Ioanni ad Epiſcopum aditus diù intercluditur.* Monteſl.63. Montefal.431.

*Tandem ad Epiſcopum introducitur, à quo Vir prudens agnoſcitur.* petr.698. Matt.1.203. Marc.104. Monteſl. 63 Montefal.432.

*Ab Epiſcopo rogatus Veronæ prædicat, vbi incredibiles ad pœnitentiam motus in populis excitat.* Mar.104.petrac. 698.Matt.1.203. Montefal.433.

*In platea illi ſuggeſtus erigitur, maximámque populorũ multitudinem ad lachrymas, & pœnitentiam prouocat.* Petr. Marc.Matth.ibid. M.S. Prou. Venet.156. Montefal. 433.

*Monaſterium Veronæ, ac Beuoloni ædificat.* M.S.Prou.Ven. 157 petr.699.Matt.1.203.Mar.104.Montefal.433.

*In Conuentu Beuoloni, cum Fratribus nive obſeſſis victus defeciſſet, iis Deus miraculosè prouidet.* M.S.Prou.Ven.157. & 120.Salod.

*Romam Ioannes ad Comitia proficiſcitur, & Generalis Definitor eligitur.* Salod.

*Mantuam pergit, & Monaſterium Marmiroli extruit.* M.S.Prou.Ven.157.Salod.

*A Bernardino Aſtenſi Generali prius in Venetam, deinde in picentem prouinciam deſtinatur.* M.S. Prouinc.Ven.158. Salod.

*Ioannis magna in dicendo Vis Bernardini Generalis teſtimonio, & exemplo illuſtratur.* Petrac.700. Marc.105. Monteſl.64 Salod.

*Senis prædicat, & Concionatorem hæreſim prædicantem impugnat*, petr.701.Salod.

*In piceni prouincia Vicarius prouincialis eligitur, & Biturgiæ prædicans, Vrbis calamitates prædicit.* petr.701. Matth.1. 207.Mar.105.Monteſl.64.Montefal.436.

*In Conuentu Montis Caſalis, quid Fratri ſibi iuuentutem depoſcenti reſponderit.* petr.697. Monteſl.65. Montefal. 435.Salod.

*Prouincialis Vicarius, verbo, & exemplo diligentiſſimè id munus exercet.* Matt.1.207. Mar.105.M.S.prou. Marc. t.2.112.

*Quid de Orationis neceſſitate ſentiret.* Petr.705.Salod.

*Brixiæ dum Fratribus ſermocinatur, S.P. Franc. apparens Fratribus benedicit.* Matth.1.206. M.S. Prou. Mediol. 141.Salod.

*Bergomi B. P. Franciſcus eodem ſermocinante, Fratribus benedicens apparet.* M.S.Prou.Brix.A.252.Salod.

*Bergomi, dum Fratres in Oratione ſomno corripiuntur, Æthyops timpanum pulſans à Fratre orante conſpicitur.* Matth.1.206. Salod.

*Ibidem B. P. Franciſcus, dum prima à Sacerdote Miſſa celebratur, Fratribus benedicens apparet.* M. S. Prou.Brix. 22.252.Salod.

*Ioannes in Oppido Tipherni Metaurenſis prædicans, ſuo vitæ exemplo, Minores Conuentuales ad Capucinorum Reformationem amplectendam prouocat.* M.S. Prou.Marc. t.2. 114.Salod.

*In febrem quartanam incidit, & Durantij prædicat, vbi à Pleuriditis morbo ad mortem laborat.* Petr.707.Matth.1. 208.Marc.108.Monteſl.65.Montefal.437.Salod.

*Ad vitæ finem appropinquans, ſacramentáque deuotè ſuſcipiens, Deo gratias agit, ac in Domino obdormit.* petrac. 708.Matth.1.208.Marc.109. Monteſl.65. Montefal. 437.Salod.

*Apud Minores Conuentuales ſepelitur, vbi, & miraculis coruſcat, tabellæq; ad illius ſepulchrum appenduntur.* Petrac.708.Matth.1.208.Mar.109. Monteſl.65.Montefal.438.Salod.

*Vrbs Faneſtris pro vendicando ſibi Ioannis corpore laborat.* Petrac.Marc.Salod.ibid.

*F. Bernardus Foroſempronianus ex ſæculari Capucinus, Laïcus virtutibus emicat.* Petr.634. Matt.1.116. Marc. 71.M.S. Prou.Brix. A.24. M.S.Prou. March. tom.2. 121.

*Auſteritate, ac ſui ipſius contemptu admirabilis.* Petr.636. Matt.1.117.Mar.71.

*In orationibus frequentiſſimus, ac præſertim in Paſſionis Domini meditatione aſſiduus.* Petr.634. M.S. Prou.March. t.2.122.

*Tanto eiulatu Domini paſſionem in nemore deflet, vt ſæculares ad lachrymas commoueat.* Petr.637. Matth.1.117. Salod.

*Ipſius erga Pauperes charitas exemplo commendatur.* M.S. Prou.March.t.2.121.

*Flagellationem quinque horarum ſpatio exercet.* Petrac.639. Matt.ibid.Mar.71.M.S.Prouinc.Brix.24.M.S.Prou. March.t.2.122.Chron.3.par.299.

*Macerata mortalem cum immortali vita deuotiſſimè commutat.* Petrac.639.Matth.ibid.Marc.72.M.S. Prouinc. Brix. A.25. M.S. Prouinc. March. ibid. Chron. ord. ibid.

*F. Donatus Laïcus omnium virtutum laude clarus.* M. S. Prouinc. Hydruntinæ.t.2.112.

*Orationis, ac paupertatis amantiſſimus, cum B. Virgine ſæpè confabulatur.* M.S.Prou.Hydrunt.ibid.

*Aletij in Hydruntina Prouinc. moritur.* M. S. Prouinc. Hydr. ibid.

*In ipſius obitu magnus fit populorum concurſus, & corpus illius ſuauiſſimo odore fragrat.* M. S. Prouinc. Hydr. tom.2.112.

## Annvs Christi, 1540.

*F. Marianus à Nebbia ab Ochino in Corſicam mittitur* M.S Prou.Corſ.16.46.55.

*In Dei verbo diſſeminando laborat, & feroces homines à vindictis, ac odiis reuocat.* Chron.Corſ.Ant.Petr.Philip. M.S.Prou.Corſ.36.

*Ipſius prædicatione, ac præclaris vitæ exemplis, Inſula, fugatis odiis ad pacem reuocatur.* Chron.Corſ. M.S. Prouinc. Corſ.16.

*Monaſteria Baſtiæ, atque aliis in locis ædificat.* Chron.Corſ. M.S.Prou.Corſ.35.

*Ex F. Mariani tumulo flos miræ pulchritudinis exoritur, quo plerique à morbis ſanantur.* M. S. Prouinc. Corſ.35.

*In Pedemontana regione Monaſteria à Capucinis ædificata.* M. S. Prouinc.Genu. 292.

*Monaſterium Montiſregalis hoc anno conditum.* M.S.Prou. Genuen.

*Caroli Droſij in Populum tyrannis.* M.S. Prou. Gen.292.

*F. Ioannes Baptiſta Florentinus in Vrbe Monte regali prædicat, & Carolum increpat.* M. S. Prouinc. Genuen. 292.

*Publicè illius tyrannidem arguit.* Matth.M.S.Prouinc. Gen. ibid.

*Carolus illi per Nuncios comminatur, cui Io: Baptiſta ſuauiter reſpondet.* M.S.Prou. Genu. ibidem.

*Ioannis Baptiſtæ ad Chriſtum verba pro ſuggeſtu.* M.S.Prou. Genu. ibid.

*Chriſti Crucifixi imago faciem in alteram partem inflectit, ac tyrannum terret.* M.S.Prou.Gen. 293.

*Ioannes Baptiſta Arcem fulmine proſternendam prænunciat* M.S Prou. Genu.293.

*Fulmen è nube erumpens paulò poſt Arcem deijcit, & multos interficit.* M.S.Prou. Gen. ibid.

*Carolus in conflictu Cereſolico infeliciter perit. M. S.* Prou. *Genu.ibid.*

*F. Angelus Senenſis Monaſterium Senis abſoluta poteſtate ædificat, ac paupertatis terminos excedit. M.S. Prouinc. Brix.A.*109.

*De exceſſu à Prouinciali Vicario admonetur, cuius monita ſpernit.M.S.Brix.A.*109.

*F. Angelus in grauem, ac lethalem morbum incidit, & in ſui obitus hora, ingens tempeſtas circa Monaſterium oritur, quæ Fratres perterret. M.S.Prou.Brix.A.*109.

*F. Angelus in ea tempeſtate moritur, nemine ſibi in obitu aſſiſtente. M.S.Prou.Brix.ibid.*

*Narniæ F. Syluester quædam diruit, & iterum curioſius ædificat.M.S.Prou.Brix.A.*108.

*In morbum incidit, & extemplò horrendos mugitus edit. M.S.Prou.Brix.ibid.*

*Inter mugitus manus per parietem ducit, quaſi ædificaret, & abſque Sacramentis obit.M.S.Prou.Brix.A.*109.

*In Conuentu Schij apud Vicentinos, Fratres niue obſeſſi omni alimento carent.M.S.Prou.Ven.M.*102.157.

*Ad Deum in oratione confugiunt, & Corbem pane calido, ac recenti plenam in Refectorio reperiunt. M.S.Prouinc. Venet.ibid.*

*Panis ille in Corbe non minuitur, donec via ad victus mendicationem aperitur. M.S.Prou.Venet.V.*13.

*Nouitio in Conuentu Potentiæ Lac diuinitùs adminiſtratur. M S.Prou.Lucaniæ.* 162.

*F. Petrus Tudertinus, inter Obſeruantes Nouitiorum Magiſter, ad Capucinos migrans, alios ſuo exemplo ad idem prouocat.Petrac.*476.*Monteſl.*91.*Salod.*

*Auſteritatis atque abſtinentiæ ſtudioſus, quid de carnium, ac ciborum lautiorum vſu ſentiret. Petr.*877.*Salod.*

*Paſſionis Chriſti aſſiduus meditator cilitium gerebat, ac tentatis, & afflictis mirum in modum compatiebatur. Petrac.* 878.

*Quorundam condemnatorum corpora clàm noctè ſepelit.Petr.* 870.*Salod.*

*Guardianus Fulginium Miſſus obitum ſuum prænunciat. Petr.*879.*Monteſl.*91 *Salod.*

*Nepoti ſæculari glorioſus, ac ſplendidus poſt mortem apparet. & illi diem obitus prædicit.* Petrac.880. *Monteſl.* 91. *Salod.*

*Die præſtituta apparens, animam Nepotis ſecum in Cælum ducit.*Petr.881.*Monteſl.*92.*Salod.*

Poſt *quartum annum, corpus illius in ſepulchro ſuauiſſimum odorem emittit.*Petr.879.*Monteſl.*91.*Salod.*

*Bernardini Ochini maxima apud Pontificem, & apud omnes exiſtimatio.* Petr.519.*Matth.*2.16.*M.S.Brix. A.*106. *Salod.*

*Ochinus illuſtriſſimus huius tempeſtatis* Prædicator *habetur. Petr.*516. *Matth.*2.16. M.S. Prouinc. *Brix.Salod. ibid.*

*Certant* Principes, *ac* Populi, *vt Ochinum prædicatorem habeant, ac nonniſi Apoſtolico diplomate obtinent.* Petr. 516. *Matt.*2.16.*Salod.*

*Mira in prædicatione ad animorum commotionem operatur. Petr.*517.*Salod.*

Perfidiæ *odia omnia, ac inimicitias prædicando iugulat.* Petr. 519. *Salod.*

*Neapoli magnam pecuniæ ſummam, pro pio opere à* populo *in prædicatione impetrat.*Petr.517.*Salod.*

*In Religione adminiſtranda prudens, atque vtilis ab omnibus habetur.* Petrac.516.Matth.2.16.*Mar.*179. *M.S.Brix. A.*106.*Salod.*


## ANNVS CHRISTI. 1541.


*OChinus Generalis quartum Generale Capitulum Neapoli indicit.* Petr.520.& 1377.*Matth.*2.16. *M.S. Brix. A.*111.*Salod.*

*Bernardinus Aſtenſis ſe à Generalatus munere obeundo excuſat,* M.S. Prouinc.*Rom. D.*60. M. S. Prouinc. *Brixiæ. A.*112.

*Ochinus in Generalatus officio confirmatur.* Petr.522. Matt. 2.16. *Marc.*179. *M.S.* Prou. *Brix.A.*19. *M.S. Prou. Rom.D.*44.*Salod.*

*Ochinus Generalatum reſpuit.* Petr.522.*Salod.*

Perſuadent patres, *vt electioni aſſenſum præbeat, ac tandem aſſentitur.*Petr.522.M.S.prou.*Rom.D.*44.*Salod.*

*Quorſum Ochinus Generalatus officium reſpueret, variæ ſententiæ.*Petr.522.M.S.Prou.*Rom.ibid.Salod.*

*Ochinus Neapoli primùm hæreſim haurit à Doctore quodam Hiſpano.*Petr.521.Matt.2.18.*Salod.*

*Valdeſius Doctor Hiſpanus Hæreticus hæreſim clam diſſeminat. Matt.ibid.*

*Cum eo Ochinus arcto amicitiæ vinculo iungitur, & ab eo in fide corrumpitur.*Petr.*Matth.ibid.Salod.*

*Hæreticos libros illi legendos offert Valdeſius, vt magis in errore confirmet.Salod.*

*Ochinus lectis hæreticorum Libris, magis in hæreſi ſtabilitur. Salod.*

*Ochinus Orationem intermittit, ac res diuinas nauſeat.* Petr. *Matt.ibid.M.S.*P.ou.*Brix.A.Salod.*

*A F. Alberto Neapolitano ob id reprehenditur.* M. S. *Prou. Vmbr.E.*447.*Salod.*

*Ab Auguſtino Senenſi propter eandem cauſam corripitur, atque ipſius lapus prænunciatur.Matt.*2.22.*Salod.*

*A Bernardino quoque Aſtenſi benignè carpitur, ob Orationis, & Chori intermiſſionem, & quid ille reſponderit, narratur.Matth.*2.18.*Salod.*

*Ochinus ob frequentia negotia, ab Horis diuinis perſoluendis à* Pontifice *diſpenſatur.Matt.ibid.Salod.*

*F. Humilis Officianus virtutibus, ac præſertim humilitate clarus.*Petrac.754.

*In Oratione aſſiduus, ac Dominicæ præſertim* Paſſionis *deplorator. Petr.*755.

*Quàm is otium fugeret, ac diuinis rebus vacaret, illius dictum declarat.* Petrac.*ibid.*

Prædicator *magno cum feruore Dei Verbum diſſeminat, & paces componit.Petrac.*754.

*Vitæ auſteritatem, ac paupertatem tam in victu, quàm in veſtitu colit.* Petrac.756.

*Quotidie ieiunans, ſæpè in pane, & aqua victitat.* Petrac. *ibid.*

Plurimas *à Deo reuelationes accipit.*petr.755.

*F. Antonium Vlyſſiponenſem Neapolim proficiſcentem comitatur.*pet.756.

*In Cœnobio Monachorum Montis Caſſini in morbum incidit. Petrac.ibid.*

*Ibi magna cum Monachorum ædificatione extremum diem claudit.Petrac.ibid.*

*Ipſius corpus in communi ſepulchro conditum, poſt multos annos integrum reperitur.* Petr.*ibid.*

*Ioannis de Via, Laici, vita, & mors commendantur. M.S.* Prou.*Vmbr.M.*163.

*Vincentius Calaritanus Laicus, in morte B.Virg. conſpicit. M.S.*Prou.*Sicul.*22.




## ANNVS CHRISTI. 1542.


PAulus III. *Pontifex maximus Generale Concilium indicit, in Vrbe Tridentina. Concil. Trident. in Bulla indiction.*

*Ochinus Venetiis prædicat, ac hæreſim callidè diſſeminat.*Petr. 522.*Mar.*179.M.S. Prou.*Brix.ibid. M.S.* Prou.*Venet.* 160. M.S.Prou.*Rom.D.*48.*Salod.*

*Ochinus in ſermone potens, ac facundus.* M. S. Prouinc. *Brix.ibid.*Salod.

*Venetiarum Vrbs prudentibus, ac Catholicis Viris fœcunda.* M.S.prou.*Brix.A.*118. *Salod.*

*Ochinus velut hæreſis ſuſpectus ad Nuncium Apoſtolicum defertur.*M.S.Prou.*Brix.Mar.ibid.*

*Inquiſitionis officium poſt Tridentinum Concilium Venetiis introductum.*M.S.Prou.*Venet.*160.

*Coram Apoſtolico Nuncio Ochinus obiecta diluit, & Catholica interpretatione abſtergit.Salod.*

*Iterum hæreticas voces effundit, & ab Apoſtolico Nuncio à* Prædicatione *ſuſpenditur. M.S.* Prouinc. *Brix. A.*118. *Mar.*179.

*Iulius Mediolanenſis hæreticus in Carcerem Venetiis conijcitur, tum ad Hæreticos fugit.* Petr.521. *M.S.* Prou.*Brix. A.Mar.ibid.*

Petrus *Martyr Lucenſis à Valdeſio* Doctore *corruptus.Matt.* 2.18.

*Ochinus Reipublicæ Venetæ opera, prædicationi poſt triduum reſtituitur, & cautius agit. M.S.* Prou. *Brix.A.Marc. ibidem.*

*Ochinus Veronam ſe confert, ac collectis vndique* Prædicatoribus *B.Pauli Epiſtolas legit, atque hæretico ſenſu interpretatur.*Mar.180.*Matt.*2.22.23.M.S. Prou.*Ven.*160. M.S.Prou.*Brixiæ.A.*118.*Salod.*

*Diſcipulos pauciſſimos hæretica doctrina corrumpit.* M. S. prou.*Brix.M.S.*Prou.*Ven.ibid.*

Pontifex *de hæretica Ochini doctrina certior factus, vix credit.*Mar.180.M.S.Prou.*Brix.ibid.*

Pontifex *erga Ochinum benè affectus, ipſius honori conſulit.* Petr.522.Mar.180.

*Ochinus Romam procuratoris Generalis Literis,* Pontificis *nomine vocatur.* Petrac.Mar.*ibid.Matt.*2.22.M.S.Prou. *Brix.ibid.Salod.*

*Ochinus Romanam profectionem differt, tandem Florentiam proficiſcitur.* Petr.*Matth. Marc.ibid.*M.S.Prouinc.*Brix. A.*119.*Salod.*

Petrum *Martyrem Florentiæ alloquitur, qui Romanum iter illi diſſuadet, & ad Hæreticos prouocat.* Petr.523. *Matt.* 2.22.23.*Mar.*M.S.*Brix. A.ibid.Salod.*

Petrus *Martyr pecunias Ochino offert.* petr. *Matth. Mar.* M.S.Prou.*Brix.Salod.ibid.*

*Ochinus conſilium mutat, & Geneuam proficiſci deliberat.* Petr.*Matt.Mar.M.S.Prou.Brix.ibid.M.S.Prou.Venet.* 160.*Salod.*

*Ochini caſus Nouitio in viſione oſtenditur.Petr.*526. *Matt.* 2.20.*Monteſl.*24. *M.S.*Prou.*Brix.A.*116.*M.S.* Prou. *Rom.D.*50.*Salod.*

*Gratianus Nouitius vſque ad Matutinas horas in oratione perſeuerat. Petr.*527.*Mat.*2.20.*Monteſl.*24.M.S.Prou. *Brix.A.*116.*M.S.*Prou.*Rom.*50.*Salod.*

*Fratrum Beatorum ſupplicationem Eccleſiam ingredientem videt, qui diuina officia ante ſepulchrum perſoluunt. Petr. Matth.*Monteſl.*M.S.Prou.Brix.*M.S. *Prou.Rom. ibid. Salod.*

*Myſteriorum explicationem ab iis accipit, quam Magiſtro aperit.* Petr.527.*Matt.*2.21.*Monteſl.*43.*M.S.Prouinc. Brix. A.*117 *M.S.Prou.Rom.*51.*Salod.*

*Sanctorum Defunctorum corpora, quanto in honore apud Deum habeantur. Petr.*527.*Matt.Monteſl.M.S.* Prou. *Brix.M.S.*Prou.*Rom.ibid.*

*Horas Diuinas moroſius in Choro decantandas audit. Petr. Matth. Monteſl.M.S. Brix.* M.S. *Rom.* Prouinc.*ibid. Salod.*

*Franciſcus Æſinus tunc Fulginij Guardianus. Matth.*2.20. *Monteſl.*42. M.S. *Prou.*Brix. *A.*116. M.S. *Prouinc. Rom.*50.

*Magna Religioni tribulatio imminens Gratiano prænunciatur.*Petrac.528.*Matt.*2.21. Monteſl.43.M.S. *Prou.*Brix. *A.*117.M.S.*Prou.Rom.*51.*Salod.*

*Ochini poſt duos menſes lapſus. Petr.Matt.*M.S *Rom.*Prou. *ibid.*Monteſl.44.M.S.Prou Brix.*A.*118.*Salod.*

*Ochini, ac cæterorum lapſus Fratri Antonio* Pinarolienſi *ſub montis, ac Refectorij myſterio ante quadriennium demonſtratur.Matt.ibid.Salod.*

*Tota Viſio narratur, & explanatur.*Matt.*Salod.ibid.*

*F.Franciſcus a* Palemone *Ochini caſum, & ad Hæreticos fugam in extaſi videt.* M. S. Prouinc. *Rheg. tom.* 2. 74. Salod.

*F. Antonio Hiſpano idem Ochini lapſus in oratione diuinitus reuelatur. M.S.* Prouinc.*ſancti Angeli.* t.1. 87. Salod.

*Ochini occaſus Dei propenſiorem in Religionem curam commendat.Matth.*.2.23.*Salod.*

*Ochinus ſub pietatis pretextu F. Marianum ſibi ſocium aſſumit.*Petr.523.*Matth.*2.23. *Marc.*181. M.S. Prouinc. Brix. *A.*119.*Salod.*

*F. Marianus à Quintiano in pauperes pius, pallium proprium pauperi largitur. M.S.* Prouinc. *Etrur. E.*11. *Salod.*

*F. Marianus Ochini dolo circumuentus, eum Genuam proficiſcentem comitatur.* Petrac.523. *Mar.*181.*M.S.* Prou. Brix.*A.*120 *Salod.*

*Ochinus cum Mariano F.Franciſcum Fratrem, & Iuniperum ſocios habet.Petr.*523 *Matt.*2.23.*Salod.*

*Ochinus in Alpium iugo fugam ſuam verbis deplorat.Petr.* 524.*Marc.*183.M.S.Prou.Brix.*A.*121 *Salod.*

*Religionis Capucinorum immeritas anguſtias luget. Petrac. Mar.*M.S.P ou.Brix.*Salod.ibid.*

*F.* Marianus *Ochini Lamenta percipit, & cum ipſo de dolo machinato conqueritur. Petr.*525.*Marc.*584.M.S.Prou. Brix.*A.*121 *Salod.*

*Ochinum Marianus à propoſito reuocare conatur. Petr.*525. *Marc.M.S* Prou.*Brix.ibid Salod.*

Marianus *atteſtationem de fraude ſibi illata ab Ochino poſtulat, & recipit.* Petrac.*Marc.*M.S.prouinc. *Brix. Salod ibid.*

*Religionis ab Ochino ſigillum accipit, & Venetias ad Prouincialem defert. Matth.*2.24.*Marc.*185. M.S. *Brix. A. ibid.*Salod.

*Vehemens Religionis luctus ab Ochini fugam explicatur. Marc.*185.*M.S.*prou.*Brix.A.*122.

Prouincialis *Venetus Religionis ſigillum ad Bernardinum Aſtenſem defert.Matt.*2.24.*Marc.*185.M.*S.*Prou.*Brix.* 122.M.*S.*prou.*Venet.*162.*Salod.*

*Bernardinus Aſtenſis* Patres *congregat, & cum iis de agendis conſilium init.Matt.ibid.*M.S.*Brix.A.*123.*Salod.*

*Patrum Decreto, orationes ac ſupplicationes in tota Religione inſtituuntur.*Matth.M.S.*Prou.Brix.Sal.ibid.*

*Inquiſitiones diligentiſſimæ ſiunt vbique de his, qui hæreſi contaminati eſſent. Matth. M. S. Brix. Salod. ibid.*

*F.Hieronymus* Melphitenſis *primus ad Hæreticos transfugit. Mat.*2.24.*M.S* Prou.*Venet.ibid.Salod.*

*Ad Germanos profectus, ſe vltrò flammis comburendum tradit. Matth.ibid.Salod.*

*F. Bartholomæus à Cunio Veronæ Guardianus ab Ochino corruptus, Veronæ hæreſim prædicat, & in carcerem ab Epiſcopo detruditur. M.S.*Prou.*Venet.*162.*Salod.*

*F. Franciſcus Calaber* Prouincialis, *Mediolani ab hæreſi reſipiſcit. Matt.*2.24.*M.S.*Prou.*Rom.D.*61.

*Multi hoc tempore ambitionis ſpiritu ad Religionem ducti, Religionem deſerunt, & ad priſtinas redeunt. Matt.ibid. Salod.*

*Qui hæreſi corrupti à Religione defecerunt, numero pauciſſimi. Salod.*

*Religio Capucinorum tot Filios ſibi ſublatos luget.* Petr.532. *M.S.*Prou:*Brix. A.*124.*Mar.*191.*Matt.*2.26.

*Ochinus Apologiam è Geneuenſi Urbe ad pontificem ſcribit, vndique calumniis fœtentem. Marc.*185. *Matth.*2.25. *Salod.*

Pontifex *Apologia accepta, ad Religionis totius interitum animum confert.* Petr.528. *Mar.*189. Matt.*ibid. M.S. Prou.Brix.A.*123.

*Ochini lapſus fama per* Chriſtianum *Orbem diffuſa, vbique Capucinos exoſos reddit, & hæreſis ſuſpectos.* Petr.504. *Matth.*2.26.*M.S.Brix.ibid.Sal.*

*Capucini digito demonſtrãtur, iis q; eleemoſynæ à populis vbique ferè denegantur.* Petrac.*Matt.M.S.* Prou.*Brix.ibid. Salod.Mar.*190.

*Religionis Æmuli tunc maximè* Capucinis *inſultant.* petr. 534. *Matt.*2.25. *Mar.*189. *M.S.* Prou.*Brix. A.*123. *Salod.*

*Capucinos publicè hæreticos, & hypocritas appellant, in eóſque populos concitant.* Petr.*Matth. Mar. M.S.*Prou.*Brix. Salod.ibid.*

*Capucinorum Amici, ac fautores vix illos agnoſcunt, aut verbis conſolantur.* Petr.540.*Matt.*2.26. *M.S.*Prou. *Brix. ibid.Salod.*

*F. Timothæus coram* pontifice *Bernardinum Aſtenſem accuſat, ac Religionem velut hæreſis infectam diffamat. Matt.* 2.25.*M.S.*Prou.*Brix. A.ibid. Mar.*189.*Salod.*

*Bernardinus Aſtenſis Dei vindictam Timothæo prædicit. M. S.Prou.Brix.A.ibid.*Salod.

*Coram Cardinali* Protectore *obiecta diluit, ac Religionem excuſat. Matth.*2.25 *Salod.*

*F. Timothæus ad Obſeruantium Ordinem rediens, proprietarij crimine conuictus punitur, ac demùm Apoſtata moritur. Matt.*2.26.

Pontifex Peruſia *Romam redit, & Capucinis in itinere extinctionem minatur. Matt.*2.25. *Mar.*190. *M.S.* Prou. *Brix. A.*123.

*Religio* Capucinorum Pontificis *minis perterrita, orationes ac lachrymas coram Deo multiplicat. Matt.*2.26.*Marc.* 191.*Salod.*

*Religionem Deus multiplici viſione conſolatur, ne animum deſpondeat. Matt.ibid.*M.S Prou.*Rom.D.*49.*Salod.*

*Viſio mulieris tertij Ordinis in* Conuentu Porcariæ *narratur.* Matt.2.27.M.S.*Prou.Umbr.E.*569.*Salod.*

*F. Bonauentura Cremonenſis pro Religione orans, ac lachrymas fundens, à B.Virgine confortatur.* Petr.874. Matt.2. 101. M.S. *Prou. Brix. A.*145. M.S. Prou. *Rom. D.*49. *Salod.*

*Beata Virgo, Capucinorum Religionem maximè Filio ſuo dilectam eſſe aſſirmat.* Petr.*Matt.*M.S.prou.*Brix. & Rom. Salod.ibid.*

*Quare Religioni ea tribulatio immiſſa fuerit, eidem declarat.* petrac Matth.M.S.Prouinc.*Brix. & Rom. Salod. ibid.*

*Franciſcus Æſinus maximè in ea anguſtia Fratres conſolatur.* petr.641.Matth.2.26.*Salod.*

*Camaldulenſes* patres *Religionis malo compatientes, pro ea Deum rogant.* petr.*ibid. Salod.*

*Moniales Monaſterij S. Mariæ in Hieruſalem, Neapoli aſſiduas pro Religione lachrymas, ac carnis macerationes Deo offerunt.* petr.542.*Salod.*

*Maria Longa Neapoli Hoſpitalem Incurabilium* Domum *fundat, atque illius ſe obſequiis mancipat. Matth.*2.119. M.*S.*prou.*Umbr.*M.1.*Ex Arch.Cler.Rheg.*S.paul.*Neap. & Neap.ſacr.*

*In oratione plurima à Deo luce perfunditur, ita vt futura nonnunquam prædiceret. Matth.*2.110.

*Scripturas, etſi ineruditа, profundè intelligit, & interpretatur. Matt.M.S.*Prou.*Umb.ibid.*

Crebris *abſtinentiis, ac victus parcitate carnem domat.*Matt. M.S.*Prou.Umb.ibid.*

Pane *in Hoſpitali deficiente, Deus miraculo Ægrotis prouidet. Matth.*M.S.prou. *Umbr.ibid. Ex Arch.Cler. Rheg. Neap.S.paul.*

*Mariæ Oratione, Arca priùs pane vacua, plena inuenitur. Matt.*M.S.prou.*Umb.ibid.Ex Arch.*S.paul.

*Mulierem Meretricem bis ſumma charitate curat, eámque vt à peccato abſtineat, ſupplex orat. Matth.ibid.*

*Illa in peccato perſiſtente, Maria à* Deo *impetrat, nè vlterius* Dei *Maieſtatem offendat. Matt.ibid.*

*Mariæ chariſſima Soror peſtilentia laborans, ipſius oratione priſtinæ ſanitati reſtituitur.* Matt.2.111.

*Frequenter Lupanaria viſitans,* Meretrices *piis ſermonibus ad meliorem vitæ frugem prouocat. Matt.ibid.*

*Meretrices conuerſas honeſtis Viris collocat, vel in Hoſpitalem Domum ducit.* Matt.*ibid.*

Meretrices *in peccato pertinaces pretio compellit, vt die ſaltem Veneris à turpi quæſtu abſtineant. Matt.ibid.*

*Pro Defunctis ſuffragia in Veſpere, in Incurabilium Domo inſtituit. Matt.ibid.*M.S.*Prou.Umbr.*M.1.

*Confraternitas Oratorij ſanctæ* Mariæ *ſuccurre miſeris, Neapoli pro Hoſpitali Incurabilium Domo eleemoſynam quærit.* Matt.2.109.M.*S.*Prou.*Umb.*M.

Maria *à Domus Hoſpitalis adminiſtratione ſe ſubtrahere cogitat.* Matt.*M.S.* Prou.*Umb.ibid.*

Dei *voluntatem in Oratione exquirens, Dei ipſius vocem audit, eam ab eo conſilio reuocantem.* Matth. M.S. Prouinc. *Umb.ibid.*

*Capucini Neapolim aduentantes, ab ea Hoſpitio excipiuntur, & adiuuantur. Matt.*2.111.M.S.prou.*Umb.M.*2.

*Ieroſolymam cùm proficiſci deuotionis cauſa optaret, à Deo reuelationem accipit; vt* Monaſterium *ſub ſanctæ Mariæ in Ieruſalem titulo ædificet.* Mat.2.112.M.*S.Prou.Umb.ib.*

Maria M*onaſterium Virginum extruit, ac Domus Incurabilium adminiſtrationem Termulanorum Duciſſæ relinquit.* Matt.2.111.112.M.S.Prou.*Umb.ibid.*

Maria *Aerba Termulanorum Duciſſa, Longæ hortationibus ad pia opera conuertitur.* Matth.2.iij.

Maria *Longa cum duodecim Virginibus, Regulam* S. *Franciſci tertij Ordinis, ſub directione Regulæ ſanctæ Claræ profitetur.* Matth. *ibid.*Bull.*in Arch.*Monaſt.

Patres *Theatini Neapolim aduentantes, Domum* Monaſterio *contiguam à* Maria *accipiunt, &* Monaſterij *curã ſuſcipiunt. Matth. ibid.* M. *S.*prou. *Umb.* M. 3. *Ex Ariſt.* S.Paul. *Cleric.Regul.Neapol.*

*B. Caietanus Thiene per quatuor ferè annos* Monaſterij *illius curam gerit.* M.S. Prou. *Umb. ibidem. Ex Archiu.* S. Paul.

*Theatinis* Patribus *in S.* Paulum *translatis, Capucinos* Mariæ *ad* Monaſterij *curam vocat.* M.S.Prou.*Umb. ex Archiu.*S.Paul.*ibid.*







*Capucinorum opera & exemplo Mariæ, atque illius Monaſterij Virgines, arctam S. Claræ Regulam profitentur, & Capucinæ appellantur. Matth.*2.112.

*Monialium huius* Monaſterij *exemplaris vita deſcribitur. Matth.ibid. Neap.ſacr.*192 M.S.Prou.*Umbr.*

*Maria antiqua illa corporis ægritudine corripitur. Matth. M. S.* Prou. *Umbr. M. ibidem.*

*Sacra Euchariſtia refecta, tota in Deum abſorpta videtur. Matt.*2.112.M.S.Prou.*Umb.*M.3.

*In Oratione lachrymas fundens, interdum cum Chriſto colloqui audita. Matth.*2.110.112.*M.S.*Prou.*Umbr.M.*1.

*Occultas* Monialibus *tentationes reuelat.Matt.*2.113.*M.S.* Prou. *Umbr. M.*2.

*Moniali, quæ Obedientiam implere recuſat, Diabolum humero inſidentem videt. Matth.*M.S.Prou.*Umbr. ibidem.*

*B. Franciſcum, ac B. Antonium* Sorori *moribundæ adſtantes conſpicit. Matt. ibidem.M.S.*Prou.*Umb.*M.S.

*Nouitiam ad ſæculum redire volentem, oratione in Religionis amplexu confirmat. Matth. ibid.*

*In extaſim rapta* P*aradiſi gaudia deguſtat. Matth. ibidem M.S.* Prou. *Umb.* M.4.

*Abbatiſſa, poſt diuinum raptum, officium deponit, & aliam Abbatiſſam conſtituit. Matth. ibid.* M. *S.* Prouinc. *Umb. ibid.*

*Biduo ante obitum, Sorores ad Regulæ obſeruantiam, Dei amorem, ac mutuam charitatem hortatur. Matt.*M.*S.*Prou. *Umb. ibid.*

*Franciſco* Liardo *Confeſſori reuelat, Deum Neapolitanæ Urbi infenſum eſſe. Matth.*2.114.M.*S.Prou.Umbr.*M.S.

*Mariam Aerbam Termulanorum Duciſſam alloquitur, eique vitam breuiorem prædicit. Matth. ibid.* M.S. prou. *Umb.*M.6.

*Morti proxima cum* Dæmone *confligit, & Chriſtum ſibi adſtantem oſtendit.* M.S. Prou.*Umb.ibid.*

*Sacramenta deuotè ſuſcipit, & totam ſuæ ſalutis fiduciam à Chriſto pendere declarat.* Matth. *ibid.* M. S. Prou, *Umb. ibid.*

*Ieſus ter inclamans expirat.* Matth.2.114.M.S.Prou.*Umb.* M. 7.

*Magnus* Populorum *ad ipſius obitum concurſus.*Matth. M.S. Prou. *Umb. ibid.*

*Ipſius pedes ſuauiſſimo odore flagrant.*Matt.M.S.Prou.*Umb. ibidem.*

Maria *Aerba Termulanorum Duciſſa,* Mariæ *Longæ Animam gloria donatam, & ſplendentem videt.*Matt.2.114. M.*S.*prou.*Umb.M.*6.

*Maria Aerba* Monaſterium *ingredi, & Religionis habitum, poſt Longæ obitum, ſumere ſtatuit.*Matt.2.114.

podagra *grauiſſima poſt annum correpta deuotiſſimè in Domino obdormit. Matth.ibid.*M.S.Prou.*Umb.* M.7.

*Cum* Maria *Longa in eodem depoſito ſepelitur* Matt.*ibi. M. S.* prouinc.*Umb.* M. 8.*Ex Arch.*S.*Paul. Neapol. Cleric. Reg.*

*Mariæ Longæ Corpus extumulatum poſt annum integrum reperitur, atque odorem ſuauiſſimum violarum reddit.* Matth. *ibid.* M.*S.*prou.*Umb.*M.7.

Capilli, *& vngues* Mariæ *Longæ poſt obitum excreſcunt.*Mat. *ibid.*M.S.prou.*Umb.*M.7.

Maria *longa defuncta brachium extendit, & Duciſſæ Corpus in* Sarcophago *amplectitur. Matth.ibid.*M. S. Prou. *Umb.*M.8. *ex Arch.*S.Paul.*Cler.Reg.Neap.*

*Soror eiuſdem* Monaſterij *apoſtemate laborans,* Mariæ *longæ manus contactu ſanatur.* Matth. *ibid.*M.S.Prou. *Umb.* M.7.

*Caput* Mariæ *Longæ ſuo contactu, Sororem vlcu reptili laborantem ſanat.* Matth.*ibid.*M.S.Prou. *Umb.* M.8.

*Alteram quoque Sororem occulta infirmitate detentam liberat.* Matt.2.115.M.S.Prou.*Umb.*M.9.


## Annvs Christi. 1543.


Pontifex *Capucinorum Religionem in Conſiſtorio extinguendam proponit. Petr.*529. Matth.2.27. M*ar.*191. M.S.Prou.*Brix.A.*124. *Salod.*

*Cardinales ferè omnes in* Pontificis *ſententiam deſcendunt.* Petr.Matt.Marth.M.S.Prou.*Brix.Salod. ibid.*

Cardinalis *Antonius Sanſeuerinus Religionem defendit.* Petr. 530. *Matt.* 2. 26. *Mar.* 192. M. S. Prou. Brix. *A* 125. Salod.

Cardinalis *Sanſeuerinus graui Oratione* Pontificem, & Cardinales *in ſuam ſententiam pertrahit.* Petr. 530. *Matt.* 2. 28. Mar. M. S. prou. Brix. *ibidem* Salod.

*Sanſeuerinorum familia multis titulis commendatur.*Mazzarella. 731.

Pontificis *animus, & conſilium à Deo mutatur.* Petr. 531. Matt. 2. 34. Mar. 193. M. *S.* Prou. Brix. *A.*126.

Pontifex Cardinali *Carpenſi* Protectori, *Religionem explorandam demandat.* Petr. 532. *Matt. Mar.* M. *S.* Prou. *Brix. ibid.* Salod.

Cardinalis Carpenſis *cunctos* prouinciales *Romam cõuocat, vt ab iis ſtatum Religionis addiſcat.* Petr. Matt. *Mar.* M. S. prou. Brix. *ibid.* Salod.

*Religionem in Fide integram eſſe* pontifici *renunciat.* Petr. *Mar.* Matt. M. S. prou. Brix. *ibid.* Salod.

*Pontifex diem præſcribit, in quo cunctos* prouinciales *collectos, in* palatio *alloquatur.*Petr. 533.*Mar.* 149. Matt. M. S. prou. *Brix. ibid.* Salod.

*Patres* pontificis *menten ignorantes, perterriti ad* pontificem *accedunt.* Petr. Mar. Matt. M. S. prou. *Brix. ibid.*

*Fratres de Obſeruantia tot habitus ſui Ordinis parant, quot* Capucini *ad* pontificem *accedunt.* M. S. prou. *Venet.*162. Salod.

*Pontifex primò Fratres ſeuerè alloquitur, beneficiaque Religioni collata exprobrat.* Petrac. 536.Mar. *Matt. M. S.* prou. *Brix. ibid. Salod.*

*In Ochinum verbis inuehitur.* Petr. *Mar. Matth. M. S.* prou. Brix. *ibidem.*

*F. Franciſcus Æſinus Pontifici reſpondens, ab eo obiurgatur. Salod.*

*Pontifex ſermonem leniens, ſe Fratribus beneuolum oſtendit, & conſolatos dimittit.* Petr. 537. *Mar.* 194. *Matt.* 2. 35. *Salod.*

*Capucini Fratres præ gaudio lachrymantes, Deo gratias referunt.* Petr. 537. *Mar.* 195. *Matth.* 2. 35. *Salodiens.*

*Cardinalis* Carpenſis *cum* prouincialibus *agit, de Religione integrè expurganda, & F. Franciſcum Æſinum Generalem Commiſſarium inſtituit.* Petr. 551. Mar. Matth. *ibid.* M. S. Prou. Brix. *A.* 127. *Salod.*

Pontificis *nomine prædicationem* Capucinis *interdicit.* petr. 551. Mar. 195. Matt.2.55. *M. S.* prou. *Brix. ibid.*

*Capitulum Generale in* pentecoſte *conuocandum ſtatuit.* petr. *Mar. Matt. M.* S. Prou. Brix. *ibidem.*

*Viri prudentia, ac ſanctimonia illuſtres, qui huic* Capitulo *interfuêre enumerantur.* M.S. Prou. *Rom. D.* 60.

*Quintum Generale* Capitulum *congregatur, in quo Franciſcus Æſinus Generalis eligitur.* petr. *Mar. M.* S. Prou. *Brix. ibid. Matt.*2.55. *Salod.*

*Franciſci Aeſini Generalis laudes, ac virtutes narrantur. M.* S. Prou. *Brix. A* 130. *Salodienſis.*

*Franciſcus Aeſinus videt B.P. Franciſcum, bacculum itineris ſibi porrigentem, & ad Generalatus labores mittentem. Matth. ibid.* Salod.

S. Antonius Vlyſſiponenſis Mulieri apparens, Franciſcum Aeſinum animat ad labores, & ſe illius Patronum apud Deum pollicetur. Matt. ibid. Salodien.

Franciſci Aeſini ſtudium, ac diligentia, vt Religio ab Ochiniana infectione expurgetur. Matt. ibid. Mar. 195.

Franciſci Aeſini ad Deum Oratio antequam iter aggrederetur M. S Prou. Brix. A. 131.

Aeſinus Generalis Religionem ſumma diligentia, ac prudentia viſitat M. S. Prou. Brix. ibid. Salod.

Fratres ſermonibus ad pietatem; ac perfectionem Euangelicam accendit. M. S. Prou. Brix. M. S. Prou. Rom. D. 64. Salod.

Aeſino ſermocinante ad Fratres, Peruſini Ciues Monaſterium cæleſtibus flammis conflagrari cernunt. Salodiens.

In ſermonibus tam ſingulari Dei luce perfunditur, vt ipſos Prædicatores in admirationem rapiat. M.S. Prou. Brix. M. S. Prou. Rom. ibid. Salod.

Stella, eo ſermonem habente ad fratres, ſæpè viſa per Monaſterij tectum diſcurrere. M. S. Prouinc. Brix. M.S. Prou. Rom. ibid. petr. 689. Salod.

Aeſini Generalis vita ſanctimonia plena, & viuum perfectionis exemplar inſinuatur. Man. S. Rom. prou. D. 62. Salod.

Aeſinus ducentos fratres Aſſiſium ad Indulgentiam conuocat, vt rumorem de Capucinorum exterminatione extinguat. M.S. Prou. Brix. A. 133. Salod.

Aeſinus fratrem Ioannem Hiſpanum à Medina Campi præcepto obſtringit, vt nonnulla à Deo in Oratione poſtulet. Petr. 553. Monteſl. 31. M.S. Prou. Brix. ibid. Salod.

Ochinus Turpem Apologiam ad Paulum III. Pontif. ſcribit: cui Io: Petrus Caraffa reſpondet. Mar. 185. M. S. Prou. Brix. A. 122. Salod.

Epiſtola Parænetica Io: Petri Caraffæ Cardinalis exaratur. Hiſt. Cler. Reg. c. 97.

Senio confectus in morbum incidit Gebennæ. M. S. Prouinc. Brix. A. 115. Salod.

Præteritum hæreſis, & Apoſtaſiæ ſcelus deplorat. M.S. Prou. Brix. ibid. Salod.

Hæreſim in pœnitentiæ Sacramento abiurat, & abſolutionem à Sacerdote accipit. M. S Prou. Brix. ibid. Salod.

Sacram Euchariſtiam poſtulat, quæ tamen ob periculum illi minimè adminiſtratur. M. S. Brix. ibid. Salod.

Hæreſim publicè recantare pollicetur. M.S. prou. Brix. ibid. Salod.

Coram diſcipulis impia dogmata damnat, & Catholicam Fidem profitetur. Man. S. Brix. ibid. Salod.

Idem quoque coram aliis præſtat. Man. S. Brix. ibidem. Salod.

Catholicam Fidei Confeſſionem ſæpè coram diſcipulis refricat, eoſque ad Catholicam Fidem hortatur. M. S. Brix. ibid. Salod.

Ochinus apud Magiſtratum de crimine violatæ Fidei accuſatur. M.S. Prou. Brix. ibid. Salod.

A Magiſtratu, ſi dicta confirmet, iubetur interfici. Mat. 2. 23. M. S. Brix. ibid. Salod.

Ochinus in Fidei Confeſſione perſeuerans, à Diſcipulis pugionibus confoditur. M. S. Brix. 116. Salod.

Alij Magiſtratus edicto lapidibus obrutum ferunt. Matth. 2. 23. Salod.

Primum teſtimonium aſſeritur à Nicolao à Ponte. Salod.

Secundum teſtimonium aſſeritur à F. Fidele à S. Germano. M. S. Prouin. Brix. A 515. Salod.

Tertium teſtimonium aſſeritur à F. Eleutherio à Damaſo M. S. Prou. Brix. 516.

Quartum teſtimonium aſſeritur à Fr. Zenone Bergomenſi. Salod.

Quintum teſtimonium aſſeritur à Fratre Simone Veneto. Salod.

Sextum teſtimonium aſſeritur à Marchione Cilentiæ. M. S. Prou. ſancti Angeli.

Septimum teſtimonium à Paulo Griſaldo. Deciſ. Fid. Cathol. in Indice hæreticorum Verb. Ochinus, fol. 106.

Octauum teſtimonium aſſeritur à Theodoro Beza, in Iconibus de Petr. Martyr.

Poſt Ochini lapſum plurimæ, pro eo ad Deum preces in Religione oblatæ. Salod.

Bernardinus Aſtenſis pro Ochino orans, futuram illius conuerſionem diuina reuelatione accipit. M.S. Prouinc. Genuenſ. 452.

## Annvs Christi. 1544.

IOannes Hiſpanus à Metymna Campeſtri, reuelationes ad Religionem ſpectantes à Deo accipit. petr. 553. Matt. 2. 69. M. S. Prou. Brix. A, 133. M. S. Prou. March. t. 4. 497. Salod.

Ioannes Hiſpanus Vir eximia ſanctitate præditus. petr. 552. Matth. 2. 67. M. S. Prou. Brix. & March. ibid. Salod.

Ioannes in Montis-Politiani Conuentum ſecedit, ac Dominum obſecrat. petr 553. Matth. 2. 68. Salod.

Orationi panis, & aquæ ieiunium addit. petr. ibid. Salod.

Chriſtus Dominus Ioanni oranti apparet, luce maxima circumfuſus. petr. 554. Matth. 2. 69. M. S. Prou. Brix. A. 135.

Chriſtus ſe maximè Religionem diligere affirmat. petr. Matt. ibid. M. S. Prou. Brix. A, 133. M. S. Prou. March. t. 4. 497.

Chriſtus Capucinorum Religionem præ omnibus ſibi gratam eſſe ſæpè confirmat. petr. 556. Matth. M. S. Prou. March. & Brix. ibid.

Ioannes tribus temporum interuallis, reuelationes à Deo accipit. petr. Matth. M. S. Prou. Brix. & March. ibidem.

Chriſtus non ſolùm oranti, ſed & ſacra celebranti, & manducanti, & deambulanti ſæpè Ioanni apparet. Petr. Matt. Man. S. Prouininc. March. ibid. M. S. prou. Brix. A. 134.

Chriſtus Ioanni reuelat, nullum aut Hæreticum, aut maioribus criminibus contaminatum, quibus Religio fœdatur, diù in Religione permanere poſſe. Petr. 557. Matth. M. S. Brix, & March. ibid.

Chriſtus, Franciſci Aeſini Generalis ſollicitudinem in fratribus confirmandis, & ad Regulæ Obſeruantiam excitandis laudat, & opem pollicetur. petr. Matt. M. S. Prou. March. ibid.

Chriſtus, quid Generali cauendum ſit, Ioanni aperit. petr. 558. Matth. M. S. Prouinc. Brix. & March. ibid.

Spiritum Domini, ad veram Regulæ Obſeruantiam, neceſſarium docet. Petrac. Matth. M. S. prou. March. ibid. M. S. prou. Brix. A. 135.

Paupertatis æmulatores à quibus vitiis cauere debeant, oſtendit. Petr. Matth. M. S. Prouinc. Brix. ibid. M. S. Prou. March. tom. 4. 489.

Paupertatis zelus, quinam ſiccus ac crudelis ſit, quem fratres euitare debeat. Petr. Matth. M. S. Prouinc. Brix. & March. ibid.

Ioannes Hiſpanus à Chriſto commendatur. Petr. Matth. M. S. Prouinc. Brix. & March. ibid.

Chriſtus eos ſe diligere maximè autumat, qui toti à ſua prouidentia pendent. Petr. 559. Matth. M. S. Prou. Brix. & March. ibid.

De ijs conqueritur, qui rerum prouiſiones ſequuntur. Petr. Matth. M. S. Prou. Brix. & March. Ibidem.





Religionis Conſtitutiones Chriſtus ſuo ſpiritu conſcriptas affirmat. petr. 560. Matth. M. S. prou. Brix. & March. ibid.

Chriſtus in eos Superiores inuehitur, qui facilè in Conſtitutionibus diſpenſant, aut auſteriores addunt. petrac. Matth. M. S. Prou. Brix. & March. ibid.

Chriſtus fratres, ob ſublatum Religioni Prædicationis officium timidos redarguit. petr. 560.

Fratres monet, vt de manu ipſius omnia abſque ſollicitudine accipiant. petr. 561. Matth. M. S. Prou. Brix. & March. ibid.

Chriſtus, ſe à Religione prædicationis officium abſtuliſſe affirmat, rationémque reddit. petr. 561. Matth. 2. 69. M. S. Prou. Brix. A. 136. M. S. Prou. March. t. 4. 499.

Chriſtus prædicationis munus Religioni ſe reſtituturum ſpondet. petrac. 563. Matth. M. S. Prou. Brix. & March. ibid.

Futuræ prædicationis fructum, atque vtilitatem prænunciat. Petr. Matth. M. S. prou. Brix. & March. ibid.

Prædicatorum, qui in Eccleſia Dei verbum diſſeminant duo genera diſtinguit: bonos commendat, malos reprobat. Petr. 562. Matt. 2. 69. Salod.

Duo fratrum genera in Religione, vnum altero perfectiùs inſinuat, quibus ſe delectari aſſerit. Petr. Matt. M. S. prou. Brix. & March. ibid.

Quantopere Chriſtus Religionem diligat, trium fratrum cum toto mundo comparatione demonſtrat. Petr. Matth. M. S. prou. Brix. & March. ibid.

Tentationem Religioni neceſſariam fuiſſe oſtendit. Petr. 564. M. S. prou. Brix. A. 137. Man. S. prou. Marc. tom. 4. 499.

Veras Chriſtus, has reuelationes eſſe comprobat. Petr. Matth. ibid. M. S. prou. Brix. A. 541. M. S. Prou. March. t. 4. 502.

Quid circa obedientiam Generali Minorum Conuent. præſtandam, fratribus obſeruandum ſit, Chriſtus præſtituit. Petr. 566 Matt. 2. 69. M. S. Prou. Brix. A. 137. M. S. prou. March t. 4. 50.

Quid Generalis circa eorum, qui ex Obſeruantium familia ad eum accedebant, receptionem agendum ſit, mandat. Petr. 564. Matt. M. S. Prou. Brix. ibid. M. S. Prou. Mar. t. 4 499.

Chriſtus quatuor gradus, ad perfectã Regulæ Obſeruantiam neceſſarios explanat. Petr. 567. Matth. ibid. M. S. Prou. Brix. A. 739. M. S. prou. March. t. 4. 500.

Duo quoque fratrum perfectorum genera diſtinguit, ac commendat. Petr. 569. Matt. 2. 69. M. S. Prou. Brix. A. 137. M. S. March. t. 4. 499.

Eccleſiæ dogmatibus tenaciùs inhærere, ac neotericos errores fugere docet. Petr. 569. Matth. ibid. M. S. Prou. Brix. 140. M. S. March. t. 4. 501.

Ad ſcripturarum ſenſum rectè intelligendum, quæ neceſſaria ſint, indicat. Petr. Matth. M. S. Prou. Brix. ibid. M. S. Prou. March. t. 4. 502.

Hæreſes vndè oriantur, & quorſum à Deo permittantur, exponit. Petr. 570. Matt. M. S. prouinc. Brix. & March. ibid.

Purgatorij Fidem Dominus Ioanni ſcripturarum teſtimoniis adſtruit, ac fratribus commendat. petr. ibid.

Reuelationes Ioanni factas, Chriſtus veras eſſe pluribus teſtimoniis confirmat. Petr. 571. Matt. 2. 69. M. S. prou. Brix. & March. ibid.

Quorſum hæc Ioanni reuelauerit, Chriſtus declarat; prohibétque, ne de cætero vllas ab eo reuelationes poſtulet. petr. 573. Matt. 2. 69. M. S. prou. Brix. 140.

Aeſinus Generalis hiſce reuelationibus animo confortatur. Petrac. 574.

Franciſcus Palmon in Conuentu Mileti fatis concedit. M. S. Prou. Rheg. t. 2. 24 Salod.

Ex Obſeruantium familia ſimul cum Ludouico Rhegino ad Capucinos migrat. Petr. 842. Matt. 1. 172.

Reformationem apud Calabros egregiè adiuuit. Matt. 1. 189. Salod.

Meſſanæ Guardianus Carolo V. Imperatore cum Fratribus oliuarum ramos in manu geſtantibus, obuiã procedit. M. S. Prou. Calab. 7. Salod.

Priores illas Reformationis clamitates forti animo pertulit. Petr. 842. Matt. 1. 189. Salod.

A Dæmone tentatur, vt Reformationem deſerat. Petr. 843. Matt. ibid. Monteſl. 82. Salod.

Amicum conſulit, qui illum in propoſito confirmat. Petr. ibid. Matth. 1. 190. Monteſl. 82. Salod.

Chriſtus Franciſco oranti apparens, tentationem ab illius animo expellit. Petr. 844. Matth. Monteſl. ibid. M. S. Prou. Calab. 7. Salod.

Vitæ illius auſteritas deſcribitur. Petr. 845. Matth. 1. 189. Monteſl. M. S. prou. Calab. ibid. Salod.

Diuini Verbi Prædicator Feruentiſſimus fuit. Petrac. Matth. Monteſl. M. S. Prou. Calab. Salod. ibid.

Franciæ vigintiquatuor Adoleſcentes ſæculum deſerere, ac Capucinorum Ordinem ingredi, vi prædicationis compulit. M. S. prou. Reg. t. 2. 74. M. S. Calab. ibid. Salod.

Orationis ſtudioſiſſimus, in ea ſæpè extaſes, atque raptus patitur. Petr. 845. M. S. Calab. ibid. Salod.

Pleroſque ægrotos ſigno Crucis curat. M. S. prou. Rheg. t. 2. 74. Salod.

A Domino præmonitus in die Aſſumptionis Deiparæ, quem diem ſibi à Deo poſtulauerat, è viuis excedit. M. S. Prou. Rheg. ex Calab. ibid. Salod.

F. Iacobus Hiſpellenſis Laicus, maxima vitæ auſteritate, ac virtutibus floret. Petr. 577.

Minus cautè in pecuniis procurandis ſe gerit. Petr. 178.

In morte quatuor dierum ſpatio ſigna horrenda edit, & cum Dæmone confligit. Petr. 179. Salod.

Dum illi funus perſoluitur, horrenda accidunt. Petr. 179. Salod.

Vox illius quaſi plangentis, poſt funus auditur. Petr. 180. Salod.

Tandem Ioanne Appulo apparet, & ſe Purgatorij pœnis, ob eam culpam detineri indicat. Petrac. 181. Salod.

## Annvs Christi. 1545.

POntifex Paulus III. de Prædicationis munere Capucinis reſtituendo, cum Cardinali Protectore agit. Petrac. 552. Mar. 195. Salod.

Nonnullæ Theologicæ Quæſtiones, ad vniuerſos Religionis Prædicatores diſſoluendæ tranſmittuntur, vt eorum fides examinetur. Petr. Mar. ibidem. M. S. prou. Venet. 165. Salodiens.

Quæſtionum exemplar ſingillatim exponitur. Petr. 1369.

Prædicatores quæſtionibus propoſitis reſpondent appoſitè. petr. 551. Mar. 193 M. S. prou. Ven. 165.

Franciſcus Aeſinus Generalis ſuo, ac totius Religionis nomine quæſtionibus reſpondet. Petr. 1369.

Pontifex prædicatorium munus Capucinis reſtituit. Petr. 552. Mar. 196. M. S. Prou. Ven. 196.

Capucini prædicantes admirabiles in Populo Chriſtiano fructus pariunt. Matt. 2. 55. Salod.

Populorum erga Capucinos Prædicatores deuotio. Matt. ibid. Salod.

F. Angelus Saonenſis eximius Verbi Dei Prædicator, Vene-

tijs, ac Romæ prædicat. M.S. Prou. Venet. 165. M.S. Prou. Rom. D. 60.
Aeſini Generalis de Capucinorum Religione verba. Salod.
Concilium Tridentinum conuocatur, & inchoatur. Conc. Trid. Gault. 736.
Bernardinus Aſtenſis nomine Generalis Concilio intereſt, ac Concilij Patres ſuo vitæ exemplo ædificat. M.S. Prou. Ven. 165. M.S. Prou. Rom. D. 64. Salod.
Diſceptatio inter duos Conuentualium, & Obſeruantium Generales de Sigillo Religionis orta. Petr. 577. M. S. Prou. Rom. D. 65. Salod.
Quid Generalis Conuentualium in Concilio de Sigilli poſſeſſione iudicandum propoſuerit. Petr. 557. M. S. Prou. Rom ibid. Salod.
Religionis Sigillum à Patribus Concilij, Religioni Capucinorum offertur: quod Bernardinus Aſtenſis conſtanter recuſat. petr. ibidem.
Capucini in Concilio, velut legitima B.P. Franciſci proles aſſeruntur. Petr. 527.
F. Antonius Luſitanus cum Virginitatis flore fructus virtutum copulat. petr. 757.
Cum habitus illi, ob nimiã corporis teneritudinem denegaretur, poſtero die aſpero habitu indutus, coram Foroſempronianо apparet. petr. ibid.
Religioni adſcriptus mentis puritate, corporis auſteritate, ac virtutum omnium laude præcellit. Petr. ibid.
Erga Deiparam Virginem deuotiſsimus ab ea ſæpè viſitatur, & ſui obitus horæ admonetur. petr. ibid.
Fulginij in Conuentu S. Ioſephi tandem extremum diem ſanctiſsimè claudit. Petr. 758.
Frater Ordinis Prædicatorum Laicus duorum Capucinorum viſione prouocatus ad Capucinos migrat. Petr. 356.

### Annvs Christi. 1546.

Sextum Generale Capitulum à Franciſco Aeſino Generali Romæ conuocatur. Matth. 2. 77. petr. 1376. M.S. Prou. Rom. D. 64. Salod.
Bernardinus Aſtenſis, qui Tridentino Concilio intereſt, abſens Generalis eligitur. Matt. ibid. M. S. Prou. Rom. D. 64. Salod.
Aſtenſis Religionis nomen, ac exiſtimationem ſua virtute, ac gubernatione auget. Matt. ibid. M. S. Prouinc. Rom. D. 65 Salod.
Frater quidam Hiſpanus, in Conuentu Foroſempronij virtutibus emicat. Salod.
Orans præ diuini amoris æſtu clamores, & rugitus edit. Salod.
Fax ardens vbi is orationi vacat, à Ciuibus Foroſempronianis conſpicitur. Salod.
Ciues Foroſemproniani, illud velut ſiniſtrum ſignum interpretantes ad Monaſterium accurrunt. Salod.
F. Hiſpanus orans inter diuini amoris flammas ab iis reperitur. Salod.
Bernardinus Generalis iubet Hiſpanum fratrem à Deo, quid in Religione corrigendum ſit, poſtulare. Salod.
Chriſtus quædam corrigenda monet. Salod.
Chriſtus eorum, qui propriæ deſpicientiæ, atque aliorum ædificationi ſtudent, vita plurimum delectari affirmat. Salod.
F. Cherubinus à Quilliano Ligur Prouinciæ Genuenſis, ad Capucinos tranſuolat. M.S. Prou. Gen. 16.
F. Hieronymus à Montepolitiano, à teneris annis magnarum virtutum ſpecimen exhibet. Petr. 967. Matt. 2. 85. M. S. Prou. Etruriæ M. 59.
Puer in cubiculo orans ſæpè à terra in aerem ſublatus à Sorore videtur. Matt. M. S. Prou. Etru. ibid.
Canonicus Cathedralis Eccleſiæ factus ad Obſeruantes migrat. Matt. M.S. Prou. Etru. ibid. Monteſl. 40. M.S. Prou. Brix. A. 68.
Hieroſolymorum loca deuotè viſitat. Matt. 2. 86. M. S. Prou. Etrur. M. 59.
Regularis obſeruantiæ ſtudio incenſus ad Capucinos ſe confert. petr. 967. M. S. Prou. Brix. 69.
Propriæ deſpicientiæ ſtudens, viliora ſemper exercitia aſſumit. Matt. Monteſl. M. S. Prou. Brix. & Etrur. ibid.
Prædicationis munus ob humilitatem exercere recuſat, reique illius cauſam reddit. petr. 969. M. S. Prou. Brix. A. 68. M. S. prou. Etru. M. 59.
Ad honores inuitus rapitur. Petr. 968.
Silentij ſtudioſiſſimus aliorum colloquia deuitat. Petr. ibid. M.S. Prou. Ethrur. M. 60.
In Oratione aſſiduus præcipua erga B. Virginem deuotione tur. Petr. 971. Matth. 2. 87. M. S. Prou. Brix. ibidem. M. S. Prouinc. Etru. 59.
Dies ſolemnes B. Virginis, panis & aquæ ieiunio per Octauam proſequitur. petr. 971.
Virginitatis Lilium aſperioris vitæ ſpinis illæſum cuſtodit. M.S. Prouinc. Brix. ibid. Matth. 2. 85. Monteſl. 42.
Solo aſpectu Dæmonem ab obſeſſo corpore fugat. Matt. 2. 87. M.S Prou. Ethru. M. 60.
Dies obitus, ter illi à Domino reuelatur. M. S. Prou. Etrur. M. 60.
Mulieri languentiglorioſus poſt mortem apparet. Matth. 2. 87. M.S. Prou. Etrur. ibid.
Eadem Mulier neruis attracta, contacto illius corpore à morbo liberatur. Matth. 2. 88. M.S. Prouinc. Etrur. ibid.
Corpus illius poſt quintum annum incorruptum, ac ſuauè olens reperitur. petr. 973. Matth. 2. 88. M.S. Prou. Brix. & Etrur. ibid.
Mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, contactis ipſius reliquiis, ſanatur. Matth. M.S. Prouinc. Etrur. ibid.
Plurimi apud Capucinos ſancti, Bernardini Aſtenſis teſtimonio, quorum Sanctitas à fratribus occultatur. Matth. M. S. Brix. ibid.
Huius rei cauſa in diuinam prouidentiam reijcitur. Matth. ibid.
Quàm Religioſum & Deo gratum ſit Tunicam, & chordam Ordinis à ſæcularibus Viris geſtari, illuſtri exemplo comprobatur. M. S. prou. Rom. lib. C. 69.
Sancti Antonij Vlyſſiponenſis Reſponſorium, quàm efficax ſit ad res deperditas inueniendas, tribus exemplis confirmatur. M.S. Prou. Syrac. 58.

### Annvs Christi. 1547.

Dæmon quamplurimos obſeſſos ad Religionis ingreſſum compellit. Petr. 178.
Cur id Dæmon præſtiterit, cauſa redditur. petr. 178.
Dei erga Religionem prouidentia declaratur, ex repentina obſeſſorum liberatione. Petr. 572. Salod.
Iuſtinus à Panigaleo Laicus, ex Obſeruantium familia ad Capucinos accedit. Petr. Matt. 2. 82. Salod
Plurimis inter Capucinos virtutibus emicat. petr. 1102. Matth. Salod. ibid.
In victu, veſtitu, atque aliis vitæ aſperitatibus, quamuis Senex, auſteriſſimus. petr. 1105. Matth. Salod. ibid.
Orationi diù multũque vacans, plurimas à Deo reuelationes, ac viſiones accipit. petr. 1102. Matt. ibid. Salod.
Tripes Scamnum in viſione illi demonſtratur, & quid illud ſignificet, explicatur. petr. Matth. Salod. ibid.
Spiritu in quandam Religioſorum Eccleſiam ſublatus, dum officia diuina decantant, illi blaſphemare videntur. petr. 1104. Matt. Sal. ibid.
Huius rei cauſa redditur, & blaſphemæ voces exponuntur. Matt. Salod. ibid. Petr. 1104.
Hæreſum deuaſtationes in Gallia, & Germania futuras prædicit. Matt. 2. 83. Salod.
Charitas illius erga ægrotos, ac præſertim erga fratrem gangrena laborantem. Petr. 1105. Salod.
Hunc à Phyſicis deſperatum, orationum potiùs, quòd medicamentis à Gangrena curat. Petr. 1106. Salod.
Peſte laborantibus maxima charitate inſeruit. Petr. 1103. Salod.
Ab impudica Muliere ad turpia pellicitur. Petrac. ibidem. Salod.
Dæmonis tentationem flagellis, & orationibus fugat. Salod.
Chriſto ſub pauperis ſpecie hoſpitium quærenti, hoſpitium porrecto pane denegatur. petr. 1102. Matt. 2. 83. Monteſl. 90. Salod.
Chriſtus Iuſtino apparet, & de hoſpitio illi denegato conqueritur. petrac. 1102. Matth. 2. 83. Salod.
Panis Chriſto erogatus ſuper altare poſitus inuenitur. Matth. Monteſl. Salod. ibid.
Iuſtinus factum multis lachrymis luget. petr. Monteſl. Matt. Salod. ibid.
Regulæ, ac paupertatis zelantiſsimus, Monaſteria in paupercülis Eccleſiis extruenda curat. Petr. 1104. Matth. Salod. ibid.
Periculoſam eſſe Monaſteriorum ædificationem monet. Petr. 1105. Matth. ibid. Salod.
Futura tempora præcurrens, Monaſteriorum paupertati tenacius inhæret. petr. Matt. Salod. ibid.
Narniæ Guardianus in morbum incidit. petr. 1106. Matt. 2. 84. Monteſl. 90. Salod.
F. Dominicus à Boſcheto magnam Capucinorum ſupplicationem orans videt, quæ ad Guardianum ægrotantem pergit. Petr. Matth. Monteſl. Salod. ibid.
Guardiani obitus diem ab ea diſcit, ac Guardiano prænunciat. Petr. 1107. Matth. Monteſl. Salod. ibid.
Iuſtinus Deum laudat, ſeque ad obitum parat; & Deo tandem ſpiritum reddit. Petr. 1108. Matth. Monteſl. Salod. ibid.
F. Bernardus Aſſiſias à puero pietati deditus, pro tuenda Virginitate Deum orat. Petrac. 903. Monteſl. 82. Salod.
Commune Ciuitatis de futura illius ſanctitate præſagium. Petr. 912. Salod.
Adoleſcens Religionem ingredi optans, pro illuminatione Deum rogat. Petr. 903. Salod.
Cilicium aſperum ad carnem geſtat, & Capucinorum vitam ſibi ſequendam proponit. Petrac. 913. Salod.
Ab Euſebio Anconitano, Prouinciali Vmbriæ Vicario, Religioni adſcribitur. petr. 915. Salod.
Sub Fr. Vincẽtij à Flauiano diſciplina probatus, plurimum in virtutibus proficit. Petr. 915. Matth. 2. 90. Monteſl. 32. M. S. Prou Brix. A. 107. Salod.
Auſteriſsimam Præceptoris vitam imitatus, quotidiana ferè ieiunia in pane, & aqua celebrat. Petr. 916. Matt. Monteſl. M.S. prou. Brix. ibid. Salod.
Corpori ſegnitiem exprobrat, cùm vires ad aſperiora pro Chriſto toleranda non miniſtrat. Petr. 918. Salod.
Admonitus ne tam aſperè corpus tractet, quid reſpondere ſoleret. Petr. 919.
Suſpenſum ſemper animum in Deum gerit. Petrac. 917. Matth. 2. 90. Monteſl. 92. M. S. Prouinc. Brix. A. 107. Salod.
Superioris præcepto compulſus, vt fabas quaſdam virides comederet, tunicas ſimul cum fabis edit. Salod.
Maxima illius mentis humilitas, qua ſe omnium maximum peccatorem putabat. petrac. 918. Matth. 1. 90. Monteſl. 32.
Quàm mentis puritati ſtuderet, perpenditur. petr. 917. Salod.
Virginitatem perpetuo coluit, nulloque vnquam lethali crimine ſe innodatum ſenſit. Petr. 916. Monteſl. 32.
Omnem cogitatum in Deum iactans ab omni victus prouiſione abhorret. Petr. 920. Salod.
Iter faciens abſque annona, panis abundè illi in itinere miniſtratur. petr. 920. Salod.
Narniæ extremum diem ſanctiſsimè obit. petr. 922. Matth. 2. 90. Monteſl. 33. Salod.
Mulier poſt illius obitum, illuſtre ipſius Miraculum narrat. petr. 922. Matt. 5. 9. Monteſl. 33. M.S. Brix. Prou. 708. Salod.
Bernardus Præfecto Noſocomij apparet, dilatamque ſibi gloriam ſignificat, & cauſam aperit. Petr. 923. M.S. prouinc. Brix. A. 108. Salod.
Quanta Dei ſit in ſæculo futuro ſeueritas, declarat. M.S. Brix. Salod. ibid.
Ex decem Capucinis defunctis octo rectà Cælum conſcendiſſe, nonum purgatorium attigiſſe, decimum in Infernum ſepultum narrat. Petrac. 923. M.S. Prouinc. Brix. 108. Salod
Quinto poſt obitum anno, cerebrum in capite ipſius ſanum, & incorruptum conſpicitur. Matth. 2. 90. Monteflor. 33. M. S. Prou. Brix. A. 108. Salod.

### Annvs Christi 1548.

Bernardinus Aſtenſis Generalis, Epiſtolam ad vniuerſos Congregationis fratres ſcribit. M.S. Prouinc. S. Ang. t. 2. 13.
Epiſtolæ tenor exaratur. ibid.
F. Antonius Cyrneus priùs in Theatinorum Ordine, tum in Capucinorum Religione militat. Petr. 882. Matth. 2. 73. Monteſl. 23. M. S. Prouinc. Brix. A. 16. Salod.
Ipſius auſteritas prorſus admiranda. Petr. Matth. Monteſl. Salod. ibid.
Loricam ferream, multo tempore ad carnem defert. Petr. Matth. ibid. Mar. 97. Monteſl. 16. M. S. Prou. Brix. A. 16. Salod.
Triplici Ciliciorum genere aſperrimo variis temporibus vſus. petr. 883. Matth. March. Monteſl. M.S. Prou. Brix. Ibid. Salod.
Primùm quotidie in pane, & aqua victitat. petr. Monteſl. M.S. Prou. Brix. ibid. Matt. 2. 74. March. 98. Salod.
Poſtea à pane abſtinens, fabas, aut legumina ad arctam cibi menſuram ad victum adhibet. Marc. 97. M.S. prou. Brix. A. 56. Salod.
Circa vitæ finem, cùm ſeptuagenarius eſſet, per aliquot hebdomadæ dies, ab omni cibo abſtinet. Petr. 883. Matth. 2. 74. Mar. 98. Monteſl. 26. M. S. prou. Brix. A. 66. Salod.
Tres tantum horas quieti tribuens ſibi tabulas ſubſternit. Petrac. 884. Monteſl. 27. M. S. prouinc. Brix. ibid. Salod.
Singulis noctibus ſe ipſum flagellans, ſemel in anno per quinque horarum ſpacium, Dominicam flagellationem exercet. Petr. Matth. M.S. Brix. Salod. ibid.
Dæmon Dominicam flagellationem illi impedire conatur. petrac. ibidem. Monteſl. 28. M. S. Prouinc. Brix. ibid. Salod.
Inter tot vitæ auſteritates Antonius ſemper vultu hilaris, ac rubicundus videtur. Petrac. 886. Matth. ibid. Mar.

99. Monteſl. 27. Salodienſis.
Antonius opera ſua humilitate extenuat, ac Deo tribuit. Petr. 886. Salod.
Opera noſtra eatenus bona, quatenus à Deo proficiſcuntur. Petr. ibid. Salod.
Amor proprius ſæpè in Dei amorem ſe ipſum transfigurat. petr. ibid. Salod.
Rerum minus neceſſariarũ vſus fratrēs à ſpirituali profectu retardat, ac pœnis Purgatorij obnoxios reddit. petr. 887. Matth. 2.74. Monteſl. 26. M. S. Prou. Brix. A. 57. Salod.
Purgatorij pœnas nemini expetendas eſſe Antonius docet. Petr. Matth. Monteſl. M.S. Prou. Brix. Salod. ibid.
Paupertatis zelantiſſimus, cuncta minus neceſſaria refugit. Matt. Monteſl. M.S. Prou. Brix. A. ibid.
In oratione feruentiſſimus, ac aſſiduus. Petr. 884. Mar. 99. Monteſl. 27. Salod.
Dum orat, vultus ipſius, ſicut globus igneus apparet. Petr. 885 Matth. 2.74. Monteſl. 17. Salod.
Doctrina ipſius erat, Dei Seruum ad omnia Dei dona paratum eſſe debere. Petr. 886. Salod.
Dei dona expetere haud ſatis eſt, ſed etiam ſollicitè quærere, ac petere opus. Salod.
Quænam ad contemplationem neceſſaria eſſe aſſereret. Matth. 2 75. M. S. Prou. Brix. A. 75. Salod.
Humilitatis virtutem, quantopere Dei Seruus ſectaretur. Salod.
Charitatis erga Pauperes, quàm ſtudioſus eſſet, pluribus argumentis oſtenditur. Petr. 889. Salod.
Ipſius ſanctitatis apud omnes communis fama. Petr. ibid. Matth. 2.73. Salod.
Cuiuſdam Monaſterij Moniales ad meliorem frugem reuocat. Petr. 892. Matt. 2.74 M.S. Prou. Brix. 57. Salod.
Dæmon ſub ruſtici forma Vrbem aduerſus Antonium concitat. Petr. Matt. M.S. Prou. Brix. ibid. Salod.
Innumeros ægrotos Crucis ſigno ſanitati reſtituit. Petr. 889. Matth. 2.75. Salod.
Hoc modo plurimos à Dæmone obſeſſos curat. Salod.
Medici Fulginienſis filius ab incurabili vlcere ſanatur. petr. Matth. ibid Monteſl. 27. M. S. Prouinc. Brix. A. 58. Salod.
Proſperi è Veruchio filius membris attractus, oratione ab Antonio repentè curatur. petr. Matt. M. S. prou. prou. Brix. A. ibid.
Franciſcus à Vega ægrotum filium ad Antonium defferens incolumem recipit. petr. 891. Matt. 2 75.
Vincentius Pacinus in capite ab Antonio ſignatus à Comitiali morbo liberatur. petr. Matth. ibid.
In agro Peruſino Cæco puero oculorum lucem reſtituit. Petr. 895. Matth. 2.76. Monteſl. 27. M. S. Prou. Brix. A. 58.
Tiferni puella, quæ cœca erat, lumen reddidit. Matth. 2. 76. Salod.
Puellam epilepſi laborātem propè Fulginium incolumem præſtat. Matth. M.S. Prou. Brix. ibid.
In Conuentu Montis Caſalis Laterum dolore corripitur, ſéq; ad extremum diem parat. Monteſl. 29. M. S. prou. Brix. A. 58. Salod.
Diuina iudicia in morte expauens interroganti Fratri quid reſponderit Matth. 2. 75. Monteſl. 25. M.S. prou. Brix. 58. Salod.
Genuflexus atq; oculis in Cælum erectis diem extremum claudit. Petr. 888. Matt. M. S. prou. Brix. ibid. Monteſl. 29. Salod.
Antonius defunctus Ioanni Appulo apparet. Matth. 2. 76. Monteſl. 29. M.S. Prou. Brix. 59.
Pœnis Purgatorij ſe detineri ob vnius culpæ maculam indicat. Matt. Monteſl. M.S. Prou. Brix. ibid.
Minus cautè circa pœcuniæ procurationem ſe geſſerat. Matt. Monteſl. M.S. prou. Brix. ibid.
In Religionis exordio, quàm periculoſa eſſet domorum ædificatio. Matth. ibid. Salod.
Antonij conſpicilia poſt ipſius obitum lumen Syluestro Biturgienſi reſtituunt. Petr. 892. Matth. ibid. Monteſl. 27. M. S. Brix. 58. Salod.
Multa Deus Miracula ad Antonij reliquias poſt mortem edit. M. S. Prou. Brix. ibid.
F. Leonardus Auguſtanus ex Hæretico Catholicus, & Capucinus euadit. M.S. Prou. Ven. M. 121.
Propinquorum pollicitationes, & perſuaſiones reijcit. M.S. Prou. Ven. ibid.
B. Virginis, & vndecim millia Virginum deuotiſſimus, eas in morte conſpicit. M.S. Prou. Ven. ibid.
Te Deum hymnum decantans ad Deum concedit. M.S. prou. Ven. ibid.
F. Vincentius à Collecario, cùm in perfecta Regulæ obſeruantia dies ſuos exegiſſet, in morte B. Virginem videt, & in eius amplexu animam expirat. M. S. Prou. Panorm. to. 2.
F. Iacobus Florētinus primus S. Bernabæ Genuæ Guardianus, virtutibus plenus moritur. Matt. 2. in fol. ſeparato.
Dei prouidentia in Conuentu S. Ioannis rotundi erga Fratres effulget. M.S. Petri Angeli lib. 1. 33. 34.
Virtus ſanctiſsimi Nominis I E S V erga ægrotantes enitet. M.S. Prou. Bonon. t. 1. 199. tom. 2. 189. Prou. Leon. in 4. 55. 56. M.S. Prou. Vmb. C. 495. M.S. Prou. Hydrunt. tom. 1. 116. 118.
Annibal Derinus, Hydruntinus ſanctiſsimum Nomen IESV à fratribus accipiens, ſtatim à febre liberatur. M.S. Prou. Hydrunt. t. 1. 116.
Ioannes Baptiſta Ceſanus febre quartana diù languens, Sanctiſsimo Nomine Ieſu ſibi impoſito repentè curatur. M.S. prou. Hydrunt. t. 1. 116.
F. Franciſcus à Latertia Capucinus morbo correptus Sanctiſsimo Nomine Ieſu ſibi ad collum alligato, à morbo ſtatim conualeſcit. M. S. Prou. Hydrunt. to. 2. 118.

### Annus Christi. 1549.

SEptimum Generale Capitulum Neapoli à Bernardino Generali indicitur M. S. prou. Rom. D. 66. Salod.
Bernardinus Aſtenſis in Generalatus munere, tametſi inuitus confirmatur. Matth 2. 77. M. S. Prou. Brix. A. 151. M.S. Rom. Prou. ibid. Salod.
Ordinis Conſtitutiones in hoc Capitulo auctæ. Salod.
Quæue iis additæ fuerint explicantur. Salod.
Bernardinus Generalis Signo Crucis F. Bernardinum à Collepeiracio à febre liberat, ac ſecum Aſsiſium ducit. Petr. 812. Matt. 2. 12. Monteſl. 57. M.S. Prou. Brix. A. 152. 152. Salod.
Capucinorum Religio Regulari obſeruantia, ac virtutibus hoc tempore apud omnes illuſtris. Matt. 2. 77. M.S. Rom. Prou. D. 67. M.S. Prou. Brix. ibid.
Fratribus itinerantibus Deus prandium prouidet. Matth. 2. 77.
Aberrantes à Monaſterij via ad rectam ſemitam ab Angelo reuocantur. Matt. ibid.
Franciſcus Æſinus moritur, ac illius vita deſcribitur. petr. 665. Matt. 2. 57. Monteſl. 7. M. S. Rom. Prou B. 119.
Franciſcus Peruſiæ Sacris Canonibus ſtudet, & Epiſcopus Æſinus deſignatur. Petr. 655. Matt. 2. 57. Monteſl. 57. M.S. Prou. Brix. A. 128. M. S. Rom. Prou. B. 119.
Epiſcopatui, ac rebus omnibus renuncians Ordinem minorum





Obſeruantium ingreditur. Petr. 676. Matth. Monteſl. M.S. Rom. Prou. & Brix. ibid.
In virtutibus ſe exercet, ac plurima prudentia, ac vitæ integritate præſtat. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid. Monteſl. ibid.
Prædicator Apoſtolicus inſtituitur, & magna cum vtilitate Dei Verbum diſſeminat. M. S. prou. Brix. & Rom. ibid. Petr. 679.
Ob innatam humilitatem, & modeſtiam ab omnibus diligitur. Matth. 2. 59.
Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus, cum Bernardino Aſtenſi de Reformatione agit. Petrac. 680. Matth. 2. 58. Monteſl. M.S. Prou. Rom. & Brix. ibid.
Cum Ludouico Foroſemproniano pertractat, & cum eo pactum init. Petr. 365. Matth. 2. 59.
Reformationis Decretum à ſede Apoſtolica, inter Obſeruantes inſtituendæ obtinet. Petr. 580. Matt. ibid. Monteſl. 57. M.S. Prou. Brix. A. 128.
In carcerem cum Socio in Piceno detruditur. Petrac. 680. Monteſl. M.S. Brix. ibid. M.S. Prou. Rom. B. 119.
Tandem ad Capucinos cum Bernardino Aſtenſi, atque aliis migrat. Petr. Monteſl. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Gulæ vitium abſtinentia, ac ſobrietate perimit. Matt. 2. 59. Montef. 58. M.S. Prou. Brix. A. 129. M.S. Prou. Rom. B. 119.
Semel in die cibum citra ſaturitatem ſumit. Petr. 685. Matt. 2. 60. M.S. Brix. & Rom. Monteſl. ibid.
Veram abſtinentiam in quo poſitam eſſe exiſtimaret. Matth. Montef. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
De abſtinentia, huius Patris doctrina exaratur. Matt. Monteſl. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Oratio abſtinentiæ Scopus eſt, ad quam ea tendere debet. Matth. Montef. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Ratio huius rei perpenditur. Matth. Monteſl. M. S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Paupertatem quanto ſtudio proſequeretur, nonnullis ab eo geſtis declaratur. Matth. 2. 60. M.S. Prou. Brix. A. 130. M.S. Rom. Prou. B. 120.
Quorſum Nemora fratribus conceſſa ſint, exponit. Matth. Montef. ibid. M.S. Prouinc. Brix. A. 139. M. S. Rom. B. 121.
In Siciliæ oleas, amigdalas, quæ rerum prouiſionem redolebant, ſuccidi iubet. Montef. 58. M.S. Prou. Brix. 130. M.S. Rom. Prou. B. 120.
A rerum omnium prouiſione maximè abhorret. Matt. 2. 61. Montef. 59. M.S. Prou. Brix. A. 131. M.S. Rom. 120.
Socium, quòd in itinere cibum tuliſſet, increpat, & ab ipſo abſtinet. Matth. 2. 60. Montef. M.S. Prou. Rom. B. ibid. M.S. Prou. Brix. A. 130.
Ædificia, quæ paupertatis regulas excedebant, diruenda curat.
Nihil ædificatione periculoſius eſſe affirmat. Matth. Montef. M.S. Brix. & Rom. ibid.
Fratri, qui ipſius in ædificando exceſſum notauerat, quid reſponderit. M. S. Prou. Brix. & Rom. Matth. Montef. ibid.
Quænam Fratrum ædificatio eſſe debeat, ex pauperum habitationibus colligit. Matth. Montef M.S. Prouinc. Brix. & Rom. ibid.
Ex indumentorum vilitate à Regula præcepta, probat ædificiorum vilitatem quoque præceptam eſſe. Matth. Montef. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Pactum inter Deum, & Capucinos initum quodnam ſit. Montef. 60. M.S. Prou. & Rom. ibid.
Qui in Religione abſque ſpiritu viuunt, Inferni pœnas ſuſtinent. Montef. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Internam ſpiritus paupertatem ſæpè Fratribus commendat. Montef. M. S. prou. Brix. & Rom. ibid.
In quo ea conſiſtat, aperte docet, ac pluribus proſequitur. M.S. Prou. Brix. & Rom. Montef. ibid.
Humana omnia haud ſat eſt contemnere, ſed ſe ipſum quoque quiſque deſpicere debet, vt perfectam ſpiritus paupertatem aſſequatur. Monteflor. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Amor ſui ab Animo expellendus. M.S. prou. Brix. A. 131. Monteſl. M.S. Prou. Rom. ibid.
Homo Natura non liber, ſed Dei ſeruus Naſcitur. Montef. M.S. Rom. Prou. ibid.
Promptus eſſe debet ad omnem Dei voluntatem implendam. M.S. Prou. Brix. A. 130. Monteſl. 60. M.S. Rom. Prou. B. 122.
Quàm ab hypocriſi Dei Seruus cauere debeat, inductione confirmat. Montef. M.S. Prou. Rom. ibid.
Eorum miſeriam deplorat, qui honores, ac dignitates indignis ſtudiis in Religione proſequuntur. M. S. Prou. Rom. B. ibid.
Capucinorum Religio, ſub Franciſco Generali, magna in Regulari obſeruantia incrementa ſumit. M.S. Prou. Brix. A. 131.
Ipſius in dicendo vis exemplo Nurſiæ Vrbis illuſtratur, quæ ipſius prædicatione odia exuit. Petr. 690. Montef. 61. Matt. 2. 67. M.S. Prou. Rom. B. 122.
Præcepto Dæmonem ab homine obſeſſo fugat. Petr. 692. Matt. 2. 63 M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Opuſcula quædam plurimùm commendata edidit. petr. 692. Montef. 61. M.S. Prou. Rom. B. 122.
Peruſiæ bonis operibus plenus in Domino quieſcit. petr. 690. Montef. M.S. Prou. Rom. ibid.
Tertio poſt obitum die Ioanni Baptiſtæ à Nurſia apparet. Salod.
Franciſci fune, quo præcinctus erat, obſeſſa à Dæmone liberatur. Petr. 691. Montef. 61. Matth. 2. 63. M.S. Prouinc. Rom. B. 122.
F. Bernardinus Mutinenſis Capucinus, ex ipſius capitis contactu à grauiſſimo capitis dolore incolumis euadit. Petr. 691.
F. Ioannes Baptiſta Pedemontanus orans pro Franciſci & Paul. III. Pontificis animabus reuelationem, à B. Virgine accipit. Petr. 692.
Franciſcum in Cælum conſcendiſſe, Paulum III. Purgatorij pœnis cruciari audit. petr. ibid.
poſt decimum à Franciſci obitu annum, ipſius corpus integrum reperitur. Salod.
Ioannes Baptiſta à Nurſia Franciſci Socius, poſt eum tertia die è viuis excedit. Matth. 1. 65. Petr. 912. Montef. 40. M.S. Brix. A. 67. M.S. Rom. Prou. B. 104.
Pro Virginitate Adoleſcens Deum deprecatur. Matt. ibid.
Virginem, quæ ei deſponſata fuerat deſerens, ad Obſeruantium Monaſterium fugit, & ab iis ad Ordinem recipitur. Petr. 902. Montef. 37. M.S. Rom. Prou. B. 102.
In oratione ac virtutibus proficit. Petr. 908. Montef. M.S. Rom. ibid.
Franciſco Æſino familiariſſimus, ab eo multa de virtutum profectu addiſcit. Petr. 910. M.S. prou. Brix. A. 66. & Rom. ibid.
Cum Franciſco impigrè pro Reformatione inter Obſeruantes ſtatuenda laborat. Matth. 2. 63. Montef. 58. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Pro ea ſimul cum Franciſco carceri traditur. Matt. Montef. M.S. Prou. Brix. ibid. M.S. Prou. Rom. B. 101.
Ad Capucinos cum eodem migrat. Petr. 902. Matth. M.S. Prou. Rom. ibid.

Contemplationi ac ſolitudini deditus Fratrum conſortia deuitat. Petr.905. Matth.2.63. Monteſ.37.
A nouis Monaſteriorum ædificationibus abhorrens, horrendo exemplo Fratres deterret. Petr.903. Matth.2.64. M.S. Prou.Brix. A.66: M.S.Prou.Rom. B.103.
Exemplum narratur, ibid.
Dæmon in puellæ ſpecie in Monaſterio recipi poſtulat, & à Ioanne Baptiſta Guardiano agnitus eijcitur. M.S. prou. Brix. A.67.
Nonnulla viuens miracula edit. Salod.
Sui obitus præſcius grandiorem arcam confici iubet, quæ ipſum cum Franciſco caperet. Matth.2.65.
In ſui tranſitus hora Franciſcum glorioſum ſibi apparentem videt. Matth.ibid. Monteſ.40. M.S.Prou.Brix. A.67. M.S.Prou.Rom. B.104.
Decantans Hymnum O glorioſa Domina ad Deum migrat. M.S.Prou.Brix. A.ibid.
F. Albertus à Neapoli eum Dei iudicio adſtantem videt, & ad Cæli præmia conſcendere. Matth.2.66.
Cuidam Deuoto poſt mortem gloria coronatus apparet. Salod.
Poſt decem annos, ſimul cum Franciſci corpore ipſius corpus incorruptum reperitur. Salod.
Paulus III. Pontif. poſt quindecim Pontificatus annos ex humanis excedit. Platin. Ciauon. de Vit. Pontific.
Capucinorum detractor in Oppido Melpignani, crudeliter ante Conuentus fores occiditur. M.S. Prou. Hydrunt. t.1.82.
Alter Capucinorum detractor à Dæmone interficitur. M.S. Prou. March. tom.1.116.
Ordinis Benefactor miraculo ab hoſte defenditur. M.S.Prou. March. tom.4.449.

## Annvs Christi, 1550.

Bernardinus Generalis Conſtitutiones in Romana Prouincia edit. M.S.Salod.
Quæſtionem de vſu Pallij inter Fratres exortam diſſoluit, nonnulla prius declaratione præmiſſa. Matt.2.53. M.S. Prou.Brix. A.157. Salod.
Ipſius ſententia de vſu Pallij proponitur. Matth.2.14. M.S. Brix. ibid. Salod.
F. Antonius à Monte Siccardo ad cæleſte præmium vocatur. Petr.870. Matth.1.134. Monteſ.9. M.S. Prou.Brix. A.30. M.S.Rom. B.80. Salod.
E ſæculo ad Obſeruantes migrat. Petr.858. Matth.1.129. Monteſ.4. M.S.Prouinc.Brix. A.28. M.S.Prou.Rom. B.76. Salod.
Oblatas inter Obſeruantes dignitates recuſat, eiuſque rei cauſa redditur. Petr.857. Matth.1.129. Monteſ.4. M.S. Prou.Rom. B.76. Salod.
Sanctitatis nomen inter Obſeruantes adipiſcitur. Petr. Matt. Monteſ. M.S. Prou. Rom. ibid. M.S. Prou. March. 2.76.
Capucinorum Reformatione num alia perfectior eſſet, dubitans, pueri ore confirmatur. Petrac.859. Matth.1.129. Monteſ.5. M.S.Prou.Brix. A.28. M.S prou.Rom. B.76.
Ad Capucinos cum pluribus eiuſdem familiæ Fratribus migrat. Petr.860. Matth. Monteſ. M.S.Prou.Brix. & Rom. ibid.
Præclarum virtutum tyrocinium inſtituit. Petrac. Matth. Monteſ. ibid.
Se, alióſque ad perfectam rerum abrenunciationem prouocat, fratris cuiuſdam à Deo damnati exemplo. Petr.865. Matt.1. Monteſ.5. M.S. Prou.Brix. A.28. M.S.Prou. Rom. B76.
Frater inter Obſeruantes, ob quinque Coronas abſque Superioris licentia quæſitas, iuſto Dei Iudicio condemnatur. Petr. Monteſ. M.S.Prou.Brix. & Rom. ibid.
Quomodo id acciderit narratur. Petr Monteſ. M.S. Brix. & Rom. ibid.
Antonij de ſuperfluis, ac minus neceſſariis reſecandis doctrina. Matth.1.131. Petr.866. Monteſ. M.S. Prou.Brix. ibid. M.S.Prou.Rom. B.77.
Coronam dono acceptam Duciſſæ Vrbinatum in morte renunciat. Petr.867. Monteſ. M.S. Prou. Brix. & Rom. ibid.
Dæmonem videt, qui Nouitium inobedientiæ tentat. M.S. Prou. March. t.2.96.
Per triginta annos in pane, & aqua victitat. Petrac.861. Matth.1.130. Monteſ.9. M.S. prou.Brix. A.28. M.S. prou.Rom. B.80. M.S.Prou.March. t.2.96.
Itinere fatigato panis à Domino miniſtratur. Petr.867. Matth.1.131. Monteſ.8. M.S. Prouinc.Brix.29. M.S. Prou.Rom. B.78.
Ad cuiuſdam libri Lectionem in extaſim rapitur, ac toto corpore in aëra ſubleuatur. Petr.863.
Variè à Guardiano examinata illius virtus, probata conſpicitur. Petr.864.
In ſtabulo orans, corpore ſurſum in aëra fertur. Petrac. ibid.
Quanta corporis compoſitione horas Canonicas perſolueret. Petrac.869. Matth.1.131. Monteſ.9. M.S. prou. Brix. A.30. M.S.Prou.Rom. B.80.
Pleriſque ægrotis ſanitatem impertit. Petr.870. Matth.1.132. Monteſ.8. M.S.Prou.Rom. B.79.
Ruſticus ægrotans dum ad eum accedit, in itinere ſanatur. Petr.871. Matth.1.132. Monteſ.7. M.S.Prou.Brix.29. M.S.Prou.Rom. B.78.
Puerum mortuum ab eo ſuſcitatum celebris fama. Petr.872. Matth.1.132. M.S.Prou.Rom. B.80.
Sua oratione incendium extinguit. Petr.871. Matth.133. Monteſ.7. M.S.Prou.Brix. & Rom. ibid.
A Chriſto Domino in libro vitæ conſcribitur. Petrac.863. Matth.1.182. Monteſ.8. M.S. prou.Brix. A.30. M.S. Prou.Rom. B.79.
Grauiſſimam carnis tentationem ſuſtinet. M.S.Prou.March. t.2.96.
Placidè Maceratæ in Domino obdormit. petrac.870. Matt.1.134. Monteſ.9. M.S.Rom. B.80.
F. Petrus à Mazaria Siculus prauè à pueris educatus, plurimis vitiis irretitur. Petrac.147. M.S. Panorm. Prou. t.1.p.1.
Scortum, ac riualem crudeliter necat. M.S. Panorm. ibid.
Puellum in fruſta ſecat. ibid. & 316.
Proſcriptorum caput efficitur. M.S. Prouinc.Panorm. tom.1. p.1.
Arma ſibi diuinitus ſubrepta videns, ad ſe ipſum redit. M.S.Panor. ibid.
Scelera multis lachrymis deplorat. M.S.panor. ibid.
Ad Capucinorum Ordinem confugit, & in eo recipitur. ibid.
Inſignis ipſius patientia, & humilitas variis actibus oſtenditur. Matth.2.180. M.S.Prou.Panor. ibid.
Inter pſallendum adhuc Nouitius in extaſim rapitur, & in aëra ſubleuatur. M.S.panor. ibid.
Ad Nouitiorum educationem vocatus, quænam pœnitentiæ opera præſtaret. Matt.2.180.
Superbæ cogitationis motum quanta ſeueritate in ſe ipſo caſtigauerit. Matt. ibid.
Carnem ferreis catenis flagellat. Matth. ibid.



Prouincialis Monaſteria nudis pedibus abſque ſoleis viſitat. M.S.Prou.Panor. tom.1. pag.3.
Ad Martyrium ſummo ſtudio flagrat. Matt.2.180. Petrac. 1049.
In Aphricam cum Cæſaris Claſſe proficiſcitur. Matth.186. Petr.1052.
Crucifixum in manu gerens Chriſtianos Milites ad pugnam animat. Petr.1052.
Primus Vrbis mœnia conſcendit, & Chriſtum in Arce collocat. M.S. prou.Panor. tom.1. pag.4. Iouius 2. par. hiſt. lib.33.
In reditu extremum diem claudit, & diem obitus prænunciat. Matt.2.181. Petr.1054.
In Conuentu Caſtriueterani ſepelitur. Matth. ibid.
Poſt annum, ferè omni ex parte integrum, eius cadauer reperitur. Matth.2. ibid.
Dæmon ipſius ſepulchrum exhorret. M.S.prouinc.Panor. t.1. pag.316.
F. Antonius à Politio abſtinentia mirabilis, & corporis auſteritate clarus. M.S.Prou.Rom. C.22. M.S.Prou.Panor. t.1. 10.56. Matth.2.184.
A Dæmonibus ſæpè infeſtatur. M.S. Prou. Panor. t.1.10. & 96. Matth. ibid.
Clarus miraculis in Domino quieſcit in Conuentu Politij. M.S.Prou.Panor. & Rom. C.22.
F. Gabriel à Caltaxiletta ſanctitate celebris moritur. Matt. 2.184.
F. Rogerius à Caſtro-ioannis virtute eximius. M.S. prou. Panor. t.p.57. M.S.Prou.Rom C.22.
Tentatus à Dæmone Chriſtum Crucem baiulantem videt, à quo verba conſolationis accipit, & in pace quieſcit. M.S. Panor. ibid. & M.S.Rom. ibid.
Nouitius in Conuentu Potentiæ, dum aquam fontis attingit, meditationi vacans, in aëra ſubleuatur. M.S.Prou. Hydrunt. tom.1.117.
Nouitius ab Ordine dimiſſus, dum in ſæculo S. Franciſci Regulam obſeruat, in morte à Deo inter Capucinos computatur. M.S.Prouinc.Hydrunt. tom.p.171.

## Annvs Christi. 1551.

Ioannes à Medina Campi Hiſpanus, nobili genere ortus, à puero ad diuina propendit. Chron.ord. Min.3. par. l.9.c.34. Petr.932. Matth.2.67. M.S. Prou. Panorm. tom.2.
Ad Carthuſianos, hinc ad Obſeruantes ſe confert, & in Obſeruantium familia profeſſionem emittit. Chron. ord. ibid. Petr.933. Matth. ibid.
Ad Reformatos poſt profeſſionem migrans, aſperam inter eos vitam ducit. Chron.ord.Min. ibid. Matth. ibid.
In Prouinciam S. Gabrielis migrat, vbi illi Monaſterij quarundam Monialium cura committitur. Chron Matth. ibid. M.S.Prou.Etrur. E.63.
Deum per Monialem conſulit, vbi Regulam perfectiùs obſeruare queat. M.S.prou.Etrur. ibid. Salod.
Audit ad Capucinos illi tranſmigrādum eſſe: hinc in Italiam proficiſcitur, & Capucinis adiungitur. Chron. ord. ibid. Petr.934. Matth.2.67. M.S.Prou.Etrur. ibid.
In Tuſciæ Prouinciam mittitur, vbi cæleſtem vitam inſtituit. Petr.934. Matth.2.68.
Arctiſſimum ſilentium ſeruat. petr. ibid. Salod.
De rebus diuinis melliſluè loquitur. Petr.938. Matth. ibid. Mar.188. Monteſ.30. M.S. Prouinc. Rom. B.97. Salod.
Quotidie in pane, & aqua ieiunat. Petr. Matt. Monteſ. ibid. Salod.
Aſperum cilicium gerens, nudis ſemper pedibus abſque ſoleis incedit. Petr.934. M.S.prou.Brix. A.142. Monteſ. M.S. prou.Rom. B. ibid. Salod.
Aſſiduè in oratione pernoctat, tribus tantum, aut quatuor horis ſomno indultis. Petr. Matth. Salod. ibid.
Vſque ad decimam, & vndecimam horam ſæpè in oratione defixus perſeuerat. Matth.2.68. Monteſſor 31. Salod.
Miſſæ Sacrificium quotidie deuotiſſimè offert. Petr.935. Matth. Monteſ. ibid. Salod.
Non alio, quàm Sancti Hiſpani nomine vocitatur, Chronic. Ord. ibid. Matt.2.67.
Reuelationes à Deo accipit, ad Religionis ſtatum ſpectantes. Chron.ord. ibid. Petr.934. Matth.2.69. Mar.188. Monteſ.31. M.S.Prou.Brix. A.143. M.S. Prou. Rom. B.97. Salod.
Quandiu Capucinorum Religio, in ſuaui Chriſti Domini amore permanere deleat, exponit. Matt. M.S. Prou.Rom. ibid. Salod.
Fratri ab eo ſciſcitanti: num prælationes iuſtè recuſare poſſet, quid reſponderit. petr.936. Matt.2.68. Monteſ.30. M.S.Prou.Brix. A.143. Salod.
Superioribus quid agendum, vt prælationem ritè exerceant. Petr.937. Matth.2.68. Monteſ.31. M.S. Brix. ibid. Salod.
Ad martyrium ſummo ſtudio flagrat. Chronic.ord. ibidem. Petr.939. Matth.2.69. Monteſ.32. M.S. Prou.Brix. A. 144. Salod.
Cum Ioanne Appulo, facultatem ad Infidelium terras eundi à Generali Aſtenſi Aſſiſij poſtulat. Chron.Ord. ibid. Petr. Matt. Monteſ. ibid. Salod.
Ea facultate impetrata ambo Venetias pergunt, ac Conſtantinopolim proficiſcuntur. Petrac.940. Matth.2.69. Salod.
Chriſtum Saracenis Conſtantinopoli prædicant. Matth. ibid. M.S.Prou.Brix. A.144. Salod.
A Saracenis varias contumelias ſuſtinent, ac Iudici ſiſtuntur. Matth. Salod. ibid.
Iudex flagellatos in carcerem trudit. Matth. ibid. Salodienſ.
A Chriſtianis Mercatoribus liberantur, & ad deceſſum compelluntur. Matt. ibid. Salod.
Nauigio in Palæſtinam pergunt, & loca ſancta viſitant. Chron.ord. ibid. Petr.941. Matth.2.69.
Alexandriam adnauigant, atque inde Memphim proficiſcuntur. Chron.ord.3. par. l.9. c.35.
Ad Deum per aliquot dies preces fundunt. Salod.
A Iudæo hoſpitio excipiuntur. Chron. ord. ibid. Petr.942. Matt.2.69. Salod.
Baſſæ Vrbis, aliquid illis communicandum Iudæo aperiunt. Chron.Ord.Petr.Matt. ibid. Salod.
Baſſam Vrbis aggredi proponunt, vt eum ad Chriſti fidem conuertant. Chron.ord. Matt. Petr. ibid. Salod.
Iudæus Baſſæ Fratrum verba renunciat, & dies audientiæ ſtatuitur. Chron.ord. petr. Matt. Salod. ibid.
Ioannes cum Socio Baſſæ Chriſti fidem prædicantes, ab eo in vincula conijciuntur. Chron.ord.Petr. Matth. Salod. ibid.
Optimis cibis, velut amentes, vt ad mentem reuocentur, recreantur. Chron.ord. petr. Matt. Salod. ibid.
Iudici Vrbis ſiſtuntur, atque ab eo interrogantur. Chron.ord. Matth ibid. Petr.944. Salod.
Ioannes Chriſti Fidem Iudici annunciat, & in Mahometem inuehitur. Chron.ord. Matt. Salod. ibid.
Martyres diris Iudicis præcepto flagellis cæduntur, & in tenebroſum carcerem conijciuntur. Chron.ord. Matt. ibidem Petr.945. Salod.

*Martyres Deum laudantes, hymnos canunt.* Petrac. 944. *Salod.*

*Iudex iterum vocatis perſuadet, vt Chriſti fide abnegata, quæ aduerſus Mahometem dixerant, reuocent. Petr. ibid. Salod.*

*Martyres dicta pro fide confirmant, atque ardentiùs Chriſtum Iudici prædicant. Petr. 945. Salod.*

*Iterum durioribus flagellis, atque aliis tormentis cruciantur.* Petr. 945. *Salod.*

*Iudicem inter flagella irrident; ac turbas adſtantes ad Chriſti fidem amplectendam prouocant.* Salod.

*Sæpè diuerſis ſuppliciis Martyres afficiuntur. Chron. ord. ibid.* Salod.

*Perpetuo carceri à Iudice ſine cibo, ac potu mancipantur, vt in eo intereant. Chron. ord. Matth. ibid.* Salod.

Martyres *audita Iudicis ſententia, exultantes carcerem ingrediuntur, ac Deum ex animo laudant. Salod.*

*In carcere fame perempti Martyrium fœlicitèr conſumant. Chron. ord. Min. ibid.* Petr. 945. *Salod.*

*Ab* Oratore *Regis Chriſtianiſſimi à Baſſà impetrati, mortui in carcere reperiuntur.* Petrac. Matth. *Chron. Ord. ibid. Salod.*

*Quidam Conſtantinopoli capitis obtruncatione, hos* Marty*rium ſubiiſſe contendunt.* Monteſ. 32. M. S. prou. *Brix. A.* 144.

*Caput quoque Ioannis Sacerdotis obtruncatum, per horam Chriſti fidem populis prædicare tradunt. Hieronym. à Monteſl.* 32.

*Ioannes Apulus in Hiſpaniam ductus, in Diſcalceatorum ordine recipitur, & Alexandri nomen ſortitur.* Matth. 2. 70. Petr. 1080. M. S. *Prou.* P*anorm. tom.* 2.

*Omni virtutum laude floret.* Petrac. 1082. Matth. 2. 70. *Salod.*

Martyrij *cupidiſſimus in omni ſe auſterioris vitæ ſtudio exercet.* Matth. *ibid. Salod.*

*Oratione potiſſimum vacans, ſepulchrum ſibi pro Oratorio eligit.* Petr. March. S*alod. ibid.*

*Cum tribus aliis eiuſdem ordinis Fratribus, de* Miniſtri *Generalis licentia, ad Infideles pergit.* Petrac. Matth. *ibid. Salod.*

*In* Mauritaniam *profecti,* Mauris *fidem prædicant, multiſque ab iis verberibus afficiuntur.* Petr. 1083. Matth. 2. 70. *Salod.*

*In ſiccam ciſternam detruſi, lotio, ac quiſquiliis eò proiectis variè vexantur.* Petr. *Salod. ibid.*

*Iudæorum pietate iis cibi miniſtrantur,* Petrac. *Salod. ibid.*

*Chriſtianis tandem* Mercatoribus *venduntur, à quibus ab eo ergaſtulo liberantur, & in Chriſtianorum terras inuiti reducuntur.* petr. 1083. *Salod.*

*Tertio impetrata licentia ad Infidelium terras penetrat, ac repetita ſupplicia patitur.* petrac. *ibid. Salod.*

*Ad Capucinos migrans in Apuliam mittitur, vbi auſteriſſimam vitam ducit. Petr.* Matth. *ibid.* M. S. Prou. P*anorm. tom. 2. Salod.*

*Antrum ſibi in hoſpitium impetrat, in quo humi cubans, in pane, & aqua quotidie victitat.* Petrac. 1089. *Matth.* 2. 70.

P*anem ex obedientia mendicans, niuem nudis pedibus calcat, & gelu illi crura contrahuntur. Petr.* 1080. S*alod.*

*Ad Conuentum* Montis-*Caſalis tranſmiſſus fabarum certum numerum, pane omiſſo, ſibi ad cibum cum aqua ſtatuit.* Petrac. 1089. Matth. 2. 70. M. *S.* Prouinc. Panorm. *tom.* 2.

*Aſperum cilicium geſtat toto anni tempore, ſolo habitu contentus. Salod.*

*In oratione, ac præſertim in Dominica Paſſionis meditatione ingentes clamores edit.* Petr. 1090. *Salod.*

*Dæmones eum ſæpè ab oratione deturbant, ferarum rugitus edentes. Petrac.* 1091. *Matth. ibid. M. S.* Prou. P*anor. Salod.*

*Dæmonis arte manum ſibi malleo ferit.* Matth. 2. 71. *Salod.*

*Dæmones ſe latronum animas ſimulantes, ſigno crucis in fugam compellit.* Petr. 1091. *Matth. ibid. Salod.*

*Belzebub de Ioanne conqueritur, quòd Animas ad pœnitentiam ducat.* Salod.

*Belzebub minatur eum de rupe præcipitem agere, ab eoque fugatur.* Petrac. *ibid.*

*Belzebub ſæpè Ioannem infeſtat. Matth. 2. 71.* M. S. *Prou. Panor. Salod.*

*Sub ſpecie Draconis eidem apparet.* Petrac. *Matth. ibid Salod.*

*Sub Galli, ac impudicæ Mulieris ſpecie, ab eo ſæpè viſus* Petr. *Matth. ibid.* Salod.

*Sub Iunioris Adoleſcentis ſpecie, quietem illi intercipit. Matth. ibid. M. S. Prou. Punor. Salod.*

*Dæmon Cellæ oſtium occluſum tenens, Ioannem ad caſum compellit. Petr.* 1091. *Matt.* 2. 70. *Salod.*

*Viſio Templi Ioanni diuinitus demonſtratur, ac declaratur. Petr.* 1096. *Matt. ibid. Salod.*

*Multis miraculis coruſcat. Petrac.* 1099. *Matth.* 2. 72. *Salod.*

*Abſens mulierem peperiſſe nunciat. Salod.*

*Puellam cancri morbo laborantem ſanat.* Petr. 1100. *Matt. ibid. Salod.*

*Pro Martyrio orans, à Deo Martyrij promiſſionem accipit.* Petr. 1096. *Matth.* 2. 71. *Salod.*

*Aſſiſium veniens, ab Aſtenſi Generali facultatem ad Infideles tranſmigrandi obtinet.* Petr. 1100. *M. S. Prou.* P*anor. Salod.*

*Cum Ioanne Hiſpano Martyrio Memphi coronatur. Chron.* 3. *par. l.* 9. *c.* 34. *Matth.* 2. 73.

*F. Iulianus* Salodienſis, *Vir magnæ orationis à Dæmonibus vexatur. Matth.* 2. *in fol. ſeparato.*

*Viſione diuina in die Aſcenſionis Domini potitur. Matt. ibid.*

Diem *ſui obitus prænunciat. Matth. ibid.*

*F. Alexius à Cunio in morte B. Virginis, & B. P. Franciſci aſpectu fruitur. Salod.*

*F. Dominicus Bononienſis, vita, & miraculis floret in Prouincia Tuſciæ.* Petrac. 983. *Matt.* 2. 91.

*F. Albertus à Neapoli virtute conſpicuus, Ioannem Baptiſtam à Nurſia ante Dei Tribunal ſtantem videt, Dei viſionibus potitur, & in Cælum migrat. Matt.* 2. 66.

*Montis-calerij apud Taurinenſes familiæ, Deus in ſumma rerum egeſtate Miraculo prouidet. M. S.* Prou. *Vmbr. E.* 683. *M. S.* Prou. *Gen.* 168.

*In Conuentu Potentiæ Fratribus, proximo ante Quadrageſimam die, obſonio carentibus, obſonium Scropha ſylueſtris miniſtrat.* M. S. *Prou. Lucan.* 186.

*Frater inobediens, ac propriæ voluntati deditus, abſque ſignis contritionis decedit, & in Inferno ſepultus conſpicitur.* M. S. prou. *Hydrunt. tom.* 2. 127.

## Annus Christi 1552.

**O***Ctauum Capitulum Generale Romæ celebratur, & Euſebius Anconitanus Generalis eligitur. M. S. Prou. Rom. B.* 33. *M. S. Prou. Brix. A.* 154. *M. S. Prou. Ven. M.* 171. *Salod.*

*Ordinis Conſtitutiones illuſtrantur, & augentur. M. S. Prou. Rom. B.* 34. *Salod.*





*Conſtitutiones Bernardini Aſtenſis Generalibus Conſtitutionibus additæ.* M. S. Prou. *Rom. ibid.* M. S. *Prou. Ven.* 170. *Salod.*

*Conſtitutiones Generales Venetiis primò typis mandantur.* M. S. Prou. *Vmb. in lib. ſeparato.*

*B. Matthæus à Baſclo Venetiis extremum diem obit.* M. S. Prou. *Venet.* P. 6. M. S. *Prou. March. tom.* 1. *in fol. ſeparato, tom.* 2. 55. *Salod.*

*Ipſius Vita, & geſta narrantur.* M. S. Prouinc. *March. tom.* 2. 55. *M. Scrip.* Prou. *Ven.* P. 6. M. S. Prou. *Brix. A.* 155. Petr. 115. *Mar.* 38. Matth. 1. 63. *Chron. ord.* Min. 3. *par. l.* 9. *c.* 36. *Salod.*

*Matthæus à* Puero *ad diuina propenſus, cæteros pueros ad deuotos actus compellit.* M. *S.* Prouinc. Brix. *A.* 13. M. S. Prou. *Bonon. t.* 1. 299. *Chron. ord. ibid. Salod.*

*Duodecim annorum tunicam talarem rudem induit.* M. S. *Prou. Bono t.* 1. 300. *Salod.*

*Nomen Ieſu cum pueris acclamans milites terret, & in fugam compellit.* M. S. *Prou. Bono. ibid.* Salod.

*Puer in platea pœnitentiam peccatoribus prædicat. M. S.* Prou. *Bono. ibid. Salod.*

*In morbum incidit, in quo auſteritatem non deſerit.* M. S. Prou. *Bono. tom.* 1. 301. *Salod.*

*Gallina Silueſtris inter ipſius manus incubat, ac domeſtica efficitur. M.* S. Prou. *Bon. ibid. Salod.*

*Gallina muſcas circa illum volitantes venatur. M. S.* Prou. *Bonon. ibid. Salod.*

*Minorum Obſeruantium Ordinem ingreditur. Petr.* 115. *Mar.* 38. Matt. 1. 6. M. S. *Prou. Brix. A.* 13. *Chron. ord.* 3. *par. l.* 9. *c.* 36. *Salod.*

*Virtutibus ſtudet, & ad liberalia ſtudia promouetur, tandem Prædicator inſtituitur.* Mar. 39. *Salod.*

P*eſte laborantibus Camerini inſeruit.* Petrac. 116. *Matth.* 1. 64. *Salod.*

*Pro Ordinis reformatione Deum iugiter orat.* Petrac. 116. *Mar.* 39. *M. S.* Prou. *Brix. A.* 13. *Chron. Ord.* 3. *par. l.* 9. *c.* 36. *Salod.*

*Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutionem, ad puerorum in fide Chriſtiana educationem, primus introducit.* M. S. *Prou. March. Salod.*

*Parua vini lagena ipſius oratione multis bibentibus ſufficit, tum plena reſtituitur.* M. 1. *Salod.*

*Turbas ad Deum laudandum prouocat. Matth.* 1. 162. *Salod.*

*Vita ipſius auſteritas commendatur.* Petrac. 115. *Mar.* 38. *Matth.* 1. 69. M. S. prou. *Brix. A.* 13. *Chron. ord.* Min. 3. *par. lib.* 9. *c.* 36. *Salod.*

*Ad Capucinorum Conuentus pro neceſſariis rebus confugit.* Petr. 603. M. S. Prou. Brix. *A.* 154. *Salod.*

*A Paulo III. pontifice in Germaniam mittitur.* Petr. 602. *M.* 1. 162. *M. S. Prou. March. t.* 1. 138. M. S. Prou. *Ven.* 6. *Chron. ord. ibid. Salod.*

*Caſtra Cæſaris præcedit, ac Milites ad Victoriam aduerſus hæreticos animat.* Petr. 602. *M. S.* prou. *March. t.* 1. 128. *Chron. ord. ibid.*

*Inter tormentorum, ac bombardarum ictus ſtat incolumis. M. S. Prou. March. ibid.* M. S. *prou. Bono. t.* 2. 82. *Chron. ord. ibid.* Salod.

*Ipſius habitus, carne intacta, vndique globulis bombardarum perforatus cernitur.* M. S. Prou. *March. ibid. M. S.* Prou. *Bono. t.* 2. 28. *Salod.*

*Militum* Ducem *blaſphematorem corripit. M.* 2. *Salod.*

*Ob liberum increpandi genus variis contumeliis afficitur.* M. S. *Prouinc.* Bono. *t.* 2. 203. *Salod.*

*S. Michaëlis Eccleſiam in Gargano monte inuiſit.* M. S. prou. *S. Ang. tom.* 2. 52. *Salod.*

*Ex fœneratoris pane ſanguinem elicit. M. S. Prou. S. Ang. t.* 1. 49. *t.* 2. 58. *Salod.*

*Infantem vbera ſugentem Capucinum futurum eſſe præſignificat. M. S. Prou.* S. *Ang ibid. Salod.*

*Malo in capite percuſſus percuſſori graue periculum prædicit. M. S. Prou. March.* 73. *Salod.*

*E fœneratoris veſte ſanguinem exprimit. M. S.* Prouinc. *March. tom.* 1. 128. *M. S.* Prouinc. *Bono. tom.* 1. 74. *Salod.*

*Tabernariis quibuſdam propria delicta pandit, iiſque Dei iram comminatur.* Matt. 1. 163. *Salod.*

*Rhetorem de occulto peccato obiurgat. M. S.* Prou. *March.* 129. *Salod.*

*Vrbinatibus futuram calamitatem prænunciat. M. S. Prou.* March. *ibid. & to.* 2. 56. *Salod.*

*Mortem Iuuoni poſt triduum prædicit. M. S.* Prou. Bono. *t.* 2. 158. *Salod.*

*Ludenti, qui eum ob correptionem colapho percuſſerat, mortem poſt tertium diem annunciat.* M. S. prou. *March. t.* 1. 129. *& M. S.* Prou. *Bono. t.* 2. 149. *Salod.*

*Iuuenculæ petulanti mortem poſt octauum diem comminatur.* M. *S* Prou. *Bono. t.* 1. 113. *Salod.*

*Ob liberas increpationes variis contumeliis afficitur.* M. S. prou. March. *t.* 2. 57. *Salod.*

*Fuſtibus cæditur in Oppido Carpij, & extra Oppidum eijcitur.* M. *S. Prou.* Bono. *t.* 1. 74. *Salod.*

*Cuiuſdam, qui eum percuſſerat, patronum apud Inquiſitorem ſe gerit. Salod.*

*Quædam diuinæ vindictæ exempla narrantur, quæ* Matthæo *contumelias inferentes comprehenderunt. M. S.* Prouinc. March. *t.* 2. 57. *Salod.*

*Horrenda cuiuſdam Curati Mors enarratur.* M. S. *Prouinc. Bono. t.* 1. 301. *Salod.*

*Sanguinis fluxum per vndecim annos abſque remedio patientiſſimè ſuſtinet.* M. S. Prouinc. *Bonon. tom.* 2. 30 *Salod.*

*Montes Pietatis ad fœnora expellenda inſtituit. M. S.* Prou. *Bono. t.* 1. 229. *t.* 2. 148. *Salob.*

*Fabas ad pauperum alimoniam ſeminat, quæ diuino miraculo multiplicantur.* M. S. prouinc. Bono. *tom.* 2. 129. *Salod.*

*Dum* Miſſæ *Sacrificium celebrat, in extaſim raptus in aëra eleuatur. Salod.*

*De luxuria à Dæmone tentatus, nudum ſe inter vepres volutat. M. S. Prou. Bono. t.* 3. 140. *Salod.*

P*leraque ipſius miracula narrantur. Salod.*

*Gurgitem altum ſicco veſtigio pertranſit, & ſuper aquas incedit M.* 54. *Salod.*

P*adum bis ſtrato pallio traijcit.* Matth. 1. 162. *Salodienſ.*

*Arimino, ſtrato ſuper vndas pallio, Venetias concedit M. S.* Prou. *Ven.* P. 4. *Salod.*

*Caſu in* Mare *propè* P*iſaurum demerſus, ante nauigium Venetias peruenit.* 52. *duo quoque alia.* M. S. *& Salodienſ.*

*Venetiis Tribunalia percurrit, ac ſolitas increpationes inculcat.* M. S. *Prou. Venet.* P. 5. *Chron. ord.* 3. *p. l.* 9. *c.* 36. *Salod.*

*Ab Vrbe dimittitur, & Foſſam Clodiam deſtinatur.* M. S. prou. *Ven. ibid. Chron. ord. ibid.*

*Lucerna Iuſtitiam per Tribunalia quærit.* M. S. Prou. *Ven. ibid. Salod.*

*Venetias ſibi ſubſtrato ſuper vndas pallio remeat, ac Populi applauſu excipitur.* Matth. 1. 164. M. S. *Prou. Ven. ibid Salod.*

# Index Rerum & Auctorum.


Ad Quaranthiæ Tribunal conſueta increpatione obſtrepit,& eyci iubetur. M.S.Prou.Ven.P.8.Salod.

Venerius Senator pro Matthæo cauſam agit,& vt liberè increpet,à Duce obtinet. M.S.Prou.Venet.ibid.Salod.

Veneriy pro Matthæo defenſio exaratur. M.S.Ven. Prou. Salod.ibid.

Venerius commendatur, & illius poſt hæc proſperitas narratur.Salod.

Matthæi vita auſteritate plena. M.S. Prou. Brix. A.13. Chron.ord.3.p.l.9.c.36.Salod.

A Plebano ſancti Moyſis in domum recipitur. M.S. Prou. Brix.A.155. Matth.1.164 Petr.604. M.S. Prou.Ven. P.5. Chron.ord.ibid.Salod.

Matthæus vile cubiculum ſibi eligit,vbi cæleſtem vitam pœnitentiæ plenam ducit. M.S.Prou.Brix. A.155. Petrac. 604.M.S.Prou.Ven.P.5.Salod.

Matrona epota aqua, quæ Matthæo ſuperfuerat, à dentium dolore curatur.M.S.Prou.March.129.Salod.

Mulier ex vberum morbo, epoto vino, quod Matthæo in calice ſuperfuerat,ſanatur. M.S. Prou.March. 1.p.73. Salod.

Laborans iſchiadico morbo, cum morbi locum aqua lauiſſet, quæ Matthæo ex pedum ablutione ſuperfuerat, à morbo curatur.M.S.Prou. March.t.2.57.M.S.Prou.Ven. P.5. M.S.4. Salod.

Quidam diu ægrotans ab eo Crucis ſigno ſanatur. M.S. Salod.

Iuuenis Matthæum verbis inſectans, à Domino percutitur, & à Matthæo ſanatur. Matth. 1. 163. M. S. Salod.

Alter febri acuta laborans poſt confeſſionem peccatorum, & Euchariſtiæ ſumptionem,à morbo liberatur. M.S. Prou. Ven.4.Salod.

Dæmon in Simiæ ſpecie Legiſperito ſeruiens, à Matthæo detegitur, & ab illius domo expellitur. M.S. prou.Ven.p.6. Salod.

Maris aquam ſalſam dulcem ſigno Crucis præſtat. M.S. Salod.

Pallium imbre madidum ſuper ſolarem radium extendit, & ab eo ſuſtinetur.M.S. Prou.Ven.11.Salod.

Morræ cuidam, & filiis à peſte incolumitatem perpetuam pollicetur.M.S.Prou.Ven.A.Salod.

Iudæis prædicat, & Iudæum quendam miraculo ad fidem conuertit.M.S.Prou.Ven.B.Salod.

Venetiis in morbum incidit, ac multa incommoda ſuffert. M.S. Prouinc. Ven.P.6. M.S.Prou. March.tom.2.55. Salod.

Pœnitentiæ Sacramentum à Minoribus Obſeruantibus eidem miniſtratur. M.S.Prou.March. tom.1.in fol.ſeparato. tom.2.58.Salod.

Oblatos cibos ad pauperem quandam mittit, miſſióque miraculo comprobatur.M.S.Prou.Ven.P.7.Salod.

Claudus, aqua, qua Matthæi pedes lauit, ſanatur. M.S. Prou.Marc.t.1.128.t.2.57.Salod.

Solus nullo præſente, Deo ſpiritum reddit. M.S. prou. Ven. P.6.Salod.

Matthæi anima,ſub candida columbæ ſpecie,Cælum conſcendere ab ancilla conſpicitur. M.S. Prou. March. t.1.129. t.2.58.M.S.Prou.Brix.A.155.Salod.

S.Marci, & S.Moyſis Campanæ nullo pulſante audiuntur. M.S.Prou.March.Ven.& Brix.ibid.Salod.

Pueri turmatim ipſius obitum per Vrbem incedentes annunciant.M.S.Prou.March.& Brix.ibid.Salod.

Obſeſſi à Dæmonibus magnos edunt clamores. Petrac.608. M.S.Prou.Ven.P.6.Salod.

Suauiſſimus odor è Defuncti corpore effunditur. Petr.612. M.S.Prou.Mar.tom.2.57.Salod.

Cæca mulier ad ſui corporis contactum à cæcitate liberatur. M.S.Prou.Brix.A.155.Matt.1.165. Petr.608.M.S. Prou.March.t.1.in fol.ſeparato.Salod.

Magna populorum turba ad S.Viri domicilium affluit ac funus proſequitur. M.S.Brix. ibid. M.S. March.58. Salod.

Funus à populi multitudine intercipitur, & ad Eccleſiam S.Moyſis redit.Chron.ord.3.p.lib.9.302.Salod.

Lis inter Minores Obſeruantes, & Plebanum de Matthæi corporis ſepultura oritur, & ante Apoſtolicum Nuncium agitur. Petr.610. M.S. Prou.Ven.P.6.M.S. Prouinc. March.t.1.in fol.ſeparato.Chron.ord.ibid.

Parochiæ S. Moyſis Proceres ad Tribunal decem Capitum confugiunt. M.S.Prou.Ven.& March.ibid.Salod.

Matthæi corpus clam, Nuncij Apoſtolici ſententia, ad S. Franciſcum de Vinea aſportatur. M.S. Prou. Brix. A.155. Matth.p.165. M.S.Prouinc.Ven. & Chron.ord. ibid.Salod.

Populi multitudo ad Conuentum Minorum Obſeruantium confluit.M.S.Prou.Ven. P.8.M.S. prou. March. t.1. in fol.ſeparato.t.2.55.Chron.ord.ibid.Salod.

In communi Fratrum ſepulchro Nuntij decreto conditur. M.S. Prouinc.Venet. & March.ibid. Chron.ord. Salod. ibid.

Obſeſſi quamplurimi ad illius ſepulchrum à Dæmonibus liberantur.M.S.Prou.Ven.P.6. M.S. Prou.March.ibid. Salod.

Quamplurima ibi miracula patrantur. M.S. Prou.Ven. ibid.M.S.Prou. March.t.2.56.Petr.613.Salod.

Corpus in alium tumulum transfertur. M. S. prou.March. t.1.129.Chronic.Ordin.Min.ibid Salod.

In tranſlatione Matthæus dextero bracchio eleuato ſignum benedictionis edit. M.S. Prouinc.March. ibidem. Salod.

Per duodecim annorum ſpatium ipſius ſepulchrum à Populorum frequentia viſitatur. M.S. prouinc. Venet. P.6. Salod.

Cathalogus miraculorum,quorum memoria integra eſt, deſcribitur.Pet.613. M.S.Prou.March. t.2.65. M.S.prou. Brix.A.155.Salod.

In Conuentu Bugellenſi in ſumma neceſſitate Fratribus è Cælo Deus annonam prouidet. M. S. Prouinc. Mediol. 435.

Maximæ charitatis,& honeſtatis exēplū,quod in Hydruntia Prouincia accidit, refertur. M.S Prou.Hydr.t.1.96.


## Annus Christi. 1553.


EVſebius Generalis paupertatis obſeruantiſſimus nullam rerum prouiſionem ferebat. Petrac.734. M.S. prou. March.t.2.95.M.S.Prou.Brix.A.160. Matt.2.94.

Quacumque rerum prouiſione Regulæ puritatem minui ſentiebat.Petr.734.M.S.Brix.prou.ibid.Matth.ibid.

Fratrum animos plurimum ſuis ſermonibus in Regulæ doctrina illuſtrabat. Montef.66. M.S. prouinc. Brix.159. M.S.Prou.Rom.D.69.

Simplicitatis amicus, quibus lampades circulis fulciri vellet. M.S.Prou.Brix.A.160.

Ipſius de Paupertate doctrina commendatur. M. S. Brix. Montef.ibid.

Ad rerum diuinarum contemplationem Fratres allicit.Petr. Montef.M.S.Prou.Brix.ibid.

Quàm in ſe ipſum rigidus eſſet. M.S. Prou. Marc. tom.2.92. Montef.66.M.S.Prou.Brix.159.Matt.2.94.

Carnibus veſci, conualeſcens à morbo recuſat, eo quòd aliis fratribus non ſufficerent.M.S.prou.March.ibid.

Oua caſeo aſpergi prohibet,& qua ratione. M. S. Prouinc. March.tom.2.93.

Religionis diſciplina plurimum ſuo tempore aucta. M.S. prou. Brix.A.160. M.S. Prou. March. tom.2.92. M.S. Rom.B.34.

Deus miraculo confirmat Euſebij doctrinam de rerum prouiſione abijcienda, in Conuentu Montis-caſalis. M.S. Prou.March.t.2.95.

Alterum diuinæ erga Fratres prouidentiæ exemplum narratur, quod in Conuentu S. Angeli accidit. M.S. prou. March.ibid.

F.Matthias Salodienſis ad Capucinos accedit. M. S. prou. Brix. A.167.

F. Bernardinus à Balbano Aletij Hæreticorum ſectam detegit, atque inſectatur. M.S.Prouinc.Hydrunt.t.2.11.

A Sectæ Auctore in itinere appetitur, qui ſtupore diuinitus percellitur. M.S.Prou.Hydrunt.ibid.

B.Virginis erga binos Capucinos in Mare deiectos miraculum narratur. Turſellin.Hiſt.Eccleſ.Laur.l.3.c.15.M.S. Prou.March.t.2.132.

F. Leo Drepanenſis Sacerdos ſanctitatis nomine clarus. M.S.Prou.Panor.t.1.58.M.S.Rom.c.22.

Hydropicus illius ſe cingulo præcingens,ab hydropiſi liberatur.M.S.Prou.Panorm.t.2.10.58.M.S.Rom.ibid.

Ab Angelo ob diminutam pauperibus eleemoſynam corripitur.M.S.Prou.Panorm.t.1.352.

F.Matthæus à Leoniſſa Vir clarus ſanctitate, & miraculis. Petr.657.Matth.2.96.

Leoniſſæ ex piis parentibus oritur.Petr.658.

A puero futuræ ſanctitatis præludia præfert.Petr.ibid.

Adoleſcentiæ illius virtutes deſcribuntur, ac præcipuè Virginalis honeſtas.Petrac.759.

Medicinæ ſtudio vacat,quod ſacrarum literarum ſapore condit. Montef.94.Petr.759.

Ad Religionis ſtatum anhelat, & à parentibus à propoſito reuocatur.Matth.2.95.

Tertij Ordinis S. Franciſci habitum aſſumit. Petrac.760. Salod.

Publico ſtipendio Leoniſſæ à Ciuibus conducitur.Salod.

Orationis, ac virtutum ſtudia cum re medica coniungit. Salod.

Panis ab eo ſigno Crucis benedictus,Medicinæ in pauperes vim,& operationem ſortitur.Salod.

Crucis ſigno grauiter ſauciatum ſanat.Salod.

In ſolitariam Eccleſiam ſecedens corpus flagellat, & orationi inſiſtit.Matt.2.95.petr.759.

Ob Dominicæ paſſionis memoriam,trabem ingentem humeris ſublatam per Eccleſias raptat. Petr.Matth.ibid.Montef. 95.Salod.

Romam proficiſcitur, & ad Capucinorum Ordinem ſe cōfert. Petr. Matt. ibid.Salod.

Mira ob ſuſceptum habitum in Viro exultatio. Petr.760. Matt.2.69.Salod.

Capucinus humanam ſapientiam exuit, & cæca in omnibus obedientia ducitur.Petr.761.Salod.

Nouitiatus diſciplinam toto vitæ ſuæ tempore ſemper integram ſeruat.Petr.ibid.M.S.Prou.Vmbr.l.7.

Vitæ ipſius auſteritas deſcribitur. Petr.761. Matth.2.96. Montef.95.

Aliquando vſque ad decimum ſeptimum diem,abſque vlla refectione peruenit.Matth.Montef.Salod.ibid.

Ipſius in Orationibus vigilantia ac diuturnitas. Matth. 2.96.

Conſuetas corporis in cibo, ac dormitione,apud ſeculares auſteritates obſeruat.Salod.

Sandaliis,& pallio ob ægritudinis moleſtias vtitur.Petr.761. Salod.

In Dominicæ paſſionis meditatione aſſiduus, poſt longam flagellationem trabem humeris impoſitam ad Eccleſias raptat.Petr.759.Salod.

Perſæpè lumina cum eo incedere viſa,dum trabem raptat. petrac.ibid.

Cuiuſdam amiſſa iumenta quærētis animi cogitationem aperit, viámque illi ad ea reperienda demonſtrat.Salod.

Trabis pōdere onuſtus ſe duris flagellis cædit,vt Domini paſſionem ſentiat.Salod.

Cæleſtia lumina,alia in facis, alia in ſtellæ formam à multis viſa,dum trabem raptat.Salod.

Narniæ,dum in Eccleſia Cathedrali Miſſæ Sacrificium offert,in extaſim rapitur.Matth.2.96.Montef.95.

Feruens ipſius erga omnes charitas.Matt.2.96.

Dei Verbum omnibus indifferenter prædicat. petrac. 761 Montef.95.

Virgilium quendam blaſphemantem à Dæmonum furore ſuis precibus liberat.M.S.Prouinc.Vmbr.I.58.Salod.

Lites componit, ac pacem inter inimicos conciliat.Matth. 2. 96.

Arduum aliquod opus aggreſſurus,trabis exercitium præfert. Salod.

Pulmentum cinere aſpergit in Oppido Viſci, & trabem humeris portat,cæleſtiaque lumina videntur. Salod.

Signo Crucis fœminam pleuritide laborantem ſanat.Salod.

Diuinæ prouidentiæ miraculo Fratribus niue obſeſſis de cibo prouidetur,in Conuentu Leoniſſæ.Monteſ.96.M.S. Prou. Vmb. 37. 50. 29. Salod.

Leoniſſæ Conuentum extruit. Salod.

Aquilæ in Aprutia Conuentum ædificat. Salod. petr. 762.

Germanum Fratrem minorem Conuentualem obiurgat, & ad meliorem frugem adducit. Salod.

Puellæ diſtortum os manuum contactu ſanat, atque eidem futurum infortunium prænunciat. M. S. Prouinc. Vmb. L. I. Dum.23. 34. 53. Salod.

Alteri maſculi partum cum ſalutem prædicit. Salod.

Infanti patibulum præuidens, pro eo orat, & diuinam illi miſericordiam exorat. Salod.

Panis cruſtulo,in lampade B. Virginis intincto, ægrotantem ſanat. Monteſ. 96. Salod.

Crucis Signo Cæleſtinorum Prouincialem à morbo curat. M.S.Prou.Vmb.I.74.Salod.

Vinum in dolio Antredochi multiplicat.petr.765. Matth.2. 97.Montef.96.M.S.Prou.Vmbr.I.4.5.60.64.29.

Ad ægroti pauperis ſolatium aquam in vinum conuertit. M.S.prou.Vmb.I.22.Salod.

Quinque huius generis miracula ab eo patrata. M.S. Prou. Vmb.I.25.9.Salod.

Aquilæ mortuum ad vitam Crucis ſigno reuocat. Petr.764. Montef.97. M.S.prou.Vmbr.I.75.

Ibidem alterum Viduæ filium à mortuis ſuſcitat. Petr.Montef.ibid. Matt.2.96.

Ibidem tertium mortuum puerum, Pauli Filium ad lucem reuocat.Petr.776.Montef.97.

Didacus Aquilanæ Arcis Præfecti Filius animam agens,ab eo à morte liberatur.M.S.Prou.Vmbr.73.

Vir quidam Matthæo deuotiſſimus, ipſius adhuc viui abſentis opem in periculo implorat,& impetrat.Salod.

Plurima alia miracula edit.Salod.

Per imbres abſque imbre incedit.Salod.

Sui obitus hora illi reuelatur. M.S. Prouinc. Vmbr. I.79. Salod.

Fratribus,& propinquis valedicit. Salod.

Aquilæ diutino morbo laborat.petr.762.Salod.

Dum equitare recuſat, ab equo omnia ornamenta decidunt. M. S. Prou. Vmb. I. 62.
Fratres ad Regulæ obſeruantiam, & diuinam charitatem hortatur. Salod.
Horam ſui obitus prænunciat. M. S. prou. Vmb. I. 79.
Ex hac luce Aquilæ migrat hoc anno die 21. Iunij. Monteſ. 97. Matt. 2. 77. Salod.
In ipſius obitu cæleſtia lumina Pinnaculum Eccleſiæ Sancti Bernardini circundant. Petr. 768. Matt. 2. 77. Monteſ. 97.
In Eccleſia Cæleſtinorum tumulo conditur. M.S. Prou. Vmb. I. 73. 75. Salod.
Plurimis miraculis emicat mortuus M. S. Prou. Vmb. I. 50. Salod.
Tabellæ ad ipſius ſepulchrum appenſæ, ac lampas ardere permiſſa. M.S. Prou. Vmb. ibid. Salod..
Glorioſus poſt obitum cuidam piæ mulieri Leoniſſæ apparet. Monteſl. 97. Salod.
Alteri mulieri apparens maſculam prolem pollicetur. M. S. Prou. Vmb. I. 68. Salod.
Poſt mortem candidum in ipſius ore lilium exortum. M.S. Prou. Vmb. I. Salod.
Aquilanæ Arcis Præfectus, brachium ex ipſius corpore præciſum ſibi inter reliquias reponit. Petr. 796. Monteſl. 97. Salod.
Ruſticus Arborem S. Franciſci propè Senas amputare auſus, è Cælo fulmine proſternitur. Tarcag. 3. par. 426.
Lucretia quædam, Cæca, Mulier attracta, Laurentius acuta febre laborans, gemini quoque pueri excæcati ligni huius virtute ſanantur. Tarcag. 3. par. 426. Salod.

### Annvs Christi. 1554.

DVo Clerici Capucini in Sicula Prouincia corona donantur M. S. Prou. Panor. t. 1. 57. M. S. Prou. Rom. C. 7.
F. Daniel ante obitum S. Ioſephum, & alios Sanctos ad ſe venientes videt. M. S. Prou. Panor. ibid. M. S. Rom. Prou. C. 23.
F. Bernardinus Aſtenſis moritur, cuius vita deſcribitur à Petr. 799. & 1365. Matt. 2. 7. Monteſ. 51. M.S. Prou. Rom. D. 72. M. S. Prou. March. t. 3. 256. M.S. Rom. B. 114. Ianuæ.
Ex illuſtri Palliorum familia oritur. M. S. Prou. Rom. D. M. S. Prou. March. t. 3. 265. Petr. 799. Salod.
Romam à Patre mittitur, vt liberalibus ſtudiis incumbat. Petr. ibid. Matth. 2. 7. M.S. Prou. Brix. A. 98. Salod.
Minorum Obſeruantium Ordinem ingreditur. Petrac. 800. Matt. ibid. M.S. prou. Rom. B. 114. M. S. Brix. ibid. Salod.
Ipſius abſtinentia commendatur à Petr. Matt. ibidem.
Virginitatem perpetuò coluit. Petr. Matth. ibid. Monteſl. 51. M. S. Prou. Rom. & B. 114. Salod.
Studiis Theologicis incumbit, ac inſignis Theologus, ac Lector euadit. Petr. 804. Matt. ibid. Monteſl. 51. M.S. Prou. Rom. & Brix. ibid. Salod.
Ob literaria ſtudia, Orationis ſtudium non intermittit. M. S. Prou. Brix. ibid. Salod.
Ordinis Procurator apud Obſeruantes eligitur, & cum Franciſco Aeſino, pro Reformatione laborat. Petr. 800. Matth. Monteſl. M. S. Prouinc. Rom. & Brix. ibid. Salod.
Ad Capucinos apparitione quadam excitatus migrat. Matt. 2. 7. Petr. 801. M.S. prou. Rom. & Brix. ibid.
Apparitio narratur à Matt. M. S. prou. Ianuæ. ibidem. Salod.
Bernardinus à Ludouico Foroſemproniano Veruſiam mittitur. Petr. 592. Salod.
Ab Antonio Pileario excipitur hoſpitio. Petr. ibid. Salod.
Antonius Pilearius Vir bonus & rectus. Petr. 592.
Moriens filius Antonij, Capucinorum in Vrbem Veruſiam aduentum prænunciat. Petr. ibid.
Antonius Capucinos vt filios habet.
Bernardinus Monaſterium in monte Malbi Veruſiæ ædificat. Petr. 593.
Bernardinus Romam redit, & Generalis eligitur M. S. Prou Rom. 332.
Bernardini laus, & ingentia erga Religionem beneficia M.S. Prou. Rom. B. 33. petr. 1364. 1365. 1366. Matth. 2. 89.
Quindecim vel ſexdecim horas in oratione inſumit. Salod.
Generalis ad ſextam quotidie vſque horam orat. Salod.
Dum ſacra Miſſæ Myſteria peragit, ſæpè ſplendor ex ipſius vultu emicat. M. S. Prou. Genu. 452. Matth. 2. 12. Salod.
Quàm quamlibet temporis iacturam magnifaceret. Pet. 803. Salod.
Non niſi poſt ſacra peracta, & prolixam orationem, ad Fratrum viſitationem accedit. Monteſl. 53. M.S Prou. Brix. A. 112. Salod.
Quanti diuinas laudes, quæ in Chro canuntur, æſtimaret, quaque deuotione perſolueret. Monteſl. 95. Salod.
Cuncta, diuinorum officiorum tempore, intermittenda eſſe admonebat. petr. 308. Matt. 2. 9. Monteſ. 55. M.S. Prou. Brix. A. 102.
Quanta in Fratrum viſitatione prudentia, & charitate polleret. petr. 303. M. S. Brix. 104.
Bernardinus diues quidam pœnus, ex quo quiſque vitæ cibum hauriebat. Salod.
Rituum vniformitatem eandem vbiq; obſeruari curat. M.S. Prou. Brix. A. 104. petr. 1369. Salod.
Altiſſimam Regulæ paupertatem Fratrum animis ſermonibus inſtillat, quam Chriſti hæreditatem appellat. Monteſl. 53.
Orationem Corporis, & Animæ ſimilitudine maximè commendat. Petr. 807. Monteſ. 94. M. S. Prou. Brix. 105. Salod.
Quibus verbis Orationem apud fratres commendaret. Monteſl. Petr. ibid.
Fratrem tentatum ad orationem compellit. Petr. 706. Monteſl. 54. Salod.
Exteriorem ſenſuum mortificationem quanti faceret, Clerici exemplo oſtenditur. Petr. 807. Monteſl. 53.
Inutiles fratrum occupationes reprehendit. petr. 808. Matt. 2. ij.
Corporalia exercitia, qua deuotione perfici vellet. Petr. 808. Matth. 2. ij. M. S. Prou. Brix. A. 404.
Oratio Obedientiæ pediſſequa. Petr. 809. Monteſl. 54.
Intimas animi cogitationes percipit. Salod.
Aſtenſis Archidiaconi factum narratur. M. S. prou. Genu. 515. Salod.
Cuidam Ordinis Benefactori defuncti fratris gloriam reuelat. Salod.
Angelum Spoletanæ Vrbi ſtricto gladio minitantem cernit, ab eoque myſterium diſcit. Salod.
Damnatorũ Prouincialium equitatum obuium habet, quorum damnationis cauſam à Laico diſcit. M. S. Prou. Rom. A. 4. 5. Salod.
Dæmonum caſtra orans ante ſe gradientia videt, quidque portendant, à Dæmone intelligit. Matth. 2. 13. Salod.
Pro Ochino dum orat, ipſum in morte ſaluandum fore, à Domino accipit. M.S. Gen. Prou.
In Hiſpaniam proficiſcens damnatæ cuiuſdam Mulieris ſimulachrum cernit, ac pleroſque ad Tartara duci conſpicit. Salod.
Orans extaſes, ac raptus patitur, & in aëra ternis cubitis effertur. M.S. Prou. March. t. 3. 265. Salod.
In itinere vi ſpiritus impulſus, ſæpè per aëra haſtæ vnius altitudine volitat, volatumque ad bina milliaria extendit. M.S. Prou. March. t. 3. 256.
Diſcretam tam in cibo, & potu, quàm in cæteris rebus auſteritatem colit. Matt. 2. 8. M. S. Brix. A. 404.
Omnem in via cibi prouiſionem ſocio interdicit. Petr. 809. M. S. Prou. March. t. 3. 156. Matth. 2. 12.
Ab Angelo illi cibi in itinere deferuntur. M. S. Prou. Gen. 72. Matth. ibid.
Panis Bernardino, ac ſociis ex itinere defeſſis, diuinitus miniſtratur. M.S. Prou. Gen. 73.
Pedemontij Monaſteria viſitans ab Angelo panes, & vini lagenam accipit. Petr. 810.
Cum Franciſco Aeſino iter faciens cucurbitulam vacuam vino plenam reperit. M. S. Prouinc. Ianu. 73.
In Generalibus Conſtitutionibus ſancit, ne cibi annonam fratres itinerantes ſecum deferant. Petr. 810. Salod.
Quàm in ædificandis Monaſteriis paupertatis, ac ſimplicitatis ſtudioſus eſſet quibuſdam exemplis declaratur. Salod.
Fani Conuentui, eò quod paupertatis metas excederet, maledicit, ac repente totus vſque ad fundamenta ruit. Salod.
Ipſius erga ægrotos charitas Vini miraculo à Deo commendatur. petr. 814.
Romæ Vinum in dolio Baptiſtæ cuidam multiplicat. petr. 815. Matth. 2. 13. Salod.
Morbo, quo Ioſephus à Mediolano tenebatur, per literas imperat, & protinus ab illo abſcedit. petr. 812. Monteſ. 56. Matth. 2. 12. Salod.
Fons aquæ, vinum tandiu Bernardino, ac pleriſque fratribus propinat, quoad omnes ſitim extinguant, tum ad propriam naturam redit. Petr. 813. M.S. Prou. March. tom. 3. 256. Matt. 2. 12.
Aſinus, quo Bernardinus vehebatur ſoleam ferream, Ferramentario pretium reddit. M.S. Prou. Genu. ij.
Tabernarium Cœnæ pretium poſcentem trutinæ miraculo ad pietatem compellit. M.S. Prou. Gen. ij.
Tabernarij, & Cardinalis ab eo hoſpitio excepti factum narratur. M.S. Prou. Gen. ibid.
Tabernario Vinum Bernardino deneganti, vini dolia exſiccantur, verùm ab eo benedicta vino plena inueniuntur. Salod.
Defunctum Viduæ filium ad viuos reuocat. M. S. Prou. Ianuen. 73.
Pauli III. Pontificis de Bernardino Elogium. Salod.
Apud omnes ſanctitatis fama conſpicuus. Petr. 811. Matth. 2. ij.
Theologicas diſciplinas Romæ prælegit. Petr. Matth. ibid.
Romæ in morbum incidit. petr. ibid.
Cæleſti ante obitum viſione fruitur, ac placidè in Domino obdormit. Petr. 82. Monteſl. 56. Salod.
Conuentus Montiſ Caluariæ hoc anno Bononiæ fundatur. M.S. prou. Rom. t. 1. 241.
Tiferni obſeſſi à Niue fratres, à Deo cæleſtem annonam accipiunt. M.S. Prou. Vmbr.
Crucem ligneam ex arbore S. Franciſci fabrefactam, dum nobilis à fratribus accipit, equus cui inſidet, in priora genua procidit. M. S. prou. Mediol. 412.
Crux è ligno S. Franciſci compacta in igne non comburitur, a Feleque ab igne eruitur. M.S. Prou. Mediol. ibid.
Tres mulieres partu laborantes, dum Religionis ſe fune præcingunt, à periculo liberantur. M.S. prou. Hydrunt. t. 1. 131.

### Annvs Christi. 1555.

NOnum Generale Capitulum Firmi in Piceno celebratur, in quo Euſebius Generalis confirmatur.
F. Hieronymus à Piſtorio ex Obſeruantium familia ad Capucinos tranſit. M.S. Prou. Tuſciæ. A fol. 12.
Graues in Religionem excitantur procellæ.
In Veneta Prouincia Fratres peſte laborantibus inſeruientes Deo animas ſanctificant, treſque in eo opere è viuis migrant. M. S. Prou. Ven. m. 171.
F. Matthæus Rheginus Calaber, ob humilitatem ad ſacerdotium promoueri recuſat M.S. Prou. Rheg. 2. fol. 82.
Vitæ auſteritate, ac virtutibus fuit illuſtris M.S. Prou. Rheg. 1. 9.
Signo Crucis Fabrum lignarium ex caſu confractum ſanat, ac pleroſque alios eodem ſigno incolumitati reſtituit. M.S Rheg. ibid.
Rhegij in Calabria moritur, obitu ſuis Fratribus prædicto. M.S. Prou. Rheg. 1. 9. & 2. 81.
Poſt mortem è Corpore ſuauem odorem efflat. M. S. Rheg. p. 9.
F. Antonius Siculus, charitate, ac patientia inſignis. petr. 1131. Matth. 2. 126.
Lanium ſua patientia ex contumelioſo pium ac deuotum præſtat. petr. 1130. Matt. ibid.
Charitate erga ægrotos effuſus. petr. Matth. ibidem.
Romæ hoc anno moritur. petr. 1132. Matt. 2. 126.
F. Lucas à Nario ſacerdos Siculus, humilitate, abſtinentia, charitate, ac vitæ auſteritate floret. Matt. 279. M. S. prou. Rom. C. 23. M.S. Prou. panor. t. 4. 6.
Conſilium à Dæmonibus aduerſus Siciliæ Prouinciam agitari diuinitus accipit. Matt. M.S. Prouinc. Rom. & Panorm ibid.
Dæmonem fratris humero innixum in oratione videt. Matt.. M. S. Prouinc. Rom. & Panor. ibid.
Alium quoque Dæmonem in horto, ficus cuidam fratri ex arbore porrigentem cernit. Matth. ibid. M.S. Prouinc. Rom. C. 25.
Pleráque à Dæmonibus patitur, Matt. ibid.
A Dæmone ex alto loco deiectus, dum cruribus confractis dolores ſuſtinet, Chriſtum Crucem ferentem conſolatorem accipit. Matth. ibid.
A colicis doloribus à B. P. Franciſco manus tactu liberatur. Matth. 2. 179.
A ſubuerſione quoque, B. P. Franciſci ope eripitur. Matth. ibid. M.S. Prouinc. Rom. c. 24. M.S. prou. panorm. tom. p. 6.
Vrceolos vitreos confractos ſigno crucis inſtaurat. Matth. M. S. prou. Rom. ibid.
Signo Crucis Mulierem paralyticam ſanat. Matt. ibid.
Aqua ab eo benedicta Adoleſcentem moribundum ſanat, hauſtu illi porrecto. Matt. ibid.
Nari extremum diem clarus miraculis claudit. Matt. M.S. prou. Rom. & panorm. ibid.
F. Ioannes Candela Rheginus Laicus, plurimis virtutibus clarus. M.S. pr. Rheg. p. tom. fol. 8. 10. 2. 82.
Obitum ſuum ante praſciuit. M.S. prou. Rheg. tom. 1. fol. 10.
Auicula moribundo adſtitit, quæ ſuo cantu mortis illi dolores leniuit. M. Rheg. ibid.
Rhegij in Calabria moritur, ac ſepelitur. M.S. prou. Rheg. ibid. & 10. 2. 81.
F. Bonauentura Rheginus Laicus, ſanctitate conſpicuus. M.S. prou. Rheg. t. 2. f. 9.
Oratione Deo familiaris, maximaque in eum Fide inſignis.

*M.S.prou. Rheg. ibid.*
*Fornacem calcariam, quæ ruinam minabatur, Signo Crucis munitus accenſam ingreditur, ac ruinas inſtaurat. M.S.* Prou. *Rheg. t.2.f.* 10.40. 50.
*Panem à Deo diuinitus operariis impetrat. M. S. Prouinc. Rheg. t.1.fol.* 10.
*Diuinitus à trabis lapſæ pondere preſeruatur. M. S.* Prou. *Rheg. t.1.f.* 10.
*Obitus ſui horam prænuncians Rhegij extremum diem obiit.* M. S.prou. *Rheg. idem.*
Poſt *mortem Corpus niue candidius apparet, ac ſuauiſſimum dolorem reddit.* M.S. prou. *Rheg.t.1.f.10.t.2.f.* 82.
F. *Seraphinus Aſculanus hoc anno ad Religionem euolat. In eius Vita. M.* S. Prou. Vicent.
*F. Leo Veronenſis Sacerdos virtutibus emicat.* M. S. *venet.* Prou. S. M. 161.
*F.* Petrus *Clodienſis ſeptuagenarius Religionem ingreditur, ac dignam Deo vitam ducens, ſanctius occumbit.* M. S. *Ven.*Prou.*M.S* 163.
Concionatoris *eximius pro* Catholica *Fide zelus oſtenditur.* M.S.*Gen.*Prou.
*Heretici in Capucinorum necem conſpirant.* M. S. *Gen.* Prouinc.
*Taurinenſis* Conuentus *familia ſe ad martyrium parat. M. S. Gen.* Prou.
*Hæreticos terror diuinus inuadit, & ad fugam compellit. M.S.Gen.*Prou.

### ANNVS CHRISTI. 1556.

F*Ratris Ioſephi à Ferno vita deſcribitur à* Petr. 709. Matt.2.159.M.S *prou.Brix.A.*147.*Monteſ.*75.*M.S.* prou.Mediol.165.355.
*In* Minorum *Obſeruantium Ordine Tocologiam profitetur* Paliantiæ. petr.M.S *Prou. Brix. ibid.*
*F. Ioſephus Epiſtolam à F. Franciſco à* Canobio Capucino *accipit.* Petr.M.S.*prou.* Brix. *ibid.*
*Eam ſpernit, ac publicè irridendam proponit.* petr.M.S.pro. Brix. *ibid.*
*Plerique ea Epiſtola compunguntur.* Petr.M.S.Prouinc.*Brix. ibid.*
*Hieronymus Nouarienſis Sacriſta Ioſephum adit. Petrac.* 709.
*Ioſephus ea ſe Epiſtola commotum fatetur. Petr. ibid.*
Cum *aliis quatuor ad* Capucinos *migrat.Petr.* M. S. *Prou. Brix. ibid.*
*Verus Seraphicæ Regulæ cultor virtutum omnium ſtudia proſequitur.* petr.710. *Matth.* 2. 159. *M.S.* Brix. *ibid.*
Primus *Quadraginta horarum Inſtitutor fuit. Petr. Matth. ibid. M.* S. *Brix. A.* 148.
Mediolanenſes *bellis moleſtatos ad* 40. *horarum Orationem prouocat. Petr.* 711. *Matt.* 2. 159. Monteſ. 75. M. S. *Brix.* 149.
*Ea adhuc in Mediolanenſi Vrbe perdurat.* Petr. *Monteſ. ibid.* M. 2. 160.
*Quadraginta horarum Orationis quanta vis ſit, & efficacia declaratur.*
*Ticini, & Senis, quadraginta horarum Orationem magno cum Animarum fructu celebrat.* Matth.2.161. *Petr.* 712.
*Aretii eandem Orationem inſtituens, Vrbem odiis dilaceratam reſtituit.* Matth. Petr. *ibid.*
*Ioſephi conſilium de Oratione Aretij inſtituenda diuinitus confirmatur.* Matth. Petr.*ibid.*
*Vrbis Aretinæ ad ſecundum Ioſephi aduentum exultatio.* Matth. *ibid.* Petr. 713.
Pauli *III.* Pontificis *Exercitus Eugubiam obſidere parat.* Petr. 716.*Monteſ.*76.
*Ioſephus Orationem* 40.*horarum Eugubinis perſuadet, ac liberationem pollicetur.* Petr.717.*Monteſt.*76.
*Nix copioſa è Cælo cadit, quæ exercitum detinet.*Petr.*Monteſt. ibid.*
*Magiſter eqquitum, bis ex equo labitur. Petr. Monteſt. ibid.*
*Eugubium ab obſidione liberatur, & ritu perpetuo publicus Campanæ ſonitus ſancitur.* Petr. *Matth. ibid.*
*Congregationem Somaſcham, & aliam Clericorum* S.Pauli *Decollati conſilio, & viſitatione iuuat.* petrac.Matth. *ibid.*
*Apud Capucinos ſæpè Prouincialis, & Generalis Capituli anno* 1552. *Deffinitor eligitur.* Matth.2. 161.
*Senem quendam, F.* Marij *à Foro Sarſinio patrem ægrotum Crucis ſigno à morbo liberat.* Petr. Matth. *ibid.*
*Clericum Regularem Congreg. Somaſchæ, Crucis ſigno à febre ſanat.* Matth. *ibid.*
*Vacuum fratris Germani dolium, eo imperante, vinum effundit. M.S.*prou. Mediol.*D.*
*In Conuentu* Mediolanenſi *è viuis excedit. M.S.Prou.* Mediol. *D.*Matt. *ibid.*
*F. Angeli Saonenſis vita deſcribitur à Petr.*743.*M.S.Prou. Bonon.t.*3.50.
*Ex Obſeruantium familia ad Capucinos migrat.* Petrac. *ibid.*
*Inſignis diuini Verbi* Prædicator *fuit, ac perfectus Regulæ cultor.*Petr.743.M.S.Prou. *Bononi.to.*3.50.
*Antiquum de ipſo Elogium.* M.S.*prou.Bono.t.*3. *ibid.*
*Hominem ad necem vulneratum ſigno Crucis incolumem præſtat.* M.S.*prou.* Bono. *t.*1.241.
*Puerum neruis attractum, Crucis ſigno integræ ſanitati reddit.* M.S.*prou.*Bono. *ibidem.*
Bononiæ *Capucini ab exordio malè excepti.* M.S.Pr. *Bonon. t.*1.55.
*Aeſij in Piceno Deo Animam reddit.* Petr. 743.
*In Conuentu* Potentiæ, *Deus* Panem *fratribus, in ſumma neceſſitate adminiſtrat. M.S.*Prou.*Lucaniæ* 116.118.
*Duo Fratres* Syracuſanæ Prouinciæ *nocturno tempore, per nemora gradientes miraculosè hoſpitio excipiuntur.* M.S. Prou.*Syracuſ.t.p.*73.74.

### ANNVS CHRISTI. 1557.

F*Ratris Ioſephi de Colle amato vita deſcribitur, à* Mar. *fol.* 72. & 143. *Matth.*1.117.*M.S.*Prou.*March.t.*1.167. *t.*2.48. Salod.
*A pueritia pietatis ſemina à Deo inſita accipit. Matt.*1.119. Petr.639.
*In Minorum Obſeruantium Ordinem Nouitius conſcribitur, à quo tamen ad ſuos redire cogitur. Matt.*1.119.
*Ad* Capucinos *accedit, & à Ludouico Foroſempronium recipitur. Matt. ibid.* petr. 639.
*Annum probationis inter nemora, & montes ob perſequutionem peragit.* petrr.641. *Salod.*
*Ab Angelo in itinere panem accipit.* petr.643. Matt.1.119. *M.S.*Prou.*March.t.*2.50. *Salod.*
*Habitus paupertas, ieiunia, & vitæ ipſius auſteritas deſcribuntur. Matth.ibid.* Petr.142.*Salod.*
*Demones ab oratione illum auocare conantur.* M. S.Prou. Marchiæ *ibid. Salod.*
*Maxima Ioſephi humilitas Petr.* 641. *M.S.* Prou. *March. t.* 2. 51.
*Guardianus ac Nouitiorum magiſter ſæpè creatur.*Petr. M.S. Prou. March.*ibidem.*





*Geminos panes ab Angelo in via accipit, qui octo Fratribus ſufficiunt. Matt.* 1. 121. petr. 642. M.S.Prou.*March.t.* 2. 50. *Salod.*
*Saccus pane refertus in ſumma rerum anguſtia, illo orante à Deo miniſtratur. M.* S. Prou.*March. t.*2.51.*Salod.*
*Febricitantem operarium à febre verbo liberat. M. S. Prou. March. t.*2. 52. *Salod.*
*Oratione à Deo partus felicitatem cuidam fœminæ impetrat.* M.S.prou.*March.t.* 2.51. *Salod.*
*Telam præciſi lintei Sorori multiplicat. M. S.* Prou. March. *ibid. Salod.*
*Altera mulier linei faſciculi partem Viro Dei tribuens, poſtridie integrum reperit. M. S. Prouinc. March. ibidem. Salod.*
*Vini dolium, quod vacuum erat, ad Viri Dei neceſſitatem ſubleuandam plenum reperitur.* M.S.Prou. March.*ibid. Salod.*
*Signo Crucis multis incolumitatem præſtat. M. S.prouinc. March. ibid. Salod.*
*Leproſum Signo Crucis Camerini curat.*Matt.1.120.*M. S.* Prou. *March. ibid.*
P*uerum è feneſtra delapſum, & contrito capite moribundum, Signo Crucis repentè ſanat.* M. S. prou. *March. ibidem. Salod.*
*Fratriæ ſuæ claudam filiam incolumitati reſtituit.* M.S.*Prou. March. t.*1. 167.*Salod.*
*Obitus ſui diem multis prænunciat, & Foroſempronij diem extremum claudit.* Petr.643.M.S.Prou. March.*t.*1.167. *Salod.*
*Ipſius facies poſt obitum pulchrior, quàm viuentis apparet. Petr.* 643. M.S.*Prou. March.tom.* 2. *fol.* 52.
*Duo* Defunctorum *Fratrum corpora, locum illi medium in ſarcophago præbent.*Petr.*M.S.*Prou.March. *ibidem.*
*Populus ob ſancti Viri deuotionem in Conuentum irruit.*M.S. Prou. *March. t.* 1. 167. *Salod.*
*Ioſephi, & aliorum corpora ſuauem odorem efflant.*Petr.643. *M.* S.*Prou.March.t.*2.52. *Salod.*
*F. Ludouici à Fulginio vita deſcribitur à* Petr. 924.Matt. 2.84.
*Ex Obſeruantium familia ad Capucinos tranſuolat.* petr. *Matt. ibid.*
*Vita auſteriſſimus multis virtutibus fulget.* petr. *Matth. ibid.*
Dei *verbum feruido ſpiritu prædicat.* Petr. Matth. 2. 84.
*Solitudinis, & orationis cupidiſſimus eſt.* Petr. 930. *Matt. ibidem.*
*In oratione à ſenſibus abſtractus Petr.* 929. Matt.2. *ibidem.*
*Fulginij ad immortalem vitam vocatur.*petr.930. *Matth.* 2. 89.
P*oſt vigeſimum annum ipſius corpus integrum, & incorruptum reperitur.*petr.932.Matth. 2. 25.
*F. Bonauenturæ à Monteregali Vita deſcribitur à* Petrac. 954.*Monteſ.*33.*Matt.*2.102.
*A Matre optimè educatus vitia odit, Petrac.*955.*Matt.* 2. 103.
Mira *ipſius patientia Miniſtri verberibus comprobatur.* Petr. 957. Monteſt. 34. *Matth.ibid.*
*Exemplum Fratris nimis propinquos diligentis narrat, quem Dæmon præcipitare tentat.* petr.959. 960. *Monteſt.* 34. Matth.2. 102.
Perfectam *Vitæ rationem apud* Capucinos *inſtituit, multis virtutibus florentem.* petr. 956. *Monteſt.* 35. *Matth. ibid.*
*Quodnam is abſtinentiæ genus commendaret.* petr. 956. *Monteſt.* 35. Matt. *ibid.*
*Erga Defunctorum Animas charitate flagrat. Monteſt.* 35. *Matt.* 2. 102.
Prophetiæ *ſpiritu pleraque futura prædicit.* petrac. 966. *Salod.*
*Orans animam Deo reddidit.* petr. 965.Matth.2. 103. *Salod.*
*Poſt quintum annum integrum, ac ſuaue olens corpus ipſius reperitur. Petr.* 966. Monteſ. 37. *Matth.* 2.104.
*Dum exhumatur, pes ipſius ligone vulneratus ſanguinem fundit.* petr.*Monteſt. Matt.ibidem.*
*F.* Franciſcus *Turianus Laicus, Vir abſtinentia, charitate, ac ſui ipſius contemptu admirabilis.* Petr.1112.
*Nudus* Cruce *in humeris ſublata per Vrbem pergit, pœnitentiam prædicans.* Petrac. 1115.
*Romæ Naturæ penſum ſoluit.* petr. 1116.
Perfectæ *charitatis exemplum diuino miraculo commendatur.*petr.1112.

### ANNVS CHRISTI. 1558.

D*Ecimum Generale* Capitulum *Neapoli congregatur, in quo Thomas Tifernas Generalis eligitur.*Matt. 2. 118.*Petr.*1578.M. *S.* Prou. *Rom.B.*35.
*F. Alphonſus Sueſſanus virtute ac prudentia clarus. Matt.* 2. 118.
*De* Procuratoris *Ordinis electione noua ſtatuuntur. Matth. ibidem.*
*F. Euangeliſta à Canobio Ordinis* Procurator *eligitur.*Matt. *ibid.*
*Nonnulla de S. Bernardini, & Apuliæ* Prouincia *decernuntur.* Matth.*ibid.*
*Thomas Generalis Ordinis, &* Priuilegiorum *confirmationem à Pontifice verbotenus impetrat. Matt.*2.119.
*Horribilis in Religionem tempeſtas ſecretò ab æmulis paratur. Matth. ibid.*
*Cardinalis Vitellius cum æmulis in Religionem conſpirat. Matt. ibid.*
*Cardinalis apud Pontificem accuſatus fugam ſibi conſulit, in Religionem tempeſtas ſedatur. Matt. ibid.*
*F. Bernardinus à Balbano Vir prædicatione, ac virtute inſignis.*M. S. prou.*Hidrunt.* 2.ij.
*Eo prædicante, candida columba circa ipſius caput volitare viſa.*M. *S.*Prou. *Hydrunt. t.* 2. *ij.* M. S. Prou. *Rheg.* 2. 95.
*Monaſterium* Mulierum *conuerſarum Aletij erigitur. M.S. Hydrunt. ibid.*
*Matrem, dum prædicat, ex humanis excedentem videt, ac pro ea orari poſtulat. M.S.*Prou.*Rheg.* 2. 95.
*In ſumma victus inopia Deus Fratribus panem miniſtrat. M.S.* Prou.*Lucan.*163.
*In morte de Trinitatis Myſterio à Dæmone tentatus, cum eo ſtrenuè decertat. M.S.Prou.Rheg.ibid.*
*Frater quidam in mortis articulo Romæ conſtitutus, F. Bernardini animam Cælum conſcendentem cernit. M.S.Prou. Rheg. ibid.*
*Nonnulla opuſcula edit, & tandem Coſentiæ extremum diem claudit. M. S.* Prou. *Lucan.* 194. M. S. Prou. *Hydrunt.* 2. *ij.*
*F. Bernardus de Offida Laicus moritur, cuius vita deſcribitur à* Petr. 649. *Matth.*1. 124. Mar. 74. *M.S.* Prou. *March.t.*4.495.*Monteſ.* 3.
Perfectiſſimus *Regulæ, ac præſertim paupertatis cultor fuit. Matt.*1.125.*Petr.*650.*Monteſ.*3.*Salod.*
*Abſtinentia, & Corporis aſperitate admirabilis. Matt.* 1. 124.*Petr.*651. Monteſt. 3.
*Fulginenſis* Conuentus *Guardianus, admirabilem vitæ nun-*

tuit. Matt. 1.126. Petr. ibid.
Quid illis reſponderit, qui illius abſtinentiam ſugillabant. Matt. 1. 128. Petr. 650. Salod.
Quàm paupertatis zelantiſſimus eſſet, vno vel altero exemplo oſtenditur. Matt. 1. 125. Petr. 652. Monteſl. 3. Salod.
Humilitatis, charitatis, ac cæterarum virtutum ſtudioſiſſimus. Matth. 1. 128. Monteſl. 3.
A B. Virgine illi in Oratione apparente, diſcit plenam ſe à Deo peccatorum remiſſionem accepiſſe. Matth. 1. 125. Monteſl. 4. Petr. 653. Salod.
Charitas illius erga proximos, quàm ſingularis. Matt. 1. 128. Petr. 654. Salod.
Mortuum Viduæ filium ad vitam poſt orationem reuocat. Matth. 1. 128. Monteſl. 4. Petr. 654.
Pleraque Miracula Signo Crucis edit. Matth. 1. 127. Montef. 4.
In Conuentu Camerini Animam Deo reddit. Matt. 1. 128. Montef. 4. Salod.
Poſt mortem Mulieri apparet, lugentemque ab afflictione liberat. Matth. ibid. Salod.
F. Ægidius Turrianus Sacerdos, prouincialis Vmbriæ, è viuis excedit. M.S. prou. Vmbr. E. 173.
Regularis obſeruantiæ propugnator acerrimus, ac multis virtutibus clarus. M.S. Vmbr. ibid.
Monaſterium S. Claræ Capucinarum extruendum curat, & modum adminiſtrationis illis præſcribit. M.S. Prou. Vmb. E. 114.
Poſt trigeſimum ſecundum annum ipſius Corpus incorruptum reperitur. M. S. prou. Vmb. E. 173.
Crucifixi Imago Fratribus, qui Epiphaniæ Quadrageſimam ieiunarunt, dextera è Cruce ſoluta, benedictionem illis impertit. M.S. Prou. Vmb. E. 597. M. S. Prou. Genu. 74.
Carolus V. Imperator poſt abdicatum Imperium, morte rebus omnibus vale dicit. Genebrad. in Carol.

## Annvs Christi. 1559.

Thomas Generalis Genuenſem prouinciam viſitat. Matt. 2. 122.
Bugellæ primum Monaſterium extruitur. M. S. prou. Mediol. 435.
F. Petrus à Martina Hydruntinus ad Capucinorum Ordinem quomodo vocatus. M. S. Prou. Hydrunt. t. 2. 17.
Nouitiorum Magiſter, in eo munere varias à Dæmone moleſtias ſuffert. M. S. prou. Hydrunt. t. 2. 17. 18.
Dæmon illi Nouitium ſubripit. M. S. Prou. Hydrunt. t. 2. 18.
Eum Dæmon ſacra Myſteria offerentem interturbat. ibidem.
Dæmonem à Muliere pellit, & pactum cum ea initum reſcindit. M. S. prou. Hydrunt. t. 2. 18.
Orans candidiſſima nube ſeptus videtur. M. S. prou. Hydr. t. 2. 17.
Nonnullos à mutua cæde, Deo reuelante reuocat. ibidem.
Eo orante, Deus ſuis miraculosè in ſumma rerum neceſſitate prouidet. ibid.
Serpentem vaſtæ magnitudinis Signo Crucis adoritur, & manſuetum reddit. ibid.
Orans in rupe pleriſque cubitis in aëra fertur. ibid.
Serpentem fune, quo præcintus erat, alligat. ibid.
Pleriſque diem ſui obitus prædicit. ibid.
Nouitios de Religione mutanda tentatos in vocatione confirmat. ibidem.
Hortulanus dum inobedientiæ cogitationem in animo nutrit, à Dæmonibus ſub Coruorum ſpecie infeſtatur. M. S. Rom. prou. A. 105.
Guardianus Hortulanum ad Confeſſionem hortatur, qua peracta Coruorum multitudo aufugit. ibidem.
Fratres poſt rixam necdum reconciliati, Dæmonem ſub Æthyopiſſæ ſpecie cernunt. M. S. prou. March. t. 1. in fol. ſeparato.
Tabernarius diutino morbo affectus, Capucinorum Religionis merita inuocans ſanatur. Matth. 2. 121.
Paulus 4. pontifex ex humanis excedit. panuin. in Vita Pauli 4. fol. 538.

## Annvs Christi. 1560.

Pius 4. pontifex coronatur. Genebrard. Panuin. in Vit. Pij. 4.
Tridentinum Concilium reuocat. Panuin. in Vit. Pij. 4.
Noua Bulla Religionis priuilegia confirmantur. Matt. 2. 121. M. S. Prou. Brix. A. 161.
Thomas Generalis in Nouitiorum receptione ſeuerus. Matt. 2. 122.
Nouitius à Religione dimittendus mortem à Deo impetrat. ibid.
Beatiſſimæ Virginis in morte aſpectu dignatur. ibid.
Lucania Prouincia à cæteris diſſuitur, ac Prouincia conſtituitur. M. S. prou. Hydrun. p. fol. 1.
Frater Angelus Aſtenſis Concionator, in Obſeruantium familia Doctor ſorbonicus. M. S. Prouinc. Genu. 74. 364.
Ad Capucinos migrat, mulieris caſu perterritus. M. S. prou. 192. Matt. 2. 121.
Caſus mulieris narratur. à Matth. ibidem. M. S. Genu. Prou. ibidem.
Genuæ extremum diem obiit. Matt. ibid. M. S. Prou. Genu. 364.
F. Ludouicus Vrbinas plurimis virtutibus clarus. M. S. prou. March. 2. 116. 117.
Theſaurum in horto fodiens inuenit, & terra illum operiens contemnit. ibid.
Firmi cum ſanctimoniæ fama moritur. ibidem.
F. Hyacinthus à Fano magnæ ſimplicitatis, & patientiæ deſcribitur. M. S. prou. Bono. p. 288. March. to. 1. 80.
Ab Apoſtolis in morte ad Cælum inuitatur, & quid reſponderit. ibid.
Obedientia munitus Cælos ſcandit. ibidem.
F. Benedictus à Brixia oratione, & abſtinentia inſignis à Dæmone multa patitur, & tandem coronatur. M. S. Prou. Tuſc. E. S.
F. Antonius Senenſis magna cum ſanctimoniæ laude vitam claudit. M. S. Prou. March. t. 2. 119.
F. Franciſcus à Sinagria inſignis paupertatis ſectator. M. S. Prou. panor. 1. 30. 31.
In extaſim raptus in aëra fertur. ibidem.
A monaſterio aufugiens à S. Michaële corripitur. ibidem.
Spiritum ſanctum, in die Pentecoſtes, in forma ignis deſcendentem ſuſcipit. M. S. Prou. Panor. p. 22.
In Conuentu Panormitano ad Cæleſtem vitam migrat. ibidem.
Hieronymus à Tipherno Metaurenſi ſanctimoniæ commendatur. M. S. Picen. Prou. 2. 124.
Bartholomeus Nitienſis Sacerdos virtutibus, ac præſertim abſtinentia clarus celebratur. M. S. Ethrur. c. 29.
Petrus Nitienſis Sacerdos, & Benedictus à Media Laicus, Regulari obſeruantia, & virtute illuſtres. M. S. Genu. Prou.
Caput F. Benedicti, poſt multos ſepulturæ annos, ſanguine reſperſum cernitur. M. S. Gen. prou.





Mulier Calathum ouis plenum fratribus erogans, alterum à Deo accipit. M. S Prou. Vmb. E. 497.

## Annvs Christi. 1561.

Generale Capitulum vndecimum Romæ congregatur. Matth. 2. 122. M. S Prou. Rom. B. 37.
Viri illuſtres, qui huic Capitulo interfuere, enumerantur. M. S. Rom. ibid.
Thomas Generalis in Generalatus officio confirmatur. Matt. M. S. Rom. ibid.
F. Euangeliſta à Canobio Procurator Ordinis creatur. M. S. Prou. Rom. D. 74.
F. Euſebius Anconitanus Euangeliſtæ in Procuratoris munere ſufficitur.
Conuentus Caſtrouillari in Calabria, illuſtri B. P. Franciſci apparitione ædificatur. M. S. Prou. Coten. 23.
B. P. Franciſci apparitio narratur. ibid.
Dæmon Conuentus Aquæ Spartæ pacem turbare conatur. Matth. 2. 122.
Sardi fratris ſpeciem aſſumens, Thomam Generalem in familiam concitat. Matth. 2. 124.
Tandem Generalis Dæmonis inſidias animaduertit. ibid.
Peſtilentia in agro Rhegino graſſatur, ac deploranda Vrbis miſeria inſinuatur. M. S Rheg. Prou. 2. 78.
Trium fratrum virtutes deſcribuntur, qui ſe peſte laborantium obſequiis mancipant. M. S. Rheg. ibid.
Omnes peſtilentia ſublati pro charitate occumbunt. ibid.
Hieronymi anima, in ipſa obitus hora, Antonino Rhegino apparet. ibid.
Iacobi anima Guardiani oſtium pulſans ab eo benedictionem petit. ibid.
F. Iacobus Melphitanus vitam cum morte commutat. Petr. 741 Matth. 2. 104. M. S. Prouinc. Hydr. 2. 113.
Inter Minores Obſeruantes illuſtris. Matth 2 104.
Minores Conuentuales malunt ſigillum Ordinis deponere, & Obſeruantibus cedere, quàm à Priuilegiis recedere. Matt. 2. 104.
Melphicti Guardianus inter Obſeruantes, de Regula cum Capucinis agit. Matth. 2. 105.
De reformanda Prouincia cum Miniſtro Prouinciali agit. ibid.
Nonnullos Reformationis articulos proponit. ibid.
Ad Neapolitanam Prouinciam ſe confert, ac Reformationem tentat. ibid.
Neapoli prædicat, & cum Bernardino Senenſi de tranſmigratione ad Capucinos agit. ibid.
Sapienter Ochino honores pollicenti reſpondet. ibid.
Ad Capucinos, poſt Quadrageſimalem prædicationem cum aliis migrat. ibid.
Variis corporis incommodis affectus apud Capucinos fit incolumis, ac forti animo Religionis auſteritates ſubit. ibid.
Foroliuij prædicat, Vrbémque ab hæreſi expurgat, & hæreticorum odium ſibi conciliat. Matth. 2. 107.
Ferrariam miſſus, Eccleſia, ac domus illi à Ciuibus negatur. ibid.
Hugo Boncompagnus Ferrarienſis Epiſcopi Vicarius, de Iacobi doctrina periculum facit. ibid.
Facetum Iacobi dictum, de Deo Ferrariæ non extincto. ibid.
Iacobus de prædeſtinatione ſermonem inſtituit, tum Eccleſiam, ac domum accipit. ibid.
Epidaurum proficiſcitur, vbi Epiſcopus à Republica poſtulatur. Petr. 741.
Iacobus conſtanter Epiſcopatum recuſat. Petr. ibid.
Venetias profectus, ter à Generali Obſeruantium Miniſtro tentatur, vt ad Obſeruantes redeat. Matth. 2. 107.
Sapientiſſima Iacobi reſponſa recenſentur. Matth. ibid.
Aletio fœneratores expellit. M. S. Prou. Hydr. 2. 15.
Apud Proregem à fœneratore accuſatur. ibid.
Quid fœneratori reſponderit. ibid.
Liberè, ac ſeuerè Potentum vitia arguit. ibid.
Auriæ Marchionem hæreſi infectum, fruſtra ab hæreſi reuocare nititur. ibid.
Iacobus Francauillæ populum ab erroribus reuocat, & Catholicæ doctrinæ reſtituit. ibid.
Marchio Iacobo necem inferre meditatur. ibid.
Iacobus Arcis militibus bis diuina virtute fit inuiſibilis. ibid.
Ad Marchionem penetrat, eúmque grauiter increpat ibid.
Fœneratori Melphicti repentinum obitum prædicit. ibid.
Hydruntinæ Prouinciæ Proregem arguit, & illius in ſe odium concitat. ibid.
Exilio à Prorege ſub impoſito crimine mulctatur. ibid.
Meſſanæ extremum diem agit, & poſt quartum ab ipſius obitu annum, integrum ipſius corpus, ac ſuaui odore flagrans, reperitur. ibid.
Nonnulla Opuſcula edidit, quæ recenſentur. ibid.

## Annvs Christi. 1562.

Thomas Generalis nonnullos Illuſtres Viros ad Concilium Tridentinum deſtinat, quò etiam ſe ipſe confert. Matth. 2. 123. M. S. Prou. Rom. B. 36.
Omnium bonorum poſſeſſioni in Concilio apertè renunciant. Matt. ibid. Rodrig. p. 3. q. 29. art. 14.
Poſt eum Generalis quoque Minor. Obſeruantium Miniſter, bonis omnibus nuncium remittit. Rodrig. ibid.
Thomas Generalis Obſeruantium Miniſtro Generali obſiſtit, qui Conuentuales ſibi in Concilio ſubijcere tentabat, & qua ratione. Matth. ibid.
Generalis Obſeruantium Miniſter Thomam Generalem tentat, vt Capucinos cum Obſeruantibus vniat. ibidem.
Quid Thomas Generalis Obſeruantium Miniſtro Generali reſponderit, narratur. ibid.
Miniſter Generalis Obſeruantium, poſt Thomæ reſponſum à Concilio recedit, & in Hiſpaniam proficiſcitur. ibid.
Thomas Generalis B. P. Franciſci habitus formam, qui Florentiæ aſſeruatur, depictam ſecum ad Concilium defert, eámque Concilij Patribus oſtendit. M. S. Prou. Rheg. 2. in fol. ſeparat. 8.
F. Baptiſtæ Fauentini vita, & geſta deſcribuntur. Matth. 2. 118. Petr. 1254. M. S. Bono. Prou. t. 1. 6.
Proſcriptorum Dux, plurima in ſæculo flagitia perpetrat. Petr. ibid.
Corporis illius ſtatus, ac animi dotes deſcribuntur. Petrac. ibid.
Primus in Anconæ expugnatione Pontificis Vexillum Vrbis mœniis inuexit. M. S. Bonon. 2. fol. 18. 65.
Florentiæ dum Bernardinus Senenſis prædicat, compunctionis ſpiritum concipit. Matth. 2. 119.
Capucinorum vitam ſibi ad pœnitentiam eligit, & à Bernardino Religionis habitum poſtulat. ibid.
Bernardinus Baptiſtæ animum, ac conſtantiam probat, ac librorum ſacculo onerat. ibid. M. S. Prou. Bonon. tom. p. 6.
Inter hoſtes Baptiſta inermis, ac intrepidus meat. M. S. Prou. Bonon. 1. 135.
Fune ad collum pendente Fauentiam pergit, & ab inimicis veniam petit. Prou. Bono. p. 245.

*Cacabo in humeros ſublato, Vrbem permeans, ſe ſceleſtum exclamat. ibid.*
*Baptiſta ſe ipſum ad pœnitentiam excitat, cum primum habitu donatur.* Petr. 1219.
*Magiſtrum, vt ſeuerius cum ipſo agat, adhortatur. ibid.*
Probationis *annum magna cum virtutum laude explet. ibid.*
*Vitæ auſteritas, humilitas, ac ſui-ipſius contemptus, quanta fuerint, enarrantur. Petrac.* 1216. *M.S. Prouinc. Bono.* p. 108.
*Honorari ſummoperè fugiebat.* Petr. 1218.
*In ſe ipſum coram nobili viro crimina, ac malefacta congerit.* Petr. 1219.
*Qua ratione afflictis compateretur.* Petr. 1222.
Primos *Naturæ impetus cum erumperent, qua humilitate proſequeretur.* M.S. *Prou. March. tom.* 5. *M.S. Prou. Bono. tom. p.* 9.
*Bertinori, quid illi cùm à Guardiano corriperetur, agere contigerit. ibid.*
*Cùm à Guardiano in Refectorio reprehenderetur, tantam ſibi vim infert, vt venam ſibi ſanguinis aperuerit.* M.S. Prou. Bono. p. 48.
*Quid oranti, ac ſanguinem Domino offerenti, è* Crucifixi *imagine Dominus reſponderit. ibid.*
*Hoſtes, qui in ipſius Necem conſpirauerant, humilitate placat, ac ſibi beneuolos reddit. M.S.* prou. *Bono. p.* 130.
*Dum Crucem in pectore geſtat, quid Nobili id hypochriſi adſcribenti, reſponderit. M.S. Bono. p.* 9.
*Quid inſtante ſacræ Communionis tempore agere ſolitus erat.* M.S. Prou. *Bono.* 2. 57.
*Quænam illius crebrior oratio eſſet. ibid.*
*Martyrij cupiditate cum arderet, quale illi Deus martyrium contulerit. M.S.* Prou. *Bono. p.* 120.
*Obitum ſuum longè antè præſciuit, ac prædixit. ibid.*
*Cultellum è ſuo menſæ loco in morte amoueri poſtulat. M.S.* Prou. *Bono. p.* 121.
*Fauentiæ diem extremum claudit, & poſt mortem, molle ac tractabile illius corpus ſe præbet. M.S. Bono. p.* 120.
*F. Stephani Mediolanenſis Vita, & acta deſcribuntur. M.S. Mediol.* 285.
*Quanta illius orationis virtus fuerit, miraculo declaratur. ibid.*
*Terribili ante mortem tentatione à Deo probatur. M.S. Prou. Mediol.* 284.
*Obitum ſuum ante prædicit. ibid.*
*F. Benedicti Mutinenſis, multis poſt obitum annis, corpus incorruptum reperitur. M.S. Prou. Genu.* 104.
*Sanguinem mortuus ex vulnere fundit. ibid.*
*F. Franciſcus Nouarienſis à puero ad diuina vocatus.* Petr. 1008. M.S. Prou. *Mediol.* 104.
*Ex Obſeruantium familia ad* Capucinos *ſimul cum Ioſepho Fernenſi migrat. Petr. ibid.*
*Ob eminentes virtutes Magiſter Nouitiorum inſtituitur. ibid.*
*Quaſnam Nouitiorum animis virtutes potiſſimùm inſtillaret.* Petr. M.S Prou. *Mediol. ibid.*
*Religioſi, ac irreligioſi hominis deſcriptio. Petrac.* 1008, 1009.
*Nouariam miſſus, Vrbem ſuo exemplo ædificat.* Petr. 1011.
*In languorem incidit, in quo ipſius patientiæ ſigna enitent.* Petr. *ibid.* M. S. Prou. *Mediol.* 105.
*Moriens humi ſe collocari voluit, Nouariæq; deuotiſſimè extremum diem agit. Petr. M.S. Mediol. ibid.*
*Canonicus capitis dolore laborans, caput eadem aqua lauans, qua illius corpus ablutum fuerat, ſanatur.* M.S Prou. *Mediol.* 105. M. S. Prou. Brix. *C.* 28.
*Eadem aqua Calcearius crura infirma lauans, à plagis liberatur. M.S.* Prouinc. *Mediol.* 108. Brix. *ibid.*
*Lis de illius ſepultura inter nonnullos naſcitur. M.S. Mediol. ibid.*
Plurimi *corpus Franciſci contingentes, ab ægritudinibus incolumitatem conſequuntur.* M.S. *Prou. Mediol. & Brix. ibid.*
*Damianus quidam B. Viri merita inuocans, vtriuſque oculi viſum recipit, & capitis dolore ſanatur. M.S.* Prou. *Mediol. & Brix. ibid.*
Poſt *annum corpus illius integrum, ac ſuauè olens reperitur.* M.S. Prou. Mediol. *ibid.*
*F. Bartholomæus Hiſpellenſis ex Obſeruantibus ad Capucinos accedit. Matth.* 1. 140. Petr. 894.
*Virtutes illius quamplurimæ deſcribuntur. ibid.*
*Martyrij cupidus cùm eſſet, quonam illum Deus Martyrio coronauerit. Matth. ibid.* Petr. 496.
*Ingenti ſaxo vniuerſa ferè illius membra contuſa. Matth.* 1. 141. Petr. 896.
*In* Conuentu *Montis Caſalis in Domino obdormit. ibid.*
*F. Ludouicus à Stronconio ex Obſeruantibus ad Capucinos euolat, ſub Foroſempronianо. Petr.* 896.
*In Hoſpitali Domo S. Iacobi Incurabilium, ægrotorum ſe obſequiis mancipat, & ſumma charitate iis inſeruit. ibid. Montef.* 47.
*In Vmbriam ſecedit, cùm duodecim annis ægrotis inſeruiſſet. Petr. Montef. ibid.*
*Romam ad ægrotos reuocatur, vbi ſupremum diem magna cum ſanctimonia opinione claudit.* Petr. 899. *Montef.* 47.
*F. Ioannes à Coleone virtutibus inſignis. M.S. Prou.* Panor. *p.* 6. 54.
Chriſtus *illi apparens, Fratrum recreationes incompoſitas ſugillat. ibid.*


ANNVS CHRISTI. 1563.


S*Acerdos viſiones appetens à Dæmone illuditur, ſub B. Virginis ſpecie.* M.S. Prouinc. *Brix. A.* 180. Prouinc. Mediol. 422.
*Sacerdos in Chriſti ſpeciem à Dæmone obiectam conſpuens, Dæmonis inſidias agnoſcit.* M.S. *Pro. Brix.* 181. Mediol. *ibid.*
*Dæmon in porci ſpeciem ante pedes Sacerdotis ruit. ibid.*
*Clericus amarulento animo Fratrem apud* Superiorem *de leui crimine deferens, per triginta annos in Purgatorio delictum purgat. M.S. Prou. S. Nicolai.* 52.
*Frater quidam Anonymus mortuum puerum ſuis precibus ad Vitam reuocat. M.S.* Prou. *Bono. p.* 293.
*F. Nicolai Anconitani geſta deſcribuntur.* M.S. *Prou.* March. 3. *f.* 125.
*Ipſius virtutes enarrantur. ibid.*
Simplex *& feruens ipſius prædicatio commendatur. M.S.* Prou. *March.* 3. *f.* 126.
*Ipſius Vita, ac prædicatio pleriſque à Deo miraculis confirmatur. ibid.*
*Obijt in Conuentu Montis veteris. ibid.*
*F. Matthæus à Schio* Monaſterium *Schij pauperrimè ædificat. M.S.* Prou. *Venet. P.* 10.
*Fratrum illius Conuentus vita, & mores deſcribuntur. ibid. Matth.* 2. 91.
*Fratribus illius Conuentus annona deficiente, Deus maximo miraculo prouidet. M.S.* prou. *Ven. V.* 19.
*Fratres de caſeo recipiendo familiæ vota diſquirunt. M.S.* Prou. *Ven.* P. 11. & 12. *Matth.* 2. 91.
*Bernardinus Aſſanenſis virtutum laude celebris. Hetrur.* M.S. *E. F.*
*Bonauentura Gallus Laïcus ſanctitatis commendatur.* M.S. Prou. *Neap. N.* 10.







Bon*auentura Bercellenſis Laïcus virtute conſpicuus, & prodigio celebris.* M.S. *Prou. Bonon. tom.* 3. *t.* 59.
*Mulier à Dæmone raptata Fratrum precibus à B. Virgine liberatur.*
*Ioannes* Cola *diues auarus, ipſiúſque auaritia deſcribitur.* M.S. *Prou. Vmbr. f.* 61.
*Oleum pauperibus ſubreptum Vas olearium diſrumpit. ibid.*
*Ioannes Cela in morte impœnitens à Dæmone rapitur. ibid.*


ANNVS CHRISTI. 1564.


D*Vodecimum Generale Capitulum colligitur, & F. Euangeliſta à Cænobio Generalis creatur. Matth.* 123. M.S. *Prou. Rom.* B. 36.
*Nonnulla ad Religionem pertinentia conſtituuntur. Matth.* 2. 127.
*F. Alexandri à Fano vita deſcribitur. M.S.* Prou. *March.* 2. 119.
*Virtutes ipſius explicantur. ibid.*
*Quomodo ex Ruſtici verbis mortificandi ſe ipſum anſam arripuerit. ibid.*
*Ægrotos ſigno* Crucis *ſanat. M.S. Prouinc. March.* 2. 102.
*Duos in extremis laborantes ſigno Crucis ad incolumitatem reuocat. ibid.*
*F.* Bap*tiſtæ à Laritiona geſta, ac virtutes enarrantur. Petr.* 986. *Montef.* 85. *M.S.* Prou. *Rheg.* 2. 94.
*Conſcientiarum occulta penetrat, & futura prænunciat.* M.S. *Prou. Rheg. p.* 117.
*Baronis cuiuſdam concubinatum occultum aperit, ac ſanitatem à morbo prædicit, Petr.* 987. *Montef.* 85. *M.S. Rheg.* 2. 94.
*Nobili cuidam futuram filij incolumitatem, & gloriam prænunciat. Petr.* 988. *Montef. M.S. Rheg. ibid.*
*Proreginæ mortem occultiſſimam aperit, Nuntiique verba anteuertit.* M.S. *Prou Rheg. ibid.*
*Futuram Chriſtianorum de Turca Victoriam prædicit. Petr.* 989. *Montef.* 86. *M.S. Rheg. ibid.*
*Suam, ac nobilis mulieris mortem prænunciat. Petr. ibidem. Montef.* 85.
Cataci *moritur, & poſt mortem miraculis claret. M.S. Rheg.* 2. 95.
*Huius perſpicilia ægrotum ſanant.* Petr. 890. *M.S. Rheg. ibid.*
*Matthæus Auenionenſis corpore robuſtus, Sicarium ſibi ſubijcit. M.S. Prou Gen.* 112.
*Poſt verbera ex Obſeruantium familia ad Capucinos migrat. M.S.* Prou. *Gen.* 113.
*Ipſius virtutes enarrantur. ibid.*
*In* Pedemontanæ *Regionis* Monaſteriis *ædificandis laborat. ibid.*
*Inſolentis hæretici Equum coma apprehenſum genuflectere cogit. ibid.*
*Suis precibus plauſtro onuſto, viam per cœnum, quaſi per ſiccum puluerem facilè præſtat. M.S. Prou. Gen.* 148.
*Illuſtre ipſius pro tuenda caſtitate factum. M.S.* Prou. *Gen.* 113.
S*anctimonialis Profeſſa, Ferrariæ ſub Virili habitu inter Capucinos recipitur, ac tandem agnita dimittitur.* M.S. *Prou.* Bono. 2. 40.
*F. Antonius de Monte Concionator, geminos fratres defunctos igne aſſari conſpicit, ob murmurationes, ac inania verba apud ignem effuſa. M.S. Prou. Rom. A. fol.* 1.
*Cuidam Sauino* Ord*inis Benefactori, in ſummo vitæ diſcrimine Deus prouidet. M.S. Prou. Marchiæ.* 3. *fol.* 218.


ANNVS CHRISTI. 1565.


L*Audæ Conuentus extruitur, non abſque Dei miraculo. M.S.* Prou. *Mediol.* 377.
*Nobilis agrum Capucinis negans, bis à Deo corripitur. ibid.*
*Filius agri deditioni repugnans à Domino caſtigatur. ibid.*
*Frater in huius Conuentus ædificatione, à paupertate exorbitans, horrendo fine tollitur. ibid.*
*Fr. Benedictus Vercellenſis* Clericus *à Deo gloria coronatur, quæ alteri Clerico in viſione oſtenditur. Matth.* 2. 161. *in fol. ſeparato.*
*F. Maſſei Tridentini Vita, & virtutes enarrantur. M.S. Prou. March.* 2. 118. & 119.
Multos *ægrotans ſigno* Crucis *incolumitati reſtituit. ibid.*
*Diuino miraculo, in alteram fluminis ripam cum* Socio *transfertur. ibid.*
*F. Ioannis* Mediolanenſis *in regendo prudentia commendatur. M.S.* Prou. *Mediol.* 160.
*Dum prædicat, columba in ipſius capite conſpicitur. ibid.*
*Dum illi Vinum à Tabernario denegatur, dolia areſcunt: eo autem miſerante, vinum in dolia redit. ibid.*
*In morte per horam Fratres ad Regulæ obſeruantiam hortatur, qua elapſa moritur. ibid.*
*Ioannis à Leoniſſa virtutes deſcribuntur M.S. Prou. Vmbr. E.* 645. *Salod.*
S*acra celebrans inimicos ad concordiam ducit. ibid.*
*Ruſticus Ioannis verbis, inter Miſſæ* Myſteria, *ad concordiam adducitur. M.S.* Prou. *Vmbr. E.* 643. *Salod.*
*Hominem pertinaci ſcelere obſtrictum ad pœnitentiam prouocat, oratione pro eo populo indicta. ibid.*
*Duo Vallis Spoletanæ Caſtella ad pacem ſua prudentia, ac oratione compellit. M.S.* Prouinc. *Vmbr. E.* 644. *Salod.*
*Cuidam concordiam refugienti mortem certo loco futuram prænunciat. ibid.*
*Alteri quoque, qui pacem refugiebat, necem prædicit. ibid.*
*Aleatoribus quibuſdam necem, ac Dei Iudicium prænunciat.* M.S. Prou. *Vmb. E.* 645. *Salod.*
*Fratri, qui correptionem non acceperat, apoſtaſiam ab Ordine prædicit.* M.S. Prou. *Vmb. E.* 648.
*F.* Bernardi *Mediolanenſis acta referuntur. M.S.* Prouinc. Mediol. 69. M. S. *Brix. C.* 38.
*Brixienſis Epiſcopus eligitur, ex quo ſe munere fugiens ſubtrahit. ibid.*
*Capucinorum ſe Congregationi adiungit. M.S. Mediol. ibid.*
*Huius virtutes deſcribuntur. M.S.* Prou. *Brix. C.* 38.
*Nonnulla futura prophetico ſpiritu prædixit.* M.S. *Brix.* 40. *& Mediol.* 72.
*Nobili viro calamitatem futuram prænunciat. ibid.*
*Brixiæ moritur, ac ipſius funus magna populi frequentia celebratur.* M S. *Mediol.* 69 *& Brix.* 39.
*Obijt ſanctimoniæ clarus. ibid.*
*Dum illi defuncto è dextro pede caro cum vngue præſcinditur, ſanguis è vulnere ſcatet. ibid.*
*Oſſa ipſius poſt quintum annum exhumata, ſuauiſſimum odorem efflant. M.S. Mediol.* 70.
*Fratrem febre quartana laborantem, ſuo contactu à febre liberatur. ibid.*
*F. Bernardini de Vlmo vita, & geſta deſcribuntur.* Petrac. 663. *Montef.* 9. *Matth.* 2. 98. *M.S. Prou. March.* 1 2. 4.
*Inter Conuentuales doctrina & eruditione clarus. Petr. ibid.*
*Exemplo apud* P*iſanum lecto, ad* Conuentualium *Reformationem ſe confert. Petr.* 664. M.S. *Prou.* March. 2. 123. *Salod.* Montef. 10.

F. Ioannis à Fano prædicatione, ac ſuaſu ad Capucinos cum aliis ſe transfert. Petr. M.S.March.ibid. Salod.
Ipſius virtutes enarrantur à Petr.& Monteſl.ibid.
Abſtinentiæ ipſius ſingulare exemplum. Petrac. ibidem. Salod.
A ciborum ſpecialitate abhorrendum eſſe docebat. Petr. 665.Monteſl.10.Matth.2.98.Salod.
Paupertatis in eo ſtudium commendatur. Petr. ibid. Monteſ. 12.Salod.
Epiſtolis ad ſe Miſſis, pro charta ad Sermones conſcribendos vtebatur.ibid.
Bernardini Aſtenſis ſententiam, de tribus pannis fratribus interdictis docebat. Monteſ.12.Salod.
Præclara ipſius doctrina de confidentia in Deum habenda. Monteſ. Petr. ibid.
Ab Angelo ad alteram fluminis ripam tranſuehitur. Petr. 671. Monteſl.13.Matth.2.98.Salod.
Ipſius de propria abnegatione doctrina. Petr.665. Monteſl. Matth.Salod.ibid.
Quàm difficilè ſit proprium à ſe amorem expellere, docet. Petr.Monteſ.Matth.ibid.Salod.
Mentis ſuperbiam, diſputationem fugiens, retundit. Monteſ. 9.Matth.2.98.
Quàm in oratione aſſiduus fuerit, explicatur. Petrac.667. Salod.
In expurgandis hæreſibus, ac fouenda in Populis pietate laborat.M.S.Prou.March.4.525.Salod.
A prædicatione ſe ſubtrahere ſecum cogitat. Matth.2.98. M.S.Prou.March.2.42.Salod.
Viſione iterum ad prædicationem compellitur. Matth.M.S. March.ibid.
A Domino corripitur, quòd ſeuerius Dei iuſtitiam Peccatoribus inculcet. M.S.Prou.March.2.43.
Blaſius ſtella, Vir nequiſſimus, ipſius ſermonibus ad Deum perfectè conuertitur. M.S.Prouinc.Vmb.E.616. Monteſ.11.
Peccata integra confeſſione lauat. Monteſ. Matth. ibid. Salod.
Dæmon Blaſio apparens, de eo conqueritur, aliquidque ab eo quærit. Monteſ.11.Salod.
Blaſius Dæmonem crepida oppetit, quam Dæmon abſtulit. Matth.Monteſ.ibid. Salod.
Blaſius poſt duos Menſes in pœnitentia conſumptos, ad Deum migrat.Matth.Monteſ.Salod.ibid.
Prouincialis Vicarij munere variis in Prouinciis, magna cum regularis obſeruantiæ vtilitate fungitur. Petr. 675. Salod.
Meſſores de rebus turpioribus colloquentes procul ſtans audit, & Guardiano aperit. M.S. Prou. March.2.43. Salod.
Defuncti Comitis animam ſaluam eſſe, ex diuina reuelatione affirmat.M.S.Prou.March.2.43.Salod.
Vinum in doliis multiplicat Recineti.Monteſ.10.Salod.
Vas vacuum oleo plenum præſtat in Neapolitana Prouincia. Petr.695.M.S.Prou.Panorm.2.
Cardinalem Gaddium, vlcere in tibia laborantem, ſigno Crucis ſanat.Matt.2.98.Monteſ.13.
Puerum moribundum ſigno Crucis incolumitati reſtituit. M.S.Prou.March.2.43.Salod.
Alterum puerum ægrotantem, coram Definitorio, Crucis ſigno ſanitati reſtituit.ibid.
Vitta, qua Bernardinus ſibi frontem alligabat, plurima patrat miracula.ibid.
Spurium Bernardini Nouitium à capitis dolore liberat.ibid.
Anus à Deo ob pertinaciam oris contorſione caſtigata, à Bernardino ſigno Crucis in priſtinum reſtituitur.ibid.
Diuinis Iudiciis exterritus, à Chriſto ſibi in itinere apparente confortatur.M.S.March.1.44.
Obitum ſuum ex diuina reuelatione accipit.Matth.ibid.
Pridie quàm ex hac luce migret in extaſim rapitur, in qua ſuæ ſalutis fit certior.
Strophiolo, quod corpus ipſius poſt mortem contigit, multa miracula patrantur.Monteſ.14.Salod.
Maceratæ diem extremum, magna cum ſanctimoniæ fama claudit. Matth.2.98.Salod.
Pius IV. Pontifex hoc Anno ex humanis migrat. Panuin. in Vita Pontific.

### Annvs Christi. 1566.

PIus V. Pontifex creatur.Genebrard.in Chron.
Huius Pontificis virtutes attinguntur.ibid.
Dubia ex Concilio Tridentino fratribus exorta, ad Pontificem referuntur. Matth.2.128.
B.Virginis Simulachrum Turca enſe inuadens, morte repentè mulctatur. M.S.Prou. Angel.2.43.
F. Pacifici Faneſtris vita deſcribitur. M.S. Prou.March. 2.169.
Celebranti viſio demonſtratur, qua ad Capucinos ex Obſeruantibus migrat. ibid.
Ipſius Virtutes enarrantur.ibid.
Oranti B.Virgo apparet, ſeque ab omni originalis peccati labe immunem fuiſſe reuelat.ibid.
F.Victoris Bergomatis vita exaratur. M.S. Prou. Mediol. 345.
Sæpè inter orandum cæleſti luce perfuſus cernitur.ibid.
Pro inimico orat, & ſua oratione Capucinum præſtat.ibid.
Pro eo in extremis laborante Deum rogat.ibid.
Chriſtus oranti apparens, ipſius Orationem ſibi gratam commendat.ibid.
Defuncti Anima in Purgatorio exiſtens, Victori apparet, ab eóque ſuffragia petit.ibid.
Virtutes ipſius deſcribuntur.ibid.
Dæmoni in Phyſici ſpecie illi apparenti, ac damnatum illum eſſe aſſerenti, quid Victor reſponderit. ibid. M.S.prouinc. Brix.88.
Puellæ Virginitatem Deo conſecraturam prædicit. M.S. Prou.Mediol.346.
Peccata cuidam Nobili aperit, quibus illum ad pœnitentiam prouocat.M.S.prou.Mediol.344.
Varetij Deo Animam reddit. ibid.
F.Iacobi à Nurſia virtutes enarrantur. M.S.Prou.March. 2.176.
Aniculam ad ægrotantis cibum, à Deo ſua oratione impetrat. M.S.Prou.March.p.139.
Obitum ſuum prædicit, & benedictionem à Guardiano poſtulat.M.S.Prou.March.2.176.
Beatam Virginem ante obitum videt, & mox ſpiritum reddit. ibid.
F.Bartholomæus Gallus perfectus Regulæ cultor, Beneuenti obit.M.S.Prouinc.Neap.N.5.
Anno poſt ipſius obitum, corpus ipſius integrum, ac ſuaue olens reperitur.ibid.
F. Laurentius à Funiano optimum Paſtoris exemplum præbet in oue curanda.M.S.Prou.Bono.p.117.
Eximium illius caſtitatis exemplum enarratur. M.S. Prou. Bono.2.78.
Viuens nonnulla edidit miracula. M.S.Prou.Bono.2.97. 106.
Multa poſt mortem miracula præſtat. M.S.Prou. Bono. 2.97.
Hernia laborans, dum ipſius merita implorat, à morbo liberatur. M.S.Prouinc. Bono.3.7.
F. Petrus à Ciuitate Ducali virtutibus floret. M.S.Prou. Brix.A.153.
A Deo multis corporis afflictionibus probatur. ibidem. Monteſ.71.
Inter grauia corporis incommoda auſteritatem non minuit. ibid.
Controuerſia oritur, num Petrus iis auſteritatibus malè valens vti poſſet.ibid.Monteſ.74.
Bernardini Aſtenſis de ea re ſententia.ibid.
Multis in vita & poſt mortem miraculis claret. ibidem. Monteſ.75.
F.Hieronymi à Foroliuio vita deſcribitur. M.S.Prou.Bono. 2.196.
Præclara à pueritia ſanctitatis præludia exhibet. ibid.
Puer ter in hebdomada, ac ſæpè in pane, & aqua ieiunat. ibid.
Peruigilia feſtorum B.Virginis panis, & aquæ ieiunio conſecrat.ibid.
Quid Condiſcipulis eum ad ludum vocantibus reſponderet. ibid.
Pro condiſcipulis flagellis ſe ipſum cædit, ne ipſi in Dei legem peccent.ibid.
E ſtrato mollia omnia ſubtrahit, vt corpus affligat.ibid.
Aduena Patrem Hieronymi certiorem reddit.ibid.
Pater Hieronymum à diuinarum rerum occupatione auocare nititur.ibid.
Hieronymus audita blaſphemia à venatione aufugit. ibid.
Quid Patri Moneliæ, honoribus eum ad Min.Obſeruantium Ordinem allicienti, reſponderit.ibid.
Ad Capucinorum Religionem tranſuolat. M.S. Prou. Bon. 2.197.
Pater Capucinos odio proſequitur, & colaphum Franciſco à Funiano impingit. ibid.
Hieronymi inter Capucinos virtutes deſcribuntur. M.S. Bono.2.198.
Perpetuus fuit Virginitatis cuſtos. ibid.
Hieronymus Patrem adit, & ab eo ingenti alapa excipitur. ibid.
Patrem ſua humilitate placat, & erga Capucinos beneuolentiſſimum reddit. ibid.
Sacerdotio, & concionandi munere, magno vtriuſque muneris ſplendore fungitur.M.S.Bono.2.32.
In morbum diutinum incidit, in quo patientiæ exemplis præfulget.M.S.Prou.Bono.2.199.tom.3.56.
In hoſpitalem Orphanorum domum Foroliuium defertur. ibid.
Adoleſcenti Religionis Capucinorum ingreſſum prophetico ſpiritu prædicit.M.S.Bono.2.52.
B.Virgo ægrotanti apparet, mortis diem, & horam nunciat, ac cæleſte Regnum pollicetur. M.S.Bono.2.199.
Catharinæ B.Virginis verba, & apparitionem aperit. M.S. M.S.Prou.Bono.2.200.
Hieronymus teſtamentum in morte, Patre aſſentiente condit.ibid.
Teſtamenti forma exaratur. ibid.
Dæmon Hieronymum trina tentatione adoritur, quarum is victor euadit.ibid.
Pater à Hieronymo ſuæ ſalutis ſignum in morte petit, & accipit.ibid.
Mulier cancro in vbere laborans, defuncti manu apprehenſa, & vberi applicata ſanatur.ibid.
Altera quoque ab vberum morbo liberatur. M.S.Prouinc. Bono.3.57.
Aqua, qua Hieronymi corpus ablutum fuerat, mulier à cancro liberatur.M.S.Bono.t.2.fol.42.
Poſt ſex annos Hieronymi corpus integrum, ac incorruptum apparet.M.S.Prou.Bono.2.200.
Frater Eleemoſynarius Superioribus ſuis inobediens, à Deo in morte damnatur.M.S.Rom.Prou.R.83.
F. Ambroſius à Bitunto ob nimiam carnis curam, Apoſtata efficitur, ac ſingulare Dei Iudiciũ ſubit. M.S.Bono.1.246.
F.Ioannes Firmanus, varias ſanus perſonas ridiculè referens, eas quoque in morte agit.M.S.prou.Bono.1.299.
Dæmon illi horribilis apparet, atque os contorquet.ibid.
Fratrum precibus ſibi reſtitutus, peccata ſua deflet.ibid.
Fratres recitato S. Antonij Vlyſſiponenſis Reſponſorio, ſubreptum Mulum miraculosè recuperant. M.S. Prou. Rom.R.75.
Nouitij in Conuentu Aletino, obedientia à Deo miraculo illuſtratur. M.S.Prou.Hydrunt.t.1.172.
Tertiario Ordinis Benefactori, vinum in dolio miraculosè multiplicatur.M.S.Prou.Rom.C.2.97.
Cæſar Pagnanus vinum Capucinis erogans, auctum in dolio vinum experitur.M.S.Prou.Mediolanen.452.

### Annvs Christi. 1567.

TErtiumdecimum Generale Capitulum celebratur, & Marius à Foroſarſinio Generalis eligitur. Matth. 2.128.
F. Bonauentura Rhegienſis Procurator Ordinis Generalis inſtituitur.ibid.
De electione Procuratoris quædam in hoc Capitulo ſtatuuntur, ob quæ Apoſtolica ſedes conſulitur. ibid.
Plurima in hoc Capitulo, ad Religionis adminiſtrationem pertinentia decernuntur.ibid.
Fratres Diſcalceati Hiſpaniæ, ſub Capucinorum obedientia recipi poſtulant. Matth.2.129.
Bulla editur, ne Capucini ad Minimos, neque hi è conuerſo tranſeant. M.S.Prou.Rom.B.57.Bullar.Rom.
Montis Acuti Monaſterium, Federico Comite poſtulante, ædificatur. M.S. Prou.Tuſc.M.20.
Dei in huius Monaſterij ædificatione prouidentia panditur. Prou.Tuſc.M.21.
In Eccleſiæ conſecratione, ingens è Cælo ſplendor in Eccleſiam deſcendere cernitur. M.S.P.Tuſc.M.65.
Singulare B. P. Franciſci, erga horum Comitum familiam priuilegium enarratur.ibid.
Fœmina virili habitu ad Capucinos accedens, inter Nouitios computatur. M.S.Prou.March.2.64
Poſt ſecundum menſem proxima morti, ſe fœminam eſſe Magiſtro aperit, & cum fratribus ſepelitur. ibid.
Pantæ Bullionæ, quæ Capitulo neceſſaria miniſtrat, granum miraculo multiplicatur. M.S.Prou.Bono.1.314.
F. Franciſci à Suriano vita, & geſta deſcribuntur. Petr. 770. Monteſl.67. M.S. Prou. Brix. A.113. Rom.D. 185.
Ex Obſeruantium familia Concionator ad Capucinos migrat. M.S.Prou.Brix. Monteſ.Petr.ibid.
Quodnam fuerit ipſius vitæ inſtitutum. Petrac.M.S. Brix. ibid.
Ipſius in prædicando feruor, & humilitas, qua Oppida tantùm quærebat, attinguntur. Petr.771. M.S.Prou.Brix. A.113. M.S.Rom.D.185.
Ad Vrbes ſuperiorum obedientia prouocatur.Petr.773.
Quanta illi vis in prædicando adeſſet. Petr.772. Monteſl. 67.
Siculi Abbatis conuerſio admirabilis refertur. Petr.776.
Orationem quadraginta horarum illuſtrat. Petrac.773. Monteſ.69.
Diuiti fœneratori repentinam mortem prædicit.Petr.779.

Alteri fœneratori eadem nocte interitum prenunciat.ibid.
Ægrotos pertranſiens ſigno Crucis quamplurimos ſanat. Petr.774.Monteſ.69.
Dæmon illius præſentiam non ferens, ab obſeſſa muliere aufugit.Petr.ibid.
Tempeſtate à Dæmonibus concitata ab vnda in Mare iactatur, vnde ſuauiter ad litus defertur.Petr.783.Monteſ. 78.M.S.Brix.A.714.
Ipſius oratione omnes ſalui ad litus appellunt. Petr.783. Monteſ.69.M.S.Brix.A.115.
Pera libros,& ſcripta Franciſci continens,per Mare ad litus delata,nulla ex parte madefacta apparet.Pet.Monteſ.ibid.
A Prædicatione ob aliquorum emulationem ſuſpenditur. Petr.781.
Sacrum Miſſæ Sacrificium pro defuncto Fratre celebrat, qui poſt celebrationem illi apparet, & in Cælum conſcendit.Monteſ.M.S.Brix.ibid.
In odio pertinacem Dæmoni tradit, à quo cùm præfocaretur, ſigno Crucis Dæmonem fugat,Virque odium deponit.M.S. Prou.Vmbr.E.554.
Mulierem in ſimultate obſtinatam prodigio ad pacem compellit.M.S.Prou.Vmbr.E.526.
F. Bonauentura Laïcus virtutibus inſignis. M. S. Prouinc. March.2.123.
Plures ægrotos ſigno Crucis ſanat.ibid.
Mortuum infantem ad Vitam reuocat. ibid.
F.Bernardi à Cataco virtutes enarrantur. M.S. prou.Rheg. 102.
In Morte B.Virginem conſpicit eum ad cæleſtia Regna allicientem.ibid.
In eadem ſui obitus hora Sorori Tertiariæ apparet glorioſus. ibid.
Bergomas Laïcus Angelicas voces in Choro perſonantes audit.M.S.Prou.Bono p.240.
Dei in Fratres prouidentia, quæ Bertinori enituit. M.S. Prou.Bono.p.136.239.
Clericus pro caſtitate tuenda mortem ſubit. M.S.prou.Venet. P.119.
Antonius potentinus Laïcus inter viros illuſtres enumeratus.M.S Prou.Hidrunt.t.2.fol.31.
Angelus à Caſtellaneta Sacerdos multis virtutibus clarus. M.S.Prou.Bar.f.1.Hidr.2.27.
Vincentius Caſſanenſis Sacerdos, cæleſti in morte viſione potitur.M.S Prou.Rheg.2.105.
Seraphinus Panormitanus Clericus Sanctitate conſpicuus. M.S.Prou.Panor.Alcam.37.Caſtelvet.26.
Ægidius Syracuſanus Laïcus Vir illuſtris. M. S. Prou. Syrac.1.16.13.

## Annvs Christi. 1568.

Falſus rumor exoritur de Vnione inter Conuentuales,Obſeruantes,& Capucinos componenda. Matth.2. 129. M.S.Brix.A.175.
Marius Generalis Cardinales,ac deniq; Pontificē conſulit.ib.
Quid Pontifex Mario Generali reſponderit, eiúſque in Religionem beneuolentia.M.S.Brix.ibid.
Pontifex Fratrem Hieronymum Piſtorienſem ſibi in Theologum eligit.M.S.Prou.Rom.B.38.
F.Franciſci Maceratenſis Vita, ac geſta deſcribuntur. petr. 1063.Monteſ.92.Matth.1.135.Salod.
Ex Obſeruantibus ad Capucinos inter primos migrat. Petr. Matt.ibid.
Quædam ab eo ſimpliciſſimè acta narrãtur. petr.1604.Salod.
Sæpè ex nimia credulitate à Capucinis ad Obſeruantes, & è conuerſo migrat. Petr.ibid.M.S.Prou.March.4.535. Salod.
A Guardiano Min. Obſeruantium in carcerem truditur. M.S.March.ibid.Salod.
Admirabilis ipſius vita,ac auſteritates deſcribuntur.Matth. 1.184.Petr.ibid.
Profunda ipſius humilitas commendatur. Matt.1.135.Petr. 1070.Salod.
Quàm diligens honeſtatis eſſet cuſtos, ex oculorum cuſtodia oſtenditur.M.S.March.2.53.Salod.
Quid Vrbinatum Duciſſæ reſponderit, quæ vt oculos ad eam attolleret, prouocabat.ibid.
Sancta ipſius ruſticitas declaratur,omnes quantumuis illuſtres homines fratres nominans.Petr.1075.Monteſ.42.
Ipſius erga afflictos, & ægrotos charitas. Matth.135. Petr. 1070.Salod.
Singulare illius in Pauperes charitatis exemplum narratur. Matth.1.136.Petr.1071.
Vrbinatis Duciſſæ Pediſſequam à fluxu ſanguinis, pane illi oblato ſanat.Matt.1.138.Petr.1074.M.S.pro.Bono.t.3.8.
Panis fruſtulo moribundum incolumitati reſtituit.
Æternæ damnationis metu percellitur.M.S.P.ou.March. 4.536.
Viſiones quædam illius de Religioſis ad Infernum damnatis, explicantur.ibid.
Ipſius ad orationē,& lachrymas aſſuefactio.Matt.1.135.Salo.
Corporis,ac morum compoſitio.ibid.
Quanta veneratione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum proſequeretur.ibid.
Regulam genuflexus audiebat.ibid.
Ægritudine premitur,ob idque ad balnea mittitur. Matth. 1.138.Petr.1076.Salod.
Nocte oranti B.Virgo apparet,ac ſplendor ex oſtio erumpit. M.S.March.2.54.Salod.
Orans in extaſim raptus, & in aëra eleuatus, flammáque ipſius capiti inſidens conſpicitur.Matt.1.138.Petr.1075. Salod.
Fratri in extremis laboranti incolumitatem prædicit, & futura incommoda. M.S.March.4.536.
Medicus B.Virginem cum Franciſco colloquentem offendit. M.S.Prou.March.4.54.Salod.
In nemore orans vſque ad arboris ramos in aëra eleuatus cernitur.Matth.1.138.Petr.1075.Salod.
Quædam Orationis Dominicæ verba,ex Dæmonis tentatione proferre non poteſt.Matth.1.136.Petr.ibid.Salod.
Pontifex Franciſcum ab illorum verborum prolatione abſoluit.Petr.Matth.Salod.ibid.
Animo maximè ob id cruciatur Franciſcus. Matth.ibid. Petr.1068.Salod.
Hoc tempore maximis miraculis coruſcat. Petrac.1077. Matth.ibid.Salod.
Mulierem paraliticam ſigno Crucis ſanat. Matth.1.137. Petr.1074.
Cœcam mulierem ſigno Crucis luci reſtituit. M.S. Prouinc. March.2.54.Salod.
Hydropico ſigno Crucis ſanitatem reddit, qui Capucinus efficitur.ibid.
Mulierem diutina febre laborantem ſigno Crucis ſanat. Matth.Petr.ibid.
Mortuum infantem à Matre in lecto ſuffocatum,ſua oratione ad Vitam reuocat.M.S.Prou.March.2.54.Salod.
Vrbinatum Duciſſam ſigno Crucis à cancro liberat. In epiſtola ſeparata. Salod.
Guardianus quidam miraculorum patrandorum cupidus, Franciſcum inſectatur. Salod.
Piſauri in morbum incidit, à Deóque impetrat, vt nulla populi affluentia ipſius funus honoretur. M.S.Prou.March. 2.55.Salod.





F.Paulini piſtorienſis virtutes, & obitus enarrantur M.S. prou.Tuſc.M.S.
Ciuem quendam Aretinum à morbo liberat. M.S. prou. Tuſc. M.29.E.57.
F. Amadeus de Anteniato virtutibus clarus, ſpiritu etiam prophetiæ claret, & diem obitus ſui prædicit. Matth. 2. 130. M.S.Prou. Mediol. 9.
Fratris Antonij de Lochio virtutes enarrantur.M.S.Marc. 1.79.3.233.
F. Pacificus à Foroſempronij pluribus virtutibus, præſertim dilectione erga inimicos claruit. M.S. prou. March. 2. 153.
A Dæmone graui tentatione oppetitus ante mortem liberatur.ibid.
F. Angelus à Ferno Prædicator, verbo potens, ac virtutibus clarus futura prædicit. M.S.prou. Mediol.37.
F. Antonius à Spinatiola meritis apud Deum ac virtutibus floret.
F. Vincentij Platienſis virtutes narrantur. M.S.Prouinc. Meſſan. 88.
In morte,poſt Dæmonum tentationes,B.Virginem ſibi occurrentem videt.ibid.
F. Pacificus Luganenſis multis virtutibus inſignis M.S.prou. Brix.C.80.
Ipſo orante flamma ex Eccleſiæ tecto erumpens cernitur. M. S.Mediol.250.
Sanctimoniæ fama clarus obit.M.S.Prou.Mediol. & Brix. ibid.
F. Bernardinus Vrbinas Clericus magna puritate præditus. B.Virginem & B.P. Franciſcum in morte videt. M.S. prou.March.4.429.
F. Iulianus Camerinenſis Clericus, & ipſe B.Virginis aſpectu in morte dignatur.M.S. Bono.1.103.
Nouitius Vrbinas,& ipſe B.Virginem in obitu conſpicit. ibid.
Fratri Modeſto Forolitiienſi B.Virgo in morte apparet. ibidem.
Pandolphi Paſtoris Vita deſcribitur. Matt.2.125.in fol.ſeparato.M.S.Prou.Tuſc.M.7.
Virginitatem perpetuò coluit. Matt. ibid.
A nummis inter paſtores abhorruit.ibid.
Admirabilis illius in ſæculo abſtinentia.ibid.
Cæteræ illius virtutes enarrantur. ibid.
In Capucinorum numerum recipitur Matt. M.S. Prou. Tuſc. ibid.
Ante ſuſceptum habitum in morbum incidit, & in extaſim rapitur. Matt. M.S.Tuſc.ibid.
Viſiones de Inferno, Purgatorio, ac cæleſti gloria illi oſtenduntur. M.S. Tuſc.Prou.Matt.ibid.
Sanctè in Domino obdormit. Matt. 2. 125.in fol.ſeparat. M.S.Tuſc.M.7.E.67.
Franciſcus Racalenſis Sac. diem ſui obitus prædicit. M.S. Prou. Hydrunt.2.t.66.
Thomas Nouienſis Concionator inter illuſtres viros cenſetur. M.S.Prou.Bonon.t.3.104.59.tom.2.70.156.
Ioannes Baptiſta à Cherio Sacerdos virtute inſignis. M.S. Bonon.prou.tom.3.109.60.tom.2.70.156.
Antonius Puſinianenſis Sanctimonia clarus M.S. Prou. Hydrunt.2.114.Bar.1.Lucan.190.

## Annvs Christi. 1569.

Octo ex Obſeruantium familia, Guardiani cuiuſdam caſu perterriti,ad Capucinos abeunt. M.S. Prou. March. to.4. 525.
Caſus narratur. ibidem.
Marius Generalis in Siciliam proficiſcitur,multoſque Religionis habitu donat.ibid.
Dæmon Nouitios variis modis infeſtat.ibid.
Frater alteri Breuiarium ſubripiens, à Dæmone in omnium conſpectu rapitur. M.S. March. Prou.t.5.in fol.ſeparat.
Fratris Anima ob vana, & ſcurrilia verba pœnas in Monaſterij Camino luit. M.S.Bono.t.3.52.
Fratribus pro ea orantibus liberatur.ibid.
F.Honorius à Montegranario Bononiæ moritur, cuius vita deſcribitur à Petr.219.Matt.2.130.Monteſl.77.M.S. Mediol.172.Bono.t.1.91.
Sæcularis in Caroli V.Imperatoris Caſtris militat,iuuentámque in ſimultatibus alendis conſumit.M.S.Prou.March. t.5.in fol.ſepar.Matth.2.130.
Ad Capucinos accedens anteactæ vitæ crimina deplorat. Matth.ibid.petr.721.
Corpus variis macerationibus caſtigat.Matth.Petr.Monteſl. ibid.
Orationi ſtudioſiſſimè vacat.ibid.
Quàm Chori amator fuerit, explicatur. Matth.ibid.Petr. 722.
De Chori Religione nonnulla exarantur. D.Ant.Ceraſ. in Apolog.
Honorius ob ſingularem animi prudentiam, & Religionis zelum variis in Prouinciis Prouincialis eligitur. M.S. prou.Tuſc.M.30.Bono.3.ij.Matt.2.130.petr.724.
Paupertatis maximè Zelator fuit. M.S.Prou.Tuſc.M.30.
Dum vetuſtum Regulæ codicem conſuit,quid Fratri nouum illi perſuadenti reſponderit.Salod.
A rerum in Religione nouitate abhorret.Salod.
Præterita ſæculi ſcandala publicè pro ſuggeſtu in Ciuitate noua deplorat, eorumque veniam petit. Matth.2.130. Petr.720.
Dum Fratribus Bononiæ de cæleſti gloria ſermocinatur, in extaſim rapitur.M.S.Bono.3.94.
Viſitator in Corſicam Inſulam mittitur. M.S.Bono.Prou.1. 230.
Fratris cuiuſdam inobedientis, & proprietarij mors infauſta deſcribitur.M.S.Bonon.ibid.
Bononienſis Prouinciæ Vicarius electus, dum Imolam proficiſcitur, in morbum incidit.Matt.2.130.Petr.742.Monteſ.77.M.S.Bono.3.ij.
Ferreum Cingulum, quod circa renes gerebat, Medici Imperio exuit. Matt.ibidem.Petr.721.
Mœrens ob intermiſſam Viſitationem,diuinam vocem audit, qua ſui finis admonetur.Matt.ibidem.Petr.724.M.S. Bon.3.ij.
Fratres ad Regulæ obſeruantiam hortatur, ac ſancto fine quieſcit. Matt.2.131.Petr.725.
Honorij gloria Sacerdoti Tuſciæ Prouinciæ viſione demonſtratur.M.S.Prou.Tuſc.M.31.32.
Familiaris Medici Vxor graui paraliſi laborans,ad Honorij ſepulchrum ferri poſtulat. Matt.ibid.Petr.728.Monteſl. M.S.prouinc.Rom.& Mediol.172.
Dæmon fruſtra iter impendire conatur.ibid.
Dum ægra ad Sepulchrum iacet,ab Honorio illi apparente curatur.ibid.
Aegra læta pedeſter domum reuertitur.ibid.
Cardinalis Palleotus vitæ Honorij proceſſum inſtrui mandat. at Fratres obſiſtunt.Salod.
Cardinalis Palleotus,& Inquiſitor Honorij ſepulchrum venerantur.Salod..
Altera quoque Bononienſis Mulier Honorio ſe deuouens, Cardialgiæ morbo liberatur. Salod.
Mulier dentium dolore grauiter afflictata admoto ſibi Hono-

rij dente protinus ſanatur. M.S. Bono.3.2.
Tertiaria Honorij capite ſibi admoto, grauiſſimo capitis languore liberatur. M.S. Bono. 3.82.
Honorij pes è tumulo erutus ſumma odoris fragrantia Monaſterium complet. M. S. Prou. Bono. 2.140.
Sancti Viri fune Dæmones in corporibus obſeſſis flagellantur. M. S. Prou. Bono. 2. 164.
F. Franciſcus à Matera virtutibus floret. M. S. prou. S. Nicolai 16. M. S. Hydrunt. 2. 59.
Huius obedientia aqua in vinum conuertitur. ibid.
Latertia extremum diem claudit. ibid.
F. Angeli à S. Angelo in Vado virtutes deſcribuntur, M. S. Prou. March. 2. 122.
Humilitas, Obedientia, abſtinentia, ac cætera illius virtutes explicantur. ibid.
Altiſſima illius contemplatio indicatur. ibid.
In aëra vectus ad altare rapidiſſimè fertur. ibid.
Hoc Anno ſanctiſſimè moritur. ibid.
Fr. Ioanninus Florentinus in morte B. Virginis præſentia fruitur. M. S. Prou. Tuſc. A. 13.
Nouitius è Corinalto pleroſque in morte ſanctos ſibi adſtantes, & ad Cæli præmia allicientes conſpicit. M. S. prou. March. 3, 304.
F. Laurentius à Sarnano Vir ſingularis patientiæ, Glorioſiſſimam Cælorum Reginam in morte videt, & ad Cælum inuitantem ſequitur. M. S. Prou. March. 1. 164. Bono. 1. 209.
Ipſius Corpus poſt mortem, & veſtes ſuaui odore fragrant. ibid.
Duo Sacerdotes Romanæ prouinciæ virtute præſtantes, poſt mortem gloria circundati alteri apparent. M. S. prou. Rom. R. 79.
Duo quoque alij in Veneta Prouincia B. Virginis, & Apoſtolorum Petri, & Pauli in morte præſentia dignantur. M. S. Prou. Vene. P. 59.
F. Euſebij Anconitani Vita, & mors deſcribuntur, à Petr. 732. Matth. 2. 95. Monteſ. 66. M. S. Prou. March. 2. 92.
Ipſius familia, & ad ordinem Obſeruantium tranſitus, denique ad Capucinos tranſmigratio explicatur. ibid.
Ipſius virtutes, & tuendæ Religionis ſtudium enarrantur. ibid.
Generalis Capucinorum eligitur, quantaque Religionem prudentia, ac ſapientia adminiſtrauerit, indicatur. ibid.
Vt Generalatus honorem fugiat, ægrum ſe ſimulat, M. S. Prou. March. t. 2. 93.
Cardinalatus honorem ad Siculos fugiens declinat. M. S. Prou. March. ibid.
Quo pacto coquinæ præfectum ab indiſcretæ charitatis plaga curauerit. ibid.
Anima Purgatorij pœnis cruciata ab eo ſuffragia poſcit. M. S Prou. March. ibid.
Facinoroſos homines ad Deo pœnis affligi petit, vt à ſceleribus abſtineant. M. S. March. t. 2. 94.
Ob veſtem Chriſto à fure ſubreptam cum Chriſto conqueritur. ibid.
Præclaro exemplo Gulæ cupiditatem cohibet. M. S. Prou. March. 2. 93.
Mulier lactis inopia laborans, ad illius veſtis contactum lac recipit. Matth. 2. 95. Petr. 735. March. Prou. 2. 95.
Miſſa ad parturientem fune, qua præcingebatur, eam à partus periculo liberat. M. S. March. 2. 95.
Ortam Cælo tempeſtatem, Oratione Dominica populo indicta ſedat. ibid.
Aegrotanti Coturnix illi à Deo mittitur, qua illi cibi appetitus redit. ibid.
Fratri cuidam Prophetico ſpiritu anguſtias prænunciat. M. S. Vmb. E. 463.
Fratres diſſolutioni vacantes horribili terremotu terrentur. M. S. March. 4. 514.
Dies obitus illi à Deo reuelatur, dum Scapetianum proficiſcitur. M. S. Prou. March. 2. 96.
Magna humilitatis, & charitatis ſigna in morte exibet. Matth. 2. 94. M. S. prouinciæ Marchiæ, ibidem.
Scapetiani vltimum diem claudit, corpúſque ſuauiſſimum odorem ſpirat. M. S. March. ibid.
Corpus vſque ad nonum annum integrum diuinitus abſque corruptione ſeruatur. M. S. Prouinc. ibid. Bonon. 1. 314.
Frater pſalmos, & connas recitans, & à communibus ſe laboribus ſubtrahens, horrendo Dei iudicio terretur, & reſipiſcit. M. S. Vmb. l. 40.
Aegroti cuiuſdam periculum deſcribitur. qui corda, ac fœmoralibus carebat. Matth. 2. in fol. ſeparat.
Dolium vino vacuum cuidam Benefactori diuino miraculo, vſque ad tertium annum vinum reddit. M. S. prou. Rom. A. 28. 29.
Egregium Eleemoſynarij cuiuſdam facinus, ac conſilium in caſtitate tuenda narratur. M. S. Prou. Coſent. iij.
F. Ignatius ab Apiro, Commiſſarius Generalis in Cretam Inſulam mittitur. M. S. March. 130.
Ipſius virtutes enarrantur, & Cretenſium Apoſtolus prædicatur. ibid.
Quinque in ea Inſula Conuentus ædificat. ibid.
Poſt obitum lampades ad ipſius ſepulchrum accenduntur. M. S. Prou. March. to. 2. 131.
Pluribus poſt mortem miraculis coruſcat. ibid.
Simon Monticulenſis Laicus, vir ſanctimonia clarus, M. S. Prou. Hydr. 2. 90.

## Annvs Christi. 1570.

DEcimum quartum Generale Capitulum Romæ celebratur, in quo Marius Generalis confirmatur. Matth. 2. 134.
Hieronymus à Monteflorum Ordinis Procurator eligitur. M. S. Prou. Rom. B. 40.
Nonnulla in hoc Capitulo ſtatuta commemorantur. Matth. M. S. Prou. Rom. ibid.
Pius V. Pontifex Max. Chriſtianos Principes contra Turcam in fœdus vocat. Matth. 2. 136.
Hieronymum Piſtorienſem cum 30. Capucinis fratribus ad Claſſem parandam deſtinat. M. S. Prouinc. Rom. B. 40. Matth. ibid.
S. Carolus Borromæus, nonnulla Capucinorum Monaſteria extruenda poſtulat, in ſua Mediolanenſi Diœceſi. M. S. Mediol. 379.
Sæpè in itinere ad Capucinos diuertit. M. S. Prou. Brix. C. 242.
Fratres Genuenſis Prouinciæ, panes in itinere egenis diſtribuentes, totidem à Deo panes recipiunt. M. S. Prou. Genu. 38.
Præclarum diuinæ prouidentiæ erga ægrotum fratrem teſtimonium. M. S. Prou. Mediol. 230.
Alterum Bigorij illuſtre diuinæ prouidentiæ, erga fratres miraculum accidit. M. S. Prou. Mediol. 439.
Frater quidam ob proprietatem damnatus. M. S. Mediolan. 421.
Fratrum flagellatio, in Dominicæ Paſſionis memoriam facta, quàm Deo grata ſit, miraculo demonſtratur. M. S. Prou. Hydrunt. to. 1. 60.
F. Gabriel à Iaueno Pedemontanus pro Defunctis orans, à Defuncti Anima ſuæ ſalutis admonetur. Mat. 2. in fol. ſeparat.
Ad Capucinos migrat, ac virtutibus emicat. ibid. M. S. Genu. 194.
Cæleſtis gloriæ viſio in oratione illi oſtenditur. ibid.
In Montiſcalerij Conuentu diem extremum ſanctè obit. M. S. Genu. 268.
F. Franciſcus à Canobio Vir quàm plurimis virtutibus clarus. M. S. Mediol. 109.
Viſionem Fratribus narrat, qua illos ad perfectum Dei cultum prouocat. ibid.
Poſt mortem lilium pulcherrimum ex ipſius ore pullulat. ibidem.
F. Ioannes à Nicoſia plurimis virtutibus emicat, quæ recenſentur. M. S. Prou. Meſſan. 86.
Biduano ieiunio, & oratione mulierem à Dæmone poſſeſſam liberat, & in Domino quieſcit. ibidem.
F. Nicolaus Quinquefrondienſis, aridum ramum ex obedientia rigans in arborem prouocat. M. S. Prou. Rheg. t. 2. 104.
Chriſti Paſſionem Meditanti Pilatus apparet Coruis ſeptus. ibidem.
Chriſtus illi Crucem ferens apparet. ibid.
Idem ſub pueri ſpecie in Altari ſecum colloquitur, & vitæ curſum fœliciter complet. ibidem.
F. Ludouicus à Monte Sancti Sauini Laicus, plures oratione Dominica quinquies recitata, ægrotos ſanat. M. S. Prou. Tuſc. M. 33.
Germanum Fratrem, duoſque alios Fratres hoc modo à morte, & à morbo liberat. M. S. Tuſc. M. 30.
Totum ferè Conuentus panem cum Pauperibus erogaſſet, tot ab Angelo placentas accipit, quot in Conuentu Fratres aderant. M. S. Prou. Tuſc. M. 13.
F. Modeſtus Clericus ſplendidam in Morte Crucem videt. M. S. Prou. Bono. 3. 150.
F. Hieronymus à Piſtorio doctrina, morum integritate, ac Prædicatione illuſtris. M. S. Prou. Tuſc. A. 12. M. 33. E. 48. Matth. 2. 136.
Mortua Coniuge Obſeruantium Ordinem ingreditur. ibid.
Ob ignorantiam ab Examinatoribus initiandus reprobatur. ibid.
Literarum ſtudiis incumbit, ac inſignis Theologus ac Prædicator euadit. M. S. Tuſc. Matt. ibidem.
Ad Capucinos cum Antonio à Mentepolitiano accedens à F. Honorio à Montegranario recipitur. M. S. prou. Tuſc. A. 12. M. S.
Ipſius virtutes, ac vitæ inſtitutum recenſentur. M. S. Prou. Tuſc. E. 48.
Meretricum reductioni ſtudet, & Florentiæ domum hoſpitalem fundat. M. S. Tuſc. E. 16. M. 4. A. 12.
Theologiæ Profeſſor S. Bonauenturæ libros, iam ferè vetuſtate conſumptos prælo reſtituit. Matth. 2. 136.
In Generali Concilio Tridentino Sermonem ad Patres habet, & pro Religionis habitu decertat. M. S. Bonon. 138.
Definitor Generalis fit, & pleráſque Prouincias moderandas ſuſcipit. M. S. Bon. t. 1. 250.
Ipſius in Socium charitas exemplo narratur. M. S. Bono. t. 1. 137.
Oblatum ſibi à Pio V. Cardinalatus honorem recuſat & Iulium Sanctorium pro ea dignitate nominat. M. S. Tuſc. E. 48. 49. M. 4. 33. Bono. t. 1. 138.
A Pontifice in Cretam Inſulam mittitur. M. S. Tuſc. M. 4. 51. E. 48.
Hieronymo oranti Beatiſſima Virgo apparet, ac Mortis illi tempus reuelat. M. S. Tuſc. M. 53.
A via aberrans cæleſti hoſpitio noctu excipitur. M. S. Tuſc. E. 48. M. 48.
In Cretam Inſulam perueniunt, & peſte laborantibus inſeruiunt. Matth. 2. 136. M. S. Tuſc. E. 48.
In hoc charitatis officio, Hieronymus cum duobus aliis peſte ſublatus, ad Dominum migrat. Matt. ibid. M. S. Tuſc. E. 48. M. 4.
Fratri Baſilio Cremonenſi apparet, ſeque Dei gloria potiri affirmat. M. S. Tuſc. ibid. Bono. 1. 227.
Poſt aliquot annos Hieronymi Corpus integrum reperitur, & Caſertam transfertur. M. S. Tuſc. A. 12. M. 51. Matt. ibid.
Quædam Volumina compoſuit, quæ enarrantur. Matth. ibidem.
Valentinus Drepanenſis Laicus ſanctitate celebris, ſuum, atque alterius obitum prædicit. M. S. Prouinc. Rom. C. 53
Sebaſtianus Agurienſis ſac. & Conc. eximiam virtute præditus, Diem ſui obitus tribus prænunciat, M. S. prou. Meſſan. 5.
Ioannes Iarratanus ſac. & Concion. prudentia clarus, & ſanctitate conſpicuus ſuum obitum præſignificat. M. S. prou. Syrac. t. 1. 10. 12. 13. 63.
Angelicus Bucherienſis Sacerd. inter illuſtres Viros enumeratus. M. S. prou. Syrac. t. 1. 10. 11. 137.
Stephanus, & Sylueſter Bucherienſes Sacerdotes, maximis virtutibus ornati. M. S. prou. Syrac. t. 1. 79. 80.

## Annvs Christi. 1571.

PIus V. Pontifex Max. Anſelmum à Petramolaria, ad Claſſem cum 30. Fratribus deſtinans, eos priuilegiis, ac facultatibus proſequitur. M. S. Prou. Genu. 23. prouinc. March. 2. 32.
Bullæ tenor inſeritur. M. S. March. ibid.
Anſelmus Fratribus Præfectus, ſuos inſtruit, diuinãque opem implorat. ibidem.
Ligneam omnes Crucifixi imaginem à Pontifice benedictam accipiunt, & cum Pontificia Claſſe Meſſanam adnanigant. ibid.
Plenaria peccatorum Indulgentia à Capucinis ante pugnam prædicatur. ibid.
Quid Capucini, dum prælium iniretur præſtiterint. M. S. Prou. March. 2. 33. Genu. 24.
Bellum Nauale committitur, ac Dei virtute Victoria de Turca reportatur. ibid.
Nobilis quidam Romanus ab Inferis excitatus, Vxoris damnationem narrat, & poſt peccatorum confeſſionem iterum obdormit. M. S. prouinc. Vmb. E. 60.
Nouitius de veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia tentatus, à Domino ſub Pueri ſpecie apparente, liberatur. M. S. Prou. S. Angel. 1. 81. 2. 110.
F. Otho à S. Germano à Religione deſciſcens, iterum ad pœnitentiam reuocatur. M. S. Mediol. 246. Matth. 2. 136. M. S. prou. Brix. A. 178.
Poſt lapſum maioribus viribus emicat, quæ recenſentur. M. S. Mediol. 246.
Dæmon illum ſpectris, ac præſtigiis ad peccata prouocat, variiſque modis infeſtat, quem Signo Crucis effugat. M. S. Mediol. ibid. Brix. 179. Matt. 2. 137.
Dæmon Fratris defuncti Cadauer ante orantem ſtatuit, vt ab oratione auocet. M. S. Mediol. 248.
In bello Nauali eximia charitatis, at pietatis officia præſtat, ac Sancto fine conſumitur. M. S. Mediol. ibid. Brix. 178. Matt. 137.
Poſt mortem cuidam Fratri apparens, cæli præmia ſe aſſequutum narrat, ac ſeuera Dei iudicia explicat. M. S. Brix. 46.
F. Ignatius ex Nobiliſſima Familia Comitum Vallis duplicis

ortus omni virtutum luce coruſcat. M.S.Bonon.1.251.
E bello Nauali rediens ſanctè ad Dominum migrat.ibidem.
F.Ioannes Baptiſta è Caſtro S. Petri Angelicis virtutibus fulget. M.S. Bono. 2.90.
In ſui obitus hora Dæmon in corpore obſeſſo exclamat, ſe à Io: Baptiſta ab eo corpore fugari, liberámque obſeſſam relinquit, M. S.Bono.3.36.
F.Maſſeus Genuenſis Laicus, Vir virtutibus illuſtris à Dæmone infeſtationes patitur.M. S. March.t.7.462.
Nouitius Orationi præter obedientiam incumbens, ferè à Dæmone ſuffocatur. ibid.
F. Franciſcus à Montepolitiano Marcelli Papæ conſanguineus, multis virtutibus floret. M. S. Tuſc. E.13. A.y. & 19.R.30.M.9.32.42.50.
Futura prophetico ſpiritu prædicit. M.S.Tuſc.E.13.A.y.12. M.50.
Multos ægrotos ſua oratione curat. M. S.Tuſc. E. 14. M. 9.
Pallium poſt ipſius mortem ægrotis impoſitum, pleroſque à morbo liberat.M. S.Tuſc.A. 52.19.M.56.
F. Bernardinus à Lauro Clericus, omni virtute ornatus, in morte in extaſim rapitur. M.S. Prou.Neap.18.
Capucinorum ſupplicationem ante S. P. Franciſcum gradientem cernen, ſſe in libro ſanctorum inſcriptum videt, tum ex humanis migrat.ibid.
F. Andreas Calaber multa ſanctimonia emicat. M. S.Prou. Neap.13.Vmb. E.521.
Sacerdotes, ac Superiores quanta veneratione proſequeretur, explicatur. ibid.
Abſque Superioris benedictione ex hac vita non vult migrare, ea munitus ſtatim decedit.ibid.
F. Bonauenturæ Cremonenſis virtutes deſcribuntur à Monteſ. 15. Matt.2.100.Petr.873. M. S. prou.Neap.
Sæpè Apoſtolorum præſentia, ac B. Petri Miſſa potitur. Monteſ. 15. Matt.2.101.
Monialium S. Mariæ in Hieruſalem curam, per aliquot annos gerit, ac beato fine conſumitur. Monteſ. Matt. Petr. ibid.
F. Leo Genuenſis ſacerdos, ab Eremitarum inſtituto, bina B. Virginis Viſione ad Religionem prouocatur. M. S. Prou. Sancti Angeli.to.1.to.2.14.
Admirabilis ipſius vitæ ſanctitas deſcribitur, cui par mors ſuccedit. M.S Sancti Ang.t.1.8.to.2.75.
F. Martinus Rheginus virtutibus elucet. M. S. Rheg. tom. 1.16.to.2.76.
Diem ſui obitus ex diuina reuelatione accipit. ibid.
Poſt mortem caro ipſius ad Niuis candorem, & infantilis teneritudinis mollitiem reuocatur. ibid.

## ANNVS CHRISTI. 1572.

PIus V. Pontifex moritur, & Gregorius XIII. Pontifex. creatur. Plat.549.
Siciniani Conuentus ædificatur. M.S.Prou. Lucan. 47.
Dæmon fundationem Conuentus impedire conatur. ibid.
Fratrum oratione. Cadi vino vacui pleni inueniuntur. M.S. Prou. Lucan. 48.
Eodem modo acidum vinum in optimum mutatur. ibid.
Cuiuſdam Matonæ Romanæ Viſio de filiæ, & Capucinorum gloria narratur. M. S. prou.Vmbr.& 62.
Defunctus Frater, dum à Fratribus abluitur, manibus verenda tegit. M.S.March.to.4.520.
F. Bonauenturæ Rhegienſis virtutes enarrantur. M. S. prou.March.t.1.12.t.2.44.t.4.489.
Ipſius in prædicando vis, & feruor, & in controuerſiis dirimendis efficacia.M.S.March.to.2.46.
Maceratenſem Vrbem, aliaſque ad publicam concordiam prouocat.ibid.
Scandaloſum Clericum diuina virtute ad meliorem frugem prouocat. ibid.
Firmi Sodalitatem Nigrorum fundat, & Quadraginta horarum orationem illuſtrat. M.S. March. 2.47.
Dum in hæreſes inuehitur, venenum illi in cibo offertur. ibid.
Legis peritus Dei Virum publicè proſcindens, à Deo caſtigatur. ibid.
Prædicans futura prænunciat. M.S.March.to.4.489.
Quadraginta horarum oratione, Narnienſem agrum ab annua tempeſtate liberat.M.S.March. to.2.47.
Ordinis Procurator Romæ creatur, ac ſæpè Prouincialis munus adminiſtrat.M.S.March.t.1. 12.to.2.44.to. 4. 489 527.
Ab impudica fœmina ad turpia prouocatus, quo pacto caſtitatem integram ſeruauerit.M.S. March.to.4. 527.
Senogalliæ diem extremum obit.M. S.March.to.2.48.
Corpus ipſius ſexto poſt obitum anno integrum reperitur. ibid.
F. Petrus Vrbinas Clericus, in morte magnas à Dæmone tentationes fert.M. S.Prou.March.t.1.187.
Dæmone deuicto B. Virginis, ac B. P. Franciſci Viſione potitur ibid.
F. Ioannes Surianus Baptiſta Eſculanus Clericus, animi puritate præſtans, B. Virginem in morte conſpicit. M. S. March.to.1.158.210.to.4.508.
F.Petro Ponceuerano S. P. Franciſcus in morte apparet, & ad præmia vocat. M.S.Prou.Genu.65.147.
F. Ioannes à B. Virgine ad dura toleranda prouocatus, ſummas ægritudinis moleſtias patienter ſuffert, & cælo donatur. Prou. M. S.Rom.A.25. 140.
F. Hieronymus Rheginus prophetico ſpiritu clarus, pleraque futura prædicit. M.S.Rheg. t.1.14.t.2.84.
Sui obitus horam diuina reuelatione diſcit. ibid.
Ipſius caro poſt mortem mollis, & blanda conſpicitur. ibidem.
F. Angelus à Sancto Martino puer, à B. Virgine à morte liberatur. M.S. Prou. Rheg.t.2.89.
Feruidus fuit Diuini Verbi Prædicator.M.S. Rheg.to. 1.22. to.2.9.
Nubeculam ab Occidente vocat, vt Populum prædicationi aſſiſtentem obumbret. M.S.Rheg.t.2.90.
Tempeſtatem Dæmonis opera excitatam Signo Crucis diſſipat, ac nubes diſſoluit.ibid. & to.1.22.
Bonauenturæ Socius in extaſim rapitur, & in aëra ſubleuatur.ibid.
Dæmoni in morte inſultat, & in Domino obdormit. M. S. Rheg.t.1.22.to.2.91.
Poſt mortem Fratri cuidam glorioſus apparet. ibid.
F. Alexandri Catanenſis honeſtas, ac cæteræ virtutes enarrantur.M.S.Prou. Meſſa.48.
Poſt mortem Miniſtræ Tertiariarum glorioſus apparet. ibid.
Coronæ ipſius contactu plerique ægroti ſanantur. ibid.
F. Iuo Meſſanenſis abſtinentia. inſignis, ac cæteris virtutibus admirabilis. M.S.Prou. Meſſan.17.
Archangeli Michaëlis ſæpè colloquio fruebatur. M. S. Meſſan. 19.
Pro Melitæ Inſulæ obſidione Deum orat, & ab Archangelo breui ſoluendam diſcit. ibid.
Pro Patris anima rogans, ab Archangelo ſalutem conſecutam, fuiſſe audit.M. S.Maſſ. 17.
Pro ſuorum peccatorum remiſſione orans, diſcit ab Archangelo, ſe eorum veniam à Deo eſſe conſequutum. M. S. Maſſ. 19.





Pro defuncti Anima rogans eam à Purgatorij pœnis liberat. M.S.Meſſ.18.
Mulieri ſterili prolem maſculam à Deo impetrat. ibid.
Archangelus diem illi obitus reuelat. M. S. Meſſ. Prouinc. 19.
Meſſanæ ex humanis excedit. ibid.
Corpus ſuauiſſimum poſt mortem odorem efflat.ibid.
Vigeſimo poſt obitum anno, corpus ipſius integrum conſpicitur. ibid.
F.Sebaſtianus à Gratterio ſanctimonia, & miraculis illuſtris, hoc anno moritur.M.S.Prou.Rom. C.46. Panorm. 1.54. t. 2.22.Meſſan.24.26.
Illius virtutes deſcribuntur, ac præſertim vitæ auſteritas, & Carnis macerationes. ibid.
Chriſtus in hoſtia celebranti apparet, in ſpecie, qua à Pilato olim demonſtratus fuit. M.S.Prouinc. Rom. & Meſſan. ibid.
B. Virginis & S.P. Franciſci viſionibus potitur.ibid.
Ægrotanti vas aquæ à B.Cælorum Regina affertur, qua incolumitatem aſſequitur. ibid.
Hoſtium ſe iaculis opponit, quæ eo inoffenſo ad illius pedes cadunt. M.S.Prou Panor.to.2.22.
Pleraque prophetico ſpiritu plenus futura prædicit, quæ eueniunt.M.S.Rom.C.40.54.Meſſan.27.
Amentem manus impoſitione ad mentem reuocat.ibid.
Cæco Signo Crucis viſum reſtituit. Prou. Rom. ibid. M. S. Meſſ. 28.
Ipſius oratione in die Paſchatis, Deus familiæ de obſonio prouidet.M.S.Meſſ.113.114.
Rurſum in ſumma rerum penuria Dei in familiam prouidentia elucet.ibid.
Summam in morte hilaritatem oſtendit. M.S. Prou. Rom. ibid.Meſſan.24.29.
Poſt obitum Frater quidam, illius animam inter Sanctorum Choros ſublatam cernit.M.S.Rom.ibidem.
Caro illius poſt mortem mollis, ac membra tractabilia cernuntur.M.S.Meſſan.ibid.
Plurimi ægroti ipſius interceſſione ſanantur. M. S. Meſſan. 29.
F.Auguſtinus à Depiniano virtutibus florens, aridam fœminæ mammam ſanat, & in Domino obdormit. M.S.Coſent. 159.
F. Bernardinus ab Aſculo cum auibus ludit. M. S. Prou. ſancti Ang.t.1.47.t.2.41.
Solo manus contactu Germani brachium attractum curat. ibid.
F. Andreas Siculus plurimo in ſæculo hominum ſanguine fœdatus, res ſacras contingens, ſanguine fœdatas relinquit. M.S.Neap. P.Vmbr.E.519.
F. Paulus à Francauilla Sacerdos, infirmitate diuturna probatus, virtutibus emicat. M. S.Meſſ. 19.Rom.C.14.
Quædam edit miracula, Puerum à ſtrumis Crucis Signo ſanat, & oratione amiſſum equum cuidam pauperi reddit. M. S. Prou.Rom.ibid.
Diem obitus prædicit, ac in Domino quieſcit Panormi. M.S. Prou.Meſſ.20.Rom.ibidem.
F. Felix à Carauaſio Clericus humilitatis virtute, ac patiendi ardore commendatur, ac aliis virtutibus emicat. M.S.Bono.t.1.100.114.127.t.2.162.
Sæpè B.Virginis præſentia, ac colloquio fruitur. M.S. Bono. t.1.100.
Parmæ extremum diem claudit ſanctimonia clarus.ibid.
Auguſtinus Pactenſis Sacerdos ſanctimoniæ commendatur. M. S. prou.Meſſ.23.
Alexander ab Interamnea Sacerdos Obedientia clarus, impetrata à Guardiano benedictione, Spiritum Deo reddit. M.S. prou. Vmb. L. fol. 3.
Michaël Angelus Florentinus Concion. Vir magnæ prudentiæ, ac virtutis celebratur. M.S.Prou. Hetrur.E.3.A. 21.

## ANNVS CHRISTI. 1573.

DEcimum quintum Capitulum Generale congregatur, ac F. Vincentius à Monte Vlmi Generalis eligitur. Matt.2.137.M.S.Prou.Brix.A.182.Petr.1380.M.S. Prou.Venet.M.173.
Nonnulla ſtatuta eduntur. Matt. ibid. M. S. Prou. Rom. B. 34.
F. Dionyſius Mediolanenſis, & Remigius Laudenſis in Galliam mittuntur. Matt.ibid.
A Carolo Lotharingio S.R.E.Cardinali excepti, Lutetiæ hoſpitio Piquepus donantur. Matt.2.139.
Carolus Nonus Rex Galliæ, opera Catharinæ Mediceæ matris Capucinos poſtulat. Matt.ibidem.
F.Ioannis à Thurio virtutes explicantur.M. S. Prou. Rheg.t. 1.33 36.t.2.87.88.
Virginitatem perpetuò coluit.ibidem.
Sacra faciens interdum mente excedit.M.S.Rheg.to.1.35.
Hæreſes acerrimè profligat.M.S. Rheg.t.2.87.
Prophetico ſpiritu clarus Ochini lapſum prædicit, ac pleraque alia futura prænunciat.ibid.
Signo Crucis literali dolore correptum ſanat. M. S. Prou. Rheg.t.1.35.
Sui tranſitus horam diuina reuelatione accepit.ibid.
Poſt mortem luce circumfuſus cuidam Fratri apparet. M.S. prou.Rheg.t.1.36.
F. Paulus à Pedona Clericus, plurimas in morte SS. Innocentium Turmas ſibi occurrentes cernit. M. S. March. t. 2.154.
Futura quædam in morte prædicit, quæ ſequuta ſunt. ibidem.
B. Virginem poſtremò ſibi occurrentem videt. ibid.
F. Proſper à Sancto Angelo, miſerabili cuiuſdam Fratris caſu perterritus, ad Capucinos migrat.ibidem.
Caſus Fratris explicatur.ibid.
Virtutibus clarus ad Dominum migrat.ibid.
F. Antonius Alentinus adhuc ſæcularis, præclarum dilectionis inimicorum exemplum edit. M. S. Prou. Hydrunt. to.2.33.
Plurimæ ipſius Virtutes enarrantur. ibid.
Caſtellanetæ tandem obit. ibidem.
F.Vincentij à Flauiano vita deſcribitur à Petr.973.Monteſ. 44. Salod. M.S.Prou.Rom.B.107.M.S.Tuſc.E.37.A. 12.16.19.M.2.57.& ſeq.
Adhuc Puerulus nocte à Matris latere ſurgit, & preces genuflexus recitat. Petrac. 974.M. S. prou.Tuſc. M.28. 39. Salod.
Chriſtus puerulo noctu apparet, & de caſu cuiuſdam Crucifixi præmonet.Petr. ibid. M. S. Prou. Tuſc. A. 16. 19. M. 28.
Puerulus cæteris pueris prædicat, orationi inſiſtit, atque alia ſanctitatis ſigna edit. M.S.Tuſc. E. 37.Salod.
Dæmon illum Vmbræ ſimulachro exterret. M. S. Tuſc. E. 37.M.35.Salod.
Adoleſcens carnem macerat, atque honeſtati ſtudet. Petrac. 974.Salod.
Cibaria ſibi in menſa ſubtrahit, vt pauperibus diſtribuat. M. S. Tuſc.E.37.M.28. 35.A.12.Salod.
Vinum ſua oratione in doliis multiplicat. M.S. Tuſc. E. 37. Salod.
Quàm in Pauperes eſſet profuſus, quibuſdam exemplis declaratur.M.S. Tuſc.ibid.Salod.
Dum attentiùs ante Crucifixum orat, Crucifixus ad eum

manus extendit M.S.Tuſc.E.37.M.2.5.7.Salod.
Ad Minorum Obſeruantium Ordinem ſe confert,& Sacerdos efficitur. Petr. 975.M.S.Rom. B.107.Montef.44.M.S. Tuſc.E.37.M.2.5.7.A.19. Salod.
Cum Bernardino Aſtenſi,& aliis ad Capucinos migrat.Petr. Montef. Salod. M. S. Tuſc. ibidem. M. S. Rom. B. 108.
Abſtinentia, vitæ auſteritas, admirabileſque ipſius virtutes referuntur. petr. 976. M. S. Rom. B. 108. Montef. 44. M. S. Tuſc. A.12.19.& 19. M. 37. 38 Salod.
Dum in Cella orat. in extaſim raptus, atque in aëra ſubleuatus conſpicitur. Petr. 977. M. S. Tuſc. E. 37. M. 8. 35.
Diuini amoris incendio æſtuans, clamores ore edere compellitur, dum Aſtenſis, & Fanenſis de rebus diuinis ſermocinantur. Petr.978.M.S.Rom.B.109.Monteſt.45.
Ex lignis Iuniperinis oleum excitat, quo ægrotos, magis autem oratione, curat, M.S.Rom.ibid.Tuſc. E.37.M.2.5.7.40.41.44. Salod.
Nudus, Cruce in humeros ſublata, futuram calamitatem in Ethruria prædicat. Petr. M. S. Rom. ibid. Montef. 46. M.S.Tuſc. E.37.A.16.M.7.10.17.44.Salod.
A B. Virgine in itinere reficitur.Petr. 929. M. S. Rom. B. 109. Montef. 46. M.S.Tuſc. E.37.M. 7. 44. A. 16. Salod.
A Satana variis impugnationibus, & apparitionibus impetitur, quas ille diuina virtute proſternit.Petr.977.Montef. 44. M.S.Rom.B.108. Salod.
Aues ſub eo minimè fugiunt. M.S. Tuſc.E.37.M.44.A.19. Salod.
Auicula tibiam confractam curat, quæ eum ſemper in horto pſallentem comitabatur, decantans M. S.Tuſc.37.M. 41. 44.A.12.19.Salod.
Crucis Signo Moloſſos manſuetos reddit.M. S.Tuſc. A.16. M. 19.41.Salod.
Magnam aquarum vim inundantem Signo Crucis cohibet, donec fluuium tranſuadarit. M. S. Tuſc. E. 37. M.28. Salod.
Multa prophetiæ ſpiritu futura prænunciauit, quæ acciderunt. M.S.Tuſc.E.37.Salod.
Fratris cuiuſdam vlcere deoſculato eum ab vlcere ſanat.M. S.Tuſc.E.37.M.28.Salod.
Viuens adhuc cuidam propinquo in Aquitania apparens, ei inuictus neceſſitate ſuccurrit. M. S. Tuſc. E.37. Salodienſis.
Flauiani odia, ac diſſidia componit, imminentemque ſibi ex hac vita deceſſum prænunciat. Salod.
Propinquis ſe etiam poſt mortem affuturum pollicetur, quod reipſa præſtat.M. S.Tuſc. ibid.Salod.
Piſtorij Deo ſpiritum reddit, morienſque ſe humi collocari poſtulat. Montef. 46. M. S. Tuſc. A.12.19.E.37.M. 2. 7.
Corpus illius poſt mortem diu incorruptum in ſepulchro manet. Petr. 982. Montef. 46. M. S. Tuſc. E. 37.M. 40. 44.
Suauis ex eo odor emanat. Petr. 982. Montef. 46. M. S. Tuſc. E.37.M.40.44.
Monopoli Scandalum, ob quorundam Apoſtaſiam in Populo exortum, diuina virtute abſtergitur.. M.S.Prou.Sancti Nicol. 55.
Albiati diuina in Fratres prouidentia elucet, dum in ſumma egeſtate verſantur.M.S.Mediol. 432.
Andreas Tudertinus ſui obitus die prænunciato moritur.M. S. Prou.Bonon.t.1.268.
Anſelmus Panormitanus Sacerd. & Conc. ſanctimoniæ & prudentiæ laudatur. M.S.Prou S.Ang.t.2.138.

ANNVS CHRISTI. 1574.

VIncentius à Monte-Vlmi Generalis moritur. Matt. 2. 137.M. S Vmbr.E.362.
Ipſius virtutes, ac pro Religione labores ſuſcepti enarrantur. M.S.Vmb. ibid.
F. Hieronymus à Monteflorum Religionem vſque ad Capitulum Generale moderatur. Matt. 2. 139. M. S. Venet. P. 14.
Hieronymus Tiphernas in Siciliam miſſus, eam in tres Prouincias diuidit. M. S.Prou. Syrac.in fol.ſeparat.
Caſalis Piſtorum Conuentus in Mediolanenſi Prouincia, ob prodigium ab Oppidanis viſum, ædificatur. M.S.Prou. Mediol. 379.
F. Alexius à Petrarubea Laicus miris virtutibus emicat. M. S. Prou.March. to.2.146.
Ipſius gloria poſt mortem mulieri cuidam declaratur.ibidem.
F. Baldus à Callio Sacerdos, Angelum merita, ac demerita ſua ponderantem cernit. M. S. March. to. 1. 188.t.4. 523.
Regularis diſciplinæ formam in ſe ipſo exhibuit. ibid.
F. Angelus Saonenſis Clericus, ſumma in Religione ſimplicitate, ac puritate vixit. M. S. Genu. 66.271.
Dæmonum in morte tentationes patitur, ac ſuperat. ibidem.
Chriſtum, B. Virginem, ac B. P. Franciſcum in morte cernit. ibidem.
F. Seraphinus Saonenſis Sacerdos, clariſſimis vitæ exemplis emicat. M.S.Genu. 70.196.140. 451.465.471.Matt. 2. 140.
Quàm ſtudioſus Regulæ cultor fuerit, exemplo declaratur. M.S.Genu. 70.
Dies obitus illi à B. Virgine reuelatur. M.S. Genu. 465.
Ipſius caput poſt ſexdecim annos integra cute, ac capillis conſtans reperitur. M. S. Genu.451.
F. Paulus Ferrarienſis Sacerdos virtutibus, ac Regulari obſeruantia clarus. M. S. Bonon.to.1. 155.to.3.104.
Tot annos pœnitentiæ à Deo impetrat, quot Chriſtus in mortali vita conſumpſit. M.S. Bonon.t.1.270.to.3. 104.
Febrim à Fratre ſolo vocis præcepto arcet. M.S.Bono.to. 1. 115.
Ipſius Corpus, nonnullos à morte annos incorruptum reperitur. ibid.
Pedes ipſius à corpore ſeiuncti ſuauem odorem reddunt.M.S. Bono.to.3.104.
F. Ludouicus Parmenſis Clericus Chriſtum in morte videt, vulnera pro eo Deo Patri offerentem.M.S.Bonon.t.1.80. 162. 189.
F. Franciſcus à Sancto Martino eximia vitæ ſanctimonia enitet. M. S. Rheg. t.1.23.t.2.85.
Crucis Signo ægrotos ſanat. ibid.
Diem obitus predicit, & Sanctè in Domino obdormit. ibidem.
F. Franciſcus à Sancto Petro Concionator, multis virtutibus fulget. M. S. Sancti Nicol. 30. Hydrunt.t.2.67.
In oratione mente excedit, & corpore ſurſum in aëra ſubleuatur. ibid.
Animam Deo reddit, Brunduſij. ibid.
F. Ludouicus à Noto Sacerdos, Vir virtutibus maximus extitit. M.S. Syracus.t.1.10.11. 12.13.63.56.
Ipſius virtutes, & mors enarrantur. ibid.
F. Geruaſius Herminienſis Laicus Sanctimonia, ac miraculis inſignis. M. S. Panorm. to. 1. 53. 88. to.2.4.34. Prouinc. Meſſ. 83. Rom. C. 10. 28. Syracus. 10. 16. 56.





Ipſius virtutes fusè enarrantur. ibid.
Corporis auſteritates quàm ingentes exerceret. ibid.
Ipſius obedientia illuſtri à Deò miraculo illuſtratur. M. S. Meſſ. 83.
Panormo abſcedit, vt honorem fugiat. M. S. Panorm.tom.1. 80. 90.
Somnum ad duarum tantùm horarum ſpatium contrahit. M. S. Pro. Panorm. to. 1. 53. 88. t. 2. 4. 34. Meſſan. 83.
Temporis quàm auarus exactor eſſet. ibid.
Minimas animi labes maximè ducit. ibid.
Dæmon eum ab oratione variis modis exturbare conatur. M. S. Panorm. tom.1. 90. tom. 2. 34. Meſſan. 83. R. c. 10.
Dæmonem cernit fratres in oratione ad ſomnum excitantem liquore propinato. ibid.
Iterum Dæmonem videt orantibus fratribus inſidiantem. ibid.
Dæmon dum is flagellationi incumbit flagello eum ſtrangulare nititur. ibid.
A Dæmone fuſte cæditur, ac immaniter verberatur. ibid.
Sæpè in oratione B.Virginis, ſancti P. Franciſci, ac aliorum Sanctorum præſentia fruitur. M. S. Panor. t. 1.9 Rom. c. 10.
Fax accenſa ex illius ore prodire conſpicitur, dum hominem ad Dei confidentiam prouocat. M. S. Meſſan. 84.
Cum eodem homine iterfacienti à Deo panis miraculo miniſtratur. ibid.
Aegrotos quàm plurimos ſigno Crucis ſanat. M.S. Meſſan. 84. Panor. t. 1. 88.
Plurima quoque ventura prædicit. Panor. t.2.4.
Amiſſi boues vbi reperiendi ſint diuinà reuelatione accipit. M.S. Panorm.t.1.89.t.2.4.
Cuiuſdam Mulieris filium ſua oratione à Pyratarum incurſione liberat. M. S. Panor. t. 2. 4.
Paſſeris garritus quid ſignificet re occulta manifeſtata declarat. ibid.
Mulier tonſillis laborans à Geruaſio ſigno Crucis curatur. ibid.
Nobilem Panormitanum à vlcere, & à febre ſanat. M. S. Meſſ. 84.
Grauiſſimo vulnere ſaucium ſigno Crucis incolumitati reddit. ibid.
Moribundum hominem ſigno Crucis in priſtinum ſtatum vindicat. M. S. Panor. t. 1. 88.
Mulierem partus dolore laborantem, extenſo ſuper eam pallio à partus doloribus liberat. M. S. Panor. t. 1. 89. Meſſ. 84.
Alteram quoque mulierem Rhedarij vxorem ceræ benedictæ particula ad eam miſſa à partus laboribus eximit. ibidem.
Mortuum hominem in Panormitanæ Portæ introitu ad vitam reuocat. M. S. Panor. t. 1. 88. t. 2. 34.
Syracuſis extremum diem claudit. M. S. Panor. tom. 2. 4.
In ipſa ſui obitus hora Fratri longè abſenti apparet, cum triumpho cœlum aſcendens. M.S. Meſſ. 85.
Varia poſt mortem miracula edit, quæ narrantur. M. S. Panorm.t.2.4.
Aloyſia quædam Virgo, vt vinum Capucinis miniſtret, vini multiplicationem in dolio oratione à Deo impetrat. M. S. Pro. March. to. 1. 190.
Fratres in Conuentu Vignolæ niue obſeſſi, victus ſubſidium à Deo miraculosè accipiunt. M.S.Lucan. 180.
Fratres à Moloſſorum rabie B. Virginis horarum codice ſeipſos tuentur. M. S. Bono. t. 1. 13.
Crucis erectione grando Complienſem agrum deuaſtans effugatur. M. S. Pr. Aprut. 64.

ANNVS CHRISTI. 1575.

IVbilæus annus aperitur, & noua Comitia Romæ celebrantur. Matth. 2. 142. M. S. Pro. Rom. B. 41. M. S. Brix. 182.
Cardinalis Vrbinas Protector F. Marium ad Foroſarſinio Comitiis præſidentem mittit, ſed à Concilio reuocatur. Matt. 2. 142.
F. Hieronymus à Monteflorum Generalis Vicarius eligitur. Matt. ibid. M. S. Rom. ibid.
Nonnulla ex hoc capitulo ſtatuta prodeunt, quæ exarantur. Matt. ibid.
A Gregorio XIII. Pontifice Diploma editur, quo Capucinis facultas conceditur, vt Religionem vbique terrarum propagare valeant. Ex Archiu. Rom.
Diploma propriis verbis exaratur. ibid.
Hieronymus Generalis Pacificum à S. Geruaſio in Galliam Commiſſarium mittit. M. S. Pro. Leon. 1. Venet. P. 14.
Decem Pacifico adiunguntur Fratres, quorum nomina recenſentur. M. S. Pr. Ven. P. ibid.
Pleráque in itinere incommoda ſuſtinent. M. S. Pro. Venet. P. 15.
Pariſios perueniunt, Pacificuſque Catharinam Mediceam Reginam adit, & Monaſterium impetrat. M. S. Pro. Venet. ibid.
Reginæ Catharinæ in Capucinos beneuolentia. ibid.
Henrici 3. Regis in noſtros liberalitas. ibid.
Pacificus Hieronymum Mediolanenſem Lugdunum ad Religionis propagationem deſtinat. M. S. Lucan. 1.
Catharina Regina literas commendatitias ad Lugdunenſes Proceres pro Capucinis ſcribit. ibid.
Camillus Lellius omnibus diſſipatis ad ſummam egeſtatem cogitur. lib. 1. Vita ipſius. c. 1.
Piis Fratrum admonitionibus reſipiſcit, & ad meliorem vitæ frugem reuocatur. lib. 1. c. 2.
Ad Capucinorum Religionem tranſuolat, lib. 1. c. 3. 4.
Humilitati, ac virtutibus in Religione proficit. lib. 1. c. 6. 7.
Ob dextri pedis plagam, quæ curari non poterat, ab Ordine poſt duos menſes dimittitur. ibidem.
Romam proficiſcitur, & in Hoſpitali domo S. Iacobi Incurabilium ægrotis inſeruit. ibidem.
Iterum plaga ſanata ad Capucinos ſe confert. ibid.
Iterum poſt quartum menſem plaga recrudeſcente, dimittitur, atque Ordinis Clericorum Regularium, qui infirmis inſeruiunt, fundator efficitur. lib 1. c. 8.
Pacifici, & aliorum apud Pariſienſes vitæ auſteritas, deſcribitur. M. S. Pro. Venet. P. 13. Pro. Leon. 1.
Pacificus hoc anno diem extremū Lutetiæ claudit, cuius etiam vita deſcribitur. ibid.
E ſancti Georgij in Alga Cœnobio ad Capucinos migrat. M. S. Pr. Ven. P. 13.
Plurimis in Religione virtutibus floret. ibid.
Primas in Religione ob ſingularem prudentiam dignitates obtinet. M. S. Ven. P. 14.
Raptus, & extaſes in Oratione ſuſtinet. M. S. Pro. Ven. P. 20

Quàm diuini honoris zelo æſtuaret exemplo declaratur. ibid.
Cum Hæretico de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia diſputat. M. S. Ven. P. 21.
Catholicam veritatem miraculo confirmat, atque hæreticum ad fidem conuertit. ibid.
Corpus ipſius poſt mortem ob Populi venerationem biduo inſepultum manet, M. S. Prou. Ven. P 17.
F. Ioannes Baptiſta de Apiro Sacerdos multarum virtutum ornamentis præclarus. M. S. Pro. Marchiæ. t. 1. 22. t. 2. 727.
Diuini eloquij ſuauitate præſtabat. ibid.
In morte Dæmonum tentationes ſuſtinet. ibid.
B. Virginis præſentia fruitur. ibid.
Eo temporum in extaſim rapitur, ac magna de Paradiſi gloria prædicat. ibid.
Deo ſpiritum reddit in Conuentu Amandulæ. ibid.
F. Philippi à monte Veteri Laici virtutes enarrantur. M. S. Pro. March. t. 2. 170. t. 4. 568.
Quanta in Pauperes charitate afficeretur, exemplo manifeſtum fit. ibid.
Dei amore exæſtuans per Eccleſiam diſcurrebat. ibid.
Perpetuam Virginitatem omnium opinione coluit. ibid.
Ipſius precibus tribuitur, quòd Fratribus in ſumma rerum penuria à Deo miraculo prouiſum fuerit. ibid.
Ante obitum B. Virginis præſentia, ac colloquio fruitur. ibid.
Quinto decimo à ſui obitus anno corpus ipſius integrum, atque in modum orantis in ſepulchro reperitur. ibid.
F. Gratus & Septempedanus Sacerdos virtutibus emicat. M. S. Pro. March. Tom. 2. 132.
A ſancto Daniele Propheta Scripturarum claram intelligentiam impetrat. ibid.
S. Daniel Propheta ſæpè illi apparuiſſe traditur, ac ſenio confectus moritur. ibid.
F. Franciſci à Xiſsa Concionatoris vita, ac preclaræ virtutes enarrantur. M. S. Pro. Panorm. t. 1. 8. 51 92. 317. t. 2. 8. 34. 65. Meſſan. 7. Matt. 2. 184.
Mira huius Viri abſtinentia celebratur. M. S. Panor. t. 1. 94. Meſſ. 7. Matt. ibid.
Bis in Hebdomada duntaxat pane, & aqua veſcebatur. M. S Panor. t. 1. 92. 51. 94. t. 2. 8. 34. Meſſan. 7. Panor. t. 2. 65.
Decem integros dies abſque cibo in oratione duxit. M. S. Panor. t. 1. 94. 317. t. 2. 8 34.
A Dominica Paſſionis vſque ad Domini Reſurrectionem ter tantum panis, & aquæ refectione vſus. M. S. Panor. to. 2. 8.
Septies, iuxta horarum Canonicarum numerum, in die ſe flagellis cædebat. M. S. Panor. t. 1. 51. 92. 94 317. to. 2. 8. 34. Matt. 2. ibid.
Interdum pungentibus malorum granatorum ramis flagellationem exercet. M. S. Pr. Panor. to. 2. 8. 65. Meſſan. 7. to. 2. 8.
Tribus aſperrimis ciliciis vtebatur. M. S. Pr. Panor. to. 1. 92. 93 51. 317. to. 2. 8. 65. Matt. ibid.
Internæ illius animi virtutes recenſentur. ibid.
In Miſſa B. Virginis præſentia potitus traditur. M. S. Pro. Meſſan. 7. 8.
Lachrymoſa ipſius oratio deſcribitur. M. S. Pro. Panor. to 1 92.
Prædicationis illius vis, & vtilitas indicatur. M. S. Panor. to. 1. 93. 94.
Lampadis miraculo populum ad pœnitentiam prouocat. M. S. Panor. tom. 1. 9. 51. tom. 2. 8. 34. 65. Matt. ibid.
Altero quoque Crucifixi miraculo peccatores exterret. M. S. Panor. to. 1. 51. Matt. ibid.
Plurima patrauit viuens miracula. M. S. Panor. tom. 1. 92. 93.
Mulier phreneſi laborans, ſigno Crucis ab eo curatur. M. S. Pr. Panor. tom. 2. 8.
Oratione à ſe, & à ſocio imbres fugat. M. S. Panorm. to. 1. 317.
Nudus in terra in morte deponi, ac mori voluit. ibid.
Ioannes Baptiſta Saonenſis Sacerdos Sanctimonia clarus. M. S. Pr. Genu. 27. 62. 270 439. 465 471.
Dei in Fratres liberalitas, ac prouidentia in ſumma neceſſitate elucet. M. S. Pr. Genu. 82.
Menſæ benedictione veneni vis ab artocreate expellitur. M. S. Pr. Genu. 27. 62.
F. Thomas Taurinenſis Sacerdos ex Equeſtri S. Ioannis Ieroſolymitani Ordine ad Capucinos migrat. M. S. Prou. Gen. 107.
Pluribus in Religione virtutibus emicat. ibid.
In ipſius morte ſuauiſſimus auium concentus auditur. ibid.
F. Ioannis Baptiſtæ Foſſanenſis virtutes celebrantur. M. S. Pro. Gen. 199. 200.
Eo ægrotante lucidiſſimum Ieſu Nomen ſuprà ipſius caput emicare cernitur. ibid.
Patientia clarus ad ſuperos migrat. ibid.
Caput ipſius quarto poſt obitum anno integrum reperitur. ibid.
Infirmorum Præfectus poſt mortem Concionatori apparet. ibid.
Quodnam Purgatoriæ pœnæ genus à Deo tulerit, narrat. ibid.
Concionatorem de ſalutis periculo admonet. ibid.
F. Bonauenturæ à Radicina Laici Vita, ac virtutes enarrantur. M. S. Rheg. t. 1. 21. t. 2. 92.
Ipſius vitæ auſteritas deſcribitur. ibid.
Dum coquinæ miniſterio incumbit, diſiunctis parietibus Sacroſanctam Euchariſtiam in Miſſa eleuari cernit. M. S. Rheg. to. 1 103.
Martyrij cupiditate flagrat. M. S. Rheg. t. 2. 93.
Cum Cæſarea Caroli V. Imper. Claſſe in Aphricam nauigat. ibid.
Oratione panem pro familia à Deo impetrat. M. S. Rheg. to. 1. 22. to. 2. 93.
Cœleſtibus reuelationibus, ac viſionibus locuples traditur. ibid.
Extrema ſui obitus die ſacro Miſſæ Myſterio intereſſe voluit. ibid.
Virginitatem perpetuò ſe coluiſſe declarat. ibid.
Poſt mortem caro ipſius mollis, ac tenera cernitur, ſuauem odorem ſpirans. ibid.
Caput ipſius vſque in hodiernum diem in Clero reconditum ſuaui odore flagrat. M. S. Rheg. t. 1. 87.
F. Alphonſus Sueſſanus Sacerdos plurimis virtutibus emicat. M. S. Prou. Neap. 7.
Prudentia clarus magnis in Religione dignitatibus fruitur. M. S. Pr. Neap. 7. 8.
Nouitium ſigno Crucis à tentatione liberat. ibid.
F. Bernardinus à Latertia ſanctimoniæ commendatur. M. S. Pro. Hydrunt. to. 2. iij
Quinto poſt mortem anno Corpus ipſius integrum, ac odoriferum reperitur. ibid.
Liquor gratiſſimi odoris in ipſius pectore reperitur. ibid.



F. Paulus à Venaria abſtinentia celebris. M. S. Prou. Rom A. 105. cum ſeq.
Dæmones, ſub Coruorum ſpecie, inobedientem fratrem inuadentes conſpicit. ibid.
F. Ruffini à S. Vrſo Sacerdotis Vita, ac Mores deſcribuntur. M. S. Prou. Venet. P. 23. M. 146. Prouinc. Vmbr. E. 475.
Plurimæ ipſius virtutes enarrantur. ibid.
Vitæ ipſius auſteritas declaratur. M. S. Prouinc. Venet. P. 24.
Magiſter Nouitiorum creatus, quàm perfectè munus illud exequeretur, oſtenditur. M. S. Prou. Venet. 23. M. 146.
Occultas Nouitiorum cogitationes diuina virtute peruadit. M. S. Prou. Ven P. 28.
Duos Nouitios, ſecretis illorum patefactis conſiliis, à diſceſſu reuocat. M. S. Ven. P. 24.
Alterum Nouitium, ſigno Crucis in ipſius frontem impreſſo, à tentatione liberat. M. S. Ven. P. 27.
Nouitio à Religione diſceſſum, ac diſceſſuro infauſta prænunciat, quæ illi acciderunt. ibid.
Multa prophetico ſpiritu prædicit. M. S. Ven. P. 25.
Mulieri prolem maſculam pollicetur, ſi oleum ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ lampadam miniſtraret. ibid.
Nouitium, iniuncta ſibi Antiphona Salue Regina ſemel recitanda, à tentatione curat. M. S. Ven. P. 27.
Patientia ipſius variis modis probatur. M. S. Ven. P. 25.
Frequentes in Oratione raptus, & extaſes patitur. M. S. Prou. Ven. P. 23. 26. 27. 28. Prou. Umbr. E. 475.
In aëra quoque toto corpore eleuatus conſpicitur. M. S. Ven. L. P. 23. Prou. Vmbr. E. 475.
Nouitius in extaſim raptum, ſtrepitu ad ſe redire cogit. ibid.
Alter quoque Nouitius, ante S. Euchariſtiæ altare in aëra ſublatum cernit. M. S. Venet. P. 29.
Auguſtinus Valerius Veronenſis Epiſcopus, Viro Dei maximè familiaris. M. S. Ven. P. 23.
In via quoque raptus, & extaſes patitur. M. S. Ven. P. 24.
Huius ſancti Viri doctrina de perfecto orandi modo exaratur. ibid.
Incruenti Sacrificij Religionem Nouitiorum mentibus inſtillat. M. S. Ven. P. 23.
Ad Miſſam nunquam niſi poſt orationis horam accedebat. M. S. Ven. P. 23. 29.
In ea magna lachrymarum copia exundabat. ibid.
In Sacræ Hoſtiæ eleuatione, vultus illi Solis inſtar effulgebat. ibid.
Poſt Miſſam vt plurimum ſenſibus excedebat. ibid.
Ipſius in miſeros, & afflictos mira charitas. M. S. Prou. Ven. P. 24.
Quàm mira illius verbis in conſolando vis indita eſſet, exemplo Veronenſis hominis declaratur. M. S. Prou. Ven. P. 25.
Altero quoque duarum Virginum exemplo explicatur. ibid.
Signo Crucis ægrotantem mulierem ſanat. M. S. Ven. P. 24. P. Vmb. E. 475.
Veronenſis Pictor ægrotans, Coronæ ſuæ cruce ſignatus, à morbo conualeſcit. M. S. Ven. P. 28.
Ante mortem quatuor à Deo ſuis præcibus impetrat, quæ exarantur. M. S. Umb. P. 27.
Perusiæ diem extremum obit. M. S. Ven. P. 25. 26.
Pyrata Turca Monopolitanum Conuentum deprædari cogitans, quo pacto à deprædatione reuocaretur. M. S. Prou. Hydrunt. tom. 1. 54.
In Cremenſis Conuentus fundatione, puer à Phyſicis deſperatus, incolumitatem diuino beneficio conſequitur. M. S. Prou. Brix. A. 257. 259.
Dei prouidentia erga fratres Roſcianenſis Conuentus admirabilis declaratur. M. S. Coſſent. 91.
Matronæ cuiuſdam pietas in fratres miraculo comprobatur. M. S. Prou. Coſſent. ibid.
Benedictus Galeratenſis Sacerdos, perfectioris vitæ commendatur. M. S. Prou. Med. 66.
Ioſephus Drepanenſis Laicus, rerum diuinarum contemplatione clarus. M. S. Prou. Panor. Trap. 10.
Iulius à Caſali Piſtorum Sacerdos ſanctitate eximius, ipſius corpus poſt mortem ſuauiſſimum odorem efflat. M. S. Prou. Mediol. 162.

ANNVS CHRISTI. 1576.

F. Matthias Salodienſis Commiſſarius Generalis in Galliam mittitur. M. S. Prou. Lugd. 1.
F. Hieronymus Mediolanenſis Lugdunum peruenit, & à Pompeio Porro domo excipitur. ibid.
Petrus de Eſpinac Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Mandelotius Gubernator noſtris fauent. ibid.
Ioannetus de Lechis Hieronymi ſermone erga Ordinem beneuolus efficitur, ac ſancto fine quieſcit. ibid.
Iacominus Florentinus, & Ioannes Baptiſta Brunus Pedemontanus, in Ordinem beneuoli. ibid.
Conuentus fundamenta iaciuntur, vnde Lugdunenſis Prouincia exordium ſumit. ibid.
Matthias Salodienſis cum Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, pro Camberienſi Conuentu agit. M. S. Pro. Leon. 2.
Emmanuel Philibertus Matthiæ tres Conuentus in Subaudia offert. ibid.
Literas ad Maurianenſem Epiſcopum, pro horum Conuentuum ædificatione ſcribit. ibid.
Maurianenſis Vrbs Conuentus ædificationem impedit, eáque in alıud tempus reijcitur. M. S. Lugd. Prou. 3. Camberij Conuentus ædificatur. ibid.
Matthias Lugdunum profectus, Hieronymum Guardianum Lugdunenſis Conuentus inſtituit. M. S. Prou. Leon. 2.
Petrus à ſancto Xiſto Capucinos Auenionem vocat. Matt. 2. 39. M. S. Prou. Leon. ibid.
Matthias Hieronymum Auenionem ad Conuentus fundationem deſtinat. M. S. Leon. ibid.
Per Rhodanum Hieronymus Auenionem adnauigans, in Hæreticos incidit. ibid.
Diuina virtute cum Socio fit inuiſibilis, miraculúmque in Auenionenſe Vrbe diſſeminatur. ibid.
Hieronymus cum Petro Vicelegatum adit, & Conuentum in Vrbe poſtulat. ibid.
Cardinalis Vicelegatus pleraſque difficultates mouet, quas Hieronymus ſuperat. ibid.
Cardinalis poſtulationi tandem humaniſſimè acquieſcit. ibid.
Conuentus Auenioni in Vico F. Prædicatorum ædificatur. ib.
Matthias Lugduni prædicat, ac plerique Adoleſcentes ad Religionem ſe conferunt. ibid.
Lutetiam Pariſiorum proficiſcitur, & Medonenſem Conuentum fundat. ibid.
Capucinorum Religio naturalitatis ius in Galliæ Regno Catharinæ Mediceæ ope aſſequitur. Matth. 2. 139.
Vrbis Barcinonenſis Conſules Epiſtolam ad Hieronymum Generalem ſcribunt, qua fratres in Hiſpaniam vocant. M. S. Prou. Barcin. 10. 11.
Michaël Quirolius Pharmacopola Barcinonenſis, rei auctor aſſeritur. ibid.
Deliberatio ad Generale Capitulum differtur. ibid.

*Dira lues Mediolani graſſatur.* M.S. Prou. Mediol. D.1. M.S.Brix.A.183.C.283.
*Pia S. Caroli Mediolanenſis Antiſtitis pro Vrbe ſollicitudo.ibid.*
*S.Carolus Capucinos ad laborantium obſequia vocat. ibid.*
*Fratres ad pium Opus electi enumerantur.ibid.*
*Varia in loca à S. Antiſtite diſpertiuntur.* M. S. Mediol. D.2. M.S.Brix.A.83.C.287.
*F. Paulus Salodienſis Lazareti Præfectus ſtatuitur.* M.S. Mediol.D.4.Brix.C.285.A.183.Matth.2.144.
*Fratrum in ea adminiſtratione charitas, ac ſollicitudo explicatur.* M.S.Mediol.D.3.Brix.C.284.289.
*Pauli prudentia, ac virtus commendatur.* M.S.Mediol.D.4.123.
*Paulus falſi criminis apud S.Carolum accuſatur.* M.S.Mediol.125.D.4.
*Se ipſum coram Antiſtite de impoſito crimine iuſtificat. ibid.*
*Diuina in accuſatorem vltio deſæuit, qui calumniam detegit. ibid.*
*Capucini Brixiæ peſte laborantibus inſeruiunt.* M.S.Brix. A.293.294.Matth.2.144.
*Decem fratres tum Mediolani, tum Brixiæ in ægrotantium Miniſterio, vita defunguntur.ibid.*
*Monaſterium Capucinarum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in Romana Vrbe ædificatum, Pontificis præcepto Capucinis adminiſtrandum traditur.* Matth.2.142. Ex Archiu.Rom.
*Bulla ob id à Gregorio XIII. Pontifice editur.* Ex eodem Archiu.
*F.Thomæ Tiphernatis vita, & virtutes recenſentur.* M. S. Prou.Vmbr.E.334.l.2.61.Rom.C.2.106.
*Ob præclaras virtutes ad Generalatus dignitatem vocatur.* M.S.Prou.Vmb.E.335.
*Ipſius de propria accuſatione doctrina traditur.* M. S.Vmb. E.334.
*Altera quoque, de obedientia in operibus præſtandis, doctrina exaratur.* M.S.Vmb.l.61.
*Exemplis ea doctrina comprobatur.* M.S.Vmb.E.351.
*Frater ægrotos minimè viſitans à Deo ita mulctatur, vt alij ab illius viſitatione arceantur.ibid.*
*Thomas ad dignitates inuitus rapitur.* M. S. Vmbr. E.336.
*Ipſius electio diuino miraculo comprobatur.ibid.*
*Coronam B. Virginis perſoluenti Beatiſſima Virgo adſtare cernitur.* M.S. Vmbr. E.337.341. Prouinc.Rom. C.2. 106.
*B.Virginis ope, vitæ periculum cum ſociis effugit.* M.S.Prou. Vmb.& Rom.ibid.
*Dum in via B. Virginis excellentiam contemplatur, fulgor ex ipſius capite emicat.ibid.*
*Nobilem Mulierem Dæmonis arte ligatam, oratione, à Maleficio liberat.* M.S.Prou.Vmb.E.336.
*Tadeo vinum in dolio ob Viri merita multiplicatur.* M. S. Vmb.E.345.
*In Conuentu Ciuitatis Plebis extremum diem obit.* M. S. Vmb. E.334.L.2.61.Prou.Rom.C.2.106.
*Ægrotans illius baculo ſignata ſtatim conualeſcit.* in fol. ſeparat.
*F. Damianus Bergomas Sacerdos, ante mortem cæleſtis gloriæ viſione fruitur.* M.S.Venet.P.64.
*F. Ioannes Gallus Laicus, Vir auſteritate inſignis, ſanctimonia commendatur.* M.S.Ven.P.76.77.
*F. Marinus à ſancta Victoria Sacerdos virtutibus clarus, membris attractum ſigno Crucis ſanitati reſtituit.* M.S. Prou.March.t.2.172.to.4.547.599.
*F. Hieronymus à Pedona multis virtutibus emicat.* M. S. March. tom.1.26.79.177.189.210. tom.2.62.to.3.229. to.4.526.533.573.
*Quanta auſteritatis eſſet, enarratur.* M.S.Prou.March.to.2. 62.tom.4.526.
*Geminæ Moniales ſub Virili habitu, ad Capucinorum Religionem conuolant.* M.S.March.tom.2.64.65.
*Re explorata ad proprium Monaſterium tranſmittuntur. ibid.*
*Hieronymi patientia falſa calumnia probatur.* M.S.Prou. March.tom.2.63.
*Bis per imbrem abſque imbre iter facit.* M.S.Prou. March. 26.177.189.
*Bis fluuium ſicco pede pertranſit.* M.S. March.tom.1.26. 189.
*Virum angina laborantem ſigno Crucis ſanat.* M.S.Marc. tom.2.66.
*Precibus nobili cuidam Viro prolem à Deo impetrat.ibid.*
*Ægrotanti futuram mortem prænunciat.* M. S. Prouinc. March.tom.2.65.
*Fratrem de oblito peccato admonet, & vt illud confiteatur, ſuadet.ibid.*
*In Conuentu Fani ſupremum diem obit.* M.S.March.to.1. 26.79.117.
*Gibbus illi poſt mortem euaneſcit, & poſt ſecundum menſem integrum illius corpus cernitur.* M.S. March. tom. 2.66.
*F. Petrus à Meſapia Sacerdos, tanto poſt mortem odore flagrat, vt vſque ad octauum diem Cella, & Conuentus eo reſperſi fuerint.* M.S.Hydrunt.to.2.113.
*F. Angeli Ferrarienſis Sacerdotis virtutes deſcribuntur à* M.S.Prou.Tuſc.A.11.E.31.M.3.9.13.16.30.42.43.
*Nouitium ſigno Crucis ſæpè à tentationibus liberat.* M. S. Tuſc.E.31.
*Eundem ab oculorum morbo, aquæ tantum benedictæ ablutione ſanat.ibid.*
*Puero Morituro ſanitatem ſuis precibus impetrat.* M. S. Prou.Tuſc.E.31.M.3.30.42.43.
*Nobilis mulier ægrotans, ipſius oratione incolumis fit. ibid.*
*Angelo cum Nouitiis pro ægrotante fœmina orante, S. P. Franciſcus ægrotanti apparet, & incolumem præſtat.* M.S.Tuſc.M.30.
*F.Petrus à Seminaria virtutibus diues, commendatur.* M.S. Prou.Rheg.t.1.78.28.99.tom.2.85.
*Ipſius ſanctitas à Deo miraculis probatur.ibid.*
*Quamplurimos ægrotos ſigno Crucis curat.* M.S.Rheg.to.1. 18.tom.2.86.
*Diem obitus ſui diuina reuelatione accipit, ac Mottam Philocaſtri proficiſcitur.ibid.*
*Hora ſui obitus prænunciata, ac prædicto alterius fratris aduentu, in Domino quieſcit.ibid.*
*In morte nec vultus colorem, nec venuſtatem amiſit.ibid.*
*F.Blaſius de Hali Sacerdos charitate celebris.* M. S. Prou. Meſſan.49.
*Peſte laborantibus ſumma charitate miniſtrans, in eo miniſterio decedit. ibid.*
*Genuflexus moritur, ac per octo horas poſt mortem, genuflexus, quaſi orans permanet.ibid.*
*Ipſius capitis contactu, plerique poſt mortem ægroti curantur.ibid.*
*F. Valerianus à Caſtrobono Sacerdos, dum peſte laborantibus miniſtrat, eodem morbo ſublatus decedit.* M.S. Meſſan.22.
*In morte B. P. Franciſcum, cæleſtem viam ſibi indicantem, ac præcedentem cernit.ibid.*



*F. Sebaſtianus Engienſis Sacerdos in morte grauiſſimis tentationibus probatur.ibid.*
*Beatiſſimam Virginem eum ad cæleſtia præmia allicientem conſpicit.ibid.*
*F. Fœlicis Meſſanenſis Clerici conſtantia in Religione amplexanda narratur.* M.S.Prou.Meſſan.51.
*Ipſius vita, ac ſingulares virtutes exarantur. ibid.*
*Naſi Comiti, populi ſui ab eo defectionem, ac celerem interitum prænunciat.* M.S.Prou.Meſſ.50.
*Beatiſſimam Virginem in morte præſentem cernit, adſtantéſque ad illius reuerentiam prouocat.* M.S.Meſſ.51.
*Polidoro Medico à Deo quartanæ febris curationem poſt mortem impetrat.* M.S.Meſſ.50.
*Suauiſſimus ex illius ſepulchro odor emanat.* M. S. Meſſ.51.
*Corpus ipſius poſt diuturnum tempus integrum, ac incorruptum reperitur.* M.S.Meſſ.51.
*F. Ægidius à Mola Laïcus virtutibus celebris, dum in Gangij Oppido peſte laborantibus miniſtrat, obitum ſuum prædicit.* M.S.Prou.Meſſ.in ſuo Proceſſu. 1.2.3. & ſeq.
*Sepulchri locum ſibi ante triduum elegit, & poſt triduum ad Dominum migrat.ibid.*
*F. Iulianus à Miſtreta Laïcus eodem tempore in eo miniſterio multa virtute laborat.* M.S.Meſſ.fol.85.
*Toto ſpectante Populo in extaſim rapitur, & corpore in aëra ſubleuatur.ibid.*
*In morte Chriſti Domini præſentia fruitur. ibid.*
*Dæmonum voces audiuntur exultantium ob Nouitij à Religione egreſſum.* M.S.Prou.S.Ang.2.95.p.28.
*Dei in Nouitios vindicta, qui à vocatione deſciſcunt, tribus exemplis exaratur.* M.S.Prou.Hydrunt.tom.2.121.122. Prou.S.Angel.l.1.29.
*Vir Capucinis vinum denegans à Deo vini corruptione, & effuſione caſtigatur.* M.S.Prou.Hydrunt.t.1.81.82.
*Dei in fratres niue obſeſſos prouidentia enitet.* M.S.Prouinc. Mediol.432.Rom.R.28.
*Dæmon horologium ante mediæ noctis horam diſſoluens, Cruce horologio affixa fugatur.* M.S. March.tom.1.8.
*Capucinos quam in pauperes liberales Deus eſſe velit, illuſtri exemplo declaratur.* M.S.March.tom.1.119.
*Quàm ſollicitè fratres à Nugis, ac inanibus verbis abſtinere debeant, graui exemplo commendatur.* M.S.Bono.tom.1. 33.242.264.tom.2.48.
*F. Antonius Bononienſis propter nugas, ac faceta dicta diris à Deo poſt mortem Purgatorij pœnis mulctatur.* M. S. Boro.tom.1.243.tom.2.48.
*Maximilianus II. Imperator fatis concedit, & Rodulphus ſuccedit.* Iacobus Gordon.Chron.huius anni, Geneb.Chron. eiuſdem anni.

## ANNVS CHRISTI. 1577.

*VEnetiarum Vrbs grauiſſima peſtilentia afflicta.* M.S. Prou.Ven.lit. M.174.in fol.ſeparat.
*Aloyſij Mocenici Ducis pietate de Templo Chriſto Redemptori ædificando publicum votum emittitur.ibid.*
*A Senatu Templi adminiſtratio Capucinis traditur. ibid.*
*Templi fundamenta magna totius Vrbis gratulatione iaciuntur.ibid.*
*Panormitana Vrbs peſtilentia oppreſſa Capucinorum opem implorat.* M.S.Panor.tom.2.42.
*Fratres pio miniſterio incumbunt, & ex his aliqui in eo munere occumbunt.ibid.*
*Duo Capucini fratres apud Ieroſolymam pro fide certantes à Turcis necantur.* M.S.Hydrun.t.1.171.
*F.Ioannes Illiricus Concionator plurima virtute commendatur.* M.S.Prou.Neap.22.Meſſ.18.
*Sacriſtæ cuiuſdam Ordinis horrendus caſus narratur.* M.S. Meſſ.Prou.118.
*Diem ſui obitus, quem à Deo petierat, impetrat, ac prædicit.* M.S.Neap.fol.25.
*F.Franciſcus Abellinenſis Clericus obedientia inſignis, Guardiani obedientia, ac benedictione munitus moritur.* M.S. Neap.26.
*F. Clemens à Bocherio Laïcus ſanctimonia eximius celebratur.* M.S.Meſſ.in.98.
*Virginitatis perpetuus cuſtos fuit. ibid.*
*In oratione defixus luce circa lumbos perfuſus cernitur. ibid.*
*F. Coſmas à Martina Sacerdos multis in morte à Dæmone tentationibus inuaſus, B.Virginem ſibi adeſſe conſpicit.* M.S.Hydrunt.tom.2.12.
*F. Ioannes Andreas à Renigo multis virtutibus elucet.* M.S.Venet.P.37.38.
*Nouitiorum curæ præficitur.* M.S.Ven.35.
*Nouitium à Dæmone illuſum diuina virtute accipit.ibid.*
*A Diabolicis technis renitentem liberare conatur.ibid.*
*Ipſius fugam noctu præmeditatam diuina virtute agnoſcit, eúmque à diabolica perſuaſione liberat.ibid.*
*Eundem ægrotantem in Religionis habitu moriturum prædicit.ibid.& 38.*
*Nouitiorum occultas cogitationes diuina virtute penetrat. ibid.*
*Duorum Nouitiorum fugam diuina reuelatione agnoſcit. ibid.*
*Frequentes extaſes in Oratione patitur.* M.S.Ven.P.36.
*Vicentiæ plenus ſanctimonia obit.* M.S.Ven P.38.
*F. Pacificus Calaber Laïcus ſpectata ſanctimonia floret.* M.S.Panor.t.2.9.
*Fune, quo præcingitur mulierem à ſanguinis fluxu liberat. ibid.*
*Vinum acidum ſua oratione in optimum conuertit. ibid.*
*Obijt in Conuentu Caſtri Veterani ſanctitate celebris.ibid.*
*Mulier infœcunda tunicam illius poſt mortem induens, fœcunda, ac liberorum parens efficitur.ibid.*
*F.Vitus à Monte, Laïcus, Dæmones ſua oratione crucians, ab iis variis modis fatigatur.* M.S.Panor.t.2.42.
*Diem obitus ſui Tertiario prædicit, ac virtutibus clarus ex humanis migrat.ibid.*
*F. Archangeli Panormitani Concionatoris conſtans in Religione arripienda propoſitum commendatur.* M.S.Panor. t.1.320.321.322.323.t.234.
*Verbum Dei magno cum ſpiritus ardore diſſeminat.* M. S. Panor.tom.1.320.321.
*Drepani tres Sodalitates pias inſtituit, & Hoſpitalem domum fundat. ibid.*
*Ipſius prædicationis vis & efficacia explicatur.ibid.*
*Liberrimè peccatores cuiuſuis ſtatus increpat.ibid.*
*Orationis, & Chori quàm ſtudioſus eſſet demonſtratur.* M.S Panor.t.1.323.
*Humilitatis officia, tametſi Guardianus infima exhibet.* M.S.Panor.t.1.3.24.324.
*Quid, mulum illi ad eleemoſynam vectandam offerenti reſponderit.* M.S.Panor.t.1.322.
*Ad turpia à muliere pellectus, eam ad pœnitentiam compellit.ibid.*
*Ipſius in pauperes charitas exemplo oſtenditur.* M.S.Panor. t.1.323.t.2.34.
*Quàm fraterna charitate flagraret exemplo demonſtratur. ibid.*

Sanctimonia illuſtris extremum diem obit. ibid.
F. Archangeli Saccenſis honeſtas à M.S.Prou.Panorm. t.1. 329.illuſtri exemplo commendatur.
F. Ludouicus Agrigentinus Sacerdos virtutibus locuples, diem mortis diuina reuelatione addiſcit, ac prænunciat. M.S.Panor.tom. 2.42.
F. Sebaſtianus à Bibona Laïcus charitate inſignis, dum peſte laborantibus inſeruit, vitam Deo conſecrat. M.S. Panor.tom. 1.117.130.
F. Hieronymus à Paradiſono Sacerdos virtutibus emicat. M.S.Prou.Rheg.tom.1.25 tom.2.103.
Diem ſui obitus prænunciat. ibid.
In ipſius funere lumina Angelico miniſterio multiplicantur. ibid.
F. Paulus ab Alcamo Nouitius diem mortis, quem à Deo impetrauerat prædicit. M.S.Panor.tom.2.41.
Ægrotanti B. Virgo Sole amicta apparet, iſque in mortis ſomnum reſoluitur.ibid.
Communi flagellatione, Deo pro obſeſſæ liberatione oblata, Dæmon ab ea expellitur.ibid.
Fratribus in via languentibus Deus miraculo prouidet. M.S.Panor.tom.2.34.
Regulæ Codicem in morte geſtare quàm proficuum ſit, exemplo aperitur.M.S.Prou.Bono.t.1.126.
Quàm Nouitiis exitiale ſit à Religionis arreptæ propoſito reſilire,exemplo demonſtratur. M.S.Prou.Hydrunt.tom. 2.122.
Quàm Satanas de fratrum Apoſtaſia exultet, exemplo oſtenditur.M.S.Prou March.to.3.219.
Erogata fratribus eleemoſyna, agros Caſtelli plebis à grandine liberat. M.S.March.tom.4.463.
Alexandri Farneſij pietas,atque in Deum confidentia,exemplo commendatur.M.S.Prou.Hydrunt.to.1.93.
Medicus,Tuſculani Conuentus ædificationem impediens,diuino iudicio ab equo per agros raptatur.M.S.Prou.Rom. R.91.
Diuinam is vlctionem agnoſcens,fratribus beneuolentiſſimus efficitur..ibid.
Nobilis peſte correptus, B. P. Franciſci illi apparentis ope conualeſcit, ipſiúſque iuſſu cinereum habitum induit. M.S.Venet.P.102.
Vinum nobili cuidam, qui illud pro infirmis erogabat, in dolio diuino miraculo multiplicatur. M.S. Prouinc.Venet. P.119.

## Annvs Christi. 1578.

GEneralia Comitia celebrantur. M.S.Prou.Rom.B.49. D.85.M.S.Prou.Brix.c.185.
Hieronymus à Monteſtorum iterum ad Generalatus munus eligitur.ibid.
Hieronymi Generalis in eo munere laudes exarantur. ibid.
Duo Generales Commiſſarij in Galliam deſtinantur. M.S. Prou.Leon.4.
In Pariſienſi Prouincia Cadomenſe, & Roannenſe Monaſterium fundatur.ibid.Pr.Prouinciarum.81.
In Lugdunenſi prouincia Maſſilienſis Conuentus fundamenta iaciuntur. M.S.Pro.Prouinc.ibid.
F. Archangelus Alarconius Generalis Commiſſarius Barcinonam deſtinatur. M.S.Prou.Barcinon.11.
Ab Vrbis Conſulibus honorificè excipitur.ibid.
Apud fratres Minores de Obſeruantia cum ſuis hoſpitatur. ibid.
Cum Epiſcopo Barcinonenſi de Conuentu agit, à quo humaniſſimè excipitur.M.S.Barcin.12.
Sacram B.Virginis ædem Montis Serrati viſitat,cui & Religionis propagationem commendat. ibid.
Vrbis Conſules Eccleſiam ſanctæ Matronæ Archangelo, & ſuis inhabitandam offerunt.ibid.
Epiſcopus Barcinonenſis erga fratres beneuolus, Ædiculam fratribus interea incolendam tradit.ibid.
Nonnulli fratres de Obſeruantia ad Capucinos migrant, quorum nomina recenſentur.ibid.
Fratrum in ea Ædicula victus, & conuerſatio deſcribitur. M.S.Barcin.12.13.
Fratres ad S.Matronæ Eccleſiam migrant. ibid.
S.Matronæ Eccleſia loco inſalubri ædificata.ibid.
Fratres ferè omnes morbo diutino corripiuntur. ibid.
S.Eulaliæ Conuentum ædificant.M.S. Barcin.14.
Ex Obſeruantibus nonnulli, qui ad Capucinos migrauerant, ad ſuos redeunt. M.S.Barcinon.13.14.
Alter Conuentus Montis Caluariæ, Vrbe poſtulante,propè Vrbem extruitur. ibid.
Marchio Sancti Crucis Capucinorum Conuentum in ſuo Viſi Oppido à Pontifice impetrat. M. S. Barcinon. 12.13.
Templum Deo Redemptori dicatum, Venetiis ampliori magnificentia conſtruitur. M. S. Venet. in fol. ſeparato.
Capucini fratres illius adminiſtrationem recuſant.ibid.
Senatus à Pontifice Diploma obtinet, quo Capucini in ea adminiſtratione confirmantur.ibid.
F. Vrbanus à Manfredonia Concionator,virtutum ſplendore illuſtris.M.S Prou.S.Angel.t.1.75.t.2.21.Prou.Vmb. E.232.
Ipſius virtutes enarrantur.ibid.
Ipſius in prædicando vitæ exempla commendantur. ibidem.
Sua oratione,dum de Paſſione Domini prædicat, imbrem à Populo audiente arcet. M.S.Prou. Sancti Angel.t.1.76. t.2.2.22.
Famoſam Meretricem Foggiæ ad meliorem vitæ frugem perducit. M.S.Prou.S.Angel.tom.1.78.t.2.22.
Dum ſacra Myſteria celebrat, Angeli ſub Auium ſpecie circa eum volitant.ibid.
Panem oratione ſua operariis multiplicat. M.S.Prou.Vmbr. E.632.
Vicarius Prouincialis in S. Angeli Prouincia electus, auſteriſſimam vitam inſtituit. M.S. S.Angel.ibid.
In morte grauiter à Dæmone tentatur.ibid.
Suorum prædicationum ſcripta diuino miraculo, in Catholicæ prædicationis teſtimonium,ab igne illæſa ſeruantur. ibid.
In Conuentu Serræ Capreolæ in Domino quieſcit.M.S.Prou S.Ang.t.1.79.t.2.22.23.
Ipſius Corpus poſt quadriennium incorruptum reperitur. ibid.
F.Gratia à S Seuerino Clericus, poſt mortem candida veſte indutus, ac glorioſus apparet. M.S.March.tom.1.155. tom.4.605.
F.Ægidius à Rocca Concionator magnis virtutibus emicat. M.S.Prou.Meſſan.fol.8.
Dum prædicationis ſtudio incumbit, clariſſima lux in ipſius cubiculo ſplendet. ibid.
F. Franciſcus à Chio Laïcus, multas à Dæmone in anno probationis, tentationes ſuſtinet. M.S.Prou.Meſſ.88.89.
Beatiſſima Virgo illi in Horto apparet, & ad perſeuerantiam hortatur.ibid.
F. Petrus à Caſtro Ioanne Laïcus, inter perfectiores Regulæ cultores enumeratur. M.S.Prou. Syracuſ. tom.1.57.63. 64.67.



Ipſius virtutes recenſentur.ibid.
Poſt duos annos apparens,quid Fratres cauere debeant, admonet. ibid.
F. Franciſcus à Sancto Petro Sacerdos in morte turbatur. M.S.Prou.Coſſent.160.
Ante obitum à Deo in electorum numero conſcribitur. ibid.
Seueriſſima Dei Iudicia eſſe monet. ibid.
F. Ioachimi à Leuanto Laici vita, ac virtutes deſcribuntur. M. S. prouinc. Genu. 61. 105.148. 188. 189.142. 270. 404. 439. 453. 454. 455.Matt.2.217.
Vitæ ipſius auſteritas explicatur. ibid.
Dæmoni ignauiam exprobrat. M.S.Prou.Genu.105.242. 439.
Dæmon ipſius flagellationi inuidet, eamque impedire conatur. M. S.Prou.Gen.105.150.
In Oratione noctes inſomnes ducit. M.S. Prou. Genu.105. 148.190.270.453.454.Matt.2.217.
A Dæmone dum orat,infeſtatur.M.S.Genu.105.190.
Diuini amoris æſtu agitatur.M.S.Genu.105.454.
Triduo interdum in extaſi perſeuerat. M. S. Prou.Gen.105. 148.190.270.453.454.Matt.ibid.
Herbas ad morborum curationes adhibet, vt diuinam virtutem operantem occultet.M. S. Genu.105.148.454.Matt. ibidem.
Pleroſque ægrotos oratione magis, quàm herbarum cataplaſmis curat. Matt.ibid.
Plerique ægroti hoc modo ſanati enumerantur. Matt.2. 217. 218.M.S.Prou.Genu.105.148.454.
Peſte laborantibus Ticini inſeruit. M.S.Gen.105.270.
Paupertatis quàm ſtudioſus fuerit, exemplis oſtenditur. M. S.Genu.454.
Diuina in Fratres prouidentia, in Conuentu Montis Caleriy, illuſtri Miraculo declaratur.M.S.Prou. Gen. 188. 189. 404.Matt.2.218.219.
Deus Felis miniſterio Fratribus obſonium prouidet. ibidem.
Lepidè, ac moraliter de Theologiæ ſcientia ab eo dictum recenſetur.M.S. Prou.Genu.61.
In Aſtenſi Conuentu ſanctimonia clarus, extremum diem claudit.M.S. Prou.Genu.105.242.454.
Vinum Benefactori, quod in ægrotos, & pro Miſſæ Sacrificio erogabatur, in dolio multiplicatur. M. S. Rom. R. 32.
Panes benefactori, quos Fratribus erogauerat, è cælo redduntur.M.S Prou. Lucan.fol.56.
Cardinalis Vrbinas Protector moritur, ſuccedit Iulius Sanctorius Cardinalis, Sanctæ Seuerinæ nuncupatus. in fol. ſepar. Protector.

## Annvs Christi. 1579.

HIeronymus Generalis Ætnam montem ſcandit. M. S. Prou. March.t.2.39.
Mira quàm plurima conſpicit, variumque è montis hiatu hominum, mulierumque ploratum erumpentem audit. ibid.
Hieronymus in Vmbriæ Prouinciam proficiſcitur.ibid.
Hieronymi oratione panis Sociis è cælo datur.ibid.
Beatiſſima Virgo, ſub Matronæ ſpecie, vinum Hieronymo, ac Sociis in via propinat.ibid.
F. Angelus à Cænobio Sacerdos virtutibus inſignis, commendatur. M. Prou.March.t.1.66.
Mira ipſius Obedientia, exemplo, ac miraculo comprobatur. ibid.
Diem ſui obitus Fratribus prænunciat. ibid.
Corpus, dum funera perſoluuntur, in feretro ſedet, ſuauiſſimumque odorem ſpirat. ibid.
F. Franciſcus à Funiano Concionator, Vita, ac virtutibus illuſtris commendatur. M. S. Prou.Bono.to.1.2.3.4.5.6. 16.187.203.249.253.263.to.2.34. 38. 39. 64. 65. 73. 98. 102. 105. 119. 125. 157. 159. 163. 169. to. 3. 79. 168.
Candidæ Virginitatis perpetuus cuſtos fuit. M.S.Prou.Bon. t.1.1.6.249.
Frater germanus, dum eum à Religionis propoſito reuocare proponit, diuina virtute compunctus, illi conſtantiam perſuadet. M.S. Bono.t.2.64.
Plurimæ illius virtutes enarrantur.M.S.Bonon. t.1.1. 2. 3. & in 2.& in 3.tom.
Prædicationis gratia in Religione præcellit. M. S. prouinc. Bono.t.1.1.
Bononiæ prædicans in medio ſermone ſenſibus excedit, & Fratri morienti aſſiſtit.M. S. Prou.Bono. 3.79.80.
Veſtium caudatarum luxum, & abuſum Bononiæ tollit. ibid.
Nobili mulieri maſculam prolem à Deo impetrat.M.S.Prou. Bono.t.7.5.203.249.
Pleraſque meretrices ad honeſtam vitæ rationem reuocat. M.S.Prou.Bono.to.3.80.
Venetijs, dum prædicat, alium quoque turpem vſum tollit. M. S.Prou.Bono.t.2.98.
Arimini pleraque pia opera inſtituit, ac Sacella inſtaurat. M. S.Bono.t.1.3.t.2.159.163.
Tabernarius Sacelli Sancti Antonij extructionem impediens, à Deo punitur. M. S.Bono.t.2.163.
Ipſius in pauperes charitas exemplo declaratur. M.S.Bono.t. 1. 3.249.253.t.2.34.39.160.163.
Fabæ ad pauperum alimentum ab eo ſatæ, à Deo multiplicantur.M.S. Bono.t.1 3 249.253.t.2.ibid.
Pallium Iudæo ad fidem conuerſo, in eleemoſynam è ſuggeſtu erogat.M.S.Bonon.t.2.160.
Fabas iterum ad pauperum alimoniam Foroliuij ſeminat, quæ à Deo multiplicantur. M. S.Bono.t. 1.3.249.253.t.2.43. 39.106.163.
Panis pro pauperibus ab eo emendicatus, à Deo in Saccis multiplicatur.M.S.Bono. to.2. 38.
Panes illi Deus in manica auget, ac multiplicat. M.S.Bono. t.1.116.
Parmam fluuium intumeſcentem Signo Crucis, ac ceræ benedictæ particula in eum immiſſa, ad priſtinum alueum reuocat. M.S.Bono.t.1.1.2.3.187.188.
Percutienti alteram maxillam præbuit. M. S. Bono. t. 2. 73.
Extaſes, ac raptus frequenter patitur. M. S. Bon. t. 2. 65.
A ſeculari Viro in aëra ſubleuatus conſpicitur.ibid.
F.Paulus Bercellenſis Sacerdos Nouitiorum magiſter, virtutibus clarus.M.S. Bon.t.1.100.116.242.264.269.269. to. 2. 154.
Nouitium à febre præcepto liberat. M. S. Bonon. tom. 2. 154.
F.Honophrius Bononienſis Laicus, mulierem hydropicam Signo Crucis curat. M. S. Prouinc. March. to. 1. 65. 202.
Alterum à Podagra Signo Crucis liberat.ibidem.
F. Ambroſius Hieracenſis Laicus virtutibus, ac præſertim abſtinentia clarus. M.S.prou.Coſent..161.
In morte arboris pulcherrimæ viſione potitur, in cuius faſtigio Deus ſedet. ibidem.
F. Paulus Catanenſis Laicus, integerrimus Regulæ cultor celebratur. M.S.Prou.Rom.C 1. 16.17.
Diuinis reuelationibus potitur.ibidem.
Intimas animi cogitationes diuina virtute rimatur. ibid.

Sæpè extaſes, ac raptus patitur. ibidem.

F. Hieronymus Panormitanus doctrina, ac dignitatibus in Religione celebris. M. S. Prouinc. Panor. t. 1. 331. 332.

Ipſius poſt mortem gloria reuelatur. ibid.

F. Franciſci Luppienſis Sacerdotis vitæ auſteritas celebratur. M.S. Lucan. Prou. 161. 195. 214. 217.

Ad Carnis tentationem ſuperandam vſque ad duodecimum diem à ſomno abſtinet. ibid.

Puellam à Dæmone obſeſſam ſua oratione liberat, M. S. Lucan. Prou. 117.

Mira ipſius patientia commendatur. M. S. Lucan. 214. 195.

Ipſius Corpus poſt mortem molle, ac tractabile cernitur. M.S. Lucan. 195.

F. Antonius Monopolitanus Sacerdos vita, & dono Prophetiæ clarus commendatur. M. S. Prou. Sancti Nicolai 2.

Vnius ex ægritudine conualeſcentiam, alterius ne dum ægrotantis mortem, & apud Deum ſalutem prænunciat. ibidem.

Fune, qua præcinctus erat mulier à partus doloribus liberatur. ibid.

Antonellus de literna deuotiſſimus Ordinis Benefactor ſuæ mortis à Deo reuelationem accipit. M. S. Prou. Vmb. E. 445. F. 10.

Fratribus ante obitum valè dicit, ac deuotiſsimè moritur. ibid.

F. Bartholomæus à Luciniano, doctrina, & eruditione illuſtris. M.S. Prou. Vmb. E. 527.

Virtutibus, ac præſertim humilitate excellit. ibid.

Dum orat, Spiritus Sanctus ſub columbæ ſpecie circa eum volitantis cernitur. ibidem.

F. Gregory Genuenſis Laici auſteritas, atque in loquendo ſuauitas commendatur. M. S. Prou. Genu. 197. 448. 771.

Mulierem mortis memoriam, ac nomen horrentem, ad mortis deſiderium allicit. M.S. Genu. 447. 471.

Mentis exceſſus, ac extaſes patitur. M. S. Prouinc. Genu. 448.

Corpore in aëra ſubleuatur. ibid.

Obitum ſuum longè ante prædicit, modumque declarat. M. S. Gen. 471. 529. 197.

F. Petrus Paludenſis graues poſt mortem Purgatorias pœnas ob varias confabulationes ſuſtinet. M.S. Prou. Bono. to. 1. 255.

F. Auguſtinus à Macaddo quales poſt mortem à Deo pœnas tulerit, eo quòd infirmorum obſequia exhorreret. M.S. Bon. Prou. to. 1. 2. 264.

Infirmorum Præfectus à Deo condemnatur, eo quod debita, & æqua ſeruitutis officia Infirmis non præſtiterit. M. S. Prou. Rom. R. 83.

Aqua, qua Fratrum pedes lauantur grex aſperſus à contagio curatur. M.S. Panor. t. 1. 189.

Frater res quaſdam Superiori celans adhuc viuens in Inferno ſuſpenſus cernitur. M. S. Prouinc. March. tom. 3. 220.

Sceleris pœnitens, rebuſque Superiori conſignatis Dei ſententiam effugit. ibid.

Frater panem Pauperi denegans, durum poſtea, ac ferreum experitur. M.S. Prou. Rom. R. 15.

Vinum acidum dum Capucinis à Benefactore tribuitur, optimum fit. M. S. Prou. March. to. 1. 147.

Frater communis Orationis tempore obdormiens horrenda, Beata Patris Franciſci viſione terretur. Matth. 2. 151.

F. Gregorius Genuenſis virtutibus fulget. M.S. Prou. Genu. 197. 448. 471. 446. 529.

Sæpè in extaſim raptus in aëra corpore attollitur. M.S. Prou. Genu. 448.

Dum peſte laborantibus miniſtrat, piè occumbit. M.S. Prou. Genu. 471. 529. 197.


ANNVS CHRISTI. 1580.


PEſtis ſæuiſſima Lutetiæ Pariſiorum graſſatur. M. S. Prou. Rom. B. 44. D. 86.

Petrus à Kempis & alij quinque Fratres ſe peſte laborantium obſequiis mancipant. ibidem.

Duo Fratres in eo miniſterio occumbunt. ibid.

Reu. Patres Societatis IESV pio operi incumbunt, ex quibus aliqui occumbunt. ibid.

Aſinus ad Conuentus ædificationem lapides ferens in præcipitium lapſus à Deo miraculo ſeruatur. M. S. Prou. Rheg. t. 1. 69.

Iumentum ex eodem præcipitio ruens dum ædificationi inſeruit, illeſum à caſu ſurgit. ibid.

Fratris cuiuſdam charitas eximia commendatur. M.S. Prou. Bono. to. 3. 127.

Conuentus Bigorij diuino conſilio ab Hirundinibus deſignatur. M. S. Mediol. 375.

Huius Conuentus ſanctitas celebratur. ibid.

Admirabilis Fratrum qui eum Conuentum habitant, vita commendatur. ibid.

F. Antonius à Cinciano Laicus virtutibus inſignis. M. S. Tuſc. E. 7. A. 13. 19. 22. M. 3. 8. 14. 20. 39. 69. Matth. 2. 236.

Nouitiorum Magiſter ſua oratione Nouitium ab aurium morbo liberat. M.S. Tuſc. E. 7.

Orationem quanti æſtimaret explicatur. M. S. Tuſc. A. 13. M. 3. 14. 39.

Varias à Dæmone infeſtationes patienter ſuſtinet, M.S. Tuſc. E. 7. M. 14. Matt. ibidem.

Dæmon ob vini meri calicem ab eo hauſtum in cachinum proſilit. M. S. Tuſc. M. 20.

Dæmonum aduerſus Religionem conſilia illi manifeſta fiunt. Matth. ibid.

Dæmonem videt Fratres ad ſomnum in oratione prouocantem, & ab ea expellentem. M.S. Tuſc. M. 20.

Prophetiæ ſpiritu Fratri mortem prænunciat, qui eidem poſt mortem apparet. M.S. Prou. Tuſc. E. 7. M. 55.

Falſi criminis calumnia impetitus patienter calumniam fert. Matt. 2. 236.

Miraculo deinde calumniam abſtergit. Matth. ibid.

Salutis ſuæ certitudinem ante mortem à Deo accepit. M. S. Tuſc. A. 22. M. 3.

F. Bernardinus à Murciano Laicus multarum virtutum laude commendatur. M.S. Prou. Hydrunt. t. 2. ij.

Patientia diutini languoris à Deo probatur. ibid.

In morte B. Virginem cernit, ac cæleſtia myſteria contemplatur. ibid.

Poſt mortem ſuauiſſimus odor ex ipſius corpore emanat. ibid.

F. Auguſtini à Latertia Laici virtutes quamplurimæ recenſentur. ibid.

In morte B. Virginem, B. Patrem Franciſcum, ac Beatorum Capucinorum ſupplicationem videt. ibid.

Suæ ſalutis, ac gloriæ certitudinem accipit. ibid.

F. Iacobus Aletinus Sacerdos conſilio, ac prudentia clarus Hydruntinam Prouinciam adminiſtrat. M. S. Hydrunt. to. 2. 95.

Prophetico ſpiritu Clerici cuiuſdam totius vitæ ſeriem prædicit. ibid.


F. Anſel


F. Anſelmus Aletinus Clericus induſium in ægritudine reſpuit. M.S. Prou. Hydrunt. t. 2. 16.

A B. Virgine induſium illi è cælo promittitur. ibid.

F. Gregorius Gallipolitanus Clericus, ob videndi licentiam correptus, mirè virtutibus proficit. M. S. Prou. Hydrunt. to. 2. 115.

Oranti B. P. Franciſcus apparet, & qua via illi placere poſſit, declarat. ibid.

F. Hieronymus à Bitunto Sacerdos, magnis in ſæculo virtutibus ornatus deſcribitur. M. S. Prou. Hydrunt. to. 2. 45. Prou Sancti Nicol. 18.

In Domo exiſtens, miraculo ſanctiſſimam Euchariſtiam in Miſſa eleuari cernit. M.S. Hydr. ibid.

In ſpiritu ſanctiſſimam Euchariſtiam adoranti Sacerdos in aëre apparet, Sacram Euchariſtiam attollens. ibid.

Miraculo ad Capucinorum Ordinem accedit. ibid.

Ipſius in Religione virtutes enarrantur. M. S. Prou. Hydrunt. & Sancti Nicol. ibid.

Inter Miſſarum ſolemnia ſæpè B. Virginis præſentia potitur. ibid.

F. Ioannes Baptiſta Ferrarienſis Clericus, puritate, ac ſimplicitate illuſtris. M. S. Prou. Bono. to. 1. 198. to. 2. 190. t. 3. 58. 106.

Ipſius virtutes enarrantur. ibid.

Ignem à Dæmone in Cella excitatum oratione extinguit. M.S. Bono. to. 2. 190.

Simpliciſsimus in Domino obdormit. M. S. Prou. Bono. t. 1. 498. 199. t. 2. 190. to. 3. 59. 106.

F. Ioannes Foroliuienſis Sacerdos, pleraſque à Deo, reuelationes accipit. M.S. Bono. to. 2. 63.

Nouitium in morte ad ſæculum redeuntem in ſpiritu cernit. ibid.

F. Alexander à Butrio Sacerdos, pleraſque à Deo ſtrenuè aduerſus tentationes decretans, coronas accipit. M. S. prou. Bono. to. 1. 10. 113. 222. 270. 272. 274. to. 2. 42. t. 3. 3. 61. 110.

Dum aduerſus carnis tentationem pugnat, ac B. Virginem innocat, ceſſat tentatio, & corona aurea illi è Cælo defertur. M. S. Bonon. to. 1. 10. 222. 274. to. 2. 42.

Falſam calumniam patienter ſuſtinet M. S. Bonon. to. 1. 113.

F. Illuminatus à Nurſia Laicus, eximiæ ſanctitatis commendatur. M.S. Pron. Vmb. E. 471. 479.

Cum auiculis ſimpliciter colludit. 479.

Gallum roſtro inuadentem domeſticum experitur. ibid.

Auem infirmus vocat, quæ ſtatim ad ipſum volat, & ab eo non abſcedit. ibid.

Volucres in horto vocat, quæ ſtatim ad ipſum volant. ibid.

Prophetico ſpiritu clarus fuit. ibid.

Mulieri, quæ inimico parcere recuſat, futurum breue interitum prædicit. ibid.

F. Bartholomæus à Marciano Laicus, maximæ puritatis commendatur. M. S. Vmb. E. 527.

Aues in horto cum ipſo ludunt. ibid.

F. Pacificus à Spoleto Sacerdos, in morte Dominum, ac B. Virginem cernit, eum ad Cæli præmia allicientes. M.S. Vmb. E. 529.

F. Humilis à Spoleto, per quatuor annorum ſpatia, Domini vocem quotidie in Miſſa audit. M.S. Prou. Vmb. E. 448. L. 20.

F. Stephanus Fulginas, Fratrum Obſeruantium Prouincialis Miniſter, ad Capucinos migrat. M.S. Prou. Vmb. E. 528.

Virtutibus illuſtris ad Dominum migrat. ibid.

F. Tadeus à Monte petriolo Sacerdos Sanctimonia floret. M.S. Vmb. E. 447. L. 19.

Poſt orationem cum Auibus ludit. ibid.

F. Leo Catanenſis Laicus, ſanctitate, ac miraculis emicat. M.S. Prou. Meſſan. 90. Panor. t. 1. 31. 32. 60. Matth. 2. 138. Prouinc. Rom. t. 1. C. 35. 36. to. 2. 54. & in fol. ſepar.

Singulares ipſius virtutes enarrantur. ibid.

In oratione mentis exceſſum patitur. M. S. prouinc. Meſſ. 90.

Corpore in aëra ſubleuatur. ibid.

A Nouitio magno ſplendore perfuſus, ac in aëra ſex cubitis eleuatus conſpicitur. ibid.

Orantibus Leone, & Andrea Catanenſibus, Agricola duo ex Eccleſiæ culmine lumina, ſe ſe in Cælum efferri cernit. ibid. M.S. prou. Rom. C. t. 2. 54.

Vterque corpore in ſublime elatus, ab Agricola conſpicitur. ibid.

Dæmon ſtrepitus edit, vt Leonem ab oratione auocet. ibidem.

Ipſius in Deum fiducia exemplo illuſtratur. M. S. Meſſ. 91. Panor. t. 1. 31. 60. Matt. 2. 183. Prou. Rom. C. t. 1. 35. to. 2. 54. & in fol. ſpar.

Guardiani præcepto compulſus, de cuiuſdam Clerici, qui ante obierat, ſalute reuelationem accipit. ibid.

Defunctus Guardiano de reuelatione dubitanti apparet, & reuelationem confirmat. ibidem.

Leo Fratris Dominici Rhodienſis ſacerdotis animam, ſub Columbæ ſpecie cælum penetrare conſpicit. M. S. Prouinc. Meſſan. 92. Rom. C. to. 2. 54.

Signo Crucis quamplurimos ægrotos curat. ibidem.

Infirmorum Præfectus ſplendorem ex Leonis Cella emicantem videt, colloquentemque audit. ibid.

Cum Dæmonum turmis ante mortem diſceptat. ibid.

Beatiſſima Virgo apparens, Dæmones fugat, Leonemque conſolatur. ibid.

Catanæ ſuauiter in Domino quieſcit. ibid.

F. Bonauentura Panormitanus Sacerdos, vulnus in dextro latere per multos annos occultum geſtat. M.S. March. to. 1. 139.

Diutino morbo laborans, in eo vitæ auſteritate enitet. ibidem.

In morte, ter in extaſim mentis rapitur. ibid.

De tribus à Dæmone in Dei iudicio accuſatur. ibid.

F. Bernardinus Eugubinus Laicus virtutibus, ac præſertim obedientia præcellit. M. S. Prouinc. March. tom. 1. 140.

A Dæmone accuſatus, quòd Superioris præceptum non impleuerit, à Superiore liberatur. ibid.

Morienti Beatiſſima Virgo, deinde Chriſtus Dominus apparent, quos moriens ſequitur. ibid.

F. Arſenius Bergomas Clericus, cum Diabolo in morte colluctatur. M.S. Prou. March. t. 1. 195.

Beata illi Virgo apparet, ac Dæmones fugat, lætuſque hinc diſcedit. ibid.

F. Petrus de Quarteriis Sacerdos virtute, ac dignitate clarus fuit. M.S. Rheg. to. 1. 24.

Regularis diſciplinæ ſeuerus propugnator extitit, & charitate eximius ibid.

Illius charitas diuino miraculo commendatur. ibid.

Diem obitus ſui Fratribus prænunciat. ibid.

F. Franciſcus à Caſtro Veteri Clericus, puritate, ac Virginitate illuſtris. M. S. Rheg. t. 2. 106. Prouinc. Coſent. 165. 166.

Nunquam in vita ſua lethaliter peccaſſe euincitur. ibid.

F. Humilis à Paterno Clericus, Virginitate, ac ſanctimonia clarus. ibid.

In morte Beatiſsimam Virginem ſibi obuiantem videt, & cum


ea ad

# Index Rerum & Auctorum.


*ea ad Cælum euolat. ibid.*

*F. Ioſephi à Conilione Laici Vita, ac virtutes enarrantur. M.* S.Panor.t.1.59.60.142.143.326.t.2.35.46. *Rom.* C.t.1.32.t.2.3.54.*Matt.*2.181.182.

*Ipſius auſteritas, & carnis* Macerationes *explicantur. ibidem.*

*In oratione ſæpè mente excedit, ac pernoctat.*M.S. *Panor. to.* 1.2.60.*to.*2.35.*Rom.C.t.*2.3.54.

*Ob lachrymarum copiam, quas in oratione effundebat, morbum oculorum contrahit.*M.S. Panor.t.1.9.60.142.*Rom.* C.t.2.3.Matt.2.182.

*Oranti B.Virgo apparet, ac phialam liquore plenam, ad oculos inungendos tradit.*M. *S.*Panor.t.1.2.60.t.2.35.*Rom. ibid.*

Plerumque *ob diuini amoris flammas in cantus, ac voces ſe ſe effundit. ibid.*

*Ob diuini amoris incendium in nemore arbores, & ſaxa amplectitur. M. S.Panor.t.*2.46.*Rom.*C.*t.*2.3.

*Ipſius in pauperes pietas exemplis commendatur.*M.S.*Panor.* t.1.12.59.142.144.*to.*2.46.*Rom. Matt. ibid.*

*In ſpiritu,* Pauperum *aduentum preuidet, ac pranuntiat. ibidem.*

*Hortus Ioſephi oratione, herbis, ac fugibus redundat. M.* S. Panor,*t.*2.46.*Rom.*C,*t*,2,3.

*Febre laborans à* B. *Virgine curatur, vt ſacra Euchariſtia veſci poſſit, M. S.* Panor. *t.* 1.2.59.326. *R.*C. *Matt. ibidem.*

*In extrema hora laboranti B.Virgo apparens, diuina illi myſteria reuelat.*M.S.P*anor.t.*1.2.12.60.143.*t.*2.46.*Rom.* C.*Matt. ibid.*

P*oſt mortem cilicio indutus cernitur, ibid.*

*F. Michaël à Neapoli Sacerdos virtute, ac prædicatione fulget.*M. *S.March.t.*1.41.

*In morte illuſtri viſione potitur, quæ de* P*urgatorio, Inferno, ac* P*aradiſo illi demonſtrata fuit. ibid.*

*F. Laurentius Cauenſis à Dæmone accuſatur, quòd fune ex pilis contexto vteretur.M.S.*P*rou.Neap.*

*F.Franciſcus à Caſtellone, Neapolitana* P*rouinciæ Vicarius Fratres cannabacis funibus vti iubet. ibid.*

*Nobili cuidam panem, qui in domo erat, Capucinis eroganti, panis è cælo datur.M.S.*P*rou.Mediol.*435.

*Beatiſsima Virginis in duos* C*apucinos Fratres itinerantes, pietas, ac liberalitas exemplo narrantur. M. S.*P*rou. Sancti Angel.t.*2.28.*& in fol.ſeparat.num.*2.


F I N I S.






## *APPROBATIONES.*

NOs infraſcripti Theologi, Ordinis Minorum Capucinorum S. Franciſci, iuſſu admodum R. P. Ioannis Mariæ Nettini Miniſtri Generalis, attentiùs perlegimus, & examinauimus opus; cuius inſcriptio eſt. *Annalium, ſiue Sacrarum Hiſtoriarum Ordinis Minorum, qui Capucini nuncupantur, Tomus primus,* Auctore R.P.F. ZACHARIA BOVERIO Salutienſi, noſtri Ordinis Concionatore: nihilque in eo reperiimus, quod S.R.E. doctrinæ, ſacris Canonibus, ac bonis moribus, per omnia conſentaneum non ſit. Quare illud prælo dignum iudicamus. In cuius rei fidem hoc teſtimonium dedimus, proprio chirographo munitum. Datum Neapoli. Die 15. Septembris. 1629.

*F. Bernardus à Neapoli.*
*F. Baſilius à S. Seuerino.*
*F. Hieronymus Nolanus.*

## *Facultas admodum R. P. Vicarij generalis.*

FRater Hieronymus Narnienſis, Ordinis Minorum, S. Franciſci Capucinorum Generalis Vicarius, licèt immeritus. Viſis Approbationibus trium Theologorum noſtri Ordinis, qui de mandato admodum R.P.F. Ioannis Mariæ Nettini Generalis Miniſtri nuper vita defuncti, opus, quod inſcribitur, *Annalium, ſeu Sacrarum Hiſtoriarum Ordinis Minorum, qui Capucini nuncupantur, Tomus primus,* à R.P.F. ZACHARIA BOVERIO Salutienſi noſtri Ordinis Theologo, de eiuſdem, ac totius Generalis Definitionis iuſſu, compoſitum examinarunt, & approbarunt: vt typis mandetur, facultatem facimus. Eorum priùs, ad quos ſpectat, impetratâ licentiâ. In quorum fidem, has literas manu noſtra ſubſcriptas, ac ſigillo munitas, dedimus. In Conuentu Romano. Oct. Cal. Iulij 1631.

*F. Hieronymus Narnienſis V.Generalis.*

## *APPROBATIO R. P. IOANNIS THOMAE CASTALDI Ord. Prædicatorum. Sac. Theolog. Magiſtri, & Conſultoris S. Officij.*

OPus inſcriptum, *Annalium, ſiue Sacrarum Hiſtoriarum Ordinis Min. qui Capucini nuncupantur, Tomus primus, Auctore R. P. F.* ZACHARIA BOVERIO *Salutienſi eiuſdem Ordinis Theologo*: Cùm ex commiſſione Reuerendiſſimi P. Magiſtri Sacri Palatij, attentiùs perlegerim: nihil in eo offendi, quod Chriſtianæ fidei, & doctrinæ, optimis moribus, ac Sacris Canonibus conſentaneum non ſit. Quin immò tot virtutum exempla, cùm ad exterminanda vitia, tum ad virtutes hominum mentibus inſerendas, in eo paſſim elucent, vt nomini, quod de Capucinorum inſtituto, locum omnem peruaſit, inclyta illorum geſta reſpondeant. Totam denique Hiſtoriæ ſeriem tanto verborum candore, ac perſpicuitate, tantâque ſermonis elegantia ab Auctore contextam deprehendi: vt opus vndequaque dignum cenſeam, quòd ad multorum commodum, atque vtilitatem in lucem prodeat. Iuxta Approbationem eiuſdem P. Magiſtri Sac. Palat. Apoſtol. Factam die 7. Iunij 1631. Dat. Romæ in Palatio S.Officij. die 4. Iulij 1631.

*F. Ioannes Thomas Caſtaldus de Alaſcio Sacræ Theologiæ Magiſter, Ord. Prædicatorum.*

## *APPROBATIO REVERENDISS. MAGISTRI SACRI PALATII.*

OPus Auctore dignum, argumento omnibus placiturum, viſum, & approbatum à viris omni exceptione maioribus.

Imprimatur.

*F.Nicolaus Riccardius, Sac. Apoſt. Palatij Magiſter.*

## *R.D.D. IOANNIS CLAVDII DE VILLE VICAR. GENER. FACVLT.*

IOannes Claudius de Ville, in Sancta Cruce Lugdunēſis Eccleſiæ Cuſtos, & in eadem Diœceſi Vicarius Generalis, Subſtitutus: Viſis Theologorum perlectionibus, & examinationibus, atque R.P. Conſultoris ſancti officij ex commiſſione Magiſtri Sacri Palatij approbatione, ac tandem R.P. Generalis conceſſione: hos Annales Ordinis Seraphici B. P. Franciſci PP. Capucinorum à R. P. ZACHARIA BOVERIO Religioſo Capucino Theologo, in eiuſdem Ordinis ſplendorem, & ad pietatem valde excitandam conſcriptos, perlegentes, Typis mandari non modò permittimus, ſed etiam hortam[illegible]. Lugduni V. Kal. Martias M. DC. XXXII.

DE VILLE *Vicarius Generalis, Subſtitutus.*

## Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICVS XIII. Dei gratia Galliarum, & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Priuilegio ſanxit, ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, intra ſex annos, à die finitæ impreſſionis computandos, imprimat, ſeu typis excudendum curet, & venalem habeat librum, qui inſcribitur, *Annales Minorum Capucinorum*, *Autore*, R. P. ZACHARIA BOVERIO, Salutienſi, eiuſdem ordinis Theologo, præter CLAVDIVM LANDRY Bibliopolam Lugdunenſem: aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Qui ſecùs faxit, præter Librorum confiſcationem, mille librarum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Pariſiis 10. Maij. 1632.

*Ex mandato Regis.*

Signatum.

TVLLOVË.

Hæc prima Editio die 1. Iulij, 1632. finem ſortita eſt.





# APPARATVS AD ANNALES FRATRVM MINORVM CAPVCINORVM.

RELIGIONE nihil aut melius, aut præſtantius à Deo Opt. Max. hominibus datum eſſe, qua & diuinum numen venerari, & ſummo rerum omnium Opifici iuſta ſeruitutis obſequia perſoluere addiſcerent, tam communis, & præclara eſt omnium Sapientum vox; vt ſi poſt Auguſtinum nonnihil de arcana Dei ſapientia, qua res humanas adminiſtrat, nobis liceat differere, haud alio planè conſilio credendum ſit, ſapientiſſimam illam Dei Majeſtatem, hominem diuinum quoddam ſui ſimulacrum, mente, ac ratione prȩditum condidiſſe: ac prætereaad cœleſtia contemplanda, rerumque æternarum poſſeſſionem comparandam aptum diſpoſuiſſe; quàm vt vera, ac perfecta Religione, quæ ſola ad bonam, beatámque vitam dux eſſe poteſt, ad ſui cultum compelleret, & quodam quaſi pietatis vinculo ſibi obſtrictum religaret.

*Religionis, præſtantia.* — Aug. lib. 1. Retract. cap. 13. tom. 1. — *Homo ad cæleſtia contemplanda conditus.*

I. Neque id graui apud Patres ratione vacat. Cùm enim Deus rerum omnium principium ſit, & finis, *Alpha*, & *Omega*; in quo (vt docet Apoſtolus) & viuimus, & mouemur, & ſumus: planè, ipſa naturæ lege, & Deum colere, & ad eum, velut ad omnium Auctorem vniuerſa referre & docemur, & pellimur; à quo nos, noſtraque omnia accepiſſe non ignoramus. *Hac enim* (ait Lactantius) *conditione gignimur, vt generanti nos Deo iuſta, & debita obſequia præbeamus: hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur; hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, & religati ſimus; vnde ipſa Religio nomen accepit.*

Act 17. — Lactan. diuin. Inſt. l. 4. c. 28.

II. Sed, quoniam inter veræ Religionis cultus alij aliis præſtantiores ſunt, quibus illa, quaſi quibuſdam gradibus, ad ſupremum conſcendit: iis ſumma illa Dei Majeſtas maximè delectari viſa eſt, qui & diuinam ipſius virtutem magis attollerent, & ad cœleſtem illam, ac perfectiſſimam Angelorum Religionem, quæ apud ſuperos præſtantiſſima eſt, propiùs accederent. Etenim Deum Fide primùm, qua mens interiùs in rerum diuinarum, tum contemplationem, tum admirationem eleuatur; exteriùs in certum Sacrificiorum, & Sacramentorum cultum propellitur, quibus ſuprema quædam Diuinitas nobis teſtatam ſe præbet, rectè ab hominibus coli, iis haud obſcurè exploratum eſt, qui tametſi hoc Religionis genus neceſſa-

*Religio vnde nomen acceperit.*

rium agnoſcant; infimum tamen, ac vulgare eſſe, non ignorant. Illud verò præſtantius, quo præter Fidem, qua in Dei cognitionem illuminamur; in diuinorum quoque promiſſorum, quæ ex Dei liberalitate in nos potiſſimùm fluunt, ſpem erigimur: ac præterea Deum ipſum velut charitate nobis coniunctum amplectimur; atque omnibus verè Religionis, ac pietatis officiis, perfectáque diuinæ legis obſeruantia perfuncti, eidem charitatis vinculis colligamur.

*Religionis præſtantiſſimum genus.*

At verò illud Religionis genus omnium præſtantiſſimum eſt, quo plerique ardentioribus ad virtutem ſtimulis excitati, ac rerum cœleſtium ſtudio flagrantes, his haud contenti Religionis finibus, quos hactenus in Fidei, Spei, communíſque Charitatis cultu collocauimus; aliud præterea vitæ genus, præclaris vndique virtutibus excultum, necnon à communi cæterorum hominum vſu, ac conſuetudine longè remotum, Deóque ſimillimum inſtituere, viſi ſunt; quo ſanctiùs, ac perfectiùs diuinis obſequiis vacarent. Olim quidem prima illa orbis tempora, quæ propiùs ab illius ortu abfuerunt, in hoc præſtantiſſimo cultorum genere, Dei filios, quos Scripturæ commemorant, velut illuſtriſſimos Dei cultores à reliqua hominum prole ſeiunctos, conſpexêre. Hos verò poſt diluuium, cùm lege à Deo lata, & vnius diuinitatis fide per Hebræum populum dilatata, homines in Dei cognitione profeciſſent: Nazaræorum primùm, dein Phariſæorum, poſtea Eſſæorum Religio ſequuta eſt: quorum etſi diuerſus eſſet Religionis cultus: in eo tamen omnes conſpirare videbantur; vt præter communem cæterorum vitam, excellentius quoddam vitæ genus ſibi ſequendum præſtituerent, quo ſe & Deo dicatos, & diuinæ ſeruituti mancipatos oſtenderent. III.

*Religionum ortus.*

At verò, cùm Chriſti Domini aduentu clariſſima Dei lux, velut tenebris effugatis, vbique terrarum exorta, & Chriſtiana Fides per totum orbem diffuſa eſſet; mox tanta, támque perfecta hæc illuſtriſſimorum Dei cultorum ſeges, diuino illo potiſſimùm Dei hominis cruore irrigata in orbe cœpit excreſcere: vt quamplurimi hominum, & (quod magis admiratione dignum eſt) virginum, ac puellarum cœtus communem Chriſtianorum vitam, vulgaréque illud Religionis genus, quod ex ſola diuinæ legis obſeruantia proficiſcitur, tranſcendentes, tanta animi conſtantia præſtantiorem diuinorum conſiliorum regulam ſibi præſcribere, támque ardenti omnium virtutum ſtudio ad ſummum Euangelicæ perfectionis faſtigium anhelare viſi fuerint; vt vel minimum ducerent, ampliſſimas pro Chriſto opes deſerere, temporalia omnia contemnere, altiſſimam Filij Dei paupertatem ſectari, mundo, ac ſuis ad extremum vſque diem valedicere, duris, & aſperis delectari, bellum voluptatibus indicere, flagellis corpus excarnificare, ieiuniis conficere; denique ſenſus omnes, & carnis appetitus crucifigere: niſi etiam ſe totos Deo conſecrarent; & ſolemni votorum obligatione ſeipſos in Dei poſſeſſionem transferentes, diuinæ ſeruituti perpetuò manciparent. Vt in his Angelicum illud tandem vaticinium obtineret: quo antea prædictum fuerat; in Chriſti aduentu, Domino plebem perfectam parandam eſſe. IV.

Luc. 1.

*Religioſorum Ordo à patribus commendatur.*

Chryſoſt. adu. vitup. vit. mon. l. 3. Hier. in Pſ. 115.

Quis præſtantiſſimos hoſce Dei cultores planè admirandos non cenſeat? qui cùm Angelicum, ac propè diuinum in terris vitæ genus inſtituant; veræ Religionis cultum ad ſupremum (quoad fieri poteſt) apicem euehunt: quo fit, vt eos Chryſoſtomus, ob cœleſtis vitæ conuerſationem cum Angelis comparet. Hos quoque Hieronymus, & Angelorum & Martyrum appellatione proſequatur, ea potiſſimùm ratióne fretus, quòd hi illud ipſum Dei laudandi officium in terris perſoluant, quo & illi in Cœlo apud Deum, abſque vlla intermiſſione, perfunguntur. *Sicut Martyres* (inquit) *laudant Deum purè in Religione viuorum; ita & Monachi, qui die, ac nocte pſallunt Domino, debent eandem puritatem habere Martyrum: ſi quidem ipſi Martyres ſunt. Quod enim faciunt Angeli in Cœlis, hoc Monachi faciunt in terris.* Eoſdem quoque Auguſtinus in perfectiſſimo hominum genere collocat, quos propterea inter Dei familiares recenſet. V.

Atque vt innumeros ex Patribus prætercam, qui Monaſticum Ordinem ita laudibus efferunt, vt illum in ſupremo Chriſtianæ ſanctimoniæ faſtigio ſtatuant: Vnus Petrus Damiani, inſtar omnium ſufficiat, qui Monaſticæ vitæ excellentiam tanta verborum grauitate, atque eloquentia celebrat: vt nihil ea inter homines præſtan- VI.





tiùs inueniri poſſe, ſentiat; cuius idcircò virtutes his verbis eleganter deſcribit: *Decurſa verò hac regione, & quod pretioſius eſt inde ſublato, tranſi ad ſecundam, quæ eſt Paradiſus Clauſtralis. Verè Clauſtrum eſt Paradiſus. Hîc prata virentia Scripturarum, præterfluens lachrymarum vndoſitas, quam de puriſſimis affectibus amor ille cæleſtis eliquat. Hîc ſunt arbores erectiſſimæ chori Sanctorum; nulláque eſt, quæ non multa fructus gaudeat vbertate, &c. Hîc aggeſtæ ſunt Omnipotentis diuitiæ: hic refuſa eſt gloria Angelorum. Putáſne nullas hîc eſſe nundinas? & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? Videas hunc ſacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro ſuis exceſſibus lacrymantem, illum in Dei laudibus exultantem: hunc vigilantem, ieiunantem illum, & officia pietatis ſibi inuicem inuidere. Nocte conſurgunt ad confitendum Deo: Veſpere, manè, & meridie narrant, & annunciant laudem eius: & omnis illorum ſedulitas in Orbem diuini rotatur obſequij.* Hæc, & pleraque alia deuotiſſimus hic S.R.E. Cardinalis de ſacro Monachorum Ordine ſatis præclarè ediſſerit. Ex quibus cùm illud primùm nobis perſuaſum eſſe debeat, illuſtriſſimos huius generis Dei cultores, cæteris omnibus, quos antehac commemorauimus, virtutum, ac cultus dignitate antecellere: quò factum eſt, vt inter ipſa Eccleſiæ ſurgentis initia, quotquot Religioſæ militiæ nomina dabant (Dionyſio & Suida teſtibus) θεραπευτὰς tanquam ſelectiſſimos quoſdam Dei cultores ætas illa nuncuparet. Tum id maximè velut certũ, ac indubitatum relinquitur, huiuſmodi homines ad ſupremũ Eccleſiæ decus, & ornamẽtũ datos eſſe.

Petr. Dam. ſerm. 5. de S. Nicol.

*Religioſorum Ordo ad Eccleſiæ ornamentum inſtitutus.*

VII. Hæc enim Religioſorum virorum inſtituta cùm hominem non ſolùm ab ira, improbitate, faſtu, pecuniarum ſtudio, ſuiipſius amore alienum præſtent, nullíque vitioſæ cupiditati ſubeſſe ſinant: ſed etiam potiorem virtutem nacta, ſuperiorem iis rebus, quæ in aſpectum cadunt, vitam agere, cœleſtibus tantummodo delectari, ad omnium rerum opificem Deum mentis aciem intendere: neque perturbatione vlla, qua hominum vita ſolet implicari, neque neceſſitate à virtute diuelli; ſed ea duntaxat, quæ ſancta, quæ perfecta, quæque in virtutibus præſtantiora ſunt, iugiter aſpectare. Denique quantum homini fas eſt, præſtantiſſima vitæ ratione ad Deum accedere, atque ei ſimillimum fieri compellant: Planè Eccleſiam ad ſupremum ſuæ ſanctitatis verticem, quo altior, atque excellentior nullus à nobis excogitari poteſt, euehunt; perfectáque ſui decoris luce ita exornant, vt Athanaſio dicere licuerit. *Quis tantum Monachorum agmen aſpiciens? Quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio ſuſurronis, ſed multitudo abſtinentium, & certamen officiorum erat: non in hanc ſtatim erumperet vocem? Quàm pulchræ domus tuæ Iacob, tabernacula tua, Iſraël! Tanquam nemora obumbrantia; tanquam Paradiſus ſuper fluuios; tanquam tabernacula, quæ fixa ſunt à Domino, tanquam Cedri Libani circa aquas!*

S. Athan. in vita S. Ant.

Num. 24.

*Monaſtica vita inſtitutum præſtantiſſimum.*

Conc. Melden can. 9.

VIII. Poſtremò nemo eſt, qui tam cœleſtem vitæ rationem non ab hominibus inuentam, aut inſtitutam; ſed vel è cœlo delapſam, vel à Deó in hominum mentibus ſatam, ac diuinitùs inſpiratam fuiſſe, dubitet: vt inter alios, Concilij Meldenſis Patres, ad Carolum Regem ſcribentes, his verbis grauiſſimè teſtantur: *Sácrum quoque Monaſticum Ordinem à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſſimis Patribus excultum, atque per iſtud Imperium à veſtris piæ memoriæ Prædeceſſoribus propagatum, laicorum curæ, ac poteſtati vos commiſiſſe, dolemus.* Quibus etiam Concilij Colònienſis 3. Patres vltrò ſuos calculos deferunt.

Cõc. Colon. 3. c. 1. par. 10.

*Ordinũ fundatores à Deo excitati.*

IX. Hac igitur cœleſti vocatione acciti, primùm Anachoritæ ſub Antonio, & Pachomio Ægyptiacas illas ſolitudines tanto virtutum ſplendore, támque admirabili vitæ ſanctimonia illuſtrarunt; vt breui tempore Palæſtinam, Syriam, Aſiam Minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Meſopotamiam, & Boreales regiones vſque ad Daces, & Beſſeos illuſtriſſima prole fœcundauerint. His plerique ſanctiſſimi Ordinũ Fundatores, Deo cum primis authore, ſucceſsêre, qui vt varios in Cœlo Angelorum Ordines ad ſui miniſterium condidit; ita diuerſis æquè piis hominum inſtitutis, atque Ordinibus in terris magnoperè delectatur, quorum opera, ac labore Chriſtianam Eccleſiam longè latéque per orbem dilatatam nullo nunquam tempore velut propugnaculis cõmuniuit, ac tanquam facibus illuſtrauit. In eis olim fuere Baſilius, Auguſtinus, Cæſarius, Benedictus, Bruno, Romualdus: Propiùs ad nos acceſſere Dominicus, Franciſcus Aſſiſias, & alter Paulanus, & ple-

rique alij, quorum tam illuſtris, ac præclara vitæ ratio fuit; vt innumeros ferè virorum, ac mulierum Choros, Mundo ereptos, ad cœleſtis vitæ diſciplinam, rerúmque diuinarum ſtudium tranſtulerint.

*Religioſorum Ordinum quanta in Eccleſia vtilitas.*

X. Porrò quàm copioſa ex hac Religioſorum Ordinum inſtitutione, ac propagatione in qualibet Chriſtiani Orbis ætate commodorum, atque vtilitatum ſeges exorta fuerit, facilè ex ipſo rerum experimento manifeſtum eſſe poteſt. Quando enim diuinæ legis obſeruantia in Eccleſia perfectior viſa eſt? Quando morum reformatio ſtudioſior? Quando maiora ad omnia genera virtutum ſtudia, ac excitamenta, niſi poſt cœleſtem Religioſorum conuerſationem, in Eccleſia floruere? Vndenam illuſtrior Dei cultus propagari cœpit? Vnde mundi contemptus? Vnde Apoſtolica rerum omnium abdicatio? Vnde voluntaria Paupertas? Vnde Virginitatis cultus? Vnde ſolitaria vita? Vnde ſumma, ac perfecta Chriſti imitatio, præterquam ex præclaris Monaſticæ vitæ exemplis erupêre? Quòd ſi Eccleſiæ propagationem ſpectes, quo toto Orbe diffuſa conſpicitur: Age, quis Chriſtianam Religionem in vaſtiſſimis, ac remotiſſimis Orbis regionibus diſſeminauit? diſſeminatam auxit, auctam propagauit? Quis in noui Orbis conuerſione diutiùs, ac impentiùs laborauit? Quis pro Catholica Eccleſia dimicauit? Quis maioribus pro Chriſti fide in Eccleſia tuenda laboribus perfunctus eſt? Quis denique Dei Eccleſiam voce, ſcripto, ac tandem effuſo pro Chriſto ſanguine copioſiùs, quàm Religioſi homines illuſtrarunt?

*Fides poſt Apoſtolos Religioſis viris in Orbe propagata.*

XI. Etenim, ſi nonnihil eorum, quæ ab iis variis Orbis temporibus geſta ſunt, lubet attingere, vix Orbis partem reperias, quæ Monachorum, ac Regularium labore Chriſtiana fide imbuta non fuerit. Atque vt à S. Benedicti familia exordiar: quot illa fidelium Regna Chriſto acquiſiuit? Annon Clodouæus Francorum Rex, ac vaſtum illud Franciæ Regnum anno 350. B. Remigium priùs ab ineunte ætate Monachum, & ex Monacho Rhemenſem Archiepiſcopum, Fidei parentem agnoſcunt? Magna Britannia quos alios, præterquam Auguſtinum, Melitum, Petrum, Iuſtum, Paulinum, ac Laurentium Monachos à S. Gregorio circa annum Domini 540. miſſos, Fidei ſatores, ac inſtauratores nouit? Sueuos quis ab Arrianorum errore, præter Martinum Monachum hoc ipſo tempore reuocauit? Quis priùs in Phriſiam, & Hollandiam, deinde in Auſtralem Saxoniam, & in Inſulam, quæ *Vetula* dicitur, primus Crucis vexillum intulit, ac Euangelium diſſeminauit? Annon VVilfridus Monachus ex Hierpuenſi Monaſterio ad Eboracenſem Epiſcopatum aſſumptus circa annum Domini 683. cui in fidei labore ſucceſsêre VVilibrodus, & Suitbertus ex Monachiſmo, ille ad Traiectenſem, hic ad Verdenſem Epiſcopatum vocatus.

*Monachorũ pro fide propaganda labores.*

XII. Quid de Bonifacio dicam, qui Germaniæ etiamnum Apoſtolus prædicatur? Annon Monachus fuit, atque inter Monachos à quinto ſuæ ætatis anno educatus, quique Aſiam anno 717. Chriſto adiunxit? Poſt Bonifacium VVillehadus, & Lugderus ex Monaſterio S. VVillibrodi in Franconiam Germaniæ Prouinciam profecti, anno circiter 800. ibi Chriſti Fidem diſſeminarunt. Hos Ancharius, Stephanus, & alij, qui ex Corbeienſi Cœnobio in Galliã Belgicam prodiere, Daciam, Suetiam, Gotthiam, Grotulandiam Euangelica prædicatione peragrarunt. Nec prætereundi ſunt Albus Abbas Floriacenſis, & Gaudentius fratres, qui circa annum 950. in Pannoniam profecti, vt Chriſti Euangelium prædicarent: inde ad Sarmatas digreſſi Ruſſos, Lithuanos, Moſchos, Pruſſianos, Polonos Chriſtianis inſtitutis imbuerunt. Denique Albus in Pruſſia ad ſtipitem alligatus, ſeptemque lanceis confoſſus, glorioſus Martyr occumbit. Anno 1025. Bruno Lotharij, Saxonis Ducis filius Monaſticam vitam profeſſus ad Ruthenos à Ioanne XIX. Pontifice miſſus multos populos ad Fidei veritatem reuocat, ac martyrio coronatur. Bonifacius quoque Romualdi diſcipulus Ruſſianum Regem, ac Regnum, fratre excepto, à quo impiè obtruncatur, ad Chriſtianum cultum perducit.

*S. Bernardi in Eccleſiam beneficia.*

XIII. Quid S. Bernardum commemorem, cuius in Eccleſia officia, ac beneficia vix æſtimari poſſunt? Schiſma aduerſus Innocentium concitatum extinguit: Henricum Angliæ Regem Pontifici reconciliat: Gallias ſub Apoſtolicæ ſedis obedientia continet: Schiſma Petri Leonis ſua induſtria, ac conſilio eneruat: Rogerium Siciliæ,





Regem publica diſputatione confutat. Petrum Abailardum, ac Gilbertum Porretanum erroris conuincit. Quis tandem illius peregrinationes, ac pro Eccleſia exantlatos labores referre queat? Hoc in numero ſunt etiam S. Baſilij Monachi, quorum ſtudio, ac doctrina Græcia, ac Orientales nationes ad Fidem acceſſêre.

XIV. Equidem id negari non poteſt, vbi Chriſtiana Fides Apoſtolorum prædicatione in Orbe ſata fuit, Monachos prima illa Eccleſiæ tempeſtate in ea propaganda, atque vbi collapſa fuerat, inſtauranda egregiam operam nauaſſe. Quibus poſterioribus Orbis temporibus Religioſorum Ordines Auguſtini, Dominici, vtriuſque Franciſci, atque alij ſucceſſere, quibus illud ab ortu conſilium fuit, vt Eccleſiæ prolem ſanctitate fœcundarent; & Catholicam Fidem longè latéque per Orbem propagarent; quod ex ipſo rerum euentu, ac ſingulis cuiuſque Religioſi Ordinis monumentis, in quibus eorum fusè geſta narrantur, cuique facilè perſpicuum eſſe poteſt.

*Regularium Ordines ad Eccleſiæ ædificationem dati.*

XV. Hos igitur Monachorum, ac Regularium Ordines cùm ad Fidei, & Eccleſiæ ædificationem, ac propagationem diuina prouidentia idcirco excitauerit, vt tam in ipſa Eccleſiæ natiuitate, quàm in adoleſcente, atque adulta ipſius ætate opportunos Chriſto fructus parerent. Cuius planè rei teſtes ſunt Britannia, Germania, Gallia, Heluetia, Dania, Noruegia, Suetia, ac pleræque aliæ Orbis partes, quæ olim (vt diximus) Monachorum opera ad Fidem conuerſæ Chriſto nomina dedêre. Teſtes quoque hac noſtra tempeſtate fuêre Peruanæ, Mexicanæ, Braſilicæ, Iaponiæ Oræ, atque ampliſſima illa noui Orbis Regna; quæ cùm inter infidelitatis tenebras verſarentur, Franciſcanorum, Dominicanorum, Ieſuitarum, ac præſertim S. Franciſci Xauerij, aliorúmque ſtudio, ac labore ad Chriſtianæ Fidei lucem acceſſerunt. Teſtes denique ſunt tot purpuratorum Martyrum coronæ, qui pro Chriſto, & Catholica Fide fortiter decertantes ex variis Monachorum, & Regularium familiis profuſo ſanguine Eccleſiam conſecrarunt. Hæc quippe Religioſorum hominum ſumma ſemper cura, ac ſollicitudo fuit; huc omne vbique ſtudium, & laborem contulerunt: vt Chriſtianam Religionem ſumma animi contentione vbique diſſeminarent, diſſeminatam verò nonniſi improbo labore excolerent; quò Dei Eccleſiam longè latéque per Orbem dilatarent; pleniúſque atque vberiùs illuſtrarent.

*Thom. Boz. de Sig. Eccl. l. 9. c. 5.*

*Religioſorum pro Eccleſia ſtudium.*

XVI. Quamobrem rectè de his Sozomenus. *Per id temporis* (ait) *qui Monaſticum vitæ genus excolebant, tum Eccleſiam maximè omnium illuſtrare, tum Religionem Chriſtianam ſuis piis viuendi inſtitutis magnopere dilatare viſi ſunt. Nam talis, ac tam ſapiens vitæ ratio ad homines à Deo tanquam res planè vtiliſſima delata, &c.* Hinc non malè quidam arbitrati ſunt, Apoſtolicos huiuſmodi Viros nubibus illis eſſe comparandos, de quibus olim ſcripſit Vates; *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Cùm enim nubes Solis ardore à terra eductæ, & in ſublime elatæ tellurem ipſam irrigent, ac ditiore ſegete fœcundent: quis Religioſorum Ordines ad Cœleſtis vitæ rationem diuina virtute attractos, ac terra omni ſublimiores, veluti nubes Cœlo inſertas eſſe non videat? Dum nihil hiſce cum rebus, quæ infimæ, & terrenæ ſunt, habent familiare. Dum carnis voluptates, ac inſanas rerum cupiditates, ad quas homines inhiant, Apoſtolica quadam animi magnitudine ac generoſitate flocipendunt, ac veluti ſtercora arbitrantur. Denique dum illis mundus crucifixus eſt, & illi mundo.

*Sozom. l. 1. c. 12.*

*Iſa. 60.*

*Religioſorum Nubibus cõparantur.*

XVII. Atque hi quidem, dum inſtar nubium ad altiora rapiuntur, terram ſuis imbribus aſpergunt, ac veræ pietatis exemplis hominum mentes dum grauidant, ad virtutum germen compellunt. Age: quid eſt, quod tot terrarum ſpatia, tot Eccleſiæ agros, qui olim lætiſſimas Fidei, & Charitatis ſegetes germinare videbantur, nunc vel omnino in Fide ſteriles, vel in hæreſum vepres, ac dumeta ebullire cernimus? Græciam, Paleſtinam, Aſiam penè totam ab Infidelibus occupatam admiramur? Britanniam, Scotiam, Miſiam, Daciam, Pannoniam, Hollandiam à Chriſto deſciuiſſe lugemus? Quamplurimas tandem Orientis, & Aquilonis Prouincias, quas olim Fides, ac morum honeſtas velut proprias ſedes ſibi vendicauerant, tam altè in infidelitate ſepultas, atque adeò omnium bonorum ſteriles deflemus: vt

in his omnia Chriſtianæ Fidei, ac pietatis ſtudia penitus aruerint; neque vlla re magis, quàm corruptis moribus, barbarie, atque impietate luxurient. Huius deplorandæ ariditatis cauſam ſi inquiras, ea potiſſimùm occurret; nimirùm, quòd has ſacrorum Ordinum nubes, vnde illis matutinus, ac ſerotinus cœleſtis diſciplinæ imber ſtillabat, atque omnium diuinorum bonorum copia, velut pleno cornu in eas defluebat, barbaræ cuiuſdam feritatis flatu diſcuſſerunt.

XVIII. Sed quid pluribus immoror? Si deſerta, ſi montium concaua, ſi ſacræ Ædes, ſi Templa, ſi Cœnobia, ſi Vrbes, ſi propinquæ, ac remotæ Orbis Regiones, ſi hominum cœtus, ſi Regna, ſi Imperia, poſtremò ſi vniuerſus ipſe terrarum Orbis voces ſuas depromeret: hi fortè effari poſſent, quot, quantáque, ex vnoquoque Religioſorum Ordine bona, ac vtilitates in eos manarint.

Sed quoniam hîc nobis minimè propoſitum eſt de ſingulis Ordinum dignitatibus, atque vtilitatibus diſſerere; ad Minorum Ordinem, de quo nobis præcipua res eſt, accedo; quem B. Franciſco Aſſiſiate Auctore, ac Patriarcha inſtitutum eſſe nemo ignorat.

*Minorum Ordo à B. Franciſco inſtitutus.*

XIX. Quis huius Viri (vt ab eo exordiar) geſta, virtutes, ac ſanctimoniam, ingenio, aut verbis vnquam aſſequi potuit? quo fit, vt id vel vnum dixiſſe ſufficiat. Hunc à Deo Opt. Max. ac ſupremo hominum Artifice, tam apprimè ad ſuiipſius mentem, ac voluntatem ad miraculum elaboratum fuiſſe, vt ad perfectiſsimam quandam Chriſti Filij ſui imaginem, ac ſimulacrum, cùm præclariſsimis virtutum coloribus depingendum, tum maximè admiranda illa Sacrorum vulnerum ſculptura celandum, vix quicquam deeſſe videretur.

*S. Franciſcus quorsũ à Deo excitatus.*

XX. Hunc igitur ex vniuerſa hominum ſobole Deum Opt. Max. malorum, quæ olim Orbi impendebant, miſeratione commotum delegiſſe, cuius opera, & miniſterio ſupremum Eccleſiæ, ob innumera hominum vitia, dilabentis caſum auerteret; cùm cunctis perſpicuum fuerit; tum maximè Innocentio III. tunc Pontifici declaratum fuit, cùm Lateranenſem Eccleſiam ruinæ proximam in ſomnis conſpiciens, Virum quendam pauperem, & abiectum (Franciſcum nimirum) mox animaduertit, qui ſubiectis humeris, quaſi nouus Atlas Eccleſiam ſuſtentans à lapſu vindicabat. Tum verò ipſi Franciſco diuinitùs innotuit, cùm cœleſtem illam Dei vocem audiuit: *Vade Franciſce, repara Domum meam, quæ labitur.* Quo ſanè eam in Eccleſia gloriam aſſequutus eſt, vt de illo id prædicari poſsit, quòd olim in Simone Oniæ Filio ſacræ literæ commendarunt. *Qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit Templum.* Mox verò quàm profuſis ſupernorum chariſmatum, ac donorum opibus è cœlo affluere, quot virtutibus coruſcare, quámque admirabili diuinæ familiaritatis ſinu excipi, ac cœleſtium arcanorum communicatione diteſcere cœperit, haud facilè eſt referre: quouſque tandem ad illud diuinæ amicitiæ culmen conſcendit, vt alterius Moyſis inſtar Euangelicam Regulam à Chriſto exaratam, ac veluti digito Dei conſcriptam poſt quadrageſimale ieiunium in Monte Palumbo acciperet, qua & homines à Deo longè aberrantes ad Chriſti Domini veſtigia imitanda propelleret, & Euangelicæ vitæ normam in Orbe ferè collapſam reſtitueret: quemadmodum Alexander IV. Pontifex in Bulla ad vniuerſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos directa teſtatur his verbis. *Benigna opera diuinæ voluntatis in Cœlo potens, & nouans ſingula ſapienter, & immutans mirabilia ſuper terram: poſtquam Dei Filius victor mortis ad Patrem, vnde deſcenderat, vehiculo propriæ majeſtatis aſcendit, mirificæ fortitudinis viros ad conſummationem Sanctorum diuerſis temporibus ſuſcitauit, à quibus teſtimonium ſpei gloriæ cum Chriſto in Deo reconditæ firmaretur; & Eccleſiæ ſanctæ ad promiſſam requiem feſtinandi in hoc peregrinationis exilio, quòd tædioſa deſiderij eius dilatione protrahitur: per ipſos conſolationis ſolatium perueniret. Inter alios autem diebus noſtris B. Franciſcus almus Chriſti Confeſſor apparuit ſignis, ac virtutibus glorioſus: qui clariſſimis piè viuendi meritis, & exemplis ſanctam fœcundauit Eccleſiam, & caligantia præſentis ætatis tempora fulgoris ſui lampade illuſtrans, viam iuſtitiæ perfectæ præparans in eremo altiſſimæ paupertatis, quam ipſe currens, & alacriter exultans, contra carnem, mundum, & Dæmonem velut Gigas traxit poſt ſe de inferi faucibus, & traduxit ad Dominum populum humilem bonorum operum ſectatorem, ſicut effuſa ſuper faciem Orbis terræ copioſa profeſſionis eius religioſa generatio patefecit.*

*Eccleſiaſt. 50.*

*S Franciſcus, Regulam à Chriſto dictatam accepit.*

Iam



XXI. Iam verò ab hoc Euangelico, ac diuino planè Viro Minorum Religio exorta, & in Orbe diſſeminata, quàm vberes fœcundiſſimæ vitis inſtar, admirabili vitæ, ac doctrinæ exemplo fructus attulerit, quámque innumerabiles in Domini vinea perfectiſſimorum virorum botros produxerit, qui & vbique ſuauiſſimum cœleſtis ſanctimoniæ odorem ex ſe efflarent, & Dei cultum longè latéque per ignotas Orbis oras diffunderent; ſimúlque pro Chriſto vitam cum ſanguine funderent. Teſtes ſunt præclaræ illæ duodecim Martyrum primitiæ, qui partim à B. P. Franciſco, partim à fratre Helia B. Franciſci Vicario inter ipſa naſcentis Ordinis exordia ad infidelium conuerſionem in Hiſpaniam miſſi, ab iiſque crudeliter trucidati, Chriſtianam Religionem ſuo cruore illuſtrarunt. Teſtes, qui in Hungariam anno Domini 1379. profecti, cùm Rex ille finitimas quaſdam infidelium Prouincias recenter ſuo Imperio ſubieciſſet, non pluribus quàm quinquaginta diebus, ducenta hominum millia ad Chriſtianam Fidem adduxêre. Teſtis Ioannes Capiſtranus, qui circiter annum 1450. vna excurſione duodecim millia Infidelium, & multos præterea ſchiſmate ab Eccleſia diſſutos ad Eccleſiæ ſinum perduxit. Teſtes, qui anno circiter à partu Virginis 1493. ex Franciſcanorum familia miſſi Euangelij prædicationem in nouo Orbe aggreſſi fuerunt, & in Mexicana Regna primi Crucis vexillum intulerunt. Teſtes Martinus Valentinus, Toriuius Mitolinia, Ioannes à S. Franciſco, Andreas ex Olmo, Franciſcus Colmenarius, Franciſcus Soto, Martinus Ieſus, ac plerique alij, qui ſignis, ac prodigiis clari, virtute autem, & ſanctimonia clariores innumeros noui Orbis populos ad Chriſtum compulerunt. Teſtes denique copioſi Martyrum greges, qui etiamnum hac Orbis tempeſtate apud Indos, tum Occidentales, tum Orientales pro Chriſto dimicantes præclara Catholicæ Fidei teſtimonia dedêre.

*MinorumOrdo quàm Eccleſiæ vtilis.*

XXII. Ex quo id planè perſpicuum fit, Minorum Ordinem ob id potiſsimùm à Deo in Eccleſia inſtitutum, vt doctrina, atque Euangelicæ vitæ exemplis collabentes Eccleſiæ partes ſuffulciat, ruinas inſtauret, vberiorémque eidem ſobolem diuini verbi prædicatione gignat. Quod inter alios diſertè indicat Iacobus Vitriacus his verbis.

*Quorſum Minorum Ordo à Deo inſtitutus.*

XXIII. *Hic eſt* (inquit) *Fratrum Minorum ſanctus Ordo, & Apoſtolicorum virorum admiranda Religio, quos Dominum contra perditionis filium Antichriſtum, & eius prophanos diſcipulos credimus in diebus nouiſſimis ſuſcitaſſe; qui lectulum Salomonis, tanquam fortes Chriſti milites ambiendo de porta ad portam cum gladiis tranſeundo, ſuper muros Hieruſalem conſtituti ſunt cuſtodes: diebus, ac noctibus à diuinis laudibus, ac ſanctis exhortationibus non ceſſantes, vocem ſuam quaſi tubam in fortitudine exaltantes, & facientes vindictam in nationibus, increpationes in populis; & gladios ſuos non prohibentes à ſanguine, mactantes, & manducantes, circumëuntes Ciuitatem, & famem patientes, vt canes: qui tanquam ſal terræ cibos ſuauitatis, & ſalutis condientes, carnes deſiccant, vermium putredinem, & vitiorum fœtorem amouentes, & tanquam lux Mundi multos ad ſcientiam veritatis illuminant, & ad feruorem charitatis accendunt, & inflammant.* Hæc & alia quamplurima Vitriacus.

XXIIII. His ſuffragantur, quæ Æneas Siluius, qui deinde Romanus Pontifex fuit, Pius II. nuncupatus, de Minorum Religione ſcribit his verbis: *Quid hæc Religio aliud agit, quàm quæ iubere nouimus Euangelium, ſentes, ac tribulos ex agro Dominico diuellit: ſemen bonum ſeminat, Zizaniam, & lolium veritatis ſarculo præcidit, exterminat auaritiam, pellit libidinem, fulminat illecebras, voluptates ſtrangulat, ambitiones, & odia fugat, ignauiæ, & ſocordiæ ſtimulos adigit: & aperiens in Eccleſia diebus ſingulis os ſuum, pœnitentiam ſuadet, & viam Dei in veritate docet.*

Æneas Silu. epiſt. 412.

XXV. His addere lubet Caroli Tapiæ Neapolitani Regentis, viri hac noſtra tempeſtate (ſi quis alius) dignitate, iuriſprudentiæ, ac pietatis titulo clariſsimi, teſtimonium his verbis conceptum, vbi de Franciſco agit: *Huius meritis* (inquit) *gaudeat Eccleſia, exultet Chriſtiana Religio, quæ tanti Patris auxilio, eiúſque filiorum virtute indignationem effugit Domini, & priſtinum Religionis candorem recuperauit.*

Carol. Tap. c. 54 n. 7. de reb. Relig.

XXVI. At præclariſsima ſunt, quæ ſummi Pontifices nobis in hac re teſtimonia ferunt. Ex quibus vnum Sixtum Quartum lubet referre, qui in Bulla, quæ incipit; *Præclara Sanctorum merita*: edita anno 1472. de Minorum Ordine ita ſcribit. *Præclara Sancto-*

 *rum*

*rum merita, & grandia virtutum inſignia, quibus velut radiantibus in firmamento ſyderibus ſacroſancta illuſtratur Eccleſia; ac ſupra petram ſtabilita firmiſſimam Sanctorum irradiatur ſpendoribus, & nouæ prolis inſtaurata præſidio, incrementum ſuſcipit, & fulgorem. Eò frequentiùs debent vniuerſi fideles congrua deuotione recolere, venerari, ac digna reminiſcentia celebrare ſolemniter collabentibus ſæculis; cùm peccatis feruentibus Fidei Catholicæ feruor plurimum tepuiſſet, decus ille morum, Deóque acceptiſſimus pauperum Patriarcha Franciſcus, ad ſaluandas animas ipſius Saluatoris noſtri pretioſo cruore redemptas, oberrantem fidelium plebem ad ſalutis opera excitandam, erudiendámque, & ſuo reintegrandam Authori, ordinatione ſuperna deſtinatus, inter admiranda ipſius opera Spiritu Paraclito inſpirante, nouam fratrum Minorum Religionem ſacram ad Dei laudem, & gloriam militantis Eccleſiæ decorem, ac Populi Chriſtiani profectum in agro Dominico tempore opportuno plantauit, inſtituit, & ſupra petram, quæ Chriſtus eſt, perpetuò ſtabiliuit: vt præcipua virorum inſignium ſanctimonia, moribus, ſcientia, atque virtutibus præditorum, fœcunditate, & numeroſitate exuberans, fructuoſos palmites ex vite vera produceret: qui Chriſti vexillum per Orbem vniuerſum vehere: nomen, quod eſt ſupra omne nomen, cunctis gentibus prædicare; ſalutaribus inſuper monitis, exhortationibus, & exemplis diabolica fraude deceptos Deo lucrifacere, & à maligni hoſtis ſeruitute eripere, ſtudio indefeſſo contenderent, quemadmodum hæc ipſius inclyti Patris germina, & veſtigiorum eius prouidi ſectatores, benedicente altiſſimo multiplicati in Domo Domini, & gratiis perfuſi cæleſtibus, longè latéque vniuerſas nationes mortalium penetrantes, Chriſti Euangelium, ac vera Fidei documenta cunctis gentibus nunciare, eidem Eccleſiæ antemurale conſtituere; ac pro virili ſuo tueri, munire, & ampliare non ceſſant.* His conſentanea habent Honorius IV. in Bulla, quæ incipit: *Religionis fauor.* & Nicolaus III. in Extrau. *Exijt qui ſeminat, &c.*

*Minorum Ordo in Eccleſia ſtabilis, & perpetuus futurus* Chronic. Ordin. p. 1 l. 1. c. 102. & l. 2. c. 37.

XXVII. Ex quo tandem id licet conijcere (quòd B. Franciſco olim à Deo reuelatum fuiſſe ipſius vitæ Authores teſtatur) ſacrum ſcilicet hunc Minorum Ordinem, qui Deo Authore, ac Franciſco Patriarcha ad Eccleſiæ ruinas inſtaurandas inſtitutus eſt, id ex Dei conſilio, ac prouidentia (vt piè creditur) aſſequutum fuiſſe: vt ſtabilem, ac perpetuam in Orbe ſedem ſibi vendicare debeat.

*Minorum Ordinis Reformationes cur tam frequentes.*

XXVIII. Hinc facilè, quænam tam multiplicis Reformationis, quæ nullibi frequentiùs, quàm in Minorum Religione, quoties regularis huius vitæ diſciplina in ſupremum diſcrimen vocatur, conſpicienda ſe offert, potiſſima cauſa ſit, addiſcimus. Ea enim, vt cæteras prætermittam, eſt ipſa ſingularis Dei pro Eccleſia & Minoritana Religione integra, ac ſartatecta ſeruanda, ſollicitudo: qua ſanè factum eſt: vt cùm primùm ſacræ huius familiæ proles à perfecta huius vitæ ratione aberrare, atque à ſanctiſſimi Patris legibus, ac veſtigiis reſilire viſa eſt: mox ad Regularem ipſius diſciplinam tuendam, reſtituendámque nouam prolem virtutibus fœcundam, atque Euangelico ſpiritu imbutam excitare, nouóſque è cœlo fœtus edere non deſierit; qui non modò eam ab interitu vendicarent, verùm etiam maiori, ampliorique ſanctimoniæ luce illuſtrarent.

XXIX. Equidem cùm tot, tantáque ex huius Ordinis inſtitutione, in quo Euangelicæ vitæ ſplendor cum ſumma morum integritate coniunctus elucet; bona, & commoda in Eccleſiam fluant: planè nihil magis extimeſcendum eſt, quàm quòd in tam præclaram vitæ rationem quædam morum corruptio, & pietatis languor paulatim irrepat, quibus eximias dotes, & clariſſima illa virtutum ornamenta, quæ diuinum hoc vitæ genus commendant, nonnihil labefactari contingat: ex quo tandem in ſupremum diſcrimen vocari neceſſe ſit quicquid Euangelicæ diſciplinæ, quicquid bonarum legum, quicquid Religionis, ac cœleſtium ſtudiorum, ſanctorum Patrum exempla, ac inſtituta præſcripsêre. Semel enim profligata Regularis vitæ diſciplina; cùm ea ſimul & Religionis ſplendor, & ſanctæ Eccleſiæ decor, & venuſtas in idem naufragium ruunt. Quo fit, vt illa Hieremiæ verba, quibus olim Hieroſolymorum occaſum defleuit, deformatæ Religioni aptari poſſint, cùm ait:

Thren. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum? immutatus color optimus? diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Syon inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?*

XXX. Vbi enim in Religione puritas, ac innocentia morum corruptione depereunt: ibi certum eſt aurum Religionis obſcurari. Vbi rerum cæleſtium ſapor, deuotio, pœni-





tentiæ rigor, abſtinentia, Religioſæ vitæ exempla, ſanctitas exulant: ibi colorem optimum virtutum mutatum, in vitia degeneraſſe quis dubitet? Vbi mundi contemptus, ſilentium, veſtis aſperitas, ſolitudo diſplicent: quid niſi lapides Sanctuarij, Religioſos nimirum, diſperſos in capite omnium platearum, gyrouagos, cellæ impatientes, ſæcularium hominum amicos videas? Vbi tandem Religioſos molles, delicatos, voluptuoſos, inquietos, negotiatores, rerum nouarum cupidos, rixoſos, ſuperbos, primas ſedes ambientes, orationis hoſtes, ad terrena inhiantes conſpexeris: ibi procul dubio cernas Filios Syon inclytos reputari in vaſa teſtea.

*Dei pro Minorum Ordine tuendo cura.*

XXXI. Quamobrem, ne tam præclarum, ac publicum Eccleſiæ bonum, quod ex huius Religioſi ſtatus candore, ac integritate in eam manat, illius lapſu periclitari contingat, id Deus magnoperè curat: vt cùm primùm mortifera relaxationis lues, ac inobſeruantiæ tabes Religionis corpus inuadit, illud protinùs opportunæ Reformationis pharmaco curetur. Sæpè enim fit, vt diutiùs dilata, ac procraſtinata remedia inutilia fiant: & morboſum corpus, quod celeriter non curatur, deſperata tandem valetudine intereat. Hinc facilè perſpicuum fit, quæ in hac Religione ſit reformationis vtilitas, ac neceſſitas, quoties Regularis diſciplina in ea ad lapſum declinat: inde enim & Religioni ſuus virtutum nitor accedit; & Dei Eccleſia velut inſtaurata luce illuſtrior poſt Reformationem redditur.

*Reformationum quando ſint cauſæ.*

XXXII. Cæterum, nec quiſquam mirari debet, Religionem Deo authore ſatam tam variis, crebríſque mutationibus agitari. Etenim ſi vel internas, vel externas huius rei cauſas curioſiùs indagare lubet. Prima quidem inter eas, quæ ex ipſa rei natura oriuntur, cauſa eſt, præſtantiſſimus ipſe huius Religionis ſtatus, qui quò in maiorem ſe ſe offert Euangelicæ perfectionis excellentiam, & Apoſtolicæ vitæ Regulam ſibi altiùs imitandam proponit: eò ſe maioribus caſus, ac ruinæ periculis exponit, quæ tum propter naturalem hominum, ex quibus ipſa Religio conſtat, inconſtantiam; quæ ſanè tanta eſt, vt teſte Iob, Homo nunquam in eodem ſtatu permaneat; tum propter virtutis inopiam, quæ niſi ſedulo ſtudio, ac labore exculta fuerit, paulatim fluit, ac euaneſcit; haud facilè vitari poſſunt.

XXXIII. Cùm ea, quæ in rerum natura ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcere videant, veluti roſas, lilia, violas: cùm alia diutiùs viuant, ac permaneant. Cur id quoque in hominum ſocietatibus accidere, vel maximè non animaduertunt, vt res quæ florentiſſimæ ſunt, citiùs in diuerſum vertantur? Alexandri Imperium, quod ad ſummam potentiam peruenerat, vnius horæ particula euerſum fuit. Nos Religioſas hominum ſocietates, quæ tantò ampliorem virtutem ad ſui præſidium expoſcunt, quantò altiùs aſcendunt, & reliquos hominum ſtatus dignitate antecellunt, ita in omne tempus firmas, ac immotas exiſtimabimus: vt nulla vnquam tempeſtate mutari queant?

XXXIV Planè quemadmodum, qui in montis vertice domum extruunt, quò altiùs ædificium conſurgit, eò maiora tignorum, tranſtrorum, clauium, columnarum præſidia adhibeant, neceſſe eſt, quibus munita, ac colligata domus faciliùs imbrium, ac ventorum procellas ſuſtinere, & diutiùs ſalua conſiſtere valeat: ne ſi iis deſtituta fuerit, ſoluta aliquando compage, ruat. Ita qui huius Religionis ſtatum integrum ſemper, ac ſtabilem eſſe volunt: maxima, ac diuturna virtutum præſidia illi comparare debent, quæ ſi paulatim hominum vitiis, vel incuria dilabuntur, haud ſanè mirandum eſt, totam ſimul Religionis domum, niſi citiſſimè illius damna inſtaurentur, corruere.

*Minorum Ordinis excellentia à Paupertate exorta.*

XXXV. Ardua profectò res eſt Minorum Religio, ac præſertim quæ in ea clauum tenet, altiſſima paupertas; altiſſimo in vertice ſita eſt, iugum tenet: lubricum verò, ac vepribus ſeptum itèr eſt, quò ad illam conſcenditur: quò fit, vt cùm nec par cunctis animus, nec idem ad eam capeſcendam, ac retinendam robur, ac virilitas inſit, qui aliquando virtutis ſtudio allecti ad eam pertingere viſi ſunt, ipſius tandem vel tædio affecti, vel improbo labore deuicti, facilè in præcipitium ruant, atque in eundem caſum Religionem inuoluant. Quapropter qui Minorum Ordinem mirantur in tot nouas corporum formas mutari: aut hominum naturam ignorant, aut ſui immemores illos homines eſſe mirantur, ex quibus ipſa Religio compacta eſt.

XXXV At verò ſi de Religione ſaltem, velut de humano corpore diſſererent; intelligerent

*Minoritanæ Religionis caſus vnde.*

rent profectò, Minoritanæ Religionis caſus, ac proinde inſtaurationes non aliunde, quàm ab ipſius præſtantia, ac nobilitate oriri. Etenim, cur tot in humano corpore morbi, ac morborum genera præ reliquis animantium corporibus graſſentur, ſi rationem expoſcas, ea communis Phyſicorum erit. Humanum corpus præ cæteris nobiliſſimum eſſe, perfectiſſima humorum inter ſe conſonantium harmonia conſtans, quæ cùm facilè, ac multiplici ratione diſſolui queat, inde morborum plerumque varietas erumpit.

*Minoritanæ Religionis præſtantia quanta.*

Iam verò nulli non exploratum eſt, quanta ſit Seraphicæ Religionis excellentia, XXXVII.
ac nobilitas, quæ eam à primis ſui ortus incunabulis præſtantiam conſequuta eſt, vt in ipſo ſuæ profeſſionis limine totam, integrámque Euangelicæ perfectionis normam amplectatur, illis verbis exaratam, *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, Obſeruare ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium.* Age: Quid Ieſu Chriſti Euangelio excellentiùs? Quid altiſſima illius paupertate ſublimiùs? Quid hoc vitæ genere præſtantiùs, quo Chriſti, & Apoſtolorum vita ad Religionis Canonem perſtringitur, ac ſuis profeſſoribus imitanda proponitur? Itaque cùm in præſtantiſſimo, ac nobiliſſimo verſemur Religionis corpore, in quo perfecta diuinorum præceptorum, ac conſiliorum ſibi inuicem reſpondentium harmonia per tantam membrorum multitudinem diffuſa conſpicitur: quid eſt, quòd cùm in eo Regularis obſeruantiæ morbos interdum graſſari animaduertunt, quibus curandis, quandoquidem communia pharmaca non ſufficiunt: vel generalis purgatio toti corpori indicitur, vel ſanior membrorum pars à pereunte corpore ſeiuncta in nouum corpus aſſurgit, Religionémque ab interitu vindicat, id tam altè admirantur? Cùm potiùs in eo, & præſtantiſſimam Seraphicæ Religionis naturam, & ſingularem Dei in ea tuenda ſollicitudinem, ac prouidentiam ſuſpicere deberent.

*Reformationis altera cauſa.*

Altera quoque, quæ in hoc genere verſatur, harum mutationum cauſa eſt, ipſa XXXVIII
rerum viciſſitudo, ac inſtabilis propemodum omnium rerum humanarum ſtatus, qui cùm in lubrico poſitus ſit, firmus ſemper, ac ſtabilis eſſe non poteſt. Talem profectò res noſtræ naturam ſortitæ ſunt: vt conuerſionis, mutationíſque cunctæ ſint participes. Elementa ſurſum, & deorſum aguntur, & commutantur. Hominem imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem olim Ariſtoteles aſſeruit, teſte Stobæo. Porrò quis Religiones, quæ ex hominum genere conſtitutæ ſunt, ab hominum, ac cæterarum rerum natura, & conditione ita eximendas cenſeat: vt nullis penitus mutationibus ſint ſubiectæ? Maxima Imperia, maxima olim paſſa ſunt excidia; & quæ ſtabilem in Orbe ſedem ſibi vendicaſſe videbantur, ſuo naturæ pondere obruta tempori ceſsêre. Quid tu Religionis ſtatum, tametſi ſacrum, atque à Deo inſtitutum, ex hominum tamen ſocietate compactum, velut immutabilem tibi fingis?

*Stob. Serm. 96.*

*Res diuinæ ſub variis mutationibus fixæ.*

Ea quidem diuinis rebus, quæ apud homines verſantur, vis à Deo indita eſt, vt XXXIX.
ſub aliis, atque aliis mutationibus fixæ & incolumes permaneant: nullis verò omnino mutationibus eſſe obnoxias nemo ſapiens ſibi perſuaſerit. Illud enim commune eſt humanæ naturæ vitium, ac infirmitas: vt quæ rectè, ſanctéque à maioribus plerumque tradita, & conſtituta ſunt, ſenſim dilabantur; niſi aſſiduo ſtudio, ac diligentia reparentur. Annon lex olim in ipſo mundi exordio à Deo hominum mentibus inſculpta fuit; qua, & Deum venerari, & benè, honeſtéque viuere compellerentur? Verùm percreſcentibus vndique vitiorum, ac ſcelerum procellis, quàm miſerè illa in toto ferè hominum genere corruerit, ea Scripturæ verba declarant. *Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.* Cæterùm hanc Moïſis lex, velut noua quædam prioris legis inſtauratio, non longè ſequuta eſt, tanta prodigiorum Majeſtate, totq; è cœlo terroribus Hebræo populo ſpectante à Deo exarata, atque ipſo Dei digito conſcripta, quò faciliùs homines ab ea violanda deterrerentur: vt incredibile propemodum videretur eam vllo vnquam tempore, aut ratione ex Hebræorum animis delendam fore; quam tamen, tam ſæpè collapſam ſacra Hiſtoria commemorat, vt ad ipſam inſtaurandam frequentiſſimis, tum Prophetarum minis, ac terroribus, tum grauioribus, ac diuturnis ſuppliciis opus fuerit, quibus Hebræus ille populus ad illius obſeruantiam reuocaretur.

*Gen. 6.*

At quid vetera exempla commemoro; cùm noua, ac quotidiana lex ipſa Euan- XL.

gelicæ



gelica nobis abundè ſuppeditet? Cuius cùm tanta ſit dignitas, & excellentia, vt Dei hominis non tam digito, quàm ſanguine conſcripta, ſummam ſibi apud primæuæ illius ætatis homines, qui propius à Chriſto abfuerant, auctoritatem, ac reuerentiam comparaſſet? Iam hac noſtra tempeſtate, ob perditorum hominum mores, & ſceleſtam plurimorum vitam, adeò languentem cernimus, vt nihil nobis magis extimeſcendum eſſet, quàm eam breui (ſi fieri poſſet) ad funera rapiendam eſſe.

XLI. Quid igitur tantopere miramur; florentiſſimum olim Religionis ſtatum, humani nonnihil vitij; atque infirmitatis paſſum, à præclara illa vitæ norma, quam ab initio acceperat, interdum excidiſſe? Ad deteriora quippe faciles ſumus (teſte Seneca) quia nec dux poteſt, nec comes ipſa natura deeſſe: res etiam ipſa ſine duce, & ſine comite fluit. Quid plura? Animus non tam pronus, quàm præceps eſt ad vitia, neque omne tempus Dominicos, aut Franciſcos fert: quo fit, vt in virtute immutabilem eſſe, non mortalium, ſed Beatorum tantummodo conditio ſit, qui Religionem nunquam ſeneſcentem adepti, tranquillam quandam, & malorum exortem vitam degunt. Eos igitur, qui Religionem ſemper ſtabilem, nullíſque motibus agitatam volunt; eam non in hominum natura, ſed apud ſuperos, vbi iam omnia quieta ſunt, & pacata, ſibi quærant, neceſſe eſt. Quapropter mirari deſinant, Minorum Religionem tam variis Reformationum fluctibus commoueri: quando id potiùs ſumma admiratione proſequi deberent; quo pacto inter tot hominum lapſus, ac Regularis obſeruantiæ naufragia, Religio ipſa ſalua, & incolumis conſiſtat. Atque inde admirabilem Dei Opt. Max. prouidentiam maximè effulgentem ſuſpicere, qui inter Boreaes rerum ſeneſcentium, ac pereuntium flatus, vernantes nouarum Reformationum flores iubet erumpere; Religionemque lethali vulnere languentem, & quadam vitiatæ conſuetudinis, velut pruina decoctam reflorere.

*Humana omnia lapſui obnoxia.*

*Sen. epiſt. 97.*

*Minoritanæ Religionis Reformatio à Deo.*

XLII. Cæterùm, ſi ad eas mutationum cauſas lubet parumper animum deflectere, quæ ab externa interdum vi, ac neceſſitate oriri ſolent: quamquam hæ plurimæ enumerari queant, quæ partim à rerum adminiſtratione, partim ab exteriori Ordinis conſtitutione peti poſſunt: vnicam tamen nobis cauſam hîc ſufficere arbitramur, quæ eſt Diaboli inuidia, immanéque, atque inteſtinum ipſius, cùm in omnes Religioſorum Ordines, tum maximè in Minorum Religionem odium. Quo ſanè factum eſt; vt inter ipſa Ordinis initia nullum non lapidem mouerit, nihílque intentatum reliquerit, quo vix exortam Religionem extingueret, & Franciſcanum nomen deleret, penitúſque è mundo tolleret. Quod olim tartareo illo conuentu apud Cruciferorum Xenodochium aduersùs Minorum Ordinem coacto (vt Annales Minorum teſtantur) non obſcurè declaratum fuit, in quo callidiſſimis conſiliis hinc inde inter Stygios illos incolas agitatis, actum fuit, quo pacto adoleſcentem adhuc Religionem perderent, ac funditus euerterent. Neque id fruſtra. Nam (vt monet Petrus Rauanus) *Diabolus ſemper primordia bona pulſat, captat rudimenta virtutum: ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens quia ea ſubuertere fundata non poſſit.*

*Diaboli in Minorũ Religionem odium.*

*Luc. Valdingh. Annal. Min. de ann. 1219. n. 19.*

*Petr. Raua. in illud Matth. Ductus eſt Ieſus.*

Quamquam verò inuidus hoſtis id olim in ipſo Religionis ortu, Deo cum primis reluctante, pro votis aſſequi non potuerit; haud tamen animum deſpondet: rurſus aliis quoque orbis tempeſtatibus infeſtum bellum reſtaurat, arma ciet, conſilia agitat, vires exerit, innumeráſque Inferorum Phalanges in Minorum Ordinem armat. Nihil nefarij illi ſpiritus, præter iras, ac furias deſpumant, nihil præterquam Religionis interitum animo volutant, in omnia ſe vertunt, omnémque rudentem mouent; vt ſacrum illud Minorum ſemen, quo ſe ab hominum imperio deturbari, atque expelli cernunt, è medio tollant. His odiis Draco ille, de quo pleraque horrenda ſcribit Ioannes, mulierem illam illuſtriſſimam, nouum Orbis miraculum, & cum ea cœleſte ipſius ſemen tam acerbè proſequebatur: vt ad conceptam rabiem declarandam, non tantùm vngues, ac venena ad mulieris necem pararet; verùm & flumina ad illius ſubmerſionem ex ore euomeret.

*Apocal. 12*

*Tartarei Draconis immane aduersùs Minorum Ordinẽ bellũ.*

XLIII. Quos, obſecro, vngues dirus hic Serpens in Minorum Religionem, illuſtriſſimique ipſius ſeminis exitium non acuit; quibus Euangelicam ipſius vitæ normam dilaniaret, & clariſſimam ſobolem ex illius ſinu eriperet? Quot venena diffudit; vt

Regula

Regularem Obſeruantiam variis modis labefactatam, & contaminatam extingueret? quoſnam carnis, & ſanguinis fluctus non commouit; vt Seraphicum in ea Euangelicæ perfectionis ſpiritum trucidaret? quot tandem atros carnalis ſapientiæ, ac prudentiæ in ea turbines, ac procellas excitauit: vt & altiſſimam Ordinis paupertatem profundè ſubmergeret, & incautos ſub recti ſpecie deceptos, & ab illius gremio abſtractos ſecum in ſupremum excidium raperet?

XLIV. Verumtamen admirabili Dei ſapientia factum eſt, vt infeſtiſſimi hoſtis artibus, ac conatibus diuina virtute deluſis, quæ ad Religionis damna, ac internecionem ab eo parata fuerant, in ampliorem ipſius gloriam, & vtilitatem redundarent. Inde enim, & illuſtrior Religioni proles diuino ſpiritu genita, non ſemel emergere viſa eſt, & purior Regularis Obſeruantiæ cultus poſt turbines, & procellas cœpit erumpere. Denique Phœnicis inſtar, poſt funera pulchrior, meliorem, ac præſtantiorem rerum ſtatum poſt ipſius Reformationem, quàm antea, aſſecuta eſt. Quo fit, vt Deo cùm primis gratiæ agendæ ſint, cùm viros ad Reformationẽ excitat, eo præſertim quòd & Religionem à tenebris vendicet, & poſt tenebras illuſtriorem reddat. Quid igitur in hac rerum mutatione, ac nouarum Reformationum ortu mirandum eſt, quaſi aliquid in Religione vitioſum præ ſe ferant? Cùm in his potiùs diuinæ tum ſapientiæ, tum prouidentiæ opus agnoſcere debeant, cui Seraphicæ Religionis tuendæ, ac propagandæ cura potiſſimùm incumbit.

*Admirabilis Dei in Minorum Ordinem prouidentia.*

XLV. His igitur de mutationum cauſis, quibus Minorum Religio nonnumquam ſubeſſe viſa eſt, in vniuerſum explicatis, non eſt, cur ad huius Reformationis, quæ Capucinorum dicitur, cauſas ſingillatim indagandas orationem deflectamus: de iis enim ſuo loco agendum erit, cùm ipſius principia, vnde exordium ſumpſit, pertractabimus. Quapropter illud hîc tantummodò inueſtigandum ſupereſt (ad quod potiſſimùm hic noſter ſpectat Apparatus) quis ſcilicet huius Reformationis Auctor fuerit, quiſve in ea tum auſpicanda, tum propaganda, modus eluxerit. Cùm enim tam ingentis molis, ac præclaræ Religionis, quæ ſe in tantam Regularis Obſeruantiæ, & ſanctimoniæ altitudinem extulit, vt cœleſtem vitam æmulari videatur, tam debile, ac infirmum principium appareat, támque labili, ac lubrico fundamento innixum: vt, vel omni fundamento deſtituta, mortalium quemquam ſibi Auctorem eſſe non agnoſcat: vel ſi aliquod ſibi humanum fundamentum vendicat, illud adeò inſtabile, ac ruinoſum eſſe videatur: vt num fundamenti nomine dignum ſit, iurè dubitari poſſit. Quis eo non in maximam mentis admirationem aſſurgat? Diuinorúmque operum magnitudinem, quæ in huius Reformationis ortu maximè elucet, ſuſpiciens, hoc illud diuinæ Sapientiæ opus non agnoſcat: de quo olim Sapiens ait, *Vas admirabile, opus Excelſi.*

*Capucinorum ortus quàm humilis.*

Eccleſ. 43.

XLVI. Etenim ſiue Reformationis ipſius ortum inſpicias, ſiue fundamenta perluſtres, ſiue propagationis modum animo reuoluas: in his nihil planè niſi diuinum opus cernas; eò magis humanis mentibus admirandum, quò longiùs ab hominum ſenſu, ac ratiocinatione diſtat.

Id verò vt luculentius fiat. Videas iniquiſſimis Orbis temporibus, cùm iam Luthericolæ, Zuuingliani, Oecolampadiſtæ, Buceriani, Melanchtoniſtæ, Vveſtphaliſtæ, Anabaptiſtæ, atque aliæ huius generis colluuies ab Inferis excitatæ, Germaniam penè totam; Farelliſtæ, Caluinicolæ, Seruetiani Galliam; Libertini Brabantiam, & Hollandiam; Georgiani Friſiam, ſuo quique hæreſum veneno inficere aggrederentur, ac deprauatiſſimi hominum mores nullo vitiorum repagulo concluſi, longè latéque per Orbem graſſarentur: inter ipſos Regularis inobſeruantiæ vepres, qui ſacrum Minorum Ordinem occupauerant, quaſi lilium inter ſpinas, nouam hanc Reformationem oriri, nullo non modo mortalium ſplendore illuſtrem, aut potentia ſuffultam; ſed omni prorſus humanæ prudentiæ præſidio ita deſtitutam, vt ei illud Ezechielis meritò occini potuerit. *Quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis. Non pepercit ſuper te oculus, vt faceret tibi vnum de his miſertus tui; ſed proiecta es ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die, qua nata es.* Tam enim obſcura, ac omnium oculis ignobilis, huius Reformationis natiuitas viſa eſt: vt quæ aliis Religionibus, ex ſuaui Dei prouidentia, ac liberalitate videtur eſſe communia,

*Capucinorũ Reformatio iniquiſſimis Orbis temporibus exorta.*

Ezech. 16.

quæque



quæque ad earum decorem, ac gloriam conferunt, huic penitùs denegata fuerint. Neque enim magno vllo ſanctimoniæ apparatu, quæ in Inſtitutore præluxerit, in ipſo ortu potita fuit, quo & nouitatis opprobrium, ac prioris deformitatis vmbilicus amputaretur, nouíque partus ſordes, ſi quæ illi ineſſe poterant, velut lauacro abſtergerentur. Nullo quoque Cœleſtium miraculorum fulgore, velut amictu ornata fuit: vt eo ſaltem ſe, & Dei gratia cohoneſtatam, & diuina virtute indutam oſtenderet. Denique omni hominum auxilio, ac patrocinio orbata, tantis in ipſa natiuitate calamitatibus fuit affecta; vt nec ipſi domeſtici tenellæ ætatis doloribus parcerent; ſed in eius potiùs necem conſpirarent. Quid plura? Tam vilia, tam abiecta, tam ignobilia omnia ab exordio ſortita fuit: vt nec quicquam in ſuo ortu magnum, nedum illuſtre præſeferret.

*Reformationis Capucinorum partus obſcurus.*

XLVII. Quis nouam Reformationem inter has tam obſcuri partus ſordes deliteſcẽtem conſpiceret, qui eam non tam diu incolumem, quàm breui tempore ad funera rapiendam fore non exiſtimaret? Ex quo primùm diuini operis magnitudo ſe attollit. Diuina ſiquidem virtus, quæ, vt plurimùm, maxima, & illuſtria ex infimis & obſcuris ſuſcitat, hanc ipſam, quæ haud ſecùs quàm humile virgultum de terra ſitienti olim pullulare viſa fuerat, tanta ramorum vbertate luxuriare iuſſit, atque in eam arboris altitudinem extulit: vt poſteriora illa, quæ ſequuntur Dei apud Ezechielem verba, illi aptari poſſint, dum ait: *Multiplicatam quaſi germen agri dedi te; & multiplicata es, & grandis effecta.* Cùm enim hæc tam ingens, ac fœcunda ſacri ſeminis propago, atque admirabilis planè rerum ſtatus, quem breui aſſecuta eſt, ex tam vili principio exorſa, humano conſilio, aut ſolertiæ adſcribi nullo modo queant. Dei profectò opus hîc aſpectandum eſt, ac diuinum ſancti Spiritus numen adorandum, quo flante, paruæ res creſcunt, & abiectæ celeriùs multiplicantur.

*Diuinum in Capucinorum Reformatione opus ſuſpiciẽdum.*

Ezech. Ibid.

XLVIII. Certè, quæ Daniel de paruo illo lapide è monte abſque manibus abſciſſo commemorat, quem poſt horribilem illam ſtatuam ad puluères vſque comminutam, in tam ingentem montis magnitudinem euaſiſſe narrat, vt vniuerſum Orbem ſuæ molis immẽſitate cõpleuerit: non obſcurè Reformationis huius ortũ, atque incrementa declarat, cuius cùm tam exiguum, ac ſterile principium fuerit: vt nihil niſi humile, ac infimum præſeferret; ita vt lapillo facilè exæquari poſſet. Quid eſt, quòd illam nunc in tam vaſtum Seraphicæ Religionis montem excreuiſſe cernimus; vt non modò horrida illa hæreſum, ac vitiorum ſimulachra, quæ per Orbem longè latéque diſperſa in diuinam ſe tum fidem, tum charitatem erigunt, omni ſtudio debellet: verùm etiam Dei Eccleſiam per totum Orbem diffuſam, non tam noua perfectorum virorum prole, quàm fœcũda cœleſtium virtutum ſobole, ac ſanctimonia compleat? Præterquàm quòd eam non hominum manibus, aut humana prudentia, & conſilio à prioris Religionis monte abſciſſam, ſed diuina prorſus virtute diſſectã & elaboratam agnoſcimus. Ex quo nobis diuini operis magnitudinẽ elicere liceat.

*Capucinorum Reformatio cum lapide Danielis cõparatur.*

XLIX. Cæterùm, ſi ad ipſa fundamenta, ac genus conuertimur, vnde Capucinorum Reformatio exorta, in hanc tandem ſobolis amplitudinem, ac fœcunditatẽ emerſit: quis diuini operis magnificentiam inde apertiſſimè ſeſe extollentem non admiratur? Siquidem in ea tam labilia, támque infirma omnia conſpiciuntur: vt præter diuinæ virtutis teſtimonium atque antiquum illum operandi modum, quo Deus ad amplificandam ſui nominis gloriam ſæpiſſimè vti ſolet, de quo ita ſcribit Apoſtolus: *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi Nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus; vt confundat Sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Nihil prorſus nobis intueri liceat.

*Dei ſapientia in Capucinorum Reformatione commendatur.*

1. Cor. 1.

L. Planè dictu mirabile eſt, quàm ineffabilis Dei ſapientia ſingulari hac agendi ratione ab hominum ſenſu longè remota, velut ſibi maximè propria delectetur: quod vno, vel altero exemplo demonſtrare lubet. Olim Deus cùm Hebræum Populum ab Ægyptiaca ſeruitute in libertatem vendicare vellet, qualem ſibi in hoc munus delegerit, planè manifeſtum eſt, non eloquentem, aut facundum: non ſtrenuum, aut belli Ducẽ: non deniq; dignitate aliqua ſublimem; ſed balbũ ac ſermonis imperitum, ouium paſtorem, nihil minus, quàm bella, & Imperia cogitantem

*Diuinæ ſapientiæ opera in quibus maximè eluceant.*

(Moyſem nimirum) ad id officij vocaſſe, quem tamen non haſta, aut clypeo, aut armata acie Pharaonem adoriri; ſed ſola virga Ægyptum percutere, ſigna patrare, ac Pharaonis quadrigas ſalo demergere iubet. Hæc nempè noua bella, nouos bellatores, nouúmque bellandi modum idcircò ſibi Deus elegerat, vt ſe ſolum præclari facinoris Auctorem, ac populi ſui liberatorem eſſe oſtenderet. Et quùm infirmos ad virtutem excitat, non iis, ſed ſibi triumphum paret. Nihil enim tam Dei potentiam, ac ſapientiam apud homines commendat, quàm cùm iis, quæ in Mundo ſtulta, ac ignobilia videntur, illum ad maxima quædam, atque admiranda exantlanda, vti cernimus.

*Eccleſiæ Chriſtianæ principium quàm debile.*

LI. At verò id luculentiùs in Eccleſiæ Chriſtianæ exordio declaratũ fuit; cùm Deus Catholicam Religionem, & cum ea Eccleſiam ſuam diſſeminare, ac per omnes Orbis partes longè, latéq; diffundere vellet; haud vlli ſanè ignotum eſſe arbitror, quàm obſcurum illius principium fuerit, quàm humile, quàm infirmum, quàm exiguum! quàm vndique potentiſſimorum hominum vi, ac impietate ita oppugnatum: vt nullo pacto diuturnum credi poſſet! quales verò Fidei ſatores, & Eccleſiæ propagatores deſtinauerit: quàm viles, quàm rudes, quàm abiectos, quámque ad id munus ineptos homines (Piſcatores nimirùm) nulla Rhetorum arte, aut facundia, nulla humana prudentia præditos ad id officij vocauerit; iam ſatis ſuperq; omnibus exploratũ eſt. Quorſum id amabo? niſi vt cæleſte hoc Dei Opt. Max. conſilium, quo in maximis rebus adminiſtrandis frequentiſſimè vti ſolet, hominibus perſpicuum fieret: atque eò ampliùs ſe diuini operis magnificentia extolleret, quò minùs id aut humana ſapientia ſuo ingenio aſſequi, aut hominum potentia ſuis viribus præſtare valet. Denique vt illud ſolius Dei opus eſſe intelligatur, quo cum humanum opificium, aut conſilium nihil habet commune; quæ Ambroſij ſententia eſt, ita ſcribentis: *Aduerte* (inquit) *Cæleſte conſilium: non Sapientes aliquos, non Diuites, non Nobiles; ſed Piſcatores, & Publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentiæ, nobilitatiſq; auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur.* Quod etiam egregiè proſequitur Auguſtin. his verbis. *Magna* (ait) *artificis miſericordia: ſciebat enim, quòd ſi eligeret Senatorem, diceret Senator. Dignitas mea electa eſt: ſi eligeret diuitem: diceret diues: Opulentia mea electa eſt: ſi Regem, diceret Rex, Poteſtas mea: ſi Oratorem, eloquentia mea; ſi Philoſophum, ſapientia mea electa eſt. Interim inquit Dominus, differuntur ſuperbi iſti, multùm tument. Da mihi priùs iſtum Piſcatorem: veni tu pauper, nihil habes, nihil noſti, ſequere me: tam largo fonti vas inane admouendum eſt: dimiſit retia Piſcator, accepit gratiam, & factus eſt diuinus Orator: leguntur modò verba Piſcatorum, & ſubduntur colla Oratorum.*

Ambr. l. 5. in luc.

Auguſt. de verb. Dom. ſerm. 59.

LII. Iam verò, vt ad noſtra propiùs accedamus. Si huius Reformationis Capucinorum, de qua nobis res eſt, genus, & parentes inquirimus. Matthæum de Baſſo primum in ipſo limine offendimus, in Minorum Ordine, qui de Obſeruantia nuncupatur, conſcriptum: Virum, etſi omni virtutum laude præclarum (vt ipſius vita, & geſta teſtantur) adeò tamen vni diuini recti prædicationis officio addictum, quòd quanquam diuino ſpiritu afflatus, ac cæleſti viſione impulſus, antiquam habitus formam à Beato Franciſco olim inſtitutam, deinde temporum iniuria dilapſam, ſibi ex Apoſtolicæ Sedis indulgentia vendicauerit: eam tamen nec aliis communicandam accepiſſe; neque vllam ex ea Ordinis Reformationem ne quidem mente pertractaſſe, tam certum, ac indubitatum eſt: vt frequens, ac quotidiana illius vox eſſet, ſe non ad Religionis Reformationem; ſed ad reformandos potiùs hominum ſæcularium mores à Deo vocatum eſſe. Quod ipſe quoque rei exitus probauit: nam inter ipſa Reformationis initia à puſillo Capucinorum grege, qui ad vigeſimum, vel paulò ampliorem, vſque numerum excreuerat, Generalis Paſtor ad gregis cuſtodiam electus, vix ad ſecundum, vel tertium menſem peruenit: cùm ea poteſtate abdicata, ſimúlque paulò poſt exutus Capucini habitus forma, ad prioris de Obſeruantia nuncupatæ Religionis obedientiam rediit: vt ſua ſpiritus libertate, ac vocatione, qua ad homines, propoſitis Inferorum ſuppliciis ad pœnitentiam prouocandos agebatur, liberiùs frueretur.

*Primus Religionis Capucinorũ ortus à Matthæo de Baſſo.*

LIII. Alterum quoque poſt Matthæum, Ludouicum Foroſempronianum ſimul cum Raphaele vterino eius fratre, vtrûmque in eodem Minorum Ordine de Obſeruantia Profeſſum, obuios habemus: qui Matthæi exemplo commoti, cùm in eamdem





habitus formam, quæ nunc Capucinorum eſt, ſeipſos compoſuiſſent, eámque à Clemente VII. tunc Chriſti in terris vices agente ſibi, aliíſque communicandam impetraſſent; mira profectò res, quòd, cùm iis voluntas ſeipſos, atque alios ad veram Regularis Obſeruantiæ diſciplinam reformandos ineſſe videretur: conſilium tamen, & prudentia, qua id perficerent, deerat. Quo ſanè fiebat, vt animo ſuſpenſi, & quid ſecum mente agitarent, aut quo pergerent, ignorantes, Italiam vagando circumirent; donec Altiſſimus rerum omnium Moderator, ineffabili planè modo, quo decreuerat, opus ſuum per ſe ipſe perficeret, ac nutantia Reformationis principia quodam quaſi miraculo ſtabiliret.

*Ludouicus Foroſempronianus Reformationis propagationem abſque humano conſilio agitat.*

LIV. Hoc inter alios indicat Auctor Hiſtoriæ Camaldulenſium, quæ Romualdina inſcribitur, his verbis: *Dum Paulus ad ſua reuerſus, in Eremo Cryptarum, in cauernis illis optatam duceret quietem: ecce ſequenti anno 1526. duo Fratres Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia ad eundem veniunt. Ii fratres germani erant, patria Foroſemproniani, quorum alter Ludouicus, alter Raphaël nuncupatus, Ambo (res mira) ſpiritu Dei agebantur neſcientes. Nam, cum Apoſtolica licentia à propria Religione diſceſſerant, ac proinde vagantes Italiam circumibant, quò tenderent, aut quid quærerent, prorſus ignorantes.*

Romuald. l. 3. c. 14.

LV. Quis ad talia nouæ Reformationis primordia non ſtupeat? Certè qui res prudẽtia, & conſilio æſtimare ſolent; cùm homines, qui Religionis Reformatores facilè cenſeri poterant, nullo doctrinæ ac literarum ſplendore illuſtres; nullo virtutum, & ſanctimoniæ pondere conſiſtentes; atque adeò omni prudentiæ; ac conſilij luce deſtitutos cernerent, vt ne graue quidem, ne dum grãde quicquã animo pertractarẽt: quid in his aliud præterquã ſtultũ, ac inſtabile, ac proinde labile, & caducũ rectè ſuſpicari potuiſſent? Verũ, en admirabilẽ Dei ſapientiã, quę nõ prudẽtes, nõ ſapiẽtes, non potentes conſilio, non nobilitate præſtantes, non demùm ſanctimonia claros, ex tam ampla Ordinis familia ad hoc arduum Reformationis opus adſciſcit: ſed quæ ſtulta, quæ ignobilia, quæ obſcura, quæ infirmiora ſunt, eligit: vt cuncti diuinum hoc eſſe opus intelligant, quod nulla hominum prudentia, ac conſilio, ſola Dei virtute agitatur. Hinc non importunè exclamat Auctor ille: *O quàm incomprehenſibilia* (inquit) *ſunt opera tua Domine! O quàm inſcrutabiles ſunt viæ tuæ! Relinquunt primam Religionẽ; habitum mutant; hũc, atque illuc curſitant; quid ſibi expediat, deliberare nullo modo queunt: ignari prorſus, quid iſta parturiant.* Tum paucis interiectis. *O ineffabilem Dei ſapientiam, quàm ſuauiter omnia per ſe diſponuntur! En tibi, optime Lector, quomodo tanta, tamque ſancta Religio incæpta ſit. En quàm pauperes, quàm ſimplices habuit Auctores. En denique quale principium eius, & quàm miraculoſum extitit.* Hæc pius Auctor illius Hiſtoriæ non immeritò admiratur.

*Ludouicus Foroſempronianus quàm ad Reformationem ineptus.*

Romualdus ibid.

LVI. Videant igitur, qui res Capucinorum minoris, quàm par eſt, æſtimant: ipſorúmque ortum, velut indignum, & obſcurum ſugillant: qualem Dei ſapientiæ, ac diuiniſſimis rebus maculam inurant. Cùm enim ineffabilis illa Dei Majeſtas haud alium ſanè ordinem, ac rationem in Capucinorum Reformatione inſtituenda, ac propaganda ſibi præſtituere voluerit, quàm qua olim in extruenda Eccleſia ex arcano diuinæ ſapientiæ conſilio vſa fuit: malè profectò de Dei ſapientia ſentire videntur, qui nihil, præter indigna, de huius Reformationis principiis iudicant. Quin etiam, quod crimen auget, Dei Eccleſiam potiori ſua gloria expoliant: quam ex Piſcatorum, atque aliorum abiectorum hominum vocatione conſequuta eſt: Quapropter ſi veri rerum æſtimatores haberi volũt; id illis potiùs certiſſimè perſuaſum eſſe debet, inde illuſtriorem huic Reformationi gloriam accedere, cùm maximam humilibus ſuis principiis Eccleſiæ gloriam æmulatur.

*Capucinorum origo Eccleſiæ ortũ æmulatur.*

LVII. Ad poſtremum tandem caput accedo, quo Capucinorum Religio non modò illuſtrem, verùm etiam ita hominum mẽtibus ipſo ſuæ propagationis modo admirabilem ſe præbet: vt omnem propè naturalium rerum ſeriem excedẽs, ad diuiniſſimarum propiùs ordinẽ accedat. Quid enim admirabilius, & à naturæ legibus magis diſſentaneũ eſt, quàm prolem abſq; Parente progigni? fœcundiſſimámq; Virorũ ſobolẽ longè latéq; per Orbem diffuſam conſpicere, quæ nullum, à quo ſata ſit, Auctorem agnoſcat? Etenim quòd ex obſcuro, & infimo genere illuſtris interdũ progenies erũpat, id tametſi rarum, & inſolitum ſit, nonnumquam tamen fieri videmus. At verò

*Capucinorum Reformationis ortus admirabilis.*

quod ingens quædam, ac illuſtriſſima hominum proles, abſque vlla Parentum propagatione emergat, id non tantùm apud homines inſolitum, quàm ab ipſo rerum ordine diſſentaneum videri debet.

LVIII. Anachoretas olim per Ægyptum, Paleſtinam, Syriam, ac totam ferè Aſiam, ſed ſub Antonio propagatos legimus. Baſilianos quoque Græciam, Caſſinenſes Monachos Italiam, ingenti Monachorum prole; ſed Inſtitutoribus, ac propagatoribus Baſilio, & Benedicto, compleuiſſe nouimus. Eodem quoq; planè modo, & reliquos Regularium Ordines fœcunda ramorum vbertate in Eccleſia dilatatos intuemur, quorum tamen ſatores, & Auctores non ignoramus. Quos verò illuſtriſſimæ huius Reformationis Capucinorum, quæ in tantam amplitudinem emerſit: vt in Religionis caput erecta Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam ſuis Cœnobiis compleat, Auctores, aut Parentes reperias? planè nullos. Nam quæ hactenus de Matthæi de Baſſio, & Ludouici Foroſemproniani, à quibus Capucinorum origo ducta eſſe cenſetur, Reformatione commemorauimus, adeò illius propagationi accidentalia ſunt: vt nec quicquam ad eam pertinere videantur. Quod hinc facilè perſpicuum eſt. Nam Matthæus in primis, qui eam habitus formam, quæ nunc Capucinorum eſt communis, primus ſibi ab Apoſtolica Sede impetrauerat: cùm eam neque aliis tradendam accepiſſet, neque vllam nouæ Reformationis inſtitutionem vnquam animo agitaſſet (quæ ſanè ad Reformationis Auctorem conſtituendum neceſſaria videntur) de illius propagatione quo pacto, quáue ratione cogitare poterat? At verò id res ipſa magis comprobauit, cùm vix paucis elapſis annis, exuto Reformationis habitu (vt diximus) inter ipſa Reformationis initia ad Obſeruantium Ordinem rediit. Quo fit, vt neque Reformatoris, neque Propagatoris nomen illi iure vllo debeatur.

*Matthæus de Baſſio à Capucinorũ fundatione expungitur.*

LIX. Ludouicus verò, quamquàm Parentis, ac Inſtitutoris Capucinorum titulo, ea potiſſimùm ratione frui minimè valeat: quòd Matthæi exemplo permotus ad reſtitutam Franciſcani habitus formam poſterior acceſſit; quo fit, vt nec primus Religionis habitus Reſtitutor fuerit: neque ab eo Capucinorum Religio prima Reformationis exordia tulerit. Verumtamen cùm facultate ab Apoſtolica ſede impetrata, Reformationis habitum, non tam ipſe deferre, quàm aliis impertiri poſſet: plurima quoque pro Reformatione primis illis turbulentiſſimis temporibus fortiter, ac præclarè geſſiſſet: Propagatoris facilè nomen aſſecutus fuiſſet, niſi tanti nominis gloriam poſteriori macula labefactaſſet, ac prorſus ſuſtuliſſet: cùm hanc ipſam Reformationem, pro qua tuẽda tot labores exantlauerat, ac carceres perpeſſus fuerat, inanis gloriolæ flatu diſperſus deſeruit: atq; ob animi tumorẽ à Religione pulſus ad eremiticã vitã ſe contulit, quo ſimul omnẽ, tum nominis, tum exiſtimationis, quã ſibi cõparauerat, gloriã exuit. Quo fit, vt ſi rem profundiùs intueri lubeat: Vterq; & Matthæus, & Ludouicus ſuo facto tenellæ Capucinorũ Reformationi tenebras potiùs, quã lucẽ effuderint: eãq; (niſi Dei Opt. Max. præſidio, ac virtute munita fuiſſet) in ipſo ortu potiùs ad ſepulchrum rapere, quàm in vitam vendicare viſi fuerint.

*Ludouicus Foroſempronianus Capucinos deſeruit.*

LX. En igitur quale paradoxum, obſcuro planè ænigmate inuolutum, res ipſa nobis perpendendum offert. En Ordinem ſine Parente genitum, abſque Propagatore diffuſum, ac velut alterũ Melchiſedech (vt ait Apoſtolus) ſine patre, ſine matre, ſine genealogia admirabilẽ. Certè, cùm omnia ſuis principiis conſtent, vnde ſunt; nec quicquam ſeipſum gignat: quo pacto id fieri poſſe credimus, vt Religio nullo Auctore, nullo Inſtitutore, nullo denique Patre progenita, non modò ſalua, & incolumis ſubſiſtat, viuat, vigeat; verùm etiam in dies amplior, ac illuſtrior euadat? Id verò cùm hac noſtra tempeſtate eueniſſe cernimus: quid in eo, præterquam diuinæ omnipotentiæ opus omnes admirari, ac ſuſpicere oportet.

*Capucinorũ Reformatio Deo Auctore genita.*

LXI. Porrò hæc ſingularis eſt Capucinorum laus, hæc illuſtrior huius familiæ gloria, quã ſibi à Deo nõ ab hominibus cõparat, quòd cùm nullũ inter homines ſuorũ natalium Parentẽ ſibi vendicet: Deũ ipſum ab incunabulis Auctorem, & Parentem ſortita eſt, cuius ope, & prouidentia id conſecuta fuit: vt inter difficillima, ac laborioſiſſima ſui ortus primordia, præter omnem ſpem, ac expectationem viueret, vigeret, excreſceret. Tum verò ad eum rerum ſtatum peruenerit: vt iuxta Vatis Oraculum [illegible] *omnes qui viderint eos, cognoſcant illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.*

Neque



Neque enim quiſquam tam admirabilem huius Religionis propagationem, ac præclara incrementa alteri, præterquam Deo Auctori vnquam adſcribere audeat.

LXII. Etenim, cùm procul nauigium aſpexeris, velis vndique ad auram extenſis, erectaque puppi per medios maris vortices recto curſu ad portum ferri: an non ſtatim, tametſi à quo gubernari non cernas, Rectorem tamen ei inſidere ſentis; qui illius curſum arte, ac ratione moderetur? Aut cùm exercitum ex Myriarchis, Chiliarchis, cohortum Præfectis, Ducibus, Centurionibus, Decurionibus optimè conſtitutum, ac ſuis Ordinibus diſtinctum aduersùs hoſtem ſumma rei militaris diſciplina certantem contemplatus fueris: Imperatorem, & ſi non videas, eidem præeſſe non dubitas, cuius ductu, ac conſilio totum aciei corpus regatur? Denique cùm Tẽplum, aut Regiam domum ingreſſus, ſuauiſſimam in ea muſici concẽtus harmoniam, mixta, tum vocum, tum ſonorum varietate concinnatam audieris: num vllum ibi harmoniæ ducem, ac moderatorem præſidere putas: qui ſonos, ac voces moduletur? Id enim & ratio hominum mentibus inſita, & ipſa natura vnumquemque docet.

*Capucinorum commendatio ab ipſo Reformationis ortu.*

LXIII. Amabo: iàm Capucinorum Ordinem hactenus omni inter homines Parente orbatum, nullo Auctore inſtitutum, nullo tandem Patre ſatum, ac propagatum demõſtrauimus. Quid? Num eum nullis omninò naturæ legibus ſubiectum, aut à ſeipſo genitum exiſtimabimus? Nihil minus: quæ enim ex humanis conſtant, & natura ipſa nobis cognata ſunt: ea naturæ legibus teneri, ac rerum ordini ſubeſſe neceſſe eſt. Quis autem Capucinorum Ordinem, qui ex hominum cœtu, & ſocietate coaleſcit, in eo rerum ordine collocandum cenſeat, qui nihil naturæ legibus debeat? ſeu quod à natura magis diſſentaneum eſt, ſui ipſius principium ſit, & origo? Ab his cùm ratio, ac tota natura abhorreat, non facilè quis id ſibi in animum inducat. Faciliùs autem opinari quiſquã poſſet; num is Caſu, ac Fortuna in Orbe exortus, ac propagatus fuerit. At quãdoquidem maximum nefas exiſtimari debet, ſi quis Caſum, & Fortunam, quibus Dei prouidentia è medio tollitur, humanis rebus admiſceat, atque illis quibus nihil ſolidum, nihil conſtans, nihil diuturnum eſt; quæ tandem; ſi rectè de iis iudicandum ſit, nihil in rerum natura, præter nomen ſibi vendicant, florentiſſimi, ac tam diuturni Ordinis curam, & adminiſtrationem committat: qui ita cenſent, malè profectò de Dei Prouidentia ſentiunt, atque vniuerſa Dei opera, quæ ab eo arcano quodam conſilio ſæpè fiunt, non leuiter peſſumdant. Quòd ſi prudenter rerum cauſas inſpicerent, pleraque à Deo proficiſci intelligerent, quorum tum maximè; cùm cauſas ignorant, euidentiùs iſthic Dei Prouidentia elucet. Plurima quoque in Dei operibus offenderent, quæ cùm admiratione magis, quàm ratione comprehendi valeant: quandoquidem in his naturæ oculus, qui non ſecus ad diuinorũ operum ſplẽdorẽ, quàm Nicticoracis oculus ad lumẽ ſolis ſe habet, procul dubio caligat, diuinæ Sapientiæ potiùs opificium extollere, quàm Fortunæ, & Caſui adſcribere deberent.

*Caſus, & fortuna, vbi Dei Prouidentia elucet, arcenda.*

LXIV. Iam verò animum erigant, ſacrúmque hunc Capucinorum Ordinem magni cuiuſdam Nauigij inſtar contemplentur; quem cùm à primo Inſtitutionis exordio erecta Catholicæ Fidei puppi, ampliſſimíſque velis ad omnem Dei, ac proximi charitatem extenſis, mundanæ concupiſcentiæ æquora generosè premere, atque inter medios tentationum, ac perſecutionum ſcopulos, quibus vndique ab ipſo ortu obſeſſus fuit, rectà ad Deum, ac cœleſtem vitam, velut ad portum tendere conſpexerint. Quid? Num omni eum Auctore, ac Rectore, à quo & ab initio conſtitutus, & per tot annorum curricula fæliciſſimo rerum omnium curſu directus fuerit, ob id carere ſentient, quòd nullum in hominibus ipſius Auctorem, ac Inſtitutorem inueniant? Equidem ſi hæc temerè, ac fortuitò minimè accidiſſe perſpicuum eſt: Id illis quoque certum, ac perſuaſum eſſe debet, Deum Opt. Max. ſupremum huius Ordinis Auctorem, ac Rectorem eſſe.

*Capucinorum Ordo quo pacto abſque Parente genitus.*

LXV. Ampliùs, ſi de eo diſſerẽdũ eſt: Capucinorũ Ordinẽ, velut Regiũ quẽdam Exercitũ ſibi ante oculos ponãt, tam perfectè ſuis ordinibus inſtructũ: vt ſingulæ Prouinciæ diſtinctas acies: queq; verò Cœnobiorũ familię diſiũctas militũ phalãges, ſuis Cuſtodibus, & Guardianis, velut Centurionibus, ac Decurionibus munitas præſeferant, qui tam ſtrenuè, ac tã præclaro armorum genere aduersùs Mundũ, Carnẽ, ac cæteros humani generis hoſtes manus conſerunt: vt hos orationũ iaculis feriãt, illos ieiuniis conficiant; carnem aſſidua maceratione in ſeruitutẽ redigant; Mundũ rerũ omnium

*Capucinorum Ordo cum acie bene ordinata comparatur.*

contemptu ſub pedibus conterant; voluptates auſteritatibus iugulent; carnales appetitus pœnitentiis doment; ſuperbiam humilitate interimant; auaritiam ſumma rerum paupertate extinguant; iracundiam manſuetudine premant; liuorem charitate ſuffocent; ſenſus mortificatione crucifigant; inordinatos animi motus obedientia trucident; cunctas denique Dæmonum acies virtutum omnium exercitatione in fugam vertant.

Quis tam præclaras ſacri huius Exercitus victorias, caſu ab ea partas exiſtimet? LXVI.
aut Capucinorum Ordinem tam infeſto, támque diuturno bello contra hoſtes fœliciter dimicantem, ſuo Imperatore, ac Ductore ea potiſſimùm ratione orbatum velit, quòd nullum in ſuo ortu à Deo Parentem ex hominibus acceperit? Quid? ſi Deus ob id potiſſimùm huius Ordinis Auctorem, ac Inſtitutorem nullum inter homines eſſe voluit: vt ipſe illius Parens, ac Inſtitutor eſſe agnoſceretur: num Dei Sapientiam aliquid inde iacturæ, ac detrimenti paſſam fuiſſe æquum erit exiſtimare? Aut Deum ſatiùs erit ſua Prouidentiæ laude exuere, quàm admirandum diuinæ Sapientiæ opus (vt par eſt) ſuſpicere? Mira profectò res, ac prorſus inſolita (inquiunt) Ordinem abſque Parente naſci, & ſine Auctore propagari. At quænã, præter mira, & inſolita in maximis Dei operibus admiramur? Quamquam verò hæc mira, & inſolita ſint, haud tamen Dei Sapientia indigna iudicãtur, cui illud maximè glorioſum eſt, Religioſæ ſobolis ſibi genus vindicare, quæ humano Parente orbata ab eo natiuitatem, & propagationem expectat. Quid plura? Magna hæc ſunt opera Domini, tam exquiſita, támque perfecta, atque ab hominum ſenſu remota, vt non niſi ſumma mentis admiratione comprehendi queant.

*Capucinorum Religio harmonicum quoddam Chroma.*

Poſtremò, ſi Capucinorum Religionem, tanquam harmonicum quoddam Chroma, omnibus ſuis partibus conſtans ſibi proponant, in quo vniuerſa virtutum genera ſuos quæque ſonos, ac concentus edunt: dum hinc ſe acutus diuinæ Contemplationis ſonus ſe attollit: iſthinc grauis ſe propriæ cognitionis Phtongus deprimit: hâc Altus Paupertatis Euangelicæ perſonat: illac Tenor Caſtitatis erumpit. Semitonium in his propriæ voluntatis modos Obedientia frangit. In illis Dieſis ſenſus ad perpetuam mortificationem declinat. Alij Tibiam Mortis memoria perflãt. Alij Citharam cœleſtium rerum conſideratione percutiunt: hos quidem Lyræ planctus delectat, quo ſua, ac aliorum ſcelera deplorant: illos verò Siſtri hilaritas magis oblectat, qua vbique & in omnibus diuinam Maieſtatem commendant. Quis tam ſonoram, ac perfectam hanc omnium maximarum virtutum harmoniam, quæ vndique ex ſacro Capucinorum Ordine erumpens totius Chriſtiani Orbis aures demulcet, à peritiſſimo aliquo cœleſtis huius ſymphoniæ Magiſtro, ac Rectore, ita ab initio diſpoſitam, & conſtitutam eſſe non ſentiat, vt ſemper in meliora proficeret? At quandoquidem nemo hactenus in hominum genere hanc ordinatiſſimæ huius Religionis inſtitutionem ſibi adſcribere; atque ipſius Auctor appellari potuit: id ſanè fateri opus eſt, eam ſibi è Cœlo parentem quæſiuiſſe; Deúmque in primis, tum B. Franciſcum, cuius ea genus eſt, & propago: Auctorem, ac Inſtitutorem habuiſſe. LXVII.

*B. P. Franciſcus Capucinorum Auctor aſſeritur.*

Neque id fruſtra, aut perfunctoriè de B. Franciſco dixerim. Cùm enim, neque noua Religio, neque noua Ordinis forma ſimul cum Capucinorum inſtitutione in Eccleſia cœperit: ſed antiquus tantummodò Minorum Ordo, olim à B. Franciſco inſtitutus, nouam dumtaxat ex Regularis Obſeruantiæ reſtitutione formam adeptus fuerit: quid alio inter homines Inſtitutore, aut Parente opus eſt, à quo noui huius ſeminis propagatio fiat? An non vnus omnium Franciſcus, tam prioribus, quàm poſterioribus filiis ad propagationem ſatis eſſe cenſebitur? Quid? tametſi alij Conuentuales, alij de Obſeruantia, Capucini alij nuncupentur: An non cuncti abſque vllo diſcrimine B. Franciſcum ſolum Patriarcham agnoſcunt? vniuerſíque vnum ipſius Regulæ iugum ſubeunt? LXVIII.

Quod cùm ita ſit, planè fruſtrà aliqui præter B. Franciſcum communem omnium Patrem, alium Capucinorum Ordinis Inſtitutorem, ac Parentem exquirunt. Qui enim olim totius Minorum Ordinis Auctor fuit, is eſt, qui toti Religioni è cœlo præſidet, qui res Ordinis curat, qui Regularem Obſeruantiam tuetur: & ſicubi eam collapſam videt, nouam prolem excitat, Reformationes gignit, LXXIX.





qui denique Religionis à ſe ab initio inſtitutæ ita ſe Parentem gerit, vt neminem hactenus hoc nomine gloriari permiſerit. Quod cùm ex prioris Patrum de Obſeruantia, tum maximè ex huius poſterioris Reformationis exemplo licet colligere; in quibus & Inſtitutoris, & Parentis nomen perpetuò ſiluit.

LXX. Cæterùm neque id Cœleſti teſtimonio, præſertim in hac Capucinorum Reformatione caruit; in qua celebri quadam B. Franciſci viſione id luculentiùs declaratum fuit. Nam cùm iam diuino conſilio decretum eſſet, vt Minorum Religio, quæ iam ab Inſtitutoris via declinare cœperat, nouæ prolis Reformatione ad priorem formam reuocaretur: non Matthæo, non Ludouico, non alteri hominum id negotium commiſſum fuit: ſed Franciſcus ipſe, vt ſolum, ac perpetuum ſe Ordinis ſui Patrem, ac Reformatorem oſtenderet, id muneris ſibi vendicare voluit: quo factum eſt, vt is Matthæo de Baſſio non ſemen Capucinorum habitu indutus apparuerit (vt aliàs fuſiùs explicabimus) quo illum ſuo exemplo, tùm ad veri habitus formam, tum ad ſui imitationem compelleret. Neque id fruſtrà. Nam Matthæus cùm in eam ſe habitus formam, quam in B. Franciſco conſpexerat, compoſuiſſet; alios ſuo exemplo permouit, vt ad eandem habitus figuram, atque Euangelicæ vitæ formam ſe transferrent: atque inde Capucinorum Reformatio prima ſui ortus initia ſibi comparauit: à Deo quidem primùm, qui omnium bonorum fons eſt, & origo: tum à B. Franciſco perpetuo Minorum Patre, & Reformatore profecta. Atque hæc quidem, quæ ad Reformationis principia in vniuerſum ſpectant, prælibare viſum fuit. Nunc ad ipſos Annales, Deo Opt. Max. Duce, & Auſpice accedo.

*Id euidentiùs viſione confirmatur.*






# ANNALES MINORVM CAPVCINORVM.

| Annvs Crhisti. | Clem. VII. | Car. V. Imp. | Ante Reform. cond. |
|---|---|---|---|
| 1524. | 1. | 6. | 0. |

I. Æternvm diuinæ mentis conſilium, quo res ab optimo Orbis Conditore ſapienter, ac ſuauiter adminiſtrantur, ita rerum ordinem ab initio diſpoſuiſſe, vt mala, quæ interdum bonis permixta eminentiùs Vniuerſi pulchritudinem extollunt, nulla ratione in Orbe graſſari fineret, niſi ex his admirabili tum bonitate, tum potentia, tot bona eliceret, quæ & malorum damna ac perniciem abſtergerent, & diuinam Sapientiam altiùs commendarent, ſapientiſſimè olim ab Auguſtino dictum fuit, cùm ad Laurentium ſcribens, inquit. *Neque enim Deus omnipotens, quod etiam Infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Porrò neque id vlli mirum videri debet: cùm enim ad Dei ſapientiam potiſſimùm ſpectet, nihil in rebus confuſum, aut inordinatum relinquere, quo totius Vniuerſi ordo, ac venuſtas perturbentur. Vndenam malum, quod ſuapte natura (ſi tamen malo, quod boni quædam priuatio eſt, natura aliqua ineſſe poteſt) ab ordine cùm primis abhorret, ordinem ipſum aſſequi poteſt, præterquam bono comparatum? Etenim exploratum eſt, tunc malum tantummodò ritè ordinatum cenſeri; dum vel bona comparantur malis, à quibus velut ex oppoſitorum antitheſi maiorem venuſtatem accipiunt; vel mala ad impiorum pœnam ordinantur, ex qua diuinæ iuſtitiæ, ac ſeueritatis ſeſe æquitas effert; vel tandem ex malis bona conſurgunt, quibus ſumma Dei bonitas, & ſapientia commendantur. Atque hinc Auguſtinus aſſerere non dubitat. Meliùs iudicaſſe Deum, de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere. Siquidem mala omnia prohibere, ac nullum in Orbe malum permittere ſolius potentiæ opus eſſe agnoſcitur. At verò ex malis benefacere, & ipſum malum, quod bono inimicum eſt, ad ampliorem bonorum copiam, & excellentiam ordinare,

*Mala cur Deus in Orbe permittat.*

Aug. Enchir. cap. 11.

Ibid. c. 27. *Malorum permiſſio ad Dei gloriam tendit.*

non

non tam Dei potentiam, quàm ſapientiæ, ac bonitatis diuinæ magnitudinem extollit.

II. Enimverò inter cætera Orbis mala, quæ olim in toto hominum genere graſſata ſunt, nullum vnquam aut pernicioſius, aut exitialius Adæ ſcelere extitiſſe, quo vniuerſa hominum natura collapſa præceps in æternæ damnationis barathrum corruit, nemo eſt, qui ignoret. Verumtamen quænam ex tanto, ac tam communi, funeſtóque omnium malo Dei ſapientia bona hauſerit, haud facilè enarrari poteſt. Inde enim Dei, & hominis coniunctio, ac hypoſtatica vnio, qua nihil inter Dei opera admirabilius, & Chriſti Paſſio, & Euangelij Fides, & Chriſtianæ Eccleſiæ origo; tot denique in humanum genus ex eo bonorum flumina exundarunt, vt illa exultantis Eccleſiæ vox meritò inter Paſchales cantus erumpat. *O fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Quamquam enim nulla per ſe culpa, aut fælix, aut bona eſſe poſſit, quæ malum ſibi coniunctum habet: nulli tamen dubitandum eſt, quin ea ratione, quæ ad Dei ſapientiam, ac bonitatem declarandam refertur, quæ ex ea tot bona iubet exurgere, ea boni quodammodo rationem induat, & fælix quadam ratione nuncupari queat,

*Ex Adæ peccato quænam bona emerſerint.*

III. Præterea quis immaniſſimas illas Neronis, Diocletiani, Maxentij, Maximini, Trajani, & cæterorum Romanorum Imperatorum perſecutiones, quæ in ipſo præſertim Eccleſiæ ſurgentis exordio maximè in Chriſtianos deſæuiebant, inter grauiſſima Eccleſiæ mala non recenſeat? quibus illa vndique afflictata natorum ſanguine penè obruta videbatur; ex iis tamen tot ineffabilis illa Dei ſapientia Martyrum coronas collegit, tot Fidei probationes hauſit, tótque ad Eccleſiam illuſtrandam bona, ac ornamenta tulit, quot pro Chriſto ceruices dare, ac vitam profundere primis illis Eccleſiæ temporibus viſi ſunt; tantam denique ex iis Eccleſiæ ſuæ gloriam, ac amplitudinem comparauit, vt Leo ille Magnus in diuinæ huius Sapientiæ commendationem non immeritò dixerit. ***Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur; dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.***

*Tyrannorum perſecutio Eccleſiam auxit.*

Leo Mag. ſer. 1. nat. Apoſt. Petr. & Paul. c. 6.

IV. His non minora fuêre Hæreſum mala, quæ olim Manichæi, Donatiſtæ, Nouatiani, Pelagiani, Ariani, Neſtoriani, atque alij huius farinæ Hæretici in Eccleſia excitarunt; quæ cùm ad Fidei Catholicæ exitium tenderent, nihil magis quàm Eccleſiæ interitum minabantur. Quos verò hæc Hæreſum vitia, diuina cùm primis ſapientia obſtetricante, Eccleſiæ Doctores, ac Patres, velut prælucentes faces, ac Fidei præcones pepererint, non ignoramus. Nam hinc Cyprianum, & Ambroſium, & Auguſtinum, & Hieronymum, & Hilarium, & Optatum, & Epiphanium, & vtrúmque Cyrillum, alióſque penè innumeros excitatos nouimus, tanto Catholicæ Fidei ardore, atque animi contentione aduersùs deuaſtantes hæreſes verbo, ac ſcripto dimicantes; vt Dei Eccleſia plurimùm ipſorum ſtudio, ac labore illuſtrata, atque aduersùs Hæreſum monſtra munita fuerit.

*Ob Hæreſes, Patres quàm plurimi excitati.*

V. Sed quid veterum exempla commemoro? Cùm deploranda illa Eccleſiæ tempora, quæ poſt duodecimum ſæculum Innocentium, & Honorium, horum nominum tertios, Romæ in B. Petri Cathedra ſedentes, Fridericum verò II. Romanæ Eccleſiæ perduellem, Imperij habenas moderantem conſpexerunt: tam magnis, ac extra omnem metam intumeſcentibus, ſcelerum, atque impietatum tempeſtatibus iactarentur, vt ſi Philippo Bergomenſi, ac cæteris illius tempeſtatis Scriptoribus credendum ſit, eò Clericorum, & improborum hominum licentia percrebuiſſet; vt ſpecioſa illa virtutum, ac Religionis facies vix in Dei Eccleſia dignoſceretur: quòd ex quorumdam Imperatorum præſertim temeritate accidiſſe certum eſt, qui omnem erga Eccleſiam, & Romanos Pontifices pietatem exuentes, tam diris odiis res Eccleſiæ proſequebantur, vt & Templa ſpoliarent, Cardinales in vincula conücerent, Eccleſiaſticos perſequerentur, ſchiſmata in Eccleſia concitarent, concitatiſque factionibus Italiam diſcinderent: ex quo tandem ea morum

*Mala poſt duodecimum ſæculum in Eccleſiam graſſantia.*

Philip. Berg. lib. 13. ſupple. ... an. 1217.

corru



corruptio Chriſtianum Orbem inuaſerat, vt nihil ſibi quiſque interdictum putaret, quod effrenis appetitus ſuaderet. Denique res eò calamitatis perducta erat, vt Dei Eccleſiam propè diem ad rudercs, & parietinas vſque ruituram Pontifex Innocentius, Deo in ſomnis oſtendente, expaueſceret. Quibus, vt nihil ad ſummam illius tempeſtatis calamitatem deeſſet, infames illæ cùm Vvaldenſium, tum Albigenſium hæreſes acceſsêre. quibus Chriſtiani Orbis ſtatus, qui iam ſub grauiſſimo facinorum pondere miſerè ingemiſcebat, nouis hiſce impiorum dogmatum turbinibus agitatus penè ad naufragium compellebatur.

VI. Quis amabò ex tanta malorum proluuie, præterquàm certum, & horrendum cæleſtis iræ cataclyſmum toti Orbi imminentem ſuſpicari potuiſſet? Verùm, quæ immenſa Dei pietas & ſapientia eſt, ex tam concitatis malorum fluctibus, clariſſima illa duo Eccleſiæ lumina, Dominicum ſcilicet, & Franciſcum, illuſtriſſimorum Ordinum Fundatores iubet emergere, qui vitiorum tenebris cæleſtium operum ſplendore depulſis, & Hæreſum monſtris vndique ſacra doctrina profligatis, labentem Eccleſiam erigerent, Deúmque hominibus placatum redderent. Ita rem Carolus Sigonius verbis illuſtrat. *Hæc tempora*, (inquit) *quæ tetris hominum flagitiis, diris populorum inimicitiis, ac nefandis hæreſibus propè fuerunt infamia, hoc vno bono Dei beneficio floruerunt viri aliquot, cùm doctrinæ magnitudine, tum vitæ integritate præſtantes, Dominicus Calaguritanus Oxomenſis diæceſis in Hiſpania; Franciſcus Ioannes ante conuerſionem ſuam dictus, Aſiſias in Italia, qui per hoc tempus inſigni aſperitate, rerum humanarum contemptu, & Verbi diuini prædicatione hominum in ſe ora, oculóſque vertere incæpere*, Beatus itaque Franciſcus; cùm iniquiſſimis hiſce Orbis temporibus à Deo excitatus Euangelicam Regulam diuino ſpiritu dictatam conſcripſiſſet: mox ad inſtaurandas hominum ruinas, Orbémque vniuerſum ſcelerum mole penè obrutum ſubleuandum Minorum prolem ſuſcitat; ac velut cæleſtia quædam caſtra aduersùs vitiorum monſtra paſſim graſſantia mouet, quorum verbo, prædicatione, ac præſertim illuſtriſſimis Apoſtolicæ vitæ exemplis, id tandem aſſequitur: vt hominum moribus ad meliora conuerſis, plurimíſque ad virtutum ſtudia confluentibus, Eccleſia ad præſtantiorem Chriſtianæ diſciplinæ formam rediret.

*S. Dominicus & S. Franciſcus ad Orbis remedium à Deo excitati.*

Car. Sigon. de reb. Ital

*S. Franciſcus Minorũ prolem ſuſcitat.*

VII. Veruntamen, quæ rerum præſertim excellentiſſimarum inconſtantia, ac viciſſitudo eſt; cùm Regularis huius Ordinis obſeruantia paulatim defluente, vitiorum zizania operariis ſomno ſopitis, iterum in Orbe excreſcerent; ne ea tandem totum Eccleſiæ agrum occuparent, nouos Deus Opt. Max. ac vigilantiores Regulæ cultores excitat, qui omni ſtudio rurſus Chriſtianam Religionem excolunt, vitiorum ſpinas euellunt, Eccleſiæ agrum expurgant, hominéſque ad virtutem propellunt. Hoc in numero Obſeruantiæ Patres cenſentur, qui ſub S. Bernardino, B. Ioanne à Capiſtrano, B. Iacobo Picēte, atque aliis illuſtrioris ſanctimoniæ viris à Deo ad Ordinis labentis reformationem vocati, cum eo ſimul & Chriſtianum Orbem ad virtutes renouarunt. Neque enim quis ignorare poteſt, quos ſanctus Bernardinus Senenſis, quos B. Ioannes à Capiſtrano, quos B. Iacobus à Marchia; atque alij præſtantiſſimi viri, qui iis ſucceſsêre, ad vitia ab Orbe propulſanda, Eccleſiámque à ſceleribus purgandam, illuſtrandam, propagandam labores contulerint; quótque verbo, ſcripto, exemplo, Chriſto lucrifecerint.

*Prima Ordinis Reformatio ſub Patribus Obſeruãtiæ quò diuino conſilio tenderet.*

VIII. Verùm enimuerò, ſi quis Eccleſiæ faciem poſt decimumquintum ſæculum tanta vitiorum colluuie iterum fœdatam, atque immanibus facinoribus turpem contemplatus fuerit, vt in poſtremo Lateranenſi Concilio, quod ſub Iulio II. & Leone X. non longè ante hunc annum abſolutum fuit, palàm ab Ægidio Viterbienſi Auguſtiniani Ordinis Generali in hæc verba declamatum fuerit. *Vidimus Chriſtum in nauicula obdormientem, vidimus ventorum rabiem, Hæreticorum furorem in candida veritatis vela irruentem: Vidimus malas cupiditates, diram auri, atque habendi ſitim: Vidimus perditam malorum audaciam aduersùs iura, auctoritatem, maieſtatem Eccleſiæ ſæuientem. Vidimus (inquam) vim, rapinas, adulteria, inceſtus; omnem denique ſcelerum peſtem.*

*Orbis ſtatus poſt decimumquintum ſæculum deplorandus.*

Concil. Lat. ſub Iul. 2. ante ſeſſion. 1.

*ſtem.*

*ſtem, ita ſacra profanáque miſcere omnia, ita in ſanctam nauiculam impetum facere; vt penè ſcelerum fluctibus illa latus dederit, ac propè merſa, & peſſumdata ſit.* Cui, & alterum Sipontinum Archiepiſcopum addere lubet, haud minùs acriter corruptos eorum temporum mores apud eiuſdem Concilij Patres Oratione inſectantem his verbis. *Quòd ſi (vt nonnulli prædicant) finxêre quondam Poëtæ poſt Saturni tempora cùm ſenſiſſent iuſtitiam à rebus humanis abeſſe, offenſam vitiis hominum receſſiſſe à terra, in Cælúmque migraſſe, & ad Iouis Regnum ſe contuliſſe. Bone Deus, quas nugas, quas fabellas, excogitaturos eos fuiſſe arbitramur, ſi noſtrorum temporum ſcelera, ſi flagitia, ſi facinora, ſi abiectum Chriſtianæ Religionis cultum, ſi veſanam dominandi libidinem, ſi nefandam rapiendi licentiam: ſi inauditam in iis impietatem, ſæuitiam, ambitionem, quos pietatis, charitatis, integritatíſque exempla eſſe oportebat, conſpicarentur?* Cui non id maximè horrendum, nedum deplorandum videri debeat?

*Seſſ. 5.*

IX. Graſſabantur eo tempore in toto ferè terrarum Orbe inſani bellorum tumultus: Italiam præſertim Galli, & Cæſariani, dum mutuis ſeipſos armis diſcerpunt, miſerè deuaſtant. Verùm, dum inter Chriſtianos Reges cruenta bella deſæuiunt, hac eadem tempeſtate in Germania, Thomas Munzerus incredibilem propè Ruſticorum turbam, quæ ad centum ſuprà quinquaginta millium hominum numerum excreuerat, ad ſeditiones aduersùs Clerum, Principes, ac Magiſtratus concitat, qui ſacras ædes, ac templa vaſtant, monaſteria diruunt, monachos trucidant, ſacra peſſumdant, atque omnis generis flagitia patrare non verentur.

*Ruſticorum bellū in Germania exortum.*

X. Porrò in tanto Germaniæ luctu, tantáque rerum Italicarum perturbatione: Solymanus Turca rerum opportunitatem nactus, Belgrado Vrbe, Vngariæ propugnaculo, biennio ante expugnata, hoc anno, (vt notat Genebrardus) tranſmiſſo in Rhodum exercitu, Inſula poſt ſeptimum obſidionis menſem potitur: atque ita quæ antiqua Equitum Hieroſolymitanorum ſedes fuerat, dum Chriſtianorum Principum inter ſe digladiantium fruſtra auxilia præſtolatur; in Turcarum tandem poteſtatem venit. Denique ita res Chriſtianorum hac tempeſtate ſe habebant, vt cædibus, ac rapinis omnia plena eſſent: tantáque proteruorum hominum inſolentia percrebuiſſet, vt apud Italos, Gallos, Germanos, cuncta quotidianis cladibus, bonorum expoliationibus, direptionibus, deprædationibus, ſanguine redundarent.

Genebr. in Chron. huius anni.

*Rhodus a Solymano Turca expugnatur.*

XI. At neque his infœliciſſima hæc Orbis tempeſtas, tot malis contenta fuit: peiora namque ac grauiora hæreſum inuaſione acceſsêre. Tam enim nouarum hæreſum ferax hæc hominum ætas fuit, tótque hæreticorum monſtra, velut effractis aſpidum ouis Orbi peperit; vt vniuerſa tunc hæreſum colluuies ab Inferis euocata videretur. Vix enim vnam Chriſtiani Orbis partem offendas, quæ circa hæc tempora, aut ſuum nouorum dogmatum Parentem non protulerit, aut peſtifera hac hæreſum tabe contaminari non cœperit.

XII. Prima omnium Germania Martinum Lutherum Saxonem ex Incubo natum (vt ferunt) anno 1517. vel vt alij volunt 1520. Hæreſum Auctorem prodidit, qui cumprimùm Vvitembergæ Catholicam Religionem proſcribere, ac oppugnare cœpit: mox ex eo tot hæreſum ſectæ ebullire, ac velut ex equo Troiano Hæreticorum turmæ prodire viſæ ſunt; vt totam ferè Germaniam, ac finitimas regiones mala ſobole repleuerint. Poſt hunc & Andream Carolſtadium priùs Lutheri Achatem, dein iuratum hoſtem; & Zuuinglium, à quo Zuuinglianorum ſecta; & Philippum Melanchtonem, à quo Energiſtæ, ac Lutherani molles, & Flaccum Illiricum, à quo Lutherani rigidi, & Ioannem Oecolompadium, & Oſiandrum, & Anabaptiſtas, & Libertinos, & Vveſtphaliſtas, & Pacimontanos, & pleróſque alios vipereos partus, ad ſui, & Eccleſiæ exitium fudit, à quibus antiqua Germaniæ Fides labefactata, ac multis in locis funditùs deleta fuit.

Cochl. de act. Lutheri.

*Hæreſum colluuies apud Germanos ab Inferis excitatæ.*

XIII. Gallia quoque ſuum non longè poſt è latebris colubrum eduxit, Ioannem

Caluinum



Caluinum Patria Nouiodunenſem, qui ob vitæ improbitatem, ac nefanda ſcelera lilio inuſtus, patria pulſus, atque in exilium actus, vix Geneuenſem Eccleſiam, Farello inde exturbato, apud Allobroges occupauit: cùm protinùs tot hæreſum venena, quæ tum à Luthero, tum à Zuuinglio hauſta, ſibi velut peculiaria parauerat, cœpit diffundere; vt non modò Gallia, ſed & Germania, & Britannia, & Scotia, & Hibernia, ac pleræque aliæ Orbis Regiones ea peſte computruerint. Ex eo denique, tanquam à venenato Parente, virulenta deinde Richerianorum apud Gallos, Puritanorum, & Proteſtantium apud Anglos progenies diſſeminata fuit.

*Caluinus Galliam, aliáſq; nonnullas Orbis Regiones ſua tabe inficit.*

XIV. Per id tempus Hiſpania ſuum quoque monſtrum paſſa eſt, Michaëlem Seruetum: à quo Seruetianorum lues propagata, adeò Caluini faſciculis conflagrari non potuit, quin plurima loca ſua hæreſum tabe infecerit. Neque his Hæreſiarcharum portentis Italia hac tempeſtate libera fuit, quæ & Petrum Vermillium, & Valentinum Gentilem, à quo Valentiniſtæ: & Franciſcum Stankarum, vnde Stankariani originem duxêre, in Orbis perniciem fudit; quamquam neque Hiſpaniæ, neque Italiæ Regio horum venenis hoc tempore imbuta fuerit.

XV. Denique, vt his finem imponam. Si Polonos adeas, Ioannem à Laſco, Alaſcorum progenitorem offendas: Si Belgas Iacobum Præpoſiti, & Georgium Dauid; ſi Allobroges, Petrum Viretum nouos hæreſum diſſeminatores obuios habeas, à quibus antiqua Eccleſiæ Fides noua quadam Reformationis ſpecie deformata fuit.

*Varia Hæreticorum Monſtra ſub hoc tempus exorta.*

XVI. Quanquã verò hi Nouatorũ, & hæreſum duces, quos hactenus receſui, neq; ſimul, neq; hoc eodẽ anno cuncti ſua venena propinauerint; ſed ex his alij præceſſerint, alij hoc anno poſteriores fuerint: cùm tamen id ex omnium Hiſtoriographorũ conſenſu certum ſit vniuerſos, non longè ab hoc anno in Orbẽ emerſiſſe, ac ſuos errores euomuiſſe; id nobis ad extremas horum temporum miſerias declarandas ſatis ſupérque eſſe debet. Quapropter, quæ ex varijs, ac propè innumeris malis, ac calamitatibus, quæ hac tempeſtate Chriſtianũ Orbẽ diuexarunt, hîc magis indicare, quàm explicare volui, eò tendunt; vt miſerrimo, ac propè deſperato rerum omnium ſtatu Eccleſiam hoc tempore laboraſſe omnibus perſpectum ſit.

XVII. Iam verò, quis infœliciſſima hæc Orbis tempora tot malis agitata, vel ad ſupremũ rerũ diẽ, ac interitũ parari; vel ſaltẽ ad maiora, ac grauiora mala rapi non exiſtimaret? Porrò hîc ineffabilis illa Dei ſapientia maximè [illegible]nda, atq; admirãda eſt, quæ cùm tot in Eccleſiam mala exundare per[illegible]eret, [illegible] Petri Nauicula, penè eorũ fluctibus obruta eſſe videretur: eò ſ[illegible]are videbatur, vt celeriùs, atq; vberiùs illi opem & auxilium [illegible]am; vt Chryſoſt. ait: *Hoc Deus ſemper facit, vt quãdo vrgẽtia mala expulſurus ſit, tunc grauiora, & terribilia inducat.* Quamobrem eo factum eſt, vt cùm rebus penè deſperatis mederi, extremáq; Orbis mala amplioribus bonis delere ſtatuiſſet, nouam Capucinorum Reformationem in Eccleſia excitauerit, qua & vitiorum mõſtra à Chriſtiano Orbe expelleret, & antiquam Eccleſiæ faciem, ampliori bonorum vſura reſtitueret.

Chryſoſt. hom. 51. in c. 14. Matth. ad initium.

*Capucinorũ Reformatio quorſum à Deo excitata.*

XVIII. Haud facilè quis enarrare queat, quã ingentes ad pietatẽ motus, noua hæc Reformatio, repentè in Orbe cõcitauerit; quamque ardentes ad omnia virtutũ genera flãmas, nedũ igniculos, in omniũ animis accenderit. Vix enim exorta, tã præclara, & admirabili vitæ ratione, tantáq; cæleſtiũ virtutum luce coruſcare viſa eſt, vt mox omnia vitiorũ monſtra perſequi, debellare, confodere; homines ab auaritiæ ſtudio, à carnis cupiditatibus, atq; à cæteris ſceleribus reuocare, vniuerſos ad virtutũ ſtudia propellere, cũctos ad pœnitentiã prouocare; tanta vi, tantáq; Dei virtute cœperit: vt pleriq; diuini amoris flãmas ex illius aſpectu concipiẽtes, ab eo tẽpore bellũ vitiis indicere, plures efficacioribus vitę exẽplis cõmoti, delicias fugere, atq; animũ ad virtutẽ trãsferre: plurimi ad mundanarũ rerũ contẽptũ animari: innumeri per calcatas opes, ac parentes ad Crucis vexillum, ad Monaſteria, ad ſolitudines pergere feſtinauerint.

XIX. Deniq; nouæ hui[9] Reformationis alumnos tã ſtrenuè aduersùs hæreſũ hydras dimicãtes, ac cæleſtis veritatis gladio nouos errores obtrũcantes, verã vbiq; Religionẽ



diſſe

diſſeminantes, Catholicam Fidem verbo, ſcripto, ſanguine propugnantes; demùm pro Eccleſia ad extremum vſque ſpiritum decertantes, tam prior illa, quàm poſterior hæc Orbis ætas conſpexit. Vt Iacobus Gualterus, vir cùm primis de Catholica Fide benemeritus in ſua Tabula Chronographica de iis ita ſcripſerit. *Ordo RR. PP. Capucinorum ſub Regula S. Franciſci in magnum Eccleſiæ bonũ inchoatur anno 1525. vt aiũt Florimundus Raymundius, lib. 7. de orig. hæreſ. c. 5. & R.P. Paulus Moriggia Mediolanenſis in libro, quem ſcripſit de origine omnium Religionum, c. 43. vt ex eo referunt tum idem Florimũdus, tum R.M. Ioſephus Zarlinus Clugienſis, in Tract. de origine PP. Capucinorum: vel certè, aliquot antè annis, vt copioſè diſputat idem Zarlinus, ibid. Inchoatur, inquam, vt murus admodum opportunus pro domo Dei aduersùs inſurgentes per id temporis Anabaptiſtas, Carolſtadianos, Oecolampadianos, Libertinos, Zuuinglianos, Dauid Georgianos, alióſque coæuos Antichriſti prodromos, & Eccleſiæ turbatores.*

Iacob. Gual. Tab. Chron. ab an. 1500. vſq; ad ann. 1600.

*Capucinorũ Religio, murus pro Domo Dei, aduerſus Hæreſes aſſeritur.*

XX. Hæc quandoquidem ita omnibus perſpicua ſunt, qui huius Ordinis geſta non ignorant, vt abſque diuini honoris, ad quem amplificandum potiſſimùm ſpectant, damno, & iactura ſilẽtio præteriri non poſſint; leuiter attingere viſũ fuit, præſertim cùm teſte Archangelo apud Tobiam: Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum ſit. Quanquam verò nulla Religio ea gloria, quam à Deo Opt. Max. ſibi adepta eſt, nulla ratione expoliari debeat: eaque Hiſtoriographo lex ſancita ſit, vt quæ vera, ac rerum experimento, vel diuturno tempore ſunt probata, quæque dicenda ſunt, tacere non debeat; ſed velut à rerum veritate mutuata tranſcribat: ne tamen quiſquam Philautiæ vitio, aut animi immoderationi adſcribat; quod in veram ac ſolidam Religionis commendationem interdum dici contingit; à quamplurimis mihi abſtinendum ſtatui, quæ tametſi vera ſint; earum tamen narratione, quandoquidem nonnullis typhus potiùs oſtentari, quàm veritas candidè indicari videatur, ea Dei potiùs, quàm hominum oculis ſubiici ſatiùs fore exiſtimaui.

Tob. 12.

XX. Hinc igitur, vt ad inſtitutum redeam, non modò diuinæ bonitatis, & potentiæ opus nobis contemplandum ſe offert, quo ſuprema hominum mala, ac damna ampliſſima nonnumquã bonorum vſura reſarciuntur: verùm & admirabilis Dei erga Eccleſiam prouidentia elucet; qui iniquiſſimis præſertim temporibus, quò ea maioribus impietatum, ac hæreſum tempeſtatibus iactatur, eò fortiora illi præſidia parat, quibus aduersùs irruẽtes procellas ſtabilis, ac firma permanere queat. Planè nulli dubium eſt, quin Deus Eccleſiam adeò tranquillam, ac velut in portu quieſcentem conſtituere valeret, vt nullis prorſus malorum fluctibus quateretur; At vndenam tã perſpicua erga illã Dei prouidẽtia erumperet, niſi eam malis interdum afflictari permitteret? Hinc Chryſoſt. *Iactatur quidem nauis* (inquit) *ſed non mergitur. Poterat quidem & in tranquillo nauigare: verùm non paſſus eſt Gubernator, quò ſimul, & nauigantium perſpicias tolerantiam, & Gubernatoris prudentiam pleniùs agnoſcas.*

*Admirabilis Dei erga Eccleſiam prouidentia.*

Chryſoſt. hom. 4. in illud Iſa. Factum eſt an.

XXII. Id quidem, cùm in priori illa exorientis Ordinis ætate perſpectum fuerit, cùm ad Eccleſiam olim aduersùs hæreſum, ac ſcelerum tempeſtates, tuendã, ac ſartãtectam ſeruandam, Deique iram ab hominibus propulſandam, Franciſcum adhuc viuentẽ Dei prouidentia excitauit, vt Minorum Ordinem inſtitueret: planè dubitandum nõ eſt, quin hac quoque tempeſtate nouis, ac fortè atrocioribus perditorum hominum, & Hæreticorum procellis in Dei Eccleſiam irruentibus, ipſa Dei prouidentia Franciſcum iam in cælo regnantem iterum impulerit: vt qui ſemel Eccleſiæ reparandæ munus à Deo acceperat, noua Ordinis ſui Reformatione iterum dilabentem Eccleſiam inſtauraret; rurſúſq; illud ſibi à Deo imperatum audiret: *Vade Franciſce, repara domum meam, quæ labitur.* quod per nouæ Reformationis alumnos præſtaret.

XXIII. Verùm neque mihi fruſtra perſuadeo, nouam hanc Reformationem, ad extinguendas diuini furoris flammas, Deo auctore, à B. Franciſco potiſſimùm excitatam fuiſſe. Perſpicua enim illa Chriſti vox eſt, qua ſemel viuentẽ adhuc Franciſcũ ac pro Chriſtiano populo orantem ita affatus eſt: *Franciſce, ſi optas, vt flagella mea à Chriſtiano Populo auertã: ſatage, vt Ordo tuus, in ea Regulæ obſeruãtia permaneat, in qua fundat9 fuit, vt*

*Capucinorũ Reformatio ad Dei iram extinguendã inſtituta.*

Chron. Frat. Min par. 1. l. 2. c. 27.





*in ea viros reperiã, qui corã me ſtare valeant, quorũ faciem placatus ſuſcipiam. Inde enim fiet, vt propter te, & Ordinem tuum facilè populo meo flagella ignoſcam.* Hinc enim non obſcurè agnoſci poteſt, quodnam fuerit Dei, in hac noua Reformatione condenda conſilium. Neque enim alia ratione Deus collabentem Minorum Ordinem noua hac Reformatione erexiſſe creditur, quàm; vt vnde Orbi parceret, haberet, & duriſſima illa, quæ ob immania hominum flagitia, Mundo ſupplicia parauerat, reformatæ Religionis natiuitate reuocaret.

XXIIII. In quo ſanè admirabilem inter primam illam Ordinis inſtitutionem, ac poſtremam hanc eiuſdem Reformationem rerum concordiam lubet expendere, quæ profectò tam ſingularis, atque admiranda perſpicitur; vt cùm vniuerſa, quæ olim in Ordinis conſtitutione, Deo reuelante, præceſſerunt, hîc ad amuſſim perfecta cernantur; non Reformatio, ſed noua potiùs Ordinis Repetitio eſſe videatur.

*Admirabilis inter Capucinorum Reformationem & primam Ordinis Inſtitutionem Concordia aperitur.*

XXV. Neque enim quiſquam ignorare poteſt, (quod ex priſcis Ordinis monumentis exploratum eſt) vt, quò Minorum Ordinis Inſtitutio ſpectaret, hominibus aliquando innoteſceret; ante ipſum Ordinis exordium, Ieſùm Chriſtum Dei Filium ob intoleranda hominum ſcelera, eo furore percitum, viſum fuiſſe: vt tribus telis vniuerſum humanum genus iam iam confodere, ac perdere pararet: miſeram quoque illam Orbis ætatem tot vndique vitiis refertam, vt nihil præterquam extremam à Domino cladem expectaret, ſola tunc B. Virginis ſupplicatione in Dei clementiam reſpiraſſe. Denique Sanctiſſimam Deiparam, quò faciliùs Filij iram in homines concitatam placaret, tanquam humani generis Patronam, poſt pectus, & vbera Filio demõſtrata, non alios, præterquam Dominicum, & Franciſcum obtuliſſe, quorum ope, & opera homines à vitiis reſipiſcerent, ac in meliorem frugem conuerterentur; ab antiquis rerum ſacrarum Scriptoribus traditum eſſe certum eſt, quod certa olim viſione B. Dominico declaratum fuiſſe, inter alios narrat Humbertus Dominicanus his verbis: *Cùm eſſet Romæ B. Dominicus, & pro Ordinis confirmatione apud Papam inſtaret: quadam nocte orans more ſolito, vidit in viſione, vt ſibi videbatur, Dominum Ieſum ſtantem in aëre, & tres lanceas contra Mundum vibrantem. Cui ad genua procidens Virgo Maria, rogabat vt Miſericors iis, quos redemerat, fieret, & iuſtitiam Miſericordia temperaret. Ad quam Filius aiebat: Nonne vides, quantæ iniuriæ mihi inferuntur; iuſtitia mea, mala tanta non patitur impunita. Tunc dixit Mater ei; Sicut tu ſcis, qui omnia noſti, hæc eſt via, per quam eos ad te reduces. Habeo vnum ſeruum fidelem, quem mittes in Mundum, vt verba tua annunciet, & conuertentur, & quærent te omnium Saluatorem. Alium etiam ſeruum meum ei dabo in adiutorem, qui ſimiliter operetur. Tunc Filius inquit Matri: Ecce placatus ſuſcepi faciem tuam: verũ oſtende mihi, quos vis ad tantum officium deſtinare? Tunc Domina Mater, B. Dominicum offerebat Domino Ieſu Chriſto. Cui Dominus: Benè, & ſtudioſè faciet quod dixiſti. Obtulit & B. Franciſcum, & hunc ſimiliter Saluator commendauit.*

Humb. l. 1 de vir. Fr. c. 1.

XXVI. Iam verò, ſi ad huius Capucinorum Reformationis initia animum intendimus, haud incerta fide probatum eſt, quam ex antiquis, ac probatiſſimis Religionis huiuſce monumentis, tametſi imperfectis hauſimus. In quodam Calabriæ oppido, cuius nomen vetuſtate obliteratum, integrum haberi non potuit, paulò ante conditam Reformationem, Sanctimonialium Abbatiſſam, & illuſtrem quendam Virum, vtroſque ætate prouectos, ac virtute præclaros, ſpirituali quadam neceſſitudine inter ſe, ita coniunctos fuiſſe, vt ſæpè inter ſe de rebus Cæleſtibus, ac ſpirituali virtutum profectu colloqui ſolerent; Porrò accidit aliquando, vt intempeſta nocte orantes, vterque in profundam mentis exſtaſim raptus, eadem prorſus cæleſti viſione Capucinorum Reformationẽ futurã acceperit. Videbant altiſſimũ Dei Filiũ graui in homines ira percitũ, ac vultu formidabilẽ, tã atrocia Orbi, ob intolerãda ipſius crimina ſupplicia minantẽ, vt vna clade Orbẽ totũ proſternere velle videretur. Cui Virgo Mater, haud inſueta illi pietate occurrẽs, atq; in genua procũbẽs, Filiũ iteratis precib9 rogabat, vt irã in homines cõceptã, Miſericordia leniret. At obſiſtẽte Filio, & Matri horrẽda Orbis facinora, atq; à peccatoribus illata ſibi vulnera obiectãte,

*Viſio B. Virginis, ex cuius ſinu Capucinorum Religio prodit, enarratur.*

ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. ANTE REFORM. COND.
1524. 1. 6. 0.

pia Mater pollicetur,ſe bonos,aliquot ſeruos ſuos,in Orbe miſſurã, qui homines à vitiis deterreãt,& collapſam in Orbe pietatem reſtituant. Percunctante verò Filio, quinam ij homines eſſent, ad hoc officium delecti: ſtatim Mater explicato pallio, quo obtecta videbatur,nouam Capucinorum Reformationem, inde emergentem, Filio oſtendit:cuius aſpectu Dei Filius placatus,iram compeſcuit,ac parata flagella, ne in Orbem deſæuirent, cohibuit.

Stupet vterq; eo viſu diuinitùs accepto;vixq; die illuceſcente,Vir ille, qui id cum Abbatiſſa diuinitùs actum eſſet,ignorans,ſtatim ad Monaſteriũ aduolat, vt cum ea tam admirandæ viſionis myſteriũ conferat. Abbatiſſa verò,cùm eodem,quo ille ſtudio teneretur,vix virũ prima viſus myſteria referentẽ audit:cùm inchoatum ſermonem intercipiens,eadẽ quoq; per viſum ſibi innotuiſſe,aperit. Stupent illi, ac cœptũ ſępè viciſſim alter alterius ſermonẽ intercidentes,viſúmq;velut per fruſta narrãtes, tandem animaduertunt, eadem prorſus vtríſque manifeſtata fuiſſe. Quare diuinæ mentis conſilium altè admirantes,rei euentum ſuſpenſi expectabant: at verò, cùm poſt aliquot annos Capucinorum Reformatio in Orbe apparuiſſet;tum anno 1532. ad Calabros penetraſſet,cæleſte conſilium luculentiùs perceperunt,cùm diuina viſionis myſteria in his expleta, conſpexêre. XXVII.

Quod verò magis admiratione dignum fuit: Ex his, qui è Virginis Matris pallio viſi ſunt emergere,aliquorum effigies tam profundè vtriuſque animis inſculpta fuit:vt cùm primùm Capucinorum Reformatio, quæ viſum non longè ſecuta eſt,in Calabria exoriri cœpit; eorum vultum contemplantes, illos eſſe agnoſcerent,quos è Virginis pallio paucos ante annos prodire, in viſu perſpexerunt. Quamobrem in diuinas tunc ſeſe laudes pleniùs effundere cœperũt,cùm nouũ huius Reformationis ſemen breuiſſimo tẽporis interuallo per Orbẽ diffuſum; velut Operariorũ gregẽ in Domini Vineã miſſũ, indefeſsè iuxta Virginis promiſſionẽ in Eccleſia laborare,viciorũ ſpinas euellere,malarũ cupiditatũ vepres effodere,luxuriantis appetitus palmites amputare, pœnitentiæ vomere impiorum animos proſcindere, diuini Verbi ſemine grauidare,ad Cæleſte vitæ germen compellere,optimis denique vitæ exemplis Dominicum agrum excolere perſpexerunt. XXVIII.

*Capucini, velut Operarij in Domini Vinea laborant.*

His accedat, quòd ſi prima Minorum Ordinis inſtitutio, antequam ea Orbi illuceſceret,non obſcurè à nonnullis prænunciata fuit, quorum teſtimonia R. P. Lucas Vvaddingus,Auctor Annalium Fratrum Minorum in ſuo Apparatu,primùm ex Sybilla Erythræa,tum ex Zachariæ Vaticinio,tum etiã ex Ioannis Apocalypſi,demùm ex aliquibus Ioachimi Abbatis dictis in Concordia vtriuſque Teſtamenti, ac priſcis Iconibus in æde Veneta D. Marci depictis colligit,quæ apud ipſum accuratè exarata legi poſſunt. Haud ſanè Capucinorum Reformatio diuino hoc teſtimonio vacat, quo velut prænuncio futurus ipſius in Orbem aduentus prædicaretur. XXIX.

*Annal. Frat. M.n. in Appar.*

Primum huius rei teſtimonium ex celeberrimo quodam B.Bernardi à Quintaualle,qui B.Franciſci primus quondam ſocius fuit; Vaticinio ſeſe admirandum offert: quo ſanctus hic Vir diuino Spiritu afflatus,futuros Ordinis Seraphici ſtatus,ac mutationes olim mente anteuertit: Vaticinium porrò apud B.Angelum à Clareno,lib. de ſeptem tribulationibus, legitur his verbis exaratum. XXX.

*B. Ang. à Clar.lib. de ſept.Trib.c. 34.*

*Hic Minorum Ordo vſque ad ſeptimum gradum paulatim in peius ruet, ac in deteriora dilabetur.Cùm verò ad hunc ſtatum peruenerit:in eo Ordinis Reformatio fiet ſecundùm ſpiritum Fundatoris,per Fratres adeò ſimplices & idiotas, vt à quo ea facta fuerit, penitùs ignoretur. Tum verò poſt diſperſionem erit Congregatio Fratrum pauperum in tertio loco,in eiſque apparebit ſignum veræ Reformationis,certitudinémq; accipient eorum,quæ acturi erunt.* Hactenus Vaticinij verba, quæ ſi grauiter ac diligenter expendantur,planè huic Capucinorũ Reformationi,tam perfectè,atque ex omni parte quadrant:vt nullatenus dubitandum eſſe videatur,quin de ea ſingillatim dicta fuerint. Verùm vt ea clariùs ab omnibus intelligi queant, paulò fuſiùs explicanda erunt. XXXI.

*Capucinorũ Reformatio ſortè ante ...*

... que, vt varios in primis gradibus illos, ac mutationes prætercam, quod eſt primum XXXII.



ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. ANTE REFORM. COND.
1524. 1. 6. 0,

mum Vaticinij caput, quæ à prima Ordinis natiuitate per temporum,ac rerum periodos in eo acciderunt, de quibus nimis durum, ac moleſtum eſſet diſſerere: ad ſecundam Vaticinij partem accedo, in qua aſſeritur. In poſtremo rerum Ordinis ſtatu Reformationem ſecundùm ſpiritum Fundatoris fieri debere. Nemo ſpiritum Fundatoris, B. Franciſci ſpiritum eſſe ignorat; in quo hæc tandem Reformatio fieri debet. Quis verò B. Franciſci ſpiritum, quo Minorum Ordo olim ab eo conditus, ac fundatus fuit; Euangelicum Paupertatis ſpiritum eſſe non ſentiat? Cùm hanc vnam tam ſæpè, ac tanta verborum vi, & inculcatione B.Fundator filiis commendare ſolitus fuerit: vt in ea totius Ordinis vitam, & incolumitatem conſtitueret: quod ipſi quoque Pontifices, ac Regulæ expoſitores non obſcurè tradunt, cùm Minorum Religionem in altiſſima Paupertate fundatam affirmant. Quod cùm ita ſit, planè perſpicuum eſt, cùm Reformatio ſecundùm ſpiritum Fundatoris futura prædicatur,eam in altiſſima B.Franciſci paupertate,quã ipſe,& viuens coluit, ac Minoribus,lege inuiolabili colendam præſcripſit, procul dubio collocandã fore.

*B. Bernardi à Quintaualle Vaticinium explicatur.*

XXXII. Iam verò, ſi quis vniuerſas Ordinis Minorum Reformationes, quæ hactenus emerſerunt, altè animo reuoluat: certè nullam reperiat, quæ altiſſimam B. Franciſci paupertatem tam ardenter, tamque tenaciter, quàm poſtrema hæc Capucinorum Reformatio, complexa fuerit: quæ euſque in anguſta ſacrarum Ædium; ac domorum ædificatione; in Eccleſiaſticæ,ac domeſticæ ſupellectilis tenuitate, ac ſimplicitate: in rudi, ac viliſſimo veſtium cultu; in omnis pecuniæ, ac humanæ rerum prouiſionis contemptu: demum in arcto rerum omnium vſu,Fundatoris ſpiritum æmulata fuit; vt ea dumtaxat viuere, vigere, ſubſiſtere videatur: ita vt ad priorem Ordinis paupertatem non tam accedat, quàm eam fortè excedat. Quo fit, vt ſi de altiſſimæ paupertatis cultu propoſita Vaticinij verba intelligenda ſint, nulli dubium eſſe poſſit, quin ea ad Capucinorum Reformationem referenda ſint. Quòd ſi de perfecta totius Regulæ Obſeruantia, ad quam Fundatoris ſpiritus ſe extendit, ea quis explicare malit; id ſanè haud malè accipio: neque enim, qui varias poſt conditæ Religionis tempora Reformationes, in Ordine inſtitutas, diligentiùs euoluunt; puriorem, aut ſecundùm B. Franciſci ſpiritum,perfectiorem vnquam Regulæ Obſeruantiam, quoad ſingula eius capita (quod abſque cuiuſquam iniuria dictum ſit) hac, quæ apud Capucinorum Reformationem viget, extitiſſe fatentur: ex quo adamuſſim illam iuxta Fundatoris ſpiritum conditam intelligimus. Sed quoniam hæc ad Reformationis commendationem pertinent, quibus haud lubenter immoror: His prætermiſſis ad tertium Vaticinij caput venio: quo poſtrema hæc Reformatio à viris ſimplicibus,ac idiotis ita auſpicanda eſſe prænunciatur;vt tamen,quis illius Auctor fuerit,ignoretur. Certè qui Capucinorũ ortũ,ac primordia animo repetit: hæc tam apertè de hac Reformatione dicta perſpiciet, vt vix cuiquã alteri Ordinis Reformationi, quæ antea præceſſerit,accõmodari valeãt. ſed quoniã de his in Appar.iã antea fusè diſſeruimus,eò redeat Lector,vt ex his,quę ibi dicta ſũt,Capucinor.Reformationẽ his verbis indicari,haud ęgrè ſibi perſuadeat.

*Capucinorũ Reformatio ſecundũ ſpiritum Fundatoris condita.*

*Capucinorũ Reformatio à viris ſimplicibus exorſa.*

XXXIII Quartũ verò Caput illud eſt,cùm poſt diſperſionem,Congregatio Fratrũ in tertio loco futura prædicitur. At quandoquidem hæc verba longã hiſtoriæ ſeriẽ expoſcunt,quam in anno 1527.& 1528:& 1529.Deo benè adiuuãte fuſiùs exarabimus: hîc tantũ indicare ſufficiat: Anno 1527.& 1528.nouã hanc, & vix exortã Reformationẽ,tã diris perſecutionũ,ac calamitatũ tẽpeſtatibus iactatã fuiſſe:vt qui iam ei nomina dederant,eo tẽpore per nemora,ac montiũ deuia diſperſi,latebras,& cauernas quærerẽt,quo ſe ex fuga reciperẽt. At ſedata per Pontif.Bullã tẽpeſtate, tandẽ puſillus ille Reformationis grex in Aluacinæ Conuẽtu,qui tertius poſt Camerini,& Mõtis Melonis Conuentum illi locus, ac Monaſterium fuit, anno 1529. congregatus primũ ibi Generale Capitulum celebrauit,Matthæum à Baſſo Generalem elegit, ac Conſtitutiones ſanxit,quibus deinceps humilis illa Congregatio regeretur.

Porrò in eo Capitulo, poſteriora Vaticinij verba impleta fuiſſe res ipſa

declarauit. Etenim luce è Cælo in eam Fratrum Congregationem, quæ Aluacinæ in Domino collecta erat, repentè delapſa, quæ ſignum veræ, perfectæ, ac ſecundùm Fundatoris ſpiritum inſtitutæ Reformationis oſtenderet; tantum inde cæleſtis luminis, ac virtutis cunctis infuſum eſt; vt quæ ad perfectum Reformationis ſtatum, ac Regulæ obſeruationem neceſſaria eſſent, illis cæleſti dono perſpicua fierent; tantáque ex alto virtute induti fuerint, vt nullas deinceps perſecutiones, aut hominum iniurias metuerent; quemadmodum ſuo loco vberiùs exarandum erit.

*B. Franciſci Politiani de Capucinorum Reformatione Vaticinium.*

Rodulphus Toſſin. Hiſt. Seraph. Rel. l. 2. fol. 154.

XXXVI. Hoc itaque teſtimonio explicato, aliud quoque Franciſci Politiani Vaticinium nobis perpendendum ſe exhibet, à quo futura Capucinorum Reformatio, velut cæleſti præconio illuſtrata, à Deo teſtimonium ſibi vendicat. Floruit hic Franciſcus, quarto, & quintodecimo ſæculo. Vir inter Patres, qui Minores Conuentuales nuncupantur, illuſtris, ac ſanctimonia clarus, nec non Prophetiæ Spiritu inſignis: quem propterea Rodulphus Toſſinianenſis inter illuſtriores familiæ columnas recenſet; qui tandem vita in præclaris virtutibus tranſacta, è viuis ad ſuperos eſt tranſlatus, anno 1513. ante Reformationem conditam, duodecimo.

*B. P. Franciſcus in Capucinorum Reformatione rediuiuus prædicatur.*

XXXVII. Hic igitur aliquando iter faciens, cùm Aſſiſium Vmbriæ Vrbem perueniſſet, die quadam in platea, ob ingentem populorum affluentium copiam, Dei verbum miniſtrans, his inter concionandum verbis ſæpiùs vſus fuit. Audi, Ciuitas mea, audi Vrbs, magni Patris mei Franciſci Natalis: mira, ſed vera refero: iam non multum temporis dilabetur, cùm nouum, ac reſurgentem, B. Franciſcum oculis tuis perſpicies: reſurgentem, inquam, non corpore, ſed habitu, ac ſpiritu: tum ad pueros quoſdam, qui adſtabant, conuerſus: Vos (inquit) ô pueri, vos B. Franciſcum rediuiuum videbitis: Iam enim propè eſt in ianuis. Quod certo deinde teſtimonio probatum fuit: ex his enim, qui B. Patris ſermoni eo tempore præſentes aderant, cùm ſenex quidam poſt exortam Reformationem, ad Capucinorum Monaſterium, Aſſiſio non longè diſtans (quod Carcerellarũ dicitur) acceſſiſſet; præfata B. Patris illius verba Fratribus referens, tanta in eis intuendis mentis lætitia afficiebatur, vt lachrymarum imbribus perfuſus præ gaudio ſæpè in hæc verba erumperet: Sat eſt, ô bone Ieſu, ſat eſt: iam Sanctum Franciſcum rediuiuum, atque ad nos reuocatum cerno.

XXXVIII. Neque id ſancto illi Viro ſemel prædixiſſe ſatis fuit; nam & eadem in Etruria, dum verbum Dei diſſeminaret, plerique iterum atque iterum refricantem audiêre. Inter quos vir quidam eo ſermone commotus, cùm ſerui Dei verba de Reformatione eorum, qui de Obſeruantia nuncupantur, dicta eſſe arbitratur; ſtatim eum Ordinem ingreſſus, aliquot annos in eo magna cum virtutum laude tranſegit. At noua Capucinorum deinde Reformatione exorta: cùm & antiquam B. Franciſci habitus formam cum ea reſtitutam, ſimúlque ipſius paupertatem, ſimplicitatem, Regularem Obſeruantiam, vitam denique in Orbem reuocatam cerneret; perinde ac ſi B. Franciſcum in ea reuiuiſcentem videret: altiùs B. Viri verba apud ſe meditari, ac de Capucinorum Reformatione interprætari cœpit: quapropter, nulla interpoſita mora, ad Capucinos euolauit, ac F. Bartholomæi nomen ſortitus, religioſam inter nos vſque ad mortem vitam duxit.

Rodulphus Toſſin. Hiſt. Seraph Rel. l. 1. fol. 85.

*B. Bernardini Feltrij de Capucinorum Reformatione Vaticinium exeritur.*

XXXIX. Tertium his teſtimonium accedat, Bernardini Feltrij: qui cùm inter Obſeruantes ante annũ 1494. nota ſãctimonia, & miraculis clarus, ac præſertim Prophetico ſpiritu illuſtris, vt teſtis eſt Rodulphus Toſſinianenſis in ſua Hiſtoria, tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ ſplẽderet; ſemel in copioſa ſuorũ Fratrum frequentia de rebus Religionis verba faciens, & Capucinorum Reformationem, quæ breui futura erat, prænuncians, linguam in has voces explicauit. Sunt de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant B. Franciſcum iterum in Ordine reſurgentem. Neque, ad hanc B. Patris Prædicationem veram comprobandam, longo annorum curriculo opus fuit: nam anno, poſt fælicem ipſius obitum, trigeſimo primo, noua Capucinorum Reformatio ex Ordine erumpens. B. Franciſcum ſecum







rediuiuum reduxit.

*Fr. Auguſtin. Fulginas Capucinorum Reformationẽ ante ipſius ortum prænunciat.*

XL. At verò, nec minori admiratione digna ſunt, quæ Frater quidam Auguſtinus Fulginas eiuſdem Ordinis de Obſeruantia: Vir inter illius familiæ laicos virtute præſtans, ac Dei Spiritu illuſtris, eodem ferè tempore Tertiario cuidam, qui illi frater germanus erat, de Capucinorum Reformatione prænunciauit. Dum enim is in Conuentu S. Mariæ Angelorum Aſſiſio inter Fratres illius familiæ conſcriptus degeret, accidit; vt Tertiarius frater, qui deuotione erga Virginem plurimùm pollebat, eò in die Indulgentiæ accederet; qui ab Auguſtino humaniter exceptus, & in ſolitarium locum ductus, vt cum eo liberiùs de rebus cæleſtibus colloqueretur: poſt lectionem Paſſionis Domini, ex Meditationibus S. Bonauenturæ decerptam: qua vterque ita compunctus fuit, vt ob amariſſimas Chriſti paſſiones ſimul in fletus, ac lachrymas ſeſe effunderent: Fr. Auguſtinus velut repentino Dei ſpiritu correptus, ita Fratrem affatus eſt: O Frater, ô frater, ſuſtine pauliſper: grandia tibi ſpectanda erunt, quæ breui ventura ſunt. Etenim poſt breue tempus, Pontificem, Florentia Vrbe progenitum, Romæ ſedentem conſpicies; Væ tunc Romanæ Vrbi: eheu, eheu Roma infælix, quot tibi eo tempore mala toleranda erunt! Porrò eadem tempeſtate B. Patrem noſtrum Franciſcum iterum reſurgentem, iterúmque rediuiuum cernes: & hunc, quem vides, Minorum Ordinem perfectè ſecundùm S. Franciſci vitam, ac ſpiritum reſtitutum perſpicies.

XLI. Hæc dicta ſimplex, ac deuotus Tertiarius tunc admirans, deinde experimento vera fuiſſe didicit; nam paucis annis elapſis, cùm poſt Adriani VI. obitum Clemens VII. Patria Florentinus, Pontifex electus fuiſſet, anno 1523. Menſe Decembri: vix triennio ſui Pontificatus expleto, anno nimirum 1527. à Borbonio Cæſariani exercitus Duce Vrbs Romana direpta, ac deuaſtata fuit: cũ biennio ante dumtaxat, nempe 1525. noua Capucinorum Reformatio in Orbe cœpiſſet. Hæc Tertiarius ille, cùm ita quemadmodũ ab Auguſtino prænunciata fuerant, accidiſſe ſuis oculis conſpexiſſet, in morbum incidit: quo diu afflictatus, antequam ex humanis excederet; Fratri Bartholomæo Hiſpellenſi, qui ex Obſeruantium familia paulò antea ad Capucinos migrauerat, vniuerſa eo modo, quo exarata ſunt, fuſiùs exarauit.

XLII. Poſtremum denique teſtimonium à Galatrenſi quodam ſene, qui Ioannes appellabatur, lubet accipere. Huic, paulò ante Capucinorum Reformationis ortum, accidit, vt dum Galatro Calabriæ, oppido ruri in Domini timore vitam ageret, atque agros ſuos proprio labore excoleret (Vir enim erat agreſtis) ſæpiùs in meridie Virum quendam facie ignotum, ac præſtantioris formæ, quàm Regio illa ferret, eò peragrantem; atque eo prorſus, quo ij hac tempeſtate vtuntur, Capucinorum habitu indutum cerneret: Admirabatur Ioannes inſolitam habitus formam: cúmque attentiùs Virum intueretur, is eum ſemel his verbis affatus eſt. Ioannes, quid miraris? aut quæ tuum, ob hanc veſtis nouitatem, animum ſollicitudo exagitat? Hac habitus forma vti debet aliquãdo Religio, quæ paucos poſt annos exorietur: illúdq; tibi veritatis argumentum erit, quòd Religionis illius Fratres, in hanc Eremum, velut in aſylũ imminente iis perſecutione ſe recipient. His dictis, ſtatim ab eius ſe oculis proripuit, neque ab eo deinceps viſus fuit. Obſtupuit Ioannes; & quanquam quid ea tunc viſio protenderet, ignoraret; viſum tamen plurimis, rerum adhuc ignarus, narrabat: donec Capucinorum Congregatione apud Calabros exurgente, Fratres inter prima illius exordia, in Eremum ſancti Eliæ, ad perſecutionem declinandam confugientes, conſpicatus, Cæleſtem Angelum illum eſſe deprehendit, qui ſub illa habitus forma Capucinorum Ordinem illi futurum præſignauerat. Quamobrem, cùm ſæpè de hac Angeli apparitione, & Capucinis cum domeſticis verba faceret; his permotus ex ipſius filiis alter Capucinorum non multò poſt numero adiunctus, ſub Antonij nomine, dignam Religioſo homine vſque ad finem vitam duxit.

*Ioanni Galatrenſi Capucinorum Reformatio ab Angelo reuelatur.*

Porrò ex his, duo nobis lubet perpendere. Primum, quàm ſingularem Virgo Deipara Minorum Ordinis Patronam ſe gerat: quandoquidem in vtroque tam primæ illius Inſtitutionis, quàm poſtremæ huius Reformationis ſtatu ipſius ſe Parentem, nedum nutriciam matrem profitetur; atque adeò in illius bonum, ac vtilitatem inuigilat; vt perinde ac ſi ab ea genitus eſſet, ſedulam ipſius curam, ac ſollicitudinem gerat: quo fit, vt nulli mirum videri debeat, quòd Minorum ac præſertim Capucinorum Religio tam copioſè in ipſius, velut amantiſſimæ Parentis cultum, ac venerationem ſeſe effundat! vt ab illius ſinu pendere, vniuerſaque veræ pietatis officia illi exhibere geſtiat, quæ grati in eam filij ſignificationem oſtendant: nihil denique, quod ad ipſius gloriam augendam ſpectat, ſibi prætermittendum exiſtimet. Neque id ſanè immeritò; nam ſi Beatiſſima illa Virginum Regina tam ſollicitè res huius Ordinis curat, perinde ac ſi illius Parens, à Chriſto conſtituta eſſet illis verbis: *Mulier ecce Filius tuus.* An non æquum eſt, Minorum Ordinem, totum ſe in eius honorem, ac venerationem extendere, quo ſe legitimum illius Filium eſſe declaret? haud ſecùs, quàm ſi olim Dei Filius in Cruce pendens ipſi aliquando in myſterio, velut Matrem colendam reliquiſſet, cùm diceret: *Ecce Mater tua*: quam ſcilicet ſummis, quæ Cæleſtem Matrem decent, honorum titulis, ac officijs proſequi debeat. XLIII.

*Cur Capucinorum Religio ſingulari erga B. Virginem religione afficiatur, cauſa exeritur.*

Alterum verò, haud minori obſeruatione dignum eſt; quàm ſcilicet illuſtris hæc poſtrema Ordinis Reformatio cenſeri debeat, quæ tot diuinis præconiis aucta, perinde ac ſi cum prima Ordinis inſtitutione, dignitate contenderet, primùm quidem illuſtriſſimam Cælorum Reginam ſibi Parentem è Cælo vendicat; tum Deum hominibus in ipſo ortu iratum placat; ſui quoque aduentus præcones, è Cælo Angelos, è terris homines ſibi accerſit. Poſtremò cùm primùm in Orbe apparet, ac ſe conſpiciendam præbet, B. P. Franciſcum, velut accenſa face præeuntem, ac viæ ducem intuetur. Id verò quo ordine, quâve ratione factum fuerit, nunc demùm explicandum erit. XLIV.

*Capucinorũ Reformationis dignitas, quanta.*

Inter alia, quæ humani generis hoſtes olim inter ſe conſilia agitarunt, quibus Minorum Ordinem ſibi cùm primis inuiſum perderent, ac ſi fieri poſſet, funditus delerent ſi antiquis Ordinis Monumentis credimus ſummum illud, ac perniciosiſſimum fuit; in quod vniuerſi conſpirarunt, quo omni ſtudio, ac labore ſe enixuros condixerunt: vt nobiles in primis, ac diuites, ad carnis delicias propenſos, ac præterea delicatos, molles ad Ordinis ſinum compellerent, à quibus pœnitentiæ rigor paulatim ſub corporalis neceſſitatis ſpecie remitteretur, ac tandem interiret. Iuuenes quoque, ac malæ indolis adoleſcentes, garrulos, inſtabiles, quietis impatientes, effrenes, omni virtute, ac Dei Spiritu vacuos ad Religionem adducerent: qui rectam Ordinis diſciplinam diſſoluerent; atque vniuerſa perturbarent, confunderent, euerterent. Doctis denique, ac eruditis viris eodem modo ad Ordinem aditus pateſceret, qui vana litterarum ſcientia inflati, typhum in animo gererent, primas ſedes ambirent, honores quærerent, à quibus Religionis humilitas, ac ſimplicitas peſſundata, tandem periret. Atque vtinam Minorum Ordo iniquiſſimi conſilij damna, atque ab eo illata vulnera non perſenſiſſet. Quibus tamen Tartareus hoſtis minimè contentus, pleraque alia in Religionis perniciẽ cõſilia excogitauit, quibus illius candorẽ labefactaret, ac Regularẽ diſciplinam proſterneret: quæ D. Bonauent. in epiſt. quadam collecta commemorat, his verbis: *Sanè perquirenti mihi cauſas, cur ſplẽdor noſtri Ordinis quodãmodo obſcuratur, Ordo exteriùs inficitur, & nitor conſcientiarum interiùs defœdatur, occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia noſtri Ordinis paupertati ſuper omnia inimica auidè petitur, incautè recipitur, & incautiùs contrectatur. Occurrit quorumdam Featrum otioſitas, quæ ſentina eſt omnium vitiorum, qua plurimi [illegible] monſtruoſum quendam ſtatum inter contemplatiuam, & actiuam eligentes, non tam carnaliter, quàm crudeliter ſanguinem comedunt animarum. Occurrit euagatio plurimorum, qui præter ſolatium ſuorum corporum grauando eos, per quos tranſeunt, non exem-* XLV

*Diaboli in Minorũ Ordinem conſilia.*

Chron Ord. Min. par. 1. l.

D. Bonauen opuſc. [illegible] ad Min. Prou.







*pla poſt ſe relinquũt vitæ; ſed ſcandala potiùs animarum. Occurrit importuna petitio, qua omnes tranſeuntes per terras adeò abhorrent Fratrum occurſum, vt eis timeant, quaſi prædonibus obuiare. Occurrit ædificiorum conſtructio ſumptuoſa, & curioſa, quæ pacem Fratrum inquietat, amicos grauat, & hominum peruerſis iudicijs multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam Regula noſtra prohibet, ex qua ſuſpiciones, infamationes, & ſcandala plurima oriuntur. Occurrit improuida commiſſio officiorum, qua Fratribus nondum vſquequaque probatis, nec carne maceratis, nec ſpiritu roboratis, imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam ſepulturarum, & teſtamentorum auida quædam inuaſio, non ſine magna turbatione Cleri, & maximè Sacerdotum. Occurrit mutatio locorum frequens, & ſumptuoſa, cum quadam violentia, & perturbationes terrarum, cum nota inconſtantiæ, non ſine præiudicio paupertatis. Occurrit tandem ſumptuoſitas expenſarum. Nam cum Fratres paucis nolint eſſe contenti, & charitas hominum refriguerit, facti ſumus omnibus oneroſi, magíſque fiemus in poſterum, niſi remedium celeriùs apponatur.*

XLVI. His cùm prima illa Ordinis progenies, quæ beatum Patriarchæ Franciſci obitum non longè ſecuta eſt, malis adeò afflictata fuerit, vt poſteris exemplo, ac doctrinæ eſſe poſſet, quò maximè à peſtiferis hiſce dæmonum inſidijs cauerent; callida iterum Satanæ arte, ac perfidia factum eſt: vt & poſterior Religionis ſoboles, quæ ad hanc vſque tempeſtatem peruenerat, poſt diuturnos intemeratæ obſeruantiæ annos in eaſdem penè rerum miſerias, ac regularis inobſeruantiæ naufragia paulatim rueret; quo fit, vt Regulæ obſeruantia in ijs præſertim, quæ ad Paupertatis legem ſpectant, in dies magis dilabente, ingentes vbique ad Reformationem motus fierent. Neque enim Chriſti promiſſio, qua olim Minorum Ordinem ita communiuit, vt nullo vnquam tempore veri, ac perfecti in eo Regulæ obſeruatores defuturi eſſent, minui, aut labefactari vllo modo poterat: quamobrem plerique Regulæ obſeruantiam zelantes eo tempore maiores Conuentus, ac ampla domorum ædificia, quibus tunc Religio abundabat, deſerentes, humiliora, ac aſperiora loca ſibi incolenda eligebant: plurimi ad Miniſtros confugientes, cùm quotidianam aliorum viuendi licentiam à Regulæ præſcripto alienam, ferre non poſſent, reformationem expoſcebant. Sed (vt Pauli verbis vtar) quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum; inde fiebat, vt qui vel ad Regulæ obſeruantiam anhelarent, vel Ordinis Reformationem expeterent: ceruicoſi, perturbatores, factioſi, nouatores à cæteris haberentur; atque adeò ab ipſis Generalibus Miniſtris, ac ſuperioribus, qui Ordinis relaxationem fouebant, malè acciperentur, vt venerandus quidam non ignotæ ſanctimoniæ Pater, Franciſcum Lichetum, qui circa annum Domini 1520. Miniſter Generalis Ordinis Minorum de Obſeruantia electus fuerat, palam in Conuentu Mantuæ his verbis redarguerit.

*Quamplurimi inter Obſeruãtes Reformationem expoſcunt.*

Gal. 4.

*Ordinis Superiores Reformationi obſiſtunt.*

XLVII. *Pater, tui officij erat, qui Miniſtri Generalis munere fungeris, ijs patrocinium præſtare, & pro ijs pugnare, qui Regulam iuxta B. Franciſci mentem obſeruare curant: tu verò cùm ex aduerſo eos potiùs impugnes, ac perſequaris, qui illius puritati, ac obſeruantiæ ſtudent: certò ſcias, etiamnum te inuito, Ordinis Reformationem à Deo excitandam eſſe: & quod tibi, & alijs Miniſtris durius erit, extra Ordinis Obedientiam conſurget, Deóque protegente immota aduerſus Ordinem ſtabit. Tu verò eò quòd talia in Deum, & B. Franciſcum auſus fueris, Dei vltionem non effugies.* Hæc Pater ille venerabilis: quæ cùm diuino ſpiritu afflatus prædixiſſet, haud ſecus, quàm prænunciauerat, acciderunt. Nam vix biennio in eo munere expleto, Miniſter Generalis è viuis exceſſit; & Capucinorum Reformatio poſt quadriennium inuitis Miniſtris exorta, extra Ordinis de Obſeruantia obedientiam, immobilis contra Ordinis procellas perſtitit.

Chron. F. Minor. to. 3. l. 9. c. 35.

XLVIII. Porrò inter eos, qui ea tempeſtate maiori ſtudio, ac ſollicitudine ad perfectam Regulæ obſeruantiam contendere viſi ſunt, planè inſignis fuit Frater Matthæus de Baſſio, nobili Vmbrorum Oppido, inter Æmiliam, & Montem Feltrium ad Maridam fluuium ſiro: Vir cumprimis omni virtutum genere ornatiſſimus, de quo plura in eius vita dicturi ſumus; qui cùm ſpiritu feruentiſſimus eſſet, nihilque magis, quàm

*Fr. Matthæus de Baſſio inter Obſeruantes Regulari Obſeruantia inſignis aſſeritur.*

vitam B. P. Franciſci, ac paupertatem imitari, eiúſque perfectè veſtigijs inſiſtere peroptaret: tanta præ alijs vitæ auſteritate excellebat, vt non ſolùm vniuerſa B. P. Franciſci ieiunia, ac Quadrageſimas, velut præſcripta ſibi lege obſeruaret; verùm & ſingulis Veneris, ac Sabbathi diebus ſolum ſibi panem, & aquam pro cibo, & potu adhiberet: humi perſæpè, aut in ſubſtratis tabulis cubans, lignum pro puluillo ſibi eligeret: Paupertatis tam cupidus ſectator erat, vt ſolo habitu contentus, quo corpus potiùs obtegeret, quàm à frigoris rigore, atque alijs temporum iniurijs defenderet; cætera omnia ita reſpueret, vt vix ea, quæ naturæ neceſſaria ſunt, ſibi admittenda cenſeret. Denique, hominum conſortia fugiens, ita rerum diuinarum contemplationi, atque orationi vacabat, vt cæleſtem propemodum in Religione vitam agere videretur. Porrò in eo illud inſigne charitatis teſtimonium hoc tempore eluxit. Nam ſæua lue Camerini Vrbem anno 1523. depopulante, is nulla mortis pericula extimeſcens, cùm Ludouicum Foroſempronianum comitem ſibi adiunxiſſet, impetrata à Superiore licentia, tanto ſtudio, ac diligentia ſe ægrotantium obſequijs conſecrauit, vt maximam inde apud omnes ſanctimoniæ laudem conſequeretur.

*Matthæus de habitu verum B. P. Franciſci habitus formam à Sacerdote addiſcit.*

XLIX. His itaque cæleſtium virtutum ſtudijs dum Matthæus totus incumberet, ardentiúſque ad perfectam Regulæ obſeruantiam, ac B. P. Franciſci imitationem animum intenderet: ſemel accidit, vt in Conuentu Verucæ, quæ Mons falconius vulgò dicitur, vbi is tunc in ea Familia conſcriptus degebat, de perfectiori Regulæ obſeruantia cum altero illius familiæ Sacerdote familiariter colloqueretur; à quo cùm inter alia audijſſet; ſe reliquóſque Ordinis Fratres tuta conſcientia ea habitus forma, quæ Minorum Obſeruantium eſt, vti poſſe, quam Pontificis illis indulgentia conceſſiſſet, illum protinus Matthæus interrogat: Num noua Pontificis indulgentia opus ſit, vt B. P. Franciſci habitum, qui in Minorum Ordine conſcripti ſunt, gerant? Falleris (inquit ille) non eſt hæc B. P. noſtri Franciſci habitus forma, quam gerimus. Mecum ne ludis, (ait Matthæus) aut ſeriò loqueris? Quænam, obſecro, præter hanc, eſt Franciſcani habitus forma? Ne iocum, mi Matthæe, ſuſpicère (ſubdit ille) vera enim B. P. Franciſci habitus forma ea eſt, quam in ipſius habitu, qui Aſſiſij aſſeruatur, ac pleriſque in iconibus, quæ tum Aſſiſij, tum Romæ, atque alijs locis depictæ habentur, licet conſpicere. Tum ad illum Matthæus: Quæſo te per Deum immortalem, hanc mihi in Tabula deſcribe: neque enim memini, me ab iſthac noſtra habitus forma aliam vnquam depictam vidiſſe. Cumque ille habitum Capucio oblongo, & acuminato, abſque ſcapulari coniunctum delineaſſet; vix in eum Matthæus oculos coniecit, cùm mox ſpiritu commoueri cœpit: tantáque in eum, Deo intus agente, animi cupiditate efferbuit, vt diu, noctúque in ipſum aſſidua cogitatione defixus, ſecum tantummodò alta mente reuolueret, quo pacto vera illa Beati Patris Franciſci habitus forma frui poſſet.

*B. Pr. Franciſcus, Capuciatum habitu indutus, M[illegible] [illegible] apparet.*

L. Interea, rem precibus à Deo impetrandam eſſe non ignorans, quotidianis ieiunijs, ac vigilijs carnem affligere, aſſiduiſque orationibus, ac ſupplicationibus diuinæ clementiæ aures pulſare, gemitibus demulcere, lachrymis flectere, nunquam intermittebat: donec clementiſſimus Dominus, qui idcircò in Matthæi animo tam ardens huius rei ſtudium ſeuerat, vt illud ad perfectum tandem Reformationis germen adduceret: Beato Franciſco è Cœlo ad eum miſſo, quid illi facto opus eſſet, oſtendit. Res autem ita geſta narratur. Dum Matthæus in Verucæ Conuentu, ſuperiùs memorato, degeret, contigit, vt aliquando cum ſocio iter faceret, & vt de more ſolebat, ab eo paululum ſeiunctus de rebus cæleſtibus ſecum quicquam meditaretur. Dum verò ita pergit, en ex inſperato Virum quendam, rudi, ac aſpero habitu indutum, cui Capucium eo planè modo, quo illi in Tabula paulò ante depictum fuerat, qualéque Capucinorum eſſe ſolet, ante ſe gradientem intuetur: qui interdum quidem à via declinare, rurſum verò per eam incedere videbatur. Repentino Matthæus illius aſpectu primùm obſtupeſcens, circum-

ſpiciebat,



ſpiciebat, vnde nam is tam repentè emergere potuiſſet; at amicum habitum agnoſcens, greſſum feſtinat, vt ad Virum, quem Fratrem eſſe arbitrabatur, accederet, illiúſque colloquio frui poſſet; at quò magis Matthæus ad eum propiùs accedere conabatur; eò ille celeriùs greſſum feſtinabat, donec tandem ex illius oculis euaneſceret. Porrò ea Fratris præeuntis ſimilitudo cùm haud ſemel tantummodò, ſed iterum, ac ſæpiùs, per aliquot menſium ſpatia ab eo eodem modo conſpecta fuiſſet; tam ardentes ſuo aſpectu erga perfectam B. Franciſci imitationem, & veram illius habitus formam in Matthæi animo igniculos accendit, vt ab eo tempore is Fratrum conuerſationes, & colloquia diligentiùs fugiens, nihil, præterquam ſolitaria loca quæreret, vt in his aſſiduis Orationibus, atque obſecrationibus diuinam clementiam exoraret. Cælum tunc ſuſpiriis ardentioribus pulſare, nemora gemitibus replere, indeſinentes ex oculis lachrymas fundere, carnem arctioribus ieiuniis, ac macerationibus caſtigare; diuinámque ſibi lucem poſtulare cœpit, quæ, quod in eo viſu myſterium lateret, quídve diuina voluntas ab eo expeteret, aperiret. Ita ſanè fieri opus erat, vt quò excelſior futuræ Reformationis moles inde aliquando, Deo auctore, exurgere debuit, eò altiùs in ſpiritus humilitate, pietate, orationibus, lachrymis, ieiuniis, atque omnium virtutum exercitatione, illius in Matthæo quodammodò fundamenta præcederent.

*Matthæus à Deo illuminatur, agnoſcitque B. P. Franciſcum eſſe, qui ſæpè illi in via apparuerat.*

LI. Cæterùm Dei benignitas, quæ Matthæi mentem idcircò ad pietatem accenderat, vt æſtuantem cæleſti rore perfunderet: ardentiſſimas illas Matthæi ſupplicationes irritas eſſe haud paſſa eſt. Nam, cùm ſemel in oratione defixus attentiùs Deum pro mentis illuminatione oraret: tanta mox, ac tam copioſa Spiritus ſancti luce illius mens imbuta fuit, vt, Deo intùs loquente, intelligeret: Virum illum, rudi habitu, & Caputio ornatum, quem in via præeuntem conſpexerat, ipſum B. Franciſcum Patriarcham fuiſſe, verámque ipſius habitus formam ab exordio inſtitutam proculdubio eſſe, quam ab eo tunc geſtari aſpectauerat, qui propterea præire viſus eſt, vt ipſe quoque in eadem habitus forma, per integræ, ac perfectæ regularis obſeruantiæ viam illius veſtigia ſequeretur.

*Matthæus inter varia conſilia fluctuat.*

LII. Hoc cæleſti lumine accepto Vir Dei, cùm illi omninò obtemperare, atque eam habitus formam ſibi vindicare altè animo repoſuiſſet: adhuc tamen modum ignorans, quo id aſſequi poſſet, in eo anxius, ac dubius hærebat: res enim planè difficilis, ac periculi plena illi videbatur. Cúmque pleráſque vias animus apud ſe volutaret, quibus rem propoſitam aggrederetur; has variis difficultatibus obſitas cernens, ab iis facilè deterrebatur. Occurrebat ſiquidem animo, Prouincialis, aut Generalis Miniſtri præſentiam adire, atque ab iis illam habitus formam ſibi geſtandam impetrare. Neque enim Matthæus nouam vllam Ordinis Reformationem vnquam animo conceperat, neque ad eam, (quod maximè admirandum eſt) à Deo vnquam ſe vocatum ſenſerat; cùm perfectam tantummodò B. Franciſci cùm habitu, tum vita imitationem ſibi proſequendam proponeret: quo fit, vt ſi à Generali, vel Prouinciali Miniſtro eam habitus formã aſſecutus fuiſſet; ea contentus, nihil præterea de aliorum Reformatione cogitaſſet. Verũtamen cùm nulla id ratione ab Ordinis Superioribus ſe obtinere poſſe intelligeret, quos modis omnibus eos acerrimè perſequi, non ignorabat, qui aliam ab inſtituta Ordinis ratione vitam ſibi ſequendam præſtituerent. Alteram ſibi viam, qua ad ſcopum pertingeret, proponebat: nimirum ad Apoſtolicam ſedem confugere, ab eáque totius rei finem, ac ſummam expectare. Verùm hæc nimis ardua, ac periculis plena via videbatur: Nam ſi per literas res peragenda foret, primùm quidem ei Viri copia deerat, qui negotium pro ea dignitate apud Pontificem ageret, vt inde proſpero rei euentu ſe frui poſſe ſperaret. Tum verò rem in Romana præſertim Curia, tam occulte haud pertractari poſſe nouerat, quin ad ſuorum Superiorum aures perueniret, quos propterea ſibi, vſque ad ſupremum illius interitum, aduerſarios fore non dubitabat.

LIII. Quòd ſi id non literis, ſed præſentia præſtandum eſſet. Cùm nulla ex Prælato

rum

rum licentia illi adeundi Pontificis ſpes affulgeret; reliquum tantùm erat, vt nulla expectata Superioris facultate ad Romanum ſe Pontificem conferret: Atqui terrebant illum pericula, omni ex parte minitantia. Nihil profectò ſibi Vir ſanctus, proprij periculi metuebat; cùm enim B. P. Franciſci mentem clariſſimis verbis teſtatam eam eſſe intelligeret, vt toto ordine à Regulæ obſeruantia excedente, cuique Fratrum ab eo recedere, Regulámque vbi meliùs ſibi viſum fuerit, preſertim de Romani Pontificis licentia, obſeruare liceat: quemadmodum fusè ex Chronico Ordinis didicerat; ac B. Bernardi à Quintaualle exemplo comprobatum legerat; atque hoc ipſum res ipſa poſtularet. Si enim ea homini à natura lex ſancita eſt, vt ea minimè negligere debeat, quibus ſe, ſuámque vitam tueri poſſit. Cur ipſa tum naturæ, tùm Dei lege multò magis ſibi præceptũ eſſe non ſentiat; vt ea omni ſtudio proſequatur, ſine quibus cæleſtem, ac beatam vitam conſequi nullo modo valet? In quibus, quod ad Minores ſpectat, cùm ipſa Regulæ obſeruantia ſit, cui ſe iuramento, ac ſolemni votorum Religione ſemel coram Deo obſtrinxerunt: eam omni via proſequi debent.

Chron. Fr. Minor. p. 1. l. 2. c. 10. & p. 2. l. 1. c. 5.

Inter hæc tamen, etſi ex Superiorum aſperitate, & minas, & contumelias, & flagella, & carceres ſibi haud defutura eſſe non ignoraret; iis tamen pro nihilo ductis, ac pro Dei cauſa contemptis, aliorum tantummodò ſcandalum extimeſcebat; ne ſcilicet eum vel à Religione extorrem ſuſpicarentur, vel alij ſuo exemplo permoti plus æquo à ſuorum Prælatorum obedientia exorbitarent. LIV.

Inter has igitur anguſtias cùm Matthæi animus ita concluderetur: vt nec diuinæ voluntatis præſcriptum ſibi in viſione, atque oratione declaratum, vllo modo aſpernandum: nec nimis facilè, ac leuiter in tam graui negotio feſtinandum ſibi eſſe iudicaret, ne qua diaboli fraus ſub recti ſpecie ſeſe his rebus immiſceret; rem tandem diuino conſilio prorſus apud ſe abſoluendam ſtatuit. Quamobrem quotidianis ſe ieiuniis exercens, aſſiduáſque imo de pectore lachrymas fundens, diuinam clementiam obteſtabatur, vt ſuo ſibi conſilio adeſſet, quidve illi agendum eſſet, aperiret. His dum vacat Matthæus, ac diuini conſilij arcanum ſibi patefieri expectat, miro modo ſe diuina illi benignitas inſinuat, quaque via illi progrediendum ſit, quidve ab eo exigat, facto primùm, deinde verbis ipſis declarat. LV.

*Chriſtus in mendici forma Matthæo apparet, & ab eo eleemoſynam poſcit.*

Etenim hoc ipſo anno 1524. contigit, vt cum aliis eiuſdem familiæ Fratribus ad funebria officia, cuidam defuncto perſoluenda, longiùs à Monaſterio Verucæ progrederetur: quibus abſolutis cùm rediret, ac de more à reliquis ſecedens rerum diuinarum meditationibus vacaret; pauperem quendam ſeminudum in via iacentem offendit, qui ob frigidam aëris inclementiam, quæ tunc maximè hiemali tempore vigebat, à Fratribus quippiam, quo nuda membra contegeret, obnixè poſtulabat; Verùm prætereuntibus abſq; vllo pietatis officio reliquis Fratribus, ſubſtitit Matthæus, qui pauperis aſpectu commotus, mox animo liquefieri, ac tanta erga illum commiſeratione, ac pietate affici cœpit; vt ſubdititios quoſdam pannos, quos ſibi paulò ante parauerat, ſtatim ex habitu diſſuens, eos Pauperi promptè elargitus fuerit. Præclaro hoc facto Matthæus B. P. Franciſci exemplum egregiè imitatus, qui Ordinis exordium olim à paupere auſpicatus fuit, cum eo ſimul & nouæ Reformationis, licet ignorans, myſterium accepit: eò ſanè admirabilius, quo non Pauperem, ſed ſub Pauperis perſona ipſum Dominum ea veſte contexit. Cùm enim poſt hoc pietatis officium, Matthæus iter ſuum proſequeretur, terga vertens, vt Pauperem videret, eum nullo loco conſiſtere, ac penitus ex oculis euanuiſſe comperit: quare obſtupefactus, cùm Ieſum Chriſtum ſub ea Pauperis forma ſibi apparuiſſe certiſſimè ſibi perſuaderet, Deo cum primis ſummas gratias agere cœpit; atque inde certum diuinæ voluntatis teſtimonium illud eſſe agnouit, vt metu omni, ac dubitatione depoſita, pauper pauperem, nudus nudum Chriſtum per integrum, ac perfectum Regulæ cultum ſequeretur. Quo fit, vt poſt hæc vberiori è cælo luce perfuſus, clariùs in dies illud Dei conſilium eſſe perciperet, vt aſſumpta vera B. LVI.





Franciſci habitus forma, quæ ſibi antea demonſtrata fuerat, totam, ac perfectam Regulæ obſeruantiam, quam in Ordine ob commune relaxationis vitium aſſequi non poterat, apud Romanum Pontificem proſequeretur.

LVII. Quanquam verò id iam velut certum, ac fixum in animo ſtatuiſſet, neque vlla ratione id perficere vereretur, quod tot cæleſtibus teſtimonijs probatum acceperat: veritus tamen meridiani Dæmonis artes, qui ſæpè lucis Angelum ſe eſſe ſimulat, vt incautos ſub lucis ſpecie tenebris obruat: opus quidem in dies differebat. Interea verò rem tam ardenter, ac impensè Domino commendabat, vt diu, noctúque diuinis ſupplicationibus, atque obſecrationibus vacans, quibus diuinam voluntatem ſibi clariùs manifeſtari poſtulabat, tandem pro votis à Deo exauditus fuerit. Nam cùm aliquando Deum ardentiùs oraret, vocem è Cælo ſe ita alloquentem audit: *Matthæe, hæc eſt voluntas Dei, vt Regulam perfectè obſerues, ad literam, ad literam, ad literam.* Qua voce in mentis exceſſum raptus, tam claro Dei lumine illuſtratus fuit, vt perſpicuè, & abſque errore cerneret, nullas ibi Sathanæ artes, aut inſidias latere; certóque certiùs eam Dei voluntatem eſſe agnoſceret, vt priori illo timore abiecto, quàm primùm ad Pontificem pergeret, ab eóque illam habitus formam impetraret: in qua iuxta diuinæ Vocis præſcriptum, Regulam ad literam obſeruare poſſet; quare diuinæ Voci ſibi obtemperandum ſtatuit.

*Dei vox è Cælo Matthæum orantem alloquitur.*

LVIII. Satis hîc opportunè, cùm de arcanis Dei conſilijs agitur, illa Dei verba apud Vatem occurrunt, quibus ait. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ: neque viæ meæ viæ veſtræ: quia ſicut exaltantur Cæli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Neque enim eædem inter ſe erant Dei, ac Matthæi cogitationes: Matthæus námque, cùm nihil, præter ſui ipſius Reformationem cogitaret, neque aliud quicquam in animo gereret; illam Dei vocem, velut ſibi tantùm delatam acceperat. Quo fit, vt quò diuinum illud opus reſpiceret, planè adhuc ignoraret. At verò Dei cogitationes, cùm multò ſublimiores, ac nobiliores eſſent, non in vno tantùm Matthæo concludebantur; ſed in totam Ordinis inſtaurationem ampliſſimè tendebant. Quamobrem diuina illa voce, quæ B. quoque P. Franciſco in prima illa Ordinis inſtitutione facta eſt, quid à futura Capucinorum Congregatione Deus Opt. Max. quæreret, quæve illi lex è Cælo præſcriberetur, planè explicatum fuit: nimirum, vt quemadmodum in prima Ordinis inſtitutione, ita etiam in hac ipſius Reformatione, Regula perfectè ad litteram iuxta Fundatoris ſpiritum obſeruaretur. Quò fit, vt non ad Matthæum tantummodò: ſed ad totum Capucinorum gregem, quem ad integram Regulæ obſeruantiam compellebat, vox illa diuina ſpectaret.

Iſa. 55.

*Quò illa Dei vox ſpectaret, explicatur.*

LIX. Matthæus itaque quid ſibi agendum ſit, cæleſti oraculo edoctus, nullã interponit moram: *Neſcit enim* (teſte Ambroſio) *tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Tunicã mox laceram, obſoletam, & quàm in Conuentu viliorem, atque auſteriorem reperire potuit, ſibi comparat; cui quadratum Caputium, illius inſtar, quod ei in Tabula delineatum fuerat, antea ſibi paratum aſſuit; eáque indutus, ac fune rudiori præcinctus, cùm manu ligneam Crucifixi Imaginem arripuiſſet, intempeſta nocte è Conuentu egreditur; diuinámque in animo lucem præ ſe ferens, quæ illi ad præſtantiorem Seraphicæ Reformationis viam dux eſſet, Romam verſùs iter aggreditur.

Ambroſ. lib. 2. in Luc.

*Matthæus Romam verſus proficiſcitur.*

Haud ſatis hîc cuiuſdã Auctoris, qui nuper de Origine, ac progreſſu Fratrũ Minorũ, qui *Recollecti* nuncupantur, ſententiam admiror, qui Matthæũ, hoc pacto, è Monaſterio egreſſũ, tã graui cẽſura perſtringit, vt inter Apoſtatas ipſũ relegaſſe videatur: ac, velut Apoſtatã, ac Religionis deſertorẽ, ab excõmunicatione abſolutũ, cẽſeat. Id, ſi Auctor (vt illius ſubobſcura verba indicant) tanquã exploratũ affirmat; planè ſe vel Hiſtoriæ ignarum, vel minus à calumnia liberum exhibet: tot enim è Cælo teſtimonia præceſſerant, quæ illum non modò ab Apoſtaſiæ crimine, verùm & à criminis ſuſpicione vacuum redderent; vt ſi quis vitium iis inurere audeat, haud procul ab impietate abſit: Quò enim tam frequens illa B. P. Franciſci præeuntis Imago?

Car. Rap. decad. 6. p. 2.

*Matthæus ab Apoſtaſiæ crimine vendicatur.*

Quò cæleſtis vox illi è Cælo delapſa: *Matthæe volo, vt Regula obſeruetur ad literam, ad literam, ad literam?* Quò diuina illa lux animo ipſi inter orandum indita, qua ad perfectam B. P. Franciſci imitationem compellebatur, aliò ſpectabat, quàm quòd perfectam vitæ Reformationem, quam in Ordine conſequi non poterat, à Romano Pontifice ſibi vendicaret? Cùm etiam Matthæus tanta vitæ integritate, & innocentia, tantarúmque virtutum luce præcelleret, vt nihil præter integram Regulæ obſeruantiam, præſtantiſſimámque B. P. Franciſci imitationem, ſibi aſſequendam proponeret, ac mente verſaret: quemadmodum totius ipſius vitæ curriculum non obſcurè declarauit. Quis apoſtaſiæ crimen, quo nullum inter Religioſos homines vix grauius excogitari ſolet, tam ſancto viro abſque crimine adſcribere auſit? Certè, ſi quis legitimum ad Pontificem recurſum turpis vitij inſimulet, haud effugere vllo modo poteſt, quin in ſacros Canones impingat. Quod cùm ita ſit, Matthæum neceſſaria, nedum legitima cauſa, qua ad Pontificem in communi totius Ordinis lapſu, inuitis, nedum inconſultis Superioribus, accederet, impulſum nemo Apoſtaſiæ condemnare debet: cùm vniuerſa tam diuina, quàm humana iura, atque adeò vita ipſa ſanctimoniæ plena, ab hoc illum vitio immunem eſſe decernant.

At quandoquidem hîc de quadrato Caputio, ac vera B. Franciſci habitus forma fit mentio, ex qua Capucinorum Reformatio nuncupata, prima ſuæ inſtitutionis exordia tulit: antequam ipſius Hiſtoriæ Ordinem aggrediamur, planè opportunum eſſet, quæ de vera B. P. Franciſci habitus forma, antiqua traditione nobis conſignata, Patrum auctoritate confirmata, atque irrefragabili planè argumento demonſtrata fuerunt, hoc in Annalium veſtibulo in medium afferre: vt ſi quæ de ea lis, ac controuerſia agitur, apertiſſimæ veritatis aſpectu conquieſceret.

Verùm, ne Annalium ordo interturbetur, diutiúſque, quàm ratio poſtulat, Lectoris animus, qui facilè Hiſtoriæ ſtudio afficitur, longiori huius rei pertractatione ab ea detineatur: opportuniùs duxi, quæ de vera B. P. noſtri Franciſci habitus forma paulò ampliori ſtylo exaranda ſunt, in huius Voluminis finem transferre, inſtitutámque annorum ſeriem, ordine, quo cœpimus, hîc minimè interruptam proſequi.







I. ANNVS Chriſti 1525. iam agebatur, tùm ſacro Iubilæo, quod hoc anno ſub Clemente V I I. in toto Orbe Chriſtiano indictũ fuit, tum maximè ſpectatiſſima hac Ordinis Minorum Reformatione, quæ prima in eo, tametſi nondum perfecta, ſui ortus incunabula accepit, cùm primis memorabilis: in quo cæleſte in primis conſilium licet perſpicere, ſine quo haud accidiſſe, mihi facilè perſuadeo; quòd vterque, & nouæ Reformationis, & vniuerſalis Indulgentię annus ſimul coaleſcerent; atque idem eſſet ſacræ ſobolis, ac diuinæ miſericordiæ tempus: quo vberior ex cæleſti huius ſeminis natiuitate, in homines Dei gratia diffuſa oſtenderetur. Quapropter Matthæus, ſacro hoc ſemine grauidus, cùm diuino intus numine agitãte, Romam versùs proficiſceretur, quò celeriùs cæleſtibus monitis obtemperaret: atque à Romano Pontifice, Ieſu Chriſti vices in terris agente, verã B.P. Franciſci habitus formã, eámq; viuendi rationẽ impetraret, quã Deo reuelãte, ſibi amplectendã, ac ſequendã didicerat. Vix iter aggreſſus, mox Sathanã, acerrimũ omniũ bonorũ hoſtem, ſibi Colubrum in via, Ceraſtémq; in ſemita experiri cœpit. Cùm enim inuidus ſerpens à futura Ordinis Reformatione, quã Dei cõſilio agitari ex hac Matthæi profectione magnoperè verebatur, maximè ſibi cauendum eſſe intelligeret: hîc primũ vires ſuas omnes exercere, omnémq; lapidẽ mouere parat, vt Matthæi iter impediat. Quapropter, vix è Monaſterio egreſſum adoritur, grauẽq; in eum procellã excitat: neq; enim ab eo longiùs, quã per milliarij ſpatiũ receſſerat, cũ in Nebulones quoſdã, Religioſorũ alterius Ordinis famulos incidit; qui, cũ nouo, atq; eatenus ignoto hominẽ habitu indutũ cernerẽt, primũ ſcurrã, dein manticulatorẽ eſſe arbitrati, ſtatim vocẽ efferũt, ac viciniã totã clamoribus replẽt. Illorũ porrò vox erat: Accurrite, homines, accurrite: en furẽ, en gallinarũ prędonẽ ſub ignota veſte deliteſcentẽ. Vix ea vox audiri cœpit, quum vndique ruſticos homines fuſtibus, raſtris, ac ligonibus armatos erũpere cõſpexiſſes, qui vno in Matthæũ impetu irruẽtes, nihil minùs, quàm vim, & vincula cogitantẽ, cõprehendunt, alligãt, conuiciis opperũt, pugnis, & verberibus cædũt, ac tandẽ carceri mãcipare feſtinãt, vt ſuis gallinariis proſpiciãt, quibus maximè illũ inſidiari ſuſpicabantur. Inter hæc Matthæus animo exurgit: cúmq; has non hominũ, ſed Sathanę artes paratas agnoſceret, quibus eum à propoſito itinere deterrere conatur; inuicta ſeipſum patientia armat, omnia æquo animo tolerat. Nullus ei tunc, aut tuendæ veritati, aut innocentiæ manifeſtandæ, aut iuſtæ excuſationi locus erat. Ruſticorum enim furor vniuerſa opplet, occupat, perturbat: neque aliud Matthæo ſolatiũ ſupereſt, quàm quòd ſilentio Domini auxiliũ præſtolatur. Interea quaſi hæc leuia eſſent, ad acerbiora pro Chriſto perferenda animũ parat: crucémque Chriſti delicias reputans, eo ſe Apoſtoli dicto ſolatur, monentis. *Omne gaudium exiſtimate Fratres, cùm in tentationes varias incideritis.* Lite verò inter priores illos Religioſorum famulos, qui Matthæum alligauerant, & ruſticos homines, qui eum ad Iudicem pertrahendum curabant, exorta (vtrique enim de Matthæo in ſuam poteſtatem vendicando contendebant) Matthæus inter famulorum manus dimittitur, qui cùm eum omnia patienter ferentem, atque inter verbera exultantem, nedùm ſilentem vidiſſent: hominem admirari, latentémque ſub vili habitu virtutem ſuſpicere incipiunt; quo factum eſt, vt, cum iam non furem, neque manticulatorem, aut ſceleſtum; ſed cæleſtem hominem iudicarent, à vinculis abſolutum, liberum tandem abire permiſerint.

*Matthæus à Nebulonibus ligatur, & contumeliis afficitur.*

Iacob. 1. 2.

II. Porrò, tam aſpero hoc primo rerum occurſu, tantum abeſt, vt Matthæus animo

*Inter contumelias Deũ laudat.*

confractus,mentem ab inſtituto reuocauerit: quin potiùs noua ex alto virtute confirmatus,tam ſapidas tunc Deo ex animo gratias agit, qui eo illum honore dignum habuerit,vt verbera,& contumelias, in ipſo ſuæ profectionis limine pro Chriſto toleraret;vnde proſperum tandem rerum euentum ſibi polliceri poterat:tantáque animi alacritate iter ſuum proſequitur;vt nihil præterquam Dei laudes in toto illo viæ curriculo, animo, ac voce depromens, ſæpè illud Apoſtoli vſurparet: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.*

*2. Cor. 7.*

II. Dum itaque, inter Dei laudes exultans, Matthæus viam carpit, haud ſanè abſque cæleſti conſilio factum eſt, vt is ſenem quendam, ſui Ordinis Sacerdotem, longæuum, annoſum, ac diuturna annorum Sanctimonia probatum, Franciſcum nomine, qui & illi arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniunctus erat, & in Eremo S. Iacobi, à via haud longè diſſita, cæleſtem vitam agebat, ſibi inuiſendum proponeret, vt illius in rebus agendis conſilium exploraret. Hic præclarus Senex, Cartoceto, exiguo Vrbis Fani oppido, humili ſtirpe ortus, cùm Ordinem Minorum de Obſeruantia adoleſcens ingreſſus eſſet: in eo tam præclaro virtutum omnium ſplendore eluxerat, tantáque regularis Obſeruantiæ cupiditate animum inflammauerat; vt cùm Ordinem ab inſtituta altiſſimæ paupertatis via non parùm deflexiſſe cerneret, à Prouinciali Miniſtro Eremum S. Iacobi propè Matelicam ſummis precibus expetierit; vt in eo ſolus cum Tertiario quodam Fratre, qui Pacificus vocabatur, vitam degeret. Voto igitur tandem potitus, tanta corpus inedia, vigiliis, ciliciis, ac cæteris vitæ aſperitatibus, hac in Eremo afflictabat; támque ingentes lachrymarum imbres, tum ob Chriſti Domini Paſſiones; tum etiam ob Religionis lapſum, iugiter ex oculis fundebat; vt iam ſenio confectus, oculorum prorſus lumine orbatus eſſet. At verò clementiſſimus Deus, ac miſericordiarum Pater, qui ſuorum lachrymas, aut ſteriles, aut ſine conſolatione abire non patitur; cùm fidelem ſeruum, inter has animi, & corporis anguſtias iacentem, ſolari vellet; ſemel oranti Ordinis Reformationem & breui futuram, & ante mortem illi innoteſcendam reuelat. Quo factum eſt, vt mentis dolore in ſummam animi lætitiam commutato, Franciſcus alterius Simeonis inſtar, fæliciſſimum illum diem ſibi illuceſcere ſummis votis expeteret, in quo exorta Reformatione, diuinum ſibi illud promiſſum reddi cerneret.

*Franciſcum à Cartoceto inuiſit.*

*Franciſcus à Cartoceto Ordinis Reformationem diuina reuelatione futuram addiſcit.*

III. Iam verò Matthæo ad Eremum accedente, cùm Franciſcus in ipſo noctis profundo ſolito attentiùs oraret; diuina reuelatione accepit, diu expectatæ Reformationis tempus iam aduenire: quamobrem, præ gaudio exultans, exclamat: Pacifice, heus Pacifice, adeſto. Cui Pacificus; En præſtò ſum, inquit: mox Senex: ô quàm fauſta, ô quàm iucunda huc accedunt! En Ordinis Reformatio venit. Inſolitam vocem, & nouum Senis gaudium Pacificus admirans, cùm reſponderet; Vndenam, Pater, hic nouus Reformationis aduentus nobis erumpit? E Cælo ne, vel ex hominibus? Verùm illum potiùs ex ſumma animi cupiditate, qua in eum flagras, tibi accedere, arbitror. Mox Senex ad ipſum: Non ita, Pacifice; ſed noua Ordinis Reformatio aduentat; haud procul eſt: iã enim ſonitũ pedũ eius perſentio; At quo pacto iſtud? (ait Pacificus.) Venit (inquit ille) Vir rufus aſpectu, nudis pedibus incedens, rudíque, ac vili habitu amictus, qui quadratum Caputium in capite, & Crucem in manu geſtans, hanc camporum planitiem percurrit; qui verò illum mihi venientem oſtendit, is quoque dixit; Scito Franciſce, quòd hæc vera eſt B. Franciſci habitus forma, ex qua futura Ordinis Reformatio iam ſua ſumere debet exordia. His dictis, totus ſpiritu exultans matutinas horas, prælegente Pacifico, cœpit perſoluere; conſuetíſque orationum, ac meditationum exercitijs de more peractis, cùm ad ſextam circiter diei horam ventum eſſet: en Matthæus Eremi oſtium pulſat: cui cùm oſtiolum aperuiſſet Pacificus, inſolito viri habitu, & aſpectu primùm obſtupuit: tum verò illum diligentiùs contemplatus, cùm eum eſſe animaduerteret, quem paucas ante horas illi Beatus Senex verbis





delineauerat, ſtatim ad Franciſcum feſtinat, totúſque præ lætitia geſtiens nunciat; Virum illum in ea ad amuſſim forma, atque habitu adeſſe, de quo is paulò antea tam præclara prælocutus fuerat.

IV. Hoc porrò tam læto nuncio percepto, vix ſermone explicari poteſt, quanta Beatus Senex, tunc animi lætitia perfundi cœperit: Protinùs è lectulo ſurgit, baculum viæ comitem aſſumit, ac ducente Pacifico ſuæ cæcitatis ſolatio, ac præſidio, tam iucundo, & expectato hoſpiti lætus obuiam venit. Planè incredibile eſt, quanta vtriuſque, & Franciſci, & Matthæi animum voluptas, ac iucunditas oppleat, cùm primùm in ipſo Cellulæ veſtibulo mutuo ſe amplexu excipiunt. Defluebant ex B. Senis oculis indeſinentes deuotionis lachrymæ, dum eum ſibi præſentem agnoſcit, à quo reuelatæ ſibi Reformationis primordia auſpicanda non ignorat: quare nunc hiſpidam veſtem, nunc quadratum futuræ Reformationis Caputium, quod oculis intueri non poterat, manu iterum, atque iterum palpans, tanta auiditate contrectabat, totque ei deuotiſſima oſcula infigebat; vt cùm ijs ſatiari non poſſet, in vehementes fletus prorumpere cogeretur. Quid plura? Ex tam expectatæ rei præſentia, tanto Franciſci mens diuini Spiritus incendio liquefacta eſt, vt alterius Simeonis inſtar luminibus in Cælum erectis, ſublatíſque ad ſydera palmis, Deum his verbis deuotè compellare cœperit. Eia benigniſſime Deus! Quid longiori mihi vita opus eſt? Quid adhuc funera differs? Iam nunc Domine, dimitte ſeruum tuum in pace: etenim in hunc vſque diem mihi vixiſſe ſat eſt, cùm veram B. Patris mei Franciſci habitus formam, ſin minus corporis, magis tamen ſpiritùs oculis cerno. Sat Domine, ſat victum eſt; en iam mente conſpicio, ac manu teneo diu expectatam Ordinis Reformationem: cæleſte prorſus, ac ſalutare clementiæ tuæ donum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: vt lumen aliquando ſit ad conuerſionem gentium: Religioſæque tuæ plebis, Fratrum, ſcilicet, Minorum gloriam, ac ſplendorem augeat.

*Franciſci gaudium ob Matthæi aduentum, & Reformationis exordium exeritur.*

V. His, præ exæſtuantis ſpiritus vbertate, vocibus ad Deum ita effuſis, Franciſcus nouum hoſpitem omnibus humanitatis, ac charitatis officiis proſequitur. Tum verò Matthæus Franciſcum priuatim conueniens, cuncta illi animi ſui conſilia aperit. Res eatenus geſtas recenſet, quæ de noua illa habitus forma ex B. P. Franciſci præeuntis aſpectu didicerat; quæ etiam à Dei voce in Oratione acceperat, ac præterea quæ ſibi in itinere accidiſſent, omnia ſingillatim narrat. Poſtremò, quæ illi de adeundo Pontifice animo ſententia inſideat, apertè declarat; atque ipſius in re tanta conſilium expoſcit. Franciſcus ea rerum narratione magnoperè delectatus, Deo cùm primis gratias agit; tum verò de tam eximio Dei dono ex animo Matthæo congratulatur; animum auget, acuit, incendit, ad vlteriora mouet, meliora pollicetur. Dei illud opus eſſe affirmat, de cuius profectu nihil prorſus illi extimeſcendum ſit. Romanum Pontificem quamprimùm adire ſuadet: Verùm antequam ab eo illam quadrati Caputij formam obtinuerit, ab ea illi abſtinendum conſulit: ne quid ab eo temerè fiat, quod iure reprehendi poſſit. Acquieſcit ſtatim prudentiſſimis Franciſci conſiliis Matthæus, & quadrato Caputio ab habitu diſſuto, rotundum reſtituit: tùm verò poſt aliquot dies accepta à Franciſco benedictione, qui eum proficiſcentem obteſtatur; vt rebus Romæ feliciter peractis, ad ipſum quamprimùm redeat, earúmque illum certiorem faciat, Deo comite, Romanum iter proſequitur. Hæc omnia breui hiſtoria Auctor Romualdinæ his verbis complectitur. *Erat* (inquit) *& in territorio Cartoceti quidam Frater Franciſcus Eremita, ætate decrepitus, infirmus, ſui præ ſenectute impotens, vita præclarus, atque Prophetiæ Spiritu dotatus. Hic præfatum Matthæum monſtruoſo habitu indutum, per biduum antequam accederet, ad ſe venientem in viſione vidit. Ecce venit equidem Matthæus, vt ſenex prædixerat, quo viſo exultauit animo infirmus, & illum eſſe verum, natiuúmque D. Franciſci habitum pronunciauit.* Hæc Autor ille ſatis conciſè.

*Matthæus Franciſci ſuaſu quadratum Caputium deponit.*

Auctor Romuald. lib. 3. c. 14.

*Matthæus multa in itinere patitur, ac patienter ſuſtinet.*

VI. Eo itaq; in itinere Matthæus, ob victus, & hoſpitiorum penuriam, quæ illi paſſim ob inſolitam illam habitus aſperitatem denegabantur, quamplurima paſſus; ea tamen tam læto animo ferebat, vt vnum, vel alterum panis fruſtulum pro iucundiſſimis epulis haberet: & ſi nocte aliquando campeſtre aliquod tuguriolum offenderet, in quod vel ad aëris inclementiam, vel temporum iniuriam declinandam, ſe reciperet; ibíque feſſa membra breui ſomno foueret, id velut ſummas delicias reputaret. Hoc modo tandem Romam appellit, nec vllo cunctatus loco, rectà ad ſanctorum Apoſtolorum limina tendit, vt eorum ope, ac patrocinio non modò illum ſibi paupertatis, ac Euangelicæ perfectionis ſpiritum à Deo impetraret, quem Beatus Franciſcus olim pro toto Ordine eorum ſuffragiis tulerat: verùm etiam faciliorem ſibi, cùm ad Pontificem, tum ad ea, quæ à Pontifice impetranda erant, viam ſterneret.

*Matthæus Angelum ſub viri ſpecie in gradibus Eccleſiæ SS. Apoſtolorum, Petri, & Pauli offendit.*

VII. Vix Matthæus ad ſummos gradus peruenerat, per quos ad auguſtiſſimum illud Apoſtolorum Petri, & Pauli Templum conſcenditur: cùm nobilem quendam, ac illuſtrem (vt illi videbatur) virum ſibi obuium habet, ætate quidem iuuenem, ſed aſpectu grauem, ac decorum, qui humaniſſimis verbis Matthæum ſalutat, ab eóque, quid rerum, quídve negotij in Vrbe gerat; numve Pontificem alloqui velit, vltrò ſciſcitatur. Stupet Matthæus eo Viri aſpectu, in quo nonnihil præter humanum excellentiùs ſibi animo offerri videbatur. At verò multò magis opportunam illius interrogationem admiratur: quæ cùm proſpera, ac fauſta ſuis rebus præludia præmonſtraret, meliorem, atque ampliorem illi futurorum ſpem pollicebatur. Quare ſtatim Viro reſpondet; Se quidem ea duntaxat de cauſa Romam conceſſiſſe, vt ſummum Pontificem adiret, quo cum grauiſſima, quæ ad ſe ſpectant, negotia pertractanda haberet: verùm qua via, quove modo id aſſequi poſſit, ſe eatenùs ignorare, affirmat. Cui ille; Bono, inquit, animo eſto; Pontificem, me ductore, alloquêris. Tu verò tantummodò ſatage, vt in craſtinum, hora circiter ſexta, huc ad Pontificis domum accedas, quò optato illius colloquio frui valeas.

VIII. Planè haud facilè explicari poteſt, quantam ex liberali hoc Viri promiſſo tunc Matthæus animo lætitiam conceperit; quámque humiles, ac impenſas Viro gratias agat. Nondum Matthæus hoc Angeli miniſterium eſſe agnouerat, quò & ardentiùs cœpto inſiſteret; & faciliorem ad Pontificem aditum aſſequeretur. Quo fit, vt, cùm ſolam Dei Opt. Max. prouidentiam in viro ſuſpiceret; Apoſtolorum Eccleſiam ingreſſus, nihil magis, quàm in diuinas ſeſe laudes effundere, atque immenſas Beatis Apoſtolis gratias agere, eorúmque opem ſibi ad optata implorare, ſatageret. Non ignorabat Matthæus poſterum diem eum eſſe, à quo totius rei, quæ agitabatur, ſumma penderet; atque adeò ex Pontificis colloquio, eum ſibi vel clarum, vel obſcurum illuceſcere debere. Quapropter nihil ſtudij, aut ſollicitudinis intermittit: quò apud Dei clementiam pro fauſto rerum euentu lachrymis, ac orationibus agat. Nam, etſi illius ſpem tot cæleſtibus teſtimoniis certam in animo gereret, Deíque illud opus eſſe non dubitaret; haud tamen ignarus, Deum precibus, ac lachrymis maximè moueri, totum illum diem apud SS. Apoſtolos in obſecrationes, ac lachrymas inſumit: quò faciliùs diuinam ſibi benignitatem promereatur.

*Matthæus miraculo ad Pontificem penetrat.*

IX. Poſtera iam illuceſcebat dies, cùm Matthæus poſt ſacra deuotiſſimè peracta, in quibus magnis lachrymarum imbribus rem totã Domino commendat; rurſus quadratum ſibi Caputium coaptat, ac tempore conſtituto ad ſacrum ſe Vaticani Palatium confert: gradus conſcendit; & dum Virum in Palatio quærit, qui heſterna die ſe illi ad Pontificem Ducem futurum ſpoponderat; ignarus quidem quò pergeret: ſed, Angelo ipſo ductore, qui ſub hominis ſpecie, ſuam illi ſuperiori luce operam pollicitus fuerat, cuius etiam manu ſe inuiſibiliter pelli ſentiebat; tot aulas, ac cubicula, nullo prohibente, penetrat; donec ad Pontificem ſumma, tùm Pontificis, tùm ſui admiratione peruenit. Sedebat eo tempore in Petri Cathedra Clemens VII. natio-





ne Florentinus, Vir pius, & magna in rebus agendis prudentia præditus. Obſtupuit Pontifex tam inopinato Fraterculi (vt videbatur) occurſu, cuius de more nemo ex ſacris Cuſtodibus illi prænunciaſſet aduentum; atque ab eo, quo pacto eoúſque penetrauerit, ſciſcitatur. Expauit quoque Matthæus ſe ante Pontificem ſtare perſentiens, cuius necdum præſentia frui ſperaret: quare protinùs ad ipſius pedes prouolutus, reſpondet, Se eò maximè admirari, ac modum prorsùs, quo illuc introierit, ignorare. An non Cubicularios (ait Pontifex) limina oſtij cuſtodientes offendiſti? Equidem, ſanctiſſime Pater: ſed nec Cubiculum noueram, (inquit Matthæus) nec Cubicularios ſciebam; neque vllus, quominus huc ingrederer, verbo quidem prohibuit. Hoc Dei opus, ac conſilium eſt, Beatiſſime Pater; nec mirêre: Angelus illius eſt, qui me huc manuduxit: erga illum fruſtrà Cubiculi Cuſtodes adhibeas. Tum ad illum Pontifex. Quid à nobis expetis? Cui ille. Ego quiquem, inquit, Beatiſſime Pater, ex Minorum Ordine Sacerdos ſum indigniſſimus; cui tamen nihil magis in optatis eſt, quàm B. P. Franciſci Regulam, quam ſemel, Deo acceptante, ſpopondi, perfectè, quoad fieri poteſt, obſeruare; atque illius vitam pro modulo imitari. Porrò ex antiquiſſimis Ordinis monumentis, atq; ex ipſo Regulæ præſcripto omnibus perſpicuum eſt; B. Patriarchã Franciſcũ non alio, præterquam viliſſimo habitu contentum fuiſſe, ac præterea quadrato, atque acuminato Capucio, abſque vllo ſcapulari, immediatè cum habitu coniuncto, hoc planè modo, quo me illud geſtare nunc ſanctitas Veſtra intuetur, cum tota illa primæui Ordinis familia vſum fuiſſe. Quapropter cùm veram B. Franciſci habitus formam in Ordine periiſſe, & cum ea Regulæ quoque obſeruantiam, præſertim in iis, quæ ad altiſſimæ paupertatis cultum pertinent, magna ex parte dilapſam fuiſſe, non abſque ingenti animi mœrore cernerem; poſt diuturnas preces, ac lachrymas, tandem cæleſte illud eſſe conſilium, plurimis diuinitùs teſtimoniis probatum, agnoui: vt vera hac primæui habitus forma mihi vendicata, totum ad perfectam B. P. Franciſci vitam, integrámque Regulæ obſeruantiam meipſum componerem. Hac profectò, non alia de cauſa, Pater Beatiſſime, huc me ad ſanctiſſimos pedes tuos, Angelica manus, nullo alio comite, aut præeunte perduxit; vt hac habitus forma abs te ſumma benignitate impetrata, D. Franciſci Regulam in Eremis obſeruare, Dei Verbum per Orbem diſſeminare, ac pœnitentiam vbique peccatoribus inculcare, liberum mihi tua poteſtate fiat. Hæc ergo abs te, qui Chriſti in terra Vicaria poteſtate frueris, Dei, ac B. P. Franciſci nomine poſtulo: vt qui Dei perſonam refers, ac Clementis nomen geris, clementiam quoque poſtulanti impertias.

*Pontifex Matthæum audit, quadratum illi Capuciũ concedit, ab Ordine eximit, ac Diploma pollicetur.*

X. Pontifex verò, qui repentino illo Matthæi aſpectu, quo nouum, ac inſolitum quippiam illi portendi videbatur, iam antea non parum commotus fuerat: cùm eum tam ingenua animi libertate, ac ſimplicitate, verborum candore, ac præſertim ardenti, ac feruido mentis zelo loquentem audiſſet; Viri pietatem admirans, plurima ab eo cœpit de Regulæ obſeruantia, ac Ordinis declinatione percontari: quibus cùm Matthæus prudenti reſponſione ſatisfeciſſet; tandem Pontifex diuino ſpiritu afflatus, id ſuæ mentis propoſitum eſſe apertè declarat; vt D. Franciſci Regula perfectè ad literam iuxta Chriſti Domini, ac B. Franciſci mentem obſeruetur: ac propterea tam illi, quàm cæteris omnibus, qui in ea habitus forma arctiorem Regulæ obſeruantiam complecti vellent, eam ſe facultatem impertiri, ait, vt extra Ordinem in Eremis degant. Quod verò ſingillatim ad Matthæum ſpectat, eidem Pontifex tunc benigniſſimè annuit: vt eam habitus formam deferre, & ſub ea vitam Eremiticam ducere, ac Verbum Dei (vti poſtulauerat) diſſeminare valeat, dummodò in Obedientiæ teſtimonium, ſemel in quolibet anno in Prouinciali Minorũ Obſeruantium Capitulo, vbicunque terrarum illum eſſe contigerit, ſe Prouinciali Miniſtro præſentem exhibeat. Poſthæc Clementiſſimus Pontifex Matthæum Apoſtolica benedictione muniens, atque in propoſito confirmans, poſtera die illius conceſſionis Diploma pollicetur.

XI. Hinc facilè omnibus exploratum eſſe poteſt, quàm meritò olim dixerit Sapiens: *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, ad quodcumque voluerit, inclinabit illud.* Quis enim admirandum hoc opus Dei eſſe non agnoſcat? In quo non minùs diuinam virtutẽ ſuſpicere debeat, quàm ſi rapida Iordanis fluenta, præter naturalem curſum ſubſiſtentibus aquis, maximo miraculo diuiſa conſpiceret. Cùm enim nulli non perſpicuum ſit, quàm maturo conſilio, ac prudentia, diligentiſſimâque rerum inquiſitione in huiuſmodi rebus deliberandis Apoſtolica ſedes procedere ſoleat: præſertim, vbi de alicuius Religionis ſumma agitur: Ac præterea quanta Clemens VII. (Vir vtique neq; leuis, neque ad concedenda facilis, nec in negotiis expeditus) grauitate, tarditate, ac rerum gerendarum peritia in agendis præditus eſſet: vt potè qui Leonis X. tempore, cui is ſobrinus fuit, totius Pontificatus molem ſuis humeris geſſiſſet; in hoc tamen Matthæi negotio, in quo de totius Ordinis Minorum Reformatione agebatur; tam curſim, ac feſtinatò itum fuerit; vt facilè leuitati, ac imprudentiæ res adſcribi potuiſſet, niſi maiori, ac ſuperiori conſilio acta fuiſſet. Cuinam dubium eſſe poteſt, quin Deus Optimus Maximus tunc Pontificis mentem aliò, quàm quò conſuetus rerum curſus dirigebat, ſua virtute inclinauerit; reſque tota non humano, ſed diuino prorſus conſilio peracta fuerit: vt inde quoque omnibus perſpicuum eſſet, non ex humana, ſed ex diuina tantùm prouidentia, quæ tunc de Ordinis Reformatione agitabantur, profecta eſſe.

*Prou. 21.*

*Pontificis animus à Deo motus aſſeritur.*

XII. Hoc itaque optimo Dei conſilio factum eſt; vt vera, ac germana primæui habitus forma, quæ B. P. Franciſco, ac cæteris prioris illius ætatis Fratribus Minoribus communis erat, nonnullis retrò ſæculis tenebris ſepulta, hoc tandem anno 1525. & hoc menſe Ianuarij Orbi reſtituta fuerit.

*Vera B. P. Franciſci habitus forma hoc anno reſtituta.*

XIII. Tam celeri igitur, ac fœlici expeditione à Pontifice lata, haud ſanè verbis enunciari poteſt, quàm humiles, quámque impenſas; atque ex animo tunc Matthæus eidem gratias perſoluat. Vix autem à Pontifice dimiſſus, è veſtigio in Apoſtolorum Eccleſiam ſe confert; maiores, atque impenſiores Deo Optimo Maximo gratias acturus. Porrò ibi ſe totum in Dei laudes effundit, diuinum opus agnoſcit, adorat, extollit; nihil ſibi, ſed cuncta, velut à diuina virtute profecta, Deo tribuit: tantoque ſe munere apud Deum indignum inclamans, viribus ſuis diffidit, Dei opem ad omnia exantlanda, ac toleranda ſupplex implorat; omnem tandem parat pro Chriſto ſubire laborem. Neque enim ignorabat Vir diuino ſpiritu illuſtratus, pleróſque ob illam habitus mutationem ſibi labores, ac perſecutionum procellas perferendas eſſe; multa toleranda, quibus maxima animi patientia opus eſſet: quapropter totum ſe diuinæ voluntati ad ipſius nutum committens aiebat; Vre (bone Ieſu) ſeca, finge, refinge, infectum fac, factũ infice; tua, Domine, duntaxat voluntas imperium obtineat, viuat, vincat. Velle tuum mihi vita eſt: quod verò ab eo diſſentaneũ, mors. Quòd ſi vincula, & tribulationes te diſpenſante, me manent: Maneãt. Quid perſecutiones? Quid carceres? Quid flagella? Quid verbera? Quid Cruces exhorream? Viuat, valeat, vegetet diuinum opus tuum; Cur animam meam te, bone Ieſu, pretioſiorem exiſtimem? id tantùm liceat mihi cum Apoſtolo dicere. *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Nihil omnino eſt, ô bone Ieſu, quod te præſente me terreat.

*Rom. 8.*

XIV. His ſe diuini amoris ſtimulis vrgebat Matthæus, ne fortè perſecutionum procella, quam ſibi ex illa habitus mutatione imminere, non leuiter ſuſpicabatur, imparatum offenderet: ac repentino naufragio obrueret. Interea die illa in ſacram Eccleſiarum peregrinationem conſumpta, noctem ferè totam in Apoſtolorum Ædibus inſomnem in oratione ducit. Cùm verò circa diei crepuſculum, Eccleſiæ ſuggeſtum conſcendens, vt in eo nonnihil quietis carperet, diem ſibi illuceſcere expectaret; in quo Apoſtolici indulti Diplomate frui ſperabat, en graui repente febri corripitur: cuius dum æſtu agitatur, mox ſibi ab inuiſibili manu humerum concuti,

*Matthæus in Eccleſia Apoſtolorum nocte orans febre corripitur, ac diuina voce à Diplomate expectando deterretur.*





cœleſtemque vocem hiſce verbis alloquentem audit. Quid hîc ſtas Matthæe? Quid Diploma expectas? An non poſtulata accepiſti? Age, carpe viam, iam Diplomate tibi non eſt opus: tibi enim per Crucis viam eundum eſt; non ab ea per Breuis ſubſidia aufugiendum. Hæc vix cœleſtis illa vox effata erat, cùm protinus Matthæus ſe à vehementi illo febris ardore liberum, atque incolumem ſenſit. Quamobrem diuina mirum in modum virtute recreatus, iam nihil cunctatur: non Pontificem adit, non diploma expectat, quo ſe aduersùs perſecutores muniat: ſed Pontificis ſolo viuæ vocis oraculo contentus, diuinis mandatis obtemperare, atque in viam ſe dedere parat.

XV. En, quo admirabilis Dei prouidentia, Cæleſti conſilio nouæ Reformationis ortum moderabatur. Etenim cùm ineffabilis Dei Sapientia, Matthæum, non ad Ordinis Reformationem; ſed ad veri, duntaxat, ac legitimi habitus reſtitutionem elegiſſet; ex qua tandem Ordinis totius aliundè inſtaurationem excitaret; eo potitum, nullo Diplomate expectato, à Pontifice abire iubet; vt Ordinis Reformationem non ab homine, ſed ab altiſſimo Dei conſilio pendere declararet.

XVI. Matthæus igitur vera B. Franciſci habitus forma ſibi impetrata, haud ſecus, quàm vir ille Euangelicus, theſauro, quem maximè optauerat, effoſſo, mirum in modum exultans ab Vrbe diſcedit, Picenúmque versùs iter dirigit. Interea totus Apoſtolico ſpiritu plenus, cùm nihil præter animarum ſalutem in animo gereret; in eo itinere vbicumque collectos homines, ſiue in oppidis, ſeu in via, vel in ſacris Ædibus inueniſſet, iis ſacrum Dei Verbum tanto ſpiritus ardore effundebat; ac tanta ſimplicium Verborum vi immaniſſimos, atque æternos illos inferorum cruciatus inculcabat (quod illi ſemper familiare fuit) vt ſceleſtos quoſque peccatores maximè terreret, atque ad meliorem frugem pleróſque compelleret.

*Matthæus ab Vrbe diſcedit, ac in Picenũ proficiſcitur, vbique Dei Verbum, non ſine contumelijs diſſeminans.*

XVII. Verùm cùm ea habitus forma necdũ plurimis cognita eſſet, eo plerumq; fiebat; vt alij ſcurram, alij nebulonem, ſcenicum alij, complures illum inſanũ eſſe ſuſpicarentur: hinc haud rarò pueris erat ludibrio, à quibus, vel luto, vel quiſquiliis, ſæpè etiam lapidibus oppetebatur. Nec deerant, qui arrepto manibus Caputio, illum huc, illucque diſtraherent: quæ omnia Vir Dei tam æquo animo ferebat; vt qui in eum priùs conuicia iactabant, aut contumeliis inſectabantur, illius deinde virtutem, ac patientiam intuentes; non ſolùm ab iniuriis abſtinerent, verùm & honore dignum iudicarent.

XVIII. Dum per has viæ ſalebras Matthæus Chriſti veſtigia inſequitur, ac perfectam Minorum vitam præclaris patientiæ, ac cæterarum Virtutum exemplis illuſtrare, atque in ſeipſo ſtudet referre; necdum illi animo exciderant, quæ de B. P. Franciſci habitu Aſſiſio aſſeruato, ac ſacris Imaginibus, quibus quadrati Caputij forma iam olim depicta fuit, nuper illi à Sacerdote commemorata fuerant: quare per Vmbriam iter faciens, ſacra illa B. Franciſci loca, habitum, ſepulchrum, memorias, ſociorum quoque Caputia, Reliquias; priſcas denique illas Imagines, primæui habitus teſtes, inuiſit; quæ omnia cùm ſumma animi pietate, velut pia quædam viuentis in Cœlo Patris monumenta non ſine lachrymis veneratus eſſet: ex his maiores, atque ardentiores ad ſanctiſſimam B. Patris vitam pefectiùs imitandam, illiúſque paupertatem ſectandam ſtimulos ſibi animo inhærere ſentit. Denique cùm tam B. P. Franciſci, quàm ſociorum Caputia diligentiùs inſpexiſſet, ſuum quoque, quod ab iis paululum exorbitabat, ad illorum adamuſſim formam componit.

*Sacras B. P. Frãciſci memorias Aſſiſio colit.*

XIX. Inde Fulginium profectus, cùm non longè ab Vrbe eſſet, accidit, vt Carbonarium quendam in via ſibi obium haberet; qui defixis in eum oculis, cùm eum inſolita illa habitus forma incedentem diligentiùs intueretur, Eremitam arbitratus, his cum verbis compellat. O Eremita: En, obſecro, quidnam in monte mihi inter dumeta ex inopinato reperiiſſe contigit, quod tui habitus figuram præſefert. Statimque antiquum ſigillum ex auricalco fabrefactum profert, in quo B. Franciſci effigies acuminatum Caputium in Capite, & Crucem in manu geſtantis inſculpta

*Antiquum Ordinis ſigillum à Carbonario accipit.*

videbatur. Hoc antiquum erat Religionis ſigillum, quòd cùm primùm Matthæus contemplatus eſt, illius aſpectu obſtupuit; diuinúmque conſilium vehementer admirans, ſigillum non ſemel aſpexiſſe contentus, bis, terque auidiſſimè inſpectat, ſæpiſſiméque oculos in B. Franciſci Caputium coniiciens, quanta inde ipſius animo voluptas accederet, tunc facilè quis in animum ſibi inducere valeat; quòd & præclarum primæui habitus teſtimonium inde erumpere, & ſuauem Dei Opt. Max. prouidentiam in dies illum magis, de futura Ordinis Reformatione certiorem facere conſpicabatur.

XX. Et quidem cùm nulla iucundior, atque vtilior animo cogitatio poſſit accedere; quàm, quæ ex admirabilis diuinorum operum profectus contemplatione oritur; ex qua hominis mens, cæleſti ſapientia inſtructa, fit prudens, atque in diuinis rebus agnoſcendis erudita: planè ſi quis in hanc Ordinis Reformationem, in qua diuini operis potiſſimùm ſapientia elucet, mentis ſeriò cogitationem conferat; tam incredibilem in ea diſponenda, inchoanda, prouehenda, ac tandem perficienda Dei prouidentiam ſuſpiciat: vt ſumma animum admiratione, ac voluptate inde affici opus ſit. Quamobrem id hîc cumprimis admonendum cenſui; vt ex his, quæ vel hactenus ſcribendo attigimus, vel fuſiùs impoſterum Hiſtoriæ ſeriem proſequentibus, à nobis exaranda erunt; qui legerint, diuinam Sapientiam, & cum ea admirabilem erga nouam hanc Ordinis Reformationem Dei prouidentiam addiſcãt. Quis enim antiquum Religionis ſigillum, primæua illa B. Franciſci habitus forma inſignitum, tunc primùm è ſentibus erumpere, ab ignoto homine vltrò Matthæo, non alteri offerri, ac iterum in Orbem prodire; cùm vix noua Ordinis Reformatio in Orbe pullulat, ſecum tacitus reuoluit: qui illud ſupremum Dei conſilium eſſe non animaduertat, vt in ea antiqui habitus forma, & Seraphica Regularis obſeruantiæ diſciplina penè collapſa refloreſceret?

*Iterum ad Franciſcum de Cartoceto redit.*

XXI. Eo itaque Religionis ſigillo à Carbonario dono accepto, quo & inter ipſa exordia noua Capucinorum Reformatio vſa eſt: Matthæus iter Matelicam versùs proſequitur; tandémque ad Eremum S. Iacobi, vbi illum Franciſcus à Cartoceto, cuius ſuperiùs mentio facta eſt, Roma redeuntem expectabat, diuertit. Matthæum aduentantem Franciſcus, auidè excipit, & quid cum eo actum ſit, protinùs inquirit: Cui Matthæus cuncta ordine recenſens, primùm illum Angeli ſub nobilis Viri ſpecie occurſum indicat, tum inſperatum, ac prorſus admirandum ad Pontificem ingreſſum ſubdit: Pontificis deinde benignitatem, humanitatem, verba, interrogationes, ac denique conceſſionem, ac diplomatis promiſſionem enarrat. Quæ etiam noctu illi in Eccleſia Apoſtolorum acciderint; quomodo febre correptus; quo pacto ab ea curatus; quidvè cæleſtis illa vox eidem præceperit: vniuerſa exponit.

*Franciſcus à Cartoceto quadratum Caputium poſt Matthæũ primus ſibi vendicat.*

XXII. His auditis Beatus Senex, tenſis ad Cælũ manibus, ac totus lachrymarum imbribus perfuſus, immenſas Deo gratias agit, ac nulla interpoſita mora, iuxta Pontificis mentem, ac viuæ vocis oraculum, ſibi à Matthæo declaratum, quadrum, & acuminatum Caputium ſibi à Pacifico parari, ac tunicæ aptari curat. Tanta porrò in hac habitus mutatione animi voluptate, ac diuini ſpiritus dulcedine fuit perfuſus: vt nouis lachrymis obrutus ad Matthæum, & Pacificum conuerſus, in has Euangelicas, ac Propheticas voces eruperit: Beati oculi, filij mei, qui vident, quæ vos videtis. Quot ſancti, & perfecti fratres voluerunt hanc ſanctam Reformationem videre, quam vos videtis, & non viderunt. O terque quatérque felices, qui nouo B. P. Franciſci ſpiritu renati, orationi inſtantes, charitate feruentes, & Chriſti Crucem ſedulò in animo ferentes, in ea vſque in finem perſeuerauerint. Multa quidem dura paſſuri ſunt; plurimas tribulationes, perſecutiones, ærumnas, mala tolerabunt, quibus illos probari neceſſe ſit. Verùm hæc illis tentatio, non ad ruinam, ſed ad probationem erit; quæ iis tandem Coronam pariet, qui in his fortes, ac ſtabiles permanſerint.

Hæc



XXIII. Hæc vbi Franciſcus, diuino (vt creditur) ſpiritu illuſtratus, de futuris huius Reformationis tribulationibus prædixit, multa cœpit cum Matthæo priuatis ſermonibus de agendorum ordine, ac ratione conferre: tum verò poſt aliquot dies optimis conſiliis inſtructum, his tandem verbis dimiſit. Vade Matthæe, & pone faciem tuam ſicut petram duriſſimam. Bellabunt aduersùm te; at non præualebunt; quia ecce erit Dominus fortis liberator tuus.

*Franciſcus à Cartoceto in Reformationis habitu retinendo conſtantiſſimus.*

Iam verò hîc prima Capucinorum Reformationis incrementa lubet inſpicere: cùm enim primus omnium Matthæus, vero, antiquoque B. Franciſci habitu reſtituto, prima Capucinorum Reformationis fundamenta iecerit; poſt eum ſecundus inter Capucinos hic Franciſcus fuit, cuius, præter inſignem vitæ ſanctimoniam, tantus fuit erga Reformationem ardor; vt conceptum illius propoſitum, atque habitus formam ſemel arreptam, quocumque rerum diſcrimine nunquam deſeruerit. Nam re ad Ioannem à Fano, illius Prouinciæ Miniſtrum, perlata: cùm is ad Franciſcum ſtatim conuolaſſet, ac partim ſuauibus, partim duris verbis, ac minis à propoſito deterrere, atque à ſuſcepta Caputij forma reuocare conaretur: tam in ea retinenda firmum, ac conſtantem offendit: vt pro ea carceres, & exilia ſubire non vereretur. Quo fit, vt Miniſter, tum ob notam Viri virtutem, ac ſanctimoniam: tum maximè quòd nouam Reformationem ob cæcitatem, ac extremam illius ſenectutem ab eo propagandam minimè extimeſceret: neque duriora experiri, neque vi illum, ad priorem habitus formam repetendam, compellere voluerit.

*Matthæus in oppidis Montis Feltrij Dei verbum magno animarum fructu diſſeminat.*

XXIV. Iam Quadrageſimalis ieiunij tempora inſtabant: cùm Matthæus ab Eremo S. Iacobi digreſſus, ad quædam Montis Feltrij Oppida ſe confert: vbi, cùm ob diuturnam, ac patriam cum iis neceſſitudinem, omnibus penè notus eſſet: ibi pedem figere, ac Dei Verbum toto illo temporis ſpatio diſſeminare ſibi in animum inducit. Porrò libri, ac Codices, quibus ſtudere, ac ſollicitè ſeipſum ad Euangelicum opus parare curat, non alij ipſi eo tempore fuêre, præterquam arcta panis, & aquæ ieiunia: duriſſima carnis flagella, vigiliæ, noctes in diuina contemplatione inſomnes, ardentiſſima orationum ſtudia, lachrymæ, ſuſpiria, ob animarum ſalutem ex imo pectore ducta. His in libris Vir ſanctus adeò ſeipſum diu noctúque exercebat: vt eorum ſtudiis penè confectus, vix pellem oſſibus hærentem geſtaret: quo fit, vt diuina illius verbis virtute accedente, penè incredibiles in audientium animis ſuis ſermonibus, ad pœnitentiam motus excitaret.

XXV. Erant illius verba, non floribus contexta, non aures demulcentia, non modulatis vocibus concinnata: ſed ſimplicia, rudia, nullo orationis fuco illita; cordis tamen imum penetrantia: quibus cùm frequenter ſempiternos Tartari ignes horrendè inculcaret, tantum impiorum animis pauorem incutiebat: vt facilè illos ad lachrymas, ac pœnitentiam flecteret. Quo fit, vt exiguo illo tempore, quo Dei verbum hiſce in locis diſſeminauit, Deo cùm primis agente, tam ingens ob illius ſermones populorum commotio fieret: vt vndique regionis illius homines turmatim, ad eum audiendum confluerent: tamque animis ab eo compuncti diſcederent: vt innumeri pené ex Erebi faucibus erepti ad Chriſtum redirent, ac vitam in meliùs commutarent.

XXVI. Hoc Apoſtolico munere functus, cùm iam Prouinciale Capitulum immineret, quod hoc anno circa mẽſis Aprilis initium Matelicæ à Fratribus Minoribus de Obſeruantia celebrandum erat: Matthæus, vt Pontificis iuſſa impleret, quibus illi præceptum fuerat: vt ſemel in anno, in obedientiæ ſignum, ſe in Prouinciali Capitulo Miniſtro præſentem exhiberet: eò opportunè ſe confert. Erat tunc illius Prouinciæ Miniſter Ioannes à Fano: Vir humana cùm primis prudentia præditus, atque inter illius Ordinis Patres auctoritate, ac rerum agendarum dexteritate præcipuus: à quo dum humaniter, ac Paterna (vti ſolet) charitate ſe excipiendum ſperat: grauem eum ſibi aduerſarium experitur. Is enim vbi Matthæi ab Ordine

diſceſſum,

diſceſſum, atque habitus mutationem reſciuit; cùm id maximè pertimeſceret, ne illius exemplo cæteri quoque, qui in Ordinis Reformationem conſpirabant, permoti, cum eo ab Ordine diſceſſum pararent; ex quo Ordo paulatim dilaberetur; ea re grauiter commotus, atque animo exulceratus, temporis opportunitati: qua ſibi in manus incideret, ſollicitè ſtudebat: Quapropter eam nunc ſibi inter manus oriri arbitratus; Matthæum, nihil ſiniſtri cogitantem, aſperè obiurgatum ſtatim in vincula conijci iubet: ac Foranum, Maceratæ Oppidum, perduci curat; vbi carceri mancipatum, velut Apoſtatam, tandiu loci aſperitate, victus inedia, flagellis, atque aliis ſuppliciis vrgere parat: donec à propoſito reuocatum priſtinæ Ordinis communitati reſtituat. Quanta in eo carcere Matthæus mala ob Miniſtri auſteritatem perpeſſus fuerit, haud facile eſt referre: Etenim præter vincula, compedes, flagella, quotidiana ieiunia, quæ illi à Miniſtro inflicta fuerant; non deerant, qui contumeliis, irriſionibus, ſarcaſmis quotidie illum laceſcerent.

*A Ioãne Faneſtri, Prouinciali Miniſtro in vincula coniicitur.*

XXVII. Hæc verò, partim Satanæ liuor in Matthæum conſilia excogitauerat, vt illum à cœptis deſiſtere, & aggreſſum Reformationis opus, à quo ſibi grauiter metuebat, cogeret infectum deſerere: partim verò id humana Miniſtro prudentia ſuadebat; ne ſcilicet ex noua illius habitus forma, quæ animos ſua nouitate, atque aſperitate ad Reformationem pelliciebat, ſchiſma in Ordine concitaretur. At verò Deus Opt. Max. quæ incomprehenſibilis illius ſapientia eſt; humanis hiſce, ac Diabolicis conſiliis benè vſus; meliori, ac diuino prorſus conſilio, ea, tum ad maiorem Matthæi profectum, tum ad ampliorem Reformationis ſtabilitatem transferre voluit. Hæc enim tam rigida, & ſeuera Miniſtri diſciplina tantum abeſt, vt Matthæi animum, aliqua ex parte commotum, à propoſito deterreret, quin potiùs noua Dei virtute confirmatum ad maiora parat: qua fiebat, vt is ita ſibi in ea malorum perpeſſione gratularetur; vt ſæpè præ exuberanti illorum guſtu, ac ſuauitate exclamaret, ſe nunquam tam lautè, ac opiparè à quoquam, quàm tunc à Miniſtro, exceptum fuiſſe. Recolebat ſiquidem animo Vir ſanctus, quæ in Eccleſia Apoſtolorum paulò anteà à Cæleſti voce, de via Crucis ſibi obeunda acceperat: ac propterea tanta in iis duris perferendis animi voluptate perfundebatur; vt ſe tunc tantummodo Dei ſeruum eſſe clamaret, cùm Domini Cruce in humeros ſublata, Chriſti Domini præeuntis veſtigia ſequebatur. Denique inter illas carceris anguſtias tanta animi tranquillitate, ac diuini ſpiritus ſuauitate affluere viſus eſt: vt Deum aſſiduè laudans, nec vllis quidem opprobriis ſaturari poſſe videretur.

*Inter vincula, & carceres Deũ laudat.*

XXVIII. Porrò dum hæc cum Matthæo duriùs aguntur; quidam illius familiæ Sacerdos, cui nimia Miniſtri erga Matthæum ſeueritas plurimùm diſplicuerat; eidem ſuadere nititur, vt è carcere, cuius illi fores ſe patefacturum pollicetur, noctu aufugiat, ac ſe tot malis eripiat. At verò Matthæus indignum id facinus, ac grande piaculum arbitratus; rem modis omnibus agere recuſat: Fratrémque id illi, tametſi piè, ſuadentem aſperè increpans, his verbis obiurgat: Non eſt frater, tam horrenda Chriſti Crux, vt eam vir fidelis expaueſcere debeat: neque tam formidanda, vt ab ea vel fugiendum, vel quoquo modo declinandum ſit; quin potiùs obuiis vlnis, & chariori quàm eloqui fas ſit, amplexu, cùm offertur, excipienda. Abſit à me, Frater, tam indignum ſcelus; Neque bona, neque benè conſulis. Sathanæ hoc conſilium eſt: Haud meminiſtin', quid Dominus Petro, hoc ipſum illi ſuadenti, reſponderit. *Vade retro Sathana, ſcandalum es mihi: non enim ſapis, quæ Dei ſunt.* Deſine, Frater, quæ hominum ſunt, ſuadere; ne Dei ſapientiam, quæ in hac Cruce mihi oblata glorificari vult, contemnere videaris; atque inde maiorem Dei in te iram concites.

*Matthæus, egreſſum de carcere ſuadenti, quid reſponderit.*

Matth. 8.

XXIX. Hac Matthæi conſtantia Sacerdos vehementer obſtupuit; ac tunc primùm eximiam viri perfectionem, ac ſanctimoniam admirans, maiori erga ipſius liberationem ſtudio incenditur; quam cùm ſe nulla alia ratione aſſequi poſſe ſperaret, captata negotij cuiuſdam occaſione, Camerinum proficiſcitur, vbi Catharinam Ge-





nuenſem ex illuſtriſſ. Ciboũ familia ortã, Camertiũ Duciſſam, ac Clemẽtis ſeptimi Pontificis ex ſorore Neptem adit; quæ cùm pia Matthæi ſtudia, ac labores, in eorum præſertim infirmitatibus ſubleuandis, experta eſſet; qui peſtis morbo biennio ante in tota Camerinenſi ditione laborauerant; ſingulari illum reuerentia, ac deuotione proſequebatur. Hanc Sacerdos, vbi eorum, quæ ad Matthæi vitam, mores, integritatem ſanctimoniam in Ordine perſpicuam, ac præterea de noua habitus forma illi à Deo reuelata, ac viuæ vocis oraculo eidem à Pontifice conceſſa, ex qua Ordinis Reformationem vniuerſi penè futuram ominãtur, certiorem reddidit: poſtremò quàm durè à Miniſtro Prouinciali, haud aliam ſanè ob cauſam exceptus fuerit, quàm quòd ſibi is de futura cæterorum reformatione timeat, recenſet: demũ, carceres, flagella, inedias, contumelias narrat, quibus vndique à Miniſtro affligatur.

XXIX. His de Matthæo auditis, Duciſſa tam grauiter eo nuncio affecta fuit; vt ſtatim cõclaue ingreſſa, ardẽtes, ac minaces ad Prouincialem Miniſtrum literas dederit; quibus eum in primis de iniuſta ſancti Viri oppreſſione, qua ſe grauiter læſam ſenſerat: tum etiam de contẽptu Pontificis (cuius ea neptis erat) auctoritate, grauiſſimè conquerebatur; poſtremò niſi dicto citiùs Matthæũ Camerinũ, ad ſe liberũ mittat, rẽ ad Pontificem quãprimùm ſe delaturã minatur; vt ab eo ſuæ temeritatis pœnas propediẽ luat. Hoc acriori ſtylo exaratas literas certo Tabellario dat, vt eas celeri curſu ad Miniſtrum perferat. Neque eo contenta, poſthæc Vrbis Camerinẽſis Guardianum, quem cum Miniſtro aduersùs Matthæum conſpiraſſe audierat, ad ſe accerſitum, haud ſanè benigniùs verbis, quàm per literas Miniſtrum, excipit: nam poſt graues de iniquis Matthæi vinculis, ac preſſuris querelas eidem obiectas, eum tandem è Monaſterio exturbandum acerbè minitatur; niſi Matthæum quamprimùm à vinculis abſolutum, ad ſe mittendum curet.

*Catharina Ciboa, Camerinenſium Duciſſa, ſollicitè pro Matthæi liberatione laborat.*

XXX. Porrò Guardianus nobiliſſimæ mulieris, cuius alioqui pietas omnibus perſpecta erat, ira perterritus, omnem ſuam illi, ad eam rem operam pollicetur. Moxque prõptè ad Miniſtrum ſcribens; quo in diſcrimine res verſentur, certiorem reddit: & & quàm meliùs conſultum ſit Duciſſæ morem gerere, quàm illius, tum priuatè, tum publicè apud Pontificem indignationem experiri, literis exarat.

XXXI. Miniſter verò Duciſſæ literis acceptis, rem altiùs cœpit animo perpendere; atque imminentia ſibi vndique pericula prudentiùs contemplari. Quamquàm enim à ſpreta Apoſtolicæ Sedis auctoritate, eo ſe argumento liberare poſſet, quòd nulla Matthæus ſe expreſſa Pontificis licentia tueretur; qua, & habitus formam mutare, & extra Ordinẽ degere valeret. Cũ tamẽ eius rei fama iã ferè apud omnes Ordinis Fratres in Italia percrebuiſſet, idque inculpata Matthæi vita, ac nota virtus non obſcurè confirmarent: eò potiùs inuidentiæ, ac tumoris vitium contegere, quàm vitium ipſum abſtergere videbatur: quo fit, vt cùm hinc haud ſatis ſibi ea ratione, ſeu potiùs effugio cautum animaduerteret; illinc Duciſſæ, quam apud Pontificem plurimùm auctoritate valere non ignorabat, indignationem ſibi, ac toti illius Prouinciæ familiæ pernicioſam extimeſceret; morem omninò illi gerendum cenſet: Quare humaniſſimas, atque humilitatis plenas ad eam literas reſcribens; quibus ea, quæ in Matthæum geſta fuerant, optima mentis intentione, ac prudenti ratione excuſat: Matthæum ſe propediem liberaturum, atque ad eam miſſurum pollicetur. Quamobrem binis protinus Foranum expeditis Fratribus ad Guardianum ſcribit; vt Matthæum è carcere eductum liberum ad Catharinam Duciſſam ire permittat.

*Ioannes à Fano Miniſter, Matthæum iubet è carcere ſolui.*

XXXII. Interea plerique tam illius familiæ; quàm aduentitij Fratres, qui ea fama commoti, quæ de habitus mutatione, & Pontificis conceſſione apud omnes percrebuerat, Matthæo ſeſe adiungere optauerant; clam Matthæum in carcere conueniẽtes, obnixè rogant; vt è carcere, cuius illi patefactis foribus libertatẽ offerebant, opportunè fugeret. At prorſus id recuſat Matthęus, his verbis vſus: Cur me potiùs, Fratres, ad laborum tolerantiam, quàm ad fugam veſtris conſilijs non compellitis?

Tolerantia fortium eſt, fuga ſocordium: degeneres animos timor alit. At illi, proprium mentis conſilium aperientes, preſſiùs ab eo efflagitant; vt pia eorundem ſtudia, ac multorum ſalutem priuato ſuo bono anteponat: Petri Apoſtolorum Principis exemplum eidem ante oculos ponunt, qui ob publicum aliorum commodum minimè à Chriſtiana Religione diſſentaneum duxit, Romæ publica è cuſtodia euadere; tot denique bona ad publicam vtilitatem ſpectantia inde emergere oſtendunt: vt his fraternæ charitatis vinculis Matthæus obſtrictus, eorum tandem precibus acquieſcere compulſus fuerit. Quapropter, cùm in eum carcerem ſub finem Aprilis detruſus fuiſſet, poſt trium circiter menſium ſpatium, in ipſo menſe Iulio, ab eo liber egreditur.

*Matthæus à carcere liber emiſſus, Camerinúmque proficiſcitur.*

Porrò necdum Fratres à Miniſtro expediti cum literis Foranum appulerant, XXXIII.
cùm Matthæus liber à vinculis Camerinum versùs proficiſcebatur: quapropter ij non multò poſt aduentantes, cùm Matthæum iam euolaſſe intellexiſſent; mox eius rei Miniſtrum certiorem faciunt, qui altera epiſtola ad Catharinam Duciſſam data, Matthæum iam liberum eſſe ſignificat. Verùm Catharina, cùm necdum Matthæum videret, hanc Miniſtri artem eſſe ſuſpicata: qua ei potiùs verba dare, quàm rem ipſam præſtare ſtuderet: rurſus Camerinenſem Guardianum ad ſe vocatum duris verbis compellat; vt Matthæum quamprimùm ſibi liberum reddat.

Dum inter has animi anguſtias Guardianus verſatur, atque vnde Matthæum, XXXIV.
quem iam è carcere emerſiſſe intellexerat, habere poſſet, ignoraret. En Matthæus Camerinum appellit, rectaque ad Catharinam Duciſſam pergit, quæ tum ob ſingularem animi deuotionem, qua erga Virum Dei afficiebatur, tum etiam ob ſummam, quam ex illius aſpectu tunc animo primùm voluptatem concepit: propriæ velut dignitatis oblita, tanta cœpit ſecum humanitate, ac familiaritate agere; vt, cùm nulla humanitatis officia prætermitteret, quibus illum ex itinere venientem exciperet, ac feſſum recrearet; illum ipſum matris affectum, quem animo gerebat, vultu, ore, verbis, geſtu præſeferret. Nihil pia, ac nobiliſſima mulier; quanquam vniuerſa erga ipſum pietatis, ac charitatis officia præſtaret, quæ ex itinere defatigatis exhiberi poſſunt, ſibi agere videbatur. Vbi verò aliquantulùm eum ex viæ laboribus recreatum videt, mox illum multis interpellare; ac plurima ab eo de perpeſſis laboribus, ac carceris anguſtijs, alijſque ſupplicijs, quibus à Miniſtro affectus fuerat, quærere, ac ſciſcitari cœpit.

*[illegible]*

Cui Matthæus, nihil cum eo, niſi religioſo, atque optimo animo actum fuiſſe reſpondet: neque vnquã tam iucundè, ac ſplendidè à Miniſtro exceptũ fuiſſe affirmat; cui propterea plurimùm debeat. Quòd ſi aſperum quicquam illi accidit, id non aliorum, ſed ſuiipſius tantummodò vitio tribuendum eſſe ait, cui aſpera omnia debentur. His abſque vlla mendacij ſuſpicione ad Miniſtri excuſationem dictis, pia Duciſſa aliò ſermonem conuertens, quid veſtis illa lacera, ac breuis, quidve quadratum illud Caputium à priori diuerſum ſignificet, aut noui portendat, ſollicitè inquirit. Cui cùm Matthæus morem gerere, ac verbis ſatisfacere vellet; cuncta ordine receẽſet, quæ de B.P. Frãciſco à ſe in itinere viſo, de Chriſti Domini voce ſibi è Cælo inter orandũ allata, qua ad literalẽ, ac perfectã Regulæ obſeruantiã cõpellebatur; de Romana profectione, de Pontificis conceſſione, de Põtificio Diplomate, ob Dei præceptũ ommiſſo, ſibi acciderant; Narrat præterea ex apertiſſimis tũ habitus S. Frãciſci, ac ſociorum, qui Aſſiſio, atque alibi aſſeruantur; tum ex antiquiſſimis picturarum teſtimonijs, eam ipſam veram, & antiquã eſſe B.P. Franciſci habitus formam, qua prima illa Ordinis ætas, ex B. Patris inſtitutione, vſa fuit. Poſtremò quid ſibi animo inhæreat, apertè illud eſſe indicat, non nouã vllam Ordinis Reformationem excitare, aut Congregationem inſtituere; quippe qui nullam ad id Dei vocationem acceperit: ſed in ea duntaxat habitus forma perfectiùs, quoad homini liceat; Regulã obſeruare, in Eremis vitã degere, ac præſertim Orbem euãgelizãdo, ac peccatores ad pœnitentiã prouocãdo peragrare. Quãquã verò nihil ipſe de aliorũ Reformatione cogitet; optimo tamẽ Dei cõſilio fieri poſſe indicat, vt inde maxima in Ordine Reforma-

tio



tiò exordium ſumat; quòd ſe tum ex ſingulari Dei in Ordinem prouidentia, quæ Regulæ obſeruãtiam omninò dilabi nunquam patitur, indubiè colligere: tum etiam ex Dei reuelatione, quam ex Beati Senis Franciſci à Cartocero teſtimonio ſe accepiſſe refert.

XXXV. His pia Duciſſa mirum in modum lætata: cùm Ordinis Reformationem vehementiùs optaret, nihil tunc animo magis expetere viſa eſt, quàm quòd ſe totam in optatæ Reformationis opus, ac propagationem effunderet. Quapropter vbi Matthæum ad deſtinatam ſibi à Deo vocationem eſt cohortata, omnémque ſuam illi opem, ac operam ad quoſcunque rerum euentus promptiſſimè obtulit: grauiſſimè obteſtatur, vt ſi quando exilia futuræ Reformationis principia ſua opera indigeant, id ſibi certò perſuadeat; nihil aut iucundiùs, aut optabiliùs illi vnquàm accidere poſſe, quàm omnia ſua, auctoritatem, opes, ditionem, ſeipſam denique totam ad eam tuendam, ac propagandam conferre.

*Catharina Duciſſæ erga Reformationem ardor, ac pietas declaratur.*

XXXVI Haud ſanè immeritò olim à Sapiente dictum fuit: *Fundamenta æterna ſupra petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.* Tantus enim nobiliſſimæ huius mulieris erga Capucinorum Reformationem animi ardor, ac pietas fuit, vt eam Deus Opt. Max. (quod ex futura huius Hiſtoriæ ſerie luculentius fiet) velut munitiſſimum nouæ Religionis propugnaculum, ad eam ædificandam, tuendámque ſibi delegiſſe videatur. Cùm enim ea animo præſtans eſſet, vtpotè humanis, ac diuinis literis apprimè erudita (quod in ea inſolitum, ac ſingulare fuit) atque ob arctum conſanguinitatis vinculum, auctoritate apud Pontificem plurimùm valeret; his ad ſui ſuſtentationem adminiculis Reformatio inter languida ipſius exordia maximè indigebat: quæ tamen incomprehenſibilis illa Dei ſapientia à muliere exhiberi voluit, vt cùm in iis, nihil præter infirmum vniuerſi conſpicarentur; non hominum potentiæ, ſed diuinæ tantùm virtuti opus adſcriberent.

Eccleſ. 26.

XXXVII. Poſthæc Matthæus à Catharina Duciſſa dimiſſus, ad ſuum ſe diuinæ vocationis opus accingit; Regiones circumcirca diuinum rorem ſitientes euangelizando perambulat, ac Dei Verbo conſpergit; metúque omni depoſito, non vt antea, inter ſyluas, & lucos, velut transfuga, deliteſcit: ſed noua Dei virtute poſt Forani carcerem confirmatus, publicè inter homines conuerſari, palámque animarum ſalutem negotiari non dubitat: tanta denique animi fortitudine, ac conſtantia ab eo tempore ſe diuinitus munitum ſentit; vt neque flagella, neque carceres metueret; cunctáque pro Chriſti nomine perferre, vitámque ipſam profundere haud formidaret.

*Matthæus feruentiori ſpiritu prædicationi incumbit.*

XXXVIII Duciſſa verò poſt Matthæi diſceſſum, cùm illius tranquillitati proſpicere vellet, nouas ad Miniſtrum literas ſcribens, cum eo benigniùs agit, vt nulla deinceps Matthæo ab eo vis, aut moleſtia inferatur.

ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. REFORM. CAPVC.
1526. 3. 8 2.

I. ANNO itaque Domini 1525. iam elapſo, milleſimus quingenteſimus ſupra ſextum, & vigeſimum iam eluxerat; cùm Matthæus, Catharinæ Duciſſæ opera, ab omnibus, tum periculis, tum humani timoris vinculis liber, nouaque indutus virtute ex alto; cùm nihil præter animarum lucra, ad quæ diuino quodam impulſu propellebatur, animo reuolueret; fulguris inſtar, per Camerinenſem agrum, & illius Oppida, Dei verbum diſſeminans, excurrebat. Erat Matthæus vir eximia virtute, ac ſimplicitate præditus; qui cũ rerum cæleſtium contemplationi magis, quàm Scholaſticæ Theologiæ ſtudiis operã daret; eo fiebat, vt ſubtilioribꝰ Philoſophicæ, ac Theologicę diſciplinę quęſtionibus, quæ pro concione interdũ exagitari ſolent, prætermiſſis; tam priuatis, quàm publicis colloquijs rudẽ plebem erudiens, id dumtaxat, velut ſibi antiquiſſimum, curaret; vt in omnium pectoribus, iuxta B.P. Franciſci Regulare pręſcriptũ, odiũ acre vitiorum, ac virtutis ſtudium ingeneraret: Dei quoque, & Eccleſiæ præcepta animis diligẽter inſtillaret; & ad ea ſeruanda ſempiternis cæleſtis Regni præmijs: maximè verò horrendis Inferorum ſupplicijs, concitato animi ardore, potiùs, quàm cõpoſita oratione, aut verborum delectu compelleret. Denique, cùm nihil intentatum relinqueret, quod ciendis ac flectendis ad pœnitentiam peccatoribus aptũ eſſe exiſtimaret; in id tanto ſpiritus ardore, motúque ferebatur: vt ipſos quoque incompoſitos animos vi quadam ad ſeipſum traheret, & à vitio abſtractos ad virtutem transferret.

*Matthæus Dei Verbum per Camerinenſem agrũ diſſeminat.*

II. Neque id mirum: cùm & antiqua Apoſtolicæ prædicationis ratio, cui os, & ſapiẽtia, virtúſque à Domino promittitur: noua quoque illa hiſpidi habitus forma, & horribilior pœnitentiæ aſpectus, quem ipſa pallens facies, & auſteritatis rigor præſefebant: præſertim verò animus ab omni rerum humanarũ cura, ac cupiditate liber, ac expeditus: mirabiles, tum ad vitia abiicienda, tum ad virtutes amplectendas, omnium animis impetus cieret.

III. Is verò Matthæo mos quotidianus erat: vt diem quidem totum ad ſpiritualem animarum ſalutem curandam conferret: ſtipem vicatim, atque hoſtiatim ad victum mendicaret, eáq; tenui contentus, ſi quid ex ea ſibi reliquum eſſet, pauperibus erogaret. Noctu verò in aliquod ſtabulum, vel tugurium ſecedens, poſt breuem quietem, maiorem illius partem in orationem impenderet.

IV. His Matthæus dũ totus animo intenderet, incredibiliq; in omnes charitate flagrans, omnes Chriſto lucrifacere ſtuderet: Accidit, vt hoc ipſo anno, ingẽti fame per Italiã exorta, pauperes ob victus inopiã, in Camerinẽſi præſertim agro, paſſim interirent: quos ille ex intimo cordis affectu cõmiſeratus omnẽ mox viã, ac modũ, quo illorum inopiã ſubleuare queat, ſecum animo reuoluit. Porrò Deus Opt. Max. qui pijs huius Matthæi cogitationibus delectabatur: illud illi è Cælo conſilium miniſtrat: vt ingentem Fabarũ copiã, à pleriſq; ditioribus viris emendicatã, colligeret: vacantéſq; quoſdam agros iuxta Montis Cerignonis Oppidũ, in quibus Fabas ſereret, à pijs quibuſdã viris ſibi accõmodari, & excoli curaret. Excreuerunt, Deo præcox incrementũ dãte, ante tẽpus ſtipulæ Fabales, tot Fabis onuſtæ: vt non humana diligentia, ſed diuina prorſus virtus in his operata videretur. Mox præconum voce per totũ Camerinẽſem agrum euulgatum fuit, agrorũ illorũ Fabas pauperum tantummodò alimenta eſſe: ac proinde, quotquot ex pauperibus fame premerentur, ijs ad Fabas tũ edendas, tum exportandas accedere licere: dummodò ſcaphos integros relinquerent. Eo præconio per omnem Regionem diffuſo: vndique pauperum multitudinẽ lætam ad Matthæi Fabas confluere vidiſſes: hos quidem ad ſaturitatem Fabis veſci, illos poſt eſum ſinu, ſacculis, ac caniſtris oneratos, eas in domum aſportare: nec tamen Fabas diminui: ſed potiùs in dies vberiores fieri. Neque vno tantùm, aut altero die, aut per breue tempus hæc pauperum ferè innumerorum ad Fabas frequentia fuit; ſed ex quo Fabæ matureſcere cœperant, tandiu is productus eſt: quoad, meſſe adueniente, pauperes ipſi, velut ex faſtidio Fabas

*Matthæus Fabas ad pauperum alimoniã ſeminat, quæ miraculosè à Deo multiplicantur.*

reſpuerent.



ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. REFORM. CAPVC.
1526. 3. 8. 2.

reſpueret. Stupent omnes; cúmque tam ingenti pauperum multitudini plura huiuſmodi Fabalia, vix vnico die ad edendum, atque aſportandum ſatis eſſe potuiſſent, admirandum hinc diuinæ prouidentiæ opus ſuſpiciunt. Iam verò ceſſante pauperum frequentia, ac tempore iam aduentante, quo Fabæ ad reponendum colligi ſolent; Matthæus, agrorum Dominis ad ſe vocatis, quod reliquum erat Fabarum, ijs colligendum, ac ſibi reponendum relinquit. Ijs primùm Matthæus nugari potiùs, ac verbis ludere, quàm ſeriò loqui viſus eſt; cùm poſt tantam, ac tot pauperum incurſionem, neque ſcaphos ipſos, nedum fabas ſupereſſe ſibi perſuaderent: quin etiam Fabas tandiu ſuperſtites fuiſſe velut miraculum ducerent. At cùm Virum Dei haud nugantem, aut minùs ſeriò agentem percepiſſent; rem minimè riſu dignam arbitrati, ad ſuos quique agros ſe conferunt, Fabarúmque reliquias colligentes, tot ſibi cumulos reponũt; vt nunquam vberiores ſuperioribus annis; quibus diligens cuſtodia, ab ijs adhiberi ſolebat, horreis ſe condidiſſe meminiſſent. Eo nempe miraculo Deus Opt. Max. & antiquam ſuam in pios homines, pauperum præſertim amatores liberalitatem, quam alto fœnore illis redditurām pollicitus eſt; cùm per os Sapientis diceret. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Prou. 19. Et ſupernam erga egenos prouidentiam commendare voluit: quos ſuæ curæ relictos non ignorat. Vate ipſo atteſtante: *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.* Pſalm. 9. Denique eo teſtimonio, quàm flagrans Matthæi in pauperes pietas ſibi grata eſſet, quantúmque ipſius apud eum ſanctimonia valeret, non obſcurè omnibus teſtatam eſſe voluit; vt eò libentiùs populi in ipſius verba animum intenderent, quem ſignis, ac miraculis loquentem audirent.

V. Et quidem cùm Matthæi verba, quibus is populum ad diuinorum præceptorum obedientiam hortabatur, ſimplicia, & agreſtia eſſent; nullo orationis fuco, aut ſermonis compoſitione exculta: quæ ad rudioris potiùs populi cibum, quàm ad nobilium fercula apta forent: haud mirum, quod Fabarum, qui pauperum cibus eſſe ſolet, miraculo, velut ſimulachro quodam Deus cæleſtem Matthæi vocationem, quæ in pauperum præſertim vtilitatem, & commodum reſpiciebat, declarare; rudémque populum admonere voluerit, vt ſpiritualem eſcam à Matthæo idoneam quæreret.

VI. Neque id ſanè fruſtrà. Nam hoc Fabarum miraculum longè latéque per varias Italiæ plagas diffuſum, vix credibile eſt, quantam Viro Dei apud Chriſtianum populum auctoritatem comparauerit. Eo etiam plerique tam ex ſæcularibus, quàm ex Religioſis Viris commoti, ad Matthæum hoc tempore conuolarunt; vt illos Matthæus ad eiuſdem vitæ, atque inſtituti ſocietatem adiũgeret. Verùm cùm Matthæus id ipſis ea ratione pernegaret, quòd eam habitus formam, ac viuendi rationem ſibi tantùm, non in alios diffundendam, à Pontifice accepiſſet: futurum tamen aliquando ſpondebat; vt Reformationis germine radicato, atque altiùs exorto, voti tandem compotes fierent; hoc pacto, eorum ſtudia animóſque ad futuram Ordinis Reformationem accendens, perfectam Domino plebem parabat.

*Miraculo Fabarũ plerique commoti.*

VII. Dum hæc Matthæus in agro Camerinenſi diuina virtute patraret, ac piis omnibus charitatis officiis in omnium ſe ſe commodum, ac vtilitatem effunderet; Franciſcus à Cartoceto, cuius ſæpè memini, qui Eremum ſancti Iacobi propè Matelicam incolebat; cùm iam ſenio, ac variis vitæ aſperitatibus confectus eſſet, in extremum tandem morbum incidit; vitámque maximis in virtutibus tranſactam beato fine concluſit; qui cùm inter Capucinos ſecundus, Reformationis habitum conſtantiſſimè vſque ad mortem retinuerit; de illo hîc nonnulla duntaxat commemoranda ſunt, quæ ex antiquis Ordinis noſtri monumentis integra haberi potuerunt.

VIII. Fuit igitur Franciſcus è Cartoceto, Fani oppido, (vt diximus) honeſtis, licèt agreſtibus parentibus ortus; qui cùm ruri vitam ducerent, puerum vix primis Grammaticæ rudimentis imbutum, ruralibus laboribus addixerunt.

*Vita Franciſci à Cartoceto, ac ipſius virtutes enarrantur.*

His puer tametſi quotidiè vacaret,haud tamen in ijs adeò ſemetipſum effundebat,
quin animum ſæpè ad pietatem;ac rerum cæleſtium ſtudia conferret.Hinc frequen-
ter ad ſolitaria loca ſecedens,vbi à nemine videri poſſet; ibi genuflexus, orationi
vacabat, ac plerunque flagelli diſciplina corpus erudiens, ſpiritui ſubiectum eſſe
docebat. Præter hæc ſpiritualium librorum lectione, cùm iam quintumdecimum
annum attigiſſet, magnoperè delectabatur:quo fiebat, vt cæterorum ( quoad fieri
poterat) ac præſertim mulierum conſortia, atque alia animi oblectamenta fugiens,
animum ad virtutes transferret. Vbi verò ad decimumſeptimum annum peruenit;
ne floridam ætatem virulentus ſerpens ſuo voluptatum veneno inficeret, Patre lu-
minum inſpirante, Mundo tempeſtiuè, valedicit; atque in B. Patris Franciſci mi-
litiam inter eos, qui de Obſeruantia nuncupantur, conſcribi feſtinat: in qua,cùm
profeſſionis vota poſt annum emiſiſſet; ea toto vitæ ſuæ curriculo tam integrè Deo
reddere curauit, tantúmque in Regularis diſciplinæ vitæ auſteritatibus,atque om-
nium virtutum ſtudio profecit; vt,cùm ſemel in die duntaxat refectionem ſume-
ret,ac B.P.Franciſci ieiunia, tam perfectè,ac tam arcta abſtinentiæ lege ſeruaret; vt
nihil in his præter panem, & aquam,ad victum adhiberet, his quoque cæterarum
virtutum,quæ Euangelicum hominem præſtant,cumulum adiiceret.

*Franciſcus Obſeruantiũ Ordinem ingreditur.*

Cùm ſemel in libellum incidiſſet,in quo de perfecta Regulæ obſeruantia ageba- IX.
tur; rem ſecum profundiùs, ac frequentiùs repetens; cùm Ordinem nonnihil ab
altiſſimæ præſertim paupertatis via exorbitaſſe animaduerteret,ea re tam grauiter
animo afflictari cœpit, vt perennes in oratione lachrymas funderet.Hinc tanto Re-
gularis obſeruantiæ zelo viſus eſt exardeſcere; vt alterius Eliæ inſtar, Legis obſer-
uantiam zelans, nihil præter Ordinis Reformationem, quæ iam ab eo tempore
apud pleróſque Ordinis Fratres,quibus laxa communis vitæ diſciplina inuiſa erat,
clàm ſuſurrabatur, animo verſaret. Verùm,cùm eam aſſequi poſſe haud ſperaret;
Eremum S.Iacobi,quæ Minorum Obſeruantium Domus eſt, propè Matelicam ex-
ſtructa, quámque ob loci aſperitatem Fratres paulò antea deſeruerant; à Fratre
Ioanne Faneſtri, tunc Prouinciali Miniſtro, ſummis tandem precibus impetrat; in
quo cùm plures annos, vno Pacifico Tertij Ordinis Sacerdote ſibi miniſtrante,ſum-
ma auſteritate,ac perpetuis ieiunijs, orationibúſque;in quibus ob magnam lachry-
marum copiam, quam effundere ſolebat, oculorum cæcitatem contraxerat,
vitam duxiſſet; diuinam tandem de futura Ordinis Reformatione reuelatio-
nem accipit, Reformationis habitu primus poſt Matthæum potitur, ac ſecundum
inter Capucinos locum ( vti ſuperiùs diximus ) non immeritò ſibi comparat.

*Reformationis cupidus Eremum S. Iacobi incolendum obtinet.*

Hic igitur beatus Senex,ſimul atque extrema ſe ægritudine laborantem præſen- X.
ſit, ſupremo conflictu cum diabolo luctaturus, cæleſtibus ſe diuinorum Sacramen-
torum armis muniendum curat: quare abſolutionis ſacramento Pacifici miniſterio
potitus,ac ſacro Chriſti Corpore refectus, poſtremò ſacro Extremæ Vnctionis O-
leo inunctus; cùm ad terreni Tabernaculi depoſitionem velox properaret: qui
corporeis eouſque luminibus orbatus fuerat; mentis oculos tunc ſibi primùm ape-
riri, ac claro lumine illuſtrari ſenſit, quo res planè diuinas intueretur: Cùm enim
ad extremum vitæ occaſum deueniſſet, ſtatim totus animo, & corpore exhilarari,
atque exclamare cœpit: Pacifice, en Pacifice,num vides? Cui Pacificus: Quid Pa-
ter? An non vides,(inquit,) fili, lucidiſſimam, pulcherrimámque viam, quæ hinc
vſque ad Cælum pertingit, vndique pretioſiſſimis aulæis, auro, gemmíſque textis
ornatam; Tum oculis parumper in Cælum defixis, rurſum toto Corpore exultans;
Tolle,inquit,iſthinc omnia, ne quidquam huc aduentantes impediat. Eia pulcher-
rimo Choro da locum. Cùm verò Pacificus ab eo percunctaretur, quiſnam ille
Chorus eſſet;quorsúmve tunc eò accederet; En,inquit,Angelorum Reginam, ma-
xima Virginum,& Sanctorum multitudine ſtipatam; En Cælorum Dominam; iam
eundi tempus eſt.Eamus,eamus cum illa. His in vocibus fælix illa Franciſci anima,
corporeis vinculis exoluta,B. Virgini,& Sãctorũ Choris aſſociata,in Cælũ migrauit.

*Lucidiſſimã viã in morte cernit, ac B. Virginis viſione potitur.*





XI. Ita Franciſcus, qui ſecundus inter Capucinos numeratur; omnium Capucino-
rum primus, quaſi cæteris locum paraturus;hoc anno ad cæleſtes Sedes euolat. At
neque fruſtra, lucida illa via cæleſtibus periſtromatibus ornata, ab eo conſpicitur:
Nam cùm eadem ferè viſio, Beato Benedicto in Cælos abeunte, duobus Monachis
apparuerit; cæleſti illo Sene viam illam fulgidiſſimam præmonſtrante, ac prædi-
cante. *Hæc eſt via, qua dilectus Domini Benedictus in Cælum aſcendit.* Qua planè ſigni-
ficabatur, eandem quoque & filiorum viam futuram eſſe,qui Patris veſtigia ſeque-
rentur. Quidni id quoque hoc Franciſci viſu declaratum fuiſſe, piè exiſtimandum
erit? vt qui ex toto Capucinorum Ordine prior hanc ſibi viam ad æthera ſtratam
conſpexit; eandem quoque cæteris, qui ipſius,ac B. P. Franciſci virtutes,ac perfe-
ctam Regulæ obſeruantiam imitarentur, paratam eſſe indicaret? quaſi id poſteris
inſinuare voluerit; *Hæc via eſt,qua itur ad aſtra.*

*Quid lucida illa via præſeferret.*

XII. Franciſco igitur ad Superos abeunte,ad Matthæum redeo; qui eo Fabarum mi-
raculo certior factus,eò diuinam ſui vocationem tendere,vt non in ſublimibus hu-
manæ ſapientiæ verbis: ſed in ſpiritu ac virtute Dei, ac per ſtultitiam, & ſimplici-
tatem prædicationis credentes ſaluos faceret; Italiam Dei Verbum euangelizando
tam pingui, ac copioſo animarum lucro peragrare cœpit; vt ingentes vbique in vi-
ris, ac mulieribus ad pœnitentiam motus excitaret. Etenim, alterius Ionæ inſtar,
ſingulis hominum ſtatibus, in quorum vitia acriùs inuehebatur; Dei iram,celerem
ſubuerſionem,Inferníque pœnas tam horrendè comminabatur;vt feroces quoſque
animos exterrefaceret,& ad meliorem frugem prouocaret.

*Matthæus Dei verbum ardenter diſſeminat.*

XIII. Cæterùm, nouum hoc Matthæi vitæ inſtitutum, quanquam ad Reformationis
propagationem non tenderet; Fratrum tamen Minorum de Obſeruantia Ordinem
ita commouit; vt cùm plurimi ob laxiorem Ordinis diſciplinam de Reformatione
cogitarent: Matthæi fama inter Fratres percrebreſcente, ac Pontificis indulto fe-
rè vbique apud omnes diffuſo, grauis inde in Religione animorum commotio ori-
retur;quanquam ob Superiorum metum,publicè de Reformatione agere nemo au-
deret.

XIV. Verùm inter cæteros, qui Matthæi facto magis tunc commoueri viſi ſunt; vnus
Ludouicus Foroſempronianus, eiuſdem Ordinis Sacerdos, haud ignobilis extitit.
Vir ardentioris ingenij, natura audax, ſagax, & ad dura quæque toleranda ido-
neus: qui cùm in ſæculo per aliquot annos, terrenæ militiæ nomina dediſſet; in
Religioſam deinde Ordinis Minorum de Obſeruantia, ſimul cum Raphaële vteri-
no fratre, militiam adſcriptus, ac Sacerdotio inunctus: in ea communem quidem,
ſed non ſine virtutum laude vitã duxit:ea præſertim commendatione dignus;quòd
Regulari Obſeruantiæ ſtudens,in id potiſſimùm animum intenderet, quo pacto ad
perfectam ſui ipſius Reformationem pertingeret. Quamobrem, cùm ſæpè à Pro-
uinciali Miniſtro ſolitarium aliquem Conuentum, Reformationi aptum poſtulaſ-
ſet; fruſtráque omnem in eo lapidem mouiſſet: Audita Matthæi fama; ac Pontifi-
cis animo,qui Ordinis Reformationi apertè fauere videbatur, explorato, tanto il-
lius ſtudio incenſus fuit:vt ſecum ipſe omnem rudentem mouere decreuerit, quò
ſemel optata Reformatione frueretur. Erat tunc is in Conuentus Foroſempronij
familiam conſcriptus: Quare expectato Ioannis à Fano, qui eo tempore in Picenti
Prouincia Prouincialis Miniſtri officio fungebatur, aduentu: intrepidus illum in
cella aliquando decubantem adit: atque animi ſui propoſitum ſæpiùs illi per literas
explicatum declarat: quem Miniſter benignè excipiens, maximis pollicitationi-
bus, quæ etiam poſtulationem longè ſuperarent, concitatum animum ſedare nite-
batur. At Ludouicus veterem Miniſtri cantilenam,ac ſimulationem agnoſcens,qua
eum ad ſoporem, ac rei ſilentium prouocabat: vt extremum tandem rebus finem
imponeret, rem in publico Fratrum conſeſſu coram Miniſtro proponere, atque ite-
rata poſtulatione tentare, ſibi in animum inducit: ex his alterum velut certum ſi-

*Ludouici Foroſemproniani natura & mores deſcribũtur.*

*Ludouicus Reformationis ſtudioſus*

bi perſuadens; nempè, vel Miniſtrum publicam fratrum præſentiam veritum iuſtæ poſtulationi ſatisfacturum, vel ſi minus poſtulata faceret, iuſtè ſe apud Deum excuſandum fore.

*Ludouicus à Miniſtro Cõuentum ad Reformationem poſtulat.*

XIV. Hoc conſilio apud ſe inito, temporis opportunitatem nactus, quo tota familia ſimul cum Miniſtro in Refectorio congregata erat; in medium proſilit, atque à Miniſtro humiliter fandi facultate impetrata, genuflexus his cum verbis alloquitur: Pater Reu. Deum, ac teipſum teſtem appello; quàm ſæpè & abſens per literas, & præſens ſermone à te petierim, cui ſubditorum cura in his potiſſimùm, quæ ad ſalutem ſpectant, à Deo commiſſa eſt, vt: cùm totius noſtræ ſalutis ſumma ex perfecta Regulæ obſeruantia, quam Deo, ſpectantibus Angelis, pollicitus ſum, potiſſimùm pendeat: eam mihi liberè proſequi liceat. Non iniuſta, aut inhoneſta peto, quæ iure reprehendi queant; at neque leuia, quæ facilè paruipendi, ac præteriri debeant. De ſalute res eſt, qua nihil aut honeſtiùs, aut grauiùs excogitari poteſt. Hanc porrò in Religione, quam tum à B. P. Franciſci inſtitutione, tum à Regulæ præſcripto non parùm iam receſſiſſe res ipſa clamitat, me adipiſci poſſe diffido. Quamobrem id Pater nunc publicè à te poſtulo, vt quandoquidem nulla communis Reformationis ſpes effulget, qua prior Regulæ obſeruantia inſtaurari poſſit; iam mihi per humanitatem tuam ad Fratrem Matthæum à Baſſio quam primùm accedere, & cum eo reformatè viuere liceat. Quòd ſi id mihi abs te negatum fuerit, certiſſimè à B. P. Franciſco mihi conceſſum iri confido: cuius mens, verbis non ſemel ab eo explicata, ea fuit; vt in generali Regularis obſeruantiæ naufragio cuique liberum ſit, etiam abſque Prælatorum licentia ſeipſum à naufragio eripere, ac Regulam, vbi melius viſum fuerit, obſeruare. Id te haud ignorare non dubito: Quapropter, obteſtor hodie, nihil minùs me, quàm apoſtaſiam ab Ordine cogitare, aut moliri, ſi ad Matthæum facultate haud impetrata abiero. Eam tamen mihi abs te, Pater, benignè elargiri etiam, atque etiam rogo, ac ſupplex expoſco.

XV. Miniſter porrò, inexpectata hac Ludouici poſtulatione grauiter commotus, quo pacto cum eo ageret, ſecum volutabat. Verùm tantiſper iram reprimens, breuiſſimè reſpondet, rem maturo conſilio indigere; idcircò eam ſe maturiùs cum ſenioribus Patribus collaturum, tum quid communi ſententia decretum fuerit, acturũ ſpondet. Poſthæc Miniſter accito Seniorum conſilio, ac re in medium propoſita, in eandem omnes cum Miniſtro deliberationem conſpirant; nihil Ludouici poſtulationi dandum; ne Schiſma ſub Reformationis prætextu in Ordine concitetur: ſed potiùs ipſius audaciam tempeſtiuè retundendam eſſe; ne vlteriùs in Religionis perniciem proficiat; demùm, ne cæteri ſuo exemplo Ordinem perturbent, carceri celeriùs mancipandum decernunt. Humano ſiquidem conſilio prudenter apud ſe perpendebant; maximas in Ordine perturbationes oriri poſſe, ſi hic Ludouico, ſub Reformationis titulo, ac præſertim ſub noua habitus forma, aditus recluderetur: quapropter ex communi prudentiæ lege, mali radicem, antequam in arborem excreſcat, amputare melius omnibus viſum fuit. Denique communi omnium conſilio Ludouicum, nihil minùs quàm vincula cogitantem, in carcerem coniiciunt, compedibus ſtringunt; aqua, & pane victitare cogunt; duráque omnia erga ipſum experiuntur, vt eum à propoſito deterreant.

*Ludouicus in vincula coniicitur.*

XVI. At Ludouicus vinculorum cauſam ſecum animo perpendens, cùm in Dei cauſam collimare; ac pro iuſtitia, & Regulæ obſeruantia ea ſibi infligi cerneret; his plurimùm ſeipſum ſolabatur: quin etiam ſe indignum exiſtimans, qui pro Deo ac Regulæ obſeruantia carcerem, & inediam ferret: Illud Apoſtoli animo; ac voce ſæpè perſonabat. Fratres, *Ego vinctus in Domino.*

Ad Gal. 4.

XVII. Verùm poſt aliquot dies Miniſter cùm factum diligentiùs perpenderet: conſcientiæ ſtimulis pungi, ac perurgeri cœpit: eo præſertim, quòd inſontem, ac nullius delicti reum in vincula coniecíſſet, aſperioribúſque pœnis mancipandum iuſſiſſet.

Ludouici



*Ludouicus à vinculis abſoluitur.*

Ludouici quoque conſanguineos, viros in ea vrbe primarios, ac potentes non parum metuere viſus eſt; ne ſi factum reſcirent, vim ad eum liberandum adhiberent; vnde rumor, ac ſcandalum emergeret. Quare, vt præceps conſilium corrigat; cùm Ludouicum, neque minis, neque aſperis flecti animaduerteret: altera, ac ſuauiori via ſibi gradiendum proponit. Ac tunc primùm omnia humanitatis ſigna illi exhibet, vt quem à cœpto duris deterrere non potuit, mollibus flectat. Obſonia ſibi parata ſæpenumerò ad Ludouicum in carcere deferri, atque à ieiunio panis, & aquæ abſolutum, lautiùs tractari iubet. Frequenter etiam fratres ipſius Ludouici familiares ad eum ſubmittit, qui ſuo nomine fauſta, ac iucunda omnia illi polliceantur; dummodò de Matthæo adeundo propoſitum prorſus abijciat: Alios quoque non paucos deſtinat, qui Matthæum, hominem inutilem, ſimplicem, ignauum, ad aliorum Reformationem ineptum, denique Apoſtatam, ac maiori excommunicatione innexum eſſe, illi perſuadeant, cuius conſortium magis ei obfuturum, quàm profuturum, animo obijciant; ac proinde Miniſtro potiùs morem gerere, quàm pertinaci ſententia cœptis inhærere, conſulant. His Ludouicus, prudenter tempori cedens, verbis pacatis, ac ſuauibus reſpondet, ſe quidem filium, ac ſubditum, Miniſtrum verò Patrem, ac Dominum ſuum eſſe, cui ex Regula parendum ſit. Hoc amphibologicum reſponſum cùm illi ad Miniſtrum detuliſſent; is Ludouici animum à propoſito diuulſum ſibi perſuadens, lætus ipſum à vinculis ſoluit, amplexibus excipit, atque omnibus beneuolentiæ ſignis proſequitur. Si quid aſperè cum eo actum eſt, optima ratione, atque intentione excuſat. Demùm nihil non fauoris, & gratiæ illi pollicetur, quò illius animum, ac beneuolentiam captet. His omnibus Ludouicus vultu placido, ac humili, ſuíque ipſius demiſſione potiùs, quàm verbis reſpondens, prioris conſilij ſe penitùs oblitum oſtendit; quò ſe animum ab anteacta deliberatione reuocaſſe declararet. Nam, cùm ferox Miniſtri natura iam experimento illi perſpecta eſſet; neque vllam ad propoſitam ſuipſius reformationem cum Mattheo aſſequendam, ab eo gratiam ſperaret: prudenti potiùs diſſimulatione vtendum, quàm vniuerſa certo periculo exponenda eſſe, iudicauit.

XVIII. Interea, quo pacto res abſque Miniſtro peragenda eſſet, ſecum tacitus volutabat. Erat Ludouico germanus frater, nomine Raphaël, qui non multo poſt ipſum tempore Religionem ingreſſus, in humili Laïcorum Fratrum miniſterio deſeruiebat: Vir cùm primis piùs, deuotus, ac Reformationis ſtudioſus; qui cùm eodem, quo Ludouicus, ſpiritu ageretur: huic animi ſui ſinum aperire, remque ſuo conſilio aggredi, Ludouico viſum fuit. Re igitur cum Raphaële communicata, poſt multa conſilia hinc inde agitata, in eam vterque tandem ſententiam incidit, vt nullo pacto propoſitam, ad Matthæum accedendi, deliberationem moliri debeant: donec communis iuris vias, quibus Reformatio poſtulari ſolet, priùs apud Generalem Miniſtrum; tum ſi ab eo repulſam paterentur, apud Ordinis Protectorem literis pertentauerint: ne eorum ab Ordine egreſſus apoſtaſiæ crimini aliquando adſcribi poſſet.

*Ludouicus cum Raphaële fratre cõſilium init.*

XIX. Hoc itaque apud ipſos conſtituto, Ludouicus quàm primùm graues ad Franciſcum Quignonium, tunc Generalem Miniſtrum, virum omni virtutum genere ornatum, & ob præclara merita à Clemente ſeptimo deinde in Cardinalium numerum cooptatum, literas exarat: quibus vbi de neceſſaria Regulæ obſeruantia, ac Religionis voto plurima compendioſè ſignificauit, Generalis Miniſtri munus B. Franciſci verbis in Regula explicatum eidem ante oculos ponit, de quo ita diſſeritur. *Vbicunque ſunt Fratres, qui ſcirent, & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint recurrere. Miniſtri verò charitatiuè & benignè eos recipiant, ac tantam familiaritatem habeant circa ipſos, vt dicere poſſint eis, & facere ſicut Domini ſeruis ſuis: nam ita debet eſſe, vt Miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum.* Atque id quidem, quod ad Regulam ſpectat, illi indicaſſe ſufficit. Cæterùm ipſi ad memoriam reuocat, in cap. licet de Regularibus, ita decretum eſſe. *Prælatus ſubdito*

*Ludouicus ad Miniſtrũ Generalem ſcribit.*

Cap. licet de Regular.

*ſine*

*ſine difficultate,& prauitate qualibet ad frugem melioris vitæ debet tranſeundi licentiam indulgere, ne videatur propoſitum impedire diuinitùs inſpiratum.* Hinc ab eodem obnixè poſtulat, vt, vel aptum ei Monaſterium aſſignet, in quo ſecundùm Regulæ obſeruantiam cum aliis eiuſdem ſpiritus Fratribus vitam ducere queat: vel ad Matthæum tranſeundi ſibi copiam faciat. Additque ſe non ſemel, aut iterum; ſed ſæpiſſimè de hoc ipſo Miniſtrum Prouincialem, tametſi fruſtrà, interpellaſſe. Quòd ſi ipſe ſurdas quoque poſtulatis aures præbuerit; cùm iam nihil reliquum ſit, quod tentet, ſe ſuis rebus maturè conſulturum, & iuxta S.P.Franciſci mentem, atque indulgentiam, quoquò meliùs ad Regulam perfectè obſeruandam ſibi proficiſci viſum fuerit; eò primo quoque tempore perrecturum affirmat.

Lecta epiſtóla, Generalis Miniſter ad Ludouicum humaniſſimis verbis reſcribit, XX.
nihil ſibi iucundiùs accidere poſſe, quàm viros Reformationis ſtudioſos, ac perfectos Regulæ cultores in Religione offendere: quorum opera, ac ſtudio Reformatio, quæ iam iam in Ordine inchoanda eſt, feliciora incrementa ſuſcipiat: verùm aliquantiſper illi expectandum eſſe ſuadet: donec res plurimorum conſiliis auſpicata, ſtabile principium, ac firmiorem ſedem accipiat: interim nihil illi innouandum eſſe. Hæc Miniſter Generalis Ludouico verba dabat: vt illius concitatum animum rerum pollicitatione compeſceret. Cùm enim Ludouicus necdum trigeſimum annum attingeret, neque vlla in Ordine dignitate, aut Concionatorio munere effulgeret; eum animi potiùs leuitate, quàm ſolido ſpiritu duci ſuſpicatus, verbis potiùs demulcendum, quàm illius votis obſequendum cenſuit.

At Ludouicus, cùm in hoc Generalis Miniſtri reſponſo, nihil prǽterquàm vanas pollicitationes, atque inutiles moras, quibus expectationem ſuam deluderet, XXI.
contineri animaduerteret; hac iterum ſua ſpe fruſtratus, poſtremo tandem remedio, ne quicquam intentatum relinquat, rem apud Cardinalem Ordinis Protectorem agere ſtatuit; cuius inter alia id munus eſſe non ignorabat: vt Regulari Ordinis Obſeruantiæ Apoſtolica auctoritate inuigilaret. Quapropter nulla interpoſita mora humillimas ad Cardinalem Protectorem dat litteras, quibus eum in primis de lapſo Religionis ſtatu, Regulæ inobſeruantia, ac communi animarum periculo certiorem reddit: tum per Chriſti viſcera orat, obſecrátque: vt miſerrimo rerum ſtatui, ac in peiùs collabenti manus porrigat, atque ab extremo interitu hac præſertim tempeſtate vendicet; quando ipſi Ordinis Prælati lapſum fouent, & communem Regulæ inobſeruantiam, in ijs præſertim, quæ votum Paupertatis attingunt, ſua auctoritate enutriunt, ac communiunt. Quod verò ad ipſum ſingillatim ſpectat, ſe tum à Prouinciali, tum à Generali Miniſtro ſæpè per literas petiiſſe; vt vel Conuentu aliquo potiretur, in quo iuxta Regulæ præſcriptum, vitæ reformationi incumberet; vel ſibi Matthæum de Baſſio adeundi, & cum eo viuendi facultas tribueretur: ab iis verò nihil vnquam præterquàm aut minas, aut carceres paſſum, inanes promiſſiones accepiſſe indicat. Quamobrem, cùm modis omnibus ſibi propoſitum, ac conſultum ſit, animæ ſuæ periculo proſpicere: velut poſtremo remedio ad ipſum ſe confugere affirmat; rogátque, vt ipſum ſua benignitate complecti, atque ea, qua apud Ordinem auctoritate pollet, alterutrum ſibi ex poſtulatis elargiri velit. Hoc ipſius epiſtolæ argumentum fuit; quam protinùs Romam ad Protectorem mittendam curat.

*Ludouicus ad Cardinalem, Ordinis Protectorem dat literas.*

Erat eo tempore Ordinis Protector Andræas Cardinalis à Valle, Vir ingenio, ac XXII.
rerum agendarum prudentia plúrimùm commendatus: qui cùm pluribus Religionis morbis mederi vellet; qui Ordinem moderabantur, rem ægrè ferentes, de eo apud Pontificem conqueſti, ab ipſo impetrauerant, vt Cardinalis Protector vltra certam, ac ſtatutam auctoritatis metam ſeſe Ordinis rebus non immiſceret. Qua re Cardinalis pertæſus, cùm primùm Ludouici epiſtolā legit, protinus ad eum reſcribi iubet: animi quidem ſui propoſitū, ac Reformationis ſtudium ſibi maximè probari; Verùm cùm ea ſit Pontificis mens, vt huiuſmodi Reformationis negotia ab Ordi-

*Andreas à Valle Ordinis Minorum Protector.*

nis



nis Superioribus gerantur; iis ſeipſum ingerere minimè aut poſſe, aut debere; ne falcem in alienam meſſem mittere videatur. Hæc Cardinalis reſcripti ſumma fuit. Quo accepto, Ludouicus vtramque & Miniſtri Generalis, & Cardinalis Epiſtolam apud ſe repoſitam ſeruans, quæ teſtes aliquando ſibi eſſe poſſent, quàm iuſtè, poſt tot legitimos recurſus, Apoſtolicam Sedem adiret: quid iam illi agendum; nùm Matthæus, aut Apoſtolica Sedes adeunda ſit, communicato cum Raphaële fratre conſilio, in deliberationem vocat.

XXIII. Hîc mihi tantiſper in Ludouici, ac Raphaëlis facto expendendo lubet inſiſtere; vt cuiuſnam, aut Dei, aut hominis opus in eo eluceat, agnoſcere liceat. Certè hoc Dei opus eſſe, quo Capucinorum Reformationi, præter omnium ſpem, ac expectationem, immò abſque hominum propoſito, aut induſtria viam ſternere voluerit, plurima mihi perſuadent: atque illud in primis. Quòd ſi anteactam Ludouici vitam, ac virtutes, quæ fuerint, inquirimus: in iis nihil, aut eximium, aut ſingulare ſe offert, quod inſigne aliquod egregij operis futuri ſpecimen præmonſtraret: ſed communem vitam, communem obedientiam, communem cibum, communia ieiunia, communes virtutes, communia denique omnia in eo animaduertimus. Si quid in eo ſingulare fuit, id ſanè, non Reformationis ſtudium fuit, quo plurimi ante ipſum, & fortè ipſo feruentiùs incaluerant; ſed in Reformationis ſtudio proſequendo audacia, quæ plerunque plurima ibi eſſe ſolet, vbi minor prudentia verſatur: ea verò cùm ex calido naturæ temperamento, ac biliosa, aut ſanguinea corporis complexione oriatur; Ludouicus naturæ potiùs donum, quàm virtutis excellentiam, Deo ad reformationis opus videtur adminiſtraſſe. Quo fit, vt cùm vulgaris duntaxat, ad tam arduum Reformationis opus, in Ludouico virtutum diſpoſitio præcederet: non Ludouico, ſed Dei tantummodò virtuti; quæ ex ignobilibus præſtantiſſima elicit, id operis proculdubio tribuendum videatur.

*Ludouici factum expenditur, atque à Deo profectum euincitur.*

XXIV. Aliud quoque argumentum, hoc à Deo opus profectum eſſe, euincit. Cùm enim Ludouicus, propriæ duntaxat Reformationi ſtudens, locum tantummodò à Superioribus quæreret; in quo, & Regulam obſeruare, & reformatam cum aliis vitam agere poſſet: ſi ipſius poſtulatis Ordinis Superiores aliquando tandem acquieuiſſent: nulli planè dubium eſt, quin is, Matthæi ſocietate prætermiſſa, eo contentus fuiſſet. At neque id tam graue, neque tam incommodum Superioribus videri debuit, quò minùs tam iuſtæ poſtulationi annuerent. Quorsùm igitur minæ? Quorſum vincula? Vndenam tot repulſæ, præterquàm ex profundo diuinæ Sapientiæ arcano fluebant? Vt eo omnis prorſus Ludouico via intercluderetur; ne aliunde, quàm ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, inchoatam à Matthæo Reformationem proſequeretur.

XXV. Poſtremò, ſi quis Ludouici mentem, hactenùs in toto hoc facto explicatam, diligenter exploret; nihil profectò, quod communis Reformationis opus redoleat, in ea aut ſenſus, aut cogitationis verſari animaduertit. Vnde igitur tanta animi pro reformatione contentio? Vnde tam ingens Matthæi adeundi cupiditas? Quò tot literæ? tot poſtulationes? tot conſilia? An non, vt Dei conſilium neſcius impleret, quo ad Reformationem propagandam, eamque inter laborioſa ipſius initia tuendam, ac ſartamtectam ſeruandam vocabatur?

XXVI. Re igitur ſanis conſiliis ab vtroque examinata, duo apud ſe ſtatuunt. Primum, ſupernæ lucis ſuffragium ab ipſis, ante omnem rei deliberationem à Deo aſſiduis, atque ardentibus orationibus poſtulandum eſſe; ne quid contra Domini conſilium, aut voluntatem, quam ſibi in omnibus ſequendam proponunt, illis deliberare contingat. Hoc ſiquidem Deus eorum mentibus pietatis ſemen indiderat, vt vniuerſa ſuo conſilio, ac voluntate peragi declararet. Alteram, eruditiſſimorum Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam diligentiſſimè in re tanta explorare decernunt; ne factum aliquando ab aduerſariis, vel tanquam illegitimum accuſari, vel leuitatis ſugillari poſſit. Neque enim Ludouicus, qui armis potiùs, quàm literis in ſæculo

*Ludouicus ante factum Doctos conſulit, ac Dei [illegible]em implorat.*

ſtuduerat,

ſtuduerat, ea literarum peritia, ac ſcientia præditus erat, vt ipſe ſibi conſulere valeret. Neque Raphaël, qui literas planè non nouerat, conſilium in re tanta adminiſtrare poterat. Quamobrem vterque primùm ieiuniis, ac vigiliis incumbere, carnem flagellis cædere, corpus cilicio macerare, atque aliis vitæ aſperitatibus ſeſe ante Deum affligtare cœpit; quò faciliùs diuinam ſibi opem, ac lucem impetrarent. Diu noctúque ambo in oratione verſabantur, diuinúmque cum lachrymis Numen exorabant; ne eos errore aliquo in præceps labi pateretur: ſed qua via illis pergendum, quáque verſum illius ductus ſequendus eſſet, cæleſti lumine aperiret. Denique quiſque illis Prophetæ verbis Deum attentiùs obſecrabat: *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Qua in oratione cùm vterque ſe ad perfectiorem Regulæ obſeruantiam magis inflammari, ac ſtimulis quibuſdam ad eam proſequendam propelli intelligeret: magis in propoſita deliberatione animo confirmabatur.

Pſal. 24.

XXVII. Porrò, accedente Theologorum, & Iuriſperitorum conſilio, qui re omni ſtudio, ac diligentia examinata, liberum illis ad Sedem Apoſtolicam aditum patere ſentiunt, Ludouicus cæleſte conſilium amplecti, & diuinæ (vt videbatur) vocationi obtemperare decernit.

XXVIII. Quamobrem, deliberatione cum Raphaële Fratre inita, non ampliùs cunctandum: ſed protinùs ad Matthæum, quem Apoſtolica auctoritate munitum opinabatur, qua & alios ſibi conſociare poſſet: atque inde ad Apoſtolicam Sedem (ſi res poſtularet) ſibi accedendum ſtatuunt. Re itaque communi conſilio deliberata, mox nulla interpoſita mora, geminas à conſanguineis rudioris, ac craſſioris panni Tunicas ſibi parari curant; quibus vbi quadrata Caputia abſque lunula, & ſcapulari aſſuerunt; his non ſine lachrymis induti, intempeſta noctis hora è Monaſterio exeunt; itérque ad Matthæum dirigunt.

*Ludouicus & Raphaël habitū Capucinorū induunt.*

XXIX. Verùm hîc diuinæ Sapientiæ occulta lubet expendere: qui enim propriæ Reformationis opus, velut leones hactenus impauidi aggredi videbantur, vix è Monaſterio egreſſi, tam ingenti pauore concuti cœperunt; vt, leporum, aut ceruorum inſtar, ad omnem vel ſuorum pedum ſtrepitum expaueſcentes, vmbram ſuam metuere viderentur: tam enim Fratrum inſequentium furias formidare viſi ſunt; vt, cùm die in Syluis, atque antris præ metu latitarent, nocte tantùm iter facerent. Quo fit, vt toto illo trium, vel quatuor dierum ſpatio, quo agrum Foroſempronienſem peragrarunt, tanta victus inopia vrgerentur: vt herbis duntaxat, ac arborum radicibus vitam tranſigerent. His ſiquidem Deus illos terroribus pulſari voluit; vt, quàm modicum ſuis viribus fidere deberent, in ſeipſis animaduerterent; intelligeréntque id operis, quod ad communem Ordinis Reformationem arcano Dei cōſilio agitabatur, non humana, ſed diuina tantūmodò virtute, exantlandū eſſe.

XXX. Porrò Matthæus eo tempore Fabriani agros percurrens, Dei Verbum magna Populorum frequentia, atque vtilitate diſſeminabat; quod cùm fama ipſa Ludouico innotuiſſet, eò & ipſe cum Raphaële viam carpens, Matthæo ſe iungere feſtinat. Erat Ludouicus Matthæo iam antea notus, & ante aliquot annos plurima illi neceſſitudine coniunctus: quamobrem, cùm primùm is cum Fratre ad ipſum acceſſit; Matthæus vtrumque eodem prorsùs habitu, & quadrato Caputio amictos conſpiciens, haud verbis explicari poteſt, quàm feſtiuo occurſu, atque obuijs amplexibus, lachrymíſque præ inſperato gaudio obortis, vtrumque exceperit. Protinùs quid illa habitus mutatio, quid Caputium, quidve inopinatus aduentus præſeferant, ſciſcitatur. Ludouicus verò omnium rationem reddens; quæ illi cum Miniſtro acciderant, narrat: Epiſtolas ad Generalem Miniſtrum, ac Protectorem datas commemorat; Theologorum iudicia, ac conceptas de ſui Reformatione Dei inſpirationes aperit. Poſtremò, cur ad eum venerit, eam cauſam eſſe declarat; quòd ſe cum Fratre ad ſuam ipſius ſocietatem recipi, ab eoque illam habitus formam, quam gerebant, ſibi confirmari optaret.

*Ludouicus & Raphaël ad Matthaū accedunt.*





XXXI. Matthæus verò cùm primùm Reformationis propoſitum in ipſis ſummoperè laudauit; Deique vocationem, velut indubiam, commendatione proſecutus eſt. Pontifici quoque eam mentem ineſſe, verbis ſibi clarè expreſſam ſignificauit, vt propriæ quiſque reformationi ſtuderet; Veram denique eam habitus formam eſſe, à Beato Patris Franciſco inſtitutam, pluribus teſtimonijs comprobans; Admonet tamen, ſe eam habitus formam, ex Pontificis indulgentia ſibi tantùm peculiarem, non alijs communicandam, accepiſſe: quo fit, vt ſi ea potiri velint, ipſa illis ab Apoſtolica Sede quærenda ſit. Quamobrem Romam illos quàmprimùm ire ſuadet, atque à Pontifice, de cuius benignitate, ac clementia omnia illis benè ſperanda ſint, eam habitus facultatem poſcere. Ne verò Franciſci à Cartoceto exemplum eos quicquam moueret: illum, haud ſe donante; ſed Deo potiùs inſpirante, vltrò eam ſibi habitus formam aſſumpſiſſe indicat.

XXXII. His auditis Ludouicus, cùm Pontificis mentem ex Matthæi verbis non obſcurè percepiſſet; atque illud præterea franciſci à Cartoceto factum apud ſe diligentiùs examinaſſet; protinus vnà cum Raphaële habitu exutus, eoque ad pedes cuiuſdam Imaginis Chriſti Crucifixi, quæ eo in loco parieti affixa erat, depoſito; flexis genibus, tenſíſque in Cælum manibus, atque oculis ad ſydera erectis, ſic Deum affatur:

XXXIII. Deus clementiſſime, bonorum omnium Auctor, ac largitor, qui ſecundùm miſericordiam tuam regeneraſti nos in ſpem viuam, optatæ renouationis, ac Reformationis; En nudi, ac inopes, ambo ad te confugimus, qui diues in miſericordia. Iam te inſpirante, habitum hunc Reformationis ſuſceperamus, eo (vt noſti) conſilio, vt in eo perfectam Regulæ noſtræ obſeruantiam, quam, te afflante, concepimus, haud ſegniter, teipſo opitulante, proſequeremur. Eia nunc donum tuum in nobis benigniſſimè confirma; & quandoquidem nemo eſt, qui veteris hominis veſte exutos, nouo Reformationis habitu induat, ac nudos operiat; Tu per manus ſanctorum Angelorum tuorum, coram te nudos, iterum hoc habitu ſancto tuo contege. Adſis quoque, tu, cum ſanctis Angelis, Beate Pater Franciſce, vt nos proprio habitu tuo veſtias; atque in perfectos tuæ Reformationis filios cooptes. His, non abſque multo lachrymarum imbre prolatis, vterque coram Matthæo tanta ſpiritus alacritate iterum habitum induit, perinde ac ſi illum de B. P. Franciſci manu accepiſſet.

*Ludouicus, & Raphael corā Chriſti, Imagine habitum exuunt, ac rursùs induunt.*

XXXIV. Mox verò de Romana profectione, ac de Pontifice adeundo cogitatio Ludouici animum occupare cœpit: dúmque multa prudenter ſecum animo volutat, in id mentis conſilium incidit; haud malè tùm Matthæo, tum ipſis conſultum fore, ſi vnà omnes ad Camerinenſium Duciſſam pergentes, ab ea commendatitias ad Summum Pontificem literas expoſcerent; quibus ipſis via, & ad ipſum adeundum facilior, & ad poſtulata impetranda efficacior ſterneretur. Etenim Ludouicus humana, quâ plurimùm pollebat, ſagacitate, Matthæo maximè perpendendum eſſe, dicebat: nullo eum Apoſtolico Diplomate muniri, quo ſe ab aduerſantium infeſtationibus tueretur: atque inde illi foris pugnas, intus timores ſæpenumerò imminere: quæ irrequietum animum perturbarent: ac, velut inter Maris procellas, ſuſpenſum iactarent: his verò, Diplomate à Pontifice impetrato, finem tandem impoſitum iri. Porrò facillimum fore, (ait) vt Catharinæ Duciſſæ opera, illud ſibi, ac ipſis commune aſſequantur.

*Ludouici cōſilium de Catharina Duciſſa Camerinenſiū adeunda.*

XXXV. Annuit ægrè hic conſilio Matthæus, ob id potiſſimùm, quòd nullum poſt Cæleſtis illius vocis præceptum, eum Apoſtolici Diplomatis ſtudium teneret. Verùm ne Ludouici conſilium, quò is ſuo quoque commodo proſpiciebat, aſpernari videretur: parui tēporis mora interpoſita, cum his deuiò itinere, (ne Ludouici, & Raphaëlis via Fratribus innoteſceret) Camerinum proficiſcitur, clamque

omnes Catharinam Duciſſam conueniunt. Erat Catharina ( quemadmodum aliàs dictum fuit ) mulier pietate inſignis , ac deuotione erga B.Franciſcum ſingularis ; quæ cùm Matthæi virtutem,ac ſanctimoniam rerum iam experimento didiciſſet ; præcipuo illum honore,ac beneuolentia proſequebatur. Huic, cùm Matthæus Ordinis Reformationem, quam Deo Auctore, futuram prænouerat, iam antea præſignificaſſet , ita animum in illius ſtudium accenderat : vt aſſiduas pro ea ad Deum preces funderet. Quamobrem cùm primùm Ludouicum , ac Raphaëlem , auſtera illa habitus forma indutos , ac Matthæo adiunctos , conſpexit : vix credibile eſt, quantam pia,ac nobilis Mulier ex eo aſpectu voluptatem hauſerit. Erumpebant ex ipſius oculis piæ deuotionis lachrymæ; atque habitus illos hiſpidos , quadratáque Caputia , quæ primæuam B.P.Franciſci habitus formam præſeferrent , ſummo gaudio intuens , tanta animi voluptate attrectabat, oſculabatur, amplectebatur ; vt iam B. Franciſcum rediuiuum intueri , expectatamque Ordinis Reformationem ſibi erumpere videretur ; quæ & antiquam B. Patris vitam , & perfectam Chriſti imitationem in Orbem referret. Porrò Ludouicus Duciſſæ res geſtas narrat : præterita pro ſui Reformatione ſtudia, ac poſtulationes recenſet : minas , & carceres illatos commemorat : tentata per literas haud reticet : ſuum, ac Raphaëlis firmum,in propria reformatione proſequenda , animi propoſitum declarat. Denique commune illud eſſe conſilium aperit; vt ad Apoſtolicam Sedem, velut ad amantiſſimæ matris ſinum , vniuerſi confugiant : atque,vt omnis Superiorum infeſtationibus via intercludatur , ab ea Pontificium Diploma impetrent ; quo ipſi , vnà cùm Matthæo pacificè extra Ordinem degere , ac Regulam iuxta B. Patris mentem obſeruare valeant.

XXXVI. Quanquàm enim à Deo ( aiebat ) primum , ac potiſſimum in hac noſtræ Reformationis cauſa auxilium expectandum ſit : præſidium tamen ab Apoſtolica Sede quærendum eſt : quo res firmum ac ſtabile tandem fundamentum accipiant. Et quandoquidem eo Matthæus hactenus deſtitutus fuit : haud mirum , quòd plurima ab aduerſariis perpeſſus fuerit : ac peiora certè pertuliſſet , niſi tuum , ô Duciſſa, illi præſidium adfuiſſet. Quapropter , ne inter fluctuantes perſecutionis vndas, quibus nos aliquando tandem demergi contingat, perpetuò agitemur ; in id conſilium incidimus : vt commendatitiæ nobis ad Pontificem abs te , cuius apud illum auctoritas perſpecta eſt , literæ dentur : quæ faciliorem nobis , ad rei ſummam obtinendam , viam parent. Hæc Ludouicus. Cui Duciſſa promptiſſimè ex animo omnem ſuam apud Pontificem ad id operam , ac opem pollicetur.

XXXVII. Rebus ita conſtitutis , cùm Matthæi ſtudium magis ad Dei Verbum populis diſſeminandum, quàm ad negotia in Vrbe gerenda, propenſum eſſet : Ludouicus rem tanquam expeditior , & in rebus agendis ſolertior , integram aggreditur. Interea verò , dum hic Romanam profectionem parat : Catharina Duciſſa multò , quàm promiſerat , liberalior , non modò ad Pontificem , ſed ad pleroſque etiam S.R.E. Cardinales , quos huic negotio opitulari poſſe exiſtimat , de meliori nota conſcriptas Ludouico literas dat : quibus ille munitus , poſtridiè , poſt Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium Deo oblatum , rémque impenſiùs Deo precibus commendatam , à Duciſſa , atque à Matthæo diſcedens , Romam ſimul cum Raphaële proficiſcitur.

*Ludouicus cum Raphaële Romam proficiſcitur.*

XXXVIII. Hoc nos Ludouici conſilium , ſi cum priori illo Dei conſilio comparamus, quo Matthæum abſque vllo Pontificis Diplomate priùs abire iuſſerat ; plurimùm ſanè ab eo diſcrepare cernimus : facilèque vnumquemque ea rapiet ſententia , vt hîc res humana tantùm ratione , à diuina prorsùs diſcrepante , à Ludouico agi exiſtimet. At qui rem profundiùs , ac diligentiùs examinant : ſi tempora , ac rerum periodos diſcernant ; vtrobique Dei conſilium , licèt diuerſum , ſapienter erumpere animaduertunt. Matthæum enim cùm Deus Optimus Maxi-

mus



mus , non ad Reformationis propagationem , ſed ad illius tantùmmodò natiuitatem ex antiqua habitus forma excitandam delegiſſet; haud ſanè neceſſarium erat Diplomate muniri , quo ſe à priuatis iniurijs vendicaret. Dei ſiquidem virtus , quæ in eo omnem patientiam ad Reformationis ortum operabatur , humano minimè ſubſidio indigebat. At cùm iam de Reformatione per Ludouicum propaganda. diuino conſilio ageretur; quandoquidem abſque publica , & expreſſa Romani Pōtificis auctoritate ea propagatio fieri non poterat, Apoſtolico profectò Diplomate opus fuit ; ne quid temerè contra Iura fieret ; iſque legitimum à Pontifice ſubſidium ſibi vendicaret , quo ſe aduersùs Reformationis hoſtes defenderet , ac Reformationem ab interitu liberaret. Quamquam verò Ludouicus de Reformationis propagatione eo tempore necdum cogitaret; Dei tamen Sapientia , quæ illum ad Reformationis propagationem , eo necdum cogitante , vocauerat ; aptum illi ad id conſilium adminiſtrauit.

*Ludouici cōſilium à Deo profectū expenditur.*

XXXIX. Ludouicus itaque Romam versùs cum Raphaële iter aggreſſus , cùm in eo tum propter victus inopiam , tum ob conceptos vndique terrores , quibus percellebantur , quàmplurima perpeſſi fuiſſent , tandem ad Vrbem perueniunt : vbi per aliquot dies primùm Dei opem effuſis lachrymis implorant ; B. Virginis,ac B.Patris Franciſci patrocinium precibus ſibi conciliare ſtudent : Vrbis Eccleſias piè inuiſunt : demùm totius rei ſummam diuinæ pietati,velut propriam committunt,eamque impenſiùs orant , vt illa actus dirigat , negotium gerat , opus perficiat. Poſt hæc Ludouicus opportunum tempus obſeruans , quò Pontificem adeat : cùm eum tot curis implicitum audiret ; vt vix poſt plurimos dies optato ſe illius aſpectu frui poſſe ſperaret ; accidit : vt in ipſo Vaticani Palatio , Domini Papæ Eleemoſinarium , virum egregiè pium , inſperato ſibi occurſu obuium haberet : qui vbi illam habitus aſperitatem , ac nouam Caputij formam ſecum pauliſper contemplatus fuit : Eremitam eſſe arbitratus , cum eo de ſæculi fuga , & rerum omnium contemptu agere cœpit : Religioſum maximè inſtitutum commendans : in quo Vir ab omni rerum humanarum cura ſolutus , Deo purè , ac integrè famulatur. Atque inter hæc de Ioanne Petro Caraffa , Viro ea tempeſtate pietatis apud omnes commendatiſſimo , dicere exorſus : qui paulò antea Teatino Epiſcopatu , nec non Brunduſij Archiepiſcopatu conſtanter recuſato : nouum Presbyterorum Collegium ſub Clericorum Regularium nomine inſtituerat , & cum ijs ſub Monte Pincio longè ab hominum conſpectu , priuatis in ædibus vitam ducebat : cæleſtem ipſius prudentiam , pietatem , Reformationis zelum , ac cæteras virtutes ſummis laudibus,ad Cælum vſque,efferre videbatur.

*Ludouicus cum Papæ Eleemoſinario colloquitur , & de adeūdo Io:Petro Caraffa conſiliū accipit.*

XL. Dum hæc Eleemoſinarius , totus viri illius ſtudio accenſus loqueretur ; Ludouicus improuiſum ſermonem altiùs animo perpendens , quaſi is non ex hominis , ſed ex Angeli potiùs ore flueret , eo ſibi velut è Cælo viam aperiri viſum fuit , qua ſuis rebus opportunè conſuleret ; quapropter , hanc viri opportunitatem nactus , eidem ſui , atque aliorum animi propoſitum , Reformationis conſilium : ac tandem , quid à Pontifice expetat , opportunè aperit. Cui ille. Mihi crede , inquit , neminem tam ad pietatem propenſum , tam reformatæ vitæ ſtudioſum , tamque ad huiuſmodi Reformationis ſtudia promouenda incenſum , quàm Caraffam reperias ; qui cùm & Pontifici charus , & omnium oculis admirabilis ſit , plurimùm pia animi tui conſilia ſua ope iuuare poteſt.

XLI. Eleemoſinarij conſilium , Ludouicus haud paſſus eſt animo excidere : ſtatim ad Caraffam conuolat , eíque vniuerſa , quæ ad propoſitam Reformationem aſſequendam ab eo hactenus geſta fuerant , communicat : opem denique , ac conſilium eius expoſcit , quo & ad Pontificem accedere , & optato diplomate potiri queat. Porrò Caraffa ; cùm vir integerrimæ vitæ eſſet , ac Regularis diſciplinæ reſtituendæ ſtudio flagraret : (eam enim ob cauſam anno 1523. cùm in Hiſpania ſub Carolo Rege , deinde Imperatore, Magni

*Io : Petrus Caraffa erga Ludouicū,& Reformationem beneuolus.*

( vt vocant ) Capellani munere fungeretur, ab Adriano ſexto Pontifice, ad corrigendos hominum mores, & reſtituendam Cleri diſciplinam Romam accerſitus fuerat ) pium Ludouici propoſitum commendat, conſilio, & ope iuuat: tantóque erga Reformationis opus, quod Vir prudens à Deo profectum, atque aliquando dilatandum præſentiebat, ſtudio accenditur: vt non modò faciliorem illi ad Pontificem acceſſum redderet, verùm & Religioſum Ludouici, ac aliorum propoſitum apud illum maximè commendaret, & de iuſta illorum poſtulatione ſecum ageret. Denique tam propenſo ſemper in Capucinorum Reformationem deinceps animo fuit: vt, cùm eam in Orbe excreuiſſe cerneret, ipſius incremento mirum in modum lætatus, ſe illi quoque quodammodò obſtetricatum fuiſſe gloriaretur: atque eò factum eſt; vt cùm primùm ſub Pauli Quarti nomine, maximis illi vndique meritis ſuffragantibus, ad Pontificatum aſcendit; ſingulari ſemper eam beneuolentia complexus fuerit.

*Ludouicus Pontificem adit, & Diploma impetrat.*

XLII. Ludouicus igitur, tam Caraffæ, quàm aliorum, ad quos commendatitias à Catharina Duciſſa literas attulerat: ope, ac fauore ad Pontificem introductus, vbi humillima ſacris pedibus oſcula infixit: Duciſſæ illi Epiſtolam offert; Reformationis deſiderium exponit, antiquam illam Beati Franciſci habitus formam, quam viuæ vocis oraculo Matthæo indulſerat, ſibi, Raphaelique concedi, ac Matthæo confirmari poſtulat: qua liberè, & abſque vlla Prælatorum infeſtatione vti poſſint. Pontifex, lecta Catharinæ neptis epiſtola, in qua de omnibus, ac præſertim de præterita Matthæi perſecutione certior fiebat; cumque plurima de laxo Ordinis ſtatu à Ludouico intellexiſſet: tandem poſtulatis clementer annuens, Apoſtolicum Diploma à Laurentio Pucio Cardinali, & Epiſcopo Præneſtinenſi, ſummo tunc Pœnitentiario condi iubet; quod hac forma exaratum fuit.

*Apoſtolicum Diploma.*

XLIII *LAVRENTIVS miſeratione diuina Epiſcopus Præneſtin. Dilectis in Chriſto Ludouico, & Raphaëli de Foroſempronio, ac Matthæo de Baſſio de Monte Feltrio, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Profeſſoribus, ſalutem in Domino. Ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quòd vos pro maiori animi veſtri quiete, & ob melioris vitæ frugem, cùm nonnullis de cauſis vlterius in eiuſdem Ordinis domibus cum ſana conſcientia morari, & remanere non ſperatis: cuperetis præterea extra domos, & Conuentus dicti Ordinis de cætero ſtare: & in aliquo honeſto loco, è cætu hominum remoto; habitu veſtro ſemper retento; vitam Eremiticam ducendo, morari: & quoad vixeritis permanere, quòd tamen licitè facere, aut vobis permitti dubitatis, Sede Apoſtolica deſuper inconſulta: ſupplicari feciſtis humiliter, Vobis ſuper his per Sedem ipſam de opportuno remedio iuris prouideri. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus: & de cuius ſpeciali mandato: ſuper hoc viuæ vocis Oraculo nobis facto: Vobis, vt Superiorum veſtrorum licentia per Vos, vel alium, ſeu alios nomine veſtro petita, licèt non obtenta, extra Domos, & loca Regularia dicti Ordinis, in aliquo Eremitorio loco, vt præfertur, permanendo, habitu veſtro ſemper retento: & Regula in quantum humana patitur fragilitas, ſeruata: ſub Obedientia, & correctione Ordinarij, in cuius Diœceſi Vos reſidere contigerit, viuendo: vitam Eremiticam, quoad vixeritis, ducere: nec non eleemoſinas Vobis à quibuſuis Chriſti fidelibus piè elargiendas recipere: illaſque in veſtros vſus licitos, & honeſtos conuertere. Et interim omnibus, ac ſingulis Priuilegiis, gratijs & indultis vti, & gaudere liberè, & licitè poſsitis, & valeatis indulgemus, plenámque & liberam concedimus facultatem: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & ſtatutis, & Conſuetudinibus Domorum, & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis Ordini huiuſmodi, ſeu illius quibuſuis Superioribus Prælatis, & Reformationibus ſub quibuſuis Verborum formis, & clauſulis etiam derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis contra præmiſſa forſan conceſsis, confirmatis, & iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus hac vice dunta-*

*xat*



*xat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteríſque contrarijs quibuſcunque. Quocirca Ven. in Chriſto Patri, Dei gratia Epiſcopo Camerinen. vel eius Vicario in Spiritualibus auctoritate, & mandato prædictis committimus, & mandamus, quatenus Vobis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio per ſe, vel alium, ſeu alios aſsiſten. non permittant Vos, per quoſcunque Ordinis prædicti Superiores, Prælatos, & Fratres, aut Iudices, & perſonas alias tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, quauis auctoritate, etiam Apoſtolica fungentes in perſonis, rebúſque veſtris alijs, quouis quæſito colore, vel ingenio moleſtari, perturbari, ſeu aliàs quomodolibet inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna Iuris remedia, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis, compeſcendo. Datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo Officij Pœnitentiariæ XV. Kal. Iunij Pontificatus Domini Clementis Papæ VII. Anno III.*

*Ludouicus & Matthæus ab Apoſtaſiæ crimine vendicantur.*

XLV. Ex hoc Diplomate illud inter cætera cunctis perſpicuum eſſe poteſt, Ludouici, ac cæterorum ad Apoſtolicam Sedem recurſum, velut legitimum à Pontifice probari: quo fit, vt minùs ij de veritate benè ſentire videantur, qui diuinam horum trium vocationem ad Apoſtaſiæ ſcelus poſt hæc reuocare viſi ſunt: Quî enim fieri poteſt, vt ij Apoſtaſiæ maculam contraherent, qui tum diuinum, tum Apoſtolicum ſuæ vocationis teſtimonium ſibi à Pontifice vendicarunt? Illos quoque non parum ſua fallit opinio, qui Ludouicum ante hoc Diploma ad Minorum Conuentualium patrocinium confugiſſe exiſtimant. Neque enim id ante annum 1527. quo tempore Ioannes à Fano commentitiam huius Breuis reuocationem à Pontifice tuliſſe dicitur, certum eſt accidiſſe; quemadmodum ſuo loco explicabimus. Denique cùm hoc Pontificis Diploma tres illos tantummodò comprehendat, nulláque de alijs ad Reformationis gremium adſciſcendis prorsùs in eo mentio fiat; neque Ludouicum de Reformationis propagatione hactenus cogitaſſe; neque vſque ad annum 1518. in quo Bulla Approbationis Ordinis Capucinorum à Clemente ſeptimo edita fuit, quicquam de illius propagatione, & Capucinorum ſobole diffundenda actum fuiſſe, exploratum eſt.

*Ludouicus Miniſtro Diploma offert, à quo grauiter obiurgatur.*

XLVI. Hoc itaque Diplomate impetrato, Ludouicus, vbi Deo Opt. Max. in primis, tum Caraffæ, atque alijs, qui ſua illi apud Pontificem officia præſtiterant, gratias retulit; Picenum versùs cum Raphaële iter auſpicatur: neque vllo loco cunctatus, rectà Camerinum pergit; quo cùm primùm appulit; mox ad Catharinam Duciſſam ſe confert; cui cùm multa de Pontificis benignitate, quam literarum ipſius pondus, atque auctoritas abundè illi comparauerant, retuliſſet: Diploma impetratum exhibet: neque vllas ſe, aut ſocios tanto beneficio æquas grates illi rependere poſſe, verbis ingenuis fatetur. Catharina fauſto rerum euětu plurimum exultans, ad ampliora ſe illis patrocinia paratam offert. Interea Matthæo è Camerinenſi agro, in quo Dei Verbum diſſeminabat, Camerinum euocato; Ludouicus, qui Apoſtolicis iuſſionibus obtemperandum eſſe non ignorabat, quibus in Diplomate præcipitur, vt Superiorum ſuorum licentiam per ſe, vel per alios petant, licèt non obtineant, quid facto opus ſit, cum Mattheo, & Raphaële confert, atque in deliberationem vocat. Porrò, re diligenter examinata, in eam tandem deliberationem conſpirant, vt Ludouicus, qui maiori animi audacia præſtabat, ad Miniſtrum Prouincialem pergens, omnium id nomine poſtulet. Ludouicus, tametſi nō leue, ob Miniſtri iram in ipſum cōceptam, inde periculum ſibi imminere intelligeret: attamen cùm ſe Apoſtolico Diplomate munitum cerneret; intrepidè id munus obeundum ſuſcipit; Miniſtrū adit: poſtulationem verbo exhibet: & Diploma à Pōtifice latum oſtendit. Miniſter verò, accito Patrūconſilio: vbi Diploma cum illis contulit: quandoquidē ob Apoſtolicas literas quicquam in Ludouicum moliri non audebat, illum aſperioribus verbis obiurgatum dimittit: rem tamen tam grauiter accepit, vt Romam ipſe proficiſci, ac Pōtificem eo conſilio adire decreuerit: vt Diplomatis illius reuocationem ab Apoſtolica Sede impetraret, ac nouæ Reformationis initia pro viribus funditùs deleret.

XLVII. En quàm opportunè monet Iſaias, ab homine cauendum eſſe, cuius ſpiritus ſit in naribus eius, qui cùm robore, ac potentia fretus, concitatos iracundiæ motus ſibi interdum dominari ſinat, non priùs ab ira deferuet, quàm in magnum ac plerunque inſanabile aliquod malum vi præcipiti feratur. Nam quemadmodùm Torrens vndis tumidus, ſi ad ima defluat, quicquid obuium habuerit, ſecum trahit; ſic & potentis hominis ira adeò vehemens, ac violenta eſſe ſolet, vt interdum priùs cohiberi nequeat, quàm omnia ad exitium rapuerit; ac, Torrentis inſtar, ingentes ruinas excitauerit.

Iſa. 2.

XLVIII. Huius rei præclarum hîc ſimulacrum licet conſpicere. Erat Ioannes à Fano, qui tunc Prouincialis Miniſtri in Piceno munus agebat, vir cùm primis eruditus, auctoritate clarus, conſilio, ac rerum agendarum prudentia ſingularis; cui, & in dicendo vis, & animi acrimonia: quæ Religionis in eo zelum fouebat, abundantiùs inerat; ac demùm tantam apud alios ſibi exiſtimationem ſua auctoritate comparauerat, vt facilè ad ſe omnium ora, animóſque conuerteret: nihilque in Religione, vt plurimùm arduum fiebat, quod ipſius conſilio non ageretur. Quamobrem cùm primùm Matthæum à Baſſio, deinde Ludouicum ac Raphaëlem, ſimplices, ac leuis armaturæ homines, ex Ordine emerſos; inſolitáque habitus forma vagantes, nouam Ordinis Reformationem præſeferre accepit; hac rei nouitate commotus, (quandoquidem nihil in Matthæi, ac Ludouici conſilio, præterquàm leue, ac temporaneum ſuſpicabatur,) inde maiori in eos ira excandeſcere viſus eſt; quòd fruſtra ea nouitate Ordinem perturbandum, & nouæ Reformationis ſtudio inter Fratres excitato, diſcindendum fore exiſtimaret. Quo fit, vt tunc primùm pro Religionis pace, atque integritate aduersùs ipſos, tanquam Ordinis perturbatores, omnibus machinis pugnandum, ac Reformationis nomen tunc penitus extinguendum, ſibi propoſuerit; cùm vix exortum ſubſiſteret, ac facilè inter ipſa initia deleri poſſet.

*Ioannis à Fano pro Minorũ Religione zelus qua ratione commendandandus.*

XLIX. Et quidem, quod ad Faneſtris zelum pro Religione ſuſceptum attinet, neque damnandum, neque illius prudentiam aſpernandam cenſeo. Vox enim Sapientis eſt. *Qui citò credit, leuis corde eſt.* Neque enim, aut Matthæus, aut Ludouicus eam ſibi in Ordine auctoritatem, aut prudentiæ nomen comparauerant; vt ijs de Reformatione agentibus, ſtatim factum commendandum, ac eorum ſpiritus, necdum vllo rerum ſucceſſu probatus, à Paſtore ſequendus eſſet.

Eccleſ. 19.

Id certè Faneſtrem non latuit; Ordinem tunc maximè Reformatione indiguiſſe; cùm Regularis obſeruantia in eo maiori ex parte iam collapſa videretur; quod re ipſa tandem velut certum comprobauit: cùm is meliori poſthæc conſilio ductus, ad Capucinos ſibi tranſuolandum cenſuit. At verò cùm diuinæ Sapientiæ arcano necdum aſſecuto, ſimplices, ac imperitos homines de Reformatione agere; tantæ molis ædificium, nulla humana ſapientia imbutos aggredi; Pumiliones ingenti operi ſtudere, ſub cuius pondere Gigantes ipſi gemere compellerentur: demùm, cùm in eo nonnihil illos proficere animaduerteret: id ipſe ſtultitiam potiùs, ac leuitatem, quæ in apertam Ordinis perniciem cederet, quàm diuinæ Sapientiæ opus eſſe arbitratus, tam grauiter in eos ſtomachari cœpit: vt omnes exinde vires exerere decreuerit, quibus omne Reformationis germen funditùs euelleret. Etenim (vt infra manifeſtum fiet) tot vndique perſecutionum flatibus vix ſolo hærens Reformationis ædificium concutere: tot illi arietes admouere: totque machinis oppugnare aggreſſus eſt: vt rapidi Torrentis inſtar, vniuerſa ſecum rapere, circumuoluere, & ad rudera, ac parietinas vſque proſternere velle, videretur.

L. Verumtamen cùm aduersùs Dei conſilium, nihil hominum conſilia valeant: Miniſtrum nihil præterquàm aranearum caſſes texuiſſe: neque hominum ſtudijs diuinum opus, quò minùs ad perfectum conſcendat, & præſtitutam ſibi metam attingat, impediri poſſe: quin etiam, quò magis aduerſis fatigatur, eò ſtabi-

*Dei pro Reformatione conſilium expenditur.*





liùs diuina virtute firmari, ipſo rei euentu non obſcurè probatum eſt; cùm Reformatio tot perſecutionum procellis agitata, concuſſa, ac ferè demerſa, inſtar Arcturi, florentior emerſit; & tot preſſurarum ſcopulis illiſa, ac turbinibus iactata, inter vndas immota permanſit: vt eo facilè perſpici poſſet, eam, inſtar illius Euangelicæ Domus, de qua legitur apud Matthæum: *Deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſupra petram,* Dei Opt. Max. numine, ac virtute fundatam fuiſſe.

Matth. 7.

LI. Miniſter igitur zelo quidem, ſed non iuxta Dei conſilium ductus, minas vndique euomens, quaſi qui ſpiritum in naribus gerat: velis, equiſque in vrbem tranſuolat; vbi curas omnes, & cogitationes in id primum confert, vt Pontificis aſpectu, & colloquio fruatur: Quo tandem, tametſi ægrè, potitus, omnem tunc eloquentiæ vim intendit, vt Pontifici perſuadeat, Matthæi, ac Ludouici factionibus maximè Ordinem perturbari; atque adeò in Sectas diſcindi: quòd niſi, Diplomate, quod illis ab Apoſtolica Sede indultum eſt, eiuſdem auctoritate reuocato, ij rurſus ad Ordinis obedientiam compellantur, apertè ad excidium tendat; cùm plerique libertatis potiùs, quàm reformationis cupidi id opportunitatis nacti ad liberum illud vitæ genus, quàm citiùs euolare feſtinent; vt ſub Reformationis titulo eò faciliùs à ſe obedientiæ iugum excutiant. Neque enim, (aiebat) Beatiſſime Pater, qui Diploma acceperunt, viri tantæ virtutis ſunt, vt vel ſingulare quicquam præ cæteris præſeferant, vel (quod caput eſt) omni inter Fratres exceptionis labe careant. Nam etſi Matthæus vir bonus ſit, virtutum cum primis ſtudio addictus; animi tamen ita deliquio, ac leuitate laborat; vt minùs boni, & recti iudicio polleat: quo fit, vt Magiſtro, ac ductore potiùs egeat, ne in indiſcreta ſpiritus præcipitia ruat; quàm quòd ſuiipſius, multò minùs aliorum, dux eſſe poſſit. Ludouicum verò nemo virum peruicacem, ceruicoſum, pertinacem, Vertumno inconſtantiorem, nouarum rerum cupidum, atque adeò Regularis diſciplinæ impatientem eſſe ignorat; vt nihil præterquam carnis libertatem affectet. Certè vides, Beatiſſime Pater, quales viros Apoſtolico Diplomate munis, à quibus cùm nihil prorſus expectandum ſit, præterquam certus Religionis in ipſis interitus, Eccleſiæ dedecus, & ignominia; & (quod ad nos ſpectat) vana, ac importuna Ordinis perturbatio. An non ſatiùs, ac conſultiùs eſt, vt, Diplomate reuocato, illos, Sanctiſſime Pater, ad Ordinis obedientiam compellas, ne ipſius deinceps tranquillitatem perturbent? quàm quòd Apoſtolicæ auctoritatis præſidio freti, liberè recta omnia peſſumdent?

*Miniſter cũ Pontifice de Diplomate reuocando agit: ſed fruſtra.*

LII. Hæc Miniſter tam ardenter, ac commoto animo in Matthæum, & Ludouicum protulit, vt Pontifex facilè concitatum ſpiritum, atque animi in eos perturbationem animaduerteret: quare breui ſermone reſpondet. Matthæi, ac cæterorum mores, ac Reformationis ſtudia iam ſibi certo teſtimonio perſpecta eſſe: quæ verò tunc ab eo noua proferuntur, diligentiùs ſibi examinanda: interea nihil in conceſſo Diplomate ſibi innouandum videri.

*Miniſter à ſacra Pœnitẽtiaria Diploma contra Apoſtatas obtinet, quo Ludouicum perſequitur.*

LIII. Eo reſponſo dimiſſus Miniſter; cùm hac meliori ſua ſpe ſe fruſtratum cerneret: aliud ſibi refugium quærit: moxque ad Sacrum Pœnitentiariæ Tribunal confugiens, ab eo Diploma poſtulat, quo illi aduersùs quoſdam ſui Ordinis Apoſtatas (nullo tamen Matthæi, aut aliorum nomine expreſſo) etiamnum inuocato brachij ſæcularis ſubſidio, agere liceat; qui potentium quorundam patrocinio ſuffulti, Religionem ſuis factionibus perturbant. Hoc Diplomate impetrato, Miniſter ad ſuos in Picenum reuerſus, eo Ludouicũ, ac Socios oppugnare parat: quare Patrũ cùm primum accerſito conuentu, ab iis, quid in ea re agendum ſit, conſilium exquirit. Cùm enim is, Ludouicum, & ſocios Apoſtatas, & Ordinis perturbatores eſſe ſibi perſuaderet (Animus enim acriori aliqua cupiditate poſſeſſus, minùs rationis compos eſt, & plerumque eo intellectum rapit, vt falſa quoque ipſa vera opinetur: atque hinc Diploma illud ſubreptitium, & Camerinenſis Duciſſæ literis vi à Pontifice extortum eſſe, ſibi in animum induxiſſet) id conſilij ſui eſſe declarat; eos tandiu perſe-

quendos eſſe, quoad in Ordinis poteſtatem deueniant: ac perpetuo carceri mancipentur; vt, vel ſic, Ordinis perturbatio quieſcat. Huic conſilio cùm vniuerſi acquieſcerent, ab iis de Ludouico, ac ſociis comprehendendis, atque in perpetuos carceres detrudendis, decretum emergit.

*Ludouicus in agrum Cingulanũ cum Fratre ſecedit.*

Per id tempus Ludouicus cum Raphaële in agrum Cingulanum ſecedens, veteris cuiuſdam domunculæ, cui ſacra Aedicula coniuncta erat, beneficio potiebatur; LIIII.
cúmque diem in Montibus, & Syluis, quibus Regio illa abundat, vterque in oratione inſumeret; noctu duntaxat poſt Solis occaſum in eam ſe ambo ad quietem recipiebant. Quod cùm Miniſter per exploratores, quos per omnia loca deſtinauerat, certò didiciſſet; inuocato à Maceratenſi Magiſtratu, noui illius Diplomatis virtute, armatæ familiæ brachio; eò circa Solis occaſum ſe confert: ne verò Ludouicus, re cum Apparitoribus compoſita, (vti ſæpe fieri ſolet) ab iis aufugiens, ipſius expectationem eludat: his ipſe ſe Ducem, ac comitem præbet.

Cæterùm, quò res tutius, & abſque tumultu fiat, in id omnes conſilium coëunt: LV.
vt intempeſta tantùm noctis hora, quum ij alto ſopori indulgent, ad eos taciti accedant; domum vndique obſideant, & ſomno altè ſepultos vinculis obſtringant. Dum igitur Miniſter, armata familia ſtipatus, ſub Solis occaſum ad domicilium tendit, in quo Ludouicus, & Raphaël, tutò ſe conſidere confidebant; ſecretáque inter eundum, cum lictoribus colloquia miſcens, eos de agendis inſtruit; accidit, vt ex incolis quidam, qui etiamnum in agro verſabatur: cùm viros armatos conſpiciens, illos agminatim, ac pedetentim ad Ludouici domicilium contendere animaduerteret; veritus, ne aliquæ incauto inſidiæ pararentur, eo maximè, quòd Miniſtrum cum iis incedentem cerneret: moras omnes abrumpens, celeri curſu ad Ludouicum fertur, monétque non paruam militum manum cùm Miniſtro ad eum tendere. Eo nuntio paululùm animo ſubſtitit Ludouicus, quidque acturus eſſet, mente verſans (neque enim aufugiendi tempus ſupererat) mox animum auget, ac ſpe potiſſimùm in Deum fretus, Raphaëlis animum, qui ad inſperatum rei nuncium elanguerat, ac penè conciderat, Martyrum certaminibus, Sanctorum Patrum, qui olim pro Regulæ obſeruantia dimicarunt, tolerantia in exemplum allatis, in Dei ſpem, melioremque cogitationem excitat: atque vt illius animum magis ad fortitudinem reuocet, ea tentatione nihil Deum ab ipſius, præterquam animi probationem expetere: cæterùm illius auxilium quàm certiſſimè illis adfuturum, breui ſermone confirmat.

*Miniſter Ludouico, & Fratri inſidias parat.*

Ea cohortatione vbi Ludouicus Raphaëlis animum diuina virtute confirmatum, LVI.
atque ad omnia paratum cognouit: genibus ante Deum prouolutus, breui oratione ſe, ſuámque cauſam eidem commendat, illis Prophetæ verbis vſus: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me: quia ecce cœperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine.* Tum modum excogitat, Deo (vt creditur) conſilium in ea temporis anguſtia adminiſtrante, quo ſe à perſequentium technis eripiat. Ignem prægrandem in domus impluuio inſtruit, multiſque accenſis luminibus, ea, varia per domus loca diſpertit, vt eorum fulgor per feneſtras, atque alias domus rimulas coruſcans à Miniſtro, ac cæteris exteriùs videri poſſit. Interea Lictorum agmen, Miniſtro comite, cùm tenebræ iam Orbem obtegerent, inter ipſos noctis horrores ad domum accedebant; cùm Ludouicus, Raphaële, quid agere deberet, inſtructo: mox arrepta verüa, ſartagines, fuſcinas, ahenos, crateuteria, craticulas, catenas focarias, atque alia domus ferramenta, quibus illa inſtructa erat, per pauimentum, ac parietes raptant: atque inuicem collidunt; confuſas quoque voces, ac ſonos vociferantes edunt: vt, qui vociferationem, ac ſtrepitum audiunt, magnam armatorum militum copiam, ad pugnam ibi paratam, adeſſe ſibi perſuadeant, quæ tumultum, atque illum armorum ſtrepitum edat. Poſthæc Ludouicus ſtatim, quaſi omnium armatorum caput eſſet, conficta voce, Ducis vocem, ac imperium ſimulans: his feneſtras, illis oſtium, diuiſis muneribus

Pſal. 58.

custodienda





cuſtodienda tradit: alios tormenta rimulis applicare iubet; vt ſi quos propiùs accedere contingat, globulis proſternant: denique propria cuíque munera præſcribens, ſtrenuè ad pugnam adhortatur. Tum verò, quaſi propria voce Ducem compellans, ne cuiquam malum, aut vulnus inferat, impenſiùs rogat; ſufficere verò (ait) ſi milites domum tantùm cuſtodiant, ac ſeipſos defendant. Ipſe contrà, ſimulata Ducis voce, ne his ſe immiſceat reſpondet; ſuum illud munus eſſe, ipſius verò Deo pro ipſis preces fundere; atque iras ſimulans, futurum eſſe, comminatur, vt, ſi propiùs accedant, illos acceſſiſſe pœniteat.

*Ludouicus bellico ſtratagemate Miniſtrum ac lictores fugat.*

LVIII. Hæc dum imperioſè, ac bellico more Ludouicus, quaſi militum Dux, aduerſariis minatur: Miniſter, ac Satellitium ficto illo armorum ſtrepitu, ac vocibus perterriti, quid agere debeant, animo hærent. Miniſter verò, quamquam lubentiùs à cœptis deſtitiſſet; attamen, ne fruſtra tot eò homines compuliſſe: néve animum abieciſſe videretur; verbis Satellites cohortatur, ne animum deſpondeant; ſed impauidi ad fores accedant, atque in domum irruant. At ij cùm de capite illis decertandum eſſe exiſtimarent, (ſolet enim huiuſmodi hominum genus ſibi maximè à periculis cauere) Miniſtro reſpondent: Tuum, Pater, eſt præire, qui horum Fratrum es Paſtor, quíque nos in hoc diſcrimen adduxiſti. Quid? Num tu æquum iudicas, vt omnes hîc inter tenebras iugulemur? Fratres quoque, qui cum Miniſtro erant, ne tanto ſe periculo exponeret, hortabantur. Tum Accenſus Curiæ ad Miniſtrum. Si rei grauitas, ait, aut neceſſitas id poſtularet, Pater, vt cum vitæ periculo hoc facinus aggrederemur; planè æquum eſſet, vt intrepidè, ac promptiſſimis animis, (ex quo Curiæ imperio ſubijcimur) omne vitæ diſcrimen amplecteremur. Verùm cùm de re leuiſſima, ac Regulari duntaxat cauſa agatur; tot funeſtas Tragœdias excitare, ac certo nos vulnerum, ac necis periculo exponere, nemo eſt, qui id à ratione diſſentaneum eſſe non cenſeat. In eandem ipſi quoque Fratres ſententiam coëuntes, Miniſtro perſuadebant, vt à periculo abſtineret: cuncti enim magnam incolarum manum armatam eò ad Ludouicum tuendum confluxiſſe, certiſſimè ſibi in animum induxerant.

LIX. Dum hi ita inter ſe muſſitant, Ludouicus, cùm neminem propiùs accedere, ſed velut perterritos conſiſtere, ac paulatim retrocedere, per oſtij rimulas ſpectaret; extremo illos pauore concutere ſtatuit. Quare, patefactis ingenti cum fragore oſtij foribus, (quaſi incluſi milites in eos irrumpere vellent) varijſque effictis militum vocibus, quibus ſe ad pugnam hortaretur; tantum iam perterrefactis animis metum, ac terrorem adiecit; vt in apertam omnes per agros, ac montes fugam compelleret. Quamquam verò Ludouicus ea, quam callebat, militari arte, bellico illo ſtratagemate vſus, non parum ad exterrefaciendos aduerſariorum animos contulerit: eum tamen pauorem illis potiùs è Cœlo, quàm aliundè incuſſum fuiſſe, ipſe Miniſter, poſtquam ad Capucinos acceſſit, non ſemel faſſus eſt; quem tam ingentem fuiſſe aſſerebat, vt, & ordinata militum acies illis pro Ludouico tunc adeſſe videretur; ab eáque velut à turbine diſpergi, & ad fugam ſe compelli exiſtimarent. Quare Ludouicus, id diuinæ benignitatis præſidio potiùs, quàm humanæ prudentiæ artibus adſcribens, cùm primùm eos ex fuga abeſſe cognouit, protinùs cum Raphaële in genua procumbit, Deóque liberatori gratias agit.

LX. Ab eo itaque periculo Ludouicus iam liber, cùm eam ſedem non ſatis ſibi à Miniſtri inſidiis tutam eſſe cognoſceret: inde abſcedens, cum Rapheële ad Camaldulenſes Monachos Congregationis Montis Coronæ tranſmigrat, qui Eremum Cryptarum propè Maſſacium conſtructam, incolebant. Is quippè locus, & ad ſolitariam vitam excolendam aptior, & ad orationis ſtudium proſequendum magis accommodatus: denique à Miniſtri infeſtationibus liber, ac tutus illi videbatur. At neque ipſius ſtudio religioſiſſimi illi Patres defuerunt, qui, cùm ſilentio, orationi, & Anachoreticę vitę inſtituto perfectiùs incũbentes, cœleſtem ſub Paulo Iuſtiniano Patre

*Ludouicus in Eremum Cryptarum cum Fratre migrat.*

ac Majore

ac Majore in ea Eremo vitam ducerent; aduenientes Fratres benigniſſimè excipiunt, atque omnibus humanitatis officijs proſequuntur.

LXI. Erat hic Paulus, inter Camaldulenſes nomine, ac pietate celeberrimus; qui cùm Montis Coronæ Congregationis Auctor, ac Inſtitutor fuiſſet, in ea Cryptarum Eremo, velut clariſſimum Religioſæ obſeruantiæ lumen, ac perpetuus Eremiticæ auſteritatis vindex, admirabili vitæ ſanctimonia, ac virtutum ſplendore emicabat. Hic aduentantem Ludouicum, ſimul cum Fratre, hoſpitio excipit: à quo cùm ſui itineris, atque eò confugiendi cauſam didiciſſet: piè admodum illos ad rerum tolerantiam hortatur, animóſque melioris rerum euentus ſpe corroborat. Interim tranquillis, ac pacatis apud ſe iubet animis conquieſcere; neque vlla formidine; aut metu percelli.

*Paulus Iuſtinianus Camaldulēſis Congregationis Mōtis Coronæ Auctor.*

LXII. In ea igitur Eremo Foroſempronianì Fratres conſidentes, in omni ſe virtutum, atque auſterioris vitæ cultu exercebant: familiaria illis ieiunia erant, quotidianæ vigiliæ, ac carnis macerationes; die inter Syluas rerum cæleſtium contemplationibus vacabant, nocte verò cum Monachis diuinis laudibus incumbebant: nec quicquam ſibi, vel obſonij, vel victus cuiuſcumque ex communi Monachorum menſa ſibi adminiſtrari patiebantur: ſed, cùm fames vrgeret; ſtipem, velut pauperes à Domus Cellario accipiebant; vel ſylueſtria ſibi olera in cibos parabant, quibus contenti à vino abſtinebant.

LXIII. Porrò, dum hac virtutum luce, ac perfectioris vitæ genere Germani Fratres ſacram illam Monachorum Domum illuſtrant, contigit, vt vel propter aëris inſalubritatem, vel ob nimios exæſtuantis Caniculæ ardores, quibus tunc Regio flagrabat, vniuerſi pœnè illius Cœnobij Monachi, ac ſacerdotes, aduerſa valetudine afflictarentur: Mox Germani fratres pio charitatis operi ſe accingunt; haudque facilè effatu, quàm promptè, quantoque cum charitatis æſtu propria cuique infirmo obſequia præſtent; quàm ſedulò diu noctúque ijs inſeruiant; qua diligentia paratos cibos miniſtrent; pharmaca, ac medicamenta opportunè preparent, ac prębeāt; ſolatia ad eos recreandos quærāt; ac tandē eos pijs omnibus officijs cōplectantur. Ludouicus quotidiè Miſſas faciebat; & ſicubi opus erat, grauiùs laborantes ſacro Viatico reficiebat; pijſque hortationibus confirmans ad morbi tolerantiam excitabat: nulli denique cùm vllo veræ pietatis officio, donec vniuerſi in priſtinā incolumitatem vendicarentur, vnquam defuiſſent: id quoque ſummum tum Pauli, tum cæterorum illius Eremi Religioſorum in eos amorem conciliauit.

*Ludouici, & Raphaelis erga Camaldolenſes ægrotos charitas.*

LXIV. Verùm, dum inter ſolitaria huius Eremi loca his ſeſe virtutum operibus exercent, ac velut in vtramque ibi aurem tuti obdormiunt. Haud dormit Sathan, qui grauiter eorum patientia, ac plurima virtute læſus, magiſque in dies ſibi de futura Reformatione timens, nouas in eos tempeſtates concitat. Nam etſi Germani Fratres à cæterorum, tum domeſticorum, tum aduentantium hominum, quàm maximè fieri poterat, oculis cauerent; ne eorum ſedes Miniſtro aliquando innoteſceret: haud tamen fieri potuit, quin ob ægrotantium præſertim curam, quam quotidie gerebant, à quamplurimis, qui eò ad ægrotos inuiſendos confluebant, conſpicerentur: quo fit, vt, eorum fama ſubobſcurè ad Guardianum Conuentus Maſſacij, qui ab Eremo non longè aberat, penetrante; Guardianus Miniſtrum, qui viſitationis officium non procul à Maſſacio alteri Conuentui impendebat, eius rei per literas certiorem fecerit. Miniſter verò, eo nuncio lætus, longiorem Epiſtolam ad Guardianum exarat, in qua illud primùm monet, vt rem certiùs per Exploratores agnoſcat, ac rurſum illi per literas ſignificet: tum plurimas in Ludouicum, ac nouam Reformationem minas congerit. Omnia (inquit) tentanda ſunt, vt Ludouicus ſemel in manus noſtras incidat: neque enim tumultus, in Ordine ex Reformatione exorti, vlla ratione ſedari valent, aut noua hæc Reformatio extingui, niſi is, in imum carceris locum detruſus, in eo vſque ad mortem tabeſcat. Neque nos mouet Diploma ab eo ab Apoſtolica Sede latum; illud enim, cùm ſubreptitium ſit, ac

*Miniſtri ad Maſſacij Guardianum Epiſtola exaratur.*





falſis tantùm de cauſis impetratum, noſtro proculdubio Diplomate proſternitur, quo nobis in huiuſmodi Apoſtatas, atque Ordinis perturbatores datur animaduertere: quare parui illud Diploma faciendum eſt: ſemel enim Ludouico in ſqualētem carcerem retruſo, nobis facilè erit in huiuſmodi diploma, velut ſubreptitium, apud Romanam Curiam conſurgere, atque illius reuocationem impetrare. Age igitur, vt quàm primùm, quomodò res ſe habeat, nos per certum nuntium certiores facias. Vale.

LXV. Guardianus, lecta Miniſtri Epiſtola, mox duos ex ſui Conuentus familia Fratres, huic negotio idoneos, ad Eremum mittit; qui ſe intimos Ludouici amicos, ac familiares eſſe ſimularent. Monachi verò, cùm nihil ſiniſtrum ſuſpicarentur, aduentantes fratres auidè excipiunt, humaniſſimè tractant; & cùm hora prandij eſſet, ſecum ad communem refectionem admittunt. Porrò eo tempore Ludouicus cum Raphaële in ſyluam ſeceſſerat; vbi vnà diem in orationem, ac rerum diuinarum contemplationem inſumere ſolebant. Interea Monachi Ludouici, ac fratris pietatem optima vitæ exempla, ac reliquas virtutes apud fratres ſummis laudibus efferunt; eoſque apud ſe tutos commorari; ac tunc quidem inter ſyluas de more verſari, nocte verò duntaxat ad Eremum redire, bona illis fide indicant.

LXVI. Eo Fratres exploratores contenti, dum vnà cum Monachis cibum ſumunt; caſu vel meliori potiùs Dei prouidentia accidit; vt illa Miniſtri ad Guardianum Epiſtola, quam eorum alter ſecum detulerat, imprudenter illi ſub menſa caderet: quod cùm nemo animaduerteret, ij Maſſacium redeunt, Guardianóque vniuerſa, quæ de Ludouico audierant, renunciant. Protinus hoc ipſum Guardianus per literas Miniſtro ſignificat. Interea Monachi inuentam Epiſtolam aperiunt, perlegunt, examinant, & Miniſtri artes, atque occultas in Ludouicum machinationes percipiunt: quamborem vix Ludouicus ſub veſperum ad Eremum redit, cùm ſtatim Monachi vniuerſa, quæ cum Fratribus geſta fuerant; ac præterea de inuenta epiſtola, referunt; quam cùm Ludouicus attentiùs perlegiſſet, ac Miniſtri animum, ingeniumque in ea exaratum, perſpexiſſet; oculis ad cælum erectis, Deo gratias agens: Iam inquit, perſpicuè cerno, immotum illud Dei conſilium eſſe; vt hoc ſanctæ Reformationis opus, reluctante licèt hominum arte, ac potentia, ſupremum tandem ſuum culmen aſſequatur: neque hominum, aut dæmonum conatu diſſolui poſſe, quod Dei virtute, ac conſilio iam ſtatutum eſt. Hactenus enim cùm Miniſtrum mihi tantùm infenſum arbitrarer, haud leui ſuſpicione vrgebar; ne id vitio meo potiùs quàm Reformationis ſtudio, tribuendum eſſet: iam verò, cùm tam manifeſtè in Reformationis opus, quod Dei eſt, illum debacchantem video, nihil ſanè reliquum eſt, quod animum meum ſolliciter: neque enim illi cum Ludouico, ſed cum Deo pugna eſt, in qua illum omnino ſuccumbere neceſſe ſit. Tanta deinceps, ac tam certa Reformationis ſpes Ludouici animum ab eo tempore cœpit imbuere; vt perinde, ac ſi illius iam certus exiſteret, ne quidem de ea dubitandum eſſe, exiſtimaret. Paulus verò, ac cæteri illius Cœnobij Monachi, cùm nihil ſibi à Miniſtro metuerent, animos tum Ludouico, tum Raphaëli, ne quid formidarent, ſuis verbis addebant.

LXVII. Miniſter igitur, accepta Guardiani epiſtola, quia de certa Ludouici ſede admonebatur, iterum Maceratam, vbi tunc Legatus Apoſtolicus pręſidebat, è veſtigio euolat; ab eoque armatam familiam impetrat; qua nonnullos (vt aiebat) Apoſtatas, qui deſerta Religione, Regionem vagādo circuibant; ad Ordinis obediētiam compellere valeat. Legatus, nihil in Miniſtri verbis doli ſuſpicatus, Curiæ Accēſum cum valida Apparitorum manu Miniſtro aſſignat. At Miniſter cùm necdum illi mente excidiſſent, quæ in agro Cingulano, ſibi, ac aliis in eodem planè Ludouici negotio contigerant; facto quidem præſens ipſe eſſe noluit: Fratres tamen huic rei idoneos cum Apparitoribus mittit: quos vbi de omnibus, quæ agere deberent, opportunis monitis, ac conſilijs inſtruxit; rei exitum anxius præſtolatur.

*Miniſter Ludouicum in Eremo Cryptarum perſequitur.*

LXVIII. Porrò Fratres Lictoribus ſtipati, rectà ad Eremum contendunt, atque, vt omnis

Ludouico via aufugiendi intercludatur, Cœnobium vndique circumuallant, Monachos interpellant, vt Ludouicum, ac Raphaëlem, velut Apoſtatas, ac Ordinis deſertores tradant. Monachi è regione pro Ludouico ſtare, de illata vi conqueri, ſacrorum locorum immunitatem obiicere, excommunicationem, ni deſiſtant, minari. Illi contrà clamare, ſuos ſibi Apoſtatas vbique repetere licere; Legati ſe quidem auctoritatem præſeferre, illos verò tum Apoſtatarum fautores, tum Eccleſiaſticæ poteſtatis contemptores prædicare. Denique cùm omnia clamoribus implerentur, tam ingens ibi tumultus excitari cœpit; vt, confluentibus vndique viris, qui circa Eremum habitabant, quorum pars fratribus de Obſeruantia, pars Monachis fauebat, eò res deducta eſſet, vt in factiones diuiſi, iam ad conflictum arma, animoſque pararent. At Ludouicus maximè veritus, ne ſua cauſa clades aliqua inter eos contingeret, vltrò cum Fratre ſe Lictoribus tradit, illis Prophetæ verbis vſus. *Si propter me orta eſt tempeſtas, mittite me in mare.* Ecce me (inquit) quid pugna, aut contentione opus eſt? Ab Apoſtolico Legato miſſi, huc veniſtis: Iam me ad Apoſtolicum Legatum ducite; Legatum apello: mea coram eo cauſa mihi agenda eſt; neque enim ab alio iudicium expecto; vt, ſi quod in me crimen fuerit, ab eo duriùs corripiar; ſin minùs, ipſius quoque iudicio abſoluar.

*Ludouicus coram Legato Apoſtolico ſuam cauſã dicit.*

Sedatis in hunc modum turbis, Ludouicus, & Raphaël cum fratribus, ac Lictoribus ad Legatum pergunt. Eo tempore Apoſtolica Legatione in Piceno fungebatur Franciſcus Armellinus. Vir grauis, honeſtus, & cum primis æquitatis amans, atque adeò ab omni cupiditate alienus; vt pluribus, maximiſque in rebus probatiſſimus, magnam ſibi apud cunctos integritatis exiſtimationem comparaſſet: qui propterea à Leone X. ob præclaras animi dotes inter purpuratos Patres anno 1517. cooptatus fuerat. Is vbi Ludouici, ac cæterorum aduentum agnouit, Vrbis Guardiano ad ſe accerſito, omnes ad ſe vocari iubet; qui cùm præſentes adeſſent: ad Guardianum, ac reliquos Fratres, qui cùm Ludouico venerant, ſermonem conuertens, ab iis, quid à Ludouico exquirant, aut cuius rei gratia illum comprehendi curauerint; percunctatur. Cui Guardianus; nihil à Ludouico, præterquam ſpirituale illius commodum, atque vtilitatem ſe poſtulare, affirmat: neque alia de cauſa Ordinis Patres comprehendendum cogitaſſe; quàm quòd de ipſius ſalute ſolliciti, diu aberrantem ad Religionis ſinum redire optarent, vbi ſumma omnium beneuolentia excipiendus, honorificè, ac tranquillè inter fratres vitam duceret. Tum Legatus Ludouicum, quid his reſpondeat, amicè compellat. Ad quem Ludouicus, Bono animo, Illuſtriſſime, ad Apoſtolicum Tribunal veni, vt ſi quid à me delictum eſt, hîc æquiſſimè iudicer. Deum Opt. Max. Iudicem obteſtor, teſtemque conſcientiam meam appello, quam abſque offendiculo purã poſſidere ſatago; Id tãtùm me, ſi quod optimum, & honeſtum, ac Deo cum primis honorificum, tum verò ad ſupernam fœlicitatem adipiſcendam adeò neceſſarium; vt, eo è medio ſublato, omnis mihi ad ſalutem via penitus intercluſa ſit, in Religione hactenus quæſiuiſſe; ac etiamnum quærere; præterea nihil. Illud verò perfecta Regulæ obſeruantia eſt, cui me pluribus ab hinc annis iureiurando obſtrictum ſentio: propter quam cùm aliàs carceres, & contumelias tulerim, tum hoc quoque tempore hæc vincula ſuſtineo. Hactenus quidem multa, ac grauia, hac ipſa de cauſa paſſus ſum: plura tamen, ac grauiora ferre haud indignum, imò nec iniucundum cenſeo. Certè ſi quæ vnica eſt ad ſalutem via, hæc mihi in Religione patere poſſet, haud profectò ea mihi aliunde quærenda eſſet: ſed in ea ſtandum, in ea commorandum, in ea quieſcendũ, in ea tandem mihi elaborandum iure exiſtimarem, quò perfectiùs ea frui poſſem. Verùm cùm noſtra hæc ſit horum temporum calamitas; vt Regulari diſciplina collapſa, nullus in ea Regulæ perfectè obſeruandæ locus relictus ſit; Dei, atque ipſa naturæ lege dictante, ad Apoſtolicam Sedem, velut Matrem confugi; ab ea viam mihi ad ſalutem aperiri poſtulaui: cauſam coram Pontifice dixi; antiquam B. P. Franciſci habitus formam, quam gero, ab eo impetraui, Pontificium Diploma tuli; LXIX.





quo Apoſtolica diſpenſatione mihi extra Ordinem degere, Regulámque in Eremis obſeruare liceret: Quid? Num profugum, aut Apoſtatam inuenerunt? num Regulæ præuaricorem offenderunt? Amabò: ſi ſacro Diplomate munitum; ſi Apoſtolica auctoritate fretum; ſi ad perfectam Regulæ obſeruantiam anhelantem reperiunt, quomodò Ordinis deſertorem accuſare audent? Proferant, ſi quid habent, quo Diploma Apoſtolicum eneruent, vel extenuent. Quòd ſi alicuius delicti reum; ſi criminis conſcium; ſi Regularis obſeruantiæ perduellem, ſi publicæ tranquillitatis perturbatorem; ſi flagitioſum, ſi turpem, ſi ſceleſtum norunt; accuſent, probent, exclament: ante Tribunal ſto: Pontificis iudicium ſubire haud renuo. Mox Diplomate prolato, illud Legato conſpiciendum offert. Rurſuſque ſermonem proſequens: Aiunt, (inquit) ſe nihil magis, quàm meam ſalutem, ac bonum expetere; atque omni me apud eos beneuolentiæ, ac charitatis ſtudio complectendum fore; ſi reditum ad eos feſtinem: id fortaſſe mihi perſuaderem; niſi ijs prorsùs diſſentanea ex Miniſtri literis apparerent. Tum Miniſtri Epiſtolam exerens, illam Legato perlegendam tradit.

LXX. Legatus verò, cùm inſpecto Diplomate, Miniſtri quoque Epiſtolam attentiùs perlegiſſet, nihilque in ea, præter dolos, verſutias, calliditates, minas in Ludouicum exaratum animaduerteret; his grauiter commotus, Guardianum, atque adſtantes Fratres, his verbis non abſque ſtomacho conceptis, alloquitur. Multa, Patres mei, ac iuſta aduersùs Miniſtrum indignatione commoueor, neque ſatis Viri duplicitatem admiror; qui cùm nuper ad nos accedens, hos Fratres (Ludouicum, ac Raphaëlem indigitans) & Apoſtatas, & Ordinis perturbatores, atque excommunicatione irretitos eſſe pluribus verbis perſuaſiſſet; plurimámque in eos charitatem, ac veri Paſtoris officium diſſimulans, eos nonniſi Curiæ noſtræ brachio ad Religionis ſinum, & obedientiæ iugum reuocari poſſe contenderet. Dictis fidem adhibuimus. Quid plura? Omnia nobis perſuaſit: Militum ſubſidium obtinuit, nihil doli ſuſpicantes ſua auctoritate fefellit; inſontes, ac probos homines noſtra ope, ac nomine vinculis alligari iuſſit. Noſque S. R. E. Cardinales, & Apoſtolicos Viros, quod caput eſt, malis ſuis cupiditatibus famulari voluit. Quid hîc excuſatione, aut tergiuerſatione opus eſt? En apertum literarum ſuarum teſtimonium: En Apoſtolicum Diploma, quod ſe haud ignorare ſuo literarum teſtimonio profitetur. Certè ſi veritas; ſi conſcientia; ſi Religio; Miniſtri animum ab huiuſmodi improbitate auocare minimè potuerunt: huius ſaltem ſacri Tribunalis Majeſtate, Numine, terrore: ipſo quoque Legati Apoſtolici munere, perſona, conſpectu deterreri, æquum erat. Verùm, Supremum Numen obteſtor, quòd niſi Religionis de Eccleſia benemeritæ Sanctitatem vererer, Miniſter vtique ſuo damno experiretur, quàm graue ſcelus, atque indignum facinus ſit, Apoſtolici nominis dignitatem doloſa recti ſpecie illudere. Faxit Deus, ne Euangelicum illud vobis occini queat: *Veh, Vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.*

*Legati Apoſtolici pro Ludouico iudicium.*

LXXI. Tum Ludouicum, & Raphaëlem humaniſſimis verbis affatur. Vos, inquit, veſtra patientia, & obedientia vos ipſos apud nos plurimùm commendaſtis; ac commendatiores veſtra innocentia, ac pietate præſtitiſtis. Iam vobis, & veſtra inculpatæ vitæ tutela, & noſtra auctoritate liberum ſit, quocunque volueritis proficiſci, & ſanctæ vocationis veſtræ ſtudium abſque vllo metu tranquillè proſequi. Quòd ſi quis ab eo poſthac vos deterrere tentauerit: ad nos accurrite, qui omnem vobis in eo gratiam, ac fauorem pollicemur: tantummodò gratas veſtras ad Deum pro nobis preces fundite. His eos dictis dimiſit.

*Ludouicus & Raphael liberi dimittuntur.*

LXXII. Porrò in his, quàm præclara diuinæ Sapientiæ Sacramenta nobis eluceant, facilè perſpici poteſt. Quis enim furentem Miniſtrum: ac tam graui in Ludouicum, ac nouam Reformationem irarum æſtu incaleſcentem cernat: vt omnia perdere: atque in exitium rapere contẽderet. Ludouicũ verò inter Lictorũ, atque aduerſariorũ

manus captiuum, vinculis conſtrictum, ad Tribunal raptum conſpiciat: qui ſuprema exorienti Reformationi ſepulchri funera non ominaretur? At ineffabilis Deus, qui ipſius incolumitati inuigilat; Ludouicum poſt vincula glorioſiorem reddit, & ſolidiora in perſecutione Reformationi principia parat. Nam quemadmodum Cupreſſus, atque aliæ excelſæ arbores, quò magis ventorum flatibus quatiuntur, eò profundiùs humi radices agunt. Ita Deus, quæ in Eccleſia ſtabiliora, atque immobiliora eſſe vult, occultâ planè diſpenſatione, maioribus perſecutionum turbinibus concuti ſinit: & vt Damianus ait: *Ad hoc premit, vt alleuet: ad hoc ſecat, vt ſanet: ad hoc deijcit, vt exaltet.* Ex bellis quippe præclariora trophæa, & ex certaminibus illuſtriores coronæ colliguntur. Hoc pacto ſumma Dei Prouidentia crebris perſecutionum flatibus Reformationis primordia pulſabat; vt & ſtabilem, ac immotam illi aliquando, inter Regularium Ordines, in Eccleſia ſedem pararet, & illuſtriorem poſt perſecutiones illius gloriam redderet. Huius perſecutionis meminit Auctor Hiſtoriæ Romualdinæ, quam breuiter his verbis attingit. *Factum eſt ſiquidem, vt dum Foroſemproniani Fratres apud Paulum modicam capiunt refectionem, à Curiæ ſæcularis Miniſtris inuaſi raperentur, & vincti ducerentur in carcerem Maſſacij: & hæc facta ſunt inſtantibus Franciſcanis. Paulus contrà, tantam iniuriam, Deo primùm, deinde ſibi ac Religioni ſimul, ob ſacri loci violationem, illatam diſſimulare non potuit. Captos pauperes viriliter repetit; contra renuentes captores (in vim priuilegiorum ſuorum) fulminat excommunicationem.*

Petr. Dam. l. 8. epiſt. 6.

*Reformationis primordia cur Deus maximis tentationibus pulſari permiſerit.*

Romualdin. l. 3. c. 14.

LXXIII. Liber itaque Ludouicus, cùm, velut reuecto ex hoſte trophæo, maiorem ſibi apud omnes gloriam, & exiſtimationem comparaſſet; lætus cum Raphaële ad Eremum reuertitur, vbi incredibili omnium Monachorum lætitia à Paulo excipitur. Verumtamen poſt aliquot dies Paulus cùm Ludouici, ac Raphaëlis tranquillitati ſtudens, iis non ſatis in ea Eremo, ob Miniſtri inſidias proſpectum eſſe exiſtimaret, in aliam cogitationem incidit.

LXXIV. Inter Apennini iuga, quà è Piceno in Vmbriam itur, vallis quædam nemoroſa latet, à dextra Sentinum nouum, à læua Fabrianũ habens: cui immaniſſima imminet rupis, quæ ex alto præcipitem riuum effundens, Vallem ipſam graui murmure, tametſi non iniucundo, complet. Sub rupe Antrum apparet, quod olim luporum cubile fuit: vbi ij & fœtus ſuos procreare, & catulos ex præda vicini pecoris alere conſueuerant: atque inde vallis ipſa ab indigenis *Paſcilupi* cognomen accepit. Ibi à Paulo ſolitaria non pridem Eremus extructa fuerat, quàm pauci duntaxat Monachi incolebant; quæ Eremus Paſcilupi ab ipſa vallis appellatione denominationem ſortita fuit. Cumque ad eam vnicus tantùm iuxta defluentes aquas arduus pariter, atque horridus daretur aſcenſus, (reliquas enim partes peralta nudi ſaxi rupis concludebat) Hunc locum, velut remotiſſimum, ac tutiſſimum Paulus Ludouici, ac Fratris habitationi deſtinare cogitat, eumque illis opportunè laudat. Annuunt Pauli conſilio germani Fratres: quapropter Paulus, datis ad Maiorem illius Eremi literis, eò Ludouicum, ac Raphaëlem quamprimùm dirigit.

*Ludouicus, & Raphaël in Eremum Paſcilupi migrãt, vt Miniſtri perſecutionem effugiant.*

LXXV. In eam igitur Eremum profecti, dum longè ab hominum conſpectu, ac conuerſatione gemini Fratres æquo, ac tranquillo animo, ab omni perturbatione ſemoto, Deo ſe vacare putant. En iterum, Sathana concitante, noua in eos ſæuit tempeſtas, infeſtáque bella parantur: neque enim diu Miniſtrum latere potuit ipſorum in eam Eremum receſſus, qui mille in Ludouici vias oculos intentos gerebat. Quapropter commodiorem tunc ſe, tum ex loci ſolitudine, tum ex Monachorum paucitate, opportunitatem nactum eſſe arbitratus, quò tandem voti ſui compos fieret, ac Ludouicum teneret: non paruam Fratrum virilium, ac robuſtorum manum deligit, qui ſub horrentes obſcuræ noctis vmbras occultè Eremum petant: ac nemine opem ferente, vinculis conſtringant. Pergunt bis ſepteni Fratres, animis ac fuſtibus armati, nec quicquã à tam paruo Monachorũ numero (qui ternariũ nõ excedebat) ſibi formidãtes, Ludouico inſultare parãt. Interea, præcipitãte ſe iã Sole,





Veſpertinum imminebat crepuſculum, quum ex Eremi Monachis, Senex quidam, atque ætate grandæuus, in imam planitiem oculos deflectens, Fratrum turmam, rectà ad Eremum tendentem animaduertit; qui ſenſim incedentes, noctis tenebras expectare videbantur; cumque eos pluribus argumentis Ludouici aduerſarios eſſe agnoſceret, iiſque nulla ratione obſiſti, ac eorum impetum cohiberi poſſe intelligeret: graui imminentis periculi timore perculſus, atque ob teneriorem charitatis neceſſitudinem, qua Ludouicum, ac Raphaëlem proſequebatur, penitùs animo conſternatus, in tam ingentes ſe fletus, ac eiulatus dare cœpit: vt Ludouicus, qui in proxima ſylua Canonicarum Horarum penſum exſoluebat, eos auribus perſentiens: veritus ne Seni mali aliquid accidiſſet, ad eum ſtatim aduolauerit, ab eoque gemitus cauſam percunctatus fuerit. Cui Senex: An non vides, Ludouice, ait, tuorum aduerſariorum turmam? quotque huc te comprehenſuri feſtinant? Hi mei doloris cauſa ſunt, hi me ad gemitum compellunt: quandoquidem omnis nobis, aut reſiſtendi, aut tibi aufugiendi aditus præcluditur.

*Miniſter iterum Ludouico inſidias ſtruit.*

LXXVI. Ludouicus verò, Fratrum agmine inſpecto; vbi eos Eremo necdum appropinquaſſe cognouit; Senem Eliſæi verbis ſolatus: Ne timeas, inquit, Pater mi: Plures ſunt pro nobis, quàm contra nos: erunt namque Angeli defenſores; erit Beatus Pater Franciſcus propugnator; erit denique Deus ipſe murus igneus in circuitu noſtro: nihil te moueat; tranquillus eſto: tantummodò Deum impensè roga, ac deprecare, vt noſter ſit. Confeſtim ambo Eccleſiam ingreſſi, atque ante Altare proſtrati, ardentiùs Dei opem efflagitant, diuinámque clementiam preſſiùs ſibi adeſſe depoſcunt; vt conſilium in periculo ſuggerat, quidve illis agendum ſit, diuina luce ſubminiſtret: frequenter verò Ludouicus Deum illis Prophetæ verbis ſollicitabat: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.* Tum, magna in Deum ſpe, ac fiducia, animo concepta aſſurgentes; Ludouicus, vt aduerſarios eludat, atque à cœptis deterreat; Militari aſtu, (quemadmodum ſolebat) vti cogitat. Nam ingenti lignorum pyra extructa, atque igne excitato, accenſos torres, ex igne collectos, varias per Cœnobij feneſtras, ac prominentia rupium iuga diſpertit; vt ipſorum aſpectu Fratres multam ibi hominum turbam adeſſe ſibi perſuadeant. Porrò flante vento, ac titionum crepitante flamma; tantus ex his fragor, ac ſtrepitus perſonare cœpit, vt non paruum Fratribus, qui procul ſpectabant, horrorem incuteret. Verùm cùm animoſiores facti, iam propiùs accedere pararent: Ludouicus cum Raphaële altiorem rupem conſcendens, Fratrum turbam expectat; qui per anguſtum iter ſub ea gradientes, ad Eremi Cœnobium properabant: quos cùm, circumfuſa iam noctis caligine, ex ligneorum calepodiorũ ſtrepitu iam aduentãtes perſentiret: belli ſe Ducem ſimulans, quaſi qui plurimam armatorum militum copiam ſibi parentem haberet; primùm quidem voce ſubmiſſa, ſuum quibuſque locum aſſignare, ac munera diſtribuere videbatur; ſicut in bello fieri ſolet, quum detectis hoſtium inſidijs, qui Arcem defendunt, eorum clam aduentum præſtolantur. En, en (aiebat) en adſunt: parate tormenta: Vos anguſta illa loca occupate: Tu cum tuis iter iſtud obſide; ne cuiquam per illud aditus patere queat. Nos in agmen irrumpemus. Hæc ita ſubmiſsè obmurmurat; vt tamen ficta vox ad illos peruenire valeat. Interea, per eminentia illa rupis loca, hâc, atque illâc excurrens, variaſque tum Ducis, tum militum voces effingens, omnes ad pugnam hortatur. Idipſum quoque Raphaël à Ludouico edoctus præſtabat. Fratres verò, cùm ſtrepitus, ac voces quidem audirent, neminem verò ob loci anguſtiam, ac noctis tenebras cernere valerent; magnam ibi armatorum manum eſſe arbitrati, titionum quoque crepitantium horrore perterriti, tam ingenti metu trepidare, ac terrore percelli cœperunt: vt non modò ſibi fugam conſulerent; ſed haud

Pſal. 34.

*Ludouicus, vt ſe, & Fratrem liberet, ſtratagemate vtitur.*

ſecus, quàm ſi hoſtes in ſe irruentes cernerent, nullo perſequente, ita ſeſe per abrupta illa loca velut præcipites darent; vt mirum planè eſſet (vt ex Monachis, qui tunc aderant, quidam teſtabatur) quòd ex frequenti lapſu crura, & capita ſaxis non alliderent. Ita Ludouicus, diuina potiùs virtute, (quæ & conſilium præbuit, & terrorem perſequentibus auxit) quàm humano conſilio ſeruatus, iam tertiò perſecutores euaſit; ex quo lætus, & gratulabundus illud Eccleſiaſtici Deo liberatori
Eccl. 51. cœpit occinere. *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te, Deum ſaluatorem meum: confitebor nomini tuo: quoniam adiutor, & protector factus es mihi, & liberaſti me, ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam: de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me, &c. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.*

At, ne quis hunc euadendi modum, velut Euangelico homini minùs conſentaneum LXXVII
*Ludouici factum à calumnia liberatur, diuinæque Prouidentiæ adſcribitur.* ſuggillet; vel humanæ potiùs arti, atque induſtriæ, quàm Dei prouidentiæ adſcribendum cenſeat; planè meminiſſe debet, id tum apud Scripturas, tum apud Patres haud inſolitum videri. Quid enim egerit Dauid, cùm Achis Regis Gethcorum manus effugere vellet, quomodo os immutauerit, ac ſe alterum eſſe ſimulauerit, cunctis perſpicuum eſt. Qua identidem arte Gedeon
1 Reg. 21. tubarum clangore, lagenarum ſonitu, ac luminum apparatu Madianitas terruerit. Quo itidem artificio Iudith Holofernem, Iudæorum hoſtem, deluſerit,
Iudith. 11. atque Aſſyriorum exercitum ad fugam compulerit. Paulus quoque quo conſilio
Iudic. 7. vſus fuerit, vt ſe è Iudæorum manibus eriperet, cùm de Reſurrectione mortuorum ſe iudicari, diceret; nemo eſt qui ignoret. Denique, (vt alia exempla prætercam) D. Athanaſium, iniquiſſimis illis Arrianorum temporibus, immotam Catholicæ Fidei columnam, hac animi ſolertia, ac ſagacitate perſequentium furiam declinaſſe, certum eſt: cùm ea, qua fugiebat, cymba; in oppoſitam fluminis partem conuerſa, inſequentibus ex induſtria occurrit, ſciſcitantibúſque num longè Athanaſius abeſſet, reſpondit; non longè illum abeſſe: qua arte, aduerſum illos fluminis curſum tenentes, effugit. Quid plura? Cùm Dominus, vbi nullum ſubeſt Fidei periculum, perſecutores deuitandos eſſe monuerit, illis verbis: *Cùm autem perſequentur vos in Ciuitate iſta, fugite in aliam.*
Matth. 10. Profectò nihil ab Euangelio diſſentaneum agere videntur, qui vel ſagaci conſilio, vel humana induſtria ſibi ab inſecutoribus cauent: dummodò in omnem rei euentum parati, ac diuinæ voluntatis imperio ſubiecti, omnem in eo ſtudij ſui ſummam non reponant. *Idcirco enim* (vt ipſe Athanaſius ait) *&*
S. Athanaſ. in Apol. de fuga ſua. *ipſum Verbum, propter nos homo factum, non indignum putauit, cùm quæreretur, quemadmodùm & nos, abſcondere ſe: & cùm perſecutionem pateretur, fugere, & inſidias declinare.*

Inter hæc aduerſa Deus benigniſſimus, vt Ludouici animum conſolatione aliqua leniret, & in meliorem ſpem, atque expectationem erigeret; cuiuſdam Monachi; LXXVIII.
*Monachi cuiuſdam de Minorū Ordine, ac illius Reformatione elogium.* Viri cùm primis in pietatis ſtudio exercitatiſſimi, qui facto præſens interfuerat, reique exitum altiùs contemplatus fuerat, ita ſpiritum accendit, vt in hæc verba erumperet. O beata S. Franciſci Religio! ô felix Minorum Ordo, qui potentiſſimo tanti Patris ſuffragio ſuffultus, ſæpè reuiuiſcit: vixque in eum inobſeruantiæ Regularis virus irrumpit, quum mox, cæleſti nouæ Reformationis pharmaco curatus, ab interitu vindicatur: quo etiam plerunque fit, vt non modò in priſtinam incolumitatem, ac Regulæ obſeruantiam; verùm etiam in illuſtriorem rerum ſtatum refloreſcat. O terque, quaterque felicem te Ludouicum, ſi eximium hoc Dei beneficiū agnoſcēs, quo te ſacri huius ædificij columnam, ac propugnatorem inſtituit, aduerſùs hominum, ac Dæmonum tentationes, vſque in finem ſtrenuè, ac legitimè decertaueris: inde enim plurima te manet apud Deum, & apud homines gloria. Quamobrem certa fortiter; viriliter age: neque animum vllo vnquam tem-





pore deſpondeas; te enim Sapientis verba huc prouocant: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccleſ. 4.
His verbis adeò refocillatus eſt Ludouici ſpiritus, vt & duriora pati haud renueret; ſæpéque illud Apoſtoli altè animo repeteret: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8. *tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio; an gladius?*

LXXIX. Cæterùm, dum hæc circa Ludouicum aguntur: Frater quidam Angelicus ex Peruſini agri Oppido, qui Phratta dicitur, oriundus, audita Matthæi fama, quæ tum *Fr. Angelicus Phratrenſis ſub Reformationis nomine diſcipulos colligit: tum Apoſtata agnoſcitur.* ob nouam habitus formam, tum ob ſingularem vitæ rationem, efficacémque diuini Verbi prædicationem, qua Populos ad pœnitentiam excitare ſolitus erat, de ipſo in toto Ordine percrebuerat: gloriæ, ac nominis potiùs, quàm veræ virtutis cupidus ex Obſeruantium Ordine diſceſſerat; & Angelico ſpiritu exutus, magis verò Sathanæ errore deceptus; nulla ab Apoſtolica Sede impetrata licentia, maritima Venetorum loca peragrabat; vbi nudis pedibus incedens, Crucem quoque Matthei inſtar, gerens; cùm ſub hiſpido habitu, ac Caputio, quale à Matthæo geſtari intellexerat, pœnitentiam vbique prædicaret, haud paruam apud homines ſibi ſanctitatis opinionem conciliauerat. Hac fama Clodienſem Ciuitatem ingreſſus, dum in vicis, ac plateis, & vbicunq; collectos homines reperit, Dei Verbum diſſeminat; ac noui, horridique habitus conſpectu vniuerſos terret, accidit: vt inter alios, qui ipſum concionantem audiebant, quidā Paulus Clodienſis, qui ex Ordine Minorum de Obſeruantia (in quo Regulam profeſſus fuerat) ante aliquot annos Apoſtolica auctoritate emerſerat: vt matri, ac ſororibus maximè egenis, ſua opera, ac induſtria ſubueniret: tum ipſius ſermonibus, maximè ea habitus forma commoueretur: qui cùm ea vitæ integritate præſtaret, vt & Religionis exemplum, ac cæteris in ea vrbe pietatis, ac probitatis documenta præberet: protinus ad illum accedens, ab eo, cuius inſtituti ſectator ſit, quidve illa habitus forma portendat, ſciſcitatur. Cui Angelicus, cùm ſe Eremitam Franciſcanum eſſe reſponderet, ſub B. P. Franciſci *Paulus Clodienſis vir pius, ac probus F. Angelico adhæret.* Regula militantem: cuius ipſiſſima illa habitus forma ſit, quam ille ab initio inſtituerat; id facilè Angelicus Paulo perſuadere potuit: quandoquidem is quandam D. Franciſci Imaginem ea propemodum forma depictam non ſemel aſpexerat: quæ in Cathedrali illius vrbis Eccleſia aſſeruatur. Quare, eo vehementer intenſus, in eam ſtatim habitus, ac vitæ rationem cœpit propendere. Sed cùm vir eruditus eſſet, ac prudens: num Apoſtolica auctoritate fruatur, qua ſibi ſocios, ac diſcipulos aggregare valeat, ſapienter ab eo exquirit. At, qui falſo, ac mendaci ſpiritu ducebatur, falsò quoque Apoſtolica ſe auctoritate ſubnixum, ac Pontificio diplomate munitum affirmat. Huius igitur cùm Paulus, ob conceptam de eo in animo exiſtimationem, verbis fidem adhiberet, ad illius ſe mox pedes proſternens, ab eo ſummis precibus expoſcit, vt in ſuam illum habitus, ac conſortij ſocietatem recipiat: Haud differt Angelicus: ſed Paulum amplexatus, eodem tempore conſimili habitu indutum ſibi ſocium, ac diſcipulum aſſumit. Hac fallacia Angelicus cùm nonnullos ſibi diſcipulos, ac ſectatores comparaſſet (qui ad denarium propè numerum excreuerant) his ſtipatus, huc atque illuc Dei Verbum diſſeminans, peruagabatur.

LXXX Verùm poſt aliquot dies, cùm mendacem hominem nulla non modò Apoſtolica auctoritate ad Congregationem conſtituendam fulciri: ſed, velut ſui Ordinis deſertorem, neque ſyncerè, neque candidè coram Deo ambulare, Paulo, ac cæteris compertum fuiſſet: facilè enim elucet mendacium: neque diu ſibi conſtare poteſt, qui à vero abſcedit: cunctis ab eo diſcedentibus, Paulus animo ſecum verſare cœpit, quo pacto eam habitus formam, quam veram Beati P. Franciſci eſſe, iam ſibi perſuaſerat, iuſtè ſibi retinere poſſet. Eam igitur ob cauſam Romam proficiſci cogitat: vt eadem habitus forma, ac Eremiticæ vitæ ratione à Pontifice impetrata, in ea Sancti Franciſci Regulam,

qui ex voto ſe deuinctum eſſe, non ignorabat: cuius quoque obſeruantiam in Ordine ſe integrè conſequi poſſe diffidebat; reliquo vitæ ſuæ curriculo obſeruaret. Neque enim de Matthæo, ac Ludouico quicquàm eatenùs ſibi perſpectum fuerat.

*Paulus Matthæum in Piceno adit, & ab eo quid agendum ſit, addiſcit.*

Hoc itaque apud ſe inito conſilio, Romanam profectionem aggreſſus, cùm per Picenum iter faceret; Matthæi rumor ad eum peruolat, quem ſub eadem habitus forma, iam ferè biennio antea à Pontifice impetrata, in Fabrianenſi agro, tunc Dei Verbum diſſeminare audit. Ea fama Paulus haud leuiter permotus, ad Matthæum feſtinat: ac propè Fabrianum repertum, incredibili animi voluptate complectitur: Matthæus cùm neminem, præter Ludouicum, ac Raphaëlem, ea habitus forma potitum ſciret: repentino illius aſpectu obſtupeſcit: quærit, percunctatur: vnde, quomodo, quáve ratione eam ſibi habitus figuram comparauerit. Cui Paulus vniuerſa, quæ cum Angelico illi Foſſæ Clodiæ contigerant, recenſet: conſilium aperit, viciſſimque ab eo, quid de habitu illo ſentiat, exquirit. Matthæus verò plurimùm diuinæ prouidentiæ conſilium admirans, quæ ineffabili planè modo puſillam Reformationis familiam augere videbatur; vbi illum diligenter de omnibus, quæ tum ad illam habitus formam, tum ad rectum ipſius vſum, Apoſtolica auctoritate ſibi confirmatum ſpectant, admonuit: vehementiúſque ipſius animum, ad propoſitum diuinæ vocationis ſtudium proſequendum accendit: Romanum illi iter commendat, quò Sedis Apoſtolicæ auctoritate ea tutiùs frui poſſit. Paulus illius conſilio obtemperans, poſt aliquot dies cum Matthæo in oratione conſumptos, iter ſuum Romam versùs proſequitur; vbi iiſdem ſibi à Pontifice verbo tenus facilè impetratis, quæ Matthæo, Ludouico, ac Raphaëli paulò antea Diplomate conceſſa fuerant, ad Matthæum in Picenum quamprimùm reuertitur, laborumque ſe illi comitem adiungit. Atque ita Paulus quintum in Capucinorum familia locum ſibi numero, ac virtute vendicat: vir planè egregius, ac tot ſpectatæ vitæ, ac morum ornamentis inſignis: vt naſcentis Reformationis initia non parùm ſua virtute confirmauerit, ac præclaris exemplis illuſtrauerit: quemadmodum alibi fuſiùs explicabimus, cùm de illius vita compendiosè agendum erit. LXXXI.

*Paulus Matthæo ſe adiungit.*

Anno





I. Anno milleſimo quingenteſimo ſupra ſextum, & vigeſimum, inter tot incommoda, ac perſecutiones tranſacto; vt nulla Ludouico, aut tuta quies, aut certa ſedes vllo loco relicta eſſet; præſens annus 1527. haud melioribus illi auſpicijs illucet: neque enim ſemel concitata Miniſtri ira his perſecutionum procellis ſedari potuit; ſed eò magis intumeſcere viſa eſt; quò ſuos omnes impetus ab infimæ notæ (vt videbatur) viris deludi, conatus proſterni, ac conceptam ſpem magis vndique ſibi fruſtrari intuebatur. Quo fiebat, vt omnem propè in iis perſequendis modum, ac metam excederet.

II. Verùm, antequam ad vlteriora feratur, noſtra hîc tantiſper ſiſtat oratio. Neque enim leue eſt, quod in hac Ioannis Faneſtris perſecutione admirandum ſe offert. Etenim cùm hæc ipſius perſecutio ad malum tenderet (vtpote, quæ non alio, quàm ad nouæ Reformationis, quæ à Paſtore potiùs fouenda, quàm oppugnanda erat, perniciem, ac interitum ſpectabat) ac proinde mala, & iniuſta eſſet: ea tamen in Miniſtri mente (ſi res altiùs perpendenda ſit) neque mala, neque iniuſta; quinimmò ratione aliqua excuſanda videretur. Neque enim Miniſtri animum vllo in Ludouicum, ac Raphaëlem odio, aut maleuolentia commotum fuiſſe, credendũ eſt; cùm nulla ad id illũ cauſa, aut ratio prouocaret. At neque alia (vt ſuperiùs annuimus) ipſum ratio ad eos inſequendos mouebat, quàm quòd ex habitus nouitate, illorumque ab Ordinis ſeparatione, Apoſtolica auctoritate fulſulta, plurimas in eo ſub Reformationis titulo perturbationes oriri animaduerteret. Tot enim, ac tantę hoc tempore inter Fratres pro reformatione turbæ fieri cœperunt; vt, in factiones diuiſi, vix ſedari poſſent, quin in ſeditiones, ac tumultus erumperent: qui cùm ex ſua Piceni Prouincia ebullire cœpiſſent; eos ſtatim in ipſo ortu extinguendos eſſe, proprium Miniſtri & munus, & prudentia exigebant. Ludouicum verò, cùm neque ad Reformationis opus auſpicandum aptum eſſe intelligeret; neque ad Reformationem, ſed ad vitæ potiùs libertatem tendere exiſtimaret; eo planè fiebat, vt iuſtè eum omnibus viis perſequendum, ſibi perſuaderet. Quòd enim ad Apoſtolicum Diploma attinet; illud facilè Ludouico in vincula coniecto, à Pontifice reuocandum, ſibi in animum induxerat.

*Magna in ordine ad Reformationem commotio.*

III. Cùm igitur, & iniuſta perſecutio eſſet; nec tamen abſque ratione fieri crederetur; quid in ea, præterquàm Dei conſilium, ac ſapientiam nobis excogitare licet? Qui cùm Reformationis primordia, ac fundamenta perſecutionum anguſtiis altiùs effoderet, eò ſanè ſpectabat; vt altiùs quoque ædificium futuræ aliquando Religionis erigeret; &, dum tunſionibus, ac preſſuris illius initia pulſat, ſtabiliora, atque immobiliora illius fundamenta præſtaret. Putantur enim arbores, vt altiùs comam extollant; vitis palmites præciduntur, vt in maiorem fructuum, ac propaginum vbertatem excreſcat. Materia proſperorum eſt, quæ putatur aduerſitas: dum enim putamur, erigimur; dum præcidimur, ad fructum prouocamur. Atque huc ſpectant illa Dei apud Vatem verba. *Ad modicum in puncto dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te.* Quanquam enim tam magnæ, ac diuturnæ fuerint Reformationis ærumnæ, ac procellæ; vt ad vigeſimum vſque annum peruenerint: iiſque adeò noua Religio afflictata fuerit; vt à Deo prorſus derelicta videretur; iis tamen diuina virtute ſedatis, certum eſt, ex his ampliorem Reformationi gloriam, atque incrementum acceſſiſſe; vt ex Hiſtoriæ huius ſerie cunctis facilè exploratum erit.

*Dei in Reformationis perſecutionibus conſilium.*

*Iſa. 54.*

IV. Ludouicus igitur, ab ea Fratrum perſecutione liber, cùm nouas à Miniſtro inſidias

dias ſibi parari, & Monachorum pacem, & tranquillitatem rurſus noua infeſtatione turbari, pertimeſceret, ſtatuit ab ea Paſcilupi Eremo diſcedere; & iuxta Apoſtoli conſilium, locum dare iræ. Quare, inde noctu cum Raphaële excedens, Foroſempronium proficiſcitur; vbi quodam ex ſuis conſanguineis, à quo plurimũ diligebatur, clam ad ſe accerſito; ab eo domum quandam campeſtrem, in monte extructam, atque ab hominum ſocietate remotam, impetrat;quæ ſibi, ac Fratri in hoſpitium deſeruiat, donec aut Miniſtri perſecutio finem accipiat, aut Deus Opt. Max. aliud ſuo conſilio decernat.

*Rom. 12.*

*Ludouicus cum Fratre Foroſempronium migrat.*

V. In ea domo, dum Germani Fratres, conſcio tantùm conſanguineo, à quo quotidiana alimenta accipiebant, occultiſſimè degerent, ab omnium maximè conſpectu cauebant, vnde eorum fama ad Miniſtrum pertingere valeret. Interea Matthæus rerum omnium, quæ acciderant, à Ludouico certior factus, Paulo Clodienſe aſſumpto, ad ipſum feſtinat; tum, vt triſtibus rebus ſolatia adferat, & præteritas illius ærumnas conſolatione aliqua leniat; tum etiam, vt nouum Pauli aduentum vnà omnes communi lætitia proſequantur. Porrò vix credibile eſt, quantam Matthæi, & Pauli aduentus vtrique & Ludouico, ac Raphaëli voluptatem attulerit, qui cùm intra occultos illius domus ſinus, velut ergaſtulo, concluſi tenerentur; vix inde aliquando erumpere audebant. Ludouicus Matthæo ſæuientis Miniſtri procellas, artes, conatus, ſuaſque fugas, exilia; felices tandem rerum euentus, lætus explicat. Matthæus viciſſim Ludouico, & Raphaëli tot perſecutionum coronas inuidet, ac ex animo gratulatur. Vniuerſi tandem, nouum ſibi adiunctum eſſe ſocium, congaudent: Paulo fauſta acclamant; hunc omnes amplexibus excipiunt, atque inter puſillam Reformationis familiam connumerant. Nihil in ea domo toto hoc tẽpore, præter Dei laudes, ac ſpiritualia colloquia perſonare audias; omnes orationi ſtudent; cuncti diuinis obſequiis inuigilant. Illic vigiliæ, illic diurnæ, ac nocturnæ preces, illic rerum cæleſtium contemplationes, illic meditationes, illic gemitus, ac ſuſpiria ex imo cordis exhauſta, illic feruẽtia in Deum deſideria Cælos penetrabant: cibi, ac victus vix erat memoria. Iam domus illa non profana, ſed Orationis euaſerat, in qua ab iis gratiſſimæ labiorum victimæ, & pinguia virtutum holocauſta Deo immolabantur: ita vt id in iis tunc impletum videretur, quod olim Deus per Iſaiam his verbis prænunciauerat: *Adducam eos in Montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo Orationis meæ; holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper Altare meo.*

*Matthæus & Paulus Ludouicum, ac Raphaëlem inuiſunt.*

*Iſa 56.*

VI. Erat in ea domo tota Reformationis familia ſimul collecta, quæ, quatuor tantummodò membris conſtans, embrionis inſtar, necdum in ſolidum Corpus coaluerat, nec caput ſibi præeſſe agnouerat: neque enim propagandæ Reformationis ſtudium vllius adhuc animum pulſauerat; vel à Pontifice facultas, qua alios ſibi conſociare poſſet, cuiquam eouſque collata fuerat. Id Sathanas non ignorat: quapropter, cùm hæc ipſius incunabula, velut ſibi ſuſpecta, diabolico prorſus odio proſequeretur; antequam illa in perfectum corpus excreſcat, oblatam opportunitatem auidè captat, qua totam ſimul Reformationem, necdum ſibi cohærentem, perdat; ac velut vnico ictu proſternat. Miniſtro namque per Exploratores, (Dæmoneſne, an homines ignoro) ibi Ludouicum adeſſe, ſignificatur; qui ne illius perdendi temporis opportunitatem ſibi oblatam negligeret, ad Vrbini Ducem, cuius ditioni Foroſempronienſe Oppidum parebat, oppidò conuolat; quem vbi Apoſtolici Diplomatis conſcium fecit, quo ſibi ad quoſdam Ordinis deſertores perſequendos, ſecularis brachij ſubſidio vti licebat; ab eo armatam Lictorum manum aſſecutus; nonnullos quoque iis Fratres comites adiungit, qui ſe illis viæ duces præberent. Porrò eorum commune conſilium fuit: meridiana hora, qua homines, hyberno præſertim tempore refectioni indulgere ſolent, Domum inuadere, Fratreſque dum tenui victu vitam tuentur, captiuos tenere.

*Miniſter à Duce Vrbinate armatã familiã impetrat, qua Ludouicum aggreditur.*

VII. Nulla pauperculæ familiæ, quæ, cùm totum matutinum tempus in diuinis re-





bus conſumpſiſſet, eo tempore modicæ refectioni incumbebat, mali cuiuſquam ſuſpicio ſuboriri poterat, quum extemplò nuncius aduentat, qui Fratres cum Apparitoribus non procul à Domo abeſſe renunciat. Mox, intermiſſo prandio, Ludouicus tranquillo animo cæteros, vt metum deponant, atque ad Dei opem implorandam confugiant, verbis opportunis hortatur. Hoc ipſum & Matthæus intrepidus præſtat. Mox omnes ante Chriſti, ac B. Virginis imaginem ſeipſos proſternunt; Cæleſte auxilium efflagitant; preces, ac lachrymas fundunt; Deum quiſque illis Prophetæ verbis pulſat. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: erue me à circumdantibus me.* Denique Matthæi omnes ſermone confirmati, qui nihil in hoc periculo extimeſcendum affirmat, ſpe bona referti ab oratione ſurgunt. Ludouicus verò, quaſi poſteriora illa Dei verba, quæ ſequuntur: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris*; ſibi dicta eſſent; Deo (vt creditur) inſpirante, Domus foribus, per quas aduerſariis in eam aditus patere poterat, fortiter occluſis; ſuperiorem domus partem cum cæteris conſcendit. Erat Domus illa iis omnibus rebus, quæ ad excipiendos hoſpites, præſertim apud Nobiles, neceſſariæ iudicari ſolent, velut ſcamnis, ſellis, menſis, lectis, pileolis nocturnis, ac reliqua cubiculorum ſupellectile inſtructa. In hæc Ludouicus cùm oculos coniecíſſet, cæteris, quid agere debeant, edoctis; cùm primum Apparitorum turmam adeſſe, ac propiùs accedere animaduertit, primus ſcamna, ſellas, menſas, maximo ſtrepitu, ac fragore per pauimentum, ac parietes raptat, quem mox cæteri ſequuntur: vt maximam ibi hominum multitudinem adeſſe, aduerſariis perſuadeant. Poſt hæc Ludouicus, & Raphaël nocturnis Pileolis, ex quibus alij purpureo, alij puniceo, nigro alij colore tincti erãt, ſibi capiti impoſitis; aliis quoq; galeros ibi repertos tradũt; quibus dum in hanc, atq; in illam Domus feneſtrã curſitant, ab iis interdum bini, quandoque terni capite tenus raptim ſe videri ſinunt; quaſi qui aduerſariorum aduentum ſollicitè explorent; tum varias hominum voces, ad pugnam ſe cohortantes, ſimulant; & qua ratione contra aduerſarios pugnent, quaque illos aggrediantur, quaſi inter ſe obmurmurant. Quæ cùm Fratres, ac Lictores audirent; atque ex tot Pileorum aſpectu, ac ingenti illo ſtrepitu, magnam ibi armatorum multitudinem adeſſe, arbitrarentur; tantus omnes terror, ac tremor inuaſit, vt de fuga mox cogitare cœperint. Vnde & Lictorum Dux, ad Fratres conuerſus; Quid huc, Patres, ait, nos mactandos, ac iugulandos duxiſtis? Cum duobus Religioſis rem nobis peragendam eſſe dixiſtis: en nobis cum militum copiis pugnandum eſt; à quibus nos, vel trucidandos, vel ſine vulnere haud recedere valere, certo certius ſit. Id verò magis illis terrorem augebat; quòd, ibi peditum Ducem quendam ſtrenuum, rei militaris peritiſſimum, atque in tota Regione formidabilem (qui Ludouico Auunculus erat) cum militum copiis adeſſe, ſibi perſuaſerant. Quapropter nihil cunctantes, tam Fratres, quàm Lictores primùm retrocedere, dein in apertam ſe fugam dare: tamque ingenti pauore, Deo præſertim metum incutiente, exagitari cœperunt: vt nullo loco ſe incolumes eſſe putarent; donec ad ſua quiſque rediret. Quare Fratres, qui cum Satellitio venerant, metu penè exanimati, ad Miniſtrum reuertuntur, ſummaſque in ipſum querimonias fundunt: quaſi qui eos in ſupremum, ac certum vitæ diſcrimen adduxerit, eóque crudeliter enecandos miſerit.

*Pſal. 31.*

*Ludouicus ſe, ſocioſque noua arte à perſecutione liberat.*

VIII. Qui nouum hoc bellandi genus, velut riſu dignum exiſtimant: certè; minùs quàm par eſt, res diuinas ſuſpiciunt: cùm enim Deus Opt. Max. cui & incomprehenſibilis potentia, & infinita virtus eſt, ad omnes cùm mortalium, tum immortalium impetus proſternendos, eo ad debellanda Aſſyriorum Caſtra, quæ Samariam obſidebant, olim vſus fuerit; quando, & vario armatorum ſtrepitu, & ficto equorum, ac quadrigarum ſonitu ita illos exterruit, vt tandem ad fugam compulerit. Quemadmodum ex 4. Regum libro conſtat, vbi ita ſcribitur: *Siquidem Dominus ſonitum audire fecerat in Caſtris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixerúntque ad inuicem: Ecce mercede conduxit aduersùm nos Rex Iſraël Reges Hebræorum, &*

*Ludouici factum expenditur, & cõmendatur.*

*4. Reg. 7.*

*Aegyptiorum, & venerunt ſuper nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos, & aſinos in caſtris, fugeruntque animas tantùm ſuas ſaluare cupientes.* Quis hoc Ludouici factum, quod diuinum illud opus imitatur, aut tanquam ridiculum ſugillare, aut velut ab humano tantùm ſpiritu profectum, à Deo ſeparare audeat?

IX. Etenim cùm ex iis, quæ bona ſunt, interdum aliquid fit, id Deo bifariam, certum eſt, adſcribi poſſe. Deus enim plerunque Angelorum, quandoque verò hominum miniſterio ad opus ſuum peragendum vtitur. Prior quidem ille agendi modus, cùm magis ab hominum ſenſu remotum ſit, atque ad inuiſibilium rerum ordinem accedat, diuinum proculdubio à cunctis cenſetur. Poſterior verò, qui naturalem hominis conditionem ſequitur (quandoquidem nobis cognatus eſt, & affinis) tametſi Dei ſit, haud tamen ita facilè, & abſolutè ex hominum opinione, Dei eſſe putatur: ſed vel cuiuſque ingenio, vel perſpicacitati faciliùs, ac communiùs tribui ſolet. Nulli tamen dubitandum eſt, ſiue Angelicum, ſiue humanum miniſterium ſibi Deus adhibeat, quin vtrumque Dei opus ſit, ab eo vel inſpirante, vel imperante profectum.

*Diuinorum operum duo genera explicantur.*

X. Cùm igitur Angelorum opera ineffabilis Deus imaginario illo armorum, ac curruum ſtrepitu, Aſſyriorum Caſtra fugauit; priorem quidem illum, ac inuiſibilem agendi modum oſtendit, quo ſe hominibus planè admirabilem præbet. At verò, cùm Ludouici animum, atque ingenium non ſemel excitauit, vt vel ficto armorum ſtrepitu, vel crepitantium titionum fragore, vel ſimulata militum armatorum copia aduerſarios ad fugam compelleret; tametſi hominum tantùm opera vti voluerit, haud certè in eo Dei opus minùs ſuſpiciendum eſt, quàm ſi id Angelorum miniſterio præſtitiſſet. Quapropter cùm id Matthæus, Ludouicus, ac cæteri altiùs animo perpenderent; Deique ſolius ope ſe à tanto periculo ereptos cernerent; nihil præ rei admiratione effari poterant; ſed ſilentes, ac ſeipſos tantummodò intuentes, quaſi qui mente excederent, rei exitum admirabundi ſtupebant. Tandem ſimul omnes ora ſoluentes, reliquam illius diei, ac maiorem noctis partem in diuinis laudibus, ac gratiarum actionibus inſumpsêre, illud Dauidicum canentes: *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum, & ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione.*

Pſal. 106.

XI. Poſthæc Ludouicus, cùm ob indeſinentes Miniſtri furias, ſe nullo loco, aut tuta ſede conſiſtere poſſe cerneret; iamque ærumnoſum illud vitæ genus, tot vndique periculis obſitum, illi tædium afferret; ſecum animo volutare cœpit, quo pacto tot tempeſtates ſedari, ac perturbatis rebus finis imponi poſſet. Dum hæc animo verſat, duo illi opportuna conſilia in mentem veniunt. Ex his vnum eſt; vt Magiſtri Generalis Minorum Conuentualium obedientiæ ſpontè ſeipſos ſubiiciant, ac illius patrocinio armentur; inde enim futurum ſperat: vt minùs Miniſtri, atque aliorum Ordinis Obſeruantiæ Prælatorum infeſtationibus pateant: quò ſe Minoribus Conuentualibus aſſociatos, atque ab iis protectos eſſe animaduerterent. Alterum eſt: ſi ampliorem à Pontifice facultatem quærat: qua ſibi non modò illud vitæ genus proſequi: verùm & in alios extendere, ac diffundere liceat. Ea enim Reformationis propagatione id ſe aſſecuturum exiſtimat: vt, & multorum in vnum corpus coaleſcentium vnio Miniſtrum à perſecutione deterreat, & Reformationis corpus penitùs ab Ordine Apoſtolica auctoritate diuulſo, iam nihil reliquum ſit, quo illius poteſtatem reformident.

*Ludouici cōſiliū ad Miniſtri perſecutionem declinandam.*

XII. Hæc ſecum agitata conſilia cùm Ludouicus cum Matthæo, & aliis contuliſſet: vt tam procelloſus, & irrequietus rerum ſtatus aliqua tandem tranquillitate potiretur, his facilè vniuerſi acquieſcunt: ſolumque illud ſibi remedium ſupereſſe cenſent, quo rebus penè deſperatis mederi queant. Veruntamen duo illis negotium faceſſunt: Primum, quomodò qui Apoſtolico Diplomate Locorum Ordinariis ſubeſſe adſtringuntur, iis inconſultis, ad aliorum Regularium Obedientiam transmigrare valeant. Alterum, quo pacto, hæc eorum ad Minor. Conuentualium Ordi-

nem



nem transmigratio iuſtè, & abſque calumnia fieri poſſit; eò maximè, quòd cùm omnes in Obſeruantium Ordine profeſſionem emiſerint, eo nomine ad Conuentuales tranſire prohibentur. Res quidem primo aſpectu haud parui ponderis viſa eſt, quæ maturiori conſultatione indigeret: at, diligentiùs conſiderata, facilè à Ludouico explanata fuit, qui cæteros his verbis affatus eſt.

XIII. Nulli quidem dubium eſt, Patres amantiſſimi, quin Diplomatis præſcriptum nos Locorum Ordinariis ſubiiciat, atque eorum obedientiæ obſtringat. Verùm id quoque certum eſt Locorum Ordinariis, ac præſertim Camerinenſi Epiſcopo eiuſdem Diplomatis virtute iniunctum eſſe, vt aduersùs quoſcunque Regularium Superiores, qui quouis quæſito colore, aut ingenio nos moleſtare, perturbare, ſeu aliàs quomodolibet inquietare præſumerent. (Hæc enim ſunt Diplomatis verba) ſuo nobis patrocinio adeſſe deberent. Id ſi illi nobis reipſa præſtitiſſent; haud ſanè in has, quæ nos circumſtant, anguſtias redigeremur: quo fit, vt cùm ij muneri ſuo deſint, ad illos nobis confugere liceat, qui ſuo pondere, atque auctoritate nos ab inſana aduerſariorum poteſtate tueri, atque Apoſtolicam facultatem nobis ſartamtectam ſeruare poſſunt. At nec quicquam nos mouere debet hoc ſubiectionis vinculum, nobis ab Apoſtolica Sede impoſitum, quo Locorum Ordinariis ſubeſſe tenemur. Neque enim maior, aut grauior nobis erga illos obedientiæ lex ſancita eſt, quàm quæ cæteros Clericos, aut Eremitas illis ſubiectos deuincit, quæ haud ſanè tanta eſt, quæ eos à Religionum amplexu deterreat. Veruntamen, vt & illorum dignitati, & noſtro erga ipſos officio fiat ſatis, haud à ratione diſſentaneum iudico, vt res cum Camerinenſi Epiſcopo communicata, illius aſſenſu perficiatur. Illud verò, quod de Obſeruantium ad Conuentuales tranſitu, dubium emerſerat, facilè tollitur; cùm eæ à nobis conditiones ſeruantur, quæ in Bulla vnionis vtriuſq; familiæ à Pontifice præſcribuntur. Quo fit, vt cùm nihil iam reliquum ſit, quod nos ab hac neceſſaria deliberatione abſterreat, ei omni ſtudio, ac diligentia quamprimùm incumbendum ſit. Cæterùm, vt hæc omnia faciliùs aſſequamur, ad Catharinæ Ciboæ Camerinenſis Duciſſæ patrocinium, cuius ſingularem in nos beneuolentiam, ac humanitatem non ſemel experti ſumus, nobis omninò confugiendum eſt, vt ipſius ope, atque auctoritate, cuncta nobis faciliùs, ac feliciùs ſuccedant.

XIV. Matthæo, ac reliquis Ludouici conſilium haud importunum viſum fuit: rem tamen à Deo ſummis precibus priùs poſtulandam eſſe ſentiunt. Quamobrem per aliquot dies vniuerſi aſſiduis orationibus vacant, orationibus ieiunia, ieiuniis vigilias, vigiliis flagella, atque alias carnis macerationes copulant: vt eò faciliùs Dei opem ſibi opportunam concilient. Porrò ab eo tempore Ludouicus propagandæ Reformationis ſpiritum animo viſus eſt concipere, Deo & conſilia, & ſtudia, velut inſenſibiliter ipſius animo inſtillante: vt Reformationis propagatio eò luculentiùs à Deo profecta eſſe intelligeretur, quò illa iis planè iniquiſſimis temporibus excitatur, cùm deſæuiente in eum Ordinis tempeſtate, ad necem, atque interitum quæreretur.

*Matthæus, & reliqui Ludouici conſilium probāt, remque Deo precibus cōmendant.*

XV. Igitur nonnullis ibi diebus in Oratione tranſactis, in quibus Reformationis fundamenta cæleſti virtute ſolidiora iaciebantur: vnà omnes Camerinum contendunt, ac meliorem futurorum ſpem ſecum animo geſtantes, Catharinam Duciſſam conueniunt: quæ cùm illos tenero, ac materno prorſus amore complecteretur, plurimùm eorum aduentu gauiſa, ab iis percunctari cœpit, quàm benè cum ipſis ageretur, quiſuè nouus ille Socius eſſet triperſonali familiæ adiunctus. His vbi Matthæus, quòd ad Paulum ſpectat, appoſitis verbis, reſpondit: mox illi Ludouicus graues, ac multiplices perſecutiones narrat, quas à Miniſtro iniuſtè eatenus perpeſſi fuerant: pericula, fugas, transmigrationes, exilia recenſet, quibus toto ſuperiori anno exagitati, nulla tuta Sede quieſcere vnquam permiſſi fuère: neque illis quicquam, aut Apoſtolicam auctoritatem, aut Pontificium Diploma contuliſſe, ait, quò minùs ad carceres, & vincula quærerentur: parumque abeſſe, quin Refor-

*Ludouicus, & reliqui conſilium cum Catharina communicant.*

matio

matio, Deo auctore, cœpta, ac toti Orbi expectatiſſima, Dæmonum opera in interitum ruat, niſi opportuna præſidia illi quàm citiſſimè adhibeantur. Hæc tanta commiſeratione Ludouicus exaggerat, vt deuotiſſima Mulier, iis vehementer commota, protinùs ab eo quæreret, quodnam tanto huic malo remedium eſſe poſſet? Cui Ludouicus ab ipſis excogitata tum conſilia, tum remedia exponit; additque, neque eos vlla ratione à perſecutione vnquam liberos fore; neque Reformationem tranquillis vllo vnquam tempore rebus frui poſſe; niſi ea, Apoſtolica auctoritate aucta, ac propagata, in validum corpus conſurgat, & conualeſcat.

*Romanæ Vrbis deuaſtatio à Cæſarianis facta.*

XVI. Eo tempore Romana Vrbs, propter quorundam factionem Pontifici infeſtam, tot calamitatibus affecta erat; vt iis in Vaticanum Palatium irrumpentibus, atque omnia deuaſtantibus, Pontifex intra Adriani Arcem concluſus fuerit; breuique in hoſtium manus incidiſſet, niſi Vgonis Moncatæ opera pax inter Pontificem, & aduerſarios confecta fuiſſet. Tum verò paulo poſt; nimirum pridie Non. Maij, hoc ipſo anno, Cæſarianorum tempeſtate ſæuiùs debachante, à Borbonio, Cæſariani exercitus Ductore, Vrbs capta, ac depopulata, ſanguine, & cædibus redundare viſa eſt. At Deus Opt. Max. haud tantum ſcelus inultum eſſe, voluit: nam eodem tempore Borbonius ipſe, dum ſcalam in expugnatione vetuſto muro admouet, tormenti ictu ſub inguine vulneratus, impij facinoris pœnam ſua morte luit. Hac in expugnatione adeò in Vrbe ſæuitum eſt, vt nec Templis, nec ſacris ipſis Adytis parceretur; neque in iis latitantes, aut ad Sacroſanctam Aram confugientes vitam tuerentur: Virgines violatæ; Monaſteria direpta, innumeri trucidati fuêre: omnia denique immanitati, ac barbariei data vela: ita vt Pontifex ipſe, qui in Adriani Arcem confugerat, ſe in hoſtium manus dare, & cum iis de liberatione paciſci, compulſus fuerit.

XVII. Quamobrem prudentiſſima Mulier, cùm ſe ab iniquiſſimorum temporum iniuria, ac calamitate præpediri cerneret: quò minùs aut cum Pontifice per literas ageret, aut negotium in Romana Curia tractaret: vbi ſæua omnia occupante Bellona, atque inſano Bellorum tumultu tantùm inſonante, cætera ſilebant: Ludouico, ac cæteris non ſine lachrymis reſpondet: Nihil ſe magis, quàm eorum malis commoueri, atque adeò ipſorum calamitatibus affici, vt pro iis redimendis vltrò opes, operam, auctoritatem, ſe, ſuaque omnia optet profundere. Quanto verò animi ſtudio, ac cupiditate erga Reformationis incolumitatem, ac propagationem feratur: pro qua omnem operam, ac laborem conferre ſit parata, haud vllis, ait, verbis ſe explicare poſſe: verùm cùm ea tempora ad agendum minùs apta ſint: præſertim Pontifice, plurimis, ac maximis tunc malorum turbinibus afflicto: nonnihil temporis calamitati dandum, ac tantiſper expectandum ſuadet, donec Romanæ res, melioris, ac tranquillioris Fortunæ ſtatum ſortitæ fuerint. Interea ne à concitatis Miniſtri fluctibus aliquando tandem obruantur; omnes etiam atque etiam rogat, atque iteratis precibus ab iis poſtulat: vt cùm nullibi tutiùs eſſe poſſint: apud ſe quieſcât, ſecumque certa, ac tranquilla pace fruantur. Summis pia Duciſſa id verbis expoſcit: nec tamen à Matthæo, aut Ludouico id aſſequi poterat: qui cum ipſo auſterioris vitæ inſtituto, cui nomina dederant, nec non S. P. Franciſci exemplo eruditi, planè indecorum exiſtimarent, ſe in Principum Aulis vitam ducere: illo potiſſimùm Chriſti Saluatoris teſtimonio ſeipſos tuebantur, admonentis: *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Ex quo id facilè aſtruebant, eos, qui vitæ reformationem, ac perfectiorem Regulæ obſeruantiam in Eremis profitentur, Ducum Palatia, ac Regias minimè decere: ne, dum Populos, ſolitudine, ac vitæ auſteritate ædificare ſtudent: Principum cohabitatione, ac deliciarum opinione in ſcandalum pertrahant.

*Catharina Matthæum ac reliquos apud ſe diuerſari cogit.*

XVIII Hæc dum pia altercatione Catharina, & Fratres inter ſe mutuò agitant, Ioannes Maria Camertium Dux, & Catharina coniux, Vir, & natura, & moribus, etiam ſtudio, ac doctrina Princeps: ea maximè apud omnes laude, & commendatione





clarus; quòd admirabili pietate præditus, omnium exiſtimatione optimus haberetur; hoc ipſo tempore ſuperueniens, vbi exortæ diſceptationis ſtatum agnouit, protinùs iudicium interponit; ac beneuola imperij auctoritate vſus, quæſtionem ita obtruncat, vt Ludouicum, ac alios conſiſtere, ſecumque in Palatio permanere iubeat.

XIX. Ludouicus cùm Miniſtri inſidias alia ratione, quàm Ducis, ac Duciſſæ illius patrocinio ſe euadere poſſe deſperaret: arcanum illud diuinæ voluntatis conſilium eſſe arbitratus, Duci tandem morem gerens, ea conditione cum Matthæo, ac cæteris aſſentitur, quòd viliora, ac magis ſolitaria illius Palatij loca eorum habitationi aſſignari iubeat; in quibus haud ſecùs, quàm ſi in Eremis degerent, ſpirituales exercitationes peragere, atque orationibus vacare queant: ac præterea ex antiquo Beati Patris Franciſci inſtituto, atque altiſſimæ paupertatis præſcripto, quotidianum victum ex aliorum quoque fidelium pietate illis mendicare liceat. Id quidem prima facie vtrique, & Duci, & Duciſſæ duriùs viſum fuit: attamen ne Dei ſeruos contriſtarent, eorumque præſentia diutiùs frui poſſent, id illis tametſi ægrè, annuunt. Quamobrem his imperantibus, ſtatim ſuperiora quædam Palatij loca, atque à reliqua familia, ac turbis remotiora iis in domicilium deſtinantur, tenui, vt optabant, ſupellectili inſtructa.

*Matthæus, ac reliqui viliora domus habitacula eligũt.*

XX. In ea cùm primùm puſillus ille Reformatorum grex ſe ex hominum frequentia, ac conſortio recepit; mox Deo gratias agere, domiciliumque illud ſacris Hymnis, ac diuinis laudibus celebrare cœpit. Porrò, cùm idẽ Reformationis amor, qui in hũc vnum eos locum collegerat: eademque virtutum ſtudia, quibus ad ſupremũ Euãgelicæ perfectionis faſtigium contendebant, vniuerſos tenerent; vix inter anguſta hæc amplæ Domus ſpatia concluſi ab hominum ſe ſocietate ſemotos conſpexêre: mox tam eximium, tamque cæleſte vitæ genus inſtituere viſi ſunt; vt velut rerum omnium, quæ ſub aſpectum cadunt, obliti, animum, & cogitationem omnem in Deum, ac diuina transferrent. Vrbs illa ipſis ſolitudinis inſtar erat, in qua, nunquam niſi victum mendicantes, aut proximorũ neceſſitati inſeruientes, vlli ſe aſpectandos præbebant. Tanta verò illis erat victus parſimonia, ac frugalitas; vt vix aliud, præter panem, & aquam ad vitæ ſuſtentationem adhiberent: &, ſi interdùm his olera, aut vini paululum accederet, id velut delicias reputarent. Veſtium illa erat aſperitas, vt ad membra potiùs duritie caſtiganda, quàm refouenda, aut calefacienda apta viderentur. Carnem vigiliis, ac flagellis domabant. Lectus illis vel nuda humus, vel ligneæ tabulæ erant, ſtramineo ceruicali, ac viliſſimo ſtragulo opertæ. Quotidie Miſſas in Palatij Sacello, cuius illis cura ab optimo Duce commiſſa fuerat, tanta grauitate, ac deuotione celebrabant; vt audientes in ſupernam Sacrorum Myſteriorum contemplationem extollerent. Tanto verò ſtudio diuinis rebus vacabant; vt ſummam in Orationibus, ſacris Meditationibus, ac diuinis laudibus voluptatem collocaſſe viderentur. Denique Palatium illud ipſis Eremus erat; in qua ab omni rerum ſecularium tumultu ſemoti, Deum, reſque diuinas aſſiduè contemplabantur: atque adeò omnium, ac præſertim Aulicorum aſpectum, & conuerſationem fugiebant, vt præterquam in Miſſarum ſolemniis, ab iis nullo vnquam tempore ſe videri paterentur. Quo ſanè fiebat, vt ab omnibus maximo in honore, ac admiratione haberentur. Dux verò perfectiſſimum illud vitæ genus altiùs perpendens; cùm eos non habitu duntaxat, ac externa rerum apparentia: ſed ſolida, ac præſtante virtute ornatos conſpiceret, ab eo tempore maiori eos ſtudio, ac reuerentia proſequi cœpit: quare cùm ingenio, ſapientia, ac præſertim pietate plurimùm præſtaret: iis interdum accerſitis, ſpiritualibus ipſorum colloquiis mirum in modum oblectabatur. Gaudebat pia Duciſſa, tam præclara in iis Reformationis præludia ſpectans, atque eò maximè, quòd ſæua iterum in Camerinenſi vrbe graſſante lue, qua complurimi nullo remedio miſerè ad

*Matthæus cum reliquis in Ducis Palatio cæleſtem vitam inſtituunt.*

funera rapiebantur: protinùs hi tanto charitatis æſtu laborantibus adeſſe, diu, noctúque inſeruire: morienteſque omnibus pietatis officiis proſequi, viſi ſunt: vt tota Camerinenſis Vrbs præclara hac illorum virtute perſpecta, tam ſingularem erga ipſos deuotionem conciperet: vt vel ſolo illorum aſpectu, homines ad pietatem commouerentur, cunctique illos verè pios, verè ſanctos eſſe acclamarent. In his præcipuè Matthæi pietas, ac diligentia effulſit: qui tam indefeſſo erga ægrotantes ſtudio ferebatur; vt cùm nulli omnino labori parceret, nihilque officij prætermitteret, quod in iis inuiſendis, admonendis, iuuandis, exhortandis non impenderet, præclarum Charitatis exemplum cunctis admirandum præbuerit.

*Miniſter ad Camerinenſium Ducem, ac Duciſſam epiſtolas ſcribit, vt Ludouicum exturbet.*

Interea, Reformationis ſtrepitu in Ordine percrebreſcente, Miniſter acceptis à Generali Miniſtro literis, quibus eo potiſſimùm illius oſcitantia ſugillabatur, quòd Reformationis tumultus è Piceni Prouincia oriundos protinùs non extingueret: vndique etiam ex toto Ordine in eum conſurgentibus querimoniis, animo diſcerpebatur: atque eo maximè, quòd cùm Ludouicum Foroſempronio diſceſſiſſe intelligeret; quònam inde profectus eſſet, ignorabat. At verò cùm primùm à Camerinenſis Conuentus Guardiano per literas certior factus eſt, Ludouicum, ac cæteros Camerino ſub Ducis, ac Duciſſæ patrocinio degere: protinùs dat vela indignationi; animúmque ad omnem rerum perturbationem parat. Quare vt, Ducis patrocinio illis erepto, in eos faciliùs inſilire queat, literas ad Ducem ſcribit, querimoniæ plenas; in quibus, vbi antiquam ipſius prudentiæ, ac pietatis laudem pluribus commendauit; planè indignum, ait, ab eo Hominum Apoſtatarum, & excommunicatorum patrocinium ſuſcipi; ex quo diuinum illi iudicium comminatur; illis Prophetæ verbis expreſſum: *Audite hoc, Principes, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis: nunquid non Dominus in medio veſtrûm, & non venient ſuper vos mala?* Neque enim (inquit) Principem, tam eximia ſapientia, ac religione præditum decet, ſola vxoris perſuaſione, homines à Religione extorres, vagos, inquietos, profugos, inutilia tandem ſarmenta, à vite præciſa, in graue totius Ordinis detrimentum, auctoritate ſua tueri, ac defendere; ne diuini iudicij vltionem, quæ plerunque in Principes ſeuerior eſſe ſolet, in ſui, ac totius ſuæ ditionis damnum eum experiri, contingat. Quare illi conſultiùs eſſe perſuadet, vt homines, vel ad Ordinem redire compellat, vel è proprio Palatio, velut indignos, exturbet. XXI.

Mich. 3.

Alteram quoque Epiſtolam ad Duciſſam ſtylo planè aculeato exarat: qua immoderatam ipſius in Fratres animi propenſionem carpit; ex qua Ordinis perturbationem, quam ipſa ex ingenita ſibi pietate potiùs enecare, quàm fouere debet, oriri indicat: tum Matthæo prætermiſſo, eam, vt à Ludouici, ac cæterorum patrocinio abſtineat, impenſiùs rogat: alioquin omnia ſe tentaturum minatur, quò ipſi tandem ſibi in manus incidant. Poſtremò, ne id iniuſtæ perſecutionis, aut irreuerentiæ, quod ad ipſam ſpectat, ſibi vitio tribuatur; adhæc ſe ex officij ſui duntaxat munere, ac debito compelli, inſinuat. Has concitatiori ſpiritu dictatas, Epiſtolas Miniſter ad vtrumque per Tabellarium mittit. XXII.

*Dux Miniſtri epiſtolæ reſpondet.*

Dux porrò, quanquàm his mordacibus Miniſtri literis iuſtè commoueri potuiſſet: attamen ſingulari prudentia vſus, ac ſtylum compeſcens, Miniſtro ad ſingula literarum capita pacatè, ac moderatè reſpondet. Ac primum quidem, ſe non Apoſtatas, aut Excommunicatos homines; ſed Sanctos planè viros, ac legitimos Sancti Franciſci filios ſua auctoritate fouere declarat: Monétque, vt à certo, ac vero ſenſu iudicet: nũ Apoſtatæ, atque ab Eccleſiæ ſinu præciſi ij cenſeri debeant, qui, Apoſtolica auctoritate freti, ad perfectam ſuæ Regulæ obſeruationem anhelant? Sibi verò diligentiùs caueat: ne, dum perfectos Regulæ cultores, ac verum B. Patris Franciſci ſemen perſequitur: eiuſdem non filium, ſed hoſtem, ac perduellem ſe eſſe probet. Diuinámque Excommunicationem XXIII.

verius



veriùs ipſe pertimeſcat: qui Apoſtolica auctoritate fultos, vi, ac violentia ſtudet opprimere. Idcirco, quòd ad diuini Iudicij comminationem attinet, id ſibi proculdubiò extimeſcendum fore ait, ſi Deus ad Miniſtri mentem iudicium ſuum componeret. Verùm cùm nec ſecundùm auditum aurium, aut viſionem oculorum; neque iuxta immoderatas aliorum cupiditates, ſed in iuſtitia atque æquitate iudicet: cuinam Dei iudicium magis pertimeſcendum ſit, ſibi ne, an ipſi, hoc ipſum Sapientiori iudicandum ſe relinquere autumat. Salomoni nimirum, qui his illum verbis redarguit: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis Miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ: neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit vobis; quoniam iudicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet.* Eum denique minùs honeſta poſtulare admonet, dum homines inculpatos, atque eximia virtute præditos, qui vi ab eo opprimuntur; è domo ſua, quæ oppreſſorum refugium eſſe debet, expellendos petit: cùm illud Propheticum peculiari quadam ratione ad Principes ſpectet, quo illis diuina lege ita præſcribitur: *Audite Verbum Domini, Domus Dauid. Hæc dicit Dominus, Iudicate manè iudicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis; nè fortè egrediatur, vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur.* Hæc Epiſtolæ ſumma fuit, quam Dux Camerinenſium Miniſtro reſcripſit.

Sapien. 6.

Iſa. 21.

*Catharinæ Epiſtolæ ſumma.*

XXIV. Duciſſa verò breuioribus literis Miniſtro reſcribit; nihil ſe immoderata animi libidine agere, dum probos, ac ſanctos homines in ſuam fidem recipit; ac patrocinio tuetur. Ordinis autem perturbationem, quæ ad ipſius Reformationem tendit, non formidandam, ſed potiùs optandam eſſe; quam vtinam (aiebat) facto, aut conſilio meo iuuare poſſem. Fruſtrà verò ab ea poſtulari ſignificat: vt iis ſuum patrocinium ſubtrahat, qui perfectos ſe S. Franciſci imitatores, ac filios ipſa virtutum luce, ac cæleſtis vitæ exemplis oſtendunt: quos ipſa potiùs ſua auctoritate fouere, & complecti, quàm ſuo patrocinio ſpoliare debet. Denique quicquid ipſe in eorum damnum, ac perniciem operis, ſtudij, ac conatus contulerit; inane futurum ſpondet, neque facilè ſe ab eo minis deterrendam affirmat; quo minùs rem omnem ſuam pro iiſdem tuendis periclitandam ſentiat.

*Dei erga Reformationem futuram, prouidentia.*

XXV. Iam verò quis admirabilem hîc Dei prouidentiam non ſuſpiciat? Qui cùm nouæ Reformationis fœtum omnibus humanis auxilijs deſtitutum, ante perfectam ipſius formationem ad ſepulchrum rapi videret; cæleſti planè conſilio, ſingulorum horum Principum pietatem, tam ardenter ad ipſius patrocinium mouet; vt de iis ſub nomine Moab, illud Iſaiæ Vaticinium prolatum videatur, *Ini conſilium, coge concilium, pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie; abſconde fugientes, & vagos ne prodas: habitabunt apud te Profugi mei. Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris.* Neque enim ab hoc ſenſu diſſidet vox hebræa, Moab, quæ apud Latinos ſonat (ex Patre) Tantus enim, ac tam ardens horum Principum, erga Dei ſeruos, amor ſemper, ac beneuolentia fuit: vt haud ſecùs, quàm filiorum, eorum vbique curam geſſerint: nihilque vnquam officij prætermiſerint, quo paternam erga nouæ Reformationis filios ſollicitudinem, ac beneuolentiam ſignificarent. Verùm id tandem cunctis exploratum eſt; ſingularem hîc Dei Opt. Max. Velut Patris erga filios prouidentiam declarari, quæ ad ægra, ac imbecilla Reformationis principia ſuſtentanda, ne corruerent, horum Principum auctoritate, ac pietate vti voluit.

Iſa. 16.

XXVI. Miniſter porrò, acceptis vtriuſque Epiſtolis, cùm rem ſecùs, quàm opinabatur, obtigiſſe; ommemque ſuam ſpem, atque expectationem falli, animaduerteret: magnopere animo diſcruciabatur: eò maximè, quòd, Ludouico ſub Ducis, ac Duciſſæ patrocinio exiſtente, omnem ſibi viam intercluſam cerneret, qua Ordinis perturbationibus mederetur: ac tot Generalis, & Fratrum

querimonias euaderet. Quare, nouo conſilio illi ſpem adminiſtrante, proponit; quod eatenus literis ab iis aſſequi non potuit, præſentia, ac ſermone tentare: viua etenim voce magis, quàm aut nouis literis, aut amicorum officiis, Ducis, ac Duciſſæ animos affici ſperat; vt à ſuſcepto illorum tandem patrocinio recedant. Confeſtim igitur Camerinum aduolat; opportunáque Ducis, ac Duciſſæ audientia captata, compoſito ſermone, Principum in primis id eſſe munus, declarat, velut Chriſtianæ Reipublicæ brachia, Religiones ſacras tueri, ac defendere: ab eoque potiſſimùm Regnorum, ac Principatuum incolumitatem, ac diuturnitatem pendere affirmat, cùm Principes cum primis pietate ſtudent, Religionemque ſartam tectam ſeruare curant: Sapientia id atteſtante. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & Clementia thronus eius roboratur.* Ea namque dilabente, ſimul & Regna, & Ditiones fluere demonſtrat. Hoc porrò argumento, quod procul dubio fortiſſimum erat, exorditur totius Ordinis perturbationem, quæ ex ea Ludouici, atque aliorum nouitate orta eſt, explicare: Religionis quoque deſertionem, monſtruoſam illam habitus mutationem, vagandi libertatem, excuſſum Obedientiæ iugum, vota intercepta, exaggerat: nihilque prætermittit, quo prætenſum in iis ſcelus, in maximum ipſis odium, ac deteſtationem adducat. Demum per cuncta Religionis Sacra, quam tenero ſemper animo proſecuti ſunt: ac per beata ſancti Patris Franciſci viſcera, Ducem, ac Duciſſam rogat, atque obteſtatur; ne Religionis occaſum ſua auctoritate foueant: ſed dilabenti potiùs manus porrigant: nihilque niſi glorioſum, ac Deo, Beatoque Franciſco gratiſſimum ſe facturos exiſtiment: ſi Ludouicum, atque alios, qui ad eos profugerunt, ſuo patrocinio exuant; atque ad Ordinem redire compellant. Quibus tamen redeuntibus ipſe omnem humanitatem, ac beneuolentiam pollicetur.

*Miniſter Ducem adit, eumque à Ludouici & aliorum pãtrocinio oratione deterrere conatur.*

XXVII. His magna cum miſeratione dictis, Miniſter non parum Ducem, ac audiẽtes commouere potuiſſet; vt, quæ ab eo tam diſertè explicata fuerant, vera eſſe ſuſpicarẽtur: Tanta quippe eſt plerunque eloquentiæ vis; vt quæ minùs vera, ac certa sũt. Interdũ velut, explorata, ac certa eſſe perſuadeat: quæ itẽ vera, ac certa, falſa eſſe decernat: niſi apud æquos Principes, quibus Miniſtri ars haud ignota erat: fallax illa, ac blãda oratio, meretricis potiùs fucum, vel mellitum virus, quàm veritatis vultũ pretuliſſet. Dux tamen, cùm prudentiſſimus eſſet, vt ſuum cuique, & prudentiæ, quæ Principem decet, & auctoritati, quam Miniſter præſeferebat, locum tribueret: ſapienter Miniſtro reſpondet. Ea, quæ minus honeſta, ac decora ſunt quæve à Principis dignitate aliena apparent, quandoquidem nunquam ſibi præſtanda in animum induxit: multò minùs quæ Religioni, ac præſertim Seraphicæ, ſibi inter alias amantiſſimæ, damnum, aut perturbationem adferrent, ne cogitatione quidem amplecti: quare & id prorſus à ſua mente alienum exiſtimare debet: dum probos, ac honeſtos homines, virtutum omnium ſtudioſiſſimos hoſpitio excipit, ac ſuo patrocinio tuetur: ſe aut vitio patrocinari, aut vllis Ordinis perturbationibus obſequi velle. Memineris verò (aiebat) optimè à te dictum eſſe, illud potiſſimùm eſſe Principum munus, vt Religionis incolumitati ſtudeant; inde enim conſectaneum fit; vt iis ſuo auxilio adeſſe debeant: qui Regularis obſeruantiæ diſciplinam, à qua omnis Religio pendet, cùm in ſeipſis, tum etiam in aliis reſtituendam curant. Id porrò eſt, quod & me, & Duciſſam Ordinis Seraphici cum primis amantiſſimos, erga religioſiſſimos hoſce viros, propenſos, ac benè affectos præſtat: quibus (ita me Deus amet) nullos vnquam, aut vitæ innocentia præſtantiores, aut in diuinis laudibus ardentiores, aut in Dei cultu diligentiores, aut charitate feruentiores, aut Regularis diſciplinæ ſtudioſiores, aut ab hominum familiaritate, ac frequentia magis ſemotos, aut orationum ſtudio magis deditos, aut paupertatis magis cupidos: omnium denique virtutum ſtudio magis addictos perſpexiſſe memini: ita vt non nos tantummodò, ſed totam Camerini

*Dux Miniſtro reſpondet, illiuſque rationes in ipsũ retorquet.*



merini Vrbem in ſui deuotionem, ac admirationem rapiant. Quo pacto homines tot virtutum laude clari, quibus nulla, præterquàm diuini honoris cupiditas animo inſidet, Ordinis peſtes, ac perturbatores cenſeri queant, planè ignoro.

XXVIII. Quòd ſi de Regulari obſeruantia lis eſt; quandoquidem nos, neque legitimi, neque æqui eorum Iudices eſſe poſſumus, quæ noſtram cognitionem effugiunt: ſatiùs erit, vt ijs huc accerſitis, ipſi ſuam præſentes cauſam dicant; vt quid de ipſis iudicandum ſit, certum, ac perſpicuum aliquid haberi poſſit. Annuit protinùs dicto Miniſter; ac Duce imperante, eò Fratres vocati, ſimul omnes accedunt, Matthæus, ſcilicet, Ludouicus, Paulus, & Raphaël, quorum præ aſſiduis ieiunijs, ac nimia auſteritate, tam ſquallidi vultus, & extenuata corpora erant; veſtes quoque adeò breues, ac laceræ, vt eorum aſpectus quamplurimos, qui aderant, non parum ad pietatem commoueret.

XXIX. At verò Miniſter, vbi primùm eos adeſſe conſpexit, Duce ſibi, vt loqueretur, annuente; illos ita affari cœpit. Heu miſeri, quis vos Cacodæmon tentauit; vt Religione deſerta, in qua ſpiritu regenerati, & enutriti fuiſtis; quæque velut mater filios in ſinu fouebat, ac tenero affectu amplexabatur; in has mentis amentias adduceremini: vt monſtruoſo, atque inſolito habitu, longè à conſueta Ordinis veſtiendi ratione diuerſo; vagantes, profugi, inſtabiles abſque domicilio, huc atque illuc curſitantes; tandem in Principum domibus maximo omnium ſcandalo, veſtróque dedecore ſedem figeretis? Hæc ne eſt B. P. Franciſci doctrina? quæ in ſuſcepta Religione ſtabiles, ac immotos; non nouarum rerum cupidos, non Religionis Cenſores, aut Reformatores; ſed in Religione humiles, Superioribus obtemperantes, omnibus ſubiectos eſſe vult? Vos contrà, Dei vocatione neglecta, qui vos ad huius Religionis gremium cœleſti beneficio adduxerat, Religionis propoſitum deſeruiſtis: atque Eccleſiaſticæ legis obliti, quà nihil vnquàm innouandum cauetur, omnium pernicioſiſſimæ nouitati ſtudentes, velut Religionis Cenſores, Superioribus omnibus Superiores, nulli ſubiecti, ius vobis de Religione iudicandi vſurpaſtis; & quod horribiliùs, ac deplorabiliùs eſt, in Matrem veſtram pugnantes, eam in ſectas, ac ſchiſmata dilaceraſtis. Iam verò miſeri reſipiſcite. A Religione excidiſtis, eam iterum arripite: Matrem veſtram contriſtaſtis, iam tandem ad eam confugite; cuius vndique ſinus ad vos, filiorum inſtar, excipiendos patefactus eſt. Fratres veſtros, immò & Angelos veſtra pœnitentia, ac reditu lætitia afficite: atque hac noua, ac planè monſtruoſa habitus forma reiecta, in antiquam conſpirate. Et non erit hæc vobis in ruinam iniquitas: Etenim omnem vobis, non modò benignitatem, ac humanitatem polliceor; verùm, & Patris inſtar, chariſſimos, atque amantiſſimos me vós habituros ſpondeo. Tantummodò Patris veſtri conſilijs acquieſcite; qui nulla re magis, quàm filiorum ſuorum gloria, ac ſapientia lætatur. Hîc Miniſter finem verbis impoſuit.

*Miniſter Matthæum, ac cæteros alloquitur.*

XXX. Cui cùm Matthæus à Duce, vt reſponderet, exquireretur; B. P. noſtri Franciſci Regula è manica deprompta, ad Ducem conuerſus, ait. Quandoquidem, Dux Excellentiſſime, R. P. Miniſter à nobis cauſam poſtulat, cur antiqua Religione relicta, ad nouam, tum habitus, tum vitæ rationem à nobis migratum fuerit: En integram, & abſolutam noſtræ tranſmigrationis cauſam aperio: nimirum perfectam huius Regulæ obſeruantiam, quam publica, ac ſolemni votorum religione, ac iureiurando olim immortali Deo, ac B. P. Franciſco polliciti ſumus. Idcircò, longè à veritate aberrant, qui nos, vel ad carnis libertatem captandam, vel ad Obedientiæ iugum excutiendũ, vel ad nouitatis ſtudium ſectandum; vel alia denique ratione, præterquam huius Regulæ obſeruandæ ſtudio, moueri exiſtimant: quod ſi in Ordine aſſequi poſſe ſpes nobis aliqua fuiſſet, à grauiſſimo ſanè crimine noſter hic ab eo diſceſſus liberari nequaquàm poſſet: Nec tanti criminis

*Matthæus Miniſtro reſpondet, & ſuã, ac aliorum coram Duce causã defendit.*

conſcios res vlla detinere valeret ; quominùs citiùs dicto ad Religionem reuolare nobis propoſitum eſſet. Verùm cùm in Religione, nonnihil à Regulari obſeruantia prolapſa ; neque ſatis tuta ſit ad ſalutem via, neque libera Regulæ iuxta B. P. Franciſci præſcriptum, obſeruandæ facultas præbeatur ; hîc vos, ô Principes, æquos Iudices appello ; Num æquum ſit, nos hominibus magis, quàm Deo obedire. Religionem velut Matrem tamdiu complexati ſumus, quamdiu ea Regularis obſeruantiæ lac nobis ex vberibus expreſſit: iam verò cùm illius vbera areſcere, noſque fame confici conſpiceremus: quid ab ea nos deſciuiſſe accuſant ? Præſertim cùm & B. P. Franciſci id nos admonentis mens, ac conſiliũ vrgeat; & Apoſtolica auctoritas, quæ horũ omniũ iudex eſt, nos ſuo conſenſu, ac ſententia foueat. Abſit verò, vt crimen illud nobis inuri contingat, quo velut Ordinis perturbatores, ac dilaniatores iure, vel apud Deum, vel apud homines damnemur. Neque enim nos, aut turbas facere, aut ſectas in Religioue ciere, aut fouere, Miniſter vnquam probare poterit. Quòd ſi plerique, diuino Spiritu impulſi, inter Fratres ad ſui ipſorum Reformationem anhelant, atque has Miniſter Ordinis perturbationes appellat ; caueat ſummoperè, ne Deum Opt. Max. qui huiuſce commotionis eſt Auctor, quaſi Ordinis perturbatorem ſuggillet. Hîc Matthæus inſtitutam orationem abſoluit.

*Ludouicus ſermonem proſequitur, nouique habitus cauſã reddit.*

XXXI. Ludouicus verò, ampliùs ſermonem extendens, hæc Matthæi verbis addit: Conqueritur maximè R. P. Miniſter, Dux Excellentiſſime, quòd conſueto Ordinis habitu dimiſſo: nouam, ac monſtruoſam ( vt ait ) habitus formam nobis vendicantes, à Religione deſciuimus. Id is profectò abſque iuſta cauſa, velut criminis loco nobis obijcit ; cùm in eo potiùs ab eo commendandi, quàm condemnandi eſſemus, ac Dei bonitas maximè ſuſpicienda: quæ antiquam habitus formam à B. P. N. Franciſco olim inſtitutam, in Orbem reuocare voluit. Cuius rei quanquàm plures B. P. Franciſci, ac Sociorum habitus, qui varijs in locis aſſeruantur; ac plurimæ depictæ imagines teſtes eſſe poſſint ; vnum tamen Matthæum hîc præſentem teſtem exhibere lubet, cui Deus ex liberaliſſimo ſuæ pietatis theſauro, ad multorum diſciplinam id erogare voluit ; vt B. P. Franciſcum non ſemel hac habitus, & Caputij forma indutum oſtenderit ; quò ſuum ad illius exemplum componeret; atque eum ſibi ſequendum proponeret. Id verò cùm Matthæus ob innatam ſibi animo modeſtiam, ac humilitatis virtutem reticere voluerit: mihi tamen ad Dei gloriam, ac publicæ rei atteſtationem ſilentio prætereundum non fuit: ne quod à Deo profectum eſt, velut ipſa nouitate ſuſpectum, noſtro vitio attribuatur. At quid pluribus opus eſt ? An non Apoſtolica Sedes, cuius auctoritate hac habitus forma frui nobis donatum eſt: crimen omne à Miniſtro nobis obiectum abſtergit ?

XXXII. Cæterùm, cùm tam multa in Regula præcepta ſint, quorum obſeruantia in Ordine penitus antiquata, atque obliterata cernitur ; atque ( hîc plura Regulæ capita commemorat, ea potiſſimùm, quæ ad amicorum ſpiritualium recurſum, pecuniarum receptionem, rerum prouiſionem, veſtium mollitiem, & calceamenta ſpectant, circa quæ tunc communis in Ordine relaxatio graſſabatur ) nulla profectò cauſa eſt: cur nos Miniſter Apoſtaticæ deſertionis accuſet, atque inter Apoſtatas, ac excommunicatos releget, quos B. Pater Franciſcus, & Apoſtolica Sedes, ab Apoſtaſia, atque excommunicatione liberos reddunt.

*Miniſter poſt Matthei, & Ludouici reſponſum obmuteſcit.*

XXXIII. Miraculo proxima tunc res viſa eſt: Nam Miniſter, qui cùm acris ingenij eſſet, plurima etiam eloquentiæ arte pollebat ; his adeò vtriuſque, & Matthæi, & Ludouici dictis obmutuit: vt ne vllum quidem verbum illi ad reſpondendum ſupereſſet: quo fit: vt nullo penitus reſponſo, ne verbo quidem reddito, Duce duntaxat ſalutato, abſceſſerit. Talis quippè, ac tanta eſt veritatis vis, vt ipſam quoque loquacem eloquentiam compeſcere, & obmuteſcere faciat. *O magna vis veritatis* ( aiebat Tullius ) *quæ, contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam,*

Tull. orat. pro M. Cælio.





*contraque fictas hominum inſidias facilè ſe per ſeipſam defendit !* Dux verò, & qui præſentes aderant, tum Miniſtri ſilentio, tum etiam repentino ipſius diſceſſu obſtupefacti ; quaſi id diuinitùs accidiſſet, factum admirantur ; Fratrúmque virtutem cæleſti teſtimonio confirmatam maiori ſtudio, ac veneratione proſequuntur. Matthæus igitur ac reliqui, triumpho de Miniſtro reuecto, ad propria redeuntes, Epinicium Deo victori canunt ; pronique in terram corruentes totam victoriæ gloriam Deo triumphatori cedunt : *Qui* ( teſte Iob ) *diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant.* Huius rei fama ſtatim per vrbem euolat, quæ maius illis apud omnes nomen, & exiſtimationem comparat ; cùm plerique ante id tempus, falsò rumore, à Miniſtro, & ab aliis diſſeminato, eos Apoſtatas, ac cenſuris innexos crederent.

Iob. 5.

XXXIV. Poſt hæc Matthæus vocationis ſuæ non immemor ad conſuetum prædicandi munus ſe accingit ; & Paulo ſocio ſibi adiuncto, velut diligentiſſimus vineæ Dominicæ cultor, Regiones illas Dei Verbum diſſeminando peragrat : ex quo vberiores ſemper Domino fructus refert. Ludouicus interea cum Duciſſa agit, vt ſimul omnes ſub Minorum Conuentualium Obedientia, ac tutela recipiantur ; quò faciliùs, & à Miniſtri inſidiis immunes eſſe, liberiúſque, & abſque periculo Romanam profectionem aggredi valeant.

XXXV. Re igitur primùm cum Epiſcopo Camerinenſi communicata, qui huic, & ipſe conſilio annuit ; Catharina ad Magiſtrum Prouincialem Minorum Conuentualium literas ſcribit, quibus illum de Matthæi, Ludouici, ac cæterorum Reformationis ſtudio, ac de omnibus, quæ ad eam rem ſpectant, certiorem facit ; quidve ab eo expetat, declarat. Is verò acceptis Catharinæ literis, confeſtim Camerinum ſe confert ; réque diligentiùs à Ludouico explorata, Generalem Miniſtrum per literas conſulit. Erat tunc totius Ordinis Minorum Protector Andreas de Valle, Presbyter Cardinalis Tit. S. Priſcæ, qui à Leone X. anno 1517. creatus, Dominico Grimano Cardinali, & Epiſcopo Portuenſi in eo munere ſucceſſerat, anno 1522. Huic cùm Generalis Conuentualium Magiſter Catharinæ Camerinenſis Duciſſæ ſtudia, ac poſtulationem retuliſſet, is Matthæum, Ludouicum, & reliquos ſub Minorum vitæ Eremiticæ titulo, quo ab Apoſtolica Sede in Diplomate donantur ; in Minorum Conuentualium familiam, tanquam proprios Ordinis Reformatos, cooptandos reſcribit. Eo porrò Reſcripto accepto. Prouincialis Magiſter Ludouicum, ac cæteros in ſuam obedientiam, atque Ordinis conſortium, velut proprios Ordinis reformatos, recipit, atque obedientialibus literis munit, quibus liberam illis facultatem tribuit, vt & in Eremis degere, & Reformationis incrementum apud Romanam Curiam proſequi libere valeant.

*Ludouicus, & alij in Minorum Conuentualium tutelã ſe recipiunt.*

*Miniſtrum Ludouici, & aliorum deliberationi conſenſiſſe refellitur.*

XXXVI. Nonnulli quidem ſuſpicati ſunt, ob quædam præſertim verba, quæ in Bulla ſequenti anno à Pontifice edita, leguntur: Ioannem Faneſtrem Miniſtrum à Camerinenſium Duce rogatum, in hanc quoque rei deliberationem conſpiraſſe. Ita namque in Bulla legitur. *De licentia veſtri tunc Superioris, iuxta formam literarum Apoſtolicarum, ſuper vnione, & concordia inter prædictos, & Conuentuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis edita, confectarum, ad ipſorum Conuentualium conſortium vos tranſtuliſtis.* Veruntamen ea Bullæ verba ita intelligenda ſunt, vt licentia, de qua in Bulla agitur, ea ſit, quam Ludouicus poſt impetratum Diploma, à Ioanne Faneſtri, Marchiæ Prouinciali Miniſtro, iam antea poſtulauerat ; neque enim alia neceſſaria erat. Nam cùm Apoſtolicum Diploma Ludouicum, Matthæum, & Raphaëlem à Minorum Obſeruantium Religione auulſos, ad Ordinariorum obediẽtiam tranſtuliſſet, quid alia Miniſtri licẽtia illis opus erat, qua ad Conuentuales tranſirent ? Miniſter quoque, quo pacto in eam licentiam hoc tempore conſenſiſſe cenſendus eſt ; qui, vix à Duce, ac Duciſſa digreſſus, ob latam coram ipſis ignominiam, ea excandeſcentia efferbuit: vt ſupplici libello, per Or-

dinis Procuratorem Pontifici oblato, Catharinam Ducissam ipsius neptem iniusti, ac immoderati quorundam Ordinis Apostatarum (callidè nomina ſubticens) patrocinij apud illum expoſtulauerit; ac de ea vehementiùs conqueſtus fuerit: quo illa ſaltem ex Pontificis reſcripto, à Ludouici, ac aliorum tutela abſtineret.

*Miniſter de Catharina apud Pontificem conqueritur.*

Re itaque in hoc ſenſu commodè accepta; nihil eo libello Miniſter ampliùs apud Pontificem profecit, quàm quòd celeriùs Reformationis propagationi imprudens, ac præter ſpem famulatus eſt: ſtabilique diuinæ prouidentiæ decreto neſcius inſeruiuit; quo nouæ prolis virgultum inter ſpinas excreſcere, ac Euangelicum palmitem putatione conſurgere, edictum fuerat. Nam Duciſſa, tam iniqui officij per literas certior facta, hinc ad Pontificem pleniorem epiſtolam ſcribendi anſam captat: qua ſe primùm à Miniſtri calumniis purgat; tum verò Fratrum apud ſe hoſpitantium conditionem, nomen, virtutes, ac præclara vitæ exempla tam copioſè deſcribit (cui etiam Dux ſuos per literas calculos addit) vt Pontifex, præter antiquam boni nominis exiſtimationem, quam de ipſis hauſerat, nouo, atque ampliori, hoc teſtimonio, illorum virtutis opinione imbutus, ita his literis confirmatus fuerit; vt ſingularem quandam ab eo tempore in eos beneuolentiam conceperit. Quod ſanè haud abſque Dei prouidentia accidit: cùm eo & celerior, & facilior illis via ſubſtrata fuerit, qua ab Apoſtolica Sede, anno ſequenti, Bullam ad Reformationis Inſtitutionem, ac propagationem impetrarent. XXXVII

*Catharina Miniſtri calumnias, ad Pontificem ſcribens, abſtergit.*







I. ANNVS Chriſti milleſimus quingenteſimus vigeſimus octauus voluebatur, quum Romanus Pontifex Clemens VII. rebus cum Cæſariano exercitu compoſitis, liber dimiſſus; vt animum tantiſper ex Romana calamitate recrearet, primum Oropitum Hetruriæ Vrbem Romano Principatui ſubiectam; dein Viterbium proficiſcitur. Vbi dum per aliquod temporis ſpatium cõquieſcit: Deus Opt. Max. qui tenellæ Reformationis fœtum needum plenè enixum, in perfectum Religionis corpus efformare, & tandem in lucem edere decreuerat: Catharinæ Duciſſæ (de qua ſæpè egimus) quam & in puſilli gregis ſolatium, ac nouæ ſobolis incrementum diuina prouidentia excitauerat, animum accendit: vt Ludouicum quamprimum ad Romanam profectionem impelleret: eo præſertim conſilio, vt captata temporis opportunitate, quum Pontifex à Romanis negotijs vacabat, eò faciliùs ab eo optatam Inſtituendæ, & propagandæ Reformationis Bullam impetraret. Matthæo quoque in eam deliberationem collimãte, Ludouicus, qui in idem ſtudium incenſo animo ferebatur: dum illa literarum expeditioni vacat, quas eam ob cauſam ad Pontificem, atque alios Pontificis familiares dare ſtatuerat, nullam temporis moram interponens ad Antonium Iacobũ Bonioannem, Camerinenſem Epiſcopum ſe confert: qui & ipſe cõmendatitia Epiſtola ad Pontificem (cui in ſacri Palatij præfectura paulò antea ſuam operã impenderat) exarata, illos tanquàm integerrimæ vitæ, ardentioris zeli, atque eximiæ charitatis, ac virtutis viros apud eum quamplurimùm commendat.

II. His igitur literis expeditis: cùm Matthæus libentiùs ad diuini Verbi prædicationem, quàm ad Romanam profectionem animum intenderet. Ludouicus, & Raphaël Obedientialibus Magiſtri Prouincialis Minorum Conuentualium literis muniti, ad illud ſe iter accingunt. Veruntamen, cùm rem omnes, non ab humano conſilio, ſed à Dei prouidentia pendere, haud obſcurè intelligerent; ſimul per aliquot dies Orationi vacantes, impenſiùs illam Domino commendant. Tum verò, iam tranſacto huius anni vere, Sacra quodam manè Oblatione peracta, Deo Duce, iter aggrediuntur; ac, fauentibus Superis, proſperè Viterbium perueniunt. Nihil ibi cunctatur Ludouicus: ſed mox redditis litteris; quæ à Catharina ad Pontificis familiares conſcriptæ fuerant, facilè ab ijs acceſſum ad Pontificem aſſequitur. Iam Dei opem ſibi vterque è cælo profuſis lachrymis implorauerat, ac Virginis Deiparæ, Beatique Patris noſtri Franciſci patrocinio rei exitum ſummis precibus commendauerat: quare plurima in Deum ſpe, ac fiducia pleni, ſe Pontificis conſpectui offerunt, ac ſanctiſſimis illius pedibus prouoluti, humillimè ab eo poſtulant; vt tenella Reformatio, quæ, Deo parente, atque ipſo obſtetricante, exorta, eatenus ad quaternarium numerum excreuerat, Apoſtolicæ Sedis clementia, atque auctoritate ſuffulta propagetur, Pontificiaque Bulla confirmetur: qua quam plurimis, qui tum ex Conuentualium, tum etiam ex Obſeruantium Ordine ad Reformationem anhelant, via ad ſalutem ſternatur: aliiſque quos Deus Opt. Max. ad perfectioris vitæ tyrocinium vocat, aditus ad præſtantiora pateſiat. Demùm, vt ex nouæ prolis propagatione, vera Beati Patris Franciſci habitus forma, & perfecta Regularis obſeruantiæ diſciplina, in Ordine collapſa, reſtituatur.

*Ludouicus, & Raphaël ſub Minorũ Conuentualium obedientia ad Pontificem proficiſcuntur.*

III. Pontifex verò, qui ex multis Catharinæ Duciſſæ Neptis literis, tum Camerinenſis Epiſcopi Epiſtola, atque aliorum teſtimoniis, eorum probitatem, Religionis

*Capucinorũ Congregatio Pōtificis Bulla confirmatur.*

zelum, & vitæ, ac morum honeſtatem didicerat; cùm præſentes rudi, ac vili illo habitu indutos, vultu ſquallidos, toto corpore extenuatos, nihil denique præter auſteritatem, ac vitæ ſanctimoniam præferentes conſpiceret: eorum ampliùs aſpectu commotus, Deo verò præſertim illius animum inclinante, haud ſe illis difficilem præbet: ſed mox Bullam confici iubet. Veruntamen, quæ illius prudentia erat: ne acriores Generalis Miniſtri, atque aliorum Superiorum de Obſeruantia in ſe aculeos, & querimonias excitaret; ſi noua hæc Congregatio, ſub titulo Reformatorum de Obſeruantia extra Ordinis obedientiam, Apoſtolica authoritate emergeret, rem ita componendam ſtatuit: vt noua Reformatio, non ex Obſeruantium ſinu, ſed ex Minorum Conuentualium, quibus iam ſeipſos ſponte ſubiecerant, gremio effluxiſſe videatur. Quapropter eam ab Obſeruantium Ordine diſiunctam, ſub Minorum Conuentualium obedientia ita conſtituit, vt nonnulla duntaxat ſubiectionis ſigna Generali Magiſtro præſtare deberet: vt ex Bulla perſpicuum eſt, quæ data fuit hoc anno, quinto Non. Iulij. his verbis compacta.

# CLEMENS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Ludouico, & Raphaëli de Foroſempronio. Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

*Bulla inſtitutionis F. Capucinorum.*

RELIGIONIS *zelus, vitæ, ac morũ honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendamini teſtimonio, nos inducunt, vt votis veſtris, præſertim quæ animarum ſalutem, & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, fauorabilem annuamus.* IV.

§. 1. *Sanè pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd vos olim feruore ſeruiendi Altiſſimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum ingreſſi, in ea profeſſionem emiſſi per certum tempus permanſiſtis: & deinde de licentia veſtri tunc Superioris, iuxta formam literarum Apoſtolicarum ſuper vnione, & concordia inter prædictos, & Conuentuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis edita confectarum, ad ipſorum Fratrum Conuentualium conſortium vos tranſtuliſtis, & à tunc Magiſtro Prouinciali Prouinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conuentualium benignè recepti, ac aliorum Fratrum Conuentualium eiuſdem Prouinciæ numero, & conſortio aggregati fuiſtis. Et deinde vobis deſiderantibus pro animarum veſtrarum ſalute, ac Dei gloria, Eremiticam vitam ducere, & quantùm humana patitur fragilitas, Regulam Beati Franciſci obſeruare: dictus Magiſter Prouincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & à Nobis, ac Sede Apoſtolica quæcumque ad animarum veſtrarum ſalutem, ad Dei gloriam opportuna vobis viderentur, petendi, & impetrandi conceſſit.*

§. 2. *Ac etiam dilectus filius noſter Andræas Tituli S. Priſcæ Presbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, vobis, vt ſimilem impetrationem facere: ità tamen quòd vnus ex conſortio veſtro omnium veſtrorum nomine, Magiſtro Prouinciali, ſeu Capitulo Prouinciæ dictorum Fratrum Conuentualium, in qua habitaretis, ſingulis annis ſe præſentare in ſignum ſubiectionis teneretur, & ipſe Magiſter (ſi ſibi videretur) ſemel in anno, & non vltra vos viſitare, & ſi inuenerit vos Re-*





*gulam prædictam non obſeruare, ad eam pleniùs obſeruandam vos admonere, ac debitis modis compellere poſſet. Præter hæc autem, nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud vobis iniungere, aut à vobis exigere valeret; ſed potiùs vos tueri, & defendere teneretur, vt in pace poſſetis Altiſſimo in diuinis famulari, prout in literis patentibus eorundem Cardinalis Protectoris, & Magiſtri Prouincialis deſuper confectis pleniùs dicitur contineri.*

§. 3. *Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt vobis vitam Eremiticam ducendi facultatem concedere, aliáſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

§. 4. *Nos igitur, qui ſalutem cupimus animarum, Veſtrûm quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, ac literas prædictas, & in eis contenta quæcunque præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium vobis, vt ſecundùm Regulam prædictam vitam Eremiticam ducere.*

§. 5. *Et habitum cum Caputio quadrato geſtare.*

§. 6. *Necnon omnes, tam Clericos ſeculares, & Preſbyteros, quàm Laïcos ad veſtrum conſortium recipere.*

§. 7. *Ac tam illi, quàm vos, barbam deferre.*

§. 8. *Et ad Eremitoria, ſeu loca quæcunque, cum conſenſu Dominorum eorundem locorum vos conferre; & in eis habitare; vitámque auſteram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuſcunque locis mendicare.*

§. 9. *Nec non omnibus, & ſingulis priuilegijs, indultis, & gratijs Ordinis Fratrum Minorum huiuſmodi, ac Eremo Camaldulen. B. Romualdi illiúſque Eremitis, in genere, vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis; & quibus ipſi quomodolibet vtuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt in futurum: vos quoque æquè principaliter ſicut ipſi, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeatis; plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus.*

§. 10. *Et nihilominùs Vniuerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, alijſque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, nec non Canonicis Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Eccleſiarum, ipſorúmque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum Vicarijs in ſpiritualibus generalibus diſcretioni veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus eorum quilibet per ſe, vel alios, ſeu alij vobis, & veſtrûm cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtat, & faciat vos, & veſtrûm quemlibet, præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere: nec permittat veſtrûm quemlibet, contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, etiam per quaſcunque de quibus ſibi placuerit, cenſuras, & pœnas; & alia in eis remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

*ſ. II. Non obſtantibus fel. record. Bonifacij Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, etiam de vna, & Concilio Generali de duabus dietis edita, ac alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis Statutis, & Conſuetudinibus, & etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, ac literis Apoſtolicis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam per vim generalis Legis, ac Statuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſuis irritatiuis, annullatiuis, caſſatiuis, reuocatiuis, præſeruatiuis, exceptiuis, reſtitutiuis, declaratiuis, menſis atteſtatiuis, ac derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & conſiſtorialiter quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut certa exquiſita forma ſeruanda foret, & in eis caueatur expreſsè, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum etiam tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis: nec non modos, & formas ad id ſeruandas pro indiuiduo ſeruatis habentes, hac vice duntaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris; harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, mandati, & derogationis infringere, vel eis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.*

*Datum Viterbij Anno Incarnationis Dominicæ 1528. quinto Nonas Iulij, Pontificatus noſtri anno quinto.*

*Bullæ capita ponderantur.*

IV. Sed quoniam pleraque in hac Bulla grauiter nobis perpendenda ſe offerunt, quæ tum ad clariorem Hiſtoriæ lucem: tum etiam ad luculentiorem rerum cognitionem conferunt: ea ſanè haud æquum eſt à nobis, vel ſilentio, vel leuiter præteriri. In his illud primum eſt. Non abſque ſummo, atque arcano Dei conſilio factum eſſe, vt in hac Bulla, in qua prima Religionis Capucinorum fundamenta iacta fuêre, nulli omninò Auctoris, aut Fundatoris honor, ac titulus deferatur. Quin etiam (quòd maiori admiratione dignum eſt) nulla omninò de Matthæo de Baſſio mentio fiat. Cùm enim Matthæus primus quadrati Caputij, atque antiqui B. P. Franciſci habitus reſtitutor fuerit, priorque ab Apoſtolica Sede viuæ vocis Oraculo priuilegium tulerit, quo Ordinis habitu immutato, vitam Eremiticam coleret: ad quem ipſum quoque Diploma à Ludouico biennio antè impetratum, directum fuerat: denique cùm ab eo velut à primario lapide, totius Reformationis moles pendere videretur. Quis, amabò, non exiſtimaret, meritò illi primum in Apoſtolica Bulla locum, ac potiorem honorem, velut auctori tribuendum eſſe? Ac velut nouæ Religionis Anteſignanum, quemadmodum erga alios Ordinum Fundatores fieri ſolet, Apoſtolica auctoritate totius Reformationis Generalem conſtituendum fore? Id verò cùm ab Apoſtolica Sede, quæ Spiritum Sanctum perpetuum ſibi ductorem vendicat, nedum illi tributum fuerit: verùm nec ipſius quidem, à Pontifice in Bulla mentio facta fuerit. Certè ineffabilem hîc Dei ſapientiam, ac conſilium ſuſpicere opus eſt; qui tam inſignem Virum, alioqui Sanctimonia eximium,

*Matthæus de Baſſo à Fundatoris titulo expũgitur.*





ac de Reformatione benemeritum, in hac Religionis erectione idcircò ſilentio præteriri, atque ab ipſius fundatione prorſus excludi voluit: ne illi aliquando Fundatoris, cui maximè deberi videbatur, nomen, ac titulus adſcriberetur: eóque facto oſtenderet, Capucinorum Religionem non alio, præterquàm Deo Auctore, ac Fundatore, ſub Franciſco Capite, (vti fuſiùs in Apparatu diſſeruimus) excitatam, atque inſtitutam fuiſſe.

*Cur nullus Capucinorũ auctor in Bulla aſſeratur, Dei conſilio adſcribitur.*

VI. Id verò magis perſpicuum fit, ſi de Ludouico, ad quem Bulla potiſſimùm dirigitur, diſtinctiùs agatur. Etenim, ne is quoque Fundatoris ſibi vnquam nomen arriperet, cùm primùm de Religionis fundatione agitur; non ſolus, ſed cum Raphaële ad ipſius Inſtitutionem, & Propagationem vocatur. Atque adeò illius in ea propaganda honos, ac dignitas minuitur: vt Raphaël, qui in Laïcorum miniſterio deſeruiebat, parem cum eo in Reformatione propaganda auctoritatem nanciſceretur: vt & Fundatoris nomen in Ludouico penitùs extingueretur, & Propagatoris eo minùs titulo frueretur; quo is à Pontifice in alterum quoque diſpertitus conſpiciebatur. Poſtremò, vt omne à Ludouico Fundatoris nomen, ac auctoritas exulet: nulla prorsùs, aut Generalis, aut Vicarij Generalis, aut Apoſtolici Commiſſarij in Bulla illi poteſtas tribuitur; ſed ei duntaxat ore tenus à Pontifice præcipitur; vt cùm primùm Reformatio ad ſufficientem Fratrum numerum excreuerit, Capitulum ad Generalem Miniſtrum eligendum celebretur. Quo fit, vt præter propagationis munus, quod cum Raphaële commune acceperat, & quandam ſubordinationis Superioritatem, quam velut maior in cæteros exercebat, nihil à Pontifice amplioris poteſtatis tulerit.

*Ludouico Foroſemp. nullus Fundatoris titulus debetur.*

VII. Illud quoque prætereundum non eſt: cùm de noua Reformationis appellatione agitur; Pontificem in Bulla Ludouicum, & Raphaëlem, atque ab ijs propagandos, non Reformatos, aut Eremitas ſimpliciter; ſed Fratres Minores ſecundùm ſancti Franciſci Regulam, Eremiticam vitam ducentes, nuncupare. Ita enim in Bulla legitur: *Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium vobis, vt ſecundùm Regulam prædictam Vitam Eremiticam ducere, &c. Et ad Eremitoria, ſeu loca quæcunque cum conſenſu Dominorum eorundem locorum, vos conferre, & in eis habitare, vitámque auſteram, & Eremiticam inibi agere, &c.*
Ex quo nonnulla opportunè expendenda eliciuntur. Primùm: Toto Cælo aberrare eos, qui, vt Capucinorum Religionem à vera, & antiqua ſancti Franciſci progenie auellant: Eremitas duntaxat clamitant; quibus nihil ſit cum Seraphica Minorum Religione commune. At certè hos aut falli, aut fallere neceſſe eſt.

*Capucini nõ Eremitæ, ſed Fratres Minores appellandi.*

VIII. Etenim cùm Eremitas eſſe, & Eremiticam vitam ſub B. Patris Franciſci Regula ducere, longè inter ſe diuerſa ſint. Illud enim liberum, ac votis ſolutum quoddam vitæ genus inſinuat, quod Eremitæ apud nos ſub Epiſcoporum tantùm obedientia colunt: hoc verò Monaſticum, ac Regulare inſtitutum complectitur; quod qui religiosè huic Militiæ nomina dederunt, ſub Franciſco Patre, ac Minorum Ordine perfectiùs profitentur; vt in eadem Bulla apertè declaratur, cùm dicitur. *Vos olim feruore ſeruiendi Altiſſimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum ingreſſi, in ea profeſſionem emiſſi, &c.* qua ratione nomina confundant, ac Bullæ verba corrupto ſenſu interpretentur, planè ignoro. Nam ſi, qui Eremos, ac ſolitaria Monaſteria colunt, ij communes Eremitæ cenſendi ſunt; quid de Carthuſienſibus, & Camaldulenſibus Monachis ſentiendum erit: qui cùm in Eremis vitam degant; Monachorum tamen nomine, atque appellatione fruuntur; quos ſi communes Eremitas nuncupes, parum à contumelia abfuerit. Quis Venerabilem Fratrem Cæſareum Spirenſem S. Patris Franciſci Diſcipulum, qui, vt ſcribit Franciſcus Gonzaga, ſub Innocentio Quarto Pont. Maximo: circa annum à Mundi Redemptione 1244 ab Ordinis verò inſtitutione 35. cùm Minorum Ordo, & annuos redditus, & rerum immobilium dominium, ac pro-

*Fratres Minores Eremiticam vitã ducentes recenſentur.*

Fran. Gonz. de orig. Ser. Rel. p. 1. n. 4.

prietatem (in communi tamen) primæua illa paupertate; quæ totius Minoritici ædificij firmiſſimum fundamentum, ac tutiſſima baſis eſt, vtcunque relegata, ex Pontificia diſpenſatione admiſiſſet: aliquot Patres paupertatis Zelotes, qui deinceps ab eo Cæſareni dicti ſunt, ſyluas, atque ſolitaria loca petentes, ibidem per ſexaginta & tres continuos annos, iuxta primæuam Franciſcani Ordinis inſtitutionem perſeuerauerunt: à quibus prima Ordinis Reformatio ſumpſit exordium: Eremitam cum ſuis nuncupandum ſentiat? Tametſi ſyluas, ac Eremos, ad Regulam perfectiùs obſeruandam, & antiquam ſancti Patris inſtitutionem ſectandam incoleret? quin potiùs omnes veri, ac perfecti Fratres Minores, ac Ordinis Reformatores cenſeri debeant, vt prædictus Auctor affirmat.

VIII. Poſt hunc Frater Angelus Cingulanus, qui, & Clarenus à Monte Claro, vbi is cum ſuis pedem fixit, ac Monaſterium extruxit, olim dictus eſt; vnde & eius Aſſeclæ Clareni nuncupati fuêre: cùm Regulæ (vt idem Auctor refert) quam & fideliſſimè, acutiſſimèque expoſuit, ſtudioſiſſimus eſſet, ſub Adulpho Germanorum Imperatore, circa annum 1294. à Cæleſtino V. qui tunc totius Eccleſiæ Militantis clauum tenebat; cui etiam familiariſſimus fuit: ſolo perfectioris Regularis Obſeruantiæ ſtudio incenſus Diploma, quo ſibi vitam Eremiticam, quam ex eiuſdem ſummi Pontificis auctoritate ſolus aliquandiù coluerat; cum alijs ſibi adhærentibus ducere, Fratres ad illud vitæ inſtitutum recipere, atque aliqua loca in ſolitudinibus erigere liceret, impetrauit. Quis eum cum tota Clarenorum familia, qui perfectam Seraphicæ Regulæ obſeruantiam profitebantur; ob id communes Eremitas, à Minorum Ordine diſſutos, vnquam appellandos cenſuit? Cùm ab his prima, vel ſecunda Ordinis Reformatio exorſa fuerit. Vt teſtatur Gonzaga his verbis. *Ab his igitur Clarenis ſecunda, vel potiùs prima Franciſcani Ordinis Reformatio poſt eius inſtitutionem exordium ſumpſit. Nam Cæſareni de quibus ſuperiùs, extincto eorum capite, Venerabili ſcilicet Patre Fratre Cæſareo Spirenſi, derelictos à ſe Conuentus repetere compulſi ſunt: Et ſi qui fuerunt alij, qui in perfectiorem vitam inhiantes, omnem rerum proprietatem à ſe eliminatam exoptarent: ne tamen rerum nouatores haberentur, ſuis ſe pellibus continentes, meliori, quo poterant, modo non abſque maximo animi dolore, cæteris conuiuebant.*

*B. Angelus Clarenus Ordinis Reformator.* Gonz. ibid. n. 5.

IX. Hi igitur, cùm Eremiticam ſub Franciſco Patre vitam ducerent; haud tamen veri, ac perfecti Fratres Minores eſſe deſierant; immò & alijs perfectiores, quò B. Patris veſtigijs preſſiùs inhærentes, ſyluas, ac lucos ad perfectam Regulæ obſeruantiam quærebant.

X. Quamobrem, qui Capucinos Fratres idcircò ad communes Eremitas reiiciunt, quòd in Bulla Eremiticam vitam ducere deſcribantur: ij planè quid Religioſis Eremus ſit, ſe ignorare oſtendunt. Eremitica enim vita Religioſis viris, non ad ſpiritualis vitæ tyrocinium, ſed ad profectum datur. Ad Eremum confugiunt, non vt à vitijs tantùm abſtineant: ſed vt Deo perfectiùs adhæreant. Non vt ſæculum fugiant: ſed vt ab omni hominum conturbatione liberi, in abſcondito diuinæ faciei cæleſtium contemplationi vacent. Quemadmodum de illis Pſaltes olim cecinit. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Non denique vt Regularem diſciplinam, quam ſemel profeſſi ſunt, abiiciant: ſed vt ex aſſidua mentis in Deum eleuatione, & ſedula omnium virtutum exercitatione, perfectiſſimam aſſequantur. Beatus Pater Franciſcus Eremos, ac ſolitaria loca quærebat, vt gemitibus compleret, & Chriſti Domini Paſſiones lachrymis proſequeretur. Eremus perfectorum ſchola eſt, in qua ſurſum in Deum ferri, cum Deo colloqui, eique perfectè adhærere diſcunt. Audiant tandem, Laurentio Iuſtiniano teſte, quid Eremus, ac ſolitudo Religioſis viris præ cæteris conferat.

*Vita Eremitica quid Religioſis viris.*

Pſal. 30.

*O ſolitu*



*O ſolitudo Deo dicata* (inquit) *quàm amabilis es, & quàm ardenti deſiderio concupita ab his, qui nouerunt te, téque illis delectabilem reddiderunt. Tu namque humilitatis es ſpeculum, tu diuini Amoris cuſtos, tu propriæ cognitionis magiſtra, tu ſcientiæ ſchola, teſtis conſcientiæ, futuræ felicitatis imago, accuſatrix ſcelerum, vitiorum detectrix, veritatis amatrix, innocentiæ decus, ſecretorum cæleſtium cognitrix, contemplationis præuentrix, origo compunctionis, Cæli ſcala, latitudo maxima, orationis portus, tranquillitatis habitaculum, paſſionum ſpiritualium interemptrix, peruigil mentis cuſtodia; non dormitans affectio, prudentiæ comes, diſcretionis oculus, latens profectus, dulcedo cordis, ſpei fons, ſponſi cæleſtis receptaculum; Dei & hominum mediatrix. O quam præclara ſunt præconia tua, ſolitudo ſancta, tutæ diuitiæ, laudabilis actio, ſucceſſus lætus, ſecura poſſeſſio, conuiuium iuge, ac delicata cibaria: frequentiſsimè ſapientiæ illuſtraris radijs, gaudio perfunderis, eleuaris in Cælum, & pace repleris. Sinum quippe tuum dilatas, & iucundiſsimè ſuſcipis humiles, mente pacificos, orationi inſtantes, deuotionis auidos, atque guſto ſapido diuina guſtantes.*

Laur. Iuſt. de Vit. ſolit. *Eremus à Patribus maximè cõmendatur.*

XXII. Hinc perſpicuum eſt; cùm primi illi Reformationis Patres ad Eremos, ac ſolitaria loca ſecedere; atque in his Eremiticam vitam ducere à Pontifice petiêre: in id potiſſimùm animum intendiſſe: vt mentem ab omnium rerum cupiditate ſolutam citiùs ad Deum transferrent: & perfectam Regularis Obſeruantiæ diſciplinam, quam in Ordine iam collabeſcente reperire haud poterant, in Eremis aſſequerentur: ſimulque Beati Patris Franciſci mentem, ac gaudium implerent, qui ſolitaria loca, velut quietis amica, magis quàm vrbana diligebat: immò & Deo reuelante didicerat, eò Minorum Ordinem vocari; vt vitæ Anachoreticæ contemplationem cum Monaſticæ, ac Regularis actione maritaret. Quo fit, vt Monaſteria vt plurimùm ab vrbium frequentia remota, velut magis diuinæ Fratrum Minorum vocationi conſentanea, eligeret.

*Capucini, cur vitam Eremiticam ducere poſtulauerint.*

XXIII. Hic igitur primæuus fuit huius Religionis ſpiritus: quo, & Matthæus, & Ludouicus ducti, priori Diplomate à Pontifice impetrauerant, vt à reliquo Ordinis corpore ſeiuncti, ad Eremos ſe conferrent, in hiſque puriùs, atque auſteriùs Regulæ obſeruantiæ vacarent: quare haud mirum eſt, quòd ſemel arreptum ſolitudinis ſtudium, quod Deo proculdubio inſpirante conceperant, inſequentes, illud ſibi ab Apoſtolica Sede in Bulla confirmari poſtularent.

XIV. Denique id præſertim in ipſo Reformationis exordio, neceſſarium fuiſſe, res ipſa clamitat. Cùm enim ſtabili Dei conſilio iam decretum eſſet, vt nouæ Reformationis proles ab antiqua Ordinis familia, non tantum vita: ſed & habitu, ac Religionis corpore diſtingueretur: planè opus erat, vt diſtinctum quoque, quo ab ea diſcerneretur, ab Apoſtolica Sede nomen acciperet; quoúſque aliud è Cælo illi inditum eſſet: ne ſi in eandem prorſus appellationem vtraque conſpiraret: inter eas confuſio aliquando oriretur. Neque id nouum, aut inſolitum fuit; cùm hac ratione ipſa quoque poſterior, Obſeruantium familia à priori diſtincta fuerit: quòd illi Conuentuales, hi de Obſeruantia ſunt appellati. Quapropter haud mirum, quòd accedente Patrum noſtrorum poſtulatione, Pontifici rectè viſum fuerit, vt ad conſtituendam Ordinum differentiam: illi, Fratres Minores de Obſeruantia, hi Fratres Minores de Vita Eremitica nuncuparentur.

XXV. Illud præterea Tertiò haud leuiter perpendendum eſt. Ex proprio Pontificis motu in Bulla explicato emerſiſſe: quòd noua huius Reformationis ſoboles Barbam deferat. Neque enim primos illos Reformationis Patres id vnquam à Pontifice poſtulaſſe legimus. Quod ſanè mirum videri debet, ob id potiſſimùm, quòd eo tempore, ac longe antea totus Patrum Obſeruantium Ordo Barbam radere conſueuiſſet. At quanquam id Pontifex ſtatuere viſus fuerit, vt ampliori quadam differentia Reformationem ab Obſeruantium familia diſcerneret; nouæque huius Reformationis prolem ſub Minorum Con-

 uentualium

uentualium, qui barbati incedebant, obedientia militantem indicaret: id tamen haud abſque Dei conſilio factum eſſe, ratio ipſa ab Inſtitutoris conditione hauſta, facile perſuadet. Cùm enim B. P. Franciſcus Minorum Ordinis Inſtitutor Chriſti Domini, cuius diligentiſſimus imitator fuit, & Apoſtolorum exemplo Barba vſus fuerit; quem prima illa quoque Ordinis ætas ſequuta eſt: æquum ſanè erat, vt qui antiquam habitus formam, quam is ab exordio inſtituerat, in Orbem reuocare parabant, in Barba quoque deferenda B. Patriarcham imitarentur; vt perfectam illius effigiem aliquando inter homines præſeferrent.

*Capucini barbam deferẽtes, Chriſtum ac B.P. Franciſcum imitantur.*

XVI. Nemini verò dubium eſſe poteſt; quin Chriſtus Barbam detulerit: cùm eius rei tam aperta ſint apud Scriptores ſacros teſtimonia; vt nemo id iure in quæſtionem reuocare queat. Nam de Chriſto illud Iſaiæ legitur: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Quem locum ita illuſtrat Vatablus: *Volentibus ſcilicet vellere pilos genarum, & barbæ.* S. Brigitta quoque, S. Bonauentura, atque alij Patres, Barbæ Chriſti meminerunt; quam in eius paſſione auulſam, ac concreto ſanguine deturpatam, ſcribunt. At pilos Barbæ auelli poſſe, ſi Chriſtus Barbam non promiſiſſet, quis excogitare poteſt? Chriſti identidem vultus imago, quæ Veronicæ data: altera quoque quæ ad Abagarum miſſa, quas antiqua Patrum traditio, velut legitimas confirmat, Barbam referunt. Eadem quoque in Sanctiſſima Sindone, qua Chriſti corpus inuolutum, tumulo reconditum fuit, quæ in Taurinenſi Vrbe, maxima Reguli illius religione, ac populorum veneratione aſſeruatur; vera Chriſti Domini Corporis, ac vultus imago, cum Barba, non hominum arte: ſed diuina planè virtute effigiata cernitur. Denique id omnium hominum, linguarum Pictorum, ac totius Orbis vox, ac teſtimonium eloquitur. Quòd ſi id apud omnes ſacrum, ac certum haberi debet; hoc ipſum de Apoſtolis negari vaniſſimum arbitror; cùm id in Chriſto Domino, ac Magiſtro haberent, quod imitarentur.

Iſa. 50.

Vatablus in c. 50. Iſa.
S. Brigit. l. Reu. cap. 51.
Damaſc. de fid. ort. l. 4. c. 17.
Conc. Nicen. 2.

*Chriſtus Dominus barbã detulit, quẽadmodum & B. Franciſcus.*

XVII. De Beato Franciſco id nonnulli recentiores in quæſtionem fruſtra vocare, ac tenebris inuoluere tentarunt; quos tamen ipſum Euangelicæ vitæ exemplar, quod ſibi ille ſequendum præſcripſerat, non obſcurè redarguit; neque enim vir Euangelicus, qui tam perfectam Chriſti Domini imaginem conſecutus eſt, vt ipſa quoque illius vulnera in carne ſua referret: à Barba abſtinuiſſet: quam in Chriſto, velut in prototypo præceſſiſſe intelligeret. Eos quoque antiquiſſimæ illius Imagines, vel eo adhuc viuente, vel ſtatim pòſt ipſius obitum depictæ, erroris euincunt. Ipſe tandem Ioachim Abbas, qui integro ferè ſæculo (vt ferunt) Beatum Franciſcum præceſſit, ac de illo vaticinium illud edidit: *Veniet homo inſignitus characteribus Ieſu Chriſti*, cùm opere muſiuo illius effigiem, Sacris Stigmatibus ornatam, & Capucinorum habitu indutam, Venetiis delineandam curaſſet: Barba quoque oblonga, mediocri tamen decoratam, oſtendit. Quo fit, vt Pontifex nihil ab Ordinis Minorum Inſtitutore, ac inſtitutione alienum præſtiterit, cùm Barbam Euangelicis viris deferendam præſcripſit.

XVIII. Equidem non ignoro, illud à quarto, & quinto Concilio Carthaginenſi, anno 381. & 398. decretum emerſiſſe: vt Clerici, neque comam, neque barbam nutriant: cui haud obſcurè ſuffragatur Canon Concilij Lateranenſis ſub Leone X. quo id quoque Clericis interdicitur. Neque inficior, hunc antiquum fuiſſe Eccleſiæ Occidentalis morem, vt Barbam raderet: quo ab Orientali diſcrepare viſa eſt, quæ barbata incedebat: cuius diuerſitatis cauſa ea eſſe cenſetur: quòd in Oriente tam Græci, quàm Iudæi, ac cæteræ nationes barbatæ incederent: ij enim Barbam, quod ſit virorum inſigne, more Androgynorum vellere, aut cute tenus radere, turpe exiſtimabant. Quapropter ita de ea ſcribit Clemens Alexandrinus. *Deus voluit fœminam quidem eſſe glabram, ac leuem: ſola coma, ſicuti equum iuba, ſponte naturæ exultantem. Virum, cùm ſicut Leones barba ornaſſet, virilem etiam fecit, hirſuto pectore: quod quidem eſt roboris, & imperij indicium.* Et pluribus interiectis addit: *Si quis au-*

Cõcil. Carthag. IV. & V.
Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9.

*Quinã olim barbam raderent, aut promitterent*

Clem. Alex. Pædag. l. 3. c. 3.





*tem Barbæ nonnihil tondeat, ea tamen non eſt omnino denudanda: eſt enim turpe ſpectaculum, barbaque ad cutem vſque tonſus non videtur multum abeſſe à vulſione, & læuore.*

XIX. In Occidente verò, ac potiſſimùm Romæ, cùm Barbam radere (vt Auctor eſt Gellius) haberetur tanquam quoddam nobilitatis inſigne; ex quo à Dione Adrianus Imperator notatur, quòd præter Romanum morem primus omnium Barbatus inceſſerit: Chriſtiani quoque Romæ agentes, ſicut cæteri Barbam abraderent; haud mirum, quòd idem mos Clericis, ac Monachis quoque communis eſſet; ac tandem Occidentalibus in Canonem migraret. Porrò ſenſim ille vſus immutatus eſt, cùm Gothi diutiùs Romam, atque Italiam incolerent; atque adeò contrarius ferè vbique irrepſit; vt vix in paucis quibuſdam Eccleſiis, ac Religionibus ritus ille integer perſeuerauerit. Sed licèt alij Barbam tondeant, radant alij, rurſus alij Barbam promittant; cùm nulla id lex prohibeat, vnicuique citra vllam fidei, aut morum iacturam, in ſuo ſenſu abundare liberum eſt.

Gell. l. 3. c. 4.

Dion. in Adrian.

XX. Cæterùm, cùm vnius, eiuſdemque rei plures ſignificationes, & myſteria eſſe poſſint; ſicuti qui Barbam radunt, eo præſertim myſterio commendandi ſunt, quòd abiicere ſe ſuperflua, neceſſariiſque contentos eſſe profitentur: ac præterea cùm Barbam radere maximi olim mœroris, ac luctus Hieroglyphicum eſſet; id maximè Monachis conuenit, qui teſte Hieronymo, plangentis officium exercent. Ita, & qui Barbam promittunt, dummodò eam effæminatè non nutriant, aut diſcerniculo diſcriminent, quod ex Clementis ſententia, tanquam molle, ac delicatum damnatur, altero non aſpernando myſterio ſunt laudandi, cùm præter virilitatis indicium, quod aduerſus animi vitia, ac cupiditates, quibuſcum illis pugnandum eſt, præſeferunt: eò Apoſtolicam auſteritatem, atque aſperitatem, ab omni mollitie alienam; quæ Religioſos maximè decet, demonſtrent: (Intonſa namque, & inculta barba rigiditatem, & ſui, Mundique contemptum indicat) In ea ſe Chriſti imitatores oſtendunt, qui cum Barba, dum inter nos mortalis vixit, vſus fuerit: ea certè intonſa, & inculta vti, non niſi virtutis ſignum, Religionis teſtimonium, delitiarum contemptus argumentum, & cæleſtis, ac perfectæ conuerſationis exemplum eſſe poteſt: iis præſertim, qui antiqua ſui Patris, ac Fundatoris inſtitutione freti, ad perfectam, ac integram ipſius normam ſeipſos componere, atque illius apprimè veſtigiis inhærere optant.

*Variæ Barbæ ſignificationes explicantur.*

Hieron. cõt. Vigil. cap. 6.

Conſt. Apoſt. lib. 1. c. 4.

*Barbam deferre Apoſtolicæ auſteritatis teſtimonium.*

XXI. Præter hæc, alia quoque, quæ ex hac Bulla erumpunt, obſeruatione digna hîc attingenda ſupereſſent: præſertim quæ de Ludouici, & aliorum ex Ordine egreſſu: quem quidam Apoſtaſiæ crimini adſcribere non verentur, quos tamen Pontifex ab hac calumnia liberat. Quæ etiam de quadrati Caputij forma, & communis habitus mutatione tam facilè impetrata. Præterea, quæ de nouæ Reformationis ſeparatione, quæ illi ſtatim in ipſo ortu, à toto Ordinis corpore adiudicata fuit, quam prior Obſeruantium, Religio vix poſt multa temporum interualla, conſequi potuit. Quæ item de ampliſſimis priuilegiis, quibus ea à primis ſuæ natiuitatis incunabulis, præter morem ab Apoſtolica Sede copioſè illuſtrata fuit, in Bulla explicantur. Poſtremò quod maximè admirandum eſt, quòd tam arduæ res, tam facilè, & ferè dixerim, abſque conſilio à Pontifice, grauiſſimo alioqui Viro, maximiſque in rebus probatiſſimo, conficerentur. Id ſanè cæleſte hîc Dei conſilium adfuiſſe: quo, & Pontificis mens ad agenda inſtrueretur, & cuncta ex ſuperni Numinis ductu diſponerentur, non obſcurè indicat.

XXII. Verùm ne longiùs quàm par eſt, à rerum narratione digrediar: Ad Ludouicum redeo: qui optata tandem Bulla potitus, qua illi, & quadratum Caputium, & antiquũ Beati Patris Franciſci habitum deferre, & Reformationis familiam propagare, & loca ædificare, & Congregationem inſtituere, Apoſtolica auctoritate datum fuit: ex qua denique Capucinorum Religio, hoc anno 1528. & hac die, quæ

*Hoc anno Capucinorũ Religio exorta.*

decimatertia Iulij fuit, Deo benè aſpirante, ſua feliciſſima tulit auſpicia: gratiis Deo Auctori ex animo perſolutis, mox cum Raphaële Camerinum reuertitur: ibique lætiſſimè à Catharina Duciſſa excipitur: quæ cùm ardentiſſimo ad Reformationis incrementum, ac propagationem ſtudio ferretur, vt omnem aduerſariis viam præcluderet, qua vel Ludouicum, ac cæteros falſis criminationibus (vti ſolebant) oppetere, vel nouæ Reformationis fœtum machinis vllis aggredi poſſent: re cum Epiſcopo Camerinenſi, qui & is Reformationi fauebat, communicata, curat; vt quamprimùm publica preconis voce, ac buccinarum clangore, Bulla per omnes Vrbis partes peruulgetur. Eandem quoque Epiſcopus, in publicis Miſſarum ſolemniis, populis promulgari iubet. Porrò huius Bullæ fama in vulgus diſſeminata; vix explicari poteſt, quanta vniuerſos lætitia affecerit, qui pia Matthæi, Ludouici; atque aliorum Fratrum erga ipſos ſtudia, ac officia non ſemel experti fuerant: quapropter cuncti mox Ludouico gratulari, omnes nouæ Religioni fauſta acclamare, ac benè auſpicari cœperunt.

*Religionis Bulla Camerini Præconis voce publicatur.*

XXIII. At verò Deus Opt. Max. qui diuinæ prouidentiæ manu obſtetricante Reformationis fœtum eduxerat, atque in lucem protulerat: in ipſo ſuæ natiuitatis exordio, nomen quoque, quo appellaretur, atque ab aliis Ordinis Reformationibus dignoſceretur, non hominum ingenio elaboratum, aut ad placitum inuentum: ſed diuina quadam ratione, ac conſilio excogitatum, illi imponendum ſtatuit. Nam vix noua hæc Reformationis proles in publicum prodire, & per Vrbem incedere viſa eſt; mox pueri turmatim *Capucinos*, *Capucinos* non tam irridentes, quàm reuerentes acclamant. Quod cùm arti, aut induſtriæ, qua ſimplex, ac tenella illa ætas prorſus vacat, adſcribi minimè poſſet; à Deo proculdubio, qui linguas infantium docet, ac plerunque rerum diuinarum peritas efficit, profectum intelligitur. Id verò vel eò maximè perſpicuum fit; quòd ea appellatione in vulgus diuulgata, quaſi è Cælo dilapſa eſſet; non alio, quàm Capucinorum nomine ab eo tempore nouæ Reformationis proles vbiquè appellari cœpta. In hanc ſententiam conſpirat Auctor Hiſtoriæ Romualdinæ, qui rẽ paucis verbis attingit, ita ſcribens: *Pueris poſt eos acclamãtibus, Capucinos, ea acclamatione tale illis nomẽ remãſit, & ex ore infantium perfecta eſt laus.*

*Capucinorũ appellatio à pueris primũ exorſa.*

*Romuald. l. 3. c. 14.*

XXIV. Atque vt hanc nominis appellationem à Deo effluxiſſe, nullus vnquam in dubium reuocaret: hoc ipſum non longè poſt altero puerorum teſtimonio, cùm primùm in Calabria Capucinorum Reformatio cœpit emergere, confirmatum fuit. Nam ſimulàtque Ludouicus Rheginus, alijque Calabræ illius Reformationis Patres, nouo illo habitu induti, & quadrato Caputio obtecti apparuêre; eodem planè modo & Pueri turmatim *Capucinos* exclamarunt; quemadmodum ſuo loco fuſiùs explicabitur: vt inde perſpectum fieret, in ea nominis nuncupatione ineffabili quodam modo Deum perfectam huius Reformationis laudem collocaſſe; & ex ore Infantium, & Lactentium Capucinorum nomen eduxiſſe.

*Capucini apud Calabros à pueris acclamati.*

XXV. Quodnam verò Dei in huius Cognominis impoſitione conſilium fuerit, paucis indagare lubet. Atque in primis cùm illud certum ſit, tunc primùm veram B. Franciſci habitus formam, quæ à Caputio potiſſimùm pendet, reſtitutam fuiſſe, cùm noua hæc Reformatio emerſit. Hinc diuino conſilio factum eſſe creditur, vt ea nomen à Caputio auſpicaretur; quo renouati Caputij, atque antiqui B. P. Franciſci habitus reſtituti, laus eam perpetuò comitaretur: puerique Capucinos acclamantes, veram B. P. Franciſci habitus formam in Orbem rediiſſe, velut totius Orbis voce congratularentur.

XXVI. Præterea cùm in Minorum Religione inſtituenda, ac nuncupanda illa Dei mens, ac propoſitum fuerit; quemadmodum B. P. Franciſcus dicere ſæpè ſolitus erat; vt qui in eam adſcriberentur; potiſſima in profundiſſima ſuiipſorum abiectione, ac humilitate, fundamenta iacerent. Id enim Minorum nomen inſinuat: quaſi qui cunctis hominibus Minores, atque humiliores eſſe debeant. Illud ipſum quoque, in hac Ordinis Reformatione nouo hoc Cognomento declarare, ac confirmare vo-

*Capucini nomen Humilitatis inſigne.*





luit; quam idcirco Capucinorum cognominari ſtatuit: quæ diminutiua vox eſt, à Caputio hauſta: vt qui huic militiæ nomina dant, eo nomine admoneantur, ſe non modò Minorum humilitate frui debere; ſed maiori (ſi fieri poſſit) abiectione, ac humilitatis contentione diſcant cunctis ſubiecti eſſe. Neque enim Caputiati, quo nomine ij appellari ſolent, qui caputia gerunt: ſed Capucini nuncupantur: quæ cùm diminutiua dictio ſit, paruum Caputium inſinuat: quapropter qui in hanc Congregationem vocantur, ea appellatione addiſcere debent, ab iis non vulgarem, aut communem humilitatem tantummodò, quæ rudi illo Caputio ſignificatur, ſectandam: ſed præſtantiorem, ac profundiorem quendam humilitatis gradum, qui Capucino, aut Caputiolo indicatur, illis amplectendum eſſe, atque eos ipſis humilibus humiliores eſſe debere. Denique cùm Capucini vox ad habitum potiùs, quàm ad perſonã ſpectet (Capucini enim vox apud Italos vbi primum inuecta eſt, paruum Caputium indicat) Qui Capucinorũ nomen ſibi vendicant, meminerint, ſe profundiſſimam, quoad excogitari poteſt, humilitatem cum eo ſimul induere debere; atque humilitatis, & abiectionis ſignum, ac teſtimonium in capite geſtare. Quo fit, vt cùm Capucini ab hominibus nuncupantur: ſimul atque ad maximæ humilitatis officium ſe vocatos agnoſcant.

XXVII. His itaque de Capucini cognomento elucidatis, ad Matthæum venio, qui cùm per Camerinenſis Agri Oppida Dei Verbum diſſeminaret, de Ludouici reditu per literas certior factus, Camerinum ſtatim cum Paulo conuolat; vbi impetratam à Pontifice Bullam, qua tunc primùm in vnum Religionis corpus aſſurgere cœperant, ſibi mutuò gratulantes, Deo Opt. Max. quem rei totius Auctorem agnoſcunt, ſummas, quas poſſunt, ex animo gratias agunt. Mox verò Ludouicus Matthæo, ac Paulo Congregationi aſſociatis, cum his de domicilio ſibi eligendo conſilium init. Porrò re cum Catharina Duciſſa communicata, cùm ea de Conuentu illis proprio ære extruendo iam apud ſe cogitaſſet, illos ab ea deliberatione penitus alienos offendit: ij enim perexigua aliqua tantùm domo contenti, in qua neceſſaria duntaxat habitatione fruerentur; nec dum Monaſterium extruere ſibi in animum induxerant: donec illos Dominus pro ſua voluntate vberiùs multiplicaret. Id verò illis idcirco propoſitum fuit: vt inter ipſa Reformationis initia minus rerum humanarum curis ob ædificationem implicati, magis diuinis rebus vacarent: tum etiam altiſſimæ rerum paupertati maiori ſtudio incumberent, quam domorum ædificatione violari maximè metuebant.

*Matthæus & Paulus Congregationi aſſociãtur.*

XXVIII. Erat propè Camerini vrbem, extra Annunciationis Portam, Sacra quædam Aedicula B. Chriſtophoro Martyri dicata, quæ mille quingentorum circiter paſſuum ſpatio ab Vrbe diſtabat: cui cùm tenuis domuncula coniuncta eſſet, quam Sacerdos, qui in ea Aede ſacra faciebat, habitare conſueuerat: in ea Ludouicus, ac cæteri, re cum Sacerdote compoſita, primum ſibi domicilium parant. Verùm cùm tam anguſtum eſſet illius domus ſpatium, vt communi ipſorum, ac Sacerdotis habitationi non ſufficeret; totque incommodis premerentur, vt neceſſarijs quoque rebus carerent, ſine quibus neque hominum vita honeſtè tranſigi, neque interioris hominis cultus rectè exerceri poteſt: poſt aliquod temporis curriculum, percrebreſcente præſertim eorum numero, qui tum ex Obſeruantium Ordine, tum etiam ex ſæculo ad nouæ Reformationis ſinum confugiebant; inde in quoddam Hieronymianorum Cœnobium D. Hieronymo conſecratum, quod Camerino trium milliarium ſpatio aberat, tranſmigrare cogitant. Erat illud Cœnobium, quod vulgò Colmenzonum appellabatur, iuxta S. Marcelli Oppidulum; olim quidem florentiſſimum, tunc verò temporum vetuſtate proſtratum, ac penè dirutum; quod cùm vix duo illius Ordinis Monachi, ad prædiatoria vectigalia exigẽda, incolerent. Illud Catharina Duciſſa à Monachis impetratum, qua parte collapſum fuerat, cùm nonnihil inſtaurandum curaſſet, quò commodè Fratrum habitationi, in aliquod tempus ſaltem, deſeruire poſſet; in id puſilla noua Reformatio-

*Primum Capucinorum Domicilium in Æde S. Chriſtophori*

*Inde Colmẽzonum migrant.*

nis familia, velut in hoſpitium ſe recipit, primumque ibi in alieno domicilio, pauperum more locum eligit.

XXIX. Iam verò ex hoc loco nouæ Reformationis fama vbique diſſeminata, plerique ex Obſeruantium familia, qui ad perfectam Regulæ obſeruantiam anhelabant, hoc tempore ad Reformationem conuolant. Inter hos quinque eximiæ virtutis Fratres fuêre; qui nouæ Reformationis ortum ignorantes, hoc anno ab Apoſtolica Sede Diploma impetrauerant (cuius in calce huius Voluminis forma proprijs verbis exarabitur) quo ſibi extra Ordinem Regulam obſeruare licebat. Hi cùm de Bulla Ludouico, & fratri à Pontifice conceſſa; inſtitutaque Reformatione accepiſſent, hac fama commoti, ad Ludouicum, vt Reformationi aſſocientur, accedunt: à quo benignè recepti inter primos annumerantur, qui virtute, & vitæ ſanctimonia Religionis Capucinorum primordia illuſtrarunt. Horum nomina ſunt, F. Matthæus Leopolitanus, F. Petrus Appinianenſis, F. Antonius à Penna Billiorum, F. Paulus à Colleamato, & F. Bernardus Offidanus laïcus. Poſt eos alij quoque tres ad Capucinos migrant: nimirum F. Ludouicus Vrbinas, F. Franciſcus Maceratenſis, & F. Iacobus Eugubienſis. Inter eos autem, qui relictis rerum ſæcularium exuuiis, hoc tempore ad Religionis gremium aufugerunt: primi fuêre Bernardus à Foroſempronio, & Ioſephus à Colleamato, Oppido Fabriani: quorum prior cùm Hieronymus antea, nomine in ſacro Baptiſmate ſortito; vocaretur: ea ratione Bernardus à Ludouico appellatus fuit, quòd is primus ex ſæcularibus viris Capucinorum Ordini nomina dederit: quamobrem Beati Patris Franciſci inſtar, qui Ordinis Minorum Primogenitum Bernardum à Quintaualle habuit, eodem quoque Ludouicus Bernardi nomine hunc appellandum voluit. Alter verò, qui Petrus Matthæus antea ſæculari nomine vocabatur: cùm decimum octauum annum attigiſſet, à Deo, quem ab infantia timere, ac colere didicerat, in benedictionibus dulcedinis præuentus: Mundo, ac mundanis omnibus valedicturus, ad Ludouicum acceſſit: qui cùm feruidum ipſius animum agnouiſſet, eidem ſignificat. Si Ordinem ingredi vellet, vniuerſa; ne induſio quidem ſibi relicto; illi deſerenda eſſe. His auditis Adoleſcens protinus domum redit, diuinoque ſpiritu accenſus, quaſi verbotenus Ludouico parendum eſſet, exutis veſtibus, detractis calceis, ipſoque induſio abiecto: cùm vix linteolum ſibi ad verenda obtegenda reliquiſſet: nudus coram Patre ac Matre apparens, ab iis genuflexus benedictionem petit; qua, non abſque profuſiſſimis lachrymis à Parentibus impetrata, eodem modo ſe coram Ludouico ſiſtens, qui eo tempore cum Paulo Clodienſi per Colleamati Oppidum iter faciebat, ab eo Religionis habitu donatur. Horum omnium vita pluribus virtutibus illuſtris, anno, quo ex hac luce migrarunt, fusè poſthac exaranda erit.

*Quinque Fratres de Obſeruantia ad Capucinos migrant, & alij complures.*

XXX. His præterea, & alij quatuor hoc anno ex Obſeruantium familia acceſſêre: nimirum Frater Auguſtinus à Tipherno Metaurenſi, Frater Archangelus à Matelica, vnà cum vterino Fratre, & Frater Silueſter Tignienſis, qui cùm ad decimum octauum vſque numerum excreuiſſent; Ludouicus alterum quoque Monaſteriolum Monte-Meloni, quod eſt Agri Camerinenſis Oppidum, ipſa præſertim Catharina Duciſſa poſtulante, extruendum curat: quæ cùm ibi quamplurima prædia, remque domeſticam multam poſſideret, eò ſtatis anni temporibus concedebat.

*Monte-Melono alter Conuentus extruitur.*

XXXI. Tantus porrò in domorum, ac ſacrarum Ædium ædificatione Ludouico, ac cæteris illius æui Patribus paupertatis zelus, ac ſtudium inerat: vt in ipſa Eccleſiarum ſtructura, non modò Camerata teſtitudine; verùm & ab omni trabium politiori dolatura cauerent; vixque cæmento ad earum ædificationem adhibito, eoque ſacræ Ædis parietibus ruſticè duntaxat delinitis, ab omni tectorio opere abſtinerent. Atque vt ſibi omnia reſponderent, ea Eccleſiarum erat anguſtia, vt vix quinquaginta, vel circiter, Viris ſpatium

relinqueret





relinquerent; ita vt ipſa quoque Dei Ædes altiſſimæ paupertatis excellentiam commendaret.

XXXII. Cæterùm in reliqua domus ſtructura, id illis ſemper, velut ſacrum, ac legitimum fuit; vt luto pro cæmento vt plurimùm vterentur. Cellulas in eam breuitatem, & anguſtiam contraherent: vt præter lectulum ſolis tabulis ſtratum nihil caperent: ita vt brachia in alterutram partem extenſa vniuerſos Cellulæ parietes, qui vimine texti, vel nudi, vel luto contecti apparebant, manu contingerent. Cellularum fores adeò breues, & arctæ erant; vt neminem, niſi curuo corpore, ac profundè inclinato intùs reciperent. Omnia denique tam vilia, tam rudia, tamque ignobili opere fabrefacta cernebantur; vt nemo in ijs quicquam, præter ſummam rerum pauperiem ad viuum effigiatam, conſpiceret. At neque huic multò abſimilis eſt, Eccleſiarum, ac Domorum ædificatio, quæ poſt integram annorum centuriam, etiamnum in tota Capucinorum Religione, vſu, ac Conſtitutione recepta eſt: tametſi ob Fratrum multitudinem, quæ, Religione longè, lateque dilatata, cœpit excreſcere, ampliores domos ædificari neceſſe fuerit: in quibus tamen & altiſſimæ Paupertatis Regulæ, & arcta rerum omnium menſura in ædificatione præſcripta inuiolata lege obſeruantur; quemadmodum ex generalibus Conſtitutionibus perſpicuum eſt; quæ vbique in toto Ordine integrè cuſtodiuntur.

*Ædificiorum paupertas explicatur.*

XXXIII. In his igitur nouæ Reformationis primordijs, ſolido paupertatis, auſteritatis, aſſiduæ orationis, ac cæterarum virtutum fundamento confirmandis, dum Ludouicus, Matthæus, ac cæteri egregiam operam nauant: immanis lues, quæ velut bellorum fœtus, ea, vt plurimùm ſequi ſolet, priùs Romanam Vrbem inuaſit, dein breuiſſimo tempore per totam Italiam ſerpens, hoc tempore Camerinenſem quoque Agrum occupauit; vbi tam dirè in homines graſſari cœpit, vt facilè omnibus exploratum eſſet, illud horrendum eſſe diuinæ vindictæ genus; quo Deus infenſus immania hominum flagitia, quæ Italiam penè vniuerſam corruperant, perſequi decreuerat. Nam peſtifero, ac lethali hoc morbo Vrbem ipſam Camerinum inuadente, tanta mox illius vaſtitas ſubſecuta eſt; vt cùm lues innumeros quotidiè vtriuſque ſexus homines depaſceretur, omniaque funeribus plena eſſent: luctus, mœrores, eiulatus, quærulæque languentium voces vndique perſonarent: demùm minus eſſet quod olim Vates de Troia occinuit,

*Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.*

quàm quod in Vrbe infauſta cernebatur. Nam quemadmodum de Ægyptiorum Primogenitorum plaga ſcriptum eſt, ita & hic nulla domus erat; quæ vel morientem non lugeret, vel ſuum mortuum non efferret. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, ſuos deſerere, conſpexiſſes. Non neceſſitudo, non affinitas, non cognatio, non conſanguinitatis vinculum, non propinquitatis iura ſeruabantur: quin & ipſa Chriſtianæ pietatis officia, quæ diuino ipſo naturæ iure, vel ægrotantibus, vel morientibus debentur; nulli ob morbi ſæuitiam perſoluebantur. Res planè, & ad terrendum omni metu formidoloſior, & ad mouendum quauis calamitate acerbior: immò & ad cogitandum omnium opinione maior videbatur.

*Dira lues Camerinum inuadit.*

XXXIV Matthæus igitur, & ex fratribus duodecim, virtute præſtantiſſimi, cùm tam immani clade Vrbem affici conſpicerent, ardentiori charitatis æſtu impulſi, Ludouicum, quem velut Superiorem venerabantur, adeunt; extremámque amantiſſimæ Vrbis calamitatem, illi animo obiicientes, ab eo ſupplices petunt, vt illis in Vrbem ſe conferre, peſte laborantibus inſeruire, aliaque pia charitatis officia, miſeris in extremo vitæ periculo conſtitutis perſoluere liceat. Eo enim futurum affirmabant, vt Deus ampliori benedictione Religionis incunabula proſequeretur. Neue puſillum familiæ gregem huic periculo exponere formidaret, quo plures pro Deo mortem contemnerent: eò ampliùs à Deo multiplicandos

*Matthæi de Baſſio, & duodecim Fratrum erga peſte laborantes, charitas.*

eſſe

eſſe pollicebantur. Ludouicus verò, cui & id paulò antè in mentem venerat, grauíque illa Vrbis calamitate animo excruciabatur, cùm Matthæi, ac aliorum propenſum in illud charitatis officium ſtudium agnouiſſet, animum laudat: opus commendat: nec tantùm piæ eorum poſtulationi annuit; verùm & graui illos ſermone ad pium, ac religioſum opus cohortans, nonnullis eos monitis inſtruit: quæ vt efficaciùs eorum mentibus imprimat, his illos verbis affatur. Chariſſimi, & in Chriſto amantiſſimi Fratres: nihil eſt, quod Chriſtianæ Religionis excellentiam magis apud omnes commendet, quàm pro Fratribus animas ponere, iiſque in extremo tum vitæ, tum animæ diſcrimine adeſſe; qui omni ope deſtituti, iure à nobis ſubſidium expoſcunt. Eo namque Dei, & Chriſti imitatores efficimur, qui pro omnibus animam ſuam poſuit, ſemetipſúmque pro nobis immaculatum Deo Sacrificium obtulit. Demùm Saluatoris vox eſt, nos ad hoc ipſum excitantis: *In hoc cognoſcent omnes, quòd Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Quòd ſi id Chriſtianos vniuerſos decet, qui Chriſto nomina dedêre: nobis tamen maximè incumbit, qui præter Chriſtianum nomen, Euangelicæ quoque perfectionis normam, qua perfecta Chriſti Domini imitatio comprehenditur, nobis ſequendam præſtituimus. En opportuna hodie emergit occaſio, obuiis profectò vlnis arripienda; qua vobis diuino munere in victimas, & holocauſta, Deo in odorem ſuauitatis datur offerri. Quid hoc animarum veſtrarum ſacrificio Deo gratiùs? Quid iucundiùs offerri poteſt? Qui enim vltrò pro aliorum ſalute, & Chriſti charitate mortem contemnunt, nihil ab iis abeſſe putantur, qui pro Fide vitam profundunt. Quare maxima voluptate afficior, quòd animos ad paratas martyrij coronas erigitis. Nulla enim melior vitæ vſura, quàm quæ tẽporali pro Chriſti nomine Vita profuſa, æternam, & nunquàm perituram recipit. En ſecuris arbori admota eſt; falx meſſem ſollicitat. Pallida mors æquo pede pulſat pauperum tabernas, Regúmque turres. Quid nobis de vitæ huius mortalis diuturnitate polliceri valemus? cùm & alios quotidie videamus ſæuo hoc contagio abreptos? Nos ſi his charitatis officiis intentos mors offenderit, planè ad coronas euehet: ſin autem ſuperſtites euaſerimus, hæc nos pro Dei amore præſtitiſſe, aliquando meminiſſe iuuabit: cæteriſque fortè non aſpernandum virtutis exemplum imitandum relinquemus; quo, & ipſi animas ſuas pro Deo contemnere diſcant. Chriſti tantummodò pro nobis in carne paſſi cogitatione armamini: vt non fatigemini, quaſi qui viribus in labore deficiunt. Eſtote perfecti, ſicut & Pater noſter S. Franciſcus perfectus fuit, qui leproſis, ac contagioſo morbo laborantibus inſeruiendum docebat.

*Ludouicus Fratres ad pium Ægrotantium Miniſterium animat.*

XXXV. Verùm vt vobis, & morbo laborantibus labor veſter vtilis eſſe poſſit, quædam vobis, velut in hoc opere præcepta obſeruanda erunt, quæ mihi ante annos quinque; nimirum anno 1523. cùm hæc ipſa lues Camerini agros inuaſiſſet, contagio illo infectis inſeruienti plurimùm profuêre. Primum eſt, vt Deo prorſus innixi, omnem vitæ veſtræ cogitatum in eum proiiciatis, cui cura eſt de vobis: nihilque præter Dei honorem, & ſpiritualem, corporalémque (ſi fieri poteſt) laborantium ſalutem animo verſetis.

*Quædam Ludouici Monita à Miniſtrantibus obſeruanda.*

*Plena in Deũ fiducia.*

XXXVI. Secundum eſt: Ne ob corporalia pietatis obſequia, quæ laborantibus præſtituri eſtis; in vobis ſpirituales animi exercitationes langueant: quin potiùs ſatagite, vt ſedula Dei ipſius præſentia, atque attenta in eum cogitatione, qui laborum veſtrorum ſcopus eſſe debet, magis in dies accendantur, ac ferueant.

*Mentis recollectio.*

XXXVII. Tertium: Cùm diem in laborantium obſequia inſumpſeritis, noctis partem orationi, ac diuinis laudibus tribui æquum erit: ne ſpiritus, ac charitatis ardor multiplici ſollicitudine, ac hominum frequentia tepeſcat: ſed feruentiores, ac robuſtiores ex oratione ſurgentes arduum, ac periculoſum opus proſequamini. Poſt diuinas horas ante lucem perſolutas, Sacrum in ipſo diei crepuſculo deuotiſſimè facite: ægrotoſque veſtros diuinæ pietati commendare haud negligite; ſic fiet, vt operi veſtro vberior è Cœlo gratia addatur.

*Orationis ſtudium.*

Quartu m:



XXXVIII Quartum: Quiſque ſuum ſibi ſemper, quoad fieri poteſt, ſocium adiunctum habeat, neque ab eo, niſi fortè per aliquod parui temporis ſpatium ſeparetur; vt Chriſti bonus odor ſit in omni loco, minúſque Sathan inueniat, quo tentet: ſa pleraque etiam accidere poſſunt, quæ ſocij opem, ac præſentiam efflagitent. Sapientis vox eſt. *Frater qui adiuuatur à Fratre, quaſi Ciuitas firma.*

*Socij præſentia.*

Prouerb. 18.

XXXIX. Poſtremum eſt: Vt nemo veſtrûm pecunias, veſtes, aut alia laborantium bona, velut ſibi concredita, ac depoſitata accipiat, vel eorum curam aut adminiſtrationem ſucipiat: vt omne tum infectionis, tum ſcandali periculum effugiat: turpiſque auaritiæ ſuſpicionẽ, quæ inde aliis facilè ſuboriri poteſt, à ſeipſo propulſet: Cunctis denique manifeſtum ſit. Vos, non laborantium bona; ſed eorum animas, ac ſalutem tantùm expetere. Cæterùm Fratres, quæcunq; bona, quæcunque ſancta, quæcunque pudica, quæcunque bonæ famæ ſunt, hæc vobis commendo. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum. Si Deus pro nobis animam poſuit, & nos debemus pro Fratribus animas ponere. Ne vllo periculo terreamini; Deus enim vobiſcum aderit, vel incolumitatem ſeruans, vel labores coronans. Hæc tam ardenti animo, & concepto ſpiritus feruore à Ludouico dicta ſunt; vt cuncti in lachrymas, ac fletus ſe ſe effunderent, mortemque nihili pendentes ſe ad hoc Martyrij genus pro Chriſto ſubeundum, ardentiſſimos conteſtarentur.

*Temporalium rerum adminiſtrationis fuga.*

1. Ioan. 3.

LX. Hi itaque duodecim Ludouici benedictione confirmati, Matthæo Duce, in Vrbem ſe conferunt, & Catharinam Duciſſam adeuntes, ſe ad omnia laborantibus obſequia præſtanda paratiſſimos exhibent. Eo Fratrum aſpectu, ac verbis Catharinæ ſpiritus, qui graui illa populi calamitate penè conſternatus iacebat, tunc primùm reuiuiſcere, ac reſpirare viſus eſt: verumtamen non parua ipſius animum triſtitia angit, metuſque haud leuiter ſollicitat; ne puſillam hanc Fratrum familiam, quam in eo munere obeundo certo mortis periculo exponendam haud ignorabat, vix exortam mortale contagium extinguat. Quare haud facilè his aſſentiri poterat; ne nouæ, ac tenellæ Reformationis exordia ad exitium raperet. At Matthæi, atque aliorum ſermonibus confirmata, cùm cæteros ad varia Camerinenſis Agri loca abire permiſiſſet: Matthæum duntaxat cum Paulo ſecum in Vrbe retinuit.

*Matthæus, ac reliqui Catharinam Duciſſam adeunt, ac laborantibus inſeruiunt.*

XLI. Pergit itaque denum Fratrum claſſis aduersùs Mortiferam Luem, non Theriaco, aut Mitridatico Antidoto, non Viperea compoſitione, non odoratis Paſtillis, non denique vllo Alexipharmaco: ſed ſola Chriſti charitate pugnaturi: Vixque ad ſua quique loca diſpertiti in Oppidis apparent, cùm populi mox velut è tumulo reſpirare; voces ægras extollere, Angelos, ac liberatores appellare, ac certæ ſalutis ſpem animo concipere videntur. His noſtri vocibus commoti tam incredibili charitatis, ac fraternæ dilectionis ardore inflammantur; vt nullum vitæ periculum metuentes per domos excurrant; morboque oppreſſos, nulla ſui cura, aut cautione adhibita, ſedulò inuiſant; quos paupertatis anguſtia potiùs, quàm morbo languentes cernunt, aliorum abundantia, ac pietate ſubleuandos curent; laborantibus omni ſtudio inſeruiant, morientibus ſacramenta adminiſtrent, ac piis cohortationibus proſequantur. Poſthæc etiam mortuorum corpora manibus excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadauera, decenter ornare, illis adhæreſcere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere non tam horrent, quàm hæc illis officia perſoluere geſtiunt: ita vt mortem potiùs irridere, ac contemnere, quàm metuere; & ad ſe allicere magis, quàm refugere viderentur.

XLII. Quot è laborantibus cernere erat, qui cùm mortem priùs, velut horribilem formidarent, eorum piis hortationibus confirmati, eam poſtmodùm læti expectabant; ac velut amicam amplectebantur? Quot itidem, qui cùm graui peccatorum ſarcina præmerentur: ſtudium omne ad corporis curam, nullam verò ad animæ ſalutem conferebant, illorum ita ſermone immutabantur: vt neglecta corporis cura,

*Charitatis officia laborantibus impenſa.*

nulli

nulli rei deinceps, præterquàm animæ incolumitati incũberẽt? Innumeros prætereo, qui pecuniarum, atque auri ſcriniola illis concredenda; plurimos, qui ad placitum egenis diſpenſanda; alios, qui in Conuentus extructionem expendenda offerrent; quæ illi ſapienter, obiecto Regulæ præſcripto, recuſabant. Quot, tunc malè parta reſtituere? quot, debita diu dilata reddere? quot, piè teſtamentis relicta exoluere? quot tandem ex Orci faucibus emergere viſi ſunt, quos aut vita ſuperſtes meliores reddidit, aut mors opportuna ad meliora ſuſtulit? Quo fit, vt ſæua illa lues, quæ multorum corpora ad poſtrema ſepulchri funera rapiebat; multorum quoque animas ad ſuperos feliciùs tranſmitteret.

His itaque Chriſtianæ charitatis officiis, Fratres tandiu incredibili pietate vacarunt; quoad ceſſante Dei ira, peſtiferum illud contagium, quod trium vel quatuor menſium ſpatio, in Vrbe, & agro Camerinenſi ſæuierat, Deo imperante euaneſceret. Porrò cùm tam grauis, ac periculoſus ille morbus eſſet; vt vel ipſo anhelitu, nedum rerum, ac corporum attrectatione contraheretur: totque quotidie dira illa peſtis homines abſumeret, vt vix alij ſupereſſent, qui cadauera longiùs aſportarent. Sed ruerent ſuper mortuos viui; & ſupra ſepultum ſepultor ipſe procumberet: præſertim cùm nulla Fratres toto eo tempore ad luem propellendam præcautione, aut remedio vterentur; ſed diu noctuque ægrotantibus adſtantes, abſque vlla propriæ incolumitatis ſollicitudine; quæ neceſſaria erant, impigrè adminiſtrarent. An non diuinæ tantùm virtuti tribuendum eſt: quòd horum quemquam, nec peſtifer morbus, nec capitis quidem dolor inuaſerit? XLIII.

*Fratres omnes à lue diuina virtute ſeruantur.*

Cùm enim de Peſte, quæ olim Alexandriæ graſſata eſt, ſcribat Dionyſius Alexandrinus, referente Euſebio Cæſarienſi: quamplurimos ex his, qui ægrotantibus obſequia præſtabant, peſte ſublatos fuiſſe, his verbis: ***Multi item, dum alijs ægrotantibus curam adhibent, illiſque vires reſtituunt: ipſi aliorum mortem in ſe deriuantes, vitam amittunt.*** Et de grauiſſima illa totius orbis peſtilentia, quæ anno ſalutis 1400. in quem incidit Iubilæus, inter alias Hetruriæ Vrbes, Senas occupauit, referat Surius: igne illo peſtifero multos, qui in domo Hoſpitali Beatiſſimæ Virginis laborantibus inſeruiebant, abſumptos fuiſſe; inter quos cùm S. Bernardinus, adhuc adoleſcens ſæcularis, ſua ibi munera præſtaret, velut admiratione dignum recenſet: quòd æquam cum aliis funerum ſortem non ſubierit. Quid de noſtris ſentiendum erit, qui tam fera depaſcente lue, vt ipſos quoque qui antidotis ac præcautionibus vtebantur, è mundo tolleret, ne illos quidem attingeret? Quàm quòd, dum pium illud opus omni charitate, ac integro ſui ipſorum neglectu peragunt, Deum ſibi cuſtodem, ac præſeruatorem promerentur. XLIV.

Diony. Alex. Epiſ. ad Hieracem Epiſc.

Euſeb. Cæſar. l. 7. hiſt. Ecc.

Surius de vit. Sanct. de menſ. Maij.

Quanquam verò hi, diuina potiùs, quàm humana virtute ſeruati, à peſtilentia immunes euaſerint, haud tamen ea illis corona erepta fuit, quæ huiuſmodi charitatis martyrio debetur; de quo S. Dionyſius Alexandrinus: *Adeò* (inquit) *vt iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à Martyrij ſplendore abeſſe videretur.* His enim non animus martyrio, ſed martyrium animo defuit. XLV.

*Corona ægrotis miniſtrantium Martyrio ſimilis.*

Apud Euſeb. Cæſ. vbi ſup.

Fugata itaque omni ex parte peſtilentia; Fratres, Deo gratias agentes, ad Ludouicum Colmenzonum reuertuntur: quorum reditum ſimulatque Catharina Duciſſa intellexit; mox Colmenzonum aduolat: tum ſingulos videre, cunctos alloqui, ac cuiuſque manus deoſculari feſtinat. Quos vt incolumes, ac mortis victores conſpexit, lachrymas præ gaudio continere non valens, mira ob eorum aſpectum voluptate afficitur: & vt pietate plena erat, oculis in Cœlum ſublatis, Deo ita gratias agere cœpit. Benedictus es Domine, qui facis mirabilia magna ſolus, & ſeruos tuos ad opus tuum exeuntes, ſtantes, miniſtrantes, pro te laborantes, diuina tua virtute ſeruaſti: ſeruatoſque, atque incolumes huc tandem reduxiſti: vt lætentur coram te corde perfecto, & enarrent mirabilia tua. Tum ad illos conuerſa. Benedicti (inquit) Vos à Domino Fratres mei, Conſecraſtis manus veſtras Deo: Obtuliſtis pro XLVI.

*Catharina Duciſſa Fratres inuiſit, ac fauſta Reformationi auguratur.*



pro Fratribus animas veſtras, oſtiam viuentem, Sanctam, ac Deo placentem, vt gratiſſimum Deo eſſet miniſterium veſtrum. Quid vltra pertimeſcitis, ne vos hominum, aut Dæmonum perſecutiones diſpergant? Soluite metu animum: iam nunc in vobis ingentis ædificij, quod totum Orbem compleat; fundamenta adeò firma, ac immota à Deo iacta ſunt, vt nullo Inferorum conatu, nulla hominum vi, nullo denique perſecutionum genere, vllo vnquam tempore euelli queãt. Creſcere iam vos faciet Deus, ſeménque veſtrum multiplicabit; dabitque vt hæreditate poſſideatis benedictiones B. P. veſtri Franciſci; & creſcatis in eo, & fructum faciatis. Hæc pia Duciſſa ſacrarũ literarum non ignara tam admirabili pietate, ac ſpiritus ardore protulit: vt iam non ipſa, ſed Dei Spiritus per ipſam eloqui, ac Fratres in futurorum ſpem erigere videretur.

XLVII. Poſthæc Catharina, vt Populi ſui ſaluti opportunè conſuleret, Ludouicum rogat; vt diſpertitis per Camerini Oppida Concionatoribus, in eam meſſem, quæ ex cõcepto Peſtis terrore iam albeſcebat, ac fructui matura erat, ſuos Operarios mittat. Interea literas ad Pontificem, atque alios S. R. E. Cardinales ſcribit, quibus pios Fratrum labores in communi illa vrbis, & Camerinenſis ditionis calamitate exantlatos, tam miris laudibus commendat: vt & Pontifex ſummam inde voluptatem caperet, & tota Romana Vrbs eorum preconia extolleret: quòd illis ſanè haud mediocriter contulit; ne ab ingruente perſecutionum tempeſtate, quæ paulò poſt in eos deſæuit, penitus obruerentur. Ludouicus verò vbi illos per aliquot dies ex perfuncto labore recreauit; benedictione firmatos, varia in Camerinenſis ditionis loca ad Dei Verbum diſſeminandum deſtinat. Hi cùm Populos præterita clade exterritos, ad diuini Verbi obedientiam promptiores, ac dociliores offenderent, ligneam Crucifixi Imaginem in manibus geſtantes, qua Populos ad lachrymas, ac fletus ingentes cõmouebant, mirabiles in iis pœnitentiæ fructus pepererunt. Atque hi primi (vt ferunt) fuêre, qui Crucifixi Imaginem (quod priùs inſolitum erat) in ſuggeſtu collocarunt: quem morem ab eo tempore Eccleſia, velut legitimum approbauit.

*Catharina Cõcionatores à Ludouico impetrat Capucinoſq; apud Pontificem commendat.*

XLVIII. Porrò hoc anno Ioannes Maria Varanus Camertium Dux, & Catharinæ Ciboæ Coniunx, Vir cùm maximis Principibus, omniũ virtutũ, ac præſertim pietatis, ac Religionis gloria cõparandus; magno omnium mœrore Peſtilentia ſublatus, è viuis excedit: vnica tãtùm filia Iulia hærede relicta, quæ deinde anno 1533. Guidobaldo Vrbinatum Duci matrimonio copulata, Camerinenſem Ducatũ ſecum ad Vrbinenſem tranſtulit: quamquam haud diu eo potita fuerit: Nam Clemente VII. è medio ſublato, cùm Paulus Tertius, qui Clementi ſucceſſit, tanquam iure feudi ad Apoſtolicam Sedem deuolutum repeterẽt, Guidobaldus eidem cedere compellitur.

*Ioannes Maria Varanus Camertium Dux, peſtilentia obit.*

XLIX. Duci igitur Varano ægrotanti cùm Matthæus omnibus ſedulò officiis adfuiſſet, illumq; ad funus vſque proſecutus fuiſſet; id non parum Catharinæ animũ, ob Viri mortẽ afflictiſſimum, ſubleuauit: quæ cùm primùm iuſtis eidem perſolutis, ſe à lege viri ſolutam ſenſit; totam ſe pietatis officiis dedere; ſuumque omne deinceps, in reformatione tuenda, ſtudium, ac ſollicitudinem conferre cœpit.

L. Huius cùm tam ardens erga noſtros ſemper amor fuerit: Vt ab ea Capucinorum Religio à primis incunabulis, velut à Matre lac ſuxerit: ac protectionis illius ſinu excepta, nõ ſemel à maximis calamitatibus reſpirauerit: planè haud æquum eſt, vt quæ illius ſtirps, ac origo: quæve illius virtutes fuerint, ignoretur. Patria igitur huius illuſtriſſimæ Mulieris Genua fuit, Vrbs Liguriæ Metropolis, propter liberæ Reipublicæ ſolium, inſignem Portus ſtationẽ, opum affluentiã, rerum omniũ copiam, & vbertatem: ædificiorum magnitudinem, ac ſuperbiã toto Orbe celeberrima. Hæc Mõtiũ innixa radicibus, quorum à tergo contra Septentrionum afflatũ vallo munitur, fronte meridiem ſpectat: Cæli temperie, ac aëris ſalubritate plurimũ præſtat. Inter nobiliſſimas huius Vrbis familias, illuſtris habetur Ciboa, ex qua Catharina, Patre Frãciſco Ciboo, Anguillaræ, & Terẽtilli Comite, & Matre Magdalena Medicea Leonis X. Pont. Max. germana Sorore progenita fuit. Ciboæ ſtirpis originem antiquiſſimam eſſe,

*Catharinæ Ciboæ Camertium Duciſſæ ſtirps, & familia commendatur.*

eſſe,atq; à Græcia iã ante quingentos annos effluxiſſe:cũm Petána Ciuitas, quæ Cõſtantinopoli ex oppoſito iacet, ſub Genuenſium ditione eſſet, velut certum fertur. Quod eo teſtimonio facilè probatur, quòd cùm ij apud Græcos opibus,ac terrarum ditione excellerent; qui ex Ciboa familia progeniti erant, in ea Vrbe,quo tempore res Genuenſium florebant, iis omnibus Nobilitatis honoribus,& gradibus fruebantur, quibus Nobiliſſimi quique potiri ſolent.

L. Cæterùm,qua tempeſtate, aut qua ratione è Græcia in Italiam venerint,haud ſatis eſt perſpicuum. Illud quidem certum eſt: quòd cùm duo tantùm ex ea familia Fratres ſupereſſent; Minor Neapolim acceſſit; vbi & ſedem fixit, ex eoque Tomacellorum progenies,quæ inter illuſtriores quinque Sedilium familias, in Capuana Curia adnumeratur, originem duxit: ex qua Bonifacius Nonus Pontifex,& plerique alij inſignes Viri prodiêre. Alter verò natu maior Genuam profectus,illuſtriſſimos Heroas,tum Patriæ,tum Eccleſiæ dedit. Inter quos clariſſimus enituit Innocentius Octauus Pontifex Max. qui Aarone Ciboo Equeſtris Ordinis Viro primario,rerúmque geſtarum gloria clariſſimo,Patre ortus: primùm Renato Duci Andegauenſi,deinde Aphonſo Neapolis Regi, qui Neapolitanis illum Proregem conſtituit: denique Caliſto 3. Pont.Max. operã dedit,à quo Senator Vrbis creatur: quo munere præclarè geſto, à Paulo 2. ad Sauonenſem Epiſcopatum promotus: tum verò à Sixto 4. ad Melfitenſem tranſlatus; ab eodem, ſecundis Cardinalium Comitiis, in ampliſſimum Cardinalium Ordinem, ſumma omnium gratulatione cóoptatur; Sixto verò è viuis excedente, ob præclaras ipſius virtutes: ac præſertim incredibilem morum ſuauitatem, qua omnium ſibi beneuolentiam conciliabat,Pontifex eligitur, anno 1486.

*Ciboæ Familiæ laus.*

LI. Ciboam quoque familiam plurimùm illuſtrauit, Innocentius Cibous Cardinalis, Catharinæ Duciſſæ Frater germanus,à Leone X. ipſius materno Auunculo ſuauiſſimis illis paternæ beneuolentiæ verbis creatus: *Quem honorem ab Innocentio VIII. accepimus: eundem Innocentio Nepoti reſtituimus.* Hic enim cùm Bononiæ, & Romaniæ Legatus eſſet: multas Eccleſiæ Romanæ Vrbes,quæ Clemente VII. in Adriani Arce à Cæſarianis cõcluſo,diſceſſum à Romanorũ Imperio parabãt;in Pontificis obediẽtia cõtinuit. Illud quoq; egregiũ facinus præſtitit,quòd pleroſq;Cardinales, qui Franciſci Regis Gallorum ſuaſu, de Apoſtolica Sede in Galliam iterum reducenda,Parmæ conſilium inierant: prudentiſſimis rationibus à ſententia reuocauit.

Floret denique hoc quoque tempore illuſtriſſima hæc Ciboum familia præclariſſimis Viris, qui Maſſæ, & Carrariæ Principatu fruentes, vtraque & pacis, & belli tempeſtate,rebus præclarè geſtis Maiores ſuos illuſtrant.

LII. Quot verò ex Materna ſtirpe clariſſimorum vndique Virorum ſeges excreuerit: haud facilè eſt referre. Tam enim Orbi perſpicua ſunt Mediceæ Familiæ geſta, ac virtutes; ampliſſimæ ditiones, Regum affinitates, Terra, Marique potentia: vt his aliquid hîc addidiſſe, ſit tenebras lucidiſſimis rebus effundere. Illud vnum, quod ad rem ſpectat, dixiſſe ſit ſatis: quatuor Summos Pontifices (vt Cardinales prætercam) virtutibus illuſtriſſimos nobiliſſimæ huic familiæ illuxiſſe. Quorum primus Leo X. Patre Laurentio Mediceo, & Matre Clarice Vrſina natus, benignitate tam ſingularis, ac liberalitate tam inſignis fuit; tantaque rerum agendarum ſolertia præcelluit: vt illius ad Pontificatum aſſumptio toti penè Orbi voluptatem attulerit. Secundus Clemens ſeptimus Leonis X. ex Fratre nepos, ac Iuliani filius; Vir ante adeptum Pontificatum ſummæ in gerendis S. R. E. rebus auctoritatis fuit: Pontificij exercitus Legatus, Cæſare, ac Venetis adiuuantibus, Mediolanum, Placentiam, & Parmam Gallis eripuit. Pontifex deinde creatus, cùm Italia Cæſarianorum, & Gallorum bellis turbaretur, plurimas à Colomnenſibus, & Cæſarianis forti animo calamitates eſt perpeſſus: tandem rebus compoſitis, Carolum Imperatorem, huius nominis Quintum, Bononiæ coronat, anno 1530. Tum Maſſiliam profectus Catharinam Mediceam Proneptem, Laurentij iunioris filiam, Henri-

*Medicea Familia quàm illuſtris.*

co



co ſecundo Gallorum Regi matrimonio collocat: cùm prius Catharinam Ciboam, eius ex ſorore neptem, Ioanni Mariæ Varano, quem Senogallia, Viſſo, S. Geneſio,Sentino nouo, Cerreate, atque aliis Oppidis ditauerat, coniugio copulaſſet: eúmque Ducis Camerinenſis titulo exornaſſet.

LIV. Tertius fuit Pius Quartus, qui ex Medicea quidem familia, non quæ Florentiæ; ſed quæ Mediolani illuſtris habetur; Patre Bernardino; & Cecilia Sorbellonia Matre ortus, Pontificatum à Columba, quæ cùm Comitia in Conclaui agerentur, Sacellum Sixti per feneſtras ingreſſa, cùm diu circumuolaſſet, cellæ tandem illius inſedit, auſpicatus: ſimul etiam à clementia totius Eccleſiæ gubernationem eſt aggreſſus. Carolum Borromæum ex ſorore Nepotem, Eccleſiæ lumen, in Cardinalium numerum aſſumpſit: Tridentinum Concilium à Paulo Tertio inchoatum; & necdum ſub Iulio III. abſolutum, publicato Diplomate iterum conuocauit,& abſoluit: magnúmque in eius celebratione auri põdus inſumpſit. Melitã Inſulam à Turca obſidione cinctam, milite, commeatu, omníque ſubſidij genere egregiè adiuuit. Denique cunctis à S. Carolo Borromæo Cardinali Sacramentis illi adminiſtratis, ſub illis verbis: *Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace*: animam Deo reddidit.

LV. Poſtremus tandem fuit Leo huius nominis XI. qui Patre Octauiano natus, & Alexander in noua Baptiſmi regeneratione nuncupatus, tanta in ipſo iuuentutis flore vultus maieſtate, morum elegantia & honeſtate, eloquij ſuauitate; tam denique ſingulari prudentia,ac bonitate præditus erat: vt cùm primùm publicæ alicuius dignitatis fuit capax, mox Piſtorienſis Epiſcopus creatus fuerit: inde ad Florentinum Archiepiſcopatum tranſlatus, cùm Oratoris munere pro Franciſco, Magno Hetruriæ Duce, apud Gregorium XIII. fungeretur, maxima illius in rebus agendis prudentia perſpecta, à Pontifice in Cardinalium numerum aſſumitur. Porrò inter res ab eo præclarè geſtas,illud ſingulare fuit, quòd bellis inter Hiſpaniarum,& Gallorum Reges, Philippum II. & Henricum IV. deſæuientibus; is vnus Legatus à Clemente VIII. tunc Pontifice delectus, in Galliam mittitur: qui rem tam incredibili prudentia,dexteritate: & conſilio adminiſtrauit, vt pace inter eos compoſita, Romam rediens communi omnium lætitia exceptus fuerit. Atque inde factum eſt, vt tot illi ſuffragantibus meritis, poſt Clementis obitum in illius ipſe locum ſuffectus fuerit: At poſt vigintiquinque Pontificatus dies, vniuerſus ferè Orbis celeri nimis morte raptum ingemuit.

LVI. His haud virtute inferior fuit Catharina Camerinenſium Duciſſa, quæ trium Summorum Pontificum Neptis, nimirum ex recta linea, Innocentij Octaui, ex laterali verò Leonis X. & Clementis VII. Maiorum ſuorum prudentiam, animi magnitudinem,pietatem,ac præclaras virtutes ita aſſecuta eſt, vt eas etiam propria virtutum luce illuſtrauerit. Hæc enim in primis excellenti ingenij magnitudine, inter illuſtriores ſuæ tempeſtatis Viros,nedum Fœminas,ita doctrina, atq; eruditione enituit: vt Latinam,Græcam,atq;Hebræam linguam edocta,de Philoſophia; Theologia: atq; omnibus ferè optimis Artibus acutiſſimè diſſereret. Pietate verò tam incredibili prædita erat; vt omne in conſeruando,atq; augendo diuinæ Religionis cultu ſtudium,ac ſollicitudinem conferret. Neque enim (quod rarum apud homines, nedum fœminas eſſe ſolet) vnquam,aut dignitate; aut ampliſſimis opibus ad typhum ac ſuperbiam vſa fuit, cùm ea curas ſuas omnes,ac cogitationes in id defixiſſet, vt illas ad pietatis opera,ac miſericordiæ officia præſtanda conferret: Quo fit, vt Domus illius ſemper inopum,& egentium multitudine celebraretur. Nemo vacuus, triſtis nullus ab ea diſcederet: manus ſiquidem illius iuxta Sapientis conſilium tornatiles erant,aureæ,plenę hyacinthis; liberales nimirum,atq; in Pauperes ita profuſæ; vt de illa rectè illud dici poſſet, quod de Muliere forti in Prouerbiis narratur. *Manũ ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* His accedebat admirabilis quidam conſciẽtiæ nitor,& inſatiabilis Diuini cult⁹ augẽdi fames, ac cupiditas; prior quidẽ

*Catharina Ciboa virtutibus, ac doctrina illuſtris.*


ani

ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. REFORM. CAPVC.
1528. 5. 10. 4.

non animum illius tam commiſſione mali, quàm boni ommiſſione aſſiduè ſollicitabat; atque ad omnia virtutum opera, præſertim quæ ad aliorum ſalutem tenderent, impellebat. Poſterior verò ita illius animum depaſcebatur; vt diuini Nominis cultum rebus omnibus anteferret. Non rem familiarem, non fortunas, non dignitates, non commoda curaret, vbi de publica, aut priuata diuini honoris cauſa ageretur. Atque eo factum eſt; vt cùm primùm noua Capucinorum Reformatio in totius Ordinis, atque adeò Eccleſię commodum cœpit emergere: tanto illam ſtudio complexa fuerit: vt in ea tuenda, fouenda, propaganda, curam omnem, ac ſollicitudinem contulerit. Hæc poſt nonnullos à viri obitu perpeſſos labores, ac moleſtias, quibus Deus Opt. Max. & illius virtutes illuſtrare, & perfectæ mentis patientiam probare voluit, cùm Florentiam ſe recepiſſet; ibi ſeriùs, ac maiori ſollicitudine tota diuinis rebus incumbere, ac piis ſe operibus addicere ſtuduit. Demùm virtutibus plena, magnóque ſui deſiderio poſt ſe relicto, Anno Domini 1557. ex huius vitæ ærumnis ad feliciorem emigrat; cui Albericus Cibo Maſſæ Princeps tumulum poſuit, hoc Epitaphio exornatum.

*Catharinæ Cibæ Epitaphium tumulo inſculptum.* *Catharinæ Cybo Camertium Duci Amitæ, & Leonoræ itidem Cibo Comiti, & Principi Fliſcæ priùs, ac demùm Marchioni Cetonæ Sorori, ſicut optimis animi dotibus, vitæ, atque morum integritate coniunctis, ita vnicum tumulum* P. C. *Albericus Cibo Maſſæ Princeps* I. *Obijt illa Anno* CIↃ. IↃ. LVII. *die* XXII. *Febr. Hæc autem anno* CIↃ. IↃ. XCIV. *die* XVII. *Febr.*

ABSOLVTO



ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. REFORM. CAPVC.
1529. 6. 11. 5.

I. ABSOLVTO Anni ſuperioris Milleſimi quingenteſimi vigeſimi Octaui curriculo, & ſæuientis peſtilentiæ tabe, iam vndique abſterſa: circa huius anni principium, pleríque tam ex Obſeruantium, & aliorum Regularium Ordinibus, quàm ex ſæculi naufragio euadentes, quibus Capucinorum vita planè admirabilis videbatur; Deo aſſlante, ad Religionis portum confugiunt: Ea præſertim ratione allecti, quòd eos, omnium rerum humanarum curis, ac ſollicitudinibus longè proiectis, totos à Dei prouidentia pendere, ac cæleſtem Vitam ſæculi cupiditatibus vacuam inter homines agere conſpicarentur. Atque eo factum eſt, vt Ludouicus præter Colmenzoni, & Montis Melonis loca, duo quoque alia ſuperaddere compulſus fuerit: tertium videlicet Aluacinæ, quod eſt Fabriani Agri Caſtellum, è Montis S. Vicini radicibus exurgens. Quartum verò Foroſempronio, noto Oppido, quod olim Ducum Vrbinatum ditioni ſubdebatur. Porrò cùm eo tempore Monaſteria non à fundamentis erigerentur: ſed vel antiquæ, ac penè dirutæ Eccleſiæ, vt plurimùm in Conuentus pararentur: Vel iis antiqui illi Patres ad Monaſteria ædificanda potiſſimùm vterentur, eo fiebat; vt cùm minimo ſumptu, ac labore ab iis (vt dictum eſt) luto, ac impolitis lapidibus conſtruerentur: haud multum in his conſtruendis tempus, aut negotium impenderent. Quapropter per exiguum temporis ſpatium in vtroque hoc Monaſterio extruendo, ipſis præſertim Fratribus ad opus, atque ædificationis labores vltrò conuolantibus, conſumptum fuit. *Plerique de Obſeruantia & ex aliorii Regularium Ordinibus ad Capucinos confugiunt.* *Aluacinæ, & Foroſempronij Conuentus extruuntur.*

II. Dum igitur, Domino irrigante, tenellum Reformationis germen magis in dies excreſceret: mandatum, quod de Capitulo primo quoque tempore congregando, Ludouicus à Pontifice acceperat, illius animum ſollicitabat. Quamobrem re cum Matthæo, Paulo, ac nonnullis aliis communicata, atque vno conſenſu deliberata; Aluacinæ Capitulum conuocandum ſtatuit: atque iis tantùm exceptis, qui vel ætate iuniores eſſent: vel nuper è ſæculo ad Reformationem acceſſiſſent, cæteros omnes conuocandos cenſet.

III. Rebus ita conſtitutis, Ludouicus Congregationem aduocat: duodecimque electos Patres, circa menſis Aprilis initium, ſtatuta die, Aluacinam conuenire iubet: vbi Fratres iam proprio ſtudio, ac labore domum antiquam, ac penè collapſam, cuidam Sacræ Aedi, quæ longiùs ab Oppido aberat, coniunctam inſtaurauerant: quæ cùm omnium habitationi non ſufficeret, Tugurium ex arborum ramis, ac viminibus textum, paleáque contectum addunt. In quo cùm nec lectuli, nec tabulæ eſſent, ſola humus paleis ſtrata illis ad quietem locum miniſtrabat. Hunc igitur locum, velut in cæterorum vmbilico collocatum, ac omnibus commodiorem ad primi huius Capituli celebrationem, haud abſque ſuperni Numinis nutu, ſibi deligunt. Hic enim locus primæ Capucinorum Congregationi longè antea, ſanctiori Dei conſilio, prædefinitus fuerat. Nam cùm primùm Religionis Capucinorum locum Camerinum, ſeu Colmenzonum, ſecundum Montis Meloni Oppidum ſibi vendicaſſent; hic ille tertius eſt, de quo B. Bernardus à Quintaualle, dum futuram hanc Ordinis Reformationem olim diuino Spiritu prænoſceret, velut vaticinans prædixerat. Poſt diſperſionem, Fratrum Congregationem in tertio loco futuram eſſe. Quemadmodum anno 1524. explicatum fuit. Quod ſanè hoc tempore adamuſſim, vti prædictum fuerat, eueniſſe, ipſe rei euentus comprobauit: Nam poſt tot perſecutiones, quibus antea, ſub Ioanne Fanceſtri, Reformatio, ſeu potius puſilla illa Fratrum Congregatio diſperſa fuerat: Vnà tandem collecti, in hoc tertio Alua- *Ludouicum primum Capitulum Aluacinæ conuocat.*

cinæ loco primum Religionis Capitulum, ſeu potiùs Congregationem (cùm tam pauci numero eſſent, vt vix duodenarium numerum attingerent) celebrarunt. In qua poſteriora quoque vaticinij verba, quibus ita prædictum fuerat: *Et in eis apparebit ſignum veræ Reformationis, certitudinémque accipient eorum, quæ acturi ſunt* (vti mox declarabitur) certam ſibi veritatem compararunt.

IV. Patribus igitur, ad duodecimum vſque numerum, in hoc Aluacinæ Conuentu in Domino congregatis: pridiè quàm Generalis Vicarij, atque aliorum electio fieret, Ludouicus ſimplici ſermone vniuerſos hortatur: vt rerum omnium cura, ac prouidentia in Deum reiecta, aſſiduæ tantùm orationi vacent; Deo pro fauſtis Reformationis auſpiciis gratias agãt, ac pro feliciori ipſius progreſſu preces fundãt. Deniq; nullis, præterquàm diuinis rebus abſq; intermiſſione ſtudeant: non loci paupertate, neque rerum penuria terreantur: ſed altiſſimæ paupertatis ſe filios eſſe meminerint, quos rerum omnium neceſſitas, ac ſumma egeſtas ita delectare debet; vt & rebus neceſſarijs carere, ac locorum anguſtias pati, ſummas diuitias, ac delitias reputent: præſertim ſi in Dei filium, humani generis Saluatorem, oculos defigant; cuius tot neceſſitatibus plena, tamque omnium rerum indigua vita fuit: vt is ad ſuorum exemplum de ſeipſo teſtetur: *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Cuius profectò imitatores eos eſſe oportet, qui altiſſimam Deo rerum omnium paupertatem promiſerunt.

*Ludouici ad Fratres exhortatio.*

*Matth. 8.*

V. Non vos prætereat, Fratres mei, (aiebat) quid B.P. noſter Franciſcus, in primo illo Capitulo Aſſiſio celebrato, tot collectis Fratribus propoſuerit: quàm ſeuerè rerum omnium, quæ ad victum ſpectant, prouidentiam illis interdixerit: quàm integrè à paterno Dei ſinu omnes pendere iuſſerit: quàm aſſiduè orationibus, ieiuniis, ac piis aliis exercitationibus incumbere monuerit. Denique quàm feruido ſpiritu, ac illuſtri ſermone, tunc præſentes, & futuros quoque ſui Ordinis filios ad ſummam rerum omnium paupertatem alacri animo tolerandam, hortatus fuerit, illo propoſito themate: *Magna promiſimus Fratres: at majora nobis promiſſa ſunt: Seruemus iſta, tum adſpiremus ad illa: Voluptas quidem huius mundi breuis eſt, ſed pœna interminabilis: Modicum hîc paſſos, illic gloria nos infinita excipiet: Multorum quidem vocatio eſt; ſed paucorum electio: Omnium tamen retributio erit.* Hæc enim non tam auribus percipienda, quàm ſedulo animo peruoluenda, atque imitanda nobis in hoc primo Capitulo proponuntur: vt tanti Patris filios non voce, & habitu tantummodò; ſed re, ac factorum obedientia nos eſſe teſtemur: veráque Seraphici Ordinis fundamenta, quæ olim Chriſto dictante à Beatiſſimo Patre iacta ſunt, in hoc noſtro Reformationis exordio à nobis integrè reſtaurentur. Quapropter, Fratres, omnem animi ſollicitudinem in eum proijcientes, cui cura eſt de nobis, ſicut filij obedientiæ, non configurati prioribus vitæ noſtræ deſideriis; ſed ſecundùm eum, qui vocauit nos, in id omnes animi neruos intendamus: vt perfecti Chriſti, ac Beatiſſimi Patris noſtri in omni patientia, tolerantia, longanimitate, imitatores efficiamur. Et ſicut lapides viui electi à Deo, probati, atque in hoc Sanctæ Reformationis fundamento diſpoſiti; ſpiritualem hanc Dei, ac S. Franciſci domum in Dei prouidentia fundatam, paupertate erectam, charitate perfectam: noſtra virtute, ac ſanctiſſimis vitæ exemplis extruamus. Deus autem, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam, modicum paſſos perficiet, confirmabit, atque in perpetuum coronabit.

VI. His verbis Ludouicus, non compta Rhetorum eloquentia; ſed feruenti ſpiritu prolatis, ita Fratrum animos accendit: vt ingentes in ipſis ad paupertatem, laborum tolerantiam, perfectámque B. Patris Franciſci imitationem motus excitauerit.

VII. Huius Capituli Conuiuia talia propemodùm fuêre, qualia à B. Ioanne Parmenſe in ſuo tractatu de Conuiuio B. Franciſci, & Dominæ Paupertatis deſcribuntur.

*Capucinorũ in eo Capitulo paupertas.*





Nam cùm nulla ibi eſſet menſæ, aut domeſticæ ſupellectilis copia: Fratres pallia, quibus tegebantur, ſternentes, his pro mappis vtebantur. Frigebat caminus nullo, aut lebete, aut olla carnium, ſiue alterius cibarij coctione ardens. Quo fit; vt neque diſcis, aut patinis opus eſſet, quibus cocti cibi inferrentur; aut ſingulis diſpertirentur. Prima, ac poſtrema huius menſæ fercula erant gregarij panis fruſtula emendicata, quibus fructus quidam agreſtes: à Ruricolis, qui circumhabitabant, ſpontè oblati acceſsêre. Vini quoque aceſcentis lagena: quod aqua dilutum eorum dumtaxat potui deſeruiebat, qui ſtomaci infirmitate laborarent, cæteris aqua ſitis ardorem extinguentibus. Atque hæc quotidiana erat illius menſæ frugalitas, quam ſacra ſemper lectio condiebat. Quamquam verò tanta eſſet illorum victus, ac vitæ auſteritas; vt cunctis planè admirabilis videretur: tam incenſo tamen erga altiſſimam paupertatem, ac ſuiipſorum deſpectum ſtudio ferebantur; vt hæc illis iucundiſſima eſſent: & perinde ac ſi lautè, atque oppiparè epulati fuiſſent, à menſa recederent.

VIII. Biduum illud totum in gratiarum actione conſumptum fuit, quas Deo ob Bullæ impetrationem, ac proſpera Reformationis primordia impenſiùs egerunt. Noctem verò, quæ diem Veneris antecedebat, in qua electio celebranda erat, ex Ludouici præſcripto totam ferè in Orationibus inſomnem duxerunt; Chriſti potiſſimùm exemplo excitati; qui cùm Apoſtolos Chriſtianæ Religionis Patres, ac Doctores electurus eſſet, in oratione Dei pernoctaſſe legitur. Mane igitur illuceſcente, poſt Sacra deuotiſſimè à Sacerdotibus peracta, in quibus qui Sacerdotio minimè initiati erant, ad Sacram Synaxim acceſſerunt: Ludouicus themate ex Regula deſumpto. *Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere in Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis: & ei teneantur firmiter obedire.* Pontificis mandatum de Generali Vicario Eligendo exponit: Tum verò de Electionum neceſſitate, ac vtilitate, nec non de Miniſtri Generalis, atque aliorum munere ac officio, graui, tametſi ſimplici ſermone agit. Illud potiſſimùm animis inculcans, vt nonniſi Deo in oratione conſulto ad Electionem accedant; mentémque omni cupiditate exutam diuino lumini præparantes, ad Deum cum Apoſtolis clament. *Tu, Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his vnum, accipere ſortem miniſterij huius.* A quo ſolo diuini luminis irradiationem expectare debent. Equidem haud multis tunc verbis, aut exhortatione illis opus erat; cùm vniuerſi diuino amore æſtuantes, in id tantùm animum intenderent; quo pacto, & diuini Nominis gloriam augere, & nouæ Reformationis commodo prodeſſe poſſent.

*Ludouicus ante Comitia ſermonẽ habet.*

*Reg. cap. 8.*

*Act. 1.*

IX. His à Ludouico monitis inſtructi, cùm vniuerſi diuina charitate flagrantes in tuguriolum conueniſſent; vnà omnes genuflexi, tanto internæ pietatis ardore diuinam Spiritus Sancti lucem, atque opem implorant: vt ſimulatque. Hymnum: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum viſita*, &c. communi voce inchoarunt; tanta repentè Diuini Spiritus gratia, in eos velut ſenſibiliter illapſa fuerit: vt & quilibet, quid in alterius animo ageretur, intueri poſſet: Et noua illa ſpiritus vbertate ebrij, cuncti velut in extaſim raperentur: ita vt neque Hymnum proſequi, neque aliquid affari; ſed lachrymas tantummodò præ gaudio copioſiſſimas effundere valerent. Ita diuinus ille Spiritus, cùm pura, ac munda illa Fratrum corda, tot laborum tolerantia purgata, tot auſteritatum pœnitentiis, velut ſcopis mundata; tot ignitarum orationum ardore exuſta, ac purificata reperiiſſet; ampliori cæleſtium donorum influxu complere voluit: vt & viua illa nouæ Religionis fundamenta ſanctificaret, & illius ſe Congregationis Auctorem eſſe oſtenderet.

*Spiritus Sanctus ſenſibiliter in Fratres ipſum inuocãtes illabitur.*

X. Neque id fruſtra. Eo ſiquidem Spiritus ſancti illapſu, eorum mens tam claro diuinæ veritatis radio illuſtrata fuit: vt quæcunque ad nouæ Reformationis commodum, atque vtilitatem neceſſaria eſſent, perſpicuè cernerent. Tantaque virtute

ex alto confirmati fuêre: vt exinde neque perſecutiones, neque hominum probra, neque calamitates, neque triſte aliquid formidarent. Porrò hoc illud eſt veræ Reformationis teſtimonium, quod in hac Fratrum Congregatione B. Bernardus à Quintaualle ſuo Vaticinio futurum ſpoponderat.

*Ludouicus Bullam & ſigillum coram omnibus deponit.*

XI. Poſthæc Ludouicus in perfectæ humilitatis, & reſignationis ſignum; Bulla, ac ſigillo, quorum eatenus cuſtos fuerat, publicè, & coram omnibus ſeipſum exuit: vt neminem in ea electione præter Deum præſidere demonſtraret. Moxque Compromiſſarijs vnanimi conſenſu deputatis, Definitorum primùm electio inſtituta fuit, in qua Ludouicus primum, Matthæus ſecundum, Angelus à Tiferno Metaurenſi, tertium, Paulus Clodienſis quartum Diffinitoris locum ſortiuntur. Atque hi tantummodò in hoc, licet Capitulo Generali, Deffinitores electi fuêre: Qui numerus Religionis ſobole excreſcente, ad ſextum vſque deinde auctus fuit. Cùm verò Generalis electio pari modo complenda eſſet: mox communi ſpiratione, ac perfecto omnium conſenſu vox cunctorum erumpit, Matthæum à Baſſio Generalem acclamantium. At Matthæus, qui ſubeſſe potiùs, quàm alijs præeſſe optabat; cùm liberè vbique prædicandi munus eo ſibi officio eripi animaduerteret; conſtanter reluctari cœpit: neque vllo pacto adduci poterat, vt munus illud obeundum ſuſciperet, quod & ſuis humeris impar, & à Dei vocatione, qua ad Verbum Dei diſſeminandum impellebatur, diſſentaneum eſſe affirmaret. Verùm cùm ardentibus Ludouici, atque aliorum ſupplicantium, qui id illi pluribus rationibus ſuadebant, atque ad illius pedes proſtrati id ab eo obnixè efflagitabant, ſtudiis vlteriùs repugnare non poſſet, ea conditione electioni aſſentitur: vt ſi id illi alterum prædicationis munus proripiat, eo liberè defungi queat.

*Matthæus Generalis Vicarius inuitus eligitur.*

XII. His igitur Comitijs, Deo benè auſpicante, peractis, quibus nouum Religionis Corpus tunc primùm ſuo capite, ac membris compactum, ac diſtinctum ſubſiſtere viſum fuit. Matthæus Generalis, atque electi Patres in id potiſſimùm animum intendunt: vt vitam, quam Deus Opt. Max. Regularis Obſeruantiæ ſpiritu inſufflato, Religioſo Corpori indiderat, ſua diligentia tueantur; & adoleſcentem Rempublicam, quæ aliquando in Regnum euaſura erat, ſuis legibus firmerit; ac velut propugnaculis muniant, Nam quemadmodum ijs; qui arbuſta plantant, haud ſatis eſt, ſi ea ſolo coaluiſſe videant: ſed ipſa circumfoſſis ſpinis, à ferarum quoque deuaſtatione cuſtodiant, neceſſe eſt; ſi ea integra habere velint. Id planè, & in ipſo Religionis ortu, & inſtitutione fieri neceſſarium erat: vt qui Religionem diu incolumem eſſe vellent, eam pijs, ac neceſſariis quibuſdam legibus, ac ſanctionibus munirent, quibus ipſa Regularis Obſeruantia integra, ac ſartatecta ſeruaretur. Cùm enim ea ſit rerum humanarum conditio, vt facilè à proprio ſtatu, atque incolumitate dilabantur, niſi præſidiis, atque adminiculis retineantur, quibus à lapſu, ac ruina vendicentur. Eandem quoquè Religio rerum naturam ſortitur, quæ cùm ex hominibus conſtet, qui fluminis inſtar fluentes, non niſi difficile intra arctos virtutis, ac iuſtitiæ margines diu contineri poſſunt: non ſola duntaxat Euangelicæ perfectionis regula contenta eſt, qua velut muro cingatur; ſed alias quoque leges, ac Conſtitutiones ad ſui præſidium quærit, quæ tanquam antemurale Regularis Obſeruantiæ murum cuſtodiant. Nemo planè ignorat, Minorum Religionem, Vineam Domini eſſe; quæ cùm dulciſſimos Euangelicarum virtutum bothros è Seraphicæ Regulæ palmitibus exprimat: eam ſacrarum Sanctionum ſæpe muniri oportet: ne eam aliquando ferus Aper de ſylua exterminet, ac beſtialium cupiditatum, quæ interdum Vulpium inſtar Vineam demoliuntur, furor deprædetur.

*Conſtitutiones generales Spiritu Sācto dictante edūtur.*

XIII. Quapropter indicto omnibus ieiunio, & oratione, ſupremóque Dei numine inuocato; Conſtitutiones nonnullas, quibus totum familiæ Corpus, inter ipſa Religionis initia exteriùs regeretur, Spiritu Sancto (vt creditur) dictante conce-

perunt:



perunt: conceptáſque, ac ſimplici ſtylo conſcriptas, poſt aliquod tempus ſanxêre.

XIV. Neque verò fruſtra eas à Spiritu ſancto profectas dixerim. Nam Frater Euangeliſta à Canobio, qui olim totius Ordinis Capucinorum Generalis Miniſter fuit, publico ſermone teſtatum reliquit, antiqua ſe Patrum traditione accepiſſe; dum Conſtitutiones illæ à Patribus conſcriberentur, Spiritum ſanctum in Columbæ forma apparuiſſe. Cui adſtipulatur Carolus Perpignanus, Canonicus Gerundenſis: Vir omni virtutum laude clarus, ac ſanctimonia apud Hiſpanos inſignis: qui diuinitùs ſibi reuelatum fuiſſe teſtatus eſt: Chriſtum harum Conſtitutionum Auctorem extitiſſe: Vt ex proceſſu authentico vitæ ipſius, qui auctoritate Honufrij Reart Epiſcopi Gerundenſis confectus eſt, non obſcurè conſtat. Denique illuſtre iis teſtimonium olim reddidit Pius Quintus, Pont. Max. qui cùm omnium Regularium Conſtitutiones ſibi afferri iuſſiſſet; vt ex iis, quod in Religioſis quibuſdam reformandis vtilius videretur, decerperet: cum primùm Capucinorum Conſtitutiones perlegit, mox in eam vocem erupit: En Conſtitutiones à Spiritu ſancto dictatas, quas ſi quis perfectè obſeruauerit, inter Sanctos referri poteſt.

*Chriſtum harum Conſtitutionum Auctorē eſſe cui reuolutū fuerit.*

Quamquàm verò illæ, ob variam temporum exigentiam, nonnulla en parte immutatæ, atque in altero Generali Capitulo, quod Romæ in Conuentu S. Euphemiæ anno 1536. celebratum eſt, ampliori forma exaratæ fuerint: ac demùm anno 1575. in his quædam ex Concilij Tridentini, atque aliis Pontificum decretis addita fuerint, quæ ad Regularium diſciplinam pertinebant: Eſſentialia tamen, quæ ad Religionis regimen ſpectant, velut prima omnium elementa, in iis integra remanſêre. Porrò integris Conſtitutionibus in proprium annum reiectis, ea tantùm, quæ in hoc primo Capitulo ſancita fuerunt, lubet referre, ex Italico Idiomate in Latinum à nobis fideliter tranſlata.

## *CONSTITVTIONES EDITÆ IN PRIMA Generali Congregatione Aluacinæ coacta, anno 1529.*

XV. PRimò omnium, obſecramus, & hortamur in Domino vniuerſos noſtræ Congregationis Fratres, ac præſertim Superiores, qui Vicarium Dei locum tenent; vt omni ſtudio harum Conſtitutionum culturæ inuigilent; pulchramque hanc Ordinis harmoniam à Domino inſtitutam tueantur. Nam ſi ea ipſa, quæ ſenſu, ac ratione carent, præſtitutum ſibi à Deo ordinem obſeruant: ſanè multò magis qui ratione præditi ſunt; atque ij potiſſimùm, qui Angelorum inſtar Deo adſtant, atque eidem famulantur; in id adniti debent; vt clariſſimorum ſpeculorum inſtar, ac velut coruſcantia Orbis luminaria, cæteris ad Deum, qui vltimus omnium ſcopus, & finis eſt, ſanctis verbis, ac ſanctioribus vitæ exemplis reuera Duces ſe præbeant: quò & alij Fratres vniformiter ea, quæ in his Conſtitutionibus continentur, ſollicitè ſeruare ſtudeant. Nec tamen his aut nouam Regulam præſcribere, aut antiquum viuendi modum mutare; quin etiam nec vlli Fratrum mortalis peccati laqueum iniicere intendimus; ſi aliquando iis illos contraïre contingat: ſed omnium pedes deoſculantes, hortamur in Domino primùm Superiores, dein reliquos Fratres, vt has Conſtitutiones purè ac ſimpliciter, & ſine gloſa cuſtodire curent: quouſque Dominus dignetur per alios ſeruos nobis illuminatiores aliud ſtatuere. Quamquam verò hæ Conſtitutiones à nobis hoc tempore edantur, quo puſilla, ac tenuis adhuc Congregatio haud multis repagulis indiget, quibus in perfecta Regularis obſeruantiæ norma contineatur: plurimaque ſucceſſu temporum in poſterum addenda ſint, cùm Religio in ampliores ſe Prouinciarum, ac Conuentuum propagines dilatauerit. Has tamen Conſtitutiones, quas & communis oratio, & Dei ſpiritus, ac religioſa ſimplicitas peperêre: fixas ſemper, ac immotas eſſe optamus:

qua

quas etiam S. R. E. iudico, ac ſententiæ ſubiicimus. Quæ igitur nunc pro communi Congregationis vtilitate conſtituere nobis opportunum viſum fuit, hæc ſunt.

*Horæ Canonicæ ſine cãtu deuotè perſoluendæ.*

Imprimis, quod ad Horas Canonicas ſpectat: Vniuerſos hortamur, & ſtatuimus, XVI. vt illæ deuotè, debitis interuallis, abſque vlla vocis productione, aut variatione, aut cantu, ab omnibus in Choro perſoluantur. Matutina hora iuxta antiquum Religionis noſtræ morem media ſemper nocte dicatur; reliquæ verò competentibus horis: Sexta, & Nona exceptis, quæ ſecundum receptam conſuetudinem recitari poterunt.

Præterea ſtatuimus: Ne aliud Officium in Choro perſoluendum addatur, præ- XVII. ter officium B. Virginis. Quòd ſi aliquis Fratrum ex ſpeciali deuotione recitare voluerit ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, Officium Defunctorum, ſiue alias Orationes Vocales; id ſolus, vel cum ſocio extra Chorum præſtare poterit; quandiu Officium in Choro non perſoluitur; ne qui in Choro, vel in Eccleſia Orationi mentali vacant, eorum ſtrepitu perturbentur. Id verò ſtatuitur, primò; vt Fratres vnà conuenientes, maiori cum deuotione, debitum Canonicarum Horarum penſum ſoluant, à Regula, & ab Eccleſia præſcriptum: tum etiam vt plus otij nanciſcantur, ad priuatas, ac mentales orationes exercendas, quæ ſolis vocalibus multò ſunt vtiliores, ac præſtantiores.

Item ſtatuimus, vt in Oppidis, aut Vrbibus, vbi eſt Eccleſiarum copia, eóque XVIII. Sæculares ad diuina Officia audienda confluere poſſunt; in triduo Maioris Hebdomadæ Matutina Hora, non in Veſpere diei, ſed iuxta morem media nocte perſoluatur. Hæc enim erat antiquorum Patrum conſuetudo.

*Fratres ad Mortuorum funera non accedant.*

Item ſtatuimus, ne Fratres vllo pacto ad Mortuorum funera accedant; neque XIX. Exequias proſequantur, præterquàm in caſu neceſſitatis. Neque ad Proceſſiones conueniant, præterquàm ad eam, quæ celebratur in die Corporis Chriſti, & in Rogationibus, & in publicis neceſſitatibus. A cæteris verò, dummodò citra ſcandalum fiat, quoad fieri poterit, abſtineant: vt ſolitudini, & quieti magis vacent. *Nunc verò, quod ad Proceſſiones ſpectat, ſeruandum eſt Sacræ rituum Congregationis Decretum.*

Item ſtatuimus, vt vna duntaxat Miſſa in Conuentu quotidie celebretur; iuxta XX. antiquã Ordinis conſuetudinẽ, cui alij Sacerdotes aſſiſtant; præſertim cùm ea fuerit S.P.N. Franciſci mens, & admonitio. Idcirco Superiores neminem cæterorũ Sacerdotum celebrare cogant, præterquam in diebus ſolemnibus, ſeu in tempore neceſſitatis. Ac ſummo ſtudio inuigilent, ne Miſſarum trigeſimos, ſiue alium Miſſarum numerum celebrandum recipiant: ne Sacerdotibus celebrandi neceſſitas imponatur. Caueant quoque omnino Superiores, ne praua cupiditate ducti, populos ad Eremos, ac Monaſteria Miſſarum celebratione alliciant; vt pro iis eleemoſynas ab ipſis accipiant. Denique id ſtatuimus, ac ordinamus, vt nullo modo ſe ad Miſſas pro ſæcularibus celebrandas obſtringant. Quòd ſi quiſpiam à nobis Miſſam celebrari petierit: prudenter ei reſponderi poterit, nos pro eo in Miſſis Deum rogaturos: tum in Miſſa Collecta pro eo addatur, vt illius deuotioni ſatisfiat. Quòd ſi interdum Miſſam ex charitate pro aliquo celebrari contigerit: penitus pro ipſa, aut orationibus, pro quocunque perſolutis, pretium, aut eleemoſynam recipi prohibemus: quòd ſi is panem, vinum, aut aliud ad victum neceſſarium attulerit: ea non ſecus recipiantur, quàm ſi nulla pro eo oratio facta eſſet. Miſſa enim, & Oratio purè, ac ſimpliciter ex charitate Deo offerri debent.

*Eleemoſynæ pro Miſſis nõ recipiatur.*

*Conſuetæ flagellationes ternæ in Hebdomada.*

Item ſtatuimus. Vt conſueta Flagellatio quotidie poſt Matutinam Horam fiat, XXI. præterquam in hyeme: vbi frigidiora ſunt loca: tunc enim ad diei Veſperum transferri poterit.

Item ſtatuimus, vt Orationi Mentali ſtatis horis, ac temporibus quotidie vacetur. XXII. Tempora verò Orationi deſtinata erunt: integra hora ante Tertiam in mane:

altera



altera verò poſt Veſperas, quæ nulla ratione prætermittendæ ſunt, præterquàm ab iis, qui vel morbo laborant, quibus vna ſufficere debet; vel qui à Superiori ob ingruentem aliquam neceſſitatem impediuntur; cui omnino parere debent. Meminerint verò has horas, ad publicum Religionis bonum, ac rectum Ordinem inſtitutas eſſe pro his potiſſimùm Fratribus, qui ſpiritu frigidiores, ac negligentiores ſunt: vt peremptoria harum Horarum præſcriptione, ad orationem, Religioſis Viris neceſſariam, compellantur. Feruidi enim, ac deuoti Fratres, haud duabus hiſce Horis contenti ſunt; ſed omne tempus, quod illis ex obedientiæ operibus reliquum eſt, in Orationibus, ac Meditationibus inſumunt; & tanquam veri Oratores vbique orant, & Patrem in ſpiritu, ac veritate adorant. Ad hoc orationis ſtudium maximè Fratres omnes hortamur, ob id potiſſimùm; quòd hic omnium finis, ac ſcopus ſit, vt Deo perfecta charitate adhæreamus.

*Binæ Orationis Mentalis horæ in die.*

XXIII. Præterea ſtatuimus, vt Silentium ab omnibus inuiolabiliter ſeruetur, à primo ſigno Completorij, quouſque Miſſa Conuentualis celebrata fuerit, quòd legitimum ſempiternum eſſe volumus. Ac præterea à Paſchate vſque ad Feſtum Aſſumptionis B. Mariæ, ſignum Silentij poſt refectionem matutinam, & ablutionem Vaſorum Coquinæ quotidie detur: à cunctiſque Silentium vſque ad horam Veſpertinam ſeruetur. Quòd ſi aliquis Fratrum eo tempore Silentium violauerit: ſeipſum publicè accuſet, & pro pœnitentia Flagellationem accipiat.

*Silentium Regulare.*

XXIV. Statuimus præterea, Quòd ſi Sæcularium aliqui, hoc Silentij tempore, vel alio ad Monaſterium acceſſerint: Ianitor, qui nonniſi prudens, deuotus, ac morigeratus eligi debet: Superiorem, vel alterum ab eo huic muneri deputatum admoneat, qui eos comitetur, ac ſpiritualibus colloquiis ædificet. Reliqui verò, quibus id munus minimè demandatum eſt; à Sæcularium colloquio, & conuerſatione, præterquàm cauſa graui vrgente abſtineant.

XXV. Statuimus, Vt Guardiani, ac Superiores locorum, in Refectorio, dum Fratres refectionem ſumunt, curent; vt ſpiritualis ſemper aliquis liber legatur, quem omnes deuotè audiant, vt antiqua eſt Religionis conſuetudo, & habetur in Decretali. Quod in menſa Religioſorum habeatur lectio. Nemo verò Sæcularium ad communem Fratrum menſam admittatur: niſi grauiſſima cauſa id poſtulet. Cùm verò admittuntur, menſa mappa non ſternatur: ſed conſueta tantum mappula, tam Sæcularibus, quàm ſingulis Fratribus apponatur.

*Libri ſpirituales in Menſa legantur.*

XXVI. Statuimus; Vt in menſa vnicum tantùm cibi, aut pulmenti genus apponatur. Cùm verò tempus ieiunij fuerit, coctum, aut crudum acetarium addi poterit. Quòd ſi piſces, carnes, ſiue aliud obſonium Fratribus eleemoſyna datum fuerit, eo opportunè veſci poterunt cum benedictione Domini: dummodò duo tantùm cibariorum genera ex his, quæ à Popinæ Magiſtro adminiſtrantur, menſæ apponantur.

*Duo ciborum genera tantum in Mẽſa Miniſtranda.*

XXVII. Statuimus, Quòd ſiquis Fratrum voluerit à carnibus, & à vino abſtinere, ad quod omnes in Domino hortamur; eos Superiores impedire non valeant: niſi ipſos indiſcretè ſe gerere, atque illud abſtinentiæ genus apertè in eorum perniciem cedere animaduerterint. Quamobrem Superiores non niſi diſcretè ac prudenter ſubditos ad huiuſmodi abſtinentias hortentur. Subditi verò in his non pertinaciter, aut ceruicosè ſe gerant: ſed Prælatis obediant. In menſa tamen vinum non niſi benè aqua dilutum adhibeatur.

*Abſtinentia à carnibus & à vino non impedienda.*

XXVIII. Eodem quoque modo ſi, Fratrum quiſpiam, aut ampliùs ieiunare, aut quadrageſimale ieiunium aliquod, in Regula non expreſſum celebrare voluerit: à Superioribus non impediatur; dummodò id illi minimè noceat, vt ſuperiùs dictum eſt, & in communi menſa communibus cum aliis cibis vtatur.

*Ieiunia diſcreta à Superioribus non impediantur.*

XXIX. Item Domorum noſtrarum ſuppellex tenuis ſit, ac vilis: ſicut pauperes decet, & à ſanctis Patribus noſtris edocti ſumus, itaut in omni re, quæ ad vſum domus ſpectat, paucitas, vilitas, ac paupertas cumprimis effulgeat.

*Suppellex tenuis ac vilis.*

XXX. Item ſtatuimus, Ne carnes, oua, caſeus, data opera mendicentur. Quòd ſi Elee-

moſynario

*Carnes, Oua, Caſeus non mendicanda.*

moſynario hæc ſponte à fidelibus offerantur, recipi poterunt: dummodò in omnibus ſeruetur, ac ſplendeat ſanctæ Paupertatis virtus. Et ſi hæc ipſa à benefactoribus ad Conuentum mitti contigerit: caueant magnoperè Superiores, ac cæteri Fratres, ne ſi his Monaſterium ſufficienter abundauerit; auaritia, aut cupiditate vlla ſe vinci ſinant, tanquam diuinæ prouidentiæ minùs fidentes: vt ad augendam annonam, quæ abundantiora ſunt, recipiant; & ad futuri, ac lautioris victus prouiſionem ſeruent; ſed potiùs altiſſimæ Paupertatis, quam Deo promiſimus, ſtatum conſiderantes, ea recuſent. Hæc enim illa Paupertas eſt, quæ vt docuit Seraphicus noſter Pater S. Franciſcus, nos, chariſſimi Fratres mei, hæredes, & Reges Regni Cœlorum inſtituit: pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ vos perducat in terram viuentium. Cùm verò hæc recipiuntur; in his ea tum quantitas, tum qualitas attendi debent, quæ Regulæ noſtræ paupertatem non excedant.

*Rerum neceſſariarum prouiſio fugienda.*

XXXI. Præterea ſtatuimus, Vt Superiores, in eleemoſynis mendicandis ita cauti, ac prudentes ſint; vt diuturnam rerum prouiſionem effugiant; ſed res neceſſarias vel qualibet die emendicent, vel per trium dierum ſpatium, aut ad ſummum per vnius hebdomadis tempus reponant; fixum ſemper in animo geſtantes, atque opere exhibentes altiſſimæ Paupertatis ſtatum, quem Deo in Religionis profeſſione promiſimus.

*Vſus doliorũ & Cadorum à Conuentibus abdicandus.*

XXXII. Item ſtatuimus; Vt nemo Superiorum, aut aliorum Fratrum audeat in Conuentu Dolium, aut Cadum vini ad Fratrum vſum reponere; ſed Oenophoris tantùm, ac lagenis ad vinum excipiendum vtantur. Totque duntaxat adhibeant, quot Fratrum familiæ neceſſariæ erunt.

*Fratrum veſtitus.*

XXXIII. Statuimus præterea, Vt ſi aliquis Fratrum ſolo habitu contentus eſſe voluerit, id illi cum benedictione Dei, & B.P. Franciſci liceat: hoc enim illi Regula indulget; ſed qui pluribus ad frigus perferendum indiguerit; tunicam habeat vilèm, ac pauperem, quæ longitudine non inferius; quàm ad media crura ſe extendat. Quòd ſi infirmi, aut debiles, aut ſenes fuerint, qui periculo facto plures pannos depoſcant: his Pallium, ſeu Mantellum à Superioribus concedatur; quod vſque ad manuum extremitatem fluat. Funes verò, quibus Fratres præcinguntur; rudes ſint, aſperæ, ac ſimplicibus nodis contractæ, non autem curioſiùs elaboratæ. Pannos verò, quibus Fratres induuntur, iuxta præſentem, non futuram Fratrum neceſſitatem Superiores prouideant: ſpem, ac fiduciam omnem in Domino ponentes, qui veſtit lilia agri.

*Habitus, & Tunica.*

XXXIV. Caueant Superiores, & Fratres, vt habitus latitudo vndecim palmos communes non excedat: his verò, qui corpulenti fuerint, palmus vnus tantùm addi poſſit. Tunica ad ſeptem palmos pertingat. Manicæ verò tam Habitus, quàm Tunicæ adeò arctæ ſint, ac pauperes: vt brachiis tantummodò induendis, & exuendis ſufficiant.

*Sandalia.*

XXXV. Statuimus itidem, Vt qui nudis pedibus incedere non valent, vbi per aliquot dies experimentum ſumpſerint; ſandalia, vel ſoleas deferant, vti legimus Apoſtolos, & priſcos noſtros Patres detuliſſe. Ea verò ſint vilia, ſimplici funiculo conſuta, quemadmodum pauperes decet, & nullo modo Calepodiis vtantur.

*Concionatores.*

XXXVI Statuimus præterea: Vt Verbi Dei Concionatores, cùm ad Dei Verbum prædicandum iter faciunt: non amplius, quàm duos, aut tres libros, quos ſibi magis neceſſarios iudicauerint, ſecum ferãt. Superiores verò eos Prædicatores, quos ampliori prædicationis gratia à Deo præditos nouerint, otioſos eſſe non ſinant: ſed in Vineã Domini mittant: vt in ea non modò quadrageſimali tempore, ſed aliis quoque anni temporibus laborent. Qui verò ad id munus ordinati fuerint, meminiſſe debent, potiſſimam prædicationis partem eſſe ipſius Prædicatoris vitam, atque honeſtam conuerſationem. Quapropter minùs verborum ornatum, ac ſubtiles ſpeculationes curantes, magis audientium vtilitati ſtudeant: puréque, ac ſimpliciter ſanctum





Domini noſtri Euangelium prædicent. Cæteris verò Sacerdotibus, & Clericis, qui Prædicatores non ſunt, vnus tantùm Spiritualis liber, vel manuſcriptus, vel impreſſus ſimul cum Breuiario concedatur, iiſque contenti ſint.

*Nemo rem alterius ſibi vendicet.*

XXXVII Præterea ſtatuimus, Vt nullus Fratrũ, ea, quæ alterius Fratris vſui conceſſa ſũt, abſq; illius, ac Superioris licentia ſibi vendicet: qui ſecus egerit, ſe in Refectorio ante Superiorem accuſet, qui illum grauiter increpatum iubeat ſemel in pane, & aqua ieiunare; ne rurſus in idem vitium impingat. Ij verò, quibus res aliqua in vſum conceſſa eſt, ſignum illi aliquod apponant, quo dignoſci queat.

*Rerum vilitas, & ſimplicitas commendatur.*

XXXVIII. Item ſtatuimus, Vt Fratres omnes vilibus pannis induantur, ſicut in Regula præcipitur; iique ex vilioribus, & abiectioribus eligantur, qui in ea Regione commodè haberi poſſunt. Nemo verò in via peram, galerum, lagenulam ſecum ferat; ſed bina duntaxat mutatoria, ac gemina ſtrophiola habeant, qui iis indiguerint. Caueántque ne aut Breuiaria, aut Breuiarijs ſignacula, aut Coronæ, quibus vtuntur, curioſitatem aliquam præſeferant: neque alia ſibi vendicent, quæ muliebrem potiùs leuitatem, quàm religioſam grauitatem, ac rerum omnium contemptum redolent.

*Literarum ſtudia non erigantur.*

XXXIX. Statuimus præterea, Ne vllus ſtudia literaria erigere præſumat; ſed Scriptura ſacra tantummodò, atque aliqui deuoti Auctores legantur, qui Deum amare, & Chriſti Crucem amplecti doceant.

*Confeſſiones Sæcularium non audiẽdæ.*

XL. Præterea, nemo ad audienda aliorum peccata Confeſſarius deputetur, qui ſaltem quadrageſimum annum non attigerit; ſitque probatæ vitæ, deuotus, ac virtutibus ornatus: qui ea ſcientia præditus ſit, vt ſciat diſcernere inter lepram, & lepram. Sæcularium verò Confeſſiones audire nemini permittatur; niſi vrgentiſſima, ac prorſus neceſſaria cauſa id poſtulet, quod ipſis Superioribus iudicandum relinquitur. Omnis enim Regula patitur exceptionem.

*Monialium cura non ſuſcipienda.*

XLI. Statuimus præterea; Ne Monialium cuiuſcunque Ordinis cura à noſtris ſuſcipiatur, niſi de expreſſa Capituli Generalis licentia.

*Librorum Communitas*

XLII. Item ſtatuimus, Quòd libri omnes in communi quodam loco reponantur, præter eos, qui ſpeciali alicuius Fratris vſui conceduntur: quos ſi alter ex Fratribus ab eo mutuò petierit, ei minimè denegare debet: dummodò iis actu non vtatur. Idque de licentia Superioris fiat: ne vſus proprietatis crimen incurrat, quod de cæteris quoque rebus, quamtumuis exiguis, intelligi debet.

*Largitio Munerum.*

XLIII. Item, Nullus Fratrum quicquam, aut in Ordine; aut extra Ordinem dono cuiquã largiatur, abſque ſui Superioris licentia.

*Literarum Conſcriptio.*

XLIV. Nemo literas vel ad ſuos, vel ad extraneos ſcribat, nec ſcriptas mittat, aut recipiat, niſi à ſuo Superiore licentiam obtinuerit.

*Prima Nouitiorũ Probatio.*

XLV. Item ſtatuimus, Vt qui ad vitam noſtram, & Ordinem recipiendi ſunt, primùm per quindecim dierum ſpatium, in Conuentu ſub ſæculari habitu retineantur. Superioréſque purè illum Regulæ locum obſeruent, vt illis dicant Verbum ſancti Euangelij. Quod vadant, & vendant omnia quæ habent; & ea ſtudeant pauperibus erogare. Tum id, quod ſequitur, præſtent. Poſtea concedant ei pannos probationis: ita vt priùs ſua pauperibus diſtribuant, quàm ad habitum recipiantur.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. Nulla quoq;

XLVI. *Hoc poſtremum in Nouis Conſtitutionibus reformatum fuit, iuxta Decretum ſacri Concilij Tridentini. ſeſſ. 25. Cap. Nulla quoque renunciatio.*

*Ætas ad recipiendũ ad Ordinem.*

XLVII Nullus quoque recipiatur ad Ordinem, qui quindecim ſuæ ætatis annos non exceſſerit, iſque nec faciem puerilem habeat. Qui enim eiuſmodi ſunt, omnino recipi non debent. Caueántque Superiores Maiores, ne contra hoc decretũ aliquem recipiant. Nouitij verò tempore probationis, totam Regulam ad Verbum ediſcant, ac memoria teneant: in idque Magiſtri Nouitiorum incumbant.

*Magiſtri Nouitiorum.*

XLVIII Præterea ſtatuim⁹, Vt Clericis, ac Laicis recenter profeſſis dentur Magiſtri, quibus per quadriennium ſubſint, ab iiſq; perfectè in via ſpiritus, ac perfectionis inſtruãtur.

*Iuniorum Fratrum Inſtructio.*

Nullus Profeſſorum audeat, vel præſumat ingredi Cellam alicuius Nouitij abſque licentia Magiſtri, vel Guardiani. Nemo quoq; Nouitiorum ingrediatur Cellam alterius Fratris, niſi de licentia ſui Magiſtri, aut Guardiani: qui ſecus egerit: per integrũ diem in pane, & aqua ieiunet; ſeipſumque publicè coram Superiore accuſet.

*Tonſura Fratrum.*

Fratres Nouaculas non habeant, niſi fortè vnicam pro vrgente interdum aliqua XLVIII.
neceſſitate, vel ad ſanguinem Infirmis ſectionibus detrahendum. Tonſura autem Fratrum qualibet vigeſima die forficibus fiat.

Præterea ſtatuimus, Quòd cùm Fratres nouas Eremos, ac Monaſteria erigere XLIX.
voluerint, illud tantùm terræ ſpatium ſibi vendicent; quantùm pauperi noſtro ſtatui congruere viſum fuerit.

*Procurator, ac Syndicus.*

Item Procuratorum; aut Sindicorum nullam volumus apud nos fieri mentio- L.
nem: ſed illud perpetuum nobis, ac inuiolabile ſit, vt Procurator, ac Sindicus nobis alius non ſit, præterquam Chriſtus Dominus noſter: noſtra verò Procuratrix, & Protectrix ſit Beatiſſima Virgo Mater Dei: noſter quoque ſubſtitutus B.P. Franciſcus: alios verò omnes Procuratores, omnino reiicimus: quòd inuiolabiliter obſeruari volumus.

*Non æquitandum.*

Præterea ſtatuimus, Ne in Monaſteriis alantur iumenta, aut Aſini, aut Muli, LI.
aut Equi: ſed Prælati noſtri pedeſtres incedant. Quòd ſi ob infirmitatem, aut alia legitima de cauſa, alicui neceſſariò equitandum eſſet, Aſino inſideat; exemplo Chriſti, qui ſuper Aſinum ſedit; & B. P. Franciſci, qui cùm extrema neceſſitate laboraret, Aſino vectus fuit: nec alio iumentorum genere eos vſos fuiſſe legimus. At quo tempore, quave de cauſa, cuique equitare permiſſum ſit, ex Regula addiſcant.

*Galeri, & Birata.*

Præterea ſtatuimus, Ne Fratres vllo modo, vel in Monaſterio, vel extra Mona- LII.
ſterium, Biretta, aut Galeros deferant.

*Caſus reſeruati.*

Caſus, qui in Famila reſeruantur, à Superioribus reſeruati intelligantur, à quibus LIII.
præter eos nemo poſſit abſoluere. *At ſecus modo nouo iure obſeruandum eſt.*

*Abſtinentia à Carnibus die Mercurij.*

Item diebus Mercurij, omnes à carnibus abſtineant. LIV.

*Cellæ ne claudantur.*

Item nemo claue Cellam, aut aliud obfirmet; ſed Cellæ perpetuò ingredi vo- LV.
lentibus pateant.

*De Locorum receptione.*

Præterea ſtatuimus, Ne extra Capitulum loca ad habitandum recipiantur, niſi LVI.
de auctoritate, & licentia Patris Vicarij Generalis. Loca verò, quæ ædificanda erunt, extra Vrbes, aut Oppida eligantur; quæ vno ſaltem milliario ab illis diſtent: perpetuóque Vrbium, aut Dominorum poteſtati ſubiaceant, qui ea Fratribus conceſſerunt. Ea quoque conditione à Fratribus recipiantur: vt ea poſſint deſerere, quoties ibi Regula purè obſeruari non poſſet: aut ipſi locorum Domini ea ſibi repetere vellent: tunc enim abſque vlla mora, aut contradictione Fratres ab iis locis diſcedant: atque aliò ad agendum pœnitentiam cum Dei benedictione pergant, quò à ſuis Superioribus deſtinati fuerint.

*Locorum ædificatio.*

Item ſtatuimus, Vt Monaſteria, quæ extruenda erunt, quàm humiliter fieri LVII.
poterit, ex viminibus, & luto ædificentur; vel ex terra, & lapidibus, vbi vimina ad manus haberi non poſſunt: Eccleſia excepta, quæ decenter ædificari debet, iuxta tamen noſtræ Paupertatis ſtatum anguſta. Cellæ verò ita pauperes, humiles, & anguſtæ ſint; vt ſepulchra potiùs viuentium, & pœnitentium ergaſtula, quàm ſuauiter habitantium loca videri poſſint.

*Cellæ ſolitariæ.*

In omnibus Monaſteriis, vbi id commodè fieri poterit; vna, aut altera Cellula LVIII.
longiùs à Fratrum habitatione, in ſolitario aliquo loco extruatur: vt ſi quiſpiam Fratrum perfectiori Dei Spiritu inflammatus, Eremiticam vitam in Silentio ducere diuina inſpiratione voluerit: idque Superiori benè viſum fuerit, in eam poſſit cum Dei, ac Superioris benedictione ſecedere; ac ſolitariè viuere. Eapropter vniuerſis Superiores hortamur: vt ſi quos huic vitæ idoneos Fratres oſtenderint; hunc illi ſeceſſum minimè denegent. Qui verò in ſolitudinem ſeceſſerint, Silentium ſeruēt,



cum nemine, præterquã cum Superiore, ac ſpirituali eorum Patre, abſq; Superioris licentia colloquantur; nec vllus Fratrum ad eos conuerſationis gratia accedat. Quotidie illis è Monaſterio neceſſaria ad victum cibaria cum ſilentio, ac ſine ſtrepitu deferantur; vt tranquillè Deo, atque Orationi, qua perfectiùs Deo vniuntur, vacare poſſint.

*Monaſteria oblata.*

LIX. Præterea ſtatuimus, Vt ſi aliqua Monaſteria extructa nobis oblata fuerint; nullo pacto recipiantur, niſi fuerint humilia, ac pauperrima, & tam Eccleſia, quàm domus tam vili modo fabrefacta; vt Sanctæ Paupertati, iuxta S.P. noſtri Franciſci mentem, ac voluntatem ſint conſentanea; ſicut idem admonuit dicens: *Fratres habeant Eccleſias, & habitacula paupercula, & quæ pro ipſis conſtruuntur, omninò non recipiant, niſi fuerint ſecundùm ſanctam Paupertatem, quam in Regula firmiter promiſimus, ibi hoſpitantes, ſicut aduenæ, & peregrini.* Cùm verò huiuſmodi loca recipienda ſunt: Superiores, Seniorum, atque eorum, qui zelum Paupertatis habent, conſilium adhibeant, ac ſequãtur.

*Teſtam. S. P. Franc.*

*Picturæ, & imagines Cellarum.*

LX. Fratres quoque in Cellis picturas curioſas, aut pretioſas non habeant: ſed pauperculis Imaginibus Chriſti Domini noſtri Crucifixi, & B. Virginis, aut Cruce lignea Myſterij Paſſionis Dominicæ, veluti lancea, ſpongia, arundine ornata, aut aliis huiuſmodi, ſint contenti.

*Electiones & Capitula.*

LXI. Item ſtatuimus, Vt tam Vicarij Generales, quàm Prouinciales, & Guardiani Officiorum ſuorum confirmationẽ in Capitulis accipere valeant, quãdiu in iis benè ſe geſſerint, & Regularis vitæ Obſeruantiam tueri ſtuduerint. Quòd ſi Superiores, tam Maiores, quàm Minores; nimirum Vicarij Generales, & Prouinciales, non rectè ſuis muneribus fungantur: ſed eorum gubernatio Confraternitati pernicioſa fuerit. Volumus, vt Diſcreti, & Vocales in Capitulo illos poſſint deponere, & alios in eorum locum ſubrogare. Guardiani verò, qui eo munere ſe indignos præbent, à Vicario Prouinciali cum Definitorum conſilio remoueri poſſint. Cæterùm Vicarij Generalis confirmatio in quolibet triennio fiat; Prouincialium verò ſingulis annis; identidem & Guardianorum. Illud verò præ omnibus admonemus: vt Electiones omnes purè, ac ſimpliciter peragantur, in Dei gloriam, ac publicam fraternitatis vtilitatem, in id tantummodò mentis oculum defigentes, vt Regularis diſciplina magis in dies illuſtretur. Omnem in Comitiis honorum ambitum, prenſationes, conuenticula angue peius fugiant: qui enim ſimilia agunt, à Deo Opt. Max. atque à B.P. Franciſco ſciant, ſe eſſe maledictos.

*Fratrum Lecti.*

LXII. Præterea ſtatuimus, Vt Fratres, qui nulla corporis imbecillitate, aut infirmitate laborant; vel ſuper nudas tabulas, vel iis ſtorea, aut palea tantùm adhibita, abſque culcitra ſtramentitia dormiant: & qui voluerint, puluinari ſtramentitio ſub capite vtantur.

*Mulieres à Conuentibus arcenda.*

LXIII. Caueant quoque Fratres, Ne vllo pacto Mulieres, loca noſtra, aut Eremos ingredi ſinant; prudentérque eas ab eorum ingreſſu arceant: Nam vt Auguſtinus ait: Mundus; & mulier non facilè, aliterque, quàm fugiendo vincuntur.

*Sepultura.*

LXIV. Item ſtatuimus, Ne alia, præterquam Fratrum noſtrorum Defunctorum cadauera, in noſtris Eccleſiis admittantur: niſi fortè pauperis alicuius eſſet, cui à Parocho ob paupertatem, ſepultura denegaretur. Horum cadauera, ſi ad Eremos, ac Loca noſtra delata fuerint, recipiantur; & ſepultura donentur: Quia opus pietatis eſt. Nec aliquid pro ſepultura accipiant: ſed pro anima illius ex charitate Deum exorent.

*Ciborum ſobrietas, ac temperantia.*

LXV. Statuimus præterea, Vt Fratres extra Statuta Refectionis tempora cibum non ſumant: caueántque ne per hortum incedentes, puerorum more, fructus, ſiue aliud ad edendum carpant abſque Superioris licentia: id enim Religioſo valde indecorum eſt. Cùm verò iter facientes Refectione indigent, ante Refectionem ſemper à Maiori, ac Seniori Fratre benedictionem petant: atque hoc ipſum ſeruent cùm ad alia Monaſteria diuertunt; vt ſine Superioris licentia nihil omninò guſtent.

LXVI. Item ſtatuitur, Vt cùm vel tempore Silentij, vel aliis temporibus intra, ſeu extr

*Mãſuetudo, & humilitas in Conuerſatione ſeruanda.*

Monaſterium loquendi neceſſitas vrget: aſſueſcant Fratres ſemper ſubmiſſa voce, ac humiliter loqui: id enim Religioſos maximè decet. Alterque alterum honore, ac reuerentia præueniens, ab omni ſuperbiæ actu, aut contentionis animoſitate, velut Dei ſerui, ac humiles Crucifixi Diſcipuli abſtineant.

*Abſque Obedientia nemo de loco ad locũ migret.*

LXVII. Statuimus præterea, Vt nullus Fratrum, ſub pœna Excommunicationis, & priuationis omnium Officiorum, ab vna ad alteram Prouinciam tranſeat, abſque licentia P. Vicarij Generalis: neque de loco ad locum abſque Superioris obedientia migret; cui ſocius aſſignetur, vbi id commodè fieri poterit.

*Numerus Fratrum in Conuentibus non multiplicandus.*

LXVIII. Item ſtatuimus, Vt Conuentuum Familiæ, ſeptimum, vel octauum Fratrum numerum non excedant, præterquàm in magnis Ciuitatibus vbi decem, vel duodecim circiter Fratres commodè habitare poterunt; In reliquis verò Vrbibus, aut Oppidis non ampliùs quàm ſeptem, vel octo Fratres commorentur: ob id potiſſimùm, vt perfectiùs, & abſque impedimento Regula, ac ſancta Paupertas obſeruentur. Ea ſiquidem erat S. P. Franciſci voluntas, vt in Chronico Ordinis habetur: vt pauci duntaxat Fratres in locis degerent.

*Eccleſiarum ſuppellex pauper, & tenuis.*

LXIX. Præterea ſtatuimus, Vt in Eccleſijs noſtris copioſa Altaris paramenta, aut Sacerdotalia indumenta non habeantur: ſed duo: vel tria ſufficiant. Vnum quidem pro diebus Feſtiuis, alia pro Ferialibus. Neque holoſericis, aut ſericis, aut auro textis veſtibus, aut paramentis vtantur: præſertim quæ fimbrias, & Cruces, tam in Caſulis, quàm in Albis, & Pallijs intextas habent; ab omnique alia curioſitate abſtineant.

LXX. Statuimus item, Quòd Pallia Altarium ſint ſimplicia, abſque curioſitate ex panno duntaxat confecta. Nec plures quàm duo Calices ſtannei habeantur, vt à noſtris Eccleſijs omnis prorſus curioſitas, ſuperfluitas, ac pretioſitas auri, argenti, ſerici, holoſerici exulent: in iiſq; Paupertas, & auſteritas tantũ eluceant: Conſiderãtes maximè, quòd Deus non vaſa, aut veſtes; ſed corda intuetur; ſi pura, atque ab omni vitiorum labe munda ſint, & ſanctæ Paupertatis ſtudio, ac deſiderio affecta, quæ (vt ait S. P. noſter Franciſcus) hæredes, & Reges nos Regni Cælorum inſtituit. Pauperes rebus fecit: virtutibus ſublimauit.

*Calices ſtannei.*

*Veſtium Cõmunitas.*

LXXI. Item ſtatuimus, Vt veteres, & obſoleti habitus Fratrum in communi reponãtur: inſtituaturque Præfectus Communitatis, qui eorum curã diligentem gerat, eos reficiat, lauet, cùm opus fuerit, ac mundos ſeruet. Cùm verò aliquis Fratrum habitum ſuum abluere voluerit, à Communitatis Præfecto habitum accipiat: cui non poſt duos, aut tres menſes ſordidum; ſed tribus, vel quatuor tantùm diebus elapſis, mundum reſtituat:

*Conſtitutiones publicè legendæ.*

LXXII. Inſuper ſtatuimus, Quòd Superiores omnino curent, vt hæ Conſtitutiones ſemel in qualibet hebdomada publicè legantur, quò tenaciùs Fratrum mentibus inhæreant, ac perfectiùs obſeruentur. Qui in hac re negligentiores extiterint, ad arbitrium Vicarij Prouincialis puniantur: atque vbi tertiò à Vicarijs admoniti non reſipuerint, ab Officio deponantur. Ipſi quoq; Vicarij Prouinciales, ſi in harum Conſtitutionum Obſeruantia, tam in ſeipſis, quàm in alijs proſequenda, minùs accuratè ſe geſſerint; aut eas publicè legere non fecerint, aut delinquẽtes debita pœna non affecerint, quod eorum tamen arbitrio relinquitur; admonitique ſeipſos non emendauerint: ipſam quoque depoſitionis ab Officio pœnam incurrant.

LXXIII. Quod ſi alicui Fratrum difficile viſum fuerit, hæc omnia obſeruare: Meminerint Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum humilem, ac pauperem in mundo apparuiſſe, totàmq; ipſius vitã nobis tanquã ſpeculum, & exẽplar propoſitam eſſe; vt in ea ipſius humilitatem, ac paupertatem contemplemur, ac imitemur. Id ipſum quoq; Sãctiſſimũ P. noſtrũ Franciſcũ, ac omnes Dei ſeruos docuiſſe; vt ex his addiſceremus, totius noſtræ vitæ, ac cõuerſionis exordium, curſum, & finẽ eſſe; vt Chriſti Domini Crucẽ amplectamur, atque in ea duntaxat gloriemur. Qui Sanctorum geſta, & actus contemplatur, facilè animaduertit, totã Religioſi hominis vitã, quoddã pœnitentiæ





curriculum eſſe debere. Nam & B. Martinus Turonenſis Epiſcopus, cùm morti propinquus eſſet; diſcipulis, qui eum obnixè rogabant, vt vilia ſaltem ſibi ſineret ſtramenta ſupponi; reſpondit. Non decet, Filij, Chriſtianum, niſi in cinere, & Cilitio mori. Et ſi vobis aliud exemplum relinquerem, à culpa non vacarem. Id quoque de B. Hieronymo legimus, quòd cũ nuda humo vix oſſa hærentia collideret. Cùm verò de cibo, & potu agit: antiquos Monachos tam abſtinentes commemorat, vt etiam languentes aqua tantùm frigida vterentur; ſanum verò cocto aliquo cibo veſci, ad luxuriæ propè vitium accederet. Quapropter, Fratres chariſſimi, Sanctorum mores, exempla, ac doctrinas inſequentes, ab eorum fermento caueamus, qui cùm Crucis Chriſti inimici ſint, ab ea nos auellere contendunt, in qua nos gloriari, & ad mortem vſque eius diſcipulos eſſe oportet. Valete in Domino ſemper.

HÆ CONSTITVTIONES, quandoquidem eo tantùm tempore in publicum prodiêre, cùm Matthæus iam ſponte ſe Generalatus officio abdicauerat: totáque gubernationis ſumma ad Ludouicum tranſlata fuerat: idcirco ſub Ludouici nomine, atque auctoritate, exaratæ fuerunt.

LXXIV. In hoc igitur Capitulo, Matthæo, non Miniſtri, ſed Vicarij tantùm Generalis nomen inditum fuit; ea præſertim ratione, quòd noua Reformatio Magiſtro Generali Ord. Min. Conuentualium, iuxta ea, quæ in Bulla præſcripta ſunt, ſubordinatione quadam ſubjiceretur; ab eóque exinde noui Generalis ſemper confirmatio peteretur. Quod poſt Matthæum, diu in Capucinorum familia obſeruatum fuit; quouſque Pontificum benignitate, ea ſubornatione ſublata, nuper ipſa in liberum Religionis caput erecta eſt, quemadmodum ſuo loco explicabitur.

LXXV. Vicario itaque Generali electo, Guardiani quoque à Generali, ac Definitoribus ad ſua quíque loca deſtinandi, eliguntur; in quibus Ludouicus Conuentum Foroſemproniensſem moderãdum ſuſcipit, alij alios: familiæque per ſingula loca diſpertitæ ſuis Superioribus aſſignantur. Denique poſt ſolemnes, ac publicas Deo Opt. Max. gratias redditas, dum quiſque ad ſua ſibi deſtinata loca pergit: Matthæus ſe ad Viſitationis munus obeundum parat.

*Priſcorum Patrum mores, ac ſtudia referuntur.*

LXXVI. Haud ſanè facilè referri poteſt; vbi primùm puſillæ illæ Fratrum familiæ ad ſua quæque ſe loca receperunt; quanta ſpiritus alacritate ad res diuinas accederent: quàm auidè, quæ imperata erant, dicto citiùs præſtarent: ac Superioris obedientiam, necdum verbo explicatam, animo, & actione anteuerterent. Quàm ingenti paupertatis ſtudio, non tam ſuperflua reſecarent; quam ipſa quoque neceſſaria ſibi contraherent; atque vltrò, ſibi deeſſe paterentur. Quanto ſuiipſorum odio, ac contemptu, viliſſima quæque humilitatis officia ſibi inuicem ſubriperent, ac viciſſim de humilitate contenderent. Quàm incredibili patiendi æſtu admiranda auſteritatum, carniſque macerationum genera amplecterentur. Quantoque etiam Spiritus ardore Orationi, ac diuinarum rerum, præſertim Dominicæ Paſſionis contemplationi incumberent: Quo fiebat, vt nihil tam durum, tamque moleſtum eſſet, quod pro Chriſto, quem ſedulò in animo gerebant, perferre, iis leuiſſimum non videretur. Quid plura? Nullum auſteritatis genus. Nullúmque tam arduum virtutis opus erat, in quod quiſque ſummo ſtudio animum non intenderet.

LXXVII Horas diuinas tam moroſè, tamque attentè pariter, ac deuotè, abſque cantu in Choro perſoluebant, quaſi qui inter cæleſtes Angelorum Choros Dei laudes decantarẽt. Hunc ex peruetuſto Anachoretarum vſu, antiqui illi Religionis noſtræ Patres, pſallendi ritum haud immeritò ſibi vendicare viſi ſunt; vt humilis, ac flebilis cantus, qualis huiuſce Religionis ſtatus ſit; quàm ſcilicet humilis, ac pœnitentia plenus, indicaret. Cùm enim (teſte Hieronymo) Monachorum officium ſit, propria, atque aliena peccata plangere. Nobis, quibus plangentium munus incumbit, an non flebiles potiùs voces depromere, quàm lætos concentus edere, conſentaneum erit?

S. Hieron. adu. Vigil. cap. 6.

Hunc certè pſallendi modum, vniſonum, ac cantus expertem, olim primæ-

uæ Eccleſiæ communem fuiſſe tradit Iſidorus his verbis: *Primitiua Eccleſia* (inquit) *ita pſallebat, vt modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare: ita vt pronuncianti ſimilior eſſet, quàm canenti.* His conſentanea refert Caſſianus, qui de Sanctis illis Ægypti Patribus ſcribens, eos ab Angelo edoctos, duodecim Pſalmos parili pronunciatione, & ſimplici vocis tenore, vt ipſi cecinerant, deinceps canentes commemorat.

S. Iſid. de Offic. lib. 5. c. 5.
Io. Caſſ. inſt. l. 2. c. 5.

LXXIX. Nobis quoque adſtipulatur Auguſtinus, Libro Confeſſionum, qui ſimplicem hũc pſallendi ritum, S. Athanaſij teſtimonio, vetuſtum probat. Cuius verba ſunt: *Tutius mihi videtur, quod de Athanaſio Epiſcopo Alexandrino ſæpè mihi dictum commemini: qui cùm modico flexu voces faciebat ſonare lectorem; vt pronuncianti ſimilior eſſet, quàm canenti.* Neque ab Auguſtino diſſentiunt, Auctor Reſponſionum ad Orthod. quæ Iuſtino Martyri tribuuntur, & S. Ioannes Chryſoſtomus, qui ſobrium, ac ſimplicem huiuſmodi cantum mirificè commendant. Denique Chriſtus ipſe, dum B. Brigittam inſtruit, quo Pſallentes cantu vti debeant, hunc præ cæteris pſallendi modum probat. Cuius rei teſtis eſt ipſa Brigitta, ita in Reuelationibus ſcribens: *Cantus non ſit remiſſus, non fractus, non diſſolutus; ſed honeſtus, & grauis, & vniformis, & per omnia humilis.*

S. Auguſt. Conf. l. 10. c. 33.
S Iuſt. Mart. quæſt. 7.
S. Ioã. Chryſ. in cap. 1. ad Timot. c. 4. & hom. de mon. c. 5.
Reuel. S. Brigit. c. 6.

LXXX. Miſſas tanta grauitate, ac deuotione faciebant; vt ipſi Sæculares homines, qui longiùs habitabant, ad eas audiendas turmatim confluerent. Noua quippe res, ac pietatis plena cunctis videbatur, Eccleſias illas, pauperculas quidem, ſed mundiſſimas contemplari. Altaria ſimplici apparatu, at nitidiſſima ſupellectile ſtrata, atque ornata cernere. Denique cùm ibi non laqueata Templa, non aurata tecta, non ſola marmorea, non aulæa, non peripetaſmata, aut Altarium ornamenta ſericis, aut auro ſplendentia: quæ Eccleſiæ Maieſtatem in aliorum Templis rectè præſeferunt: ſed ſola paupertate cum ſumma rerum munditia, ac nitore coniuncta, decora conſpicerent: nouum Dei cultum admirabantur; ac primæuæ Eccleſiæ faciem virtute magis, quàm rerum ſplendore fulgentem ſibi intueri videbantur.

*Simplex Dei cultus.*

LXXXI. Conuentus Pauperum more extructi, vimineæ cellæ; atque anguſtiſſimæ Dormitorij viæ, quæ vix vnum incedentem caperent; horridi parietes, Clauſtrorum anguſtia, inculta ædificatio, quæ nihil præter luctum, ac aſperitatem animo obiiceret; ſpectãtium animos terrebant, & ad pœnitentiam ſuo aſpectu prouocabant: præſertim cùm nulla in Conuentu vox audiretur, niſi fortè ſubmiſſa, Silentio vbique commeante. Et ſi cui fortè cum altero quicquam neceſſariò pertractandum eſſet; vterque in genua procumberet; nec niſi genuflexi breuiſſimè rem expedirent. Cuncti ſolitudini ſtudebant, nemo gyrouagus, nemo nouarum rerum nuncius erat, ne à diuinarum rerum contemplatione cæterorum animos diſtraheret. Omnes, vel orando, vel pſallendo: vel meditando, vel legendo, vel contemplando, Deo intendebant. Qui verò Prædicationis munere fungebantur; poſt longam Orationem ſurgentes, velut leones ignem ſpirantes, ac Diabolo terribiles, Dei Verbum, tanquam ignita iacula in peccatorum animos contorquebant. Non in phaleratis humanæ eloquentiæ verbis, non compta oratione; ſed ſimplici ſermone, & in Spiritu Dei Chriſtum Crucifixum prædicabant; & iuxta Regulæ præſcriptum, vitia, & virtutes; illa fugienda, has ſectandas pro ſuggeſtu proponebant. Populos Inferorum pœnis propoſitis terrebant; atque eoſdem quoque ad cæleſtis gloriæ præmia alliciebant; tantaque incultis eorum ſermonibus Dei gratia accedebat, vt mirabiles ad pœnitentiam motus vbique molirentur.

*Ædificiorum paupertas.*
*Concionatorum vis.*

LXXXII. Illud omnium commune ſtudium erat, quo pacto Deo in omnibus ſubdi, Regulamque perfectè obſeruare poſſent; tantaque in ipſis altiſſimæ Paupertatis cupiditas ardere viſa eſt; vt non modò à rerum omnium dominio, ac proprietate, vti in Regula præſcribitur, ſummoperè abhorrerent; verùm etiam vſus ipſius dominium, ſolo vſu ſimplici, de facto, & neceſſario contenti, à ſe quàm longè abiicerent. Quo fiebat, vt qui re ſuo vſui conceſſa alterum indigere conſpicerent, piaculum exiſtimarent, niſi eam protinùs, ac liberè indigenti miniſtrarent. Rerum verò, non ne-

*Regulæ obſeruantia apud omnes perfecta.*

ceſſarium,



ceſſariarum, ac ſuperfluarum vſum ita à ſe Fratrum illa Communitas expellebat; vt quò longiùs à rerum ſuperfluitate abeſſet; ipſa quoque quæ neceſſaria erant, ſcrupuloſitate quadam ſæpiſsimè, tanquam ſuperuacanea reſecaret. Cùm enim Patres illi edocti fuiſſent, Apoſtolicam Sedem earum duntaxat rerum, quæ Fratribus neceſſariæ ſunt, dominium ad ſe attrahere; indeque ſuperuacanearum rerum proprietatem apud eos manere, qui earum vſu potirentur; taléſque reuera coram Deo proprietarios cenſeri: quiſque angue peius ſibi à rei cuiuſcunque ſuperfluitate cauebat. Quo fit, vt in Monaſteriis ſumma duntaxat rerum neceſſitas eluceret; Fratréſque nihil omnino prẹter ea, quæ à Regula illis cõceduntur, ſcilicet Tunicam, Cingulum, Femoralia, Breuiarium, ſibi habendum præſtituerent, eáque velut mutuò à Superioribus accepta apud ſe cuſtodienda retinerent.

LXXXIII. Quàm vero in his, quæ ad quotidiana vitæ alimenta ſpectant, admirabili abſtinentia, ac rerum paupertate præſtarent: illud in primis declarat, quòd ex eis quam plurimi priſcorum Anachoretarũ inſtar, ſolis leguminibus, abſq; pane veſcebantur. Alij perfectiorum veſtigiis preſſiùs inhærentes, biduum, ac triduum abſque cibo, & potu vitam ducebant. Illud verò per aliquot annos illis commune fuit: vt in menſa, nec cocta cibaria, nec vinum admitteretur; ſed pane, crudis herbis, aut fructibus, aquáque duntaxat contenti, vitam in ſumma paupertate tranſigerent. Poſt nonnullos verò in hac grauiſſima vitæ auſteritate tranſactos annos, vix vini lagenam per menſam deferri permiſſum: vt qui vel corpore debiles erant, vel ſtomacho laborabant, eo vti poſſent. Cæteri verò, vel ab eo prorſus abſtinebant, vel aquam ita vino intingebant, vt ipſam quoque aquam, quæ naturali quodam ſapore prædita eſt, inſipidam redderent. Oblatas quoque carnes, ac cætera obſonia, dummodò delicata non eſſent, ob Euangelij potiùs reuerentiam, cuius obſeruantiæ cuncta ſtudia ſua dicauerant, quàm ob illorum cupiditatem, vix ſibi recipienda perſuadebant; quibus tamen tam parcè vti ſolebant: vt vix in Conuentu; qui carnes vellet attingere, quiſpiam eſſet. Eo fiebat; vt, ſi quæ à piis hominibus nonnunquàm ad fratres mittebantur, vtplurimùm à Ianitore recuſarentur. Porrò ſi qui maiori erga Fratres beneuolentia ducti, Carnes interdum ad eos deferrent: illas ad Ianuam pendentes relinquere cogebantur, ne à Ianitore, velut ſuperfluæ repudiarentur. Res tandem eò auſteritatis euaſerant; vt cùm vbique fama percrebuiſſet; Capucinos à Carnibus abſtinere: iam nemine elargiente illæ è Conuentu prorſus larent.

*Abſtinentia, & paupertas commendantur.*
*Carniũ eſus apud eos rariſſimus.*

LXXXIV. Verua, crates, craticulæ, ſartagines, crateuteria, bacilli, forcipes, folles, ac cætera huiuſmodi vaſa, ad rem coquinariam accommodata, longè à Monaſteriis aberant: cùm vix Ollæ quædam teſtaceæ, ac lignea cochlearia, ac rudiculæ coquo deſeruirent. Refectorium, prioribus hiſce Religionis temporibus, nec menſæ, nec ſcamna ingrediebantur; ſed cuncti humi diſcumbentes cibis veſcebantur. His ſcyphi aliquandiu cucurbitarum ima extitêre: vt ſummam paupertatem teſtarentur: tum verò vel ligni, vel teſtacei, iique duntaxat viliſſimi, adhibiti. At neque alterius generis, quàm vel ligneæ, vel teſtaceæ illis lances, patinæ, ac paropſides fuêre: quod perpetua lege ſancitum; atque ad hæc vſque tempora apud nos integrè ſeruatum eſt. Porrò, vt B. P. N. Franciſci pœnitentiam ſtudioſiùs imitarentur, qui cibaria interdum cineris commiſtione amara reddebat; tota illa tempeſtas cineres in ſalillis pro ſale compoſiti. Denique ita rerum parſimoniæ priſca illa Patrum ætas ſtudere viſa eſt, vt cùm ſemel tantùm in die cibum caperent; qui extra ieiunij tempus veſpere aliquid guſtare voluiſſent, è ceſtula, panis fruſtula, quæ prandio ſuperfuerant, ſibi in Cœnam aſſumerent.

*Admiranda auſteritatis exempla.*

LXXXV. Cæterum cùm ad quietem accederent; ſolis tabulis, ipſo quoque brumali tempore, membra refouere; nihilque puluini loco, præter ligni ſegmentum, aut vitis ſarmentum: vel feniculi faſciculum capiti ſupponere communi vſu apud omnes receptum. Quòd ſi ex generalium Conſtitutionum indulgentia, quis ſibi paleas

*Lecti auſteritas deſcribitur.*

ſubſternere

ſubſternere voluiſſet : cannabino linteo, vel clauis in tabulis confixo ; vel funiculis ad laterales tabulas alligato, paleas, ne diſpergerentur, nullo vnquam tempore diſcutiẽdas obtegebat. Præterea cùm altiſſimæ Paupertatis ſtudiũ tam altè ſibi animo repoſuiſſent, vt his omnibus carere vellent, quæ hominum vitam recreare, aut leui aliquo ſolatio, ſeu commodo afficere ſolent : inde ſepè fiebat, vt cum iis ipſis, quæ Naturæ neceſſaria ſunt, ſumma contentione diſceptarent. Hinc vnico tantùm habitu, viliſſimo, breuiſſimo, atque vndique interpolo, rigentibus ipſis hyemis frigoribus contenti, nudis pedibus glaciem, ac niuem premere non dubitabant. A fructuum verò, aut leguminum, per minimum quodque diuturnum tempus prouiſione ita abhorrebant ; vt neque ea, quæ ex prandio ſupererant, præter panem, in craſtinum reponendum vellent ; ſed cuncta pauperibus erogarent.

*Eccleſiarum, ac rerum Eccleſiaſticarũ Paupertas narratur.*

LXXXVI. Poſtremò, tam ardenti ſtudio altiſſimam rerum paupertatem, ac egeſtatem in omnibus proſequebantur : vt ipſas quoque Eccleſias paupertate magis, quàm rerum pretioſitate decoras expeterent. Tabernaculum, in quo anguſtiſſimum illud diuinæ charitatis Sacramentum aſſeruatur ; humile, anguſtum, atque è ſimplici ligno leuigato fabrefactum, nullaque ſculptura hoc tempore cælatum erat : cui duntaxat poſt aliquot annos picturæ nonnullæ, Chriſti Crucifixi, atque aliorum Sanctorum Imagines præferentes additæ fuerunt ; vt rem Sacram eſſe indicarent. Sacra verò diuiniſſimi Sacramenti Pixis, in qua Minores Oſtiæ reconduntur, eburnea quædam capſula erat, intùs ſacra palla munita. Calices, & patenæ vt plurimum Stanneæ, Thurribulum teſtaceum, lineis funiculis appenſum : Nauicula lignea, ſeu cartacea, Candelabra lignea, nullo tornatili opere fabrefacta ; ſacræ Veſtes, vel laneæ, vel lineæ. Quanquam verò in his nonnihil, ob ſummum paupertatis ſtudium viderentur excedere : eò tamen hæc omnia ſpectabant, non vt aliarum Eccleſiarum ſplendori quicquam detraherent, aut pretioſiorem, ac vberiorem ſuppellectilem, qua in Cathedralibus, atque aliorum Regularium Eccleſijs Dei cultus ritè, ac decenter adminiſtrari ſolet, minùs (quod abſit) legitimam exiſtimarent ; ſed vt rerum omnium paupertas, quæ Minorum ſtatum maximè decet, in iis etiam, quæ ſacra ſunt, eluceſceret. Neque id mirum alicui videri debet ; Paupertas enim, quæ in Minorum Regula Altiſſima prædicatur, quámque B. P. Franciſcus adeò commendare ſolitus erat ; vt maximam quamque egentium paupertatem ob id potiſſimùm, cum ea haud rectè comparari poſſe exiſtimaret, quòd ea altiſſimam, ac perfectiſſimam Chriſti Paupertatem imitetur ; id ſuapte natura poſtulare videtur ; vt qui Minorum militiæ nomina dedêre, non modò rerum omnium à ſe dominium, ac poteſtatem abiiciant ; ſed ab omni etiam rerum pretioſarum, curioſarum, ac non neceſſariarum vſu abſtineant. Cuius rei extat Clementis V. Decretum pro Minoribus Fratribus his verbis conceptum.

Clem. exiui. §. quamuis

*Quamuis etiam* (inquit) *paramenta, & vaſa Eccleſiaſtica ad honorem diuini Nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipſe Deus : tamen quia abſconditorum eſt cognitor, ad animum ſibi miniſtrantium reſpicit principaliter, non ad manum : nec per illa ſibi vult ſeruiri, quæ à ſuorum ſeruitorum cõditione diſſonarent. Propter quod ſufficere debent eis paramenta, & vaſa Eccleſiaſtica decentia in numero, & magnitudine ſufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia precioſitas, vel quæcunque curioſitas in his, ſeu alijs quibuſcunque non poteſt ipſorum profeſſioni, vel ſtatui conuenire. Quapropter præmiſſa ſeruari à Fratribus volumus, & mandamus.* LXXXVII

Quamobrem, docente Pontifice didicerant, internum animi cultum externo eſſe præferendum : ſatiúſque exiſtimabant ; Sacerdotes aureos, quàm Calices ; aut aureos, aut argenteos ſibi vendicare. LXXXVIII

Hæc Fratrum prioris illius æui vita erat, tanto diſciplinæ rigore inſtituta ; tamquè ad extremam paupertatis metam contracta : vt de ijs quidam Hiſtoricus ſcripſerit, ſummum illum auſteritatis rigorem, qui in priſcis illis Capucinis olim ſpecta- LXXXIX.





tus fuit, ſupremum fuiſſe naturæ periculum, ac conatum, quo vlteriùs nemo progredi valeret.

XCI. Porrò hic primus Religionis rigor, qui ad exceſſum vergebat ; quanquam aliis Conſtitutionibus, quæ anno 1536. emersêre, nonnihil moderatus, atque ad diſcretam, ac mediocrem quandam viuendi formam reuocatus fuerit : parum tamen ab eo abeſt : qui etiamnum apud poſteriores Capucinos viget, de quo Auctor quidam hæc pauca commemorat, cùm de Capucinis agit.

Romæus de ſept. ſanctis E. N. in S. Euphebio.

*Dauidis Rom. de Capucinis teſtimonium.*

XCII. *A Deo enim, hominibuſque adiuuantur viri ij, cùm ſint omnis virtutis, pudoris, innocentiæ, veteris ſanctitatis, & priſcæ ſeueritatis exemplum. Intra Vrbium muros habitare nolunt, nec domos magnas, nobiles, præclaras, vel dignitatis plenas ædificare ; neque laqueata Templa, aurata tecta, ſolea marmorea in Templis facere : Nullam ibi vides ſuppellectilem, aulæa, & peripetaſmata, aut veſtes præclaras : vno veſtitu, quo dies, & noctes totum corpus tegunt, induti ſunt ; viciſſim illum mutant. Eſt laneus, obſoletus, ſeruilis, aſperior, quàm cilicium, penè glaucus ; ob cuius veſtimenti genus Capucinos Vulgus appellat. Puto eſſe penulam laneam, talarem, vel bardocucullum, vel non diſſimilem. Habent lectulos punicanos. Nulla facultas ſingulis datur, vt aliquid ſuo arbitratu, vel ex ſua voluntate faciant. Cuſtodi, quem vocant, ſe totos dedunt. Nihil cuiuſquam proprium eſt, vltrò in ſumma mendicitate ſunt, ac omnino ſine cura diei venientis : in diem, alienaque miſericordia viuunt : nummos non attingunt : oſtendunt quàm parua, & quàm pauca ſint, quæ natura, quæque Religio Chriſtiana deſideret. Veſcuntur caſeo, carne, atque omnibus eſcis : habent ſæpe ſuas inedias, quæ ieiunia appellantur. Contemplationem actioni anteponunt ; ſemper contemplantur, precantur. Hominem peccata confitentem non audiunt. Religione Chriſtiana concionantur gratis : atque in ſuis Templis Muſicam non tractant, neque cantare, nec pſallere diſcunt. Seipſos virgis, & flagellis cædunt. Ne otio langueſcant, veſtes diſciſſas reſarciunt, vel fodiunt. Sunt denique viri iuſti, modeſtiſſimi, ac penè humiles : vita duri, corpore incultu, horrido, & duro.*

*Matthæus Generalis Fratres viſitat.*

XCIII. Hinc, cùm primùm Matthæus Fratrum viſitationem inſtituit : non vt rebelles, ac inobedientes domaret, non vt garrulos compeſceret, non vt Paupertatis tranſgreſſores inſectaretur ; non vt ſuſurrones pœnis adſtringeret, aut flagitia perſequeretur, operis, aut laboris quicquam impendere, illi opus fuit : ſed potiſſima illius viſitationis vis in eo ſita erat ; quomodò Paupertatis, auſteritatum, macerationum carnis, vigiliarum, ieiuniorum, orationum, atque aliarum virtutum exceſſus corrigeret, fræno cohiberet ; & ad perfectam virtutis Regulam reuocaret. Huc illius ſermones, monita, ac præcepta ſpectabant : vt feruentioris ſpiritus ſtudia, ac virtutum exercitationes, quæ vltra veræ diſcretionis metam proſiliebant, moderaretur, atque intra mediocritatis terminos contineret. Illius porrò ad Monaſteria acceſſus typho omni, ac ſuperbia vacabat. Etenim hic in ipſius viſitatione mos à Fratribus obſeruabatur : vt cùm primùm is ad Monaſterium accederet, cuncti Fratres illi obuiam procederent ; terque ſanctiſſimum nomen Iesv communi voce deuotiſſimè inclamarent : quibus ipſe eodem toties perſonato nomine reſpondebat. Eo deinde Eccleſiam ingrediente, cuncti Fratres ad illius pedes proſtrati, ab eo benedictionem accipientes, ipſius manus in reuerentiæ, ac ſubiectionis ſignum deoſculabantur. Adorata demum ſanctiſſima Euchariſtia, & nonnulla ibi oratione perſoluta, linteolis ſudorem abſtergebant ; pedes lauabant, atque omnia Charitatis officia, quæ aduenis præſtari ſolent, amantiſſimo Patri alacriter exhibebant. Ipſe verò hilari vultu, ac paterno amplexu vniuerſos excipiens ; non Generalem, non vt Gregi dominantem, ſed omnium Fratrum, ac Seruum ſeipſum præſeferebat : eóque fiebat, vt illius aduentus cunctis Fratribus expectatiſſimus eſſet, ſummáque ab omnibus voluptate exciperetur. Tanta enim illi morum ſuauitas inerat, tamque in eo humilitatis, manſuetudinis, affabilitatis, Charitatis virtutes elucebant : vt vniuerſos ad ſui beneuolentiam alliceret ; nec niſi ægrè, ac difficilè Familiæ, quæ eum ſemel receperant, à ſe abire permitterent. Quamobrem diutiùs in Monaſteriis, quibus ius

viſitationis impendebat, morari compellebatur, vt Fratrum votis, ac ſupplicationibus faceret ſatis.

*Quanam Matthæus in viſitatione Fratribus proponeret.*

Quæ verò in Viſitatione publico ſermone Fratribus proponebat: hæc potiſſimùm XCIV.
erant. Primùm, vt vniuerſos in Religionis vocatione conſtantiores redderet, Capucinorum Reformationem non ab alio, præterquam à Deo profectam eſſe; atque adeò diuinum opus eſſe prædicabat; vt non niſi B. Virginis, ac S. P. Franciſci potentiſſimis ſuffragiis à Deo impetratam fuiſſe, velut certum aſſeueraret. Idcirco eam & à Deo amplificandam, ac diuina virtute corroborandam eſſe affirmans; id pleriſque ſignis, ac certiſſimis teſtimoniis perſuadebat. Hinc Fratres ad Deo gratias agendas, ac diuinas laudes pro tam ſingulari dono perſoluendas, excitans. Altiſſimam vocationem, quam à Deo acceperant, grauiter animis inſinuabat; ne ea vnquam illis è memoria excideret; ſed eam dignis moribus, ac virtutum omnium ſtudio perficiendam curarent.

*Altiſſima Paupertas, à Matthæo commendatur.*

Præterea, cùm ex rerum Cupiditate, velut ex radice, omnium malorum, ac vitio- XCV.
rum germina pullulare ex Apoſtolo doceret: Hinc altiſſimam illis rerum omnium Paupertatem, non tam voti Religione, quàm propenſiori animi ſtudio concipiendam, ſequendam, amplectendam, proponebat. Hanc velut chariſſimam Chriſti ſponſam, atque à B. P. Franciſco illis Teſtamento relictam miris verbis extollens, nihil præ illa magis commendare videbatur: atque vt Fratrum animos ardentiùs in eius amorem accenderet; ſibi diuinitùs reuelatum fuiſſe affirmabat, eos duntaxat veros, ac perfectos S. P. Franciſci filios à Deo cenſeri, qui omnibus Mundi cupiditatibus abdicatis, perfecta rerum omnium Paupertate illi adhærerent. Tam enim B. Patrē hac ſancta Paupertate delectari dicebat: vt ea filios ſuos ab alienis diſcerneret. Idcirco aiebat altiſſimam in Regula appellari: quòd ea Minores Fratres omni rerum Conſtitutione ſublimiores, ac Mundo ſuperiores, ad ſummam, atque altiſſimam virtutum perfectionem euehat.

Sæpè inculcabat pius Pater, abſque hac Spiritus Paupertate, quæ omnem ab ani- XCVI.
mo rerum cupiditatem arceat: neque puram Orationem Deo offerri, neque puras manus ad Cœlos à Fratribus extolli poſſe. Tantilla enim, tametſi modica cupiditas, animum, ac manus ita labefactat: vt Oratio ab ea munda, ac pura ad Deum euolare minimè queat.

*Orationis aſſiduitas quã neceſſaria.*

Cæterùm aſſiduam quoque Orationem, velut omnium virtutum parentem, ac XCVII.
Deo coniunctiſſimam illis amplectendam ſuadebat, ſine qua nec Spiritus Paupertas, nec diſciplinæ rigor, nec Regularis obſeruantia, nec vlla virtutum ſtructura diu ſtare poteſt. Hanc velut ad omnia neceſſariam, vehementiſſimis verbis Fratrum animis ingerebat; ſæpéque cum Bernardo clamabat. *Frater, ora iugiter, precare Deum diebus, ac noctibus. Oratio ſit ſine ceſſatione; Oratio ſit frequens. Orationis ſint arma aſſidua; Oratio de ore tuo non cadat, inſiſte Orationi, frequenter incumbe Orationi. Geme ſemper, & plange. Surge in nocte ad precem, vigila, & ora: pernocta in Oratione, & prece, incumbe nocturnis vigiliis. Ad modicum clauſis oculis rurſus ora. Oratio frequens Diaboli iacula ſubmouet; Oratio quotidiana Diaboli tela exuperat. Oratio eſt prima virtus aduersùs tentationum incurſus: Oratio ſuperat tentamenta inimicorum, vincit Dæmones, ſuperat immundos ſpiritus.*

D. Bernard. ſerm. 49.

Rurſúſque cum Ioanne Climaco inſiſtebat: Orationem Angelorum eſſe opus, incorporearum omnium virtutum cibum, virtutum fontem, gratiarum miniſtram, profectum inuiſibilem, nutrimentum animæ, mentis illuminationem, triſtitiæ ſolutionem, Monachorum diuitias, ſolitariorum theſauros, & ſpeculum profectus.

Ioan. Clim. grad. 28.

Poſtremò ad Euangelicam perfectionem, ſuprema Dei, & proximi Dilectione XCVIII
apprehendendam; atque ad puram Regulæ, ac Conſtitutionum obſeruantiam, integramque B. P. Franciſci imitationem, vniuerſos illis Prophetæ verbis hortabatur. *Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ vos peperit.* Ex quibus illud tandem conficiebat; tanti Patris Filios, nouo ipſius ſpiritu genitos, & ad Reformationis

Iſa. 51.

*S. P. Franciſcus à filiis imitandus.*

ſinum



ſinum vocatos, non decere eſſe degeneres: ſed in id maximè omnes eniti oportere, vt Patris veſtigiis inſiſtant, atque illius virtutes æmulentur.

XCIX. His hortationibus pius Generalis, Fratrum animos diuina iam charitate flagrantes incendens, ad omnium virtutum profectus prouocabat: tantúmque apud omnes ſibi gratiæ, ac beneuolentiæ conciliabat: vt cùm primùm ab iis diſceſſum pararet, omnes eum tenere, cuncti illius pedibus prouolui, & vt diutiùs apud eos maneret, rogare ſatagerent; vniuerſi tandem abeuntem profuſis lachrymis proſequerentur.

*Matthæus Generalatus officio ſe abdicat.*

C. Prima igitur hac Fratrum Viſitatione expedita, quæ duorum circiter menſium ſpatio abſoluta fuit; cùm Matthæi animus, ab ea Prælatione, cui inuitus humeros ſuppoſuerat, eò maximè abhorreret, quòd & illi gerendæ ſe ineptum putaret; & minùs eam ſuæ vocationi conſentaneam duceret, qua ad Dei Verbum longè latéque populis prędicādũ impellebatur, à qua tādem ſe eo munere præpediri ſentiebat: diu apud ſe diſcuſſa, ac Deo precibus commendata, in eam tandem animi deliberationem venit; eo ſeipſum Generalatus Officio ac poteſtate abdicare: priſtinamque, ac germanam Dei vocationem ſequi. Quapropter vbi ad Foroſempronij Monaſterium appulit; eò cæteris Definitoribus, ac Patribus accerſitis, iuſtiſque cauſis allatis; quicquid contrà illi perſuadere niterentur, Religionis ſigillo, Diplomate, ac Bulla coram omnibus depoſitis, cum iis ſimul & Generalatus Officium exuit: collachrymantibus cunctis, & communis Patris conſilium, ac deliberationem lugentibus.

*Ludouicus à Foroſemp. ſub Commiſſarij titulo Fratres viſitat.*

CI. Mox cuncti in Ludouicum, qui primus ordine Definitor erat, & ad quem ex antiqua Ordinis lege, & conſuetudine illius muneris gerendi cura ſub Commiſſarij nomine ſpectabat, oculos coniiciunt; eúmque Patrem, ac puſilli Gregis Paſtorem agnoſcunt. Ludouicus verò cùm primùm, ex Matthæi renunciatione, Gubernationis onus ſibi ſenſit incumbere; Bernardo in Foroſemproni enſi Conuentu Vicario ſibi ſubſtituto, inſtitutam à Matthæo Fratrum Viſitationem proſequitur.

CII. Hanc Matthæi renunciationem, non tam ab humano illius ſpiritu, quàm à Dei conſilio profectam fuiſſe, id inter alia potiſſimùm perſuadet: quòd cùm Matthæus Vir ſimplex, facillimis moribus, & quietis amator eſſet, minúſque ad negotia gerenda aptus videretur: plurimæ, aſperioreſque in hoc primo Religionis ortu, in eam perſecutionum procellæ à communi humani generis hoſte concitandæ erant, quæ maximam Moderatoris ſolertiam, ſummamque in agendo prudentiam, ac ſollicitudinem expoſcerent: quapropter ſingulari Dei prouidentia factum eſt; vt & Matthæus hac ſe cura, ac rerum ſollicitudine liberaret, & totius gubernationis ſumma penes Ludouicum reſideret: Qui cùm vir ingenioſus, induſtrius, gnauus, ac plurima in rebus agendis ſolertia, atque in laboribus perferendis, fortitudine præditus eſſet; hæc naturæ dona, quæ Deus Opt. Max. Ludouici animo indiderat, quæque Dei Sapientia ad ſua conſilia implenda minimè aſpernari ſolet: ſibi ad nouæ Religionis præſidium, ac profectum famulari voluit; vt inter tot malorum, atq; ærumnarum turbines, quibus ea paulò poſt iactanda erat, illi moderator eſſet, cuius ductu immota inter fluctus conſiſteret.

*Ludouicus Romam proficiſcitur.*

CIII. Interea Ludouicus variis de cauſis, atque ea potiſſimùm, apud ſe de Romana profectione cogitat; quòd Religionis gubernationem, quæ ob Matthæi renunciationem vacauerat, Apoſtolica auctoritate ſibi cōfirmari; ac domicilium ſibi, ſuiſque in Romana Vrbe parari neceſſarium duceret; quò faciliùs, & perſequentium machinationes, quas futuras formidabat, eludere; & Religionis rebus opportuniùs conſulere valeret. Quapropter re cum Catharina Camerinenſium Duciſſa communicata, ac deliberata; ab ea literas ad Pontificem, & ad Victoriam Columnam Aterni, ſeu Piſcariæ Marchioniſſam; Fœminam illuſtrem, & ſi quæ alia, virtutis laude florentem, accipit, maturéque Romam proficiſcitur: vbi cùm primùm de

Monaſterio

Monaſterio in Vrbe ædificando, cum Victoria git; acuius tandem operaÆdiculam quandam Beata Maria Virgini dicatam; quæ S. Mariæ Miraculorum appellabatur, ab Hoſpitalis S. Iacobi Incurabilium domus Rectoribus impetrat, vbi primam in Romana Vrbe ſedem ponit. Erat Ædicula hæc propè Portam Flaminiã, quæ nunc Populi nuncupatur, non longè à Tiberi diſtans; cui Domuncula quædam coniuncta erat, quæ pij olim cuiuſdam viri opibus extructa, ſimul cum Æde in ius tandem, ac poſſeſſionem Domus Hoſpitalis S. Iacobi Incurabilium ab eodem tranſlata fuerat.

*Ludouicus Ædē S. Mariæ Miraculorum incolendam ſuſcipit.*

Huc igitur cùm Ludouicus nonnullos cum ex Foroſempronij, tum ex Colmenzoni Conuentu Fratres aduocaſſet; in parua hac Fratrum Familia eò lubentiùs cōſidere cœpit; quò vniuerſi ſe felicioribus auſpicijs à Deipara Virgine Romam adductos, ac ſua ſub tutela, & domicilio receptos exiſtimabant. Dum igitur ibi in omni humilitate, pœnitentia, ac paupertate Domino famulantur; erumpente inde aſperioris illorum vitæ fama; Romanis res prorſus noua viſa eſt, aſperrimum illud vitæ genus, tam ingenti paupertatis ſtudio excultum, tamque ab omni rerum humanarum cura ſemotum intueri: idcircò homines admirabantur, ac velut cæleſtia quædam prodigia ſuſpiciebant. Indeque factum eſt, vt ex illuſtrioribus Viris quamplurimi, tam præclara hominum virtute allecti; erga nouam Religionem ſtudioſiùs afficerentur. In his præſertim fuit Victoria Columna Aterni Marchioniſſa, cuius ſupra meminimus; quæ cùm animi pietate, gratia, naturæ indole, ac præclàris omnium virtutum dotibus, tum vitæ dignitate præſtaret: tam ardenti ſtudio, ac ſollicitudine Capucinorum res tueri cœpit; vt haud ſecus quàm altera Catharina Ciboa, materno planè affectu, nouæ Religionis ſobolem proſequeretur. Aſcanius quoque Columna, Camillus Vrſinus, Nicolaus Buffalinus, atque alij illuſtriſſimi Romanæ Vrbis Patritij eo tempore nouam Reformationem ſua beneuolentia, ac patrocinio complexi, vbique ſe illius Patronos, ac fautores gerebant: quorum pietas, & auctoritas cùm proſperis, tum maximè aduerſis deinde Religionis rebus, plurimùm contulit. CIV.

*Ludouicus Rheginus, & Bernardinus Georgius, de Obſeruantia, Reformationi ſtudent.*

Dum hæc Romæ ita aguntur, Deus Opt. Max. qui nouam Reformationem ſupremo conſilio longè latéque propagandam decreuerat; quorundam Patrum de Obſeruantia, qui apud Calabros virtute, ac ſanctimonia plurimùm præſtabant, animos ad Reformationem excitat: inter quos illuſtriores erant Ludouicus, & Bernardinus, qui & Georgius dicebatur, ambo Rhegio, notiſſima Calabriæ Ciuitate orti. Hi vt Patria, ita & animo, & virtute coniunctiſſimi, eodem ferè tempore, ſi non antea, quo Matthæus in Piceno, ipſi quoque in Calabria ſummo ſtudio Reformationi incumbebant: tametſi ea, quæ à Matthæo in Piceno fiebant, penitùs ignorarent. Hac de cauſa, vnà è Calabria Romam proficiſcentes, à Clemente Septimo, qui non pridem Apoſtolicæ Sedis clauum moderandum ſuſceperat, facultatem impetrant; qua ſeorſum à cæteris familiæ Fratribus, in Conuentu ſanctorum Apoſtolorum, qui eò tempore ſub Minorum Obſeruantium cura, ac poteſtate erat, propriæ Reformationi vacarent. Ibi cùm per aliquod temporis ſpatium demorati, Reformationem nedum in meliùs proficere; ſed potiùs paulatim dilabi conſpicerent. Diplomate à Pontifice impetrato, quo nonnulla Reformationis loca in Calabria illis eligere licebat, in quibus ipſi, & quotquot Reformationis ſtudium amplecti vellent, Regulam obſeruare poſſent, in Calabriam redeunt, Anno Dom. 1526. vbi tres ſibi ad Reformationem Conuentus eligunt; nimirum S. Sergij Tropiæ, ſancti Franciſci Terræ nouæ, & S. Philippi Quinquefrondium, qui Recollectorum Conuentus exinde appellari cœperunt. His in locis, dum omnes in oratione, ieiuniis, paupertate, ac plurima vitæ auſteritate Domino inſeruientes, diuinam cum primis cementiam exorant (quæ cunctorum vna vox erat) vt perfectiorem illis viam aperiat, qua ad puriorem Regulæ Obſeruantiam pertingant. Deo præſertim inſpirante factum eſt, vt cùm ab Obſeruantium familia non leuiter his in CV.

locis



locis infeſtarentur; Ludouicus, vt ſe, ſuoſque aliquando tandem ab his moleſtiis liberaret; Bernardinum Georgium rurſus Romam mittere compulſus fuerit: vt alterum ab Apoſtolica Sede Diploma obtineret, quo omnino ab Obſeruantium familia, ac imperio diſſuti in Eremum S. Angeli de Valle Tucis Diœceſis Rhegienſis, ſe reciperent.

*Bernardinus Georgius Romæ cum Ludouico Foroſemp. colloquitur.*

CVI. Bernardinus itaque hoc ipſo anno Romam profectus, vniuerſis, quæ optabat, ab Apoſtolica Sede latis; dum ſecum de reditu in Calabriam cogitat; nouam Capucinorum Reformationem Apoſtolica auctoritate nuper confirmatam, ſub Minorum Eremitarum titulo, ſeorſim ab Ordine emerſiſſe audit: quòd cùm eatenus illum latuiſſet: vt certam rei veritatem exploret, ſtatim Ludouicum Foroſempronianum adit; à quo vniuerſa, quæ à Matthæo geſta fuerant, ac totam propagatæ Reformationis ſeriem addiſcit; Bullam quoque ab Apoſtolica Sede latam inſpicit; iſque viciſſim ſuum, ac Ludouici Rhegienſis, ac multorum ad veram, ac ſtabilem Reformationem anhelantium eidem animum aperit; & quo conſilio Romam venerit, quidve ab Apoſtolica Sede tulerit, ſponte indicat. Bernardinus igitur, cùm inde ſibi, ac Ludouico, tutiorem, ac patentiorem ad Reformationem viam apertam cerneret: re cum Ludouico compoſita, ab eo impetrat; vt ſe, Ludouicum Rheginum, ac duodecim, quos in Eremo S. Angeli de Valle Tucis degere compertum fuerit, Capucinorum Reformationi aſſociet. Rem tamen in Calabriam vſque differendam eſſe affirmat: vt ea Ludouico, ac cæteris ſignificari valeat.

*Ludouicus Foroſempr. Bernardinũ, Ludouicum, ac plures alios Reformationi adiungit.*

CVII. Ludouicus itaque vbi Bernardinum, ac cæteros ad nouæ Reformationis ſocietatem, Camaldulenſium Priuilegiorum, quæ illi communicata fuerant, vigore adiunxit; iiſdem mandat, vt omnes quàmprimùm ſe ad Capucinorum habitus formam componant; Regulámque iuxta præſcriptas Conſtitutiones ſeruent. Quamobrem ei quadratum Caputium, ac Conſtitutionum, ſimulque Bullæ exemplaria tradit: Poſtremò facultatem largitur, vt Capitulum celebrent, ac Prouincialem eligant: quem protinùs ſibi Generalem Commiſſarium ea auctoritate ſubſtituit; vt & alios Congregationi aſſociare, ac noua loca ædificare valeat. Hæc ita hoc anno inter Ludouicum, ac Bernardinum tranſacta fuiſſe, teſtatur quoddam Manuſcriptum ad nos à Rhegienſi Prouincia tranſmiſſum, in quo publicum huius Rei monumentum à Tabellione exceptum habetur, his verbis.

*Acta inter Ludouicũ Foroſempr. & Bernardinum Rheginum exarantur.*

*IN NOMINE DOMINI. AMEN. Anno à Natiuitate Domini 1529. Ind. 2. Menſis Auguſti die 16. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Clementis diuina prouidentia Papæ VII. anno 6. In præſentia mei Notarij, & teſtium infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum Conſtitutus Vener. in Chriſto P. Fr. Ludouicus Foroſempronienſis, Vicarius Generalis Ordinis Minorum de Vita Eremitica ſecundùm Regulam B. Franciſci, aſſeruit, ſe habere quaſdam literas Apoſtolicas. quas & authenticas demonſtrauit, ac de verbo ad verbum legendas tradidit, quarum principium tale erat.*

*CLEMENS Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Ludouico: & Raphaëli Foroſempronienſibus, &c. Ex quarum vigore; & ex eo præſertim, quòd vltima priuilegia conceſſa Fratribus Ordinis Minorum gaudent priuilegijs, & gratijs hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis Fratribus Eremitis Eremi Camaldulenſis S. Romualdi, tam in genere, quàm in ſpecie: in quibus Camald. conceditur poſſe recipere ad ſuum conſortium, nedum venientes Sæculares, ſed etiam Eccleſiaſticas, ac Religioſas perſonas cuiuſcunque Ordinis, ac Profeſſionis exiſtant, vt patet in nobis oſtenſis, & eorum lectis authenticis literis Eugenij Papæ confirmatis, & corroboratis*



per

*per Leonem X. vt per ſuas authenticas literas, quæ etiam coram nobis prælectæ ſunt, patet, quarum Eugenij literarum tenor talis eſt. Eugenius Epiſcopus Seruus ſeruorum. Dilectis filijs Priori, & vniuerſis Fratribus Domus Fratrum Eremi Camald. præſentibus, & futuris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, &c. Quapropter præſentialiter, & coram nobis Fr. Bernardinus, Georgius de Rhegio, & Fr. Antonius de Randolis Prouinciæ Calabriæ, Sacerdotes Ordinis Minorum de Obſeruantia, comparuerunt; aſſerentes, quòd nuper eis conceſſum & indultum Apoſtolica auctoritate, vnà cum decem, ſeu duodecim alijs eiuſdem Profeſſionis Fratribus poſſint extra Ordinem, iuxta Regulam Fratrum Minorum Vitam Eremiticam ducere; & patet per authenticas; & coram nobis lectas literas ſacræ Pœnitentiariæ. Et propterea deſiderant vnà cum præfatis Fratribus, & eorum Eremo S. Angeli de Valle Tucis Rheginæ Diœceſis, recipi in conſortium ipſorum Fratrum Minorum de Vita Eremitica B. Franciſci, & ſub eorundem Obedientia eis penitùs incorporari: vt ſic Vitam propoſitam non extra, ſed in ipſo Ordine præfato, & Congregatione Minorum profiteri poſſint. Eapropter ſupplices prædictum P. F. Ludouicum, Generalem Vicarium obſecrarunt, quatenus eorum precibus benignum præſtans auditum, dignetur illos recipere; & ſibi, ac præmiſſæ Familiæ aggregare. Qapropter dictus Pater eiuſdem Congregationis Generalis Vicarius eorum ſupplicationibus annuens, ad eorum animarum ſalutem, & Dei gloriam; nedum auctoritate communis iuris, qua cuique conceditur poſſe licitè ad ſtrictiorem vitam tranſire: ſed etiam vigore præmemoratorum priuilegiorum, in ſuæ Congregationis gremium eos præſentes, rogantes, & conſentientes, & præfatos alios decem, ſeu duodecim, iuxta præfatam Bullam Pœnitentiariæ receptos, vel recipiendos vnà cum Eremo præfato recipit, illos Familiæ antedictæ Ordinis Minorum de Vita Eremitica B. Franciſci, vniendo, ac incorporando, & præſentium tenore eos receptos, aggregatos, vnitos, & incorporatos dictæ familiæ declarando: ordinans eis inſuper, & præſentium tenore demandans, quatenus in Prouinciam Calabriæ accedant, ibique vnà cum alijs ſe tam in habitu, quàm reliquis actibus ad Obſeruantiam puritatis Regulæ Fratrum Minorum pertinentibus præfatæ Familiæ conforment: ac ſic conformati vnum ex eiſdem Prouincialem Vicarium canonicè eligant. Quem ſic electum præfatus P. Ludouicus nedum in Vicarium in Prouincia Calabriæ, ex nunc, prout ex tunc confirmat: ſed etiam in ſuum Commiſſarimm in plenitudine poteſtatis inſtituit, inſtitutumque declarat, tradens ei omnimodam poteſtatem recipiendi Fratres, ac multiplicandi loca, & Eremos iuxta eiſdem conceſſa priuilegia; prout magis Regulæ B. Franciſci omnimodæ Obſeruantiæ videbitur expedire. Et denique omnia, & ſingula faciendi, & attentandi, quæ ipſemet faceret, & attentaret. Ad quorum omnium fidem vtraque pars me Notarium rogauit infraſcriptum, vt de prædictis cunctis publicum conficerem inſtrumentum; vnum, vel plura, prout opus fuerit, ad ſenſum ſupraſcriptis non mutata ſubſtantia veritatis. Actum Romæ in Regione Campi Martij, in Domo habitationiss Domini Berardi Rutæ Neapolitani. Præſentibus ibidem Nobilibus, ac RR. Viris infraſcriptis.*

*R. D. Berardo Ruta, Abbate Ioanne Thoma Bardana Rhegino. D. Hieronymo de Aleſſio à Catanzario, D. Matthæo Giaria Rhegiano, & D. Marco teſtibus ad præ-*





*miſſa vocatis, atque rogatis.*

*Ego Franciſcus Vannutius Clericus Romanus publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, Archiuij Romanæ Curiæ Scriptor, quia prædictis omnibus vnà cum præfatis Teſtibus præſens fui, & in notam ſumpſi: ideò in fidem & teſtimonium præmiſſorum omnium, & ſingulorum me ſuſcripſi, & publicaui: méque ſolito ſigno ſignaui, vnà cum appenſione ſigilli Archiuij Romanæ Curiæ in cera rubea, & capſula lignea & cordula ſimilis coloris impreſſi pendentis rogatus, & requiſitus. Ego qui ſupra Berardus Ruta de Neapoli Apoſtolicus Protonotarius teſtis interfui, & me propria manu ſuſcripſi. Ego Abbas Ioannes Thomas Bardanus Rheginus teſtis ſum, ac interfui, & me propria manu ſuſcripſi. Ego Matthæus Hiaria de Rhegio teſtis interfui, & me manu propria ſuſcripſi. Ego Marcus de Falco Clericus Neapolitanus teſtis ſum ad ſupradicta, & in omnibus interfui.*

CVIII. His igitur inter ſe conſtitutis, Bernardinus in Calabriam ad Ludouicum, lætus reuertitur: vbi quæ à Ludouico Foroſemproniano, de Capucinorum Reformatione, de diuina eius inſtitutione, de Apoſtolicæ Sedis confirmatione, de vitæ auſteritate, ac Regularis Obſeruantiæ perfectione didicit, vidit, tulit, ſumma omniũ voluptate narrat: Bullam profert, Conſtitutiones oſtendit, Caputium exerit: quod cùm ei ſimillimum eſſe animaduerterent, quod Beati Petri, ſocij quondam Beati Patris Franciſci fuerat, quod Apruſto, Lucaniæ Oppido, aſſeruatur: cuncti antiquam Caputij formam agnoſcunt; omnes illud oſculis petunt, ac venerantur. Ludouicus verò quanquàm libenter ſe, & alios in eam habitus formam quamprimùm componere optaſſet: veritus tamen, ne Capucinorum Reformatio, quam maximis vndique procellis ab Ordine concitatis, iactari præſenſerat; tandem obruta demergeretur, nonnihil cunctandum cenſet; vt quis rerum exitus futurus ſit, prudentiùs expectet.

*Bernardinus Georgius Calabriam redit, & Acta cum Ludouico Foroſemp. refert.*

CIX. Interea Ludouicus Foroſempronianus, vt ſtabilem ſuæ poteſtatis, quam eatenus in Reformatione geſſerat, ab Apoſtolica Sede confirmationem acciperet; Pontificem adit, ſpontaneámque Matthæi à Generalatus Officio abdicationem narrat; qua tandem ratione, atque auctoritate is hactenus Reformationem adminiſtrauerit, declarat. Pontifex verò, cùm nouo Capitulo puſillam adhuc Reformationem, haud vexandam eſſe cenſeret; Ludouicúmque huic muneri haud imparem exiſtimaret; illum Apoſtolica auctoritate Generalem Reformationis Commiſſarium inſtituit: quoad copioſiùs propagata, noua in ea Comitia, ad Generalem Vicarium eligendum, commodè conuocari queant.

*Ludouicus Foroſempr. Generalis Cõmiſſarius à Pontifice confirmatur.*

ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1530. 7. 12. 6.

I. HOc anno, Milleſimo quingenteſimo ſupra trigeſimum, Domino quaſi in puſillæ Reformationis Nauicula obdormiente; dum Ludouicus, Matthæus, ac cæteri Nautarum inſtar, fortiùs in remigando laborant, præclariſſimíſque vitæ exemplis, velut remis, nouæ Religionis Cymbam eò perducere contendunt, vbi fida omnium virtutum ſtatione, inter placidas Regularis Obſeruantiæ, ac perfectæ Charitatis vndas quieſcere valeat. Ecce motus magnus factus eſt in mari. Nam Capucinorum Reformationis, Apoſtolica Bulla confirmatæ, fama vbique percrebreſcente, cùm vndique ad eam ex Obſeruantium Familia Fratrum multitudo conflueret. (Ludouicus enim Camaldulenſium Priuilegio fretus, quod illi ex indulto Pontificis, æquè ac illis principaliter communicatum fuerat: tam Obſeruantes, quàm quoſcunque alios Regulares, ad Religionis ſinum conuolantes admittebat.) Ea res tam acerbè à Generali Ordinis Obſeruantium Miniſtro, ac cæteris Superioribus audita fuit; vt cùm Ordinem ſenſim collapſurum formidarent; animis præ zelo efferueſcentibus, varia inter ſe conſilia inire, remque vniuerſam periclitari decreuerint: quò Reformationem è medio tollerent, ac penitùs obruerent. Quamobrem communi conſilio ſupplicem libellum Pontifici offerunt, quo maximè apud Apoſtolicam Sedem conqueruntur; noua Capucinorum Reformatione, graue in Ordine ſchiſma concitari, Ordinem diſcindi, antiquam Religionem proſterni, illiúſque neruos præſcindi; dum viris, qui eam conſilio regere, ac prudentia fulcire poterant, ad Capucinos migrantibus, ſe quotidie expoliari, ac deſtitui cernunt. Tot denique voce, & ſcripto, querimonias apud Pontificem augent: vt Pontifex, qui ad Religionum concordiam maximè propendebat; præſtabiliùs duxerit, commotos Ordinis fluctus ad tempus componere, & ad tranquillitatem adducere; quàm contra tot aduerſos vortices pugnare. Idcirco nouo Diplomate hoc anno emiſſo, Capucinorum Superioribus interdicit; ne de cætero Minores de Obſeruantia, donec aliud à Sede Apoſtolica ſtatutum fuerit, ad ſuæ Familiæ gremium recipiant. Quo decreto illa Miniſtri Generalis, ac Superiorum Ordinis Obſeruantium tempeſtas, nonnihil ſedari viſa fuit.

*Miniſtri de Obſeruantia in Capucinos conſpirant, & ſupplicem Libellum Pontifici offerũt.*

*Pontifex Capucinis Fratrum de Obſeruantia receptionem interdicit.*

II. Interea ex Obſeruantium Familia quamplurimi, quos acriores conſcientiæ ſtimuli, Regulariſque Obſeruantiæ ſtudium ad meliora excitabant, quotidie ad Ludouicum ventitantes, ab eo Reformationi aſſociari petebant: quos ille cùm ob nouum Pontificis edictum, inanes dimittere cogeretur, animo diſcruciabantur; nullúmque opportunius remedium nacti; Ludouicum, vt Pontificem adeat, eorúmque nomine eidem ſupplicationes offerat, quo edictum illud moderandum iubeat, precibus compellunt. Ludouicus, tametſi Pontificem à ſententia reuocari, rem prorsùs difficilem eſſe ſibi perſuaderet; tot tamen eorum clamoribus excitatus, ad Pontificem ſe confert: Cui incredibiles eorum, qui ex Obſeruantium Familia ad Reformationem anhelantes, ſibi ad Regulæ Obſeruantiam, atque ad ſalutem ipſam adipiſcendam, aditum Apoſtolico Diplomate intercluſum querebantur, gemitus, & lachrymas tam efficaciter ante oculos ponit: vt iis Pontifex haud leuiter commotus, non id ſuæ mentis conſilium eſſe aperuerit, edito Diplomate Reformationis, ac Regularis Obſeruantiæ ſtudioſos vllo modo à meliori propoſito deterrere; quin potiùs ope,

ac aucto



ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1530. 7. 12. 6.

ac auctoritate ſua fouere. Verùm illud ad ſedandos Ordinis tumultus opportunè excogitatũ affirmat; ne maiores, aut acriores tragediæ in eo excitarentur. Attamen ne iis, qui ad Reformationem anhelant: via penitus occludatur; Ludouico permittit: vt nonnullos ex iis, quos & illuſtriores, ac Reformationi vtiliores iudicauerit, ad Religionis gremium acceſſum præbeat: Id tamen tam prudenter, ac velut occultatò præſtet; vt nouis ac importunis Ordinis querimoniis viam deinceps non ſternat. His acceſsêre Aſcanij Columnæ; & Camilli Vrſini ſuffragia, qui cùm eo tempore Pontifici perſuaſiſſent, Diplomatis edictum in multorum perniciem vergere, qui per Regulæ obſeruantiam ſibi meliùs conſulere vellent; tacitam ab eo Diplomatis reuocationem aſſequuntur.

*Pontifex Diploma reuocat.*

III. Ea igitur facultate à Pontifice lata, Ludouicus, pleroſque ex Obſeruantium Familia ad Reformationis gremium adiunctos, quò res cautiùs agerentur, longiùs à Romana Vrbe, vel in Vmbriam, vel in Picenum tranſmittebat. Iam enim hoc tempore, excreſcente Capucinorum Congregatione, nonnulla tam in Piceno, & Vmbria, quàm in Romana Prouincia, Monaſteria ædificabantur. In Piceno enim præter Camerini, ſeu Colmenzoni, Montis Melonis, Aluacinæ, & Foroſempronij Conuentus, alius Matelicæ tunc extruebatur. In Vmbria verò hoc tempore Monaſterium Fulginij erectum fuit: tametſi, alij illius fundationem in annum ſequentem reiiciant. In Romana quoque Prouincia Scandriliæ, Reatique Monaſteria parabantur.

*Ludouicus varijs in locis Monaſteria ædificat, ac Fratres de Obſeruãtia recipit.*

IV. Inter alios verò, qui hoc tempore ad Capucinos acceſſerunt, illuſtriores fuêre, Fr. Antonius Cyrneus, Fr. Bartholomæus Hiſpellenſis, & Fr. Ioannes Apulus. Viri omni virtutum genere probatiſſimi, de quibus plura ſuo loco dicturi ſumus: quos mox Ludouicus Fulginium, ad ſancti Valentini Conuentum deſtinat: Sed cùm hæc ita clandeſtinè fieri non poſsẽt, quin vel ex Fratrum diſceſſu, vel ex aliorum literis, ac ſermone, ad Superiorũ Ordinis notitiam pertingerent: inde noui, ac maiores cõtra Capucinos clamores exorti: quos propterea Aduerſarij vbiq; Sedis Apoſtolicę refractarios, Apoſtolicarum literarum contemptores, & excommunicatos vociferabantur. Re tandem, poſt aliquod tempus, ad Pontificem cum querimoniis ab iis iterum delata. Pontifex, cui & tumultus ſedare, & propriæ conſcientiæ ſtimulis ſatisfacere, maximè in animo erat; poſt initum cum S. R. E. Cardinalibus conſilium, in eam tandem deliberationem venit; vt rem totam tribus Cardinalibus delectis commmittendam duceret: quibus id ius, & auctoritatem tribuit, vt huic negotio præſideant; neue Ludouicus vllum ex Obſeruantium Ordine ad Reformationis gremium recipiat, niſi quem ipſi recipiendum probauerint, viuæ vocis oraculo decernit.

*Minores de Obſeruantia in Capucinos inuehũtur.*

*Pontifex rẽ tribus Cardinalibus committit.*

V. Hoc porrò Pontificis Decretum, Capucinis haud inutile fuiſſe, res ipſa declarauit. Cùm enim Ludouicus imprudentiori animarum zelo, ac pietate ductus; vniuerſos, qui ex Obſeruantium Familia ad eam accederent, nullo diſcrimine amplecteretur; minùs in eorum delectum animum intendere videbatur, qui Reformationi vtiles eſſent, ac proficui. Quo fiebat, vt nouus ager, non bona tantummodò ſegete; ſed etiam Zizaniis repleri periclitaretur. Quapropter optimum Dei conſilium fuit, vt hoc à Pontifice Decretum emergeret; quo & nimia Ludouici in Reformatione propaganda cupiditas reprimeretur, & vberiùs publico Religionis commodo conſuleretur.

VI. Re igitur hoc modo à Pontifice, haud abſque Dei conſilio, compoſita, Franciſcus Aeſinus, qui inter illuſtriores Ordinis Obſeruantium Patres cenſebatur, hoc tempore ad Ludouicum venit. Erat Franciſcus hic Reformationis cum primis cupidiſſimus; quam cùm in Obſeruantium Ordinem inuehere, ſibi in animum induxiſſet; in id omni ſtudio, ac labore incumbebat. Porrò vbi Capucinorũ Reformationẽ Apoſtolica auctoritate confirmatã audit; quò res euaderet, etiamnũ animo ſuſpenſus, eo tantùm conſilio hoc tempore ad Ludouicum accedit: vt quo pacto res

*Franciſcus Aeſinus cum Ludouico paciſcitur de Religionis ingreſſu.*

 Capu

Capucinorum ſe haberent, quæve nouæ illius Reformationis conſtantia, ac ſtabilitas eſſet, exploraret. Longo igitur colloquio cum Ludouico inito, cùm res Capucinorum nedum illi immotæ ac ſtabiles viderentur; hoc cum Ludouico pactum init: quòd ſe quidem priùs Reformationem, quam animo excogitauerat, maturiùs in Obſeruantium Ordine pro viribus tentaturum ait: quòd ſi ea minùs illi ad mentem ſuccederet; protinùs omni mora abrupta, ad Capucinorum ſe Reformationem migraturum ſpondet.

*Pontifex Bononiam profectus, Carolum V. Imperatorem Coronat.*

VII. His ita tranſactis: Pontifex hoc tempore Bononiam profectus, ibi Carolum V. magnificè exceptum, ſexto Kal. Martij ſua manu coronat, ac Romanum Imperatorem inclamat: à quo vbi Inſubrum Imperium Franciſco Sfortiæ, Venetis hoc ipſum poſcentibus, impetrauit; Romam rediit: vbi Tiberis, Menſe Octobri, in eam Vrbis ruinam excreuit; vt innumeris ædificiis ſolo æquatis, maximaque hominum multitudine ſuis fluctibus obruta, ad ea vſque tempora nunquam olim ita exundaſſe legatur.

*Capucini ex S. Maria Miraculorũ ad S. Euphemiam migrant.*

VIII. Haud leue, ex hac Tiberis proluuie, atque vndoſa tempeſtate, naufragium paſſa fuit, parua illa Capucinorum domus, quæ à fluminis ripa minimum aberat. Quamobrem, cùm ea, & parum tuta, & creſcente in dies Fratrum numero, nimis anguſta omnibus videretur (neque enim Fratres eouſque integram ſibi domum conſtruxerant; cùm ab ædificatione, velut à re periculi plena, plurimùm abhorrerent: ſed vel vetuſtas domos incolebant, vel eas propè dirutas inſtaurabant) aliò tranſmigrare cogitat, conſiliúmque cum Victoria Columnenſi communicat. Victoriæ cùm res nedum honeſta, ſed prorſus neceſſaria viſa eſſet; nihil cunctata, mox cum Cardinali de Valle Ordinis Protectore agit, ab eoque antiquum quoddam Monaſterium, à quo nuper Moniales diſceſſerant, Eccleſiolæ coniunctum, Capucinis impetrat. Monaſterium hoc ad Collis Exquilini radices, haud longè à S. Maria Maiori ſe ſe efferebat; via, quæ ad Collem Viminalem ducit; cuius Eccleſia S. Euphemiæ Virgini, & Martyri Calcedonenſi dicata erat; à quo cùm ob aëris inſalubritatem non pridem Moniales diſceſſiſſent, in Cardinalis de Valle poſſeſſionem haud pridem ceſſerat. Eo igitur annuente, Capucinorum Familia, priori illa S. Mariæ Miraculorum Aedicula relicta, in hunc S. Euphemiæ locum ſe transfert; in quo cùm aliqua Monaſterij forma amplior, quàm in illa illuceſceret; in eo Fratres diligentiori ſtudio res diuinas curare, ac maiori virtutum ſplendore, cunctis prælucere ſtudent, Nonnulli quoque inter eos, qui ex Obſeruantium Ordine Concionatores acceſſerant, Dei Verbum hoc tempore maxima cum audientium vtilitate, publicè in Vrbe diſſeminare cœperunt: in quibus primus, qui hoc munere fungeretur, Fr. Iacobus Eugubinus, Ludouici ſocius fuit; qui cùm plurima in eo gratia, ac Dei dono præſtaret, mirabiles in Auditorum animis ad pœnitentiam motus excitabat.

*Ludouicus ad infirmorũ incurabilium Curam in domo Hoſpitali S. Iacobi ſuos deſtinat.*

IX. Inter hæc Ludouicus, dum prima illa naſcentis Ordinis initia, quæ ſub Franciſco Patre virtutibus floruêre, altè ſecum animo repeteret: ac B. Patris exempla ſibi in hac Ordinis reſtitutione ſequenda præſtitueret: id maximè exorientis huius Religionis virtuti conſentaneum duxit: ſi, quomodo B. Pater olim ſuo exemplo chariſſimos filios leproſis inſeruire docuerat, eoſque ad illorum obſequia deſtinauerat: eodem quoque & ipſi, velut haud degeneres filij, ægrotantium curæ incumberent; ac pium ſanctiſſimi Patris opus proſequerentur. Hoc Beati Patris exemplo permotus, ſecum cogitat, Fratres aliquot ad Hoſpitalem ſancti Iacobi domum, quæ Incurabilium nuncupatur, tranſmittere: vt iis, qui morbo inſanabili laborant, diu noctúque miniſtrantes, bono Vrbem odore repleant: perfectéque ſe Beati Patris veſtigiis inhærere declarent. Hoc porrò conſilium apud ſe initum, vbi cum Fratribus contulit: quidve de eo ſentiant, ab eis explorauit. Mox omnes conſilium laudant, vniuerſi ſe promptiſſimos exhibent, cuncti præcurrere geſtiunt: nihil tandem iucundiùs exiſtimant; quàm Beatiſſimi Pa-





tris exemplo, ſe totos in piis eiuſmodi officiis effundere; Chriſtoque in ægrotantibus ſuam operam exhibere.

*Capucini in Hoſpitali domo S. Iacobi ægrotis diligenter inſeruiunt.*

X. Porrò hoc non tam Ludouici, quàm Dei conſilium fuit: quo, & dilabentibus illius Xenodochij rebus conſulere, & nouæ Religionis virtutem omnibus perſpicuam reddere voluit. Nam cùm partim ex eorum, qui Hoſpitali illi domui præerant, incuria; partim verò ex mala rerum gubernatione, Domus illius charitas ita frigeſceret: vt piis Fidelium largitionibus ceſſantibus, vix reperiri poſſent, qui laborantibus inſeruirent. Cùm primùm ad eam Capucini Fratres, qui hoc anno eò à Ludouico miſſi fuerunt, acceſsêre; illiuſque ſe obſequiis addixêre: mox domus tota ab iis emundari, ſtrata parari, lintea, ceruicalia; ac linea omnia candidiſſima fieri, ſordes vndique tergi, Noſocomium ſuffitu multo, atque odoribus accenſis perfundi, floribus, herbiſque odoriferis pauimenta conſpergi cœpêre: ita vt domus, cuius antea fœtor vix tolerari poterat; tunc primùm vndique munditiam, & odorem ſuaueolentem ſpiraret. Atque hæc quidem domus cura erat, quam diſpertitis officiis quiſque Fratrum ſibi gerendam ſuſceperat.

*Capucinorũ in Infirmorum Miniſterio charitas, & diligentia explicantur.*

XI. Quæ verò ad Aegrotorum obſequia ſpectabant, planè mirabile eſt, quanto pietatis ſtudio, & charitatis æſtu perficerent, & viliſſima quæque illis miniſteria præſtarent. Adſtabant diu noctuque, Aegrotantibus, diſtributis inter ſe vigiliis, obſequentes: pharmaca parabant, cataplaſmata concinnabant, plagas, & vlcera lauabant, abſtergebant, ab iiſque ſaniem lineis pannis exhauriebant; ſauciatis, & malè affectis partibus pitacium imponebant; ſi qui febre æſtuarent, medicatas potiones, à Phyſico præſcriptas, miniſtrabant; gargariſmos propinabant, excrementa aſportabant, matulas purgabant; cibos pro ſingulorum laborantium qualitate, ſtatis horis porrigebant, ſordes omnes omni ſtudio amouendas curabant. Nullum denique, aut morbi, aut qualiſcunque rei fœtorem exhorrentes, Nihil tam durum, tam aſperum, tamque graue erat, quod ſumma animi alacritate pro ægrotis vltrò non exantlarent. Non labore, non vigiliis, non incommodis vllis frangebantur; ſed omnem animo, ac vultu hilaritatem præferentes; æqua, ac maiori ſollicitudine laborantibus obſequia præſtabant, quàm ſi ij arcto illis affinitatis, ac conſanguinitatis vinculo coniuncti eſſent. Denique cùm omnia illis corporis obſequia præſtitiſſent, eos verbis ſuauibus ſolari; iis ex animo condolere; vnà cùm ipſis infirmari, ridere, flere, cantare, taléſque ſe illis exhibere, quales ægrotorum, ac morbi conditio poſtularet, maior eorum cura, & ſtudium erat.

*Capucinorũ obſequiis Domus Hoſpitalis redditus excreſcunt.*

XII. Hæc dum Fratres accuratiſſimè præſtant; & gratum Chriſto in Aegrotis miniſterium exhibent: ſuauiſſimus virtutum odor, qui ex iis manabat, totam confeſtim Vrbem replere, atque vbique ita diffundi cœpit; vt Sacra illa Domus, quæ paucis infirmis contenta, vix ea, quæ neceſſaria erant, ob ſummam inopiam ſubminiſtrare poterat: tanta deinceps rerum, ac eleemoſinarum abundantia afflueret; vt non modò maximæ ægrotorum copiæ, qui eò non multò poſt confluere viſi ſunt, ſufficeret: verùm & ipſi illuſtriores Viri, ob ſingularem rerum munditiam, ac politiorem cultum, qui in ea domo enitebat; cùm ſe morbo aliquo correptos conſpicerent, in eam ſe deferri poſcerent, vt Fratrum charitate, ac ſolatio potirentur. Quo tandem factum eſt; vt domus illa, quæ paulatim ad occaſum declinabat, ea Fratrum pietate ita ſubleuata fuerit; vt illius vectigal, quod priùs tenuiſſimum erat, in duplam, ac triplam deinceps rerum portionem excreuerit,

XIII. Hæc pia charitatis officia, quæ Fratres in Sacra illa domo Aegrotantibus, per aliquot annorum ſpatia præſtiterunt, Vrbi tam grata, atque accepta fuêre; vt iis ſummam apud omnes gratiam, atque exiſtimationem conciliauerint. Eiuſque rei fama ad Cardinales, ac cæteros Vrbis Prælatos delata,

*Ludouicus nonnullos ex ex Obſeruātium Ordine Reformationi aſſociat.*

multorum animos ad Capucinorum beneuolentiam, ac deuotionem accendit: ita vt omni eos honore dignos exiſtimarent, quos tam ſingularis, & perſpecta virtus apud omnes probatos commendabat. Interea multi ex Obſeruantium Familia non infimi nominis, quorum Deus corda mouebat, annuentibus tribus Cardinalibus, hac tempeſtate ad Capucinos migrarunt. Inter quos fuêre Fr. Ludouicus à Capranica, Fr. Ioannes Viterbienſis, & Fr. Antonius à Monte Sicardo, omnes, ac præſertim poſtremus, virtute inſignes. Quæ res, cùm malè Ordinis Superiores haberet: nihil intentatum ſinebant, quo cæteros ab huiuſmodi mentis propoſito auocarent. Capucinos proclamabant homines eſſe ruſticos, imperitos, amentes, vecordes, ignauos, abiectiſſimum pecus; nullo magis, quàm iudicij inopia, ac rationis egeſtate diues. Illos ſine ſenſu, ſine ſapore, nihil neruorum, prudentiæ nihil, nihil dignitatis præſeferentes; ineptum denique Religioſorum Vulgus efferebant: cui tamen nihil Religionis, aut ſolidæ virtutis; præter nomen, ac Religionis ſimulacrum ineſſet: Ex quo nihil ſtabile, aut diuturnum futurum illis ominabantur. His itidem vocibus, acceſſit libellus quidam à Fratre Ioanne Faneſtri, ſub Dialogi titulo, inter Fratrem Stimulatum, & Rationalem, aduersùs Capucinos in lucem editus, quo Capucinorum gregem ita conuitiis dilacerabat, vt inter pecus ignauum, ſtolidum, imperitum, inquietum reiiceret.

*Capucini variis contumelijs exagitātur.*

XIV. Contra hæc, quæ in nouam Capucinorum Reformationem vbique iactabantur, conuicia, non aliis illi, præterquam humilitatis, patientiæ, ac præſertim ardentiſſimarum orationum telis pugnabant: quas pro iis quoque aduerſariis, à quibus proſcindebantur, alacri animo, quò perfectiùs Euangelicum præceptum implerent, fundebant. Quo ſanè fiebat, vt Deo pro illis certante, quò magis ij contumeliis impetebantur; eò apud omnes illuſtriores redderentur: maiorque ad eorum nominis gloriam ſplendor accederet, quò plus, ad eos conuiciis denigrandos, Aduerſarij ſtudij conferrent.

*Neapoli Cōuentus ædificatur.*

XV. Interea Ludouicus Foroſempronianus cùm propagandæ Reformationis ſtudio flagraret; miſſis Neapolim Fratribus, ibi Monaſterium extruendum curat. Eſt Neapolis, quam Strabo, Virgilius, aliique Auctores Parthenopem nominant, antiqua Vrbs, ab Hercule (vt ferunt) extructa; vnde Oppianus nouum illam Herculis Campum appellat: Caput eſt Campaniæ, Regnique Metropolis, iacens inter mare, Colliúmque amœniſſimorum radices: Muris, Turribus, Propugnaculis ita munita, vt ferè inexpugnabilis habeatur, Vrbs ampla eſt, & magnifica, Portis, Foris, Fontibus vberrima; aëréque tam placido, ac permolli præſtans, vt hyemem vix ſentiat; flores quoque cuncta anni tempora parturiant: Omnis verò generis deliciis ita affluit; vt Romanos olim, vel voluptatis, ac deliciarum: vel otij, ac ſtudiorum gratia in eam ſecedere ſolitos fuiſſe, Strabo commemoret; de qua Poëta quidam hæc cecinit.

*Neapolitanæ Vrbis laudes enarrantur.*

*Parthenope Portus, ſtatio fidiſſima Nautis,*
*Nunc molles Vrbi ritus; atque hoſpita Muſis*
*Otia, & exemptum curis grauioribus æuum*
*Sirenum dedit vna ſuum, & memorabile nomen*
*Parthenope muris Acheloïas: æquore cuius*
*Regnauêre diu cantus, cùm dulce per vndas*
*Exitium miſeris caneret non proſpera Nautis.*

Poſtremò tanto Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, ac Nobilium Familiarum copia eſt illuſtris: vt non immeritò inter cæteras Italiæ Vrbes, Nobilis cognomen ſortita fuerit. Quibus tandem adeò ſingularis erga Deum, ac diuina, velut mentibus innata Religio accedit, vt inde





multò, quàm ob cætera rerum ornamenta nobilior, ac illuſtrior haberi debeat.

XV. Quapropter haud mirum; quòd Ludouicus illuſtriſſimæ, ac deuotiſſimæ Vrbis fama allectus; hoc tempore ad eam Fratres deſtinauerit. At quanquam, quinam tunc ab eo miſſi fuerint, neque apud Auctores, neque apud antiqua M. S. quicquam certum reperiam: id tamen omnium, tum Auctorum, tum M S. conſenſu indubitatum eſt; quicunque illi fuerint, hoc anno à Ludouico Foroſemproniano miſſos Neapolim appuliſſe: qui à Maria Longa, nobiliſſima Fœmina, Ioannis quondam primi Cancellariæ Regentis vxore, hoſpitio excepti, id illius potiſſimùm ope tulêre; vt ſancti Euphebij, quem Vulgus ſanctum Ephremum appellat, Aediculam, à Vincentio Caraffa, tunc Neapolitanæ Vrbis Archiepiſcopo, & S. R. E. Cardinale, incolendam acceperint. Erat hæc Aedicula, quæ ad beneficij ſimplicis titulum erecta, nulla animarum cura onerata erat: in Tophis ſuburbanis, milliario ab Vrbe diſtans; atque vndique montibus obſeſſa: quæ cùm ſancto Euphebio dicata eſſet, in eaque ſacrum ipſius corpus, ſimul cum ſancti Maximi, & Fortunati reliquiis conditum eſſet; ædificato ibi à Fratribus Monaſterio, illud ſancti Euphebij nomen, appellationémque retinuit; illuſtréque, tum ob loci aſperitatem; qua inter Montes, ac ſyluas, velut hominum conſpectum aufugiens deliteſcit: tum ob anguſtam, ac tenuem domus ædificationem, in qua altiſſima illa Paupertas, quæ Beato Patri Franciſco tantoperè placet, ſumma cum totius Vrbis ædificatione elucet; tum denique ob ſingulare ſanctitatis nomen, quod hæc ſacra Domus, inter alias, apud Ordinis Patres ſibi comparauit. Neapolitanæ Prouinciæ exordium dedit. Inde porrò factum eſt, vt in ea tria Generalia Capitula celebrata fuerint. Primum anno 1541. in quo, die 3. Iunij, Bernardinus Senenſis, eo nomine, ac munere indignus, rurſus ad ſecundum triennium Generalis confirmatur. Secundum anno 1549. in quo die 8. Iunij, Bernardinus Aſtenſis, Vir præclariſſimus, tertij Generalatus confirmationem accepit. Poſtremum anno 1558. in quo, die 27. Maij, Thomas Tiphernas Generalis fuit electus.

*Fratres à Ludouico Neapolim miſſi, apud Mariā Longam hoſpitantur.*

XVI. Romæus quidem, qui de ſeptem Sanctis, Vrbis Neapolitanæ Cuſtodibus, breuem Hiſtoriam ſcripſit, nobiſcum ſentit, hunc S. Euphebij Conuentum anno 1530. ædificatum fuiſſe. Verùm in eo diſcrepat, quòd Ludouicum Rhegienſem, Virum inter Calabros omni virtute conſpicuum, de quo pluribus anno 1532. acturi ſumus, primum illius Auctorem fuiſſe exiſtimat. At contra Romæum vniuerſi penè Auctores, ac M. S. pugnant; quem ipſa quoque temporum ſeries non obſcurè erroris redarguit: quanquam enim Superiori anno Ludouicus, ac cæteri, qui Reformationi inter Obſeruantes in Calabria operam dabant, à Ludouico Foroſemproniano, qui Vicarij Generalis munus gerebat, Capucinorum Familiæ aſſociati fuerint, (vt dictum fuit,) ex iis tamen nullus ante annum 1532. Capucinorum habitu ſuſcepto, ab Obſeruantium Ordine receſſit, quemadmodum apud omnes receptum eſt, Quo fit, vt cùm Ludouicus Rheginus, eo tempore, necdum Capucinorum habitu indutus inter Capucinos verſaretur, huius Conuentus Auctor, aut Fundator eſſe non potuerit.

Romæus de ſeptem Sanctis Cuſtodibus, in S. Eupheb.

*S. Euphebij Conuentum à Ludouico Rhegino extructū fuiſſe refellitur.*

XVII. Id quoque huius rei veritati adſtipulatur; quòd cùm pluribus in Neapolitano Regno Monaſteriis extructis, videlicet Neapoli, Stellati, Apici, Carinulæ, Sueſſæ, & Capuæ; ex his poſt decennium Prouincia conſtituta eſſet, primus, qui in ea Prouincialatus Officio functus eſt, non ex Calabris quiſquam, ſed Bernardinus, de Monte Vlmo fuiſſe traditur. Vir Patria, ac Prouincia Picenus, ſanctimonia, ac miraculis illuſtris.

XVIII. Quòd ſi Neapolitana Prouincia, prima à Calabris Patribus ſuæ Fundationis exordia tuliſſet: rationi planè conſentaneum erat, vt vel Ludouicus, vel ex Calabris alter, primus id muneris in ea Prouincia geſſiſſet.

ANNVS CHRISTI. 1530. CLEM. VII. 7. CAR. V. IMP. 12. RELIG. CAPVC. 6.

Denique Auctor Libri, qui Neapolis Sacra inſcribitur, atque inter noſtros Matthias Salodienſis, Marius de Foro Sarzinio, Bernardinus à Collepetratio, M. S. Rhegienſis Prouinciæ, alijque; hanc communi conſenſu, ad Ludouicum Foroſempronianum Prouinciæ Neapolitanæ fundationem referunt, ex quibus nos hanc Hiſtoriæ ſeriem decerpſimus.





ANNVS CHRISTI. 1531. CLEM. VII. 8. CAR. V. IMP. 13. RELIG. CAPVC. 7.

I. INCIPIT Annus ab Orbe redempto milleſimus quingẽteſimus, trigeſimus primus; in quo Fr. Paulus Clodienſis, inter primos Capucinorum Patres, virtute præclarus, poſt multos pro Reformatione, in ſumma illa rerum perturbatione, exantlatos labores; & vitam in omni patientia, humilitate, innocentia, morum integritate, & auſteritate exactam; carnis debito exoluto, in Domino obdormiuit. De quo illud Eccleſiaſtici dici poteſt. *Qui in vita ſua, ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit Templum.* Neque id ſanè immeritò. Cùm enim inter primos illos ædificationis lapides, quibus olim Capucinorum Religio conſtructa, creſcit in Domum ſpiritualem, & Templum ſanctum in Domino; haud infimum ſibi locum vendicaſſet; tanta perfectioris vitæ præſtantia inter cæteros enituit, totque ſpectatiſſimarum virtutum luce prima illa Reformationis primordia illuſtrauit; vt quàm plurimùm ad illius ſtabilitatem, ac ſplendorem ſuo exemplo contulerit.

*F. Paulus Clodienſis extremum diem obit.*

*Eccleſ. 30.*

II. FVIT hic Paulus è Foſſa Clodia, Vrbe marinis vndique ſtagnis circumfuſa, vigintiquinque à Venetiis paſſuum millibus diſtans, honeſta familia natus. Patre ſcilicet in ea Vrbe Chirurgo, qui cùm ex coniuge quatuor filias procreaſſet; omnes proprio manuum labore, ac tenui peculio ſibi victum comparabant. Puer Ioannes vocabatur, qui vix è matris gremio elapſus, protinùs tam eximiæ virtutis ſpecimen præſeferre viſus fuit, vt abiectiſſimo veſtitu contentus, cilicio corpuſculum affligeret. Cibo parciſſimè vtebatur; molle illi à matre ſtratum, vt plurimùm refugiens, vel humi, vel ſuper tabulas ſibi lectum eligebat: Eccleſias mira deuotione viſitans, ſupra ætatem, erga Sacra Miſſæ Myſteria afficiebatur. Atque, vt Orationi, qua mirum in modum iam à tenella illa ætate delectabatur, liberiùs vacaret; ſolitaria, & ab hominum conſpectu ſemota loca quærebat. Tantam denique morum compoſitionem, ac mentis ſenium, in puerili illa ætate, ab omnibus cæterorum puerorum leuitatibus alienum gerebat; vt vniuerſos, ipſóſque parentes in ſui admirationem raperet. Porrò hæc ſanctioris vitæ præludia, quæ Deo illum in benedictionibus dulcedinis præueniente, ab ineunte ætate inſtituit; nullo deinceps vnquam tempore mutauit.

*F. PAVLI CLODIENSIS VITA.*

III. Adoleſcente verò ætate, Literarum ſtudijs addictus, cùm in his haud mediocriter profeciſſet; ad Forenſia ſe contulit: primúmque Tabellionis, tum Procuratoris aliquandiu officio in ea Vrbe functus, eo deinde abdicato, quod haud periculis vacuũ, minúſq; rerum cæleſtium ſtudijs aptum animaduerteret, forenſem cum Clericali, Togam cõmutauit: ſacriſq; initiatus ad Sacerdotium promotus fuit: In quo maxima cum virtutum laude aliquandiu conuerſatus, cúm magnos in ſacra Canonum doctrina progreſſus feciſſet. Generalis vicarij Officio plerumque apud Vrbis illius Epiſcopos perfunctus, in eo munere tam præclarè ſe geſſit: vt maximum ſibi apud omnes tum prudentiæ, tum pietatis exiſtimationem, compararet. Veruntamen dùm illius qui à teneris annis eum ad perfectioris vitæ tyrocinium vocauerat, acriores quotidie ſtimulos in animo perſentiret; quibus ad integram rerum omnium renunciationem, ac ſupremum Enangelicæ perfectionis faſtigium aſſequendum impellebatur: iis tandem obtemperans, in Sacram D. Franciſci Familiam, quæ de Obſeruantia nuncupatur, adſcribi feſtinat: in qua Apoſto-

*Minorum de Obſeruantia Ordinem ingreſſus virtutibus floret.*

licum Pauli nomen aſſequatur, ipſius rem,quoad vixit, tenuit, ac ſua virtute illuſtrauit: Porrò in ea Religione, quæ virtutum ſemper ſtudio floruit, nemo vitæ innocentia, nemo Sacra morum diſciplina, nemo Orationis ſtudio, nemo humilitatis virtute, nemo auſterioris vitæ cultu illo præſtantior erat. Tantus enim, ac tam vehemens ipſius animo Euangelicæ perfectionis ardor inſidebat, vt perquàm auidè omnium virtutum ſtudia amplecteretur: Támque ardenti in perfectum Regularis obſeruantiæ cultum cupiditate ferebatur; vt præter eam nihil in animo volutaret nihilq; magis præ oculis haberet:nihil in deſiderio,nihil in verbis,nihil in colloquiis præter Regulæ obſeruantiam gereret. In eam denique tota cogitatione defixus,pactum cum animo ſpopondiſſe videbatur, vt nihil præterquam de perfecta Regulæ obſeruantia adipiſcenda cogitaret. Ieiunia tam arcta colebat, vt B. Virginis, ac dierum ſolemnium Peruigilia, maiorémque Quadrageſimalis ieiunij partem, ſolo pane, & aqua victitans celebraret: longas quoque in Oratione cùm vigilias duceret, vberiores in ea lachrymas, quibus interiorem animæ faciem lauaret, effundebat. Nihil eo humiliùs, nihil obedientiùs, pauperiùs nihil, aut abiectiùs cernebatur:quibus tandem virtutibus id ſibi apud omnes exiſtimationis comparauerat; vt inter perfectos Seraphicæ Religionis cultores,qui eo tempore in Ordine florebant,haud immeritò cenſeretur. Atque hic quidem illius fuit virtutum profectus, quandiu in Sacra Obſeruantium familia verſatus fuit.

IV. Interea accidit; vt Pauli genitor, cuius ope, ac induſtria tenuis illa familia ſuſtentabatur; nullis facultatibus relictis, quibus ea ali poſſet, inopinatò ex humanis decederet: Mater verò, quæ iam Senio confecta, minus manuum labori apta erat; cùm maxima in rerum egeſtate vitam duceret;treſq; filias nubiles ſuæ curæ relictas haberet, quarum honeſtas, ac pudicitia, ob victus inopiam, extremámque rerum pauperiem, qua Viris coniugio collocari minimè poterant, ſupremum in diſcrimen vocabatur. Id magnopere Pauli animum excruciabat. Intelligebat quippe Vir doctus maximum, ac naturale filij erga parentes obligationis vinculum eſſe; neque vlla lege diſſolui poſſe, quod ab initio à Deo conſtitutum eſt. At neque ignorabat, diuinum eſſe Religionis nexum, quo Deo obſtringimur, ac rebus omnibus, ſimul cum parentibus relictis, diuinæ ſeruituti mancipamur. Inter hæc hærebat Pauli animus: hinc enim illum tenebat Religionis quies, animúſque Religioſæ diſciplinæ cupidus: illinc trahebat charæ parentis neceſſarius amor, quæ omni tum validæ ætatis, tum rerum ſubſidio deſtituta, inter victus anguſtias languebat. Cúmque deſperatis hiſce rebus; niſi abdicato Religionis ſtatu mederi nequaquam ſe poſſe cerneret: hinc maxima in ipſius animo oriebatur tempeſtas;cùm ſibi è Religionis portu ſoluendum, rurſúmque ſe in ſæcularis pelagi tempeſtates pellendum cogitabat: Frequentes ad eum Matris literæ querulis vocibus, ac neceſſitatibus plenæ deferebantur; quæ nihil ab eo, præterquam naturale, ac debitum nati officium expeterent. Vndique etiam illum propinquorum, affinium, amicorum preces, ad familiæ curam ſollicitabant. Cúmque diu inter vtraque diuinæ,humanæque Charitatis tela decertans, cœleſte Dei conſilium aſſidua Oratione ſibi illuceſcere poſtularet: Vicit tandem Parentis pietas multorum illi conſiliis perſuaſa. Quapropter, impetrata à Religionis Superioribus licentia, Apoſtolico inſuper Diplomate à Pontifice munitus, ad Clericalem ſtatum Foſſam Clodiam redit; vbi neceſſarijs charitatis officiis, Matri,ac Sororibus proprio labore perſolutis, tandiu optimis vitæ exemplis in ea Vrbe præluxit,quoad Fratre Angelico (de quo ſupra anno 1526 egimus) in eas Partes aduentante, Paulus, in illius ſe habitus formam componeret: atque alia, quæ nos eo anno fuſiùs perſecuti fuimus, eo deſerto, præſtaret.

*Inter varia Conſilia fluctuat.*

*Paulus, vt Matrem extrema inopia preſſam ſuſtentet, ad Clericalem ſtatum redit.*

V. Cæterùm, quod ad reliquum vitæ ipſius decurſum ſpectat. Is vbi ad Capucinos migrauit,tam admirabile vitæ genus inſtituit; vt quod ab Apoſtolo didicerat, cùm diceret: *Vnum autem, quæ retrò ſunt, obliuiſcens; ad ea verò, quæ ſunt priora extendens*

Philip.3.





*meipſum,ad deſtinatum perſequor,ad brauium ſupernæ vocationis*:altè animo retinens,perinde ac ſi præclara virtutum exempla, quæ ab eo hactenus exantlata fuerant, nihil apud ſe ponderis obtinerent;ita ad omnia Euangelicæ perfectionis ſtudia animũ extenderet;vt illud Apoſtoli haud immeritò ſibi vſurparet: *Ego autem ſic curro,non quaſi in incertum;ſic pugno,non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo.* Etenim in primis quotidiana ieiunia,in quibus nihil ferè præter panem,& aquã, ad victũ adhibere ſolitus erat;Virum tam corpore extenuatũ effecerant; vt pelle vix oſſibus inhærente,penè macie confectus videretur.Carnẽ accerrimis odiis proſequebatur;ita vt nullis caſtigationibus parcens, vt eam in ſpiritus ſeruitutem redigeret, ſępè vſq; ad copioſam ſanguinis effuſionem flagris cæderet;Cilicióq;, vigiliis,ſomni ſubtractione,aliiſq; macerationibus domaret. Vnicum habitũ,hiſpidũ,lacerum,atq; interpolũ,cùm ſibi ſatis ſupérq; ſufficere exiſtimaret,toto vitę ſuæ curriculo,abiectis ſandaliis,nudis pedibus incedere viſus eſt.His porrò,quæ ad externam membrorum ſubiectionem ſpectant,internus animi ſtatus optimè reſpondebat.Orationi enim,ac rerum diuinarũ contemplationi ita animũ addixerat: vt cùm in ea cæleſti,ac ineffabili ſpiritus ſuauitate frueretur,vix ab illa,niſi ægrè,diuelli poſſet:quo fit,vt integros interdum in ea dies,ac noctes inſumeret. Neq; id mirum;cùm illius mens,ad ſuperna aſſueta, ampliori tunc diuinorum chariſmatum affluentia copioſiùs perfunderetur. Porrò quæ de illius humilitate, ac propriæ abiectionis ſtudio antiqua monumenta tradunt, planè admiranda ſunt. Nunquam enim ſe alio nomine,præterquam ſerui inutilis,aut appellabat,aut appellari patiebatur. Viliſſimis quibuſq; ſiue Conuentus, ſiue infirmorum obſequiis,ac officiis adeò animum oblectabat; vt ferè in iis modum excederet;atq; vt veræ ſe humilitatis faſtigium aſſecutum eſſe declararet:nullas dapes dulciores exiſtimabat,quàm quòd ab omnibus vilis,ac inutilis haberetur. Porrò hæc perfecta mẽtis humilitas, quæ illũ non tam omni humanæ craturæ ſubiectũ,quã ſibi ipſi vilem,ac velut inuiſum reddebat;cùm ex puro Charitatis,qua erga Deum afficiebatur, fonte emanaret;tam vberes fraternæ illi dilectionis riuulos ſubminiſtrabat:vt quoties Dei Verbũ populis proponeret,tã feruido id ſpiritu,& Charitate præſtaret,quaſi populum is ſuiſmet ex viſceribus procreaſſet. Cunctos enim velut filios chariſſimos monebat,docebat,hortabatur:tamq; aſſiduè,atq; indefeſſo labore Peccatorũ conuerſioni inſiſtebat, vt Chriſti Domini exemplo, illud opus ſuũ eſſe affirmaret: panemq; ſuauiſſimũ paſſim appellaret, quo nihil iucundiùs in hac vita guſtaret. Poſtremò cùm in id ſtudiũ ſuũ omne,curã,ac laborẽ contuliſſet,vt plurimos Chriſto lucrifaceret:in eo quoq; extremã vitæ ſuæ periodũ concluſit. Etenim dũ Pennæ Biliorum(quod Oppidũ eſt,in extrema Piceni Agri parte ſitum,qua is ab Æmilia diſiũgitur)Dei verbũ diſſeminaret;in ſupremũ languorẽ incidit; cuius cùm Matthæum, qui inde non lõgè diuini Verbi prædicationi vacabat,per nuntiũ certiorem feciſſet: Matthæus ad ipſum cum Ioſepho à Colleamato maturè feſtinat, vt debita illi Charitatis officia impendat.Ibi ingraueſcente morbo cùm Dei ſeruus vltimum ſibi diem imminere agnouiſſet:ſacro ſe Pœnitentiæ ſacramento,ac Viatico muniens,quæ illi à Matthæo adminiſtrata fuêre,fidelis, ac vigilis ſerui inſtar, Domino obuiam ire feſtinat. Atq; vt B.P.Franciſci,cuius viuens vitã,ac veſtigia egregiè imitatus fuerat; moriens quoq; exempla ſequeretur;ante mortem ſe nudum in terra deponi voluit:quò meliùs nudus cum nudo hoſte confligaretur;rebúſq; omnib[9] expeditus, velocior ad Deum pergeret. Ibi integris ſenſibus,vultu hilari,atque oculis in Cœlum ſublatis in illis verbis: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* In cuiuſdam Confraternitatis; quæ de B. Maria dicebatur, domuncula,animam Deo reddit, anno ſuæ ætatis 50. lugentibus cunctis tanti Patris obitum;qui cùm quintum in Capucinorum Congregatione locum ſortitus eſſet, optimis eam virtutum odoribus compleuit; poſteriſque ſua virtute, ac ſanctimonia præluxit.

*Pauli apud Capucinos vita ſanctimonia.*

*Paulus Pennæ Biliorum extremum diem claudit.*

VI. Hoc anno ex Obſeruãtibus ad Capucinos migrat,F.Vincẽtius à Flauiniano Sacerdos,& ex ſæcularibus viris F.Rainerius à Calipardo,quem Tudertinũ alij nuncupãt: homines magni virtute,ac vitę ſanctimonia inſignes,de quibus ſuo loco agendũ erit.

VII. Per id tempus Eugubij plurima ſanctimoniæ opinione florebat Eremita quidam, Thomas nomine; qui, cùm Ædem S. Nicolai, in qua nunc Capucinorum Monaſterium extructum eſt, incoleret; ibi in oratione, ieiunijs, ac lachrymis ſolitariam vitam, virtute plenam, agebat: de quo illud inter alia proditũ eſt; quòd per triginta annos pane, & aqua duntaxat contentus, arctiſſimum ieiunium coluerit. Porrò illius Sanctitatis opinio, ea potiſſimùm ratione, apud Populũ percrebuerat: quòd Ducẽ Vrbinatẽ, Vrbis Dominũ, dum in Caſtris militaret, detectis illi inimicorũ inſidiis, quas, non niſi Deo ſibi reuelãte, didicerat; cũ vniuerſo exercitu à certa clade liberauerit.

*Thomas Eremita apud Eugubinos Sanctitatis opinione clarus.*

VIII. Contigit verò, vt Generalis Obſeruantium Miniſter, cui Capucinorũ Reformatio prorſus inuiſa erat, quique maximum ſe illius aduerſariũ gerebat, hoc tempore Eugubio iter faceret; qui, audita Eremitæ fama, ad eum accedit, clamque ab eo poſtulat; vt quid de Capucinorum Reformatione, quæ nuper exorta fuerat, ſentiendũ ſit, illi candidè aperiat; Neque enim Generalis Miniſter hactenus ſibi in animum inducere potuerat, Diuini quippiam eidem ineſſe, quo aliquã ſibi ſtabilitatem à Deo vendicaret. Eremita, rem à Deo precibus poſtulandam eſſe reſpondet. Quamobrem, reſponſo in alterum diem dilato; cùm ſequenti die Generalis ad eum veniſſet; Thomas protinus illum ſic affatur. Ne, Pater Generalis, ne aduersùs Capucinorum Reformationem pugna: Plantatio ex Deo eſt: quantaſcumq; vires exeras, illam eradicare minimè poteris: quin etiam quò ea magis oppugnabitur, eò ampliùs proficiet. Nimiùm tuus hic Obſeruantium Ordo ab Inſtitutore deflexit: Idcircò nouum hoc reformationis germen, B. Pater Franciſcus à Deo ſuis ſuffragiis impetrauit; vt in eo Minorum Ordo refloreat. Quapropter caue, ne, dum hanc Reformationẽ nimis contentiosè oppugnas, contra Deum pugnes. Hæc non mea, ſed Dei verba eſſe, tibi perſuaſum eſto. Hoc Eremitæ reſponſo, Generalis non parum perterritus, quamuis à Reformationis impugnatione animum penitus non reuocauerit: ab ea tamen non parum ſeipſum compeſcuit.

*Generalem Miniſtrum de Obſeruãtia à Capucinorum Reformatione impugnanda deterret.*

IX. Hoc quoque anno, F. Matthæus Leopolitanus, qui primus inter quinque illos, qui Diplomate ab Apoſtolica Sede impetrato, ad Capucinos, anno 1528. ex Obſeruantibus migrauerant, enumeratur; vitam auſpicatò initã, ſummaque cum virtutum laude actam, fine quoq; beato clauſit. Hic è Leopoli, quæ Vmbriæ Vrbs eſt, Vrbinenſis Ducis ditioni ſubiecta, Nobili genere natus, cùm 17. annum attigiſſet; maturè ſæculo valedicens, ac ſpreta paternæ Nobilitatis origine, maluit inter Minores de Obſeruantia pauperem, & abiectam vitã agere; quàm in paternis laribus mundanis opibus affluere. Cùm verò in eo tam præclara ingenij, iudiciique vis appareret, & ex rara animi indole, quæ in eo prælucebat, tanta futuræ eruditionis expectatio in omnium animis oriretur; vt non ſolùm cõmunium literarũ, ſed & Religionis in eo ſpes magna poſita videretur. Vbi ſolemne Profeſſionis votum emiſit, humanarum, ac diuinarum literarũ ſtudiis addicitur; in quibus non minùs pietatis, ac Regularis Obſeruantiæ, quàm literarum ſtudioſus; eam breui eruditionis excellentiam, & in prædicando gratiam aſſecutus eſt: vt in Concionatorum numerum cooptatus, magna cum audientium oblectatione, atque vtilitate, Verbum Dei diſſeminaret.

*F. MATTHÆI LEOPOLITANI VITA.*

X. Eo tamen Matthæi animus haud quieſcebat. Nam cùm arreptũ Religionis propoſitum, ac diuinũ de Regula obſeruanda promiſſum, ſedulò animo verſaret: eò maximè in dies ſollicitabatur, quòd Regularẽ Obſeruantiam in Ordine dilabi, ac peſſumdari, nemine opẽ ferente, intueretur. Inter has anguſtias, & ſollicitudines, dum ipſius animus premeretur, ſemel accidit; vt nonnullis Patribus, Religionis zelo, ac ætate prouectis, ſuos animi fluctus, quibus iactabatur, aperiret: qui, vt erant ſapientia pleni, iuuenem in ſpem meliorem erigentes, dixerunt. Non tuum tantummodò, Matthæe, ſed plurimorum hic dolor iampridem animum inuaſit; qui Religionis obſeruantiam paulatim defluentem, lugent. At nihil pertimeſcendum: hæc bonorum tentatio eſt, qua Deus cunctorum corda probare vult: vt qui veri Obſeruantiæ filij, quique degeneres ſint, agnoſcantur. Deus Ordinem ſuum nullo vnquam tempore deſeruit: neque ab eo deſerendum eſſe, formidandum eſt. Adhuc

*Inter Obſeruantes ad Reformationem anhelat.*





in palmis, pedibus, ac latere S. P. noſtri Franciſci rubent Chriſti vulnera, quæ ad Deum pro Ordinis Reformatione clamant. Ne extimeſce: diu hic Religionis caſus non perſeuerabit; citò finem accipiet præuaricatio, ac Cæleſte Reformationis conſilium implebitur. Reformationem, aut in Religionis viſceribus, aut extra Ordinis gremium B. P. Franciſcus indubiè à Deo impetraturus eſt, in quam qui legis Zelatores ſunt, transfugere poterunt. Hæc Patres illi, haud ſanè diuina Sapientia vacui, Matthæo dixerunt, quibus illius animum ſubleuarunt.

XI. Porrò iam tunc Matthæi de Baſſio fama totum Ordinem peruaſerat; qui, noua habitus forma à Pontifice impetrata, in Eremis vitam ducebat: quòd cùm ſuſpenſos multorum animos teneret, nouitatis potiùs cuiuſdam opinionem, quàm certam Reformationis expectationem omnium ferè mẽtibus ingerebat. Cúmq; vniuerſi, haud ſecùs, quàm aliquo noui Cometæ aſpectu, penè in diuerſas raperentur ſententias: alij enim conſilium laudare; contra alij leue animi propoſitum improbare videbantur: cuncti quid ea nouitas paritura eſſet, incerti præſtolabantur.

*Matthæus de Reformationis Diplomate à Pontifice obtinẽdo cum alijs conſilium init.*

XII. His itaque Seniorum verbis confirmatus Matthæus, cùm varia Reformationum corpora in Ordine vix orta interire, nec vllum diu ſubſiſtere conſpiceret: in Matthæum à Baſſio animum intendere, illudque vitæ genus, quod ſolitariũ, virtutumq;, ac Regularis obſeruantiæ plenum audiebat, ardentiùs exoptare cœpit. At veritus, ne illa quoque Matthæi Reformatio in leues ſpumas abiret: atque eò maximè, quòd neminem eatenus illi coniunctum eſſe intelligeret; ardens animi ſtudium prudenti rerum expectatione compeſcuit. Interea conſilio cum aliis quatuor Fratribus; nimirum Petro Appinianenſe, Bernardo Offidano, Antonio à Penna Billiorum, & Paulo à Colleamato, de quibus ſupra anno 1528. mentio facta fuit, communicato; cùm eadem eos prorſus mente, ac ſtudio præditos offendiſſet, in eam deliberationem venêre: vt commune Diploma ab Apoſtolica Sede peterent, quo illis ſub Fratrum Min. Conuent. obediẽtia, & Eremitico titulo, Regulam in Eremis obſeruare liceret. In quo conſultò à Matthæi nomine abſtinere voluerunt; ne ſi fortè Matthæus ab inſtituto aliquando reſiliret, id eorum propoſitum ſemel arreptum haud impediret.

XIII. Hoc itaq; inter ſe conſtituto, temporis opportunitatem captant, quo clam negotium apud Pontificem agentes, ab Ordinis Superioribus interturbari non poſſint. Deus verò, qui huius illis conſilij auctor fuerat; quique eorum animos ad Reformationem excitauerat; facilem, ac beneuolum illis Pontificem præbet: ita vt circa anni 1528. exordium, optato Diplomate potiti, ad Eremum profectionem pararent. Verùm cùm Ludouicum Foroſempronianum, tunc primùm ab Apoſtolica Sede inſtitutæ Reformationis confirmationem, ac propagationis facultatem, Bulla tuliſſe intellexiſſent: conſilium mutant, maturéque ad ipſum accedunt; quemadmodum eo anno dictum fuit; ab eoque in Capucinorum albo deſcribuntur.

*Inter Capucinos variis virtutibus emicat.*

Matthæus igitur, vbi optata diu Reformatione tandem ſe potitum videt; tãta protinus vitæ auſteritate, corporis maceratione, ſenſuum cuſtodia, orationis ſtudio, ac præſertim ardentiſſima, quæcunque aduerſa pro Chriſto tolerandi, cupiditate efferuere cœpit: vt cunctis admirabilis videretur. Oratio in primis, ac Dei colloquium tam illi ſuaue, ac familiare erat; vt cùm ab eo ægrè diuelli poſſet: idcircò vi quadã ad naturæ neceſſitates traheretur. Exiſtimabat enim hominem ad Cæleſtia contemplanda natũ, graue aliquid pati, ac velut pœnas luere, quum ad imas naturæ neceſſitates deſcendit. Quapropter à ſomno, cibo, atque aliis naturæ ponderibus liber eſſe optabat, vt Cæleſtium duntaxat contemplationi, vacaret. Hinc ſolitaria loca, tanquàm orationis amica, plurimùm amabat; hominúmque adeò conſortia fugiebat, vt præterquam prædicationis tempore, aut alio charitatis officio perurgente, vix vnquam inter homines verſaretur.

XIV. In Dei Verbo diſſeminando tam efficax, tam ardens, tamque ſuauis, ac Populis gratus erat; vt velut aureo funiculo, aut fabuloſa illa Orphei catena: veriùs tamen diuinæ Charitatis vinculis, audientes ad conuerſionem, morúmque correctio-

nem attraheret. Neque enim verbis dumtaxat; verùm & operum lingua, quæ magis efficax eſſe ſolet; atque Euangelicæ vitæ ſplendore: denique præclariſſimis virtutum exemplis, homines à vitiis deterrebat. Quo ſanè fiebat, vt cùm pleraque tunc in Capucinos ab Aduerſariis conuitia iactarentur; ea haud alia ratione, quàm inculpatæ vitæ aſpectu, morum ſanctimonia, atque Euangelicæ, tum prædicationis, tum conuerſationis ſcopa abſtergeret.

*Perſequutio contra Capucinos deſæuit.*

XV. Hoc porrò tempore vſque adeò in Capucinos, tanquam in propriæ Religionis deſertores, Ordinis perſecutiones deſæuiebant; vt eos nullo propemodùm loco tutos quieſcere, aut fixos conſiſtere paterentur. Quo fit, vt quandoque ſoli, interdum cum ſocio per nemora, ac ſolitaria loca fugientes, deſerta incolerent. Hinc Matthæus Vrbes fugiens, ne quando in perſequentium manus incideret; plerúmque ſolus nunc Fabrianenſem, modò Camerinenſem agrum prædicando peragrabat. Inter hæc tanta corpus inedia extenuabat; vt præter panis communis fruſtula, quæ aliorum pauperum more oſtiatim mendicabat, & aquam, vix aliud ſibi ad vitæ alimentum adhiberet. Cùm neceſſarius ſomnus oculos inuaderet, vel quercus in agro tectum dabat; vel in Oppidis ſtabulum paleis ſtratum lectum miniſtrabat: nec, tametſi corpore delicatus eſſet, laboribus vllis terrebatur; quibus nunc prædicando, nunc fugiendo, nunc variis carnem modis vexando defatigaret: Illud verò inter hos perſequutionum labores illi ſingulare fuit; quo ſe ſupremum Charitatis apicem conſcendiſſe oſtendit; vt quantò acriùs in eum perſecutio ferueret, tantò ardentiùs pro ipſis perſecutoribus ad Deum preces funderet: ita vt Matthæi animus in hac Oratione, præ charitate penè colliquefieri videretur. Ita quippe fieri æquum erat; vt, qui tanquam viui lapides, nouæ Ordinis Reformationi ſubſternendi erant, in perfecta Chriſti Domini imitatione, atque Euangelicæ legis perfectione, ſolida fundamenta iacerent. Dum igitur inter has vitæ, & victus auſteritates, nec non aſſiduos perſecutionis labores, Dei ſeruus in Oppidulo, quod Camerino proximum erat, Dei Verbum prædicaret, in ſupremum morbum incidit: cúmque in tam graui languore nemo illi neceſſaria miniſtraret: (Fratres enim, qui in Colmenzoni Conuentu degebant, varia in loca diſperſi perſequutores fugiebant) Agricola quidam; Vir pius ac honeſtus, cuius animam Deus ad miſerationem commouerat; Matthæum, Camerinum apud ſe, in S. Venantij ſuburbium, vbi familiam tenui peculio alebat, deferendum curat. Verùm cùm morbus ingraueſcens longiores ſe in moras protraheret; veritus Matthæus, ne ob diuturni morbi languorem, quo ſe afflictari conſpiciebat, tenuis illa Agricolæ familia incommodi aliquid ſuſtineret: tum etiam, vt in ſupremo hoc vitæ diſcrimine extremam mendicitatem, ac paupertatem, quam ſibi altè animo infixerat: quamque eouſque ſummo ſtudio coluerat, ad vltimum vſque ſpiritum proſequeretur: in veterem quandam alienam domunculam, quæ cùm ſemidiruta eſſet, tunc à nemine habitabatur; in vltimo ſuburbio ſitam, ſe deferri poſtulat: vbi cùm piorum aliquot eleemoſynis, quibus Viri ſanctitas haud ignota erat, neceſſaria illi quotidie miniſtrarentur, iis tamen tam parcè, ac tanto paupertatis ſtudio vtebatur; vt cùm puluinaria, & laneæ culcitræ, ac meliores lodices ad corporis ægrotantis ſolatium illi offerrentur; vniuerſa recuſaret: nihilque præter lectum paleis ſtratum, ſtragulúmque obſoletum, quo operiretur, ab iis accipere vellet: ſatis ſuperque ſibi ſufficere exiſtimans, ſi præter hæc pallium, quo is vti conſueuerat, puluinaris loco ſibi capiti ſubſterneret.

*Matthæus in morbum incidit.*

*Nullo præſente extremum diem claudit.*

XVI. Ingraueſcente porrò morbo, cùm ſibi vitæ finem inſtare animaduerteret: Sacro in primis Pœnitentiæ Sacramento purgari, diuiniſſimóque Chriſti Corpore refici, ac tandem Extrema Vnctione, ad extremum cum Tartareo hoſte conflictũ ineundum, muniri voluit. Poſthæc adeò rerũ Cæleſtiũ contemplationi, atque intimæ cum Deo vnioni, Dei ſeruus vacare cœpit: vt alterius S. Martini inſtar, oculis, ac manibus in Cœlum ſemper erectis, ſupinus aſſiduè oraret: neque ob morbi vim, ſpiritum iam





ad ſuperna feſtinantem, ab oratione vnquam reuocaret. Atque inde factum eſt; vt dum per vnius, vel alterius diei ſpatium hac ſpiritus quiete frueretur; ſolus pauperrimi inſtar, ac ſine comite, ex hoc rerum humanarum tumultu ad immortalis quietis poſſeſſionem emigrauerit.

XVII At Sancti Viri mortem, quæ velut ignobilis, nullo teſte, nulliúſque præſentia digna habebatur; publico, ac illuſtriſſimo præcone, Deus teſtatam eſſe voluit. Nam in ipſa ſui obitus hora, omnes Eccleſiæ S. Francifci Camerinenſis Vrbis, campanæ, nullo præterquam Angelorum miniſterio pulſatæ; totam Vrbem commouerunt, vt rem ſumma admiratione proſequeretur. Cúmque omnes, quid ea res portenderet, ignorarent; vniuerſi obſtupeſcere, animo ſuſpendi, perquirere cuncti, interrogare, quò prodigium illud ſpectaret; quidue præſeferret. Interea qui Viro Dei neceſſaria adminiſtrare ſolebant, vnà conuenientes: inuicem percunctantur, Num Vir ille ſanctus, qui in Suburbij domo ægrotus iacebat, fortè obiiſſet. Celeritérque eò properantes, vix domum ingreſſi, Virum Dei in lecto iacentem, ac manibus ſuo more in Cœlum erectis, exanimem vident: Quæ res cùm ad Epiſcopum, ac Catharinam Duciſſam, quæ etiamnum poſt Viri mortem, cum Iulia filia Vrbi dominabatur, delata eſſet. Epiſcopus cum Clero ad domunculam conuenit; totáque Vrbe cum Duciſſa confluente, venerandum illud Corpus inde cum luminibus efferunt, & in ſancti Franciſci Eccleſia, quæ Minorum Conuentualium eſt; in qua Campanarum ſonitus Angelico Miniſterio æditus fuerat, honorificè conditur. Id cùm vbique, fama peruolante, peruulgatum eſſet; non paruam Capucinorum Reformationi, quæ tunc maximis perſecutionum æſtibus, Ioannis Faneſtris opera, iactabatur, apud omnes nominis exiſtimationem, ac ſplendorem comparauit.

*Campanæ in ipſius obitu ab Angelis pulſantur.*

*Tota Camerini Vrbe affluente in Eccleſia Minorum Conuentualium ſepelitur.*

XVIII. Hoc pacto Matthæus, cùm plurimo, Nouæ Reformationis incunabula, virtutum, ac ſãctimoniæ odore reſperſiſſet, cœleſti teſtimonio clarus ad ſuperos abiit. Cui illud Eccleſiaſtici olim de Ioſia elogium occini poteſt: *Memoria Ioſiæ* (nos Matthæi) *in compoſitione odoris, opus Pigmentarij, in omni ore quaſi mel indulcorabitur eius memoria, & vt Muſica in Conuiuio vini.* Nec immeritò; nam B. Maximo teſte: *Dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum.*

Eccleſ. 49.

S. Max. hom. 59.

XIX. Sub huius anni finem Catharina Camerinenſiũ Duciſſa, cùm primum illud Capucinorum Monaſterium, quod Colmenzonio anno 1528. extructum fuerat, ob aëris inſalubritatem fratribus funeſtum, ac lethale conſpiceret, nam ſolo biennij ſpatio, decem circiter Fratres ex humanis ereptos, ad immortales tranſmiſit; aliud in ſalubriore Vrbis parte, quæ vulgò Renacauata dicitur, ab ea per ſeſquimilliare diſtans ædificandum curat, Via, quæ in duas diſſecta, altera ad S. Seuerini Oppidum, altera Tolentinum ducit: vbi vetus quoddam delubrum B. Virgini dicatum, inter montes & nemora deliteſcebat. Ibi cùm partem nemoris à Canonici cuiuſdam, qui Præceptus de Præceptis quondam appellabatur, hæredibus, iuſto pretio comparaſſet; humile, ac pauperculum, quale à Fratribus expetebatur, Monaſterium extruxit: quod hodierna die parum à priore forma immutatum, adhuc integrum ſtat: (quod ſanè eximiam illius Prouinciæ pietatem, ac Regularem obſeruantiam declarat) atque antiquæ paupertatis ſimulacrum, ac humilitatis monumentum omnibus aſpectandum præbet. Ex quo facilè cuique perſpectum eſſe poteſt, quàm Seraphico priſci illi Patres, in ædificandis domibus, ſpiritu ducerentur: vt illos imitari non pigeat, quos celebrare delectat.

ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1532. 9. 14. 8.

*Ludouicus, & Bernardinus Rhegini ad Capucinos migrare ſtatuunt.*

I. NOVO Chriſti anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo exoriente, noua etiam in Calabria (quæ in Superiorem, & Inferiorem diſtincta; hæc Brutiæ, illa Magnæ Greciæ nomen retinet) nouæ Capucinorum Reformationi proles oritur. Nam Capucinorum rebus, Deo præſertim Auctore, feliciùs in dies efflorefcẽtibus, Ludouicus, & Bernardinus Rhegini, qui Ludouico Foroſemproniano dexteras dederant; atque eouſq; duntaxat deliberationis propoſitum diſtulerant, quò maiori conſilio, ac prudentia rebus ſuis proſpicerent: cùm hinc omnes conatus, quos pro ſuorum Reformatione contulerant, violenta Superiorum Ordinis auctoritate fruſtrari; nullámque ſibi ſpem ſupereſſe cernerent, qua certa aliquando in Ordine Reformatione potiri poſſent: illinc Capucinorum res, Deo (vt videbatur) obſecundante, aduersùs totius Ordinis impetus, ac procellas fortiores ſemper ſubſiſtere, prudenter ſecum animaduerterent; diuinum illud opus, ac conſilium agnoſcentes, quo ad nouæ Religionis conſortium à Deo vocabantur; Deo tandem vocanti obtemperandum ſtatuunt. Veruntamen, ne quid in eis prudentiæ, ac humilitatis requireretur; poſtremum apud Generalem Miniſtrum Ioannem Parmenſem, Piſciotam nuncupatum, qui Meſſanam proficiſcens per Calabriam breui iter facturus erat, lapidem mouere; ab eóque, quid de tentata ſæpè Reformatione ſibi ſperandum ſit, velut extrema alea explorare parant.

II. Quamobrem cùm primùm illum in Catonam, quæ Taberna diuerſoria eſt, è regione Meſſanæ, ſeptimo à Rhegio lapide diſtans, aduentaſſe audiunt, eò omni cum diligentia, ac feſtinatione conuolant; ab eóque tria illa Recollectorum loca, quorum ſuperiùs meminimus, ſibi, ſuiſque ad Reformationem aſſignari poſtulant. At Generalis, qui alienum prorſus ab eorum poſtulatione animum gerebat; omnibus modis illos ab eo conſilio reuocare ſtudet: in quo tamen cùm ſtabiles, ac immobiles eos eſſe animaduerteret; iubet Meſſanam, vbi propediem Generalis Congregatio conuocanda erat; quò res maturiùs, vti aiebat, diſcuti, ac deliberari queat, cõuenire. Coacta igitur in Meſſanenſi Vrbe Congregatione, cùm eò vterque opportuno tempore conueniſſet: rurſumq; quod à Generali Miniſtro poſtulauerant, palàm coram Congregationis Patribus propoſuiſſent: Generalis Miniſter, qui erga Capucinorum Reformationem adeò exulceratum animum gerebat; vt ne vllam quidem de ea mentionem fieri æquo animo ſuſtineret; cùm minùs in Reformationem animum intenderet, veritus maximè, ne ij ad Capucinos migrarent; accito ſeorſim Patrum conſilio, vt animum ab vtraque ſollicitudine liberet, his ſe in eam ſententiam propendere aperit, vt oppidò vterque in vincula coniiciatur. Verùm Congregationis Patres, rem prudentiori conſilio examinantes; cùm Viros, & auctoritate graues, & virtute eminentiores, & apud Regni Proregem, atque in tota Calabria notiſſimos, & illuſtriſſimos eſſe ſignificaſſent; nihílque eam vim præter tumultum, & ſcandalum allaturam fore Generali perſuaſiſſent: is mutato prorſus in oppoſitũ conſilio, eos placidis verbis demulcere, ac honoribus augere cogitat; vt eò faciliùs ſibi deuinctos in ſuam ſententiam cõpellat. Idcircò Ludouicũ Nepitij, Bernardinũ Rhegij in Annunciationis B. Mariæ Conuentu, Guardianos deſtinat; eorúmque palàm zelum, virtutem, ac propoſitum commendat; atque vt eos à propoſito Reformationis ſtudio reuocet; Reformationem, quam ij ſibi ipſis priuatam proponunt, ſe in toto Ordine proſequendam pollicetur. Quapropter eos in maioribus hiſce Conuentibus Superiores eo conſilio abs ſe conſtitutos affirmat: vt trium illorum

*Generalis Miniſter Reformationi aduerſarius.*

*Ludouicus & Bernardinus à Generali Miniſtro de Obſeruantia Guardiani creantur.*





ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1532. 9. 14. 8.

Conuentuum poſtulatione prætermiſſa, ad totius Prouinciæ Reformationem animum, & cogitationem transferant.

III. Hoc igitur Generalis Miniſtri reſponſo, quo alienum ſibi omnino animum à propoſita ab iis Reformatione eſſe declarauerat: cùm Ludouicus & Bernardinus ſibi tantùm verba dari, omnémque Reformationis ſpem eripi conſpicerent; indéque à Generali, quem erga illos ſimulatione vti, ex certo præteritarum rerum experimento Sole clariùs agnouerant, ne quicquam reliquum ſibi expectandum eſſe intelligerent: nonnihil tamen deliberationi ſuperſedendum ſentiunt, donec iterata poſtulatione, diligentiùs adhuc Generalis mentem explorantes, omnem ab animo dubitationem expellant, atque interea meliùs ſibi, ſuiſque rebus conſulant.

*Iterum Reformationis poſtulationẽ repetunt.*

IV. Meſſanenſi igitur Congregatione abſoluta; cùm Generalis Scillatio apud Calabros (quæ Vrbs eſt in Magna Græcia) Capitulum conuocaſſet: Ludouicus, re maturè cum ſuis deliberata, extremum de Generalis animo periculum facturus, Capitulo quidem præſens intereſſe noluit; ne aliqua Generalis vi, quam ſibi certò inferendam præuidebat, commune propoſitum retardaretur. Tutiùs verò iudicauit, Fratrem Angelum à Calamnia, ſocium ad Generalem cum literis mittere: quibus rurſum ab ipſo, vel loca ad Reformationem apta ſibi aſſignari, vel Capucinorum Reformationi ſe cum aliis aſſociari poſtulat. Porrò Fratres ad Generalem Miniſtrum cum literis miſſi, cùm Scyllatium perueniſſent; Epiſtolam quidem Generali reddendam curant: at ipſi rei exitum præſtolantes, diligentiùs, quæ fiebant, animo obſeruabant: Generalis porrò lecta Epiſtola, ſtatim Tabellarios Fratres comprehendi, ac vinculis conſtringi iubet. At ij cùm tempeſtatem ex concitatis fluctibus, & Fratrum tumultu præſenſiſſent; ſenſim ſe procellæ ſubripiunt, atque inde dilapſi ad Ludouicum Nepitium redeunt; cui Generalis Miniſtri iras, animûmque omnino à Reformatione auerſum indicant. Ludouicus igitur eorum, quæ futura erant, ipſa rerum experientia non ignarus, Philocaſium, ad Ferrantem Caraffam, Ducem Nucerinum, Virum pietate, ac Religione, ſi quis alius, ſua tempeſtate præſtantem, ac præcipua erga B. Patris Franciſci Religionem deuotione præclarum, ſe confert: vt ſe, & alios ab imminentis procellæ naufragio, quo ob concitatas Generalis iras abſorbendos formidabat, illius patrocinio, velut ſub rupe tueretur.

*Ludouicus ad Ducem Nucerinum confugit.*

V. Fuit hic Ferrans, ſeu Ferdinandus ex illuſtriſſima Carafforum ſtirpe, qui de Statera nuncupantur; Patre Tiberio, primo Nucerienſium Regulo, Matréque Lucretia Borgia, Alexandri Sexti ſummi Pontificis ex Fratre Nepte prognatus: cui præter generis ſplendorem, quo hæc Carafforum Progenies olim, atque etiamnum domi, militiæque clariſſimè in Neapolitano Regno effulget; pleriſque titulis, ac copioſis Ditionibus eſt illuſtris. Inter quas Andriæ, Borani, Ariani, Circi Maioris, Campoliti, Sinueſſæ, Sabionetæ, Matalonentium, Laurini, Nuceriæ, Paleani, Argentani, Ducatus. Sciliani, ac Biſuniani Principatus, Montiſarcij, Thebæ, Lúcanæ, Arientij, Montis-nigri, Polignani, Quarati, Marchionatus. Arcorum, Aliani, Cereti, Morconi, Rubrorum, Thurij Noui, Coriolani, Suriani Comitatus adnumerantur: quibus hæc olim familia ob res pace, bellóque præclarè geſtas, Regum Neapolitanorum liberalitate potita fuit; quibus & Cardinalitia, ac Pontificia dignitas, quæ tum in pleriſque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, tum in Paulo Quarto Pontifice Maximo, ex hac Familia ad Pontificatum aſſumpto, præluxit; gloriam auget: His propria quoque virtus lucem, ac ſplendorem contulit.

*Caraforum familia quã illuſtris.*

VI. Vir enim tanta animi magnitudine, ac præſtantia præditus fuit: vt cùm primùm Carolus Quintus, Tuneto rediens, per Calabros tranſiret, regiè ab eo Nuceriæ exceptus, ob ſingularẽ illius prudentiã, primus ex Carafforum familia inter Hiſpaniarum Magnates à Cæſare relatus fuerit. Humanis quoque, ac diuinis literis eruditus, ampliorem, quàm Principis conditio ferre ſoleat, ſapientiam, doctrinámque præſeferebat: quo fit, vt quoad vixit, omnium, qui doctrina, aut virtute præcellerent, perpetuum ſe Mœcenatem exhiberet. Tanta denique animi integritate,

*Ferrãtis Caraffæ Ducis Nucerini præſtantia.*

pietate, atque in res diuinas religione enituit; vt ſolus in grauiſſima hac perſecutionis tempeſtate, qua res Capucinorum apud Calabros iactabantur; labentem, ac propè depoſitam Reformationem, nedum ſua virtute, ac patrocinio ſuffulſerit; verùm & ſua omnia ſtudia, ac ſollicitudinem ad ipſius ſtabilitatem, ac dignitatem contulerit: cui propterea Capucinorum Religio gratiſſimam tanti benefacti memoriam, nulla vnquam obliuione delendam, reponit.

Duci igitur Ludouicus, cùm deplorabilem Ordinis ſtatum à Regulari Obſeruantia dilabentem, réſque ſemper in peius ruentes indicaſſet; quæ etiam cum Generali Miniſtro fruſtra egerant, copioſiùs ſignificaſſet: ſuum tandem, ac multorum commune Reformationis conſilium, ac ſtabile propoſitum illud eſſe aperit: vt ſe nouæ Capucinorum Reformationi, quæ in Piceno exorſa, primam à Deo inſtitutionem, tum ſecundam ab Apoſtolica Sede confirmationem acceperat, quàmprimùm adiungant. Veruntamen cùm animo futurum præſentiat, Cacodæmonis inuidia, plurimas ſibi moleſtias, ac perſecutiones parandas eſſe; vt à cœptis deſiſtant: has etſi diuina virtute propulſandas eſſe non ignoret, faciliùs tamen ipſius ope ſuperandas fore confidit. VII.

His auditis, religioſiſſimus Dux; cùm prudenter totius rei ſummam percepiſſet; in eaque de diuini Nominis gloria, ac Regularis Obſeruantiæ reſtitutione, quam in Franciſcana Religione diu exoptauerat, agi conſpiceret: promptiſſimè omnem illi opem, & auxilium pollicetur: atque eo maximè, quòd Ludouicum, & Bernardinum, quos omnium virtutum genere ornatiſſimos nouerat, ſumma apud ſe in exiſtimatione haberet. Quare nihil omnino cunctatus; ſtatim per certum Tabellarium ad Prouinciæ Præfectum Conſentiam literas dat, quibus illum de his omnibus certiorem reddit: rogátque, ne Generalis Miniſtri verbis, aut clamoribus, quibus illum aduersùs Ludouicum, Bernardinum, atque alios Reformationis ſocios fortè concitaturus ſit, vllatenus moueatur; vel aures faciles præbeat. Interea Ludouicus per Epiſtolam Bernardino, quid actum, quidve illi agendum ſit, ſignificat; monétque, celeriùs rem peragendam eſſe; ne Generalis Miniſtri diligentia ipſos anteuertat, ac præoccupet. Exemplar verò Epiſtolæ, quam is ad Bernardinum ſcripſit, hoc fuit. VIII.

*Dux Nuceriæ Ludouici, ac aliorum patrocinium ſuſ ſcipit.*

*V. & N. Pr. ſalutem in Domino. Illuſtriſſimus Dux Nucerienſis nullò nobis auxilio, ac fauore ſe defuturum ſpondet. Dominus Sigiſmundus ipſius à ſecretis ſummo mane Conſentiam eſt profectus: vt Proregi Diploma executoriale offerat, aliúdque ab eo executoriale itidem referat, ſimul cum literis ad Conſilium Collaterale, Romámque directis. Iam Palamoni ad Fratrem Cataldum, ac ſocios ſcripſi; atque vndique nobis ſpes bona affulget: quandoquidem res fauſtum ſortita eſt exordium. Nec deerit Deus quærentibus pietatem. Tibi tantùm feſtinandum eſt; vt quàmprimùm cùm Fratribus Philocaſium te conferas: plurima enim conſilio, ac celeri expeditione indigent: vt qui nos conturbare parant, deludantur: magnum ſiquidem periculum eſt, ne eorum inſidijs capiamur; niſi opportunè in tutum nos locum receperimus,. Cùm primùm ad nos cum Fratribus veneris, eodem tempore binos expeditos Fratres Seminariam mittam, qui F. Bonauenturam Rheginum, ac duos alios Fratres ibi commorantes admoneant, vt ad Oppidum Philocaſij feſtinatò ſe conferant, & F. Ioanne à Thurio Nouo aſſumpto, ad nos celeriùs veniant. Tu quoque cura, vt ad Conuentum Quinquefrondium Fratres expeditè mittantur: qui literas, quas ibi fortè reperient, ad nos perferant, Fratrúmque profectionem ſollicitent. Omnia prudenter diſpone, ac celeriter. Literæ enim noſtræ Miniſtro Generali, Do-*

*Ludouicus quid agẽdũ ſit, ad Bernardinum ſcribit.*





*minica die, in Veſpere redditæ fuerunt: faciléque futurum eſt, vt is in nos aciem inſtruat. Ideò mihi conſultum videtur, vt omnes in S. Martinum conueniant, deinceps Loretum, tandem Philocaſium. Hæc ſatis. Vale in Domino, & ora, vt eius conſilio res dirigatur. Nepitio in Vigilia Pentecoſtes 16. Maij 1532. In Oppido S. Martini, de Franciſco Pacileo percontandum erit, qui nos omnes hoſpitio recipiet.*

*Tuus in Domino*

FR. LVDOVICVS DE RHEGIO.

*In Inſcriptione.*

*Venerando in Chriſto Patri Fratri Bernardino de Reghio*
*Ordinis Minorum Regular. Obſeruantiæ Præconi diuini*
*Verbi celeberrimo*

*In Annunciata Rhegij.*

IX. Bernardinus itaque acceptis Ludouici literis, omni ſtudio, ac diligentia, collectos prudenter vndique ſocios ad S. Martini Oppidum tranſmittit. Ludouicus quoque alias, ad cæteros Reformationis ſocios, varia per loca diſperſos, literas exarat. Sicque factum eſt, vt Domino potiſſimùm ductore, reſque è Cœlo feliciùs adminiſtrante; triginta Fratres, cuncti in idem Reformatiouis conſilium conſpirantes, abſque vllo cæterorum Fratrum impedimento, aut tumultu, breui tempore in S. Martini Oppidum perrexerint; atque inde Philocaſium profecti, ad Ludouicum conuenerint. Horum nomina partim monumentis tradita, partim ſilentio obuoluta fuêre. Qui verò apud antiqua Monumenta extant, hi ſunt: Ludouicus, Bernardinus Georgius, Ioannes Candela, Bonauentura, Franciſcus Palemon nuncupatus; hi omnes Rhegini; Bernardinus à Biſidiano, Michaël Apruſtenſis, Angelus à Calamnia, Dominicus à Moloco, itidem Ludouicus cum Fratre, Bonauentura Raticinenſis, Franciſcus Dipinianenſis, alter Franciſcus à S. Martino, & Ioannes à Terra noua. Inter hos plerique Concionatores erant; homines virtute præclari, quos omnes Dux Nucerienſis, velut Angelos Dei, ac noua quædam B. Franciſci germina, apud ſe Philocaſio, hoſpitio excipit.

*Triginta Fratres Philocaſium ad Ludouicum conueniunt.*

X. Hunc itaque in locum, triginta hac Fratrum familia in Domino collecta, cùm ad præſtitutam Habitus formã, quam à Ludouico Foroſemproniano acceperant, totos cuncti ſeſe fingere peroptarent, ac de quadrati Caputij forma, quam quiſque ſibi vendicare debeat, inter ſe agerent; nemo erat, qui, qua arte, aut ratione illud conſtruendum eſſet, intelligeret: cùm protinus Eleonora Concubleta, quæ Patre Arenæ Marchione progenita, Ferranti Duci ante vigeſimum annum nupſerat, ex quo etiam prolem ſuſceperat; vilem pannum ſtatim ſibi afferri iubet; in quo Caputium quadratum, ac pyramidale delineans, arreptis forficibus illud ſua manu præſcindit, ac religioſiſſimo ſtudio conſuit. Atque vbi primum illa Caputium parauit: alia quoque ad illius exemplar præciſſa, nobilioribus Pediſſequis, quò ardentiorem ſuam erga nouam S. Franciſci prolem pietatem, ac ſtudium oſtenderet, conſuenda diſpertitur. Præſtantiſſimo Fœmina hæc animo fuit, tam eximia animi pietate, ac virtute inſignis; vt cùm præter miſericordiæ opera, nihil in animo verſare videretur; maiorem ſuorum redditũum partem in Philocaſij, ac Panaliæ pauperes, quibus ſtatis habdomadæ diebus, cibos propriis manibus miniſtrabat; piè erogaret. His ita peractis, mox vniuerſi in B. Dominici Cœnobium commeant, atque ante Altare procumbentes, vbi decantato hymno: *Veni Creator ſpiritus*, &c Sancti Spiritus opem fuſis lachrymis ſibi adeſſe implorarunt, P. Vincentio à Grottaria tunc Domus Priore, ac tota Dominicanorum Fratrum familia coràm ſtante, ſpectantibus quoque religioſiſſimis Nucerino Duce, ac Duciſſa: tum plurima populi mul-

*Eleonora Concubleta Duciſſa Nucerienſis primum Fratribus Caputium conſuit.*

titudine, primùm Ludouicus, tum Bernardinus, deinde alij duodecim numero, Religionis Capucinorum habitum deuotiſſimè induunt.

*Ludouicus Capucinorũ Habitum ſuſcipit, & ab omnibus Prouincialis Vicarius eligitur.*

XI. Hoc modò, cùm noua hæc Seraphica Acies, ſacro habitu, velut cæleſti lorica, aduersùs Dæmonum, hominúmque phalanges, à quibus oppugnanda erat, armata eſſet: ne Duce, ac Imperatore careret, quo ad bellum procederet: confeſtim iuxta Ludouici Foroſempronianі Vicarij Generalis præſcriptum, duodecim ex eorum numero electis, quos idem Generalis Vicarius ad Religionis gremium receperat; ſe ſe ad primum Prouinciale Capitulum, ac Prouincialis Miniſtri electionem celebrandam parant; quam paulò poſt in Spiritu Sancto congregati, in eodem Fratrum Prædicatorũ Cœnobio, Ludouico Rhegino cõmunibus votis in Prouincialem electo, ſub Menſis Maij finem perficiunt. Ludouicus verò eo Prouincialatus onere ſuſcepto, mox cæteros in communem Ordinis Societatem adſcribit: tum Vicarium Generalem omnium, quæ ab ipſis acta fuerant, per literas certiorem reddit. Ad quem ipſe quoque Dux Nucerinus, humaniſſimas literas ſcribit, officij, ac Religionis plenas. Atque hoc pacto, illuſtriſſima Reformationis fundamenta apud Calabros iacta fuêre: Quæ cùm in tantam, ac tam diuturnam deinceps Regularis Obſeruantiæ perfectionem, & excellentiam emerſerit: vt nec quicquam illi addi poſſe videatur; primámque ac rigidam illam, quam à ſuis Satoribus hauſit, inſtitutionem, ad hæc vſque tempora retineat. Hinc facilè perſpici poteſt, quanta horum virtus, ac præſtantia fuerit: (*Quorũ* vt ait Sapiens) *pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas Sancta nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit ſemen eorum: & filij eorum propter illos vſque in æternum manent, ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.* Diuinum planè hoc opus fuit, nulli, præterquàm Deo Opt. Max. adſcribendum; qui cùm præclaram hanc Calabriæ Reformationem, Cæleſti planè conſilio, ad totius Religionis opem, ac præſidium excitaſſet. Virum hunc illuſtriſſimum, Capucinorum Reformationi velut Apoſtolum dedit; cuius robore, ac fortitudine, ea aduersùs Dæmonum, hominúmque conatus, ſartatecta ſeruaretur. Etenim, quemadmodum reipſa cunctis deinde perſpectum fuit, cùm primum Matthæum de Baſſio, Dei prouidentia ad primæui habitus, ac Regularis Obſeruantiæ reſtitutionem; ac deinde Ludouicum Foroſempronianum ad Reformationis propagationem vocaſſet; iis tertium Ludouicum Rheginum addidit: vt inter primos hos Reformationis Satores, is eſſet; qui vacillantia ipſius fundamenta ſtabiliret; ſolúſque vtraque horum prolabente, immotus conſiſteret; & Columnæ inſtar nutantem Religionem ſua virtute, ac conſtantia ſuſtentaret. Neque enim is cum Matthæo à ſuſcepta ſemel habitus forma, vllo vnquam tempore, aut ratione deſciuit, aut cum Ludouico diu propugnatam Congregationem ambitioſo ſpiritu deſeruit: ſed cùm fortis Athletæ inſtar, pro ea ad extremum vſque ſpiritum decertaſſet: Fidémque in aduerſis omnibus ſeruaſſet; in ea tandem mortalis vitæ curſum feliciter cõſummauit. Quo fit, vt is maximam ſibi in Reformationis, non modò Propagatione; ſed etiam Conſtitutione, apud Deum gloriam comparauerit. Dignus planè, ei Capucinorum Religio immortale laudis monumentum reponat.

Eccleſiaſt. 44.

*Ludouicus Calabræ Reformationis Apoſtolus, quanta in Religionem contulerit.*

XII. Interea Ludouicus Prouincialis Vicarius, cùm nouæ Reformationis alumnos idcirco à Deo excitatos, ſapientiſſimè intelligeret; vt perfectam Seraphicæ Regulæ Obſeruantiam in Orbe reſtituerent, ac velut ardentes quædam faces, ſanctiſſimis virtutum exemplis, atque Apoſtolicæ vitæ ſplendore reliquis prælucerent. Primùm quidem è Ducis domo, velut parùm Eremiticæ vitæ conſentanea, abſcedere cogitat; ac primum propè Panaliæ Oppidum; quod Philocaſio quingentis circiter paſſibus aberat, in quadam S. Antonij Eccleſia, Duce ipſo annuente, ſibi hoſpitium eligit. Vbi ex luto, & arborum ramis, ac viminibus, nonnullis cellulis constructis, hilarem in ſumma rerum egeſtate, ac vitæ auſteritate vitam ducebant: eo ſe maximè diuites arbitrantes, quòd vniuerſa propter Chriſtum deſpicerent, ac omnia, præ paupertatis amore, vitæ incommoda cum gaudio ſuſtinerent.

*Ludouicus primum Panaliæ locum ædificat.*





XIII. Hinc Ludouicus, Franciſco Palamone Galatrum miſſo, à Sancti Eliæ Abbate, qui eo tempore in Oppido morabatur; Ædiculam S. Eliæ inter nemora latitantem, obtinet. Erat hæc S. Eliæ Ædes, antiqua olim Monachorum S. Baſilij ſedes, diruto prorſus Cœnobio coniuncta: cuius adhuc priſca ruderum, ac parietinarum veſtigia extabant. Hæc ad aſperrimi Montis radices, quas prægrandis quædam, ac denſa ſylua, quæ Longa appellabatur, obſidebat; extructa, tam horridam, vaſtámque ſolitudinem ſibi vendicauerat; vt ad eam nonniſi per trium milliarium iter, via plane ardua, ac difficili Galatro aſcenderetur. Hunc igitur aſperrimum, atque ab hominum aſpectu, cultuque ſemotum, velut ſolitariæ, atque Eremiticæ vitæ aptiſſimum, ſuis Ludouicus locum eligit: quo ij maiori animi tranquillitate Deo puriùs, ac ſanctiùs famulari poſſent.

XIV. Verùm hìc paulisper nobis ſiſtendum eſt: vt curioſæ quorundam expoſtulationi ſatisfiat: qui cùm Eremos, ac deſerta loca, velut Clauſtralibus Viris minùs apta eſſe ſentiant, id à nobis exquirunt: cur ea ab exordio Capucinorum Religio ſibi incolenda elegerit. At hi profectò, vel Eremi delicias ignorant, vel quænam perfectiora Religionis ſtudia ſint, necdum agnoſcunt. Quid enim vera ſolitudine, aut honeſtiùs, aut iucundiùs? Vbi mens ab omnium mortalium rerum cura libera, ac ſoluta ad Deum tendit, ac diuinis colloquiis recreatur. Id Vate atteſtante. *Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Haud ſanè immeritò, Moyſes gregem ad interiora deſerti duxerat, cùm Dei inter ſpinas verſantis viſione potitus eſt. Eremus enim, quam auſteritatis ſpinæ vndique ſæpiunt, ſuos inuiſibiles oculos habet, quibus Deum intuetur. An non ea Tugurioli aula, Angelorum, quàm hominum conuiuiis aptior eſt? Menſam frugalem quidem cernas; ſed pacificam, morum indicem; ac modeſtiæ teſtem, luxus, ac tumultus neſciam; gulæ domitricem; vnde voluptas exulat, vbi regina ſobrietas; cubile caſtum, & quietum; non fumant edentibus parata fercula, omne coquorum paſſa ludibrium; quæ ſi quis, valdè licet eſuriens, cernat; quàm fœdè, quantoque ſint coagulata lenocinio, ſolo ſpectaculo ſatur abſcedat. Non ardent rutilo in auro Graïæ vindemiæ: neque vno in ſcypho Gnoſſos, & Meroe, Veſuuius, Phalernuſque miſcentur; ſed Solitarius heſterno ſobrius ieiunio; paupere ſub lare, vel emendicata ſtipe, vel herbarum radicibus, aut telluris fructibus, ac flumine viuo, famem, ſitimque compeſcens, lætum agit, ac tranquillum æuum; Platonicumque illud reipſa commendat, haud placere, bis in die ſaturum fieri.

*Eremi laudes, & delitiæ enarrantur.*

XV. Hic vbi primum Galli cantum exaudit, alacer ad nocturnas Dei laudes aſſurgit: tum ſolis iubare exorto, rurſus in diuinæ laudis præconia, pio lætus ore prorumpens, vitæ ſibi inprimis innocentiam, tum linguæ frænum litis neſcium, viſus tegmen vanitatibus obiectum, animi candorem, vecordiæ abſentiam, & domitricem carnis abſtinentiam deprecatur. Quid plura? Plenus Solitarius honeſto gaudio, plenus ſpe, integritate, ſecuritate, conſcientia; Deo Charus, Angelis ſimillimus; dulcem, ac imperturbatam excipit quietem; pro ſtrepitu ſilentium, pro tumultu requiem nactus. Et quandoquidem mortem ſuam nulli vtilem, nulli damnoſam vitam eſſe nouit: haud multum intereſſe arbitratur, quàm diù, ſed quàm benè viuat. In id vnum animum intendens, vt benè actam vitæ fabulam pulchro, ac felici fine concludat. Hinc exclamat Hieronymus. *O deſertum Chriſti floribus vernans. O ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi Ciuitas Magni Regis extruitur. O Eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis Frater in ſæculo, qui maior es mundo? Quamdiù te tectorum vmbræ premunt? Quamdiù fumoſarum Vrbium carcer includit?*

Hier. Epiſt. 1. ad Eliod. c. 9.

XVI. His Eremiticæ vitæ commodis, ac felicitatibus allecti, haud mirum, quòd priſci illi noſtræ Reformationis Patres, ac Satores non modò Eremi ſolitudines quærerent: ſed & ipſum Eremiticæ vitæ nomen, & appellationem ſibi vendicarent. Quapropter Ludouicus, cùm primùm hanc S. Eliæ Ædem à Monachis impetrauit, ibi Eremiticum hoſpitium eodem planè modo, quo aliud Panaliæ ædificauerat, ex

*S. Eliæ locus conſtruitur.*

lutò, viminibus conſtruendum curat: vt & locus locato reſponderet, & altiſſimæ Paupertatis Eremus, idoneos quoque ſibi cultores compararet.

XVII. At neque id abſque Dei conſilio accidiſſe perſpicuum eſt. Hunc enim locum, paucos ante annos, Angelus Ioanni Galatrenſi (de quo plura anno 1524. diximus) Capucinorum habitu ornatus apparens, à Capucinis in ſumma rerum perturbatione, ac temporum anguſtia aliquando incolendum fore, prædixerat. Cur verò ea Eccleſia S. Eliæ nuncuparetur, eam ferunt eſſe cauſam; quòd antiqua traditione peruulgatum eſſet, in ea Eccleſia S. Eliæ Abbatis corpus conditum fuiſſe: qui cùm Rhegio ex nobili Bozzettorum familia eſſet progenitus, quondam illius Cœnobij Abbas, ac Moderator fuerat.

XVIII. His itaque duobus Monaſteriis extructis; cùm familiæ per ſua quæque loca diſpertitæ, Regularis diſciplinæ formam colere cœpiſſent: planè incredibile eſt; quanta vi, quantoque animi ſtudio, ac cupiditate vniuerſi ad perfectam Euangelicæ Regulæ obſeruantiam, omniumque virtutum ſummam aſſequendam raperentur.

*Cypr. ſer. de ieiun. & orat. Chriſti.*

*Antiquorum Calabrorum Patrum virtutes referuntur.*

Ieiunia illis tam arcta, ac quotidiana erant; vt propè menſuram excederet: Cùm enim ex Cypriano didiciſſent, Ieiunio vitiorum ſentinam ſiccari, carnis petulantiam marceſcere, concupiſcentias languere, ardentis Æthnæ incendium extingui, & flammiuomi fornacem Vulcani, Dæmonis ſcilicet, carnem inflāmantis, ignes abſtinentia frigeſcere: tanta inedia corpus macerabant; vt vix oleum interdum oleribus commiſcerent. Ex quo facilè æſtimari poteſt, quid de carnibus, piſcibus, lacte, vino, atque aliis, quæ guſtui ſuauia ſunt, iudicarent: à quibus vel omnino abſtinebant, vel iis tam rarò, ac parcè vtebantur; vt ab ipſorum menſa propè exulare viderentur.

*Matth. 6.*

*Nilus Abb. de Auar. orat. 3.*

XIX. Nudam rerum omnium Paupertatem B. P. Franciſco amiciſſimam, tam ardenti ſibi amore copulauerant: vt rerum omnium penuriam ſuſtinere; ipſis quoque neceſſariis rebus carere pro ſummis deliciis, ac diuitiis ducerent. Hinc ab omni rerum prouidendarum cura, ac ſollicitudine adeò abhorruêre: vt Chriſti Domini tenaciùs dicto inhærentes, *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus,* quid in craſtino manducare, aut bibere deberent, nedum cogitare; ſed ne quidem habendum vellent. Et cùm Nilum docentem audirent: Monachum, qui nihil poſſidet, pugilem eſſe inuictum, & curſorem leuem, qui vocationis brauium celeriter aſſequitur. Non tantùm à rerum poſſeſſione, quam in Regulæ Profeſſione abiecerant; quàm ab ipſo rerum vſu, quem arctiſſimum, pauperrimum, ac vix rerum neceſſariarum ſibi præſtituerant, abſtinendum exiſtimabant. Quo fit, vt nihil non modò, vel ipſo vſu proprium, ſed accommodatum, vel mutuatum duntaxat ſibi eſſe putarent; atque hoc pacto Apoſtoli conſilium implentes, hoc Mundo, tanquam non vtentes, vtebantur.

*Chryſoſt. li. 1. de orando Deum.*

XX. Totum verò illorum in oratione ſtudium defixum erat; ex qua vniuerſam ſibi, tum ad Tartareos hoſtes debellandos, armorum panopliam; tum ad animum exornandum, virtutum ſupellectilem comparabant. Nam cùm ex Chryſoſtomo intelligerent, Vitam piam, ac Dei cultu dignam, nonniſi Oratione conciliari, conciliatam augeri, & ceu theſaurum in animo recondi, vniuerſaſquè virtutes ex Oratione, velut ex matre progigni: diu, noctúque obſecrationibus vacantes, cum Deo intimè, ac familiariter colloquebantur. Neque vllum omnino locum, aut tempus; non Eccleſiam, non cellam, non menſam, non viam; neque diem, vel horam, aut aliud temporis ſpatium ab oratione vacuum eſſe ſinebant; ita vt ipſum quoque ſomnum, quo hominis naturam ſubleuari oportet, cum oratione miſcerent. Neque enim qui vigilantes orant, quieſcentes, ab oratione putantur ceſſare: Mens namque cæleſtis eſt, nec corporis ſomno, quemadmodum nec alimento indiget, quo defatigata recreetur. Quo fit, vt dum ſenſus quieſcunt, mens in iis immota permaneat, quibus ante quietem afficiebatur.

XXI. Cùm igitur tam cæleſte, ac præclarum vitæ genus, priſci illi Reformationis Patres

perfectè



perfectè excolerent: quid mirum, quòd ex eo cæleſtis quoque virtutum odor vndique erumpens, vniuerſos ita ad eorum admirationem raperet; vt pleroſque etiam ad imitationem compelleret? Nonnulli enim, quos Deus ex vtero matris ſegregauerat, Euangelicam vitam, ac perfectam eorum conuerſationem contemplantes, auidè hoc tempore ſæculo renunciant: & ad Ludouicum Prouincialem venientes, ab eo in Capucinorum militiam adſcribuntur.

*Ludouicus pleroſque ad Ordinem recipit.*

XXII. Ex iis verò, qui Concionatorum munere fungebantur, alij Vrbes, alij Oppida petentes, tanto diuini Spiritus ardore Dei Verbum diſſeminare cœperunt: vt populi ignita verborum iacula intus animo perſentientes, ad pœnitentiam vehementer commouerentur: Ac cæleſtem eorum vitam ſeriùs intuentes, pallentia ora ieiuniis, membra ciliciis extenuata, Horridum habitus aſpectum, ſuauem morum compoſiotinem, Angelicam denique conuerſationem, ſuſpicientes; tanquàm Angelos è Cælo delapſos aſpicerent: atque eos eſſe, velut certum ſibi in animum inducerent, quos è Virginis ſinu erupturos, certa reuelatione, ante aliquot annos apud omnes ferè euulgatum fuerat. De qua fuſiùs nos Anno 1524. ſuperiùs egimus.

XXIII. Veruntamen cùm bonus, & gratus odor, qui homines recreare ſolet, Serpentes vexet, atque ex antris exilire cogat: haud ſanè mirandum eſt, quòd Tartareus Serpens tantam cæleſtis vitæ diſciplinam, ac tam ſuaueolentem virtutum fragrantiam, qua noua hæc Calabrorum proles Brutiam totam, & Magnam Græciam compleuerat, ferre non ſuſtinens, ex Erebi antris, ac faucibus erumperet; ac vix fœtum cœleſtis Mulieris ſemen, quod atrociſſimis odiis proſequebatur, perdere, ac deuorare feſtinaret. Nam Generalis Miniſter de Obſeruantia, cùm primùm Ludouici, & ſociorum ab Ordine diſceſſum reſciuit, eò irà proceſſit: vt mox in totius Reformationis ruinam, ac interitum conſpirauerit, eamque omnino è medio tollendam ſibi præſtituerit. Quare vix abſolutis Comitiis, hoc anno ſub Menſis Auguſti finem, Romam omni cum feſtinatione profectus, Pontificem adit, totque aduersùs Ludouicum, ac ſocios querelas, ac crimina coaceruat; quibus eos tanquam ſchiſmatum, ac factionum auctores in Pontificis odium adducere nititur; vt his Pontifex perſuaſus, mox edito Diplomate in eos Excommunicationem ferret, niſi quamprimùm ad Ordinis gremium redirent.

*Generalis Miniſter de Obſeruantia contra Ludouicum, & ſocios Diploma Pontificium impetrat.*

XXIV. Hoc Apoſtolico Anathemate ſubreptitiè, ac falſis titulis, (vt cunctis perſpicuum eſt) impetrato, Generalis Miniſter, dum expeditionem ad Calabros parat, & Commiſſarium Apoſtolici fulminis latorem, ac Iaculatorem inſtituit: Ludouicus Foroſempronianus Generalis Capucinorum Commiſſarius, cùm nulla vi, aut amicorum virtute Apoſtolicum edictum impedire potuiſſet, captata temporis præuentione, celeriter eius rei Ludouicum per literas certiorem reddit, monetque nonnihil tempori cedendum eſſe, donec Pontifex, re certiùs cognita, ſua prudentia, ac conſilio vtatur. Interea illi maximè conſultum fore, ajt, ſi apud Nucerienſem Ducem ſibi, ſuiſque tutum locum conciliet: quò Apoſtolicum edictum penetrare, aut tandiu ſibi ſignificari nequeat, quoad aduerſa illa ventorum procella, quæ non ad naufragium, ſed ad probationem oritur, paulatim miteſcat, ac tandem euaneſcat.

XXV. Ludouicus igitur acceptis Generalis Commiſſarij literis, vniuerſos protinus Fratres Panaliam accerſit; iiſque ad animi conſtantiam, ac rerum tolerantiam ardentiori ſermone excitatis, atque in duas partes diſſectis: alteram Philocaſium ſub Ducis Nucerini tutela, ac præſidio deſtinat; alteram ad S. Eliam remittit; eò quòd locus ob inacceſſam ferè viam, illi magis à periculo liber videretur. Ipſe verò cum ſocio Panaliæ manet: vt liber, ac expeditus in quamcunque partem res poſtularet, excurrere valeret.

XXVI. Inter hæc Commiſſarius à Miniſtro Generali miſſus, in Calabriam venit, vbi

*Commiſſarius duab⁹ Fratrũ turmis Capucinos perſequitur.*

te eum Prouinciali Miniſtro communicata, in id cuncti conſilium coëunt, vt in Ludouicum, ac cæteros, ne vlla ratione ſibi fugam conſulant, ante omnia manus iniiciant. Quapropter, cùm primùm loca, in quibus ij habitare ſolebãt, diligenti exploratione illis perſpecta fuêre: in Napitij Monaſterio, quod ſex tãtùm milliaribus Panalia abeſt, geminas Fratrum robuſtorum turmas inſtruunt: vnam quidem, quæ Panaliæ, alteram, quæ S. Eliæ Fratres inuadat; ac captiuos omnes Napitium ducant. At Deus Opt. Max. qui ſuos non ad interitum; ſed ad certaminis coronam vocauerat, cùm aduerſo planè conſilio res Capucinorum ſtabilire, & graui hac calamitate, quemadmodum ab exordio conſueuerat, illuſtriores reddere decreuiſſet; miro modo inita aduersùs Fratres conſilia; diſſipare voluit; vt ſuum duntaxat conſilium ſtaret. Nam qui S. Eliam versùs concitato animo, ac greſſu pergebant: cùm iter ignorarent, illud à puero percunctantes, in contrariam planè viam diriguntur. Verùm poſt longioris viæ errorem, in qua & nebulas, & imbres quamplurimos perpeſſi fuerant: tandem à Caprario in rectam ſemitam reſtituti; cùm vix per milliare à S. Elia abeſſent; Puer quidam armentarius Fratres turmatim incedentes cernens, repentè velut per iocum, ad cæteros exclamat, Heus Vos, heus Vos, à Patribus cauete. Quæ vox cùm ad alterius aures perueniſſet, qui nuces in agro excutiebat, ad herum, qui adſtabat; conuerſus, ait. Num vides illam Fratrum Obſeruantium turmam, quæ agminatim ad S. Eliam properat: vereor magnopere; ne mali quippiam aduersùs optimos illos S. Eliæ Patres machinentur. Herus autem, qui antiqui illius Cœnobij redditus curabat, Fratrum agmine inſpecto, ſtatim curſu arrepto ad S. Eliam feſtinat, Fratréſque de Aduerſariorum aduentu admonet: qui cùm eo tempore ob ieiunium tardiùs cibum ſumerent; neque alio, præterquàm pane, ac nonnullis Allij, & Cœparum capitibus, pauciſque vuarum racemis famem expellerent; ſimul ac nuncium acceperunt; addita panis; ac vuarum portione in menſa, quæ illis ſupererat; vt iis defatigatæ perſequentium vires, tantiſper recrearentur, in proximam ſe ſe ſyluam abdidêre. Iam verò mox adeſt Fratrum perſequentium agmen, ac vallata vndique Eremo in hoſpitium irrumpit; quo diligentiùs vndequaque explorato, cùm neminem intus adeſſe, conſpicerent, præ admiratione in ſtuporem abeunt: rurſuſque vniuerſa rimantur, loca omnia inſpectant. Cúmque fruſtra ſe in iis quærendis oleum, & operam perdere animaduerterent, parata ſibi à Fratribus annona reficiuntur, ac tandem immunes ad Commiſſarium redeunt. Deus verò præclarum, & heroïcum illud charitatis opus, aduerſariis exhibitum, aut paſſus eſt, ſine fructu prætererire. Nam Nouitius quidam, qui Petrus à Seminaria appellabatur, quem ob corporis, ac virium magnitudinem, Fratres ſecum ad hoc facinus exantlandum duxerant; huius Eremi aſpectu, atque aſperrima Capucinorum vita animo compunctus; cùm eorum, quos ipſe cum aliis perſequebatur, charitatem, vitæ auſteritatem, ac Sanctitatem alta mente reuolueret: vix Napitium ad Monaſterium rediit, cùm Monaſterio, ac Fratribus de Obſeruantia valedicens, ad Capucinos, Deo impellente, protinus migrauit. Atque ita diuino conſilio factum eſt, vt qui cum plurimis perſequentibus Capucinos capturus venerat, captus ipſe, nemine perſequente, feliciùs Dei vinculis alligaretur.

*Capucinorum S. Eliæ in perſequentes charitas.*

XXVII. Altera verò Fratrum turma, quæ rectà Panaliam contendebat; cùm non longè ab Eccleſia ſancti Antonij abeſſet; vbi Ludouicus ſacris veſtibus indutus, manè Sacra facturus erat, iam de certa victoria gloriabatur; cùm præcurrens Puer, clariùs vocem efferre cœpit: Fugite, Capucini: fugite; nam qui Calepodia ferunt, ad vos fuſtibus armati veniunt. Cui & alij quoque Pueri acceſsêre, eiuſmodi vocem efferentes. Quæ vox vbi à Ludouico exaudita fuit, paulùlum intra ſe hæſitare, quidque illi agendum eſſet, animo verſare cœpit. Mox oculis in Cælum ſublatis: Res planè (inquit) Dei miniſtro indigna eſt, hominum magis iniuriis, quàm Dei Religione affici: quare Sacrum munus, quod peragẽdum ſuſcepi, non deſeram.

*Ludouici Religio diuino miraculo cõmendatur.*

Quid?



Quid? ſi, & vincula, & carceres me maneant? An non glorioſiùs mihi erit ex Altari ad carcerem rapi, quàm Dei Altare, ob vincula turpiter deſerere? Tum ad ſocium: Ne metuas (inquit) Frater, potens eſt Deus ab his nos periculis eripere. Hinc plurima in Deum fretus fiducia, rem ſacram peragit. Id verò quàm Deus Opt. Max. gratum habuerit, cæleſti miraculo indicare voluit: Diuina namque virtute factum eſt, vt qui ad prædam per tritum ſyluarum iter properabant; per deuia incedentes, à via aberrarent; tandiuque à recto Eccleſiæ ſancti Antonij itinere deflecterent, quoad incruento ſacrificio peracto, Ludouico, ac ſocio fugiendi ſpatium relinqueretur. Socius quidem, iubente Ludouico, per nemorum denſa fugam arripuit: ipſe verò alia via ſibi à perſequentibus cauit. Hoc verò Ludouicus conſilio vſus eſt, vt ſi alterum in perſequentium manus incidere contingeret: alter ſaltem liber rem ad Nucerienſium Ducem perferret.

XXVIII. Porrò illud mirabile fuit, quòd cùm Capucinorum nomen, & appellatio apud Calabros necdum hactenus audita eſſet: (neque enim tunc alio nomine Capucini Fratres, quàm de vita Eremitica nuncupabantur.) ab eo Puero primùm ea vox cœpit erumpere, atq; inde in cæteros diffundi: ita vt ea tunc primùm Capucinorũ appellatio in Calabria apud omnes excreuerit, quæ inter hæc perſecutionis tẽpora, ab eo, qui Puerorum ora, ac linguas ſoluit, ortum habuit. Neque id mirum: antiqua enim Dei conſuetudo eſſe ſolet; vt non niſi inter flagella, & tentationes ſuos probet, agnoſcat, ac illuſtriori nomine donet. Sic Iacob tantummodò poſt grauem illam, ac diuturnam cum Angelo luctam, nomen Iſraël aſſecutus eſt, cùm ei dictum fuit: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.* Nec priùs Chriſtus Dominus à Patre nomen illud ſuper omne nomen accepit, quàm id inter Crucis ærumnas, ac dolores ſibi promereretur, teſtante Apoſtolo: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Eadem quoque in hac Capucinorum Congregatione, Dei lex, & conſuetudo obſeruata fuit, vt primùm illi inter perſecutionum tenebras nomen illuceſceret.

*Capucinorũ nomen à pueris ortum.*

*Gen. 32.*

XXIX. At neque dubitandum eſt, quin hæc à Deo nominis appellatio emerſerit, quemadmodum alibi diximus. Cùm enim hæc illi adamuſſim reſpondeat, quæ apud Camerinenſes, quinto ab hinc anno, à Pueris exorta fuerat: Quis tunc Camerinenſes, nunc Calabros Pueros Capucinorum nomen edocuit? Quis tanta conſenſione, ac concordia in eandem appellationem conſpirare iuſſit? An non is, qui æterno ſuæ mentis conſilio, nouam Reformationem exurgere, ac nomine ſuo, ore Puerorum vocare, denique ea Capucinorum appellatione inter perſecutorum procellas exorta, perpetuam illius ſtabilitatem declarare decreuerat? Perinde, ac ſi Capucinus, nihil præter diuinum, de perenni primæui Caputij, ac conſequenter, eorum, quæ ad Caputij ſanctimoniam, & gloriam illuſtrandam neceſſaria ſunt, incolumitate, decretum, ſaltem in genere, ſignificaret. Quo fit, vt ad Capucinorum Reformationem illa Dei vox, apud Vatem ſub nomine Iacob, & Iſraël non incommodè trahi poſſe videatur, cùm ait: *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Iſraël: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: Meus es tu: cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael Saluator tuus.* Hæc puer, tametſi neſcius, Ludouico velut cæterorum Paſtori, admirabili planè modo annuere voluit, cum primùm Capucinos, Deo linguam, moderante, appellauit: ne vel is animum deſponderet, vel à ſæuientibus perſecutorum procellis ſe vnquam demergendum pertimeſceret.

*Capucinorũ appellatio à Deo profecta.*

*Iſa. 43.*

XXX. Ludouicus igitur, qua parte ſibi fugã conſulebat, dum foueam, qua illi via interſecabatur, ſaltu tranſilire nititur, annis grauis, verùm multò ieiuniis, ac vigiliis grauior, in foueam labitur, ſpinis, ac lapidibus obſitam. Cumque eo caſu ita ſibi crura læſiſſet, vt inde deinceps emergere non valeret: is in Beatum Patrem

*Ludouico in Fouea Iacenti B. P. Franciſcus apparet, atque animũ auget.*



Franciſ

Franciſcum mentis oculos intendens. En ſanctiſſime Pater ( ait ) quibus nunc anguſtiis premor. Furunt perſequutores, me deficiunt tibiæ ; alligabitur Paſtor & diſpergentur oues: Tu tuis è Cœlo proſpice: Vix hæc fatus erat, cùm B. P. Franciſcus, è Cælo præſens languenti filio adſtat, illum è fouea liberat, curat, verbis conſolatur, animum erigit; & vt ad cœptum Reformationis opus ſtrenuè proſequendum excitet, ſe eodem Capucinorum habitu indutum oſtendit, ſuamque illi è cælo opem, & tutelam vbique pollicetur. Ea porrò cæleſti conſolatione Ludouici mens ita recreata fuit, atque adeò ab eo omnis dolor, ac triſtitia effugatur: vt nullo labore quàm primùm è fouea exiliens, immenſaſque Deo, ac B. Franciſco liberatori gratias agens, reliquum iter alacriter Philocaſium vſque abſoluerit.

XXXI. At Commiſſarius, vbi primùm de Capucinis comprehendendis conſilium inane euaſiſſe conſpicit: alterum ſecum conſilium init, & cum Nucerienſe Duce, quem Capucinorum fautorem, ac Mœcenatem eſſe non ignorabat, rem totam ſibi peragendam proponit. Quamobrem nonnullis ſecum Patribus aſſumptis, qui doctrina, ac rerum intelligentia facilè reliquos antecellerent: his ſtipatus Ducem aggreditur, compoſitiſque verbis antiquam, atque auitam ipſius, ac maiorum erga Seraphicum S. Franciſci Ordinem pietatem, ac beneuolentiam pluribus auget: Quam tamen haud parum eo denigrari autumat, quòd Apoſtatas Fratres, Ordinis deſertores, qui temerè Obedientiæ iugum excuſſerunt; perditos denique homines, Deo, & hominibus inuiſos, ſuo patrocinio tegat, atque auctoritate tueatur. Facilè verò ipſum excuſari ait, quòd ab iis ſub falſo quodam Religionis zelo, ac Reformationis prætextu, quo ſub ouina pelle lupum contegunt: & cùm facinoroſi ſint, aliis ſanctiores haberi curant, velut doloſa imagine fallatur. Quod ne illis falsò imponi videatur, tales à Pontifice haberi, denunciari, excommunicari, eoſque omnes Apoſtolico anathemate percuti, qui illis fauorem, aut patrocinium impendunt, declarat. Quamobrem ipſum rogat, vt iuxta Apoſtolicum Edictum, eos ſibi tradi, atque in manus conſignari iubeat: vt meritas ſuorum delictorum pœnas luant.

*Cõmiſſarius Ducem Nucerinũ adit, & à Capucinorum patrocinio abſterrere conatur.*

XXXII. Hæc Commiſſarius: quibus Dux grauiſſimè reſpondens, ait, Suam erga Seraphicam S. Franciſci Religionem, deuotionem, ac ſtudium nedum minui; ſed magis in dies augeri: quorum, & ſi plurima eatenus illi teſtimonia præſtiterit, nullum tamen præclarius, atq; euidentius exhibuiſſe affirmat, quàm cũ hos Reformationis Patres, quos ipſe ſanctiſſimos, ac verum S. Franciſci ſemen iudicat, ſua ſub fide, ac patrocinio recepit. Vehementer autem ſe admirari, quòd eos, quos nota vitæ Sanctimonia, ac publica virtus apud omnes commendat: ipſi perditos, ac facinoroſos homines, ſcelerum omnium reos, denique Superis, hominibuſque exoſos non modò in triuiis declamitare; verùm & hoc ipſum Pontifici perſuadere, haud veriti fuerint. Quapropter nihil ſe non tantùm eorum verbis moueri, vel ab eorum patrocinio recedere: verùm euſque ſe illis ſua ope, atque auctoritate adfuturum affirmat, quouſque opes omnes, ditionem, vitamque pro iis tuendis profuderit.

*Dux Nucerienſis Capucinos defendit, & Commiſſarium obiurgat.*

XXXIII. Commiſſarius verò ſua meliori ſpe fruſtratus, velut deſperatis rebus, Duci minatur, ſe Apoſtolicam Excommunicationis ſententiam aduersùs Capucinos, & eorum fautores latam, in Oppido euulgaturum. Cui Dux, nonnihil excandeſcens. Per vitam ( inquit ) Filij mei Tiberij, Si quis Excommunicationem in mea Ditione promulgare auſus fuerit, illum certè facti pœnitebit. Ea enim cùm ſubreptitia ſit, & falſis titulis extorta, neminem profectò lædit: at nec diutiùs perſtare poterit: facilè enim elucebit mendacium, & veritas diù preſſa eſſe non poterit: atque ita fiet: vt veritate erumpente, ea ſententia à Pontifice meliori conſilio retractetur. Cumq; Commiſſarius, atque alij, qui cum eo erant, plura aduersùs Ludouicum, ac ſocios, ob eorũ ab Ordine ſeparationem cõminiſcerentur: Dux tandem ad Cõmiſſariũ: Si quæ (ait) inter vos de Regulæ obſeruantia, aut Religionis habitu, lis, ſeu cõtrouerſia verſatur; cùm ea ad me nõ ſpectet, de illa haud mihi iudicare licet: Veſtrũ ſit, res huiuſ-





modi diſcutere. Veruntamen quò mihi, aliiſque magis perſpicuum fiat, vtrùm vobis iuſta cauſa faueat; id vobis, ſi videtur, eligite. Veniant hi Reformationis Patres, ſuamque cauſam coram dicant: Voſque ex aduerſo, ſi vobis iuſta ratio eſt, oppugnate: & ſi quidem ij erroris, aut temeratæ Religionis conuicti fuerint, vobiſcum abeant: ſin iuſtam diſceſſionis cauſam attulerint; veſtra pace fruantur. Verùm id primùm inter nos ſacrum, & immotum ſit; ne vlla Excommunicationis à vobis mentio, aut promulgatio fiat.

XXXIV Re ſub hac conditione à Commiſſario accepta, Dux reliquis omnibus ex aula dimiſſis, Ludouicum, ac Bernardinum, qui tunc ſeorſim Orationi vacabant, acerſiri iubet: iiſque præſentibus, quid communi conſilio deliberatum fuerit, quidque ab eis ad communem omnium ædificationem exigatur, ſignificat. Nimirum, vt ſi quæ illis iuſtæ diſceſſionis ab Ordine cauſæ fuerunt, luculenter coram Commiſſario aperiant.

*Diſceptatio inter Ludouicũ, & Cõmiſſarium inſtituitur.*

XXV. Primùm igitur Ludouicus, velut cæterorum Caput, pleraque grauiſſima cauſarum capita afferre cœpit; quibus neceſſariam, nedùm iuſtam ab Ordine diſceſſionem probat. Ac primùm à Paupertatis lege in Regula præſcripta, caput exorſus: hanc multis modis in Ordine violari perſpicuè demonſtrat. Primùm ex annua tritici, vini, ac cæterarum rerum prouiſione, vbique feré in Ordine recepta: quæ cùm altiſſimam, ac Minoricam Paupertatem conuellat, ex diametro cum Regula pugnat. Tum ex legatorum annuorum, ac perpetuorum copia, quibus iam velut ex peculio viuitur, quæ cùm parùm à fundis, atque agris diſtent, rerum Proprietatem, tam ſeuerè à Beatiſſimo Patre Franciſco interdictam, in Ordinem inuehunt, & Regularem Paupertatem è medio tollunt. Tum etiam ex quotidiano, ac publico pecuniarum quæſtu, ac receptione, quæ paſſim in Religione diffunditur: cui cùm apertiſſimè, & S. P. Franciſci mens, & expreſſa Regulæ verba repugnent, quæ quarto Capite ita leguntur. *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam.* Nullo pacto cum his tuta conſcientia eſſe poteſt. Addit, & communem pecuniarum recurſum, depoſitionem, & expenſionem; quæ cùm nulla præſente, vel imminente neceſſitate fiant, altiſſimæ Paupertatis votum, & cum eo Seraphicam Regulam vndique peſſumdant. Cùm verò communi violatæ Paupertatis, ac temeratæ Regulæ vitio in Religione graſſante, nulli tutum in ea domicilium eſſe poſſit; Inde cuilibet ab Ordine diſceſſum, & fugam, vel Reformationem neceſſariam fore concludit.

Regul. c. 4.

*Ludouicus graues ſuæ, ac ſuorũ diſceſſionis cauſas exponit.*

XXXVI Hæc Commiſſarius, quandoquidem tam publica, ac communi iam conſuetudine in Ordine inualuerant; vt nulla tergiuerſatione celari poſſent, cùm inficiari nullo modo valeret: duabus tamen allatis cauſis excuſat. Prima, quòd Fratrum numerus in tantam multitudinem eo tempore excreuiſſet, vt oblatæ à Fidelibus eleemoſynæ ad victum non ſufficerent; atque inde rerum prouiſiones neceſſariæ iudicarentur. Altera, quòd Fidelium in eos pietas valdè refrigeſceret: quo fiebat, vt ceſſantibus eleemoſynis, nonniſi ex emendicatis, ac depoſitis pecuniis, vel ex Legatis viui poſſet.

XXXVII. Verùm, cùm hæ excuſationis cauſæ à Commiſſario allatæ, Duci minùs graues, ac legitimæ viderentur: is Commiſſarium è regione interrogat. Num eſſent facienda mala, vt eueniant bona? Quòd cùm ex Apoſtolo cunctis interdictum ſit, id illis maximè vetitum cenſeri debet, qui ſacro iureiurando ſe ad Regulæ Obſeruantiã obſtrinxêre. Hæc tamen excuſationum Capita Ludouicus vnica reſponſione obtruncans, ait: Deum ex animo quærentibus, & Regulam perfectè obſeruantibus, neque eleemoſynas, neque ad victum neceſſaria deeſſe poſſe. Id ſiquidem à Deo cum Minoribus Fratribus fœdus, Beato Patre Franciſco teſte, olim percuſſum eſt; vt quandiu hi perfecti Regulæ cultores extiterint: iis Mundus, quæ victui neceſſaria ſunt, adminiſtrare debeat. Etenim ad eos, tanquam Apoſtolicos Viros, ſigillatim poſt Apoſtolos, illa Chriſti verba ſpectant. No

*Commiſſarij reſponſio à Ludouico refellitur.*

Matth. 6.

*lite ergo ſolliciti eſſe dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Verùm ſi à Regulæ cultu exorbitauerint, iam velut fœdere abrupto, Mundo liberum ſit ab hoc pacto reſilire; ac propriæ eos prouidentiæ relinquere, qu d, cùm ipſa rerum experientia, nullo nunquam tempore docuerit; nullus huic excuſationi legitimè locus reliquus eſſe poteſt. Quapropter cùm fidelium pietatem, inquit iam erga Ordinom aruiſſe, communiſque victus egeſtatem vbique Commiſſarius graſſari contendit: eo planè indicat, communis obſeruantiæ legem iam in Ordine labefactatam eſſe.

Regul. c. 2.

*Panni Molles à Minorum Habitu diſſentanei.*

XXXVIII. Ex altero quoque Capite: nempe ex Habitus qualitate, Ludouicus iuſtiſſimam ſuam, ac ſuorum ab Ordine diſceſſionem fuiſſe oſtendit. Nam cùm in Regula, cap. 2. præceptum ſit, vt Fratres omnes Vilibus pannis veſtiantur. Quo pacto panni molles, ac delicati, quibus vbique Fratres in Ordine vtuntur, cum Regulæ obſeruantia ſtare poſſunt? His cùm ſalua Regula, ac conſcientiæ lege, nemo in Religione vti poſſit, certè aut Regulam violari oportet, ſi tenenda Religio ſit: aut ſi perfectus Regulæ cultus incolumis eſſe debet, ab Ordine abſcedendum.

XXXIX. Hoc Caput Commiſſarius, hac ratione conatus eſt preſcindere; quòd panni Vilitas ex honeſtate, & condecentia; non ex aſperitate, aut ruditate cenſeri debeat. Idcircò panni, quibus Ordo vtitur, quandoquidem cum religioſa honeſtate, ac decentia conſpirant, ex Pontificum declaratione viles ſunt exiſtimandi: non ita ij, quos ipſi paſſim geſtant, qui cùm iſpidi, ac omnium aſperrimi ſint, homines terrent; minúſque religioſæ honeſtati conſentanei videntur.

*Habitus Minorum vilitas vnde.*

XL. At Ludouicus ad Bernardinum conuerſus: Iam tuæ (inquit) Bernardine, partes incipiunt, qui cùm horum non ſis ignarus, facilè obiecta vales diſſoluere. Cui Bernardinus: Tu quidem faciliùs Pater: ſed quoniam ex innata tibi modeſtia ita iubes, lubens pareo. Tum Bernardinus ad Commiſſarium; ſi panni Vilitas (ait) non ex aſperitate, ſeu auſteritate; ſed ex ea, quam obtendis, decentia, & honeſtate æſtimaretur: fruſtrà Summorum Pontificum Declarationibus, velut lege ſancitum eſſet, vt ea ab omnibus in veſtibus Vilitas ſeruetur, quæ quò ad Panni precium, ac colorem, meritò vilitas reputari queat. Fruſtrà quoque communi Patrum expoſitione receptum eſſet, eos viles pannos ſecundùm Regulam cenſendos eſſe, qui cùm in qualibet Prouincia omnium opinione viliores, ac auſteriores exiſtimentur; in ea commodè haberi poſſunt. Fruſtrà itidem in Regula additum fuiſſet, vt Fratres habitus ſuos ex ſacco reſarcire poſſint, niſi aperta B. P. Franciſci mens ea eſſet: quòd habitus ex tam vili panno confici deberent; vt à ſacci vilitate minimè diſtarent: ita vt ſacci ſarcinula cum habitu conſuta monſtri nihil præſeferret. Fruſtrà denique B. Pater Franciſcus, ac cæteri ipſius ſocij, viliſſimo ad veſtitum panno vſi fuiſſent: cuius rei incolumes adhuc teſtes ſunt eorum Habitus, qui apud nos religioſè aſſeruantur. Addo: qua ratione tam acriter B. P. Franciſcus in Fratris Eliæ Habitum, ob illius mollitiem, quæ tamen veſtrorum habituum mollitiem non excedebat; inuectus eſſet: vt eum & à ſe quàm longè proiiceret; eoque Religionis tantùm ſpurios, ac degeneres indui affirmaret; niſi in panno aſperitatem, atque auſteritatem, velut Minorum Ordini neceſſariam exquiſiiſſet? Equidem ſi res non ex communi vitio, & corruptela; ſed ex lege, ac virtute iudicanda eſt, in Minorum habitu decor, & honeſtas haud ea conſenda eſt, quæ ex panni mollitie, ac precioſitate æſtimatur: ſed ea potiùs, quam Regulæ lex, vel Beati Patris noſtri Franciſci, ac ſociorum exempla præſcribunt. Cùm enim Euangelicus Pater, ſui habitus honeſtatem ex Euangelio deſumpſerit, in quo ita ſcribitur: *Quid exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Quis Minorum habitus honeſtatem in molliori panno collocet? Quin potiùs maximum illius decorem ex aſperitate indicet? At neque id vitium excuſat, quod afferri ſolet. Scilicet Clementem V. ac Ioannem 22. panni vilitatem Superioribus iudicandam relinquere: atque inde legitimam Vilitatem cenſeri, quæ in Ordine Mi-

Clement. Exiui §. præterea.

S. Bonau. in c. 2. Reg. Piſanus. Vgo. Quatuor Magiſtri.

*In Minorum Habitu aſperitas, & auſteritas ſeruanda.*

Matth. 11.





norum de Obſeruantia, Superiorum Iudicio recepta eſt. Hi namque Pontifices, vt ex eorum verbis exploratum eſt, ita Vilitatis Iudicium Superioribus committunt; vt tamen eorum conſcientias onerent; neque ipſorum Iudicium valere decernant, ſi à vera veſtium Vilitate exceſſerint. Quod verò ad Martini V. declarationem attinet, ex qua id P. Commiſſarius decerpſiſſe videtur, quo Communi Ordinis corruptioni excuſationem ſtruat, eam potiùs Apoſtolicæ Sedis Diſpenſationem, ac indulgentiam, quàm Regulæ declarationem fuiſſe, ex eodem Pontifice liquidò conſtat: qui cùm pleraque, quæ apertè Regulam oppugnant, in ea Fratribus indulgeat: in his non declarandi, ſed diſpenſandi mentem ſibi ineſſe claris verbis indicat: cùm in Caput quartum Regulæ ita ſcribit. *In omnibus autem, quæ vltra hoc magis videntur arctare Fratres; ſiue ex Declaratione Clementis, ſiue quacunque alia declaratione Summorum Pontificum, vel aliorum quoruncumque Apoſtolica notabili auctoritate commiſſa, miſericorditer diſpenſamus.*

*De Panni vilitate iudicare quo pacto Ordinis ſuperioribus permiſſum.*

Firmam. tri. Ord. p. 4.

XLI. Eſto (inquit Commiſſarius) paulò molliores ſint habitus, quàm Regulæ auſteritas ferat: num propterea à vobis Religio ita diſcindi, ac ſchiſmata in ea concitari debuerunt, vt publica deſertione, noua à vobis Secta conſtitueretur, ab Ordine diſciſſa? At Bernardinus, vt Commiſſario faceret ſatis, paulò altiùs reſponſionis exordium petens, nullam intra Ordinis gremium ſtabilem, ac certam Reformationem fieri poſſe, luculentiſſimè, rerum præteritarum ſerie explicata, demonſtrat. Ac primum à Ioanne Parente, qui paulò poſt ſancti Franciſci exceſſum Generalis Miniſter creatus fuerat, argumentum orditur. Is enim cùm Ordinem à prima ſancti Franciſci inſtitutione deflexiſſe cerneret, omni ſtudio, ac labore in id incumbere viſus eſt; vt Fratres in perfectam Euangelicæ Regulæ viam reſtitueret. Id verò quàm fruſtra tentauerit, ex ſecundo Chronicorum libro manifeſtum eſt, vbi hæc de eo verba leguntur. *Anno 1236. Generalia Comitia Aſſiſio circa Feſtum Pentecoſtes celebrantur, in quibus F. Ioannes Parenti cùm reipſa perſpiceret, ſe exceſſus, qui in Religione contra Regulam paſſim graſſabantur, tollere non poſſe, à Generalatus ſe Officio abdicauit.*

*Nulla ſtabilis Reformatio intra Minorum Ordinem vnquam facta.*

Chron. p. 2. l. 1. c. 4.

XLII. Porrò ſub Fratris Eliæ, qui in eo Capitulo Generalis electus fuit, & Fratris Creſcentij Aëſini, qui anno 1245. eodem munere functus eſt, praua adminiſtratione, cùm ingraueſcente publicæ relaxationis morbo, Ordo ferè ad Regularis Obſeruantiæ interitum raperetur: F. Ioannes Parmenſis anno 1248. Generalis creatus, cunctis operum, ac verborum pharmacis adhibitis, fruſtrà conatus eſt tam graui morbo mederi; atque Ordinem in priſtinam incolumitatem reuocare. Quamobrem cùm inueteratam illam vitæ corruptelam tollere, atque vlteriùs ferre non poſſet, anno 1256. Generalatus Officio nuncium remiſit. Hinc B. Egidius, cùm primùm Generalem creatum audiuit. *Benè* (inquit) *ſubueniſti, ſed Serò nimiùm veniſti.*

XLIII. Ioanni Parmenſi, cùm in Generalatus officio S. Bonauentura ſucceſſiſſet: quid non ille ſtudij, ac laboris impendit, vt Ordinem rapido curſu ad apertas Regulæ tranſgreſſiones dilabentem ſiſteret? atque ad Reformationem cogeret? Verùm cùm nec is contra aduerſum fluminis curſum conari poſſet: pleraque quidem ad meliorem rerum ſtatum ſua auctoritate reuocauit; plurima tamen adhuc in Religionis corpore vulnera remanſêre, quibus curatio adhiberi non potuit. Et quanquam tunc integra Ordini incolumitas ab eo reddita fuiſſet: ea tamen tam breui dilapſa eſt, vt ſtabilem ſibi Ordo tunc Reformationem minimè vendicauerit: cùm anno 1296. quo tempore F. Ioannes de Muro-Vallis ad Generalatus Officium aſſumptus eſt; in Ordine paſſim domus, agri, vineæ, ac redditus annui, aperta Regularis obſeruantiæ iactura, in communi poſſiderentur; quemadmodum ex Ordinis Chronico p. 2. l. 6. c. 23. perſpicuum eſt.

*S. Bonauentura Ordinis Reformator.*

Chron. Ord. p. 2. l. 6. c. 29.

XLIV. Plures alij, tum Generales Miniſtri, tum illuſtrioris vitæ Fratres, Reformationis cupidi hîc adnumerari poſſent: qui cùm olim in Ordine Reformationem auſpicati

eſſent, eam volucre celeriùs euolaſſe perſpexerunt. Verùm his prætermiſſis (inquit Bernardinus) ad veſtram hanc Fratrum de Obſeruantia Reformationem venio, quæ vt poſtrema, ita omnium, quæ antea præceſſerunt, illuſtriſſima fuit. Quæſo te Pater; Num ea pace aliqua, aut ſua ſtabilitate vnquam potita fuit, donec à reliqua Fratrum familia diſiuncta, ſolidum, ac ſeparatum corpus conſtituit? Quot calamitates? quot perſecutiones? quot procellas? quot naufragij pericula? dum Ordini coniuncta eſſet, perpeſſa eſt? An non vndique bella, vndique impugnationes, vndique imminentes tempeſtates, quibus huc illucque iactabatur: foris quidem pugnæ, intus timores ingruebant? Cuius rei ampliſſimi teſtes ſunt, querimoniæ Fratrum Obſeruantium in Concilio Conſtantienſi propoſitæ, anno 1414. de quibus in tertia parte Fundamenti Trium Ordinum fusè agitur. Dic amabò: An non ob eorum, qui Ordini præſidebant, duritiam, ac infeſtationem, ad Generale Concilium coacti ſunt appellare, vt à reliqua Conuentualium Familia diſiungerentur?

Fund. Trium Ord. p. 3.

*Fratrum de Obſeruantia Reformatio ab Ordine ſeparari poſtulat.*

XLV. Poſtremò, vt huic Capiti finem imponam: Audiat Pater Commiſſarius, quæ in antiquo Ordinis Chronico ab Auctore ſcribuntur, his verbis: *Quoniam verò ſatis ſuperque perſpectum fuit, Reformationem à Clemente V. in Ordine factam minimè ſubſiſtere potuiſſe; ſed breui extinctam fuiſſe, eò quòd ſub Fratrum Conuentualium Obedientia inſtituta eſſet. Quod itidem ſæpè ſæpiùs viſum fuit: quoties Regularis Obſeruantiæ ſtudioſi in Reformationem animum intendere viſi ſunt; quos ab Ordinis Superioribus afflictos, diſperſos, ac mille modis iactatos fuiſſe conſtat. Idcirco Fratres de Obſeruaniia ad Generale Concilium Conſtantienſe acceſſerunt, ſupplicantes humillimè* (hæc illorum verba ſunt) *quatenus de ſaluifico rore à Chriſto ſibi influxo, ignis fornacis tribulationum huiuſmodi, multò ſolito plus accenſæ, penitùs extinguere, vel ſaltem mitigare, taliterque eis prouidere dignetur: vt vento roris Cæleſtis flante, ipſa dignatiua ſacri Concilij prouidentia permittente, ipſi Pauperes, in via, quam cœperunt, perſeuerent. Aliàs timent dicti Fratres, ne Chriſti iugum dimittant præ impedimentorum multitudine: & ſic requie, quam animabus ſuis inuenire debuerant, defraudentur. Hæc enim impedimenta fornacis abſorbentis accenſor hoſtis malignus eis præſtitit, & præſtat per nonnullos Prælatos, & Fratres ſui Ordinis.* Porrò decreto Generalis Concilij, quod incipit, *Sacroſancta Conſtantienſis Synodus*: cùm Fratres de Obſeruantia à Conuentualium Familia, ſeparati fuiſſent, tunc tantummodò optata pace frui cœperunt. Atque hinc facilè colligi poteſt. Nihil Ordinis Reformatione ſtabile, ac diuturnum eſſe poſſe; quandiu illa intra Ordinis gremium concluſa, vnde oppugnare queat, à ſe quamprimùm non abiicit: nec plena ſua libertate potitur.

Chron. p. 3. l. 1.

Fund. Trium Ord. P. 3.

XLVI. His quoque Bernardinus, inſtitutum ſermonem proſequens, addit. In Regula quoque præceptum eſt, vt Fratres, niſi vera ac manifeſta neceſſitate compulſi: Non equitent; aut calceamentis vtantur: quæ neceſſariæ obligationis vinculum inducere, ipſo Clemente V. teſte, nemo eſt, qui dubitet: At hæc grauiſſima legis præcepta, quam miſerè in Ordine dilapidentur, nimis perſpicua res eſt, quæ deploratione magis, quàm probatione indigeat. Plurima alia conſultò prætereo, quæ cùm in Regulam aperto Marte pugnent, præcipuámque Ordinis Obſeruantiam labefactēt; iuſtiſſimam, proborum omnium iudicio, nobis ab eo diſceſſionis cauſam miniſtrarunt.

Clement. Exiui.

XLVII. At inquit Commiſſarius: Quid de noua illa habitus forma comminiſceris: quæ ad ſcenam potiùs, quàm ad Religionem ſpectare certiſſimum eſt? vnde nam illud vobis Tragicum, & Hiſtrionicum Caputium erupit: quod omnium hominum ætas ignorauit? His Ludouicus occurrens, grauiſſimè, tum ex Regula, tum ex pleriſque B. Patris Franciſci, ac Sociorum Caputiis, quæ variis in locis habentur, ac præſertim ex Habitu, & Caputio F. Petri Catanei, quod Apruſti in Calabria aſſeruatur; denique ex vetuſtiſſimis, picturis, & ſculpturis, quæ paſſim Romæ, Aſſiſio, Neapoli, Florentiæ, Lutetiæ; aliiſque Italiæ, & Galliæ

*Vera S. Franciſci habitus forma aſſeritur.*

vrbibus



vrbibus conſpiciuntur, oſtendit; illam Habitus, & Caputij formam eſſe, quam Beatus ipſe Pater Franciſcus ab Ordinis exordio inſtituit, ſuisque deferendam præſcripſit. Atque hîc diſceptationi tandem finis impoſitus fuit.

XLVIII. His porrò cùm attentiùs Dux Nucerienſis animum intendiſſet: neque vllam à Commiſſario, qua hæc dilueret, ſolidam rationem afferri perſpiceret: Commiſſarium ipſum hortatur: vt odio omni, ac maleuolentia erga Dei ſeruos depoſita; quos ſuæ duntaxat ſaluti conſulere, & iuſtiſſimam cauſam tueri animaduertit; pacatos, ac tranquillos illos eſſe ſinat: Ne dum homines, veros, & perfectos Regulæ cultores, ac diuini honoris cupidos iniuſtis odiis exagitat; Dei in ſe iram concitet. Id verò haud difficile fuit Commiſſario perſuadere, qui ipſa rerum veritate conuictus, diuinam ipſius vim iam animum lancinantem perſenſerat. Quapropter melior, quàm venerat, à Duce diſcedens, illud ex eo colloquio mentis propoſitum aſſecutus eſt: vt nullam deinceps Capucinis moleſtiam intulerit.

XLIX. Ludouicus verò, ac Bernardinus ad ſocios redeuntes, qui tunc ardentiùs orationi vacabant, vnà omnes ex animo Deo gratias referunt. Dux etiam maiori erga Fratres exinde ſtudio, ac beneuolentia affectus, cùm omnes chariſſimè complexatus eſſet, illos ad conſtantiam hortatur; quibus ſe nunquam ſua auctoritate, officio, ope, & opera defuturum pollicetur. Interea, ne Apoſtolicæ illos Excommunicationis ſententia aliquando læderet, conſultùm fore exiſtimat; protinus Virum aliquem primarium Romam cum literis ad Pontificem mittere; qui eo de Capucinorum rebus meliùs inſtructo, latam ab Apoſtolica Sede Excommunicationis ſententiam reuocandam curet. Dum res hac in deliberatione verſatur; Tiberius Ducis filius, optimæ indolis adoleſcens, qui tunc Abbatis titulo fruebatur, ac deinde Potentiæ Epiſcopus fuit; ardentiori erga Capucinos ſtudio incenſus, Patri ſe ad id paratum exhibet: quod adeò Duci gratum fuit; vt ſtatim propoſitum laudans, plurimis, tum ad Pontificem, tum ad Victoriam Columnam, atque alios ſacri Conſiſtorij Proceres, conſcriptis literis onuſtum dimiſerit: cui etiam Capucinorum res maximo ſtudio commendauit.

*Comminarius à Capucinorum oppugnatione deſiſtit.*

*Dux Nucerienſis Tiberiũ filium Romã ad Pontificem deſtinat.*

L. Interea ex his, qui Ludouicum ab exordio ſecuti, ad Capucinorum Habitum confluxerant, non pauci hoc tempore: vel Apoſtolica Excommunicatione perterriti, vel ob præteritas, ac futuras, quas verebantur, calamitates animo confracti, vel tandem aſperioris vitæ tædio victi, à Capucinis deſciſcunt; & ad Obſeruantes redeunt: ita vt ex triceno eorum numero, qui principiò in Reformationem conſpirauerant, vix quindecim in ea ſtabiles permanſerint; quorum nomina ſunt. 1. Ludouicus à Rhegio Vicarius Prouincialis. 2. Bernardinus à Rhegio, Georgius nuncupatus, Prædicator celeberrimus. 3. Franciſcus Palemonus dictus, à Rhegio Prædicator. 4. Ludouicus, qui, & Ludouichellus à Rhegio, Sacerdos deuotiſſimus. 5. Michaël Apruſtenſis Sacerdos. 6. Ioannes, vel Ioannellus à Thurio Nouo, Prædicator. 7. Angelus à S. Martino Concionator, qui primus fuit ex Sæcularium numero, qui in Calabria Religionis Habitum ſuſcepit. 8. Franciſcus à S. Martino Sacerdos. 9. Matthæus Rhegienſis Subdiaconus, qui ob ſummam humilitatem Sacerdotio initiari nunquàm voluit. 10. Ioannes Candela Rhegienſis Laicus, Religionis zelo præclarus. 11. Bonauentura Rhegienſis Laicus, magnæ Sanctimoniæ Vir. 12. Antoninus Rhegienſis Laicus, Vir Sanctimonia, & miraculis clarus. 13. Ioannes è Seminaria, ieiunio, & oratione inſignis. 14. Ludouicus à Raticina, Ludouici Rhegienſis ſocius, ac Diſcipulus, Prædicator. Poſtremus, Petrus à Seminaria Nouitius, qui deinde Sacerdos fuit: Vir omni virtute eximius: atque hic ille Nouitius eſt, qui cum Fratrum Obſeruantium agmine, ad S. Eliam, Capucinos comprehenſurus venerat, cuius ſuprà mentionem fecimus. Qui igitur hac tentatione probati, fortes in Religionis propoſito perſtitêre, homines perfectæ, cumulatæque virtutis euasêre: qui cùm multam apud Deum gloriam, ſint adepti eorum quo-

*Plerique hac procella commoti ad Obſeruantes redeunt.*

que

que Memoria, ſuis locis cum laudibus celebranda eſt. Cæteri verò, quibus animus ad certandum defuit, ad priſtinum Ordinem redeuntes, ſua pace potiti ſunt. Neque id mirandum. Non enim idem omnibus robur, eadémque ad dura toleranda mens, cuique inſita eſt. Cypriani vox eſt: *Triticum non rapit ventus; nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur: inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.* Tentatione probandi erant, quinam ſolidas, aut mobiles in Religione radices miſiſſent: quíve ſtabiles, aut temporanei eſſent. Inde enim factum eſt, vt ex horum ſeparatione, nihil niſi ſolidum, ac virtute probatum nobis relictum ſit. Neque enim Deus multitudinem ſpectat, qui Gedeoni, ad copioſa Madianitarum caſtra debellanda: vix tercentos probatos milites, cæteris è bello pulſis, reliquerat. Eximia ſiquidem Dei laus eſt: Cum paucis, diuini operis finem attingit.

S. Cypr. de vnit. Eccl.

LI. Ludouicus autem, quid ſibi in his rerum anguſtiis agendum ſit, ſeriùs animo verſans, cùm exortam aduersùs eos tempeſtatem, haud meliùs, ac faciliùs ſedari poſſe perpenderet, quàm ſi præſens ipſe Pontificem adiret, ſuámque coram eo cauſam diceret: conſilium cum Duce Nuceriensi communicat, qui illud ſummoperè cõmendans, nouas ad Pontificem commendatitias literas parat, At Ludouicus, cùm id negotij non hominum: ſed ſolius Dei ope, ac fauore ſibi peragendum præſtitueret, commendatitias omnes literas recuſat: Dei enim (aiebat) ac S. Franciſci cauſa eſt, quæ non humano, ſed cæleſti duntaxat præſidio indiget. Dux verò tametſi rem tunc ſilentio premeret; alio tamen quæſito colore, Cubicularium illi comitem adiungit; cui occultè literas perferendas tradit.

*Ludouicus cũ duobus ſociis Romam proficiſcitur.*

Veruntamen, ne res Ludouico Foroſemproniano Generali Vicario inconſulto fieret, illum priùs Ludouicus per literas certiorem reddit: tum gregis cuſtodiæ, ac rerum omnium cura in Bernardinum Georgium reiecta, ipſe duobus ſibi adiunctis ſociis: nimirum Franciſco Dipinianenſi, & Angelo à Calamnia, quibus ſe Ducis Cubicularius tertium addit, Romam versùs iter auſpicatur.

LII In eo porrò itinere Clementiſſima Dei Majeſtas, quàm ſuauem ſuorum prouidentiam gereret, quámque in donis profuſa eſſet, illuſtriſſimis miraculis declarare voluit: vt & in ipſo rerum exordio, quid de diuina benignitate illi ſperandum eſſet, totam Capucinorum Familiam inſtrueret; & quantoperè Dei Prouidentiæ fidendum ſit, ex vno omnes addiſcerent. Cubicularius enim, cui ampliſſima à Duce, clam tamen, pecunia erogata fuerat: vt eam non in ſui duntaxat; ſed in Fratrum quoque commodum expenderet: (quanquam Ludouicus, qui ſpem ſuam omnem in Deum proiecerat, ab ea cùm primis abhorreret) cùm pedeſter aliquando cũ Fratribus per deſerta loca iter faceret: longo itinere defatigatus, penè inedia conficiebatur: cùm ad Ludouicum ait: Pater mi: En fame pereo. Cui Ludouicus. Suſtine (inquit) tantiſper fili, donec ad proximum nobis Oppidũ deuentum ſit, vbi cibo recreari poteris: neque enim ab Oppido longè aberant. At ille vix aliquantulũ viæ proceſſerat, cùm linqui animo, ac viribus cœpit deficere. Quamobrem Ludouicus erga virum pietate commotus, vbi tantiſper flexis genibus orauit: F. Angelum à Calamnia his vocibus compellat; Quid moraris, Angele? Panem Cubiculario è pera eroga, quo labentes vires refocillare queat. Cui Angelus, Heu Pater, ait, Nihil omnino eſt panis in pera: quod enim reliquum erat, totum heſterna die conſumptum fuit. Tantùm crede, Fili (inquit Ludouicus, diligentiùs intuere, & panem procul dubiò reperies. Paret confeſtim Angelus: tametſi nullum in pera panem ſupereſſe; ipſo rei experimento certum apud ſe haberet: Nam cùm primum illud Cubiculario deliquium accidit; fruſtrà totam peram diligentiùs perluſtrauerat, num aliquod ſaltem panis fruſtulum, quo is refocillari poſſet, in ea lateret. Iterum tamen, vt Ludouico obtemperet, manticam explorat. Quid plura? Geminos in ea panes, recentes, è Cælo allatos, haud abſque ſumma admiratione offẽdit, ac Cubiculario contribuit: quibus ille refectus, tam celeriter viribus conualuit;

*Ludouicus Cubiculario fame languẽti miraculosè ſubuenit.*

vt nulli



vt nulli planè habitandum ſit; quin ij è Cœlo Angelorum miniſterio allati, ac Ludouici Orationeà Deo impetrati, cæleſtem virtutem nacti fuerint. Quo ſanè Deus, & Ludouici Sanctimoniam commendare: & quàm Diuinæ Prouidentiæ potiùs, quàm pecuniæ fidendum ſit, non obſcurè indicare voluit.

LIII. At quanquam Ludouicus, quæ ſibi, ac Sociis ad victum neceſſaria erant, quotidiana mendicatione compararet: veritus tamen, ne quis Cubicularium, tanquam quotidianæ illis annonæ Curatorem eſſe ſuſpicaretur; quò longiùs non ſolùm à malo: verùm & ab omni mali ſuſpicione abſcederet: Cubicularium monet, vt altero ſaltem die illos præcedat: quò ſe, ſuoſque totos à Dei prouidentia pendere oſtendat. Illud verò Apoſtolicæ mentis propoſitum, quantoperè Deo gratum fuerit, illuſtriori is miraculo teſtatũ voluit. Integrum ferè diem Ludouicus cum Sociis Agrum Compotenenſem, qui ſub Principis Biſuniani ditione iacet, ieiuni peragrando conſumpſerant; dieſque iam ad veſperum declinabat: cùm Socij ieiunio, fame, frigore, atque itineris labore confecti, vix vlteriùs progredi poterant; verbis illos Ludouicus cohortatur, néve animum deſpondeant, breui in quoddam hoſpitium, ſingulari charitate recipiendos affirmat. Nulla in lata planitie, niue vndique operta, domus, aut hoſpitium apparebat; cùm Socij Ludouico, Vbi nam (inquiunt) hîc domus, vel hoſpitia ſunt; vbi nihil præter quàm ſolum niue albeſcens cernitur? His Ludouicus; modica (inquit) fide præditi, quid de Dei prouidentia dubitatis? Paululum, cùm progreſſi fuiſſent; Tugurium luto, ac viminibus textum, ac paleis contectum, quale pauperum eſſe ſolet, extemplò ſibi proximum vident. Quò cùm acceſſiſſent, Senem quendam grandæuum, ac vultu decorum in ianua cernunt; qui illis feſtiuè occurrens, hilari vultu Ludouicum complexus, omnes humaniſſimè excipit, & in tugurium ducit: vbi copioſo igne inſtructo, quo illorum membra, niuium frigore rigentia, recreata fuêre: tum aqua temperatè callida in peluim infuſa, priùs Ludouicum ad pedum lotionem inuitat: Qui cùm Socios velut magis charitatis indiguos præire voluiſſet; tum ipſe poſtremò ſecutus eſt: quos Senex genuflexus, tam flagranti (vt videbatur) charitate, omnes eo pietatis officio proſequebatur; vt ſummam in eo voluptatem collocaſſe videretur. Poſthæc cùm tantiſper parato igne iterum membra refouiſſent, ad cœnam vocantur: menſaque benedicta, ad refectionem diſcumbunt: vbi ferculis, pauperum quidem more paratis, dulci tamen famis ambroſia conditis refocillantur. Stupebant Socij, Senẽ omnia tam promptè, tantáque vultus alacritate adminiſtrare, vt totus præ charitate colliquefieri videretur. Inde verò ad lectum paleis ſtratum deducti, ſuauiſſima ibi ſomni quiete, tota nocte perfruuntur.

*Hoſpitium Ludouico, & Sociis, inter niues apparet.*

*A Sene gratiſſime hoſpitio extipiuntur.*

LIV. Manè verò illuceſcente, cùm iter facturi eſſent: Senex Ludouico ſeorſum ducto, prolixum cum eo colloquium habet: quo abſoluto, cùm iam ab eo digreſſurus eſſet; illum tam charo diſcedentem amplexu proſequitur; vt vix ab eo diuelli poſſe videretur. Inde tandem abſcedentes, necdum per iactum lapidis à Tugurio aberãt, cùm Angelus, Senis illius charitatem commemorans, Ludouico ait: Vah, Pater, quanta bonus ille Senex, heſterna die nos charitate excepit; quanta vultus illius hilaritas; quàm effuſa liberalitas; vndenam, quæſo, tanta, ac tam arcta tibi cum eo neceſſitas? Cui Ludouicus, Iamdudum (inquit) ille mihi eſt notus, ac diuturna neceſſitudine coniunctus. Equidem, Pater, (ſubdit ille, mirari non deſino, quî factum fuerit: quòd cùm Senex ille mihi pedes lauaret, eos vix manu contingeret, quum protinus omnis ab iis languor, ac laſſitudo abſcedebat. Qualis vero, obſecro, ille panis erat! quales cibi! quàm ſapidi, quàm grati ſaporis fuêre! Nunquam ſanè meliores me guſtaſſe memini. Deus benigniſſimus, & Senem, ac Tugurium benedictionibus accumulet. Cúmque hæc dicens ſe ad Tugurium conuertiſſet; vt illud Crucis ſigno benediceret: Tugurium, ac Senem euanuiſſe comperit; neque aliud, præterquàm latam planitiem, niue tectam, oculis intuetur. Quare magis animo obſtupeſcens, tunc primùm Diuinum opus agnoſcit: Cúmque non

humanis

humanis rebus cognata eſſe,quæ in Sene,& Tugurio heſterna die aſpectauerat,ſibi velut certum perſuaderet: protinus ad Ludouici pedes proſtratus,illum vehementer rogat: vt quis ille Senex eſſet, quidve cum eo colloquutus fuerit, aperiat. At Ludouicus, cùm primum illum Sanctæ Obedientiæ præcepto obſtrinxit; ne vlli vnquam,eo ſuperſtite, quæ dicturus eſt,ſignificet.Quid de Sene interrogas fili (inquit) Senex ille grandæuus, non mortalis homo: ſed Petrus Apoſtolorum Princeps fuit, ad nos eo conſilio à Deo Opt. Max. miſſus; vt defatigatos, corpore, & ſpiritu pariter recrearet: Nóſque nullo vnquam tempore,inter Corporis ſeu Animi anguſtias preſſos ſpe,ac plena in Deum fiducia deijci debere, diuina hac in nos collata benignitate doceret:Cæterùm, quæ is priuato,ac ſecreto colloquio mecum contulit, tam cæleſtia ſunt; vt ea cuique paſſim communia eſſe non debeant: Inter hæc tamen nonnulla conſolationis verba fuêre, quibus ad cœptum Reformationis opus ſtrenuè proſequendum, animum auxit: hæc mihi inter alia inculcans. Perge Fili, bono animo eſto.Deo ſiquidē hæc tua volũtas,ac propoſitum animi ſtudium valde commendatur: viriliter age,ipſe tuis votis ſua benignitate non deerit; qua fiet, vt Pontifex te pacatus excipiat, & Familiæ propagandæ, locorúmque extruendorum vltrò tibi facultatem impertiat.Hoc Ludouici ſermone cæleſtique benigni hoſpitis liberalitate, tantam Socij animo erga Deum fiduciam concepêre: vt omnem deinceps ſpem, ac cogitatum in eum proijcere, & ab eo bene omnia ſperare ſibi conſtanter in animum induxerint.

*Petrus Apoſtolus Ludouicum ad Reformationis opus proſequendum cohortatur.*

LV. His tertium quoque è Cælo miraculum acceſſit, quo Deus, & præclara Ludouici merita declarare, & ſummam ſuam erga Pauperes ſibi relictos,curam, ac liberalitatē illuſtrare voluit.In hoc enim itinere,cùm per Lucaniã cum Sociis graderetur,à pio quodam Hoſpite meritorio Campeſtri,qui Topinus cognominabatur,ſub prandij horã ad refectionem euocatus,ab eo hoſpitio excipitur;qui cum illi, ac Sociis, commune acetarium,quo veſcerentur,ſolo aceto intinctum appoſuiſſet:Ludouicus parum olei, quo illud inungat,ſibi afferri poſtulat, Cui Topinus, Poſtulationē certè Pater mi (inquit) proculdubio præoccupaſſem,vltróque Oleum dediſſem,niſi illud heſterna die totum ita cõſumptũ fuiſſet;vt nec quicquã in vaſe Oleario reliquum ſuperfuerit:Verùm ſi tantiſper expectare lubet:illud nobis celeriùs ex Vrbe afferetur. At Ludouicus. Haud longiori (ait) mora, ſiue expectatione opus eſt: Vas diligẽtius perluſtra,& oleũ reperies. Cui Stabularius:Quid triſtitiã auges? Pater:nihil ſanè mihi moleſtiꝰ eſt,quã hoc me charitatis officio vobis ſatisfacere nõ poſſe:at nõ eſt, cur ad vas pergam; quandoquidem ego hiſce manibus heſterna die totũ effudi.Ludouicus verò; Vade (inquit) & ſemel adhuc vas explora,& illud tibi, ac nobis proculdubio oleum dabit. Hoſpes verò cùm Ludouico potiùs morem gerere,quàm oleũ quærere,ſibi in animũ induxiſſet;ad vas accedit, illudque ad os vſque oleo plenum cernit:quare miraculo obſtupefactus, ac mente excedens, protinus exclamat:O Viri: ô Viri: accurrite:En miraculũ,en portentum.At Ludouicus illum obiurgans:Quid clamas? (inquit) obmuteſce.Num ignoras,quæ à Dei Prouidentia nobis quotidie adminiſtrantur,aſſidua eſſe Dei miracula? Fortè benè oleariũ vas antea non exploraueras.Vocē quidem tunc hoſpes ad Ludouici preceptum cohibuit:at poſt Ludouici diſceſsũ,quotquot ad illud hoſpitiũ diuerterent,iis præclarum hoc diuinæ liberalitatis teſtimoniũ prædicabat.Veruntamē huic cæleſti miraculo alterũ æquè illuſtrè adiunctum fuit,vt eo prioris miraculi veritas cæleſti teſtimonio cõfirmata luculētior fieret.Vas enim illud olearium,quod vix vnius mēſis ſpatio Domus vſui ſufficere ſolebat,Diuino illo miraculo plenũ,tãto deinceps oleo abũdauit;vt nõ vno duntaxat menſe,ſed ad tertiũ,quartũ,& quintum vſq; menſem oleũ dederit.Id Topinꝰ ipſe Fratri Stephano à Frãcica,qui celebris inter Capucinos diuini Verbi Concionator fuit,dum Neapolim prædicationis gratia proficiſceretur, ac pleriſq; aliis,velut rē ſumma admiratione dignã iureiurãdo nõ ſemel affirmauit: vt inde cunctis manifeſtũ eſſet,quàm profuſa,tum in Ludouicũ, ac cæteros diuinæ Prouidētiæ alũnos,quã etiã in pios homines Dei benignitas,ac liberalitas eluceret.

*Ludouici Oratione vas oleo vacuũ, plenum reperitur.*

*Oleum in Vaſe diuina virtute, ob Ludouici merita multiplicatur.*

His



LVI. His itaque Ludouicus è Cælo teſtimoniis clarus, Neapolim venit; vbi dum ſemel per Vrbem incedit, obuium ſibi Nobilem quendam Adoleſcentem habet; qui cùm magnas inter animi anguſtias verſaretur; ſimul ac Ludouicum conſpexit, ab eo obnixè efflagitare cœpit, vt cæleſtem à Deo ſibi opem ſuis precibus depoſceret. Quem ſimulatque Ludouicus intuitus eſt: Æquo animo eſto, (inquit) Fili: Ne extimeſcas, Deus rebus tuis aderit auxiliator, fauſtúmque illis exitum imponet. Tu verò his ſolutus curis,B.P.Franciſco nomina dabis; atque inter Tertij Ordinis Fratres, poſtremum diem claudes: nihil ille necdum de Tertia B. Franciſci Regula amplexanda, ſibi in animum induxerat. At cùm illi deinceps vniuerſa, vti Ludouicus prædixerat,adamuſſim contigiſſent: (etenim breui eo ſolutus labore, Tertij Ordinis B. Franciſci Habitum aſſumpſit:) Poſtremò quoque inter B. P. Franciſci Filios, diem extremum obiit.

*Nobili cuidã Adoleſcenti futura prænunciat.*

LVII. Interea Tiberius Abbas, Ducis Nucerini Filius, iam Romam appulerat: paternı́ſque literis Pontifici oblatis, de rebus Capucinorum ſeriò apud eum agebat: quorum mores, vitámque omni virtutum genere, ac Sanctimonia præſtantem, cùm omni ſtudio apud illum commendaſſet, præclaréque Pontificis animo inſculpſiſſet: plurimorum illuſtriſſimorum Virorum, qui Capucinorum rebus fauebant, ope, ac ſuffragio ſuffultus, ab eo tandem Excommunicationis, aduersùs eos latæ, reuocationem fert, ac Papalem eis benedictionem impetrat.

*Tiberius Abbas Excommunicationis reuocationem à Pontifice impetrat.*

LVIII. Vix Abbas optato Pontificis reſcripto potitus fuerat; cùm Ludouicus Romam appellit, extemplòque vniuerſa, quæ cum Pontifice geſta fuerant: proſperumq; rerum euentum, à Tiberio diſcit: cuius rei, vbi intimas Ludouicus Deo ex animo gratias fudit; mox cum Ludouico Foroſemproniano, Generali Vicario, conceptum apud ſe de adeundo Pontifice conſilium confert; quo maiorem ſibi; ſuiſque rebus conſtantiam, ac tranquillitatem concilier. Niſi enim res (aiebat) ita cùm Pontifice agantur, vt certum quendam, ac ſtabilem ſtatum, nulli ampliùs mutationi obnoxium accipiant: ſemper inter fluctuantes vndas, ac procellas, quæ ex Miniſtri Generalis, ac reliquorum Miniſtrorum flatu in dies concitabuntur, irrequieti verſabimur: neque vlla vnquam pace, aut tranquillitate fruemur. Quare, vt ſupremum his tandem finem imponamus, mihi conſultiùs videtur; vt noſtra cum Obſeruantibus controuerſia, accito Generali Miniſtro, coram Pontifice agatur, cauſaque vtrinque diſcuſſa definiatur. Probat Foroſempronianus conſilium, temporiſque opportunitate captata, Ludouicus Pontificem adit: qui cùm, & ex Nucerini Ducis literis, & plurimorum ſermone notam illius virtutem haberet; vix illum ad pedum oſcula accedentem aſpexit; cùm ſtatim hilari vultu interrogat. Tu ne es Ludouicus Rhegienſis? Cui cùm ille, ſe indignum Dei, ac Sanctitatis ſeruulum eſſe dixiſſet: protinus humaniſſimè exceptum, iubet æquo animo eſſe: & quæcunque in animo gerit, omni cum fiducia eloqui.

*Ludouicus Pontificē adit, vt ſuam coram eo cauſam dicat.*

LIX. Cui Ludouicus, Beatiſſime Pater (ait) Si nobis pro terrenis, aut corruptibilibus rebus eſſet concertatio; vel aduersùs ſæculi Poteſtates pro agris, & fundis colluctaremur: haud ſanè tanta contentione nobis dimicandum eſſet, aut Apoſtolica Sedes noſtris altercationibus moleſtanda: ſed cùm lis omnis, ac controuerſia noſtra de Regula ſit, ad cuius obſeruantiam iureiurando adſtringimur; eaque neglecta, nulla nobis ſalutis ſpes reliqua eſſe poſſit: quandoquidem non cum aliis, præterquàm cum Obſeruantiæ Patribus, qui eandem nobiſcum Regulam ſortiti ſunt, nobis eſt diſceptatio. Imperet Sanctitas Veſtra, quoad illi benè viſum fuerit, vt huc ſimul Generalis Miniſter, atque Ordinis Procurator conuenientes, ſi quas contra nos habent querimonias,coram Apoſtolica Sede exponant,noſque viciſſim reſpondentes audiant: & ſi quidem iuſtas aduersùm nos querelas, ac exceptiones obtulerint, cauſam vincant; & Apoſtolica auctoritate litem obtineant.


Quòd

Quòd ſi noſtræ non aſpernandæ rationes viſæ fuerint, iuſtiorémque nos cauſam defendere perſpectum ſit, ij quidem haud ægrè cauſæ iacturam patiantur: nos verò Apoſtolico iudicio ſuffulti tranquillis demum rebus fruamur.

*Generalis Obſeruantiũ Miniſter quadã Ludouico, & ſuis crimina imponit.*

LX. Honeſta prorsùs Pontifici res viſa eſt: quamobrem vtrunque, & Generalem Miniſtrum, & Procuratorem ad ſe opportunè ſimul cum Ludouico, ac Foroſemproniano, Generali Commiſſario, accerſitos interrogat: quid Ludouico, ac ſuis criminis inurant, quo ſe illorum aduerſarios prodant? At Generalis ſermonem exorſus, clandeſtinam ipſius; ac ſuorum ab Ordine diſceſſionem, & Apoſtaſiam primo loco opponit: tum Ordinis ſcandalum, ac turbationem inde exortam exaggerat; demum falſum Reformationis prætextum, quo vertiginis, atque inſtabilitatis ſpiritum tegunt, verbis mordacibus proſequitur.

LXI. His criminum capitibus Ludouicus, annuente Pontifice, humillimè ſuo cuique ordine reſpondet. Et quod primo loco de clandeſtina ſui, ac ſuorum diſceſſione, & Apoſtaſia obiicitur, multiplici ratione diluit. Atque in primis ſæpè iteratam à ſe, & à Bernardino poſtulationem, Generali Miniſtro in memoriam reuocat; qua iuxta Apoſtolicum Diploma tria ſibi, ac ſuis, loca ad Reformationem apta, ab eo aſſignari priuatè, ac publicè petiêre: quàm is nihilominùs contempto Pontificis mandato, vſque adeò reiecit, vt duris etiamnum poſtulantes minis proſequeretur. Quòd ſi hæc illis (vt par erat) indulta fuiſſent, his contenti tranquillam inter eos vitam exegiſſent. Cùm verò hæc ipſi, quæ ab Apoſtolica Sede impetrauerant, ſibi palàm denegari conſpicerent: ſaltem vt ad Capucinorum Reformationem ſibi tranſmigrare liceret, voce, ac literis ab eo poſtulaſſe: nihil verò ea poſtulatione, præterquàm ipſius odium, ac maleuolentiam, qua ipſos quoque Tabellarios vinculis conſtringi imperaſſet, aſſecutos fuiſſe, commemorat. Quamobrem cùm ipſi ea omnia, quæ iuris præcepto neceſſaria eſſent, adamuſſim ſeruaſſent: nihil, neque à iure, neque à ratione diſſentaneum ſe egiſſe exiſtimant; cùm diuino, ac naturali iure dictante, Regulæ Obſeruantiam, quam apud illos conſequi minimè poterant, ſibi apud Capucinorum Reformationem, ab Apoſtolica Sede approbatam, quæſierunt.

*Ludouicus obiecta crimina diluit.*

LXII. Cæterùm, quàm ab Apoſtaſiæ crimine, quod illis impingitur, longè abſint; id facilè præter ea, quæ dicta ſunt, declarare affirmat: quòd illos nemo, aut ſine habitu vagantes, aut abſque domicilio profugos, Orbem circumire viderit; ſed Apoſtolica auctoritate Capucinorum Familiæ aſſociati, in ea Regulari obſeruantiæ operam dederint. Moxque Ludouici Foroſemproniani Generalis Vicarij literas Pontifici offert, quibus ſe ſuosq; in Religionis gremium receptos, ſeque Generalem Commiſſarium in toto Neapolitano Regno, & Sicilia ſubſtitutum demonſtrat.

Greg. Reg. lib. 9. ind. 4.

LXIII. Quòd autem ad Ordinis Scandalum, ac turbationem ſpectat: quod ſecundũ criminis caput erat, Fruſtrà illud à Generali Miniſtro exaggerari, & ad crimen vocari autumat. Quædam enim (ait) ex ſententia Gregorij, Scandala deſpicienda ſunt, quæ ex bono oriũtur. Nam vt idem docet: *Si de veritate ſcandalum oritur; vtiliùs ſcandalum etiam permittitur; quàm veritas relinquitur.* Certè ſi propter Scandalum non datum, ſed acceptum bona ipſa deſerenda ſunt, cùm proborum virtutes malis Scandalum gignant, qui cùm ijs careant, earum aſpectum ferre non poſſunt: reliquum eſt, vt omnes à virtutibus abſtineant; neque bona paſſim ab hominibus agantur. Sed ſatiùs eſt, Auguſtinum docentem audire: *Hoc non ita dicimus* (inquit) *vt ſi quiſquam ſcandalizatus fuerit de bonis operibus noſtris, ab eis deſiſtendum putemus.*

Idem in Ezechiel.

*Scandala quæ timenda, & quæ deſpiciẽda.*

August. epiſt 199. ad Eidit

LXIV. Regularis obſeruantia (aiebat) Beatiſſime Pater, haud de eo genere bonorum eſſe cenſetur, quæ interdum prudenter relinqui, aut diſſimulari poſſunt: ſed bonum omninò neceſſarium eſt, à quo nullo vnquàm tempore nos dilabi oporteat. Quo fit, vt eò minùs hoc nos Scandalum mouere debeat, quòd illud nec legitimum, nec proborum hominum eſt, quod à nobis vlla ratione vitandum ſit.

*Regularis Obſeruantia bonum eſt neceſſarium.*

Poſtremò





LXV. Poſtremò, quod criminis loco nobis obiicitur, nos ſub Reformationis titulo, vertiginis, & inconſtantiæ ſpiritum alere: id de me faciliùs, quàm de cæteris affirmarem. Verùm, an Reformationis nos duntaxat color, ac prætextus, non neceſſitas impulerit; Sanctiſsimi iudicio ſtandum eſt: qui ex rerum ſtatu, in quo nunc Obſeruantium Familia verſatur, facilè deprehendere poterit, num ea neceſſaria Reformatione indigeat.

LXVI. Hic porrò Ludouicus, quamplurima Regularis inobſeruantiæ vitia, quæ iamdiu in Ordinem irrepſerant, ac publico abuſu, ac corruptela vbique ferè apud omnes inualuerant, ſingillatim Pontifici enumerat; quæ cùm ſuperiùs explicata fuerint, iis modò ſuperſedendum putamus. Poſtremò proprias Capucinorum Conſtitutiones exerens: quæ arctiſsimam illorum vitam his vitiis vacuam: & ad omnem Regularis Obſeruantiæ perfectionem compoſitam continebant, Pontifici offert.

LXVII. Hæc Generalis Miniſter, quandoquidem tam omnibus perſpecta erant, vt nulla tergiuerſatione excuſari poſſent: cùm non niſi humanis rationibus excuſare niteretur; & exceſſuum cauſas, tum in maximam Fratrum multitudinem, tum in variam temporum, ac locorum exigentiam, rerumque viciſsitudinem, atque alia huiuſmodi reiiceret. Pontifex, qui eouſque Religionis rebus leuiter animum intẽderat; rerum tunc veritatem diligentiùs edoctus, ad Generalem Miniſtrum priùs orationem conuertens, velut indignabundus ait. Plurima, cùm te virum grauem, prudentem, ac præſertim animi ſynceritate, ac integritate præſtantem exiſtimaremus; tua auctoritate nobis perſuaſiſti, quibus aduersùs hos Patres, velut audaces, ac temerarios Ordinis deſertores, perturbatores, factionarios, ac tandem Religionis veſtræ dedecus, commoueremur; quos cùm è diuerſo viros ſingulari modeſtia, ac bonitate præditos, virtute eximios, Regularis Obſeruantiæ ſtudioſos, ac veros B. Franciſci filios, nos ipſi modò agnoſcamus. Hinc te nec meliori ſpiritu ductum, nec humano odio, aut cupiditate vacuum facilè animaduertimus. Vide, ne Scribarum, & Phariſæorum vitia imiteris, de quibus Chriſtus apud Matthæũ, *Veh vobis* (inquit) *Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Cùm enim Regularis obſeruantiæ vigor apud vos deſierit: nullum vos non tam ſtudium, aut laborem, vt reſtituatur, impenditis: verùm nec alios Reformationis ſtudioſos ſinitis impendere: quin potiùs in eos, pluſquam Vatiniano odio flagratis. Quare id vobis modò omnino præceptum ſit, vt poſthac nihil hiſce Viris à vobis moleſtiæ inferatur: neque ij vllo modo à vobis impediantur, quominus perfectiori Regulæ Obſeruantiæ omni tranquillitate vacare queant. Tum ad Ludouicum conuerſus, eum ad perfectum, ac perpetuum Regulæ cultum hortatur, illis Sapientis verbis vſus. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Promiſſoque illi benigniſſimè ad eam rem Apoſtolicæ Sedis præſidio, ac patrocinio, benedictione confirmatum dimittit.

*Generalis Miniſter Regulæ tranſgreſſiones variis rationibus excuſat.*

Mat. 23.

Eccleſ. 4.

LXVIII. Re tam læto, ac proſpero ſucceſſu expedita, Ludouicus dignis Deo perſolutis honoribus, ad ſuos in Calabriam reuertitur. Interea etſi Pontificis animus in puſillæ Reformationis commodum, & tranquillitatem adſpiraret: haud tamen Sathanas, antiquus Religionis hoſtis, qua nouas in Religione procellas excitaret, vllam omnino occaſionem prætermittebat. Quare cùm ea Pontificis mens nullo Decreto, aut Diplomate declarata eſſet; qui literas in forma Breuis, à ſacra Pœnitentiaria, contra quoſcunque temerè ab Ordine recedentes impetrauerant: iis tam Ludouicum Rheginum, quàm reliquos, tanquam Ordinis deſertores, perſequi haud verebantur. Id quoque non parum aduerſarios lædere videbatur: quòd tribus Cardinalibus annuentibus, plerique ex Obſeruantium Ordine, ad Capucinos quotidie tranſmigrarent, quod cùm Ordinis Patres ægrè ferrent nouas quotidi querelas ad Apoſtolicam Sedem tranſmittebant: Quo fit, vt his Pontifex pertæſus

*Duobus Cardinalibus lis dirimenda à Pontifice cõmittitur.*

tota cauſa Antonio Epiſcopo Portuenſi, & Andreæ de Valle S. R E. Cardinalibus, quo res maiori cum prudentia, grauitate, ac ſtabilitate fierent, commiſſa; ab iis hoc anno Bulla edita fuerit, qua omnis interim moleſtia Capucinis inferri prohibetur: Capucinis quoque interdicitur, ne Obſeruantium vllum in ſuum gremium recipiant, donec ea cauſa iudicata fuerit. Bulla autem hæc eſt.

*Decretum à Cardinalibus editum*

*ANTONIVS Miſeratione diuina Epiſcopus Portuenſis, & Andreas eadem miſeratione diuina tituli ſanctæ Priſcæ, Presbyteri S.R. E. Cardinales de Monte, & de Valle reſpectiuè vulgariter nuncupati; cauſarum, cauſæque, & cauſis inter partes infraſcriptas ſubortis à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa, viuæ vocis oraculo per eum nobis deſuper facto Commiſſarij, & Compoſitores ſpecialiter Deputati. Vniuerſis, ac ſingulis Dominis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurarijs Succentoribus, Sacriſtis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu locum tenentibus eorundem, Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Vicarijs quoque perpetuis, ac Domini Noſtri Papæ Curſoribus quibuſcunque per Almam Vrbem, eiuſque diſtrictum, nec non Prouincias totius Calabriæ, Romaniæ, Marchiæque Anconitanæ, & alias vbilibet conſtitutas, & eorum cuilibet inſolidum, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ Literæ peruenerint, Salutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, immò veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis quod nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter. Dominus Clemens diuina Prouidentia Papa V I I. cauſam, & cauſas, quæ, vt aſſeritur, ſunt inter Religioſos Viros Ludouicum, ac Raphaëlem de Foſſombruno, & Bernardinum Georgium, & Ludouicum de Rhegio, & nonnullos alios ſuos litis conſortes in Prouincia Calabriæ Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium de Vita Eremitica Sancti Franciſci ex vna: & Fratres Ordinis Minorum de Obſeruantia eiuſdem Sancti Franciſci ex alia partibus, de, & ſuper eo, quòd nonnulli Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia, certis ex cauſis eorum animum mouentibus à dicto Ordine receſſerunt, & ad Vitam Eremiticam, ſiue Ordinem Eremiticum Sancti Franciſci acceſſerunt, & in illo Ordine Deo ſeruierunt, rebúſque alijs in actis cauſæ, & cauſarum huiuſmodi latiùs deducendis, & illorum occaſione partibus ex altera, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, etiam manu Regia, & prout nobis meliùs videretur audiendas, cognoſcendas, decidendas, finéque debito terminandas, & componendas, & concordandas vnà cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, cum poteſtate dictas, vtraſque partes, omneſque alios, & ſingulos ſua communiter, vel diuiſim intereſſe putantes, & in executione citationis per nos decernendæ, nominandos in Romana Curia, & extra eam etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè, ſimpliciter & de plano; & extraiudicialiter de non tuto acceſſu in Romana Curia, & extra eam, citandi, ac illis, & alijs quacunque auctoritate, & dignitate etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Cardinalatus honore fulgentibus, quibus, & quoties opus fuerit, etiam ſub Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis etiam pecuniarijs, arbitrio noſtro imponendis, applicandis, & moderandis, etiam per ſimile edictum inhibendi, inobedienteſque, & rebelles, ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe, & incidiſſe declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, interdicendi, & quatenus opus ſit, auxilium brachij ſæcularis inuocandi: & alia quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, certis, prætenſis literis per prælibatum ſanctiſſimum D. N. Papam eiſdem Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia, ſeu illorum Ordini in Forma Breuis conceſſis, quarum tenores Sanctitas ſua voluit haberi pro ſufficienter expreſſis, & inſertis, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque eorundem præmiſſorum, & aliorum forſan de neceſſitate exprimendorum tenores, effectus, & compendia pro ſufficienter expreſſis habere volens, Nobis viuæ vocis oraculo commiſit, atque mandauit. Cuius quidem cauſæ, ſeu cauſarum huiuſmodi commiſſione viuæ vocis oraculo, vt præmittitur, Nobis facta, & ad aures dictarum partium deuenta, fuimus pro parte vtriuſque dictarum partium debita cum inſtantia requiſiti, quatenus in cauſa, & cauſis huiuſmodi procedere, & modo ſolito inhibere, literaſque inhibitorias deſuper neceſſarias, & opportunas, ſub Excommunicationis, aliiſque ſententijs, cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, ac pecuniarijs in Romana Curia, extra eam, & ad partes in forma ſolita, & conſueta decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur Antonius Epiſcopus, & Andreas Presbyteri Cardinales Commiſſarij, & Compoſitores præfati, attendentes requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, & rationi conſonam: Volenteſque inter partes prædictas æqualitatem (vt decet) ſeruare, ac dante domino iuſtitiam miniſtrare, vt tenemur, ac quidem in cauſa, & cauſis huiuſmodi ſic in Romana Curia coram Nobis indeciſis pendentibus nihil ſit in partibus per quemcunque attentandum, ſeu innouandum. Idcirco autem Apoſtolica Nobis viuæ vocis oraculo commiſſa, & qua fungimur in hac parte, Vos omnes, & ſingulos ſupradictos, & veſtrûm quemlibet in ſolidum tenore præſentium requirimus, & monemus primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè. Vobiſque nihilominus, & veſtrûm quemlibet, in virtute S. Obedientiæ, & ſub Excommunicationis pœna, quam in vos, & veſtrûm quemlibet, ſi ea quæ vobis in hac parte committimus, & mandamus, neglexeritis, ſeu diſtuleritis contumaciter adimplere, Canonica monitione præmiſſa, quam ferimus in his ſcriptis, diſtrictè præcipiendo, mandantes quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt præſentationem, ceu notificationem præſentium vobis, ſeu alteri veſtrûm factas, & poſtquam pro parte dictarum partium, ſeu alterius earum principalium vigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrûm fuerit requiſitus immediatè ſequentes, quorum ſex dierum, duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus: ita tamen, quòd in his exequendis vnus veſtrûm alterum non expectet, nec vnus pro alio, ſeu per alium ſe excuſet; propterea accedendo, quo fuerit accedendum, Reuerendiſſimis, ac Reuerendis in Chriſto Patribus, & Domi-*

*nis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & quibuſuis alijs locorum Ordinarijs etiam Cardinalatus honore fungentibus ſub interdicto ingreſſus Eccleſiarum, eorumque, & cuiuſlibet ipſorum in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarijs, ſeu Officialibus, Generalibus, cæteriſque alijs Officialibus, Iudicibus, Commiſſarijs, Delegatis, Subdelegatis, Ordinarijs, Extraordinarijs quibuſcunque quacunque auctoritate fungentibus, & præſertim RR. ac Venerabilibus, ac Religioſis viris DD. Magiſtris Prouincialibus, Miniſtris, Generali, Procuratoribus, ac Fratribus, & Religioſis Ordinis Minorum de Obſeruantia S. Franciſci, ac Eremitis Ordinis Minorum eiuſdem S. Franciſci partibus hinc inde principalibus prædictis, omnibúſque alijs, & ſingulis quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, quibuſcunque nominibus cenſeantur, & quacunque præfulgeant dignitate, de quibus pro parte dictarum partium, ſeu alterius earum principalium fuerint requiſiti, ſeu alter eorum fuerit requiſitus: etiam ſub Excommunicationis, alijſque ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac duorum millium ducatorum auri de Camera pro vna parte Obſeruanti, & alia medietatibus Cameræ Apoſtolicæ irremiſſibiliter applicandorum ac perſoluendorum pœnis, quas in his ſcriptis ferimus; quaſque quemlibet huiuſmodi noſtræ inhibitioni contrauenientem incurrere volumus ipſo facto; inhibentes, quibus & nos etiam tenore præſentium ſub ſimilibus cenſuris, & pœnis inhibemus, ne ipſi, vel eorum alter in cauſa, & cauſis huiuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quouis quæſito colore, vel ingenio in vilipendium litis pendentiæ, ac iuriſdictionis noſtræ, immò veriùs Apoſtolicæ, aut in dictarum partium, vel alterius earum, earumque, & cuiuſlibet ipſarum iuris præiudicium, & grauamen, lite, & cauſa huiuſmodi, ſic coram nobis indeciſis pendentibus quicquam attentare, ſeu innouare; dictæque partes, videlicet dicti Fratres S. Franciſci de Obſeruantia eoſdem Fratres Eremitas eiuſdem Ordinis S. Franciſci, etiam dictos Ludouicum, & alios, qui à dicto eorum Ordine Obſeruantiæ receſſerunt, & dictam Eremiticam vitam adiuerunt, etiam ſub eo prætextu, quòd ad eorum Ordinem reuertantur, etiam vigore dictarum literarum eis, vt præmittitur in forma Breuis conceſſarum, realiter, vel perſonaliter cogere, ſeu in dicto eorum Ordine Regulari, Eremitorijs, & aliis locis moleſtare, inquietare, vel perturbare, & de eis reuocare cogere. Et è conuerſo dicti Fratres de Vita Eremitica S. Franciſci aliquos ex dictis Fratribus S. Franciſci de Obſeruantia recipere quouis modo audeant, ſiue præſumant, ſeu audeat, vel præſumat, donec, & quouſque in cauſa, & cauſis huiuſmodi per Nos, ſeu ſubrogandos noſtros fuerit determinatum, ſeu deciſum, aut alias concordatum, & compoſitum. Quod ſi ſecus factum fuerit, id totum reuocare, & in priſtinum ſtatum reducere, ac ad dictarum ſententiarum, cenſurarum, & pœnarum declarationem, illarumque aggrauationem, reaggrauationem, Interdicti Eccleſiaſtici appoſitionem, ac brachij Sæcularis inuocationem, ac alia grauiora procedere curabimus, iuſtitia mediante. Diem verò, ſeu dies inhibitionis, ſeu inhibitionum noſtrarum huiuſmodi, & quicquid in præmiſsis feceritis, ſeu aliquis veſtrûm fecerit, Nobis per veſtras patentes literas, aut inſtrumentum publicum harum ſeriem, ſeu deſignationem in ſe continentes, remiſſis præſenti-*





*bus, quantociùs poteritis fideliter intimare curetis. Abſolutionem verò omnium, & ſingulorum, qui præfatam noſtram Excommunicationis ſententiam incurrerint, ſeu incurrerit, quoquo modo nobis, vel Superiori noſtro tantummodò reſeruamus. In quorum omnium, ac ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſiue præſens publicum inſtrumentum, huiuſmodi noſtram inhibitionem in ſe continentes, ſeu continens exinde fieri, & per Notarium publicum huiuſmodi cauſæ coram Nobis Scribam infraſcriptum ſubſcribi, ac publicari mandauimus, Sigillorumque noſtrorum, quibus in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in Ædibus noſtris ſucceſſiuè, ſub Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo. Indictione quinta, die verò Mercurij quartadecima Menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis, Diuina Prouidentia Papæ VII. Anno Nono. Præſentibus ibidem Venerabilibus Viris Dominis Pandulpho de Torto, & Bartholomæo Piperis Clericis, Romano, & Saluciarum, nec non Felice Morono, & Michaële Torrella Clericis, Firmano, & Romano reſpectiuè, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.*

*Et ego Auguſtinus Matthæi aliàs Clerici, Clericus Cameracenſis Diœceſis publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, in Archiuio Romanæ Curiæ deſcriptus, & annotatus, quia dictæ inhibitioni, omnibuſque alijs præmiſſis, dum ſic, vt præmittitur, ſucceſſiuè agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens fui, & in notam ſumpſi. Ideò hoc inſtrumentum huiuſmodi noſtram inhibitionem in ſe continens ex inde feci, ſuſcripſi, & publicaui, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis, vnà cum prælibatorum Reuerendiſſimorum DD. Cardialium Sigillorum appenſione ſignaui in fidem præmiſſorum rogatus, & requiſitus.*

Locus Signi Notarij

*Locus Sigilli appenſi*

*Locus alterius Sigilli appenſi.*

LIX. Interea illuſtrioribus quibuſdam Viris apud Pontificem agentibus, Breue illud à Generali Miniſtro impetratum, quo is Ludouicum Rheginum, ac cæteros Calabros oppetebat, nouo edito Diplomate, à Pontifice reuocatur. Cardinales quoque, quibus ea cauſa demandata fuerat, cùm Pontificis animum optimè erga Religionem affectum agnouiſſent: rebus ad communem concordiam redactis, omnibuſque in priſtinum reſtitutis, huic controuerſiæ hoc anno finem tandem imponere videntur.

LX. Poſthæc Franciſcus Aëſinus, Vir, (vt diximus) inter Obſeruantiæ Patres, vita

ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1532. 9. 14. 8.

*Franciſcus Aeſinus, & Bernardinus Aſtenſis de Obſeruantia Bullam Reformationis intra Ordinem impetrãt*

integerrimus, ac prudentia clarus, ſimul cum Bernardino Aſtenſi, Generali Ordinis Procuratore, Viro æquè pio, prudente, ac ſanctiſſimis moribus ornato; apud Apoſtolicam Sedem plurimùm laborabant: vt Bulla à Pontifice impetrata, qua ſibi, & alijs, qui ad Reformationem anhelabant, ſub Prælatorum Ordinis obedientia, Regulæ obſeruantiam ſeorſim à Familia proſequi liceret, Reformationemque in Ordinem inueherent: Quam tandem hoc anno aſſequuntur, hoc verborum exordio præmunitam. *In ſuprema Militantis Eccleſiæ ſpecula*: quæ in huius Voluminis calce exarabitur. Verùm dum Franciſcus optata Bulla potitus, lætus ad ſuos in Vmbriam reuertitur, vt in ea fauſtis, (vt putat) auſpiciis Reformationis primordia aggrediatur: à ſuis, qui ab ipſo quoque Reformationis nomine, nedum re abhorrebant, in carcerem truditur, & pro dignè exantlato labore, indignam mercedem aſſequitur.

Hoc tempore inter Minores Conuentuales, quædam adhuc, licèt exilis Refor- LXI.
matio à Fr. Franciſco à Monte Politiano, aliiſque nonnullis illuſtrioribus Viris excitata, in Conuentu Montis Politiani, ac paucis aliis Conuentibus, ſemiuiua vigebat. Qui verò in Montis Politiani Conuentu eidem incumbebant; cùm Capucinorum Reformationem excreſcere, ac propagari, ſuam verò paulatim euaneſcere animaduerterent: cuncti vnanimes ad Capucinos migrant; Conuentúmque Montis Politiani de totius Oppidi conſenſu in noſtros transferunt. Cuius rei publicum extat Oppidi Decretum: datum hoc anno ſub die 18. Maij. Atque hinc Prouincia Ethruriæ prima inter nos ſuæ Fundationis initia ſumpſit: cui deinde anno 1537. alterum Cortonæ quoque Monaſterium acceſſit, ac breui temporum ſucceſſione, pleriſque aliis Monaſteriis aucta fuit.

*Minores Cõuentuales Reformati Mõtis Politiani, ad Capucinos migrant, & in eos Monaſterium transferunt.*





ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1533. 10. 15. 9.

I. SVPERIORIS Anni triumphus, de potiſſimo Reformationis aduerſario, à Ludouico Rhegino diuina virtute reuectus, hunc annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum tertium afflictæ Reformationi lætum, ac hilarem præſtat, plurimorúmque ex his, qui in Obſeruantium familiæ ardentiori Reformationis ſtudio tenebantur, reique exitum ſuſpenſi expectabant, animos commouet; vt dubitationem omnem ab animo expellentes, quæ de ipſius Reformationis occaſu oriri poterat; moraque omni abrupta, ex variis Prouinciis ad Capucinos conuolarent. At neque ex ſæcularibus viris pauci, mundi exuuiis depoſitis, hoc tempore melioris huius vitæ tyrocinium complectuntur. Inter quos vita, ac virtute illuſtres fuêre F. Petrus Luſitanus, F. Humilis Offidanus, F. Antonius itidem Luſitanus, & F. Iacobus Hiſpellenſis; quorum virtutes, ac præclara apud Deum merita alibi explicanda erunt.

*Capucini Fratres Martyrij deſiderio flagrantes compeſcũtur.*

II. Dum igitur Capucinorum Religio, propter optimum Pontificis animum, ad Reformationem propenſum, nonnulla rerum pace, ac tranquillitate frueretur: Stygius ille incola, cui mille nocendi artes, quique mille oculis ad nouæ Reformationis perniciem, ac interitum inuigilabat, in ipſa pace belli inſidias ſtruit, ac velut ſerpens ſilentio mordens, ſub præſtãtioris boni prætextu, in omnium ferè Fratrum animis, velut Cæleſte ſemen, impatientem quandam Martyrij cupiditatem immittit. Atque adeò in hoc ſtudium eorum animos accendit: vt vix à Ludouico retineri poſſent, quominùs ad Infidelium plagas vnà omnes ſe conferrent. Hi porrò cùm B.P. noſtri Franciſci, qui in ipſo Ordinis exordio, Fratres ad infidelium plagas tranſmiſit, exemplo potiſſimùm eò adducerentur: tum etiam poſtremo Regulæ capite allicerentur, quo Fratres ad Martyrij coronam prouocantur. Eo fiebat, vt cùm omnes Euangelicæ perfectionis ſtudio tenerentur: cuncti etiam Martyrij deſiderio flagrarent: neque ab ea cupiditate facilè animum reuocare poſſent. Mira profecto, ac callida Dæmonum ars hæc, & verſutia fuit, qui cùm nulla Aduerſariorum vi hactenus Reformationem deijcere potuiſſent, virtute eam debellare parant: & ſub ſpecioſo Martyrij titulo ad funera rapere feſtinant. Ita quippe doloſi hoſtes ex virtute capiunt, quod in Religionis damnum, & perniciem vertant. Quid Martyrio Sanctiùs? Quid præſtantiùs? Quid optabiliùs? Ad quod magna, & accumulata virtus, huius tempeſtatis Fratres ſuapte natura propenſos redderet: ſed cùm alia tuendæ, ac propagandæ Religionis, alia Martyrij ſubeundi tempora diſtinguenda ſint; ij callidè tempora confundunt, quodque in virtute diuinum, ac maximè ſpectandum eſt, perturbant; quò facilius Reformationem ad interitum rapiant. Haud ſanè parua hæc Tentatio fuit, quæ Ludouico non mediocre negotium faceſſit: quò Fratres ſuauiter demulceret, iiſque verbis prudentibus perſuaderet, id quidem ſuo tempori reponi; priùs tamen Reformationis corpus conſtituendum, ac confirmandum eſſe: ne ſi optimis viris, velut neruis, atque oſſibus deſtituatur; protinus concidat, ac intereat. Ac propterea eam Cacodæmonis eſſe artem, ad Reformationis internecionem ab eo excogitatam: vt ſub ſpecioſiſſimo titulo ſubtractis vndique iis, qui ſua prudentia, conſilio, ac virtute vtiles eſſe poſſent, de Religione triumpharet. His verbis Ludouicus, vix ardens Fratrum ſtudium, quo ad martyrium ferebantur, compeſcere valuit.

III. Verùm vbi ſinuoſus Serpens, nihil ſe aduersùs Reformationem

callida hac tentatione profeciſſe videt: aliam rurſus ſub æquè illuſtri titulo haud minùs exitialem mouet. *Ad Eremos & ſiluas ſecedere volentes, qua ratione à propoſito reuocantur.* Quamplurimi enim Solitariæ vitæ ſtudio intenti, in Eremos ſecedere, ac Monaſteria deſerere parabant: B. P. Franciſci mentem ſibi in argumentum vendicantes; qui cùm frequenter in ſolitudines ſecedere ſolitus eſſet; ipſius magis exemplo, ac veſtigiis inhærere deberent, qui Eremiticæ vitæ titulum ſua Inſtitutione præſeferrent. Id verò aſtutus Draco ab iis obtinere nitebatur: vt dum ſinguli ſeorſum in Eremis degerent; nullus Monaſticæ diſciplinæ, nullus Choro, ac communi Pſalmodiæ, nullus prædicationi, atque aliis charitatis officiis vacaret; quæ Minorum Fratrum Inſtitutioni familiaria ſunt; ſicque ea, quæ in Minorum vita meliora, ac præſtantiora ſunt, deſererent. Hanc porro tentationem Ludouicus, quandoquidem in ea exceſſus tantummodò vituperatione dignus erat; ita moderandam, & ad virtutis profectum componendam duxit: vt vbique in Conuentibus, quædam ſolitaria loca ac Cellas conſtitueret; in quas, qui in Solitudine Deo vacare vellent, ſtatis temporibus ſecederent. Hoc pacto illa ab Inferis exorta tempeſtas, hac Ludouici prudentia ſedata fuit.

IV. Interea Ludouicus Rheginus ad ſuos in Calabriam reuerſus, pleroſque ex ſæcularibus Viris, qui admirabili illa Capucinorum vita commoti, mundanis rebus renunciabant, Religionis albo inſcribit: inter quos fuêre F. Ioannes Baptiſta ab Arconio, Fr. Iacobus Rheginus, & Fr. Bernardinus à Raticina, qui deinde plurimis in Religione virtutibus emicuerunt. Cúmque in Calabria multis tum ex ſæculo, tum ex variis Religioſorum inſtitutis confluentibus, Religio excreſceret: præter Panaliæ, & S. Eliæ loca, alium quoque Sanctæ Luciæ, iuxta S. Martini Oppidum, qui Thurium nouum deinde tranſlatus fuit, alia Mottæ Philocaſtri, Mileto, Locris, Cataco, atque in primis Rhegio, propè quandam Aedem, quæ S. Maria de Conſolatione appellatur, Monaſteria addidit.

V. *Rhegij apud Calabros Monaſteriũ conſtruitur.* Erat hoc Delubrum, ab Vrbe Rhegio tribus fermè milliaribus diſtans, in arenoſa quadam Vrbis parte ad Aquilonem ſitum; quæ ſolitudinem potiùs ob Soli ſterilitatem, quàm tellurem germini aptam præferebat. Ibi qui miſſi fuerunt, nonnullas ab exordio cellulas, & officinas Fratrum habitationi neceſſarias, ex luto, & viminibus, vti mos illis erat, extruere cœperunt: vbi ſub Beatiſſimæ Virginis patrocinio in ſumma vitæ auſteritate, rerum omnium inopia, ſilentio, ac feruentiſſimo Orationis ſtudio, ſolitariam vitam ducebant. Atque hic tertius, poſt Panaliæ, & S. Eliæ Monaſterium locus fuit, multorum illuſtrium virorum, qui ſanctimonia claruerunt; ac præſertim Bernardi Georgij, ſepultura illuſtris.

VI. Sub idem tempus, Ludouicus Rheginus, cùm nouam Reformationem, haud intra ſolos Calabriæ terminos concludendam; ſed longè latéque extra Calabriæ ſinum diuino conſilio diffundendam intelligeret; Bernardinum Georgium, qui inter illuſtriores huius tempeſtatis Concionatores enumerabatur, in Siciliam deſtinat: vt in ea Inſula, quæ omnium Maris Mediterranei, maxima eſt, non modò Euangelicæ prædicationis: ſed & nouæ Religionis ſemina iaceret.

VII. *Bernardinus Meſſanæ prædicat, ac Monaſterium ædificat.* Bernardinus igitur Siculum iter exorſus, primùm Meſſanam appulit: Vbi Dei Verbum, tam ardenter, tantáque omnium vtilitate diſſeminat; vt Meſſanenſes Ciues, viri virtute perſpecta, quam tum verbis, tum maximè admirabilis vitæ exemplis præferebat: Nouæ quoque Religionis ſtudio allecti: ex qua vberes vtilitatum, ac ſpiritualium commodorum fructus ſibi acceſſuros ſperarent: Cœnobium illi, non longè ab Vrbe, ædificandum decreuerint. Parum in ea Vrbe commoratus, inde Panormum proficiſcitur: vbi cùm propter nouam habitus formam, quæ necdum hiſce in locis viſa fuerat: tum etiam ob ignotam Viri virtutem, errabundus, ac ſine domicilio putaretur: quum primùm ibi Dei verbum euangelizare parat, ab Vrbis Proceribus, velut ignotus repellitur. At Bernardinus, nec quicquam ea repulſa animo conſternatus, rem ſibi humilitate, ac patientia comparandam ſtatuit: quapropter humiliùs, ac demiſſiùs inſtat, rogat, obſecrat; atque

opportunè



opportunè, importunéque, iuxta Apoſtoli conſilium, id tandem impetrat, vt Dei Verbum, ſemel, aut iterum publicè pro ſuggeſtu proponat.

VIII. Res hîc haud ſilentio prætereunda accidit; quæ cùm ad eorum diſciplinam ſpectet, qui curioſiùs Dei Verbum populis proponunt, eò lubentiùs noſtris perpendendam offerimus. *Panormitani curioſam Bernardini prædicationẽ deſpiciunt, tũ velut Apoſtolum admirantur.* Cùm enim Bernardinus, humani nonnihil hoc tempore paſſus, vt aliquam ſibi apud populum, exiſtimationem compararet, qua prioris repulſæ maculam abſtergeret: Vrbemque literarum ſtudiis, maximiſque ingeniis præclaram faciliùs ad ſe alliceret, ſermonem ornatiſſimo ſtilo, ac Rhetorum præceptis, & lenociniis, quibus apprimè eruditus erat, comptum, ac effloreſcentem compinxiſſet; in quo ſummum ingenium oſtentaret: Dei tamen conſilio factum eſt, vt nulli ferè eo dicendi genere ſatisfecerit: ita vt quos Rethoricæ Artis ſalibus ad ſe attrahere ſtuduerat, iiſdem potiùs à ſe depelleret. Diuinum mox Bernardinus iudicium agnoſcit; cúmque rem à Deo procul dubiò idcirco profectam intelligeret; vt eò minùs humanæ ſapientiæ verbis confideret, mox ſtilum mutat, ornatiorique illo dicendi genere prætermiſſo, alterum ſermonem ſimplici quidem ſtilo: ſed Apoſtolico ſale, ac Spiritu conditum, quem non Rhetorum voces; ſed feruens oratio, & lachrymæ eidem genuerant, pro ſuggeſtu proponit; quem ſimulatque Vrbis ciues prægustarunt, Cæleſtiſque Sapientiæ donum, ac vim, quæ ex illius Prædicatione emanabat, illi è Cœlo inditam præſenſêre; tanto deinceps ſtudio, atque auiditate Vrbs tota ad eum audiendum confluere viſa eſt; vt cui nuper, velut obſcuro, ſuggeſtum negauerant, hunc deinde tanquam Dei Apoſtolum prædicantem audirent. Quamobrem diutiùs in ea Vrbe demorari cogitur; quo tempore Vrbe ipſa poſtulante, extra Vrbem Monaſterium extruit, plurimoſque ibi Chriſto, & Religioni liberos parit.

IX. *Panormi, & Catanæ Monaſteria conſtruuntur.* Hinc digreſſus, Catanam Siciliæ Vrbem, B. Agathæ reliquiis, velo, ac patrocinio illuſtrem proficiſcitur: in qua & Dei Verbum ingenti Vrbis fructu diſſeminat, & tertium apud Siculos Conuentum ædificat. Cúmque plura in ea Inſula loca ædificanda depoſcerentur: quandoquidem Calabrorum Fratrum Familia, quæ etiamnum exigua erat, iis complendis non ſufficiebat, Ludouico Rhegino Bernardinus per literas ſignificat; Meſſem quidem multam ea in Regione ſibi offerri, paucos verò Operarios adeſſe, qui in Meſſe colligenda laborent. Ludouicus verò ad Foroſempronianum Generalem Vicarium ſcribens aliquos ad ſubſidium poſtulat, qui Siculam vineam, fructui maturam, excolant, in eaque Religionem proſeminent. His ille literis permotus nonnullos hoc anno eò Prædicatores tranſmittit: quorum opera, ac labore, non modò in Sicilia, ſed etiam in vtraque Apulia, Religionis ſemen diffunditur.

X. His itaque Religionis initiis proſperè in Calabria, ex Dei benignitate effloreſcentibus, Ludouicus Foroſempronianus, cùm ob Pontificis in nos humanitatem, Romæ res in tuto poſitas, ac velut in portu quieſcere exiſtimaret; vndique ex Sicilia Optimatum literis accerſitus, ad Siculos proficiſci cogitat: quò & Religionis profectum diligentiùs inſpicere, & opportunum rebus præſidium adferre queat. *Ludouicus Foroſemp. Siculam profectionem parat.* Quapropter cum ſocio iter aggreſſus, cum ad fretum Siculum perueniſſet: Nauigium, quo illud traiicere parabat, à præterfluente vnda, atque aduerſa tempeſtate, ſemel, atque iterum ad litus reuectum, nautas omnes admiratione afficit, quibus res prorſus inſolita videbatur. Idipſum cùm tertiò Nautæ captato vndarum fluxu, tentaſſent: tertiò quoque furioſiùs ab vndarum fluctibus ad litus reiecti fuêre. Verùm dum opportunum Nautæ iterum transfretandi tempus expectãt; en Ludouico per litus incedenti è Romana Vrbe à Tabellario literæ perferuntur, quibus certior fit grauiſſimum toti Religioni periculum imminere, niſi Romam ſumma cum feſtinatione redeat.

XI. *Ludouicus Romam reuocatur.* His Ludouicus literis acceptis, tunc primùm Dei conſilium animaduertit, quo illũ à Siculæ profectione abſterrebat, idque ſummoperè admirans, nulla interpoſita

mora,

mora, Romam celeriùs reuertitur; vbi perturbatiſſimum rerum ſtatum, Religionémque ſummo in diſcrimine fluctuantem offendit. Generalis namque eorum, qui de Obſeruantia nuncupantur, Miniſter, omnes in Capucinos, à quibus ob id ſe grauiter læſum exiſtimabat, quòd turpes ipſius Ordinis maculas coram Pontifice aperuiſſet; impugnationis arcus intendens, captata Ludouici abſentia, Capucinos ſibi ſubiicere; quò faciliùs illos tandem è medio tolleret, nonnullis rationibus nitebatur, quarum potiſsimam ex Bulla vnionis Leonis Decimi, ſibi vendicabat; qui cùm Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum de Obſeruantia totius Ordinis Generaliſsimum conſtituerit, eidemque Primatum in toto Ordine contulerit, haud æquum eſt, Capucinorum Reformationem, quæ Apoſtolico edicto Minorum Conuentualium poteſtati ſubiicitur, ab ipſius ſubiectione liberam eſſe; cùm & ipſi Conuentuales, à quibus Capucini dependent, ipſum Superiorem habeant, ac B. P. Franciſci Succeſſorem agnoſcant. Vim porrò huius argumenti ex Regulæ præſcripto augebat: quæ cùm B. Franciſco, ac Succeſſori ſuo parendum præcipiat, idque Apoſtolica Declaratione certum ſit, Generaliſsimum Obſeruantium Miniſtrum verum B. P. Franciſci Succeſſorem eſſe: inde Capucinos quoque, ſi veri Regulæ Obſeruatores cenſeri volunt, Generaliſsimo parere: atque illi ſubiectos eſſe debere affirmabat.

*Generalis Miniſter de Obſeruantia Capucinos ſibi ſubiicere, quibus rationibus conetur.*

XIII. Hinc pleraque, velut conſectanea cœpit obtendere. Primum, vt Capucini quadratum Caputium deponerent: ne Religionis Corpus, quod homogeneum, ac ſibi ſimile eſſe debet; hetherogeneum, ac monſtruoſum, velut à ſeipſo diſſimile conſtituatur: negabatque Beatum P. Franciſcum quadrato Caputio aliquando vſum fuiſſe; niſi fortè eo tempore, quo propriis veſtibus coram Epiſcopo Aſsiſiate exutus, ruſtico illo ſago indutus fuit, cui paſtorale Caputium quadratum coniunctum erat. Illud præterea, tanquam iure ipſo ſupremæ Generaliſsimi auctoritati debitum prætendebat: vt Obſeruantes quoſcunque ad Capucinorum Reformationem euolantes impedire, ac reuocare poſſet, quacunque non obſtante Pontificis facultate, viuæ vocis oraculo illis conceſſa, quæ cùm in Ordinis perniciem tendat; inde ſubreptitiam eſſe contendebat. Ab ea verò quamplurima Ordinis Scandala emergere, pluribus oſtendere nitebatur. Primum: Nam experientia teſte, ſe didiciſſe aiebat; cùm primùm Capucini in Vrbibus apparuêre; Ordinis exiſtimationem diminutam eſſe, populoſque ficta illa Sanctitatis imagine faſcinatos, priori, ac conſueta ſuos veneratione, ac pietate deſeruiſſe; & ad Capucinos vberiori eleemoſynarum copia accurriſſe. Quo fiebat, vt & apud ſuos omnia penuria laborarent, & ſæculares homines nouæ illius Reformationis aſpectu à ſuis abducti, ſpiritualium colloquiorum, Prædicationum, Confeſſionum ſuffragiis, atque aliis ſpiritualibus ſolatiis, quæ iis antea adminiſtrari ſolebant, maximo, ac communi detrimento carerent.

*Generalis Miniſtri de Obſeruantia contra Capucinos, Acta.*

XIV. Addebat præterea, Noua hac Capucinorum Reformatione Prælatorum Ordinis non parum auctoritatem minui, ac etiam deludi: Cùm ij, qui ob delictum aliquod iure à ſuis Superioribus caſtigandi erant, vt iuſtam punitionem effugerent, ſtatim ad Capucinos ſub Reformationis prætextu migrarent. Illi verò cùm vniuerſos abſque diſcrimine reciperent, non hominum Reformatorum Congregationem; ſed turpem omnium improborum, ac flagitioſorum aſylum, ac lernam conſtruerent. Poſtremò tam ignobilem, tamque indignam leuiſsimorum hominum nubem Eccleſiæ Dei prorsùs inutilem, imò tenebras offundentem; diſpergendam, nedum ferendam eſſe clamitabat.

XV. His ſimul conglobatis rationibus, ex quibus aliquæ nonnullam veri ſpeciem præſeferrent, ac tot effuſis clamoribus Generalis plurimorum Cardinalium, ac aliorum illuſtrium Virorum, qui Obſeruantium partibus fauebant, ita aures oppleuerat, vt hæc ad Pontificem perlata, atque à potentioribus Viris Obſeruantium fautoribus ardentiùs apud eum exaggerata, nonnihil illius animum commouerint.





XV. Hæc vbi Ludouico perſpecta fuêre, mox ex aduerſo in acie ſtare, ac Generalis Miniſtri tela ſapiẽtioribus rationibus retundere, ac retorquere parat: Quamquã enim Ludouicus tenui literarum peritia præditus eſſet; plurimùm tamen ingenio, ac ſolertia præſtabat; eamque in agendis prudentiam præſeferebat: vt res ipſas tametſi arduas, ac difficiles etiam pro dignitate tractaret. Pugnabat igitur oppoſitis rationibus, ac reſponſionibus Ludouicus, quibus ſingillatim à Generali Miniſtro obiecta diluebat. Quod enim de illius in toto Ordine auctoritate, & primatu primo loco obijciebat, multiplici ratione refellit. Etenim in primis (aiebat) cùm Primatum hunc plerique haud vulgaris doctrinæ homines, ex non vſu ſublatum, atque antiquatum affirment: quid de eo ſentiendum ſit, conſultò prætereo. Amabo? An non qui ſupremum hunc in Ordine primatum ſibi vendicat, priùs legitimum ſe Generalem Miniſtrum; & iuxta Leonis X. Conſtitutionẽ legitimè electum oſtendere debet? Leonis autem Conſtitutio ſic habet: *Electio verò Miniſtri Generalis fieri debeat à ſolis Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus Reformatis.* Tum paucis interiectis. *Volumus, & etiam ordinamus, quòd nullus Frater poſſit eligi in Miniſtrum Generalem, niſi vitam ducat reformatam, & pro Reformato à Communitate Reformatorum habeatur. In præfata verò obiectione Miniſtri Generalis nullus penitus vocem habeat niſi reformatus, & pro reformato à Congregatione Reformatorum habeatur. Quòd ſi in futuro quicquam in contrarium attentatum fuerit, irritum penitus, & inane habeatur.* Iam verò (aiebat) Miniſter Generalis perpendat; num is à ſolis Miniſtris Prouincialibus, ac Cuſtodibus reformatis iuxta Leonis X. Conſtitutionem electus fuerit: ac præterea num is Reformatus inter Reformatos vitam ducat. Quòd ſi veritate ipſa vndique apertè reluctante, id minimè oſtendere poteſt, (neque enim vnquam reformatus fuit, aut à Reformatis eam Generalis Miniſtri dignitatem eſt adeptus) ſciat profectò ex Pontificis Decreto ab omni ſe huiuſmodi Primatu, ac poteſtate excidiſſe. Huic & aliam cognatam rationem addebat. Cùm enim id ex Pontificis Conſtitutione perſpectum ſit, eum Generali Miniſtro in toto Ordine Primatum, ob Regularem duntaxat Obſeruantiam, à Pontifice delatum fuiſſe; quo pacto, ea tam in capite, quàm in membris dilapſa, integer illi eſſe poteſt? At neque vllum iuriſdictionis, aut coactiuæ poteſtatis ius in Capucinos illum obtendere poſſe, inde perſpicuè oſtendit; quòd Capucinorum Religio ab Obſeruantium ſubiectione, ad Minorum Conuentualium obedientiam, Apoſtolico Diplomate tranſlata fuerit. Quo fit: vt ab eo omnis prorsùs coactiua poteſtas, qua Capucinos ſibi ſubijcere valeat, ſublata ſit. Neque id ab eo grauiter ferri debere proprio exemplo demonſtrat: cùm & ipſa Obſeruantium Reformatio in Concilio Conſtantienſi à Min. Conuentualium iugo, eadem planè ratione liberari popoſcerit, atque impetrauerit, qua, & ipſi ab Obſeruantium poteſtate eximi poſtularunt: ne ſcilicet in iis, quæ ad Regularem obſeruantiam ſpectant, ab iis damnum aliquod, ſeu detrimentum paterentur. Quo fit, vt nec grauè, nec minùs legitimum, id illis videri debeat: ſi quod illi priores præſtitêre, ipſi iis Auctoribus, ac Magiſtris faciendum didicerint.

*Ludouicus Miniſtri Generalis rationes retundit, ac diluit.*

Leo X. Bulla quæ incip. Ite & vos.

*Qui Generalis Ordinis Minorum, Miniſter legitimus ſit cenſendus.*

XVI. Hinc vniuerſa illa Conſectanea, velut arenoſo iuriſdictiuæ poteſtatis fundamento innixa, ruere; & ad ſolum vſque proſterni: tametſi ea nec ſeorſim examinata vllo veritatis pondere conſiſtere valeant, apertè demonſtrat. Neque enim legitimum conſectaneum eſt: vt ſi Ordo ab Inſtitutoris habitu deflexit: Reformatio, quæ ad illius reſtitutionem tendit, cum Ordine in eandem habitus corruptionem conſpiret; vt totum Ordinis Corpus homogeneum ſeruetur. Quemadmodum nec rectè conſequi cenſeretur, ſi Ordine à Regulari Paupertate dilapſo, ac proprium poſſidente: Reformationi idcirco præceptum eſſet, vt ab ea paupertatis corruptione haud recederet; ne totius Ordinis vnitas, ac homogeneitas diſcinderetur. Tunc enim præſtat Reformationem Hetherogeneam, atque à toto Ordinis corpore diſſimilarem conſtitui: vt vel ea à totius corruptione incolumis ſeruetur; quàm homogeneam cum toto corpore corrumpi. Quod cùm ita ſit,

*Generalis Miniſtri contra Capucinos obiecta diluuntur.*

*Capucinorũ Reformatio cur Ordini Hetherogenea, ac diſſimilaris.*

id maximè in Capucinorum Reformatione locum habet; quæ cùm extra Obſeruantium Ordinem, Apoſtolica auctoritate emerſerit, Ordinis vnitatem neque augere, neque minuere vllo modo poteſt. Quòd verò quadratum Caputium non è ruſtico illo ſago, ſed ex ſolida, & conſtanti Beati Patris Franciſci Inſtitutione prodierit, pluribus argumentis, tũ ex Regulæ penetralibus, tũ ex antiquis Reliquiarum, ac Imaginum monumentis hauſtis, facilè demonſtrat. At neque eos adeò in quadratum Caputium inuehi debere ſubiiciebat, cùm eo Obſeruantium Ordo ſe diſcrimine à Capucinorum Reformatione ſecernat. Cùm enim ipſi Amadeos, qui inter eos Reformatorum nomen ſibi vendicauerant; Calepodia deponere compulerint; vt ab eorum Familia ſigno aliquo dignoſcerentur: quid ipſi Capucinos infeſtant; qui quadratum Caputium, quo ab Obſeruantium Familia diſcernantur, ſibi deferendum eligunt? præſertim cùm illud ex Auctoris inſtitutione acceperint?

*Quadratum Caputium à calũnia vendicatur.*

XVII. Aliud porrò Conſectaneum, quo aduersùs Apoſtolicum Decretum id ſibi iuris competere obtendebat; vt ſuos à Reformationis ingreſſu impedire, atque ingreſſos reuocare poſſet, ad Apoſtolicum Tribunal examinandum refert. Interea nulla id ipſum ratione, præterquàm futili, ac vano quodam reſpectu aſſerere affirmat; quem ſilentio potiùs obtegere, quàm palàm declarare deberet. Ea namque ſcandala, quæ vel ex exiſtimationis, aut venerationis ſuorum diminutione, vel ex eleemoſynarum penuria erumpere contendebat, non ex Capucinorum conſpectu, aut vitio, ſed potiùs ex communi Ordinis macula manare oſtendit: quæ facilè amputari poſſent, ſi ad Regularem Obſeruantiam totus Ordo reuocaretur. Honor enim virtutem, velut vmbra ſequitur: atque his, qui perfectè Seraphicam Regulam colunt, ex Dei pacto piorum eleemoſynæ deeſſe non poſſunt. Fruſtrà verò Miſſarum, Prædicationum, Confeſſionum, ac colloquiorum ſpiritualium, apud ſuos iacturam, velut ſcandalum eum opponere affirmat; hæc enim cùm ex populi delectu, ac cuiuſque animo, ac pietate pendeant, nulli iuſtam querimoniæ cauſam præbent, ſi ab iis aliquando populus ad alios deflectat. Id verò eò minùs Obſeruantes Capucinis imponere debent; qui nec audiendis Confeſſionibus vacant: Et cùm Monaſteria ab Vrbibus remota, ac ſolitaria elegerint: Eccleſiáſque anguſtas habeant; in his minùs Prædicationi incumbunt.

*Honor, ac veneratio virtutem ſequitur.*

XVIII. Illud præterea, quod obiiciebatur. Ob Capucinorum Reformationem Ordinis auctoritatem minui, & flagitioſos quoſque inter eos indiſcriminatim recipi; ad examen, & rei veritatem prouocat. Cùm enim ex iis, qui eatenus ex Obſeruantibus, ad Capucinos acceſſerant, nemo infamis, nemo delicti reus, flagitioſus nemo eſſet, qui Ordinis diſciplinam effugeret; ſed omnes propriæ Reformationis ſtudioſi, omnes ad Regularem Obſeruantiam anhelantes, omnes virtutum æmulatores exiſterent; omnes denique vitæ probitate, atque integritate florerent: gratis id illis criminis loco impingi retorquet.

XIX. Poſtremò quòd Reformationem, velut infructuoſam, & Dei Eccleſiæ inutilem prorſus è medio tollendam inclamat, in eo non ſuum, ſed Dei ipſius iudicium, ac ſententiam expectandam eſſe, reſpondet. Is namque ſi Reformationis germen in Agro Dominico ſterile, ac infructuoſum eſſe deprehenderit, breui vel diuina virtute obtruncandum, vel ſuomet vanitatis pondere dilabendum eſſe, non dubitat. At ſi diuinum ea virgultum fuerit, à cæleſti Agricola plantatum: cùm Dei plantatio, nec ſterilis, nec infœcunda eſſe poſſit; fruſtrà illum omnes ſuas in eam vires exerere, atque omnes neruos intendere, ſeriùs monet, quos potiùs emarceſcere, ac euaneſcere oporteat, vt Dei voluntas, ac conſilium integrum maneat.

*Dei plantatio nunquam infructuoſa.*

XX. Dum res hac in altercatione verſarentur, Generalis, vt prætenſam iuriſdictionis in Capucinos poteſtatem poſſeſſione quadam firmaret; facti viam aggredi parat: ac geminas Reformationis Columnas, & inuictos Capucinorum Heroas ſibi infeſtos;





nimirum Ludouicum Romæ, Bernardinum verò Georgium in Calabria è medio tollere, ac carceri mancipare cogitat. Quapropter miſsis in Calabriam ad Prouincialem Miniſtrum literis, illum vbicunque id commodè, & abſque tumultu fieri poterit, detinendum iubet: ipſe verò Ludouicum Romæ ſub doloſa familiaris colloquij ſpecie, quod ſibi de rebus grauibus, ac iucundis, cum eo ineundum fingit, ad ſe per Fratres accerſit. Ludouicus eo nuncio accepto, quandoquidem ſub illo verborũ melle virus aliquod latere, haud leuiter ſuſpicabatur: rem cũ illuſtri, ac potẽti quodã Viro Religionis amiciſſimo, cuius nomen conſultò prætereo; opportunè confert: qui cùm ob auerſum Generalis animum, mali quidpiam inde Ludouico oriri pertimeſceret: illum protinus ab eo colloquio reuocare nititur. At Ludouicus veritus, ne ſi Generalis congreſſum recuſaret, is magis in Reformationem excandeſceret: hoc pacto cum viro conuenit; vt ſe quidem manè ad Generalem Miniſtrum conferret; quòd ſi ante meridiem ad ipſum non redeat, id certiſſimum ſignum fore ſciat, mali aliquid ſibi à Generali Miniſtro machinatum fuiſſe.

*Generalis Miniſter Ludouicum Foroſemp. in carcerem trudit.*

XXI. Hoc ita condicto, Ludouicus ſtatuto tempore Generalem Obſeruantium Miniſtrum adit: nec illum fefellit opinio: Generalis enim, cùm in Ludouicum manus iniicere, eúmque carceri tradere decreuiſſet; valida Fratrum manu ad ſe accita, aduentantem turbato aſpectu excipit: cúmque aſperrimis illum verbis obiurgaſſet, quòd noua illa Caputij forma tantas in Ordine procellas commoueret: extemplò illi violenter Caputium ab Habitu diſſui imperat, diſſutúmque ſumma indignatione à ſe longiùs proiicit, ac mille in illud conuitia iactans, Ludouicum mox in carcerem detrudi iubet.

XXII. Interea meridiano tempore elapſo, cùm Vir Nobilis Ludouicum iuxta condictum tempus minimè rediiſſe cerneret: oppidò illum à Generali detentum eſſe ratus, magna famulorum caterua ſtipatus ad Aræ cœli Conuentum, in quo tunc Generalis reſidebat, accedit. Ibi Generali Miniſtro accerſito: cùm ab eo, quid de Ludouico Foroſemproniano Capucino, quem eò acceſſiſſe nouerat, actum eſſet, percontaretur: Generalis, ſe Ludouici omninò ignarum præbet, factúmque omni ſtudio celare conatur. At Vir illuſtris Generali. Mihi (inquit) certum, ac liquidum eſt, Ludouicum huc non pridem adueniſſe: neque hinc deinceps egreſſum certo certiùs conſtat: Iam verò, quandoquidem cum eo graue mihi negotium peragendum eſt: vt illum huc aduocandum cures, etiam, atque etiam rogo. Generalis porrò factum diſſimulans, Ludouicum ſtatim inquiri iubet. Fratres quoque qui Generalem Miniſtrũ comitabantur, anxiam rei ſollicitudinem ſimulantes, Ludouicum mox, an in domo ſit, ſe explorare fingunt. At Ludouico nullibi reperto, Viro perſuadere conantur, illum è Conuentu abſceſſiſſe. Verùm is, cùm Generalis, & Fratrum ſimulationem animaduerteret, nonnihil excandeſcens, ait. Quid tot vobis ſtrophis opus eſt? Num viuum illum ſepulturæ tradidiſtis; vt inde erumpere nequeat? Eia quàm primùm mihi illum reddite, ne eum mihi mea vi, ac poteſtate reddã. At Generalis cùm ſe ſub dio agere, ac factum Virum non latere cerneret: illius maximè potentiam veritus, illicò Ludouicum accerſiri iubet, ac vinculis ſolutum Viro reſtituit: hoc pacto Generalis Miniſtri conſilio deluſo, Ludouicus liber ad ſuos redit: Atque hæc quidem erga Ludouicum, Romæ acta feruntur.

*Ludouicus à potenti Viro è carcere liberatur.*

XXIII. Bernardinus autem, dum hoc ipſo tempore Siculas oras peragrat, Meſſanã venit: vbi cùm nulla Capucinorum Conuentus, necdum fundamenta iacta eſſent; ad Minores Obſeruantes, velut familiares, hoſpitij cauſa diuertit. Iam Generalis Miniſtri eò edictum de ipſo in vincula coniiciendo peruenerat. Quamobrem Guardianus eam temporis opportunitatem nactus, illum comprehendendum curat, comprehenſúmque in carcerem trudit. At qui hominum conſilia diſſipat, quæ aduersùs cæleſtè conſilium pugnant, Generalis quoque Miniſtri, & Guardiani cogitationes à recto iuſti tramite aberrantes diſpergit; Bernardinúmque velut miraculo è carcere liberat.

*Bernardinus Georgius Meſſanæ Generalis iuſſu in carcerem detruditur.*

Erat Carceri, in quo Bernardinus detinebatur, feneſtra, qua nemus Monaſterio coniunctum ſpectari poterat: ad eam Bernardinus accedens cùm oculos in ſyluam intenderet; en adoleſcentem rufum, aſpectu, formáque pulcherrimum in nemore videt, qui arcu venatorio aues huc, atque illuc perſequi videbatur: Quem Bernardinus ad ſe vocatum, interrogat; num Epiſtolam ad Regni Proregem illi deferre lubeat? Extemplò ille, ſe id perquam lubenti, prolixóque animo facturum: quin etiam calamum, chartam, ac cætera quæ neceſſaria eſſent, adminiſtraturum reſpondet. Mox quotquot opus erant, illi oppidò ſuppeditatis, Bernardinus ad Proregem ſcribens, eidem de iniuſtis vinculis, quæ illi apud Obſeruantes acciderant, per literas ſignificat. Adoleſcens verò Epiſtola accepta, actutum ſe proripit, ac velut ex illius oculis euaneſcit. Eo tempore Prorex Secretiori Conclaui incluſus, literarum ſcriptioni ſolus vacabat, cùm epiſtolam ſibi ante oculos ex alto in menſula cadentem aſpectat. Mirabatur Prorex quo pacto, quóve Auctore illa tunc Epiſtola eò dilapſa eſſet; rémque altiori Dei cōſilio tribuens Epiſtolam legit, factum agnoſcit, rem perpendit, diuinúmque conſilium animaduertens, vix epiſtola perlecta, ne interuallo quidem facto, ad Obſeruantes gradum feſtinat: quos vbi acriter increpauit, quòd erga Virum probum, atque omni virtutum genere ornatiſſimum immodeſtè ſe geſſiſſent, Bernardinum illicò è carcere liberari poſtulat. Stupent Fratres, qui rem cunctis catenùs ignotam Proregi innotuiſſe audiunt. Bernardinúmque nulla interpoſita mora ſoluunt, ac Proregi reſtituunt. Qui cùm à vinculis liber à Prorege quæſiuiſſet: quiſnam ſuam illi Epiſtolam reddidiſſet: A nemine (inquit) Epiſtolam accepi; ſed ea ab inuiſibili manu, ad me in Conclaui allata fuit; factúmque vti acciderat, narrat. Agnoſcit tunc primùm Bernardinus ſupernum diuinæ clementiæ munus, ac cœleſtis Nuntij, ſub Adoleſcentis illius ſpecie, Miniſterium intelligens, qui Epiſtolam Proregi inuiſibiliter reddiderat: inde impenſiùs Deo gratias agere cœpit, qui Angelum è Cœlo ipſi Tabellarium miſerat, vt liberum è carcere dimitteret.

*Bernardinus haud ſine miraculo à Carcere liberatur.*

XXV. Porrò inter alios, qui à Ludouico Foroſemproniano miſſi, Reformationem hoc anno apud Apulos diſſeminarunt, vnus fuit Fr. Tullius à Potentia, qui ex Minor. Conuentualium familia anno 1530. ad Capucinos migrauerat. Hic vniuerſas illas Lucaniæ, Apuliæ Peucetiæ, & Dauniæ, Salentinorúmque Regiones, Euangelica Prædicatione percurrens, nonnulla Monaſteria extruxit. In his priora fuêre, ex aliquorum ſententia, Monaſterium Tarenti, & Aletij, apud Salentinos: quanquàm alij Conuentum Potentiæ apud Lucanos præceſſiſſe affirment. His poſterior fuit Grauinæ Conuentus, à Duce Vrbis Domino, poſt Principis Salernitani à fide apoſtaſiam à fundamentis erectus, anno 1535. vel 1536. vti nobis ex duplici teſtimonio conſtat. Alij tamen ſunt, qui Grauinæ Conuentum his priorem fuiſſe autumant: quibus haud reluctari lubet: vt ſua cuique veritas integra ſit.

*F. Tullius à Potentia in Apulia. Dei verbum diſſeminat, ac Conuentus ædificat.*

XXVI. Hîc verò obiter indicandum eſt, Apuliam Peucetiam, Lucaniam, & Salentinos Populos in vnam olim coâluiſſe Prouinciam, quæ S. Hieronymi appellabatur. At percrebreſcente Fratrum numero, ac multiplicatis vndique Monaſteriis; quæ vna erat, in tres deinde Prouincias diſſecta fuit: ita vt vnam Peucetia, alteram Lucania, tertiam ſibi Hidruntina Prouincia vendicauerit.

*Ferrariæ Cōuentus ædificatio.*

XXVII. Per id tempus F. Benedictus Senenſis celebris huius tempeſtatis Concionator, à Ludouico Foroſemproniano miſſus, Ferrariam, Vrbem Ducali titulo, & Epiſcopali dignitate illuſtrem, toto Quadrageſimali tempore, tanto Vrbis applauſu; támque ingenti omnium vtilitate, diuino Verbi ſemine perfundit: vt hinc Vrbis Proceres commoti, vix abſolutis Concionibus, primum illi in ea Ciuitate, in vico, qui Calafaſſorum nuncupatur, ad Conuentus ædificationem, locum conſtituerint: in quo prima Bononienſis Prouinciæ fundamenta iacta. Veruntamen cùm tanta eſſet loci anguſtia, vt integræ Familiæ capiendæ non ſufficeret: haud multò tempore elapſo, in alium deinde locum, qui Boſchetum appellabatur, migrant. Poſtremò

anno



anno 1612. ex ſingulari huius Vrbis, ac præſertim Entij Bentiuolij in Capucinorum Ordinem beneuolentia, ac pietate; aliud à fundamentis Monaſterium, ſolemni totius Vrbis concurſu, ac gratulatione erigitur: in cuius fundamentis Spinula S.R.E. Cardinalis, qui eo tempore Apoſtolici Legati in eo Ducatu munus agebat, ob plurimum illius in Noſtros ſtudium, primarium lapidem ponit.

XXVIII Fuit hæc Bentiuoliorum ſtirps inter nobiliſſimas Ferrarienſium Familias bello, & pace illuſtriſſima: Cui Capucinorum Religio, tum propter huius Conuentus Fundationem, tum etiam ob inſignem pietatem, ac munificentiam, qua & olim, & etiamnum Noſtros proſequitur: atque inter eos Guido Bentiuolius S.R.E. Cardinalis, cuius ſingularis in Ordinem beneuolentia omnibus perſpicua eſt, plurimùm debet.

*Bentiuoliorū Familia illuſtris, & erga Capucinos beneuola.*

XXIX. Hoc denique anno, Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli decollati, qui vulgò Barnabitæ nuncupantur, Bartholomæo Ferrario, & Antonio Maria Preſbyteris Auctoribus in Diœceſi Mediolanenſi, ad commune Eccleſiæ commodum, inſtituta fuit; & à Clemente VII. confirmata, Bulla, quæ incipit: *Vota, quæ per Vos* &c. Data Bononiæ die 28. Febr. quam deinde poſteriores Pontifices, Paulus III. Iulius III. Gregorius XIII. & Sixtus V. variis facultatibus, & Conſtitutionibus illuſtrarunt.

**ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.**
**1534. II. 16. 10.**

I. ANNVM hunc milleſimum quingenteſimum trigeſimũ quartum quamplurima, quæ illũ comitata ſunt mala, lugubrem proculdubiò nouæ Capucinorũ Religioni reddidiſſent; niſi ineffabilis illa Dei Opt. Max. bonitas, ac clementia, quæ illius ſedulò incolumitati inuigilabat, ea maioribus, ac potioribus (quod illi familiare eſſe ſolet) bonis compenſaſſet; & quæ illi ad occaſum parabantur, ad ampliorem ipſius incolumitatem, tranſtuliſſet. Generalis ſiquidem Obſeruantium Miniſter, qui in illius necem, ac interitum ardentiori, quàm par eſt, Zelo conſpirauerat, cùm omnia ſua conſilia, ac conatus eò minimè attingere poſſe conſpiceret; vt Capucinorum Reformationem ſibi maximè inuiſam proſterneret, ac ſolo æquaret: poſtremum cogitat arietem admouere: quo eam, quam tot machinis hactenus diruere non potuerat, nouo tandem ac funeſto conſilio euertat. Idcircò ad pleroſque Orbis Chriſtiani Reges, ac Principes, quos Ordinis ſtudioſiſſimos nouerat, epiſtolas ſcribens, ſummas apud eos querimonias aduersùs Capucinos, velut Religionis hoſtes, ac perturbatores mouet: à quibus antiquum Obſeruantium Ordinem, toti Orbi venerandum collabefieri, proſterni, deleri, & ad exitium, & vaſtitatem vſque vocari; ab iiſque falſa ſub Sanctitatis, ac Regularis obſeruantiæ imagine, deluſum Pontificem Ordinis excidium non curare, réſque in dies in peius dilabi, ardentibus, compoſitíſque verbis inculcat. Quamobrem eorum opem ad Religionis præſidium implorat: vt literis ad Pontificem conſcriptis, cum eo vehementiùs agant: vt antiquum Ordinem tot virtutibus clarum, ac Virorum Sanctimonia inſignem; integrum, ac ſartũtectum ſeruet: nouam autem illam Capucinorum Reformationem, ſolo nomine gloriantem, quæ Ordinem conturbat, ac peſſumdat, Apoſtolica auctoritate deleat.

*Generalis Obſeruantiũ Miniſter aduersùs Capucinos ſuis literis Chriſtianos Principes excitat.*

II. Epiſtolas porrò acriori hoc ſtylo exaratas, Generalis ad Prouinciarum Miniſtros Principibus quàmprimùm reddendas mittit, atque, vt ſua quique ore tenus apud Principes ad id opportuna officia præſtent: eorum verò ad Pontificem reſſcripta ad ſe quàmprimùm tranſmittenda curent, ſeriùs monet. Dum igitur Prouinciales Miniſtri in eo egregiam, ac fidelem operam nauant, Incomprehenſibilis illa Dei Sapientia, quæ Reformationem non tam ab interitu vendicare, quàm aduersùs Inimicorum tela munire decreuerat: vt pauidam ac nutantem confirmaret, atque inter imminentes procellas in meliorem futurorum ſpem erigeret: plurimorum, qui in Obſeruantium Ordine prudentia, ac conſilio præcellebant, Reformationiſque ſtudium, ac propoſitum eouſque in mente aluerant, animos permouit; vt Capucinorum Reformationi ſeſe adiungerent. Hi tametſi ab initio propenſum erga Capucinos, quos veros Regularis Obſeruantiæ cultores nouerant, animum gererent, libentérque illorum vitæ inſtitutum amplexi fuiſſent: attamen cùm eam Reformationem vndique grauiſſimè oppugnatam, omníque eorum virorum virtute deſtitutam cernerent, qui illam ſuo conſilio, ac prudentia à lapſu vendicare poſſent; eam diu ſubſiſtere non valere; ſed breui omnino dilapſuram exiſtimabant. At verò cùm eam magis inter perſecutiones efflorefcere, atque humanis prorſus viribus exhauſtam, aduersùs horribilem totius Ordinis tempeſtatem in ipſam commotam, immobilem ſtare prudenter ſecum animo perpenderent: Dei in ea opus agnoſcentes illicò dexteras dare, atque in eam adſcribi feſtinant. Atque ita diuino conſilio factum eſt, vt ex omnibus ferè Ordinis Prouinciis, in huius anni exordio, illuſtriores ex Obſeruantium Familia ad Capucinos tranſierint; ex quibus aliquot enumerare lubet. Primùm igitur ex Romana Prouincia Fr. Bernardinus

*Illuſtriores Patres de Obſeruantia ad Capucinos migrant.*





**ANNVS CHRISTI. CLEM. VII. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.**
**1534. II. 16. 10.**

Aſtenſis, qui ſuperiori anno Procuratoris Generalis officio apud illos functus fuerat: Vir planè admirabilis, prudentia, ac vitæ Sanctimonia illuſtris, primus ad Capucinos accedit; & cum eo F. Franciſcus Surianenſis inſignis Verbi Dei Concionator. Ex Prouincia Ethruriæ F. Hieronymus à Monte-Politiano, F. Dominicus Bononienſis, & F. Iacobus Cetonenſis, ad Capucinos migrant. Ex Prouincia Vmbriæ F. Franciſcus Aeſinus tandem ſe noſtris adiungit; qui cum Reformationis inter Obſeruantes Bullam anno 1531. à Pontifice impetraſſet, in Vmbriam reuerſus à ſuis eſt in vincula coniectus; quemadmodum eo anno dictum fuit: verùm à vinculis liber, cùm nullum inter eos Reformationi locum eſſe animaduerteret, ad Capucinos euolat. Quem ſecuti ſunt F. Ioannes Baptiſta à Nurſia, F. Ludouicus à Fulginio, F. Petrus Tudertinus, & F. Iuſtinus Panicalenſis. Ex Prouincia Bononiæ, F. Bartholomeus à Foro Iulij, & alij quàm plures. Ex Prouincia Mediolanenſi, F. Euangeliſta, F. Franciſcus, vterque à Canobio, & F. Petrus Bergomenſis, Viri omnes virtute inſignes. Alij quoque quamplurimi ex Prouincia Genuenſi, & Veneta tam copioſè hoc anno ad nos confluunt; vt ex nonnullis Prouinciis quadrageni interdum emergerent, & ad Capucinos migrarent. Quo fit, vt cùm hæc Fratrum Obſeruantium commotio tam mira, ac prodigio ſimilis eſſet, vt nulli humanæ prudentiæ, aut conſilio adſcribi poſſet: procul dubio à Deo profecta cenſeretur; vt fluctuantem Reformationis cymbam melioribus vndique Nautis aduocatis, aduersùs futuram tempeſtatem communiret.

*Eorum cathalogus texitur.*

III. At res prorſus admiratione digna fuit, quæ in hoc anni principio, Ioanni à Fano, nuper Marchiæ Prouinciali Miniſtro, diuino planè conſilio accidit: qui cùm ad id vſque tempus acerrimus Capucinorum hoſtis extitiſſet, alteriuſque Sauli inſtar, ſtudium omne, vim, ac laborem contuliſſet, vt naſcentem, & adoleſcentem Reformationem inter ipſa initia extingueret: ſuperno tandem lumine illuſtratus, Saulo exuto, in Paulum mutatur. Cùm enim excuſſa ſemel humani pulueris caligine, clariùs Capucinorum vitam, ac Regularis diſciplinæ inſtitutum contemplari, & cum lapſo Ordinis ſtatu comparare cœpiſſet: tum verò altiùs animo perpenderet, admirabilem huius Reformationis profectum, quæ nulla virtute conſtans, nulloque virorum præſidio ſuffulta, aduersùs conſpirantem totius Ordinis potentiam eatenus inuicta permanſerat: quin etiam quò acriùs perſecutionibus, premeretur, eò amplior, ac vegetior emerſerat: velut è graui ſomno experrectus, rem abſque diuino conſilio fieri non poſſe, ſibi altè in animum induxit; luceque è cælo illi affulgente, Dei tunc primùm illud opus eſſe agnoſcens, intimo illius animus dolore lancinari, ac præteritorum memoria grauiter ſauciari cœpit.

*Ioannes à Fano acerrimus Capucinorum perſequutor, ad Capucinos migrare parat.*

IV. Recolebat namque Vir prudens ſingula, quæ ab exordio aduersùs Capucinorum Reformationem mala machinatus fuerat; odia, minas, conuitia, carcerum oppreſſiones, perſecutionum turbines, publicas infamias, libellos, quibus eam tam acerbè inſectatus fuerat; vt nihil præter illius interitum, ſemper animo volutaſſet: in quibus tametſi animum haud omninò à recto alienum geſſiſſet: modum tamen, ac metam omnem exceſſerat; atque ea quidem ignorans, haud tamen innocens patrauerat. Hæc haud ſecus, quàm ſi in ipſam Dei Omnipotentis prouidentiam, ac S. P. Franciſci gloriam, quæ in huius Reformationis ortu maximè elucebant, ab eo impiè geſta eſſent, animo intimè deplorabat. Lugebat tot illata Fratribus damna, quos vel à Reformatione deterruerat, vel ab eius gremio reuocauerat; ſeque velut Dei, ac B. P. Franciſci hoſtem, nec non legitimæ eorum prolis perduellem, intimo animi gemitu accuſabat.

*Ioannis Faneſtris ob præteritas perſecutiones pœnitentia.*

V. Denique vt in eo illud Apoſtoli impleretur. *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit gratia: vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam.* Rom. 5. Tanto intrinſecus illius mens cæleſtis gratiæ ſplendore irradiata fuit: vt ſupremo ſibi Dei iudicio adſtare videretur. Vbi & vincula, & carceres aduersùs Capucinos congeſti, & impetrata Diplomata, & armatæ lictorum Familiæ in eos coactæ;

*Dei Iudiciũ ſibi ante oculos ponit.*

& epiſtolæ, & calumniæ, & ſcandala iis falsò impoſita; & contumeliæ, & edita volumina, quæ in illos coaceruauerat; contra ipſum ſtare, ac ſuos ante Dei Tribunal in eum clamores edere, ac niſi integrè diuinæ Iuſtitiæ pro illatis damnis ſatisfaceret, & feſtinato ipſius Reformationis amplexu præteritas maculas abſtergeret, diuinam in eum vindictam expetere, videbantur.

VI. Inter hos animi mœrores, & Spiritus ſancti afflatus, dum Ioannes diuinis conſiliis, ac monitis obtemperandum ſtatuit; & ad Capucinos, quos eatenus perſecutus fuerat, ſe transferre cogitat: accidit, vt ad Cinguli Conuentum, vbi tunc ipſe præſidebat, duo Capucini Fratres imbre madidi ſub diei cuiuſdam occaſum declinarent. Quibus cùm Ianitor aſperioribus verbis hoſpitium denegaſſet; Ioannes, qui in Clauſtro ianuæ proximo deambulabat, à Ianitore, quinam ij eſſent, percontans, cùm Capucinos eſſe intellexiſſet, eos introduci, ac charitatis officia illis exhiberi iubet. Dum igitur igne inſtructo, illi Habitus exſiccant, Ioannes ſecum tacitè Habitus illos hiſpidos, ac interpolos, antiquam B. P. Franciſci paupertatem, & auſteritatem referentes, vultus hilaritatis plenos, eorum in verbis humilitatem, in oculis modeſtiam, ac in toto corporis geſtu, religioſam venuſtatem, ac ſimplicitatem, contemplabatur: hoc ipſum & cæteri Fratres, qui eo conuenerant, pia admodum mente apud ſe verſantes, animo compungebantur. Poſt refectionem verò cùm ad ſua, cæteri cubicula pergerent; ſolus cum iis remanet Ioannes; qui diligentiùs illos de Reformationis ſtatu, de Regulari diſciplina, ac vitæ ratione, quæ apud Capucinos communis eſt, interrogat: quorum cùm certior ab iis factus eſſet: poſtremò ab ipſis diſcedens, Malo quodam vtrique oblato. Hæc (inquit) Fratres, poma grato animo accipite; donec meipſum feliciùs accipiatis.

*Ioãnes à Fano Capucinos Hoſpitio excipit, & alloquitur.*

VII. Mirabile dictu: tota illius Conuentus Familia adeò illo Capucinorum aſpectu commota fuit; vt omnes protinus ad Capucinos migrare decreuerint: perinde ac ſi duo illi, velut Cæleſtes quidam Dei nuntij, edictum ipſis transmigrandi è Cælo attuliſſent. Veruntamen cùm res in ſecreto cuiuſque duntaxat animo verſaretur: amicum quiſque tantummodò fidelem ſibi eligit, cui arcanum mentis ſuæ conſilium communicet: Hunc quilibet dum eiuſdem ſtudij, ac propoſiti ſocium offendit, mirum profectò, quòd quiſque ſingillatim ſeorſum à reliquis cum ſocio de diſceſſu condicit. Ioannes à Fano ſimul cum Euſebio Anconitano maximæ prudentiæ Viro, qui deinde apud Capucinos Generalis officio functus fuit, de acceſſu ad Reformationem pari conſenſu deliberant, alij alios ſibi ſocios adiunguur. Et quodam quaſi prodigio factum eſt: vt cùm nemo alterum in Familia, præterquam ſocium ſui conſilij participem haberet: omnes ſub vna nocte, diſtinctis tamen noctis horis, è Conuentu cum ſociis diſcederent; ac Romam versùs proficiſcerentur; itaut vix Senex quidam Laïcus domus cuſtos, abſque ſocio in Conuentu ſuperfuerit. Veruntamen diuinus ille Spiritus, qui ipſos & ab vtero matris, & ex Obſeruantium Familia ſegregauerat, vt in Reformationis ſinum adduceret: iterum illos admirabiliori planè modo Romam aduentantes colligit. Hi enim tametſi Romam diuerſo itinere profecti eſſent: Dei tamen Prouidentia factum eſt, vt vniuerſi ſub idem horæ, ac temporis ſpatium ad Conuentus S. Euphemiæ ianuam appellerent. Quamobrem ineffabile Dei conſilium admirantes vnà cuncti Domum ingrediuntur; & ad Ludouicum Foroſempronianum, Generalem Vicarium, vno animo pergunt.

*Obſeruantes miro modo ad Capucinos migrant.*

VIII. At quæ Ioannes Faneſtris hoc tempore, & dicta, & facta protulit; planè digna ſunt, quæ hiſce Commentariis inſerantur. Is namque cùm primùm ad Ludouicum acceſſit; ex templò ad illius pedes prouolutus, tot cœpit lachrymarum imbribus perfundi; atque ex ore ſingultus edere: vt & lachymarum fluctus, ac ſingultuum tempeſtas vocem penitus obruerent: itaut & Ludouicus, & qui præſentes aderant, ad fletum compellerentur. At vbi lachrymarum procella tantiſper ſedata ei

fandi



fandi aditum tribuit: protinus in has voces erupit.

IX. En, Ludouice, en ſæuientem nuper in mitiſſimum B. P. Franciſci gregem rapaciſſimum lupum, nunc ad Paſtoris ſui pedes proſtratum; cui iam non ampliùs ſæuiendi, ſed potiùs ſeruiendi, animus ineſt: neque lupi inſtar, oues depaſcere; ſed in ouem diuina virtute mutatus, ouibus copulari, ac cum iis Paſtori ſubdi depoſcit. Fateor, tot dentes in gregem acui, quot calumnias, quot minas, quot ſcripta, aduersùs eam congeſſi: ſed iam lupi feritate depoſita, dentes horreſco, & illata gregi damna mei ipſius dono compenſare paro. Ne, Pater, ne truculentum raptorem horreas: Nam qui hactenus ad prædam feſtinus tot Chriſto, ac B. Franciſco animas rapui, quot mea vi, ac conſilio ab huius ſanctæ Reformationis ſinu abſtraxi. Iam modò rapinarum finem facio; ac pro tot iniuſtis rapinis, ſumma Dei iniuria perpetratis, meipſum iuſtè rapiendum propono: vt qui tanquam leo aſcendebam ad prædam, præda factus inter agnos accumbam. Me fateor, me acerrimum ſanctæ Reformationis hoſtem, olim expertus es: qui cùm immortale hactenus cum ea bellũ geſſerim, ipſamque modis omnibus funditùs delere tentauerim, iam ex hoſte filius ipſius cedo triumpho; vltroque vinctas illi manus præbeo; vt qui antea eius gloriæ velut ſuperbus hoſtis inuideram, illius modo, tanquam ſubiectus, trophæum augeam. Quid plura? En impium tui, ac tuorum, ô Ludouice, Saulum, ac perſecutorem, quem & furias deſpumantem, & vincula, & carceres, & ſuprema olim funera minitantem acceperas. Iam, obſecro, non perſecutorem, ſed ex perſecutore diſcipulum recipe. E Cælo enim mihi iam non perſequendi, ſed parendi edictum delapſum eſt. Cæcus planè eram, & apertis oculis nihil videbam; cùm abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum, ſupra omnem modum, ac menſuram, filiorum Dei; & in rectis B. P. Franciſci ſemitis ambulantium generationem perſequerer. Sed cùm placuit ei, qui dicit de tenebris lumen ſplendeſcere, eum illuminare, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedebat: Ecce qui priùs blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus fui, iam miſericordiam à Deo conſecutus, Deum glorificaturus, accedo.

*Ioannes à Fano acta in Capucinos deplorat.*

*Ioãnes à Fano ex Saulo Paulus.*

X. Ecce igitur tibi ex lupo agnum, ex raptore captiuum, ex hoſte victum, & ex perſecutore diſcipulum: iube, impera quod vis: iam enim qui manum ad perſequendum armabat, aurem ad obediendum parat.

XI. Tanta porrò hæc dicta, vis lachrymarum comitabatur, vt & Ludouicus, & qui aderant Fratres, ſuper Ioannis collum procumberent; illudque mutuis lachrymis certatim perfunderent. At neque his contentus Ioannes, vt perfectam actorum pœnitentiam vberiùs teſtatam relinqueret; præteritorumque memoriam penitus deleret; ſimulque ſummum animi dolorem ſignificaret: in publico Fratrum omnium conſeſſu, ab omnibus genuflexus, præteritorum geſtorum veniam poſtulat. Quem cùm Ludouicus chariſſimè amplexatus, ac ſuauiſſimis verbis conſolatus eſſet: cunctos, nulla mora interpoſita ad Reformationis gremium recipit, ſtatimque eodem tempore ex Familia alter proprium habitum exuens, induendum Ioanni offert. Alij quoque cæteris habitus allati fuêre: quibus omnes contecti, velut fortium armatorum cuneum præſeferre viſi ſunt, quos Deus ad puſillæ Reformationis præſidium tanquam inuictos bellatores excitaret. Hinc noua tunc lux oriri, atque ingens in omnes lætitia effundi cœpit. At Ioannes vbi ſe Reformationis habitu amictum conſpexit, tam incredibili mens illius gaudio affecta fuit; vt neque oculos à fletu prohibere, neque vocem continere poſſet, quin in maximas, ob id potiſſimùm Dei laudes erumperet; quòd tandiu reluctantem ad Beati Patris Franciſci habitum, ac perfectæ Reformationis ſtatum, tandem compuliſſet.

*Ioãnes à Fano cum cæteris Congregationi aſſociatur.*

XII. Hîc mihi cum Apoſtolo diuinorum iudiciorum magnitudinem admirari, atque exclamare liceat. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Quis Ioannem tanta animi tempe- Rom. 11.

ſtate,

ſtate,tamque dirè in Capucinos nuper furentem conſpexiſſet,qui cùm lupum vbique ouibus inſidiantem videret; Agnum vnquam inter Capucinos futurum ſuſpicaretur? Et cum Saulum in Reformationem laxis habenis debacchantem audiret: Paulum in Reformatione expectaret? Hæc Dei conſilia ſunt hominibus planè inexplicabilia. Hic ineffabilis ille diuinæ mentis ſenſus, quem nemo vnquam ſuo ingenio aſſequi potuit. Dei opus eſt,quod admirari potiùs,ac ſuſpicere: quàm temerè inſtigare cuilibet præceptum eſt. Quanquàm,vt ex Paulo licet colligere, mali ignorantia non parum Ioanni contulerit; vt Dei miſericordiam conſequeretur. Eò verò Dei conſilium ſpectaſſe, vt tanti Viri virtute,ac prudentia Capucinorum Religio inter hæc ſui ortus primordia fulciretur, ipſa deinceps rerum experientia non obſcurè docuit: cùm enim in magna rerum neceſſitate ad diuexatã, ac propè labentẽ Reformationẽ acceſſerit;eius non modò luctibus,ac funeribus ſua virtute occurrit,ac nutantẽ ſuo conſilio confirmauit;verùm,& deinceps omnia ſua ſtudia, ac labores ad eius dignitatem,& gloriam ita contulit,vti fuſiùs poſthac demõſtrabimus,vt inter illuſtriores huiuſce Religionis columnas, ac propugnatores meritò adnumerari debeat.

*Inexplicabilis Dei Sapientia in Ioannis Conuerſione aſſeritur.*

XII. Hoc igitur tot illuſtrium Virorum aduentu, cùm Capucinorum Religio velut tot facibus illuſtrari,ac tot propugnaculis muniri cœpiſſet: inter tot Dei filios non longè poſt,nouus Sathan,ac tenebrarum filius apparuit. Bernardinus ſcilicet Senenſis ex Ochinorum Familia ſatus,hoc nomine,ac numero indignus; Hic cùm in Obſeruãtium militiam adſcriptus eſſet, poſt aliquod tempus fide abrupta,ac ſacro habitu dimiſſo,ad ſæculum rediens,aliquandiu Peruſiæ Medicinæ ſtudiis operam dedit: vbi Clementis VII.qui tunc necdum ad Eccleſiaſticas dignitates aſcẽderat, familiaritate coniunctus fuit. Rurſus tamen poſt aliquot annos inter Apoſtaſiæ ſcelera tranſactos, Ordinem repetens,cùm ingenio,ac ſagacitate plurimùm polleret;in Generalibus Comitiis Definitoris Generalis,poſthæc dignitatem obtinet.At Generali Miniſtro morte ſublato,cùm Bernardinus Generalatus dignitatẽ, quam ſummo ambitu appetebat,nulla ratione adipiſci poſſet; ad Pontificem, quo ſæpè familiariter vti ſolebat confugiens, eidem æſtuãtem illius honoris ſitim ſibi animo incumbentem,aperit. At Pontifex grauiter ſtomachatus, quòd turpem ambitioſi animi maculam prodere haud veritus eſſet: eo cõfeſtim à ſe depulſo:Ordinis mox Electoribus interdicit,ne Bernardinum Generalem eligant.Bernardinus verò cùm ſe, & à Generalatus honore reiectum, & ſuam apud Pontificem fidem labefactatam eſſe cerneret: vtrumque inſtaurare curat. Quapropter conſilio ſecum inito, ad Capucinorum Reformationem euolare ſtatuit; vt & ſe apud Pontificem vitio omni animum exuiſſe, oſtenderet, & cùm primis Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimũ eſſe declararet:tũ verò eam ſibi inter Capucinos doloſa hac virtutis imagine (vt putatur)exiſtimationẽ cõpararet, qua ſũmos apud illos ſibi honores aucuparet.

*Bernardini Senenſis inter Obſeruãtes ambitio.*

XIII. Hac ſpe fretus Pontificem adit,propoſitúmque Reformationis oſtendens,ab eo enixè poſtulat,vt ſibi ad Capucinos tranſuolare liceat. At Pontifex, qui Pardi maculas haud facilè abſtergi nouerat; animúmque ambitionis tabe corruptum difficilè conualeſcere poſſe non ignorat; principiò illum ab eo conſilio reuocat: ob id potiſſimùm,quòd eum aliquando Reformationi pernicioſum fore dubitaret. Cùm verò propoſiti tenacẽ animaduerteret, iteratæ ſæpiùs poſtulationi tandem annuit; atque hoc pacto,qui aliquando hoſtis, ac doloris filius Reformationi futurus erat, in matris ſinu velut legitimus excipitur,ac omnium amplexibus ſalutatur.

XIV. Iam verò ob magnam eorum multitudinem;qui ex Obſeruantium Ordine præſertim,ad Capucinos quotidie ventitabant,noua Reformatio ad tercentorũ Fratrũ, & ampliùs numerum excreuerat: quamobrem Ludouicus,vt certam aliquam adminiſtrationis formã in Religione præſcriberet,aliquot illuſtriores vndiq; ex Prouinciis accerſitos Romã conuenire iubet.Qui cùm centeſimum,& quinquageſimũ numerum attingerent, publicam ad Septem Vrbis Eccleſias ſupplicationem inſti-

tuit:



tuit: in qua cùm omnes nudis pedibus incederent, tantamque interioris, ac exterioris hominis cõpoſitionem præſeferrent; vt in his nihil, niſi quod graue,quod modeſtum,quod pium, quodque cum virtute coniunctum eſt, ſpectaretur: atque ad nouum illud Religioſæ,non tam multitudinis, quàm virtutis ſpectaculum, tota ferè Romana Vrbs conflueret; homineſque tam eximia virtute præditos, omni veneratione dignos,exiſtimaret. Id ſanè mirum in modum Aduerſarios diſcruciabat,qui rem peiorem in partem accipientes, pium opus hypocriſi, ac ſimulatæ pietatis vitio adſcribere; paſſimque Hypocritas illos proclamare haud verebantur. Verùm quò plus ſtudij ad bonum Capucinorum nomen euertendum conferebant; egregiam illorum virtutem ad ampliorem profectum prouocabant: Summa quippe virtutis poteſtas eſt,quæ quò magis ad ima deprimitur; eò altius excreſcit; & cùm tenebris mergitur, tunc illuſtrior emergit.

*Publica in Vrbe Fratrũ Proceſſio inſtituitur.*

XV. Interea dum hæc Romæ ita aguntur,Prouinciales Obſeruantiũ Miniſtri,ad quos Generalis literas dederat, tam ſtrenuam, ac fidelem apud Principes,aduersùs Capucinos operam nauant: vt cùm iis Capucinorum nomen, ac Reformatio prorsùs ignota eſſet, facilè ab iis optatas ad Pontificem literas obtinerent; quas omni diligentia Romam,ad Generalem perferendas curant. Factumque eſt,vt vniuerſæ Regum,ac Principum Epiſtolæ,ex Hiſpania, Gallia, Germania, Polonia, Italia miſſæ, ſub idem ferè tempus ad Miniſtrum Generalem peruenerint: qui cùm iis ſe munitum videret,accitis vndique Cardinalium,atque aliorum,qui res Obſeruantium defendebant, præſidiis, ſupremo Capucinos bello aggredi parat. Idque primùm ſollicitè curat,vt Epiſtolæ omnes vno,eodemque temporis momento Põtifici reddantur; tum nulla mora interpoſita, qui ſuas partes tuebantur, ad Pontificem accedant, ſummamque ex Capucinorum Reformatione in Ordine,rerum perturbationem,ac periculum oriri,meliúſque rerum tranquillitati conſultum fore illi perſuadeant,exiguam illam, ac vix ortam Capucinorum Congregationem extingui, quàm ampliſſimum,atque antiquum Ordinem perire.

*Generalis Obſeruãtium Miniſter Callidè Pontificem in Capucinos excitat.*

XVI. Pontifex porrò lectis tot Regum,ac Principum Epiſtolis,ac præterea tot Potentiorum hominum,qui in Reformationis interitum conſpirauerant,ſermonibus,velut arietibus concuſſus,hæret in conſilij triuio: & quid illi in re tanta deliberandũ ſit,dubitatione æſtuat. Hinc enim non parum ſibi de Dei iudicio timebat; ſi tam ſanctæ Reformationis fœtum,qui Deo,ac Apoſtolica Sede obſtetricante,in lucem editus fuerat,quique in Dei Eccleſia tam præclaro virtutũ ſplendore,emicare cœperat; vix ortum ſuffocaret. Illinc totius ferè Chriſtiani Orbis,aduersùs eam conſpirationem(Necdum enim Generalis Miniſtri aſtum, atque operam perceperat.) ac præſertim tot Regum, ac Principum literas,haud leuiter extimeſcebat; quibus morem gerere ineuitabili quadam rerum neceſſitate compellebatur. Inter hos cogitationum fluctus,dum Pontificis animus collideretur; vndique ſibi naufragium metũens: ſepè ſecum his verbis conqueri auditus fuit. Heu quod ſcelus,aut quod huius Reformationis flagitiũ eſt;Cuius cauſa totus in eam Orbis cõmoueri debeat? noſq; velut iniuſtos illius Patronos ſuggillet?Quò mens, quovè ſtudiũ noſtrũ ſpectauit,cùm noſtra auctoritate ei fauere cœpimus? quàm vt Regularis Obſeruantiæ diſciplina,& Apoſtolicæ vitæ cãdor, qui in ea elucebat,in Dei Eccleſia inſtauraretur.At eam tolli,præſcindi,deleri volunt.Eſto:tollatur,præſcindatur, pereat.Quid amplius à nobis exquirunt? ſi propter eam hæc orta eſt tempeſtas,mittatur in mare, & quieſcant fluctus.

*Pontifex inter aduerſas cogitationes fluctuãt.*

XVII. Dum igitur communi illo omnium in Reformatione delenda conſenſu,in vnum conſpirante, velut ſupremo ariete deiectus Pontificis animus ad ipſius internecionem propenderet; iamque ad deliberationem vergeret:accidit hoc ipſo tempore,vt aëre ventorum vi repente concitato,ac nubibus obtenebrato,ingens è Cælo tempeſtas oriretur, fulgura horribiliter corruſcarent, mugirent tonitrua, totaque Vrbs horrendum in modum concuſſa, ſolo æquanda videretur; his Pontifex

*Pontifex in Capucinorũ interitum declinans prodigiis terretur.*

haud

haud leuiter perterritus, animo cogitare cœpit; num è Cœlo ſigna idcirco erumperent, quòd de Capucinorum Reformatione extinguenda ſecum conſilium iniiſſet: neque enim leuis poſt eam mentis deliberationem eum animi terror inuaſerat. Interea, dum hæc mente verſat; en tria horrenda fulmina eodem tempore è nubibus delapſa, pleraque Vrbis Templa, atque inter ea, Baſilicam Lateranenſem, Vaticanam, & S. Mariæ Maioris feriunt; quartum verò in Arcem ſancti Angeli deuectum; Angelum, qui in haſtæ faſtigio inſidere ſolet, medium diſſecat. Quæ cùm Pontifici relata eſſent, his plurimùm commotus exclamat: En Deus è Cœlo pro Capucinis pugnat: noſque, iratus ideò ſuis fulminibus diſſipat, quòd ad eos diſſipandos conſilia noſtra contulimus; tum ad Deum ſupplex conuerſus: Clementiſſime Deus, (inquit) iam vltrix ira tua quieſcat: en conſilium reuoco, quæque in eorum perniciem deliberata erant, retracto. Stent, valeant, viuant tua virtute, ac mea auctoritate incolumes. Mirabile dictu! Vix hæc Deo Pontifex ſpoponderat, cùm extemplò totus ille ventorum turbo diuina virtute diſſipatus euaneſcit, nubium caligo abſcedit, priſtinaque Cælo ſerenitas redditur: quibus magis Pontifex confirmatus, priori conſilio abiecto, Reformationem apud ſe incolumem ſeruare ſtatuit.

*Pontifex prodigiis perterritus conſiliū reuocat.*

Veruntamen cùm Aduerſarij fortiùs apud Pontificem inſiſterent; vt Reformationis Bullam Ludouico, ac Raphaëli indultam reuocaret; is reuocationis quidem nullam ſibi iuſtam cauſam ſuppetere, neque ab Apoſtolica Sede inſontes abſque cauſa damnari ſolere oſtendit. Attamen quòd ad Ordinis incommoda ſpectat, quæ inde oriri querebantur; iis ſe maturiùs proſpecturum pollicetur.

XVIII. Cogitauit hoc tempore Pontifex, vt nonnihil Principum, atque aliorum poſtulationi ſatisfaceret, exortamque tempeſtatem vtcunque ſedaret: Capucinos ad breue temporis ſpatium ab Vrbe expellere, quò faciliùs, qui Reformationi aduerſabantur; ex hac illorum ab Vrbe expulſione, quæ Pontificis animum ab his alienum præferebat; eos in toto deinceps Orbe extinguendos fore opinarentur. Cùm verò ob id non minores eorum, qui Capucinorum rebus fauebant, querimonias apud ſe excitandas eſſe non ignoraret: hinc Capucinos eo titulo in Vrbem deinde reuocandos decreuerat. Quòd verò ad Capucinos ſpectat, cùm eos ſingulari virtute præditos exiſtimaret; hinc aduerſam illam procellam, ac tentationem æquo animo, ac fortiter laturos eſſe ſibi perſuaſerat.

*Pōtificis edicto Capucinis ex Vrbe diſceſſus indicitur.*

XIX. Hoc itaque apud ſe conſtituto, Pontifex edicto præcipit: vt quotquot Capucini in Vrbe erant, ad vnius Candelæ ardentis tempus ab ea confeſtim abſcedant. Dies S. Marco Euangeliſtæ ſolemnis erat: cùm in ipſa prandij hora, Fratribus Capucinis in menſa conſedentibus, Apoſtolicum & peremptorium Sanctiſſimi Decretum perlatum fuit. Ludouicus porrò lecto publicè Decreto, breui Sermone vniuerſos ad eam Dei tentationem æquo animo, & patienter ferendam cohortatur: eo maximè argumento vſus, quòd Dei filios nonniſi tentationibus veros, ac legitimos probari oporteat; eam verò tentationem non ad interitum, ſed ad ampliorem Dei gloriam, ac Reformationis profectum profuturam eſſe non leuibus rationibus perſuadet. His vbi eos verbis conſolatus eſt, vt ſummam erga Pontificem obedientiam teſtarentur: illicò cuncti è menſa ſurgunt, & prandio intermiſſo, nihilque prorſus è Monaſterij rebus, præterquam Breuiaria, quibus Horas perſoluerent, ſecum deferentes: erecta Cruce, binique ordinatim incedentes è Conuentu, atque ex Vrbe egrediuntur; & ad S. Laurentij extra muros Baſilicam iter dirigunt. At verò cùm hic Fratrum extra Vrbem egreſſus intempeſtiuus eſſet; plerique, quibus Pontificis præceptum, necdum perſpectum erat, illius cauſam ſiſcitantes, haud aliud ab iis reſponſum accipiebant, quàm quòd tam graues peccatores erant, vt cùm tanta Vrbe digni non eſſent, ab ea meritò eiicerentur.

*Ex aduerſariis plerique Capucinorū Paupertate & ſimplicitate inſpecta, erga illos afficiuntur.*

XX. Interea tum è Pontificis Aula, tum ex ipſis illuſtrioribus Viris, qui Aduerſariis fauebant, quamplurimi ad Monaſterium aduolant: vniuerſaque in eo loca rimantes;





tes; cùm primùm in Refectorio, menſam abſque mappa nudam, ſolo mantili cuique Fratrum aſſignato ſtratam, in eáque nonnulla panis fruſtula, nihilque obſonij loco præter madefactum panem in tot teſtaceis ſcutellis miniſtratum, quot Fratres in menſa diſcumbebant, quem ad præſtandam Pontifici obedientiam, ex parte duntaxat exeſum reliquerant, reperiunt: in Promptuario, præter lecithum olei, ac nonnulla Alliorum, ac Cæparum capita; in Cella vinaria, præter vini lagenam, aut cucurbitam, nihil præterea obuium habent: Fratrum verò cellas perluſtrantes, cùm in his lectum, nudis tabulis ſtratum, vetuſta lodice opertum: in menſula ligneā Crucifixi Imaginem; vnum, vel alterum librum, ad res diuinas excitantem, ac pendens ad lectum flagellum, præterea nihil intuentur: denique nihil, niſi humile, ſimplex, atque altiſſimæ rerum Paupertati conſentaneum, vbique elucere cernunt: cùm ſua ſe opinione deluſos viderent, tam animo compuncti, atque ea rerum paupertate, ac plurima vitæ ſimplicitate ædificati, ad ſua redeunt: vt ex iis plerique, qui ſe graues euſque Capucinorum Aduerſarios præbuerant; mente, ac conſilio mutato, deinceps benè erga illos afficerentur, ac pro iis ſtarent. Atq; ita fit, vt perſpecta virtus, ipſos quoque aduerſos animos ad ſui amorem, & admirationem compellat.

XXI. Cùm igitur humilis illa Capucinorum Familia ad ſancti Laurentij Eccleſiam perueniſſet, Templúmque deuotiſſimè venerata, quonam pergere deberet, ignoraret; diuina planè Prouidentia factum eſt; vt ſacra illa Canonicorum Lateranenſium Familia, quæ ea Eccleſia, atque ampliſſimo ibi Cœnobio fruitur, illos ad hoſpitium cogeret; atque humaniſſimè exceptos, omnibus charitatis officiis proſequerentur. Nonnullis quidem viſum fuit, huius Cœnobij Patres Cardinalis cuiuſdam opera, qui id ab iis poſtulauerat, Capucinos hoſpitio excepiſſe. Attamen cùm antiqua ſemper fuerit huius Religionis erga Pauperes pietas, ac hoſpitalitas, beneuolúmque ab ipſis Reformationis incunabulis erga Capucinos ſemper animum geſſerit: id aliis potiùs perſuaſum fuit, eos non alio, præterquàm antiquæ pietatis officio, ac diuinæ Prouidentiæ conſilio permotos, ſtabile illis hoſpitium, quandiu ab Vrbe exularunt, præbuiſſe.

*Capucini ex Vrbe exeūtes à Canonicis Lateranenſibus, apud S. Laurentium extra muros excepti.*

XXII. Porrò Ludouicus repentinam hanc Pontificis mutationem, factúmque ſecum magnoperè admirans, qui cùm euſque ſe erga Capucinos beneuolo animo præditum oſtendiſſet, tam peremptorio edicto illos ab Vrbe expulerat, rei cauſam ignorans, plurima ſecum animo verſabat. Cúmque rem acu attingere, occultiſſimáſque facti huius cauſas animo aſſequi non valeret: clàm nonnullos Ordinis familiares, Viros primarios ſubmittit; qui Pontificis conſilium, ac mentem diligentiùs explorent. Id illi, cùm omni diligentia præſtitiſſent, réque diligentiſsimè explorata, clàm Pontificis conſilium olfeciſſent, Ludouicum, ac cæteros æquo animo eſſe iubent, nec quicquam illis pertimeſcendum eſſe affirmant; cùm Pontifex à priſtina erga illos beneuolentia non exciderit. Verùm id ita tempus occultiſsimas ob cauſas poſtulare; futurum autem, vt breui tempore in Vrbem communi omnium lætitia reuocentur, certa illis ratione perſuadent. Eo nuncio in meliorem ſpem erectus Capucinorum animus, qui ea calamitate conſternatus iacebat; in eo Canonicorum Regularium Cœnobio haud ſecus, quàm ſi in proprio Monaſterio degerent, vigiliis, ac orationibus vacabant; ac tanta aſsiduitate diuinis rebus incumbebant; vt illius Cœnobij Patres, vitæ auſteritatem, quotidiana ieiunia, diuturnas orationes, victus aſperitatem, honeſtiſsimam conuerſationem, humilitatis, modeſtiæ, ac cæterarum virtutum exempla in iis contemplantes, Viros ſanctos vbiq; in Vrbe prædicarent; eoſque apud omnes commendandi nullum vnquam finem facerent. Quod cùm ad multorum aures perueniret; eo fiebat, vt quāplurimi, qui ob eorum ab Vrbe eiectionē illos Ciuiū eleemoſynis carere, non ignorabant: neque aliunde ſibi victum emendicare poſſe intelligebant, vberiores ad eos eleemoſynas mitterent. In his veneranda Crucifixi Confraternitas eo tempore

*Capucini in meliorē ſpem aſsurgunt.*

*Confraternitatis Crucifixi Romanæ Vrbis erga Capucinos pietas.*

id ſibi pietatis opus præſcripſit; vt quotidianum, quandiu ab vrbe exularunt, Capucinis victum miniſtraret. Quamobrem Capucinorum Religio, vt tanti beneficij memoriam grati animi ſignificatione rependeret; ab eo tempore Confraternitatem in die Iouis ſancti ad Vrbis Eccleſias incedentem ſolemni Fratrum ſupplicatione ſemper proſecuta fuit. Tanta denique ob Capucinorum eiectionem (vbi illa innotuit) apud Vrbis plebem commotio accidit: vt publicè aduerſariis obijceretur: ſe idcircò Capucinos ferre non poſſe, quòd eorum vitæ ſanctimonia ipſorum maculas detegeret, ac ſuggillaret.

XXIII. Interea Ludouicus, captato hoc Vrbis exilio, nonnullos ex illuſtrioribus Patribus, qui ex Obſeruantium Ordine ad Reformationem acceſſerant, in varias Italiæ Prouincias, quas necdum Capucinorum Religio penetrauerat, mittere ſibi in animum inducit: vt in his Religionis ſemen propagandum curent. Atque inter alios Ioannem à Fano ad Venetorum, ac Mediolanenſium oras deſtinat; Bernardinum Aſtenſem Peruſiam, atque alios alias in Regiones tranſmittit: qui varias quemadmodum ſuis locis explicabitur, ſua patientia ac virtute Prouincias fundarunt.

*Catharina Camertium Ducissa erga Capucinos hoc tempore beneuolẽtia, ac officia.*

XXIV. Cum igitur expulſionis Capucinorum ab Vrbe rumor ſe vbique diffunderet, is breui ad Catharinæ Camerinenſium Duciſſæ aures peruenit: quæ cùm amantiſſimæ parentis inſtar Capucinorum Reformationem in animi ſinu teneret, incredibilique beneuolentia complecteretur; vix eo accepto nuncio, animo grauiter ſauciata, protinus omnem in tam graui ſuorum calamitate operam, ac ſtudium ad eos ſubleuandos conferre parat. Et quandoquidem id rei grauitas, ac periculum poſtulare videbatur; vt non literis, ſed præſentia cum Pontifice eo tempore illi agendum eſſet; quo res maiori in diſcrimine verſabantur: magiſque ipſa præſentia, quàm epiſtola prodeſſe poſſet: maturè Romam proficiſcitur; vt aduerſis, ac penè depoſitis Religionis rebus opportunè ſuccurreret, certámque illi in ſummo rerum diſcrimine fidem, ac beneuolentiam oſtenderet.

XXV. Porrò eodem quoque tempore Victoria Columna, quæ in Marini Oppido, quod quindecim fermè milliaribus ab Vrbe diſtat, tunc vitam agebat: cùm de Capucinorum eiectione ex Vrbe certo nuncio accepiſſet; tenero velut alterius matris affectu impulſa, primùm literis, dein Romam profecta verbo, ac præſentia cum Pontifice de Capucinorum in Vrbem reuocatione, ſimul cum Catharina Ciboa agere cœpit. Pontifex verò, cui huiuſmodi pro Capucinis officia haud ingrata erant; ſpem in dies maiorem pollicebatur.

*Victoria Columna pro Capucinis apud Pontificem laborat*

XXVI. Dum verò in hac rerum expectatione adhuc res Capucinorum ſuſpenſæ penderent: Brandanus quidam Eremita, Vir eximia virtute præditus, ac ſanctimoniæ opinione in Vrbe clarus; Vrbis vicos, ac plateas eo tempore circumiens, has vbíque voces inclamabat. Roma impudicos, pellices, adulteros, atque alia Diaboli mancipia fouet, & amplectitur: Dei verò ſeruos ex Vrbe eijcit. Roma fœneratores, pauperum expilatores, ambitioſos, ſuperbos, qui Vrbem ſuis vitiis labefactant, recipit: Sanctos autem Dei famulos, qui bonorum operum luce Dei Eccleſiam illuſtrant, è ſinu expellit. Roma facinoroſis, ſceleſtis, ac cuiuſcunque generis flagitioſis, qui Vrbem ſuis ſceleribus perdunt, fores aperit: at veris Dei ſeruis, qui Vrbi, & Orbi ſuis virtutibus lucent, quíque pro Vrbe orant, fores claudit. Veh tibi Roma, quæ Capucinos eijcis, & canes nutris. Veh tibi Roma, quæ Capucinos humilitatis Magiſtros horres; & marmoreas ſtatuas, quæ gentilitatem docent, & ad ſuperbiam conferunt, amplexaris. Has atque alias huiuſmodi voces per Vrbis vicos pergens, Prophetarum more vociferando fundebat; quas cùm per triduum inculcaſſet, his adeò Romanus Populus perterritus fuit, vt palàm in aduerſarios ſcommata, ac probra conijcerentur: ita vt cùm vix vllo loco apparere poſſent, ipſi deinceps cum Pontifice agerent, vt Capucinos ab exilio reuocaret.

XXVII. Sub id tempus Camillus Vrſinus, qui res Capucinorum tuebatur; cùm eos ex

Vrbe



Vrbe eiectos intellexiſſet, confeſtim Romam feſtinat; (neque enim inde longè aberat) & ad Pontificem accedens, publicum, ac commune Vrbis ſcandalum, ob Capucinorum eiectionem exortũ, tanta verborum vi, atque efficacia apud illum inculcat; vt eodem tempore Decretum de Capucinis in Vrbem reuocandis à Pontifice, (qui illud ſibi poſtulari expectabat) humaniſſimè tulerit; ea tamen conditione, vt non cateruatim, aut publicè ſub Crucis vexillo incedant; ſed bini tantùm, vel terni Vrbem priuatim ingredientes, ad ſua redeant. Vrſinus porrò Apoſtolico hoc Decreto potitus, ſtatim ad Capucinos aduolat; ac læto nuncio vberiori lætitia mœſtorum animos perfundit. Ij porrò vbi ſe ab exilio reuocatos accipiunt; vnà omnes in Eccleſiam conuenientes, communes Deo gratias reddunt, dieque ad occaſum declinante, iuxta Pontificis mandatum in plures diſſecti, ad proprium S. Euphemiæ Monaſteriũ reuertuntur. Hoc tẽpore Fr. Bernardinus à Collepetracio, Vir omnium virtutum laude clarus; qui vnus ex hiſtoriarum noſtrarum Scriptoribus fuit, & Fr Dominicus à Buſquero: Vir Sanctitate conſpicuus, velut geminæ Religionis faces, ex Obſeruantium Ordine ad Capucinorum Reformationem migrant.

*Pontifex Capucinos in Vrbẽ reuocat*

XXVIII. Cæterùm inter hæc Reformationis primordia, cùm ea necdum per Italicas oras dilatata, Capucini Fratres vbique ferè hominibus ignoti eſſent; iis pleraque paſſim incommoda acciderunt, quæ admirabilem eorum virtutem, ac patientiam oſtenderent. Contigit enim hoc tempore, vt cùm Fr. Petrus Apuenſis, ac tres alij Fratres ſimul è Piceno Romam proficiſcerentur, per Oppidulũ quoddã, quod Collisfloridus nuncupatur, in ipſo Apennino iacens, iter facerent: quos vbi Vir quidam nefarius, atque ad omne facinus audax conſpexit, à Dæmone excitatus, eos primùm conuitiis onerare, tum lato gladio cœpit percutere. Quod cùm illi patienter ferrent, eò magis augebatur hominis feritas, ac beſtialitas: itaut frequentiſſimè nunc vnum, nunc alterum verberans, illos ad tertium vſque milliarium probris, ac flagris proſecutus fuerit. Cúmque is tandem præ virium defatigatione ſubſiſtens, à verberibus abſtinuiſſet: omnes genuflexi pro eo Dominum rogant, atque vnà vocem efferentes ad Deum exclamant. Retribuere dignare Domine omnibus nobis mala facientibus, propter nomen tuum vitam æternam.

*Admiranda quatuor Fratrum patientia.*

XXIX. At neque minor aliorum hoc tempore in aduerſis perferendis conſtantia, ac fortitudo enituit: inter quos primi enumerantur, Fr. Gratianus à Nurſia, & Fr. Benedictus Bergomenſis, qui dum Nurſia Romam versùs proficiſcuntur, à Carſulanis capti, in cuſtodiam coniiciuntur: Porrò inter Carſulanos, ſeu Caſſanenſes, & Spoletinos populos eo tempore vehementiùs ciuilia bella graſſabantur: quo fit, vt cùm eos ſub veſte illis hactenus ignota, Vrbem ingreſſos, certos à Spoletinis Exploratores miſſos exiſtimarent; ſuſpendio mox enecandos decernerent. Eo verò ignem animis inſufflante, qui ſuo halitu Tartareas prunas ardere facit; in id tanto impetu, ac feſtinatione ferebantur; vt vix ab Vrbis Moderatore, quoad tortura priùs examinarentur, ab iiſq; oretenus ſceleris cõfeſſio erueretur, cohiberi potuerint. Inter hæc Fratres, inuicta quadã mentis patientia: velut lorica armati, fortes ac impauidi videbãtur: nihil præterquã Dei laudes ore præſeferentes: quippe qui ſũmæ voluptatis, ac gloriæ loco ducerent, vitam pro innocentia profundere. Quapropter cùm ab aliis interrogarentur; num Exploratores eſſent, à Spoletinis miſſi? Ipſi ſe vltrò Exploratoribus ſceleſtiores, ac deteriores profitebantur. Gubernatoris itaque imperio, quò faciliùs illis tormenta adhiberi poſſent, veſtibus nudati: vterque aſpero cilicio contectus apparet: quo ille aſpectu perterritus, cùm veſtibus diligenter exploratis, in his nihil, præter ferreũ flagellum, ac Regulę codex reperta fuiſſent; his certus, quòd non Exploratores; ſed veri Seraphicæ Religionis cultores eſſent, facti pœnitens, homines iuſtis honoribus afficit, ac contumeliæ macula humili excuſatione abſterſa, honorificentiſſimè dimittit. Qua verò id illi animi alacritate ſuſtinuerint: id ſanè perſpicuè indicat: quòd cũ ne verbulũ quidẽ ad ſui excuſationẽ protuliſsẽt, in eo potiꝰ gloriari videbantur, quòd digni habiti eſſent, pro nomine Ieſu contumeliã pati.


His

ANNVS CHRISTI. 1534. CLEM. III. 11. CAROL. V. IMP. 16. RELIG. CAPVC. 10.

*Aliorum Fratrum virtus in duris probata.*

XXX. His haud leuiora ſunt, quæ Fratri Ioanni Viterbienſi in Apuliam cum ſocio proficiſcenti, quò à Ludouico Generali Commiſſario, hoc anno miſſus fuit, ex Dæmonis tentatione acciderunt. Ij enim die quadam iter facientes, cùm in copioſum hominum equitatum incidiſſent; Vir, qui cæteris imperare videbatur, cùm primùm Fratres, qui eatenus illi ignoti erant, nouo illo habitu, ac Caputio indutos aſpexit; Errones, ac Manticularios exiſtimans, ſubſtitit; ac plurima illos ignominia inſectari cœpit. Quam cùm illi humili animo, ac patienter; immò & genua flectentes, exciperent; rem Vir Nobilis in peiorem ſenſum interpretatus, præter modum excandeſcens, ſeruis imperat, vt nudatos duriſſimis flagris cædant. Quod cùm illi ſeueriùs exequi parant, vix ſpoliatis veſtibus, cilicia, quibus operti erant, apparuêre; quæ vbi Vir ille illuſtris conſpexit, confeſtim animo mutatus, ac furore in ſummam animi pietatem, & compunctionem conuerſo, eo quòd non nebulones, aut manticularios, ſed veros Dei ſeruos eſſe conſpiceret, protinus ex equo proſilit, atque ante illos genuflectens, cum lachrymis facti veniam deprecatur.

XXXI. Hæc verò, atque alia quamplurima, quæ ſub ipſa Reformationis exordia, Fratribus acciderunt, (quæ nos conſultò ſilentio obtegimus, ne volumen excedat) partim à Cacodæmonum inuidia, quibus cùm noua Capucinorum Reformatio maximè inuiſa eſſet, ab ea nouos ipſius alumnos abſterrere adlaborabant: partim à Dei ipſius conſilio, ac ſapientia profecta creduntur; qui ſuos hoc tentationis genere probare, ac totam in eis Reformationem ad dura, atque aduerſa omnia toleranda erudire decreuerat.

XXXII. Cæterùm hoc anno, in quo Henricus VIII. Angliæ Rex, poſt Catholicam Religionem verbo, ac ſcripto propugnatam, ob Annæ Bolenæ coniugium, ac Catharinæ vxoris repudium, Schiſmate in Anglia concitato, à Pontificis obedientia, ac poſtremò à Fide deſciuit, maxima Dei in Eccleſiam, tum prouidentia, tum benignitas enituit. Nam hoc ipſo tempore prima illuſtriſſimæ Societatis Ieſu fundamenta iacta ſunt, Deo primùm, tum Sancto Ignatio Loyola Auctore, qui hoc anno ſex ſibi adiunctis Sociis, vt apud illius vitæ Scriptores videre licet, præcipua voti Religione Pontificis ſe obedientiæ adſtrinxit; vt quod in Rege, & Regno ceciderat, in ſancto, ac Apoſtolico Viro: atque in eius Societate reſurgeret.

*Sacra Ieſu Societas hoc anno inchoata.*

XXXIII Hoc quoque anno, Andreas de Valle, totius Ordinis Minorum Protector, cùm vſque ad Decimum ſeptimum annum, ea dignitate, ac munere dignè functus eſſet, pridie Idus Auguſti, Romæ diem extremum claudit: Cui in eo munere ſuccedit Franciſcus Quignonius Hiſpanus Card. tit. S. Crucis in Ieruſalem, ex Minorum Obſeruantium Ordine ad Cardinalitiam dignitatem, aſſumptus.

XXXIV Poſtremò tandem, hoc anno Clemens VII. cùm ad vndecimum Pontificatus annum perueniſſet, diem ſupremum obit, ſeptimo Kal. Octobris. Cui Paulus III. ex Farneſiorum Familia poſt ſecundum Conclauis diem, ſummo Cardinalium conſenſu ſubrogatur. Cuius Pontificis, tum in ſedandis Regum diſcordiis, tum in Eccleſia propaganda admirabile ſtudium, nec minor erga Noſtros animi propenſio, ac benignitas eluxit.

*Clemens VII. moritur, & Paulus tertius ſuccedit.*





ANNVS CHRISTI. 1535. PAVL. III. 1. CAR. V. IMP. 17. RELIG. CAPVC. 11.

I. ANNVS hic milleſimus quingenteſimus trigeſimus quintus, & cæleſti ſegete diues, & multa Operariorum meſſe Reformationi fertilis eſt: In hoc enim Ioannes à Fano, qui ſuperiori anno in Dominicum Mediolanenſium, ac Venetorum Agrum à Ludouico miſſus fuerat; vt in eo ad commune, tum Eccleſiæ, tum Reformationis commodum laboraret: cùm eas Regiones iam albentes ad meſſem, populóſque quò maioribus ſceleribus obſtrictos, eò magis à Deo ad pœnitentiam prouocari conſpexiſſet; ſtrenui Operarij inſtar, primam in Bergomenſem Agrum falcem mittere; regionémque indito quodam melioris naturæ dono ad pietatem propenſam, acuta diuini Verbi ſecula aggredi cogitat.

II. Bergomum Cænomanorum Vrbs eſt in Gallia Ciſalpina, ſeu Tranſpadana, in iugo Montis ſita, quæ olim ſub Trajano Reſpublica fuit, nunc verò Venetorum ditioni ſubiecta; quatuórque Suburbiis ſepta: incolas habet ruſticani quidem ſermonis, at magni ingenij viros, & cunctarum artium capaces: demùm ad omnia aptos, maximè autem ad pietatem procliues. Hi enim cùm primùm in ea Regione (vt ferunt) Beato Patriarchæ Franciſcò adhuc in humanis agenti, ac Minorum Ordinem propaganti, extra Vrbem Monaſterium ædificaſſent (quod deinde in Vrbem à Minoribus Conuentualibus tractu temporis, altero ampliori conſtructo, tranſlatum fuit.) Aliud quoque B. Bernardino Senenſi circa annum 1422. quo tempore Minorum Obſeruantium Reformatio diffundi cœperat, primò conſtruxiſſent. Haud mirum, quòd antiquæ, atque auitæ erga Franciſcanos pietatis haud immemores, primum quoque in Mediolanenſi Prouincia Capucinorum Reformationi Monaſterium erexerint.

*Ioannes Faneſtris Bergomi Dei Verbum diſſeminat.*

III. Erat tunc illius Vrbis Epiſcopus Aloyſius, vel (vt aliis magis placet) Petrus Lipomanus, Vir omnium virtutum laude clarus: ad quem cùm Ioannes à Fano, iuxta præſcriptas noſtrarum Conſtitutionum leges, Conuentus ædificationem impetraturus acceſſiſſet; ab eo humanè exceptus, eodem quoque poſtulante in ea Vrbe Dei Verbum tam incredibili omnium vtilitate diſſeminat: (plurima enim in dicendo vi, ac virtute præcellebat) vt eo audito Vrbis Ciues ſtatim in Suburbio, quod Palatij dicitur, illi Monaſterij locum deſcripſerint. Porrò hoc primum in ea Regione Monaſterium ex textis viminibus, lutóque delinitis (vti Capucinorum mos erat) quod duodecim Fratrum habitationi ſufficeret; propè quandam Ædiculam, S. Martyri Alexandro dicatam, pauperrimè extructum fuit.

*Primū Bergomi Monaſterium conſtruit.*

IV. Huius Fundationis meminit Auctor Libri, qui Vinea Bergomenſis inſcribitur, his verbis. *Aliqui feruentiſſimi, & religioſiſſimi Operarij ingreſſi ſunt in hanc Vineam, quando Fratres dicti Capucini D. Franciſci Patris, ſuæ Regulæ Obſeruantiſſimi anno 1535. die 2. Maij Bergomum venerunt; & in Aedicula S. Alexandri trans Murgulam reſidere cœperunt, & adhuc non mediocri obſeruantia, reſident.* In ea porrò ædificatione, quandoquidem Nobiliſſimi quidam Ciues præ cæteris opem, ac operam ſuam contulêre: de iis idem Auctor ſequenti Capite ita ſcribit. *In hac autem Vinea, tempeſtate quidem noſtra non parum operatus eſt Vir egregius D. Dominicus Taſſus Bergomenſis Ciuis, & Comes, & Eques, qui inter reliqua egregia opera, quæ in humanis agens operatus eſt, etiam, & auxilio fuit Fratribus Capucinis, vt locum caperent in Aede ſacra Diui Alexandri poſt Murgulam: & vt Monaſterium conſtruerent, ipſos duobus terræ iugeribus donauit. In quo quidem Vir ſplendidus Dominus Laurentius Battaijnus Bergomenſis Ciuis ære proprio Monaſterium erigi fecit. Inſuper, & ipſe*

Vin. Bergom p. 2. c. 117.

*Magnificus D. Dominicus in ipſo Cœnobio Ciſternam cum aqua fluuiali ex vicino Amne conſtrui fecit.*

V. Aliis quidem magis placet, Ioannem à Fano priùs in Veronenſem Agrum profectum; & poſt plurima ibi paſſa incommoda, & exantlatos labores (vti fuſiùs in ipſius vita exarabitur) primùm Veronæ Monaſterium extruxiſſe, ac prima Venetæ Prouinciæ fundamenta ieciſſe. Tum verò hoc ipſo anno Bergomum acceſſiſſe: vbi condito, vt dictum eſt, propè Vrbem Conuentu, Mediolanenſi Prouinciæ initium dedit. Nos ſuam cuique veritatem integram relinquentes, quod apud omnes ferè noſtros M. S. Auctores certum eſt, id tantùm aſſerimus, nimirum hoc anno tam Veronæ, quàm Bergomi Monaſteria ſuſcepta, atque inchoatà fuiſſe. Sequenti verò anno, qui eſt 1536. ab eodem Ioanne à Fano, alterum quoque Monaſterium Brixiæ in quodam ſancti Geruaſij Cœnobio, quod duobus milliariaribus longè ab Vrbe diſtat, ipſo Epiſcopo Bergomate poſtulante ædificatur: Tertium tandem Mediolani extra Portam Vercellenſem propè quandam ſacram Aedem S. Ioanni Apoſtolo dicatam; quæ Sancti Ioannis ad Viperam appellationem ſortita fuerat; hoc ipſo anno ab eodem conditum fertur: quod deinde in Vrbem ad S. Victoris Martyris memoriam, anno 1542. tranſlatum fuit; de quibus copioſiùs in eius vita agendum erit, hæc verò hoc anno tantùm indicaſſe ſufficiat.

*Brixiæ, & Mediolano Monaſteria extructa.*

VI. Hæc Ioannes Monaſteria, non tam lapidum aceruis, quàm præclariſſimis virtutum, atque admirabilis planè vitæ exemplis erexit. Quo fit, vt non immeritò Euangelico illi Aedificatori cōparari poſſit; qui ædificauit domum ſuam ſupra petram. Quæ cùm (vt teſte Auguſtino) inſignis, magnaque iuſtitia ſit; qua is vbique affulgebat: idcircò cùm cæleſtis potiùs, quàm humana ipſius ædificatio eſſet; haud mirum, quòd è Cælo ſua ſibi incrementa vendicaret: atque à Deo maiorem in dies amplitudinem ſortiretur: *In quo* (vt ait Apoſtolus) *Omnis ædificatio constructa creſcit in Templum ſanctum in Domino.*

Aug. l. 1. de ſerm. Dom. in Mont.

Epheſ. 2.

VII. Hoc planè modo, & in Apulia à Fr. Paulo Seſtinenſi, qui ex Prouincia Piceni eò à Ludouico Foroſemproniano miſſus fuerat; hoc tempore Prouincia S. Angeli, Larini primo Monaſterio extructo, exordium ſumit.

*Primum Larini Monaſterium conſtruitur, & Prouincia S. Angeli fundatur.*

VIII. Hæc Prouincia, propter illuſtrem Michaëlis Archangeli Apparitionem, quæ in Monte Gargano, qui longè latéque è Sinu Adriatico, vſque ad ipſius planitiem ſe extendit, olim contigit, S. Angeli nuncupatur. Ea verò Prouincia, totam Apuliam Dauniam complectitur, quæ ab Aufido Amne vſque ad Fiternum diffunditur, magna Agrorum vbertate, rerumque omnium abundantia ita fertilis: vt cum reliquis Italiæ Partibus certare videatur. Vrbibus non mediocribus gaudet, Luceria nimirum, Manfredonia, & aliis, inter quas Larinum annumeratur; à veteri Larino, quod nunc deletum eſt, duorum milliarium ſpatio diſtans. Hîc igitur, cùm primùm hoc anno Monaſterium extructum eſſet, alterum ſequenti anno Serræ Capræolæ, ac tertium in Oppido ſancti Ioannis Rotundi erectum fuit; ac deinde hæc Prouincia in vigintiquinque & ampliùs Monaſteria excreuit.

IX. Dum igitur Capucinorum Congregatio, per varias ſeſe Prouincias diffunderet; vndique, tum ex variis Ordinibus, tum ex ſæculo, ad illius ſinum plerique confluebant: inter quos hoc anno ex Amadæorum Congregatione acceſſit Fr. Bonauentura Cremonenſis, Vir omni virtute præclarus: ex Obſeruantium Familia Fr. Petrus à Ciuitate Ducali; & Fr. Bonauentura à Monte-regali: ex Sæculo, F. Franciſcus à Metapunto, Fr. Antonius Siculus, & Fr. Albertus à Neapoli, Viri omnes præclara virtutum laude illuſtres, ac plerique alij.

*Plerique ad Reformationem accedūt*

X. Hæc porrò Religionis incrementa (quod dictu mirabile eſt) nunquam maiora cernebantur, quàm cùm in eam atrociores perſecutionum procellæ inſurgerent; vt inde vniuerſi diuinum opus in ea fieri agnoſcerent; Vatiſque illi dictum occinerent. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Noſtris



XII. Noſtris igitur in Vrbem reuocatis, & Clemente VII. è viuis ſublato, res Capucinorum nonnulla pace frui videbantur. At iniquus Sathan, cùm hac rerum tranquillitate Religionis res maximè propagari, ac excreſcere animaduerteret; antiquæ in noſtros haud ſimultatis oblitus Draconis inſtar, noua iterum venena euomit, ac furias in Reformationem deſpumat; vt eam rurſus immiſsis perſecutionum fluminibus obruat. Noui enim Pontificis, Pauli Tertij, creatione captata, nonnullos Aduerſariorum fautores mouet, qui ſub quadam pietatis ſpecie Pontifici adhuc rerum ignaro perſuadeant, nihil ad publicam rerum tranquillitatem tuendam magis conſultum fore, quàm quòd Capucinorum Superioribus omnis Regularium hominum, ac præſertim Fratrum de Obſeruantia receptio interdicatur; ob plurima, quæ ex ea paſsim ſcandala oriuntur. Horum Pontifex conſiliis acquieſcens, Bulla in hoc anni exordio edita, ſub Excommunicationis pœna Capucinis cauet, ne Fratres de Obſeruantia, neque alterius cuiuſuis Ordinis Religioſos in ſuum conſortium admittant, donec aliud à ſancta Sede Apoſtolica ſtatutum fuerit. Verùm paulò poſt, re diligentiùs explorata, edictum noua Bulla moderatur; qua cæteris in priſtinum ſtatum reſtitutis, ſolos Fratres de Obſeruantia excipit, quos vſque ad Generale eorum Capitulum, in quo de totius Ordinis Reformatione agendum erat, recipiendos prohibet. Bulla incipit: *Dilecti Filij ſalutem*, &c. Denique hoc eodem anno altera Bulla, quæ incipit, *Ad futuram rei memoriam.* Capucinos etiam, quoad ipſorum Fratrum de Obſeruantia receptionem, in integrum reſtituit; ſi Miniſtri, intra duorum Menſium ſpatium, loca Reformationis apta non aſſignauerint. Bullas in extremo huius voluminis calce appoſitas videre licet: quo fit, vt cùm nec intra id temporis ſpatium, nec longè poſt, huiuſmodi loca Reformationi deputata fuerint, Capucinis deinceps liberum fuerit, etiam ipſos Fratres de Obſeruantia ad Religionis gremium adſciſcere.

*Pauli III. Pontificis Decreto Capucinis Regulārium omniū receptio interdicitur, quod paulo poſt reuocatur.*

XIII. Cùm igitur ob ſingularem Pauli III. Pontificis benignitatem, & erga noſtros beneuolentiam; Religio aliqua pace frueretur: in eaque quamplures Patres vitæ Sanctimonia, & doctrina præſtantes florerent: planè ipſe Religionis ſtatus, qui in plures Prouincias, ac quamplurima Monaſteria excreuerat, atque in dies magis diffundebatur; maiorem, prudentiorémque rerum adminiſtrationem expoſcere videbatur, quàm quæ à Ludouico, Viro potiùs ſagace, quàm prudente, atque ad gubernandum apto, proficiſci poterat: ipſum quoque Regulæ præſcriptum, quo Capitula Generalia ad optimum Religionis regimen, ſingulo quoque triennio celebranda ſanciuntur, id poſtulabat; quorum nulla apud Ludouicum necdum mentio fiebat: ſed is ſolus abſque vllo Definitorum conſilio, qui vel aberant, vel extremum iam diem obierant, pro libito Religionem abſque Capitulis adminiſtrabat. Quamobrem, qui ex Patribus prudentiores erant, cùm Ludouici adminiſtrationem conſilio, ac prudentia indiguam, ad Congregationis commodum, atque vtilitatem minus conferre animaduerterent: eidem, vt Capitulum Generale conuocaret, paſsim, ac prudenter perſuadebant. At is cùm animum à Capitulo prorsùs alienum gereret; aut ſurdas omninò iis aures præbere, aut longiori, ac fallaci duntaxat illos ſpe alere, propoſuerat.

*Capitulum Generale Cōgregationi neceſſarium Ludouico à Patribus ſuadotur.*

XIV. Qua mente, quóve conſilio id Ludouicus præſtaret, haud ſatis perſpectum eſt. Neque enim deerant, qui Ludouici mentem meliorem in partem interpretantes, ipſius conſilium probarent: Comitiáque hac ratione necdum celebranda cenſerent: Quod cùm tenera adhuc Congregatio eſſet, necdum ab Aduerſariorū perſecutionibus libera; Ludouici adhuc præſidio indigeret: quo, & immota aduersùs perſecutores ſtare, & firmiorem rerum ſtatum, ac ſtabilitatem adipiſci valeret; Ne ſi in alterius adminiſtrationem dilaberetur, qui aut rerum ignarus, aut molliori animo præditus eſſet, ea in ſummum caſus, ac ruinæ diſcrimen raperetur.

*Ludouicus Comitia Generalia refugit.*

XV. His opitulabatur, Quòd ij, qui ad Congregationis regimen apti videbantur;

R 4 cùm ex

cùm ex Obſeruātium Familia vix ſuperiori anno ad illam acceſſiſſent, noui adhuc, ac rerum expertes eſſent; cúmque vitæ modum, ac rigidam Regularis Obſeruantiæ diſciplinam, quæ apud Capucinos vigebat, necdum aſſecuti viderentur. Quibus propterea, haud facilè Religionis clauus credendus eſſet, ne tenera, & adoleſcens Reformatio in priſtinam, tum viuendi licentiam, tum cæremonias apud Obſeruantes conſuetas, quas ipſa prudenter reſpuerat, facilè relaberetur.

X V. Metuebant præterea; ne ſi Religionis gubernatio penes eos, qui docti erant, repoſita eſſet; in ea ſimplicitas dilaberetur, ac ſtudia inueherentur, quibus ſolitaria, ac Eremitica vita peſſundaretur; & contemplationis tranquillitas populorum frequentia, ac conuerſatione interiret. His factum rationibus tuebantur, qui Ludouici mentem, ac conſilium meliori ſenſu explicantes, id à ratione minimè diſſentaneum iudicabant. At verò Ludouicum nihil ſincerum, aut candidum, tunc in animo geſtaſſe, ipſe rei euentus facilè indicat. Cùm enim id ſibi in primis perſuadere deberet; totum Reformationis corpus, non ab humana ſapientia, ſed à Dei potiſſimùm prouidentia gubernari: idque à principio Dei ſapientiam, in huius Reformationis natiuitate, velut proprium ſibi vendicaſſe haud ignoraret; vt quæ ad illius profectum, atque adminiſtrationem pertinent, longè ab hominum ſenſu, ac opinione decerneret: plùs æquo ſibi, ac humanis conſiliis tribuere videbatur, quæ diuinæ potiùs ordinationi ab eo committenda erant; Atque eo maximè, quòd ad Comitia celebranda, ipſum, & Regulæ præſcriptum, & humilitatis exemplum, quò animum ab omni honoris cupiditate liberum oſtenderet, velut gemino ſtimulo impelleret. Quare aliis potiùs viſum fuit, Ludouicum eo tunc ſpiritu imbui cœpiſſe, quò Lucifer ille ab exordio ductus fuit, cùm primùm Aquilonis ſedem ambitioſa cupiditate optans, è Cælo deiectus, ex Angelo, Diaboli ſibi nomen comparauit. Nam cùm honoris, ac dignitatis illius appetitus, qua iam per ſex annos potitus fuerat; illius animum inuaſiſſet; haud mirum, quòd vt eam ſibi integram, ac diuturnam ſeruaret, Comitia refugeret, in quibus ea ſe expoliandum fore haud leuiter metuebat. Hæc enim eſt ambitioſorum natura, & conditio; vt ab iis maximè caueant, à quibus honoris iacturam pertimeſcunt: eáque omni ſtudio proſequantur, quibus gloriam ſibi, aut parari, aut augeri poſſe, ſentiunt. Rectè Ambroſius; *Hoc ipſo* (inquit) *pernicioſior ambitio, quòd blanda eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos.* Id planè Ludouico contigit, qui cùm plurimis animi bonis præſtaret, at tot præclaris patientiæ, honeſtatis, humilitatis, temperantiæ, fortitudinis, atque aliarum virtutum exemplis, omnibus eouſque in Religione præluxiſſet: ſola honoris ambitio, velut ſecretum virus, ac Sanctitatis tinea, illum, & à virtute extorrem, & criminoſum reddidit; atque eos tandem in anfractus pertraxit, vt cùm nemini parere, cunctis præeſſe vellet; ſua ſibi honoris cupiditate caſum parauerit: vt de eo illud dici poſſet, quod olim de Seiano Vates ille cecinit.

*Huius rei cauſa diſcutiuntur.*

Ambr. l. 3. in Luc.

*Ludouicus ambitione pulſatur.*

Iuuenal. Satyra 10.

*Nam qui nimios optabat honores,*
*Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabant*
*Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet*
*Caſus, & impulſæ præceps inane ruinæ.*

Id ipſe rei exitus haud obſcurè probauit, de quo nobis pluribus agendum eſt.

X V I. Cùm igitur, ob reluctantem Ludouici animum, nulla illis Capituli celebrandi ſpes effulgeret; rem Patres ad Pontificem deferre cogitant. Interea Bernardinus Senenſis, qui & Ochinus, ad Victoriam Columnam, cuius præclara apud Religionem merita haud illi ignota erant, opportunè ſe confert; cui cùm Religionis





ſtatum, qui tunc ineuitabili quadam Regulæ, ac rerum neceſſitate Comitia expoſcebat: communéque omnium deſiderium, cui Ludouicus reluctari videbatur, magna vi, ac verborum copia explicaſſet; ab ea tandem poſtulat, vt Ludouicum ſua prudentia, & auctoritate ad Comitia celebranda moueat. Id omni ſtudio, præ cæteris (vti nonnullis viſum fuit) ſollicitabat Ochinus, tum vt Fratrum ſibi iis officiis gratiam conciliaret, tum etiam, vt faciliorem ſibi ad futuram Generalis electionem, quam antiquo vitio ſibi appetere videbatur, viam ſterneret. Neque enim hic meliori, vt videbatur, quàm Ludouicus, tametſi aduerſo ſpiritu ducebatur. Nam cùm Bernardinus diuinis, ac humanis literis non mediocriter imbutus eſſet, atque in verbis facundus, in agendo vehemens, & in rebus pertractandis multò Ludouico cautior, ac ſolertior eſſet: facilè eam ſibi dignitatem, quam reliqui aut contemnere, aut refugere videbantur, ſibi aduenturam ſperabat. Atque inde fit; vt quod alij ad commune Religionis commodum bono zelo expetebant: is ad proprij nominis gloriam (vt videbatur) ambitioſè ſibi quæreret.

*Bernardini Senenſis pro Comitiis celebrandis, ſollicitudo.*

X V I I. Porrò Victoria Columna, quæ nihil præter Religionis vtilitatem, ac profectum in animo verſabat, cùm commune Fratrum, in conuocandis Comitiis ſtudium, ac conſenſum intellexiſſet, Ludouicum accerſit, prudenterque cum ipſo de Comitiis celebrandis agit. At Ludouicus cùm ab iis longe abhorreret, variis rationibus Victoriæ perſuadere nititur, Capituli celebrationem eo tempore neque neceſſariam, neque Congregationi vtilem fore. Veruntamen cùm Victoria aduerſis rationibus pugnaret; nec tamen iis quicquam à Ludouico aſſequi poſſet, qui ſe in eo mentis propoſito ſtabilem fixerat: altera illum via aggredi parat, propriamque ad Tallequitij Duciſſam, quæ cùm Aſcanio Columnæ matrimonio iuncta eſſet, ſibi affinis erat, Epiſtolam ſcribit: qua rogat, vt Ludouico in Marini Caſtellum, vbi ea tunc moras trahebat, ad ſe accito, cum eo impenſiùs, ac omni verborum efficacia agat, vt quàm primùm Comitia celebret. Duciſſa lectis Victoriæ literis, haud cunctatur; Ludouicum ad ſe vocatum honorificè excipit, lautiùs tractat, & aliquot dierum ſpatio omni ſtudio, atque arte cum eo iniunctum officium præſtat: at verò cùm ſe Æthiopem lauare, ac fruſtrà in eo laborare animaduerteret, ad Victoriam reſcribit, ſe in eo oleum, & operam perdere: Porrò Victoria, quæ id à Ludouico obtinere ſibi fixè in animo repoſuerat; iterum ad ſe vocatum, partim ſuauibus, partim aſperioribus, ad hoc ipſum compellit. At Ludouicus Victoriæ auctoritatem, ac potentiam veritus, tandem cedere ſe ſimulat; Capitulumque ſe celebraturum pollicetur. Hac pollicitatione, à Victoria dimiſſus, Romam redit, vbi pluribus elapſis diebus, cùm nulla à Ludouico, de Capitulo celebrando mentio fieret: Victoria eius rei ab Ochino certior facta, ſtatim ad Pontificem aduolat, qui Victoriæ, ac Fratrum zelum commendans, per Epiſcopum Ludouico mandat; vt Comitia Generalia, primo quoque tempore in Conuentu S. Euphemiæ conuocanda curet.

*Victoria Columna pro Comitiis celebrandis apud Ludouicum laborat.*

XVIII. Ludouicus igitur, audito Pontificis mandato, tametſi illud duriuſculè acceperit, protinus tamen miſsis ad omnes Congregationis Prouincias literis, Generale Capitulum hoc anno Romæ, circa menſis Nouembris exordium indicit: Quò & Bernardinum Aſtenſem, & Ioannem à Fano, & quotquot ex illuſtrioribus Patribus varia in loca profecti fuerant; necnon Ludouicum Rheginum, & Bernardinum Georgium è Calabria, conuenire iubet.

*Ludouicus ex Pontificis decreto Generale Capitulum conuocat.*

XIX. Collecto itaque Romæ Capitulo, cùm in eo multa Ludouicus de Regulari Obſeruantia, de ſolitaria vita, de virtutibus, de aduerſis perferendis, ac cæteris Religioſæ vitæ ornamentis; ad quæ Fratres pro captu hortabatur; ſatis præclarè dixiſſet: de Electione tandem diſſerens, quanta à Reformationis exordio eouſque pro ea tuenda incommoda pertuliſſet; quot carceres, quot contumelias, quot fugas, quot pericula ſubiiſſet; quot denique labores pro ea ſartatecta ſeruanda exantlaſſet, adamuſsim cōmemorat. Quibus id tandem ſubiungit, Congregationē

Dei munere ad eum tandem rerum ſtatum perductam eſſe; vt ſua vlteriùs opera non indigeat, ea præſertim ratione, quòd iam viros, & ad eam regendam idoneos, & ad tuendam fortes, ac præclaros comparaſſet. Quamobrem Fratres impenſiùs rogat, vt altero ad Generalatus officium electo, ſe nonnullo optatæ quietis otio frui patiantur.

XX. Hæc Ludouicus, quandoquidem nec ſincerè, neque ex animo (quemadmodum rei paulò poſt exitus probauit) Fratribus inculcauerat, diuino tamen conſilio factum eſt, vt qui rectum illius animum exiſtimabant, cùm primùm Spiritus Sancti ope ante Comitia inuocata, ad primam Definitorum electionem ventum fuit, vt illi morem gererent, ab eo eligendo abſtinerēt. Cæteri verò, quibus Ludouici adminiſtratio minùs Religionis commodo conferre videbatur, hac quoque ratione ab eo ſuffragia auerterent. Atque ita factum eſt, vt cùm in priori ſcrutinio quatuor Capituli Generalis Definitores electi fuiſſent, nimirum Fr. Bernardinus Senenſis, Fr. Bernardinus Aſtenſis, F Ioannes à Fano, & F. Euſebius Anconitanus. Tum in poſteriori Fr. Bernardinus Aſtenſis, Generalis Vicarius, omnium ſuffragiis creatus eſſet. Ludouicus, neque inter Definitores locum habuerit, neq; Generalatus dignitatem fuerit aſſecutus. Quod cùm Ludouico poſt Electionem renūciatum fuiſſet, mox occultæ ambitionis virus, quod eouſque in pectore latuerat, foras erumpens, quid illa Comitiorum dilatione, atq; hac doloſa verborum humilitate contegeret, apertè declarauit. Vix enim ſe ab vtroque, & Definitoris, & Generalis officio pulsū intelligit, cùm extemplò maiori, quàm Religioſi hominis ſtatus ac cōditio ferat, ira exardeſcens, nihil præter inſanam mentis agitationem, ac impetum præſeferre viſus eſt.

*Bernardinus Aſtenſis Generalis Vicarius eligitur.*

XXI. Quapropter Generalis Vicarij, ac Definitorum Electione peracta, cùm vniuerſi, Hymno, *Te Deum laudamus* publica voce perſonato, ad Eccleſiā Proceſſione inſtituta pergerent: antiquoq; Religionis more Officij ſigillo Generali à ſupremo Definitore oblato, cuncti in ſubiectionis ſignum illius manus deoſcularentur: his communis lætitiæ, ac humilitatis officiis ſolus Ludouicus intereſſe renuit: tantoque animi tumore, ac ſuperbia effertur, vt non modò Bernardino Generali vlla, aut reuerentiæ; aut obedientiæ ſigna præſtare detrectet: verùm cùm poſthæc Generalis eum obuium haberet; atque ante illum genuflectens, diceret, En, Pater, quàm indignum Fratres Generalem elegerunt, eidem protinus turbato animo reſponderit. Malè vtique actum eſt. Neque enim alterius mihi, præterquàm tui, electio moleſta fuiſſet. Bernardino verò rei cauſam humiliter ſiſcitanti, ait. Vnde nam tibi ad Religionem moderandam ardor? An non tam frigidus es, vt quæ ab aliis multo labore ſata ſunt, tua oſcitantia perdere feſtines? Cui Bernardinus humillimè; Ne id (inquit) moleſtè feras (Pater) tuis tantummodò, ſi placet, me orationibus feruentem effice. Multa Bernardino grauitas, multa in rebus agendis prudentia, ac conſilium inerat: quæ cum Ludouicum virum leuem, & impetu quodam ſe ad omnia ferentem malè haberent; haud mirum, quòd is præclaram virtutem, quæ eos maximè qui cæteris præſunt, ornatos eſſe oportet: quaſi vitiū ſuggillaret. Familiarem ſiquidē vitio eſt, ſibi aduerſam virtutē odio proſequi: At neque Ludouicus, ſi rem attingere lubet, grauiſſimam virtutem, quam in Bernardino olim agnouerat, & ſuſpexerat; quaque maiores apud Min. Obſeruantes dignitates conſecutus fuerat, perſequebatur: ſed potiùs ab eo adeptam dignitatem, ſibique ereptam, moleſtiſſimè ferebat: quo fit, vt non Religionis lapſus, ſed propriæ dignitatis occaſus eum ſollicitum redderet: turpeque ambitionis vitium, quo illius mens labefactata erat, in altero, quo ſe obtegeret, vitium quæreret. Id paulò poſt ipſo experimento apertè innotuit. Nam cùm Bernardinus Generalis poſthæc in Refectorium cum reliqua Fratrum Familia, ſolo Ludouico excepto, qui ſe à cæteris ſubtraxerat, pranſurus conueniſſet: Quis tunc Ludouico animus fuerit, inſolens, ac ſuperbum factum declarauit.

*Ludouicus Generalatus honore pulſus, ira excādeſcit.*

Mos in



XXII. Mos in eo Reformationis exordio inter Fratres haud aſpernandus inualuerat: vt diebus quibuſdam ſolemnioribus, ex Fratribus quiſpiam ſuggeſtum, quod in Refectorio erectum erat, conſcenderet; & dum alij cibum ſumerent, is ad communem reliquorum ædificationem, de ſpirituali virtutum, aut Regulæ profectu aliquid proponeret. Quamobrem cùm eo die cunctis iucundiſſimo, quo Generalis Vicarius electus fuerat: Sacerdos quidam de noua Generalis, ac Definitorum Electione verba facturus, iam in ſuggeſtum aſcendiſſet; ac muneri ſuo ſatisfacere cœpiſſet: en extemplò Ludouicus furore ardens, Refectorium ingreditur: nullúmque omninò, neque erga Generalem, aut alios Patres reuerentiæ ſignum præſeferens, arroganter Sacerdotem è ſuggeſtu iubet deſcendere: illúdque ipſe conſcendens, Fratribus omnibus præ rei nouitate admirantibus, & quid monſtri actio illa paritura eſſet, expectantibus, velut præ ira inſaniens, in has cœpit protinus voces erūmpere. Audite, Fratres; Ego ſum Ludouicus à Foroſempronio. Ego ſum Ludouicus Tenalia: Multa ego molitus ſum; plura moliri ſcio; plurima quoque adhuc moliar, quæ vniuerſos perterreant.

*Superbum Ludouici factū narratur.*

XXIII. His dictis; Vir ventoſiſſimus è ſuggeſtu deſcendens, ſummo omnes illos Patres dolore affecit; qui cùm eum tam à ſeipſo, atque ab omni prioris Religionis, ac virtutis ſenſu alienatum conſpicerent; lachrymas cum pane manducabant, & potum ſuum cum fletu miſcebant.

Hinc facilè cuique intueri licet; quàm grauis ſit eorum hominum lapſus, qui cùm maiorem aliquando virtutibus operam dederint, non caſu aliquo, aut repentina vi tentationis correpti; ſed ſpontè à virtute excidunt, ac voluntario caſu præcipites in aliquod vitium feruntur. Ij namque adeò virtutem exuunt; vt ipſum quoque, qui hominem ratione præditum comitari ſolet, vitij pudorem abiiciant; hominéſque ſe vix eſſe meminerint. Atque eò plerunque amentiæ prolabuntur; vt quæ longè ab eorum poteſtate abſunt, cùm efficere nequeant, mente cogitent. Hinc tam difficilis iis eſt ad virtutem reditus; vt haud immeritò dicat Apoſtolus: *Impoßibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti; guſtauerunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutéſque Sæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* Hebr. 6.

XXIV. Nemo Ludouici caſum miretur, nemo ex turpi illius ambitionis lapſu ſibi ſcandalum ſtruat. Neque enim Religio immunem facit ab inſidiis Diaboli (vt cum Cypriano loquar) aut contra tentationes, & pericula in Cœnobio poſitum perpetua ſecuritate defendit. Nec Ludouicus Angelo fortior, aut melior fuit, qui nimio honoris appetitu raptus, ad ima cecidit. Nec Salomone maior: aut Deo charior, qui tamen (vt Cyprianus ait) *quandiu in viis domini ambulauit, tandiu gratiam, quam à Domino fuerat conſecutus, obtinuit: poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini.* Religio exordium gloriæ eſt, non corona: nec religioſi hominis laudem perficit; ſed dignitatem initiat. Cúmque ſcriptum ſit: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: quicquid ante finem fuerit, gradus eſt, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminus, quo iam culminis ſumma teneatur. Diſcant potiùs qui in culmine ſunt, caſum timere: niſi enim honores humilitate poſſideant.

*Ob Ludouici caſum non mirandum.*

Cyprian. de vnit. Eccleſ.

Matth. 24.

*Tolluntur caſu, quo grauiore ruant.*

Diſcant præterea quàm ij miſeri ſint, quóve malorum ruant, qui dilapidatis ſemel conſcientiæ bonis à Dei gratia deſtituuntur. Cùm enim, & diuinum in ſe lumen extinguant, quo ad ſuperiora ducuntur: eóque Dei præſidio careant, quo vitiis omnibus ſuperiores fiunt: eo fit, vt propriis tenebris obruti, nec quod turpe, aut quod pernicioſum ſibi eſt, aſpectent: Neque ipſa grauiora ſcelera, quibus homines pudore affici, ſolent, omninò aut horreant: aut ſentiant.

*Ludouici turpis ambitio augetur.*

Ludouicum

XXV. Ludouicum igitur cùm Generalis, ac cæteri Patres, tam miserè à priſtinæ virtutis ſenſu immutatum, atque in tot mentis tenebras ambitioſa illa cupiditate prolapſum vidiſſent: poſt refectionem omni illum humilitate conueniunt, omniúmque parentem conclamant: ac in primis Generalis ipſe omnia illi, tanquam Patri, humilitatis, ac reuerentiæ ſigna exhibet, rogat; vt ſe primùm, tum alios omnes velut ſibi filios agnoſcat, aſpiciat, complectatur. Non ſubditum, ſed collegam in officio poſtulat, communémq; honoris,& auctoritatis gradum cũ eo ſibi futurum pollicetur: Nihil ſine ipſius conſilio, atque auctoritate agendum: Nihil præter illius mentem præſtandum affirmat. Denique nihil illi ab Generalatus dignitate præter nomen defuturum, humaniſſimis verbis aſſeuerat.

His tum Generalis, tum Patrum ſupplicationibus, Ludouici animus haud ita placari, aut ſedari potuit; vt aliqua ex parte iras remitteret: quin etiam ſeipſum à Fratribus ſegregans, nulla ratione adduci potuit; vt rebus Capitularibus intereſſe, aut conſilium aliquod, quantumcunque illud enixè Patres, vt illum maiori, quoad fieri poterat, honore proſequerentur; ab eo expoſcerent, iis miniſtrare vellet. Quo fit, vt communi illa mentis voluptate, quæ priùs ob noui Generalis electionem omnium Fratrum animos exhilarauerat, repentè in luctum mutata; cuncti Ludouici caſum lugerent, quem eouſque Patrem, ac Propugnatorem habuerant.

XXVI. Interea Generalis,& Capituli Patres grauioribus Religionis negotiis incumbentes, ſingulas in hoc Capitulo Prouincias diſpertiri, ac ſuos cuique terminos aſſignare, Prouinciales conſtituere (neque enim eatenus à Ludouico, aut Prouinciæ diuiſæ, aut Prouinciales conſtituti fuerant: cùm is per Commiſſarios vbique deſtinatos Congregationem regeret) familias per Conuentus diſponere, Guardianos creare, Cuſtodes eligere, ac cætera quæ ad rectum Religionis Ordinem, ac adminiſtrationem neceſſaria erant, communi conſilio diſtinguenda curant; vt noua Congregatio, quæ hactenus variis perſecutionibus afflicta, tumultuarium potiùs, quàm tranquillum rerum ſtatum patiebatur; venuſtam tandem, ac ordinatam Religioſæ Reipublicæ faciem conſequeretur. Quapropter Conſtitutiones, quæ in primo Aluacinæ Capitulo, ſub Matthæo à Baſſio, breuiùs confectæ fuerant, pleriſque, quæ neceſſaria erant, ſumma prudentia additis, copioſiùs in hoc Capitulo, Bernardini Generalis præſertim ſapientia, exarantur.

XXVII. Quàm verò ea Capituli Congregatio, ac rerum diſpoſitio Deo grata fuerit, cuidam deuotiſſimo Fratri, qui eidem Capitulo intererat, diuinitùs declaratum fuit. Is enim, dum Bernardinus Generalis in eo Capitulo ſemel ad Fratres ſermocinaretur, B.P. Franciſcum cum eo in menſa ſedentem; ac verba, quæ Fratribus proponebat, miniſtrantem videt. Tandem peracto ſermone Beatum Patrem rectis oculis, ac vultu hilari circumfuſos Fratres intuentem, ac ſua benedictione proſequentem intuetur.

*B.P. Franciſcus Bernardino Generali ſermocinanti verba miniſtrat, ac Fratribus benedicit.*

XXVIII. Ludouicus autem adhuc in inſania perſiſtens: quippe qui à Deo derelictus animæ ſinum Sathanæ aperuerat: quæ palàm minatus fuerat, quæque ad ſuæ ambitionis ſitim extinguendam ſecum animo decreuerat, peracto Capitulo, perficere cogitat. Ea de cauſa Ioannem Dominicum de Cupis Cardinalem Tranenſem, cuius opera in turbulentis Reformationis rebus ſatis familiariter vſus fuerat, quemque ſibi beneuolum fecerat, quamprimùm adit: eique ſummum Religionis periculum, ob noui Generalis electionem, quem tanto muneri ob id potiſſimùm ineptum exiſtimabat, quod euoluendis codicibus magis, quàm gubernationi, quæ rerum experientiam exigebat, aptum aſſereret: & turpem ſibi illatam iniuriam indicat, quem poſt tot ab eo ſuſceptos labores, ac calamitates pro Reformatione, quam è ſordibus ſe eduxiſſe affirmabat, perpeſſas, velut inutilem, ac indignum reiecerint. Me (aiebat) in maxima Reformationis perturbatione, in maximis naufragiis, in ſumma rerum deſperatione, in extremo tandem luctu impauidum

*Ludouicus apud Cardinalem Tranenſem de Religione conqueritur, ac nouum Capitulum poſcit.*

propu





propugnatorem, athletam, ducem, parentem habuerunt: nunc verò reſtitutis rebus, maxima improbitate ne ſodalem quidem agnoſcunt. Eſt quidem magnum ingrati animi teſtimonium, beneficia in ſe collata non rependere; maius, beneficiorum acceptorum memoriam delere; maximum, pro beneficiis iniuriam reddere. At quis non modò ingratiſſimi, ſed & improbiſſimi animi vitium eſſe non ſentiat, ſi quis parenti ipſi, à quo maiora in eum beneficia profecta ſunt, grates non rependat. Quid? ſi parentem non agnoſcat? Quid tandem horribiliùs? ſi parentem ipſum omni honore expoliet, ac contumelia afficiat? Me Capucini Fratres; à me inter tot ærumnas geniti, ex tot perſecutionum preſſuris educti, tot beneficiis aucti; Auctorem, Progenitorem, Parentem tam ingratiſſimè exceperunt; vt nec grates rependerint, nec Parentem agnouerint. Quin etiam inhoneſtè abiectum turpi adeò contumelia affecerint, vt mihi illud Vatis, niſi res prorſus indigna eſſet, vſurpare liceret: *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Id tamen (aiebat) facilè paruipenderem; niſi Religionis totius excidium inde oriri pertimeſcerem.

*Iſa. 1.*

XXIX. Veruntamen cùm id non tam Religioſæ multitudinis, quæ facilè recti ſpecie decipitur, quàm paucorum vitio dandum ſit; qui in Comitiis ſimplicium ſuffragia ſibi fraude, ac dolo malo aucuparunt. Eam ob rem, quandoquidem patratæ Electiones ſuo vitij pondere obrutæ, proprio roborè, ac virtute vacant; id prorſus neceſſarium erit, vt tua, Cardinalis ampliſſime, opera, atque auctoritate, qua apud ſanctiſſimum vales, Comitia reparari, atque Electiones denuò inſtaurari cures.

XXX. His auditis Cardinalis obſtupuit, id maximè admirans, quòd apud tam ſanctam hominum Societatem, qui & rerum omnium contemptum, & honorum fugam ſumma contentione ſibi proſequenda, præſtituerant: honores ambitu, ac prenſationibus quærerentur. Cùm tamen fidem Ludouici dictis adhiberet, ad Pontificem accedit: à quo & reſcriptum obtinet, vt rurſum Capitulum maiori, quoad fieri poſſet, Fratrum numero vndique ad illud conuocato, ſub ſequentis anni initium celebraretur. Id enim Ludouicus apud ſe ea ratione excogitauerat, atque à Cardinali petierat: quòd ſe à Fratrum multitudine eligendum, & optatam Generalatus dignitatem ſuffragantium pluralitate, aſſecuturum ſperaret. At qui humano, ac tumido ambitionis ſpiritu ducebatur, cùm Dei conſilium ignoraret, qui ſuperbis reſiſtit, humiles autem in hoc Mundo, & contemptibiles eligit: vt fortes confundat: vniuerſa quidem moliebatur, quò ad præſtitutam ſibi honoris dignitatem conſcenderet. Ea verò, miſer, ac futurorum ignarus, omni ſtudio potiùs ſibi media parabat, quibus turpior ipſius lapſus appareret.

*Aliud Generale Capitulum à Pontifice indicitur.*

XXXI. Poſthæc igitur Ludouicus, conciliata ſibi paucorum Fratrum ſimplicium turba, in qua ipſe quoque Fr. Antonius Cyrnæus, vir alioqui multis virtutum titulis illuſtris annumerabatur; quibus tum ſimplicitatem, tum paupertatem, rigidioremque vitæ diſciplinam prædicabat: quò faciliùs cæteros quoque ad ſe alliceret: atque eo perfectioris ſpiritus ſimulacro, eorum ſibi ſuffragia conciliaret: Conuentu ſanctæ Euphemiæ relicto, cum his in Aedem quandam D. Thomæ Apoſtolo dicatam, ſe confert, atque ibi ſeorſum à reliquorum Fratrum ſocietate, ac Generalis obedientia vitam ducebat; perinde, ac ſi Congregationem proſcindere, ac niſi in eius Electionem futura Comitia conſpirarent, noua Reformatione in fruſta ſecare comminaretur.

*Ludouicus Schiſma in Reformatione excitat.*

XXXII. Hoc Ludouici, atque illius aſſeclarum Schiſma, grauiſſima tum in Vrbe, tum in Religione ſcandala peperit. Illud enim & aduerſariorum dentes, & linguas ita in Religionem acuit: vt Capucinos vbique hypocritas, ambitioſos, honorum cupidos, ſepulchra dealbata, foris quidem Sanctitatis ſpeciem oſtentantes, intus verò ſuperbia, ac tumore plenos prædicarent: palàmque Religionis honori, atque exiſtimationi detraherent: ita vt quæ ſuperiori anno, vix ob detractorum im-

*Grauia in Religione ob Ludouici ſeparationem ſcandala oriuntur.*

 probi

probitatem, naufragium euaſerat, haud leuiùs nunc in diſcrimen raperetur.

*Grauia in Religione ob Ludouici ſeparationem ſcandala oriuntur.*

XXXIII Eorum verò, qui Religioni priùs, & Ludouico fauere videbantur, ita animum proſtrauit; vt cùm ad rerum necdum cauſas, ac elementa pertigiſſent, erga Religionem tepeſcerent; ac in ea tuenda frigidiores ſeſe oſtenderent. Pontificij quoque quibus Capucinorum vita auſteritatis, atque humilitatis plena priùs videbatur, cùm eos de honorum dignitate, velut pro aris, & focis dimicare intelligerent; haud leue inde ſibi ſcandalum comparabant.

XXXIV At verò, nec minori illud quoque Religionem impetu concuſſit. Etenim quamplurimi, ea Ludouici, ac cæterorum, qui inter melioris notæ viros cenſebantur, ſeparatione perterriti, ſeipſos interrogantes ſecum aiebant. Heu quónam miſeri venimus? En cuncta perturbationibus, ac periculis plena ſunt. Quid ſtamus? vbi nihil ſtabile ac firmum: ſed omnia incertis motibus, ac mutationibus quatiuntur? vnde tandem certa nobis, ac tuta quies expectanda eſt? cùm Portum tempeſtate iactari, Religionémque contrariis fluctibus intumeſcere, & inſectas diſcindi intuemur? Eo denique fiebat; vt inter hæc Religionis ſcandala, & tentationum fluctus, qui animo imbecilles erant, à Religione deſciſcentes, vel ad priorem Ordinem redirent, vel in alios Religioſorum Ordines ſeſe aſcribere feſtinarent. Alij quoque iterum ad deſerta confugientes, Eremos incolebāt. Verùm qui prudentiores erant, rei exitum à Deo expectantes, ac Dei conſilium à perfecta Regularis obſeruantiæ norma, quæ in Religione vigebat, iudicantes; metum omnem abijciebant: cæteróſque in ſuſcepta vocatione confirmabant.

*Bernardinus Generalis Fratres ad Conſtantiam hortatur.*

Interea Bernardinus Generalis, multa in Deum fiducia plenus, iacentes Fratrum animos optimis rationibus erigebat; atque in meliorem ſpem inducere conabatur. Deum enim quemquam nonniſi deſertum deſerere: Religionémque hactenus è tot Dæmonum, Hominúmque perſecutionibus diuinitus ereptam, hoc Ludouici caſu minimè occumbere poſſe dicebat. Hinc grauem hanc tantummodò Dei tentationem eſſe, qua benigniſſimus Deus bonorum conſtantiam examinare; ac velut triticum à leuiorum animorum palea ſecernere ſtatuerat, grauiſſimè admonebat: Cunctos denique in tentatione fortes, atque in Religionis propoſito ſtabiles permanere hortabatur, vt poſt probationem coronam acciperent.

XXXV His ſapientiſſimis rationibus, dum pius Generalis proſtratos Fratrum animos ſubleuaret: plerique ex his, qui Ludouicum, recti ſpecie decepti, ſecuti fuerant; cùm ſe, & à Religionis ſinu abſtractos; & à Generalis obedientia, nullo eximente, diuulſos ſeriùs apud ſe perpenderent; ſapientiori conſilio vſi, ad Religionem rediêre. In his primus fuit F. Antonius Cyrnæus: qui pleróſque alios ſuo exemplo, ac verbis ad reditum compulit. Tanto enim is poſt lapſum facti pœnitentia, ac timore perculſus fuit: vt paſſim dicere ſoleret; maximam ſibi Dei miſericordiam affulſiſſe, cum primùm illam Dæmonis tentationem cognouit: niſi enim celeriùs ad Religionis gremium rediiſſet; nulla ratione horrendum Dei iudicium cum reliquis ſe effugere potuiſſe, certo certiùs aſſeuerabat.

*Ludouicus cum aſseclis ad Monaſterium redit.*

Ex his verò, qui cum Ludouico perſeuerarunt; cùm nonnulli repentina morte correpti cæteros exterruiſſent, cùm his & Ludouicus ipſe, Dei iudicio perterritus, cùm iam pauci illi aſſeclæ ſupereſſent, ad Monaſterium rediit: vbi conſilio, non animo mutato, mitiùs, ac honeſtiùs ſe gerere cœpit, quò Fratrum animos honeſtiori vitæ ratione captare, ac ſibi conciliare poſſet.

*Camilli Vrſini & Victoriæ Columnæ pro Religione pietas.*

XXXVI Interea Camillus Vrſinus, & Victoria Columna, qui probum Religionis ſtatum, ac Ludouici inſanias non ignorabant; cùm vbique Capucinorum famam in Vrbe dilacerari intelligerent: detractoribus viriliter obſiſtebant; apparentéſque mali ſuſpiciones, quoad fieri poterat, ſua prudentia, atque auctoritate comprimebant. At neque benigniſſimus Deus ope, ac ſolatio hoc tempore ſuis defuit. Etenim, vt eam Dæmonum tentationem non ad Religionis interitum, ſed ad bonorū duntaxat probationē, ac maiorē Cōgregationis propagationem datā nemo dubitaret: hoc ipſo

tempore



tempore Frater Franciſcus Titelmanus Belga ex Haſſel Agri Leodienſis Oppido, Vir omni diſciplinarum laude clarus, Græcarum, atque Hebraïcarum literarum peritia inſignis, nec non virtute illuſtris ex Obſeruantium Ordine, ad Capucinorum Religionem acceſſit: ſimulque cum F. Franciſco à Soletro Appulo, viro doctiſſimo æquè, ac integerrimo, qui in Obſeruantium familia, omni cum doctrinæ, ac virtutis laude conuerſatus fuerat, vnà cum aliis duobus à Bernardino Generali Religionis habitu donantur: Præclaras Titelmani virtutes, anno 1538. quo is extremum diem obiit, vberiùs, Deo fauente proſequemur.

I. INGENS illa tempeſtas, quæ ſuperiori anno, Ludouico Auctore, in Religione exorta fuerat, necdum in huius anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi ſexti initio ſedata erat: quin etiam intumeſcentibus paſſim fluctibus, puſilla Reformationis nauicula, ſæua illa ventorum procella iactata, ac ferè diſſuta, ſummo in rerum diſcrimine verſabatur: cùm Fratribus vndique in Oratione ad Deum clamantibus, ac diuinam in fletu, ac ieiunio opem poſtulantibus, tandem ad eam ſedandam Comitia, Apoſtolica auctoritate conuocata, hoc anno, ſub Menſis Aprilis exordium Romæ in Conuentu S. Euphemiæ celebrantur. Quibus cùm Cardinalis Tranenſis Pontificis nomine præſideret, collectos Fratres graui ſermone ad concordiam, ac mutuam charitatem hortatur: argumentóque ex debili adhuc, ac tenui Reformationis ſtatu ducto, oſtēdit, Religionem optimo, ac valido capite, quo inter hæc ipſius ortus primordia prudēter regatur, indigere. Quapropter vniuerſos ſollicitè admonet, vt omni, tum humano oculo, tum cupiditate abiecta, talem eligant, qui communi ipſius commodo, atque vtilitati proſpicere queat. Atque vt cuncta ritè, ac ſine dolo peragantur; duobus Scrutatoribus à Capitulo electis, is ſe tertium exhibet.

*Noua Comitia Romæ ſub Cardinale Tranenſi celebrantur.*

II. His itaque à Cardinali prælibatis, ac ſummo conſenſu à Capitulo probatis; diuinum Spiritus Sancti auxilium ab omnibus deuotiſſimè imploratur: tum Definitorum priùs, deinde Generalis Vicarij electio inſtituitur: in qua qui ſuffragia ferebant, poſt latum viuæ vocis ſuffragium, Cardinalis manum humili reuerentia deoſculabantur. Hìc porrò tanta fuit Electorum in ferendis ſuffragiis concordia, ac ſimplicitas; vt quanquam ij maiori ex parte Electorum ſuperioris Capituli numerum excederent, omnes tamen vno conſenſu, & concordia, in Bernardini Generalis, atque eorundem Definitorum Electionem, & confirmationem ita conſpirarent: vt Cardinalis, omni prioris doli ſuſpicione ab animo abſterſa, cùm Fratrum in eligendo ſimplicitatem, ac ſinceritatem ſummoperè laudaſſet; Electionem ſua Auctoritate confirmauerit, Bernardinúſque ſumma omnium voluptate Generalis conclamatus fuerit.

*Bernardinus Aſtenſis iterum Generalis eligitur.*

III. Solus Ludouicus cæca illa, ac præcipiti dominandi libidine poſſeſſus, immaniùs fremit, inſanias auget, ac velut alter furiis agitatus Oreſtes, omnia clamoribus complet. Hinc dum alij Hymnum, *Te Deum laudamus.* concinentes, Generalem in Eccleſiam, ad Deo gratias agendas, deducunt; atque Obedientiæ ſignum manus deoſculatione depromunt; is ſolus, neque Generalem agnoſcere, aut venerari; neque vlla ſubiectionis illi ſigna exhibere ſibi in animum inducit. Monet, rogat, inſtat Cardinalis ſuauiſſimis verbis; vt quem Apoſtolica Sedes Generalem ſua auctoritate confirmat, eum ipſe ſua veneratione, ac obedientia proſequatur. Contrà ille reluctari, obſiſtere, nec Cardinalis monita capeſcere, nec precibus flecti, nec vllis inſtantiis moueri; omnia pudoris frena laxare, hominem exuere, belluámque potiùs furentē cunctis videtur præſeferre. Ita vir vanus in ſuperbiam erigitur, vt velut pullum onagri liberum, ac omnibus ſuperiorem natum ſe eſſe putet:

IV. Neque his contentus; cùm actis Deo de more gratiis; Patres ſimul cum Cardinali rurſum in Capitulum conueniſſent: rurſus is querimonias auget; Congregationem iniquam, ingratam, beneficiorum immemorem, Hircanis tigribus crudeliorem, ac truculentiorem appellat: luporúmque catulos, non homines ſe aluiſſe vociferatur; quum huiuſmodi hominum cœtum ſuis laboribus peperit. En quò hominem concitatum, terribilem, impurum debacchatorem; nec Deum, nec

*Ludouicus ambitionis furiis agitatus in Religionem inuehitur.*







Cardinalis præſentiam verentem, contumelioſum, ſempérque ad peiora tendentem, ambitionis furor, & inſania rapit.

V. Verùm dum is ita in Religionem debacchatur, Deus Opt. Max. in quem illa Ludouici conuitia non òbſcurè redundabant; quàm grauiter iis offenderetur, diuino planè teſtimonio hoc ipſo tempore declarat. Aderat inter alios huic facto preſens, laïcus quidam Frater è Domodoſcella, Mediolanenſis Prouinciæ, Oppido natus, Dominicus nomine; vir ſingulari animi puritate, ſimplicitate, ac virtute præditus; qui Ludouico in hæc conuitia prorumpente, Cœlum aperiri, Chriſtúmque ſimul cum Deipara Virgine, ac B. Franciſco è Cœlo dilabi conſpicit: qui eminentiùs in aëre ſtantes, horrendo vultu graue quippiam Ludouico comminari videbantur. Dum hæc vir ſimplex attentiùs ſpectat, nonnulla à Chriſto Domino verba accipit, quæ tunc publicè coram Ludouico, ac Patrum conſeſſu effari debeat. Quapropter cùm Domini iuſſa facturus, protinùs in genua procidiſſet, vt fandi facultatem à Patribus peteret. Bernardinus Generalis, qui viri ſimplicitatem non ignorabat; veritus, ne coram Cardinali quippiam inſulſum proferret, manu illi ſilentium indicit. Verùm acriùs illum Dei ſpiritu impellente, cùm iterum loquendi poteſtatem poſtularet: Cardinalis ad Generalem conuerſus: Nónne (inquit) hic locus liberam cuilibet fandi facultatem tribuit? cur & huic Fratri denegari debet? Tunc licentia illi, vt loqueretur, impertita: is vbi ter ſeipſum coram omnibus humi volutauit, ac puluere conſperſit, vultu ad Ludouicum conuerſo, his illum affatur verbis: Audi Ludouice, conſilium Dei: & quid cogitauerit, auribus percipe. Nimiùm erigeris Ludouice; nimiùm ſuperbis, iam coram Deo fœtet arrogantia tua, dum quod Dei eſt, temerè tibi arrogas. Reformationis tibi opus adſcribis, planè hallucinaris, ac teipſum fallis: neque enim, te Auctore; ſed Chriſto Domino, B. Virgine, ac B. P. noſtro Franciſco parente, hæc Capucinorum Religio orta, ac propagata fuit. Quid diuinum tibi opus aſſumis? Hic non hominum, ſed Dei tantummodò fœtus eſt. Te quidem benigniſſimus Deus per decennium illius nutricium elegit; quo tempore diuino tibi ſemper auxilio affuit; ex pleriſque te malis, ac periculis eripuit; virtutem contulit, prudentiam adminiſtrauit, pugnantem armauit, infirmum fouit, pro te aduerſarios fudit, tempeſtates ſedauit: Iam verò cùm horum gloriam tibi vſurpas, ac Diuinam huius Religionis Natiuitatem tuo merito, ac laboribus tribuis: atque eo non contentus, in eam hoſtiliter inſurgis, ac illius honorem labefactas: Scias te omnibus, quibus te Deus hactenus accumulauerat, bonis, ac virtutibus, ac præterea ipſa Religione expoliandum fore: è cuius ſinu tandem, in tui ſceleris pœnam, teipſum expellet: vt tibi, ac cæteris perſpectum ſit; nihil æquè Dei Maieſtatem, ac ingrati animi officia lædere: nec impunes futuros, qui temerario auſu huius Religionis honorem deturpant. His dictis, Dominicus confeſtim ab omnium ſe oculis ſubripuit.

*Propheticum cuiuſdā Fratris ſimplicis factum enarratur.*

VI. Obſtupuit prophetico illo ſimpliciſſimi hominis, tum actu, tum dicto Cardinalis; ac vehementer factum admirans, apertè hæc à Deo profecta eſſe intellexit: Nam & Dominicus ipſe poſthæc interrogatus, quid illum ad ea tum præſtanda, tum dicenda, impuliſſet, reſpondit: nihil ſe proprio ſpiritu in his prorſus aut feciſſe, aut dixiſſe: ſed quæ à Ieſu Chriſto, atque à B. Virgine, nec non à B. P. Franciſco, ſibi in aëre apparentibus facienda, ac dicenda acceperat, ea duntaxat reddidiſſe.

VII. Idcircò Ludouicum Cardinalis adhuc placidioribus verbis hortatur; vt ſedata mentis tempeſtate, animum ad Religionis commoda proſequenda, vnà cum Generali, ac Patribus conferat; & ſi quid ad communem Reformationis vtilitatem ſpectare iudicauerit, palàm in Capitulo proponat. Paret Ludouicus, ſed cùm iam animum à Religione alienum gereret, quędam non tam Religionis ſtatui proficua; quàm exitialia, ſub boni cuiuſdam imagine, amplexanda proponit.

*Ludouicus Religioni perniciosa Patribus proponit.*

VIII. In his primum erat, vt Fratres omnes, literarum ſtudiis prætermiſſis, manuum duntaxat labori incumberent: quò iuxta Regulæ præſcriptum, ſibi victum comparare queant. Porrò hoc corporalis exercitationis prætextu, qui facilè ſimplicium Fratrum animos allicere poterat: Cuncta, tum humanarum, tum ſacrarum literarum ſtudia, quibus Diuini Verbi prædicatio alitur; maximo, tum animarum damno, tum Euangelicæ Regulæ detrimento à Religione auellere ſtudebat: vt in ea Euangelica tãdem Prædicatio interiret. Secundum, vt Generalis Capucinorum Vicarius, non à Min. Conuentualium, ſed à Generali Obſeruantium Miniſtro penderet: ab eóque Officij confirmationem acciperet. At verò, cùm is eoúſque ex aduerſo contra rem propoſitam, tam acriter pugnaſſet; vt inde Religionis excidium erumpere non ignoraret. Quid, præter id, quòd funeſtum Religioni futurum eſſet, hoc capite expetere videbatur? Tertium tandem: vt Fratres Eremiticam vitam, iuxta Clementis Bullam, ducentes, Eremos tantùm incolerent: vt diuinæ contemplationi toti incumberent. Hæc verò ab eo propoſita, cùm antiquam B.P. Franciſci mentem verbis, atque exemplis expreſſam, necnon primæuum Religionis vſum, tot annorum curriculis confirmatum; Fratrum denique vocationem à Deo non obſcurè reuelatam oppugnarent, potiſſimúmque Chriſtianæ charitatis officium in Religione deleret; hinc facilè euincitur, nihil eum rectum, ac ſincerum Patribus in eo Capitulo conſuluiſſe.

*A Ludonico propoſita examinantur.*

IX. Cardinalis tamen Generalem prouocat; vt quid de rebus propoſitis ſentiendum ſit, exponat; qui cùm id munus Bernardino Senenſi, qui primus Definitor erat, commiſiſſet: is ad ſingula Propoſitionum capita reſpondens: Primùm, ait; Manuum laborem Apoſtolico exemplo firmatum, & Regulæ conſentaneum, cunctiſque à Beato Patre Franciſco conſultum, ab omnibus iure commendari; dummodò prædicationis, & charitatis ſpiritum, qui eidem anteponendus eſt, non extinguat. Neque enim (ait) Minorum Religio, vt ab ipſo rerum exordio, ac Regulæ præſcripto conſtat, idcircò à Deo inſtituta eſt; vt manuum duntaxat labori, corporalíque exercitationi vacet: ſed vt plurimos quoque Deo filios, ſacro prædicationis ſemine generet. Quòd ſi literarum ſtudia omnia à Religione expelluntur, ſolíque manuum labori ab omnibus incumbitur: quo pacto Euangelicæ vitæ ratio, quæ nobis in ipſo Regulæ veſtibulo ſequenda præſcribitur: dum in ea ita legitur: *Vita, & Regula Fratrum Minorum hæc eſt, Obſeruare Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelium.* nobis ſalua, & integra eſſe poteſt? dum ab ea prædicatio expellitur, quæ cùm Euangelicum hominem in aliorum quoque commodum inſtituat, haud minima Euangelicæ vitæ pars cenſenda eſt. Ad hæc, Quorſum nonum Regulæ Caput, ad Prædicatorum diſciplinam, à B.P. Franciſco inſtitutum eſſet; ſi nulla in Religione literarum ſtudia eſſe deberent, quibus Concionatores excitari, atque ali poſſent? Poſtremò cùm diuini Verbi prædicatio inter potiora Religionis bona enumeretur; qua ratione ea certo periculo exponenda eſt: vt iis tantùm integra ſit, qui Theologica diſciplina imbuti ad Religionem accedunt? Quid? ſi nullus ad nos Theologus veniat? An non, quod in Religione præcipuum eſt, atque à Deo, Beatiſſimóque Patre noſtro Franciſco potiſſimè intentum, interire neceſſe eſt? Manuum quidem labori vacare conſultum eſt; ne Fratres otio, vel ignauia torpeant; necnon, vt eo Apoſtolico exemplo cæteros ædificent. Verùm ſtudia omnia literaria, quibus prædicatio gignitur, alitur, augetur, à Religione expungere; id prorſus à Seraphico Beati Patris Franciſci ſpiritu, diuináque Regulæ inſtitutione alienum iudicandum eſt. Secundam verò Propoſitionem, communi omnium Patrum conſenſu, ea potiſſimùm ratione minùs commendari autumat, qua nuper ab ipſo improbata fuit: quum omni contentione pro Reformatione pugnaret; ne ea Patrum Obſeruantium Ordini ſubijceretur: cùm enim nihil magis exploratum ſit; quàm Generalem Obſeruantium Miniſtrum in Nouæ Reformationis interitum cum ſuis, modis omnibus conſpirare: quid ex hac ſubiectione illi certiùs expectan-

*Reg. c. 1.*





dum eſſet; quàm primo quoq; tempore ab iis extinguendam fore? Tertia tandem Propoſitio, quæ ad ſolitariam vitam ſpectat, cùm nec penitus damnanda, neque omnino, vt ſonat, amplectenda ſit: futurum pollicetur; vt communi conſilio, ac prudentia examinata, in ea mediocritas illa tenenda ſit, quæ & vitium expellat, & virtutem incolumem ſeruet.

X. Prudentiſſimis his Patrum reſponſis, cùm ſuperba Ludouici mens acquieſcere nullo modo vellet, iterum vela dat indignationi: rurſúmque in immanes querelas erumpit. Tentat benigniſſimus Cardinalis incenſum furore animum verbis ſuauioribur placare. Generalis quoque, ac cæteri Patres ad ipſius pedes proſtrati, omnia humilitatis, ac humanitatis ſigna exhibent: Collegam illum, Patrem, omnium Moderatorem, ac Doctorem, ſeque filios, ac diſcipulos agnoſcunt: deniqùe nihil tenerioris officij prætermittunt, quo tumidum iracundia pectus demulceant. Atque in hoc pium fraternæ charitatis officium, vberiùs cunctis ſeſe Ioannes à Fano effundere videbatur: qui ad ipſius pedes prouolutus, eóſque lachrymis perfundens, precibus, ſupplicationibus, obſecrationibus illius animum emollire nitebatur. At contrà ille maioribus irarum æſtibus incaleſcere, & quò ſtudioſiùs ij ebullientem animum omnibus officijs mitigare ſtuderet: ille eò acriùs efferueſcere videbatur. Et quanquam inter hæc Cardinalis ipſe preces, ac rogatus quoque ſuos intermiſceret; obnixéque ab eo peteret; vt concordi ſenſu Generalem, & Patres ſuo conſilio, ac officiis iuuaret: his tamen Ludouici animus, neque flecti, neque moueri vlla ratione potuit, quin etiam aliorum virtute inſolentior, in has tandem voces erumpit. Quid me veſtræ Congregationis ſocium, aut conſortem quæritis? Veſter non ſum: neque vlla mihi cum tam ingrata hominum ſocietate pars eſt; iam ab ea me alienum dico; ac diſcedo. Hæc verò tanta animi intemperantia, atque iracundia protulit; vt Cardinalis, cùm vlteriùs hominis inſaniam, atque inſolentiam ferre non poſſet, ſtomachabundus tandem illum his verbis aggreſſus fuerit. Eſto: Superbe, ambitioſe, hominum inſolentiſſime; ſchiſmatum, ac diſcordiarum ſator, ac diaboli miniſter. Eſto: nulla tibi cum hac ſancta Congregatione, ac probis hominibus pars, aut conſortium ſit: quandoquidem res prorſus indigna, ac indecora eſt, vt inter tot B. P. Franciſci filios, qui humilitati, ac propriæ abiectioni ſtudent, vir ſuperbus, ambitioſus, nequam, locum habeat. Abi confeſtim iſtinc, recede, faceſſe. Tum verò Cardinalis ſerenum ad Fratres vultũ conuertens, qui animo conſternati Ludouici lapſum deplorabant; his illos verbis eſt allocutus. Ne vos turbet (inquit) Fratres mei, iſtius hominis caſus: melius eſt, vt præſcindatur, qui vos conturbat, quàm quòd tota Religio illius ſuperbia, ac temeritate ruat. Iam verò æquo animo eſtote: Etenim repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio; cùm in hanc Congregationem oculos coniiciciens, non id, quod verebar, accidit: Nec quod de veſtra ambitione, atque honorum cupiditate falsò auditum fuerat, verum reperio. Sed contrà potiùs omnia apud vos humilitate, charitate, ac Religione plena conſpicio: itaut hinc mihi potiùs plurima veſtra virtute, ac ſanctimonia ædificari, atq; inde maiora mihi virtutum exempla ſumere, quàm aliquid correptione dignum proponere, incumbat.

*Ludouicus rurſum inſanit, & in Religionem debacchatur.*

*Cardinalis Ludouicum è Capitulo expellit, ac Religionem cõmendat.*

XI. Agite, Fratres, Magna Regularis obſeruantiæ à vobis fundamenta iacta ſunt, egregium vitæ tyrocinium agreſſi eſtis; quod, & præclarum nomen, & eximiæ ſanctimoniæ laudem vbique vobis apud homines comparat. Cuncti Capucinos haud immerito ſuſpiciunt; omnes Capucinos commendant, ac velut ſanctos homines venerantur: vniuerſi in vos, velut Soles reſpiciunt, vnde ad benè, beatéque viuendum lumen accipiant. Cuncti Vos, vel ſolos Sal terræ exiſtimant, ex quibus omnium virtutum condimenta fluant. Denique ſpectaculum facti eſtis Mundo, & Angelis, & hominibus. Vos enim ſtulti propter Chriſtum; Vos propter Chriſtum infirmi; Vos Dei cauſa ignobiles; Vos eſurientes, vos nudi, nihílque omnino poſſidentes; Vos nihil in hac vita ſtabile propter eum habentes:

qui propter nos egenus factus eſt: illuſtriſſimum planè nomen; ſi rem, ac hominum opinionem non vincat.

XII. Quamobrem ſatagite, Fratres, vt per boni operis perſeuerantiam, ac præclara cœleſtis vitæ exempla, præſtantiſſimum hoc diuinæ vocationis opus in vobis cœptum perficiatur: maiorique diuini honoris incremento, tum apud Deum, tum apud homines commendetur. Inter hæc verò, vt mei in orationibus veſtris memores ſitis, etiam atque etiam rogo. Hæc pius Cardinalis.

*Pontifex Bernardini Generalis electionem Bulla confirmat.*

XIII. Interea, ne Ludouici factione, iterum Bernardini electio in diſcrimen reuocaretur; rogantibus generalis Capituli Patribus, Cardinalis Tranenſis, à Pontifice Diploma impetrat, quo Bernardini Generalis electio auctoritate Apoſtolica confirmetur. Breue datum fuit ſub die 29. Aprilis, his verbis conceptum.

## IN NOMINE SANCTÆ, AC INDIVIDVÆ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

*Diploma, quo Bernardinus Aſtenſis Generalis confirmatur.*

XIV. ANTONIVS *miſeratione diuina Tit. S. Mariæ Tranſtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis, de ſancto Seuerino nuncupatus, vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas, ſiue præſens publicum Tranſumptum inſpecturis, viſuris, lecturis, pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam, & præſentibus fidem indubiam adhibere. Notum facimus, & atteſtamur vidiſſe, legiſſe, & diligenter inſpexiſſe literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Pauli diuina prouidentia Papæ Tertij in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris, in cera rubea cordula pergaminea (vt moris eſt) circundata, à tergo earundem literarum impreſſo, expeditas, ſanas ſiquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas; ſed omni prorſus vitio, ac ſuſpicione carentes; quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.*

PAVLVS PAPA TERTIVS. *Dilectis filijs, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum (ſicut Nobis nuper exponi feciſtis) aliàs, poſtquam felic. record. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter dilectis filiis Ludouico, & Raphaëli Foroſempronienſibus. Ordinis Fratrum Minorum, vt ſecundùm Regulam B. Franciſci vitam Eremiticam ducere, & habitum cum Caputio quadrato geſtare, nec non omnes tam Clericos ſæculares, & Presbyteros, quàm Laicos ad eorum conſortium recipere, & barbam deferre, & ad Eremitoria, ſeu loca alia quæcunque cum conſenſu Dominorum eorundem locorum ſe conferre, & in eis habitare, vitamque auſteram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuſcunque locis mendicare, nec non omnibus, & ſingulis priuilegiis, indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum huiuſmodi, ac Eremo Camaldulen. B. Romualdi, illiuſque Eremitis in genere, vel in ſpecie eatenus conceſſis, & in poſterùm concedendis æquè principaliter vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerent: plenam, & liberam per ſuas tam in forma Breuis, quàm ſub Plumbo literas, facultatem conceſſerat: ipſeque Ludouicus facultatis literarum huiuſmodi vigore nonnullos Clericos ſæculares, ac Religioſos, & laicos ad eius conſortium receperat; ac ex tunc Vos ſub ipſius Ludouici tanquam Congregationis veſtræ Vicarij cura, & ſuperioritate gratum Altiſſimo famulatum*





*exhibere ſtudueratis. Cùm dictus Ludouicus officio Vicariatus huiuſmodi in Capitulo Generali ipſius veſtræ Congregationis in Alma Vrbe de menſe Nouemb. Anni proximè præteriti celebrato ceſſiſſet: Vos ad electionem noui Vicarij veſtri procedentes, Dilectum filium Bernardinum Aſtenſem, ipſius Ordinis veſtri Profeſſorem in Vicarium eiuſdem Congregationis veſtræ elegeritis, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt electioni huiuſmodi, pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ firmitatis adiicere, ac alias in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur proſperum, & tranquillum ſtatum, & felicem ſucceſſum veſtræ Congregationis huiuſmodi paterno zelantes affectu, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Electionem de perſona dicti Bernardini (vt præfertur) factã, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus. Nec non literas Clementis Prædeceſſoris huiuſmodi præfato Bernardino, quoad exercitium Vicariatus huiuſmodi, perinde ac ſi ei directæ fuiſſent, ſuffragari debere, decernimus. Diſtrictiùs inhibentes quibuſcunque perſonis cuiuſcunque conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per Vos deferri ſolitum, niſi ſub eiuſdem Bernardini Vicarij obedientia, & cura permaneant, geſtare quoquo modo præſumant: ac decernentes irritum, & inane quicquid ſecus contigerit attentari. Nec non mandantes Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori pro tẽpore exiſtenti, vt vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere faciat, auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta firmiter obſeruari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, ac pœnas ipſas iteratis vicibus aggrauando; Inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de vna, ac Concilij Generalis de duabus dietis, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus. Necnon quibuſuis Priuilegijs, & indultis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſibus, & decretis conceſſis, ac concedendis, quæ aduersùs præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Decernentes Tranſumptis præſentium manu Notarij publici, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem in iudicio, & extra adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annullo Piſcatoris, die 29. Aprilis 1536. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

*Et infra. Bloſius. A tergo. Dilectis filijs Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatis.*

*Quibus quidem literis diligenter inſpectis ipſas per Notarium publicum infraſcriptum exemplari, & ſubſcribi, ſigillique noſtri, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Decernentes, & volentes huic præſenti tranſſumpto talem, & tantam fidem adhibendam fore, & adhiberi in iudicio, & extra coràm quibuſcunque iudicibus, & perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, & in omnibus locis, qualis, & quanta dictis literis Apoſtolicis adhiberetur. Quibus omnibus, & ſingulis auctoritatem noſtram, & decretum interponimus per præſentes. Datum*

*Romæ in ædibus noſtræ habitationis ſub anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decima, die verò 22. menſis Septemb. Pontificatus prælibati Domini noſtri Papæ Pauli III. Anno tertio. Præſentibus ibidē Magnifico ac circumſpecto Viro Domino Antonio Camillo laico Marſicenſi, & Alexādro de Mazonis Laico Imolenſi teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atq; rogatis.*

*Et ego Claudius Gappart Clericus Senonenſis Diœceſ. publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & in Archiuio Romanæ Curiæ deſcriptus, & matriculatus, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic (vt præmittitur) fierent, vnà cum prænominatis teſtibus interfui, præſenſque publicum tranſumptum cum ipſius originali de verbo ad verbum comprobaui, & concordaui, ac in omnibus, & per omnia inueni conforme, & ſimile: ideo hic me ſubſcripſi, ſignúmque meum ſolitum, & conſuetum appoſui, vnà cum præfati Reuerendiſſimi Domini Cardinalis ſigilli appenſione in fidem præmiſſiorum vocatus ſpecialiter, atque rogatus.*

*Locus ſigni dicti Notarij.* *Locus ſigilli Appenſi.*

XV. Poſthæc Bernardinus Generalis, ac cæteri Capituli Patres nihil intentatum reliquêre, quò Ludouicum ab ea animi pertinacia, ac Religionis odio auocarent: at cùm ſe laterem lauare, fruſtráque omnem in eo laborem inſumere animaduerterent: neque enim is aut Generali parere, aut intra communem Religionis diſciplinam contineri patiebatur: ſed in dies ferocior minas, ac contumaciam augebat. Tandem ne nouas in Religione Tragædias ac ſchiſmata excitaret; totúmque Congregationis Corpus corrumperet; certos illi dies Patres præſcribunt, intra quos niſi debitam Generali, ac Superioribus obedientiam exhibuerit, ſe è Religionis corpore excindendum ſciat. At, qui ſemel animum diabolica ſuperbia imbuerat, omniáque immoderationi fræna laxauerat, eò maiorem in amentiam proſiliit: quo fit, vt lata tandem à Patribus ſententia, ab Ordine expulſus fuerit, quæ à Pontifice, Tranenſi Cardinali agente, confirmata fuit. Diplomate his verbis expreſſo.

*Ludouicus è Religione Patrum decreto à Pontifice confirmato eiicitur.*

# PAVLVS PAPA TERTIVS.

XVI. DILECTE *fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Superioribus diebus, cùm dilectus filius Ludouicus de Foroſempronio Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, tibi etiam tunc eiuſdem Ordinis Vicario, ſub prætextu, quod tu ad Vicariatus officium minùs legitimè aſſumptus fores, parere recuſaret, & aliàs diuerſimodè inobedientem ſe præberet. Nos volentes ſcandalis, quæ ex hoc prouenire poterant, obuiare: Capitulum Generale, in quo hæc, & alia dictum Ordinem concernentia tractarentur per ipſos Fratres: in hac Alma Vrbe celebrari ſtatuimus: Ven. Fratrem noſtrum Ioannem Dominicum Epiſcopum Portuenſem Cardinalem Tranenſem pro feliciori ipſius Capituli directione, & ſucceſſu illi præficiendo. Cùm autem (ſicut accepimus) Fratres dicti Ordinis poſtea in dicta Vrbe, & domo S. Euphemiæ eiuſdem Ordinis congregati, te ad Vicariatus huiuſmodi officium de nouo vnanimiter elegerint. Et nihilominus dictus Ludouicus ſibi tanquam dicti Ordinis Vicario parere, & aliàs iuxta ipſius Ordinis Regularia inſtituta viuere recuſet: in maximum dicti Ordinis ſcandalum, & Chriſti fidelium peſſimum exemplum. Et propterea Capitulum prædictum videns ipſius*





*Ludouici pertinaciam; nec ſperans eum aliquo modo à ſuo malo propoſito retrahere poſſe, ſtatuerit, & ordinauerit; quòd dictus Ludouicus infra certum tunc expreſſum tempus, aut tuis, & pro tempore exiſtentis Vicarij mandatis obtemperare deliberaret; & cum effectu faceret; aut habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum dimitteret, prout in certis ſcripturis deſuper confectis pleniùs dicitur contineri. Nos qui Religioſorum quorumlibet pacificum ſtatum, & directionem ſynceris deſideramus affectibus: ſtatutum, & Ordinationem huiuſmodi per dictum Capitulum (vt præfertur) facta, vt firmiora ſint, & exactiùs obſeruentur, Auctoritate Apoſtolica per præſentes confirmamus, & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes ac ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. Mandantéſque in ipſum euentum ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eidem Fratri Ludouico, ne literis Apoſtolicis dicto Ordini, aut ipſius Ordinis reſpectu etiam ipſi quomodolibet conceſſis, quas quoad hoc, ſui reſpectu, nullas eſſe decernimus, modo aliquo vti audeat. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 10. Octob. 1536. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

BLOSIVS. *Locus ſigilli Annul. Piſcatoris.*

XVII. Itaque, qui plus æquo in Religione Auctoris, & Fundatoris ſibi nomē, ac titulum temerè arripere auſus fuerat, quod Deus Opt. Max. velut proprium ſibi vēdicauerat; iuſto quidem, ſed profundo Dei iudicio factum eſt, vt à Religione eiectus, in ea nedum locum reperiret. Luxerunt Fratres acerbiſſimum huius Viri caſum: cùm viderent hominem, honeſtiſſimis magna gloria pro Religione perfunctum laboribus, tot patientiæ coronis illuſtrem, quot pro Reformatione tuenda perſecutiones paſſus fuerat; totque martyria propemodum exantlatum, quot carceres, quot inedias, quot fugas, quotque per eremos, ac ſolitudines exilia pertulerat. Hominē Capucinorum Choryphæum, & Anteſignanum; in tam diuturno, ac difficillimo perſecutionum prælio, inſtar Hieremiæ in columnam ferream, & in murum æneum pro puſillo Reformationis grege, tot annis poſitum. Hunc ipſum, inquam (proh dolor) poſt tot victorias (vt Hieronymi verbis vtar) & euecta de hoſte debellato trophæa, ſub ipſo triumpho tam infeliciter à ſuperbiæ Rege, atque auctore Diabolo ſuperatum, & ſeparatum à Religione, ac planè proſtratum eſſe. Quem tunc optimis quibuſque timorem caſus non incuſſit? Vt illud Zachariæ meritò vſurpari queat. *Vlula Abies, quia cecidit Cedrus.*

*Religionis luctus ob Ludouici caſū.*

Hieron. de ſcript. Eccl. in Lucifer.

Zachar. 11.

XVIII. Pulſo igitur Ludouico, atq; à Fratrū ſocietate diſſuto; cùm Cardinalis Tranenſis Pontifici optimū rerum ſtatum, qui apud Capucinos florebat, retuliſſet, ac Regularem obſeruantiam, ac cæteras Congregationis virtutes plurimùm apud illū commendaſſet: mirificè ipſius erga Religionem animum, ac beneuolentiam auxit.

XIX. Dum igitur pace (vt videbatur) Religioni reddita, Bernardinus Generalis Apoſtolica auctoritate confirmatus, rerum adminiſtrationi, quæ in prima hac Prouinciarum diſtributione, ac Reformationis propagatione difficilior erat, ſeriùs animū intenderet. En noua in Religionem procella concitatur, atque eò periculoſior, quò ſub auræ fallacis flatu certum illi naufragium minabatur. Nouus enim Minorum de Obſeruantia Generalis Miniſter, qui Lunellus cognominabatur: cùm Capucinorum Congregationem aperta vi, vtpote iam fixis radicibus ſolidatam, minimè euelli poſſe intelligeret, aliis machinis illam euertere cogitat. Quapropter

*Lunellus Obſeruantium Generalis nouam aduerſùs Capucinos procellā concitat.*

Pontificem adit, optimúmque ad omnes Ordinis perturbationes ſemel effugandas conſilium eſſe perſuadet: ſi Capucinorum Reformatio cum ea, quæ in Obſeruantium Ordine iamiam excitanda erat, in vnum Reformationis corpus, ſub vno Generaliſſimo Obſeruantium capite, coaleſcat; inde enim futurum dicebat; vt nec tot corporum monſtra ſub vna Religione conſpicerentur; nec illa Capucinis vnio incommoda eſſe poſſit; cùm ſua ipſis Priuilegia integra ſeruentur, ſolis dependentiæ, ac Caputij deferendi priuilegiis exceptis, vt omne ab hac vnione deformitatis monſtrum expellatur. Quòd ſi ij tenaciùs Caputio inhærere velint, haud ſe diſſenſurum affirmat: dummodò illa Reformatorum vnio ſub Generaliſſimo Capite fiat. Cæterùm, vt ab hac vnione, ex qua totius Ordinis pacem, ac tranquillitatem pendere aſſerebat, Capucini minimè diſſentirent, iis loca omnia, quæcunque ſibi in Ordine elegiſſent, collaturum ſpondet: Idemtidem Fratres ad Reformationem omni ſtudio prouocaturum, denique in ea tum tuenda, tum propaganda omni ope, ac patrocinio illis ex animo ſe adfuturum pollicetur.

XX. Hæc Generalis Lunellus, tametſi haud meliori animi ſententia, quàm qua hæc prior Piſciota tentauerat, proculdubiò duceretur: attamen tam grauiter, tamque appoſitis verbis, ac rationibus rem perſuadere cœpit; vt Pontifex hac publicæ quietis, ac tranquillitatis ſpe allectus, huius rei ſummam ſex S. R. E. Cardinalibus, ex quibus tres ſibi quæque pars eligeret, Apoſtolica auctoritate determinandam commiſerit.

XXI. Porrò nihil cunctatum eſt, vtrinque enim ſtatim Cardinales electi; dum verò lite inter partes conteſtata, magna inter Cardinales huius rei diſquiſitio fieret: Bernardinus Generalis, indicto vbique ſuis ieiunio, ac inſtitutis ad Deum precibus, quibus tam graue Religionis periculum diuinæ clementiæ ab omnibus commendaretur; Antonio Sanſeuerino S. R. E. Cardinali, qui inter tres illos Cardinales adnumerabatur, qui à Capucinis electi, eorum cauſæ fauebant; Schedulam quandam opportunè tradit: qua nonnulla reſponſionum capita, ac potiſſimæ rationes attingebantur; quibus vnio à Generalis prætenſa reſpueretur. Hanc Schedulam, ex antiquiſſimis Religionis monumentis, quæ in noſtro Archiuio Romano aſſeruantur, hauſtam; ne periret, ex Italico idiomate in Latinum conuerſam, hîc apponendam duxi, his verbis exaratam.

*Bernardinus Generalis pro Religione ſcripto pugnat.*

*Schedula à Bernardino Cardinali Sanſeuerino tradita.*

XXII. DVODECIMVS *annus agitur, cùm prima huius Capucinorum Congregationis apud nos iacta ſunt fundamenta; vt in ea auſteriùs S. Patris Franciſci Regulam, vitámque profiteremur: & quanquam nullum à ſuo ortu tempus effluxerit: in quo illa validiſſimè ab iis oppugnata non fuerit, qui in ipſius necem, ac interitum ab initio conſpirauerant; ea tamen numero ſemper, multitudine, ac Regularis Obſeruantiæ ſtudio, ac feruore ita profecit, vt diuina virtus, ac velut Cæleſte miraculum in ea negari minimè poſſit.*

*Reformationis neceſſitas aperitur.*

*Ordo de Obſeruantia, atque adeò Generalis ipſe haud inficiantur, Reformatione illis ſummoperè opus eſſe; Reformationémque idcircò quotidie promittunt; diu Reformatio expectata eſt, nec niſi quotidianæ, menſtruæ, & annuæ dilationes, ac promiſſa conſpiciuntur. Iam verò quo pacto hæc duo ſibi cohærere valent? Optima ſcilicet, ac perfecta in iis, qui iam reformati ſunt, vita, ac Regulæ obſeruantia; in aliis verò publica inobſeruantia, ac Reformationis neceſſitas? Aut qua ratione tam diſiuncta membra, ſub eodem capite conuenire poſſunt: vt ſimul, qui auſteriſſimè ſecundùm Regulam, & qui molliter præter Regulam viuunt, in vnum corpus coaleſcant? Quæ enim eſt participatio luci ad tenebras? Aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? Denique cùm Paſtor ouibus vita, & exemplo præeſſe debeat, illúdque*





*Capitis proprium munus ſit, vitam, ac ſpiritum in membra influere: quomodo rectè Ouibus præeſſe; aut eas Regularis Obſeruantiæ exemplo antecedere poteſt, qui aduerſa inobſeruantiæ via graditur? Vel qua ratione Capitis officium obire, aut capitis inſtar vitam, ac ſpiritum membris impertiri valet; qui Regularis obſeruantiæ, nec ſpiritum, nec vitam ſibi vendicat. Nemo enim dat, quod non habet: quin potiùs, vel eum neceſſe eſſet à membris reformatis ſpiritum accipere, quod capitis dignitatem euertit: vel in ijs ſpiritum, ac ſpiritualem vitam extinguere, quod magis familiare eſſe ſolet. Atque hoc pacto obedientia, quæ ad Regulæ obſeruantiam ordinatur, ab ipſa Regulæ obſeruantia ſuos cultores euocaret; & ad inobſeruantiam duceret. At clariùs adhuc rem attingamus.*

XXIII *Regula S. P. noſtri Franciſci, non propter Obedientiam, ſed Obedientia propter Regulam condita eſt. Dummodò ſub optimi Pontificis noſtri Pauli III. ac Superiorum noſtrorum obedientia perfectè Regulæ noſtræ obſeruationi incumbamus; an non id ſatis eſſe cenſendum eſt? Quid aliud Obedientiæ iugum à nobis exquiritur; quod Regulari obſeruantiæ potiùs obeſſe, quàm prodeſſe certum ſit? Nec tamen Generali Magiſtro Fratrum Minorum Conuentualium ſubeſſe renuimus: haud ea ratione profectò, quòd altero melior ſit: ſed quòd nos à Regulæ obſeruantia non impediat: Capucinos non oderit, non perſequatur, non ſe illis hoſtem, aut infeſtum præbeat, non eos calumniis oneret, non eorum apud Sæculares homines bonum nomen, ac exiſtimationem proſcindat. Cùm verò hic Obſeruantium Generalem, velut totius Ordinis caput agnoſcat: dum Capucinorum Congregatio Minorum Conuentualium Generali ſubeſt: etiam Generali Obſeruantium mediatè (licèt non immediatè) ſubiecta eſſe euincetur. Veruntamen Generalis hanc à nobis obedientiam, ac ſubiectionem alia ratione non expoſcit; quàm vt ſubiectos deleat. Quod vel ex eo perſpicuum eſt, quòd cùm nulla inter eos Reformatio, diu hactenus incolumis ſtare potuerit; ſola hæc Capucinorum Congregatio, eò quòd ab illius obedientia libera ſit, manet ſuperſtes; & quotidie florentior emergit. At quandoquidem vltrò ipſi fatentur, Obſeruantium Ordinem, qui ad triginta millium Fratrum numerum excreuit, reformari non poſſe; quid eſt, quòd tam paruum Capucinorum numerum, qui facilem, nedum poſſibilem ſibi Reformationem; ac Regulæ obſeruantiam vendicarunt, in Ordine florere tam moleſtè ferunt? An non vident, dum hoc in nos imperium tam immani bello, tantáque diuini nominis iniuria, ac propriæ exiſtimationis iactura ſibi comparare ſtudent: id eos efficere, vt homines clariùs intelligant, ipſos neque charitate, neque vllo bono zelo duci; ſed vel animi liuore, vel metu agitari; ne aut priſtinis eleemoſynis priuentur, aut propriam apud homines exiſtimationem minuant; ob id potiſſimùm, quòd perfectam Regularis obſeruantiæ, atque Euangelicæ vitæ normam, quam in Capucinis perſpiciunt; in ipſis minùs elucere cernant.*

*Obedientia Regulæ obſeruantiam impedire nō debet.*

XXIV. *Seraphicæ, atque Euangelicæ Regulæ perfectio, non in ſyllabis, aut dictionibus; ſed in ſpiritu, & veritate conſiſtit. Quamobrem Beatus Pater Franciſcus Generalem in Regula idcircò Miniſtrum appellat; quòd is in veritate ſubditis ſpiritum, & vitam miniſtrare debeat. At ſi Capucinos ſibi Generalis ſubijceret: quemnam illis Obedientiæ ſpiritum miniſtraret? Non eum ſanè, qui ſecundùm Regulam, altiſſimæ paupertatis, ac Regularis obſeruantiæ eſſet: ſed eum tantummodò,*

*Minorum Generalis Miniſter ſubditis ſpiritū, & vitam, nō necem miniſtrare debet.*

*qui ſecundùm præſentem inobſeruantiæ ſtatum ad relaxationem pelleret. Quò fit, vt nec ſpiritum, nec vitam iuxta Regulam miniſtraret.*

*Renouent igitur, & reforment ſeipſos, qui nos ſubiectos volunt: eóſque qui reformatè viuunt, perſequi deſinant.* XXV. *Sancti Franciſci paupertatem, auſteritatem, humilitatem, vti Regula præcipit, ſectari incipiant: tot ſumptuoſa ædificia, tot pompoſos ornatus, tot illicitos ad pecuniam recurſus, tot ſuperflua ab Ordine amputent. In paſtoribus ardens ad Chriſti, ac B. Patris imitationem ſtudium; in cęteris feruens ad omnem Regulæ obſeruantiam ſpiritus incaleſcat. Veros, ac legitimos ſe Paſtores exhibeant, qui non aliunde per ambitus, ac prenſationes in honores irrumpant: ſed per humilitatis oſtium inuiti ad dignitates rapiantur. Creditas illis animas verbo & exemplo paſcant: nec ſibi, aut aliis id impoſſibile eſſe perſuadeant, quod paſſim fieri intuentur; quodque B. Pater Franciſcus, ac ipſius Socij, demum tot alij poſt eos reipſa fieri poſſe, demonſtrarunt. Cúmque hoc modo ſeipſos, ac ſuos Conuentus ad perfectam Regularis obſeruantiæ formam reuocauerint: tunc profectò, nemine reluctante, hæc inter nos vnio ſtabiliri poterit; & communi aſſenſu decerni. Fiat vnum Ouile; & vnus Paſtor: quandoquidem bonus erit Paſtor, qui oues præcedet. Dum verò adhuc diſcrepantia ſunt ouilia, Paſtórque alteri Ouili eſt ignotus; vnum Ouile eſſe non poteſt; nec vnus vtriuſque ouilis Paſtor. Ob id potiſſimùm, quòd Beatus Pater Franciſcus illud tantùm proprium Ouile, ac Ouium Paſtorem agnoſcat, qui in Regulæ obſeruantia ſimul conſpirant. Quapropter, cùm primùm Religionem à Regulari obſeruantia deflectere animaduertit: nè prorsùs ſuo ouili careat, nouas protinùs Reformationes excitat. At quandoquidem hæc noſtra Capucinorum Reformatio, vtpotè ſuo Ordinis principio ſimilior, priores omnes Reformationes perfectione antecellit: profectò haud mirandum eſt, quòd maiores ea pugnas, & contradictiones patiatur: atque adeò cunctis peripſema ſit, vt quotquot in Conuentualium, & Obſeruantium Ordine ſub B. P. Franciſco militant: omnes Regularis obſeruantiæ faſtigium, ac pacem aſſecuti videantur: ſolis verò Capucinis, velut Regulæ prædonibus bella, ac infeſtationes moueantur.*

*Generalis Miniſtri partes, & officia deſcribuntur.*

*In id ſummus Pontifex, & Cardinales maximè animum intendere debent, at-* XXVI. *que iis auxilium impendere, qui Euangelicæ vitæ normam in Orbem reuehunt; Eccleſiámque ſuis virtutum exemplis illuſtrant: Atque eò ſtudioſiùs, eos ſua auctoritate fouêre, quò magis ab iis diuexari, ac nulla ratione moleſtari conſpiciunt: qui cùm Regularem obſeruantiam peſſundent, id tandem calumniæ B. P. Franciſco inurere non verentur: vt nec vilis panni habitum, nec Caputium quadratum geſtaſſe affirment; quaſi verò id & B. Franciſci, & Sociorum habitus, qui in Mundo pro reliquiis habentur: & imagines, & picti parietes id copioſiſſimè non teſtentur. Veruntamen, cùm non habitus, ſed virtus Monachum efficiat: hæc quæ ad rem non pertinent, prætereo. Deum verò duntaxat rogo, vt illis Reformationis ſpiritum impertiat, quò ſapientiùs, ac maiori rerum veritate de his agere valeant.* Hæc verbo tenus in ſchedula.

*Non habitus, ſed virtus Monachum præſtat.*

Cùm igitur inter ſex Cardinales Iudices agitata hinc inde controuerſia, XXVII. res eò deducta eſſet; vt ex his quinque in vnionem conſpirantibus, iudicium ad Obſeruantium partes apertè propenderet: Clementiſſimus Deus, qui Reformationis incolumitati inuigilabat; Cardinalis Sanſeuerini, qui inter eos ſextus erat, à





Capucinis electus, tam vehementer ſpiritum accendit: vt ardentiùs pro Capucinis agere, grauiſſimiſque rationibus allatis, his verbis Cardinales collegas alloqui cœperit.

*Cardinalis Sanſeuerinus Capucinorum cauſam agit.*

XXVIII Si poſt hanc inter Obſeruantes, & Capucinos vnionem, & concordiam noſtro iudicio definitam (Patres illuſtriſſimi) certa nobis ſpes affulgeret: vt pace animis reddita, partes inter ſe concordes, tam amicè ſe inuicem complecterentur; vt & vnanimes in domo Dei, ac ſub eodem Religionis tecto habitarent; & vberrima illa bonorum, atque vtilitatum ſeges, quæ ex Capucinorum vita, ac diuini Verbi prædicatione in Dei Eccleſiam redundat, nullatenus diminueretur: planè velis omnibus, remiſque in hoc nobis iudicium eundum eſſet: vt & exorti inter illos tumultus, ac perturbationes, velut gladio reſecarentur; réſque eum tranquillitatis ſtatum aſſequerentur, ex quo copioſiora in Eccleſiam bona deriuarent. At vereor maximè: ne dum præter ſpem res nobis infeliciùs ceſſura eſt, eo non parua prudentiæ noſtræ macula inuratur. Etenim nemini non perſpectum eſt, quàm inueterata ſit, Obſeruantium in Capucinos ſimultas: quanta ab exordio moliti fuerint, vt eos è medio tollerent: quam diuturno, ac immortali bello illos oppetierint; quàm graues in eos Tragœdias excitauerint: quot Principum fauores, quot calumnias, quot dicteria congeſſerint: quot denique arietes admouerint, vt eos penitus delerent, ac proſternerent.

*Cardinalis Sanſeuerini pro Capucinis Oratio.*

*Odium in Capucinos.*

XXIX. Res quoque omnibus manifeſta eſt, quàm malè ipſi ſuos Reformatos excipiant; quos vel inani Reformationis ſpe alunt, vel iam Reformatos deprimunt, exagitant, diſpergunt, nec vllibi tranquillos viuere ſinunt: quos tamen potiùs amplecti, fouere, augere, ac ſtudiis omnibus proſequi deberent. Hinc facilè, quid de maximis eorum pollicitationibus, quibus nunc Capucinos proſequuntur, iudicandum ſit, perſpici poteſt. Si enim ſuos, quos diligunt, tam aſperè exagitant: quid in alienos ſibi infeſtos, inuiſos, exoſos, illos agere credendum erit? Planè maximè extimeſcendum eſt; ne ſub hoc melle venenum lateat: cúmque ſub hac fallaci promiſſionum ſpe ſibi Capucinos ſubiecerint, nullatenus quieſcant; donec Caputio illo, à quo tantoperè abhorrent, è medio ſublato, ac præclara illa Regularis diſciplinæ, ac totius Sanctimoniæ forma, quæ communem illorum lapſum, ac contemptibilem vitam accuſat, planè ſuffocata, paulatim Capucinos extinguant. Perpendite, obſecro, Patres, ſi hi Capucinos toto Religionis corpore adhuc ab ipſis diſiunctos, ob ſolam habitus diſtinctionem, & Regularis obſeruantiæ rigorem, tam dirè hactenus perſecuti ſunt, vt vi omni, atque conatu Reformationem ad internecionem quærerent: quid ſi illos ſubiectos habeant, acturos exiſtimamus?

*Suorummet Reformatorū oppreſſio.*

XXX. Accedat, (Patres) quòd Capucini in inſtituta Regulæ obſeruantia, quam iam per plures annos, maxima cum virtutum laude, ac totius Orbis admiratione proſecuti ſunt, ita fixi ſtant, ac immobiles; atque adeò in ea tenenda vnanimes; vt nullatenus huic vnioni aſſentiri velint; quin priùs ad ſyluas, ac deſerta confugere, quàm ad Obſeruantes migrare ſibi eligant. Neque id immeritò, cùm certa ipſa rerum experientia didicerint, huiuſmodi vnionem illis ad Regularem obſeruantiam, non tam pernicioſam, quàm omninò mortiferam ac exitialem futuram eſſe. An non maiores inde rerum perturbationes, ac tumultus oriri neceſſe eſt, qui non aliis planè, quàm nobis, qui in hoc conſilium conſpirauimus, imputari queant. Denique hoc vnum, ac ſupremum interimendæ Religionis periculum nobis in animum veniat. Num, Patres illuſtriſſimi, num Reformationem Deo, ac B. Franciſco auctore, ad communæ Eccleſiæ bonum, atque Euangelicam vitam in Orbe inſtaurandam excitatam, Regulæ obſeruantiſſimam, moribus gratam, nouum tandem Orbis ſpectaculum cunctis admirandum, noſtro iudicij gladio confodi, perimi, trucidari æquo animo feremus? An nõ tot animarũ ſanguis, quot in hac Reformatione Deo fideliſſimè famulantur, ac in poſterùm famulaturi eſſent, horrẽdis vocibus aduersùm nos in Dei iudicio clamabit? Quid? An non ipſa noſtro cõſilio extincta, ac

*Regularis Obſeruantiæ interitus.*

*Religionis à Deo inſtituta, & Eccleſiæ vtiliſſimæ, occaſus.*

*Sapient. 6.*

proſtrata Religio, ſuas ad Deum contra nos querimonias fundet? quam cùm noſtra auctoritate fouere, ac ſartamtectam ſeruare deberemus, noſtro iudicio, ac potentia oppreſſimus. Nunquid non horum à nobis ratio ſeueriſſimè exigenda eſt? Quoniam cùm data eſſet nobis à Deo poteſtas, & Miniſtri eſſemus Regni illius, non rectè iudicauimus, nec cuſtodiuimus legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulauimus. Num æquitatis lex, aut Dei voluntas fert, vt quæ ſemel à Deo conſtituta ſunt; humano iudicio, ac poteſtate tollantur? Id porrò certum, ac perſpicuum eſt, vnionem hanc adeò Capucinorum Religioni funeſtam eſſe; vt ſi pro ea à nobis iudicium feratur, de illa prorſus actum ſit. Quapropter, Patres illuſtriſſimi, nobis magis conſultum eſt, vt lethiferam vnionem, diſſoluentes nos ipſos potiùs in illum diem puros ſeruemus; manúſque noſtras à tam ſanctæ Religionis ſanguine innoxias, cuſtodiamus: quàm vt Dei opus ſummo omnium noſtrûm periculo conemur diſſoluere. Tot denique conglobatis rationibus, ac tanta orationis vi, id reliquis Cardinalibus perſuaſit: vt omnibus in ſuam ſententiam perductis communi ſenſu pro Capucinis iudicare decreuerint.

*Cadinalis Senſeuerinus cæteros in ſuam ſententiã pertrahit*

XXXI. Dum hæc Romæ agerentur, Ludouicus Rheginus, qui poſt triennium in Prouincialatus Officio apud ſuos exactum, Bernardinum Georgium ſibi in eo munere ſuperiori anno ſucceſſorem acceperat, cùm à Miniſtro Generali Obſeruantium, quem è Sicilia Romam redeuntem, Rhegio nuper obuium habuerat, multis verbis perſuaſus fuiſſet: vt ſe ſuoſque concordi ſenſu à Minorum Conuentualium ſubiectione diſſutos, ad Obſeruantium obedientiam, ac ſocietatem transferret, plurimáſque ob id æquiſſimas conditiones obtuliſſet, quibus faciliùs illum in hanc deliberationem pertraheret. (Id enim Generalis cogitauerat, vt Ludouico, ac cæteris Calabris in hanc vnionem adductis, faciliorem ſibi viam Romæ ad vniuerſalem quoque aliorum vnionem ſterneret.) Ludouicus tum propoſitis conditionibus, tum etiam copioſis Generalis pollicitationibus allectus, in eam vnionem propendere videbatur. Veruntamen; cùm rem eouſque diſtuliſſet, quoad Prouincialem, ac Generalem Vicarium de ea certiorem redderet: hoc ipſo tempore re cum Bernardino Prouinciali communicata, de ea communi ſenſu ad Bernardinum Generalem ſcribunt. At Generalis, acceptis vtriuſque literis, protinus ad eos reſcribit; monens ne vllis Generalis pollicitationibus moueantur: aut à priſtino rerum ſtatu ſe abduci ſinant, litem enim adhuc apud Iudices Cardinales pendere; ac propterea nihil illis omninò in hac re innouandum eſſe præſcribit.

*Ludouicus & Bernardinus, Rhegini in vnionem propendunt.*

XXXII. Interea Cardinales, quibus huius cauſæ iudicium commiſſum fuerat; cùm per dies aliquot aſsiduè illius examini, ac diſcuſsioni vacaſſent; tandem ſententiam ferunt, Capucinos ab eo rerum ſtatu, in quo hactenus per Apoſtolicam Bullam conſtituti fuerant, minimè deturbandos eſſe: neque ad vllam cum Obſeruantibus vnionem eſſe compellendos: ſed ſub Min. Conuentualium Obedientia, iuxta ea, quæ in Bulla præſcribuntur, confirmari. Hac ſententia prolata, Cardinales iudicium ad Pontificem deferunt; qui, eo approbato, Bullam ad Religionis Capucinorum confirmationem hoc anno, ſub die 25. Auguſti condi iubet: qua priorem Clementis VII. anno 1528, editam confirmat. In eaq; nonnulla circa Religionis adminiſtrationem, ac Vicariorum tam Generalium, quam Prouincialium electionem, ac munus decernit. Capucinorum Congregationem ſub Magiſtri Generalis Minorum Conuentualium Obedientia, quo ad ea, quæ in hac Bulla præſcripta ſunt, iterum conſtituit. Sub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus vſum habitus, qui à Capucinis geſtatur, interdicit; niſi ſub Generalis Capucinorum Obedientia permaneant. Poſtremò declarat, Capucinos, cùm ſuis Vicariis, ſeu Generalibus, ſeu Prouincialibus obediunt, eorum Regulæ, ac præſertim in eo vbi ait: *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt obediant ſuis Miniſtris*, plenè, & integrè ſatisfacere. Bullæ autem tenor hic eſt.

*Capucinorũ Congregatio [illegible] Apoſtolica Bulla confirmatur.*

*Reg. cap. 10*





# PAVLVS EPISCOPVS,

## SERVVS SERVORVM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

XXXIII *§. 1.* EXPONI *nobis nuper fecerunt dilecti filij Vicari⁹ modernus, & Fratres Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum, quòd poſtquam fel. record. Clemẽti Papæ VII. Prædeceſſori noſtro pro parte nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum Ordinis Minorum, expoſitum fuerat, quòd olim feruore ſeruiendi Altiſſimo ducti, Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum ingreſſi, in ea profeſſionem emiſſi per certum tempus permanſerunt, & deinde de licentia ſuorum tunc Superiorum iuxta formam literarum Apoſtolicarum ſuper vnione, & concordia inter prædictos, & Conuentuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis edita confectarum, ad ipſorum Fratrũ Conuentualium conſortium ſe tranſtulerunt, & à tunc Magiſtro Prouinciali Prouinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conuentualium benignè recepti, ac aliorum Fratrum Conuentualium eiuſdem Prouinciæ numero, & conſortio aggregati fuerunt. Et deinde deſiderantibus illis pro animarum ſuarum ſalute, ac Dei gloriam Eremiticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, Regulam B. Franciſci obſeruare: dictus Magiſter Prouincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & à Clemente ſeptimo Prædeceſſore noſtro, ac Sede Apoſtolica, quæcunque ad animarum ſuarum ſalutem, ac Dei gloriam opportuna illis viderentur, petendi, & impetrandi conceſſit.*

*§. 2. Ac etiam dilectus filius Andreas Tit. S. Priſcæ Preſbyter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, illis vt ſimilem impetrationem facere, ita tamen, quòd vnus ex illorum conſortio omnium nomine Magiſtro Prouinciali, ſeu Capitulo Prouinciæ dictorum Fratrum Conuentualium, in qua habitarent ſingulis annis ſe præſentare in ſignum ſubiectionis teneretur: & ipſe Magiſter (ſi ſibi videretur) ſemèl in anno, & non vltrà illos viſitare, & ſi inuenerit eos Regulam prædictam non obſeruare, ad eam pleniùs obſeruandam illos admonere, ac debitis modis compellere poſſet. Præter hæc autẽ, nec illos de loco ad locũ transferre, nec aliquid aliud illis iniũgere, aut ab illis exigere valeret; ſed potiùs illos tueri, & defẽdere teneretur, vt in pace poſſent Altiſsimo in diuinis famulari; prout in literis patẽtibus eorundẽ Cardinalis Protectoris, & Magiſtri Prouincialis deſuper cõfectis pleniùs dicitur cõtineri.*

*§. 3. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, literarum prædictarum vigore, nonnulli Clerici Sæculares, & Regulares, ac Laïci ab ipſis Fratribus, vt præfertur nominatis, vel vno ex eis, ac ab alijs de ipſorum commiſſione receptis, Congregationem Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum conſtituerint: ipſique Fratres cupiant literas prædictas quoad infraſcripta confirmari, & extendi, & propterea nobis humiliter ſupplicari fecerint, vt huiuſmodi eorum votis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

*§. 4. Nos attendentes vberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in Agro Militantis Eccleſiæ hactenus produxit, & in poſterum producturm ſpe firma ſperamus: ac dignum cenſentes, vt circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernunt, be-*

nignos fauores impendamus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati literas Clementis Prædeceſſoris huiuſmodi, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia, per præſentes approbantes, & confirmantes illos dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capucinorum huiuſmodi, ac ipſius Congregationis Fratribus, perinde, ac ſi illæ eiſdem Congregationi, & Fratribus directè fuiſſent, quoad omnia, & ſingula in ipſis literis contenta ſuffragari debere decernimus.

§. 5. Et nihilominùs auctoritate, & ſcientia ſimilibus per eaſdem præſentes, ſtatuimus, & ordinamus, quòd deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum Capucinorum circa finem triennij, ex quo ad Officium Vicariatus huiuſmodi electus fuerit, vel etiam priùs, aut poſteriùs iuxta præfatæ Regulæ tenorem, ac ipſorum Fratrum laudabiles Conſtitutiones, Vicarios, Diſcretos, & Cuſtodes vocem Cõgregationis habentes quarumlibet Prouinciarum, & Cuſtodiarum ſibi ſubiectarum, in locum per ipſum Vicarium Generalem deputandum, ad Capitulum conuocare poſſit: quorum ſi qui legitimo impedimento detenti ipſi Capitulo intereſſe non potuerint, per nuncios ab eis deputatos, vel ſuppletis votis eorum, iuxta ipſorum conſuetudinem præſentia ſuppleatur.

§. 6. Qui ſic congregati, omnia, & ſingula: quæ alij Fratres dicti Ordinis in eorum Generali Capitulo de iure, vel conſuetudine, & ex priuilegiis poſſunt, faciendi, ordinandi, & diſponendi, & potiſſimè eligendi vnum Religioſum eiuſdem Ordinis, & Congregationis in eorum ſimilem Vicarium Generalem facultátem habeant. Et ipſius Vicarij electionem, ſi à maiori parte Eligentium celebretur, quàmprimùm commodè fieri poterit, Generali Magiſtro dictorum Fratrum Conuentualiũ nuncupatorum, ſicut hactenus ſeruatum fuit, donec aliud deſuper ordinatum à Sede Apoſtolica fuerit, præſentent, ſeu præſentari faciant.

§. 7. Ipſeque Generalis Magiſter intra triduum à præſentatione ſibi facta electum Vicarium confirmare teneatur, concedendo ei, & committendo plenariè vices ſuas. Tribuendo, videlicet, liberam poteſtatem, & auctoritatem, ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes, & ſingulos Fratres eiuſdem Ordinis Capucinos nuncupatos, etiam ſi alio quouis nomine nuncupentur, tam in Capitibus, quàm in mẽbris, publicè, ac priuatim viſitandi Congregationes in Prouinciis, ac cuſtodiis, omnibus eis ſubiectis, ſiue pro Electione Vicariorum, Diſcretorum, Cuſtodum, & Guardianorum, ſiue pro alijs vtilibus negotiis, faciendi, ſeu fieri faciendi noua loca, Conuentus, ſeu Eremitoria recipiendi, Fratres ſubditos corrigendi, & puniendi, excommunicandi, & abſoluendi, incarcerandi, & à carceribus liberandi: Contradictores, ac rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris, ac dicti Ordinis remedia, etiam per inuocationem brachij Sæcularis, vel Eccleſiaſtici (ſi opus fuerit) compeſcendi, ac generaliter, ſpecialitérque omnia, & ſingula circa Fratres, Conuentus, domos, loca, & Eremitoria huiuſmodi faciendi, exercendi, & diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi, ac ſtatuendi, quæ Generalis Magiſter dicti Ordinis circa Fratres, Conuentus, domos, loca, & Eremitoria Fratrum Conuentualiũ nuncupatorum facere poſſet, ſi perſonaliter adeſſet, vel intereſſet. Ac eaſdem auctoritatem, poteſtatem, gratiam, & facultates per ipſum Magiſtrum Generalem eidem Vicario





Generali conceſſas, vel earum partem, aliis Fratribus, quos ad hæc iudicauerit idoneos committendi, & concedendi; nec non per ipſos prædicti Vicarij Commiſſarios cõmitti, & concedi faciendi. Et triduo elapſo, & electo non confirmato, idẽ electus pro confirmato Sedis Apoſtolicæ auctoritate, cum plenaria poteſtate huiuſmodi vſq; ad Succeſſoris Electionẽ habeatur: & infra hoc tempus officio ſuo ſine ſcitu omnium Vicariorum, & Diſcretorum Prouincialium, aut maioris partis eorundem renunciare nequeat. Poſſit tamen conuocare omnes Vicarios, & Diſcretos ſibi ſubiectos infra tempus Officij ſui in loco per ipſum deputando: quoties ſibi opus viſum fuerit.

§. 8. Si verò Generalis Vicarius infra officij ſui tempus ex hac luce migrauerit, ſeu aliàs ab Officio amotus fuerit: Vicarius, in cuius Prouincia mori, vel amoueri contigerit, nunciet, quàm citiùs poterit omnibus Definitoribus Capituli Generalis immediatè præcedentis, & omnibus Vicarijs Prouincialibus, ac de conſilio, atque conſenſu duorum Vicariorum proximorum determinet locum, & tempus: niſi fuiſſent per Generale Capitulum, vel per prædictum Vicarium ante obitum ipſius, ac amotionem deputata. Et conuocet, qui fuerint euocandi, pro Succeſſoris Vicarij electione celebranda, quo vocationis tempore, auctoritate Sedis prædictæ exerceat Officium Vicariatus huiuſmodi primus Definitorum prædictorum, vel ipſo deficiente ſecundus, & ſic de aliis ſucceſſiuè cum plenaria poteſtate præmiſſa.

§. 9. Et hoc idem cenſeatur de Vicarijs Prouincialibus, cùm eis mori, vel amoueri contigerit: ac Prouincias regi, ac gubernari per primum, ac alios Definitores ſucceſſiuè Capituli Prouincialis immediatè præcedentis, prout ſupra de Vicario Generali ſtatutum extitit, ſalua ſemper, & reſeruata prædicti Vicarij Generalis, vt præmittitur, poteſtate.

§. 10. Generalis verò tam Magiſter prædictus, quàm Miniſter Ordinis Minorum huiuſmodi, aut quiſpiam Miniſtrorum, ſeu Magiſtrorum Prouincialium, ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis, tam Conuentualium, quàm de Familia, ſiue de Obſeruantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem Apoſtolicam ordinatum fuerit, prædicto Vicario Generali, ſeu cæteris Vicarijs, vel cuipiã Fratri eiuſdem Congregationis Capucinis nuncupatis moleſtiam, ſeu impedimentum aliquod inferre nõ audeat, nec præſumat ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis officij, omniumq; actuum legitimorum. Niſi quòd præfatus Magiſter Generalis, donec aliter per dictam Sedem ordinatum fuerit; per ſe duntaxat perſonaliter viſitare, & corrigere poſſit, & valeat prædictum Vicarium Generalem: ſeu Fratres, domum, locum, & Eremitorium eorundem Fratrum Capucinorum nuncupatorum piè, benignè, & charitatiuè ad meliorem frugem reuocando. Et ſi quempiam (quod abſit) repererit criminoſum, ipſum Vicarium de conſilio, & aſſenſu maioris partis Vicariorum præmiſſorum, cæteros verò de conſilio, & aſſenſu maioris, & ſanioris partis Fratrum, domus, Eremitorij, loci, vel Conuentus viſitatorum in eodem loco, & non extra, corrigere valeat, & punire, pœnitentiare, ac emendare ſecundùm quòd delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine verò, ac cura prædictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum, ſe aliter non intromittat.

§. 11. Diſtrictiùs inhibentes quibuſcunque perſonis cuiuſcunq; conditionis exiſtãt, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per

*eos deferri ſolitum, niſi ſub dicti Vicarij Generalis pro tempore exiſtentis obedientia & cura permaneant, geſtare quoquo modo præſumant,*

§. 12. *Inſuper veſtigiis piæ memoriæ Pij Papæ ſecundi etiam Prædeceſſoris noſtri in hac parte inhærendo, qui aliàs ex certis cauſis auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia in fauorem Familiæ de Obſeruantia interpretatus eſt, ac declarauit, quòd cùm Apoſtolica Sedes Generalem totius Ordinis Minorum, Miniſtrum Generalem, & Prouinciales Vicarios Miniſtrorum loco, certis, piis, ac ſanctis reſpectibus eſſe voluiſſet, ac decreuiſſet, Vicarij ipſi, qui illis præeſſent, & quibus ipſi ex debito eorum profeſſionis obediebant, & veri, & indubitati ipſorum Miniſtri, cùm tales B. Franciſcus dicti Ordinis Inſtitutor, eos eſſe intellexiſſet, quoaduſque præfata ſedes, in cuius arbitrio conſiſtebat, aliud alio reſpectu ordinare ſtatuiſſet, eſſent, ac perpetuò forent differentes à prædictis Miniſtris ſolo nomine, eóſque qui dictis Vicariis obedirent, ſecundùm dictæ Sedis determinationem, eorum Regulæ, & præcipuè in ea parte, vbi erat: Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt obediant ſuis Miniſtris, plenè, & integrè ſatisfacere, auctoritate, ac ſcientia prædictis declaramus, ac decernimus, quòd donec aliter ſuper præmiſſis per præfatam Sedem ordinatum fuerit, Fratres Capucini prędicti eorum Vicariis, prout de Vicariis Familiæ per dictum Pium Prędeceſſorem, vt præfertur, ſtatutum fuerat, obediendo, plenè, ac integrè præfatæ Regulæ ſatisfaciant.*

§. 13. *Quocirca vniuerſis, ac ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nec non dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, ac aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, ac in eis contenta, quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Vicariorum, & Fratrum Capucinorum prædictorum, ſiue alicuius eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, ac in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruare, ac ſingulos, quos præſentes concernunt, illis pacificè gaudere. Non permittentes eos deſuper, per quoſcunque contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, inquietari, ſeu perturbari. Contradictores quoſlibet, ac rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij Sæcularis.*

§. 14 *Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui Prædeceſſoris noſtri de vna, & Cōcilij Generalis de duabus dietis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, nec non quibuſuis priuilegiis, ac indultis Apoſtolicis, ſub quibuſuis tenoribus, ac formis, cum quibuſuis clauſulis, ac decretis, quæ aduersùs præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

§. 15. *Volumus autem, quòd pręſentiū tranſūptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigilli alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cōſtitutæ, ſeu Canonici alicuius*

*Cathe*



*Cathedralis Eccleſiæ munitis, eadem fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberentur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.* Nulli ergo, &c

*Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, octauo Kal. Septembr. Pontificatus noſtri anno ſecundo.* En quò tandē acrior hæc perſecutio, quę extremū afflictæ Religioni diē ominari videbatur, diuina benignitate euaſit: eò ſanè, vt illuſtrior Dei in ea, tum propugnanda, tum confirmanda, Prouidentia eluceret: cui id ab exordio peculiare fuit; vt diuinum hoc germen, ac cæleſtem plantationem, inter aduerſa ſatam, enutritam, auctam: eò tunc profundiùs ſolidaret; cùm eam grauioribus tempeſtatibus concuti ſinit.

XXXIV Hac itaque Controuerſia per Cardinalium iudicium ſublata, à Capucinis publicè Deo gratiæ actæ fuerunt, qui ſua illis ope, ac Prouidentia adfuerat: quique inter maiora Religionis pericula noua Pontificis auctoritate nutantem rerum ſtatum (vti ſæpè conſueuerat) rurſus cæleſti benignitate confirmauerat. Atque inde maxima illis, tum diuinæ protectionis, tum futuræ propagationis ſpes in animo oritur. At ex Aduerſariis nonnulli, cùm ſe hac vnionis, qua Capucinos delere ſe poſſe exiſtimabant, ſpe fruſtratos viderent; altera via, nimirum linguæ aculeis illos aggredi parant: paſſimque in vulgus diſſeminant, ſe quidem ab exordio Capucinorum vnionem, velut Religioni vtilem, & honorificam iudicaſſe: at re maturiùs conſiderata, cùm propriam Reformationem longè Capucinorum Reformatione præſtantiorem, ac rigidiorem expectarent; Capucinos verò non niſi homines ignauos, nulla vera virtute conſtantes, ſola rerum apparentia tumidos, ceruicoſos, imperitos, denique ad omnia ineptos offenderent: eos velut indignos, atque Ordini potiùs obfuturos, quàm profuturos ab vnione, quam illi ſummoperè optauerant, reieciſſe; quos propterea breui ſuamet vanitate in inanes ſpumas abire neceſſe ſit

*Aduerſarij in Capucinos oblatrant.*

XXXV. Has in Reformationem maledicentias, & obtrectationes, quibus Aduerſarij Capucinorum vitam, velut maculis aſpergebant, cùm ij diu æquo animo tuliſſent, ac Euangelicam vicem rependentes, pro ipſis ad Deum preces funderent; his tamen Bernardinus Generalis bonum Religionis nomen apud homines minui, & ſcandala inde haud aſpernanda in populo oriri animaduertens, Franciſco Aeſino, & altero Titelmano ſecum ſociis aſſumptis, ad Cardinalem Quignonium, qui non pridem Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Protector creatus fuerat, opportunè accedit: cui, vbi publicas Fratrū Obſeruantium obloquutiones, ac infames libellos expoſuit, quibus Capucinorum Religio ab iis proſcinditur: id quoque ſibi propoſitum eſſe indicat; obtrectatoribus ad Contradictorium vocatis, corā Apoſtolica Sede, tot calumnias, quæ in apertam ſui Ordinis perniciem vergunt, abſtergere: niſi ij linguam à maledictis compeſcant. Porrò Cardinalis, qui ab huiuſmodi obtrectationibus, velut à re planè indigna, abhorrebat: cùm his ſuos contaminatos intelligeret; id adeò ægrè tulit, vt protinus ſe facto maturiùs proſpecturum polliceretur: interea Bernardino ſuadet, vt lentiùs in ea deliberatione procedat. Tum verò nihil moræ interponens, ad Aræceli Conuentum aduolat: vbi Senioribus Patribus accitis, his iuſtas Capucinorum de violata ipſorum fama, querimonias explicat: atq; vbi Bernardini Generalis: aliorúmq; illius Ordinis Patrum, de cauſa coram Pontifice agēda deliberationem aperuit: iis conſultiùs fore perſuadet, vt deinceps à conuitiis in Capucinos abſtineant. Hoc pacto; quandoquidem res nulla iuſta ratione, aut excuſatione cohoneſtari poterat; tum ob Cardinalis Protectoris auctoritatem, tum maximè ob ipſam malefacti conſcientiam, quam ſibi in ea cauſa, velut mille teſtes aduerſariam patiebantur; tandem à maledictis ceſſatum fuit.

XXXVI Cæterum, inter tot maledicta & obtrectationes, quibus vndiq; Capucinorū Religio hoc tempore diuexabatur, ex Obſeruantium Ordine (quod planè mirandum eſt, ac diuinæ tantùm Prouidentiæ tribuendum) quamplurimi: Viri doctrina, ac vir-

*Plerique Illuſtres Viri ex Obſeruātibus ad Capucinos accedunt.*

tute

tute illuſtres ad noſtros accedunt:inter quos hoc Anno Fr. Iacobus Melphitenſis, celeberrimus Diuini Verbi concionator,ac Neapolitanæ Vrbis Lector; Vir doctiſſimus, atque inter Obſeruantes Primarius, cùm Neapoli magno cum Vrbis applauſu, Quadrageſimale prædicationis officium obiiſſet; maiori omnium ædificatione, cum Fr. Timotheo ſocio ad Capucinos ſe confert. Quem plerique alij, ac præſertim ex diſcipulis, Fr. Franciſcus Boccalinus Calaber, ac Fr. Bernardinus à Cilento, eodem tempore, atque eodem ſpiritu ducti ſequuntur: ſimúlque Capucinorum habitu in Neapolitana Prouincia donantur.

XXXVII. In Mediolanenſi quoque Prouincia Fr. Ioſephus à Ferno, quem alij à Mediolano vocant, diuini Verbi Concionator,ſimul cum Fratre Angelo germano ipſius fratre,F. Franciſco,& F. Hieronymo Nouarienſibus, ac F. Aegidio de Orona ex Obſeruantium nuncupatorum Familia ad Capucinorum Reformationem tranſmigrantes,Brixiæ Religionis habitu cohoneſtantur.

XXXVIII. Poſt hæc Bernardinus Generalis miſſis in Calabriam litteris, Ludouicum Rheginum,& Bernardinum Prouincialem de vnionis controuerſia à Cardinalibus dirempta, certiores reddit: iubétque vt ab Obſeruātibus penitus diſſuti,ſub Min. Conuentualium Capite iuxta vtriuſque Bullæ præſcriptum permaneant.

XXXIX. Inter hæc Bernardinus Georgius Calabræ Prouinciæ Vicarius, vix per ſeſquiannum eo munere functus, hoc anno circa quartam Aduentus Dominicam extremum mortali vitæ colophonem imponit: vt immortalem apud Superos inchoaret. Huius viri, quandoquidem celebris eſt apud Calabros memoria; vitáque tot,tantiſque virtutibus exornata: vt & Seraphicam, & Catholicam Religionem quamplurimùm illuſtrauerit; nonnulla hîc,quæ ad ipſius vitam ſpectant,ex antiquis monumentis deprompta,colligenda duxi:ne glorioſis Viris, ac Religionis noſtræ parentibus ea à nobis laus immeritò ſubtrahatur, quam ſibi ex præclariſſimarum virtutum luce compararunt.

*Fr. Bernardinus Georgius Calaber diem extremum claudit.*

## *BERNARDINI RHEGINI*

### *Cognomento Georgij, Vita ex antiquis M. S. decerpta.*

XL. BERNARDINVS igitur (vt à genere exordiar) Rhegij, ex nobili illius Vrbis Familia ortum duxit. Eſt autem Rhegium, quod alij Regium Iulium abſque adſpiratione,alij Neptuniam,ſiue Poſidoniam appellant; Vrbs in inferiori Calabria iuxta Merulæ deſcriptionem: quam tamen alij in ſuperiori, quæ Magna Græcia dicitur,collocant, antiquiſſima; olimque potentiſſima; vnde Rhegij nomen ſortitam ferunt, quòd Regia eſſet Vrbs, multis aliis imperans. Hæc ad fretum loco prominenti ſita; quamquam variis olim tum à Dionyſio Rege,tum à D. Iubellio Campani exercitus Ductore,ac nuper à Caradino Turca Solimanicæ Claſſis Præfecto, atq; aliis cladibus,ac calamitatibus ita affecta fuerit: vt anno 1594. à Turcis ferè incendio vaſtata fuerit: adhuc tamen floret incolumis: ac tum propter Archiepiſcopatus dignitatem,qua cæteris præſtat; tum maximè ob multam clariſſimorum Virorum copiam,quibus ea fœcunda fuit, illuſtris. Inter quos haud infimum ſibi locum vindicat Bernardinus; qui cùm à teneris annis, cæleleſti quodam dono, pietatis ſtudioſiſſimus eſſet; Ludouico Rhegino,cuius etiam præmatura virtus adoleſcentiæ annos anteuerterat,ab ineunte ætate arctiſſimo amicitiæ vinculo coniunctus fuit: inter quos cùm tanta animorum ſimilitudo vigeret, vt eodem ſpiritu ali, ac moueri viderentur; eo factum eſt,vt eodem quoq; Patre luminum inſpirante, eodem non modò anno, Menſe, ac die, verùm etiam eadem Vrbe, loco, ac Religionis ſenſu ſæculum exuere: atq; in ſacram Min. de Obſeruantia nuncupatorum militiam adſcribi feſtinauerint. In ea verò Religione, quæ tunc plurimùm doctrina, ac virtutibus florebat: cùm ſimul per aliquot annos commorati fuiſſent, Bernardinus à Ludouico, qui in liberalibus diſciplinis haud mediocriter verſatus erat humanioribus

*Rhegiū, Vrbs in magna Græcia.*

*Bernardinus inter Obſeruantes adſcribitur.*





manioribus literis imbutus, Brixiā primùm à Superioribus deſtinatur, vbi ſub Frāciſco Licheto Magiſtro, Philoſophiæ,ac Theologiæ operam dedit: tum Lutetiam Pariſiorum miſſus, eam ibi diuinarum, atque Eccleſiaſticarum literarum præſtantiam eſt aſſecutus: vt ſumma cum ingenij laude à facultate Pariſienſi Doctoratus lauream adeptus fuerit.

XLI. Incredibilis huic Viro inerat,ad ſummas quáſque,ac difficillimas diſciplinas capeſſendas,facilitas. Græcas literas tam breui tempore, támque perfectè didicit; vt Græcus ipſe videri potuiſſet. In Scoti ſubtilitatibus, doctrina, diſtinctionibus, ac ſūmis argutiis adeò verſatus erat: vt in iis explicandis, planè omnibus admirabilis videretur: ita vt plurimùm illi tum Scotus; tum ij, qui Scoto operā nauant, illius lucubrationib⁹ deberēt; niſi copioſa, quæ in Scotū Scripta elaborauerat, tēporum iniuria ac noſtrorū incuria periiſsēt. In literariis verò congreſſib⁹, ac diſceptationib⁹ tāta ingenij vi, & acumine, tantáque rerum facilitate, ac luculentia præſtabat: vt difficillima quæque oppoſita argumenta, tam facilè, ac perfectè diſſolueret, vt qui ſemel cū eo congreſſi fuerant, illius deinceps eruditionem, ac ingenium pertimeſcerent.

*Præſtans Bernardini ingenium.*

XLII. Hinc porrò factum eſt, vt cùm ſemel in Meſſana Vrbe, publica diſputatione inſtituta, Bernardinus, Theologicas Theſes in Proregis gratiam ſibi propugnandas propoſuiſſet: tantam in iis apud omnes gloriam conſecutus fuerit; vt Georgij inde ob ſummam ingenij excellentiam, ac ſtrenuitatem, qua in iis defendendis præcelluerat; cunctis acclamantibus, cognomen acceperit.

*Bernardinus vnde Georgij cognomen acceperit.*

XLIII. Vir autem tanta morum ſuauitate, tanta manſuetudine, ac lenitate præditus erat: vt ad omnem mentis moderationem, cunctorúmque animos ad ſe alliciendos compoſitus eſſe videretur: ita comis, benignus, affabilis, & ad omnem humanitatis gratiam factus; vt ſe beatos cenſerent, quibus illius conſuetudine, ac familiaritate frui liceret. Verùm illud in eo ſumma laude, atque admiratione dignum fuit; quòd cum ſumma ingenij, ac doctrinæ præſtantia, maxima quoque vitæ probitas, ſingularis prudentia, ac virtus coniuncta fuit. Qua denique factum eſt; vt cùm animum aſſiduè ad diuinam ſapientiam, ac pietatem transferret, Regularémque Obſeruantiam apud ſuos penè dilapſam lugeret: conſilio cum Ludouico inito, Reformationem ſimul vterq; omni ſtudio ac ſollicitudine quæreret. Eam verò cùm ab Ordinis Superioribus aſſequi non poſſent, Romam profecti, à Clemente 7. Pontifice, Eccleſiam SS. Apoſtolorum (quemadmodum anno 1530 ſuperiùs explicatum fuit) ad Reformationem inſtituendam impetrant. Verùm in ea per aliquod temporis ſpatium commorati, cùm Reformationis propoſitum ſibi à Superioribus impediri cernerent, in Calabriam redeuntes, anno tandem 1532. ſe ſe Capucinorum Congregationi adiungunt: in eáq; quāplurima ob infeſtas Fratrū Obſeruantiū perſecutiones, dura, ac grauia perferūt, quæ eodē: ac poſteriorib⁹ annis à nobis fusè exarata fuêre.

*Ad Capucinos vnà cum Ludouico migrat.*

XLIV. Bernardinus verò vbi ſe optata Reformatione potitum vidit, tanta vitæ auſteritate, paupertatis ſtudio, ac cæteris Religioſæ diſciplinæ virtutibus coruſcare cœpit; vt reliquos ſuo exemplo ad perfectam Regularis Obſeruantiæ formam inſtrueret. Vnico, ac ſæpè lacero habitu contentus, qui ſua aſperitate ſæcularium animos terreret: manúque lignea Cruce armata (quod tunc Capucinis Prædicatoribus familiare erat) Dei Verbum vbique ardentiſſimè diſſeminabat.

XLV. Initio quidem contigit, cùm prædicationis verba variis ſchematibus exornaret, ac ſumma elegantia, humaniſque Rhetoricæ artis præceptis imbueret, minùs audientium animos mouere videretur: atque eo factum eſt, vt cùm primùm apud Panormitanos ſermonem ornatiſſimo ſtylo efflorentem propoſuiſſet; is, Deo præſertim agente, qui eum ad Euangelicæ, atque Apoſtolicæ prædicationis regulam reformare decreuerat: minùs audientibus gratus fuerit, vti anno 1533. dictum fuit. Verùm, cùm cæleſti illo Dei iudicio admonitus, vt ſermonis elegantiam, atque eloquentiæ lenocinium cum ſpiritus virtute commutaret; adeò ea admonitione profecit: vt ſuperfluo illo orationis ornatu prętermiſſo; tanta deinceps Dei Verbū ſpiritus

vehementia proponeret,vt planè mirabiles in populis,ad pietatem motus excitaret.

*Vis cœleſtis Bernardini prædicationi indita.*

XLVI. Panormi prædicaturus , cùm Vrbe tota in factiones diſciſſa , Ciues mutuis inter ſe odiis exardeſcerent ; Bernardinus,re priùs multis lachrymis Deo commendata, tanta cœpit ſpiritus libertate,ac feruore in concitatas ſeditiones inuehi ; ac tam ſingulari prudentia, ac dexteritate , qua plurimùm ex Dei dono in agendo præſtabat, exortas controuerſias componere ; vt breui diſſenſionibus ſublatis , ac odiis extinctis , animos ad concordiam prouocauerit ; mutuámque inter eos pacem , ac amorem conciliarit. Res porrò tanta facilitate , ac tam breui tempore peracta eſt ; vt cùm id vniuerſi diuinæ virtuti adſcriberent; Viri deinceps Sanctitatem admirarentur:& quem ab exordio Prædicatorem reſpuerant,atque eo munere indignum exiſtimauerant : deinde publica voce Vrbis Apoſtolum à Deo miſſum acclamarent. Ea ſiquidem Bernardini verbis vis inerat , diuinitùs indita ; vt & animos mutaret; & , diuino ſpiritu afflante , quo nonnunquam , dum ſacri Verbi ſemina diffunderet, euentura prædicebat , audientes ad pœnitentiam compelleret.

*Catanæ incendium prædicit.*

XLVII. Id illi ſæpenumero,ac præſertim Catanæ, quæ Siciliæ Vrbs eſt , contigit : in qua dum ad populum verba facit;atque alterius Ionæ inſtar, in Vrbis illius vitia acerrimè inuehitur, diuino mox Spiritu correptus , in hæc verba , velut à Dei conſilio hauſta prorumpit. Audi Catana,quæ tot,ac tantis vitiis fœtes ; vt eorum fœtor iam ad nares Domini Sabaoth aſcenderit. Audi , miſera , & expergiſcere , quæ dicis in corde tuo:Ego ſum,& nõ eſt præter me ampliùs:non ſedebo vidua,& ignorabo ſterilitatem.Ecce veniet ſuper te malũ,& neſcies ortum eius:irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare:veniet repente ſuper te miſeria,quam neſcies. At quænã ea ſit,ignoras ? Ecce inſperatò erumpent ab hoc Monte (Aetnã indigitans,ad cuius radicem Vrbs hæc ſita eſt) flammæ tuorum ſcelerum vltrices,quæ vſque ad Portas tuas peruenient,téq; vſq; ad fundamenta exurent,deuorabunt;ac ſupremã tibi vaſtitatem afferent;niſi pœnitentiæ lachrymis,ac imploratis B. Agathæ ſuffragiis diuini furoris flãmam extinguas. Hæc & alia Dei Seruus diuino planè Oeſtro percitus prædixit : quæ non longè poſt id tempus , eo planè modo , quo ab eo prænunciata fuerant , euenerunt. Etenim anno vix elapſo, repentè flammarum globus à principio quidem exiguus, ac columnæ inſtar,ab Aetna,qui Catanæ adhæret,perpetuóſque è Cratibus ignes euomit,deſcendere viſus eſt:qui mox,perinde ac ſi in fluuium igneũ liqueſceret,rapido curſu ad Vrbem ferebatur. Vrbs verò perterrita,cùm proximum incendiũ ſibi imminere cõſpiceret,ad B. Agathæ patrocinium, ac velũ confugit:quo munita,ac ſolẽni mox ſupplicatione inſtituta, collachrymãtibus cunctis cõmune periculum,ac diuinam miſericordiam exorãtibus,obuiã incẽdio proceſſit

*Iſa. 47.*

*Velum S. Agathæ Aetnæ flammas extinguit.*

XLVIII. Porrò ignis domibus ,agris,ac quæcunque inter Montem,& Ciuitatẽ interiacebant,incendio deuaſtatis,iam ad Vrbis portam pertigerat:cùm oppoſito illi B. Agathæ velo,populóq; vniuerſo ad pœnitentiam cõuerſo, piiſq; clamoribus ad Deum, ac B. Agatham perſonante,ſtetit, Deo imperante incendium; neque vlteriùs proſiliens,ibi fluctus igneos confregit:ac penitus extinxit:vt Bernardini comminatio nõ ab humano , ſed à diuino Spiritu profecta probaretur. Accidiſſe hoc incendium anno 1537. teſtatur Thomas Fazellus de rebus Sicul. libr. 2. capit. 4.

Thom. Fazell. de reb. Sic. l. 2. c. 4.

*Rhegij deuaſtationem prænunciat.*

XLIX. Eodem quoque Dei Spiritu afflatus,cùm in Patria Vrbe,Dei Verbum Quadrageſimali tempore diſſeminaret,obfirmatam ſuorum impœnitentiam,& contentioſam in ſceleribus pertinaciam pro concione deplorans, futurum prænunciat , vt ea breui à Sarracenis deuaſtetur. Quod paucis deinde annis elapſis , anno , ſcilicet, 1543. contigit: cùm Caradinus Turca Solymanicæ Claſſis Præfectus, Rhegium inuadens, Vrbem penè ad rudera vſque deuaſtauit.

Merul. Coſmog. p. 2. l. 4

*Ipſius erga Animarum ſalutem ſtudium.*

L. Tanta Bernardinus,ac tam ingenti,Animarum ſalutis,quas Chriſtus proprio ſibi cruore comparauit,animi cupiditate æſtuabat ; vt nullis vnquam verbis,nullis hortationibus, nullis laboribus, nulliſq; incõmodis parceret;quò eas,vel à peccatis reuocaret,vel ad virtutes impelleret.Eo fiebat;vt ſiue Dei Verbũ publicè proponeret,





ſiue priuatis ſermonibus homines ad pœnitentiam prouocaret, tanto id mentis affectu præſtaret ; vt totus præ charitate animo liquefieri videretur. Hinc Seruum ſuum Deus plerunque Cæleſti diuinarum reuelationum luce illuſtrabat : qua non modò futuros rerum euentus ; verùm & cordis arcana, occultáſque hominum cogitationes penetraret.

LI. Id aliquando perſpicuum fuit,ac præſertim dum is in Rhegij Conuentu moras traheret.Nobilis enim quidã Vir Rheginus,ſcelus animo ſecũ machinabatur;quod cùm ille eatenus nemini, ne verbo quidem ſignificaſſet , illud ſolus perficere cogitauerat. At Bernardinus, re diuinitùs cognita,Virum accerſit;ſeorſimque arcanam cordis illius cogitationem,ac conſilium aperiens, grauiter increpat, atque à ſcelere deterret. Quo cùm ille obſtupeſcens, quo pacto id ſciret , quod ne muſcis quidem perſpectum erat,ab eo quæreret:ne parẽre differas ( inquit Bernardinus) Qui enim corda,& cogitationes contemplatur Deus,ille tibi tua conſilia aperit ; vt ab iis animum auertas. Vir autem Bernardini dicto obediens , mentem oppidò à ſcelere reuocat , culpámque pœnitentia expiat.

*Occultas hominis cogitationes agnoſcit , atque aperit.*

LII. Cùm igitur tot eximiis,ac cœleſtibus donis diuina gratia Dei ſeruum Bernardinũ exoraſſet;vt & futura diuino ſpiritu prædiceret , atq; intimos mentium receſſus peruaderet : ne eorũ magnitudine aliquando extolleretur,ſed eò magis illius virtus proficeret,quò maiori infirmitate deprimeretur : eum ab inconſtantiæ ſpiritu tẽtari permiſit. Cùm enim poſt primã illam S. Eliæ,& Panaliæ perſecutionem, rebus nonnihil ſedatis,ſemel per Calabriam iter faceret : contigit, vt quadã die ſub Solis occaſum Nepitium appelleret ; cúmque, quò ea nocte diuerteret , non haberet , ad Minores Obſeruantes ſe confert, à quibus benignè hoſpitio excipitur. Porro illius Familiæ Fratres,quibus ea Bernardini ad Capucinos tranſmigratio moleſta erat,illum ſtatim obſidentes ; ſub charioris amicitiæ ſpecie , ab inſtituto Reformationis proſequendæ conſilio , multis rationibus auocare conantur ; atque , vt ad ſuos redeat , pluribus verbis hortantur. His Fratrum perſuaſionibus , ſuas quoque ſuggeſtiones adnectens Tentator;loci,ac tẽporis occaſione captata,varias illi rationes,& apparentes cauſas animo miniſtrare cœpit,quæ illũ à propoſito dimouere poſſent.

*Grauiter à Diabolo de Reformatione deſerenda tẽtatur.*

LIII. Obijciebat primùm inſuperabiles propemodũ rerum difficultates,quæ in Capucinorũ Reformatione proſequenda in dies vndiq; ſe offerrent:quibus tandem eum cedere oporteret. Offerebat quoque immanes, ac perennes Ordinis infeſtationes, quibuſcum illi perpetuò decertandum erat:Hinc cũ inter bella, & altercationes illi ſemper degendũ eſſet,nulla vnquã pace,aut animi tranquillitate, quã ſummoperè optabat,frui poſſe ſperaret. Obijciebat præterea nimiam illam vitæ aſperitatẽ apud Capucinos inſtitutam , quæ cùm naturæ propemodùm vires excederet , diuturna eſſe non poterat : quamobrem, vt ſibi, ſuæque incolumitati maturè conſuleret; ad Obſeruantes illi reditum perſuadebat.Obijciebat poſtremò ſibi inter Obſeruantes Regularis obſeruãtiæ viã haud ita intercluſam eſſe,quin cautelis quibuſdã adhibitis,quas illi animo apparentes proponebat, conſcientiæ ſtimulis ſatisfacere valeret.

LIV. His cogitationũ,ac tentationum fluctibus Bernardini animus adhuc imprudens, ac Diabolicæ artis ignarus iactabatur, & obſcurioribus tenebris demerſus , quid in ſeipſo ageretur, necdũ plenè animaduertebat: cùm illi extemplò diuina inter tenebras luce affulgente,Tartareas ibi fraudes adeſſe conſpicit:ſtatimque exiliens,ac ſigno ſe Crucis contra Tentatorem armans,ociùs ad Eccleſiam feſtinat ; vt diuinam ibi impenſiùs opem aduersùs tentationem imploret. Accidit verò, vt dum ad Eccleſiam pergeret,in ſenis cuiuſdam Patris, ſibi olim amiciſſimi , cubiculum incideret:quod cùm ingreſſus fuiſſet,totã Amico ſingillatim tẽtationẽ aperit;ab eoque, quid in ea re illi agendũ ſit,conſilium poſtulat. At Senex protinus cũ lachrymis ait: Quid Bernardine,quod certũ eſt,in dubiũ reuocas? Quid animo heſitas ? quaſi tibi incertũ ſit,apud quos,aut purior Regulæ obſeruãtia vigeat,aut ſecurior animi quies haberi poſſit? Quis magnũ inter nos,& Capucinos diſcrimen eſſe non videat? Cùm

*Bernardinus Diaboli tentationem Seni , amico aperit,& cõſiliũ quærit.*

apud illos omnia Regulæ conſentanea, omnia ad Regularem diſciplinam inſtituta; omnia tuta, tranquilla omnia reperiantur: Internos verò non niſi rerum perturbationes, cogitationum tumultus, internæ pugnæ, irrequieti animi motus, plurima tandem conſcientiæ vulnera, quibus vndique oppetimur, ac confodimur, graſſentur. In portu nauigas; quid maris procellas quæris? Vtinam me grauis ætas, ac canities non impediret: quàm celeres, mihi crede, ad vos mouerem pedes!

LV. His auditis Bernardinus, quaſi qui à graui pōdere reſpirat, cùm à Diabolica tentatione nonnihil ſe ſubleuatum ſenſiſſet; ociùs in Eccleſiā properat; vt vberiorem, ad eam tentationem penitus deuincendam, à Deo gratiam poſtulet. Dum igitur ante diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramētum proſtratus Deum cum lachrymis orat, En viſibilis Ieſu Chriſti Domini noſtri illi Maieſtas apparet; illum his verbis obiurgans: Bernardine, quid eſt, quòd me relicto, ad alios confugis? An non ego præ omnibus tibi opitulari valeo? Benè ſtas: quid ſedem mutare cogitas? Ignoras, haud ſine meo conſilio hanc tibi tentationem accidiſſe? vt ex ea veram humilitatem addiſceres: nihilque tibi præter diuinæ meæ gratiæ auxilium, arrogares. Perge igitur, quò cœpiſti: Ad hanc te ego Reformationem vocaui, conſilium inſpiraui, animum addidi, vires miniſtraui. Tu vocationem tuam ne deſeras, ſed pro ea vſque ad mortem certa: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Hiſque dictis, euanuit.

*Chriſtus Bernardino apparet.*

LVI. Porrò hac Domini voce Bernardinus confirmatus, tantum ſibi ſenſit animo roboris, ac fortitudinis, ad dura omnia pro Reformatione toleranda acceſſiſſe; vt prior illa tentatio omnino abſceſſerit: eámque in arrepto Religionis propoſito ſtabilitatem, ſibi diuinitus inditam accepit: vt pro ea tuenda, ac propaganda fugas, carceres, inedias, perſecutiones quamplurimas, alacri deinde animo perpeſſus fuerit: in quibus Deum, Angelóſque auxiliatores, & conſolatores habuit. Etenim præter ea, quæ de Meſſanenſi carcere Superiori anno dicta ſunt, à quo Angeli miniſterio liber euaſit: illud etiam de eo in antiquis monumentis legitur: quod cùm aliquando aduerſarios, à quibus inſectabatur, fugiens, celeri curſu ad ſyluas ſe proriperet: ab Angelo, qui ſub formoſi Iuuenis ſpecie; poſt tergum illius Caputium apprehendit, his verbis ſiſtitur. Quid Bernardine fugis? Ad quem Bernardinus conuerſus, cùm hominem crederet: An non (inquit) Aduerſarios inſequentes vides? qui Apoſtolico Diplomate armati me, Capucinóſque omnes ad carceres quærunt? Ne metuas (ait Angelus) Chriſtus enim Dominus pro Capucinis ſtat: ac pro eis contra Aduerſarios pugnat, atque his dictis euanuit.

*Angelus Bernardinum fugientem conſolatur.*

LVII. Fungebatur eo tēpore Prouincialis Vicarij munere in Calabria Ludouicus Rheginus: qui cū trieniū in eo officio exegiſſet, in Comitiis, quæ Mileti celebrata fuerūt, anno 1535. Bernardinū ſibi in Prouincialatus munere ſucceſſorē accepit. Agebat tunc Bernardinus ſexageſimū ſupra nonū ſuæ ætatis annū; quo tēpore cùm primùm Generale Capitulū Romæ indictum eſſet, eò conuenire iuſſus; rurſus quoq; hoc anno ad noua Comitia regredi cōpellitur. Eo in itinere cùm plurima, ob graues annos, tum etiā propter longioris itineris labores, incōmoda paſſus eſſet: vix ſeſquianno eo munere perfunctus, in Cōuentu Rhegij in morbū incidit: quē cùm ſibi supremū fore ex ſuperna Dei reuelatione accepiſſet: dieq́; quo ex hac luce migraturus erat, Fratribus præſignificaſſet: qui eouſque, velut bonus Chriſti miles, per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonā famam certauerat; nunc extremo prælio, cum tartareo hoſte conflictaturus, Dei armatura ſe ad ſupremum certamen præparat; vt aduersùs Diaboli inſidias perfectus ſtare, & tela ignea iniquiſſimi declinare, ac retundere valeret. Quare vbi primùm Pœnitentiæ Sacramento, multis lachrymarum imbribus perfuſo, animi maculas eluit: ſacro etiam Domini corpore, tanquam cœleſti viatico, quò è terra ad Cælum tutiùs pergeret, communiri voluit. His itaque cùm ille armis, in ſupremo, infeſtóque bello, aduersùs hoſtem inſtructus eſſet: filiorum haud immemor, quos eouſque amantiſſimi Patris inſtar, cœleſtis vitæ documentis, clariſſimiſque

*Bernardinus in morbum incidit.*





virtutum exemplis pauerat; vniuerſos ad ſe vocari iubet: quos tanta ſpiritus vbertate, ac verborum vehementia ad perfectam Regulæ obſeruantiam, ad ieiunia, ad vigilias, ad diuinam charitatem, ad orationum ſtudia, ad laborum tolerantiam, ad patientiam, ad mutuam dilectionem, ad perſeuerantiam in arrepto Reformationis propoſito, ad cæleſtem denique coronam eſt hortatus: vt cuncti ſingularem Viri ſanctimoniam, quam necdum ad tantum perfectionis faſtigium excreuiſſe ſibi perſuaſerant, planè admirarentur.

*Fratres ante obitum ad pietatē hortatur.*

LVIII. Tum verò Deo gratias ex animo agere cœpit; quod ipſum è duplici Sæculi, & Ordinis naufragio ereptum, ad huius Reformationis portum ſua benignitate adduxiſſet: quodq́ue pro ea nonnihil ſingulari ſuo munere ſibi, licèt indigno ſeruulo, laborare datum fuiſſet: quòd tandem in ea extremum ſuum diem clauderet; ac ſub ipſa B. Franciſci habitus forma, in qua is diem ſuum obierat, hinc & ipſe migraret. Hæc porrò tanta animi compunctione, ac tot lachrymis, quæ ex ipſius oculis vberiùs defluebant, quæque intimum mentis ſenſum declararent, verba fundebat: vt & ipſi Fratres ad lachrymas compellerentur, ac tāti Patris deceſſum, quem fideliſſimum Dei ſeruum, ac optimum Gregis Paſtorem experti fuerant, maximo animi mœrore proſequerentur.

Poſtremò à Fratribus omnibus, qui adſtabant, & qui longè aberant; ſi quos eorum dicto, vel facto imprudens offendiſſet; ſupplex veniam petit; cunctóſque in Domino rogat, ac obteſtatur; vt ſe ad Deum proficiſcentem ſuis orationum, & ſacrarum precum ſuffragiis proſequantur. His dictis ſacro Oleo fortis Athletæ inſtar, ſe inungi poſcit; vt qui rebus omnibus exutus, ſe hactenus ad extremum illud certamen parauerat, eò fortiùs aduersùs Dæmonem luctaretur, ac diuina virtute victor euaderet.

*Præclarum humilitatis exemplum præbet.*

LIX. Poſt hæc, cùm ſe totum ad rerum diuinarum contemplationem, qua animum ad Domini aduentum pararet, ſummo ſpiritus ſilentio contuliſſet; ei à Ianitore nunciatur; Nobilem quandam Mulierem, quæ Viro Dei deuotiſſima erat, ad ianuam ſtare; ingentique ob id potiſſimùm mœrore confici, quòd eius præſentia, antequam hinc migraret, frui minimè poſſet. Cui Bernardinus. Quid (inquit) fruſtra illa viuentem videre eum optat, qui ad mortuos properat. Verùm hæc illi (Fili) renuncia: Paruam duntaxat vnius diei moram illi expectandam eſſe: tum meus ei conſpectus exhibebitur. Craſtina enim dies, quæ vitam intercipiet, me quoque illi præſentem in Eccleſia reddet: quòd planè (vti prædixerat) contigit. Nam vita functū Fratres poſtridiè cùm in Eccleſiam detuliſſent: Mulier illius conſpectu potita fuit.

*Diem ſui obitus prænunciat.*

LX. Cùm itaque poſt tot pro Reformatione, ac illius propagatione exantlatos labores: poſt tot ærumnas, perſecutiones, fugas, carceres fortiter ab aduerſariis perpeſſos; poſt tot denique trophæa, ex ſuperbo inferorum hoſte reuecta, Deus, & iuſtus iudex, & liberaliſſimus retributor militem emeritum, ac fidelem ſeruum, immarceſſibili gloriæ corona donare decreuiſſet: dum is totus rebus Cæleſtibus intentus obuiam Domino ire contendit, Fratréſque Sacras Lytanias pro eo, Sanctorum merita implorantes, recitant: En Bernardinus Chriſtum Dominum, magno Angelorum, ac Sāctorum agmine ſtipatum, ad ſe veniētē intuetur. Quapropter vocem extemplò attollens ait: Vnde hoc? Vnde hoc mihi Domine Ieſu, vt tu Cælorū Rex, ad me vile lutum, ac plaſma indignum venias? Sat eſt, Domine, quòd me placatus ſuſcipias, & dignum tua miſericordia præſtes. Vix hæc vultu hilari, ac manibus ad Cælū erectis verba protulerat; cùm ipſius anima è corporis ergaſtulo ſoluta, in Domini ſui ſinum euolat; atque in æternū coronanda, lætātibus Angelis, illum in Cælum redeuntem ſequitur. Quod ne cuipiam dubiū eſſe poſſet: vix anima illa è corpore egreſſa fuit; cùm hoc ipſo tēpore Cæleſtis Angelorum concentus ab iis omnibus, qui præſentes aderant, auditus fuit; tanta ſuauitate compactus; vt cunctorum animos, ac mentes in Cælum attraheret. Caro verò ipſius, vt animæ iam in Cælo triumphantis gloriam teſtaretur, præter communem cæterorum corporum conſuetudinem, ac

*Chriſtum in morte ſibi apparentem videt, ac moritur.*

*Angelorum poſt ipſius mortem concentus auditur: ac pleraque miranda accidunt.*

naturæ vſum tam mollis, ac tenera, inſtar pueri euaſit: manuúmque, ac digitorum, atque aliæ membrorum iuncturæ adeò flexibiles, perinde, ac ſi viuus eſſet, viſæ fuerunt: facies denique canitie reſperſa, ita vniuerſis venuſta, ac grata apparuit; vt dormientis potiùs, quàm mortui ſpeciem præſeferret. Neque id mirum, cùm iam anima, in eam quietem (vt creditur) conceſsiſſet, qua ab omnibus corporis laboribus ſoluta, in beata illa Sanctorum requie, immortali Electorum ſomno potitur.

Eo tempore necdum Sepulchrorum apud Fratres vſus inualuerat: quo fit, vt LXII.
omnibus Eccleſiaſticis miniſteriis in eum completis, Corpus in Clauſtro, de more effoſſa terra, inhumatum fuerit. Cùm verò nonnullis annis elapſis ædificata Eccleſia, ac ſacello, in eo quoque ſepulchrum, in quod Fratrum cadauera inferrentur, extructum fuiſſet; Bernardini corpus, vt in eo conderetur, conquiſitum; ita ſanum, & incorruptum poſt multos annos, repertum fuit; quaſi pridie illius diei tumulatum fuiſſet. Sic quippe decebat, vt integer animus, ſceleriſque purus, qui tamdiu corporis illius hoſpes fuerat, per aliquod ſaltem tempus, præter ipſas naturæ leges, hoſpitium ſoſpes, ac incorruptum redderet: donec perpetua incorruptione, & immortalitate à Deo donatum, illud ſibi in Sanctorum reſurrectione rurſum copularet.

*Bernardini Corpus poſt plures ſepulturæ annos incorruptum apparet.*





I. SVPERIORI anno inter pugnas, & Aduerſariorum conflictus maiori ex parte à Noſtris tranſacto: qui ſequitur annus milleſimus quingenteſimus trigeſimus ſeptimus, ab his haud omninò ſe liberum præſtat. Cùm enim Apoſtolici Edicti conditione, qua Reformatio Obſeruantium nuncupatorum Ordini intra bimeſtre indicebatur, non impleta, Capucinis liberum eſſet, Obſeruantibus ad ſe tranſmeantibus ſinum aperire: Aduerſarij id ægrè ferentes rurſum clamores edunt; atque inſtaurato bello Capucinos apud Pontificem pulſant: Qui cùm concitatos animos ſedare vellet; in huius anni exordio, nouo edito Diplomate, vtriſque & Capucinorum, & Obſeruantium Superioribus cauet; ne alter alterius Religionis quempiam in ſuum gremium recipiat. Diploma in Regeſto, ad huius Voluminis calcem appoſito, licet conſpicere. At Bernardinus Generalis, cùm hoc Diplomate pleriſque ex Obſeruantium Ordine, qui ad Reformationis amplexum inhiabant, aditum occludi cerneret: ſupplici libello Pontifici oblato, illum à ſententia reuocare nititur. Cuius fragmentum ex antiquis M. SS. deſumptum hoc eſt.

*Pontifex nouo Diplomate mutuam, & Obſeruãtibus, & Capucinis receptionem interdicit.*

# SANCTISSIME PATER.

QVI *tranſitum ex Obſeruantium Familia ad Capucinorum Reformationem B. V. cauendum perſuadent, vel nulla, vel ſumma id ratione ſe euincere poſſe exiſtimant; quòd ex eo ſcandalum in Religione oriatur. At quodnam illud ſcandalum ſit, indagare lubet: ſi iuſtum, ſi verum, ſi datum, ſi puſillorum ſcandalum eſt, ſanè æquum eſt illud deuitari, reſecari, præſcindi, ac longè à nobis propulſari, At ſi iniquum, ſi commentitium, ſi acceptum tantummodò, ſi denique Phariſæorum ſcandalum eſt: contemnendum potiùs, quàm aut fugiendum, aut vitandum eſſe conſtat; cùm bonum opus ipſum præſcribat. Quis à Regulæ inobſeruantia ad ipſius obſeruantiam; à corrupto rerum ſtatu ad regularem diſciplinam, à lapſa tandem, ac deformi Religionis facie ad ipſius Reformationem progreſſum, iuſtum vnquam ſcandalum eſſe ſenſit? Cùm eo potiùs vera ſcandala amputentur? Hæc ſi ſcandala ſunt legibus coërcenda: cur & ipſæ Reformationes Scandala non cenſentur? Cur tantoperè commendantur? quid Apoſtolicis Bullis, ac Diplomatibus confirmantur? Si hæc vitanda ſunt; tot bona, tot virtutes, tot præclara opera, tot præſtantiſſimi actus, qui nos Deo ſimillimos præſtant, omittantur, ne ſcandala fiant. Exulet veritas, quæ fabuloſis ac mendacibus ſcandalum parit. Proſtituatur Caſtitas, quæ libidinoſos offendit. Effugetur Religio, quæ irreligioſis eſt inuiſa. Expungatur Pietas, quæ impios ſcandalizat, Si Scandalum eſt à laxiori*

*Bernardinus Generalis ſcripto Pontificem à propoſito reuocare tentat.*

*Scãdala quanã vitanda.*

*ad arctiorem Religionis ſtatum ſe conferre: Corruat Paulus, cùm ſuadet æmulanda eſſe chariſmata meliora. Pereat quoque Canon Cap. Licet. de Regularibus, quo cuique liberum ſit ex laxiori ad arctiorem Regulam, ac vitam tranſmeare. Quapropter cùm Pontificis munus ſit Eccleſiaſticas leges integras, ac ſartatectas cuſtodire, hominéſque ad perfectiora prouocare: id maximè ab optimo Pontifice Chriſtianorum profectus ſtudioſiſſimo expectatur: præſertim cùm Apoſtolicum huiuſmodi Edictum paucis duntaxat, qui Superiores ſunt, arrideat: è regione verò quamplurimis moleſtum ſit, qui ſibi ad Regularem obſeruantiam viam intercluſam eſſe vident.*

*Neque obſtat, Bonum aliquod interdum iuſtè omitti poſſe, ne maius inde malum, & ſcandalum emergat. Neque enim hinc malum, aut ſcandalum oriri poteſt; vbi non omnes abſque diſcrimine: ſed ij tantùm ſummo conſilio ad Reformationis gremium recipiuntur, qui nulla, nec minima quidem criminis ſuſpicione laborant; nec vllam apud nos ſibi impunitatem vendicare prætexunt.*

*Certè cùm Obſeruantes nuncupati à Conuentualibus olim receſſiſſent, haud tot ab ijs Diplomatum machinis oppugnati fuère, quò minùs ad eos Conuentuales tranſirent: nunc verò cùm Capucinorum Reformatio nihil ab ijs, præter Chriſtianam pacem, ac Euangelicam libertatem quærat, qua id cum Chriſto effari queat. Eum qui venit ad me, non eiiciam foras.* Ioan. 6. *Quid eſt, quòd illi tot edicta, prohibitiones, Diplomata, Excommunicationes Apoſtolicas contra nos excrunt, quaſi minis, ac terroribus Chriſti gratiam, ac Euangelium effugare vellent. Neque enim hîc Chriſti charitas eſſe poteſt: vbi aduersùs Chriſti gratiam, quæ homines ad perfectiora vocat, cominùs pugnatur. Inuident his, qui Chriſto in terris agenti ſuis olim obſequiis inſeruierunt: Beatos Paſtores, felices Reges, fortunatum Ioſephum ab Arimathia, feliciſſimam Mariam Magdalenam clamant, qui Chriſto quondam obſequi meruère: nunc verò eos, qui Chriſto in terris obſequia exhibent, ſummo ſtudio perſequuntur: itaut puſilla hæc Capucinorum Congregatio nouis quotidie vulneribus confoſſa, ſub vulnere gemat, & cum Chriſto dicere cogatur: Cur me cædis? Chriſtum tam pro vnica, quàm pro vniuerſis animabus in Cruce proſcriptum, ac proprio cruore inuolutum cernunt: heu quid ij non horrent tot animarum ſanguinem fundere, quot à Reformatione Apoſtolicis legibus, ac terroribus auocant, in qua ſpiritualem ſibi vitam compararent?*

*Animarum ſanguis funditur, cum à bonis a-uocantur.*

*Quid amabò hæc, præterquam dira Cacodæmonis tentatio agitat. Tot quotidie ex Obſeruantibus exeunt, vt preſbyteri ſæculares, Principum Confeſſores, Abbates, Epiſcopi fiant, horum nihil eos conturbat, nihil ſcandalum parit: vix aliqui ad morum reformationem, Regularémque obſeruantiam accedunt, mox ſcandalum clamant, Apoſtolica auctoritate delendum.*

*Obiiciunt: Fratres ad Reformationem auolantes, ſuperiorum correptiones effugere, ac ſcelera impunita ad nos tranſire. Cur idipſum de iis non aſſerunt, qui ex Caſſinenſibus, ex Ciſtercienſibus, ex Auguſtinianis, atque aliis Ordinibus ad ipſos, velut ad arctiorem Regulam confugiunt? Vtinam, cùm id obiectant, iuſtitiæ, ac reformationis zelo ducerentur: neque enim tam acriter, Reformationem ipſam ad necem vſque extinguendam conquirerent. Quæ boni ſpeciem habent, haud omnia bona ſunt. Qui bona hæc intentione procurant, iis Deus bonam voluntatem*





*ſeruet, vt ab ea non deflectant: qui verò minùs bona ducuntur, iis Deus benigniſſimus veritatis lucem aperiat, vt quæ diuinæ voluntatis ſunt, clarè intueri poſſint.*

*Obiiciunt tandem, ſe nulla Reformatione indigere; ſed omnes Reformatos eſſe. Vtinam id non tam verborum oſtentatione, quàm argumento à reipſa ducto probare poſſent. Vox quidem, vox Iacob eſt: Vtinam manus Eſau non eſſent, quæ vocem fallacem oſtenderent. At eſto. Vniuerſi Reformati ſint; ſint omnes ſancti: at quibuſnam id perſuadere tentant? Num iis, qui cùm Procuratorio munere apud eos functi ſint, Ordinis intima norunt; Atque illius vulnera non ignorant? Mihi ſanè haud ignotum eſt, quænam in Campaniæ, Neapolitani Regni, ac totius Italiæ Monaſterijs Regulæ obſeruantia vigeat: neque alio, quàm ipſa conſcientia, ad id teſte opus eſt; ſed eo prætermiſſo, id ſaltem inficiari minimè valent, quod lippis, ac tonſoribus notum eſt. Nimirum Capucinorum Reformationem Regulari Obſeruantia, ac vitæ auſteritate Obſeruantibus antecellere. Quo fit, vt hac ſaltem ratione iis aditum obſtruere non deberent, qui ad eam pergunt: & excellentiori via Deo famulari contendunt. Præſtet nobis Deus, qui diues eſt in miſericordia, ſpiritum ſuum bonum, vt colamus eum, & faciamus omnes eius voluntatem. Tibi verò, ſanctiſſime Pater, det, vt reſpicias in orationem humilium, & non deſpicias preces eorum: tibi enim derelictus eſt pauper, Orphano tu eris adiutor. Hæc Bernardinus.*

II. At Pontifex cùm tot moleſtiis carere optaret, quibus illius animus ob quotidianos aduerſariorum clamores augebatur, in ſententia maluit perſiſtere, quàm perpetuis tot querimoniarum turbinibus iactari. Neque id diuino prorſus conſilio vacauit: quandoquidem inde nonnulla tranquillitate Reformationi exorta, ac perturbationibus omnibus ſedatis; Bernardinus Generalis totum ſe ad Religionem optimis legibus, ac moribus inſtruendam ſe contulit: moxque Viſitationem inſtituit, in qua tantam prudentiæ lucem, præter ſingularem illam, qua naturæ dono præditus erat, à Deo accepit; vt primus nouæ Congragationi, quæ nonnullas ſub Ludouico, adminiſtrationis tenebras paſſa fuerat, lumen ac ſplendorem indiderit: Nam cùm eatenus, tum propter nouas Conuentuum ædificationes, tum ob varias, ac frequentes, quæ in Religionem inſurgebant, tempeſtates, quibus ſedandis cùm Ludouicus animum intenderet, minùs viſitationi incumbere poterat, Religionis ſtatus inter obſcuras partus ſordes verſaretur, atque embrionis inſtar multa adhuc deformitate laboraret. Ea fuit optimi huius Generalis prudētia, ſanctitas, ardor, zelus, diligentia, atque in omnibus rebus ſollicitudo, vt Religione in ſua membra, ac partes diſtincta, atque in pefectū corpus conſtituta, is primam illi vitam, ac Religioſæ Reipublicæ formā, ſua virtutū ac prudentiæ luce contuliſſe videatur: ita vt ad perfectam Regularis diſciplinæ normam, vix quicquam illi expetendū eſſet. Is igitur cum primùm Religionis viſitationem eſt aggreſſus; vt primæuam illam Patrum humilitatem, ac ſimplicitatem in Ordinem reuocaret, vno vel altero ſocio contentus, pedeſter Religionis Orbem peragrare cœpit: nec niſi grauis eum corporis languor, aut defatigatio vrgeret, vnquam iumento vſus fuit: neceſſitate verò impellente, Aſino ex Chriſti Domini, ac B. P. Franciſci exemplo, Pontificiſq; diſpenſatione vtebatur. Nihil eo humiliùs, nihil mitiùs, nihil manſuetiùs erat: cùm enim is opus, non dignitatem: onus, non honorem; laborem, non auctoritatem aſpectaret; hinc ea dignitas non typhum, aut ſuperbiam, ſed illi potiùs humilitatem, qua ſibi vileſceret, non qua faſtigio intumeſceret; adminiſtrabat. Atque inde fiebat, vt tanta vniuerſos Fratres, quantumlibet infirmos, tamque paterna charitate complecteretur; vt iis non tam facilem ad ſe acceſſum præberet, quàm innata ſibi man-

*Bernardinus Generalis viſitationem Religionis inſtituit.*

*Bernardinus perfectā Religioni formam indit.*

ſuetudine ad ſe alliceret; atque in iis conſolandis, ac ſubleuandis; ſi quos triſtes, aut animo deiectos offendiſſet; paterna viſcera effundere videretur.

*Bernardini Generalis quis in viſitanda Religione modus.*

III. Cùm primùm ad loca accederet, perpetua hæc illi conſuetudo fuit: rectà ad Eccleſiam pergere, ibique longiori oratione Deum precari, vt quæ ad illius Conuentus, ac ſingulorum vtilitatem agenda eſſent, ipſi pro ſua benignitate aperiret: ne quid præter illius voluntatem, ac cuiuſque commodum ab eo fieret. Horas verò Canonicas, ac præſtituta Orationum tempora, quæ certis horis apud nos celebrari ſolent, tam ſollicitè obſeruabat; vt ab iis tametſi, vel itinere feſſus, vel Viſitationi incumbens, diu noctúque nunquam ſeipſum eximeret: tantóque animi ſtudio, ac pietate Chori Religionem complectebatur, vt eam grauiſſimis quibuſque ſui muneris officiis, & occupationibus anteferret.

IV. Quolibet manè, antequam domeſtico Viſitationis muneri vacaret, poſt longam orationem, diuinum Miſſæ ſacrificium pro ſe, ſuiſque ouibus offerẽs, communem ſibi, ipſiſque Dei clementiam adeſſe deprecabatur. Hinc tanta in agendo illi prudentia, atque animo lux, ac perſpicacitas è cælo mini ſtrabatur; vt quem is ſemel loquentem audiſſet, eius protinus mentem, ingenium, naturamq; perſpectam haberet; plerunque etiam ex vultu, verbis, ac geſtibus corporis, quæ in cuiuſque animo latebant, præſentiret. Quo fit, vt nec facilè omnibus crederet: & quæ in alterum dicebantur, principiò ſemper ſuſpecta haberet. Cuiuſque famam, quantùm poterat, idcirco omni ſtudio integram ſeruare curabat; quòd eam vitiorum frænum eſſe agnoſceret; quo ſemel abrupto, animus in omne flagitij genus præceps ruit. Quamobrem cùm erga delinquentes ſe pium potiùs, ac miſericordem, quàm rigidum præſtaret. Id ſæpe dicere ſolitus erat: Si me Deus in iudicio velut nimis rigidum, ac inclementem increpauerit: nihil prorſus, quod reſpondeam, habeo. At ſi me nimis clementem, ac miſericordem accuſauerit: ſuppetit profectò quid reſpondeam: nimirum, me ab eo miſericordiam didiciſſe, qui in ea modum, ac menſuram exceſſit.

*Bernardini in Fratres delinquentes humanitas.*

V. In rebus arduis definiendis, aliorum ſemper ita conſilium exquirere ſolitus erat; vt nihil vnquam ſine eo difficile ſibi præſtandum duceret; adeóque hanc ſibi prudentiæ, ac humilitatis legem præſtituerat, vt cùm nullum haberet, à quo conſilium peteret; illud à ſocio, qui Laicus erat, expoſceret. Nouerat enim, à Sapiente dictum: *Ne innitaris prudentiæ tuæ, qui enim ſapiens eſt, audit conſilia: Et qui agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia.* In viſitatione, cùm ſæpè Fratribus ſermocinaretur, in id maximè ſummo ſtudio elaborabat: vt eos in altiſſimo illius Paupertatis fundamento ædificaret, ac firmaret; quam B. Patriarcha Franciſcus ſuis teſtamento colendam reliquerat. Quamquam verò Fratres tanta paupertatis tunc cupiditate flagrarent, vt vel minimum in ea perſuadenda laboris impendere deberet: Cùm tamen ita Paupertatis formam, ac rectam Regulam ignorarent, vt in ea etiam modum excederent: in id maximè animum cœpit intendere, vt Seraphicæ Paupertati, iuxta S. Patris, ac diſcretionis Regulam, modum ſtatueret; quo & Regularis ipſius obſeruantia diù ſtare, & hominum vita, rerum neceſſariarum præſidio adiuta, ſuperſtes, ac incolumis eſſe poſſet. Idcircò in his, quæ ad Fratrum victum, tam in vino, quàm in condimentis; quæ eouſque vel nunquam, vel rarò admittebantur, neceſſaria erant: quandam mediocritatis regulam præſcripſit, quæ eſt inter nimium, & parum: quam poſteriora deinde Congregationis tempora, velut ſapientiſſimam coluerunt.

Prou. 3. 12. 13.

*Paupertas Minoritanæ Religionis fundamentũ.*

*Bernardinus diſcretionis Regulam in Paupertate ſequendã præſcribit.*

VI. Ægrotis ſumma charitate miniſtrandum eſſe docebat: neque iis ob Paupertatem aliquid deeſſe patiebatur. Aiebat enim: In nobis, dum benè valemus, paupertatem præcellere debere: in ægrotos tamen Charitatem magis, quàm Paupertatem exercendã eſſe; tametſi in iis quoq; Paupertas elucere debeat. Infirmos, qui anxiè ac ſollicitè medicamenta, ad omnẽ corporis languorem depellendũ quærebãt: delicatos milites appellabat; quos tectorũ potiùs vmbræ, quã belli æſtus, ac incõmoda





delectant. Etenim corporis languorem, plerunque ad animi morbos curandos valere: haud immeritò ſentiebat; cùm id ipſũ quoq; Platonem non lateret, qui inſalubrem Atticæ locum ſibi ad effrænes animi motus languore compeſcendos elegit. Eadem quoque D. Bernardi, & antiquorum Monachorum ſententia fuit, quibus id familiare erat; Cœnobia in locis paluſtribus, atque aëre minùs ſalubri præditis conſtruere: vt languida caro, ſopita concupiſcentia, faciliùs ſpiritui ſubiiceretur. Quamobrem, ſi qui leuiter ægrotantes à Medico, ac pharmacis abſtinere vellent: eos minimè ad medicamenta compellendos cenſebat; cùm in eo multorum Sanctorum exempla ſequerentur; qui corporis curam Deo magis, quàm Phyſicis committere maluerunt. Hinc de ſeipſo dicere ſolebat; tot ſe morborum numero, ac quantitate grauari; vt ſi Medicos conſulere, ac eorum præceptis parere vellet, iam à Capucinorum vita illi abſcedendùm eſſet.

*Ad quemlibet morbum Medicus non adhibendus.*

VII. Sæpè ſermones de Euangelica perfectione, de Religioſorum moribus, ac diſciplina, de ſpirituali profectu: deque tota Regulari Obſeruantia tam ardenter inſtituebat: vt vehementer Fratrum animos ad virtutes accenderet. Interdum etiam Iuniores præſertim Fratres monebat; vt omnia, vel leuiſſima relaxationum principia, quæ tum ex negligenti interioris, atque exterioris hominis cuſtodia, tum etiam ex animi ergà ſpiritualem profectum tepeſcentis diſſolutione, potiſſimùm fluunt; ſtudioſiſſimè deuitarent; Facilè enim incipientis animus, qui è vitiis erumpit, & quibuſdam, quaſi ad virtutem vinculis conſtringitur: ad priora vitia relabitur, niſi ſedula ſui ipſius cuſtodia, ac obſeruatione in virtute contineatur. Semel autem poſthæc diſſoluta mens, non tam facilè deinceps ad virtutem inſtauratur. Quin etiam plerunque fit, vt animus ſemel vitio aliquo à virtute dilapſus, nunquam deinceps ad virtutem redeat; ſed in deteriora ruens, in vitiis tandem computreſcat.

*Diligens cuſtodia ſui quã neceſſaria.*

*Primis vitiorum principiis obſiſtendum.*

VIII. Ruſticum in exemplum proponere ſolitus erat: qui cùm ſumma egeſtate laboraret; ſolo pane, ſi habuiſſet, ſe beatum putaſſet: at vix panem ad ſaturitatem habuit; cùm obſonium poſt panem quærere cœpit: nec adhuc obſonio contentus, in bellaria: atque alia guſtus oblectamenta inexplebili prorſus cupiditate exarſit. Hoc pacto & Religioſo Viro contingere aſſerebat: qui dum ieiunio, ſilentio, ac propriæ mortificationi ſtudet, ſenſualium voluptatum, velut egeſtate laborat: at ſi vnicam tantùm rimulam intemperantiæ, aut loquacitati, aut alteri ſenſus voluptati aperuerit: cùm ea ſe ſaturum viderit, illa minimè contentus, protinus ad maiores, ac rurſus maiores vitiorum cupiditates inhiat, donec in profundam quandam cupiditatum abyſſum, ac voraginem feratur, cui nihil ad illius animum explendum ſufficiat. Pleraque alia ad ſpiritualem Fratrum eruditionem ſpectantia, tam publicis ſermonibus, quàm priuatis colloquiis paſſim miniſtrabat, quæ vberiùs in ipſius vita exarabimus.

*Quàm exitioſũ ſit, prima relaxationum principia negligere.*

IX. Dum igitur pius Generalis inſtituendæ, ac propagandæ Religionis ſtudio incenſus, in eo plurimùm laborat: Ioſephum à Ferno, quem paſsim à Mediolano nuncupant, cuius ſuperiori anno mentionem fecimus, hoc anno Ticinum, antiquam Inſubrum Vrbem olim Regum Longobardorum Regiam deſtinat: tum vt in ea Vrbe, quæ ad pietatem prona eſt, Dei verbum diſſeminet; tum etiam, vt noua in ea Reformationis ſemina iaciat. Ad eam cùm primùm Ioſephus aduentat, Vrbem eo maximè, perterritam offendit, quòd maximas Gallorum copias in ſe irruentes formidaret. Cùm enim anno 1524. à Franciſco Gallorum Rege, qui Ticinum quarto iam menſe obſederat, tam infeliciter dimicatum eſſet, vt cæſo exercitu, Rex ipſe captus in Cæſaris poteſtatem deueniſſet: rebus deinde compoſitis, ac Rege in libertatem vendicato, paſsim rumor percrebuerat; Franciſcum, vt præteritam cladem vlciſceretur, inſtaurato exercitu, copias ad Ticini expugnationem iterum parare. Quamobrem Ioſephus hanc publici timoris opportunam occaſionem nactus, quò vehementiùs populum ad pœnitentiam, & ad Dei opem im-

*Franciſcus Gallorũ Rex, Papiæ captus in Cæſaris poteſtatẽ venit.*

*Ioſephus à Ferno Ticini Dei Verbum diſſeminat, & quadraginta horarũ orationem inſtituit.*

plorandam prouocaret; lignea Cruce prægrandi in humeros ſublata, cœpit per Vrbis vias, ac plateas incedere; ac pœnitentiam magnis vocibus inclamare: mox verò magna populorum turba illum proſequente, cùm ad Portam, quæ Ticinum Fluuium ſpectat, vnde Vrbs nomen accepit, perueniſſet; ardentiori ſermone cunctos ad ſcelerum deteſtationem, ac pœnitentiam cohortatur: atque inde excreſcente hominum, ac mulierum multitudine, ad Cathedralem Eccleſiam eodem modo regreſſus; altero quoque ſermone Vrbem ad Generalem omnium peccatorum confeſſionem, ac Dei clementiam quadraginta horarum ſpatio inuocandam prouocat. Neque id illi difficile fuit. Ea enim Vrbs, cùm facilè ad omnem pietatem ſit procliuis, tum maximè eo aſperioris habitus aſpectu, atque Euangelici hominis ſermonibus, demùm inſolita illa vitæ auſteritate commota; facilè dicto paruit; delicta pœnitentiæ ſacramento expiauit; ad quadraginta horarum Orationem tota confluxit, pias in Oratione lachrymas fudit. Quid plura? His ita diuinã ſibi opẽ exorauit; vt vix abſoluta illa Quadraginta horarũ Oratione, certo nuncio allatum fuerit, Gallorum Regem ab eo conſilio animum reuocaſſe. Quamobrem tota Vrbe incredibili lætitia affecta, oppidò illius Proceres locum Ioſepho, in extrema Vrbis parte, decernunt: in qua primum Genuenſis Prouinciæ Monaſterium ſub B. Antonij Vlyſſiponenſis nomine, ac tutela extruitur: tametſi nuper hic Conuentus ex Genuenſi Prouincia, ad Mediolanenſem tranſlatus, Genuenſis Prouinciæ eſſe deſierit. Sequenti verò anno alter Genuæ ædificatur, ac S. Barnabæ Apoſtolo dicatur, de quo eo anno agendum erit.

*Ticinum à Ticino Fluuio nuncupatum.*

*Papiæ Monaſterium ædificatur, tum Genuæ.*

X. Sub hoc fermè tempus Fr. Matthæus de Baſſio, quem alij poſt Generalatus Officium ſpontè depoſitum, Hieroſolymam profectum fuiſſe: alij varias Italiæ oras prædicando peragraſſe volunt, Romam appulit: quo tempore Capucini Fratres, relicto S. Euphemiæ Conuentu, qui ob loci anguſtiam, eorum præſertim numero excreſcente, nimis incommodus videbatur; ſe in alium S. Nicolai ad Montis Quirinalis radices tranſtulerant. Ibi Matthæus à Fratribus læto hoſpitio exceptus, dum in eo per aliquot dies moras trahit, Bullam à Pontifice editam intelligit, qua ſub Excommunicationis pœna iis omnibus Quadrati Caputij vſus interdicitur; qui ſub Generalis Capucinorum Obedientia in Monaſteriis non degerent. Ea res haud leuiter Matthæi animum perculit, qui cùm antiqua ſpiritus libertate fretus, perpetuam vitæ peregrinationem; nulli certo Conuentui alligatam, hactenus coluiſſet; ea ſe hoc Pontificis Edicto expoliari intelligebat. Quamobrem diu, quid ſibi agendum eſſet, ſecum animo verſans, inter varia conſilia fluctuabat. Hinc enim diuina ſe vocatione ad liberam illam prædicandi facultatem, quam à Clemente ſeptimo impetrauerat, impelli exiſtimabat: præſertim cùm ex ea plurimam animarum ſalutem redundare conſpiceret. Illinc verò quadratum Caputium exuere, cuius ipſe olim, Deo Auctore, reſtitutor fuerat; verámque B. P. Franciſci habitus formam, quam in eo perſpexerat, abiicere, nimis profectò graue illi videbatur. Inter hos cogitationum fluctus, cùm diu verſatus eſſet; tandem animarum ſalutem, ac Dei vocationem, quam ſibi velut certam perſuaſerat, ſibi potiùs ſequendam, quàm quadrati Caputij formam ſibi retinendam duxit: ſatiùs enim exiſtimauit Vir bonus, & Sanctus animas, Chriſti ſanguine redemptas, Orco ereptas ad Cælum ducere, quàm caput quadrato Caputio obtegere. Quare Caputij acumine ad medium vſque palmum ſibi non abſque lachrymis amputato, priori illa Clementis ſeptimi facultate, viuæ vocis oraculo ſibi conceſſa, qua & liberè vbique pœnitentiam prædicare, & in Eremis vitam ducere, illi datum fuerat, vti maluit: quàm prædicationis opem, ac ſubſidium egentibus denegare. Quanquam verò, ne in Pauli Tertij Pontificis edictum impingeret, Caputij ſibi acumen obtruncauerit; haud tamen rotundo Caputio, aut Scapulari, ſiue Lunula, quæ Minoribus de Obſeruantia nuncupatis communis eſt, poſthæc vnquam vſus fuit, ex quo Obſeruantium alumnus haberi poſſet; quanquam erga Minorum Ob-

*Matthæus de Baſſio quadratum ſibi Caputium obtruncat.*

*Qua Habitus forma Matthæus poſt ſuum à Capucinis diſceſſum vſus fuerit.*

ſeruantium



uantium Ordinem, iuxta Clementis ſeptimi præſcriptum, ſuam Capitulo præſentiam exhibens, ſubiectionem profiteretur; ſed longiori Caputio (etſi non acuminato) tunicæ adſuto, habitum, quoad vixit, aſperrimum, Capucinorúmque per omnia ſimilem, perpetuò geſtauit. Quo fit, vt à pleriſque Capucinus, ab aliis Eremita crederetur.

XI. Id verò haud abſque arcano Dei conſilio factum eſſe, res ipſa admirationis plena, cauſæque omnis ignara perſuadet. Etenim, ſi aliquam huiùs facti, quod ad Matthæum ſpectat, cauſam inquirimus, nulla prorſus legitima ſe offert. Quid enim? Si Matthæus ante ſuum à Reformatione diſceſſum, liberam illam prædicandi licentiam à Bernardino Generali poſtulaſſet; An non is, ob Viri, tum eminentiam, qua Reformationis Auctor, ac Pater credebatur: tũ notam vitæ Sanctimoniam, eam illi vltrò elargitus fuiſſet? Quo fit, vt & quadrato Caputio frui, & inter Capucinos annumerari, ſimúlque prædicationi, liberè vacare potuiſſet. Vnde igitur illius diſceſſionis cauſa?

*Matthæi diſceſſus cauſa expenditur.*

XII. Accedat, quòd hoc ipſo tempore, ne is à Capucinis abſcederet; nevè ſolus abſque Comite vagari videretur, Fr. Bernardinus à Collepetracio, Concionator, ſingulari vitæ, cum probitate, tum auſteritate præſtans, indiuiduum ſe illi Comitem exhibet; quem tamen Matthæus, iuuenili illius ætate, tot laboribus, qui illi ſecum ſubeundi forent, impari allegata, recuſat. At qui Capucinorum auſteritatibus aſſuetus erat: quomodo itinerum laboribus impar exiſtimabatur? Certè qui perpetuam Matthæi mentem ex illius tum verbis, tum factis, diligenter explorant; id certum ſibi ſtatuunt; eum ad Reformationis inſtitutionem, aut propagationem, nullo vnquam tempore animum cæleſti aliqua vocatione intendiſſe; cùm id ſibi ſatis eſſe putaret (quod velut caput ſibi præſtituerat) ſi Prædicationis munus, ad quod ſe à Deo vocatum ſentiebat, dignis moribus, ac vita proſequeretur. Quapropter cùm nec vllam à Deo vocationem, ad Reformationem, aut inſtituendam, aut propagandam aſſecutus fuiſſet; nec quadrati Caputij formam, præterquàm ad Religionis ortum accepiſſet; hinc non ſine Dei conſilio, ac Prouidentia accidiſſe credimus: quòd Religione iam orta, ac longiùs propagata, is Religionis Caputium; cuius olim Inſtaurator; ac quodammodò Auctor extiterat, zelo haud damnando deponeret; ne pariter & Religionis Auctor cenſeretur.

*Matthæi diſceſſio à Dei conſilio profecta aſſeritur.*

XIII. Id Matthæus ipſe poſthæc fateri haud veritus fuit: Cùm enim Romæ ſimul cum Ludouico Foroſemproniano apud Nobilem Virum, vtrique amiciſſimum, ambo conuiuarentur: ab amico interrogati, quidnam cauſæ eſſet, quòd qui hactenus Capucinorum propugnatores fuerant, nunc extra Capucinos vitam agerent. Ludouicus de more in Religionem debacchari cœpit: ingratiſſimam appellans: At Matthæus illum increpans, ait; Religio quidem ſanctiſſima eſt; nos verò Deus ab ea ob ſuperbiam eiecit; ne dum illius fundationem nobis temerè arrogare volumus, plus æquo extollamur.

*Humilis Matthæi reſpõſio.*

XIV. Porrò hac quoque ratione factum eſt; vt Ludouicus Foroſempronianus, qui à Religione eiectus, Capucinorum nihilominùs Habitum, ac quadratum Caputium gerebat; Apoſtolico huius Bullæ fulmine perterritus, à quadrato Caputio abſtinere coactus fuerit. His igitur, qui Reformationis Auctores, ac Inſtitutores cenſeri poterant, diuina Prouidentia pulſis: hinc cunctis perſpicuum fit, Capucinorum Religionem à Deo ſolo, velut ſupremo capite; atque à B. P. Franciſco, tanquam primo, ac proprio Inſtitutore ſatam pendere: neque Capucinorum alios, vel Auctores, vel Inſtitutores quæri oportere, quibus Deus Auctor ſat eſt: ac Franciſcus Inſtitutor.

*Ludouicus Foroſempron. Caputiũ quadratũ exuit.*

XV. Verùm, vt hoc anno geſta proſequamur. Dum hæc Romæ fiunt; Ludouicus Rheginus, cuius ſæpè antehac meminimus; dum Mottæ Philocaſtri, quem locum ſibi ipſe poſt exactum Prouincialatus Officium, velut pauperrimum elegerat; in maxima vitæ, ac morum Sanctimonia à Sæculi tumultu ſeorſum agit, ad Cæli

præmia

præmia vocatur; mortaliſque huius vitæ curſu feliciter abſoluto, ad Superos migrat. Cuius vita, cùm tot præclaris à Deo donis, ac virtutibus exornata fuerit; vt lucernæ inſtar, in candelabro collocatæ, ſua Sanctimoniæ, & miraculorum luce cunctis in Eccleſia luceat, haud ſanè æquum eſt, eam ſilentio præteriri, ne tam fulgens, & inclyta Religionis gemma, licet ſacculo incluſa, quæ nunc inter cæleſtes pyropos in ſuprema Chriſti emicat corona, noſtro taciturnitatis vitio deliteſcat; ſuóque apud mortales lumine priuetur.

## *LVDOVICI RHEGINI CALABRI*
### *Vita, & Geſta ex priſcis M. S. decerpta.*

*Ludouicus Rheginus inter præcipuas Religionis Capucinorum columnas cēſendus.*

VIR igitur præſtantiſſimus Ludouicus: cùm ſingulari quodam modo à Deo electus eſſet; vt Regularem D. Franciſci diſciplinam, iam penè collapſam in Calabria inſtauraret; Capucinorúmque Reformationem vix exortam, longè latéque per Siciliam, ac finitimas gentes diffunderet; tot præclaris naturæ, & gratiæ donis diuinitùs auctus, ac illuſtratus fuit; vt inter potiſſimas, ac illuſtriores Religionis columnas iure merito cenſeri debeat: mediocri quidem genere fuit; ſed Religione, ac virtute clariſſimus: Talem quippè Deus elegerat, in quo oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ: veterémque illam diuinæ Sapientiæ regulam hominibus explicaret: qua non nobiles, non potentes. non ſapientes, ad maiora diuinæ virtutis opera exantlanda vocat; ſed quæ ſtulta, quæ infirma, quæ contemptibilia, quæ denique non ſunt, eligit: vt in his clarior Dei virtus eluceſcat, luculentiúſque diuinum opus ab humano dignoſcatur. XVI.

*Ludouici progenies aperitur.*

Is ex Rhegij Vrbe, apud Calabros notiſſima anno à partu Virginis, 1466. quo tempore Paulus Papa, huius nominis ſecundus, in Apoſtolica Sede vniuerſali Eccleſiæ præſidebat, ac Fridericus tertius Imperij habenas moderabatur, originem traxit, honeſta, licèt tenui, Familia natus: qui cùm à teneris annis haud mediocrem ingenij vim præſeferret; Pater, qui pueruli animum ad literas procliuem eſſe perpenderat, ludimagiſtro inſtituendum tradit. Verùm patre immatura morte ſublato, cùm id rei domeſticæ, quæ præceps abierat, neceſsitas poſtularet; à ludo literarum ad paſcua, bouéſque paſcendos auocatur Id puer, qui Chriſtaldus appellabatur, iam adoleſcens, quandoquidem mente agro ſuperior erat, atque ad altiora ferebatur, tam ægro animo tulit: vt & ſolitarius mœreret, ac ſæpè lachrymas funderet. Cuius rei cùm Mater aliquando cauſam ab eo ſciſcitaretur; reſpondet Chriſtaldus, Patris ſe obitum deflere, fierique ab eo nullo modo poſſe; quin perpetuis cum lachrymis proſequatur. At Mater, moderatè quidem (ait) tibi de Patris morte dolendum eſt: at ea non ſemper lugenda: aliquando enim à lachrymis eſt temperandum. Cui Chriſtaldus; Cur ſemper (inquit) tam boni Parentis deceſſum non lugeam? qui mihi ad diſcendas litteras, Magiſtrúmque adeundum, otium elargiri ſolebat, vnde & aliqua nominis gloria, & commodum mihi accidere poterant: nunc verò cùm boum mihi tantummodò cura ſit, quid grande, aut præſtans mihi ſperandum ſupereſt? Obſtupuit Mater, generoſum, ac liberalem Adoleſcentis animum admirans; cúmque rem cum Tutore contuliſſet: is tum ex ingenua Adoleſcentis indole, tum ex ingenti illa ad litteras propenſione, haud vulgarem profectum, ac emolumentum ſibi pollicitus, literis dicandum cenſet. Hoc pacto Chriſtaldus è boum paſcuis, iterum ad literarum ſtudia rediens, in iis tam felici Minerua profecit; vt breui eam bonarum artium præſtantiam aſſecutus fuerit; qua ludum literarium aperire, ac Præceptoris cathedram magna cum ingenij laude ſibi comparare meruerit. XVII.

*Ludouicus ad paſcua deſtinatur.*

*Ludouicus ad literarū ſtudia procliuis.*

*Ludouici Mores, ac virtutes in Sæculo.*

Erat Chriſtaldus corpore caſtus, vultu verecundus, facie modeſtus, ſermone XVIII





comis, aſpectúque adeò decorus, & amabilis, vt cunctorum ſibi amorem, & beneuolentiam conciliaret. Eam verò in moribus grauitatem, ac præſtantiam præferebat, vt nihil vitioſum, nihil leue, nihil demum, niſi graue, & honeſtū in ſeipſo aſpectandum præberet; ita vt in iuuenili corpore non iuuenilem, ſed ſenilem prorſus animum geſtare, videretur. Vir denique erat tanta temperantia, tanta manſuetudine, tanta humanitate, tanta vitæ innocentia, tantáque integritate præditus, vt, cùm nemo vllo laudis genere eo præſtantior videretur, ſua virtutum luce toti Rhegienſi Vrbi præfulgeret.

*Ludouici Mores, ac virtutes in Sæculo.*

XIX. At Deus Opt. Max. qui hæc Chriſtaldi præludia ita ſenſim ſuo conſilio diſponebat, vt ad præſtantius magiſterium pararet: honeſtatis; ac pietatis ſemen, quod à teneris annis in pueri animum indiderat, quo etiam cæteris pueris admirabilis videbatur; in adoleſcente, ac iuueneſcente ætate tam integrum, ac incorruptum fouit, excoluit, auxit: vt cùm iam ad vigeſimumquintum annum perueniſſet, carniſque voluptates, quæ ea præſertim ætate ſenſus titillare ſolent, quibus tamen necdum ſe irretitum, Deo protegente, agnouerat; prorſus amputare vellet: cœlibem vitam ducere, ac ſe Deo ſacris Ordinibus, ac tandem Sacerdotio conſecrare decreuerit. Erat tunc illi fideliſſimus Achates Bernardinus Rheginus, quo cum maxima neceſſitudine, atque amoris vinculo coniunctus erat. Inter eos cùm id amicitiæ genus verſaretur, quod non pecuniis, aut forma, aut vitio aliquo cōciliatur; quæ non amicitia, ſed turpitudo potiùs dicenda eſt: ſed quæ virtute duntaxat comparatur. *Solus enim bonus* (vt aiebat Plato) *ſoli bono amicus eſt: malus autem nec bono, nec malo vnquam reuera amicus efficitur.* Ea illis erat ad ampliorem virtutis profectum via: inde enim, & de rebus ſpiritualibus colloquia, & vitiorum fugæ, & rerum præclariſſimarum ſtudia, & ad virtutes ſtimuli, ac incitamenta erumpebant. Sæpè vnà hoſpitales domos, ægrotóſque in his iacentes inuiſebant: ſæpiùs ad animum pœnitentiæ Sacramento expiandum, ſacroque Euchariſtiæ pane ſaginandum ſeipſos prouocabant: ſæpiſſimè etiam ad Annunciatæ Monaſterium, in quo Patres de Obſeruantia nuncupati, religioſiſſimè verſabantur, communi pietatis ſenſu ſe conferebant. Quo tandem factum eſt; vt ſancta hac, honeſtáque conuerſatione, velut cæleſti vinculo attracti, eundem ſimul Religionis ſpiritum, ipſo Patre luminum inſpirante, conceperint: eiuſdémque Religionis habitum vna die, eodémque tempore, vt aliàs explicatum fuit; in ipſo Annunciatæ Conuentu ſuſceperint.

*Ludouicus Bernardino Rhegino amicitia coniunctiſſimus.*

Plato.

*Vera amicitia ſolū inter bonos conciliatur.*

*Ludouicus & Bernardinus Obſeruātium Ordinem ingrediuntur.*

XX. Sacræ igitur Patrum Obſeruantium militiæ adſcriptus, & Chriſtaldi nomine in Ludouicum commutato, mirum eſt, quanta cura, ac ſollicitudine Nouus Tiro totum ſe ad interioris, & exterioris hominis renouationem, animúmque iis virtutibus excolendum contulerit, quæ ad perfectam Regularis diſciplinæ formam, ſupremúmque Euangelicæ perfectionis faſtigium ducunt. Vitæ in primis innocentiam, ac morum integritatem, qua mentis oculus ad Deum conſpiciendum mundus efficitur, tam integram poſſidere ſtuduit; vt nihil in ipſius moribus, niſi caſtum; nihil in actibus, niſi graue, & honeſtum appareret. Tantúmque in hoc mentis candore ſibi comparando, ſtudij ac ſollicitudinis inſumpſit; vt cùm nihil culpabile, nihilque Ariſtarchi cenſura dignum in ſeipſo præſeferre videretur, cuncta in eo ad virtutem compoſita conſpicerentur. Verùm cùm Innocentiæ ſplendor ipſa Humilitas ſit; nam vt Bernardus ait. *Si quis Innocentiam retinet, & nihilominùs humilitatem iungit: nonne is tibi videtur geminum animæ poſſidere decorem.* Humilitatem, tanquam omnium virtutum columen, & cuſtodem, tam ſibi amicam, ac familiarem conciliare curauit: vt non modò propria cognitione ſibi ipſi vileſceret: verùm & apud cæteros vili in exiſtimatione haberi haud moleſtè ferret. Hinc vniuerſa humilitatis officia tam auidè amplectebatur; vt in iis ſummam voluptatem collocaret. Orationis vero, à qua & humilitas, & vitæ integritas, ac cæteræ virtutes, velut à parente gignuntur, tam cupidus fuit;

Bern. ſup. Cant. ſerm. 45.

*Ludouici Humilitas & Orationis ſtudium.*

vt cùm poſt exactum probationis annum, ob præclarum ipſius ingenium, Philoſophicis ſtudiis ab Ordinis Patribus addictus eſſet; maiorem tamen diei, ac noctis partem in rerum diuinarum contemplatione inſumeret. Atque adeò ea oblectabatur, vt nonnunquam in oratione defixus, ac genuflexus intra vnius diei, ac noctis ſpatium (quod planè mirandum eſt) ad decimam, interdum ad duodecimam, vſque horam pertingeret.

*Ludouicus diu pro ægroto moribundo orat, ac Dæmonem vincit.*

XXI. Accidit aliquando, vt dum in Conuentu Quinque Frondium degeret, ſimul cum Fratre Antonino Rhegino Laïco, eximiæ Sanctimoniæ Viro, ad Ægrotum quendam moribundum accederet: apud quem cùm eos pernoctare contingeret, Antonino ad moribundi obſequiũ relicto, ipſe ſeorſum ſecedens, humi ſuper Calepodia genuflexus per ſex, & amplius horas pro infirmo oraſſe fertur. Quo tempore Antoninus Dæmonem, horrenda planè forma, ægroto circumſtantem conſpicit: vt potè qui ob Ludouici orationem irarum æſtu agitatus, morientem ſi non vincere, aſpectu ſaltem terrere conaretur. Eo quippe tempore maxima Ludouico cum Diabolo lucta erat: hic quidem, vt morientem ſuis tentationibus proſterneret, rudentem omnem mouebat: ille verò, vt tentatum erigeret, ac confirmaret, orationibus contra Dæmonum pugnabat. Vicit tandem diuina virtute Ludouicus, pulſóque humani generis hoſte, ægrotus feliciter in Domino obdormit.

*Vita auſteritate præſtat.*

XXII. His accedebat admiranda quædam vitæ auſteritas, qua carnem ſuam ieiuniis ferè quotidianis caſtigans, ſpiritus imperio ſubiugabat. Cilicium ex pilis ſuillis contextum, quò acriùs corpus edomaret, illi domeſticum erat. Pleráſque præterea alias carnis macerationes, quibus veterem hominem cum vitiis crucifigeret, ſibi familiares adſciuerat; quæ illum Deo potiùs quàm ſibi viuere demonſtrarent.

*Brixiæ ſub Licheto Præceptore Theologiæ operam dat.*

XXIII. Admirabantur Patres Viri in omni virtutum genere præſtantiam, ac perſeuerantiam: quamobrem maximam de eo ſpem animo concipientes, Brixiam ſimul cum Bernardino deſtinant; vt eo in Conuentu ſub Franciſco Lichetto, tunc celebri Theologiæ Magiſtro, & Scoticæ doctrinæ acerrimo propugnatore, Theologicis ſtudiis operam daret. Ludouicus verò, cùm in ea maximè ſtudia mentem intenderet, quæ animum cæleſti cupiditate afficere, ac cæterorum ſaluti prodeſſe poſſent; minùs argutulis ſubtilitatibus vacabat; quo fit, vt in his facilè Bernardino, atque aliis pleriſque cederet. At vbi abſolutis ſtudiis cunctis prædicandi munus iniunctum fuit; tam in eo Ludouicus cæteris ſuperior euaſit: vt ab eo deinceps alij quærerent, quod imitarentur. Tanto enim ſpiritus ardore, ac verborum efficacia, quã diuinus illi ſpiritus miniſtrabat, ſacri Verbi ſemina cœpit diffundere: vt admirabiles planè in audientium animis, tum ad pœnitentiam, tum ad virtutes motus ageret. Neque enim in humanæ ſapientiæ verbis, aut in ſermonis elegantia, cuius tamen ignarus non erat; ſed in ſpiritu, ac virtute Dei, quæ inter cæleſtis contemplationis conuiuia altè biberat, hæc populis eructabat.

*Spiritu excedens corpore ſurſum fertur, ac futura prænunciat.*

XXIV. Orationum aſſiduitas Virum Dei ad eam mentis eleuationem, atque exceſſum perduxerat: vt adhuc inter Obſeruantes degens, non modò ſæpe mente excederet, ac in extaſim raperetur: ſed etiam interdum corpore ſurſum, in aëra ferretur: pleraque etiam, quæ futura erant, diuino ſpiritu prædiceret. Etenim inter alia, quæ certa fide probata ſunt, dum anno 1528. tota Calabriæ Regio à Gallorum exercitu, Duce Lotrechio, grauiter afflicta eſſet: Ludouicus Guardiani Officio in Conuentu S. Franciſci Thurij Noui fungebatur; cùm die quadam Dominica, dato matutinæ refectionis ſigno, cùm iam Fratres in Refectorium cõueniſſent, Ludouicus adhuc in oratione fixus in Eccleſia perſtabat. Porrò expectantibus Fratribus, is tandem ab Oratione ſurgens, lætus, ac alacer, quaſi qui fauſtum nuncium accepiſſet, ad Refectorium pergit: vbi ſermone de immenſis Dei beneficiis inſtituto, id tandem concludit ſummas Deo gratias habendas, quòd Patriam breui ab hoſte liberandam decreuerit. Cúmque ibi ſex Prædicatores ad eſſent, ad eos conuerſus, ait. Ite, Dei Præcones, Prædicate captiuis indulgentiam, afflictis medelam, oppreſſis





liberationem; annum denique placabilem Domino: in quo hæ oppreſſæ, ac depopulatæ Regiones diuina clementia reſpirabunt; & in priſtinam pacem, ac tranquillitatem vindicabuntur. Id verò cùm non longè poſt hæc dicta, mortuo Lotrechio, ac Cæſarianis longè latéque Regionem obtinentibus, rei exitus verum eſſe comprobaſſet, omnem ab animo ſuſpicionem abſterſit, quò minùs hæc illi à Dei ſpiritu reuelata eſſe crederentur.

*Patriæ liberationẽ prædicit.*

*Pueri periculum præmonet.*

XXV. At neque ſemel huiuſmodi futurorum prædictione diuinum ſibi ſpiritum adeſſe declarauit. Poſthæc enim cùm is aliquando ſororem inuiſeret, quæ nonnullos ex coniugio filios procreauerat; fortè in eorum alterum oculos coniicit: móxque matrem admonet, graue illi puero periculum imminere, niſi diligenter ipſius cuſtodiæ inuigilet: Quod paucis deinde elapſis diebus accidit. Nam puer in ignem dilapſus, in tam manifeſtum vitæ diſcrimen adductus eſt, vt ex aduſtione manus neruos perpetuò contractos tulerit.

XXVI. Tantam Vir ſanctus ex frequenti, ac familiari Dei conſortio in eum fiduciam animo conceperat: vt nihil difficile, nihilque impoſſibile crederet, tametſi hominum vim, ac poteſtatem excederet, quod à Dei benignitate accipere non ſperaret. Id ſanè hoc facto manifeſtum fuit: Nam cùm is in eodem Thurij noui Conuentu, eo tempore, quo necdum ad Capuninos migrauerat, præeſſet: accidit aliquando, vt ſub prãdij horam nihil Fratribus panis prorſus ad Refectionẽ comparatum eſſet, quod Eleemoſynarij negligentia acciderat: Quamobrem cùm prandij hora iam elapſa Refectionis ſignum minimè ederetur. Ludouicus, Angelum à Calamnia Refectorij Præfectum accerſens, ab eo cauſam percunctatur. Cui Angelus. Panis (inquit) ob Eleemoſynarij incuriam, ad prandium deeſt. At Ludouicus oculis tantiſper in cœlum erectis, cùm breuiſſimo temporis ſpacio oraſſet, ad Angelum conuerſus. Feſtina (inquit) Angele in Cellarium; panémque, quem in Panario reperies, in menſa appone, vt Fratres refectionem ſumãt. At Angelus, Fruſtra ait, Pater, ibi panis quæritur: cùm ego ipſe Panariũ à fragmentis mundatum, pane vacuum reliquerim. At Ludouicus; Vade, fili, ne cuncteris: age, quod iubeo. Ille verò, vt iuſſum potiùs impleret, quàm quòd panem à Panario ſe accepturum ſperaret, ad Cellarium contendit. Quid plura? Panarium calido, ac recenti pane refertum reperit: obſtupeſcit, exclamat illud à Deo miraculum eſſe. Quem Ludouicus mox increpat, ſilentiúmque illi, præcepto impoſito, indicit: panem ille menſæ apponit; ac pauperum turba eo die, pane è cœlo allato, reficitur.

*Panem ad Fratrum Refectionem, à Deo exorat.*

Inter hæc cùm Ludouici ſpiritus ad perfectam Regulæ obſeruantiam, quam paſſim in Ordine collabentem cernebat, ſummo ſtudio flagraret: conſilio cum Bernardino Georgio communicato, animũ ſimul ad Reformationem conferunt. Quapropter circa annũ Domini 1525. quo tempore Fr. Matthæus à Baſſio veram Franciſcani habitus formã, ex diuina apparitione acceptã, ſibi ab Apoſtolica ſede impetrauerat: obtenta à Generali Miniſtro licentia, Romam vnà proficiſcuntur, facultatemque (vt aliàs dictum fuit) à ſanctiſſimo ferunt, qua in conuentu SS. Apoſtolorum, qui tunc Obſeruantium erat, poſtea verò in Minorum Conuentualium poteſtatem deuenit, cum aliis reformatè viuere valerent; verumtamen, cùm ex Superioribus nemo eſſet, qui pio eorum inſtituto faueret; poſt biennium Romæ exactum, in Calabriam redeunt: Vbi noua apud ſuos Reformatione excitata, ac paulò poſt callida ſuperiorum arte oppreſſa; cùm neque à Generali Miniſtro, neque à Patribus eam aſſequi poſſe ſperarent: tandem Deo Auctore, ac ductore ſimul in Capucinorum Reformationem concedunt; atque alia præclarè gerunt, quæ nos ſuperioribus annis, ac præſertim 1532. fuſiùs proſequuti ſumus.

*Ad Capucinos migrat.*

XXVII Tot Ludouicus inter hæc Calabræ Reformationis primordia labores, ac calamitates eſt perpeſſus (vas quippe à Deo electum erat, vt nouæ Reformationis nomen longè, latéque per Brutios, Appulos, Lucanos, Salentinos, Siculos, atque alios, populos propagaret) vt facilè de eo dictum fuiſſe quis exiſtimet; quod olim de

*Act, Apoc. 9.*

Apoſtolo, diuino oraculo pronunciatum fuerat. *Ego oſtendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Porrò inter aduerſas illas perſecutionum procellas; in quibus nullam prorſus requiem habuit Ludouici caro; cùm illum foris pugnæ, intus timores iactarent; tantam animo conſtantiam, ac pacem ſeruat: vt impertutbatum omnino in iis animum gereret. Tanta temperantia, ac moderatione enitet, vt in nullas non modò in aduerſarios tunc querelas ſe effunderet; verùm pro iis quoque Deum eò impenſiùs oraret, quò maiores ab iis patiebatur anguſtias. Denique eam in tot calamitatibus fortitudinem animo ſemper retinuit: vt ingruentes aduerſariorum perſecutiones, & illatas iniurias, nedum ægrè ferre; ſed ne ſentire quidem videretur. Vt enim tela à duro reſiliunt; & cum dolore cædentis ſolida feriuntur: ita magnum, ac ſolidum Ludouici animum nulla ad ſenſum ſui iniuria adducere poterat, quin ea potiùs in ferientes reſiliebat.

*Ludouici in aduerſis temperantia.*

XXIX. Sedatis verò aliquantiſper tempeſtatibus, atque optata tandem quiete potitus; quot Ludouicus in pace, noua bella aduersùs carnem inſtruxerit; quot ſenſibus iam ferè edomitis, prælia indixerit; quot arma ſibi ad perfectam vitiorum victoriam parauerit; quot denique triumphos ex Tartareo hoſte deuicto, inſtructa virtutum acie reuexerit, haud facilè eſt referre. Aſperiùs enim, quàm antea ſoleret, tunc cum carne agere cœpit. Ieiunia illi quotidiana erant, in quibus cùm ab omnibus, præterquam à quadrageſimalibus cibis abſtineret: iis non ad ſaturitatem, ſed quantùm vitæ ſat eſſet, ad parcitatem veſcebatur. Carnem, velut ſpiritus hoſtem, tam acri bello aggreſſus eſt; vt illius flagellationes ad totos ſeptem pœnitentiales Pſalmos diſtinctè, ac moroſè prolatos protraheret: hiſpido, ac aſperrimo cilicio, ac ſæpiùs ferrea lorica carnem inſanientem defatigaret, nudis ſemper pedibus incedens, laboribus, atque itineribus conficeret, aliiſque caſtigationibus domaret. Denique tanta vitæ auſteritate, tanta victus, & veſtitus inopia, tanta ſenſuum mortificatione, tanta, ac tam profunda ſuipſius abiectione: demum tam præclara virtutum luce præfulgere cœpit; vt vniuerſos ſuo exemplo ad perfectam Euangelicæ vitæ normam compelleret. Ita quippe fieri æquum erat; vt qui in aliorum lucem, & exemplum datus fuerat; ipſe in primis ſua virtute luceret. Quanquam verò ſibi ipſe auſterus eſſet: erga cæteros tamen charitate tam effuſus videbatur, vt nihil, quod ad honeſta corporis, ſeu animi commoda ſpectaret, illis deeſſe pateretur. Ante ieiunia, nonnullas Fratribus honeſtas animi remiſſiones permittebat; modò menſuram non excederent: à quibus tamen cùm ipſe ſe ſenſim proripere ſoleret: eo tempore aliquando viſus eſt in extaſim rapi, totóque corpore in ſublime eleuari. Ægrotos omni charitatis officio proſequendos curabat; eo ſæpè Apoſtoli argumēto vſus: *Qui enim non diligit Fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* In medendis verò animi morbis plurima Dei gratia præſtabat, atque adeò miſerorum calamitatibus afficiebatur; vt Pauli conſilium implens cum flentibus fleret, cum gaudentibus gauderet. Demum cum Apoſtolo Omnoia omnibus fieri cuperet: vt omnes Chriſto lucrifaceret.

*Ludouici vitæ auſteritas.*

*Ludouici raptus, & extaſis.*

*1. Ioan. 4.*

XXX. Prouincialis ab ipſo Reformationis ingreſſu electus, tam prudenter, in turbulentiſſimo illo rerum ſtatu, id munus adminiſtrauit; vt Reformationem in Calabria eo Auctore, ac parente genitam, ſuo ſtudio, ac vigilantia ita ab interitu vendicauerit; vt illius apud Calabros Apoſtolus iure nuncupari queat. Religionis verò formam apud illos tanta Regularis obſeruantiæ diſciplina, atque Euangelicæ vitæ perfectione inſtituit; ac præclaris virtutum exemplis confirmauit: vt illud ipſi encomij occini poſſit, quod olim Simoni Oniæ filio decantatum fuit. *Qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in Templo Dei.* Poſtremò Reformationem tanta ſpiritus vbertate, per exteras quoque Regiones, ac Prouincias, noui Apoſtoli inſtar, diffudit: vt facilè perſpici poſſit,

*Eccleſ. 50.*





eum idcircò à Deo nobis datum fuiſſe, vt diuexatam, ac prope depoſitam Reformationem erigeret; erectámque longè latéque per extremas illas Italiæ plagas propagaret.

*Ludouicus Calabræ Reformationis Apoſtolus.*

XXXI Euangelicam Paupertatem, velut primum, ac ſtabile Seraphicæ Religionis fundamentum, tam profundè ſibi animo inſculpſerat: vt in ſola rerum penuria diuitias quæreret; nullámque nec minimarum quidem rerum prouiſionem, diuturno aliquo tempore, in Conuentibus fieri permitteret; ne à quotidiana mendicitate recederent; abundantiam apud ſuos, ſuperflua omnia reſecans tollebat: ita vt nec iter faciens panem, aut vinum à ſocio deferri pateretur; vt ſe totum à Dei prouidentia pendere oſtenderet. Id verò quàm diuinæ Maieſtati gratum fuerit, Deus ipſe Cæleſti miraculo haud ſemel teſtatum eſſe voluit. Nam præter ea, quæ anno 1532. enarrata ſunt, contigit aliquando; vt cùm per deſerta quædam loca ieiunus cum Socio iter faceret; ac die iam ad Veſperam declinante, nihil ſecum haberent, quo famem depellerent: ſocius præ inedia deficeret. Cui Ludouicus, ſuſtine (inquit) pauliſper, fili, Deus annonam proculdubio ſuis prouidebit: vix paululum progreſſi, album, ac grandiorem panem; qui duobus ſufficeret, in rupe eminere cernunt; quem accipientes, ac Deo gratias agentes, eo tam perfectè vterque refectus, ac viribus recreatus fuit; vt alio ea die cibo non indiguerint.

*Paupertatis Euangelicæ ſtudioſus.*

*Socio præ fame deficiente panem à Deo impetrat.*

XXXII. His cùm Ludouicus virtutibus ſedulò animo intenderet, haud tamen à prædicationis officio vacabat: in quod tanto ſtudio, tamque ardenti animarum zelo incumbere viſus eſt; vt nullis laboribus, nullis incommodis, nullis tandem vitæ periculis parceret, quo animarum ſalutem, quoad fieri poſſet, curaret. Nouerat enim Dominum olim per Ciuitates, & Caſtella peragrantem plurimos pro iis labores exantlaſſe: atque vt perditam ouem quæreret, tandem in Cruce animam cum ſanguine effudiſſe. Quamobrem cùm in eo munere plurimùm, Dei gratia, præſtaret; ac feruentiori ſpiritu præditus Dei Verbum populis diſſeminaret: eo fiebat, vt vberrimos inde ſemper animarum fructus, ac lucra Domino referret. Neque enim ſolo verbo illi prædicare ſat erat, ſed cùm præclariſſimis virtutum exemplis, ardentiorique oratione viam Dei verbo pararet: hinc ſæpè fiebat, vt cæleſti lumine perfuſus, plerunque futura; interdum verò, quæ occulta erant, inter prædicandum panderet: ex quibus pauca lubet referre.

*Prædicationi feruentiſſimè incumbit.*

XXXIII Palmi, quod eſt Calabriæ Oppidum, Seminariæ propinquum; cùm Dei Verbum propè maris litus diſſeminaret, atque ex Beatæ Virginis Fano, quod à litore haud longè aberat, tunc plurima miracula coruſcarent: dum populi vitia pro concione carpit, oculis ad mare conuerſis: Putáſne, inquit, ô Palmum fruſtra hîc Beatam Virginem tot ſignis emicare? ſigna ſunt, malum futurum indicantia. Æquora iſta, quæ oculis conſpicis, quid monſtri paritura ſint, breui tuo damno percipies. Væ Palmo: Væ in eo prægnantibus in illis diebus. Neque id aut falsò, aut fruſtra à Ludouico prædictum. Vix enim aliquot menſibus elapſis, eò cum Claſſe appulit Dragut Pirata, qui Oppidanis cæſis, Palmum diripuit, ac Regionem deuaſtauit.

*Palmi deuaſtationem prænunciat.*

XXXIV Huic illud accedat: quòd dum in Thurij noui Oppido, quæ magnæ Greciæ clariſſima quondam Vrbs fuit, Dei verbum pro ſuggeſtu proponit: extemplò inter prædicandum ſubſiſtit, atque in Rhegina vrbe, multorum Ciuium, qui priuatas inter ſe ſimultates gerebant, cladem eo tempore patrari, Deo reuelante conſpicit: quod tunc quidem ſilentio obtexit. At Concione abſoluta, cùm factum Nobilioribus quibuſdam viris ſignificaſſet: ij vt rem certò explorarent, miſſis Rhegium Nunciis, qui vera referrent, Cladem eadem adamuſſim hora, in qua Ludouico prædicanti reuelata, modóque, quo ab eo narrata fuerat, accidiſſe referunt.

XXXV. Neque id ſilentio prætereundum eſt, quod in Seminariæ Oppido apud Brutios celebri, eidem inter concionandum accidit. Ibi enim repentè toto ſpectante

Populo cùm in mentis exceſſum raptus, diu immobilis, atque oculis in Cœlum defixis perſtitiſſet: itaut vehementer populus, qui eum audiebat, re inſolita obſtupeſceret. Tum poſt aliquod tempus ad ſeipſum rediens: Iam (inquit) ô Seminaria, ex Patriæ meæ funeribus redeo. Iam Rhegium à Turcis captum, atque incendio deuaſtatum, ciuium cædibus, ac ſanguine redundat. Porrò, vt Ludouici dictum ipſa rei veritate probaretur: protinus loci Proceres Rhegium, quod à Seminaria viginti milliaribus abeſt, nuncios mittunt: qui redeuntes miſeræ Vrbis exterminium, Turcarum Claſſe Vrbem inuadente, patratum; eodem tempore, quo à Ludouico prænunciatum fuerat, eueniſſe renunciant. Rurſus quoque eiuſdem Vrbis excidium, ac deuaſtationem, quæ deinde ſub Barbaruſſa Pirata, ſequuta eſt, longè antea, quam eueniret, præſignificaſſe traditur.

*Rhegij excidium, dum Seminariæ prædicat, illi à Deo reuelatur.*

XXXVI. Poſthæc, dum in Oppido quodam Calabriæ prædicationis munere fungeretur; agrique longa ariditate ſitientes, frugum egeſtatem minarentur, ſereno Cœlo, ac nulla prorſus nube apparente, copioſum imbrem eo die futurum Oppidanis prænunciat: quo ſub veſperum defluente, tellus reuiruit, ac optatas fruges germinauit.

*Sereno Cœlo pluuiam futuram prædicit.*

XXXVII. Dei verba ex Ludouici ore, velut ignita quædam iacula, ac tanquam ſagitæ è manu potentis erumpebant; quibus cùm peccatorum animos grauiter ad pœnitentiam ſauciaret, ac plurimos à Dæmonis poteſtate ereptos, in Chriſti Regnum transferret: mirum eſt, quàm id Satan perpetuus animarum hoſtis ægrè ferret, ac variis artibus illius prædicationem perturbare conaretur. Dum enim apud Rheginos, in ipſa Quinta feria maioris Hebdomadæ, Dei Verbum diſſeminat: vix inchoato ſermone; En Iuuenis, vultu, vt videbatur, perterrito, atque anhelans in templo apparet, qui tremula voce; ita vt vix fari poſſe videretur. Turcas ad litus appuliſſe, Triremémque nuper fabrefactam ab iis incenſam fuiſſe clamat: quo dicto ſtatim abiit. Eo nuncio cùm populus, qui ad audiendum Dei Verbum in Eccleſiam confluxerat, metu perculſus, protinus commoueretur. Monet Ludouicus, nihil vlli metuendum; ſed Diabolicum illud duntaxat, commentum, & calliditatem eſſe affirmat, qua inuidus hoſtis, illis prædicationis fructum curat intercipere. At Populus periculo exterritus, cùm nullis Dei ſerui monitis retineri poſſet, ad litus currit: vbi nec Triremem incenſam, nec Turcas ad litus appulſos reperit: quare Dæmonis arte, quam ſanctus Pater tam apertè declarauerat, tunc primùm perſpecta; Cœleſte in eo donum admirari; illiúſque ſanctimoniam maiore deinceps veneratione proſequi cœpit.

*Diabolus ſub iuuenis forma illius Prædicationē impedire conatur.*

XXXVIII. His pleraque alia accedunt; quæ nos partim anno 1532. ab eo geſta narrauimus; quibus, ſimul cum Prophetiæ ſpiritu, miraculorum dono illum effulſiſſe conſtat: partim à nobis hoc loco commemoranda ſunt, cæteris ſilentio prætermiſſis, quæ temporum vetuſtas obliterauit: vt quàm copioſo Dei ſpiritu tum ad futura prænuncianda; tum ad occulta diuina virtute rimanda illuſtratus fuerit, cunctis perſpicuum fiat. Inter hæc illud primum fama peruulgatum eſt. Quod cùm die quadam iter faciens, propè Hipponij Vrbem, Ioannem Baptiſtam Franzium, nobilem Virum ſibi familiarem, obuium habuiſſet, qui cum multo equitatu Tropiam proficiſcebatur; vt nuper deſponſatam vxorem domum duceret: poſt primas datas, redditáſque viciſſim ſalutationes, ita virum alloquitur. Ito Ioannes Baptiſta fauſtis auibus, ac feliciori Cœlo. Dominus enim tecum erit: teque tam grata, ac copioſa ſobole fœcundabit; vt trium Natorum, Maſculam; ac totidem fœminarum prolem ex hoc coniugio accipias. Dicto veritas ſucceſſit: nec vnus quidem huic numero defuit, quod Ioannes Baptiſta poſthæc, quam plurimis ſub iureiurando affirmauit.

*Nobili cuidam Viro Maſculam ac fœmineā prolem prædicit.*

XXXIX. Nobili cuidam Fœminæ, quæ cùm duas eatenus filias peperiſſet, ſanctum Virum rogabat, vt maſculam illi prolem à Domino intercederet: futurum prædicit; vt primo enixu maſculum paritura eſſet: cui identidem perſuaſit, vt proprium illi





Ludouici nomen imponeret. Prænouerat quippe vir Sanctus, Dei ſpiritu illuſtratus, nec dum genitum filium, ſui Interceſſoris veſtigia, & Vocationem aliquando ſequuturum. Res dictum probauit. Nam filius à Matre progenitus, cùm Ludouici nomen in Baptiſmo accepiſſet, vix ad iuuentam peruenit; cùm Mundo ſimul cum ſuis deliciis contempto, ad Crucis vexillum, Capucinorum militiæ adſcriptus, euolauit: ac Ludouicellus, ad maioris differentiam, paſſim appellatus fuit.

*Prolem Maſculum Mulieri à Deo impetrat.*

XL. Cùm Barellum, Calabriæ Oppidum, quadam die aduentaſſet, à Nobili muliere hoſpitio exceptus, ab eadem rogari cœpit; vt pro felici coniugis reditu, qui Neapolim profectus fuerat, Deum rogaret, ac filiorum illi ſobolem impetraret. Vtrumque illi actutum Vir Dei, & fauſtum Coniugis reditum, & futuram filiorum procreationem pollicetur: quæ cùm paulò poſt reipſa teſte, ſubſequuta eſſent: ipſius apud Deum merita, ac virtutem clariùs illuſtrarunt?

*Mariti reditum, & filiorum procreationem alteri exorat, ac prædicit.*

XLI. Cæterùm quàm illuſtri Prophetiæ dono à Deo cohoneſtatus eſſet, quo euentura abſque dubitatione prædiceret: quæ ſequuntur, exempla declarant. Alteri namque Mulieri, quæ cùm filios optaret, ipſius apud Deum, ob id maximè opem efflagitabat, ſuaſit: vt animum cum Dei voluntate componeret: ac filium quidem illam parituram dixit; ſed qui nec vitæ vſura frueretur, nec lucem vnquam ſurgentis auroræ conſpecturus eſſet: quod deinde haud ſecus, quàm is prædixerat, accidiſſe agnouit; cùm mortuum poſthæc fœtum procreauit.

*Mulieri nedum fœta mortuam prolem parituram prænunciat.*

XLII. Fratri quoque Angelo à Calamnia, qui tum apud Obſeruantes, dum inter eos degeret, tum apud Capucinos ſæpè ipſius Socius fuit, fore præſignificauit: vt graui quadam tentatione ante obitum à Deo probandus eſſet: veruntamen ab ea ſingulari Dei munere liberandum; ac tum breui illum vitæ finem impoſiturum aſſeuerat. Quod cùm ſibi Frater Angelus altè animo repoſuiſſet; vtrunque ſibi accidiſſe comperit. Nam poſt aliquot annos moleſta tentatione preſſus, in qua Dei ſibi auxilium adfuiſſe ſenſit, cùm ex ea tandem, Deo opitulante, victor euaſiſſet: haud multò poſt B. Viri mortem, ipſe quoque religioſè, huius vitæ abſoluto curriculo, in Domino obdormiuit.

*Angelo à Calamnia futuram tentationē, & poſt eam mortem prædicit.*

XLIII. Admiranda planè huius ſancti Viri & dicta, & facta fuêre. Cùm enim tam arcto ſeſe charitatis vinculo Deo intimè copulaſſet; tamque puro mentis oculo vbique diuinam Maieſtatem intueretur: vt & ſolus, & inter hominum frequentiam vbique ſuſpenſum in Deum animum gereret, diuinámque animo lucē hauriret; eo fiebat; vt non modò diuinæ illi Sapientiæ abdita panderentur: verùm etiam tanta ſpiritus vi plerunque ſurſum ageretur; vt & corpore ipſo altiùs in aëra illum efferri contingeret. Id non ſemel teſtatus eſt F. Eliſeus Meſſanenſis, qui cùm Meſſanæ inter Carmelitanos Aeditui officio fungeretur; dum in ea Eccleſia, quæ Sancta Maria de Carmelo nuncupatur, Ludouicus quadrageſimale prædicationis officium obit; ſæpe accidiſſe narrauit: vt intempeſta noctis hora è ſtrato ſurgens, ad emungendas lampades ad Eccleſiam pergeret: Ludouicúmque ante Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare orantem altiùs à terra eleuatum videret. Quod cùm non ſemel, aut iterum; ſed ſæpiùs oculis ſuis ſumma cum admiratione conſpexiſſet: diuino illo teſtimonio, ac virtute permotus, ad Capucinorum tandem ſe Religionem tranſtulit; atque in ea, omni cum virtutis laude, vitæ curſum confecit.

*Sæpe in aëra eleuatus cōſpicitur.*

XLIV. Neque id illi Meſſanæ tantùm ſingulare fuit. Nam in Conuentu Hipponij, quæ Vrbs Brutiorum eſt: cùm ad puerum quendam, Martini Brucialis nobilis Viri filium, qui graui morbo laborabat, inuiſendum vocatus fuiſſet: cunctis è cubiculo exeuntibus, ſolus Ludouicus cum ægroto remanſit: qui dum ſtans, pro ægroto iuxta lectum orat, animo excedere, ac corpore ſurſum ferri cœpit. Porrò hoc tempore pueri mater, vt ægrotanti filio quædam obſequia præſtaret; cubiculum ingreſſa, cùm Ludouicū altiùs in aëra ſubleuatū, vultúq; Cælum ſpectantem videret: ſpectaculo perterrefacta, greſſum reprimit; clauſóque cubiculi oſtio, tandiu extra cubiculum expectat; donec abſoluta Oratione, Ludouicum ſibi redditum, cum puero

*Ludouicus pro puero ægrotante orans ſurſum corpore agitur.*

colloquentem audiret: tunc ea cubiculum ingreſſa, hilari vultu à Ludouico excipitur. Cui protinus ille. Ne timeas Mulier (inquit) Deus pro ſua benignitate filium tibi reddet incolumem. At illa, perſpecta iam viri ſanctitate, Haud vereor (ait) quin, quod polliceris, certò futurum ſit: Optimum enim ſponſorem habeo, qui promiſſa reddat. Puer verò non longè poſt morbo decedente, conualuit. Id illa poſthæc factum admirans, ſæpius noſtris narrare ſolita erat.

XLV. Id porrò viro Dei haud inſolitum fuiſſe, pleráque, quæ deinde viſa ſunt, exempla demonſtrant. Dum enim diuinas in Choro Laudes perſoluit; ac præſertim Pſalmum: *Beati immaculati in via.* cum aliis decantat; ſæpe cubito altiùs, paulatim è terra attolli conſpicitur. Alio quoque tempore, dum ſolus in Eccleſia orat, Nouitius quidam, qui eximia mentis puritate præditus erat, globum igneum ſuper ipſius caput efferri intuetur: vt quàm ingens Charitatis ardor ipſius animum inflammaret, non obſcurè eo teſtimonio indicaretur. Atque hæc quidem præclara eximiæ illius charitatis ſigna erant, qua erga Deum ardentiſſimè afficiebatur. At verò quãta inde illius apud Deum merita exurgerent, Deus plurimis miraculis teſtatum eſſe voluit: ex quibus, præter ea, quæ anno 1532. enarrata fuerunt, pauca duntaxat hîc ex multis referre haud importunum erit, vt ſua Deo, ac ſeruis ſuis gloria reddatur.

Pſal. 118.

*Dum horas Canonicas in Choro decantat, altiùs è ſolo eleuatur.*

XLVI. Cuiuſdam nobiliſſimi Viri Locrenſis (qui Hieronymus Rigitanus appellabatur) mater, cùm oculorum ita morbo laboraret; vt viſu penè orbata, vix meridianam lucem perciperet: Ludouicus ad eam aliquando acceſſit: quam vbi ſuauibus verbis eſt conſolatus, alacri animo eſſe iubet. At illa. Quænam Pater (ait) animo alacritas eſſe poteſt, quæ lumen cœli non video. Cui Ludouicus: Quid? ſi lumen videres; num tantoperè in eo tibi exultandum eſſet? quin potius ad Deum tua omnis voluptas referenda. Mox illa Ludouico. Id ſanè Pater (inquit) nam & omnem meam non tantùm voluptatẽ ſed & laudem in Deum immortalem transferrem, ſi oculorum viſu ipſius beneficio frui poſſem. Eſto, (ait Ludouicus) Deum ex animo lauda, protinuſque extenſa manu, & ſigno Crucis ſuper oculos formato, ita iis lucem reſtituit, vt protinus omni ab iis caligine excuſſa, eos in priſtinam claritatem vendicauerit.

*Mulieri lucem reſtituit.*

XLVII. Poſthæc cùm Ludouicus in Rhegij Conuentu Guardiani munere fungeretur; quo tempore ad Conuentus ædificationem plures tam ædificatores, quàm Operarij, quibus victus tantùm à Fratribus adminiſtrabatur, abſque mercede conueniebant; accidit, vt quadam die, Eleemoſynarij incuria, neque Operariis, neque Fratrum Familiæ panis quicquam mendicatione prouiſum eſſet. Quod cùm ad Ludouicũ delatum fuiſſet, is Cellarij præfecto accito, iubet, illum ad Cellarium ire, panéſque quos ibi inueniſſet, tam ædificatoribus, atque Operariis, quàm Fratribus ad menſam apponere. Affirmat Cellarij præfectus nihil omnino panis reſiduum eſſe, quod apponat. Ito (inquit) ne dubites, potens eſt Dominus pauperibus ſuis panem erogare. Ille dicto obediens, cùm ad Panarium acceſſiſſet; ciſtulam ibi candido pane plenam reperit, Angelico illuc miniſterio delatam. Hoc verò miraculum, cùm ei planè ſimillimum fuerit, quod is cùm adhuc inter Obſeruantes verſaretur, in Conuentu Thurij Noui Dei virtute patrauerat: de quo paulò ſuperiùs egimus; vtroque miraculo perpetuam Deus illius ſanctitatem nobis teſtatam eſſe voluit.

*Panem è cœlo Operarijs impetrat.*

XLVIII. Illud quoque memorabile fuit, quod Mottæ Philocaſtri Tertiario cuidam, qui Bartholus appellabatur, Viro ſimpliciſſimo, accidit. Quem cùm Ludouicus Rhegium cum literis eſſet miſſurus; is verò, nec Rhegium vnquam vidiſſet, nec viam, qua eò eundum eſſet, teneret: baculum, quo ipſe in itinere vti ſolebat, illi cum literis præbens: Accipe (inquit) Barthole, baculum hunc tui itineris ducem, ac comitem, Epiſtolámque ad Guardianum Rhegij defer, cuius ad me reſponſum referes. Vir adeò ſimplex, ac deuotus erat Bartholus, vt ad quamlibet ferè inter-





rogationem, nihil præterquam Spiritum ſanctum proferret. Interrogabant illum Fratres, qua via perrecturus eſſet: At ille, Spiritus ſanctus, inquit; Pergit ille cum baculo, & quanquam viam penitus ignoraret, neque eam à quoquam exploraret: nunquam tamen, quouſque Rhegium perueniret, à recto viæ tramite deflexit. Cõtigit verò, vt quædam illi loca, quæ Solani dicebantur, ſibi pertranſeunda eſſent, à Canibus pecuariis ita obſeſſa; vt eo iter facientes ſumma ferocia, ac rabie inuaderent. Ille periculum nihili pendens, cùm primùm in Canum proſpectum incidit; en moloſſi immanes horrendo fremitu, ac formidoloſo latratu in Bartholum rapido curſu feruntur. Qui tam fero occurſu tremefactus: Spiritus ſanctus, inquit. Tum protinus ſubſtitit, baculúmque quo armatus erat, venientibus obiecit: At illi odorato baculo, cùm illius virtutem diuinitus agnouiſſent, confeſtim omni ferocitate depoſita, quaſi domeſticum agnoſcentes cauda illi blandiuntur. Paululum cùm à Canibus digreſſus eſſet, Paſtores obuios habet, qui ab eo ſciſcitantur, quo pacto Canes effugere potuerit? At ille reſpondet; Spiritus ſanctus. Vtique (inquiunt) Spiritus ſanctus te ab eorum dentibus ſeruauit; quò minùs ab iis diſcerptus fueris: neque enim alia ratione ab iis euadere poteras. Is verò imperterritus iter, Baculo duce, proſequitur, ac Epiſtola Rhegij Guardiano reddita, reſponſóque accepto, Mottam eadem via regreditur. Quem cùm Ludouicus ſubridens interrogaſſet: num Canes illi, quos in Solani via offenderat, eum exteruiſſent? Spiritus ſanctus (inquit ille) Benè id noueras, Pater, cùm tuo me baculo euntem, ac redeuntem armaſti.

*Ludouici baculus Tertiarium à Canibus liberat.*

XLIX. Poſtremò illud memoria dignum eſt: quòd cùm per Vrciliatum Mottæ Philocaſtri Oppidum, die quadam iter faceret; mulier quædam, quæ præcedenti nocte dormiens, in prima noctis vigilia, caſu infantem in lecto oppreſſerat; ad eum gemens, ac lachrymis obruta venit: miſerúmque infantis caſum, quod illi ea nocte contigerat, grauiſſimè afflicta narrat. Cui Ludouicus, vbi oculos paululum ad Cœlos ſuſtulit; Ne fleas, mulier (inquit) filius tuus haud mortuus eſt, ſed dormit. Heu, Pater (ait Mulier) vtinam dormiret: ſed ego ipſum frigidum, abſque vllo reſpirationis motu, demùm exanimem in lecto reliqui. Ito (inquit Ludouicus) ne dubita: viuum, ac incolumem infantem reperies. Pergit mulier fide plena; infantemque in lecto ridentem, ac manibus colludentem inuenit: quem protinùs inter brachia ſublatum, lachrymaſque præ gaudio fundens, ad ſanctum Virum defert, ſummaſque quas poteſt, Deo, ac illi gratias agit. Cui Ludouicus. Vade (inquit) puerum diligentiùs ſerua, ac teipſam in Dei timore cuſtodi.

*Infantem à Matre in lecto oppreſſum ad vitam reuocat.*

L. Hæc nos ab antiquis Patrum monumentis; ex quamplurimis, quæ temporum iniuria, ac noſtrorum incuria perierunt; hauſta, ac probata collegimus: vt quàm eximia huius Viri ſanctitas apud Deum fuerit; quantáque inter nos viuens, cæleſtium donorum copia affluxerit, ex paucis ſaltem perſpectum fiat.

LI. Igitur cùm per triennium Ludouicus Prouincialatus munere functus eſſet, Prouinciámque in optimo rerum ſtatu compoſuiſſet: Comitiis Mileti conuocatis, vniuerſos ad optimi Succeſſoris, velut alterius Moyſis, ac Ducis; cui tutò regimen populi Dei credi poſſet, electionem perficiendam cohortatur. Neque vllatenus voto ſuo fruſtratus fuit: ſiquidem in eo Capitulo Bernardinus Rheginus, qui & Georgius, illi in eo munere ſuffectus fuit; qui eam Prouinciam (tametſi breui tempore) tanta prudentia adminiſtrauit, vt plurimum illi ſplendorem contulerit. Vir vtique omni virtutum laude inſignis, de quo ſuperiori anno plura diximus. Huic Ludouicus futurum aliquando prædixerat, quòd quanquam ille ſibi in officio poſterior ſucceſſerit; prior tamen ſex menſium ſpatio ex hac luce migraret; atq; illum quidem paulò ante Domini Natale, ſe verò nõ longè ab ipſius Reſurrectione hinc conceſſurũ prænunciat. Quod ſanè vtriq; adamuſsim (vti prædixerat) contigit: nam cùm Bernardinus in menſe Nouembri ſuperioris anni fatis ceſsiſſet: Ludouicus vix Semeſtri elapſo, hoc anno in menſe Aprili è viuis excedit.

*Ludouicus Bernardino obitum multo ante prænunciat.*

*Obitum ſuũ pleriſque præ ſignificat.*

LII. Comitiis itaque abſolutis, cùm Ludouicus Mottam Philocaſtri, quem locum ſibi ipſe, velut pauperrimum, atque ab hominum ſocietate remotum elegit profectionem pararet: Fr. Angelus à Calamnia, qui à multis annis illius Socius fuerat; cùm in Rhegij familia collocatus, ab eo nunc ſeiungi moleſtè ferret: ſeparationem deplorans. Heu Pater (inquit) cur me velut inutilem reijcis? ac tibi ſocium recuſas? Cui Ludouicus. Perge (ait) Angele, quò te Dei voluntas, ac Superiorum Obedientia vocant: ne id moleſtè feras; Néue ob ſeparationem lugeas: neque enim ſine te extremum vitæ huius curſum conficiam. Ex quo non obſcurè conſtat; iam ex diuina reuelatione, illum ſui occaſus tempus, ac diem didiciſſe: quem cùm antea Bernardino Georgio præſignificaſſet; eundem quoque poſthæc pleriſque aliis, velut ſibi perſpectum, haud ſemel aperuit: Nam cùm in eo itinere F. Archangelum à Poliſtena ſibi obuium haberet, ab eóque quonam tenderet, interrogaretur: Quid de loco interrogas? (inquit) de ſepulchro quære. Mottam Philocaſtri peto, ſupremum ibi obiturus diem. Sub id quoque tempus accidit: vt per Forliti Oppidum iter faciens, Nobilem quendam paralyſi laborantem, ſibi familiarem inuiſeret, qui B. Patris, cuius ſanctitatem non ignorabat, præſentiam nactus, ab eo poſtulat: vt priſtinam à Deo illi incolumitatẽ impetret. At Ludouicus; Cur (inquit) incolumitatem poſtulas? Quin potiùs tibi Cœlum pete? Age viriliter, vt eo tandem potiare. Præcedam ego: tu me poſt triduum ſequeris. Id ſibi altè in animo fixit ægrotus; nec B. Patris dictum rei euentus fefellit: quandoquidem tertio poſt B. Patris obitum die, & ipſe vitæ penſum abſoluit; quemadmodum paulò inferiùs indicabimus.

*Paralitico diem mortis prænunciat.*

LIII. Mottam igitur Philocaſtri profectus, dum hoc anno quadrageſimale ibi prædicationis munus perſoluit, ad illud Euangelium venit, in quo de ſcandalo, illis verbis agitur: *Scis, quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt.* Quem locum cùm moraliter exagitaret, palàm populo obitum ſuum prædicens (inquit) Nullum vos ſcandalum capiat, ſi me repentè vobis rapi contigerit. Breuiſſimo enim tempore vobiſcum ſum: nec me ſuggeſtum hoc ampliùs prædicantem excipiet: tempus eſt, vt reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus ad Dominũ, qui fecit illum. Concione itaque abſoluta, cùm ad Conuentũ rediret, Antoninus Bracho Vir nobilis, ac B. Patri familiaris, qui vt ipſius colloquio frueretur, longiùs eũ quotidie comitari ſolebat; eum his verbis interpellare cœpit: Quid Pater funeſtum nobis ominaris? Quid de morte nuncias? Te diu ſuperſtitem, non mortuum volumus. Ad quem Ludouicus: Cæleſtibus (inquit) decretis parendum eſt: iam me dies vltimus ad vitæ periodum vocat Antonine; atque vtinam paratum inueniat. Viue Deo, téque ipſum Cœlo ſerua. His cùm eum dictis dimiſiſſet, protinus in Conuentum ſe recipit, amplioráque charitatis, ac dilectionis ſigna Fratribus oſtendens; quaſi qui breui ab iis diſceſſurus eſſet; cum iis extremam eo mane refectionem, velut Paſcha celebrare voluit. Sub veſpertinæ verò horæ tempus, laterum dolore corripi, ſimúlque ardentiori febre laborare cœpit. Quo tempore Fratres, Antonini domum contendentes, ab eo furfur, quo cataplaſma conficerent, ac Ludouici lateri apponerent celeres petunt. Id cùm Vir ille intellexiſſet, ad vxorem conuerſus: Iam (inquit) de Ludouico actum eſt: Moritur Vir Sanctus, nec vlla nobis ipſum amplius audiendi, aut videndi ſpes ſupereſt. Quid ais? (inquit vxor) vnde hæc tibi Aſtrologia, aut nouum prognoſticon? Ab ipſomet (ait ille) qui id, & palàm in Concione, & priuatim mihi verbis explicauit.

*Matth. 15.*

*Inter prædicandum obitum ſuum prædicit.*

LIV. Ingraueſcente porrò pleuritidis morbo, Medicóque vitæ ſpem pollicenti. Quid de vita nobiſcum agitur? (inquit) Iam ad Patriam vocamur: potior nobis vita quærenda eſt, quàm quæ multis laboribus, & incommodis plena, diuturnæ mortis potius, quàm vitæ, rem, ac nomen ſibi vendicat. Heſterni hoſpites ſumus, domum non hoſpitium quærimus: hinc emigrandum, illic perpetuò quieſcendum.

Poſthæc



LV. Poſthæc fidelis Chriſti ſeruus, Pœnitentiæ in primis Sacramento, ſi quæ animo hærebant, maculas eluit: tum verò ſacro Domini Corpore, velut cæleſti alimonia, animum ſaginandum curat. Id verò cùm allatum fuiſſet, mox toto corpore illud proſtratus adorans, tanto pietatis, ac Religionis ſenſu in id ſe commiſcet; vt in Deum præ amoris vehementia abſorptus, haud ſecus, quàm cera ad ignis conſpectum, animo liqueſcere videretur. Cunctas deinceps animi, ac corporis vires colligens, totus rebus cæleſtibus incumbere viſus eſt.

*Sacramentis ſe ante obitũ munit.*

LVI. Interea illuc aduentat F. Angelus à Calamnia, à Rhegienſi Guardiano ad Ludouicum miſſus, vt nonnullas ei literas perferret. Qui cùm Ludouicum grauiſſimè ægrotantem audiiſſet, verborum illius haud immemor, quibus eum ſibi in morte adfuturum ſpoponderat, ad eum feſtinus accedit, quem ſimulatque Ludouicus intuitus fuit: opportunè (inquit) veniſti Angele. En promiſſum reddidi. Tibi corporis mei cura, antequam hinc emigrarem, demandanda erat. Age, tanquam à Deo miſſus: celeriùs namque hinc emergimus.

LVII. Flebant vberioribus lachrymarum imbribus mœrentes Fratres, ac velut tenelli filij, quibus Pater morte eripiendus ſit, lecto circumfuſi, tam chari Parentis, à quo ſpiritu regenerati fuerant, mortem alto dolore proſequebantur. Quum Ludouicus eos flentes circumſpiciens: Quid ploratis (inquit) filij, aut cur peregrinationis meæ finem tanta mœſtitia, ac dolore excipitis? Si me tot malis, ac periculis exui, totque laboribus eripi, quot mortalem hanc vitam, quæ miſeriarum quædam officina eſt, circumſtant, ægrè fertis; meo profectò bono inuideris: nec ſatis quid vita, quidue mors ſit, agnoſcitis: neque enim vita hæc, quæ cæca, quæ ærumnoſa, quæque innumeris malis plena eſt, cuius partem triſtitiæ conſumunt, partem ſollicitudo turbat, partem infirmitas frangit, partem aliam mœror deprimit, aliam dolor excruciat, aliam tentatio exagitat, aliam certamen fatigat: ita à nobis diligenda eſt; vt mortem, quæ tot malorum finis eſt, aut lugere, aut odiſſe debeamus. Si ex terrea, & caduca domo ad æthereum, perennéque domicilium dimittimur; ſi è carcere liberamur; ſi vincula franguntur; ſi vt feliciori aëre, atque æuo fruamur, hinc erumpimus; quid vobis tantoperè in mea morte lugendum eſt?

*Fratres obitũ ſuum deflentes piis verbis conſolatur.*

LVIII. Quòd ſi me vobis, velut letho eripiendum defletis: duriùs ſanè mecum agitis: Neque enim ego vobis eripior; ſed quò omnibus ſequendum eſt, præcedo: malis tãtùm, quibus vndiq; hæc vita obſita eſt, eripiar; nunc primùm è periculis emergam: quieſcam tandem, curis omnibus, ac irrequietis vitæ huius ſollicitudinibus ſolutus, ac velut procelloſo ereptus naufragio in tutiorem, ac clariorem locum, Deo duce, contendam. Vnde igitur importunus hic vobis in mea morte luctus? quaſi totus excedens totus vobis eripiar? Non vos animus, qui immortalis eſt; ſed putre hoc animæ domicilium, quod fluxũ, ac labile eſt, quodque ea conditione ſortiti ſumus, vt breui illud tempore diſſolueretur, tantùm deſerit. Iuſtior potiùs lætandi vobis cauſa eſt; cùm me ex miſero huius vitæ exilio euocari, atque in libertatem vendicari cernitis. Cui cùm Fratres reſponderent? An non, Pater, iuſta nobis doloris cauſa eſt; cùm te nobis erepto, potiſſima ruit domus noſtræ columna, ac fundamentum? & dum chariſſimo Patre orbamur, ex quo nobis in tot aduerſis, ac perturbatis rerum fluctibus conſilium, ac patrocinium affulgebat; quænam ſolatij nobis ſpes ſupereſt? aut vnde nobis præſidium expectandum eſt? Quis iam erit, qui puſillam hanc noſtræ Reformationis cymbam à periculis, quibus vndique, ob ingruentes perſecutionum procellas, obſeſſa eſt, ſuo conſilio, ac prudentia eruat? Vndique nos mala circumſtant, vndique fluctibus iactamur, vndique ab aduerſariis impetimur: Iam Bernardinus ad Superos abiit, quis te decedente, nobis aut propugnator, aut liberator reliquus erit?

LIX. His Ludouicus. Erratis (inquit) Fratres, adhuc Dei virtutem ignorantes. Quid me Reformationis huius columnam, quid fundamentum iactatis? Non ego, nec Bernardinus: ſed Deus huius Reformationis Auctor, Columna, & funda-

*Eximium Ludouici in morte reſponſum.*

mentum

mentum eſt? Qui præter eum aliud fundamentum comminiſcitur; longè à veritate aberrat. Propterea enim Deus vtrunque, & Bernardinum, & me maturiùs hinc eripi voluit; ne temerè Calabræ huius Reformationis nobis honor adſcriberetur: ſed Deo opus ſuum integrum eſſet. Quapropter ne animum deſpondete, Filij: Deus enim, qui Reformationis Auctor, ac fundamentum eſt, is proculdubio illius & propugnator, & præſidium erit.

LX. His auditis, Fratres rurſum è Ludouico exquirunt; An Reformationem aliquando extinguendam, ſeù propagandam eſſe exiſtimaret? Quibus ille. Attendite, (inquit) vobis Filij, vt Deo per integram, ac perfectam Regulæ obſeruantiam placere ſtudeatis; multiplicabit enim vos Deus, faciétque vos in gentem magnam; atque adeò ſemen Reformationis huius excreſcet, vt qui illud viderint, obſtupeſcant, & dicant. *Hoc eſt ſemen, cui benedixit Dominus.* His dictis, totum ſe ad Domini occurſum, quem haud longè abeſſe præſenſerat, componit.

*Ludouicus Reformationis propagationem prænunciat.*
Iſa. 61.

LXI. Itaque Vir venerabilis, cùm tot apud Calabros pro tuenda, ac propaganda Reformatione piis laboribus perfunctus eſſet; tot Filiorum greges ſuo exemplo Domino peperiſſet; innumeras ſua prædicatione Deo animas acquiſiuiſſet; ingentes ſibi meritorum theſauros, nullo vnquam tempore corrumpendos, coaceruaſſet: longa annorum, ac virtutum ſerie grandæuus, annos iam natus ſeptuaginta, tandem corporis ſui diſſolutionem imminere ſentiens. Cùm filios ſuos, quos Religioni pepererat, amantiſſimi Patris inſtar, euſque tenerrimè dilexiſſet; his ſimul congregatis, vt poſtrema dilectionis ſigna in morte exhiberet, vbi efficacioribus, quoad potuit, verbis eos ad perfectam Regulæ obſeruantiam, ad paupertatem, ad rerum omnium contemptum, ad humilitatem, ad mutuam dilectionem, ad charitatem, ac Domini amorem eſt adhortatus. Suprema tandem verba fundens ait. Filij; Satagite vt altiſſimæ vocationis veſtræ donum iugi memoria retinentes, præclaris ſanctæ conuerſationis exemplis, ac cæleſtis vitæ operibus comprobetis. *Attendite ad Petram, vnde exciſi eſtis, & ad Cauernam maceriæ, de qua deciſi eſtis.* Intuemini B. Franciſcum Patrem noſtrum, mores, vitam, ſtudia, conuerſationem, exitum; & cuius Filij eſtis, ipſius quoque veſtigia, ac virtutes ſectamini. Animum quoque ad hanc puſillam Reformationem Matrem veſtram, quæ vos iterum in cæleſtem vitam regenerauit, ſummo ſtudio intendite. Magna mater eſt, & multarum plena virtutum, quas imitari debetis; vt legitimi illius Filij, veréque ex ea progeniti cenſeamini. Eia Filij, quæ retro ſunt obliuiſcentes, ad ampliora ſemper, ac potiora vos extendite: vt cùm venerit Dominus, non ſtantes, non otioſos, aut operibus vacuos; ſed laborantes offendat. Quod ſi dies illa vos in Domini vinea operantes inuenerit; certè haud Dominus remunerator deerit. En ingredior viam vniuerſæ terræ; diem hunc, ac momentum vnde pendet æternitas; vobis ante oculos ſtatuite: neque is vnquam à mente excidat, vt felix tandem, ac fauſtus vobis eluceſcat.

*Ludouici ante obitum ad Fratres exhortatio.*
Iſa. 51.

LXII. Hæc cùm dixiſſet, dato ſingulis pacis oſculo, viribus repentè cœpit deſtitui. Plorantibus verò vndique Fratribus, & communis Patris deceſſum lugentibus, cùm iam ad vitæ finem appropinquaret, qui tunc Mottæ Conuentus Guardianus erat, Cellam egreſſus, Tertiarium quendam, optimæ conuerſationis virum, admonet: vt Cereum benedictum, pro Beati Patris tranſitu, quamprimùm ferat: Interea Ludouicus inter Fratrum preces, & lachrymas ſpiritum Deo reddit. Quo tempore Tertiarius præfulgentem ſtellam è Ludouici cella prodeuntem, ac Cœlos velociſſimè penetrantem conſpiciens, Guardiano reſpondet, Quid Cereo amplius opus eſt? Pater, En Ludouicus in Cœlum migrat. Iam ipſius anima, fulgentiſſimæ ſtellæ inſtar, æthera penetrauit. Quo audito Guardianus, cùm ſtatim ad Ludouicum rediiſſet, illum iam hinc emigraſſe comperit.

*Ludouici anima ſtellæ inſtar cælum penetrare viſa.*

Hoc



LXIII. Hoc ipſo tẽpore, Nobilis ille Ferlitẽſis paralyticus, cui B. Pater fore prædixerat, vt poſt tertium à ſuo obitu diem, eum hinc migraturus ſequeretur, dũ in lecto decumberet; Ludouicum rectà in Cælum aſcendentem conſpiciens, protinus exclamare cœpit: Expecta, Pater; expecta, dũ venio: mox Animæ, ac Domus ſuæ rebus optimè diſpoſitis, triduo poſt, quemadmodũ illi à Ludouico prædictũ fuerat, exceſſit è vita.

*Paralyticus Ferlitenſis Ludouicum Aſtra petentẽ intuetur.*

LXIV. Alter quoque Tertij Ordinis Frater, qui Minoribus Obſeruantibus miniſtrabat, Vir eximia virtute, atque integritate præditus: cùm in Conuentu Quinquefrondium, extremo conflictu cum morte colluctaretur: ac iamiam animam efflaret: eadem hac B. Patris tranſitus hora, velut è ſomno euigilans, adſtantes Fratres repẽtè his verbis cõpellare cœpit. O, ô, Fratres, quàm lætũ, quàm glorioſũ ſpectaculũ! O, ô, qualis ſplendor! ô qualis gloria! An non cernitis? Fratribus verò quidnam illud eſſet, ſciſcitãtibus. O Fratres (inquit ille) ſi cuiuſdam magnæ gloriæ, & vos ſpectatores eſſe vultis; citò egredimini; & Mottam Philocaſtri verſùs, intenta lumina coniicite: Inde enim glorioſam illam Ludouici Rhegini animam flammei globi inſtar, rectà in Cælum conſcendentem, conſpicietis. At illi confeſtim exeuntes, cùm Mottã verſùs, vt admoniti fuerant, lumina intendiſſent, igneã Columnã ex ea parte ſe ſe in Cælum efferentem conſpiciunt: quæ emicantem Ludouici animam æthera penetrantem proculdubiò referebat. Tertiarius verò paulò poſt hæc dicta, ex humanis migrat.

*Tertiarius Ludouici Animam flãmæ inſtar Cælos penetrantem videt.*

LXV. Quanquam igitur hæc teſtimonia, certa fide probata, dubium omne faceſſere videantur; quin felix illa Ludouici anima in beatam Sanctorum requiem conceſſerit, illuſtriora tamen miracula, quæ ipſius deinde obitum ſecuta ſunt, velut quædam diuinæ atteſtationis voces; ac diuinitatis ſigilla, hoc ipſum luculentiùs teſtantur. Nam vix illius Corpus in Eccleſiam delatum fuit: cùm Obitus fama per Vrbem, ac circumiacentem Regionem diffuſa; tam ingens vtriuſque ſexus multitudo ad illud venerandum confluit; vt cùm ob Populorum frequentiam tumulo recondi non poſſet, diutiùs inſepultum iaceret. Quo tempore, dum plerique ſibi ipſius Habitus tot particulas præſcindunt, vt fermè nudum Corpus relinquant; hinc quamplures Tunicæ, quibus ſucceſſiuè obtegebatur, populorum affluentium deuotioni, ac pietati, vix ſufficere videbantur. Alij Barbæ pilos auellere, alij Vngues obtruncare, alij Capillos præſcindere, quos ſibi deinceps pro Reliquiis reponerent, ſumma contentione curant. Denique tam ingens erga Virum Dei Populi pietas ardere viſa eſt: vt qui Corporis illius partem contingere poterant, aliis ſe feliciores, ac beatiores exiſtimarent. Vndiq; deuotionis lachrymæ ex populorum oculis erumpebant, vndique pij ſingultus, vocéſq; in Cælum vſque perſonantes exaudiebantur, à Deo miſericordiam quærentes, ſanctiq; Viri Merita implorantes. Atque eo factum eſt, vt ad tertium vſque diem Corporis ſepultura prorogata, quô frequentiſſimæ plebis vndique confluentis multitudini, ac pietati ſatisfieret. Eo tempore Caro illius nullatenus à priſtino colore immutata, nihil triſte, aut ſquallidum, aut funeſtum: ſed iucũdam potiùs, ac gratam viuentis ſpeciem præſeferebat; atque adeò tenera, mollis, & tractabilis erat, vt ad leuiſſimum cuiuſq: contactum cederet. Tantum verò abeſt, vt ex ea quicquã vel exigui fœtoris ſub tanti temporis ſpatio quiſquam perciperet. quòd inde potiùs omniũ aromatum theſaurus efflari, ac ſuaueolentiæ myrothecia, velut ex Cornucopia effundi viderentur; quæ vniuerſos Cæleſti planè odore recreabant. Atque adeò gratiſſimus hic odor in eos, qui vel manus, vel pedes, vel caput, aut aliam ipſius Corporis partem exoſcularentur, diffundebatur: vt ab eo, odore illo fragrantes diſcederent. Quod Sacerdoti cuidam deuotiſſimo, qui Andreas vocabatur, ac pleriſque aliis, qui cùm eo, ad ſanctum Corpus illud venerandum acceſſerant, inter alios contigit: Is enim cùm ſancti Viri Manum cum aliis oſculatus eſſet, tantam ex ea odoris fragrantiam omnes contraxêre; vt alter alterum, nũ ſuccino, aut moſcho perfuſus eſſet, interrogaret. At Sacerdos, cũ ex ſacri Corporis

*Caro illius poſt mortem tenera, ac tractabilis odorem ſuauiſſimum efflat.*

contactu eum in eos odorem manaſſe animaduerteret : Erratis ( inquit ) An non diuinam virtutem agnoſcitis ? Non enim ex nobis ; ſed ex ſacro illo Corpo re, hæc in nos odoris puritas affluxit ; ſanctum illud Corpus tetigimus, & oſculati ſumus; inde & ori, & manibus noſtris, diuinus hic odor adhæſit.

LXVI. Verùm neque id ſatis. Nam, vt Serui ſui Dominus cunctis Sanctitatem teſtatam relinqueret; mox ſacrum illud Corpus, plurimis cœpit diuina virtute Miraculis coruſcare: nec dum enim illud ſepulchro conditum erat: cùm Vir quidam ex S. Nicolai Oppido, Mottæ Philocaſtri finitimo, qui dudum corpore attractus, Paralyſi laborauerat: audito Viri Dei obitu, magnóque populorum eò confluentium concurſu percepto, eò ipſe quoq; vt ſacrū illud Corpus contingeret, deferri curat. Quò cùm perueniſſet; ac turba penetrata, pronus in faciem ante feretrum ruens, Beati Patris merita ſibi ad ſalutem deprecatus eſſet; vix illius manum oſculatur : cùm protinus diuina virtute membrorum illi vſus reſtituitur; atque in perfectam incolumitatem vendicatur. Quamobrem, dum ſummas Deo, ac Benefactori ſuo ibi gratias agit, reliquos etiam ad Dei, ac B. Viri laudes altiùs prædicandas prouocat.

*Paralyticus ipſius Corporis contactu conualeſcit.*

LXVII. Poſthæc in eodem S. Nicolai Oppido. Vir alter agreſtis, qui ita claudus, ac diſtortis tibiis caſu quodã euaſerat, vt vix ſubalariis fulcris adhibitis, progredi valeret, tot Miraculorum fama percepta, quæ ad S. Viri reliquias, Deo Auctore patrabantur: plurima in Deum, ac B. Viri Merita fiducia animo concepta, abſens illius opem implorat; vt qui ob aduerſam corporis valetudinem detinebatur, ne præſens illius Corpus venerari poſſet: membrorum illi incolumitatem à Deo impetraret : quo ad illud accedere, & diuino Nomini gloriam pro cæleſti beneficio, quod ſe accepturum ſperabat, decantare valeret. Quid plura ? Deus, qui plurimam hominum fidem magis: quàm præſentiam ſpectat; quique hanc animo illi confidentiam præſtiterat, quo manifeſtiùs S. Viri Merita apud ſe præclara eſſe oſtenderet : eidem protinus confidentiæ remunerationem, perfecta membrorum rectitudine, ac ſanitate confert : qua accepta, ille haud beneficij immemor, confeſtim ad ſacrum Corpus venerabundus accedit : gratiáſque ſimul cum laudibus Deo, ac ſuo Liberatori reddit.

*Claudus abſens ſe Ludouico commendans curatur.*

LXVIII. Porrò tam multa hoc tempore, Deus Opt. Max. ad huius ſancti Serui ſui Memoriam è Cælo dona petentibus largiebatur : tamque mira diuina virtus vbique Ludouici Merita inuocantibus operabatur : quæ ſcripto à Noſtris minimè exarata fuêre: vt Rhegini Ciues, tot Miraculorum fama percrebreſcente, ardentiori Cõciuis ſui ſtudio incenſi, ſacrum illud Corpus, quod à Mottæ Oppidanis pretio, aut prece habere non poterant, vi rapere, ac Rhegium aſportare decreuerint. Quare conſilio inito, magna ex his multitudo Rhegio digreſſa, Mottam Philocaſtri proficiſcitur : vt ſacrum illud depoſitum, vi, atque armata manu ſibi vendicet. At vbi omnes Mottam peruenêre, quæ viginti quinque circiter milliaria Rhegio diſtat ; cùm tot Populorum turbas, ad Sacrum illud Corpus venerandum confluentes viderent; rémque abſque ingenti omnium ſcandalo, ac ſummo periculo ab iis præſtari non poſſe perſpicerẽt: Deo itidem in meliùs animũ, ac conſiliũ mutãte, à vi quidem omni abſtinere ſtatuunt : pretioſum autem illud ſui Conciuis corpus sũma veneratione, quæ Sãctos Viros decet, proſequentes, Rhegiũ pacificè redeunt.

*Rhegini Ciues Ludouici Corpus rapere volentes conſiliũ mutant.*

LXIX. Interea Nicoterienſis Epiſcopus: cuius Ditioni Mottæ Oppidum ſuberat: audita B. Viri morte, ac magna populorum frequentia perſpecta, qui vndique ad Sacrum illud depoſitum; quod necdum tumulo conditum fuerat, venerandum conueniebant: excreſcente etiam Miraculorum fama, quæ ad ſancti Viri Corpus diuina virtute patrabantur : eò cum ſuo Vrbis Clero ſe confert. ( Eſt enim Nicotera, vrbs quinque duntaxat millia paſſuum Motta Philocaſtri diſtans ) ac Pontificalibus indutus, Eccleſiaſtica Officia circa B. Viri Corpus; quod ſuauiſſimũ sẽper odorẽ exhalabat, Fratribus Clero adiũctis, perſoluit: Corpúſq; ligneo loculo incluſũ honorificè in veteris Eccleſiæ Sacriſtia, humi, vti eo tempore mos erat, à Fratribus reconditur.

*Epiſcopus Nicoterienſis Ludouico exequias perſoluit.*

LXX. At verò cùm poſt tres annos elapſos, Anno ſcilicet ab Incarnatione Domini

1540.



1540. noua Eccleſia ædificata eſſet: vt Fratres venerabile Corpus in eã honorificentiùs condendum transferant: illud ex humo, vbi priùs collocatũ fuerat, cum Sarcophago extrahunt : Arcam aperiunt. Tum mox diuinæ virtutis opera cunctis admiranda ſe offerunt. Etenim illud Ludouici Corpus, quod per triennij ſpatium humi conditum iacuerat, tam integrum, tam ſolidum, tam molle ; membráque adeò tractabilia apparuêre : vt ſoporantis potiùs, ac viuentis, quàm Defuncti imaginem exhiberet. Quare Fratres sũma illud deuotione aſſumẽtes, rursũ lauãt, nouo habitu induunt, atque in recenti ſarcophago recondunt. Veruntamen, cùm hæc tam occultè fieri nõ poſſent, quin nonnullis ſæcularibus Viris, quorum opera Fratribus neceſſaria erat, innoteſcerent; ſtatim rumor de pretioſi corporis tranſlatione, per totum Oppidum diffunditur.

*Ludouici Corpus poſt aliquot annos incorruptum reperitur.*

LXXI. Videre tum erat Viros, ac Mulieres turmatim ad Eccleſiam confluere : vim facere ; vt illud S. Viri Corpus publicè venerandum produceretur. Denique tam ingens excreuit populi concurſus, tantáque vtriuſque ſexus frequentia, ad Monaſterium confluit; vt ad turbas, quæ fiebant, ſedandas, Fratribus neceſſe fuerit, ſacrum illud pignus rurſus in publicum diem exponere, ac turbis aſpectandum proponere. Stupebant confluentes turbæ cæleſti Miraculo ; ſpectantes humanum Corpus, quod vix triduo abſque corruptione, ac fœtore eſſe poteſt ; poſt tertium, & vt alia Manuſcripta affirmant, poſt quartum annum, integrum, ac incorruptum intra ſoli humida mãſiſſe. At cũ Defunctorũ mẽbra, vix egreſſa anima, vitalib⁹ ſpiritib⁹ deſtituta, ita rigere ſoleãt: vt dura, immitia, ac inflexibilia reddãtur; hęc tamẽ ita lenia, mollia, ac tractabilia, qualia viuorũ eſſe ſolẽt, præter naturæ ordinẽ ſpectarentur, vt in iis ſuprema illa Dei Majeſtas, rerum omnium Domina, ſuos Omnipotentiæ theſauros aperuiſſe : ac perturbato rerum ordine, mortuis membris, ac vita carentibus, viuentium naturam, & conditionem attexuiſſe videretur. Denique cùm mortuorum corpora, ob naturalium qualitatum pugnam, ac facilem corruptionem, vix tertium, aut quartum diem abſque intolerabili fœtore attingant. De Lazaro namque quatriduano dictum legitur : *Iam fœtet : Quatriduanus enim eſt.* Hoc tamen poſt tres, & quatuor annos, ab obitu elapſos, ſuauiſſimum, vt ab exordio, odorem ſpiraret.

Ioan. 11.

LXXII. Mirabantur, identidémque collachrymabantur Fratres, talia in amantiſſimo Patre intuentes prodigia, Deúmque in Seruo ſuo laudabant, ac mirabilem prædicabant.

LXXIII. Inter eos verò, qui ad ſacrum Viri Dei Corpus venerandum eo tempore acceſsêre : quædam Nobilis Mulier fuit, quæ indiſcreta erga ſanctum Virum deuotionis vi impulſa, dum illius manus exoſculatur, audacior, quàm par ſit, Digitum è dextra ipſius manu dentibus amputat, ſecúmque domum clam defert. Veruntamen cùm id facinus. tametſi à pietate profectum, minus à Deo probaretur : diuinam haud multò poſt vltionem accipit. Eo námque factum eſt, vt Ouium greges, ac Boum armenta, quæ illi copioſa erant; paſſim ex Dei Iudicio morbo interirent. Quæ res cum maximo illam mœrore afficeret, nec tamen vnde hæc illi calamitas erumperet, adhuc intelligeret : Patrem quendam Senem, ac prudentem, ex his, qui de Obſeruantia nuncupantur, ſibi conſulendum ſtatuit : Cui cùm animi ſui anguſtias, ob armentorum interitum ortas explicaſſet, is ab ea inter alia percunctatur. Num rem Eccleſiaſticam aliquam occupet, quæ reſtitutioni ſit obnoxia. Illa nihil, niſi fortè Ludouici Digitum, quem ex deuotione occultô ab illius Manu auulſum ſibi repoſuerat, ſe Eccleſiaſticæ rei poſſidere affirmat. Neque enim illius animum adhuc ea facti conſcientia pupugerat. Cui Pater. At illud eſt, (inquit) quod in te Dei iram concitat, ac peſtem tuis armentis infert. Neque enim Deo, huiuſmodi deuotio placet, quæ abſque ſale, ac prudentia fit. Quapropter, vt ſanctum Digitum Patribus illis reſtituas: perſuadeo; ne ſimul cum armentis cætera tibi quoque pereant, ac dilabantur. Eo Patris

*Mulier Manus Digitum Ludouico amputans, à Deo flagellatur.*

*Digito à Muliere reſtituto Dei flagellũ ceſſat.*

*Digiti contactus à graui morbo bis Fratrem liberat.*

dicto mulier perterrita, ſtatim Digitum reſtituit, peſtiſque armentorum quieuit.
Porrò eam digiti reſtitutionem ſingulari Dei conſilio haud vacaſſe, pleráque,
quæ deinde miracula ſecuta ſunt, non obſcurè indicant. Etenim Frater Bernar-
dinus Rheginus iunior, qui inter Capucinos Concionator fuit; cùm ſemel iter
faceret; contigit, vt Mottæ Philocaſtri in grauem morbum incideret, quo
tempore Beati Viri digitum ſibi deferri popoſcit. Quod cùm deuotiſſimè exoſcu-
latus fuiſſet, Beatíque Viri merita ſibi in ſubſidium inuocaſſet, protinus perfectè LXXV.
conualuit.
Idem quoque anno 1587. cùm Mottæ Guardianus eſſet, ibique lethifero morbo
correptus ad interitũ properaret; prioris haud beneficij immemor, rursùm ſibi ſan-
cti Viri digitum maiori fide, ac deuotione ad ſe deferendum curat: quò ſignatus LXXVI.
ſtatim à morbo liberatur, ac priſtinæ incolumitati reſtituitur.

*Dentium dolorem fugat.*

Multis præterea ſæcularibus Viris, Deus ſanitatum beneficia, ex ſacri huius Di-
giti contactu contulit; qui huius ſancti Viri ſibi merita ad ſalutem implorarunt. In-
ter hos fuit Cæſar Lita Pignatellus, nobiliſſimus eques, ac Ducis Montis Leonis
conſanguineus, qui cùm ingenti molarium dolore, quo ferè extra mentem age-
batur, laboraret: vix Ludouici merita inuocauit, ac ſacro Digito dentem doloris
cauſam contigit, cùm mox dolore omni effugato, dente tam perfectè ſanatus fuit, LXXVII
vt nullum deinceps ex eo dolorem vnquam ſenſerit.
Alter quoque Franciſcus Litus Tropienſis anno 1604. cùm Mottæ Philocaſtri
degens, grauiſſimo dentium dolore penè exanimaretur, à præfato Cæſare perſua-
ſus, vt ad ſacrum digitum confugeret; ad Capucinorum Eccleſiam ſe contulit:
ibíque cùm multa in Deum, & Sanctum Virum parta fiducia, ſacro Digito dentem
ſibi tangi poſtulaſſet; protinus præmium Fides accepit; omnémque ſibi à molari- LXXVIII.
bus dolorem ſublatum ſenſit, Deúmque in Sancto Viro glorificauit.

*Ludouici Caputium odorẽ ſuauiſſimè efflat, & Nouitium ab inconſtantia ſpiritu ſeruat.*

Poſthæc Frater Hieronymus Dinamenſis, Vir inter Capucinos Calabros il-
luſtris, id de ſeipſo ſæpe affirmare ſolebat. Cùm Nouitius annum Proba-
tionis ageret, ſorte accidiſſe: vt Caputium, quo Ludouicus adhuc viuens, ali-
quando vſus fuerat, Caparoni adſutum, illi deferendum obtingeret: ex quo cùm
ſuauiſſimus odor in eum toto illo tempore emanaſſet: id non rei alij, præterquam
Ludouici ſanctitati, ac Dei Miraculo adſcribendum ſenſit. Quo etiam factum eſt,
vt nullo vnquam inſtabilitatis ſpiritu, quo plerunque Nouitij agitari ſolent: toto
illo Probationis anno laborauerit.
Quamplurima alia hîc ſigna, ac miracula commemoranda eſſent, quibus Deus LXXIX.
Opt. Max. ſerui ſui Ludouici gloriam, merita, ac Sanctitatem illuſtrauit; quæ par-
tim noſtrorum humilitate neglecta, ac obliuioni tradita perierunt: partim minùs
probata, ac certa ſe ſe nobis obtulêre. Hæc verò, quæ certa, ac iurata teſtium fide
probatiſſima ſunt, huc colligenda duxi; ne Sanctorum Virorum gloria, ſilentio
oppreſſa, cum ea pariter & laus, quæ Deo immortali, ac ſummo rerum mirabilium
operatori debetur, impiè ſupprimatur.

*Ludouicus apud Scriptores Beati titulum aſſequutus.*

Tot igitur, támque ingentia, ac diuturna miracula, quæ Ludouici tum vitam, LXXX.
tum obitum conſecuta ſunt; eam Viro Dei non ſolùm apud Rheginum Populum;
verùm & apud ſuperiores Calabros, ſanctitatis famam ac exiſtimationem compa-
rarunt; vt longa iam annorum ſerie, haud alia, quàm Beati appellatione honeſte-
tur. Hinc plerique Scriptores eundem Beati titulo proſequi non verentur. Inter
quos ſunt, Dauid Romeus, libello de ſeptem Vrbis Neapolitanæ Protectoribus:
Angelus Hiſpanus in Chronico de rebus Rheginis, Proſper Pariſius Conſentinus
in Deſcriptione Calabriæ; vbi de Viris illuſtribus Calabris agit: & alij: Cui etiam
Bernardinum Georgium Virum planè Sanctimonia apud Calabros celebrem, ad-
dunt: Sed quoniam Beati titulo, cui is ab Apoſtolica Sede collatus non fuerit,
quempiam honeſtari, noua Eccleſiaſtica lege cautum eſt: Nos ab eo potiùs abſti-
nendum, quàm temerè aliquid audendum duximus.

Dauid Romæ. de ſept. Vrb. Neap. Prot. Angel. Hiſp. Chro. de Reb. Rhe. Proſp. Pariſ. in Deſcript. Calab.

Huius



LXXXI. Huius Sancti viri Corpus, omni cum veneratione ſub maiori Eccleſiæ Altari à
Fratribus tumulatum, vſque ad Annum 1598. ibi immotum perſtitit. Ab eo verò
annò F. Bonauentura Catacenſis, qui Prouincialis munere in Rhegij Prouincia
functus eſt, Ludouici Reliquias inde erutas, iterúmque lignea arca incluſas in Sa-
criſtia collocauit.
LXXXII. His de Ludouico breuiter commemoratis; haud ſilentio prætereundum eſt; Hoc
in Mottæ Conuentu, quindecim Fratrum, quorum memoria apud Calabros ma-
ximis in laudibus eſt; vti communis fama loquitur, corpora ſepulta iacere. Atque
inter hoc illud Fratris Michaëlis Apruſtenſis primo loco annumeratur; qui inter
primos illos quindecim Fratres fuit, qui cum Ludouico ad Reformationem acce-
dentes, cum eo fortes in perſecutionibus permanſêre. Hic duobus poſt Ludouici
obitum menſibus elapſis, virtutibus diues, ac multis meritis præclarus, hoc anno,
atque in hoc Mottæ Conuentu, ex huius vitæ ærumnis in beatam quietem con-
ceſſit: de quo id inter alia legitur, quòd erga ægrotos tam tenerè afficeretur, vt
vbicunque eorum quenquam offenderet, ſtatim preces cum lachrymis pro eo Do-
mino offerret: tum verò ſuper illum Sacroſanctum Crucis ſignum formans, vni-
uerſis penè corporis ſanitatem reſtitueret. Atque eo factum eſt, vt illius obitus, tum
ob vitam in ſummis auſteritatibus, orationibus, ieiuniis, vigiliis, perfectáque Regu-
læ obſeruantia tranſactam: tum etiam ob varia ſanitatum munera, quæ viuens,
quamplurimis Domino operante, contulerat; plurimo populorum concurſu ce-
lebratus fuerit.

*F. Michaël Apruſtenſis, virtutibus clarus.*

LXXXIII In his quoque celebris eſt Fr. Iuniperus à Campo laïcus. Cuius inter alias, tres
potiſſimùm virtutes commendatione dignæ recenſentur: Prima, Arctiſſimum
quoddam ſilentium fuit, quo tam ſtudioſè, ab omni, non tam pernicioſorum,
quàm inutilium verborum lapſu cohibere nouerat: vt nemo inane verbum ab ip-
ſius ore elapſum vnquam audierit. Ex quo facilem ſibi ad omnem Euangelicæ vi-
tæ, ac virtutum omnium perfectionem viam ſtrauit: id præſertim atteſtante, Iaco-
bo Apoſtolo: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Secunda fuit admirabilis
quædam Abſtinentiæ virtus, qua omnem Gulæ ſenſum, ac voluptatem ita ſi-
bi ſubiecerat, vt nullius, quo veſcebatur, cibi guſtu, aut ſapore afficeretur:
ita vt illud Vatis ſibi vſurpare poſſet: *Quia cinerem tanquam panem mandu-
cabam.* Tertia, ac poſtrema fuit, horribilis quædam Carnis maceratio, qua
nullis tametſi improbis laboribus cedens, nocturnis vigiliis, flagellis, grauiſſi-
mis ponderibus, quaſi qui hoſtem ad internecionem quæreret, corpus perſequi ſo-
lebat; ne ſpiritum ad Cœleſtia tendentem retardaret. Atque adeò carnem vſque ad
mortem inſecutus eſt; vt poſt ipſius obitum; cùm Fratres, vt corpus lauarent, ha-
bitu exuiſſent; ferreo thorace, quo carnem eouſque fatigauerat, contectum repe-
rirent. De eo Ludouicus Rheginus, adhuc inter viuos degens, dicere ſolitus erat.
LXXXIV. O vtinam magnam horum Iuniperorum ſyluam Religio noſtra haberet.

*F. Iuniperus à Campo, virtute inſignis.*

Pſalm. 101.

Hîc denique venerabilis illius F. Euſebij à S. Catharina oſſa condita ſunt, Qui
tam eximiæ puritatis, ac ſanctitatis fuit: vt ſæpe cum Virgine Deipara: vt filius cum
Matre, familiariſſimè confabulari ſoleret. Aliorum propè innumerorum Fratrum,
qui hoc tẽpore ſanctitate apud Calabros claruêre, haud facilè eſt virtutes, ac perfe-
ctiſſimæ vitæ normam referre; cùm plurimorum memoria, quæ apud Deum viuit,
apud homines, ſumma noſtrorum humilitate perierit: quibus præclara ſingulorum
geſta monumentis tradere typhus, ac ſuperbia videbatur. Aliorum verò virtutes
non ita probatæ ſint, vt hîc certæ, ac probatiſſimæ hiſtoriæ inſerendæ videantur.

*F. Euſebius à ſancta Catharina Sanctimonia illuſtris.*

LXXXV. Poſtremus tandem Frater Franciſcus Titelmanus, dum in Romana Prouincia
Vicarij Prouincialis officio fungitur, ac piis laboribus incumbit, ſub huius
anni finem, in Conuentu Anticoli, è labore ad præmium euolat. Huius
viri cùm tam illuſtris fuerit vitæ ſanctimonia, ac doctrina; vt magni no-
men in Regno Cœlorum ſibi iure vendicare queat, dicente Domino:

*Franciſcus Titelmanus è viuis excedit.*

Matth. 5.


Qui

*Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Tamque celebris apud omnes ferè Catholicos Scriptores illius memoria peruolat: vt de eo illud Sapientis dici poſſit: *Collaudabunt multi Sapientiam eius, & in ſæculum non delebitur.* Paulò ampliori ſtylo, vitæ, ac virtutum illius hiſtoria, compendioſè tamen à nobis, quemadmodum ex noſtris M. S. accepimus, exaranda eſt.

*Eccleſ. 39.*

## *F. FRANCISCI TITELMANI,*
## *Vita, & Geſta, ex probatis M. S. decerpta.*

LXXXVI. FVIT igitur Franciſcus Titelmanus natione Belga, ex Haſſel, Agri Leodienſis Oppido, honeſtis parentibus natus: qui cùm adhuc in teneris ageret, vtroque parente orbatus, ſub Caroli Carondileti tutela recipitur, atque eius opera adiutus, ac velut in filium adoptatus; Louanium, quæ Brabantiæ Vrbs eſt, Archigymnaſio celeberrima, ſtudiorum cauſa deſtinatur; vt in ea humanioribus literis operam nauaret. Erat Franciſcus præclaræ indolis adoleſcens, atque admirabili ingenio præditus; cui incredibilis inerat ad optimarum rerum ſtudia amplectenda animi impetus: quo factum eſt; vt breui tanta felicitate, ac celeritate in liberalibus ſtudiis profecerit, vt cùm ad ſextumdecimum annum perueniſſet, omnium ingenuarum artium cognitionem, ac diſciplinam aſſecutus eſſe videretur. Iuuenis linguarum ferè omnium peritiam, velut panopliam, tum ad ſcripturas vero ſenſu interpretandas, tum ad Hereticos profligandos, præſertim verò Hebraïcæ, Chaldaïcæ, ac Græcæ linguæ ſibi copiam comparauit; Huius poſtremæ tam perfectè ſcientiam adeptus fuerat, vt quamuis Latinæ orationis nomenclator eſſe poſſet, faciliùs tamen Græco, quàm Latino ſermone vteretur.

*Franciſcus Titelmanus Literarum ſtudioſiſſimus.*

LXXXVII. In hæc ſtudia Franciſcus, cùm ita animum intenderet; vt nec labor improbus eum ab iis deterreret; nec iuuenilis ætatis inconſtantia auocaret; non quies, non animi remiſſiones, non ſpectacula, non ludi denique illius animum oblectarent: ac proinde omnem ſuæ adoleſcentiæ curſum in honeſtis hiſce animi laboribus tranſigeret; eo ſanè fiebat, vt minùs animum vitiis, ac voluptatibus daret; quibus is ea præſertim ætate éneruari, & à virtute auocari ſolet. Nouerat enim à Tullio dictum: Delectationem, quæ ex literis petitur, humaniſsimam, ac liberaliſsimam eſſe: Hæc namque ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant; ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Neque fruſtrà à Vate decantatum.

*Tull. Orat. pro Arc. poe.*

*Literarum ſtudia honeſta.*

*Ouid. l. 1. de Triſt.*

*Quot frutices ſyluæ, quot flauas Thybris arenas,*
*Mollia quot Martis gramina campus habet;*
*Tot mala pertulimus: quorum medicina, quieſque*
*Nulla niſi in ſtudio eſt, Pieridúmque mora.*

Inerat præterea iuuenis Franciſci animo diuinum quoddam ſemen, à Deo inditum: quo ad pietatem, ac res diuinas ſuapte natura impellebatur: quare cùm Deus Opt. Max. agrum hunc humanis ſcientiis fertilem, diuinarum virtutum ſemini aptum conſpiceret; manè exiit ſeminare ſemen ſuum, atque in ipſo iuuentutis flore, antequam marceſceret, Franciſcum valido inſpirationis afflatu, à peſtifero mundanæ conuerſationis vbere diuulſum, ad Obſeruantium nuncupatorum Religionem, velut ad Euangelicæ Matris ſinum, à qua cæleſte virtutum lac ſuggeret, ſuauiter compulit.

*In Minorum Obſeruantiũ Militiã adſcribitur.*

LXXXVIII. Is igitur, in Domo Dei inter ipſius domeſticos, ac familiares adſcitus: qui priùs in animo humanioribus ſtudiis excolendo, egregiam operam nauauerat: tunc





primum in id omne ſtudium, ac ſollicitudinem contulit, vt mentem diuinis virtutibus imbueret. Idcircò humilitati cum primis, ſuiipſius abiectioni, obedientiæ, altiſsimæ Paupertati, ſenſuum mortificationi, abſtinentiæ, ſilentio, ac reliquis virtutibus, denique tam perfectè Regularis obſeruantiæ diſciplinæ ſtudere cœpit, vt ſcientiarum peritiam, quam ante Religionis tyrocinium adeptus fuerat, cum ſumma tunc virtute coniungeret, ac poſteriori pietatis gloria cumularet. Quamobrem à Patribus ad Theologica ſtudia promotus, in iis præſtantiſſimus euaſit: atque adeò in vtraque Philoſophica, & Theologica facultate excelluit, vt publicus Louanij Profeſſor electus, pluribus annis Haſſellenſis Academiæ Cathedram apud Louanium ſumma cum laude rexerit; ac ſua doctrina illuſtrauerit. Quo tempore plurima, tùm in Philoſophos, tum in Sacros libros Commentaria edidit.

LXXXIX. Atque inter hæc ſunt: ¶ Elucidatio Paraphraſtica in librum Beati Iob, cum Annotationibus. ¶ Elucidatio in omnes Pſalmos Dauidicos; cui adiunctæ ſunt prolixiores Annotationes, quæ vice Commentariorum haberi poſſunt. Adiuncta eſt etiam Elucidatio Canticorum, quæ Eccleſiaſticus vſus appellare ſolet, Ferialia. Subſequuntur denique Annotationes ex Hebræo, atque Chaldæo, &c. ¶ Elucidatio in lib. Eccleſiaſtem cum Annotationibus.

*Volumina à Franciſco Titelmano edita*

Commentarij doctiſſimi in Cantica Canticorum Salomonis.

Paraphraſtica Elucidatio in Sacroſancta Ieſu Chriſti Euangelia, ſecundùm Matthæum, & Ioannem: additis Annotationibus in loca difficiliora.

Elucidatio in omnes Epiſtolas Apoſtolicas, vnà cum Textu, ſuo loco ad marginem tranſlato, &c.

Summa Myſteriorum Chriſtianæ Fidei, ſiue de Triginta tribus Myſteriis Fidei.

Tractatus de expoſitione Myſteriorum Miſſæ,

Collationes in defenſionem Vulgatæ editionis.

De Exercitiis Religioſorum.

Contra Iacobum Fabrum, & Deſiderium Eraſmum Rhoterodamum.

De Conſideratione Dialectica lib. ſex. & c.

Compendium Naturalis Philoſophiæ, ſiue De Conſideratione rerum naturalium; earùmque ad ſuum Creatorem reductione, libri duodecim.

Plura alia, præter hæc ſcripta edidit, quæ temporum iniuria nobis ſubripuit.

XC. Eo tempore Deſiderius Eraſmus Rhoterodamus, Vir etſi de humanioribus literis benemeritus, atro tamen in Fidei rebus carbone notatus, Baſileæ publicè docebat: cuius ſcripta, quæ apertè hæreſim redolebant; cùm Louanium perueniſſent; in ea Titelmanus acerrimè inuectus, Virum ſcriptis exagitare cœpit; atque adeò inſectatus eſt, vt Eraſmus ſæpè dicere ſoleret, ſe nullius, præterquam vnius Titelmani eruditionem pertimeſcere. Strenuè quoque in Iacobum Fabrum ſcriptis decertauit: quibus ſe acerrimum Catholicæ Fidei defenſorem non obſcurè præſtitit. Denique, qui vniuerſa illius ſcripta euoluunt, in iis non modò ſummum ingenium, cum ſermonis elegantia coniunctum cernunt: verùm & vndique Fidei puritatem, ac pietatem affulgentem animaduertunt.

*In Eraſmum, & Fabrum ſcriptis inuehitur.*

XCI. Inter hæc Franciſcus, cùm Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus eſſet, ſeduló que animo verſaret; quo pacto, collabeſcente Ordinis diſciplina, ſibi ipſi opportunè conſuleret: fortè accidit, vt nouæ Capucinorum Reformationis fama ad eum penetraret. Quare mirum in modum exultans, quaſi ea ſibi à Deo ad ſui Reformationem via parata eſſet: protinus in Italiam proficiſci cogitat. Tandem conſilio cum Fr. Leonardo ſuo olim diſcipulo communicato: cui & Fr. Martinus laïcus comes adiunctus fuit, cum his è Belgio digreſſus, Luteriam Pariſiorum proficiſcitur. Eò cum perueniſſet, ibi F. Franciſcum de Soletro, Virum doctrina, ac vitæ integritate inſignem offendit: qui eodem, quo Titelmanus conſilio ductus, primo

*Italicã profectionem parat.*

quoque tempore profectionem in Italiam parabat. Alterius conſilium etiamnum vterque ignorabat; varia tamen cùm inter ſe frequenter, de Regulari Obſeruantia, colloquia miſcerent; contigit aliquando; vt de nuper exorta Capucinorum Reformatione ſermonem inſtituerent: quam cùm Franciſcus de Soletro plurimis laudibus efferret; iiſque qui ad Reformationem adſpirarent, velut opportunam commendaret; Titelmanus quoque ſuos ei calculos adderet: res eo tandem deducta eſt, vt mutua ſibi viciſſim conſilia, ac deliberationes aperirent.

XCVIII Itaque vna omnes Lutetia digreſſi, Romam versùs iter arripiunt. Agebatur tunc Chriſti annus 1535. cùm Generali Capitulo, apud ſanctam Euphemiam à Capucinis congregato, Bernardinus Aſtenſis communi Eligentium ſuffragio Generalis Vicarius primò electus fuerat: ad quem cùm Franciſcus Titelmanus cum ſociis acceſſiſſet, ac ſumma humilitate Reformationis habitu donari poſtulaſſet: Bernardinus eorum virtutis, ac præſtantiæ non ignarus, omnes in Religionis ſinu læ- tus ſuſcipit, Titelmanúmque Mediolani Lectorem inſtituit.

*Capucinorũ Reformationi cum Franciſco à Soletro, & aliis adiungitur.*

XCIX. Titelmanus verò cùm ea mente, ac conſilio ad Reformationem acceſſiſſet, vt animum ſolidiori virtute ornatum, perfectiùs in Deum transferret: eo honore neglecto, ad Incurabilium domum, in qua tunc Fratres miniſtrabant, cum cæteris deſtinari, atque ægrotis inſeruire à Generali (tametſi ægrè) impetrat; vt humanæ ſapientiæ faſtum, ſi quis animo ex ſui nominis gloria illi adhæſiſſet, eò profundiùs deprimeret, quò humilioribus ſe infirmorum obſequiis addiceret. At verò cùm F. Franciſcus Canobienſis, cui illud Titelmani conſilium minùs gratum fuerat; ea potiſſimùm ratione, eum à propoſitò auocare conaretur: quod prælegendi munus, quo plurimis ſua doctrina prodeſſe poterat; Infirmorum obſequio anteponendum exiſtimaret: his Titelmanus illi verbis reſpondet. Non benè rogas, Frater, neque mihi vtiliora conſulis. Mihi ſanè præſtat, potiùs telam texere, ac manibus laborare; quo neceſſaria mihi, aliiſque ad victũ, iuxta Patris noſtri Franciſci conſilium, parare queam; quàm cæteris in Cathedra prælegere. Quantò magis in ægrotos operam meam impendere? Hæc ideò Titelmanus, cùm primùm ad Capucinos acceſſit, ob id potiſſimùm ſibi in animum induxit; quòd ex antiquo Ordinis Chronico hoc tempore didicerit, id B. P. Franciſco inter alia reuelatum fuiſſe: Minorum Ordinem non ad multarum Literarum ſtudia ſectanda, ſed ad Chriſti Crucem potiùs amplectendam à Deo inſtitutum fuiſſe; neque Minores Fratres, ad oſtentandam ſcientiam, ſed ad Chriſtum Crucifixum iugiter in animo ferendum à Deo vocatos fuiſſe. Hinc enim B. Pater Franciſcus, illa Chriſti verba, Apoſtolis dicta, de Minoribus ſuis interpretabatur; *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis.* Idque ſæpè dicere ſolebat: Multos ſcientiæ viam ſibi laboribus comparare: Beatum verò fore, qui propter Chriſtum ſe ſtultum effecerit: quapropter in humilitatis propoſito conſtans, Aegrotorum curam, oblato Lectoris honori præferre maluit.

*Profeſſoris honorẽ reſpuit.*

*Luc. 8.*

C. Aegrotorum itaque curæ cum aliis addictus; mirum eſt, quanta in eos charitate præcelleret: quàm accuratè, quàm aſſiduè, quàm officiosè diu noctúque, quæ neceſſaria erant, miniſtraret: quàm alacriter ſe totum iis officiis dederet, quæ cæteris oiidiora, ac grauiora videri ſolent: vt omnem ſimul cum carne ſenſus voluptatem confoderet. Eapropter ea ſibi munera libentiùs erga ægrotos obeunda eligebat; quæ carnis ſenſum magis oppugnarent: Sordes omnes ſolus ipſe ab ægrotorum cubilibus amouebat; matulas, & ſcaphia abſtergebat; ſolum verrebat; nihilque, aut laborioſum; aut ſenſui graue eſſe exiſtimabat, quod vltrò lætiſſimè non præſtaret. Denique ea ſemper ſpiritus alacritate in hæc charitatis, ac humilitatis officia ferri videbatur, ac ſi non ægrotis hominibus, ſed ipſi Domino hominum conditori obſequeretur.

*Aegrotorum curam ſuſcipit, & mira charitate exercet.*

Præterea, vt omnem prorſus ex animo tumorem depelleret, qui plerunque ex inflante ſcientia, teſte Apoſtolo, oriri ſolet: adeò ſe literarum ignarum, ac im-

peritum,





peritum, humili quadam ſimulatione præſtabat: vt vel nunquam, vel raro, ob Italici idiomatis inopiam, qua plurimùm laborabat, verbum aliquod Latinum proferret; ſed vulgari tantum ſermone (vt poterat) vteretur. Res planè admiranda aliis videbatur, Virum toti Orbi Chriſtiano inſignem, ac doctrina præclarum, tam ingenti ſuiipſius contemptu inter infirmos verſari, quiſquilias tollere, ſordes aſportare, ac viliſſimis quibuſque exercitiis incumbere: corporiſque ſui adeò curam negligere, vt non niſi deſpecto, ac plerunque lacero habitu vteretur. Denique tanto ſtudio paupertatem amplecti; vt in ſola rerum penuria gloriari videretur. Verùm id illi admirentur, qui præter Mundi gloriam, nihil inter homines præſtantiùs eſſe arbitrantur. Etenim veris Dei ſeruis, atque iis, qui æqui rerum diuinarum æſtimatores ſunt: hæc, quæ apud homines alta, ac glorioſa exiſtimantur; ſtulta, ac infima videntur: idque ſolùm altum, ac nobile ab his eſſe iudicatur, quod humanæ gloriæ faſtigium, atque altitudinem proſternit; cúmque ab hominum ſenſu longè abſit, propè ad diuinum accedit. Idcircò cùm nonnulli ex ſæcularibus viris, qui Louanij ipſius auditores fuerant, illum his ægrotorum obſequiis mancipatum vidiſſent: interrogaſſéntque, cur, aut Romæ non legeret, aut librorum ſcriptioni operam daret, quibus plurimos iuuare poſſet; digna Titelmano reſpondet; Extendens namque ille manum, atque ægrotos indigitans. Hos (inquit) Infirmos cernitis. En libros meos: En Codices, quos quotidie manibus meis compono. Hi Ambroſij: Hi Auguſtini: Hi Chriſoſtomi mei ſunt; quibus ſingulis diebus ſtudeo. Tam enim perfectè Ieſum Chriſtum cum Capucinorum Habitu induerat; tantóque in ſuiipſius abiectionem, ac neglectum ſtudio ferebatur: vt hæc humilitatis, ac pietatis munera maximæ diſcipulorum turbæ, ac multorum librorum ſcriptioni longè anteferret. Neq; enim ignorabat (Gregorio teſte) nullã eſſe ſcientiã; ſi pietatis vtilitatem non habeat: Hominúmq; ingenia, doctrina quidem politiora, pietate verò tantùm meliora fieri.

*Dignum Titelmano reſponſum.*

*Gregor. lib. Moral.*

CII. Dum his practicis, ac vtilioribus ſtudiis, Vir ſanctus omni pietate incumberet: haud tamen illius mens ingenij fœtibus aſſueta, otio torpebat. Eo námque tempore, quod illi ex quotidiano miniſterio, ac rerum diuinarum cultu otium ſupererat, ingenio dabat, librúmque edidit, de Exercitiis Religioſorum, qui plurimùm ad pietatem confert.

CIII. His charitatis, ac humilitatis officiis, cùm Vir Dei aliquot menſium ſpatio tanto ſpiritus ardore vacaſſet: vt ſummam omnibus admirationem, ac Sanctitatis opinionem ingereret. Ab iis tandem Bernardini Generalis iuſſu euocatur, atque ad grauiora Religionis negotia transfertur.

CIV. Contigit hoc tempore, vt Romæ primum illius Prouinciæ Capitulum celebraretur: in quo ob eminentem Viri virtutem, cùm omnium ferè Electorum ſuffragia in Titelmanum conſpiraſſent: is Vicarius Prouincialis, tametſi inuitus, Romanæ Prouinciæ præficitur. Eo porrò munere ſuſcepto, cùm illud ſibi miniſterij genus à B. Franciſco creditum non ignoraret; quo & Religioſæ Familiæ cæleſtis doctrinæ alimoniam præbere, & Domini gregem virtutum luce anteire deberet: mirum planè, quàm integrè, ac perfectè vtrumque præſtaret. In viſitationibus namque, quas ſummo ſtudio, ac diligentia perficiebat, ſermones de Regulæ puritate, ac perfecta illius obſeruantia, vt plurimùm inſtituere ſolitus erat. Atque inter alia Euangelicæ vitæ ornamenta, Paupertatem tanquam vnicum Seraphicæ Religionis fundamentum: quo diruto (aiebat) omnem ſimul Religionem proſterni; ante omnia cõmendans; Fratrum animis inſtillabat. Hanc gladium acutum, atque ancipitem appellare ſæpè ſolitus erat, ob id maximè; quòd vniuerſos animæ hoſtes, nimirũ Mũdi cupiditates, Diaboli impetus, ac carnis voluptates velut ſpirituali gladio vno ictu trucidaret; cunctáq; ſpiritus impedimenta omni ex parte reſecaret, quæ illum à puro Dei amore, & diuinarum rerum contemplatione auocare ſolent: à quibus ſummam hominis perfectionem pendere præclaris rationibus aſtruebat.

*Vicarius Prouincialis Romanæ Prouinciæ eligitur.*

CV. Illud verò cùm maximè Fratribus inculcaret: vt iuxta Apoſtolum labore ma-

nuum

*Manuum laborem Fratribus inculcat.*

*Reg. c. 5.*

nuum victum ſibi quærerent. Hanc B.P.Franciſci mentem in Regula, ac Teſtamento expreſſam eſſe affirmabat; vt Fratres ita manuum labori incumberent, vt ex eo victum ſibi compararent. Mendicationem itaque non abſolutè, ac per ſe; ſed in laboris tantummodò ſubſidium à B. Patre inſtitutam, ac velut ſubſtitutam fuiſſe docebat: vt tunc tantùm, cùm ad victum comparandum labor ſatis eſſe non poteſt, mendicatio ſuppleat. Audite (aiebat) quid B.Pater in Regula præſcribat. *Fratres* (inquit) *quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter, & deuotè, &c. de mercede verò laboris pro ſe, & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios, vel pecunias.* En apertam B. Patris mentem: vt Fratres manuum laborem exerceant; & ex eo corporis ſuſtentationem ſibi quærant. Apertiùs verò, ac luculentiùs id in Teſtamento declarat, cùm ait: *Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij Fratres mei volo, quòd laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem; & qui neſciunt, addiſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris; ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam otioſitatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim.* Hinc, quid de B.Patris mente ſentiendum eſſet, velut indubiè, colligebat; quam eam fuiſſe pluribus aſſeuerare ſolitus erat: vt Fratres ante mendicationem primùm Apoſtoli conſilium implerent, quo illis manuum labor ad victus ſuſtentationem indicitur; tum verò, ſi labor minimè ad annonam ſufficeret, ad mendicationem confugerent. Alia quoque ex D.Baſilio, & ex D.Benedicto exempla colligebat, qui Monachis ſuis manibus operandum præſcribunt. His argumentis Fratres ad manuum laborem impenſiùs adhortabatur. Et quanquam ad eum neminem præcepto vllo aſtringeret: eos tamen minùs Regulæ puritati ſtudere ſentiebat; qui cùm neceſſariis rebus minimè occupati eſſent, ſola rerum mendicatione contenti, corporalia huiuſmodi exercitia negligerent.

Quamobrem in omnibus Romanæ Prouinciæ Monaſteriis, id ſuo tempore agẽdum curauit: vt Fratribus vimina, paleæ, aut iunci ſuppeditarentur; ex quibus calathos, aut fiſcellas, aut ſportas, aut ſtoreas, antiquorum Monachorum more, texerent, ex hiſque communem victum ſibi compararent. Atque vt reliquos ad huiuſmodi opus animaret, frequenter & ipſe cum aliis ſportas, & caniſtros conſtruebat. Illorum tamen laborem minimè probabat, quinimò apertè reprehendebat, qui vanis, ac curioſis operibus intenti, his priuatas hominum, ac mulierculatum amicitias aucuparent. Tales homines Scarabeis ſimiles aſſerebat; qui cùm in globulis ſuis efformandis, ac euoluendis multum laboris inſumant: nihil præter ſtercus circunferunt. Ita hi tametſi multo labore in huiuſcemodi inutilibus, ac curioſis rebus effingendis, ac componendis ſtudeant: nihil tamen præter inanem laborem, vel quod peius eſt, fœdum humanæ, ac ſæpè malè olentis amicitiæ ſtercus in animo verſant: quibus idcircò non merces pro labore; ſed pro mercede probrum, ac ignominia debeatur. CVI.

*Curioſa Fratrum opera reprehendit.*

B.Patris Franciſci Regulam aiebat, tam claram, ac dilucidam eſſe; vt germanus ipſius ſenſus vnicuique obuius eſſe poſſet, ſi ſolo ſpiritus, non carnis oculo ſpectaretur. Quo fit, vt nulla prorſùs interpretatione, præterquam benè affecti animi lectione indigeat. Hinc præter Pontificum Declarationes, cæteras Regulæ expoſitiones, aut ſuperuacaneas, aut Regulæ minùs proficuas iudicabat; cùm ſæpe genuinum illius ſenſum vel interuertant, vel tenebris inuoluant. Hac quippe de cauſa Dominum Gloſas omnes à Regula expuliſſe affirmabat; cùm olim Beato P. Franciſco dixit: *Volo, vt Regula obſeruetur ad literam, ad literam, ad literam, ſine Gloſa, ſine Gloſa, ſine Gloſa.* Eo quòd aliquando ſub ſpecioſo Expoſitionum titulo fallaces, ac pernicioſas Gloſas in Regulam intrudendas prænoſceret. Veruntamen cùm obuios, ac germanos Regulæ ſenſus prodere, ac verbis illuſtrare, neque Gloſa, neque damnanda Regulæ expoſitio ſit; id maximè fieri commendabat. In eòque is tam in publicis ſermonibus, quos ſæpiſſimè de Regula inſtituebat; CVII.

*Chron. Ord. P. 1. li. 1. c. 7.*

*Quænam Regulæ expoſitiones damnandæ.*

quàm



quàm in priuatis colloquiis adeò præcellebat; vt Fratres Dei gratiam, qua in Regulæ locis, ac myſteriis elucidandis mirificè affluebat, admirantes, ab illius ore penderent.

CVIII. At verò Vir hic egregius, cùm ad optimum, ac potiſſimum aliorum regimen, verbi diſciplinam haud ſufficere; ſed ipſam perfectioris vitæ formam neceſſariam eſſe duceret: vix ad Prouincialatus Officium aſſumptus, tam ſingularem, ac perfectam in ſeipſo vitæ rationem inſtituit; támque præclaris virtutum exemplis cæteris prælucere cœpit; vt vniuerſi ex eo, velut ex diuite quodam pœnu, quod imitarentur, ſibi ſumere valerent. Etenim præter ea virtutum genera, quæ non omnibus communia; ſed Paſtoribus tantùm propria eſſe ſolent; cuiuſmodi ſunt, grauitas in Officio, conſilium in deliberando, prudentia in agendo, in iudicando æquitas, in pœnis exigendis temperantia; in arduis aggrediendis fortitudo; erga miſeros pietas, erga proteruos ſeueritas, erga omnes manſuetudo: quibus is adeò præcellebat; vt in eo præſidendi munere non tam ſe Iudicem, quàm Miniſtrum ſpectaret; cogitarétque ſibi tantùm eſſe permiſſum, quantùm commiſſum ſit, & creditum: poteſtatémque ſibi eſſe datam, vt non quæ velit ipſe, ſed quæ lex, & Religio iubeat, præſtet: atque idcircò Patrem, ac Paſtorem ſe eſſe meminiſſet, cui filiorum cura, ac gubernatio credita eſt. Demùm ita ſibi gregis cuſtodiam commiſſam intelligeret, vt languentes Oues ea ſuauitate curaret: vt nec nimia auſteritate perderet, nec abundantiori lenitate in vitiis foueret; atque hoc pacto veri, & perfecti Iudicis ſimulachrum rectè cenſeri poſſet. Tot alia, præter hæc præclariſſimarum virtutum ornamenta ſibi comparauerat, quæ ſingularem duntaxat perſonam, etiam à dignitate ſeiunctam conſequebantur; vt nemo facilè alium reperire poſſet, qui humilitate, modeſtia, benignitate, moderatione, animi lenitate illum antecelleret. Admirabilis in eo erat, ac penè incredibilis, vitæ auſteritas, atque in ſeipſum ſeueritas: qua fiebat, vt nudis ferè ſemper pedibus in ipſa quoque viſitatione incederet; quotidiana ieiunia coleret; ſemélque in die duntaxat cibum ſumens; à carnibus, ac lautioribus cibis, vt plurimùm abſtineret; nudis tabulis pro ſtrato vteretur; ſomni parcus, maiorem interdum noctis partem, quoad ſibi per Officium licebat, in orationibus inſumeret. Quanquam verò corpore delicatus eſſet, ſeueriores tamen carnis caſtigationes tam auidè amplectebatur: vt iis ſibi ad breuiorem vitæ curſum facilè viam ſtrauiſſe, cunctorum fuerit opinio. Denique tanto in perfectiſſimam Regulæ obſeruantiam ſtudio, ac cupiditate ferebatur: vt nemo eo pauperior, abiectior nemo eſſet: viliſſimo ac ſolo tantùm inter brumalia frigora habitu contentus, in ſumma rerum egeſtate gauderet; atque in ſola Domini noſtri Ieſu Chriſti Cruce gloriari videretur. Paupertatis adeò cupidus ac amator fuit, vt Romæ in Conuentu S.Nicolai, qui poſtea, noua extructa Eccleſia, Sancto Bonauenturæ dicatus fuit, Cellulam quandam pauperrimam, ex contextis viminibus, ac luto extructam, ſibi ſeorſum parauerit: vt ſe nulla re magis, quàm paupertate delectari oſtenderet, cæteriſque paupertatis exemplum præberet. Qualecumque aſpectu curioſum, tametſi minimum, tam in Eccleſiis, & locorum ædificiis, quàm in menſis, ac ſupellectilibus ſe ſe offerret, in quo altiſſima non reluceret Paupertas, ſummoperè exhorrebat. Quamobrem cùm menſas quaſdam in viſitatione abiegnas, ac leuigatas offendiſſet, quæ pulchritudinem, ac curioſitatem ex leuigatione præſeferebant, protinùs è Refectorio amoueri, aliáſque rudiores apponi iuſſit, vt Fratrum animos à rerum curioſitate auocatos, ad ſimplicitatem, quæ Minorum propria eſſe debet, transferret.

*Varia illius virtutes enarrantur.*

*Ipſius Auſteritas quanta.*

*Paupertatis amore flagrat.*

CIX. Inter hæc mira Franciſcus in ſuos charitate ferebatur, tamque materna in eos viſcera gerebat; vt eum nec labor itineris, nec intenſi calores, nec naturæ mollioris imbecillitas deterrerent, quò minùs ſingula Prouinciæ Loca, vniuerſóſque Fratres ſingillatim inuiſeret; ſeipſúmque eis libenter impenderet. Cunctos haud

ctos haud

*Charitas in Franciſco perfecta.*

ctos haud ſecùs, quàm gallina pullos, confouebat, conſolabatur, hortabatur, ac piis ſermonibus ad virtutum ſtudia prouocabat. Et ſi quem ægrotantem offendiſſet, omne mox ſtudium, ac ſollicitudinem conferebat; vt neceſſaria illi ſumma charitate miniſtrarentur. Aegrotos enim velut infantulos, ſuæ curæ relictos, intuebatur: quibus propterea Fratres charitate præditos, qui illis ſedulò miniſtrarent, deſtinandos curabat.

Tanta in ipſius conuerſatione humilitas, tam mira affabilitas, elucebant; vt ad eum velut amantiſſimæ matris ſinum cuilibet pauperculo Fratri, confidenter aditus pateret: cúmque nulli durus, aut grauis, neminem vnquam à ſe, ſuóque colloquio repelleret: hinc omnium erga ſe Fratrum animos alliciebat; tanta denique in eo erat faciei venuſtas, tanta vultus hilaritas, ac morum ſuauitas, vt cùm in eo cuncti Angelicæ conuerſationis formam ſuſpicerent; nemo in eum oculos conijceret, aut loquentē audiret, qui Angelicū ac cæleſtē hominē eſſe non exiſtimaret. CX.

Feruebat, Vir præclarus, incredibili charitatis æſtu; ita vt ſeipſum hoſtiam pro Chriſto immolare, ſummoperè optaret. Quamobrem id ſecum ſæpè in animo volutabat, quo pacto nonnullis feruentioris ſpiritus Sociis collectis, in Infidelium oras, ac præſertim Indicas plagas irrumperet; ſteriléſque Terras, vel diuino fidei ſemine imbueret, vel fuſo cruore irrigaret. Idque facilè aſſecutus eſſet, niſi vitæ ipſius ſtamina, mors immatura abrupiſſet. CXI.

*Martyrio flagrat.*

His ſtudiis, ac clariſſimis virtutum exemplis, dum Titelmanus inſtar Aquilæ, quæ ſuper pullos ſuos volitat, filios ad virtutes, & perfectiorem Regulæ obſeruantiam prouocaret: atque omni ſtudio, ac diligentia in commiſſæ ſibi Prouinciæ adminiſtratione, ac cultura laboraret: ſecundam viſitationem auſpicaturus, Anticolim peruenit, quod Latij Oppidum eſt, quadraginta millia paſſuum ab Vrbe diſtans. Vix autem Monaſterium ingreſſus, cùm à Guardiano, & à Fratribus, Angeli inſtar, omni honore exciperetur: adhuc valens, & incolumis ad eos conuerſus, ait: Quid honores paratis? Parate Patri veſtro ſepulchrum, ad vos enim moriturus accedo? atque hic me locus vſque ad extremum Iudicij diem rurſus excitandum, capiet: Deo namque reuelante didicerat, extremum ſe ibi vitæ colophonem impoſiturum: Fratres verò tametſi meliora, ac feliciora illi ominarentur; Viri tamen grauitatem, ac Sanctimoniam haud ignorantes, rem tremuli, ac ſuſpenſi expectabant; cùm vix biduo elapſo febre ægrotare cœpit; ſuccedente deinde copioſo ſanguinis fluxu, qui nullo vnquam remedio cohiberi potuit; cùm morbus ingraueſceret, vitæ finem Vir Dei ſibi imminere præſentiens, protinus omnia ſibi Sacramenta adminiſtrari curat: quibus inſtructus, quicquid viriū animo ſupererat, recolligens, vniuerſos Fratres, qui tunc in eo Conuentu aderant, ad ſe vocatos, cæleſtibus verbis ad perfectam Regularis Obſeruantię diſciplinam, ad Seraphici P. Frāciſci imitationem, ad diuinę charitatis amplexū, pręſtantioráque omnium virtutum ſtudia capeſcenda hortatur. Poſtremò Filios, lecto circumfuſos, & communis Patris obitum collachrymantes aſpiciens, paterna cunctos benedictione proſequitur. CXII.

*Obitum ſuū Fratribus prædicit.*

Porrò in extrema illa ægritudine, quæ vſque ad vigeſimum circiter ſupra octauū diem producta eſt, tot inuictæ patientię, inſignis tolerantiæ, ac diuinæ charitatis teſtimoniis eluxit; vt cùm eo tempore, totus Diuinis laudibus decantandis incumberet, ſummámq; vultus hilaritatē præſeferret: non ægrotus, aut moriturus; ſed potiùs melioris vitæ trophæa, ad quæ ocyùs properabat, cæleſtis cuiuſdā Cigni inſtar, ſuo cantu referre videretur. Quapropter Domino, tāquam fure clam adueniente, cùm prudens, ac frugi Paterfamilias ad illius aduentū vigilaret; eidem occurrēs, necdum biennio in Prouincialatus munere expleto, Pridie Idus Septēbris, hoc anno ex hominū conſortio ad Superûm ſocietatem euocatur. Nec ſenex, nec ætate longæuus Titelmanus obiit: cùm vix quadrageſimū circiter annū attingeret. At Senectus venerabilis non temporis diuturnitate, neq; annorum numero computatur. *Cani enim* CXIII.

*Diem extremum Anticoli obit.*

(teſte





(teſte Salomone) *ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Inter Capucinos, ad tertium non ampliùs annum, vitæ lineam extendit. At conſumatus in breui expleuit tempora multa. Breui enim hoc tempore, tam copioſis cæleſtium virtutum odoribus Religionis domum compleuit; vt haud ſecus, quàm ſi plenus dierum diu inter nos vixiſſet: quamplurimos, ea cæleſtis vitæ fragrantia, ad ſui imitationem allexerit: ita vt ſancto huic Viro illud Vatis rectè accommodari queat. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Vix enim illius anima à corpore ſoluta fuit, cùm ipſius ſanctitatis odor vbique paſſim diffundi cœpit. Nam eadem (vt putatur) hora, Ioannes Cardenus de Tapia, Abulenſis, Vir venerabilis, qui arctiori familiaritatis vinculo Franciſco adſtrictus erat; cùm de ipſius obitu necdum nuncium accepiſſet: atque vnà cùm Bernardino, Nobiliſſimo Viro, Eccleſiæ Placentinæ, Compoſtellanæ Prouinciæ, Archidiacono; in Cynthiani Caſtro, quod à Romana Vrbe non longè abeſt, pietati plurimùm ſtuderet: diuina quadam viſione, quæ præclaram illi Titelmani gloriam poſt mortem declararet, in ſomnis potitur. Leui námque ſopore inuaſus: mox in vaſtam quandam, & admirabilem planè ciuitatem ſe delatum cernit; in qua cùm clariſſimus dies affulgeret; vniuerſas illius domos, vicos, plateas, Palatia criſtallina, non qualia apud nos videri ſolent; ſed longè pulchriora intuebatur. In hæc dum admirabundus animum intendit: En copioſiſſimum, ac glorioſum Capucinorum hominum cœtum, qui quingenteſimum numerum excedebat; binos, ac binos velut in ſupplicatione diſpoſitos, Vrbem ingredientem conſpicit. Cuncti biſſinas, candidiſſimaſque Tunicas, quæ Albæ apud nos appellari ſolent, induti, Sacerdotales Caſulas, quaſi Sacra facturi gerebant. In his cùm alij Seniores, alij Iuniores eſſent; qui Seniores erant, inſueto licèt ordine, præcedebant; Iuniores verò ſequebantur. Inter hos medium Franciſcum Titelmanum, in feretró albo, ac precioſis gemmis ornato decumbentem, à quatuor Iunioribus, qui inter eos pulchriores, ac ſplendidiores videbantur, humeris deferri cernit. Erat & ipſe Franciſcus Sacerdotalibus, ac precioſiſſimis veſtibus indutus, qui tametſi in feretro, quaſi mortuus iaceret, haud tamen mortui, ſed viuentis vultum, ac formam ſibi præferre videbatur, tánta venuſtate præditum, vt cunctos ſuo aſpectu exhilararet. Porrò nouus ab omnibus per choros hymnus, quem nunquam is aut audiſſet, at legiſſet, tanta ſuauitate decantabatur, vt in cæleſtem illum voluptatem raperet.

*Sap. 4.*

*Pſal. 132.*

*Glorioſus poſt obitum quibuſdam apparet.*

*Ioannis Viſio exaratur.*

CXIV. Stupebat Ioannes, qui Titelmanum necdum diem ſuum obiiſſe intellexerat. Cúmque inter eos, qui feretrum inſequebantur, F. Leonardum Franciſci quondā ſocium ſibi notiſſimum agnouiſſet: ad eum accedens, quid hæc eſſent; quidue tanta illa Franciſci gloria præſeferret, interrogat. Cui cùm nullum Leonardus reſponſum daret; ſed cum aliis hymnum decantans præteriret, ardentiori ſtudio incenſus, poſt ipſum feſtinat, dumque rei cauſam omninò ſcire optans, eundem clamoribus interpellat: extemplò ſibi è ſopore redditus, ſe longiùs è ſtrato, in quo dormiebat, ſtantem reperit. Ioannes porrò, quid ea viſio præſeferret, etiamnum ignorabat, cùm altera quoq; æquè illuſtris Bernardino Archidiacono, quem Ioannis ſocium nuper commemorauimus, de Titelmani gloria, eodem tempore viſio demonſtratur. Is enim in mentis exceſſum raptus, Franciſcum Titelmanum micanti lorica, totáque precioſiſſimis gemmis artificioſiſſimè elaborata, armatū, quæ ſplendorem, radiorum inſtar, circumcirca diffunderet, altius ſuper lacum, qui per Cynthiani planitem ſe diffundit, in aëra ſubuectum cernit: qui cùm Bernardinum hilari vultu, gratóque aſpectu per aliquod temporis ſpatium intuitus eſſet, quaſi qui amico iucundè ſubrideret; repentino poſthæc turbine in Cęlum raptus, ex ipſius oculis euanuit.

*Alterius de Titelmani gloria viſio narratur.*

CXV. Admirabili quidem, ſed non obſcuro rerum ſimulacro, Deus vtriq; viro, quanta Franciſcum poſt mortem gloria cumulauerit, ſignificatum voluit. Prior enim

Ioannes cùm Titelmanum, tot Beatorum Capucinorum agminibus ſtipatum, in glorioſam illam,ac cæleſtem Ciuitatē, albo feretro vndique gemmis precioſiſſimis ornato,deferre conſpicit: quid planè aliud,prærerquàm collatum Franciſco à Deo poſt mortem,gloriæ triumphum inſinuat; quem & priora,& poſteriora Sanctorum agmina ſuis laudibus proſequuntur? Poſteriori verò Bernardino, dum Franciſcus fulgentiſſima lorica armatus,ac velut turbine in Cælum vectus apparet:quàm illuſtris, ob præclara,pro Eccleſia aduersùs Hæreticos inſtituta certamina, atque edita volumina,illum gloria poſt obitum exceperit, declaratum fuit. Si enim Michaël Archangelus,qui pro diuinæ Maieſtatis gloria aduersùs Luciferum pugnauit, ſæpè hominibus,armis contectus apparuit; vt diuina, quæ præſtantiſſimo operi reddita fuit,merces ſignificaretur. Haud ſanè mirandum eſt, quòd Franciſco Titelmano, qui contra Eraſmum, Fabrum, & alios Luciferi aſſeclas,tam ſtrenuè,ac conſtanter decertauit; vt neminem præ illo ij hoſtem formidarent; ea triumphi gloria collata fuerit, quæ hoc armorum ſimulacro explicaretur.

CXVI. Hæc porrò cùm Bernardinus cum Ioanne contuliſſet; iſque viciſſim, quæ in viſu,aut ſopore viderat,retuliſſet: En nuntius Anticolò aduentat,qui Titelmanum eo prorſus tempore, quo vtrique viſio demonſtrata fuerat, ex humanis emigraſſe narrat,Quamobrem cùm Bernardinus iam de illius gloria,qua apud Superos fruebatur,ex cæleſti viſione certus eſſet; neque ipſum illius apud Deum merita laterent; illius habitus ſegmen ſibi dari poſtulat. Quo impetrato, eo pluribus ægrotis incolumitatem, ob ſancti Viri merita à Deo impertitam fuiſſe, publico deinde verbo, ac ſcripto teſtatus eſt.

*Ipſius Habitus ſegmen pleriſque ægrotis incolumitatem præſtat.*

CXVII. Inter hos quædam fœmina fuit, quæ cùm Diſſenteriæ morbo periculosè laboraret; allato illi à Bernardino Habitus Titelmani ſegmine: vix ea illud,inuocata Franciſci Titelmani ope, deuoto oſculo excepit, cùm extemplò conualuit,ac diſſenteriæ fluxu cohibito, priſtinam incolumitatem adepta fuit.

*Mulier à ſanguinis fluxu ipſius meritis liberatur.*

CXVIII. At quæ eidem Ioanni, de quo nuper mentio facta eſt, non diu poſthæc acciderunt, digna planè ſunt, quæ hoc loco diligentiùs exarentur. Erat Ioannes, magno (vt diximus) neceſſitatis vinculo Titelmano coniunctus: cui propterea vniuerſas animi ſui cogitationes, ac conſcientiæ arcana, antequam is Cynthiano digrederetur,patefecerat. Optabat enim, Titelmano ſuadente,Ioannes rebus ſuis maturè conſulere: & quæ propiùs ipſius ſalutem attingebant, ardentiùs proſequi: Quapropter, cùm totam ſalutis ſuæ ſummam in Titelmani manu diſponendam repoſuiſſet; ab eo conſilium expectabat, quo rem ad finem perduceret. Franciſcus verò, cùm res, ob pleráque Eccleſiaſtica beneficia, quæ ille diu adminiſtrauerat; maiori conſilio indigere animaduerteret: reſponſum vſque ad reditum differt: tuncque quid facto illi opus, ſit diligentiùs edocturum pollicetur.

*Altera Ioannis Viſio enarratur.*

CXIX. Iam verò Ioannes de Franciſci obitu certior factus, cùm ſe illius conſilij ſpe deiectum cerneret, vehementer animo diſcruciabatur. At paucis inde diebus elapſis,cùm triſtis aliquando ſe ſopori dediſſet; mox Iuuenem aſpectu grauem velut ad iter præcinctum,ſibi adſtantem cernit,qui eum his vocibus compellat. Ioannes! Tu ne Cælum conſcendere optas? Cui Ioannes: Id ſanè, & nihil optabiliùs: At ille veſtem talarem proferens, Si eò (inquit) cupis aſcendere, hæc tibi veſtis induenda eſt; tum verò mecum perges; Nihil cunctatur Ioannes; moráſque omnes abrumpens, veſtem induit: Vix autem indutum: Iuuenis,qui tunc primùm alatus apparet,repentè illum in humeros ſuſcipit, atq; in vrbem quandam volitando defert,in qua plurimos Ioannes,vrbis Ciues,ac Mercatores,lugubri veſte cōtectos, ac vultu ſquallidos;quales aut lōgus carcer,aut diuturna ægritudo,vel mors imminēs efficere ſolet,deābulantes intuebatur:Mirabatur Ioānes eo Vrbis,ac Ciuiū aſpectu: & quænā illa Vrbs,quā nunquā ſe vidiſſe meminerat;aut quæ tanta mœſtitiæ cauſa eſſet, nulla ratione ſibi in animū inducere poterat. Cùm inde protinus illū alatus





Iuuenis, in aſperas quaſdam,ac præruptas rupes, aſpectu horridas fert: mox inde in Antrum horribile ducit, cuius cùm Vir quidam, vt videbatur, armatus,ſtatura procerus, ac vultu ferox aditum occuparet. Hîc Ioannem ſuus viæ Dux ex humeris deponit: cúmque prior in Antrum ſe dediſſet, Ioannem ſequi iùbet. Altera in Antro Spelunca profundior, obſcuriórque latebat; quam ille oppidò ingreſſus, in eam quoque Ioannem tametſi inuitum,ac reluctantem cōpellit. Flebat Ioannes dēſis illius cauernæ tenebris,ac viæ aſperrimæ ſalebris exterritus:prioráque ſibi promiſſa, quibus recta ad Cælum via ei ſternenda eſſet, à ſuo Ductore haud ſeruari, duris verbis conquerebatur. Cui ille. Quare Amice de mea fide dubitas (ait) hæc via eſt, me ſequere. Cúmque iam longum temporis, atque itineris ſpatium, per cœcas illas Antri tenebras, quaſi inter noctis horrores,confeciſſet:qui eouſque itineris præcurſorem egerat, repentè ipſum inter craſſas illas Antri caligines, ac ignota loca, metu penè exanimatum deſerens, ab ipſius oculis euaneſcit. Quales Ioannis animum tunc anguſtiæ,ac pauores inuaſerint; cùm miſer ope omni,ac præſidio deſtitutus, quò tenderet, ignoraret: quis animo potiùs æſtimare, quàm verbis explicare poteſt. Erumpebant copioſæ ab oculis lachrymæ; cœcáque illa montium concaua illius fletibus, ac mœſtis vocibus perſonabant, quæ tamen nihil miſero proderant, donec vexatione intellectū dante, ad Dei opem,ſupplex confugit; ſéque Crucis ſigno communiens, Deum illis Prophetæ verbis precari cœpit: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Psal. 24. Vehementiùs igitur cùm diuinā lucem, illa Zachariæ voce: *Illumina Domine hos qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis;* Cant. Zach. ſibi affulgere poſceret: tenuem quandā lucem procul apparentem videt, quæ nonnullam inde euadendi ſpem illi animo adferret. Quare eò confeſtim greſſus dirigens, improbiſſimos licèt, illius itineris labores, ob nouam ſpem animo conceptam,floccipendere videbatur.

CXX. Vix autem ad perexiguum lucis illius ſplendorem progredi cœperat: cùm mox, tot Plorantium gemitus,tot eiulatus,tot querulæ voces, illius aures, & animum pulſant: vt loca illa luctus, ac mœſtitiæ domicilia iure ab eo exiſtimari poſſent: támque ingens loca omnia circum fœtor occupat, vt cùm vix ab eo tolerari poſſet, animam propè exhalare videretur. Horribiles præterea illi apparebant vmbræ, ſummum illi terrorem incutientes, quæ viam illi intercludere, ac ne vltrà progrederetur, vim inferre conabantur. Has ille non alio modo, quàm ſacro Crucis ſigno obiecto,à ſe abigendas curabat. Hoc pacto, cùm ad illius tandem lucis, quam procul aſpexerat,claritatem perueniſſet: vaſtum Antri hiatum offendit, vnde in latam quandam,ac limoſam planitiem,nebulis vndiq; obſeſſam, exitus aperiebatur. Hanc cùm horrenda diuerſi generis Monſtra habitarent: vix Ioannes iter per planitiem aggreditur; cum beſtiæ illæ immanes,in eum confeſtim irruere,dentibúſq; dilaniare parant. Nullum,præterquam fugæ remedium Ioanni ſupererat,quò ſe ab huiuſmodi Mōſtrorum faucibus eriperet: ſed cùm talari veſte à curſu impediretur; veſtem mox ſibi abiiciendam ſtatuit. Vix autem veſtē exutus, nudus, ac expeditus, euaſerat,cùm alas ſibi è Cælo dari animaduertit. Lætus igitur Ioannes, cum his liberè in aëra ferri,Monſtráq; imo in cœno iacentia ſuo volatu eludere poſſe,cerneret,eo confeſtim alarum adminiculo in alteram planitiem amœniſſimam,variiſque arboribus conſitam: atque inde in oppoſitum montem, deliciis, ac voluptate plenum euolat. At vbi montem attigit,mox ab exceſſu, tam animo defatigatus;atque ob præteritos labores, tam graui morbo affectus, ad ſeipſum rediit: vt quindenorum dierum ſpatio febre correptus in lecto iacuerit: vt eo manifeſtum fieret: hæc non ſoporanti, ſed reuera vigilanti in ſpiritu contigiſſe.

CXXI. Id verò magis, ex his, quæ dicenda ſunt, perſpicuum fiet. Dum enim poſt hæc Ioannes, quæ in eo viſu perſpexerat, flens ſecum aliquando animo volutaret. En Titelmanus, Meridiano tempore cubiculum ingreditur, Ioannémque in lecto decumbentem, quo tempore adhuc febris ardore laborabat, chariſſimè, vti

*Franciſcus Titelmanus Ioanni apparet ac viſus Myſteria declarat.*

ſolebat,ſalutat. Porrò tantus fuit mentis ſtupor, qui tunc Ioannis animum inuaſit, vt quanquam perſpicuè Titelmanum agnoſceret:haud tamen eo tempore,illum è viuis exceſſiſſe, ſibi in memoriam reuocaret. Titelmanus itaque blandè Ioannis manum arripiens, his velut amicum verbis alloquitur. Quid turbaris Ioannes? Aut quæ animum tuum, ob ea quæ vidiſti,triſtitia occupat? Diuinitùs hæc tibi demonſtrata ſunt; vt qua via meliùs rebus tuis conſulere, tutiúſque ad Cælum pergere valeas, non ignores. Iam verò, vt eorum, quæ perſpexiſti, Myſteria teneas: aures arrige. Iuuenis ille Alatus, qui vt te dolis, ac inſidiis circumueniret, atque in Tartareas tenebras demergeret: ſe tibi amicum ſimulabat, rectáque in Cœlum ducere falsò pollicebatur: Mundus iſte eſt, fallax & malignus; qui leuis curſoris inſtar, cum ſua concupiſcentia tranſiens,incautos,ac ſuis illecebris irretitos,velociùs perdere feſtinat. Vrbs illa, quæ Ciues, ac Negotiatores ſuos atris veſtibus indutos triſtes, ac ſquallidos alit, Oculorum concupiſcentia eſt,cui nihil vnquam ad ſaturitatem ſufficit. Montes præcipites, ac præaltæ rupes, Vitæ ipſa Superbia eſt, ac honorum ambitio,quæ humanæ gloriæ cupidos ad certa præcipitia rapiunt.Via antri tenebroſa, ac periculis obſita,via impiorum eſt; de qua Sapiens. *Via (inquit) impiorum tenebroſa; neſciunt quò corruant.* Vmbræ iter intercipientes, variæ Dæmonum tentationes ſunt, quibus mundanos homines à recta ſalutis via impedire ſtudent. Querulæ voces, fletus, eiulatus: propinquorum, affinium, ac Nepotum amor eſt, quo plerique à virtute auocati in auaritiæ barathrum ſe præcipites dedunt: atque in propriæ ſalutis diſcrimen rapiuntur. Fœtor omni maleolentia olidior, quid aliud, præterquam vitiorum putredinem indicat? quam ſi mundani homines animo perciperent, velut omni cadauere olidiorem, vix illius fœtorem ferre poſſent. Cœnoſa quoque illa Planities, quam tot ſæua Animalia obſidebant,ipſa eſt Concupiſcentia carnis;molliſque ac ſuauis eorum vita,qui ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt. Talaris porrò illa Tunica,quæ tibi à principio data fuit, ne Monſtra illa in te irruentia euaderes:Terrenarum rerum amor,ac cupiditas eſt, qua implicati homines à cæleſtibus auocantur, humaníſque vitiis ſe deuorandos tradunt. Lux denique, quæ tibi inter obſcuras Antri illius tenebras affulſit: ſumma Dei Miſericordia, & clementia eſt, quæ iis etiam,qui in ſcelerum tenebris verſantur,illucere haud deſinit. Iam vidiſti Ioannes, quales te in rerum anguſtias,& anfractus Mundi huius ſequela rapuerit: quantáque tum corporis,tum animæ te pericula maneant, quandiu te rerum terrenarum amor irretitum tenet. Iam verò ſi liber euadere,ac tutiùs tuæ ſaluti conſulere optas; Tunicam abiice:mundum exue:ſæcularibúſque te ipſum curis eripe: Nihil te à cæleſtibus ſtudiis,ac diuinis obſequiis,quibus te ipſum iam pridem mancipaſti; detineat: non auri cupiditas, non honorum ambitus, non propinquorum cura,non denique terrenorum amor irretitum teneat. Mundo altiùs conſcende: omnia contemne: nudúſque ad Chriſtum aduola, ſi ipſius tandem gloria ſuperueſtiri expetis. Atque his dictis confeſtim ſe ex illius oculis ſubripuit. Metúq; omni,ac mœrore,quem Ioannes ex præterita viſione conceperat, ab illius mente expulſo,febrem quoque,qua eouſque fatigatus fuerat, ſecum abſtulit.

*Prou. 4.*

Vix Franciſcus abſceſſerat: cùm Ioannes ſibi ex ſtupore redditus, tunc primùm XXII.
ab eo ſibi promiſſa reddita agnouit: cùm ſe Cynthianum rediturum; quidue illi in ſalutis ſuæ negotio gerendum eſſet, opportunè edocturum ſpoponderat. Quamobrem cæleſti mox illius conſilio obtemperans,Eccleſiaſticis beneficiis,quibus abũdè honeſtatus erat,abdicatis; cùm vix ea, quæ vitæ neceſſaria erant, ſibi ſeruaſſet; religioſam,ac virtute plenam deinceps vitam inſtituit.

*Titelmani Sanctitas à Deo Miraculis teſtata.*

Præclaram huius Viri Sanctimoniam, Deus Optim. Max. plurimis poſt mor- XXIII.
tem ſignis, ac Miraculis, cunctis teſtatam eſſe voluit: inter quæ illud illuſtrius, ac omnibus perſpicuum enituit. Nam cùm poſt quartum à Beati Viri obitu annum, ſepulchrum, in quo illius corpus conditum fuerat, à Fratribus





apertum eſſet; vt eò aliud defuncti Fratris cadauer inferretur: Titelmani Corpus, non qua parte parietem versùs collocatum fuerat; ſed facie ad Cælum conuerſa in ſepulchro conſpicitur: quaſi id animis inſinuaret, eò & corporis vultum ſpectare debere, vbi anima, ſempiterna apud Deum gloria perfruitur: Huius rei perſpicua Fratres teſtimonia reddebant: Verùm id maiori admiratione dignum: cùm enim aqua latenter per terræ ſinus penetrans, vberior in ſepulchrum defluxiſſet: ea Titelmani Corpus, tum ob temporis diuturnitatem, quo ſepulchro conditum fuerat; tum maximè ob adhærentis aquæ copiam, quæ cùm inter anguſta ſepulchri concaua concluſa, facilè corrumpatur, corpori quoque ipſi vitium adfert,tabefieri oportebat. Quare cùm Franciſcus Calaber Concionator, qui Titelmanum ſingulari pietate proſequebatur, atque admota ſcala in ſepulchrum deſcenderat; Titelmani Corpus putridum fore ſibi perſuaderet: Manu illius habitum apprehendit,trahit: Quid plura? Habitum quidem putredinè conſumptum: Corpus verò omninò integrum,ſolidum,ac incorruptum non ſine Miraculo conſpicit, attrectat,admiratur,è tumulo eruit: moxq; diuina Miracula augentur. Caro enim illius alba,mollis, attrectabilis,qualis viuentium eſſe ſolet, deprehenditur. Neque hic diuiniorũ Mirabilium finis.Talis denique,ac tam ſuauis ex illius Corpore odor diffunditur, vt eo vniuerſi,velut cœleſti quadam ſuauitate inebriati,ſtupentes conſiſterent: nihilque præter Dei laudes & preconia efferre poſſent; qui Mirabilis eſt in Seruis ſuis. Rurſuſque venerandum illud Franciſci corpus, nouo Habitu indutum, in ſepulchro recondunt.

*Pleraque in Titelmani Corpore prodigia apparent.*

CXXIV Huius autem rei fama per Oppidum diffuſa, mox plurima ægrotorum multitudo ad illius ſepulchrum confluit: ex quibus quamplurimi ſancti Viri opem efflagitantes,optata à Deo incolumitate impetrata,voti cõpotes ad propria redeunt. Poſthæc,non paruo annorum numero interiecto: cùm Lucas Burgheſius, Archipresbyter Anticolenſis,qui ſanctum Virum adhuc viuentem ſingulari amore proſecutus fuerat,ab Anticolenſis Conuentus Guardiano, tandem ſummis precibus obtinuiſſet; vt ſepulchro,in quo Titelmani Corpus condebatur, aperto,rurſus illius conſpectu ſibi frui liceret. Guardiano, ac Fratribus præſentibus, ſepulchrum ingreſſus,ſanctum Corpus,poſt tot ſepulturæ annos, vt priùs incorruptum, & integrum;carnem mollem,ac palpabilem; ſuauiſſimo denique odore fragrantem offendit. Quamobrem diuino illo prodigio commotus, cùm vnius oculi luce omninò orbatus,altero ob graue ſenium,quo prægrauabatur: (Erat enim ſeptuagenarius) ſine conſpiciliis,clarè vti non poſſet: fide plenus, Viri Dei merita, ac ſuffragia ſibi ex animo implorat,manum Defuncti oculis admouet, extemplóque cœcum oculum luci reſtitutum: alterum verò ex ſancti Viri merito tam clarè illuſtratum ſentit:vt abſque conſpiciliis,ad extremam vſque centum annorum ſenectutem, ad quam incolumis peruenit,Miſſam,& Horas Canonicas vtroque oculo legeret. Cuius miraculi communis olim,atque etiamnum in eo Oppido fama apud omnes diffuſa viget.

*Plurimi ad illius ſepulchrum confluentes, à Morbis liberantur.*

*Archipresbyter Anticolenſis viſum recipit.*

CXXV. Neque eo duntaxat, verùm & noſtro quoque tempore, ſancti Serui ſui merita Deus Opt. Max. miraculis illuſtrare haud deſinit. Nam anno 1602. cùm Nobilis fœmina Laura,Fabritij Mancini Anticolenſis Vxor,tam graui,ac diuturno oculorũ morbo afficeretur; vt per duodecim annorum ſpatium,dextri oculi lumine,vel minimũ frui potuiſſet.Gabriela ipſius mater caſum filiæ miſerata,ac multa fide plena, altera ſibi Comite adiuncta,ad Capucinos aduolat,ac nonnihil ſecum Goſſipij ferẽs à Guardiano poſtulat,vt eo Titelmani Caput,quod in Sacriſtia nũc aſſeruatur,contingat:fore enim confidit,vt eo filiæ laborãtis oculo admoto,B.Viri merito curetur. Guardianus verò, accepto Goſſipio, cùm mulierem vſq; in craſtinum diem dimiſiſſet;illud reuerenter in concaua Oculorum parte ſacri illius Capitis collocat; atq; in ea pernoctare ſinit. Manè mulier ad Monaſteriũ reuerſa,Goſſipiũ à Guardiano accipit, atque ad filiæ ægrotantis domum pergit, Titelmani apud Deum illi merita

*Goſſipium, quod ſacrum illius Caput attigit, oculorum morbos ſanat.*

commendat; plurima ab eo Miracula patrata narrat, quò ſpem, ac fiduciam in ipſius animo pariat: certam denique oculorum incolumitatem pollicetur, ſi ad ipſius merita confugiat. Laura porrò filia, quæ iam pridem haud vulgarem erga Dei Seruum animo deuotionem conceperat: fidem, ac deuotionem auget; Franciſci Titelmani merita ſibi propitia fore à Deo poſtulat; ſanctum nomen inuocat; tandem Goſſipio oculum tangit. Quid pluribus opus eſt? vt fides præmium aſſequeretur; & B. Viri apud Deum ſuffragia, quantum valerent, cunctis perſpicuum fieret: mox diuino Miraculo, morbo expulſo, clara lux oculo reſtituitur.

CXXVI. Alterum quoque Miraculum, quod paucis Annis Anticoli contigit, ſancti huius Viri gloriam apud homines plurimùm illuſtrauit. Anno ſiquidem Dominicæ Incarnationis 1614. Catharina Anticolenſis: Sfortiæ quondam Anticolenſis Filia, gutturis morbo tam grauiter, ac periculosè laborabat, vt integro triduo vix cibi quicquam deglutire potuiſſet. Ingraueſcente porrò morbo, cùm illi de Goſſipio, quod apud Lauram, Fabricij vxorem diligentiſſimè aſſeruabatur, renunciatum fuiſſet: Neque eam Miraculum antea patratum, quod vbique fama peruulgatum erat, lateret: Goſſipium ſummo ſtudio ab ea poſtulat. Impetratúmque, dum cæleſte Patris ſuffragium implorans, illud lineo panno inuolutum, gutturi alligat: protinus toto corpore contremiſcere: ac velut ingenti ardore ſuffuſa, incaleſcere cœpit. Quo tempore, cùm ex matris conſilio, nudum Goſſipium, è lineo panno auulſum, rurſum gutturi admouiſſet: extemplò omni doloris ſenſu effugato, paulò poſt ad integram incolumitatem conualeſcit. Hæc itaque, quæ toti Anticolenſi Oppido conſpicua, dignis teſtibus comprobata fuère, hîc minimè ſilentio pretereunda duxi: ne dum ſanctorum Virorum gloria nimia humilitate ſupprimitur; quæ diuino nomini debetur, laus apud homines minuatur.

*Catharina Anticolenſis eodem Goſſipio à gutturis morbo curata.*

CXXVII. Huius ſancti, atque inſignis Viri, apud omnes ferè noſtræ tempeſtatis Scriptores illuſtris eſt memoria. De eo enim primùm Sixtus Senenſis, in ſua Bibliotheca ita ſcribit: *Franciſcus Titelmanus Haſſelenſis, Academiæ Philoſophorum apud Louanienſes Moderator illuſtris, relicto Sæculo ad inſtitutum D. Franciſci ſe contulit, in quo diuinis Scripturis aſſiduè vacans, plurima piiſſima, ac doctiſſima Syntagmata in diuinas Scripturas elaborauit; de quibus extant Paraphraſticæ Elucidationes in Iob, in Pſalterium, in Cantica, in Matthæum, in Ioannem; in omnes Pauli Epiſtolas, & in omnes Catholicas, vnà cum Annotationibus in loca difficiliora eorundem Librorum annexis. Claruit anno Domini* 1530. *Mortuus eſt Capucinus.*

Sixt. Senenſ. Biblioth. l. 4.

*Franciſci Titelmani illuſtris apud Scriptores Memoria.*

CXXVIII. Poſt Sixtum Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, Vir grauiſſimus, ac maximus Catholicæ Fidei Propugnator, in eo Tractatu, quem de Scriptoribus Eccleſiaſticis inſcribit; illius his verbis meminit. *Franciſcus Titelmanus, Belga, Ordinis Minorum Vir ſanctus, & doctus, cuius omnia Scripta, etiam Philoſophica miram pietatem ſpirant. Viuebat anno* 1500. *& ſcripſit Apologeticum pro Editione Euulgata Scripturæ, & ſimul Collationem ſuper Epiſtolam ad Romanos, contra Iacobum Fabrum, & Deſiderium Eraſmum adhuc viuentes, quæ excuſa ſunt Antuerpiæ anno* 1529. *ſcripſit in Pſalmos, in Cantica, in prima Capita Iob, & alia, quæ notiſſima ſunt.*

Bellarm. de ſcript. Eccl.

CXXIX. Eius quoque mentionem facit Franciſcus Gonzaga, de Origine Seraphicæ Religionis, vbi agit de Conuentu Louanij, ita de ipſo ſcribens: *Cùm iuxta dictum Sapientis Prou.* 10. *Filia ſapiens lætitia ſit matris; atque gloria; Catalogo inſignium Patrum Conuentus Louanienſis non immeritò inſeremus eximium Patrem Franciſcum Titelmanum eruditione, ſimul ac pietate ſingulari celeberrimum. Obiit in Italiæ partibus. Edidit inſigne Opus Dilucidationis in Pſalterium. Item in lib. Iob, in Cantica Canticorum. Præterea in Logicam, ac Phyſicam Ariſtotelicam Commentarios, pietate conditos, atque vtiliſſimos. Inſuper in Epiſtolam ad Romanos, & contra errores Eraſmi Rhoterodami. Erat enim lucerna non ſolùm lucens, ſed & ardens in domo Dei, audacter ſtylum ſtringens in eum, qui tunc temporis ſummæ apud omnes auctoritatis erat, Eraſmum ſcilicet Rhoterodamum, quòd ſua abuteretur ſcientia, magis in Eccleſiæ deſtructionem, quàm ædificationem.*

Franc. Gonz. de Orig. Ser. Rel. p. 3. in Prou. Germ.





CXXX. Ipſius quoque Memoriam Rodulphus Toſſinianenſis, in ſua Hiſtoria Seraphicæ Religionis, lib. 3. in tit. de Franciſco Georgio, his verbis illuſtrat. *Franciſcus Titelmanus, ex Haſſel Agri Leodienſis Oppido, Vir in omni genere diſciplinarum eruditus, Græcarum, & Hebraïcarum Literarum non ignarus. Cùm primùm puer eſſet, vtroque parente orbatus, Caroli Carondileti opera adiutus, & quaſi in filium adoptatus, Louanij humanioribus literis operam dedit: breuique temporis interiecto ſpatio, inſignis Doctor euaſit. Qui poſtquam plures annos Haſſellenſis Academiæ Philoſophorum apud Louanium Moderator illuſtris, & Prælector extitiſſet, diuino Spiritu commotus Ordinem S. Franciſci ingreſſus, in eum multùm profecit. Sed audiens cùm eſſet in Conuentu Pariſij, in Italia factam eſſe Reformationem Regulæ, vnà cum F. Franciſco de Soletro Romam appulit, vbi inter Capucinos aſperam vitam duxit, & velut homo deſpicatus, & abiectus in Domo Dei vilibus ſe mancipabat obſequijs. Leproſis, & infirmis cum omni humilitate ſeruiebat, vilibus indutus, nudis pedibus ambulabat: & quamuis eſſet Vicarius Prouinciæ Romanæ, omnibus tamen ſeipſum humiliter ſubijciebat. Tandem morbo correptus, vitam cum morte commutauit, obijtque Anticoli Prouinciæ Romanæ. Narratur, cùm corpus ipſius annos decem humi iacuiſſet, inuenta eſt dextera eius recens, & incorrupta. Vir ſanè maxima pietate præditus, vt Scripta eius & doctrina, & varietate maximè declarant. Scripſit enim plura piiſſima, & doctiſſima Syntagmata, videlicet, Summam Myſteriorum Chriſtianæ Fidei, Elucidarium in Iob, in Eccleſiaſtem, in Pſalmos, in Hymnos, in Cantica, in omnes B. Pauli Epiſtolas, in omnia Euangelia, De Conſideratione rerum naturalium, & plures Tractatus de Sacramentis, tum demum Compendium Dialecticæ, ad Libros Logicorum Ariſtotelis. Qui Concionibus ſacris, & interpretamentis docendo, Sanctitate clarus, multò clarior euaſit. Obiit cum opinione Sanctitatis. Cuius ingenuè labori multùm debent ſtudioſi omnes.*

Rodulph. Toſſin. Hiſt. ſer. Rel. l. 3

CXXXI. Poſtremò pleriſque aliis prætermiſſis, Marcus Vlyſſiponenſis, Chronicorum Minorum Scriptor, pluribus verbis Franciſci Titelmani vitam, præclaráſque ipſius virtutes proſequitur, quæ apud eum habentur, Chron. p. 3. lib. 9. c. 30. & 33. Ita vt rectè Titelmano illud Eccleſiaſtici occini poſſit. *Non recedet memoria eius & nomen eius requiretur à generatione, & generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit Eccleſia.*

Marc. Vlyſſip. Chron. p. 3. l. 9. c. 30. 33.
Eccl. 29.

*Bernardinus Senenſis Venetiis prædicat, & Monaſterium oblatum acceptat.*

I. PAVCA Annus hic Milleſimus quingenteſimus trigeſimus octauus, nobis acta commemorat; ac præter quorundam Locorum fundationem, ac noui Generalis Capituli celebrationem, vix aliud Hiſtoria dignum profert. Primùm igitur in huius Anni exordio, Bernardinus Senenſis à Bernardino Generali Venetias miſſus, ibi per totum Quadrageſimale Ieiunium Dei Verbum in Templo ſancti Apoſtoli, quæ illuſtrior videtur eſſe illius Vrbis Eccleſia, maximo omnium concurſu, & applauſu diſſeminat; quo munere abſoluto, cùm illi à Fratre quodam Bonauentura Veneto, Ordinis Minorum Obſeruantium Concionatore, quædam ſacra Aedes, cui nonnulllæ Cellulæ in Monaſterioli formam adiunctæ erant, ad Fratrum habitationem oblata fuiſſet; donum minimè aſpernandum duxit. Quapropter, facultate à Bernardino Generali lata, Aedem cum domicilio traditam acceptat; quintumque ibi Venetæ Prouinciæ Monaſterium, in illuſtriſſima Vrbe Mundi Theatro, communi totius Orbis Emporio, Adriatici Regina Maris, Hoſtium victrice, ac domitrice, ac tandem Italiæ miraculo, condit. Primum enim Veronæ, ſecundum Mantuæ à Ioanne à Fano (vti fuſiùs in ipſius vita explicabitur) Tertium Patauij, Quartum Schij Agri Vicentini Oppido extructum fuerat. Quanquam enim ante Bernardinum, Ioannes à Fano poſt Monaſteria Veronæ, ac Mantuæ condita, Venetias appuliſſet; ibique à Plebano Eccleſiæ S. Simeonis Maioris hoſpitio exceptus, per aliquod ibi tempus demoratus fuiſſet: alij quoque poſt Fanenſem Venetias applicuiſſent, qui apud Andream Lipomanum ſanctiſſimæ Trinitatis tunc Priorem diuerſati fuerant: ab his tamen nullus in hac Vrbe Conuentus huc vſque fundatus, aut ædificatus fuiſſe traditur.

II. At quo pacto nunc Bernardinus hoc loco potitus fuerit, res ita contigiſſe fertur. Catharina ex clariſſima Cornariorum ſtirpe, quæ olim Cypri Regina fuit, antequàm extremum vitæ huius periodum clauderet, teſtamento ſanxerat: vt Cornarij ipſius Germani, quos ſuarum facultatum hæredes reliquerat, Monaſterium Fratribus de Obſeruantia nuncupatis, propè Caſtrum Francum extruerent. Cùm verò poſt illius ex hac vita deceſſum, Florentia Vidua, Georgij quondam Cornarij Vxor, qui Catharinæ Frater vterinus fuerat, opus hoc à Catharinæ germanis negligi videret, conſilio ſibi à F. Bonauentura; qui in Obſeruantium familia inſignis Prædicator, ac Reginæ olim à Confeſſionibus fuerat, ſubminiſtrato; huius Conuentus ædificationem Venetias transferendam, ac propè Lacunam fundandam curauit, nonnullis ibi domibus, atque ampliori pomario adiunctis. Quo in loco Frater Bonauentura, Dormitorium cum Eccleſia S. Mariæ Angelorum nomini dicata extruxerat: locumque, Eremi Monaſterium nuncupau erat.

Id tamen haud ſilentio prætereundum eſt: quum Monaſterij huius fundamenta altiùs foderentur; Vas quoddam teſtaceum, in modum patinæ, in ipſis fundamentis repertum: in quo S. Franciſci; Caputium acuminatum geſtantis, ac formam Capucinorum præferentis, effigies depicta erat: Quod deinde ſuper aquæ benedictæ labrum eminentiori parte in Eccleſia collocatum fuit, quaſi eo, quodam velut prognoſtico, prænunciaretur; ædificij illius ſtructuram non aliis, præterquàm Capucinis parari.

III. In hunc igitur Eremi Conuentum, cùm Fr. Bonauentura ſe recepiſſet; ibi ſolus







*F. Bonauentura Venetus ex Obſeruantia ad Capucinos migrat, iiſque Monaſterium tradit.*

degebat, quo tempore Fr. Bernardinus Senenſis Venetias prædicaturus acceſſit: cuius cùm F. Bonauentura frequens auditor fuiſſet, ipſius adeò ſermonibus commotus fuit; vt Quadrageſimali prædicatione peracta, Deo (vti credendum eſt) afflante, ad Capucinorum habitum tranſuolauerit; illúmque Eremi Conuentum Bernardino, ac Capucinis habitandum obtulerit: Quem cùm Bernardinus, habito Reipublicæ aſſenſu, ſine quo Venetiis ædificari Monaſteria non poſſunt, acceptaſſet: Generalem per literas certiorem facit: qui nonnullos eò Fratres deſtinat, primámque Venetiis tenuiſſimi Conuentus Sedem collocant: qui poſthæc anno 1577. illuſtriſſimo Templo ab ea Republica, ob ſolemne votum, ibi exædificato, in maiorem amplitudinem emerſit.

*Primum Genuæ Monaſterium ædificatur.*

IV. Porrò, hoc ipſo anno, primum quoque Genuæ Monaſterium, & Eccleſia, ſub titulo S. Barnabæ Apoſtoli, non longè ab Vrbe inchoatur: vt idem Religionis annus geminæ Reipublicæ reſponderet; quæ inter Orbis Chriſtiani Reſpublicas principatum ſibi vendicant. Idque eo planè tempore accidit, quo Pontifex Maximus Paulus III. è Nicea Vrbe regreſſus; quò ad fœdera inter Cæſarem, & Franciſcum Gallorum Regem componenda profectus fuerat; Genuam aduectus eſt. Vbi cùm per dies aliquot commoratus eſſet, Hoſpitalis incurabilium domus Rectores id opportunitatis nacti, illud telluris ſpatium, in quo ſancti Barnabæ Monaſterium deinde extructum fuit, à Dominicanorum Familia pretio emptum, Apoſtolica auctoritate in Capucinos tranſtulêre. Cuius rei publicum tunc inſtrumentum, eodem Pontifice annuente, hoc anno ſub die 15. Maij confectum fuit.

*Capucini in Hoſpitali incurabilium domo Genuæ miniſtrant.*

V. Quid verò Hoſpitalis illius domus Rectores impulerit, vt hanc in Capucinos Fratres pietatem oſtenderent, eam cauſam fuiſſe ferunt: quòd (vt ex antiquis tum Vrbis, tum illius Prouinciæ monumentis excepimus) nonnullis iam ante hoc tempus annis, Capucini Fratres à Ludouico Foroſemproniano miſſi, Genuam aduentaſſent; qui cùm abſque domicilio in Vrbe eſſent, qui Hoſpitali incurabilium domui præerant; delubrum quoddam, S. Columbani Prochodochio iunctum, cum nonnullis Cellulis iis in domicilium aſſignant: vnde ad quotidianam Infirmorum curam prodeuntes, tam indefeſſam, ac ſedulam in huiuſmodi pietatis officiis, plurium annorum ſpatio, operam nauarunt; vt domus illius Protectores tam ſingulari Virorum pietate commoti, prædio illo à Dominicanis pecunia comparato, Monaſterium Capucinis extruendum curauerint. Quapropter ij, vt tantæ in eos collatæ beneficentiæ memoriam mutuis officijs compenſarent; diu etiam poſt erectum S. Barnabæ Conuentum, ſuſceptæ Infirmorum curæ pari diligentia vacarunt.

VI. Neque id prætermittendum, quòd dum ſuperioribus annis Fratres, hoc in loco ægrotorum miniſterio incumberent: ex his plerique in his Religioſæ pietatis officijs extremum diem clauſêre: qui cùm in Æde S. Columbani tumulo conditi eſſent, poſt plurimos annos tam incorrupti, ac integri; eorumque habitus nulla ex parte putrefacti, reperti fuêre; perinde ac ſi eo die ſepulturæ traditi fuiſſent.

*F. Vbertinus Minor Conuentualis ad Capucinos cum Conuentu migrat.*

VII. Alij quoque Conuentus Bernardini Generalis ſtudio, ac diligentia Religioni hoc tempore acceſſêre. Inter quos eſt Tiferni Metaurenſis Conuentus, quem S. Angelum in Vado vulgus appellat, qui cùm ſingulari quodam modo in Capucinorum habitationem ceſſerit: de eo nonnihil agendum eſt. Is enim à Fratre Vbertino eiuſdem Oppidi oriundo, antè paucos annos, à fundamentis erectus fuerat: qui cùm primos in Minorum Conuentualium Ordine ætatis ſuæ annos tranſegiſſet, Regularis Obſeruantiæ ſtudio incenſus, inter ſeptem illos, qui in Conuentualium Familia Reformationis Auctores extiterunt, haud ſanè infimus fuit. Primus enim fuit Franciſcus à Montepolitiano. 2. Iulianus Salodienſis. 3. Vbertinus à Tiferno. 4. Modeſtus à Placentia. 5. Saluator Vallisbonæ. 6. Thomas Illiricus. 7. Dominicus Vtinenſis. Atque hi cùm Viri eſſent virtute illuſtres, Conuentualium Familiam ad antiquam Regulæ Obſeruantiam reuocare modis omnibus conati ſunt: ſed cùm fruſtra id ſe tentare animaduerterent; reliquis prætermiſſis, propriæ

duntaxat Reformationi ſtudere maluerunt. Hac de cauſa cùm F. Vbertinus eum nonnullis feruentioris ſpiritus Viris,qui Reformationi fauebant,inter quos F.Bernardinus Monſulmenſis inſignis huius temporis Prædicator annumerabatur, in patriam ſeceſſiſſet; ibi Aureliæ Vbaldinæ ope, ac opera in ſuo Tiferni Oppido Monaſteriũ extruit. Contigit verò, vt Fr.Ioannes à Fano, qui poſt Generale Capitulum anno 1536. Romæ celebratum, in Picenum ſe receperat, hoc anno in eo Oppido Quadrageſimale Prædicationis munus, maxima omnium vtilitate obiret: cuius ſermonibus, vita,& præclaris virtutum exemplis, cùm Vbertinus, ac cæteri illius Conuentus Fratres,maximè permoti fuiſſent: abſoluto quadrageſimalium Prædicationum curriculo, Vbertinus cum Bernardino, ac reliquis ad Capucinorum Reformationem conuolat. Monaſteriúmque præfata Aurelia annuente, ac de totius Oppidi conſenſu ad Capucinos trãsfert.Eodem modo & Senaciani Conuentus, qui à Reformatis Conuentualibus incolebatur, illis ad Capucinos transmigrantibus, Auctore præſertim F. Egidio à Tiferno Metaurenſi, hoc anno (vt ferunt, in Noſtrorum poteſtatem venit.

VIII. Sub idem tempus Fr. Marius à Foroſarſinio, Æmiliæ Oppido, qui deinde Capucinorum Generalis fuit, & Fr. Ruffinus à Galarato, Ditionis Mediolanenſis, qui in Religione,haud aſpernanda Sanctitate floruit,ille ex Auguſtinianis, hic ex Min. Conuentualibus ad Capucinorum Religionem migrant.

*Bernardinus Generalis in morbum incidit, Generaleq; Capitulum conuocandum curat.*

IX. Interea dum Locorum, Virorúmque propagatione Capucinorum Religio in dies amplior emergit; Bernardinus Generalis, qui pedeſter maxima vitæ auſteritate Religionem circumeundo viſitabat; ac optimi Paſtoris inſtar, ſumma vigilantia,gregis incolumitati incumbebat; triennio ſui muneris necdum expleto, in Monaſterio S. Eliæ, Fano propinquo, in morbum incidit. Quo ingraueſcente, cùm eo ſupremum vitæ diem ſibi imminere exiſtimaret: ne tenellum Religionis nauigium, vndique impugnantium fluctibus iactatum, abſque Nauta, ac Rectore, tandem in naufragium rueret: Fratrem Euſebium Anconitanum Florentiam mittit: vt Generalibus Comitijs, ibi conuocatis, in ijs alterius Generalis Electio fieret. Euſebius itaque his à Generali mãdatis,atque auctoritate inſtructus;Florentiam venit; atque hoc anno, circa menſis Septembris initium, in ea Vrbe Comitia Generalia congregat. Tertium hoc apud Capucinos Capitulum Generale fuit: in quo Fr. Bernardinus Senenſis, cùm maiorem ſuffragiorum partem tuliſſet, Generalis eligitur.

*Bernardinus Senenſis Generalis eligitur.*

X. Erat Bernardinus Vir prudens, ſagax, moribus ornatus, ac longo multarum rerum vſu exercitatiſſimus;cui ingenium,atque animi magnitudo,ad quæcumque ardua amplectenda non deerat: tanta pręterea exterioris hominis compoſitione, ac honeſtate præditus, vt non vulgarem virtutis, ac Sanctitatis ſpeciem apud omnes præſeferret: Denique cùm plurimùm eloquentia, ac benè dicendi arte præſtaret (admirabilis quippe ſuæ tempeſtatis Concionator fuit) qua eorum, quibuſcum verſabatur, ad ſe animos alliciebat; eo factum fuit, vt in ipſius Electionem facilè omnium vota conſpirarent.

XI. Bernardinus itaque ingenti hac, tum in rebus gerendis dexteritate, tum virtutum apparentia vſus, cùm in ea ſe apud Fratres opinione, atque exiſtimatione, quam ſibi conciliauerat, confirmare vellet; Religionem tanto conſilio, prudentia, Regularis Obſeruantię zelo,atque omnium virtutum, apparenti ſaltem exemplo, adminiſtrare cœpit;vt nihil illi ad perfecti Generalis munus deeſſe videretur: ita vt Fratres de tanti Viri electione ſibi ipſis vniuerſaliter applauderent. Religionem toto ferè triennio pedeſter viſitat: Fratres ad Regulæ Obſeruantiam, ad paupertatem, &ad reliquas virtutes, Euangelicámque perfectionem tam efficaciter adhortatur; vt in huiuſmodi ſermonibus planè admirabilis haberetur. Leges à Bernardino Aſtenſi latas, optimúmque Religionis regimen ab eo inſtitutum,ſua auctoritate probat, confirmat, atque immotum cuſtodiri iubet. Quibus cùm

Religionis



Religionis ſtatus in dies magis floreret, maximum ſibi Ochinus, tum apud Domeſticos, tum apud Exteros nomen, & exiſtimationem ſibi comparat.

*Fratres peſte laborantibus Venetijs Miniſtrant.*

XII. Dum hæc Ochinus Generalis, aut fictè, & apparenter, aut macte tunc virtute tam præclarè gereret, ſæuus peſtilentiæ morbus Venetias inuaſerat, plurimóſque in ea Vrbe populorum feraciſſima, quotidie homines miſerè depaſcebatur, quibus cùm ob morbi ferocitatem,non eſſet,qui vel Sacramenta in morte adminiſtraret, vel alijs pijs officijs adeſſet;F.Angelus à Caſtro S.Petri Prouinciæ Bononienſis Sacerdos, & cũ eo alter, cuius nomen in eiuſdẽ Bononienſis Prouinciæ Monumẽtis perijt,obtẽta à Prouinciali Miniſtro facultate,ſe ſe Venetias cõtulêre: vbi omni mortis metu poſtpoſito, nulla charitatis officia prætermittebant, quibus Ægrotos, aut viuentes iuuarent, aut morientes omni ſtudio proſequerentur. Cúmque hoc in miniſterio aliquot menſes magna cum totius Vrbis ædificatione inſumpſiſſent; Ceſſante peſtilentia;dum ſeorſim attentiùs orant; vtrique Saluator Dominus, fulgentiſſima luce perfuſus apparet; eóſque ob charitatis obſequia ægrotantibus collata commendans, eos in ſuam Prouinciam redire iubet;atque vbi à Prouinciali Vicario benedictionem acceperint, quintodecimo poſt die, ſe laborum illis mercedem daturum pollicetur. Venetijs itaque ambo digreſſi, cùm Bononiam perueniſſent, poſt benedictionem à Prouinciali Vicario impetratam, Animámque, ad Domini occurſum diligentiſſimè præparatam; præſcripta die,ad promiſſa vterque præmia euocatur.

*Chriſtus vtrique apparens cœli præmia pollicetur.*

XIII. Hoc denique tempore, qui ex Noſtris Neapoli in Conuentu S. Euphebij Domino famulabantur, Mariæ Longæ nobiliſſimæ fœminæ, quæ Fratres Capucinos primò Neapolim aduentantes Hoſpitio exceperat;ac plurimis beneficijs affecerat; precibus, ac pietate permoti, cuiuſdam Monaſterij Sanctimonialium, quod ſub nomine S. Mariæ in Hieruſalem, ab ea fundatum fuerat; curam, ac miniſterium ſuſcipiunt.

*Capucini curam Monialium S. Mariæ in Hieruſalẽ Neapoli ſuſcipiunt.*

*Maria Longa in Æde Lauretana à diutino morbo curatur.*

XIV. Fuit hæc Maria Longa, genere Hiſpana, ac Ioannis quondam primi Cancellariæ Regentis,Viri in toto Neapolitano Regno primarij, Vxor:quæ cùm ex veneno illi ab ancilla propinato, adeò corpore debilis, ac neruis attracta eſſet, vt prætérquàm aliorum adminiculo loco dimoueri non poſſet; ſummam in Beatiſſimæ Virginis ope, ſalutis à Deo impetrandæ ſpem collocauerat; qua freta ad Sacram Ædem Lauretanam ſe deferri curat. Eò cùm perueniſſet, ac Sacram Domum ingreſſa, in ea Miſſam ſibi celebrari poſtulaſſet; nemo iam elapſa Miſſarum hora, reperiebatur, qui Sacra faceret: Cùm extemplò ignotus Sacerdos, eóuſque à nemine viſus, ad Altare celebraturus accedit; Sacra Myſteria inſòlitis cæremonijs proſequitur:& dum Miſſam, quæ pro Infirmis recitari ſolet,celebrat; Euangelium de Paralytico ſanato legit: Demùm Sacrificio peracto, ad aſtantes conuerſus, ait; Iam Deo gratias ob redditam Mariæ incolumitatem, reddite. Quo tempore Maria toto corpore tremere, tremórque per omnes illius artus diffundi cœpit: mox verò tremore ceſſante; cùm ſe toto corpore ſanam, ac omnibus membris incolumem agnoſceret,genibus ante Altare flexis,ſummas Deo,ac B. Virgini gratias reddit. Sacerdotem verò, qui Sacrum Myſterium celebrauerat, cùm inquiri iuſſiſſet, vt eleemoſynam illi pro Miſſa celebrata erogaret: is nullo loco reperiri potuit. Quo fit, vt eam à ſummo Cælorum Sacerdote Chriſto Domino, qui languidam verbo curaturus aduenerat, celebratam fuiſſe, certa apud omnes opinione receptum fuerit.

*Maria Lõga Hoſpitale Incurabilium & Monaſteriũ S. Mariæ in Hieruſalem fundat.*

XV. Maria igitur cæleſti hoc curationis munere accepto, Deo nequaquam ingrata fuit. Nam poſt Viri obitum, qui non multò poſt accidit; adeò ſe ſe pietatis operibus, ac rerum ſpiritualium profectui addixit: vt ſuas omnes facultates, quæ ſatis copioſæ erant, in pauperum vſum, ac pias Chriſti cauſas erogaret. Hæc vbi Hoſpitalem Incurabilium Domum in Neapolitana Vrbe, partim proprijs, partim ab alijs emendicatis opibus fundauit; Monaſterium quoque Virginum tertij Ordi-

nis

nis S. Franciſci, ſub directione tamen Regulæ S. Claræ Apoſtolica auctoritate inſtituit. Cuius cùm à principio Clerici Regulares Congregationis Theatinorum, quos ipſa hoſpitio exceperat, ac Domo quadam iuxta Hoſpitale donauerat; adminiſtrationi vacaſſent, ijs deinde ſuperiori anno, inde abſcedentibus, atque aliò tranſmigrantibus, ſummis precibus à Capucinis obtinet, vt per aliquod duntaxat temporis ſpatium, quo alij adminiſtratores quæruntur, Monaſterij illius curæ incumbant. Tam multa, ac preclara Mariæ in Religionem merita erant, vt id illi denegari minimè poſſet. Quare ea adminiſtratione à Capucinis ſuſcepta, cùm ipſa quoque Longa ſæcularibus exuuiis depoſitis Mundo nuntium remiſiſſet; atque eandem Regulam profeſſa, Paulo III. Pontifice iubente, Monaſterium illud ſub Abbatiſſæ titulo moderandum ſuſcepiſſet: Fratrum, qui Monaſterium adminiſtrabant, hortatu, ac exemplo permota; paulò poſt ſimul cum reliquis huiuſce Domus Monialibus, vno conſenſu primæ, & arctiori S. Claræ Regulæ perpetua ſe voti religione adſtringit: atque inde Moniales Capucinarum nomen ſortiuntur.

*Pontificis Decreto Capucini in S. Mariæ in Hieruſalem adminiſtratione confirmantur.*

XVI. Maria igitur, eo Fratrum Capucinorum beneficio per aliquod tempus potita, cùm iis de diſceſſu cogitantibus metueret, ne Regularis Obſeruantia, quæ eorum adminiſtratione aucta fuerat; iis abſcedentibus dilaberetur: clam per internuncios cum Pontifice agit, vt Apoſtolico edicto Capucinos in Monaſterij illius adminiſtratione confirmet. Quod facilè ab Apoſtolica ſede impetrat, Diplomate ſub hoc verborum tenore à Paulo III. edito.

# PAVLVS PAPA III.

DILECTA *in Chriſto Filia ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm Monaſterium Monialium ſub inuocatione S. Mariæ in Hieruſalem Neap. Odinis Sanctæ Claræ per te fundatum fuerit, & vſque hactenus per Fratres Ordinis Sancti Franciſci Capucinos nuncupatos viſitatum, & tuam, & Monialium in eo degentium confeſſiones auditæ, & abſolutionis beneficium impenſum: & conueniat, vt tu, & Moniales in eo exiſtentes, ex quo obſeruantiam Regulæ S. Claræ ſtrictiſſimè obſeruatis, quòd per Fratres dicti Ordinis gubernemini. Propterea nos motu proprio, & ex certa ſcientia, ac nullis pro te nobis precibus oblatis, ordinamus, ac volumus, vt tibi, & Abbatiſſæ pro tempore in dicto veſtro Monaſterio exiſtenti, adſit Confeſſor dicti Ordinis Mendicantium Reformatorum Capucinorum nuncupatorum, qui veſtris confeſſionibus diligenter auditis, Vobis abſolutionis beneficium impendere, ac pœnitentiam iniungere valeat ſalutarem; ac etiam Sacramenta omnia Vobis, tam in vita, quàm in mortis articulo miniſtrare: qui etiam Moniales profiteri volentes, recipi facere, & velum profeſſionis illarum extra Clauſtra benedicere, vt intus per te: vel Abbatiſſam prædictam profitentibus imponatur; & viſitationis Officium in vos, & veſtrûm quamlibet, ad Crates tamen abſque ingreſſu eiuſdem Monaſterij, liberè exercere, & omnia alia, & ſingula facere, quæ Confeſſores, vel Viſitatores Monialium eiuſdem Ordinis S. Claræ ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones, ac laudabilem ipſarum conſuetudinem facere conſueuerunt, facere poſſint, & valeant, de Apoſtolicæ ſedis benignitate concedimus, & indulgemus. Mandantes Generali, & Miniſtro Prouinciæ dicti Ordinis, vt Confeſſorem prædictum*





*concedant, inhibentes, vt in virtute S. Obedientiæ, & Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, & à qua non niſi per nos, aut Sedem Apoſtolicam, præterquàm in mortis articulo conſtituti abſolui poſſint, Generali, ac Vicario, ſeu Miniſtro Prouinciæ, ac vniuerſis, & ſingulis, qui requiſiti prædicta facere recuſauerint, ac quibuſuis Superioribus, & Prælatis, quibuſuis aliis perſonis, ne Vos, vel ſic electos, & requiſitos, ſeu pro tempore eligendos ſuper præmiſſis, vel eorum aliquo, verbo vel facto moleſtare, perturbare, ac inquietare præſumant quoquomodo. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Statutis, Conſuetudinibus Ordini, ac Monaſterio prædicto, ac aliis Monaſteriis, & Ordinibus præfatorum Regularium conceſſis, confirmatis, ac innouatis, ac ſtatutis, & ordinationibus factis, ac faciendis in Capitulis Generalibus dicti Ordinis. Quorum omnium, ac quarumcunque ſcripturarum hîc de neceſſitate exprimendarum tenores pro plenè, ac ſufficienter, ac de verbo ad verbum expreſſis habentes, harum ſerie derogamus. Volumuſque vt quoties literæ indultum, & conceſſio huiuſmodi reuocarentur, toties de nouò conceſſa intelligantur, & ſint: & ſub quibuſuis reuocationibus, derogationibus, & Ordinibus non comprehendantur, ſed ab illis omninò penitus exempta ſint, & eſſe cenſeantur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X. Decembris, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, Pontificatus noſtri anno 4.*

XVII. Hoc igitur Apoſtolico Diplomate vrgente, factum eſt, vt deinceps Monaſterium huiuſmodi ſub Capucinorum adminiſtratione, ad hodiernam vſque diem permanſerit. Maria verò Longa interim plurimis, ac variis à Deo infirmitatibus probatur, quæ cùm vitam inter Moniales maximis virtutibus plenam, ac Deo dignam traduxerit; de ea plura in ipſius obitu, qui anno 1542. contigit, erunt obiter commemoranda.

ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1539. 5. 21. 15.

I. ANNVS hic Milleſimus quingenteſimus trigeſimus nonus quamplurimos ad labores,paucos ad præmia vocat. Plurimos enim Deus operum diſtributor ac remunerator, Operarios hoc anno in Vineam mittit,quibus etſi poſt laborem certam aliquando mercedem redditurus ſit; diurnam tamen ab his operam,quæ mercede digna ſit, expoſcit.Quo fit, vt tres tantummodò ſub huius vitæ lucis occaſum,iam diurni operis expleto labore, pro mercede cæleſtis gloriæ denarium accipiant.Porrò inter eos,qui ad Dominicam huius Religionis Vineam excolendam Deo vocante, hoc anno accedunt: primus eſt F. Ioannes à Methymna Campeſtri, Hiſpanus Sacerdos, qui ex Minorum diſcalceatorum Familia,ad Capucinos à Domino vocatus, in ea tanquam bonus Ieſu Chriſti Miles tam felici Marte dimicauit: vt Martyrij Coronam tandem apud Infideles ſimul cum altero Ioanne Appulo conſecutus fuerit;de quo fuſiùs anno 1551. agendum erit. Poſt hunc ex Obſeruantium nuncupatorum Ordine ad Capucinorum Congregationem confluunt, Fr. Angelus Saonenſis, & Fr. Matthæus à Schio Vicentinus, vterque Concionator. Ex Minoribus Conuentualibus Fr. Matthæus à Leoniſſa Prædicator. Ex Ordine Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, Fr. Ludouicus Saonenſis. Atque hi omnes inter illuſtriſſimos Operarios cenſentur,homines diuites in virtute,quorum labores,ac pietates Religioni plurimùm profuerunt:idcircò poſt labores Regnum decoris,& diadema ſpeciei de manu Domini acceperunt. Horum memoria ne pereat, ſuo quæque loco à nobis illuſtranda erit, anno quo ex hac ad clariorem lucem migrarunt.

*Fr. Ioannes Hiſpanus cũ aliis ad Reformationem accedit.*

II. His omnibus ad labores vocatis, primus Fr. Ioannes à Fano, cuius ſæpè memini; hoc anno dum in Domini Vinea ſtrenuè laborat, & in Oppido Durantij Quadradrageſimalis Prædicationis operi inſudat, ad cæleſte præmium euocatur; Deúmque operum ſuorum mercedem conſequitur. Laborantem Chriſtus ſub vitæ occaſum offendit, quid mirum, quod iuſtus Iudex, ac retributor pro labore præmium reddat? Huius Viri cùm admirabilis planè vita fuerit, ac diuinis tam profundè tecta iudiciis, vt in iis perſcrutandis prorsùs mens humana caliget, ſimulque diuina hic elucente Clementia, recreetur; æquum ſanè eſt, vt in ea enarranda, aliquantiſper immoremur. Nec inutilis, aut iniucunda mora erit; cùm hinc & ineffabilis Dei Sapientiæ magnitudo, quæ ex diuinorum iudiciorum contemplatione aſſurgit, Cæleſti admiratione animum rapiat, & infinitus diuinæ bonitatis theſaurus, quæ ipſos quoque ſæpè rebelles,incompoſitoſque animos ſuauiſſimè ad ſe trahit, vniuerſos ad ſui laudem compellat.

*Ioannes à Fano ex humanis migrat.*

*FR. IOANNIS A FANO VITA, ET GESTA.*

IOANNIS igitur Patria Fanum fuit, quæ Vrbs eſt in Piceno, inter Piſaurum, & Senogalliam, non longè à Metauro Amne in Monte ſita, quam idcircò Fa-

num



num dictam cenſent Tacitus, & Plinius; quòd ibi olim ſumptuoſiſſimum Fortunæ Fanum dicatum eſſet, cuius ibi magna adhuc apparent veſtigia; Stirps quoque Piliorum: ex qua is progenitus fuit, inter nobiles illius Vrbis Familias cenſebatur: cui cùm & egregia pueri indoles, & præſtans forma, & alta naturæ vis, animique perſpicacia, & magnitudo perfectè reſponderent; admirabili planè cæleſtium benignitate ad gloriam, & dignitatem natus videbatur. Ita vt, quod olim ab Iſocrate dictum fuit, cùm pueros candidos,forma præſtantiores, ac felici ingenio natos θεῶν παῖδας. Deorum ſcilicet filios appellaret: eo quòd hominis mēte diuinam originem nacta, ea qui præcellit; maiorem quodammodò cum Deo affinitatem contrahat, ea præſertim ratione, aſſecutus videretur, quòd in Ioannis ingenio; diuinum quidpiam lateret; quo Puer præter ætatem excelleret. Adoleſcens feliciori hoc Naturæ dono abundè cumulatus, literis operam dedit, in quibus tam ingentes breui tempore profectus dedit, vt magnam in humanioribus diſciplinis ingenij laudem fuerit conſecutus. Verùm cùm ipſius animus ad altiora tenderet; atque inſita quadam Naturæ vi ad præſtantiora raperetur; eo factum eſt, vt Deo, qui eam Naturæ excellentiam puero indiderat: intus in animo docente; in ipſo adoleſcentiæ flore mundum contemnere, ac ſuperiora, potioráque animi bona, in ſacro Minorum Obſeruantium Ordine, quærere didicerit. Alto quippe animo perpēdebat præſtantiſſimus adoleſcens, quod à Vate olim dictum fuerat: *Bonum eſt Viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Cùm enim Adoleſcentia, quæ variarum cupiditatum æſtu inflammatur, lapſibus ita vicina ſit: quòd niſi Adoleſcentis animus fræno quodam in virtute contineatur, facilè in cognata vitia prolabatur. Hinc illud optimum huius ætatis, remedium cenſetur: vt dum crines flaueſcunt, caro niteſcit eburnea; oculorum gemmis facies roſea decoratur; Valetudo vires corpori ſubminiſtrat, viget ratio, vegetant corporis ſenſus; caro, quæ iam incipit inſoleſcere, quaſi Iumentum iugo Domini edomatur; ac velut matutina Hoſtia Deo mactetur. Hæc dum mente verſat Ioannes, peſtiferámque eam homini libertatem eſſe ſentit, qua liberè, ac effrenatè in omnes tum animi, tum ſenſus cupiditates efferri poteſt. Propterea diuinæ ſeruitutis iugum omni libertate ſuauius,ac præſtantius maturè in adoleſcentia ſibi ſubeundum eligit.

Tacitus. l. 10
Plin. lib. 3. c. 14.
*Ioannis genus, ac ſtirps.*

*Ioannis indoles, & adoleſcentia laude digna.*

Hierem. Thren. 3.

IV. Vix itaque tenerum hoc virgultum, è ſterili Mundi ſolo, in pinguem Minorum Obſeruantium agrum tranſlatum fuit; mox in primas virtutum gemmas, Religioſæ nimirum conuerſationis exempla cœpit emicare; quæ in perfectum tandem aliquando Euangelicæ perfectionis florem erumperent. Ad Philoſophica, ac Theologica ſtudia, poſt Probationis annum, promotus, in his tanta ingenij felicitate profecit; vt inſignis inter Obſeruantes Concionator haberetur: illuſtrioréſque ad prædicandum Cathedras obtineret. Inter hæc cùm tam ſingulari prudentia, grauitate, ingenio, dexteritate in negotiis gerendis præditus eſſet; vt nulla res tanta, támque ardua eſſe videretur, quam non ille & conſilio regere, & prudentia tueri, & virtute conficere poſſet: indéque magna de illo apud Ordinis Patres opinio percrebuiſſet; hinc ſæpè, & Guardiani, & Definitoris, & Prouincialis Miniſtri dignitatibus potitus fuit: in quibus cùm ſummum Religionis zelum cum animi ardore coniunctum haberet, haud mirum, quòd in eo nonnihil exceſſerit. Animi námque acrimonia, cùm ad pietatem acceſſerit, zelum parit. Zelus verò, quo feruentiori, ac vehementiori è ſpiritu oritur, eò maiori ſcientia, ac moderatione indiget, quæ ſpiritus impetum reprimat, atque intra temperantiæ leges cohibeat: quæ ſi abſit, zeli virtus procul dubiò in vitium degenerat. Atque eo factum eſt; vt cùm Frater Matthæus à Baſſio, & Ludouicus Foroſempronianus, mutata prioris habitus forma; nouæ Reformationi ſtuderent: is alterius Sauli inſtar, abundantiùs ſui Ordinis, præter ſcientiam tamen, æmulator exiſtens; verbo, ſcripto, literis, minis, perſecutionibus, vinculis, carceribus; vi denique omni, ac violentia, omnibúſque machinis adhibitis, Reformationem proſternere,

*Ad Minorum Obſeruantiũ Ordinem ſe confert.*

*Varias in Ordine Dignitates obtinet.*

*Capucinos acerrimè perſequitur.*

ac prorſus è medio tollere tentauerit. In quibus tametſi nonnihil exceſſerit, ea tamen culpa vltrò condonanda eſt, quæ virtutum fundamentum habet. Hinc enim & Generales Min. Obſeruantium Miniſtros, & quotquot eiuſdem Ordinis Superiores, in hanc Capucinorum Reformationem, priſcis illis Orbis temporibus, perſecutionibus deſæuire viſi ſunt; eadem ratione excuſandos putamus, quandoquidem in eo, quod exceſſerunt, non vitium, ſed virtus, ac Religionis zelus, quo ferebantur, ſpectanda ſunt. Quod verò ad Ioannem attinet, cùm ea iam ſuperiùs ſuo loco exarata fuerint; hîc minimè refricanda duxi: præſertim cùm, ſi quæ priori facto macula adhæſit, ea poſteriori ad Capucinos conuerſione, ab ipſo penitus abſterſa, ac deleta fuerit.

*Ioannis, & Ludouici Foroſempronia-ni antitheſis.*

V. Veruntamen antequam cætera huius Viri geſta proſequar, maxima, ac formidanda Dei Iudicia conſpicari lubet, quæ in Ioanne, & Ludouico Foroſemproniano, de quo nuper mentio facta eſt, diuerſo planè modo ſpectanda ſeſe offerunt. Quis enim Ludouicum ſibi ante oculos ſtatuat: hominem tanto animi æſtu ad Reformationem anhelantem; tanta conſtantia, vincula, & carceres ab ipſo Ioanne ante Reformationem, pro Reformatione ſuſtinentem; tot fugas, tot perſecutiones, tot exilia, ac inedias, ſumma patientia poſt Reformationem tolerantem; tanta contentione aduersùs Principes, Reges, Prouinciales, Generales, ac totiꝰ Ordinis, ac Orbis potentiã pro Capucinorũ Reformatione decertantem; tot labores pro hac Religione tuenda, propugnanda, propaganda exantlantem; vt illius parens, & auctor exiſtimari poſſet. Hominem denique ſtrenuum Capucinorum Anteſignanum, inuictum Propugnatorem; Athletam fortiſſimum: hunc tamen miro quidem, ſed iuſto Dei iudicio, proſtratum; è Sede deiectum; ac velut cæleſti fulmine ictum: denique ita à Religione pulſum; vt alterius Luciferi inſtar, nullus ei in Capucinorum Ordine locus deinceps eſſe potuerit; qui mox animo non conſurgat, obſtupeſcat; ſpiritu horreat, mente contabeſcat? Magnáque & ineffabilia Dei Iudicia altiùs animo perpendens, Deum timendum non agnoſcat, qui terribilis eſt in cõſiliis ſuper filios hominũ? Planè cùm iuſtiſſima Dei nemo iudicia audeat reprehendere; quibus occultiſſimas hominum cogitationes rimatur, & ad lancem prouocat: inde cuique maximè extimeſcendi cauſa ſubeſt: ne dum ſibi ſtare videtur; repentè in caſum ruat. Diuina autem conſilia, quibus Deus Optimus Maximus tam Ludouici, quàm cæterorum caſus permittit, quiſque ita ſuſpicere, ac venerari debet; vt non abſque mentis terrore illa Angelorum Verba, ad diuinorum iudiciorum commendationem ſibi vſurpet, quæ in Apocalypſi leguntur, *Magna, & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens: iuſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ, Rex Sæculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum?*

*Ludouici caſus, Dei Iudicia timenda docet.*

Apocal. 15.

*Ioannis in Capucinorũ Religionem, odium, & conatus.*

VI. At verò ſi quis è regione Ioannem Faneſtrem ſpectet. Virum à principio tam infenſum Reformationis hoſtem; vt à primo illius ortu immortales cum ea inimicitias gerere, eámque ad internecionem vſque perſequi ſibi in animo propoſuerit. Quando, amabò vnquam, perſecutionibus, aut finem fecit; aut modum ſtatuit? Quem non in Reformationem lapidem mouit? Quid non auſus? quid intentatum reliquit? vt eam vix luce fruentem ad funera raperet? Quid? an non is Matthæum primum, deinde Ludouicum in vincula coniicit? totque in eos perſecutionum procellas excitat: vt nullo loco conſiſtere pateretur? An non Diplomata iure ne, an iniuria, alij iudicent: aduersùs illos impetrat, vibrat, fulminat? An non Apoſtatas, & excommunicatos, vbique proclamat? An non Reformationẽ maximis conuiciis, ac cõtumeliis proſcindit, vt omniũ illi odiũ cõciliet? An non Dialogos contra illam euulgat, vt ſcriptis obruat? An non Capucinos publicè pro ſuggeſtu, quaſi peſtes euitãdos prædicat; vt Orbi inuiſos reddat? Quæ Tribunalia, quos Principes, quos Apoſtolicos Nuntios, quos Cardinales, quos Põtifices aduersùs Capucinos non armat; vt Reformationem in ipſo ortu extinguat?





Cùm verò id aſſequi non poſſet, quid non machinarum molitur, vt ipſius ſaltem propagationem oppugnet? Etenim ex ſuis quotquot ad Reformationem propẽdere videbantur, verbis à conſilio reuocat, minis exterret, auctoritate à propoſito reſilire cogit? Quid plura? nulla vis, nulla violentia, nulla ars, nullum officij genus ab eo prætermiſſum fuit, quod ad Reformationem proſternendã, tollendam, extinguendam, non conferret. Huc omne ſtudium, omnem laborem, curam omnem, ſollicitudinẽ, auctoritatem, exiſtimationẽ ſemper aduocauit, vt Capucinos è medio tolleret.

VII. Hunc tamen poſt tot odia, ac ſimultates; poſt tot immanes perſecutiones aduersùs Reformationem concitatas, poſt tot illatas iniurias, ac contumelias; poſt tot conatus; poſt omnia denique tentata, quibus Reformationem ad funera raperet: quis Reformationi tandem colla ſubdentem videat, quis dexteram Ludouico dantem, quis oſculis Capucinos amplectentem, quis lachrymis veniam petentem, quis Capucinorum habitu exultantem, quis pro Reformatione, eo planè tempore, decertantem, quo Ludouicus ab ea ſe alienum præſtat: denique quis tam arcto fœderis, ac neceſſitudinis vinculo Reformationi colligatum cernat; vt vbique illius preco, propugnator, propagator, illuſtrator exiſtat: qui protinus in ſummã Diuinæ clementiæ admirationem, & commendationem non aſſurgat? Illudque vatis Deo occinat, *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum.*

*Ioannis Conuerſio Diuinæ clementiæ teſtimonium.*

Pſal. 106.

VIII. Hîc igitur iis conſultò præteritis, quæ ſuperioribus annis de eo ſatis fusè dicta ſunt. Vix Ioannes à Ludouico Foroſemproniano, cum cæteris Reformationis gremio excipitur, quemadmodum anno 1534. indicauimus, cùm mox vberiori à Deo luce perfuſus, qua ſuperioris vitæ tenebras clariùs perſpiceret; prioris æui delicta, tametſi ex ignorantia profecta, tam ingenti animi luctu, ac mœrore proſequi cœpit: vt quotidianas, ac ferè indeſinentes pro iis lachrymas funderet. Atque vt his liberiùs vacare poſſet, ſimúlque cum nouæ vitæ tyrocinio, nouum ſibi viuendi genus præſtitueret; à Ludouico Scandriliæ Locum pauperrimum, atque ab hominum conſortio remotum obtinet: vbi exigua cella ex arborum ramis ſibi in nemore constructa; ibi in ieiunio, & lachrymis ſolitariam vitam agit. Ibi viliſſimo, ac hiſpido habitu indutus, ſæpè in Oratione Dei pernoctat. Ibi cùm neceſſarius ſomnus vrget, feſſis membris, vel nuda humus, vel tabula ſtratum præbet. Ibi quotidianis ferè ieiuniis epulatur; & B.P. Franciſci quadrageſimas tametſi ætate grauis oppiparis panis, & aquæ ferculis celebrat. Ibi nudis pedibus abſque ſandaliis incedens, tanta carnis maceratione, nouæ huius vitæ tyrocinium inſtituit: vt planè incredibile videretur; hominem iam ſexagenarium, parum alioqui huiuſmodi vitæ aſperitatibus aſſuetum, inter tot difficillima auſteritatum genera ſaluum, nedum incolumem poſſe ſubſiſtere. At qui ſenectutem perinde atque iuuentutem reflorere iubet; cùm animum illi ad hæc aggredienda addidiſſet: vires quoque & virtutem ad ea proſequenda miniſtrat.

*In Scãdriliæ Locũ ſecedit, vbi ſummis auſteritatibus vacat.*

IX. Hac in ſolitudine Vir Dei, ardentiori ſpiritualis profectus ſtudio incenſus, nonnulla Opuſcula componit; inter quæ præclarum illud eſt, quod de Arte Vnionis cum Deo aſſequendæ inſcribitur, ac circumfertur, in quo de triplici ſpiritus via, nimirum Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua diſertè, ac copioſè diſſerit. Hoc Opus primùm Brixiæ anno 1536. deinde variis in locis typis datum fuit; poſtremò Romæ anno 1622. denuò Opera Ioãnis Dominici Franzini excuſſũ, ac in lucem editum. Aliud quoque hoc tempore Opuſculum componit, quo prius illud in Dialogi formam contextum, atque ab eo aduersùs Capucinos perniciosè euulgatum, aperto calamo retractat: cuius cum tantoperè pœnituerat: vt ſæpè dicere ſolitus eſſet: niſi libellum illum publica palidonia recantaſſet; penitus de ſalute deſperaſſet. Tertium quoque Tractatum planè aureum in Regulam edit, in quo de Minorica Paupertate, atque illius vinculo potiſſimùm agit. Poſtremum denique Opuſculum in Hæreticos ab eo conſcriptum ferunt; cuius cùm nulla apud nos exemplaria extent: certum eſt temporum iniuria periiſſe. Huius Viri meminit Ro-

*Nonnulla Opuſcula cõponit.*

Rodulphus Toſſin. Hiſt. Serap. l. 3.

dulphus Toſſinianenſis in ſua Hiſtoria Seraphica, quem inter præclaros Ordinis Scriptores refert.

X. Dum igitur hoc in loco Ioannes ſolitarius apud ſe agit, præteritorúmque rationem à ſeipſo ſeueriùs exigit: ea illi protinus in mentem veniunt, quæ ſuperioribus annis tam caninè aduersùs Capucinorum Reformationem publicè, tum verbo, tum ſcripto deſpumauerat; quæ vt palàm in omnium oculis abſtergeret, ipſius Reformationis habitum ſe ſuſcepiſſe, iam apertè in Dialogi retractatione his verbis affirmauerat: *Neque enim* (inquit) *vnquam tot aduersùs hanc ſanctam Reformationem coaceruatis perſecutionibus, dicteriis, ſarcaſmis, conuiciis, contumeliis, libellis: auſis denique coram Deo feciſſe ſatis exiſtimaſſem, niſi meipſum eidem Reformationi animo, corporéque conſecraſſem, atque integra meiipſius deditione, tot impietatis faſciculos diſſoluiſſem.* Nunc verò vt perfectiùs, & abundantiùs priores illas maculas eluat; vbicunque ſcandala in Reformationem ſe diſſeminaſſe recolit, quæ ore tenus reuocare non poterat, abſens per literas retractat.

Ioan. à Fano in Dialog.

*Conuicia in Capucinos iactata per literas retractat.*

*Cõmiſſarius à Ludouico inſtituitur.*

XI. His perfectioribus pœnitentiæ operibus, per aliquot menſium ſpatium, quo in ea ſolitudine illi demorari datum fuit, Vir pœnitens, omni ſtudio vacat. At verò cùm illius opera, ac conſilium Reformationi plurimùm neceſſaria eſſet: poſt aliquod tempus inde à Ludouico euocatus, Commiſſarius inſtituitur, & ad Reformationem longiùs, latiùſque per Italas oras propagandam, ad Mediolanenſem, ac Venetam Prouinciam deſtinatur. Roma itaque cum ſocio diſcedens, cùm iam Anconitanæ, Romanæ, Vmbrę, Neapolitanæ, Ethruſcæ, Bononienſis, Calabræ, Appulæ, ac Lucanæ Prouinciæ fundamenta iacta eſſent, primum Venetias peruenit: vbi paruo duntaxat tempore commoratus; eo quòd nulla illi in ea Vrbe propagandæ Religionis ſpes, ob ſummam rerum difficultatem affulgeret, primum Bergomum dein Veronam proficiſcitur.

XII. Dubium quidem eſt apud noſtros Manuſcriptos Auctores: num Veronæ priùs, an Bergomi Ioannes Sedem fixerit, ac Monaſterium poſuerit. Quidam enim Veronæ, alij Bergomi priùs conſediſſe tradunt. Nos plurium conſenſum ſequentes, ac præſertim Venetæ Prouinciæ Monumentis freti, quibus citra dubitationem aſſeritur, primùm Bergomi, Brixiæ, & Mediolani, deinde Veronæ Monaſteria exædificata fuiſſe: in hanc faciliùs ſententiam, velut communiorem hactenus propendimus; ſuam tamen cuique Prouinciæ integram veritatem, ac dignitatem ſeruamus.

*Bergomi Monaſterii ædificat.*

XIII. Bergomi igitur circa anni 1535. exordium, Monaſterio in ſuburbio Palatij extructo, quemadmodum eodem anno ſuperiùs explicatum fuit: cùm Lipomanus Bergomenſis Epiſcopus, Ioannis & aliorum Fratrum, qui ab eo ad Monaſterij ſtructuram vocati fuerant; honeſtis moribus, ac religioſiſſima conuerſatione, plurimùm delectaretur, Cœnobiũ quoddam S. Geruaſio nuncupatum, propè Brixiam illi ad alterius Monaſterij ædificationem offert. Quamobrem Ioannes, vt locum perluſtret; Brixiam, quæ quadraginta tantummodò milliaribus Bergomo diſtat: ipſo Epiſcopo impellente proficiſcitur. Quò cùm perueniſſet, loco perluſtrato, ſecundum ibi Conuentum conſtruendum parat. Brixianis Ioannes propterea haud ignotus erat, quod in ea Vrbe toto Quadrageſimali tempore, dum inter Obſeruantes degeret, Dei Verbum diſſeminaſſet. Quapropter facilè Vrbis, ac Epiſcopi Brixienſis conſenſum ad Monaſterium ædificandum obtinet: quin etiam ipſo Brixiano Epiſcopo poſtulante, nonnullos ibi ad epulum ſermones habet: quibus cùm is vehementiùs ad pietatem, ac Reformationis deuotionem incenderetur: eo factum eſt, vt breui tempore Monaſterium, quod ea tempeſtate ex luto, & viminibus potiſſimùm conſtruebatur: Vrbis illius pietate, ac munificentia abſolueretur.

*Brixiæ aliud Monaſterium conſtruit.*

XIV. Id porrò Ioanni hoc tempore accidit, vt cùm in hac Vrbe aliàs pro ſuggeſtu publicè in Capucinos debaccharetur, eóſq; hypocrytas, illuſores, ac deceptores appel-





lans: in hæc aliquando verba erupiſſet: Audite Viri Brixiani, cùm horum aliquem videritis, qui acuminato Caputio, velut noui Ordinis Reformatores incedunt; videte, ne ſeducamini: hi enim ſunt deceptores, de quibus Apoſtolus Petrus: *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias conſcientias ambulantes*; ab his cauete. Crucis ſtatim vos ſignaculo munite, ac Ieſum in veſtrum ſubſidium inclamate. Cùm primum hoc tempore Capucinorum habitu indutus in Vrbe apparet: Nobilem quendam Virum, qui illius olim Auditor fuerat, obuium ſibi in Vrbe haberet, qui Ioannem agnoſcens è veſtigio ad illum accedit, ſigno ſe Crucis armat; ac velut exterrefactus, Ieſum bis alta voce inclamat. Quem dum Ioannes præteritorum oblitus, quid ea re ſignificare vellet, interrogat. An non meminiſti (ait ille) te hæc nuper, quum ſub Minorum Obſeruantium habitu ad nos ſermonem haberes; nobis monita dediſſe: ſimulatque hoc habitu contectum adſpiceremus? At Ioannes protinus antiquas voces, quibus Capucinorum Religionem dilacerauerat, ad memoriam reuocans, ad illius ſtatim pedes corruit; ab eoque præteriti criminis cum lachrymis veniam petens; Parce (inquit) parce priori ignorantiæ meæ: parce antiquæ cæcitati; neque enim cùm hæc dicerem, meus eram: iam à meipſo totus diſceſſeram: tenebræ animum obduxerant, & in clara veritatis luce mens caligabat; meliores enim me Viros conuiciis inſectabar; Sanctos perſequebar, quorum nedum veſtigia ore lambere dignus eſſem. Iam me ſceleris pœnitet, conuitia retracto; te quoque pœnitenti vt ignoſcas, rogo: vel ſi mauis, vniuerſas in Capucinos illatas contumelias, iam nunc in me congere; & cùm me Capucinum vides, in me ſolum meorum conuiciorum tela retorque. Hæc Ioannes, non tam priuatè, quàm publicè in hac Vrbe pro ſuggeſtu ex animo inculcabat, vt antiquam prioris erroris apud populum, labem penitus abſtergeret. Atque hinc factum eſt, vt ſumma Dei benignitas, quæ humilibus gratiæ ſuæ dona impertitur; tantam illius prædicationi deinceps in hac Vrbe virtutem contulerit; vt maxima, breui tempore, ex ea animarum lucra referret.

*Nobilis Viri factum, & Ioannis humilitas exaratur.*

XV. Aderat tunc in ea Vrbe, Vir omni pietatis laude clarus, Hieronymus Mianus, ſacræ Congregationis Somaſchæ Fundator; quocum Ioannes familiaritate coniunctus; dum ille priuatis, hic publicis adhortationibus incumbit: piam, ad Orphanorum habitationem, ac ſuſtentationem, emendicatis à Ciuibus eleemoſinis domum inſtituunt.

*Hieronymus Mianus Cõgregationis Somaſchæ Fũdator.*

XVI. His piè Brixiæ exantlatis, Ioannes Mediolanum proficiſcitur: Quæ Vrbs eſt in Inſubria, toto Orbe illuſtriſſima: inter Ticinum, Abduámque non procul ab Alpibus ſita, natura Cæli, ſolique temperata; mercatura, opibúſque florens, Aedificiorum ſplendore, Templi magnitudine, Prætoriorum amplitudine, pulchritudine Vicorum, mœnibus, propugnaculis, Arce, armamentariis ſuperba: Ibi à Franciſco Sfortia Mediolanenſium Regulo, qui in ea Vrbe, ac toto Mediolanenſi ſtatu principabatur, anno 1535. qui vltimus ſui Principatus annus fuit. Fanum quoddam S. Ioannis ad Viperam, extra Portam Vercellenſem, quod Capellæ ducalis titulo inſignitum erat, ſibi incolendum accipit: in quo ſequenti anno, tenue Monaſterium, quod octo, non ampliùs Fratres caperet; priùs clariſſimis vitæ exemplis, tum luto, ac intextis lignis pauperrimè, iuxta conſuetum morem ædificat. In eo Fratres, cùm per ſex annos commorati fuiſſent; ac propter aëris inſalubritatem, ac plurima loci incommoda, vndecim per id tempus ex hac luce emigraſſent: inde eo relicto in Vrbem tranſlati, anno 1542. alterum propè delubrum S. Victoris, quod ad Vlmum nuncupatur, in quodam Monialium Auguſtinianenſium Cœnobio, quæ tunc aliò tranſmigrauerant, propiùſque ad Arcem acceſſerant, Monaſterium extruunt.

*Mediolani primum Monaſterium conſtruitur.*

XVII. Poſt Mediolanenſem Conuentum, alter quoq; hoc anno Modœtiæ, quod amplũ eſt Ditionis Mediolanenſis Oppidũ, duodecim non ampliùs paſſuum millia Mediolano diſtans, extruitur. Cuius Ioannes ipſe Auctor, ac Fundator extitiſſe fertur

*Modœtia Conuentum ſua patiẽtia ædificat.*

hoc modo. Capucinorum adhuc apud Inſubres habitus, ac nomen ferè obſcurum erat, cùm è Mediolanenſi Conuentu Ioannes erumpens, Modœtiam petit: vbi Dei Spiritu excitatus, ingens ſaxum, quod in S. Ioannis Baptiſtæ Platea iacebat, conſcendens, ex eo Dei Verbum diſſeminare, populúmque ad pœnitentiam alterius Ionæ inſtar, prouocare cœpit. Principio quidem Vir Oppidanis, Dei adhuc virtutem ignorantibus, delirare viſus eſt, ac tragicum cothurnum præſeferre; quo fiebat, vt facilè, quæ ab eo dicebantur, in riſum conuerterent. Hoc Satanæ opus erat, qui vt maiora damna præcaueret, quæ ex Capucinorum Familia, ſi quando eo in Oppido propagaretur, futura ſibi metuebat; id apud ſe potiſſimũ cõſiliũ excogitauerat, quo Modœtianos à Viro Dei procul abigeret, atq; ab illius prædicatione auocaret.

At Deꝰ Opt. Max. qui vt iniquũ Satanæ conſiliũ deſtrueret; aliud apud ſe conſilium inierat. Nobilis cuiuſdam Fœminæ animum commouet, quæ cùm Dei Seruum ſenſu longè ab aliis diuerſo, prædicantem audiiſſet, diuinam in Viro virtutem agnoſcens, eum ad ſe diuerſari cogit, ac velut Angelum Dei, hoſpitio ſuſcipit: Hæc Catharina appellabatur, ex Nobili Confaloniorum Stirpe progenita, quæ cùm Ioanni Antonio ex Zuchiorum proſapia, quæ inter antiquas, ac Nobiles illius Oppidi Familias cenſetur, à iuuentute nupſiſſet: ſimul piam, & inculpatam, magna cum virtutum laude eouſque vitam duxerant. XVIII.

Dum igitur apud hos Dei Seruus hoſpitaretur, inde ſæpè ad Dei Verbum, vel in Templo, vel in Platea, vel vbicunq; collectos homines offenderet, prædicandum pergebat. Atque eo tandem factum eſt, vt Modœtiani, qui ſuapte natura dociles, & ad pietatem admodum procliues ſunt; perſpecta Viri virtute, quæ ab eo ardentiùs pro concione proponebantur, Deo intus in animis agente; iam non riſu digna, aut ſcenica exiſtimarent; ſed velut à Deo profecta ſuſciperent. Hinc cùm magna totius Oppidi ad pœnitentiam commotio, cõmuniſq; in omniũ animis ad pietatem motus excitaretur. Mox Proceres conſilio apud ſe inito, Viro Dei Conuentũ decernunt, locúmq; illi ad eũ conſtruendũ extra Oppidũ, eodẽ poſtulãte, conſtituũt. XIX.

*Dei Verbum Modœtiæ prædicat.*

Porrò Ioannes Antonius, & Catharina, qui Virum Dei hoſpitio exceperant; cùm admirabilem in eo Dei virtutem elucere conſpexiſſent; tanto deinceps pietatis ardore, atque animi beneuolentia Religionem proſequi cœperunt: vt cùm haud aſpernandam æris ſummam in Conuentus ædificationem contuliſſent; qua is magna ex parte extructus fuit; tam pio Capucinos Fratres affectu complecterentur, vt velut filios haberent: ita vt ij Catharinam præſertim, haud alio, præterquàm Matris nomine; quandiu vitalem ea ſpiritum hauſit, appellarent. XX.

Horum pietas, quaſi cæleſtis hæreditas, ad filios tranſmiſſa, hactenus in Bartholomæo Zuchio præclarè viguit: qui cùm generis, maiori tamen virtutis nobilitate, inter cæteros eluceret, non modò inter illuſtriores noſtræ tempeſtatis Epiſtolarum Scriptores, iure locum ſibi vendicat; verùm & auitæ virtutis æmulus, Capucinorum Religionem tanto ſtudio, quoad vixit, proſequutus eſt; vt cum maioribus ſuis haud immeritò de pietate certauerit. Hoc tandem anno, poſt tot ſui nominis glorias morte ſublatum, Capucinorum Religio luctu proſequuta eſt. XXI.

*Zuchiorum Familia erga Capucinos beneuola.*

Catharina verò, poſt Viri obitum ſuperſtes, cùm omne animi ſtudium, amorémque in Capucinos, quos perpetuis, dum vita ſuperſtes fuit, eleemoſynis aluit, contuliſſet: totumque, quod ſibi ex victu ſupererat, in eorum commodum, atque vtilitatem transferret; quos velut filios abundantiori pietate ſuſtentabat: eoſdem quoque ſingulari priuilegio Patres accapit. Diplomate enim à Pontifice impetrato, eos ſibi à Confeſſionibus, velut cæleſtes Regeneratores elegit. Denique bonis operibus diues, ac virtutibus plena, annoſa, & ipſa in pace quieuit. XXII.

*Catharinæ Zuchiæ in Capucinos pietas.*

Ioannes verò cùm indefeſſo prorſus animi, ac corporis labore, Deo potiſſimùm duce, quatuor iam hoc anno Conuentus erexiſſet; inde Veronam accedens, quinto apud Venetos inter ſummas rerum difficultates, ac Tartari totius colluctationes exordium dedit. Cùm enim inuidus ille Inferorum Rex, tam felicia Re- XXIII.

formatio



formationis incrementa ferre non poſſet, Stygias Dæmonum phalanges in Ioannem armat; vt à Verona Vrbe ſaltem expellat: atque ab ea, quam ſibi propoſuerat, Religionis propagatione exterreat.

XXIV. Eſt Verona antiqua Cenomanorum Vrbs, Heluetiorum Baſileæ haud abſimilis, æquo ſolo recumbens, tellure tamen ad Septemtrionem leniter aſſurgẽte, iugiſque theatralem penè formam exhibentibus, ſitu, natura, pulchritudine ædificiorum, nobilis, ac venuſta, atque Atheſi amne circum ſepta; multa inſigniáque vetuſtatis Monumenta habet; inter quæ, nobile Amphitheatrum aſſurgit. Huius Vrbis incolæ ſplendidi, ac magnifici præter ingenium, ac literas, pietatem quoque præſeferunt.

XXV. In hac cùm primùm Ioannes hiſpido illo, rudíque habitu, ad media vſque crura defluente, amictus: noua quoque illa, atque eatenus illis ignota Caputij forma contectus, nudipes cum Socio apparuit: ita omnibus vterque delirare viſus eſt; vt magno, in ea plebe, quæ otio plurimùm indulget; murmure de iis concitato; vix aliqua Vrbis parte apparerent; cùm protinus Opifices, Tabernarij, Caupones, atque id genus hominum, mox ſtrepitus edere, cachinnos efferre, homines ſarcaſmis inſectari, ac luto conſpurcare incipiunt. His pueri ſuccedunt, qui turmatim eos inſequentes lapillis impetunt: atque omnia clamoribus complent.

*Veronæ amẽs reputatur, atque indignè patitur.*

XXVI. Erat Ioannes procera ſtatura, gracilíque corpore præditus; cúmque in ſuprema capitis parte caluus eſſet, in ea non tam canitie, quàm cute albeſcebat: quapropter pueri in eam lubentiùs lapillos intendebant; qui perinde ac ſi galeam percuterent, inde reſiliebant. Hæc omnia patienter ferebat Ioannes, nec vllo non modò ſenſus dolore mouebatur, ſed Apoſtolicæ tolerantiæ imitator, in his potiùs cum Paulo gaudebat, ſæpè illius verba in animo repetens. *Nos ſtulti propter Chriſtum, &c. Tanquam purgamenta huius Mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.* 1. Cor. 4.

XXVII. Hæc inuidus tenebrarum Pater, in illius plebis animis aduersùs Dei Seruum, Diabolica planè arte, moliebatur: vt eum à cœptis deterreret, atque ab inſtituto animi propoſito reſilire cogeret. Neque his contentus, tam ſiniſtram de iis opinionem in omnium ferè mentibus indit: vt cùm eos nec deliros, nec amentes eſſe animaduerterent; homines improbos, flagitioſos, hypocritas, nebulones eſſe, ſibi perſuaderent. Quo fiebat; vt cùm nec Sacra facere, nec certa ibi ſede permanere permitterentur: nemóque eſſet, qui eos hoſpitio exciperet: maxima ibi Dei Serui incommoda ſubirent: inter hæc tamen inuictus Ioannis animus, pro maledictionibus benedictiones rependens, ignominiáſque, & inedias pro nihilo ducens, diuinam iis miſericordiam aſſiduis precibus exorabat. Cúmque Chriſti Domini, & Sanctorum exemplo, vtérque & Ioannes, & Socius, iis bona redderent, à quibus mala accipiebant: id ſibi Apoſtoli meritò vendicare poterant: *Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus.* Interea ſalutare Dei cum ſilentio præſtolabantur; qui de tenebris lucem creat, & Solem poſt nubila oriri iubet.

*Sacra facere prohibetur.*

XXVIII Erat eo tempore Veronenſis Vrbis Antiſtes Ioannes Matthæus Gibertus, quem Ioannes ſæpe fruſtrà adire tentauerat: Qui enim domus Epiſcopalis penetralia obſeruabant, cùm primùm illum aduenientem conſpicerent: cùm improbum, ac nefarium hominem exiſtimarent, procul expellentes; nec Aulæ quidem Epiſcopalis limen ingredi ſinebant. Epiſcopus itidem familiarium ſermone perſuaſus, omnem illi viam, qua ad ipſum accederet, intercluſerat. Hanc igitur Epiſcopi ac domeſticorum repulſam, cùm diu Ioannes patientiſſimè tuliſſet; tandem accidit; vt Epiſcopus ſemel Ioannem per feneſtrã venientem intueretur: quem dum Virum ætate longæuum, aſpectu grauem, atque alba canitie decorũ videt, Deo præſertim intus agitãte, illũ ad ſe intromitti iubet. Mox de illiꝰ inſtituti ratione, de habitꝰ forma, ac plurimis aliis interrogat, lõgioriq; ſermone cũ eo de variis rebus colloquitur: Ex quo tantã in eius reſpõſis prudentiã, grauitatẽ, doctrinã, ac rerũ experientiã animaduertit; vt inde magnã de eo exiſtimationẽ animo concipiens, facile agnoſceret, ſub ſordido palliolo

*Ioanni ad Epiſcopum diu aditus intercluditur.*

interdum

interdum Sapientiam latere; ac vili ſacco nonnunquam theſaurum includi: quare priorem, quam de ipſo hauſerat, opinionem exuens, mox ab eo poſtulat; vt publicum ſequenti die, qui Dominicus erat, ad populum ſermonem habeat.

XXIX. Epiſcopo Ioannes haud parere recuſat. Quapropter hac meliori rerum ſpe ab Epiſcopo dimiſſus; cùm longa oratione, qua pro Codicibus vtebatur, ſe ad Dei Verbum proponendum paraſſet: eo factum eſt; vt cùm primùm Cathedralis Eccleſiæ ſuggeſtum aſcendit, tanta Dei ſpiritus illum doctrina, facundia, ac virtute prædicantem exornauerit; vt cùm ſecundam in eadem Eccleſia ad populum concionem haberet, tota Vrbe ad ſermonem confluente, Eccleſia multitudinem capere non poſſet. Quamobrem pius Antiſtes tanti Viri aduentum, velut cæleſte quoddam donum ratus, ac totus lætitia perfuſus, ſuggeſtum illi in Platea collocari iubet. Eò cùm innumera ferè populi turba vndique commeaſſet: Ioannes de vitæ breuitate, ac Mundi vanitatibus ſermone inſtituto, tanta vehementia, ac verborum energia (Deo os, & ſapientiam præbente) hæc illis animo ſpectanda propoſuit; vt vniuerſi in lachrymas, ſingultus, ac voces Dei miſericordiam exorantes, diſſoluerentur. Tantâque ex eo ſermone ſpiritualis fructus vbertas, in omnes, ac præſertim in mulieres abundauit, vt hæ ſibi in omnium oculis, & inaures, & dextrariola auellerent, ac vana capitis ornamenta deponerent. Plerique etiam, qui Concubinas palàm euſque aluerant, publicáſque ſimultates geſſerant, pulſis pellicibus, ac fugatis odiis, Deo, ac hominibus conciliarentur. Denique tam vniuerſalis ad pœnitentiam motus (Deo priores contumelias Ioanni, meliori bonorum vſura reſarciente) eo tempore velut prodigio contigit; vt cunctis ferè in nouam vitam effloreſcẽtibus, Vrbs tota Dei Spiritu renouata videretur. Itaque qui priùs Viro Dei inſultabant, tunc beatos, ac felices prorſus ſe exiſtimabant, ſi illius aut manus, aut habitum exoſculari, vel illius colloquio frui poſſent. Hæc Deus, benigniſſimus operum retributor, pro tot cachinnis, contumeliis, conuitiis, ſarcaſmis, ſubſannationibus, atque ignominiis, quæ illi à principio illata fuerant, Seruo ſuo copioſè retribuere voluit: vt qui diuinis operibus incumbunt, hominum, ac Dæmonum aduerſa pro Deo tolerare diſcant. Fidelis enim eſt Deus, teſte Apoſtolo, qui non ſinit eos tentari ſupra id quod poſſunt: ſed dat etiam cum tentatione prouentum.

*Ioannes Veronæ Dei Verbum magna cum Vrbis commotione diſſeminat.*

*1. Cor. 10.*

XXX. Poſt hæc Epiſcopus, atque Vrbis Proceres, inito conſilio vltrò Eccleſiam Sanctæ Crucis (Animarum cura, quæ in ea exercebatur, in alteram Eccleſiam tranſlata) Ioanni ad Cõuentus ædificationem conferunt: qui tum ob facilem illius ſtructuram, tum etiam ob plurimam Vrbis deuotionem, tunc primùm in Noſtros conceptam; breui tempore abſolutus fuit. Aliud quoque Monaſterium, ipſo Epiſcopo poſtulante, in Beuóloni Oppido, Epiſcopi Ditioni ſubiecto, quòd non longè ab Vrbe diſtat, poſt hoc exædificatum fuit; iuxta quoddam S. Ioannis Delubrum: quo cùm quidam Ordinis Minorum Conuentualium Sacerdos, Ioannes nomine, ſub titulo beneficij ſimplicis eatenus potitus fuiſſet, ſeipſum pariter cum delubro hoc tempore ad Capucinos tranſtulit, ac Religionis habitu donatus religioſiſſimam inter nos vitam duxit.

*Veronæ Monaſterium conſtruitur.*

XXXI. Hoc in Conuentu, qui non multò poſt tempore, ob puriorem Regulæ obſeruantiam; quæ propter Oppidi inopiam, ac profuſam Epiſcopi liberalitatem in diſcrimen vocabatur, relictus fuit; diuino planè miraculo, Deus benigniſſimus Fratribus teſtatum eſſe voluit, quãtam erga ſuos ſollicitudinem gereret. Nam cùm ſemel tam copioſa è Cœlo nix cecidiſſet, vt nullo pacto Fratres, pro quotidiana victus mendicatione Oppidum adire poſſent: nihilque in Conuentu (iuxta antiquum Religionis morem, quo rerum omnium ad victum pertinentium prouiſio vltra triduum à Conuentibus procul expellitur) ſupereſſet, quo Fratrum familia aleretur: vnà omnes ad Domini penum confugientes, velut Chriſti pauperes, effuſis precibus à Deo ſtipem efflagitant. Deus autem qui volucres Cæli paſcit, & dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum:

*Diuinæ Prouidentiæ Miraculum in Beuoloni Conuentu.*

fiſiorum



fiſiorum non immemor, his annonam prouidet. Nam ſub refectionis horam; cùm ianuæ tintinnabulum pulſatum fuiſſet, accurrens Ianitor, apertiſque foribus; ſaccum calido, atque albo pane, ad os vſque refertum conſpicit: Cùm verò, qui eum attuliſſet, ne veſtigiis quidem in niue impreſſis, quæ nulla apparebant, vllo pacto deprehendi potuiſſet. Id Fratres diuinæ liberalitati; atque Angelico miniſterio; quo Deus verè pius, verè miſericors, ad ſubleuandam ſuorum pauperum inopiam vti voluerat, tribuentes: vnanimes cæleſtis muneris largitorem maximis gratiis, ac laudibus ex imo pectore hauſtis, proſequuntur.

XXXII. Porrò ſub anni 1535. finem Ioannes Ludouici literis ad Comitia, quæ hoc anno menſe Nouembri Romæ celebrata fuerunt, euocatus; in Vrbem proficiſcitur: vbi inter alios, Generalis totius Congregationis Definitor à Capitulo eligitur; & cum Bernardino Aſtenſi Generali tunc Vicario electo, reliquiſque Definitorij Patribus, Conſtitutionum Ordinis Reformationi incumbit. Comitiis autem abſolutis, ſequenti anno 1536. Mantuam pergit, vbi à Franciſco, primo illius nominis Duce, honorificè exceptus, Duce ipſo, qui Congregationem ſingulari beneuolentia complectebatur, in primis poſtulante, primum Marmiroli, qui delitiarum locus eſt à Friderico Primo Mantuanorum Duce miro artificio, ac magno ſumptu extructus, Monaſterium ædificat.

*Marmiroli Conuentum ædificat.*

XXXIII Hinc Ioannes Romam rurſus ad Generalia Comitia, quæ Ludouici Foroſemproniani opera iterum renouanda erant, reuocatur: in quibus denuò ad Definitoris munus aſſumptus; poſt hæc à Bernardino Aſtenſi Generali Venetæ Prouinciæ ſub Prouincialis Vicarij titulo præficitur. Veruntamen cùm illuſtriores paſſim Vrbes illum, ad Dei Verbum in iis diſſeminandum, depoſcerent: Fratre Ioanne Baptiſta Veneto ſibi in eo munere ſubſtituto, is in Picenum proficiſcitur.

*In Picenum proficiſcitur.*

XXXIV Celebris erat inter illius temporis Concionatores; tunc Fratris Ioannis Faneſtris fama; atque adeò apud omnes de illius prædicationis virtute exiſtimatio percrebuerat: vt illuſtriores Italiæ Vrbes, quò illum ſibi quæque vendicaret, certatim contenderent. Neque id fruſtrà. Tanta enim illi inerat dicendi vis, tanta doctrina, tanta grauitas, tanta denique vitæ Sanctimonia, vt omnium animis imperitare, eoſque quocumque voluiſſet, flectere poſſe videretur. Vir erat admirabilis ingenij, ac dicendi facundia præditus, ſermonis venuſtate, verborum pronunciatione, orationis elocutione, ſcripturarum varietate, troporum elegantia ſententiarum pondere, demum perſuadendi vehementia, quæ à diuina illi virtute adminiſtrabatur, præſtantiſſimus: itaut Bernardinus Aſtenſis ſæpè dicere ſolitus eſſet, neminem ſe vnquam Ioanne vehementiorem agnouiſſe; qui tam repentè audientium animos mutaret; atque in eam, quam voluiſſet, partem conuerteret. Quare cùm ſemel, in Dominica Paſſionis, inter prædicandum, lignea Crucifixi Imago, velo operta illi reuelanda eſſet; accidit, vt clauis, quibus Imago confixa erat, è Cruce euulſis, caſu Imago ipſa è ſuggeſtu caderet, atque in terram dilaberetur. Quæ res populum ad riſum prouocare cœperat: At Ioannes, haud ſecus, quàm ſi id formidabiliori Dei iudicio eueniſſet; repentino clamore diuinam miſericordiam obteſtans, tot cœpit gemitibus imminentem Dei iuſtitiam, quam illa Chriſti ſubtractio, velut diuino conſilio peracta, comminabatur, populo inculcare: vt mox riſu in lachrymas mutato, omnes diuinam miſericordiam effuſis vocibus implorare cœperint.

*Ioannis magna in dicendo vis, Bernardini Aſtenſis teſtimonio aſſeritur.*

XXXV. Ioannes itaque cùm illuſtris hæc de eo fama vbique peruagaret, Senas deſtinatur; vt in ea Vrbe, quæ nulli pietate ſecunda eſt, poſteriori anno, qui 1537. erat, quadrageſimalis prædicationis munus obiret. Ibi tum ob Apoſtolicum prædicandi genus, quo audientium animos vi quadam ad Deum attrahebat; tum etiam propter vitæ, ac morum Sanctimoniam, qua cæteris ſua virtute prælucebat; tam vberem ex ea animarum fructum retulit, vt ſecundum poſt ſanctum Bernardinum Senenſem nomen, apud Vrbis illius Ciues ſibi comparauerit. In ea Vrbe cùm

*Senis prædicat, & concionatorem Hæreſim prædicantem redarguit.*

alterius

alterius Religionis Concionatorem, quædam à Catholicis dogmatibus diſſona, Prædicantem audiiſſet; Fraterna primùm admonitione illum, vt ab his abſtineat, hortatur. Cùm verò illum in deteriora ruentem, ac Hæretica planè diſſeminantem percepiſſet. Catholicæ fidei zelo accenſus, Hæreticam illius doctrinam palàm detegere; atque in peſtifera ipſius dogmata publicè inuehi cœpit. Quamobrem ille iuſtam punitionem veritus, clam ab Vrbe abſcedere cogitur.

XXXVI. Dum hac in Vrbe, Dei Seruus in Dei Verbo ſtrenuè laborat; Picentis Prouinciæ Vicarius à ſuis eligitur: quare Senis abſcedere, atque in Picenum proficiſci cogitur. In eo itinere, cùm per Biturgiam, ſeu Burgum S. Sepulchri tranſiret, Vrbem totam odiis, ac ſimultatibus diſciſſam offendit: quare à Ciuibus rogatus, nonnullos ibi ſermones ad populum habuit, quibus illos ad concordiam prouocans, quo pacto eam aſſequi, ac diuturnam ſeruare poſſent, nonnullis præceptis inſtruit. At qui inimicitias gerebant, cùm Viri Dei monita reſpuerent, accidit: vt extremo ſermone, dum Ioannes in eos acriùs inuehitur, inter prædicandum ſubſiſteret, ac velut diuino Iudicio exterrefactus, aliquandiu immotus permaneret. At poſt temporis puſillum ter repente exclamarè cœpit; Dei Iudicium, ô Biturgia, Dei Iudicium: graue, inquam, ac terribile Dei iudicium tibi imminet: & niſi odia, ac inimicitias deponas, Deúmque pœnitentia tibi concilies; breui hanc Vrbis plateam totam ſanguine conſperſam cernes: ac pleraque alia, quæ diuina in eos ira graſſante, contingere deberent, ſupplicia comminatur: quæ non multo poſt tempore, Deo ſcelera illorum vlciſcente, adamuſſim euenerunt. Nam vix paucis elapſis diebus, ingenti rixa inter factiones excitata, quatuordecim ex Vrbis Nobilioribus in platea interfecti, ac per eam raptati, totam ſuo cruore conſperſerunt; ac pleraque alia deinde illis incommoda obtigêre. Ex quo ſerò agnouerunt: Dei Serui verba, non ab humano, ſed à Dei Spiritu effluxiſſe; quæ cùm illi, diuino lumini rebelles, propriiſque cupiditatibus obcæcati repellerent; haud mirum, quòd ſeueriſſimam Dei manum, ferè attriti, in ſe deſæuiiſſe ſenſerint.

*Picentis Prouinciæ Vicarius eligitur.*

*Biturgiæ Prædicans Vrbis calamitatem prænunciat.*

XXXVII. Inde digreſſus, cùm ad noſtrum Montis Caſalis Conuentum veniſſet; à Guardiano rogatus, illius familiæ Fratres, qui ab eo diuini Verbi eſca exaturari poſcebant, dum refectioni incumbunt, tam cæleſti ſermone paſcit; vt præ illius ſuauitate, alium vix cibum attingerent. Eo verò abſoluto, cùm ex Fratribus quidam, Vir ſimplex, longiorem illi vitam his verbis deprecaretur. Pater, vtinam id tibi fieri poſſet, quòd veteri ferramento fieri ſolet, cùm ad nouitatem iterum reuocatur: nimirum vt velut fuſilis, à ſenio ad iuuẽtutem reuocari poſſes; quò diutiùs multis prodeſſes. Cui ille extemplò. Vtinam, inquit, & te Frater egregiè fuſte cædi datum eſſet, qui hæc mihi tam bellè deprecaris. Neſcis, Fili, neſcis, quænam iuuentutis ſint pericula. Senex adhuc iuuentutis anfractus expaueſco: quid tu rurſus in diſcrimina vocas, Parum ne tibi ego amens eſſe videor, niſi ampliorem tu mihi nunc etiam amentiam impreceris? Ne miſereare, quæſo, quòd Senex ſim: ſed miſerere, quòd iuuenis fui. Si quàm durum, ac difficile ſtadium in iuuenture curritur, animo reuolueres; certè iam feſſo condonares: nec mihi iam Seni, & proximam metam lætè ſpectanti curſus initium optares cùm ſenui, & incanui, eſt ſanè, vnde gaudeam, non quò tu doleas. Siquidem & ea à tergo reliqui, quæ huius vitæ viam, tot difficultatibus, ac tantis terroribus, ipſa æui lubricitate, obſeſſam reddebant: & tunc primùm cùm ſenui, matureſcere incœpi. An hoc deflere debes? An poma, quòd maturuerint, cõquereris? Eſt, vt cæterarũ rerum, ſic etiam ætatis maturitas quædam, quæ Senectus appellatur. Ea verò cùm in pomis, ac frugibus bona, ac expetenda ſit: cur non in homine optimam cenſes? Quòd ſi optima, ac expetenda res eſt, optimum cur mihi obueniſſe deploras? Deſine hæc mihi mala imprecari. Hæc Ioannes in eum lepidè.

*Fratri Iuuẽtutem illi poſcenti quid reſponderit.*

*Iuuentus periculis plena aſſeritur.*

*Senectus Æui quadã maturitas.*

XXXVIII. Tandem cùm in Picenum perueniſſet, in id omnem curam, ac ſollicitudinem





confert; vt ſubditos in totius Regularis obſeruantiæ cultu, ac perfecta virtutum diſciplina, qua ad Euangelicam perfectionem conſcenditur, inſtituat. Quòd vt faciliùs aſſequatur, ipſe reliquis, & vitæ auſteritate, & accurata ſui ipſius cuſtodia, & morum diſciplina, & diuinarum rerum ſtudio, præclara denique omnium bonorum operum face, prælucere curat. In viſitationibus cùm ſæpè ſermones de Regulæ obſeruantia, ac perfecta illius obſeruandæ ratione inſtitueret, tum maximè Orationem commendabat. Idque inter alia docere ſolitus erat: Fratri Capucino haud ſatis eſſe bonum animum, ac voluntatem ad Regulæ obſeruantiam adferre: ſed præter hæc Orationis ſtudium apprimè neceſſarium eſſe. Cùm enim ad perfectam Regulæ obſeruantiam, (aiebat) ſpecialis diuinæ gratiæ fauor, & auxilium exquiratur; illud abſque feruenti Oratione adipiſci nemo poteſt; atque eo ſtimulo Fratres, ad Orationis ſtudium haud leuiter prouocabat.

*Prouincialis munus omni cum virtute exercet.*

*Oratio ad perfectã Regulæ Obſeruantiam neceſſaria.*

XXXIX. Tanto mentis ardore, Sanctus Vir, de altiſſima rerum Paupertate, de ſuiipſius contemptu, de Deo ſuper omnia diligendo, ac de perfecta veri Fratris Minoris vita, in Sermonibus diſſerébat: vt non ſemel B. Pater Franciſcus illi propiùs aſſidere viſus fuerit. Dum ſemel Brixiæ de Regula perfectè obſeruanda, atque altiſſimæ Paupertatis voto Fratribus inter cœnandum ſermocinaretur. Sacerdos quidam, qui in Eccleſia orabat; cùm Ioannem in Refectorio prædicantem perciperet, ſtatim Oratione intermiſſa, ad Refectorium feſtinat: cuius cùm oſtium aperuiſſet, Virum Dei tanta diuini Spiritus affluentia, de Regula diſſerentem audit; vt Fratres, qui in menſa aſſidebant, corporis refectione neglecta, animum tantùm paſcendum præberent; atque ex illius ore vniuerſi penderent. Porrò, eodem temporis momento, B. P. Franciſcum, iuxta Ioannem in aëra apparentem intuetur: qui dextera in Fratres extenſa, cunctis abſoluto Sermone benedixit. Quo ille viſu tanta ſuauitate perfuſus fuit; vt dulci quodam animi languore correptus, humi dilapſus fuerit; ex quo poſt aliquod tempus reſurgens, quæ oculis conſpexerat, Fratribus, præ gaudio collachrymantibus, narrat.

*Dum Fratribus prædicat, S. P. Franciſcus apparens Fratribus benedicit.*

X L. Id ipſum quoque Bergomi, qui illius Conuentus adminiſtrationi præerat; cùm Vir eſſet omni virtute præclarus: Ioanne ad Fratres ſermocinante, conſpicit. Is enim dum B. Patrem Franciſcum tanta benignitate omnibus benedicentem ſpectat; vt cunctos veluti in mentis exceſſum raperet: tam exuberantem ex eo viſu animo lætitiam percipit, vt præ voluptate ebrius, vocem altiùs exultationis efferret. At ea res cùm Dei Seruo non probaretur, Guardianum increpans, inquit, Quid, Pater Guardiane, hîc in omnium proſpectu ſpirituales voces effundis? Non eſt hic feruoris, aut Spiritus exhalandi locus; cohibe luxuriantem ſpiritus impetum; vel ſi illum promere mauis; in ſyluam te confer. Siluit tunc, ac erubuit Guardianus: at nonnullis menſibus elapſis, cùm ſupremo morbo laboraret; ne tantæ rei memoria, ſimul cum morte extingueretur: ante obitum, quænam iubilationis illius cauſa fuerit, palàm Fratribus aperuit.

X L I. Poſt ſancti Viri è Bergomenſi Conuentu diſceſſum, res memoratu digna accidit. Nam cùm Fratres duabus mentalium precum horis, quæ Conſtitutionibus ſanciuntur, tertiam Hyemali tempore poſt matutinas Horas addidiſſent: ita vt geminas noctu horas in Oratione impenderent: contigit, vt poſtrema Orationis hora, omnes ferè ſomno conſopiti dormitarent. Neque id mirum: Cùm enim in ea Eccleſia, quæ eo tempore extruebatur, necdum Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruaretur, nulla in ea effulgebat lampas, quæ ſui luminis fulgore oculos verberans, ſomnum expelleret: ex quo facilè, tenebris ipſis fauentibus, ad quietem allici poterant: Diurni quoque labores, quibus fatigati erant, vltrò iis ſomnolentiam conciliabant. Iis igitur ſomno oppreſſis, vnus duntaxat, qui inter eos, feruentiori ſpiritu præditus erat, dum in Oratione vigilat; eodem tempore nigrum quendam Æhiopem, vultu horridum, ac deformem, per mediam Eccleſiam exilientem, ac timpanum percutientem percipit: qui cum eo ſono ſomnum Fratribus

*Fratribus in Oratione dormitantibus Diabolus timpanum pulſat.*

incuteret, eo magnoperè exultare videbatur. Porrò etſi vigilans Frater, Æthiopem ſaltantem, ac timpanizantem cerneret; haud tamen Fratres dormientes percipit, donec ſilice percuſſo, ignem excitat, ac lumen accendit: ac tunc primùm is Fratres ſomno ſopitos conſpiciens, Dæmonis myſterium intelligit: atque iis expergefactis viſum refert: vt ex eo non obſcurè addiſcerent, Cacodæmonem nihil magis Orationis tempore, quàm Fratrum ſomnolentiam expetere; atque ea, ita delectari, vt cùm is mille artibus eam orantibus conciliare ſtudeat; ſi tandem ab iis aſſequatur, de ea triumphum agat. Neque id fruſtrà. Neque enim (ſi Auguſtino credimus) quicquam acriùs, quàm Oratio Dæmones flagellat. Quamobrem Petrus in Orationibus nos vigilare ſollicitè admonet: ne hoſtis, atque aduerſarius noſter Diabolus dormientes offendat, quos Leonis rugientis inſtar deuoret.

*1. Petr. 4.*

XLII. Illud quoque in hoc Conuentu, non longè poſt hæc contigit: vt dum prima, à quodam nouo Sacerdote, Miſſa deuotiſſimè celebratur; pius quidam Frater, qui diuiniſſimum illud Sacrificij Myſterium, ex angulo Altaris contemplabatur; B. P. Franciſcum repentè è Cœlo dilabentem, ac vniuerſos extenſa dextera benedicentem cerneret; quo ſanè B. Pater ſignificare voluit, quantoperè eorum pietate, ac Religione delectetur, qui Sacras Miſſas, aut deuotè celebrant, aut attentiùs audiunt: quos propterea cæleſti benedictione proſequitur.

*Sacerdoti nouam Miſſam celebranti S. Franciſcus benedicens apparet.*

XLIII. Ioannes igitur, tametſi in ſua Piceni Prouincia adminiſtranda, optimi Paſtoris inſtar, ſedulam operam nauaret: Haud tamen Prædicationis officium, quo egregiè præcellebat, vllo vnquam tempore intermittebat, vt vberiorem, in Domini horreo, animarum meſſem congregaret. Etenim poſt hæc, anno 1538. cùm in Oppido Tiferni Metaurenſis, quadrageſimali tempore, Dei Verbum diſſeminaret; tantus illius in prædicando ardor fuit, támque præclaris ibi perfectioris vitæ exemplis omnibus præluxit: vt Fr. Vbertinus, Bernardinus Monſulmenſis, ac reliqua Minorum Conuent. Reformatorum Familia, quæ proprio ibi Monaſterio fruebatur, his permoti, Conuentu in Capucinos tranſlato (vti Superiori anno dictum fuit) cuncti ad Religionis ſinum tranſuolauerint.

*Minorũ Conuentualium Familia ad Capucinos tranſuolat.*

XLIV. Eo porrò Quadrageſimalis prædicationis munere expleto; cùm ad creditum ſibi Prouinciæ regimen rediiſſet; in eoque tam indefeſſo animo laboraret, vt neque ſenio, neque vllis, pro ſui Officij munere, laboribus parceret: tandem in huius anni 1539. exordio; dum viſitationis laboribus pedeſter (vti Capucinis mos eſt) ſedulò vacat, in quartanam febrim incidit; quæ cùm Senibus, præſertim ætate prægrauatis, moleſtiſſima eſſe ſoleat; ea Ioannes iam Septuagenarius, ac viribus penè exhauſtus, magnoperè excruciabatur. Quapropter Viſitatione intermiſſa, cùm Foroſempronium proficiſceretur; accidit, vt per Durantium iter faceret. Imminebat tunc Quadrageſimale Ieiunium, quo tempore Prædicatores in Domini Vineam opportunè deſtinari ſolent.

*Ioannes in quartanam febrim incidit.*

XLV. Porrò cùm Oppidi illius populus necdum ſibi Prædicatorem vendicaſſet; audito Ioannis aduentu, mox Proceres ad eum conueniunt; rogantque, vt diuini Verbi pabulum illis in ea Quadrageſima miniſtret. Recuſat ille, iuſtam morbi excuſationem afferens: at illi Viri ſtudio incenſi, omnem prorſus excuſationem reſpuentes, vt vel bis in Hebdomada illis Dei Verbum proponat, ardentiùs efflagitant; neque alterius opera in eo munere, ſe vti velle affirmant. Ioannes tot precibus victus; totque animarum, diuini Verbi panem eſurientium, pietate commotus; cùm eo Prædicationis labore febrim ſe ſuperare poſſe ſperaret; eorum tandem poſtulationibus acquieſcit; atque opportuno tempore, diſſuadentibus licèt Fratribus, eò ad Quadrageſimale officium obeundum ſe confert. Dum igitur ibi quotidianum laboris penſum, iis tantùm diebus exceptis, quibus à febris langore impediebatur, impigrè perſoluit: conſuetóque animi ardore ac vehementia Dei Verbum diſſeminat, ſtrenuum vineæ ſuæ Operarium, Deus præmiorum largitor, à labore ad mercedem hoc tempore auocare voluit. Quapropter cùm die quadam, ma-

*Durãtij prædicãs, pleuritide corripitur.*





iori ſpiritus vehementia, in populi vitia inuectus fuiſſet; è ſuggeſtu deſcendens, laterum dolore corripitur: qui cùm in pleuritidem computruiſſet; breui illum ad extremum vitæ diſcrimen adduxit. Quo tempore Dei Seruus vitæ finem ſibi adeſſe conſpiciens, deuotiſſima Sacramentorum perceptione, ac feruentiſſimis orationibus; ad ſupremum illum diem, ac Domini aduentum, animum parat; ſtrenuique ac fidelis Operarij inſtar, quò ſe ad lucis huius occaſum celeriùs ferri conſpicit; eò magis animi agrum virtutibus fatigat, ac perfecta in Deum charitate excolendum curat: vt perfectum Domino remuneratori opus exhibeat, quòd æterna tandem corona dignum ducat. Itaque cùm ſe ad vitæ finem properare, corporéque diſſolui cerneret; Crucifixi Imagine in manibus apprehenſa, luminibúſque, non abſque lachrymis, in Dominum defixis, vniuerſa illius beneficia ſibi collata enarrare, pro iiſque intimas ex animo illi gratias his verbis referre cœpit.

XLVI. En Domine Ieſu, en otioſum, ac inutilem ſeruum; atque vtinam, non facinoroſum, ac ſceleſtum: qui etſi duodecima ad Vineæ tuæ culturam hora acceſſerit; haud tamen venientem reſpuiſti: quales tibi in hac hora, pro tot in me collatis donis, gratias referam? Tu me ex immenſa tua clementia, ac gratuita benignitate, intrà Eccleſiæ gremium, Chriſtianis parentibus progenitum excepiſti; in Catholica fide enutriiſti; purúmque ab omni hæretica contagione hactenus ſeruaſti: Tu præterea de domo Patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum ſegregatum, in eum me vitæ ſtatum tranſtuliſti; in quo te ſequerer, ac tibi cum Generatione quærentium faciem tuam, ambulantium ſemitam rectam, commorantium inter lilia caſtitatis, & tecum diſcumbentium in Cœnaculo altiſſimæ Paupertatis famularer. Neque his contentus, cùm velut cæcus ambularem: atque inter cimerias tenebras verſarer: aberrantem, contumelioſum, ſcandaloſum, ac ſuperbum ſanctiſſimæ Reformationis hoſtem, ac perſecutorem; diu ſuſtinuiſti, admonuiſti, compeſcuiſti; renitentem, fugientémque tot diuinæ lucis fulgoribus oppetiiſti, oppugnaſti, deieciſti: donec lumen cæco redderes, atque in huius ſanctæ Reformationis ſinum tandem vel inuitum compelleres.

XLVII. Quas tibi, ô bone Ieſu, pro tam ſingulari dono, aut gratias agere, aut laudes referre queam? En iam ſupremum, in hoc Sanctæ Reformationis ſinu, diem lætus claudo: hîc tandem curſum conſummo, hîc hilaris obdormio. Quid tibi pro tanto beneficio dignum, præter laudes, retribuam? *Te Deum* igitur *laudamus, te Dominum confitemur.* Cúmque Hymnum totum vſque ad extremum illum Verſiculum: *In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum.* Senſibus integris decantaſſet; adhuc poſtremus illi verſiculus ex ore fluebat: cùm Spiritus, inter diuinas Laudes, ad Deum migrat.

*Inter Dei laudes extremum ſpiritum reddit.*

XLVIII. Cæterùm, cùm in eo Oppido, nec dum vllum à Capucinis Monaſterium extructum fuiſſet: Ioannis corpus, in Minorum Conuentualium Eccleſia, ſummo honore ſepelitur. Præclaram huius Serui ſui Sanctitatem, Deum Opt. Max. plurimis poſt obitum Miraculis illuſtraſſe, pleráque noſtra M. S. teſtantur: quorum tamen cùm præter communem illius tempeſtatis famam, ac pleráſque tabellas, quæ diu ad illius ſepulchrum appenſæ fuerunt; memoria nulla ſit ſuperſtes, hîc deſiderari potiùs, quàm referri poſſunt.

*Plurimis poſt mortem miraculis coruſcat.*

XLIX. Hac miraculorum fama cõmota, Fanum Vrbs, nullum non lapidem mouit, quò pretioſo illo ſui Conciuis depoſito potiretur: ita vt etiam Ducis ipſius Vrbinatis auctoritate, atque opera ad id vſa fuerit: At fruſtrà: nam Durantinorum, erga Dei Seruum, tanta ſemper fides, ac deuotio fuit; vt ab iis nunquam ſacrum illud Corpus impetrari potuerit, quod multo honore apud ſe reconditum ſeruant.

L. Hoc quoque anno Fr. Bernardus Foroſempronianus, qui Ludouici Foroſempronianì primogenitus fuit; primúſque ex Sæcularibus Viris ad Reformationem acceſſit: ex tempeſtuoſo huius vitæ pelago, ad quietam melioris vitæ ſtationem concedit. Hic laïcus inter Capucinos vixit. Vir plurimis virtutibus exornatus;

*FR. BERNARDI Foroſemproniani Vita & Virtutes enarrantur.*

ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1539. 3. 21. 15.

*Vitæ auſteritate præſtat.*

Regulæ cum primis obſeruantiſſimus: cuius hæc vox familiaris erat: Fratres omnem potiùs cruciatum, ac mortem eligere debere, quàm Regulæ obſeruantiam lædere. Magno ſuiipſius tam in habitu, quem, omni ex parte, variis panni rudiſsimi præſegminibus conſarcinatum gerebat; quàm in inceſſu; cùm ſoleis nunquam, quoad vixit, vſus fuerit; neglectu affulgebat. Admirandam vitæ auſteritatem ſemper coluit: cúmque à carnibus, ac vino abſtineret; ſemel tantùm in die, pauperioribus cibis; velut herbis, ac leguminibus veſcebatur. Orationis ſtudioſiſſimus, ea adeò delectabatur; vt cùm ſomno parciſſimè vteretur, maiorem in ea, ac præſertim in Paſſione Domini meditanda, noctis partem tranſigeret; quam tot lachrymis perſequebatur; vt dum ſemel ſolitarius in nemore oraret; tam forti, ac vehementi vocis eiulatu Domini Paſſionem defleret: vt nonnulli Sæculares Viri, qui fortè nemus ingreſſi fuerant, deplorandas huiuſmodi voces audientes; cùm ſiniſtrum quicquam illi accidiſſe ſuſpicarentur, eò ſtatim accurrerent: quibus ille ſui fletus cauſam aperiens, tanta cœpit animi pietate, ac lachrymarum copia, cum iis de Chriſti Domini cruciatibus, ac doloribus agere: vt omnes in fletum, ac lachrymas erumpere; ac tam atroces Domini ſui pœnas ſecum deplorare compulerit.

*Paſſionẽ Domini magno eiulatu deplorat.*

Lachrymas ob aſſiduam Chriſti Domini Paſsionis meditationem, tam familiares ſibi conciliauerat: vt cùm aliquando Prædicatorem, de Domini Paſsione, in Eccleſia concionantem audiret; in tam ingentem fletum erumperet; vt, ne Concionatorem impediret, inde abſcedere compulſus fuerit. Erga pauperes, tam mira charitate afficiebatur; vt cùm nihil aliud, quo illorum inopiam ſubleuare poſſet, illi ſuppeteret: Corium à Germano Fratre, qui ſutor calceolarius erat, eleemoſyna acciperet: ex eóque calceos conficeret, quos pauperibus diſtribuere ſolitus erat.

*Dominicam Flagellationem, per quinque horarum ſpacium exercet.*

Ob Dominicæ Paſſionis amorem; ac præſertim Chriſti Flagellationis memoriam; præter conſuetas Ordinis Flagellationes, ſemel in quolibet anno, Flagellationem, quæ Dominica nuncupatur, per quinque horarum ſpatia in ſeipſo ſeueriùs exercebat. Denique cùm duodecim circiter annos, in maxima vitæ auſteritate, ac Regulari Obſeruantia, virtutúmque omnium diſciplina, in Religione tranſegiſſet; Maceratæ magna cum Sanctimoniæ fama extremũ diem claudit. Cuius Corpus propinquorum opera, ob inſignes hominis virtutes, Foroſempronium tranſlatum fuit.

*F. DONATI Aletini Vitæ, & virtutes exarantur.*

LI. Eodem ferè tempore Fr. Donatus Laïcus, Aletij in Hidruntina Prouincia mortalẽ cum immortali vita commutat. Vir fuit omnium virtutũ laude clarus; ac præſertim Paupertatis, ac Obedientiæ Cultor zelantiſſimus; vitæ auſteritate, ac ſui neglectu inſignis, miráque animi puritate, ac candore præditus; adeò, vt ſæpè cum Virgine Deipara colloqui auditus fuerit. Solitudinis, atque Orationis cum primis amantiſſimus fuit; ac Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. His dum Seruus Dei fideliter vacat, ac duplicatum ex iis talentum, Domino ſuo referre ſtudet, ad præmium vocatur, Dominúmque ſibi dicentem audit: *Euge, Serue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25.)

*Poſt mortem ipſius Corpus ſuauiſſimo odore fragrat.*

LII. Tam omnibus perſpicua erat huius Viri Sanctitas: vt turbæ vndique, in eius obitu, ad illius Corpus venerãdum confluerent: Deo præſertim Serui ſui gloriam ſignis atteſtante. Nam Corpus in Eccleſiam delatum, tanto protinus cœpit, non humanorum, ſed Cæleſtium planè aromatum odore fragrare: vt eum cuncti in Cælo potius regnantem, quàm in feretro iacentem, ſibi certo argumento perſuaderent. Atque ita planè decebat; vt qui piè, ac ſanctè viuendo, Chriſti bonus odor fuerat, in omni loco; cæleſti benedictione donatus, diuinorum aromatum fragrantia, qua ſe immortalem vitam conſecutum eſſe teſtaretur, ſuauiùs apud homines oleret.





ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1540. 6. 22. 16.

I. QVANQVAM alia ſerendi, alia verò metendi tempora eſſe, olim à Sapiente dictum fuerit: hic tamen annus Milleſimus quingenteſimus ſuprà quadrageſimum, ſimul & ſeminis eſt, & meſſis. Serunt, qui ab Ochino Generali miſſi in Corſicam Inſulam; primùm ibi Capucinorum Religionem plantant: metunt verò, qui poſt præclara virtutum opera, in Religione ſata, laborum ſuorum tandem præmia referunt.

*Corſica Inſulæ deſcriptio.*

II Corſica, eſt Maris Liguſtici, ſeu Mediterranei Inſula, Regia poteſtate fulgens; cui exordium Ligures dediſſe dicuntur. Cyrnus à Græcis nuncupatur, eò quod à Cyrno Herculis Filio olim inhabitata feratur. Hanc recentiores in duas partes diſtinguunt: Plagam, quæ Orientem Solem reſpicit, latus interius; Partem verò huic obuerſam, latus exterius appellant. Inſula magna ex parte montuoſa eſt; aditúque difficilis: cùm præruptis vndique collibus ſepta ſit. Incolas verò feros homines, & ad ſanguinem, ac vindictas maximè procliues alit: in eo tamen plurimùm commendandos, quòd ſingulari ferè omnes erga D. Franciſcum deuotione feruntur.

*F. MARIANI Cyrnei Vita, & Geſta narrantur.*

III. Cùm igitur apud Ligures, & Inſubres horum finitimos, Capucinorum Religio, pleriſque in locis, iam propagata fuiſſet: Hoc anno Fr. Mariani Nebienſis opera, labore, ac prædicatione, hanc quoque Inſulam penetrat. Erat Marianus Corſica oriundus, eximiúſque diuini Verbi Prædicator; qui cùm Ochini Generalis iuſſu in Corſicam aduauigaſſet, primùm Mantinam, ſeu Baſtiam, quæ primarium eſt illius Regni Oppidum, ad Ortum, inter Sacrum Promontorium, & Marianam ſitum, in quo Genuenſis Reipublicæ Præfectus Sedem collocat: non vi, aut ferro; ſed ſpiritu, ac diuini Verbi virtute aggrediens; ferocem populum paulatim à graſſantibus odiis, atque à vindictæ ſtudio, orſus eſt compeſcere: tantis deinde, ac tam præclaris apud eos ſanctioris vitæ exemplis, cum ſocio F. Petro à S. Lucia coruſcare cœpit, vt cuncti nouum illud, ac mirabile vitæ genus, ab iis inſtitutum ſuſpicientes, homines ſibi à Deo miſſos; ac velut è Cælo dilapſos crederent.

*Marianus apud Cyrneos Dei Verbum diſſeminat.*

Marianus Inſulam, quæ nonnullis Vrbibus munita eſt, inſtar fulguris percurrens; cunctis diuini Verbi pabulum tanta cum audientium vtilitate, ac fructu miniſtrabat: vt ſummam ſibi ad odia, quæ in ea Inſula ardere ſolent, extinguenda, apud omnes auctoritatem compararet. Ea vbicunque graſſari audiret, ſtatim perimenda curabat. Simultates antequam cædes parerent, iugulabat. Rixas, quæ ibi ſæpè integras familias depaſcunt, vel ortas trucidabat, vel in ipſo ortu ad abortum compellebat: támque ingenti ſtudio conciliandis inter ſe diſſidentium animis inſudabat; vt diuturna, ac inueterata odia, quæ propemodùm immortalia videbantur, diuina potiùs, quàm humana virtute, ad pacem compelleret.

*Ferocem populum ab odiis, ac vindictis reuocat.*

Atque eo denique factum eſt; vt Deo, Religionis tunc primordia fouente, & ad Propagationis profectum prouocante, tota penè Inſula, ſedatis omni ex partè diſcordiis, ſumma pace, ac concordia frueretur.

*Marianus pleraque Monaſteria ædificat.*

IV. Porrò hæc pia, atque Euangelica Chriſtianæ pietatis officia, quæ Marianus maximo ſtudio, ac labore erga Cyrneum populum conferebat: Cùm Regni Gubernatorem, ac cæteros Vrbium Proceres, Capucinorũ Religioni, ex qua tot ſibi cõmoda emanare cernebãt, mirum in modũ beneuolos reddidiſſent: inde potiſſimũ permoti

*Ex Mariani Sepulchro flos miræ pulchritudinis exoritur.*

fuêre; vt Baſtiæ primùm,tum Lurini, Nebij, Caſinghæ,ac Balato, Monaſteria Capucinis ædificanda curarent; atque hoc pacto Cyrneę Prouinciæ fundamenta iacta. Marianus verò,poſt multos pro Chriſto ibi exantlatos labores; poſt plurimos Orco ereptos, atque à perditionis via ad ſalutem reuocatos; denique poſt vitam in perfecta Regulæ obſeruantia, ac ſummis virtutibus tranſactam; meritis clarus, haud longè poſt hæc tempora, è terrena ad Cæleſtem Patriam concedit; cuius corpus, cùm humi conditum eſſet, ex eo noui generis flos, fragrantiſſimi odoris, ad lilij formam, erupiſſe fertur, quo variis morbis ægroti ſanati fuêre.

*Pedemontana Regio deſcribitur.*

Dum hæc Religionis ſemina à Mariano in Corſica Inſula iacerentur: alij quoque in Pedemontana Regione, quæ tunc intra Genuenſem Prouinciam comprehendebatur, operam, ac laborem ſuum impendebant. Pedemontium, quod alij Galliam ſubalpinam appellant: Regio eſt ad Montium, atque Alpium radices ſita, quæ Galliam, Sabaudiámque ab Italia diuidunt; Cæli temperie, ac ſitu amœniſſima, fructiferis collibus,ex quibus generoſa vina Baccho amabilia prodeunt, vndique ferè ad delicias exurgentibus exornata: variis hæc Fluminibus alluitur, quæ agros fructibus, ac plurima ſegete fertiles præſtant. Hinc ſua Padus ortus primordia è triplici fontę trahit, qui variis in eum riuulis defluentibus intumeſcens, cùm primùm ad Martinianæ Oppidi planitiem peruenit, inter arenas euaneſcit: rurſuſque illinc ad tria circiter paſſuum millia reſurgit. Incolas habet magnanimos,liberales,humanos,bellis aptos; ac præſertim Sabaudiæ Regulis, quibus ſubſunt, fideliſſimos. Plurimæ in ea, ac munitiſſimæ Vrbes conſpiciuntur: in quibus præcipua eſt Auguſta Taurinorum,quæ Ducum Sedes eſt, Archiepiſcopatus dignitate fulgens. Hac in Regione cùm tria iam Monaſteria extructa eſſent; Primùm Taurini, quod ſanctæ Mariæ ad Agros nuncupatur. Secundum propè Oppidum Montiſcalerij, quod trium circiter milliarium ſpatio Taurino diſtat, S. Brigittæ dicatum, Tertium Aſtæ. Quartum tandem, in Vrbe Montis Regalis, hoc anno ædificari cœpit: quo in loco res planè terroris plena accidit. Cùm enim Vici Arcem, quod Oppidum eſt Vrbi proximum, à quo Vrbs ipſa nomen accepiſſe creditur; vnde à nonnullis Mons Vici nuncupatur; Carolus quidam Droſius, Gallorum nomine occupans, maximam in Oppidanos tyrannidem exerceret: contigit; vt hoc anno,dum pauci duntaxat Fratres Conuentus ædificationi incumbunt; F. Ioannes Baptiſta Florentinus, ardentiſſimus diuini Verbi Concionator, & eximiæ virtutis Vir, ex Noſtris, eò ad prædicandum accederet: qui cùm deplorandas populi voces, ob durum Viri illius iugum, immaniáque oppreſſionum genera, quibus omnium hominum ſæuitiam, improbitatémque ſupergredi videbatur, perciperet: his animo commotus, Carolum intrepidè adit; diuinámque illi breui vltionem comminatur; niſi à tanta populi tyrannide animũ coërceat. At perditus Vir, cùm nec Deum timeret, nec religioſum hominem reuereretur; Patris increpationem contemnens, in peius ſemper proficiebat. Quamobrem Ioannes Baptiſta pro Concione in eum publicè inuehi cœpit. Quod cùm ille à neceſſarijs didiciſſet: iracundia feruens, nuncios ad eum mittit, qui ei ſuo nomine comminentur; niſi quæ in eum pro ſuggeſtu dixerat, publicè recantaret, Barbam illi è mento vi euellendam fore, intelligeret. At ille Viri minas contemnens; Renunciate, inquit, Domino veſtro, nihil minùs me, quàm Barbæ pilos,vitámque ipſam curare; præſertim cùm de diuini Nominis gloria,atque Officij mei munere agitur: veruntamen ſi craſtina die futuræ concioni meæ intereſſe voluerit; me illi eo planè modo ſatisfacturum ſciat, quo Deo in primis Opt. Max. gratum fore intellexero.

*Montis Regalis Monaſterium extruitur.*

*F. Ioannes Baptiſta Florentinus Vir præclarus.*

*Droſium, tyrannidem in populũ exercentem, reprehendit.*

*Droſius Concionatori cõminatur.*

VI. Carolus igitur, craſtina die, armatis (vti ſolebat) Militibus ſtipatus, ad Eccleſiam concedit: quibus ille imperat, vt ſi Concionatorem in eum dicere percepiſſent, ſtatim è ſuggeſtu deiicerent; cunctóſque Barbæ illi pilos è mento auellerent. Sedet in Eccleſia Vir ferus, altum premens ſub pectore virus; non tam Dei Verbũ auditurus, quàm immane ſcelus expleturus: circumſtat impia Militum turba, ad





nefandum facinus parata. Prædicator verò vbi ſuggeſtum conſcendit, detecto capite,& facie ad lignei Crucifixi Imaginem, quæ in eo defixa erat, conuerſa, ſic in ipſo ſermonis exordio Chriſtum alloqui cœpit. Altiſſime hominum Redemptor, haud ignoro, cùm primum me ad hoc Prædicationis munus vocaſti, id te mihi Apoſtolicum illud præſcripſiſſe: *Prædica verbum, inſta, opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: atque vt veritatem vbique ita liberè, ac conſtanter annunciarem, iuſſiſſe: vt neque tribulatio, neque anguſtia, nec periculum, nec gladius ab ea prædicanda deterrerent. Tu enim ipſe veritas es,quem qui palàm confiteri erubuerit, hoc profectò nomine, ac munere indignus eſt. Quamobrem cùm hunc me veritatis locum conſcendere volueris; quid aliud planè, quàm veritas mihi prædicanda eſt? Certè, Domine, qui omnium Cognitor es, noſti, quàm purè, quàm candidè, quàm ſincerè, & ex charitate veritatem annunciauerim; publica duntaxat ſcelera arguerim; hominem, vt reſipiſceret, increpauerim: poſt vnguenta ferrum adhibuerim; non vt vulnera inferrem, ſed vt vitia curarem. Iam verò, vt quæ vera, te Auctore, prolocutus ſum, apud homines retractem: ferus homo, curationis impatiens; minis, ac terroribus ſuadere nititur: Age tu, Altiſſime Deus, quid facto opus ſit, indica; num à cœptis deſiſtere, num vera reuocare, num impij hominis dicto parere debeam: tu ipſe iube, impera: neque enim vllis aut minis, aut periculis moueor: ſed tuis tantum,non hominis placitis obtempero.

*Timot. 4.*

*Ioannis Baptiſtæ in ſcelere arguendo inſignis conſtantia.*

VII. Horrenda prorſus, ac pauoris plena tunc res viſa fuit. Vix enim Predicator,hæc ardentiſſimo ſpiritu protulerat; cùm illa Chriſti Crucifixi Imago, quæ priùs conuerſa facie Concionatorem ſpectare videbatur, quaſi id facinus horreret,ac veritatem ab eo recantari deteſtaretur, vultum in alteram partem horribili ſtridore inflectit. Quæ res tanto hominem terrore afficit, vt eum à concepto ſcelere,atque ab omni vi inferenda abſtinere coëgerit. At Concionator ob id magis diuina virtute confirmatus,ac vberiori Dei lumine perfuſus, Tyranno comminatur. Eum niſi illata pauperibus damna reſarciret, ac deinceps ab oppreſſionibus abſtineret, à Dei ira conſumptum iri: breuíque futurum eſſe, vt cæleſti fulmine icta, Arx illa rueret: quæ Viro tot pauperum ſanguine madenti domicilium præberet. Quod ne fruſtrà, aut leuiter dictum ab eo fuiſſe, quiſquam exiſtimaret: non multo poſt tempore id rei euentus comprobauit. Etenim poſt hæc, homine in ſcelere computreſcente, ſereno Cælo, cùm ſub vnius diei veſperum, nubes denſa,atque atra, ſpectante populo, Arci inſediſſet: tam dirum, ac horrendum fulmen euomuit: vt cunctis, qui in Arce erant, interfectis, paruulo duntaxat infante, ac Nutrice exceptis, qui ab ingenti trabe tutati, incolumes euaſerunt: Arx ipſa ad ſolum vſque diruta fuerit. Carolus verò, cùm eo tempore è Caſtro abeſſet, paulò poſt in Cereſoliæ conflictu miſerè interemptus occubuit: Aſini ſepultura in agro tumulatus.

*Ioannis Baptiſtæ verba Miraculo cõprobantur.*

*Ioannes Baptiſta Caroli necem, & Arcis ruinã pronunciat.*

VIII. Inter hæc Reformationis initia, cùm Monaſteria (vti ſæpè commemoratũ fuit) pauperrimè à Fratribus conſtruerentur: accidit; vt Ochinus Generalis, in Senarum Vrbe, ante biennium loco ad Conuentum ædificandum deſignato, illius ædificationi, Fratrem Angelum Senenſem tanta auctoritate præfecerit, vt eam is, nullo alterius expectato conſilio, pro ſola voluntate moderari poſſet. Inchoata verò Domus ſtructura; cùm Prouincialis Vicarius, eam non parùm conſuetos Paupertatis terminos excedere animaduerteret, F. Angelum admonet, vt ab exceſſu abſtineat.

*Conuentus Senis extruitur.*

IX. At is Generalis poteſtate fretus, Patris monita contemnens, nequicquam à cœpto deſiſtit; ſed ædificationem, vti cœperat, pertinax proſequitur. Porrò biennio elapſo; cùm iam extructo Conuentu, Angelus in eam Conuentus familiam cooptatus, velut de ædificatione gloriaretur: hoc anno tandem in grauem morbum incidit; ac deſperata valetudine, cùm iam animam ageret: En extemplò, tam ingens, ac horrida Cælo tempeſtas oritur: vt Conuentus vndique ſaxis è Cælo impeti videretur: quo tempore mugire nubes, corruſcare fulgura, Domus funda-

*F. Angelus Senenſis Paupertatis in ædificatione terminos excedenti, infauſta in morte accidunt.*

menta commoueri, monaſteriúmque totũ ab imo concuti, ac ſolo æquari viſum. Ita vt Fratres horrore perterriti, ac metu perculſi; quiſque vel in Eccleſiam, vel in Cellam fugeret; nec vllus morienti aſſiſtere potuerit. Inter hæc monſtra, ac terrifica cæli ſigna, is animam efflat, feliciter ne, an infeliciter, nouit is, qui bonos, ac malos iudicat. Id quidem ex compluribus formidandis diuinæ vltionis teſtimoniis certum eſt, grauiſſimum apud Deum crimen exiſtimari; cum Altiſſima rerum Paupertas, qua Minorum Religio potiſſimùm ſubſiſtit, à Fratribus violatur: neque in vllos ſeueriùs Deum, quàm in eos vnquam animaduertere viſus eſt, qui in ſacris ædificiis conſtruendis, in quibus ſumma Paupertas, ac ſimplicitas elucere debent: humano ſpiritu ducti, non Regularem, ſed mundanam ſapientiam ſectantur; in iiſque plus æquo, vel amplitudine, vel vana curioſitate luxuriantes, non ſpiritus, ſed carnis commoda quærunt, quos æquum eſt his Dei iudiciis deterreri.

X. Huic non omninò abſimile factum, Narniæ hoc tempore contigit. Cùm enim F. Liberius Burgundus, tunc Prouincialis Vmbriæ Vicarius, à quodam Fratre Syluestro, Laïco, qui operi murario incumbebat, perſuaſus; quædam in Monaſterio Narnienſi, quæ eidem F. Syluestro ad venuſtiorem formam reuocanda videbantur, diruenda, ac reædificanda annuiſſet: Syluestro, meliori conſilio reluctabantur, Fr. Pacificus à Lugano, eiuſdem cæmentariæ artis Faber; & Fr. Raynerius Biturgienſis, eximiæ virtutis, ac Sanctimoniæ Vir, quibus noua illa ſtructura minùs neceſſaria, ac curioſitatis plena videbatur. At Sylueſter, qui in eam ædificationem propendebat; cuique id oneris à Prouinciali Vicario commiſſum fuerat; eorum contempto, ſuum duntaxat conſilium rem obtinere voluit. Iam verò ædificatione abſoluta; Sylueſter ægrotare cœpit. Hyemale tunc tempus erat: Fratréſque ſub veſpertinæ Refectionis finem, etiamnum in Refectorio diſcumbebant; quum repentè Syluestri vox, tánquam horribilis quidam mugitus auditur; quo Fratres exterriti, protinus ad ipſius Cellam conuolant; ab eóque, quid illi acciderit, percunctantur. Is verò diuino iam iudicio oppreſſus, ne reſponſo quidem reddito, alterum, Tauri inſtar, mugitum pro reſponſo reddens, vniuerſos perterret. Inſtant Fratres impenſiùs, quærunt, rogant, ſciſcitantur, quænam ſit tam horrendi clamoris cauſa; quibus ille nihil penitus reſpondens, vultu duntaxat in pauorem reſoluto, tertium cæteris horribiliorem mugitum perſonat. Quo tempore cùm illum Fratres ad Dei Miſericordiam implorandam, verbis excitarent, (magno ſiquidem in ſalutis diſcrimine illum verſari, tot ſignis ſuſpicabantur) is hortatione omni neglecta, per proximum tantummodò parietem manus ducens, quaſi in muri ſtructura laboraret, horrendas ſimul voces, perinde ac ſi ab aliquo ſuffocaretur, ore depromebat. Denique paruo tempore elapſo inter has voces, & animi anguſtias abſque Sacramentis, maximo omnium terrore ex hac luce migrat: & vt multis deinde argumentis haud leuiter ſuſpicatum fuit, iuſto Dei Iudicio, ad inferos damnatur. Hinc diſcant, qui noſtris ædificiis præſunt, altero ſibi periculo cauere. Neque vllo, vel commodioris vſus, ſeu venuſtioris formæ cupiditate, ab arcta Paupertatis regula ſe abduci ſinant: ſed eam ædificationis formam ſeruent, quæ Paupertatem cùm ſimplicitate coniungat, alterámque ab altera non ſecernat.

*F. Sylueſter quædam diruit, & curioſiùs ædificat.*

*In morte horrendos mugitus edit.*

*Abſque Sacramentis ex hac vita migrat.*

XI. Porrò etſi in eos, qui vltrò in Regularis obſeruantiæ, ac præſertim ſanctiſſimæ Paupertatis lapidem impingunt, diuinæ ſeueritatis rigor obſæuiat: in iis tamen ſumma Dei humanitas elucet, qui Chriſti Paupertatem ſectantes, vitæque huius commoda ſpernentes, ſpem omnem, ac cogitationem ſuam in Deum conferunt. Diuinæ huius benignitatis exemplum, hoc anno in Schij Conuentu Venetæ Prouinciæ, qui longiùs ab Oppido diſtabat; pius Dominus ſuis declarare voluit. Etenim cùm Fratribus alta niue obſeſſis, via aliquando penitus intercluſa eſſet, qua ad conſuetam panis mendicationem ad Oppidum pergerent: iam conſumpta annona, quæ quotidiana ferè tunc mendicatione quærebatur; magni Pa-

*Fratribus niue obſeſſis Deus Miraculo prouidet.*





tris familias, Dei nimirum, ianuam Fratres orationibus pulſant. Eo verò manum aperiente, qui dat eſcam omnibus in tempore opportuno, dum adhuc Fratres in oratione perſtant, Panis calidi, ac recentis odor in Conuentu perſentitur. Quo cùm omnes obſtupeſcerent; atque vnde is emanare poſſet, ignorarent: qua odor ſibi viam parauerat, explorantes, Corbem calido, ac recenti pane refertum, in Refectorio reperiunt, quem cùm è Cælo, Angelico miniſterio miſſum non dubitarent; ea cæleſti annona Chriſti pauperes refecti, ac ſaturati, Dominum laudant; qui ſuos in neceſſitate non deſerit. Id verò magis, tum admirationem, tum diuinæ liberalitatis beneficium auxit; quòd panis deinceps nunquam in Corbe diminutus fuit: quo ad niue ceſſante, aditus illis ad mendicationem pateſieret.

XII. Eodem quoque tempore cùm in Conuentu Potentiæ, quæ Lucaniæ Vrbs eſt, Nouitius quidam deuotus ægrotans, maxima cibi inappetentia laboraret, ab Eleemoſynario interrogatus, num cibi alicuius cupiditas ipſius animum pulſaret. Reſpondit ille, lactis, ſi copia eſſet, ſe aliquo appetitu teneri. Hyems erat, cùm vniuerſa alta niue operta, difficilem ad rura, quæ longè à Conuentu aberant, viam præſtabant: quapropter cùm Quæſtuarius lacte eo tempore frui, difficillimũ planè exiſtimaret: ſecúmque animo, quid ageret, volutaret: En ianuæ tintinnabulum pulſatur: quam ille ipſe aperiens, neminem quidem, qui ianuam pulſauerit; vas tantummodò lacte plenum, propè ianuam humi poſitum offendit. Cúmque ianuam egreſſus, quis lac attuliſſet, diligentiùs circumſpiceret; ne vllius quidem veſtigia, in niue impreſſa eſſe animaduertit: Quamobrem cæleſte hîc miniſterium, ac ſuauem Dei prouidentiam, cui nihil eſt difficile, agnoſcens; lac Nouitio propinat, qui eo hauſto, haud ſecus quàm ſi cæleſti pharmaco curatus fuiſſet, protinus conualuit: vt hinc quanta cum ſuis, ac præſertim ægrotis, Deus benignitate agat, cunctis perſpicuum ſit: Diſcántque omnes, atque ij præſertim, quibus ægrotorum cura commiſſa eſt, qua charitate, ac diligentia infirmis miniſtrandum ſit; cùm his Deus è Cælo cibos prouideat, Angelóſque ad eorum miniſterium mittat. Neque enim alterius, quàm Angeli miniſterio, vas illud lactis Ægroto allatum fuiſſe, vlli dubium eſſe poteſt.

*Nouitio ægrotãti Lac diuinitus adminiſtratur.*

XIII. Sub hoc tempus Fr. Petrus Tudertinus Sacerdos, qui anno 1534. cum Bernardino Aſtenſi, atque aliis ex Obſeruantium Familia ad Reformationem conuolauerat; in nouo Fulginij Conuentu, qui S. Ioſephi appellatus fuit, breuis laboris expleto curriculo, ad Coronam peruenit.

XIV. Hic inter Obſeruantes multo tempore Magiſtri Nouitiorum officio functus, cùm Regularis obſeruantiæ ſtudio ad Capucinorum Reformationem euolaſſet; ex ſuis non paucos ſuo exemplo compulit; vt ad Capucinos eodem modo tranſmigrarent. Vir námque bonus, ac conſilij ab omnibus habebatur; cuius tranſmigratio non leuitati, ſed grauiſſimo tantùm mentis conſilio, ac prudentiæ adſcribi poterat. Inter Capucinos verò eam vitæ rationem inſtituit, quæ cæteris virtutum exemplar eſſe poſſet. Paupertatis, atque auſteritatis adeò ſeuerus cultor fuit: vt pauperrimo, atque obſoleto habitu contentus, ſemel tantùm in die refectionem ſumeret; in qua à carnibus, ac lautioribus epulis abſtinebat. Cuius propterea illud familiare dictum erat; Carnes, & lautiores cibos, tametſi à Regula non prohibeantur: eos tamen, qui carnem ſimul cùm vitiis perfectè crucifigere, ſeueriorémque Apoſtolicæ Vitæ diſciplinam amplecti vellent, minùs decere. Singularitatem maximè oderat; quo fiebat; vt quanquam hanc ſibi Abſtinentiæ legem præſcripſiſſet, id tamen velut ſacrum obſeruaret, vt à communi Fratrum menſa nunquam abeſſet. Abſtinentia ſibi ad Orationem viam parauerat: cuius tantoperè ſtudio tenebatur; vt remota, ac ſolitaria ſemper loca quæreret, in quibus quicquid temporis illi ex communibus Obedientiæ officiis ſupererat, totum Orationi, ac præſertim Paſſionis Chriſti meditationi dabat. Hac tantoperè afficiebatur; vt non tantùm animo,

*F. PETRI Tudertini Vita, & Geſta.*

*Ipſius virtutes enarrantur.*

*Quid de Carnibus, & lautioribus cibis ſentiret.*

ſed etiam corpore Crucifixo Domino compatiendum ſentiret. Idcircò ad Domi-
nicæ Paſſionis memoriam in ſeipſo excitandam,aſpero ſemper ad carnẽ cilicio vte-
batur. Idque dicere ſolitus erat. Seruum Dei nullo vnquam tempore prætermit-
tere debere; vt dies abſque aliqua corporis afflictione elabatur, quæ Domini Paſ-
ſionem illi in animum reuocet.

*Ipſius erga Domini Paſſionem ſtudium.*

Quò verò magis in ſeipſum rigidus, ac ſeuerus erat; eò ampliori, (quod veræ XV.
virtutis argumentum eſt) ac tenera quadam in cæteros compaſſione ferebatur: atq;
adeò erga illos, qui vel tentatione, vel àduerſitate, vel ægritudine aliqua preme-
bantur, vera charitate afficiebatur: vt cum ipſis ſæpiſſimè flere viſus fuerit. Hac
animi pietate, cùm non ſolum in viuos; verùm etiam erga mortuos liqueſceret:
hoc tempore contigit; vt Vrbis Gubernator bis ſeptem facinoroſos homines, ob
atrociſſima delicta in Crucem tolli, ac ſuſpendio enecari iuſſerit, quorum corpo-
ra cùm diu in aëre ſuſpenſa, ac inhumata penderent, is pia erga Defunctos miſe-
ratione commotus; facultate à Superiore impetrata, intempeſta nocte, ad patibu-
lum accedit; laqueos ſchala adhibita, præſcindit; & Condemnatorum corpora
clam cum ſocio ſublata, tam occultè ſacro in loco ſepelit: vt factum vniuerſos la-
tuerit.

*Condemnatorum cadauera ſepelit.*

Tam ſingulari, ſanctus hic Vir, in ſedandis animis, ac ſimultatibus effugandis XVI.
Dei gratia præſtabat; vt nemo tam ferus, támque inhumanus eſſet, qui illius
ſermonibus non demulceretur; pacémque cum hoſte componeret. Plura huius
argumenti exempla afferri poſſent: plurimæ domus, ac familiæ, quas inteſtina
odia, ferè ad extinctionem vorauerant, velut è ſepulchro excitatæ: quamplurimæ
quoque Vrbium factiones, quæ in mutuas cædes exardeſcebant, diuina huius
Viri eloquentia ſedatæ, quæ omnia conſultò prætereo, ne immenſum excedant.
Hæc, atque alia præclara virtutum ſemina, cùm Petrus in benedictione copioſiſſi-
mè ſeuiſſet; meſſis tempore appropinquante, Guardianus Fulginium mittitur: vbi
priori S. Valentini Conuentu, ob plurima loci incommoda, derelicto, Fratres ad
nouum S. Ioſephi Monaſterium, quod eo tempore ædificabatur, tranſmigrauerant.
Peracta igitur Conuentus ſtructura, cùm poſtremò ſepulchrum effoderetur; Pe-
trus Fratribus in id opus inſudantibus, ait; Eia filij, iam ſtrenuè laborate, hunc
enim veſtro Guardiano laborem impenditis; hanc nunc mihi domum ædificatis,
quam ego primus ingrediar, atque hîc mihi ſuprema breui requies futura eſt. Id
planè haud abſque Dei reuelatione ab eo dictum fuiſſe, res ipſa non obſcurè de-
clarauit; quandoquidem poſt exiguum temporis ſpatium elapſum; cùm ad mor-
tem ægrotare cœpiſſet: via ſibi deuotiſſima Sacramentorum ſuſceptione ad Cæ-
lum ſtrata, primus ſepulchri illius domicilium ingreſſus, gloriæ coronam, quam
in fletu, & afflictionibus ſeminauerat, tandem in Sanctorum exultatione meſ-
ſuit.

*Obitum ſuũ Fratribus prædicit.*

Quod ne quis in dubium reuocare poſſet, duobus id potiſſimùm argumentis à XVII.
Deo probatum fuit. Primum eſt, quòd cùm non longè ab ipſius obitu eius Nepos,
Vir ſæcularis, Hectica febri laboraret; Petrus illi per diem ſplendidus, ac totus glo-
ria fulgens apparet; diem obitus prædicit; peccatorum confeſſionem, pœniten-
tiam, ac deuotam Sacramentorum perceptionem indicit; extremóque vitæ ſuæ
tempore ſe iterum ad eum rediturum ſpondet. Dies adfuit ſupremus, Nepoti præ-
ſtitutus, cùm Petrus ad illum veniens, ipſius animam ſordibus expiatam, atque à
corpore ſolutam, ſecum ad ſuperna ducit.

*Nepoti glorioſus poſt mortem apparet, ac obitum prædicit.*

Alterum eſt, quòd cùm quarto poſt ipſius obitum Anno, quo tempore nemo, illo XVIII.
excepto in eo ſepulchro catenus conditus fuerat, F. Iacobus Hiſpellenſis, in eo Cõ-
uentu extremũ diem clauſiſſet, aperto ore ſepulchri, vt eò defuncti Iacobi corpus
inferretur, tanta odoris fragrantia ex Petri corpore ſtatim effundi cœpit; vt cuncti
in mentis ſtuporẽ conuerterentur; túncque primùm inſignem Petri ſanctimoniam,
& certam illius apud Deum gloriam diuinitus teſtatam haberent.

*Ipſius Corpus poſt quartum annum ſuauiſſimũ odorem efflat.*







Interea Bernardinus Senenſis, cùm toto biennio non abſque laude, ac Regu-
laris obſeruantiæ vtilitate, Religionem adminiſtraſſet: tanta quoque in prædican-
do, vi, atque eloquentia præſtaret: vt & morum grauitate, ac ſuauitate, nec non
ſeueriori illa vitæ, ac habitus auſteritate accedente, mirabiles in audientium ani-
mis motus concitaret: hinc ſummam, tum apud Fratres, tum apud Reges, ac
Principes auctoritatem ſibi comparauerat: atque adeò ipſius apud omnes exiſti-
matio creuerat; vt & Pontifex maximo illum in honore haberet; & non pauci Prin-
cipes illius conſiliis in arduis, ac difficillimis rebus vterentur. Deniq; cùm illuſtriſ-
ſimus huius tẽpeſtatis Prædicator, omniũ calculis haberetur; tanta erat Vrbium, ac
Principũ illum depoſcentium frequentia; vt, qui illius ſermonibus frui optabant,
iis neceſſe eſſet, eum à Pontifice impetrare. Quid plura? Tam magna, & mira erant,
quæ is ſua prædicatione præſtabat; vt prægrandes licèt Eccleſiæ, ad populorum
multitudinem, qui ad illius ſermones confluebant, continendam anguſtæ eſſent.
Quo fit, vt in Eccleſijs, in quibus is Dei Verbum miniſtrabat vndique contigna-
tiones adderentur: multíque ſubductis è tecto tegulis, aditum inde ſibi, ad illum
audiendum, aperirent.

*Bernardini Senenſis maxima apud omnes exiſtimatio.*

XX. Cùm Peruſiæ hoc anno prædicaret, tanta illi in dicendo vis, & gratia è cælo
adfuit, támque ingens de illo Sanctitatis opinio apud omnes percrebuit: vt odia
omnia, ac inimicitiæ quantumlibet inueteratæ, eo audito, ab Vrbe effugarentur.
Neapoli itidem, dum pium quoddam opus, quod in Vrbe inſtituendum erat, pro
ſuggeſtu, audientium pietati commendaſſet; vnico eleemoſynæ quæſtu quinque
millia aureorum pondus ab iis impetrat; quo ſacrum opus perfectum fuit.

XXI. At neque minorem, apud Fratres, ſibi in hac Religionis adminiſtratione, exi-
ſtimationẽ comparauerat: in qua cùm admirabilem mentis prudentiam; atque in
his, quæ ad Religionis propagationem, tum Regulæ obſeruantiam ſpectabant,
haud vulgarem zelum, ac diligentiam oſtenderet, neque tandem alienam à virtu-
te vitam exhiberet; omnium ſibi fratrum animos, gratiámque conciliauerat. His
accedit, quòd in viſitationibus tam ardenter, atque opportunè de Regulari ob-
ſeruantia, de Euangelica perfectione, de ſectandis Sanctorum veſtigiis, de Pau-
pertate, ac cæteris virtutibus diſſerebat, vt vniuerſos ad ſpirituales profectus com-
pelleret.

*In Religionis adminiſtratione prudens ab omnibus habetur.*

XXII. Hanc, aut veram, aut fictam virtutum ſpeciem, cùm Ochinus omnium con-
ſpectibus obiiceret, ſolam interioris hominis labem, ſi quæ erat, Deo occultare non
poterat, qui cordium inſpector eſt, & vniuerſa, quæ aliorum oculis abſcondita
ſunt, rimatur.

XXIII. Poſtremò, hoc anno vitæ penſum Verulis abſoluit, Franciſcus Quignonius
Cardinalis Ordinis Protector: quem poſt duos annos, in eodem munere ſecutus
eſt, Rodulphus Pius Cardinalis Carpenſis à Paulo III. Pont. anno 1538. in Car-
dinalium numerum relatus.

HIC, qui ſequitur, Annus milleſimus quingenteſimus quadrageſimus primus, præter res domeſticas, & nonnulla ad Generalia Comitia, quæ hoc Anno in Vrbe Neapolitana celebrata ſunt, ſpectantia, pauca admodum alia Hiſtorica complectitur: quo fit, vt in eo explicando, & ſtylum colligere, & breuiores eſſe compellamur. I.

Senenſis igitur, cùm toto præcedenti triennio, Religio- I I.
nem tanta prudentia, conſilio, Regularis Obſeruantiæ zelo, ac diligentia adminiſtraſſet; vt maximam apud Fratres laudem, ac nominis exiſtimationem conſecutus eſſet: hoc Anno, circa Feſtum Pentecoſtes, quartum Generale Capitulum, Neapoli in Conuentu S. Euphebij indicit. Florebat tunc Capucinorum Religio quamplurimis Viris, & vitæ integritate, & ſingulari eruditione, nec non conſilij, ac prudentiæ magnitudine clariſſimis; quorum probata, ac ſpectata virtus, maximo Religionis adiumento eſſe poſſet: inter quos præcipui eminebant Bernardinus Aſtenſis, Franciſcus Æſinus, Euſebius Anconitanus, & Thomas Tiphernas, qui omnes Generalatus deinde, poſt Senenſem, Officio functi ſunt. Veruntamen cùm tantũ eſſet Senenſis apud omnes nomen, & exiſtimatio; vt præter vnum Bernardinum Aſtenſem, omnes conſilio, grauitate, experientia, auctoritate apud Pontificem, atque alios Principes; gratia quoque ac prædicationis virtute antecellere videretur; eò factum eſt, vt cùm primum Comitia celebrari cœperunt; Bernardino Aſtenſe ſeipſum à Generalatus Officio, ob pleraque corporis incommoda, quibus afficiebatur, excuſante; Senenſis in eo munere, omnium ſuffragiis, confirmatus fuerit.

*Bernardinus Senenſis, in Generalatus munere confirmatur.*

Obſtitit ille Electioni: vt quædam M. S. ferunt; auditáque ſui in eo munere III.
confirmatione, mox aufugit: neque ad ipſius aſſenſum vlla ratione adduci poterat; donec Bernardinus Aſtenſis, Hieronymus à Montepolitiano, ac cæteri, qui in Definitores electi fuerant; eidem conſenſum perſuaderent: ac tandem Electores vi raptum, atque inuitum ad Capitulum raperent: Verè ne, & ex animo; an ſimulatè id ageret; poſthæc nonnullis dubitare licuit. Alij enim antiquam ambitionis labem, quæ iamdiu illius animum occupauerat, perpendentes; hæc ficto tantùm animo, ab eo geſta eſſe cenſent; vt eò faciliùs ſe ab omni honoris cupiditate alienum oſtentaret: maiorémque ex ficta virtute, apud omnes laudem ſibi quæreret. Sæpè enim ambitioſa mens ab ea, quam maximè expetit, dignitate aliena vult videri.

*Bernardinus Generalatum cur reſpueret, variæ examinãtur cauſæ.*

Alij verò horrendum ipſius caſum, qui ſequenti Anno accidit, altiùs animo re- I V.
petentes; in oppoſitam potiùs ſententiam declinant; Eúmque tunc reuera ab eo Generalatus munere abhorruiſſe ſentiunt, cùm iam grauiori hæreſis ſcelere, vt putant, animum contaminaſſet. Etenim cùm venenatum Babylonicæ meretricis calicem iam animo hauſiſſe exiſtiment: qui omnem ab eo Catholicæ veritatis guſtum expulerat: quidni Catholicæ, ac Seraphicæ Religionis quoque dignitas illi nauſeam, ac vomitum moueret? Præſertim cùm ſe diu illa minimè frui poſſe animaduerteret. At qualecumque illius in hac re conſilium fuerit; id diuinis oculis diſpiciendum relinquimus. Illud tamen omninò certum eſt; Senenſem hactenus, nullum hæretici hominis ſignum voce, aut ſcripto prodidiſſe. Cùm verò ea ſit







hæreſis natura, vt confeſtim velut cancer ſerpat: neque diu hæc virulenta contagio in animo celari queat, (mobile enim malum eſt) quin in externã faciem erumpat. Hinc aliorum quoque ſententiam minus rationi conſentaneam ducimus; qui Senenſem, antequam ad Reformationem accederet, hæretico vitio labefactatum exiſtimant. Nam cùm nihil violentum diuturnum eſſe poſſit; quo pacto is per octo, & amplius annorum ſpacia, quibus inter Capucinos vitam duxit, hæreſim ſub pectore premere, ac cohibere potuiſſet, quin foras erumperet? Id enim tam difficile eſt, quàm ſi ignẽ clam diu in ſinu coneris abſcondere: qui vt ipſa aduſtione, ac praui odoris afflatu, ſeipſum prodat, atque ad omnium olfactum pertingat, neceſſe eſt.

*Ochinus ante hunc annum ab Hæreſi excuſatur.*

V. Senenſem igitur, hactenus hæretica labe infectum eſſe, quandoquidem nihil aut cogit, aut ſuadet exiſtimare: eum ab hac animi peſte eò lubentiùs, ad hoc vſque tempus, liberum cenſemus; quòd in hac Neapolitana Vrbe, in qua Comitia coacta fuêre, hoc primùm anno, illum hauſto hæreſis veneno; velut Circeo poculo, ex religioſo homine in hæreticum monſtrum mutatum, deprehendimus. Id verò, quo pacto acciderit, ita narratur.

VI. Solutis Comitiis, cùm Senenſis Neapoli per aliquod tempus pedem fixiſſet, accidit; vt cum Hiſpano quodam Iuriſperito, qui Valdeſius, vulgari cognomine appellabatur; arcto neceſſitudinis vinculo coniungeretur. Qui cum animo corruptus, atque hæreticus eſſet; velut alter Satanæ miniſter, in Agro Domini, clam tamen, Hæreſum zizania ſeminabat. Vir hic, legum peritia ac multiplici doctrina imbutus, adeò conſilio, ac rerum agendarum prudentia, in ea Vrbe florebat: vt celebre ſibi apud omnes nomen comparaſſet: ita vt vniuerſi ad eum, velut ad Mineruam confugerent. Huius viri fama Senenſis permotus, vix prima cum illo colloquia habuit; quum eum cordatum virum, ac multarum rerum peritia ornatum deprehendens, familiariùs eo vti cæpit: denique eò familiaritas excreuit, vt illum ſibi amiciſſimum compararet.

*Valdeſius Iuriſperitus Hiſpanus clam Hæreſim diſſeminat.*

VII. At quoniam ea eſt hæreticorum hominum calliditas, vt non ſtatim, neque apertè venenum porrigant: ſed ſenſim, ac latenter (Gregorio teſte) malis bona permiſceant, quò faciliùs ſenſui auditoris illudant. Quemadmodum, qui alicui veneni poculum propinat, ora poculi mellis dulcedine intingit; vt dum, quod dulce eſt, primo attractu delibat, etiam illud, quod mortiferum eſt, abſorbeat. Vir ille non feſtinatò, aut palàm, Senenſi hæreſim propinat: ſed captato primùm amicitiæ fœdere, tum frequentis, ac familiaris colloquij ſuauitate, velut quodam Lenocinio, illius animum demulcens; ſubdolam, ac fallacem in primis nouæ cuiuſdam, atque è Cœlo delapſæ veritatis ſpeciem, tanquam ab imis tenebris hauſtam, reuera tamen à tenebrarum Patre profectam, illi animo aſpectandam obijcit: vt antiquam Catholicæ Eccleſiæ veritatem, priùs illi in ſuſpicionem, dein in odium, poſtremò in deteſtationem adducat. Semel enim profligata veritate, facile eſt deinde errorem pro veritate, pro fide perfidiam, hauriendam proponere. Non is noua, atque aliàs inſolita, ſed communi prorſus hæreticorum arte vſus eſt; de qua his verbis ſcribit Cyprianus. *Rapit Diabolus* (inquit) *de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit; vt cùm Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes Chriſtianos ſe vocent; & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment; blandiente aduerſario, atque fallente; qui ſecundùm Apoſtoli vocem, transfigurat ſe, velut Angelum lucis; & Miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ; aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti: vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.*

Greg. lib. 5. Mor.

*Ochinus à Valdeſio quomodo Hæreſim hauſerit.*

Cyprian. de vnit. Eccleſ.

VIII. Hanc Tartarei fulgoris caliginem, à tenebrarum Principe, qui plerunque (Apoſtolo teſte) ſe in Angelum lucis transfigurat, adminiſtratum: vix miſer Senenſis animo hauſit; cùm protinus falſo hoc lumine obcæcatus, Catholicam Eccleſiã altis tenebris demerſam ſibi cernere videtur; antiquas omnes illius veritates iã ſuſpectas

habet;Romanæ Religionis à Fide lapſum,turpémque in ea Scripturarum abu ſum ſibi iam animo perſuaſum, velut ſtupidus miratur! Pontificum, ac Conciliorum Decreta,omnia in dubium reuocat;Romani Pontificis poteſtatem iam ſibi fictam, ac commentitiam prædicari patitur: nouos Fidei articulos in Romana Eccleſia confingi, haud diſſentit. Quæ de Purgatorio igne, de Indulgentiis, de Inuocatione, & Interceſſione Sanctorum, de Sacrificio Miſſæ, de Sacris Imaginibus, atque aliis Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus, à Patribus traduntur, ad examen prouocat. Denique vniuerſa Fidei Catholicæ placita, tunc primùm in ſuſpicionem,ac dubitationem vocat: nec infelix fallentem ſe Dæmonem agnoſcit; neque impietatis doctorem, hæreſis venenum ſub melle latens, ſibi propinantem animaduertit.

*Cypr. vbi ſup.*

Cypriani vox eſt, plus metuendum eſſe inimicum,quum latenter obrepit;quum IX.
per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit; quàm cùm ſe apertè aduerſarium profitetur. Sed cùm incautus hoſtem, velut ſibi amiciſſimum amplecteretur: quo pacto illius tandem vulnera effugere poterat? Verùm inter has vehementes animi ſuſpiciones,ac de tota Fide dubitationes, cùm Senenſis mens adhuc fluctuaret; ac velut procellis agitaretur: vt ab hac tandem tempeſtate, quam Catholica veritas aduersùs propinatum errorem concitabat, illius animus liberetur; atque in profundum naufragium demergatur:curat verſipellis ille hæreſis doctor, vt vtriuſque Martini, Buceri, & Lutheri libros, necnon nouam Ioannis Caluini Inſtitutionem, quæ anno 1534. Baſileæ, typis excuſſa fuerat; atque alia veterum Hæreticorum volumina, quæ illi clam legenda offert, præ manibus habeat, ac volutet: nihilque operis, aut officij prætermittit, quæ Hæreticorum prudentia eſt; quò miſerum à Catholica Fide omninò alienum præſtet. Acquieſcit Diabolico conſilio nouitatis amator, peſtiferos euoluit libros; ex quorum contactu, ac lectione peſtiferam tabem contrahit; hæreſim perfectam ebibit; errores iam in animo conceptos gignit;ac demùm ſe ex Catholicæ Eccleſiæ filio,alienum,profanum, hoſtem,ſaltem animo conſtituit: ac tandem infelix ſuopte vitio ſibi exitium parat.

*Ochinus Caluini, & Lutheri libros legit, ac venenum ſuggit*

Quòd ſi ipſius lapſus diligentiùs cauſam inquirimus; quandoquidem id cer- X.
tum eſt, neminem repentè peſſimum fieri: miſerum planè non vno, ſed pluribus gradibus, in hæreſis abyſſum deſcendiſſe, perſpectum fuit; quos hoc loco diſtingui Locus, ac Hiſtoriæ candor depoſcunt.

*Orationem intermittit, & res diuinas nauſeat.*

Primus igitur gradus fuit. Orationis intermiſſio. Cùm enim homini præſertim XI.
Religioſo,ad Dæmonum tẽtationes propulſandas, quibus illi tum Spem,tum Charitatem, ac reliquas virtutes; tum maximè Fidem, quæ omnium radix, ac fundamentum eſt, oppugnant; Oratio adeò neceſſaria ſit; vt abſque illa, victoriam de Tentatore ſperare, prorſus inane videatur; Domino præſertim atteſtante, apud Matthæum: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Et apud Lucam: *Oportet ſemper orare,& nunquam deficere.* Atque adeò, qui ea deſtituti ſunt, velut inermes, ad bella procedentes, in bello occumbere neceſſe ſit. Vndique ſiquidem in nos armati hoſtes, conſerto agmine,tentationum tela contorquent; &,vt Athanaſij verbis vtar: *Hoſtile illis contra omnes Chriſtianos, maximè verò contra Monachos, & Virgines Chriſti odium eſt: eorum ſemitis laqueos tendunt, eorum mentes impiis, & obſcænis cogitationibus nituntur euertere. Et cùm in omnium virtutum ſtructuram vires ſuas exerant: potiſſimum verò ipſum Fidei fundamentum ſtudent euertere. Horum vocem in Pſalmo audimus exclamantium: Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Et quidem cùm niſi orationi inſtantes, teſte Apoſtolo, ignita eorum tela euadere, aut extinguere haud valeamus: hinc Martialis Apoſtolorum diſcipulus; *Oratio vobis neceſſaria eſt,* inquit: *Inſtantes itaque orationi inſtate quotidie, quia aduerſarius veſter in circuitu quærit, vt fera peſſima, quem ex Ouibus Dei dilaceret, qui maximè per Fidem ſtabilem, & orationem puram fugit.*

Matth. 26. Luc. 18.

S. Athanaſ. in vit. D. Anton.

*Oratio ad Diaboli victoriam neceſſaria.*

Pſalm. 136.

S. Martial. Ep. ad Tholoſ. c. 15.

D. Bern. de modo bene uiu. ſerm. 49. de orat.

*Orationis vis, ac neceſſitas.*

Denique cùm ex D. Bernardi ſententia, Oratio frequens Diaboli iacula ſub- XII.





moueat: quotidiana Diaboli tela exuperet, primáque virtus ſit,aduersùs tentationum incurſus. Oratio denique ſuperet tentamenta inimicorum, & Dæmones vincat: haud ſanè mirandum eſt, quòd Vir infelix, primum inde ſibi ad caſum gradum parauerit: quandoquidem hoc tempore, prætermiſſa orationum aſſiduitate, ac velut proiectis armis, quibus hactenus aduersùs fidei hoſtes dimicauerat; iis ſe vltrò captiuum dedidit. Cúmque ex quotidiana oratione, velut ex cæleſti quodam radio, lucem ad errorum tenebras diſcernendas hauriret: vix ea deſtitutus, illius mens, velut tenebris demerſa, in Fide caligare cœpit.

*Ochinus ob intermiſſam orationem à pleriſque corripitur.*

XIII. Etenim (quemadmodum ex noſtris Monumentis M. S. accepimus) poſthæc Senenſis adeò ab oratione, à Chori frequentia, atque à diuinis rebus abhorruit: vt non ſemel à complurimis Fratribus, qui eam in Generali diuinorum negligentiam indignè ferebant, correptus fuerit. Inter hos fuit Fr. Albertus à Neapoli, Vir ſummæ integritatis, ac zeli; qui cùm illum, neque ad Horas Canonicas, neque ad quotidianas orationes, cum aliis in Choro, vt priùs, conuenientem videret; ingenua quadam ſpiritus libertate fretus,ad eum inquit. Quid eſt,Pater,quòd res diuinæ, atque adeò oratio ipſa (vt videtur) tibi nauſeam mouent? Plurimis ſcandalo es: caue, ne te Religio euomat. Alter quoq; F. Auguſtinus Senenſis, Laïcus ſpiritu clarus, cùm illum abſque orationis præſidio Religionem adminiſtrare cerneret,hoc ſemel lepido apophtegmate excepit. Tu mihi, Pater Generalis, quũ ſine Oratione ad Religionis adminiſtrationem procedis, eos imitari videris, qui abſque ſtapedibus equitant: Vide, ne corruas. Id cùm Ochinus, ſibi à ſimplici Viro dictum, nimis ægrè tuliſſet, enixus eſt, ab eo, quis illum ad id dicendum impuliſſet, addiſcere. At ille. Mea, inquit temeritas, Pater, mea me præſumptio impulit. Neque aliud ab eo extorquere potuit. At qui Auguſtini ſanctitatem nouerant, id illi proculdubio à Deo reuelatum eſſe exiſtimarunt. Denique & ipſe Bernardinus Aſtenſis cùm eum diuina faſtidientem animaduerteret, ſemel ipſum benignè corripuit, monens, vt qui alios gubernaret, ſeipſum non deſpiceret: Religionem quoque meliùs oratione, quàm humana prudentia adminiſtrari affirmãs, ad meliora prouocabat. Cui Ochinus his verbis reſpondit. An ignoras, Bernardine, quòd non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere. At certè miſer ſuò exemplo didicit, quàm præpoſterè illius ſententiæ ſenſu abuteretur: quámque à benefacto alienus ſit, qui ab oratione, cùm res, ac neceſſitas poſtulant, animũ reuocat.

*Ceſſat bene facere, qui ceſſat orare.*

*Ochinus ab horis Canonicis recitandis, à Pontifice abſoluitur.*

XIV. Denique poſt id tempus,cùm & diuina negligeret, atque adeò ſuſceptam Religionis adminiſtrationem faſtidiret: vt ipſum quoque Fratrum conſortium illi tædium afferre videretur: totum ita ad Principum negotia gerenda animum contulit; vt cùm nec ipſas Horas Canonicas præ negotiorum frequentia perſoluere poſſet; eo poſtulante, à Pontifice, quominùs diuina Officia recitaret, abſolutus fuerit. Hoc pacto profligata oratione, ac pulſo cæleſtis luminis ſplendore, in eas cæca Ochini mens mox tenebras demerſa eſt, quæ in maiores adhuc tenebras ducerent; ac ſecundum illi,ac propiorem,ad mentis corruptionem,gradum extruerent.

*Hæreticorum familiaritas vitanda.*

XV. Is porrò fuit Heretici hominis amicitia,ac familiaritas,qua mens illius corrupta, ac conſtuprata, tandem Apoſtaſiam à fide peperit. Neque enim fruſtrà Apoſtolus, Hæreticorũ familiaritatem fidelibus interdicens, ait. *Hæreticum hominem poſt vnã & ſecundam corruptionẽ deuita: ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt.* Nec immeritò Catholica Eccleſia,ab Hæreticorũ cõmunione, apud ſacros Canones abſtinendum iubet. Nam cùm ij Eccleſiæ inſidiatores,ac veræ Fidei corruptores ſint,qui ſemper ad fidelium ſubuerſionem tendunt; ac velut peſtifera tabe infecti, Chriſti gregem inficere ſtudent; ab iis ſummoperè cauendum eſt. Hinc Clemens Petri diſcipulus, ac Pontifex ita monet; *Impios Hæreticos, non pænitentes diſcludite, & ſemouete à fidelibus; & eis Eccleſiam Dei interdicite, vt omnibus modis ab eis declinent: neque vlla ſit cum eis ſermonis, aut precationis communitas. Hi enim ſunt aduerſarij, & inſidiatores Eccleſiæ, qui corrumpunt Gregem, & fœdant hæreditatem; ſapientiæ ſimulatores, toti improbi,*

Ad Tit. 3.

Cap. ſicut. & Cap. fin. de Hæret.

Apoſt. Conſt. l. 6. c. 18.

*Hæretici Eccleſiæ, & Chriſtiani Gregis inſidiatores.*

Prou. 14. Eccl. 13.

*de quibus ait Salomon. Qui impij ſunt, ſimulant ſe pios eſſe. Eſt enim, inquit, via, quæ quibuſdam videtur recta: extrema verò eius ſpectant ad profundum Inferni.* Quapropter his, qui Apoſtolica, atque Eccleſiaſtica iuſſa contemnentes, huiuſmodi hominum familiaritate delectantur, id euenire neceſſe eſt, quod Sapiens præcauet. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea:* quod miſero Ochino plane eueniſſe cernimus.

*Librorũ prohibitorũ, lectio pernicioſa.*

XV. Hic verò gradus tertium peperit, nimirum, librorum prohibitorum lectionem, quæ propinatum errorem, vberiùs illi in animo confirmauit, ac profundiùs inſculpſit. Quamobrem haud fruſtrà Apoſtolicis, atque Eccleſiaſticis Decretis cautũ eſt; ne huiuſmodi libri, qui hæretica doctrina, velut tabe, reſperſi ſunt, in fidelium manibus verſentur: ſed publico potiùs igne conflagrentur. Ita enim Act. 19. legitur: *Multi autem ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt eos coram omnibus.* Extant præterea Nicenæ Synodi primæ, & ſecundæ Decreta, Auctore Nicephoro; & Imperialia Conſtantini Magni edicta apud eundem. Theodoſij quoque ac Iuſtiniani Conſtitutiones, quæ in quinta Synodo generali, de Hæreticorum libris hæc ſtatuunt. *Nemo eos Codices audeat legere, poſſidere, aut ſcribere, quos oportet omni cum diligentia inquiri, & vbicunque inuentos, publicè coram omnibus comburi.* Eadem quoque à Iuſtiniano, nouella Conſtitut. 42. à Theodoſio Seniore Epiſt. ad Iſid. præfect. à Synodo Chalcedonenſi act. 3. & C. de Manichæis. l. quicunque Decreta habentur; quæ, quantoperè Hæreticorum librorum lectio cuique pericuIoſa ſit, abundè declarant. Cùm enim Hæreticorum libri, teſte Nazianzeno, nihil præterquam venena ſint, quæ ad Fidei perniciem tendunt: ac præterea longa temporum experientia comprobatum ſit; ex Hæreticorum voluminum vſu, ac lectione, velut ex rerum peſtiferarum contrectatione, non mou rudibus; ſed ſæpè etiam doctis, ac peritis hominibus, ſubuerſionis periculum imminere: quid mirum; quòd inde ſibi hunc ad lapſum gradum Senenſis ſtruxerit? cùm eos ſibi, ab hæreſis Doctore prolatos, curioſiùs legere, atque attenti-ri animo volutare cœpit?

Act. 19. Niceph. l. 8. c. 18. & 25. Synod. 5. gen. collat. 5. Iuſtin. Nouũ. Conſtit. 42. Theod. Sen. epiſtol. ad Iſid. præf. Synod. Chalced. act. 3. C. de Manich. l. quicunque.

*Hæreticorum libri ſunt Animarum venena.*

*Nouitatis ſtudium Hæreſis ſeminarium.*

XVI. Hinc quartum illius caſus gradum colligimus; quem ex damnato iam olim ab omnibus, Nouitatis ſtudio, ſibi miſerè cõparauit. Quid enim eum ad hæretici illius amicitiam, ac familiaritatẽ compulit? Quid in ea ſtabilem ac immobilẽ fixit? Quid illius ſermonibus delectari, aut dictis fidem adhibere perſuaſit? Quid tandẽ Hæreticorum libros reuoluere, curioſiùs inueſtigare, ac demum ex his hæreſis venena ſuggere, præterquam nouitatis ſtudium docuit? Equidem Nouitatis ſtudium, hæreſum omnium parentem eſſe, olim monuit Apoſtolus, cùm ad Timotheum ſcribens ait. *O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes exciderunt à Fide.* At quænam ſint profanæ iſtæ vocum nouitates, quas deuitandas docet Apoſtolus; præclarè explicat Vincentius Lirinenſis. *Quid eſt* (inquit) *profanas? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt Templum Dei, penitus extraneas. Profanas* (ait) *vocum nouitates; Vocum, ideſt dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ.* Nihil hoc nouitatis ſtudio pernicioſiùs eſſe, inde cuique exploratum eſſe poteſt; quòd nulla vnquam hæreſis, præterquam ex profana huius nouitatis cupiditate ebulliuit. Nemo hæreſim amplexus eſt, qui priùs antiquæ fidei bellum non indixerit, atque à priſca ſe Eccleſiæ Religione non diſſuerit. Denique hoc apud omnes hæreſes ſolemne eſt, atque legitimum: vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per falſi nominis ſcientiam, à fide naufragos efficiant.

Timoth. 6. Vinc. Lirin. aduerſ. Hær. c. 33.

*Nouitatis ſtudiũ quàm pernicioſum.*

*Eccleſiæ depoſitum duntaxat cuſtodiendum.* Vinc. Lirin. adu. Hæreſ.

XVII. Id Senenſis ſuo caſu totam poſteritatem præclarè docuit: dum præter id, quod ſemel acceptum eſt, & ab Eccleſia traditum, aliud temerè inquirere voluit: inde enim, & caſus, & hæreſis illi orta: quandoquidem, non quod depoſitum eſt, iuxta Apoſtolum, cuſtodire: ſed quod temerè inuentum, ac ſuppoſitum, pro fide colere maluit. At qui certam, ac tutam fidei regulam ſequi volunt, Lirinenſem egregiè docentem audiant. *Quid eſt depoſitum?* (inquit) *id eſt, quod ſibi*





*creditum, non quod à te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ: non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non Auctor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non docens, ſed ſequens. Depoſitum* (inquit) *cuſtodi, Catholicæ Fidei talentum inuiolatum, illibatúmque conſerua. Quod tibi creditum eſt: hoc penes te maneat; hoc à te tradatur: aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia ſubijcias: nolo pro auro, aut imprudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas.*

Tertul. de Præſcr. Heret.

XVIII. Quintus porrò illi ad caſum gradus fuit Animi leuitas. Quis enim eum aut grauem, aut prudentem virum eſſe exiſtimet, ſi Tertulliano credimus, quem hæreſis potuit demutare? Equidem, qui antiqua fide cum noua commutata, nouis ſe doctrinis abduci ſinunt; eò ſanè ſe leuiores produnt, quòd nulla mentis conſtantia præditi, ab eo, quod illos vocauerat, in gratiam Chriſti, in aliud Euangeliũ mira leuitate transferuntur: & noua cuiuſdam veritatis ſpecie deluſi ab antiqua fidei veritate, quæ ſemper Catholicorum fuit, ſe auelli patiuntur. Quamobrem Cyprianus, *Nemo*, inquit, *exiſtimet, bonos de Eccleſia poſſe diſcedere: Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.* Animi leuitas Arrium, Nouatum, Baſilidem, ac cæteros antiquos Hereticos perdidit. Eadem Bucerum, Lutherum, Caluinum, ac reliquos Neothericos Hereſiarchas diſperſit. Quid mirum, quòd & Ochinum cum his quoque velut leuiſſimam paleam rapuerit.

*Leues animo ad Hæreſim procliues.*

Cypr. de vnit. Eccleſ.

XIX. Sextum verò gradum, huic affinem, miſero ædificauit: Superbia, quæ cùm omnium hæreſum mater ſit; teſte Auguſtino, Senenſem quoque à vera fide exortem præſtitit. Quænam enim hæc Superbia eſt, vt tantillus homo totius Eccleſiæ, atque Orthodoxæ fidei iudicem vltrò ſeipſum conſtituat? Atque antiqua doctrina, ac fide proſcripta, ſupra Eccleſiam, ſupra Patres, ſupra Concilia, ſupra omnium Theologorum ſenſum, denique ſupra totius Orbis Chriſtiani conſenſum, ſolus ſapere præſumat, ac noua dogmata pro fide ſibi colenda proponat? Equidem haud mirum eſt, quòd tantus animi tumor in hæreſum tandem ſaniem erumpat. Vox enim Pauli eſt: *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ: ſuperbus eſt, nihil ſciens: ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui à veritate præuaricati ſunt.*

Aug. de Paſtor. c. 8.

*Superbia omniũ Hæreſum mater.*

1. Timot. 6.

XX. Poſtremò denique gradu, Senenſis ſibi viam ad lapſum ſtrauit, cumulata quadam Animi Malitia, ac maxima peccatorum mole; quæ illum in hæreſis tandem barathrum demerſit. Cùm enim (teſte Plutarcho) à magnis ingeniis, vt magnæ virtutes, ita vitia etiam magna proficiſcantur. Illud quoque certum eſt ex Hieronymo, Neminem facilè hæreſum Auctorem eſſe, qui ardentioris non ſit ingenij, ac maiora naturæ dona non acceperit. Quapropter ſæpenumero fit; vt hi ipſi, qui externa facie boni, ac probi ab hominibus iudicantur, maximis vitiis in animo laborent; atque hi, vt plurimùm, ſunt; qui in hæreſim, quæ vitiorum omnium excrementum eſt, labuntur. Ex quo id nobis licet conijcere: Ochinum non ſtatim in hæreſim prolapſum fuiſſe: ſed ingenti quodam vitiorum, quæ intus in animo latebant pondere preſſum, plurimis flagitiorum gradibus, tandem in eam ſe præcipitem dediſſe.

*Confirmata Malitia Hæreſim ſtruit.*

Plutarch. in Demetrio.

Hier. l. 2. in Oſe. cap. 10.

XXI. En, quibus tandem gradibus infelix ad malorum extremum, Deo ſcelera vlciſcente, deſcendit, quos minimè reticere æquum fuit: nedum lapſus cauſas tacemus, minus & Hiſtoriæ grauitati, & legentium vtilitati conſulamus: & dum nota ſcelera non arguimus, errorem probare videamur.

XXII. Veruntamen hoc ipſo anno, dum hic ruinam ſibi, ob ſuperbiam parat: alter ſibi, humilitate, viam ad Cælum ſternit. Senenſis dum Eccleſiam matrem habere contemnit, à Dei filiatione expellitur: neque enim (teſte Cypriano) Deum Patrem habere poteſt, qui non habet Eccleſiam Matrem. At verò Fr. Humilis

Cypr. de vnit. Eccleſ.

Offidanus, in S.Eccleſiæ gremio diem extremum agens, in libertatem gloriæ filiorum Dei vendicatur.

*F. HVMILIS Offidani Vita, & Geſta.*

Magnus in hoc viro (vbi primùm à Ludouico Foroſemproniano Religioni fuit XXIII.
adſcriptus) virtutum ſplendor eluxit: de quo, etſi pauca ſcriptis exarata habeantur; amplior tamen illius Sanctimoniæ olim apud omnes fama fuit. Quæ verò memoriæ commendata ſunt, tam mutilatè, ac imperfectè traduntur, (quod ſæpè primis horum temporum Scriptoribus accidit) vt plura ſint, quæ ab iis deſiderantur, quàm quæ ab ipſis commemorantur. At aliquid eorum temporum humilitati condonandum eſt, non Scriptorum vitio dandum, quibus non Hiſtoriam texere, ſed paucorum duntaxat geſtorum notulas conficere, propoſitum erat: in quibus ſæpè nec genus, nec patria; interdum etiam nec loca, in quibus res geſtæ ſunt, à tenebris vendicantur; quare haud vlli mirum videri debet, ſi quæ imperfecta nobis conſignata ſunt, minùs quoque integra à nobis reddantur.

Humilis igitur Sacris initiatus, ac Sacerdos inunctus, vt res ipſa nomini reſpon- XXIV.
deret; tanta præ cæteris humilitate, ac ſuiipſius contemptu affulgere cœpit: vt nihilo magis, quàm ſuiipſius deſpectu, ac contemptu, oblectari videretur. Eo fiebat, vt cùm cunctos honore dignos, ſe ſolum ignominia afficiendum exiſtimaret, vniuerſis abſque vllo perſonarum delectu, promptiſſimè ſibi obſequendum putaret. Profundis itaque in vera humilitatis virtute, perfectioris vitæ iactis fundamentis; ne ea aliquando flante tentationum turbine ſubruerent; Orationis ſtudio, atque aſſiduitate muniendam cenſuit: Cuius idcirco tantoperè ſtudioſus fuit, vt omnem temporis partem, quam in Obedientiæ, aut charitatis officiis non impendebat; in Oratione, ac præſertim in Dominicæ Paſſionis contemplatione expenderet: hanc diu, noctúque ſibi amicam, & familiarem conciliabat: hanc vberrimis ſemper lachrymis proſequebatur: illúdque Bernardi conſilium altè animo retinebat, monentis: *Sit tibi Ieſus ſemper in corde: & nunquam Imago Crucifixi ab animo tuo recedat, hæc tibi ſit cibus, & potus, dulcedo, & conſolatio tua: mel tuum, & deſiderium tuum, lectio tua, & Meditatio tua, Oratio & contemplatio tua; vita, mors, & reſurrectio tua, ſemper cogita illam.* Atque hæc antiqua ſemper fuit, huius Religionis pietas, quam à B.Franciſco Parente, velut hæreditate tranſmiſſam, accepit: vt Chriſti vulnera, ac Paſſiones, olim, atque etiamnum filiis, ſumma Religione, ac iugi memoria proſequenda proponat: quò iuxta Apoſtoli conſilium, Recogitantes eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduersùs ſemetipſum contradictionem: non defatigemur, viribus noſtris deficientes, Etenim teſte Iſidoro. *Si Paſſio Redemptoris ad memoriam reducatur; nihil tam durum eſt, quod non æquo animo toleretur.* Nemo vacantem, nemo confabulantem, otioſum nemo vnquam vidit. Illúdque illi ſæpè in ore verſabatur. Cui multa agenda incumbunt, otio vacare haud poſſe. Perpetuum ſiquidem illud ſibi opus exantlandum ſentiebat, quo Euangelicæ perfectionis faſtigium ex Regulæ, ac Minorum Inſtituto, ſibi conſcendendum præſtituerat. Idcircò Fratrum, vt plurimùm, conſortia fugiens, Orationis, quam velut precioſiſſimum animi theſaurum habebat, cum primis ſtudio vacabat.

*Profunda illius Humilitas, ac virtutes deſcribuntur.*

S. Bern. in l. form. hon. vitæ.

Ad Hebr. 12.

S Iſid. lib. de ſumm. bon.

Ad prædicationis munus vocatus, cùm totus Dei charitate flagraret, tam fer- X X V.
uenter Dei Verbum diſſeminabat; vt & audientium animos ardentiùs ad virtutem accenderet, & ſumma ſæpè odia, ac inimicitias extingueret. Prædicationem verò non Rhetorum eloquẽtia; ſed tam ſingularis vitæ auſteritas commendabat; vt cum perpetua pedum nuditate, ac frigoris tolerantia, brumali potiſſimùm tempore, in quo abſque ſandaliis incedens, ſolo habitu abſque tunica vtebatur: carnem premeret, quotidiana quoque ieiunia, quæ ſæpenumero, ac præſertim cùm B. P. Franciſci quadrageſimas ieiunaret, ad ſolius panis, & aquæ victum contrahebat; prolixas itidem in oratione vigilias, ac pleráſque alias corporis macerationes coniungeret; quibus prædicationem ſuam vberrimo ſemper animarum lucro ditabat. Pleráſque hunc Virum à Deo reuelationes, atque alia diuinæ amicitiæ ſigna accepiſſe,

*Plurimas à Deo reuelatione accipit*





communis eo tempore, apud Fratres fama fuit: inter quos haud vulgaris, de illius Sanctimonia, vbique opinio diſſeminabatur.

X X V I. His, & aliis præſtantioris vitæ virtutibus, cùm Humilis animum exornaſſet; hiſque ſedulò, ac fideliter Domino miniſtraret; cum Fr. Antonio Vlyſſiponenſi, Clerico, Neapolim proficiſcitur. Porrò eo tempore, necdum in S.Germani Oppido, quod ad Montis Caſſini radices iacet, Capucinorum Conuentus extructus fuerat: quapropter ad Monachorum S. Benedicti Caſſini Montis diuertentes, ab his humaniſſimè hoſpitio excipiuntur. Vix autem ad Cœnobium appulerant, quum Humilis acuta febri corripitur. Cùm verò morbo ingraueſcente vitæ finem ſibi adeſſe intelligeret: mox ſancta Eccleſiæ Sacramenta poſcit. Atque vbi præclaram vitæ normam, quam eouſque exhibuerat, illuſtrioribus, Patientiæ, Charitatis, ac feruentioris ſpiritus exemplis in morte cumulauit, quibus magnoperè Monachorum animos ad pietatem accendit: rebus humanis valedicens, depoſitiſque mortalitatis exuuiis, ad Superos euolat. Cuius rei, præter vitam ſumma cum virtutum laude tranſactam, illud teſtimonium fuit. Illius enim Corpus, quod in communi Monachorum ſepulchro conditum fuit, cæteris corruptione exeſis, integrum poſt multos annos, ac in nullo à priori ſtatu immutatum, perinde ac ſi eo die tumulatum eſſet, à Monachis conſpicitur; vt vel eo teſtimonio animam apud Deum in Cælo glorioſam agere, ac regnare cunctis exploratum eſſet.

*In Cœnobio Montis Caſſini diem extremũ claudit.*

*Integrum illius Corpus poſt multos annos reperitur.*

XXVII. Hoc quoque anno Frater Ioannes de Via, Laïcus, Regularis Obſeruantiæ, atque integerrimæ vitæ cuſtos, ſupremum vitæ exitum in benedictione ſortitur: de quo Vmbræ Prouinciæ monumenta referunt: quòd cùm ob nonnulla officia pro defunctis Fratribus omiſſa, à Cæli ingreſſu poſt mortem impediretur, Nouitio cuidam deuoto apparuerit, à quo ea pro ſe officia perſolui poſtulauit: quos cùm Nouitius piè, ac promptè exſoluiſſet, iterum illi inter B. P. Franciſcum, & S. Bernardinum medius apparens, cum iis Cælum aſcendere viſus eſt.

*F. IOANNES de Via Laicus Sanctimonia cõmendatur.*

XXVIII. Ac ſub idem tempus, F. Vincentius Calaritanus Laïcus, cùm pleroſque in Sicula Prouincia annos cum virtute, & Sanctimoniæ opinione tranſegiſſet, dum extremo cum morre agone colluctatur, Beatiſſimam Virginem ad ſe venientem conſpiciens, mox in genua exurgens, circumfuſos Fratres ad illius reuerentiam prouocans, expirat, atque ea in Cælum Duce potitur.

*F. VINCENTIVS Calaritanus virtutibus clarus, in morte B. Virginem intuetur.*

ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1542. 8. 24. 18.

*Capucinorũ Religio maxima tempeſtate iactatur.*

I. ADEST Annus Milleſimus quingenteſimus quadrageſimus ſecundus, annus tot tenebrarum caligine reſperſus; tot nimbis, ac turbinibus, quaſi vndoſa Maris procella iactatus; tot luctus, ac mœroris fluctibus penè obrutus: tam denique lugubri, ac triſti rerum ſucceſſu mœſtiſſimus vt cùm in eo Dominus, vix adoleſcentem Reformationem, ad fletum, ad planctum, ad cineres, & ad caluitium vocet; haud fruſtrà illi Vates olim occiniſſe videatur: *Aperi, Libane, portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Vlula, Abies, quia cecidit Cedrus; quoniam magnifici vaſtati ſunt. Vlulate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus. Vox vlulatus Paſtorum; quia vaſtata eſt magnificentia eorum.*

*Zachar. ij.*

II Quid enim Libanus (quæ vox, *Candidum*, apud Hæbreos ſonat) præterquam nouam Capucinorum Religionem, multo hactenus virtutum, ac Sanctimoniæ candore renitentem, præſefert? Quæ cùm tanta Regularis obſeruantiæ, ac Seraphicæ perfectionis apud homines laude floreret; vt in eam cuncti, velut in nouum Orbis prodigium, mentem, oculóſque intenderent; hoc anno, maximo, ac deplorando incendio deuaſtata, ferè ad cineres redigitur. Ignis enim ille, qui olim ſpecioſa deſerti conſumpſit, atque ipſa Eccleſiæ abdita penetrans, quondam Arrium, Donatum, Manichæum, Neſtorium, atque alios hæreticos combuſſit; in huius ſinum erumpens, Cedrum, quæ in ea altiſſimè eminebat, deuorauit. Heu, cui Abieti, quæ Cedrorum altitudinem æmulatur, vlulandum non eſt; cùm altiſſimam Cedrum, quæ Cæli verticem ſua proceritate contingere videbatur, miſero caſu proſtratam cernat? Cui non quercui, tametſi in Baſan, Regione ſcilicet, & Religione pinguiſſima, ac virtutum feraciſſima ſatæ expaueſcendũ erit; quum tam illuſtrem plantam, quæ firma, ac immota videbatur, formidando Dei iudicio ſucciſam, atque euulſam intuetur? Quare haud immeritò Paſtorum vox, ac vlulatus hoc anno auditur, quum gregis Paſtor ſuo occaſu, ac turpi lapſu, eorum gloriæ non mediocres tenebras offundit.

*Ochini Generalis caſus inſinuatur.*

III. Hactenus quidem, ob plurimam, qua Senenſis Generalis apud Pontificem, ac Chriſtianos Principes præſtabat, auctoritatem, & exiſtimationem, Capucinorum Religio nonnulla pace, ac tranquillitate potita fuerat. At breuis pax hæc, ac tranquillitas fuit; quinimmò in hac pace, amaritudo illius amariſſima erupit: nam repentina tempeſtate exorta, ea tam dirè hoc anno iactata fuit, vt vix extremum naufragium euaſerit. Id verò quo pacto acciderit, ſuo ordine explicandum eſt.

IV. Annus Pontificatus Pauli III. iam octauus agebatur, quum Pontifex, qui in publicum Eccleſiæ commodum, maxima ſollicitudine, animum intendebat; vt Chriſtianæ Reipublicæ malis, quibus illa iamdudum vexata, ac propemodum oppreſſa erat, aliqua tandem ex parte mederetur; Generale Concilium, quod priùs Mantuæ, dein Vicentiæ indictum fuerat; demum in Vrbe Tridentina conuocandum ſtatuit: At quanquam Indictionis Bulla hoc anno edita fuerit, haud tamen ante annum 1545. in eo Patres conſederunt. Interea verò dum ea, quæ Concilio neceſſaria ſunt, parantur: Cardinalis Carpenſis, totius Ordinis Minorum Protector à Pontifice conſtituitur: à quo Senenſis, iubente Pontifice, Venetias ad Dei Verbum in ea Vrbe, per totum quadrageſimale tempus, diſſeminandum mittitur.

*Concilium Trident, à Paulo III. conuocatur.*





ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1542. 8. 24. 18.

V. Iam miſer, antequam è Neapolitana Vrbe diſcederet, à ſeipſo diſceſſerat; atque ab Hæretico Doctore ſeductus, corruptiſſimum, atque alienum à Catholica Fide animum gerebat, cùm accepto Pontificis mandato Peruſiam venit. Qui res malas, ac improbas dixit; nullis ſuapte natura terminis contineri; ſed ſubinde moueri, & in maiorem ſemper petulantiam, & improbitatem excreſcere; donec omnem prorſus impietatis modum excedant, haud profectò malè ſenſit. Improbitas namque, quæ ſua ſemper natura veſcitur, quò maior in homine eſt, eò ſemper in deterius proficit. Nihil ſanè hæreſis malo pernicioſius, aut horribilius eſſe poteſt; quod omnem Dei fidem in homine depaſcitur. At illi haud ſatis eſt, potiora in homine bona deprædari, niſi ignis inſtar, non proprias tantùm, ſed alienas quoque ædes deuoret. Hoc pacto Ochinus cùm peſtiferam, ac ſæpiùs confirmatam, hæreticam tabem in mente gereret: haud ſibi eam in animo tantùm latere; ſed in alios quoq; illius ſaniem defluere voluit: vt ſe ex eorũ numero eſſe oſtenderet; de quibus ait Apoſt. *Et ſermo eorum, vt cancer, ſerpit.* Cùm enim Venetias appuliſſet: Quadrageſimaliſq; prædicationis munus, in S. Apoſtoli Eccleſia, quæ illuſtrior illius Vrbis habetur, turbis vndiq; ad eum audiendũ confluentibus obiret: quaſdam inter concionandũ propoſitiones, Hæretica tabe infectas, velut zizania in medio Tritici, diſſeminat: quibus hauſtam animo hæreſim propinare; atque imperitam plebem, ſub emẽtito Catholicæ doctrinæ nomine circumuenire, ac in errorẽ inducere conatur.

*Mala ſemper in peius ſuapte natura proficiunt.*

*2. Timot. 2.*

*Ochinus venetiis prædicans, Hæreſim diſſeminare tentat.*

VI. Erat Senenſis (vt alibi diximus) facundiſſimus ſuæ tempeſtatis Orator: cui, & Religionis Capucinorum nomen, quo non mediocris Sanctitatis opinionem iam ſibi apud omnes comparauerat, & apparens ille virtutum ſplendor, vim plurimam, atque auctoritatem conferebant. Quo fit, vt cùm magna ipſius apud populos exiſtimatio eſſet: iis facilè vniuerſa, quæ vellet, perſuadere poſſet. Sed cùm ea Vrbs, ſi quæ alia, tunc maximè Virorum ferax eſſet, qui ingenij perſpicacitate, prudentia, ac Catholicæ Fidei zelo præcellerent: eo factum eſt, vt quæ ab eo minùs Catholicè dicta fuerant, diligenter adnotata, ad Apoſtolicum Nuntium deferretur (needum enim Sacrum Inquiſitionis Tribunal, quod poſt Tridentinum Concilium erectum fuit, tunc in ea Vrbe vigebat) Veruntamen quandoquidem tanta verſutia, & calliditate Senenſis hæreticam doctrinam ambagibus, atque amphibologiis inuolutam propoſuerat: vt facilè in Catholicum ſenſum detorqueri poſſet. Hinc cùm primùm ab Apoſtolico Nuntio, vt eorum, quæ in ſuggeſtu docuerat, rationem redderet, ad examen vocatur; hæreticas propoſitiones ſibi obiectas, facilè Catholico ſenſu deludit; ac impunis euadit.

*Tanquam Hæreſis ſuſpectus, ad Apoſtolicum Nuntium defertur.*

VII. At verò cùm hæreticæ illius peſtis apoſtemate, tam altè Ochini pectus tumeret: vt iam illius ſaniem, quin ſe ſe effunderet, compeſcere non valeret: iterum venena diffundit, atque in has publicè pro ſuggeſtu voces erumpit. Quid agimus, ô Viri Veneti, quid laboramus? Si eos, ô Vrbs, Maris Regina, qui tibi vera annunciant carceribus mancipas; ſi ergaſtulis claudis, ſi vinculis conſtringis, quis iam veritati locus reliquus eſſe poteſt? Vtinam liberè veritas enunciari poſſet, quot cæci lumen reciperent? Hæc dicta Apoſtolicum Nuncium ſuggillabant, qui non pridem quendam Iulium Mediolanenſem Theologiæ Magiſtrum, ipſi Ochino chariſſimum, ac familiariſſimum, ob hæreſim, qua criminatus fuerat, in vincula coniecerat. Etenim Iulius hic, Neapoli ab eodem Valdeſio, à quo & Senenſis, hæreſim didicerat: quibus cùm Petrus Martyr Lucenſis, alterius Ordinis Predicator, tertius acceſſiſſet. Hi profano, ſeu potiùs Diabolico hoc triplici amicitiæ funiculo copulati, in Catholicam Fidem coniurauerant. Dæmon verò, qui impium hunc funiculum texuerat, ac ſimul colligauerat, coniunctos etiam omnes aliquando ad hæreticos impulit.

*Iterum Hæreſis venena diffundit.*

*Iulius Mediolanenſis Hæreticus.*

VIII. Id itaque cùm Apoſtolico Nuncio relatum, ac certo teſtimonio comprobatum fuiſſet, is protinus Senenſem à prædicationis officio ſuſpendit; ac Pontificem de omnibus certiorem reddit. Ea res Reipublicæ, quæ ob ſingularẽ illius facundiam, atq; in dicẽdo vim, plurimũ Viri ſtudio tenebatur, minùs grata fuit. Quapropter ita

*Senenſis à Prædicationis officio ſuſpenſus Reip. opera reſtituitur.*

cum Apoſtolico Nuncio actum eſt; vt poſt tertium ſuſpenſionis diem, liber ad prædicationem redierit. Senenſis verò Concionatorio muneri redditus, cùm certos à Nuncio exploratores deſtinatos haud ignoraret, qui ſingula dicta ſua diligentiùs obſeruarent; proprium periculum extimeſcens, ab hæretica quidem tandiu doctrina abſtinuit; quoad quadrageſimale penſum abſolueret. Eo verò abſoluto, ſtatim Veronam ſe confert, vbi cùm plurimos ſibi in hæretica doctrina diſcipulos conciliare vellet; collectis vndique ex tota Veneta Prouincia Concionatoribus, minùs in Theologica diſciplina eruditis; quaſi qui eos meliùs, ac perfectiùs, tam in Theologica ſcientia, quàm in Prædicationis officio, ac prædicandi methodo inſtructurus eſſet, ſcholam inſtituit; in qua ipſe infidelem planè Magiſtrum, ac Doctorem ſe exhibet.

*Veronæ B. Pauli Epiſtolas Hæretico ſenſu interpretatur.*

IX. Hoc igitur ſibi munere ſuſcepto, cùm Pauli Epiſtolas ſibi exarandas propoſuiſſet; cœpit impietatis Magiſter in Cathedra peſtilentiæ ſedere; ac tam calida, ac verſipelli rerum, ac ſententiarum corruptione, verum, ac Catholicum ſenſum peruertere; vt hæretica dogmata, his pro certa, ac orthodoxa fide propinaret. At quanquam Vir mente corruptiſſimus: quæ Hæreticorum natura, ac ſtudium eſt, in id totus incumberet; vt vniuerſos, quos ſibi Auditores adſciuerat, in idem, in quod ipſe prolapſus fuerat, Hæreſeon barathrum pertraheret: vix tamen, Deo ſuos ſeruante, id aſſequi potuit; vt pauciſſimos partim falſa rerum apparentia; tanquam recti ſpecie, deceptos: partim propria Magiſtri auctoritate permotos, eò compulerit; vt Hæreſis tandem venenum ebiberint. Magna ſiquidem eſt Magiſtri vis, atque ad perſuadendum auctoritas. Neque enim quis facilè ſibi aſpernandum putat, quod à Magiſtro didicerit, cui animum informandum tradit.

X. Dum itaque Senenſis, Veronæ, Hæreticum Virus omni ſtudio tentat diffundere. Pontifex, qui Apoſtolici Nuntij apud Venetos agentis, atque aliorum literis; rerum, quæ ab eo agebantur, certior fiebat: vix quæ de Senenſi dicebantur, vera eſſe, ſibi in animum inducere poterat. Quamobrem eum Romam aduocandum ſtatuit; haud eo planè conſilio, vt in eum aliqua ratione animaduerteret: ſed vt ab illo potiùs, quæ illi animo ſententia ineſſet, diligentiùs indagaret. Erat Pontifex erga Senenſem vſque adeò animo propenſus: totque in eum ſingularis beneuolentiæ ſigna declarauerat, vt in eam haud pauci opinionem adducerentur, quòd ab eo in Cardinalium numerum breui adſcribendus eſſet. Ob id Pontifex cùm illius honori, & exiſtimationi conſultum vellet, non in vincula conijci, aut publicè Romam, velut hæreſis ſuſpectum euocari vult voluit: ſed humaniſſimè cum eo agens, Cardinale Carpenſe, qui Ordinis Protector erat, accerſito; cum eo rem ita gerendam ſtatuit; vt per Ordinis Procuratorem, ac priuatas illius literas, Ochinum Romam aduocandum curet.

*Pontifex erga Senenſem benè affectus.*

XI. Quamobrem Bernardinus Aſtenſis, qui in ſuperiori Capitulo, Ordinis Procurator inſtitutus fuerat; cùm primùm à Carpenſe Apoſtolicum mandatum accepit; confeſtim ad Ochinum Generalem ſcribens, eum ob res grauiſſimas à Pontifice Romam aduocari narrat: omnémque illi prorſus moram abrumpendam, vt eò celerius, quò fieri poſſit, ſe in Vrbem conferat, per literas ſignificat. Ochinus, accepta Aſtenſis Epiſtola, tametſi ex ea nihil apud ſe ſiniſtrum ſuſpicaretur: attamen, quoniam ſæua ſemper timet praua conſcientia, diſceſſum in dies procraſtinabatur, donec à pluribus ſibi ſuccedentibus literis compulſus, Romam tandem versùs iter arripit. Verona itaque digreſſus, cùm Florentiam perueniſſet, in ea Vrbe Petrum Martyrem Lucenſem, quem Hæretico morbo laborantem ſupra commemoraui, fidum ſibi Achatem offendit: à quo poſt oſcula, & amplexus, ac familiaria colloquia, cùm interrogaretur, quónam tenderet: Romam, inquit Ochinus, quò me Pontifex vocat; ac plerique mihi honores, ac fauſta ominantur. At ille confeſtim. Heu, miſer, inquit, quò pergis? Romam ne? vt in ea canitiem tuam cum dolore ad Inferos deducas? Tu ne illuſoribus aures præbes, qui inauſpicatam tibi dignitatem

*Ochinus Bernardini Aſtẽſis literis Romam euocatur.*





tatem vltrò mentientes promittunt? Quaſi, quid Romæ in tuam perniciem agatur, ignoremus. Quid honores? Quid fauſta tibi fingis? Non tibi Roma triumphos; ſed certos (mihi crede) carceres parat: neque fauſta precatur, ſed inauſpicata tibi pollicetur. Siſte greſſus, & ſi amico credis, eò iter dirige, vbi pura Euangelij veritas liberè coli, ac prædicari queat. Geneuam eundum eſt, vel in Germaniam proficiſcendum, vbi omnia tuta, hic omnia periculis plena. En mihi literas à Saxoniæ Duce, aurúmque ad itineris ſumptus ne dum neceſſarium, verùm, & vtrique vberrimum, quid vltra cunctandum?

XII. His perterrefactus Ochinus, cùm amico fugam perſuadenti, ſibi meliùs parendum duceret: mox mutato conſilio, à Romana profectione animum reuocat, atquè ad Hæreticos ſibi conuolandum proponit. Quidam in Germaniam eum tunc profugiſſe exiſtimant: alij longè meliùs Geneuam profectum fuiſſe ſentiunt, cùm in hanc ſententiam, aliorum quoque Auctorum fides conſpiret. Pſeudomartyr verò vbi Ochinum ad Geneuenſe iter paratum animaduertit; oblata illi quadam pecuniæ ſumma, quæ ad itinerarios ſumptus ſufficeret: paulò poſt ipſe quoque Germanicum iter aggreſſus, in Saxoniam ſe confert.

*Ochinus fugã arripit, & Geneuã ſe confert.*

XIII. Hanc verò ſingularem Dei Opt. Max. in Religionem prouidentiam fuiſſe; ne ſcilicet, hæc hæreſum zizania, latiùs in Congregationis perniciem ſerperent; ſed maturè potiùs, atque in ipſo ortu, antequàm altiùs in puſillo Domini Agro excreſcerent, euellerentur; Domino ipſo, id pluribus reuelante, exploratum fuit. Nam hoc ipſo anno primùm, in Conuentu Fulginij Vmbræ Prouinciæ. Nouitius quidam Laïcus, Gratianus nomine, ac Patria Florentinus, cæleſti viſione rem à Domino ſignificatam accipit.

XIV. Erat Gratianus Obedientia, ac ſimplicitate inſignis, qui cùm nonnullis aduenis Fratribus, ſub veſperum ad Conuentum aduentantibus, dum alij charitatis iura perſoluunt: is, (quod ſæpè Nouitiis contingit) ineptè, ac præpoſterè aliquid egiſſet; ob id à Nouitiorum Magiſtro ab eo munere pulſus, in Eccleſiam abire, præcepto compellitur. Gratianus dicto parens, cùm in Eccleſiam ſeceſſiſſet, ante Altare Orationi vacabat. Solent Nouitiorum Magiſtri, apud Capucinos, Hyemis præſertim tempore, ſtata noctis hora, ſigno edito, Nouitiis in Eccleſiam collectis benedicere, eóſque benedictione firmatos ad quietem dimittere: neque vlli Nouitiorum ante Magiſtri benedictionem ab Oratione licet recedere. Contigit verò, vt propter illorum hoſpitum aduentum, Magiſter diutiùs charitatis officiis implicatus, Nouitij, qui in Eccleſia orabat, prorsùs immemor, nullo dato ſigno, aut benedictione illi impertita, ad quietẽ accederet. Gratianus verò in Eccleſia orans, cùm abſque Magiſtri benedictione indẽ nollet recedere; in ea conſtanter, vſque ad matutinas horas, quæ media nocte pulſari ſolent, in Oratione perſeuerabat. Deo porrò illa mentis obedientia, ac ſimplicitas adeò grata fuit: vt eam cæleſti hac viſione compenſare voluerit.

*Senenſis Caſus Gratiano reuelatur.*

*Gratiani Obedientia inſignis.*

XV. Gemina adhuc deerat ad matutinum Officium hora; cùm Gratianus Eccleſiæ fores magno ſtrepitu patefieri, ac luciciſſimorum quorundam hominum multitudinem, velut in ſupplicatione diſpoſitam, Eccleſiam ingredi conſpicit. Erat illa glorioſorum hominum turba, in duas partes diſciſſa; quarum prior Sacerdotalia indumenta pretioſiſſima gerebat; in eáque Diaconi, ac Subdiaconi thuribula, ac nauiculas incenſi plenas ferentes, ſuis officiis miniſtrabant: poſterior verò veſtibus auro textis, cyanei coloris, ſpecioſiſſimis induebatur. Ij omnes bini incedentes, cùm ad Altare Sacroſanctæ Euchariſtiæ perueniſſent; vbi profundiſſimè ſe ante illud inclinarunt, in duos ſe ordines, hinc, & inde, per totum Eccleſiæ ſpatium diffuunt; & commune Fratrum ſepulchrum, quod in medio Eccleſiæ iacebat, cõuerſis vultibus intuẽtur. Interea ex Sacerdotibus prior è ſuo ordine excedens, profunda priùs Sacramento adoratione exhibita, aſpectúque ad Eccleſiæ fores conuerſo, ante Altare ſubſiſtit: cui mox Diaconus, thuribulum prunis arden-

tibus refertum, Subdiaconus, incenſi nauiculam benedicendam porrigit. Sacerdos verò benedictione impertita, ſumptoque thuribulo, ſumma cum reuerentia Altari incenſum adolens, quoties medium Altaris permeat, toties adorationes profundas ante Sacramentum ingeminat. Inde ad Tumulum pergens, thus quoque ibi, iuxta conſuetum Romanæ Eccleſiæ ritum, adolet. Porrò thuribulo Diacono reddito, qui cum manus oſculo illud accipit, diuinum Officium ab iis inchoatur, ac tanta melodia, & vocum ſuauitate decantatur: vt Nouitio præ voluptate animus deficere videretur.

*Diuinus Euchariſtiæ cultus à Beatis exhibitus.*

XVI. Contemplabatur Gratianus veſtes illas tam fulgidas, ac pretioſas; ſecúmque ita ratiocinabatur: vndenam his tam egregiæ veſtes? Neque enim Florentiæ huiuſmodi viloſa, & holoſerica tam pretioſa, ac venuſti coloris texuntur: exiſtimabat enim Vir ſimpliciſſimus, eam hominum ſupplicationem cò ex Vrbe aduentaſſe; Verùm nõ parum admirabatur, quo pacto Eccleſiæ fores abſque clauibus aperuiſſent. Admirationem verò augebat; quòd cùm nullum in Eccleſia, præterquàm lampadis lumen ſplenderet: tanta nihilominus lux in ea affulgeret: vt ſol meridiano tempore in ea lucere videretur. Id quum diligentiùs, atque attentiùs inſpicit, tunc primùm animaduertit, lucem ex eorum vultibus erumpere. Quamobrem re tanta obſtupefactus, illius exitum præſtolabatur; præſertim cùm his diuinas laudes perſoluentibus: ipſe illorum verba neque intelligeret, neque aliud præter vocis ſonum perciperet.

*Lux Beatorum vultum comitatur.*

XVII. Diuino itaque Officio ab iis perſoluto, cùm rurſus vniuerſi profundam Sacroſanctæ Euchariſtiæ adorationem præſtitiſſent; quo venerant, ordine ex Eccleſia recedunt. Iis porrò abeuntibus, qui ordine poſtremus erat, ad Nouitium accedens, his eum verbis compellat. Vidiſtin ô Vir ſimplex ac rudis, quæ hactenus hoc in loco acta ſunt! Cui cùm Gratianus tremefactus reſponderet: Vidi equidem, Domine; ſed quid ſignificare velint, ignoro. Diſce, (inquit ille) hanc cæleſtem viſionem eſſe, quæ tibi ob ſimplicitatis, ac obedientiæ tuæ meritum, diuinitùs, ad commune Religionis commodum, ac ſolatium demonſtrata fuit. Animaduerte igitur, quotquot huc conueniſſe vides, omnes ex Minorum Capucinorum Ordine exiſtere; quorum Corpora cùm in hoc, tum in aliis ſepulchris condita ſint: animæ tamen in cæleſti Patria apud Deum, ſumma cum felicitate viuunt. Cernis pretioſiſſimas, ac fulgidiſſimas ſtolas, quibus amicti ſumus: hæ pro vilibus, ac rudibus indumentis nobis datæ ſunt, quæ olim in Religione geſtauimus: illa iam conſumpta ſunt, has neque tinea corrumpet, neque tempus conteret, neque vetuſtas vnquam conſumet.

*Cæleſtis viſio Gratiano declaratur.*

XVIII. Porrò, vt eorum Corpora, qui Deo olim fideliter famulati ſunt, ſuo apud Altiſſimum honore haud carere, non ignores: huc ideò nos Dei Opt. Max. Maieſtas venire iuſſit: vt ſacras horum Fratrum Reliquias, quæ hoc tumulo clauduntur, quorumque Animæ hîc nobiſcum ſunt, debita (vt par eſt) veneratione proſequamur, ſummóque omnium Conditori gratias referamus; qui quum his nos corporibus conueſtiuit, apta inſtrumenta dedit, quibus illi per vitæ auſteritatem, paupertatem, carnis macerationem, & Regulæ obſeruantiam, in finem vſque in Sanctitate, & Iuſtitia obſequeremur. Hæc verò quæ tibi dicta, ac demonſtrata ſunt, Prouinciali Vicario tuo adamuſſim narra: quem etiam admonebis, vt diuinas Horas moroſiùs, ac reuerentiùs recitandas curet. Hæc enim poſt diuiniſſimum Sacramentorum cultum, potiſſima religio eſt, quæ ſupremo rerum omnium Opifici totius Ecleſiæ nomine exhibetur: quamque is, velut à Chriſto capite profectam, atque in ipſius virtute oblatam, acceptam habet. Poſtremò ipſum commonefacito; grauem Congregationi tribulationem quàmprimùm imminere; qua tamen nemo terreri debet; neque enim ea ad ipſius ruinam, vel interitum; ſed ad probationem potiùs, ac expurgationem; & vt ad Deum ſtudioſiùs confugiant, procul dubio cedet. His dictis, cùm tota illa hominum Supplicatio, ex

*Sanctorũ Defunctorum Corpora apud Deum in honore habentur.*

*Horarum Canonicarum quanta ſit Religio.*

*Ochini lapſus ad Religionis probationẽ permiſſus.*





ipſius oculis repentè euanuiſſet: Gratianus Matutinæ Horæ ſignum pulſari audit.

XIX. Vmbriæ Prouinciam eo tempore Frater Liberius à Domodoſcella Prouincialis Vicarius moderabatur; cui cùm Gratianus, quæ cæleſti viſione ſibi demonſtrata fuerant, manifeſtare non auderet: in vberiores ſe ſe lachrymas effundebat; Porrò hos dum in fletus prorumpit; en extemplò Magiſter adueniens, fletus ab eo cauſam exquirit: Gratianus verò totam illi viſionis, quæ ſibi demonſtrata fuerat, ſeriem narrat. Erat hoc anno Fulginienſis Conuentus Guardianus, Franciſcus Aeſinus, Vir omni ſapientia, ac virtute clarus; cui cùm Magiſter, Nouitij viſionem retuliſſet, is haud illam aſpernendam cenſet; ſed Gratiano accerſito rurſus illam ſibi narrari iubet. Moxque Prouincialem Vicarium, eius per literas certiorem reddit. Cunctis verò rei exitum ſuſpenſis animis expectantibus; cùm vix bini poſthæc menſes elapſi eſſent; En nuntius omnium infauſtiſſimus fert, Ochinum Generalem ad Hæreticos transfugiſſe. Inde verò quanta Religioni tribulatio, ac calamitas orta fuerit, paulò inferiùs declarandum erit.

*Ochini poſt duos menſes caſus renunciatur.*

XX. Verùm enimuerò, quæ ſumma Dei in nos benignitas fuit: Ne tam grauis procella, quo puſillæ Reformationis cymba, ad naufragium vſque iactanda erat; remigantes lateret; haud ſemel Dei clementia, eam diuinis è Cælo teſtimoniis, ac cæleſtis præſidij pollicitationibus præmunire voluit; ne ij animum aliquando, inter tot aduerſos fluctus, deſponderent; aut mente conſternati, remos abijcerent. Quadriennio namque ante hoc tempus, Ochini, atque aliorum, ſi qui fuerunt, caſus, cuidam Fratri Antonio Pinarolienſi, Genuenſis Prouinciæ Concionatori, ac Theologo, diuinitùs, ac ſpecialiùs hac viſione explicatus fuit. Videt hic in viſu, præcelſum Montem, aſcenſu difficilem, ac præruptis vndique rupibus ſeptum: in cuius vertice Capucinorum Domus, vnà cum Refectorio extructa cernebatur. Eo verò cùm plerique Capucini Fratres, haud magno abſque labore, conſcenderent; vix ad Montis iugum peruenerant, Cùm mox Refectorium petentes, in eo omnes conſidere videbantur.

*F. Antonij Pinarolienſis, altera de Ochini caſu viſio narratur.*

XXI. Porrò in ſummo Refectorij capite, Fratrem quendam velut reliquorum Caput, ac Magiſtrum intuebatur, qui Bibliorum Codicem cæteris audientibus prælegebat. Inter eos verò, qui illius auditores erant, in ipſo Refectorij limine, à dextro latere, F. Bartholomæum à Cunio, Venetæ Prouinciæ Concionatorem, cum aliis ſedentem videt. Dum in hæc Antonius mirabundus animum intendit: Magiſtrum quendam ex Minor. Conuentualium Ordine, Refectorium ingredientem animaduertit: qui cùm in F. Bartholomæum oculos conieciſſet; vi è Sede exturbatum, è Refectorio expellit, ac ſuam ſibi Sedem vindicat. Bartholomæus verò è Refectorio pulſus, per Montis abrupta ſe præcipitem dedit. Poſthæc, qui præſidebat, Doctor, Bibliorum Codice poſt tergum proiecto, è Refectorio egreſſus, & cum eo plerique tumultuariè exeuntes, cuncti per iugi prærupta ſe præcipites agunt. Qui verò in Refectorio permanſerant, oſtia fortiter occludentes, per feneſtras ſtrenuè ſaxis, ac fuſtibus aduersùs nonnullos pugnabant, qui eos è Refectorio pellere nitebantur: ac tandiu aduersùs eos decertarunt: donec iis longè pulſis, ac profligatis, victores tandem in eo conflictu euaderent.

XXII. Quid hæc Viſio ſub his ſymbolis manifeſtata ſignificaret, Ochini, ac paucorum aliorum lapſus poſthæc apertiſſimè declarauit. Mons namque in quo Capucinorum Domus extructa videbatur, ipſa Regulæ, ac vitæ ſublimitas, ac perfectio eſt; in qua Minorum Religio fundatur: quæ cùm totam Euangelij obſeruantiam complectatur, quemadmodum ex ipſo Regulæ initio perſpicuum eſt, in quo ita legitur: *Regula & vita Fratrum Minorum hæc eſt, Obſeruare Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium.* Reg. c. 1.
Planè altiùs conſurgere non poteſt.

*F. Antonij Viſio explicatur.*

XXIII. Quòd verò, vna ex parte aſcenſum difficilem, ex altera, altiſſima præcipitia haberet, iis haud difficile eſt intelligere; qui Seraphicã Regulam, tum ob altiſſimam, quam profitetur, rerum omniũ paupertatem: tum etiam ob alia Euangelica cõſilia,

*Minoritanæ Regulæ excellentia.*

quibus ſuos cultores adſtringit; non omnibus, ſed robuſtis tantùm ſpiritu, obuiam eſſe non ignorant. Cùm etiam pleriſque præceptis, velut altiſſimis, ac præruptis rupibus ſepta ſit; quæ iis, qui minùs cautè, atque oſcitanter in eorum obſeruantia incedunt, præcipitium minantur: haud mirum eſt, quòd ob ſingulárem ſui excellentiam, difficultates, ac pericula præſeferat. Quò enim ad Euangelicæ perfectionis faſtigium altiùs aſcendit; eò maioribus cultores ſuos periculis exponit; ſi ſegniùs, quàm par eſt, in ea percurrenda ſe gerant.

*Diuerſa Fratrum ad Religionem vocatio.*

*Rom. 9.*

Fratres verò Capucini, Montes aſcendentes, atque in Refectorio conſedentes; XXIV.
communem eorum, qui ad Religionem vocantur, ſortem, ac Dei donum indicant: quo tamen diuerſimodè vtuntur. Quidam enim ita aſcendunt, ac ſedent, vt in Dei tabernaculo iugiter habitent, & in Monte ſancto Domini requieſcant: ij nimirum, qui Religionem, abſque vlla praua intentionis macula ingredientes, diuinæ Legis, ac Seraphicæ Regulæ iuſtitiam operantur. Alij verò ita Montem conſcendunt; vt inde grauiori caſu ruant, ac præcipites ferantur. *Neque enim* (teſte Apoſtolo) *omnes, qui ex Iſraël, ij ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij*: plerique enim carne, non ſpiritu geniti, inter B.P. Franciſci filios computantur, qui filiorum adoptionem minimè aſſequuntur. Horum finis interitus eſt, & Dei vocatio in confuſionem ipſorum: atque ij planè ſunt, qui cæleſtia faſtidientes, terrena tantùm ſapiunt, ac ſectantur.

*F. Bartholomæus à Cunio ab Ochino corruptus*

Iam verò, vt rem propriùs attingamus: qui in ſummo Refectorij capite, velut XXV.
omnium Magiſter, Bibliorum Codicem cæteris explicabat, ipſe Ochinus fuit: qui cùm Pauli Epiſtolas, quemadmodum alibi diximus, Veronæ, iuxta Hæreticum ſenſum exarandas ſuſcepiſſet: quorundam ex his, qui eum audierunt, hæretico contagio animos labefactauit: Inter quos potiſſimus Fr. ille Bartholomæus à Cunio extitit, qui cùm eo tempore Veronæ Guardianus, ac Prouinciæ Venetæ Definitor eſſet: tam integrum Babylonicæ illius meretricis, quæ hæreſis, ac impietas nuncupatur, calicem vſque ad fæcem hauſit; vt primus, vti viſio præſefert, ſe ſe à Catholica Fide, ac Romana Eccleſia in hæreſim præcipitem dederit.

Porrò, ne id quoque myſterio vacaret, quod de illius expulſione in viſione legi- XXVI.
tur: eodem prorſus tempore, quo Fr. Bartholomæus Fidem, ac Religionem deſeruit, quidam inſignis Theologiæ Magiſter, ex Minorum Conuentualium Familia: cuius nomen inter antiqua Ordinis Monumenta ſilet, Vir doctrina, fide, ac virtute inſignis, Religionem Capucinorum ingreſſus, eo velut pulſo, ipſius ſibi locum, ac Sedem in Religione vendicat.

*Ochini lapſus quam turpis,*

Cæterùm quòd Ochinus, proiecto Bibliorum Codice, & ex illius auditoribus XXVII.
nonnulli, è Refectorio tumultuosè exeuntes, ſe è Monte præcipites darent: Ochini Generalis, & aliorum, ſi qui eum ſecuti ſunt, & ad Hæreticos profugerunt, quos tamen pauciſſimos reperio; turpiſſimum, ac toto Orbi ſcandaloſum caſum inſinuat: ex quo tanta in cæteros, qui ab hæretica Ochini labe ſeipſos puros in Religione ſeruauerant, tempeſtas orta eſt; vt vndique ad extinctionem quærerentur. Atque hæc illa pugna eſt, quam poſtremò loco viſio indicat. Plerique enim, atque adeò Pontifex ipſe, in Capucinorum Religionem ita animari cœperunt: vt eam è medio penitus ſublatam vellent; vti poſterius indicabimus. At qui poſt Ochini, atque aliorum lapſum, fortes in Religione perſtitêre: tot vigiliis, ieiuniis, lachrymis, orationibus aduersùs illos decertarunt: vt Deo præſertim opitulante, victores demum, atque incolumes euaderent.

*F. Franciſco à Palemone Ochini caſus diuinitus reuelatur.*

His tertium, è Calabria, huius miſerandi caſus vaticinium accedat. Etenim pau- XXVIII.
lò ante Ochini lapſum, Frater Franciſcus à Palemone Calaber, vir eximia virtute, ac ſanctimoniæ opinione apud omnes clarus; dum in Cõuentu Coſoleti, apud Calabros, orationi, quæ meridiano tẽpore, poſt nonam horã fieri ſolet, in Choro cum aliis incumberet; palàm Dei virtute in extaſim rapitur: ex qua, cùm poſt longiorem temporis morã, ſibi tandem redditus eſſet, tãtam lachrymarum vim protinus ex oculis







*Franciſcus à Palemone Ochini lapſum deplorat.*

fundere, ac tam graues ſingultus edere cœpit: vt præ mentis dolore, velut inſanus & capillos capitis, & barbæ ſibi pilos euelleret. Cúmque Fratres illius dolorem lenire cupientes, tanti mœroris ab eo cauſam quærerent. Heu, Fratres (inquit) heu venit lupus, qui gregem diſpergat. Veh gregi, veh gregi, quia nemo eſt, qui dentes eius valeat retundere. Ignorabant Fratres, quid eo lupi nomine indicare vellet; is verò quod breui futurum erat, palàm reticens, id tantùm F. Antonio Dinamenſi, qui illi à Confeſſionibus erat, his verbis aperuit. Lupum, Antoni, Ochinum Generalem eſſe noueris, qui grauiſſima à Fide apoſtaſia Capucinorum gregem breui diſperſurus, ac ferè diſſipaturus eſt. Nec longè poſt, Ochini lapſus toti Religioni funeſtus accidit.

*F. Antonius Hiſpanus Ochini lapſum in oratione videt, ac prænunciat.*

*Ioel. 1.*

*Tren. 5.*

XXIX. Poſtremò, cùm iam Ochinus ab hæretico doctore corruptus, Catholicæ Fidei nuntium remiſiſſet; ne repentino ipſius lapſu, puſillus grex, tam graui ſcandalo proſtratus in mentis puſillanimitatem pertraheretur: ſuaui diuinæ prouidentiæ conſilio factum eſt; vt cùm iam tres Religionis partes, diuinis reuelationibus, de futuro Ochini caſu præmonitæ eſſent: quarta quoque de eodem diuinitus inſtrueretur: vt nulla Orbis Capucini pars Dei benignitate careret. Iam enim Liguria, quæ in extrema Italiæ plaga iacens, Galliæ Ciſalpinæ partem ſibi vendicat. Vmbria quoque, quæ in Italiæ Vmbilico iacet, Calabria itidem, quæ in altera, atque oppoſita Italiæ ora ſita, Græciam ſpectat; ſuas à Deo mali huius imminentis premonitiones acceperant. Quarta denique Apulia, ſua quoque, ex Dei dono, ac liberalitate, cæleſti reuelatione cohoneſtata fuit. Nam Larini, vbi primus Appulæ Prouinciæ Conuentus extructus fuit: dum Fr. Antonius Hiſpanus, Vir inſignis, ac prophetiæ dono illuſtris, in nemore orat, eo planè tempore, quo Ochinus hæreſis veneno Veronæ diffuſo, fugam meditatus fuerat; ipſius lapſum, atque à Religione, & ab Eccleſia diſceſſum, ex quo ingens toti Religioni calamitas, ac periculum immineret, diuina reuelatione addiſcit. Quam ob rem cùm animo conſternatus, grauiter Viri occaſum, ac Religionis diſcrimen deploraret; Totus lachrymis perfuſus è nemore redit; Fratréſque in horto obuios habens, itidem ad lachrymas hortatur; quaſi qui illa Prophetæ verba ſibi vſurparet. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes: Vlulate Miniſtri Altaris, cubate in ſacco Miniſtri Dei mei: quia ignis combuſſit ſpetioſa deſerti: flamma ſuccendit ligna regionis. Defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter. Cecidit Corona capitis noſtri. Veh nobis, quia peccauimus.* Fratres verò cùm rem ignorantes, fletus cauſam ab eo percunctarentur: An non amariſſimè flendum eſt, inquit, cùm Religionis iam columna prolapſa eſt: Domus ruinam minatur. Cecidit è ſummo Religionis faſtigio Ochinus Generalis: ab Eccleſia dilapſus eſt; ad Hæreticos profugit. Quid non miſeræ Religioni plangendum eſt; quæ talem Ducem ſortita eſt? His ſancti Viri verbis Fratres perterriti, rem paulò poſt, ex euentu, certam acceperunt.

*Dei erga Religionem prouidentia in Ochini lapſu commẽdatur.*

*Satanæ artes in Ochini lapſu deluſæ.*

XXX. Cùm igitur futuro Religionis ſcandalo, hoc modo à ſumma Dei benignitate proſpectum eſſet; fruſtrà Tartareæ Inferorum legiones, in Religionis necem cõſpirantes, Ochini, & aliorum animos, ad fidei Apoſtaſiam concitarunt; qua funera, ac procellas illi vndique comminarentur. Dei etenim Sapientia, quæ ex malis bona nouit elicere; ex Ochini, & paucorum caſu, ac ruina, multorum confirmationem, maioréinque Religionis ſtabilitatem parauit. Satan quoque qui Capucinos maximè expetierat, vt velut triticum cribraret; altiſſimo Dei concilio famulatus eſt, quo Religionem, ea ventilatione, ab inanibus paleis expurgare diſpoſuerat. Ochini verò Generalis lapſus, ſi profundiùs, ac puriori mentis oculo inſpiciatur, antiquum magis Dei conſilium, ac propenſiorem in Religionem curam commendat. Cùm enim tota Religionis moles, quæ Ochino, velut columnæ ſubniti videbatur eo cadente, cùm eo ſimul ruere deberet: Planè cum ea ita diuina virtute ſolidata eſt; vt abſque vllo ſui adminiculo, ſalua, ac ſartatecta conſiſteret: eo omnibus perſpectum fuit, non Ochinum; quemadmodum, nec priorem Matthæum, aut

Ludouicum,ſiue alium quemlibet; ſed Deum duntaxat,ac B. Franciſcum illius columnam,ac fundamentum fuiſſe.

*Ochinus F. Marianum ſibi ſocium aſſumit.*

Iam verò,vt ad Ochinum redeam; is cùm à Cacodæmone, atq; ab amico hæretico perſuaſus, ad Geneuenſes clàm confugere cogitaſſet : Fratrem Marianum à Quintiano Laïcum,Gallicæ, ac Germanicæ linguæ non ignarum,inter alios è Florentiæ Conuentu ſibi ſocium deligit. Hic enim cùm in ſæculo rei militari operam dediſſet,multas tum Galliæ,tum Germaniæ oras peragrauerat : atque omnibus ſua conuerſatione gratus, plurimam ſibi in negotiis agendis, ob multarum rerum experientiam, prudentiam comparauerat. Poſtea verò in ſacram Capucinorum militiam adſcriptus,tantam morum ſuauitatem, atque erga miſeros liberalitatem præferebat,vt B.P. Franciſci exemplo,pauperi ab eo ſemel eleemoſynam petenti, cùm nihil haberet,quod erogare poſſet; his eum verbis compellauerit: Amice, nihil, quod tibi elargiar, mihi ſuper eſt; præter hoc pallium,quo contegor. At neque illud; quandoquidem meum non eſt, tibi erogare valeo : attamen ſi illud abſtuleris, haud ſanè prohibebo. Quo dicto pallium exfibulauit : mendicus verò pallio illi ex humeris ſublato, diſceſſit. XXXI.

*Mariani pietas erga pauperem inſignis.*

Hunc itaque Ochinus,cùm in eo itinere,ſibi vtiliſſimum fore intelligeret,verbis circumuenire parat :ſimulat enim,ſe ardentiori diuinæ charitatis æſtu,ad Dei Verbum inter Hæreticos diſſeminandum,impelli : ex quo vel ingens animarum lucrũ Deo cedat;vel optata illis Martyrij corona obueniat:atque hac doloſa virtutis ſpecie,Mariani animum,nihil aut doli,aut ſceleris ſuſpicantem, ad eam profectionem incendit. At verò cùm Ochinus habitu Religionis exuto; ſæculares veſtes iam tunc ſibi,ſociiſque induendas propoſuiſſet; durum Mariano videbatur,abſque Religionis habitu diuinum illud opus exantlare. At Ochinus omnem mox illi dubitationem ex animo expellens,eam duntaxat, habitus mutationem tamdiu neceſſariam eſſe perſuadet; donec hæreticorum regiones penetrauerint : ne (quod maximè verendum erat,) ab earum ingreſſu prohiberentur:ingreſſos verò Ordinis habitu reaſſumpto,diuinũ opus agreſſuros pollicetur. Fidem Marianus, haud difficilè, illius verbis adhibet,quẽ & doctrina,& auctoritate præſtãtem non ignoraret. Quare ſumma animi alacritate,cùm vir bonus eſſet, ſe ad eam profectionem accingit. XXXII.

*Ochinus Fugam pietatis prætextu colorat.*

Ochinus igitur,tribus ſibi ſociis adiunctis,nimirũ F.Iunipero,F.Franciſco, germano ipſius fratre, ac F. Mariano : ſæculari habitu Florentia digreſſus, Mantuam verſùs iter arripit; inde Auguſtam Prætoriam profectus, Alpes Graias conſcendit, quibus via eſt ad Allabroges.Iam ad ſummum Alpium iugum,quod vltimum Italiæ aſpectum claudit, cuncti peruenerant; cùm Ochinus, retrò vultu ad Italiam conuerſo,naturali quodam Patriæ amore commotus; quam ſe deinceps nunquam viſurum ſperabat : plurimos quoque honores, ac populorum applauſus,animo repetens, quibus in ea, inter prædicandum, tam variè affectus fuerat: deſolatæ tandem Religionis anguſtias, alta mente reuoluens; quæ illum tot honoribus exceperat,auxerat,atque eouſque tam profusè proſecuta fuerat;vt ſumma etiam Capitis poteſtate donaſſet : quæ tamen tam impiè, ac perfidè ab eo deſerebatur; vt in ſumma quæque diſcrimina, hac ſua ad hæreticos fuga impelleretur: grauiter animo contriſtari, ac lachrymari cœpit. Cúmque velut à ſeipſo alienus, nec adeſſe ſocios, neque ſe ab vllo audiri exiſtimaret : has præ graui cordis mœrore,ac latrantis conſcientiæ ſynderesi, voces effundit. XXXIII.

*Ochinus fugam ſuam verbis deplorat.*

Heu Italia,Orbis feliciſſima Regio. Heu,dulcis patria,ac natale ſolum,meæ olim delitiæ, quibus te iam lachrymis proſequar? cùm tam mæſto, ac perpetuò à te exilio diſiungor; vt omnem ad te remeandi mihi penitus viam deinceps interclusam eſſe videam? Iam tuis honoribus minimè fruar,neque fauſta acclamantium populorum turbæ, ac copioſiſſima Nobilium agmina, amplius me, aut loquentem audient, aut de ſuggeſtu reuertentem læta laudum vociferatione excipient Omnia diſceſſus hic meus rapit. Heu Capucinorum Religio,dulcis mihi olim ho- XXXIV.

ſpes



ſpes,ac filia. Quot me humanitatis officiis proſecuta es? Quot beneficiis deuinxiſti? Quot denique honoribus auxiſti? Cui, aut æqua beneficia rependere, aut gratias ſaltem pro beneficiis referre, æquum erat. Heu,in quantas,me diſcedente, calamitates, atque animi anguſtias te demergendam cerno. Filium enutrieras, & exaltaueras, vt tandem Beniaminum, ac filium dexteræ reciperes : at is Bennoni, ac filius tibi doloris euaſit.

XXXV. Heu, miſer Ochine, quæ te fata agitant? quæ nam te Alecto, Patriam, honores, delicias, Religionem, cui haud inuiſus eras, atque adeò teipſum deſerere cõpellit? Quò abis? Quò fugis? Quò ruis nemine perſequente? Quænam te Orbis plagæ recipient? Ignotæ nimirum, ac barbaræ. Qui te ſinus capient? Gentium ædepol ferarum, quas nulla in exteros humanitas,nulla pietas,aut neceſſitudo fouet: quibus cùm benefeceris, eò immitiores fiunt. Ita ne,miſer Ochine, hodie ad ignotos transfugis, atque iis te curandum committis; quibus cùm nulla miſerorũ, præterquam ſuorum, cura ſit; longè æquiùs,ac celeriùs teipſum, quàm tu tuos, ac patriam deſerent. Multos quidem exilium honeſtauit; plurimos acrior aliqua fortunæ vis atque iniuria, notos, ac illuſtres reddidit: me voluntarium exilium, ac inhoneſta hæc fuga, quæ me nunc longè à Patria expellit, tam turpem, atque infamem præſtat : vt omnem mihi prioris gloriæ, ac honoris apud notos famam depoſcat; atque indelebilem meo nomini apud homines maculam inurat. Heu Capucinorum Religio, tui me maximè miſeret; quæ cùm iam in portu nauigares,rerúmque tranquillitate fruereris : orta tibi ex hoc meo diſceſſu, tempeſtate,miſerè ad naufragium vſque iactaberis. At iam conſilio opus non eſt, iacta eſt alea, quò me ſpiritus, bonus ne, an malus rapit,abeo.

*F. Marianus Ochini Conſilium percipit.*

XXXVI. Hæc ille oculis in Italiam,cui mox valedicere cogebatur, defixis; tam intentis animis ſecum proloquebatur,vt ne Fratrem Marianum quidem animaduerteret: qui haud longè abſens, illius & animi commotionem, & verba gemitu prolata diſtinctè audierat. Obſtupuit his auditis Marianus; cumque Ochini animum,longè ab eo, quem ſibi ex illius verbis perſuaſerat,diſcrepantem : neque, vt hæreticos ad fidem conuerteret; ſed vt fide, ac Religione cum hæreticis copularetur,ad eos profugientem percepiſſet : mox animo ſuſpendi; & quid in ea re conſilij opus eſſet,mente agitare cœpit. Hinc enim & perſpicuum Viri caſum ingemiſcens, animo afflictabatur : illinc imminens Religionis periculum cùm expaueſceret; eo quoque ſibi,ob initam cum Viro ſocietatem, haud leuiter timebat. Quamobrem ad eum maturiùs accedens, ardentiùs his eum verbis interpellare cœpit. Quænam, (Pater) iſthæc verba ſunt, quæ tibi ex cordis abundantia erumpunt? Ergo ne Catholicam Eccleſiam,ac Religionem deſeris, atque ad Hæreticos fugis? Ita ne Pater incautos decipis, ac tuis verbis credentes illudis? Te nuper adeò Dei amore æſtuantem, & ad Hæreticorum conuerſionem ita anhelantem audiebam; vt me quoque ad Martyrium,pro Fide ſubeundum, compelleres? Nunc verò Dei, ac fidei perduellem, teipſum tam turpiter prodis; vt ad ipſas quoque Hæreticorum plagas,nouum Catholicæ Religionis hoſtem transfugientem cernam. Quis tantum in ſublimi Viro,ac grandæuo Religionis Patre, dolum vnquam ſuſpicatus fuiſſet? Quis tam immane ſcelus,ne animo quidem cogitare potuiſſet, quo te hodie contaminatũ declaras? Heu,Pater,& Paſtor,ſiccine teipſum,ac innocentes oues lupis committere, & compto verborum lenocinio ad lanienam trahere feſtinas? Hæccine ſunt verba, quæ tum Florentiæ, tum ſæpè in itinere, tanto animi ardore proferre videbaris; vt præter Apoſtolicum opus, & Catholicæ Fidei propagationem, nihil ore ventilares:cui etiam maximi quique labores, ac Martyria pro Fide toleranda haud animo ſatis eſſe viderentur. Iam Pater ad teipſum redi; neque has nomini tuo tenebras offunde: adhuc ſalua res eſt : ne,per Deum immortalem, tanto te ſcelere obſtringe.

*Ochinum à peruerſo conſilio reuocare tentat.*

*Marianus Ochino malum dolum, exprobrat.*

XXXVII. His, & alia pleráque addit Marianus, quibus Ochinum à cœpto perditionis



itinere,

*Ochinus in ſcelere pertinax, ſcelus tamen excuſat.*

itinere, ac impio mentis inſtituto auocare nititur. At Ochinus, cùm ſe ita ex propriis verbis deprehenſum cerneret; vt factum nulla tergiuerſatione celare poſſet; rem quidem apertè fateri haud erubeſcit: eam tamen ad Hæreticos fugam mortis metu excuſat, quam ſibi à Pontifice comminatam affirmat: Omnes Marianus tunc neruos cœpit intendere, quò illum ſaltem ab Hæreticorum plagis reuocaret. Rem facilè cum Pontifice componendam perſuadet, dummodò ab Hæreticis abſtineat, Summas quoque, quas ſuæ nominis gloriæ eo facto maculas inurit, eidē ante oculos ponit: Nullum denique non lapidem mouet, quò illum à tanto ſcelere absterreat. Cùm verò ſe & oleum & operam perdere; fruſtráque in Aethiope lauando inſudare animaduerteret: in hæc tandem verba prorumpit. Heu, Bernardine, Quò te dira mentis conſilia rapiunt? Alij quidem caſus, & præcipitia horrent. Tu tibi vltrò ruinam quæris. Olim certè te Patrem, ac Paſtorem, cùm reuera Pater ac Paſtor eſſes, ſumma voluptate vocaui. Iam verò abſit, vt te, aut Patrem, aut Capucinorum deinceps Paſtorem appellem: qui cùm ex Patre in hoſtem, & ex Paſtore in lupum degeneraueris, Religionem, ac Dei Eccleſiam deſerens, inter Hæreticos, perpetuos Catholicæ Fidei hoſtes, Religioniſque omnis ſubuerſores, tibi domicilium eligis. Heu miſer, quò pergis? quò ruis? quò te præcipitem agis? Verùm audi.

*Marianus in Ochinum inuehitur, & ab eo diſceſſum parat,*

Hactenus ego te; cùm ſanctæ Religionis caput agnoſcerem: fideliſſimúmque Ducem, ac Corypheum mihi perſuaderem, haud ægrè ſequutus ſum: Nullúmque aut mentis, aut corporis laborem reformidabam, te Paſtorem ſequens: Iam vero, cùm immani conſilio te in præcipitia ruentem, ac ducentem cerno: quo pacto diutiùs ſequar? An illius me ſocium præbere fas eſt: quem impium Religionis, & Eccleſiæ deſertorem probo? Nefas omninò: Quapropter, En diſcedo; ne me caſus tuus diſſimulantem inuoluat. Verùm id à te peto, vt ſi minùs tuæ, meæ ſaltem innocentiæ proſpicias, Chirographúmque tuo ſigillo munitum conſcribas, quo rei totius veritate exarata; omnis de hæreſis ſuſpicione labes, quam me ex tua ſocietate contraxiſſe, facilè quis ſuſpicari poſſet, apud Religionis Patres abſtergatur. Annuit poſtulationi Ochinus: cúmq; chirographo accepto, Marianus iā diſceſſum pararet, eidē Ochinus Religionis ſigillum, ad Venetæ Prouinciæ Vicariū deferendū tradit.

*Marianus ab Ochino diſcedens, ab eo ſigillum Religionis accipit.*

XXXVIII. Hoc pacto Marianus ab Ochino digreſſus Venetias ſe confert: ſigillóque Prouinciali Vicario conſignato, quæ illi cum Ochino acciderant, enarrat. Vicarius verò cùm Viri innocentiam perſpexiſſet; Mariano benignè, atque impunè recepto, confeſtim Romam proficiſcitur; ac F. Bernardino Aſtenſi, qui inter Generalis Capituli Definitores, primus erat, ſigillum offert.

*Maximus in Religione ob Ochini fugā luctus.*

XXXIX. Porrò audita Ochini ad Hæreticos fuga, vix ſermone explicari poteſt, quàm ingens Fratrum gemitus vndique excitatus fuerit. Iacebat tota lachrymis demerſa, atque animo conſternata Religio, Patre orbata, quem ſæuus turbo diſperſerat; horrendúmque naufragium longè ad Hæreticos expulerat. Nihil per omnes Religionis domos, ac Conuentus, præterquam luctus, ac mœroris voces, audiebatur: quibus, & Patris ſcelus, & communis calamitas deplorabatur. Vehemens erat omnium dolor: ac præſertim Bernardini Aſtenſis; qui ſimulátque nuntium de Ochini defectione accepit; protinus Patrum Congregationem aduocat: in qua communi conſilio deliberatū fuit; vt ante omnia, ad implorandam Domini clementiam, per vniuerſa Religionis Monaſteria, aſſiduè Deo ſupplicationes, orationes, ieiunia, flagellationes, atq; aliæ carnis caſtigationes fiant: tum verò maturè prouiſum, vt diligētiſſimè in toto Ordine inquiſitiones inſtituerētur: vt ſi qui fortè ab Ochino corrupti, hæreſi aliqua aut errore in Catholicam Fidem contaminati eſſent, curarentur. Hæc autem inquiſitio, tam exacta diligentia, ac rigore vbique, potiſſimùm verò in Veneta Prouincia, in qua Ochinus Pauli epiſtolas explicauerat, ac diutiùs commoratus fuerat; præſtabatur: vt pauciſſimi duntaxat, qui Ochini calicem hauſerant; atq; hæretica illius doctrina labefactati fuerāt, Eccleſiaſticā ſeueritatē metuētes, ad Hæreticos transfugerint: Alij ab hæreſi reſipiſcentes, errores recantauerint.

*Bernardini Aſtenſis, in Religione expurganda, diligentia.*





XL. Inter eos verò, qui ad hereticos tranſmigrarunt, vnus fuit F. Hieronymus Melphitenſis, Concionator, qui etſi parum in diuinis literis eruditus eſſet, celebre tamen, in Dei Verbo diſſeminando, ſibi nomen comparauerat. Hic Ochini Veronæ auditor, cùm primùm illum ad Geneuenſes profugiſſe accepit, Fratrémque Bartholomæum à Cunio, Veronæ Guardianum, ob hæreticam doctrinam in populum diſſeminatam, ab Vrbis Epiſcopo in vincula coniectum; ſummam quoque eorum, qui Ochinum legentem audierant, aut illi amicitia coniuncti fuerant, inquiſitionem fieri percepit: proiecto habitu, ſuum hæreſis Magiſtrum, Geneuam ſecutus eſt. At breui duntaxat tempore, ea carnis libertate apud hæreticos potitus fuit. Nam cùm inde ſe ad Germanos contuliſſet; proprio ſcelere, velut triſti Oeſtro exagitatus, ſibi ipſi necem conſciuit: Infelix enim pluribus paleæ faſciculis, qui in cubiculo, ad quod dormiturus acceſſerat, ſeruabantur: igne ſpontè admoto, iuſto hæreticorum ſupplicio combuſtus eſt; cùm interim, dum combureretur, Beatam Virginem ſibi in opem fruſtrà inclamaret. Præter hunc neminem, iis duntaxat exceptis, qui Ochinum Geneuam proficiſcentem comitati fuēre, ad Hæreticos au fugiſſe reperio: Etenim ſi qui alij fuerunt, ab Ochino hæreſum labe infecti; præter vnum Bartholomæum à Cunio, qui in errore pertinax, meritas tandem pœnas luit; omnes hæreſi deteſtáta, haud ſanè abſque laude, in Religione vitæ curſum confecerunt; atque inter hos fuit, F. Franciſcus Calaber, Mediolanenſis Prouinciæ Vicarius, qui hunc ſuum à Fide lapſum, tanto pœnitentiæ luctu proſecutus eſt; vt non modò hauſtum errorem ſpontè deteſtatus fuerit; verùm & vberrimis lachrymis, vitáque maioribus in virtutibus tranſacta, erroris maculam abſterſerit.

*Fr. Hieronymus Melphitenſis ab Ochino corruptus, ad Germanos transfugit.*

XLI. Alij tandem ſub hoc tempus, qui ex variis Ordinibus, ambitionis potiùs, quàm Dei Spiritu ducti, ſub Ochino ad Religionem confluxerant, quibus ille honores, ac titulos promiſerat: cùm ſe illius patrocinio, atque ope deſtitutos viderent; Capucinis vale dicto, ad ſuas iterum Religiones remeant.

*Plerique ob Ochini lapsū à Religione deſciſcunt.*

XLII. Atque hæc quidem tam repentina, tamque omnibus manifeſta, ſpiritualis hominum clades, Religionem, iam ſupremo illo Ochini caſu proſtratam, adeò afflixit: vt nihil præterquam luctus, ac fletus vbique exaudirentur; omnia noui gemitus replerent. Denique Religio ſuis filiis, vno tempore, orbata; vſque adeò mœrore confecta fuit, vt illi haud ineptè illa Vatis verba quadrarent: *Vox in excelſo audita eſt, lamentationis, luctus, & flectus: Rachel*; Capucinorum ſcilicet Religionis, *plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eos, quia non ſunt.* Hæc tamen non abſque optimo Dei conſilio diſponebantur: qui hac calamitate, velut ventilabro, Religionis aream, tum ab Ochini zizaniis; tum etiam ab inanibus ambitioſorum paleis, permundare decreuerat. Atque ita planè factum eſt; vt quæ ex malo Ochini ſemine, hactenus exorta fuerant: vniuerſa hoc tempore, quaſi vento diſperſa, interirent.

*Ier. 31.*

XLIII. Cùm igitur Religionis res afflictiſſimæ eſſent; illius maximè afflictionem auxit, Apologia quædam; quam Ochinus, Florentia diſcedens, vt nonnullis placet, vel è Geneuenſi Vrbe, vt meliùs alij affirmant, ad Pontificem ſcripſit: in qua cùm fugæ ſuæ cauſam exponeret; tot Diabolicus Vir, in Catholicam Fidem, in Pontificem, in Romanam Eccleſiam calumnias, ac maledicentias coaceruauit: vt Pontifex, qui tunc Peruſiæ degebat, ea accepta; tam grauiter in Religionem ſtomachatus fuerit; vt inde protinus Romam eo conſilio proficiſci cogitauerit, vt totam ſimul Capucinorum Religionem, quam eouſque dilexerat, ac paterno prorſus amore complexus fuerat, funditus deleret. Sæpe enim cōtingit, vt exulceratus amor, ſæua odia gignat; & quos maximè diligimus, ſi læſus amor fuerit, maximè oderimus:

*Senenſis impiam Apologiam ad Pōtificem ſcribit.*

XLIV. Acrior, quàm excogitari poſſit: tunc in Religionem tempeſtas ſæuiebat. Vix enim Ochini à Catholica Fide, & ab Eccleſia receſſus, Pontifici, ac Romanæ Curiæ innotuit: cùm protinus fama talaribus addidit alas; velóxque tam publicæ Ochini

*Capucinorum ob Ochini lapſum res afflictiſſima.*

Apoſtaſiæ, tum Pontificis iræ, ac indignationis, rumor per totum Chriſtianum Orbem diffuſus, Capucinos vbique populis ſuſpectos, atque inuiſos reddidit. Qui enim illos priùs tanquam Sanctos, ac cæleſtes homines venerabantur; cùm ex Ochini Generalis lapſu, & æmulorum calumniis, ea falſa opinione imbuti fuiſſent; vt totum Religionis corpus Hæretica tabe infectum eſſe, ſibi perſuaderent: omnes tunc Capucinos hypocritas, ac hæreſi contaminatos exiſtimant, vitant, atque angue peiùs fugiunt: ita vt ij vix, vel in publicum prodire, vel vllo loco apparere poſſent; quin digito demonſtrati, variis à populis ſcommatibus, ac ſarcaſmis exciperentur. Res eò tandem calamitatis deuenerat; vt cùm iis ob id quotidianæ eleemoſynæ, ad victum neceſſariæ, ab omnibus penè denegarentur; vitam in ſumma rerum omnium egeſtate, ac neceſſitate tranſigerent.

XLV. Grauem hanc Religionis calamitatem; grauiorem, atque atrociorem, Capucinorum æmuli præſtabant: qui hanc demoliendæ Reformationis opportunitatem nacti; Cardinalium, atque ipſius Pontificis animum, ad Capucinorum extinctionem ſollicitabant; atque Ochini caſum exaggerantes, Capucinos omnes eodem ſcelere obſtrictos eſſe perſuadebant. Hinc cùm Hæreticos illos vbique proclamarent, populos, atque adeò ipſos Capucinorum beneuolos in Religionem ita commouebant; vt illis patrocinium ab iis impenſum exprobrarent; neque vllo modo in Eccleſia ferendos, apud omnes prædicarent: nihilque praui officij ab iis prætermittebatur, quo afflictæ Religioni grauiſſimam afflictionem adderent. Denique eò illorum in Religionem odium excreuerat; vt ſi quos fortè in Vrbibus Capucinos ſibi obuios haberent; extemplò clamarent: En Hæreticos, en Hypocritas? Quouſque tandem, ô Capucini veſtra Orbem hypocriſi circumuenietis? Iam ea cunctis aperta eſt: nihil ea manifeſtiùs? Breui ad funera rapiemini. His, & aliis pleriſque dicteriis, ac contumeliis Capucini cùm ab æmulis exciperentur: iis non lingua, ſed humilitas; demiſſúmque præ ignominia, ac confuſione caput, reſpondebat.

*Æmuli in Capucinos inuehuntur.*

XLVI. Qui verò eouſque Capucinorum amici, ac fautores extiterant; tam ingenti tempeſtate, ac graui Pontificis, aduerſùs Religionem, indignatione perterriti, hoc tempore, vel ab ea declinarunt: vel ſi qui beneuolum in eam animum ſeruarunt; cùm rem periculis plenam animaduerterent, Pontificiſque animum à Religione alienatum intelligerent; eius potiùs vices dolore, quàm aut officiis, aut patrocinio proſequi videbantur. Quo ſanè fiebat, vt cùm grauiſſima, ac penè intolerabilis vndique Religionis tribulatio ſeſe offerret: ea meritò in illas deſolatæ Ieruſalem lachrymas, ac verba, quæ apud Hieremiam leguntur, erumpere valeret: *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduerſùm me tempus, vt contereret electos meos. Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti. Idcircò ego plorans, ac oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me conſolator.*

*Capucinorum amici vix illos agnoſciit.*

Hier. tren. 11.

XLVII. His pro ſupremo afflictionis colophone acceſſit, quòd Frater Timothæus laïcus, olim F. Iacobi Melphitenſis ſocius, qui ex ObſeruantiumFamilia, cum eo ad Capucinos acceſſerat: cùm ob commiſſum crimen à Bernardino Aſtenſi, dum Generalis erat, ſalutari quadam pœnitentia mulctatus fuiſſet, id tam moleſtè tulit: vt hâc temporis opportunitatem nactus, Bernardinum ipſum, & cum eo ſimul totam Religionem, tanquam hæreſi infectam, apud Pontificem accuſauerit: Bernardino quidem duo crimina obiicit. Primum, quòd Ochinum, dum Neapoli prædicaret, de hæreſi notatum, ad Comitiorum concurſum admiſerit. Alterum, quòd is de Ochino dixiſſet, illum verè hominem eſſe iuxta cor ſuum. Religionem verò eo crimine accuſauit, quòd Ochini fermento tota conſperſa eſſet. Hæc Timotheus Bernardino, ac Religioni; eo præſente, coram Pontifice crimina obiecit. Cui Bernardinus nihil, præter hæc verba, reſpondit: Pater Beatiſſime, Dei vox eſt: *Vir linguoſus non dirigetur in terra, & virum iniuſtum mala capient in interitu.* Falſa accuſatio, apud Deum impunis non erit. Pontifex verò, cùm integram cauſam Cardinali

*F. Timotheus Bernardinū Aſtenſem apud Pontificem calumniatur.*

*Bernardinus Timotheo coram Pontifice reſpondet.*

Carpenſi



Carpenſi Protectori demandaſſet, facilè Bernardinus apud illum obiecta ſibi crimina diluit. Quod enim ad primum ſpectat; ita rem accidiſſe narrat. Ochino Neapoli, paulò ante Neapolitana Comitia Dei verbum diſſeminanti, nonnullæ propoſitiones, quæ Hæreſim ſapere videbantur, adſcriptæ fuerunt: quæ cùm ad ad Pontificem delatæ fuiſſent, eo rationem reddente, ab iis omnem erroris labem penitus abſterſit: ita vt Pontificis iudicio plenè iuſtificatus fuerit. Bernardinus igitur, hac ratione primum hoc criminis caput diluit; quòd Ochinus tunc minimè hæreſis ſuſpectus eſſet, quum ad comitia acceſſit: Cùm eum Pontifex ab hæreſis ſuſpicione abſoluiſſet: ac proinde in Comitijs concurſus iurè illi denegari non poſſet: Alterum quoq; Caput faciliùs repulit: cùm enim illud Bernardinus negaret, atque à Timotheo quæreret, quocum de Ochino ijs verbis collocutus fuiſſet: iſque neminem præter ſeipſum teſtem allegaret. Subridens Bernardinus: En, inquit, Illuſtriſſime, & Accuſatorem & Teſtem. Equidem ſi de Ochino mihi colloquendum erat, non is mihi amicus eligendus fuiſſet, quem paulò ante ob delictum carceri mancipaſſem, ac pœnis inſectatus fuiſſem: fidelior profectò, & charior mihi Achates quærendus fuit, cui amicè, ac confidenter hæc verba committerem. At verò, quàm longè mihi ab hac ſententia animus fuerit; grauiſſimi Religionis Patres, quibuſcum de Ochini vita, atque Ordinis adminiſtratione, extremis præſertim ſui Generalatus temporibus, quæ ad morum licentiam, & Ordinis deſtructionem tendebant, contuli; ampliſſimi teſtes eſſe poſſunt.

*Bernardinus obrectus calumnias coram Protectore diluit.*

XLVIII. Quòd verò ad Religionis accuſationem pertinet: Quàm diligentiſſimæ, atque exactiſſimæ in tota Religione inquiſitiones fierent, ne vel minima Ochinianæ infectionis macula inabſterſa ſupereſſet, Protectori adamaſſim narrat. Timotheus verò, Religionis, ac ſuorum proditor, iuxta Bernardini verbum, ſeueram Dei vltionem non effugit. Nam cùm Capucinorum habitu, quo ſe indignum iudicauerat, relicto; ad Obſeruantium Ordinem rediiſſet, in eoq; proprietarij crimine conuictus, iuxta delicti menſuram plagas quoque accepiſſet: ijs nihilo melior effectus, Religionis temerè iugum excuſſit; atque inter Ordinis Apoſtatas, horrendo Dei iudicio, ſupremum diem infeliciter clauſit.

*F. Timotheus ad Obſeruātes redit, & ea moritur.*

XLIX. Inter hæc Pontifex in Capucinos ſtomachabundus, Peruſia Romam redit: quo in itinere, cùm quoddam Capucinorum Monaſterium, quod Interamne, non longè à Spoletana Valle, in loco Montis pendulo, eminebat, procul aſpexiſſet; à ſuis percunctatur, quorumnam illud Monaſterium eſſet; mox verò, vt illud Capucinorum eſſe didicit. Iam profecto (ait) propediem, neque Capucini, neque Capucinorum Monaſteria erunt. His paſſim, atque aliis verborum teſtimoniis, cùm ſe Pontifex, Religionis interitum mente agitare oſtenderet: maximus, ob id, Capucinorum familiam terror inuaſerat; tenellæque Religionis Nauicula, tam vndoſa tempeſtate iactata, concitatis vndique in eam procellis, in ſummo naufragij diſcrimine verſabatur: neque alia euadendi ſpes illi relicta eſſe videbatur; quàm quòd diuinum illi è cælo præſidium effluerct. Quamobrem cùm fratres omnes, aſſiduis ſe ieiuniis, vigiliis, ac variis carnis macerationibus afflictantes, diu noctuque, orationibus vacaret, ac Dei opem profuſis lachrymis expoſcerent: benigniſſimus Deus, qui ſuos in tribulatione non deſerit, puſillum gregem conſolari; ac conſternatos animos, cæleſtium viſionū aſpectu, in meliorem ſpem erigere voluit.

*Pontifex Religioni interitum minatur.*

L. Hoc namque tempore, cùm vbique apud Capucinos, ac præſertim in Conuentu Aquæſpartæ, ſeu Porcariæ, in quo frater Raynerius Biturgienſis, magnæ ſanctimoniæ vir, Guardianus erat, ob imminens Religionis periculum, non ſolùm creberrimæ orationes fierent: ſanctiſſima quoque Euchariſtia, diu noctuque ita expoſita eſſet, vt fratres, diſpertitis ſibi horis, ante illam indeſinenter orarent. Mulier quædam, tertij Ordinis Beati Patris Franciſci, deuotiſſima, quæ cælibem in omni pietate, atque orationis aſſiduitate vitam ducebat: Cui propterea frequens ad orandum erat Capucinorum Eccleſia: cùm nulla temporis intermiſſione, ſanctiſ-

*Religionem Deus multiplici viſione conſolatur.*

ctiſſimam

ſimam Euchariſtiam publicè in Eccleſia expoſitam cerneret: cauſamq; à Guardiano exquireret, ab eo audit, ob grauiſſimam Religionis neceſſitatem, ex qua illius ſumma penderet; diurnas, nocturnaſque à Fratribus orationes fieri. Guardianus quoque cùm mulieris virtutem, atque apud Deum merita non ignoraret; ab ea ſollicitè expoſcit, vt Religionem Deo fuſis precibus commendet. Non recuſat pia Mulier, ſuam apud Deum pro Religione, quam ardentiùs diligebat, operam præſtare. Quapropter cùm per aliquot dies orationi vacaſſet; ac pro Religionis neceſſitate, quæ eouſque illi ignota erat, à Deo remedium poſtulaſſet: accidit, vt nocte quadam, dum pro ea feruentiùs orat, in mentis exceſſum rapta, Paulum 3. Pontificem, Cardinales, ac quamplurimos Principes ſimul congregatos, ac velut in circulum conſedentes, conſpiceret: ad quorum pedes puſilla Capucinorum familia genuflexa, ac tremens; Iudicium, quo Religionis habitu expoliaretur, ab his proferri expectabat. Res iam planè inter eos deliberata videbatur; cùm Chriſtus Dei Filius cæleſti ſplendore, ac purpureo veſtimento fulgens, repentè è Cælo dilabitur; atque in aëre eminentiùs apparet; qui Pontificem, ac reliquos ſeueriori oculo contuens; Quodnam, inquit, iſtud iudicium eſt, quod ſine me temerè agitatis? Deſinite iam in huius Caputij exitium conſpirare. Quòd ſi illud, vſque ad extremam Orbis periodum, incolume permanere volo; quid vos fruſtrà in id Conſilia, ac humanas vires exeritis? Cumque hæc verba ter ingeminaſſet; rurſus in Cælum recipitur. Eo Chriſti aſpectu, ac verbis, Pontifex, ac reliqui preterriti, nihil vltra tentare auſi ſunt: quare conſeſſus abſque iudicio diſſoluitur: Capuciniſq; ad ſua liberè remeantibus, viſio diſparuit. Mulier verò, cui diuinum hoc arcanum reuelatum fuerat; cùm primum diei crepuſculum illuxit; feſtina ad Monaſterium pergit; & quæ diuinitus ſibi demonſtrata fuerant, Raynerio aperit: qui cùm hæc ad Religionis ſolatium, & ad multorum animos ſubleuandos, qui graui hac calamitatis ſarcina penè obruebantur, velut cæleſtis lactis pocula, è diuino vbere expreſſa, ac profecta eſſe non obſcurè intelligeret; mox ſollicitè curat, vt hoc ſupernæ clementiæ, ac benignitatis teſtimonium pluribus innoteſcat, quo grauiſſimum iſtud tribulationis pondus leuiùs, ac faciliùs ab iis tolerari queat.

*Mulieris lethargia viſio narratur.*

Altero quoque diuinæ benignitatis teſtimonio, Deus Opt. Max. graues huius LI.
calamitatis anguſtias, quæ plurimorum animos proſternebant, demulcere voluit. Cùm enim in Conuentu Fauentiæ, Bononienſis Prouinciæ, F. Bonauentura à Cremona ſacerdos, qui inter Illuſtriores huius tempeſtatis Patres adnumeratur, hoc eodem tempore inter orationes, ieiunia, atque alias carnis macerationes, ob Religionis periculum, ſtudioſiùs verſaretur: rumore vbique diffuſo, quòd Capucinorum Religio breui à Pontifice extinguenda eſſet; iuges in oratione lachrymas fundebat. Dum igitur, poſt meridianum tempus, in Cella Deum feruentiùs orat; ſæpeque ad quandam B. Virginis Imaginem, quæ illi in proſpectu erat, oculos intendens, magno lachrymarum imbre, Religionis illi periculum commendat; manum ſibi inuiſibiliter apprehendi, ac concuti ſentit, quaſi qui è graui ſomno excitaretur; atque eodem temporis momento, mulierem ſplendidam, ac Sole lucidiorem ſibi adſtantem videt; quæ his eum verbis alloquitur: Quid ploras Bonauentura? quid gemis? quid eſt, quod tantopere animum tuum excruciat? Expauit primo aſpectu Bonauentura; at blandis illis verbis confirmatus, cùm eam B. Virginem, Dei Matrem eſſe, diuino intus lumine illuſtratus agnoſceret: mox ad illius pedes prouolutus: Heu Virgo Beatiſſima, (inquit) miſerorum omnium ſpes ac perfugium ſingulare. En deſolatæ Religionis meæ vices plurimùm doleo; quæ tantis, vt vides, eſt anguſtijs demerſa, tamque ingenti in diſcrimine verſatur; vt nihil magis nobis extimeſcendum ſit, quàm quòd diuina ope deſtituta, citò ad occaſum properet; infelixque inter ipſa ortus incunabula ad funera rapiatur, niſi tu noſtri miſerta pro nobis ſtes: puſillaque hæc familia, quæ te obſtetricante parta eſt, te quoque protegente, ſeruetur; & ad perfectum excreſcat. Cui B. Virgo: Ne

*F. Bonauentura Cremonenſis, Sacerdos, virtute præclarus.*

*Beatiſſimæ Virginis colloquio petitur.*

timeas



timeas, inquit, Fili; haud cadet Capucinorum Religio, incolumis ſtabit. Hoc vnum exploratum habe, Congregationem iſtam ità à Filio meo diligi, vt ab eo nullo vnquam tempore deſerenda ſit: At verò neceſſe fuit eam à nonnulla, quæ in ea latebat, tabe purgari; Porrò id tantùm, quod putridum erat, abſcindi oportuit; quod verò ſanum eſt; incolume ſeruabitur. Metum omnem abijce, plurima enim eſt Filio meo, ac mihi, in hanc Religionem voluntas, ac dilectio. His dictis, cùm ſe ex illius aſpectu Virgo ſubtraxiſſet; ſanctum Virum, & cum eo, quotquot huius viſionis poſt hæc conſcij fuêre, conſolatos, ac recreatos reliquit. Plurimos quoque alios ſanctos Viros hoc tempore cœleſtibus hiſce viſionibus à Deo confirmatos fuiſſe, communis fama fuit; quibus ſumma Dei benignitas conſternatos ſuorum animos in meliorem ſpem erigebat.

*Cur ea tribulatio Religioni immiſſa fuerit, à B. Virgine declaratur.*

LII. Bernardinus quoque Aſtenſis, ac plerique alij ex Patribus, quos Deus robuſtiori ſpiritu, ad perferendos Religionis labores, donauerat; ac præſertim Franciſcus Aeſinus, cui iam ex Nouitij illius viſione ea Religionis tribulatio, antequam exorta eſſet; necnon Dei conſilium perſpectum fuerat: verbo, ac per literas plurimùm Fratres ſolabantur; atque in certa diuinæ benignitatis ſpe confirmabant. Religionem à Deo miro modo excitatam, partam, enutritam, auctam, ante oculos ponunt: ac proinde, cùm diuinum opus ſit, diſſolui non poſſe, ſed ad perfectum excreſcere oportere, ad mentem reuocant: priſcas etiam ſuæ fundationis reuelationes, tot diuinis teſtimoniis confirmatas, quibus ampla Religioni propagatio ſeruatur, facilè euaneſcere non poſſe commemorant: Euangelicam domum non niſi ventorum turbine, ac tempeſtatum procellis probari, atque à reliquis ſecerni, quibus arenoſum fundamentum ſubſternitur, omni ſtudio perſuadent. Antiquas præterea, ac perpetuas Religionis tempeſtates, quas tum ab exordio pertulit, tum in iis enutrita, roborata, atque eouſque dilatata fuit, iis animo reuoluendas obiiciunt, quæ cùm ad ipſius amplitudinem, ac propagationem potiùs quàm ad interitum, ac naufragium, hactenus profecerint: idem planè, & in hac, tametſi grauiſſima Religionis procella, de Dei benignitate ſperandum eſſe, velut certum affirmant. Poſtremò hanc Religionis calamitatē, non ad ipſius occaſum: ſed, vel ad probationem, vel ad vitiorum expurgationem, vel tandem ad maiorem virtutis profectum à Deo diſpenſari, ex nouis reuelationibus, ac Dei ipſius teſtimoniis, comprobant. His, atque aliis argumentis, ex diuino præſertim conſilio, ac benignitate ductis, conſternati, ac penè deiecti Fratrum animi erecti; ac in meliorem ſpem inducti fuêre.

*Bernardinus Aſtenſis, & Franciſcus Aeſinus Fratrum animos ſubleuant.*

LIII. Plerique etiam, qui ſingulari Religionem beneuolentia complectebantur, graui illius calamitate commoti, hoc tempore impenſiùs pro ea Dominum rogabant, In his Camaldulenſes Patres fuêre, qui antiquam erga Capucinos charitatem, ac beneuolentiam fouentes, pias ad Deum pro Religione preces, ac orationes fundebant. Potiſſimùm verò Sanctimoniales Monaſterij S. Mariæ in Hieruſalem, Neapolitanæ Vrbis, quarum Capucini ipſi curam gerebant; cùm amantiſſimæ Religionis periculum metuerent; non modò pro ea aſſiduas Deo ſupplicationes, ac lachrymas offerebant: verum & arctiora panis, & aquæ ieiunia, cilicia, ac pleraſque alias corporis afflictiones iis addentes, ampliorem illi à Deo miſericordiam exorabant; ac præſertim Maria Longa, illius Monaſterij Fundatrix, atque Abbatiſſa; Mulier omni virtutum genere ornata; quæ nullis piis, tam erga Pontificem, quàm Principes, quibus illius virtus, ac ſanctitas perſpecta erat, officiis vnquam defuit, quibus proſtratam Religionem ſubleuaret.

*Camaldulenſes pro Religionis calamitate Deum rogant.*

Huius præclaræ Abbatiſſæ, quæ hoc anno ex humanis ſublata, Cælum conceſſit; vita omnium virtutum ſplendore ita fuit illuſtris, vt nos ad præclara illius geſta, obiter enarranda, hoc loco meritò euocet.

MARIÆ

# MARIÆ LONGÆ.

*Sacræ Domus incurabilium, & Capucinarum S. Mariæ in Hieruſalem, in Neapolitana Vrbe Fundatricis, Vita & geſta.*

*Maria Longa Incurabiliũ Domum fundat, atque illius ſe obſequiis mancipat.*

LIV. HIs igitur hîc conſultò prætermiſſis, quæ anno 1539. de illius conuerſionis exordio enarrata ſunt. Mira huius Mulieris pietas tunc primum enituit, cùm habitu Tertij Ordinis B. P. Franciſci ſuſcepto, atque Incurabilium hominum, ac fœminarum xenodochio, ſuis potiſſimùm opibus extructo, illius ſe obſequiis, ac miniſterio mancipauit. Tunc enim nobiliſſima Fœmina, vtroque, & Marthæ, & Mariæ officio fungens, tanta ſollicitudine, ac pietate infirmorum curæ incumbere viſa eſt: vt ipſamet ſua manu lectos ſterneret, cibos pararet, fercula miniſtraret, pauimentum verreret, vaſa expurgaret; neque vlla, tametſi vilia, pietatis officia exhorreret. Non ſe nobilem, aut delicatam, aut domus præfectam intuebatur: ſed perinde ac ſi omnium ancilla eſſet, ita cunctis ægris ancillabatur; vt vniuerſis inſeruire, cunctos verbis conſolari, omnibus adeſſe vellet: cum flentibus fleret, cum lugentibus lugeret, cum dolentibus doleret; omnes velut filios in animo, ac ſinu geſtare videretur. Confluebat ad nouum huius rei ſpectaculum Neapolitana Nobilitas, cúmque illuſtrem Fœminam, linteo præcinctam, hùc atque illuc, quò infirmorum cura, ac miniſterium vocabat, officioſiſſimè diſcurrentem; res medicas, quo opportunè adminiſtrarentur, curantem; cibarias ſumma diligentia adminiſtrantem: his, quæ ad lectorum munditiem, ac ſupellectilis nitorem ſpectabãt, maximo ſtudio inuigilantem: ægrotorum curæ tam ardenti pietate incumbentem: vt ipſa quoque vlcera purgaret, ſaniem exprimeret, lineo panno abſtergeret, atque alia charitatis officia, tametſi horrida, ac difficilia, præſtaret: nullis denique laboribus, ac vigiliis parcentem cerneret, quò pium munus, pro Chriſto ſuſceptum, omni diligentia exerceret: vniuerſi tam animo compuncti, atque ædificati inde abſcedere videbantur, vt cuncti piam, omnes ſanctam vbique prædicarent.

*Ipſius in ægrotis curandis charitas & diligentia.*

LV. Nec tamen illuſtriſſima Mulier, ob quotidianum, ac ſollicitum Marthæ miniſterium, Mariæ opus, ac optimam partem deſerebat. Certas enim ſibi horas orationi, ac mentis in Deum aſcenſui, nocturno præſertim tempore, deſtinatas elegerat; in quibus tam ſuauibus Dei amplexibus fruebatur; tantámque è Cælo lucem animo hauriebat: vt cùm Mulier inerudita eſſet, nec vllis vnquam literariis ſtudiis vacaſſet, ſcripturas tamen tam profundo, ac Catholico ſenſu intelligeret, ac interpretaretur, vt B. Caetanus, qui inter Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, Ordinis Fundatores adnumeratur, Vir Theologus, ac de diuinis literis benemeritus, dum Neapoli degeret, ſpiritualémque ipſius curam ageret, ex ipſius ſermonibus, ad ſcripturas intelligendas, plurimùm ſe lucis hauſiſſe fateretur. Eodem quoque cæleſti lumine illuſtrata, futura nonnunquam prænuncians: tanta in conſulendo ſapientia præſtabat, vt magna tum nobilium, tum aliorum multitudo ad eam, velut ad oraculum conflueret.

*In oratione plurima à Deo luce perfunditur.*

LVI. Verùm, vt animum faciliùs ad diuinam ſapientiam transferret, orationi abſtinẽtiam, ac victus parcitatem adhibendam cenſuit: quamobrem in Dominicæ Paſſionis memoriam, qualibet ſexta feria ab omni, præterquam panis, & aquæ alimento abſtinebat: ſabbato verò ob Virginis honorem, vix panis madefacti pultem his addi patiebatur. His dum pia Mulier operibus incumberet, atque illius Domus ita adminiſtrationi vacaret; vt nulla in ægrotorum cura pietatis officia prætermitteret. Deus quoq; vt quàm grata ea ſibi obſequia eſſent, declararet; neceſſaria illi tum rerum, tum perſonarum, quæ in ægrotorum cura miniſtrarent, ſubſidia, miraculo plerumq; prouidebat. Contigit enim aliquando, vt Miniſtrorum incuria, panis ad ægrotantium cibum in Hoſpitali deficeret; refectionis verò hora pro iis interpellante, miniſtrantes animo confuſi, quid agerent, ignorabant: mox Dei Opt. Max. prouidentia factum eſt; vt eo tempore bini muli pane onuſti ad Domus ia-

*Ægrotis Deus miraculo prouidet.*

nuam



nuam appellerent. Cúmq; nullus iis Agaſo, ac ductor adeſſet; neq; vnde, vel à quo eò miſſi fuiſſent, vlla diligẽtia adhibita agnoſci poſſet: id prorſus diuinæ Prouidẽtię miraculo adſcriptum fuit: quo illud Deo opus gratum eſſe comprobaretur.

LVII. Altero quoq; teſtimonio, ſanctæ huius Mulieris pietas à Deo commendata fuit. Cùm enim ob notam Mariæ pietatem, ac ſanctimoniã, probamq; Domus hoſpitalis adminiſtrationem, res familiaris adeò excreuiſſet, vt non modò ægrotis ſufficeret; verùm, & egenis ad eam confluentibus eleemoſynæ erogarentur: ſemel accidit, vt paupercula quædam, quæ fame conficiebatur, à Maria panis eleemoſynam peteret, quæ ſtatim eam illi erogari iubet. Ancillæ verò, quibus panis cura commiſſa erat; cùm eo tempore, nihil prorſus in Domo panis ſupereſſe reſponderent: Ite (inquit) & diligentiùs inſpicite, num aliquid panis ſuperfuerit, quod huic noſtræ Sorori egenæ detur. Pergunt illæ, vt Mariæ iuſſa impleant, arcámque panariam recenti, ac candido pane, vſque ad os refertam inueniunt: nec vlli dubium fuit, quin is Mariæ oratione, ac merito à Deo impetratus fuerit.

*Ipſius Oratione, & charitate Deus Panem multiplicat.*

LVIII. Mira erat huius Mulieris erga omnes, ac præſertim ægrotantes charitas, quorum non ſolùm corpora, ſed & animas curare ſtudebat. Meretrix enim quædam lue venerea infecta, ad Hoſpitale aliquando acceſſit; cui cùm Maria ſedulò inſeruiiſſet; tandem recuperata valetudine, diſcedentem obnixè rogat, vt ab illo infami vitæ genere abſtineat: At illa Mariæ monita contemnens, iterum turpi ſe operi proſtituit. Verùm infelix, morbo illo iterum ob turpitudinem contracto, cùm denuò ad Hoſpitalem Domum curanda rediiſſet; Maria iterum illius cura ſuſcepta, atq; omni diligentia adhibita, ad priſtinam illam incolumitatem reuocat; rurſumque illam impenſiùs deprecatur, vt tunc ſaltem ab ea vitæ turpitudine reſipiſcat; nec tamen id ab ea, iamdiu malo aſſueta, obtinere potuit. Quamobrem Maria de animæ potiùs, quàm de corporis illius incolumitate ſollicita, ante Chriſti Crucifixi Imaginem genuflectens, Dominum rogat, vt ſi ea rurſus ad turpe opus rediret: eam tali morbo affligtari permitteret, à quo deinceps incolumis euadere nunquam poſſet. Quid plura? Deus Ancillæ ſuæ preces irritas eſſe non eſt paſſus: nam vix nonnullis diebus elapſis, cùm miſera ad vomitum rediiſſet; tam diris doloribus vexari cœpit, atque incrudeſcente lue, tam ad deformitatem inſignis euaſit: vt vix humana in ipſius vultu ſpecies agnoſci valeret; atque hoc modo ad Hoſpitalem Domum iterum delata, in ea peccatis, ac vitæ finem impoſuit.

*Meretricem bis, ſumma charitate curat.*

LIX. Dum piis Maria hiſce operibus vacat: accidit, vt grauis peſtilentia Neapolitanam Vrbem inuaderet; quo tempore, cùm loca eo morbi contagio infecta, occludi, ac obturari ſoleant; pertimeſcebat pia Mulier, ne Incurabilium Domus, ob ægrotos confluentes, aliquando à Ciuibus obſtrueretur; quare ſummo ſtudio inuigilabat, ne infectio, aut tabes aliqua in Hoſpitale irreperet. Accidit tamen, vt Tertiaria quædã, Maria nomine, quæ Mariæ ipſi idcircò chariſſima erat, quòd omnium quæ in ea Domo miniſtrabant, honeſtiſſima, ac pietate plena eſſet, peſtilentia corriperetur. Quare cùm Maria, tum ob mortale chariſſimæ Sororis periculum; tum etiam, quòd Hoſpitalem Domum ob id obſtruendam, ægrotóſque eo ſubſidio priuandos exiſtimaret, magnoperè affligtaretur; ad Deum ſibi confugiendum cenſet. Quare Sacellum ingreſſa, Deum vehementiùs orat, vt dilectam ſibi Sororem ſeruare, ſimulq; ægrotantium curæ conſulere, pro ſua benignitate velit: cúmque diu in oratione perſtitiſſet: tandem Dei fiducia plena: ab oratione ſurgẽs, ad Mariæ Sororis lectum accedit, eiq; paratum cibum adminiſtrat; quo ſumpto, eam aliquãtiſper iubet quieſcere: Ea verò iterũ ante Dominũ proſtrata, pro ea preces, ac lachrymas fũdit. Quid plura? Haud immeritò ſanè olim dixit Apoſtolus. Multùm valere deprecationem Iuſti aſſiduam, Tanta enim fuit illius orationis vis, vt ægra poſt breuem ſomnum experrecta ſe à peſtilenti febre diuinitùs curatam, atque adeò perfectè incolumem ſenſerit, perinde ac ſi nullo vnquam morbo laboraſſet: protinúſque ad miniſterium rediens, Deo liberatori gratias agit.

*Maria Tertiaria peſte corripitur.*

*Maria Longa Oratione ſanatur.*

LX. Eo ſancta Mulier Dei amore, atque animarum zelo æſtuabat: vt cùm publica in Deum peccata ferre non poſſet; frequenter ad lupanaria ſe conferret; meretricéſque piis ſermonibus ab ea vitæ turpitudine reuocare conaretur; at neque vnquam ab eis, abſque aliquo animarum lucro, abſcedebat. Aliquas enim, quas ex Erebi faucibus erutas, ad meliorem vitæ frugem prouocauerat, vel honeſtis viris collocabat, vel ſecum ad Domus Hoſpitalis miniſterium ductas, propriis eleemoſynis fouebat; quas verò ad rectum vitæ inſtitutum pertrahere minimè poterat; ab iis impetrabat; vt die ſaltem Veneris, ob Dominicæ Paſſionis reuerentiam, ab illicita Venere abſtinerent: ac turpem quæſtum, æqua illis erogata pecunia, compenſabat; ſic pia Mulier, & diuino honori, & animarum ſaluti conſulebat. Nec minorem erga Defunctorum animas, quæ pœnis purgatoriis cruciantur, pietatem in animo gerebat; hoc enim tempore inſtituit; vt in cuiuſlibet diei Veſpere, ſignum campana ederetur, in quo oratio Dominica, & Angelica ſalutatio pro Defunctis ab omnibus; qui in Hoſpitali degerent, deuotè recitarentur.

*Lupanaria adit, & pretio promiſſo meretrices à peccato reuocat.*

*Orationem veſpertinam pro Defunctis inſtituit.*

LXI. Per id tempus, nimirum circa annum 1519. Neapoli Dei Verbum diſſeminabat D. Caliſtus Placentinus: Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium: cuius opera Confraternitas, quæ vulgò Alborum nuncupatur, olim in Eccleſia ſanctiſſimæ Trinitatis, iuxta Regium Palatium, inſtituta, rurſus excitata fuit: cui ex pio inſtituto incumbit, ad mortem damnatos verbis adhortari, & ad extremum illud ſupplicium æquanimiter ſubeundum, piis ſermonibus eorum animos præparare. Hæc porrò Confraternitas, cùm in Eccleſia S. Petri ad Aram prius erecta fuiſſet; hoc tẽpore in Oratorium, cuius titulus eſt. *Sancta Maria ſuccurre miſeris.* quod in ipſa Incurabilium Domo extructum cernitur, tranſlata fuit; ipſámque Hoſpitalem Domum plurimùm ſuis laboribus iuuit: id enim in ea piè inſtitutum fuit: vt qualibet Sabbathi die Confratres, albis Confraternitatis veſtibus induti, publicam in Vrbe, pro Hoſpitalis Domus ſubſidio, eleemoſynam quærerent. Quo factum eſt, vt hac Confratrum pietate, vberioribus Incurabilium Domus eleemoſynis excreſceret; plurimíque Nobiles ad illius miniſterium confluerent. Cùm itaque Deo pium Opus fouente, Hoſpitalis Domus, re familiari, ac Miniſtrorum numero augeretur; cogitauit pia Mulier ab illius ſe adminiſtrationis onere ſubtrahere; quò liberiùs orationi, atq; internis animi exercitationibus vacare poſſet. At dum hæc mente reuoluit, diuinúmque conſilium, ac voluntatem, enixè inter orandum, ſibi patefieri expoſcit; vocem è Cælo ſibi dicentem audit. Maria, Maritumne tuum olim diligebas? Cui Maria, admirans vndenam illa vox erumperet: diligebã profectò, inquit. Iterũ vox. Tuoſne liberos diligis? Diligo, reſpondit. Tertiò quoq; vox addidit. Me quare non diligis; qui te tot donis, ac beneficiis accumulaui, atque integram tibi membrorum incolumitatem reddidi? Intellexit tunc Maria, quòd Dominus ſuum minimè conſilium, ac deliberationem probaret, qua ſe ab Aegrotorum, quos ſibi Dominus velut liberos, ac ſeipſum alendum dederat; cura, & adminiſtratione euocare cupiebat. Quare ex eo tempore diligentiùs, ac maiori ſtudio cœpit Aegrotantium curæ incumbere; neque ab ea deſiſtere vnquam voluit; donec ad maius, ac præſtantius perfectionis opus à Domino vocaretur.

*Alborum Cõfraternitatis ergà Incurabilium Domũ pietas.*

*Maria ab Hoſpitalis Domus adminiſtratione ſe ſubtrahere cogitans, Dei voce prohibetur.*

LXII. Hoc tempore Capucini Fratres, in hac Vrbe primùm apparuêre: qui à Maria hoſpitio excepti, quemadmodum anno 1530. dictum fuit, ipſius opera Eccleſiam S. Euphebij extra Vrbem, à Vincentio Caraffa tunc Vrbis Archiepiſcopo, obtinuerunt.

*Capucini Neapolim aduentantes à Maria hoſpitio excipiuntur.*

LXIII. Expeticrat iãpridem pia Mulier, cùm primũ ſanitatis donũ à Deo B. Virginis merito cõſecuta fuit: ſanctũ Domini Sepulchrũ, ac ſacra Hieroſolymorum loca inuiſere; tantóque huius rei ſtudio, ac cupiditate tenebatur: vt ob id à ſacræ Domus adminiſtratione ſeipsã abdicare cogitaſſet. Cùm verò piũ hoc animi ſui propoſitũ à Dei voluntate præpediri cerneret; deſiderium ſuum coram Domino in oratione expandens, ab eo (vti fama eſt) audit, magis ſibi gratum fore; ſi Hieroſolymitanæ peregrinationis loco, Monaſterium Virginum ſub titulo S. Mariæ in Hieruſa-





lem extrueret. Quamobrem Maria, vt Domini iuſſis obtemperet, vniuerſum vectigal, atque annuos Domus ſuæ fructus congregans, Monaſterij ſub eo titulo ædificationem aggreditur: quo breui tempore extructo; cùm Hoſpitalis incurabilium domus adminiſtrationem, Mariæ Aerbæ Termulanorum Duciſſæ, quæ ipſius exẽplo, atque hortationibus; à ventoſa rerum mundanarum vanitate, ac illecebris, quibus aliquandiu animum addixerat; ad honeſtiſſimum, ac virtute plenum, ſe vitæ genus contulerat: totumque animi ſtudium piis operibus dicauerat; commendaſſet: Domino afflante, eò cum duodecim Virginibus, quæ vltro cæleſtis ſponſi connubium elegerant, iam ſexagenaria ſe confert: atque Apoſtolica auctoritate fulta, ſolemnem votorum formulam, ſub titulo tertij Ordinis B. P. Franciſci, & directione Regulæ ſanctæ Claræ, cum his religiosè concipit. Eo tempore Theatini Patres Neapolim accedentes, fixum in ea Vrbe domicilium ſtatuere cogitabant: quibus pia Mulier, Domum quandam Hoſpitali propinquam, in qua hoſpitarentur, pro tempore aſſignat; donec ij Eccleſia ſancti Pauli potiti, Cœnobium ibi ampliſſimum conſtruerent. Inter alios huius Congregationis Patres, B. Caietanus Thiene qui inter præclaros illius Inſtitutores adnumeratur; per quatuor circiter annos Mariæ, ac cæteris Monialibus Sacramenta adminiſtrauit, ac tandiu eiuſdem Monaſterij curam egit; quo ad ipſis diſcedentibus, Capucini Fratres in eorum locum ſubrogarentur.

*Dei monitu Monaſterium B. Mariæ in Hieruſalem fundat.*

*Theatini Patres Neapolim appellãt.*

LXIV. Maria itaque, ſimulatque Religioſam vitam profeſſa; atque Apoſtolico diplomate, perpetua illius Monaſterij Abbatiſſa conſtituta fuit, cùm Theatinos Patres, ab illius ſe cura abdicaſſe cerneret; Capucinos in hanc operis ſollicitudinem vocat: qui cùm à primæuæ Congregationis inſtituto, à Monialium adminiſtratione abhorreant, diu munus illud recuſarunt: Mariæ tamen precibus, ac beneficiis deuincti; cùm plurimùm illius pietati, ac officiis deberent; ad breue duntaxat tempus huic oneri humeros ſupponunt. Hac Monaſterij adminiſtratione à Capucinis ſuſcepta, cùm Maria, ac reliquæ Moniales tantùm eorum exemplo, atque hortationibus profeciſſent: vt ex Tertio S. Franciſci Ordine, ad primam, atque arctiorem S. Claræ Regulam, omnes vnanimi conſenſu, atque ardentiori ſtudio, emigraſſent, atque inde Capucinarum appellationem ſortitæ fuiſſent. Id ea clam apud Pontificem molita eſt, vt ad perpetuam Monaſterij adminiſtrationem, Apoſtolico diplomate, Capucini confirmarentur; quemadmodum anno 1538. dictum fuit, ipſo diplomate appoſito, ac propriis verbis exarato.

*Maria Longa Apoſtolico Diplomate perpetua S. Mariæ in Hieruſalem Abbatiſſa conſtituitur.*

*Moniales ſanctæ Mariæ in Hieruſalẽ vnde Capucinæ nuncupatæ.*

LXV. Cæterùm huius Monaſterij Sanctimoniales, ad hæc vſque tempora tanta vitæ auſteritate, ac Regularis diſciplinæ obſeruantia inter cætera ſacrarum Virginum inſtituta; quibus Neapolitana Vrbs inter alias abundat: admirandum in modum florent: vt in ijs omnium virtutum exemplar conſpici queat. Veſte lanea, ac rudi, abſque lineo induſio, vniuerſæ induuntur: nunquam, niſi morbo laborent, carnibus veſcuntur; ouis tantùm, ac lacticiniis, extra Regularium ieiuniorum tempus, cùm iis vti licet, contentæ: ieiunia perpetua, præterquam in diebus Dominicis, colunt. Omnes, ægrotantibus exceptis, ſola aqua ſitim extinguentes, à vino abſtinent; nudis pedibus, ſandalia tantùm, iuxta Capucinorum morẽ, adhibent. Quieſcentes nunquam veſtes exuunt: neque aliud in lecto, præterquam tabulas, laodice opertas, ſibi ſubſternunt. Media nocte, iuxta Capucinorum vſum, ad Matutinas Horas cõſurgunt: cumq; bis in hebdomada ad ſacrã Euchariſtiã accedant, ter quoq; præter priuatas, cõmunem corporis flagellationẽ exercẽt; aliaſq; carnis macerationes quãplurimas præſtãt: orationi præſertim mentali frequẽter vacant: velata ſemper facie extraneos alloquuntur: nec facilè cũ iis ſæculares Viri, aut fœminæ ſermones miſcent. Arcta quoq; inter ſe ſilentia ſeruant. Medico, ac Chirurgo, niſi in sũmo vitæ diſcrimine, aut vrgentiſſimo caſu, in hoc Monaſterio aditus intercluditur; cùm per feneſtellas, quæ noſocomij lectibus reſpõdent; ab iis vel pulſus explorari, vel sãguis emitti, vel alia morbis remedia adhiberi poſſint. Atq; hæc quidẽ, quæ omnibus

*Moniales S. Mariæ in Hieruſalem multarum virtutum laude commendantur.*

communia ſunt, hîc referenda duxi; vt quàm præſtans, ac perfecta communis earum vita ſit, cuilibet perſpectum eſſe queat. Quæ enim ad ſingulares cuiuſque virtutes, ac ſanctimoniam ſpectant, haud facile enarrari poſſunt: id vel ſolùm dixiſſe ſufficiat, tantam huius domus ſanctitatem eſſe, vt cæleſtium virtutum odor, qui etiamnum ex ea diffunditur, non modò Neapolitanam Vrbem compleat, ſed & Orbi meritò admirationem præbeat. Quare haud mirum, quòd ea cognatos ſibi Angelorum choros, ad ſuauiſſimam ſui fragrantiam pertrahat: imò & ipſum Angelorum Dominum, ad dulces, atque arcanos illarum amplexus compellat, raríſque, ac inſolitis cæleſtium donorum opibus accumulet: quæ alibi fortè, cùm res clariùs, ac perfectiùs innotuerint, à nobis explicandæ erunt.

*Maria Religionis voto emiſſo, antiqua ægritudine premitur.*

LXVI. Maria igitur, cùm primùm, emiſſo Religionis voto, cum reliquis religioſam vitam complexa eſt; plurimis cœpit à Deo corporis afflictionibus probari. Etenim à prima illa totius corporis ægritudine, à qua B. Virginis ſuffragio, in Sacra Æde Lauretana, ante viginti annos ſanata fuerat, Deo ad maiores illam coronas vocante, iterum afflictata fuit: in qua tamen tot patientiæ coronis, ac tot aliis virtutum ornamentis, emicare viſa eſt: vt acutiſſimos cæteris ad virtutes, non tam verbo, quàm exemplo ſtimulos adderet. Ad ſacram diuinæ Euchariſtiæ menſam, bis in qualibet hebdomada, tanta mentis præparatione, ac cæleſtis illius panis fame, accedebat: vt cùm primùm eo refecta erat, velut humana omnia tranſcendens, à ſenſibus abſtracta, & tota ad ſuperna rapta videretur. Multa ſemper in ſenſuũ mortificatione, quibus perpetuũ bellum indixerat; multa in cordis ſolitudine, cui ſedulò vacabat; multa in mentis recollectione; multa demum in Oratione, ac rerum diuinarũ contemplatione erat: in qua cùm ſæpè lachrymas funderet; nonnunquã etiam cum Chriſto colloqui audita fuit. Regularẽ obſeruantiam cum primis tanto ſtudio proſequebatur; vt cùm ea perfecto omniũ Regularium virtutum exemplo cæteris, quoad ſibi per infirmitatem licebat, præluceret: eam quoque à reliquis ſeueriùs exigeret. Sæpè occultas Sororum tentationes, Deo reuelante, cernebat: eaſq; vbi opus eſſet, aperiens, ſingulis vel conſilia, vel remedia opportuna miniſtrabat: frequenter etiam Diaboli artes, atque aſtus detegens, ab iis cauendum admonebat. Semel cùm vni ex Sororibus opus quoddam, ex obedientia implendum impoſuiſſet, recuſabat illa: dumque in inobedientiæ ſcelere contumax perſiſtit, videt Maria Dæmonem ſub nigri Æthiopis ſpecie, illius humero inſidere. Quare ad eam conuerſa: Heu, Filia, inquit, an non Satanam ſuper humeros tuos exultantem cernis? Cur inobedientia tua Diabolum lætificas? His verbis tremefacta Soror, mox humilẽ, ac obedientem ſe præbuit, Satanámque ad fugam compulit.

*Occultas Monialium tentationes percipit.*

LXVII. Accidit quoque hoc tempore, vt deuotiſſima quædam illius Monaſterij Soror, quæ Clara appellabatur: cuius tanta humilitas, & obedientia erat; vt quotidie omnes ſuas Mariæ tentationes, ac cogitationes aperiret; grauiſſima infirmitate correpta, deperditis ſenſuum officiis, iam iam animam agere videretur: cùm Maria pro illa orans, B. P. Franciſcum, ac Beatum Antonium illum à dextris, hunc à ſiniſtris ægrotantis adſtantes conſpicit. Quo tempore moribunda Soror, apertis oculis, ac velut lætabunda, hilari vultu Matrem ac circunſtantes Sorores circumſpiciens, ait; ô ô Sorores, quale gaudium nunc mihi in animo oritur. ô ô, quàm ingens, ac cæleſtis me lætitia excipit. Vixque his dictis, inter Cæli gaudia animam efflat.

*Maria pro Sorore moribunda orans, S. Franciſcũ & S. Antoniũ ad ægrotantis dexteram ſtantes perſpicit.*

LXVIII. Cæterùm quàm potens, atq; apud Deum efficax, eſſet illius orationis virtus, hoc inter alia exemplo declaratum fuit. Puella enim quædam, quæ, vt reliquarum Virginum Collegio aſſociaretur, iam Monaſterium ingreſſa fuerat, à Dæmone, vt ad ſæculum rediret, tentata, iam reditum ad ſuos parabat; cùm pia Mater eam commiſerata, prioris propoſiti ſtabilitatem, ac perſeuerantiam pluribus illi verbis perſuadere nititur: ſed cùm eam nulla ratione ab illa animi deliberatione dimouere poſſet, vix tandem ab ea impetrat, vt vnius duntaxat menſis





ſis ſpatio reditum differat; quo tempore tot pro illa ad ſponſum lachrymas fundit, totque preces ingeminat; vt peracto menſe, puella, mente in meliùs commutata, maxima humilitate Religionis habitum popoſcerit; religioſámque in eo Monaſterio, ac magna cum laude ad finem vſque vitam duxerit.

*Puella ſua oratione mentis ſtabilitatem impetrat.*

LXIX. Inter hæc, cùm Maria continuis ferè corporis doloribus afflictaretur; quibus eam Deus Opt. Max. auri inſtar, probare, ac tolerantiæ meritis, & coronis augere decreuerat; accidit aliquando; vt in oratione defixa, extra ſenſus raperetur; quam dum Moniales animi ſyncope, ac deliquio correptam exiſtimant, vt ad ſenſam reuocent, tandiu illius membra diſtorquent, ac diſcruciant: donec ad ſeipſam rediens, oréque ſubridens, adſtantes ita Sorores affatur; Ignoſcat vobis Deus, ô Filiæ: quandoquidem importuna veſtra charitate, ac diligentia, ineffabile mihi bonum ſubtraxiſtis. O quale gaudium, ô quàm ingentem mihi voluptatem ſubripuiſtis: ô nunquam ad vos rediiſſem, Sorores: Quàm præclara ſunt, quæ vidi, quæ oculis conſpexi: Ibo iterum, ibo, ac videbo. Cùm verò dilectiſſima quædam ipſius Filia, Maria nomine, ab ea quæreret, quid vidiſſet. Sat eſt, inquit, Filia, ſat eſt: ne quæras ampliùs; ad ea enim explicanda non voce, ſed alterius vitæ oculo opus eſt: protinus verò, perinde ac ſi breuem in hac vita moram ſibi futuram eſſe, à Deo accepiſſet; Monialibus omnibus ad ſe accitis, Abbatiſſæ onus ac officium, quod eouſque adminiſtrauerat, deponens, Sororem quandam nomine Hieronymam illis Abbatiſſam præficit; Vicariam, atque alia Monaſterij munera diſponit; (hac enim facultate à Pontifice cohoneſtata fuerat) ac ſponte ſe Abbatiſſæ imperio ſubiiciens, humilem deinceps, ac omnibus ſubiectam, ad mortem vſque vitam profitetur; vt eò liberiùs, & abſque impedimento, diuinis rebus vacaret: & prudentis Virginis inſtar ad ſponſi occurſum, quem breui venturum prænouerat, lampadem ſuam pararet.

*In extaſim rapta, cæleſtia videt.*

*Abbatiſſæ onus deponit, & alterã eligit.*

LXX. Flebant piæ Filiæ amantiſſimæ Matris occaſum, quem iam ſibi imminere illis præſignificauerat: atq; ipſa præſertim noua Abbatiſſa; quæ cùm munus illud obire cuſaret, imparémque ſe tanto oneri eſſe exiſtimaret, ab ea, vel vſque ad obitum retineri, vel in aliam transferri inſtantiſſimè depoſcebat: at Maria, expoſito diuinæ voluntatis imperio, cunctas verbis ſuauibus conſolatur. Biduo verò, antequam ex humanis migraret, Abbatiſſa, ac Sororibus omnibus ad ſe concitis, illas vehementiùs ad Dei dilectionem, ad pacem, ad mutuam charitatem, aſſumptis illis Chriſti verbis: *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis*; adhortatur: tum verò Orationem, ac Regulæ obſeruantiam, inter alia illis plurimùm commendat. Cùm igitur totum iam animum, ſtudiúmque ad viam Domino parandam contuliſſet; eo tempore frequentiùs cum Fr. Franciſco Liardo Capucino, eximiæ virtutis Viro, cui nuper Monaſterij adminiſtriſtratio commiſſa fuerat; de rebus diuinis colloquebatur: cui etiam ſecretò aperuit; Deum Neapolitanæ Vrbi (quemadmodum ſibi reuelatum fuerat,) tunc maximè infenſum eſſe; grauiáque illi ſupplicia minari; quæ paulò poſt, Vrbe cladibus affecta, ac Ciuilibus bellis agitata, acciderunt. Mariam quoque Termulanorum Duciſſam ſibi ſpiritu coniunctiſſimam; cui Incurabilium Domus adminiſtrationem commiſerat, breui illo vitæ ſuæ curriculo, præſentem ſibi adeſſe voluit. Cui cùm pleraque ad melioris vitæ rationem pertinentia aperuiſſet: id quoque futurum eſſe admonuit, vt huius vitæ laboribus, breui ipſa quoque finem imponeret. Denique Sacramentis omnibus, quæ in extremo vitæ diſcrimine hinc decedentibus miniſtrari ſolent, deuotiſſimè ſuſceptis; paulò antequam animam efflaret; cœpit cum Tartareo hoſte confligere; turbatúmque, ac velut minacem vultum præſeferre, quam cùm Maria, fideliſſima eius ſocia hortaretur, ne hoſtem timeret: Quid (inquit) chariſſima Soror metum commemoras? cur mihi extimeſcendum; cùm mecum habeam, qui pro me contra hoſtem pugnat? ac manu Chriſti Crucifixi Imaginem, quæ illi à dextris erat, indicans, hoſtem minimè reformidare videbatur.

*Sorores ad Regulæ obſeruãtiã hortatur*

*Ioan. 14.*

*Maria Termulanorum Duciſſæ obitũ prædicit.*

*Maria profunda in morte humilitas.*

LXXI. Poſtremò, cùm iam extremum ſpiritum ageret, ad Sorores, quæ lecto circumfuſæ Beatam illam inter ſe prædicabant, conuerſa, ait. Vobis quidem videtur, chariſſimæ filiæ, quòd multa bona opera exantlauerim, quibus à Deo merces debeatur. Haud ita. Nihil macte mea virtute actum. Dei dona ſunt, quæ meæ virtuti adſcribitis. Si quod Dei eſt, à meo opere ſecernatis, nihil profectò reliquum erit, quod boni operis, aut meriti mihi miſeræ reponatis: Hæc Chriſti vulnera, ô Filiæ. Hæc Sponſi merita ſunt, quæ me Cælo dignã præſtare debẽt. Hæc ſpem, ac fiduciã præbent. Præterea nihil. Quid plura? Tantilla in hunc Chriſtum Crucifixum, qui diuinum pro me ſanguinem fudit, fiducia; cui, meis omnibus bonis poſthabitis, innitor; quemadmodum mihi apertè demonſtratum fuit, me Electorum numero aſſociant: Neque tamen vobis vlla ratione à bono opere, ac promiſſa Regulæ obſeruantia ceſſandum eſt; qua certam veſtram electionem, ac vocationem faciatis; Deique miſericordiam; ac diuini Sanguinis pro nobis effuſi virtutem promereamini. Valete, chariſſimæ filiæ: iam extrema interpellat hora. Ecce Sponſus venit. His dictis, cùm Chriſti Crucifixi Imaginem manu teneret, ter inclamans, Ieſus, purum Deo ſpiritum reddit.

*Mariæ pedes poſt mortem ſuauiſſimè olent.*

LXXII. Porrò illius obitus fama, per Vrbem diffuſa; protinus maxima nobilium, ac populi multitudo ad Monaſterium confluit, Sacrum corpus venerandum depoſcit, illiúſque aſpectu frui poſtulat: quare vt ardenti Populi ſtudio ſatisfiat, corpus ad cratem ferream defertur: qua illius pedes contingi, atque oſculis peti poterant; mox cuncti, qui pedes exoſculabantur, ſuauiſſimum inde odorem erumpere ſentiunt: ac præſertim Maria Aerba, Termulanorum Duciſſa, quæ cùm ad illius pedes ſemper prouoluta iaceret, nihil iis ſuauiùs olere affirmabat: Demum cuncti Sanctam magnis vocibus acclamant.

LXXIII. Cùm igitur confluentibus turbis, nonnihil hoc aſpectu ſatisfactum eſſet; Corpus lignea arca incluſum, dignis funeribus perſolutis, ſub altari tumulatur. Poſthæc Maria Termulanorum Duciſſa, cùm breue vitæ ſuæ curriculum fore, à Longa præmonita, didiciſſet: rebus ſuis maturè conſulens, opibus ſuis, partim Incurabilium domui, partim piis aliis locis teſtamento diſtributis, vberioribus ieiuniis, vigiliis, orationibus, lachrymis, quibus anteactæ vitæ iacturam deflet; demum tam feruida in Deum pietate, reliquum vitæ ſuæ tempus exornat: vt fœliciſſimam illam Mariæ Longæ animam Cæleſti ſplendore, ac gloria ornatam, ante obitum ſibi apparentem cernere meruerit.

*Maria Termulanorum Duciſſa glorioſæ apparet.*

LXXIV. Iam ea ſuum ſibi in Eccleſia S. Mariæ de Populo, quæ ſita eſt in Incurabilium domo, tumulũ antea poſuerat, quod hoc Epitaphio, ibi etiamnũ ornatum cernitur.

*Maria Aerba mulier ſanè proba, erectis Viro, & filio monumentis,*
*inter vtrunque mediam hoc humili ſaxo ſe condi iuſſit.*
*Anno ſalutis* 1532.

Eo enim tempore tumulus hic, qui in Eccleſiæ ſolo iacet, iam extructus fuerat. Cùm verò poſt Mariæ Longæ deceſſum, ad Clauſtralem vitam, in eodem Monaſterio Sanctæ Mariæ in Ieruſalem, accedere, Religioſúmque Sanctæ Claræ habitum aſſumere decreuiſſet; animum deinde, & tumulum mutauit. Etenim hoc tempore rebus ſuis, ſumma cum pietate, diſpoſitis, Diploma à Pontifice fert, quo & Religionis habitum ſuſcipere, & Sanctæ Claræ Regulam in eodem Monaſterio profiteri illi facultas tribuitur; Qua verò die ſæculo valedicere, monaſteriúmque adire ſtatuerat, podagra acerbiſſima corripitur. A qua cùm ſe ad funera duci conſpiceret, ſimul ſe cùm Maria Longa, poſt elapſum ab illius obitu annum, in Monaſterio ſepeliri iubet; vt quæ cum ea viuens animo, ac ſpiritu coniunctiſſima fuerat, ab ea corpore in morte non diſiungere-

*Mariæ Aerbæ Termulanorum Duciſſa moritur, & cum Maria longa ſepelitur.*

tur



tur; ac defuncta membra, extremam ſaltem quietem, in eo Monaſterio acciperent, in quo viuentia, Deo ancillari minimè potuerunt.

LXXV. Termulanorum igitur Duciſſa, deuotiſſima morte, ex humanis ſublata, cùm delato in Monaſterium cadauere, effoſſa humo Mariæ Longæ depoſitum, quod ſub Altari iacebat, apertum fuiſſet: mox ſuauiſſimus ex eo odor, quaſi violarum diffundi cœpit. Corpus, etſi iam annus ab obitu effluxiſſet, atque in humido terræ ſinu conditum, communibus cum cæteris putrefactionis legibus ſubiectum eſſe oporteret, integrum tamen, ac nulla ex parte corruptum à maxima populi frequentia, quæ eò confluxerat, maxima cum admiratione cernitur. At illud mirabiliùs, quòd illi Capitis capilli, & vngues Manuum, ac pedum, perinde ac ſi viuum eſſet, excreuerant: ex quo ingens populi clamor, rem miram inclamantis, ac Deum laudantis, exoriri cœpit.

*Manuum vngues, & Capilli Mariæ Lõgæ poſt mortem creſcunt.*

LXXVI. Illud verò longè omnium mirabiliſſimum, quòd ampliori ſarcophago constructo, qui vtriuſque Corporis, & Longæ, & Duciſſæ capax eſſet, cùm Mariæ Longæ Corpore primùm in eo collocato, Duciſſæ exinde cadauer in eum inferretur, Maria Longa brachium effert, atque amicum Duciſſæ Corpus complexa, quaſi antiquam animorum neceſſitudinem confirmaret; ac communis cum ea ſarcophagi conſortio lætaretur, coniunctiſſimos eorum in Cælo Spiritus eſſe apertiſſimè oſtendit. Quare Populus in Cælum voces efferre, ac Dei miracula commendare audiebatur. Horum miraculorum fama per Vrbem diffuſa, tam ingens Populorum turma ad Monaſterium affluere cœpit: vt ſepulturam in alteram diem differri opus fuerit.

*Mariæ Longæ Corpus brachium effert, & Termulanorum Duciſſæ Corpus amplexatur.*

LXXVII. Hoc tempore, ſoror quædam Iuuencula, in Monaſterio, graui Apoſtemate laborabat, quod cùm ex cauſa frigida emanaret, quandoquidem nullo remedio expurgari, ac ſanari poterat, iam de valetudine deſperauerat. Huic Monialis quædam, Victoria nomine, verbis perſuadet, vt Mariæ Longæ, quondam Matris, quæ tot ſignis coruſcare videbatur, ſuffragia ſibi ad ſalutem depoſcat. Delata itaque in Chorum ægrota, cùm Sorores omnes loculum circumſtarent, ægráque Mariæ Longæ merita ſibi in ſuffragium à Deo poſceret. Victoria Longæ manu reuerenter ſublata, ea Sororis apoſtema contingit, protinuſque abſque alia cataplaſmatis curatione, perfectè ſanatur: ex quo ingens Sororibus lætitia oriri, Deóque laudes perſonari cœpêre.

*Soror apoſtemate laborãs Mariæ Longæ Manus contactu ſanatur.*

LXXVIII. Poſt aliquod tempus, Mariæ Corpore in cineres reſoluto, Moniales illius Caput, ex quo violarum odor continuè erumpebat, inde aſportantes, illud decenti loco collocant: cuius virtute noua deinceps miracula patrata. Inter hæc illud narratur, quòd cùm Soror quædam, Benedicta nomine, in eodem Monaſterio vlcere reptili, ac moleſtiſſimo in tibia laboraret: neque vlla Medicorum cura, ab eo morbo vnquam liberari potuiſſet: Abbatiſſa erga Sororem pietate commota, Mariæ Longæ Caput manibus reuerenter accipit, Sororibuſque omnibus Antiphonam, ac Collectam Viduarum deuotè decantantibus, eo ægrotantem Sororis tibiam, magna tum ſua, tum laborantis fide contingit. Quo facto mox ceſſat dolor, tumórque ac inflammatio è tibia abſcedunt, eáque priſtinæ ſanitati reddita, nunquam deinceps eo morbo afflictata fuit,

*Vlcere reptili laborans Capitis Mariæ contactu curatur.*

LXXIX. Elapſo tandem aliquot annorum ſpatio; cùm noua Eccleſia conſtructa, Mariæ Longæ Reliquiæ in eam transferrentur: quædam illius Monaſterij Soror, quæ occulta, ac moleſta infirmitate detinebatur, quam præ pudore nulli vnquam declarare auſa fuerat; cùm ea magnoperè excruciaretur; atque eò maximè, quòd ea ingraueſcente, non leue ſibi vitæ periculum timeret, temporis opportunitatem nacta, quo Beatæ Matris Caput, nulla adſtante Sorore, in Choro collocatum fuerat; dum illius merita deuotiſſimè implorat, atque eo morbi locum attingit, confeſtim ab infirmitate liberata, Dei benignitatem, ac B. Matris virtutem, maximis laudibus celebrat.

*Caput Mariæ Longæ ſuo cõtactu ſororem ab occulta infirmitate liberat.*

Huius

| ANNVS CHRISTI. | PAVL. III. | CAR. V. IMP. | RELIG. CAPVC. |
|---|---|---|---|
| 1542. | 8. | 24. | 18. |

Huius ſanctæ Mulieris præclara geſta, virtutes, ac Sanctimoniam plerique Scri- LXXX.
ptores commemorant, ac commendant: inter quos ſunt Ioannes Baptiſta Epiſcopus Acerrarum, Auctor Hiſtoriarum Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum lib. 1. cap 4. & Cæſar Dengenius in ſua Neapoli Sacra, vbi de Eccleſia ſanctæ Mariæ de Populo agit. Atque his huic Anno finem imponimus.





| ANNVS CHRISTI. | PAVL. III. | CAR. V. IMP. | RELIG. CAPVC. |
|---|---|---|---|
| 1543. | 9. | 25. | 19. |

I. SÆVA illa ſuperioris anni tempeſtas necdum ſedata erat, neque aduerſis rebus finem impoſuerat, cùm nouus annus quingenteſimus quadrageſimus tertius ſupra milleſimum ſuperueniens, ſuas quoque afflictæ, ac propè depoſitæ Religioni procellas, ac calamitates addit. Summus enim Pontifex Paulus III. qui propter turpem Ochini lapſum, & contumelias, ab eo in Romanam Eccleſiam, impia illa ſua Apologia iactatas, infenſum in Religionem animum gerebat, cùm in Vrbem veniſſet, coacto ſacro S. R. E. Cardinalium, qui tunc ibi aderant, Senatu; atque in eo purpuratorum Patrum conſeſſu, maximo rerum periculo, quod ex Capucinorum Religione, ob hæreticum morbum, quem ab Ochino Capite in totum Religionis corpus diffuſum eſſe exiſtimabat, toti Chriſtianæ Reipublicæ imminebat, ſi ea incolumis ſtaret, grauiter propoſito: in eam ſe ſententiam declinare exponit: vt tota Capucinorum Religio extinguatur, ac de medio tollatur: Hæc enim (aiebat) eſt humanæ, ac diuinæ prudentiæ lex, vt abſcindantur, qui nos conturbant: & cùm totum Reipublicæ corpus periclitatur, ſatiùs eſt membrum vnum perire, quàm totum corpus in diſcrimen adduci. *Neſcitis* (inquit Apoſtolus) *quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Capucinorum Religio tantæ apud Chriſtianos homines exiſtimationis eſt; vt cunctorum animos facilè ad ſeipſam pertrahat: quòd ſi ea errores pro veritate, & pro Fide hæreſes diſſeminauerit; maximè verendum eſt, ne totus Eccleſiæ Ager, malo hoc zizaniorum ſemine ita imbuatur; vt triticum reſpuat. In eo tamen ſententiam veſtram expecto.

*Pontifex cum Cardinalibus de Capucinorũ Religione extinguenda agit.*

*5. Cor. 5.*

II. Porrò Cardinales, qui Pontifici aſſidebant, fortiſſima illa (vt videbatur) ratione ducti, ferè omnes in Pontificis ſententiam propendere videbantur. Solus Antonius Sanſeuerinus, & alij perpauci Cardinales obmuteſcentes, ſilentio, ac vultus triſtitia, in eam ſe deliberationem nonniſi ægrè conſpirare indicabant.

*Cardinales in Religionis interitum propendunt.*

III. Erat hic Cardinalis, ex antiqua Sanſeuerinorum Familia, quæ in Neapolitano Regno olim, atque etiamnum illuſtriſſima floret, titulis, opibus, ditione in Populos, atque armis adeò potens: vt ipſi quoque olim Neapolitani Reges illius potentiam formidarent. Cuius præclara tam pace, quàm bello geſta plerique tum veteres, tum moderni Auctores, hiſtoriis egregiè proſequuntur. Inter quos ſunt Raphaël Vollaterranus, & Ioannes Pontanus in ſua Hiſtoria, qui vbi de Roberto Sanſeuerini Comite Marſici agit, ita ſcribit: *Demum ſingulis in rebus nobilitatem præſeferebat generis, quod alij Gallicum ab origine, quàm Italicum maluit. Nobiles enim quoſdam ſecutus è Gallia Normannos, ac Viſcardos Duces, pulſiſque ex Apulia, Salentiniſque Conſtantinopolitani Imperatoris Præfectis, virtutis merito donatos in initio, Oppidis piiſque poſteros eorum imperitaſſe, in quibus Venuſiam, Materam, Capertinum, Neritonium, fuiſſe tradunt. Qui dominatus in dies magis, magiſq; auctus fuit bellicam ob virtutẽ qua hæc quidem Familia in Italia, ex eo adhuc etiam floret. Quo factum eſt, vt dum partim ipſi Regum quorundam impotentiam, ſuperbúmque dominatum parum æquo ferunt animo, partim ipſi à Regibus timentur, aliquando Familia omnis ad extinctionem penè redacta fuerit, vix vno, aut altero ſuperſtite. Adeò euertendæ illi nihil reliqui ad crudelitatem Regibus ipſis fuit. Contra qui Italicam eam aſſerunt, nec olim fuiſſe, nec nunc quidem extare apud Gallos, Britannoſve tali cognomento Familiam, deductámque agnationem volunt ab Oppido, cui ex ea domo priùs impetrauerit, vt Celanam, Martianam, Ebulam, Moliſiam,*

*Sãſeuerinorũ Familia quã illuſtris.*

Volaterr. l. 6.

Georg. c. 4.

Ioan. Pontã.

*Scipio Amir.*

*Scipio Mazzella.*

*Aquæuiuam; quæ ab Oppidis ſunt agnominatæ.* Scipio quoque Amiratus præclaram de huius Familiæ antiquitate, ac nobilitate hiſtoriam texuit. Denique Scipio Mazzella, in deſcriptione Neapolitani Regni, vbi de Nobilium Familiis ſcribit: plura de illuſtriſſima hac Sanſeuerinorum Familia, præclara commemorat; quæ etiamnum ampliſſimo Biſuniani Principatu, atque Saponariæ, & Claromontis Comitatu potitur. Plures quoque habuit S. R. E. Cardinales; inter quos religione, pietate, atque in Capucinos beneuolentia, poſtremus hic Antonius à Clemente VII. Cardinalis creatus enituit: qui cùm ſingularem in Religionem amorem iam antea, anno 1536. declaraſſet, cùm fluctuantem inter naufragia Reformationem, è maximo illo periculo eripuit; tenero, quoad vixit, illam ſemper affectu proſecutus eſt.

IV. Hunc igitur cùm Pontifex ſilentem, nec dicta probantem conſpiceret: eum compellans, ait. Quid tu ſolus Cardinalis ſiles? quaſi hic tacendi, non liberè fandi locus ſit, vbi de re grauiſſima agitur: Age, liberè fare, quid ſentias. Hac Pontificis voce, velut à Dei Spiritu profecta, excitatus Sanſeuerinus ita Pontificem, ac cæteros Cardinales eſt allocutus. Nulli dubium eſt, Sanctiſſime Pater, Voſque purpurati Patres, quin Eccleſiæ periculo, cum de eo agitur, maturè, ac opportunè proſpiciendum ſit: nec non zizania, quumprimùm ebullire cernitur, de Eccleſiæ Agro, ſummo ſtudio, ac diligentia auellenda, ne triticum occupet. At verò id quoque magnoperè curandum eſt, ne dum zizania ſtudemus euellere, ſimul & triticum eradicemus. Paris enim periculi eſt, ſi Dominicus Ager, dum zizaniis caret, etiam tritico vacet. Capucinorum Religio hactenus in Eccleſia Dei, velut triticum, Apoſtolicæ vitæ ſplendore, ac præclariſſimis virtutum exemplis pullulauit; quibus admirabiles propemodùm, atque vberes in ea fructus protulit: vidimus omnes, ac lætati ſumus. Nullum quoque ex ea, per tot annorum curricula, quibus in Domini Agro fructificauit, zizaniorum ſemen, aut hæreſum ſuſpicio orta eſt; donec ad Ochinum ventum eſt, qui haud ſecus, quam ille inimicus homo, ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit, atque ad hæreticos transfugit.

*Antonius Sanſeuerinus Cardinalis pro Religionis incolumitate rationibus pugnat*

*Ochinus velut alter inimicus ſuperſeminat zizania.*

V. Iam verò cùm de eradicandis zizaniis, & Eccleſiæ Agro ab illius hæreſi expurgando agitur; ſi Capucinorum Religionem extirpandam, ac delendam cenſemus; profectò maximè verendum eſt, ne cum ea ſimul eradicemus & triticum; maximámque boni iacturam, ex boni ſeminis proſcriptione, Dominicus Ager patiatur. Neque enim, dummodò Capucinorum Religio malo hoc hæreſum ſemine, aut tota, aut maiori ex parte corrupta non ſit; lex vlla, aut ratio, aut æquitas ſuadet; vt tota, ac integra noſtro conſilio intereat: ne iis parùm æqua à nobis punitio irrogetur, quibus cùm nihil delictum ſit, iis quoque diuina, atque humana iura à pœna vacandum eſſe decernunt.

VI. Quænam verò huius ſanctæ Sedis, quam ſumma ſapientia, & æquitas decet; aut prudentia, aut iuſtitia apud homines eſſe cenſeretur; ſi inſontes Viros, ac nullius ſibi ſceleris conſcios, non citatos, non examinatos, non conuictos, inauditos denique mulctaret? An non grauius inde in Eccleſia ſcandalum oriretur, ſi parum æqua hac ſententia obruti, vel vi oppreſſi, (quemadmodum ſæpè deſperatis rebus contingit) præcipiti deliberatione (quod abſit) vel ad hæreticos, vel etiam ad Turcas transfugerent? Quænam tunc Eccleſiæ calamitas eſſet? quàm profectò ſuauiori conſilio tunc anteuerſam optaremus? Hæc quanquam de huiuſce Religionis hominibus, haud extimeſcenda exiſtimem: attamen, cùm haud Sapientis ſit dicere: Non putabam: ea ad prudentiæ examen prouocaſſe ſat ſit. Illud quidē mihi haud facilè perſuadeo: totū Capucinorū gregem, aut maiori ex parte, hac hæreſum tabe contaminatum eſſe: cùm in eo tot ſancti homines virtutibus floreant, quos dira illa lues ſuo veneno non attigit; ac pauci meo iudicio ſint, qui ab Ochino corrupti, hæreſis calicem hauſêre.

Veruntamen



VII. Veruntamen ſi meus in hac re ſenſus expetitur, hæc mea ſententia eſt, Beatiſſime Pater. Vt & Eccleſiæ periculo, & Religionis incolumitati, quoad fieri poterit, communi conſilio, ac prudentia conſulatur. Eccleſiæ quidem optimè, atque opportunè conſultum erit; ſi ante omnia, diligentiſſimæ de Religione diſquiſitiones fiant: quid in ea corruptum, quid languidum, quidue ſanum in Fide ſit. Quòd ſi aliquid in ea putridum ſeſe obtulerit, ferro, ac igne, aut abſcindatur, aut aduratur: ſi languidum, ac ſaucium fuerit, curetur. Reliqua verò, quæ in Religione ſana ſunt, & Eccleſiæ vtilia, huius Apoſtolicæ Sedis munus, ac officium eſt, vt integra ſeruentur: ſeruatáque, ſua benignitate, ac prouidentia foueantur: ne illam Dei ſententia feriat, per os Vatis dicentis: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis.* Hoc pacto & ſanctæ Eccleſiæ commodo, atque vtilitati, & ſanctæ huius Sedis exiſtimationi abundè proſpectum erit. Pontificiſque ſapientia, ac conſilium, velut à diuini ſpiritus luce profectum commendabitur. Atque his finem dictis impoſuit.

*Sapientiſſimū Antonij Cardinalis conſilium.*

*Ezech. 34.*

VIII. Deus verò Opt. Max. qui æterno ſapientiæ ſuæ conſilio, Religionem ita incolumem, ac ſartamtectam ſeruare decreuerat, vt hac etiam calamitate ſtabiliorem, ac immobiliorem redderet: tantam Cardinalis Sanſeuerini verbis vim contulit; vt Pontificem, ac cæteros Cardinales in ſuam ſententiam pertraxerit: Religionémque iterum ab interitu vendicauerit. Quo ſanè titulo Capucinorum Religio plurimùm illuſtriſſimæ huic Familiæ debet, à qua bis vitam, Deo imprimis operante, accepit. Pontificis quoque animum ita immutauit: vt meliores exinde cogitationes gignens, Cardinali Carpenſi Ordinis totius Protectori mandauerit; vt cunctis Prouinciarum Vicariis, atque aliis Religionis Patribus, quos ipſe prudentiores iudicaret, Romam conuocatis; ab his, quo in rerum ſtatu, fidei integritas in Religione ſe haberet, faciliùs addiſceret: iiſdémque de rebus Fidei examinatis, quid de tota Religione ſentiendum eſſet, clariùs Apoſtolicæ Sedi innoteſceret.

*Sanſeuerini oratione Pontifex ſententiam mutat*

IX. Hæc Pontificis iuſſa, cùm Cardinalis Carpenſis, Prouincialibus vndique ex tota Religione ad ſe accerſitis, diligentiſſimè expleſſet; omnéque Religionis Corpus; pauciſſimis exceptis, qui vel ad Hæreticorum partes migrauerant, vel ab errore reſipuerant, vel tandem carceri mancipati fuerant: poſt accuratiſſimum examen, incorruptum, atque in Fide integrum reperiiſſet: rem ad Pontificem detulit: qui eo nuncio magnoperè lætatus (illius quippe animum Deus immutauerat, ac priſtinæ beneuolentiæ reddiderat) diem præſcripſit, quo vniuerſi Religionis Patres, ac Prouinciales Vicarij ante Apoſtolicam Sedem conuenirent, quos alloqui decreuerat. Mox Pontificis mandatum, ac præfixa dies Patribus innoteſcit; qui cùm rei cauſam ignorarent, ſupremum illum Religioni diem fore ſuſpicabantur; in quo Pontifex, quem in Religionis exitium conſpiraſſe audierant, Capucinos deleret. Metum, ac ſuſpicionem æmuli augebāt, qui cùm Capucinos ante Apoſtolicam Sedem citatos intellexiſſent; Religionis internecionem, velut certam in Vrbe ominabantur. Quamobrem, qui Romæ aderant, metu perterritis, iis vnicum ſolatium erat, ad lachrymas, ac fletus confugere: omnique ſua in Deum ſpe, ac cogitatione collocata, illius opem, ac præſidium profuſis lachrymis implorare.

*Religio in Fide integra reperitur.*

*Pontifex Capucinos conuocat.*

X. Adfuit tandem præſcripta dies, cùm Patres diſſectis agminibus, non abſque terrore ad Pontificem pergunt: & quanquam inter eos eſſent Bernardinus Aſtenſis, & Franciſcus Aeſinus, qui diuinis reuelationibus eruditi, omnes benè ſperare iubebant: Attamen cùm ad limina Apoſtolorum perueniſſent, en nouus eos tremor inuadit: Fratres enim de Obſeruantia; tot eò ſui Ordinis habitus detulerant, quot Capucinos Fratres ante Pontificem conuenturos audierant: vt iudicio, de illorum extinctione, & ad Ordinem reditu à Pontifice prolato, quod velut certum ſibi perſuaſerant; eos priſtino Obſeruantium habitu induerent. Eapropter ij, cùm iam

*Capucini timore perculſi.*

decretum

decretum à Pontifice iudicium eſſe exiſtimarent; ſumma cum trepidatione ad Pontificem acceſſêre.

XI. Pontifice grauiſſimis negotiis præpedito, diu vocati Patres illius iuſſum, quo ad ipſum accederent, expectarunt: itavt iam die declinante, qui in Monaſterio relicti fuerant; cùm necdum Patres redire animaduerterent, nihil præterquam ſiniſtrum ſuſpicarentur. Accedebat quorundam rumor, qui Capucinos, de Pontificis mandato, in carcerem detruſos eſſe affirmabant; quæ tot afflictis afflictiones addebant, vt ij in patrios cineres deſæuiiſſe viderentur.

XII. Sub veſperum tandem, Patres ad Pontificis conſpectum vocantur: qui vbi ad pedis oſcula admiſſi fuêre; quid de ipſis Pontifex decerneret, genuflexi, ac trepidantes expectabant. Pontifex verò, cùm primùm antiquam animi beneuolentiam, ac beneficia in Religionem collata, ſeueriori illis vultu exprobrauit: ſingularéſque præſertim in Ochinum Generalem, beneuoli animi ſignificationes declarauit: quibus tamen, tam turpem is ingratitudinem rependerat: vt Apologeticas ad eum literas dederit, quas nemo Agaſone, nedum Pontifice dignas iudicaſſet: quid, inquit, pro tam temerè auſis, ac conuitiis, in Apoſtolicam Sedem tam turpiter iactatis, Religio commeretur; quàm quòd ea, ſimul cum ſuo capite, è Religionum albo expellatur, obtruncetur, intereat? Ingemiſcebant cuncti, neque aliud in ea Pontificis Aula, præterquam Patrum lachrymæ, ac ſingultus audiebantur. Porrò inter has lachrymas, ac ſingultus, Franciſcus Aeſinus cùm ſermonem continere non poſſet, Pontifici reſpondet. An non, Sanctiſſime Pater, etiam inter Apoſtolos Iudas Proditor fuit: cuius tamen lapſu, Apoſtolorum Collegium haud deletum fuiſſe, ex Euangelio conſtat. Pontifex verò illum obiurgans, ait: Linguam ſilentio cohibe, ſuperbe: quid excuſationes texis? Tum verò ſermonem leniens, ait: Certè vos extremo exitio mulctare decreueram; At eſt, qui exitium prohibet; Eſt, qui punitionem vetat: S. P. Franciſcus veſter, pro vobis pugnat: Deus ipſe Vos incolumes vult: qui ne excidatis, vos haud ſecus, quàm ego hanc manu chirothecam, ſuſtinet. Teſtis enim mihi eſt Deus, quòd necdum Peruſia abſceſſeram, cùm iam de Religione extinguenda, fixa apud me deliberatione ſtatueram. Teſtis, quod ea cogitatio me in Vrbem impulerat, quò celeriùs ea executioni mandari poſſet. Teſtis denique, quòd neque illud me animi propoſitum, in Vrbem aduentantem, deſeruit; donec ad Conſiſtorium ventum eſt: In eo porrò, quî factum ſit, ignoro) protinus noſtra à Deo mens immutata fuit: ibi tumentes animi fluctus diuina (vt arbitror) virtute confracti, ac ſedati; ibique prior nobis in Religionem beneuolentia reddita. Quo fit, vt pacis tantùm, non afflictionis cogitationes modò in animum ſubeant. Dei hoc opus eſt: cuius imperio nos æquum eſt parere. Quapropter ſatagite, vt Fideles, atque humiles Eccleſiæ Filij, boni Regulæ æmulatores, veri denique Dei Serui, ac S. Franciſci Soboles ſitis: neque vlla in re vobis huius ſanctæ Sedis patrocinium deerit. Ego ero vobis in Patrem, voſque eritis mihi in filios. Tum ad Cardinalem Carpenſem Protectorem conuerſus: Cardinalis, inquit, hanc tibi Religionem commendamus; quæ cùm Capite careat, te illius Caput, ac Generalem conſtituimus: vt quæ in ea diſponenda ſunt, Apoſtolica auctoritate, quam tibi impertimur, perficias. Atque his eos dictis plurima conſolatione repletos, ac præ gaudio lachrymantes dimiſit. Ii verò ad Monaſterium reuerſi; cùm ſe ſola Dei prouidentia, ac benignitate ſeruatos agnoſcerent; ſolemnes Deo gratias referunt, atq; ante Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Altare cõuenientes, Hymnum *Te Deum*, haud ſanè abſque omniũ lachrymis decantant. Fama hac, per totam Religionem, longè latéque per literas diffuſa, haud facilè explicari poteſt; quàm impenſæ tunc Deo à Noſtris gratiæ agerentur: quot Hymnis Eccleſiæ noſtræ perſonarent; quot lachrymæ præ gaudio à cunctis effunderentur; qui cùm extremum Religioni diẽ adeſſe expectarẽt; rediuiuã, Deo è Cælo opitulãte, reſurgere audiũt. Noua deniq; lux Congregationi tunc oriri viſa eſt; quæ priores luctus tenebras diſperſit.

*Pontifex Capucinos alloquitur, & collata in Religionem beneficia exprobrat.*

*Pontificis animus à Deo mutatus.*

*Pontifex benignè cũ Capucinis agit.*

*Capucini præ gaudio collachrymantes, Deo gratias referunt.*

Poſthæc



XIII. Poſt hæc Cardinalis Carpenſis, cùm per aliquot dies, Prouinciales Vicarios, qui in Vrbem conuenerant, in Monaſterio, ne abſcederent, detinuiſſet: cum iis pleraque ad Religionis expurgationem, & incolumitatem ſpectantia confert: Franciſcum Aeſinum Generalem Commiſſarium inſtituit: cui etiam Religionis ſigillum, quo couſque Bernardinus Aſtenſis vſus fuerat, tradit. Præter hæc, Prædicationis officium tandiu Capucinis omnibus interdicit; quoad ſecus à Pontifice decretum fuerit. Ab hoc tamen interdicto, Corſica Inſula, Epiſcopi cuiuſdam fauore, qui ex Pontificis Aula fuerat, haud multo poſt tempore libera fuit. Poſtremò Generale Capitulum, hoc anno, circa Pentecoſtes feſtum, Romæ conuocandum ſancit.

*Capucinis Prædicationis Officium interdicitur.*

XIV. His à Cardinali Protectore decretis; ac nonnullis menſibus elapſis: cùm iam Comitiorum Generalium tempus maturum eſſet, plurimíque Patres, tam prudentia, quàm ſanctimonia illuſtres, Romam conueniſſent; haud facilè referri poteſt, quàm incredibili tunc vniuerſi lætitia perfunderentur: qui cùm ſe præterito turbine diſpergendos putarent, Dei benignitate confirmatos, atque in Capitulum conuocatos cernebant. Id planè iis tunc contingere videbatur, quod illis accidere ſolet; qui naufragium præter ſpem euadentes, cùm primùm ad litus incolumes perueniunt; quaſi diu peregrini fuiſſent, atque ignotis è regionibus venirent, mutuis ſe oſculis excipiunt; ac ſe inuicem ſalutant. Ita hi, velut è naufragio erumpentes, ac tuto Religionis littore fruentes, præteritas animi anguſtias mutuis amplexibus ſolabantur: pericula narrabant, procellas memorabant, gaudij lachrymas miſcebant; ac velut è funere rediuiui, tunc primùm ſereno Cælo, ac vitali aura perfrui videbantur.

*Comitia Generalia conuocantur.*

XV. His Comitijs, inter alios, vingintiquatuor Patres interfuêre, Homines magni, virtute, ac prudentia, & conſilio illuſtres; qui cùm diuexatam, ac propè depoſitam Religionem ſuo conſilio ſubleuauerint, ac virtute ſuffulſerint; haud immeritò ſibi vigintiquatuor Seniorum, de quibus in Apocalypſi agitur, gloriam, ac typum ſibi vendicant.

XVI. Hi enim, cùm Phialas odoramentorum; vitam nimirum, virtutum omnium odoribus refertam, præſeferrent; diu noctúque coram Agno proſternebantur, Religionémque ſuis orationibus in ampliorem quotidie lucem vendicabant. Horum nomina fuêre,. 1. Bernardinus Aſtenſis Ordinis Procurator. 2. Franciſcus Aeſinus tunc Vicarius Prouincialis Vmbriæ, & Commiſſarius Generalis, à Cardinali inſtitutus. 3. Hieronymus à Montepolitiano, Vir nobilitate, ac ſanctimonia inſignis, qui in hoc Capitulo, Vicarius Prouincialis Bononienſis Prouinciæ creatus fuit. 4 Bernardinus de Monteulmo, qui tunc Neapolitanam Prouinciam moderabatur. 5. Angelus Saonenſis, Vir omnium virtutum ornatiſſimus, & Prædicatione illuſtris. 6. Laurentius Reatinus Romanæ Prouinciæ Vicarius. 7. Euſebius Anconitanus, qui deinde Generalis fuit, omnium calculo digniſſimus. 8 Benedictus Senenſis, Venetæ tunc Prouinciæ Vicarius. 9. Ioſephus à Ferno, ſeu Mediolano, qui tunc Corſicæ Prouinciæ præerat, feruentiſſimus diuini Verbi Prædicator, de quo alibi egimus. 10. Liberius ab Oſella deuotione erga Beatiſſimam Virginem illuſtris. 11. Archangelus Siculæ Prouinciæ Vicarius, qui ex Benedictino Monacho ad Capucinos migrauerat, ac plurimis virtutibus coruſcabat. 12. Marianus Cyrneus. 13. Bernardinus à Biſiniano Calaber. 14. Amadeus ab Antenato, qui in Ochini fuga, plurimis pro Religione laboribus perfunctus fuerat. 15. Franciſcus à Suriano Prædicator illuſtris, ac deuotione celebris. 16. Franciſcus à Solectro Vir doctiſſimus, ac Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. 17. Paulus à Nurcia. 18. Michaël Angelus Florentinus. 19. Franciſcus Volaterranus. 20. Franciſcus Belga, alter à Titelmano, qui iam obierat. 21. Alphonſus à Neapoli. 22. Iacobus Melphitenſis Theologus inſignis, ac virtute inſignior. 23. Ludouicus Saonenſis, Vir aſſiduæ orationis,

*Viri Illuſtriores, qui Comitiis interfuêre, enumerantur.*

 ac

ac ſui contemptu illuſtris. Vigeſimus quartus tandem fuit Ioannes ab Intemilio Ligur, Vir prudentia, ac virtute clarus, qui in Romana, ac Genuenſi Prouincia, Vicarij officio functus fuerat.

*Horum virtus, ac præſtantia declaratur.*

XVII. Hos porrò velut immobiles columnas, ac firmiſſima propugnacula, quæ labentem Religionem, ac propè tempeſtate conuulſam, ſua prudentia, labore, atque aſſiduis orationibus in ſummo rerum diſcrimine ſuſtentarent, ac ſartamtectam ſeruarent, à Deo præordinatos fuiſſe, præclara illorum virtus, atque ipſa rerum experientia declarauit, qui cùm doctrina, ac ſanctiſſimis vitæ exemplis Capucinorum ſubinde Religionem illuſtrauerint; iis prophetica illa Dei vox haud ſanè importunè accommodari poteſt, qua olim iacentem Synagogam; hoc verò tempore, Capucinorum Religionem, illuſtrium Virorum promiſſione ſolatus eſt, cùm ait: *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione, ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris; & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles: Vniuerſos Filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis. Et in iuſtitia fundaberis, recede procul à calumnia, quia non timebis à pauore, quia non appropinquabit tibi.*

*Iſa. 54.*

*Franciſcus Aeſinus, Generalis Vicarius eligitur.*

XVIII. Romæ igitur Capitulo, quod in Capucinorum Religione quintum fuit, ex tot illuſtribus Viris congregato, in eo Franciſci Aeſini, qui Commiſſarij Generalis Officio fungebatur, virtus, ac prudentia tantoperè enituit: vt cùm Bernardinus Aſtenſis, ob pleraque corporis incommoda, quibus affligabatur; à Generalatus munere ſubeundo ſe excuſaſſet, is omnium ſuffragijs Generalis Vicarius creatus fuerit. Quod Cardinali Protectori, ob id potiſſimùm gratiſſimum fuit, quòd cùm Ochini mores, & vitam Aeſino ſemper plurimùm diſplicuiſſe intelligeret: illius ſtudio, ac diligentia Religionem faciliùs, ac perfectiùs, ab Ochini fæcibus, ſi quæ reliquæ eſſent, expurgandam ſperaret. Neque id abſque ſingulari Dei conſilio factum eſt: cùm enim tot in homine virtutum ornamenta florerent; præſtans animus, alta naturæ vis, multarum rerum peritia, ſumma probitas, ac vitæ integritas; vehemens ad diuina ardor, ardenſque omnium virtutum cupiditas; & quæ Rectorem maximè decent, prudentiæ, ac conſilij magnitudo, odium improbitatis, iudicij æquitas, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, quæ illum eo honore dignum præſtabant: in his tamen duo præcipuè in homine clariùs emicabant; nempè Catholicæ Fidei, ac Regularis Obſeruantiæ zelus; quæ, hoc præſertim tempore, ab huius Religionis Capite potiſſimùm exigebantur. Hinc illum Dei Sapientia, ad Religionis regimen euexit: vt illius ſtudio, ac virtute, quæ Ochini vitio dilapſa, ac deprauata erant, reſtituerentur.

*Franc. Aeſinus multarum virtutum laude commendatur.*

XIX. Neque id diuino teſtimonio caruit: cùm enim Franciſco, ad Generalis munus electo, iuxta conſuetum Religionis morem, Religionis ſigilla à ſupremo Definitore, ante Altare ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, tota ſpectante Fratrum Corona traderentur: videt ille perſpicuè B. P. Franciſcum, cui & S. Antonius Vlyſſiponenſis aſſociatus erat, ſibi in aëre apparere; qui baculum itinerarium eidem tradens, hæc ſimul verba depromit: Accipe, Franciſce, itineris tui baculum, vade, proficiſcere; viſita; & Fratres tuos confirma.

*B. P. Franciſcus Generali apparet, ac baculum tradit, quo Religionem viſitet*

XX. Porrò hanc Franciſci electionem à Deo profectam fuiſſe, ipſius rei euentus non obſcurè declarauit. Huius enim Viri zelus, ardor, diligentia, prudentia, labor, ac denique inſignis Sanctimonia, Deo præſertim ob B. P. Franciſci, ac S. Antonij merita Capucinorum rebus ſuffragante, tantum Religioni commodi, atque vtilitatis attulit: vt Dominicus Religionis agel-





lus, non modò à zizaniis, ac vitiorum ſentibus; ſi qui poſt Ochinianam labem reliqui fuerant; expurgatus, ac priſtinæ puritati, ac nitori reſtitutus fuerit; verùm & vberioribus virtutum ſeminibus auctus, perfectioris ſanctimoniæ fructus germinauerit.

XXI. Solutis igitur Comitijs, maximum Franciſci Generalis ſtudium fuit, vt ſi quæ Ochinianæ infectionis reliquiæ, in Congregatione deliteſcerent, diligentiſſimæ Inquiſitionis ſarculo detegerentur; celeriùſque ac radicitus euellerentur: vt & Religionis incolumitati, & Apoſtolicæ Sedis ſcandalo conſuleretur. Idcircò, cùm de Veneta, ac Æmiliæ Prouincia maior vigeret apud omnes ſuſpicio; atque in Veneta præſertim, propter hæreſim ab Ochino, dum Veronæ legeret diſſeminatam; occulta etiamnum labes, necdum expurgata, timeretur: in id conſilium incidit, vt gemini vtriuſque Prouinciæ Vicarij, quò faciliùs in occultæ tabis, ſi qua eſſet, notitiam deuenirent; atque in morbum irrumperent, communicato inter ſe labore, coniungerentur: viciſſimque alter alterius Prouinciam viſitaret. Atque adeò hæc horum diligentia, ad earum Prouinciarum expurgationem, ac emundationem profuit: vt, ne vlla quidem erroris macula in his ſuperſtite, omnis penitus ab iis hæreſis ſuſpicio abſterſa fuerit.

*Franciſci Generalis ſtudium & diligentia in Ochianis fæcibus abſtergendis.*

XXII. Franciſcus igitur, antequam viſitationem inſtitueret; cùm, & graue illius officij onus, & linguæ impedimentum, quo non nihil alligabatur, ſecum perpenderet: animo elangueſcere, & ſe tanto muneri obeundo ineptum iudicare videbatur. Quo fit, vt lachrymas ſæpè in oratione fundens, Deum aliquando his vocibus interpellauerit: Heu, Sapientiſſime Deus, qui omnia noſti, & ineffabili Sapientia moderaris; haud te profectò latet, quòd Puer ego ſum, ignorans introitum, & exitum meum: Ecce neſcio loqui; quia impeditioris, & tardioris linguæ ſum: obſecro, Domine, vide, quem ad tantum munus elegeris. Ego enim ſum Vir videns paupertatem meam: imperfectum quoque meum vident oculi tui: idcircò inter anguſtias concluſus, quid agam, ignoro. Si me tua ad hoc munus clementia vocat, quandoquidem nihil, quo huic vocationi reſpondeam, mihi penitus eſt: planè omnia abs te expecto. Tu igitur benigniſſimè, Spiritum inſuffla, animum informa, conſilium da, Sapientiam inſtilla, linguam compone, virtutem confer: denique totum crea, vt totum ad tui beneplaciti imperium compoſitum habeas. Tu Domine indignum ſeruum, ſuper hunc puſillum gregem tuum diuulſum, ac dilaceratum, Paſtorem conſtituiſti: quis gregis plagas curare? quis alienos à Filiis diſcernere? quis infirmos conſolidare? quis Ægrotos ſanare, ſine te valeat? Da igitur Puero tuo prudentiam; qua morbos diſcernere, qua vulnera alligare, qua abiecta reducere, qua vacillantia confirmare, qua integra ſeruare ſciat. Da Sapientiam; quæ me recta agnoſcere, quæ opportuna adminiſtrare, quæ ſapienter regere, quæ gregem paſcere, quæ congruos vitæ cibos, Familiæ tuæ impertiri doceat. Da virtutem, quæ det mihi in vitia fortiter irrumpere, Diuini Spiritus hoſtes debellare, Regularem obſeruantiam propugnare, & commiſſum gregem ad bonorum omnium ſtudia propellere; vt Plebs iſta tua ſancta, Fide integra, ſpe firma, charitate perfecta, Hoſtias laudum acceptabiles, ac munda cordium Sacrificia, vbique Maieſtati tuæ immolet. Da tandem Famulo tuo, vt damna nuper à malo illo ſeruo; Religioni tuæ illata, te opitulante, ita inſtaurare valeat: vt & priſtinus Congregationi tuæ honos redeat, & amplior diuino nomini tuo gloria accedat.

*Franciſci Generalis apud Deum humilitas ſignificatur.*

XXIII. Deus verò, cui humilium ſemper placuit deprecatio; tanta illum Sapientia, ac virtute ex alto induit: vt ſub ipſius adminiſtratione, Religio, pro malis,

quæ priùs perpeſſa fuerat, à Deo duplicia, ac congeminata bona acceperit, Tantúmque gloriæ, atque honoris à Deo aſſecuta fuerit; vt cuncta prioris maculæ damna poſteriorum bonorũ vſura reſarciret: ita vt de ea illud Propheticum enunciari poſſet: *Non vocaberis vltra derelicta; & Terra tua non vocabitur ampliùs deſolata; ſed vocaberis, Voluntas mea in ea; & Terra tua inhabitabitur quia complacuit Domino in te.*

*Iſa. 62.*

*S. Antonius Mulieri apparens, Franciſcum Generalem ad labores animat.*

Porrò hoc tempore, Mulier quædam Romana, deuotiſſima; quæ Capucinis familiaris erat, dum in oratione defixa, Deum attentiùs pro Religione orat; hæc à B. Antonio Vlyſſiponenſi, ſibi in viſu apparente, verba ſibi dicta audit. Vade, Mulier, ac Franciſco Aeſino renuncia, ne in Religionis gubernatione animum deſpondeat; Ego enim ſpeciales apud Deum pro eo orationes fundo. Is igitur cùm primùm ad Generalis munus ſe accinxit; viſitationem pedeſter, quemadmodum illi à B. Franciſco, priori viſione indictum fuerat, inſtituit: in qua ſingulas Prouincias, ac Monaſteria, non raptim, aut celeriter; ſed omni feſtinatione ſemota; perinde ac ſi illi tantùm Monaſterio ei vacandum eſſet, viſitat: Fratres ſingulos, Eccleſiam, Sacriſtiam, Conuentus officinas, ſupellectilem, demum vniuerſas Domus, & Eccleſiæ partes perluſtrans, vniuerſa diligenter inſpicit: vt ſi quæ in his corrigenda ſunt, protinus emendanda curet. Obſeruat accuratiſſimè, qua grauitate, ac moroſitate Sacra à Sacerdotibus celebrentur: Horæque diuinæ, atque nocturnæ, qua Religione in Choro perſoluantur; qua humanitate aduenæ Fratres excipiantur; qua charitate ægrotis miniſtretur. Si inter Fratres quempiam, aut vecordem, aut ſomno deditum, aut Regularis diſciplinæ minus ſtudioſum offendit; tanta illum manſuetudine, ac ſuauitate admonet, corripit, caſtigat; vt ab eo correpti ferè ſemper meliores euaderent; & ad vberiorem virtutum frugem prouocarentur.

*Quænam Franciſcus Generalis in Viſitatione præſtaret.*

XXIV. Sermones ſæpè in eodem Conuentu, de dono Catholicæ Fidei, de bono Religionis, de votorum merito, & excellentia, de Euangelica perfectione, de Regulæ Obſeruantia, ac præſertim de Paupertatis obligatione inſtituebat: in hiſque tam ardenti animi motu ferebatur, vt ipſos quoque Fratres, mirum in modum in Deum accenderet. Illius verba, ſicut ſagittæ in manu Potentis, audientium corda penetrabant; & tanquam vrentes quædam ſcintillæ, ex igne erumpentes, maxima in Fratrum animis ad diuinum amorem incendia excitabant. Quod viſibili ac cæleſti interdum argumento demonſtratum fuit. Aliquando enim accidit; vt dum Peruſiæ Fratribus ſermocinatur, Peruſij Ciues ingentem flammam, ſupra Capucinorum Conuentum, paſſim ſe ſe extollentem cernerent. Quamobrem cum Monaſterium conflagari arbitrarentur; eò confluentes, non deuorantes flammas; ſed Franciſcum Generalem, flammæ inſtar, prædicantem, ac Fratrum corda inflammantem inueniunt.

*Dum Fratribus ſermocinatur, ingẽs flamma è tecto erumpere cernitur.*

XXV. Tanta vir Dei, præſertim cùm ad Fratres ſermones haberet, Spiritus ſancti luce perfundebatur: vt quæ ab eo dicebantur, humanum prope ſenſum excellere viderentur: adeóque audientes in eorum admirationem raperent; vt Bernardinus Aſtenſis, & alter à Monteulmo, alijque Viri doctrina, ac prædicatione illuſtres; cùm eum ſermocinantem audiiſſent, nunquam ſe hominem tam altè de Deo, diuiniſque rebus diſſerentem, percepiſſe faterentur. Neque id vlli mirandum; cùm enim ea doctrinæ lux, non ex imo carnalis prudentiæ cœno; ſed ex ſuperno potiſſimùm diuinæ Sapientiæ lumine, illi affulgeret; inde illius mens intus erudita, altiſſimè rerum diuinarum ſecreta, quæ ex cæleſti fonte hauſerat, Fratribus eructabat. Quod rurſus, hoc manifeſto ſigno, declaratum fuit: Nam cùm Peruſiæ, vbi nonnullas aliquando moras duxit; quotidie in veſpere, poſt Angelicam ſalutationem, mentali oratione peracta, Fratribus in Refectorio collectis ſermonem haberet: Stella præfulgens, per Monaſterij tectum, diſcurrere viſa fuit. Hoc namque tempore Vir quidam, Agricola, qui haud procul à Conuentu habitabat; cùm Fratrem Seraphinum Peruſinum, ſemel obuium ſibi

*Eo Fratribus ſermocinante ſtella fulgens per tectum à Ruſtico diſcurrens conſpicitur.*

in



in itinere habuiſſet, ad eum, inquit. Quid eſt Pater; quòd in quolibet veſpere, vbi primùm Angelica Salutatio pulſata fuit; Sydus quoddam pulcherrimum, ac radians, per Monaſterij tecta, longiori temporis ſpatio, curſitare videtur? Id nempe tempus erat, quo pius Generalis Dei Verbum Fratribus proponere ſolitus erat. Porrò eo teſtimonio id Deus indicare voluit; Franciſcum Generalem, quaſi nouum ab eo Sydus electum fuiſſe, quo Religionem ad veram, ac perfectam Regularis obſeruantiæ viam, illuſtraret. In id verò, præſertim in ſui Generalatus exordio, ob Ochinianæ peſtis infectionem animum potiſſimùm intendit: vt tam publicis, quàm priuatis ſermonibus, Catholicæ Fidei veritatem, ac puritatem, Fratrum mentibus inſinuaret; eámque in Religionis gremio aleret; quò faciliùs omnem apud Apoſtolicam Sedem de ea maculæ ſuſpicionem ortam, abſtergeret.

*Quæ potiſſimùm Franciſcus in Sermonibus curat.*

XXVI. Denique tanta Aeſini Generalis, in hac prima Religionis viſitatione, huius rei ſollicitudo fuit: vt Religio, breui tempore, non modò ab omni Ochinianæ infectionis tabe, ac periculo libera eſſet: verùm & à quorundam ambitioſorum nidore, expurgata fuerit; qui cùm prædicandi facultatem, quàm ad proprij nominis gloriam potiùs, quàm ad animarum lucra transferebant, à Pontifice, Religioni ereptam cernerent: ad priores Religiones, vnde ſub Ochino ad Capucinos migrauerant, hoc tempore remearunt.

*Ob ademptũ Prædicationis Officium plerique ad Obſeruantes redeunt.*

XXVII. Religionis itaque Agro felici hoc rerum exordio integrè à vepribus purgato, ac priſtinæ puritati reſtituto: Aeſinus egregiam in eo arando, excolendo, ſerendo, quò ad ampliorem virtutum, ac Regularis obſeruantiæ frugem prouocaret, operam nauat.

XXVIII. Quanquam verò Aeſinus, tam verbis potens, ac ſermone efficax eſſet: minùs tamen illud erat, quòd verborum ſono, quàm quod vitæ exemplis, atque operum luce præſtabat. Ipſius enim vita, ac conuerſatio cùm omnibus viuum quoddam virtutum, ac religioſæ perfectionis exemplar, ac ſtimulus exiſteret; ea loquax, & efficaciſſima omnium vox, ac prædicatio erat: quæ Fratrum animos, ad illius imitationem; & ad Euangelicæ perfectionis viam, tum amplectendam, tum proſequendam propelleret. Rudis illi habitus erat, multis panni præſegminibus interpolus; neque huiuſmodi Generalem vti aliquando indecorum eſſe ſenſit: quare eo ſolo, ac breui palliolo contentus; corda, fœmoralibus, Breuiario, atque iis tantummodò, quæ à Regula, vel Conſtitutionibus conceduntur, ad ſui vſum admiſſis, his ſe omnium ditiſſimum exiſtimabat. Paupertatẽ enim ſummoperè, quoad vixit, dilexit. Victu quoq; parcus, ſemel duntaxat in die cibum, eúmque parciſsimè ſumere ſolitus erat. Orationis cum primis amicus fuit; ac Chori ſtudioſiſsimus: à quo, tametſi Generalis eſſet, quàm plurimis officij curis implicitus, abeſſe, piaculum exiſtimabat. His, & aliis præclariſsimis vitæ exemplis, quæ fuſiùs in ipſius vita exaranda erunt, cùm cæteros anteiret; atque ad ſui imitationem raperet; breui factum eſt: vt Fratrum ſanctimonia vbique corruſcante, noua, & amplior, quàm antea, in eos populorum deuotio excitaretur; ac ſenſim Ochini memoria apud homines deleretur.

*Æſini Generalis vita, ſanctimonia plena.*

XXIX. In primo ſui Generalatus anno: cùm apud pleroſque, falſus de Capucinorum extinctione, rumor percrebuiſſet; quò faciliùs, ac celeriùs ea apud homines fama interiret; vndique Fratres ex Prouinciis, ad ducenteſimum vſque numerum, Aſſiſium eo tempore conuenire iuſſit; vbi maximo populorum, vndique ex toto Orbe confluentium, concurſu, Indulgentia in Aede Sanctæ Mariæ Angelorum celebratur: vt ea Fratrum multitudine, ad Indulgentiam confluente, à populis conſpecta; Capucinorum Religionem etiamnum incolumem eſſe, vbique apud omnes conſtaret. Porrò in ea Fratrum ſupplicatione, quæ

*Æſinus Generalis Fratrum multitudinem ad S. Mariæ Angelorum Indulgentiam conuocat.*

 poſt

poſt Kalendas Auguſti inſtitui ſolet; tanta modeſtia, tanta ſenſuum mortificatio, tanta morum honeſtas, tanta mentis deuotio, ac vtriuſque hominis compoſitio, eluxit: vt eò confluentes Populi, non modò falsò conceptam opinionem abiicerent; verùm & vberiori eorum virtute maximè ædificarentur.

*Ioannes Hiſpanus, ſanctitate illuſtris.*

XXX. Inter alios verò, quos Aeſinus Generalis Aſſiſium aduocauerat, Ioannes à Metymna Campeſtri, Hiſpanus, ac Sacerdos fuit; cuius ſingularis virtus, ac ſanctitas, cùm Generali haud ignota eſſet; illum hoc tempore ſeorſim vocatum, obedientiæ præcepto obſtringit; vt quem Capucinorum Religio apud Deum, locum, ac gratiam ſibi vendicaret, in oratione ſibi declarari poſcat: neque ab orando deſiſtat, donec voti compos, id à clementiſſimo Domino impetret. Quænam Aeſinum Generalem ad hoc conſilium permouerint: duo potiſſimùm fuiſſe ferunt. Primum. Quòd cùm Capucinorum Religionem, tot hactenus tempeſtatibus iactatam conſpiceret, atque in poſterum iactandam pertimeſceret; vt illius aliquando naufragium metueret: in eo dubius hærebat; num ea Dei plantatio eſſet; in qua qui conſcripti ſunt, ſtabiles, ac ſine naufragij metu, Deo famulari poſſent. Alterum erat, quòd Ordinis Primatum, à Leone X. Pontifice, Generali Miniſtro Ordinis Obſeruantium, decretum non ignoraret: ex quo illud, in ipſius, ac multorum animos dubium, ac ſcrupulus irrepſerat: Num Capucinorum Congregatio, quæ Obſeruantium iugum à ſe excuſſerat, tuta, ac ſalua conſcientiæ lege ſub Generalis Magiſtri Minorum Conuentualium obedientia degeret: Cùm caput illud non agnoſceret, quod ſummam B. P. Franciſci in toto Ordine auctoritatem præferebat.

*Ex Generalis præcepto quædam à Deo ſibi reuelari poſtulat.*

XXXI. Hoc igitur ſibi præcepto impoſito, Ioannes, in Montiſpolitiani Conuentum ſe confert; vbi in ieiunio, oratione, ac lachrymis Dominum aſſiduè deprecans, tribus diſtinctis temporum interuallis, pleraſque à Deo, quæ ad rem ſpectant, reuelationes accipit, quas nos ſequenti anno, in quo illæ finem acceperunt; integrè exarandas differimus.

*Ochinus poſt lapſum ad Geneuenſes fugit.*

XXXII. Interea, quid miſero illi Ochino, Capucinorum Religionis monſtro, vbi Alpium iugis traiectis, Geneuam ſe præcipitem dedit, poſtea acciderit; nihil certum haberi potuit. Alij enim à Ioanne Caluino, qui tunc Geneuenſem Cathedram Farello expulſo tenebat, exceptum, haud diuturnam cum eo pacem habuiſſe ſentiunt. Cùm enim Caluinus, Ochinum, Virum auctoritatis fama grauem, ardentiori ingenio præditum, facundia ſuperiorem, prædicatione eximium, atque in rebus agendis ſagaciſſimùm pertimeſceret: minùs profectò ſibi commodum eſſe exiſtimauit, eum Imperij ſocium ſibi adiungere: ne quod is erga Farellum molitus fuerat, quem è Geneuenſi Sede exturbatum, exulare coëgit; id ſibi ab Ochino rependeretur. Quapropter proprio honori, atque vtilitati conſulens; haud multò poſt, captata cuiuſdam erroris occaſione, quem de Polygamia, & vxorum pluralitate Ochinus diſſeminare cœperat; eum ab Vrbe expellit; quem propterea ad Polonos, ac Tranſiluanos transfugiſſe, atque ibi Dialogum contra Sectam Terrenorum Deorum, quo nomine Caluinum, & Geneuenſes appellat, conſcripſiſſe ferunt. Alij quoque alia opinantur. Verùm id certum eſt, Hæretico illum Spiritu exagitatum, cùm primùm Catholicæ fidei nuncium remiſit, in Geneuenſem Vrbem ſe fuga recepiſſe: Atque inde cùm Apologiam illam, dira conuitia aduersùs Romanam Eccleſiam euomentem, ad Pontificem miſiſſet: pleriſque ex Catholicis Viris compulit; vt in eam ſtylum perſtringerent. Inter quos Ioannes Petrus Caraffa, tunc S.R.E. Cardinalis, qui deinde Pontifex fuit. Pauli 4. nomine nuncupatus, Parœneticam Epiſtolam, omni pietate refertam, ſtylo elegantiori ad eum ſcripſit. Quam Ioannes Baptiſta Acerrarum Epiſcopus, Hiſtoriæ Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, Auctor, his verbis compactam refert.

*Apologeticũ pro fuga ad Pontificem ſcribenti Ioannes Petrus Caraffa reſpondet.*

XXXIII. QVID TIBI *in mentem venit, ô Bernardine? quis te Domini malus, velut re-*





*probum olim Iſraëliticum Regem arripuit ſpiritus? Pater mi, Pater mi, currus Iſraël, & auriga, quem paulo ante, quaſi in Spiritu, & virtute Heliæ aſcendentem mirabamur in Cælum: quid modò cum curribus, & equis Pharaonis deſcendentem dolemus in Infernum? Quomodò cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? quomodò obſcuratum eſt aurum, & mutatus eſt color optimus: argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua? Vinea Dei electa, Vinea delicioſa, Vinea fertilis, quæ ſuauiſſimos botros proferebas: quomodo verſa es in amaritudinem vitis alienæ? Expectatus, vt faceres Vuas, quid tam acidas feciſti labruſcas? qui dulciſſimos filios tuos inebriabas: quomodo acetum, & amariſſimum fel propinas? qui nutriebaris in Croceis, quomodo amplexatus es ſtercora? quid orbatum lugemus, & ſterilem, quem innumerabilium videbamus Patrem lætantem filiorum? Totus ad te confluebat Italicus Populus, totus inter vbera tua morabatur. Tu terram prodidiſti, tu Populum tuum occidiſti. O delire Senex, quis te faſcinauit, vt alterum tibi confingeres Chriſtum, quem à Catholica Eccleſia non didiciſti? Vt te ad aliud conuerteres Euangelium, quod ab vberibus Matris tuæ non ſuxiſti? Tu ſignaculum ſimilitudinis, tu Præco Altiſſimi, tu tuba longè latéque ſonans, tu plenus doctrina, tu decorus ſcientia, tu Cherubim extenſus, & protegens, tu in deliciis Paradiſi fuiſti. Poſuit te Dominus in Monte ſancto ſuo, poſuit te lucernam ſuper candelabrum, poſuit in ſalem Populorum, poſuit columnam in Templo ſuo, poſuit te cuſtodem in Vineis, poſuit te paſcere gregem populi ſui: & eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in altitudine ſuperbiæ tuæ, in multitudine iniquitatum tuarum: polluiſti ſanctificationem Dei, proieciſti ſermones eius retrorſum, conuertiſti te ad Idola domus Iſraël, libaſti Baalim, factus es in laqueum, & in ſcandalum in vniuerſo Mundo. Idcircò proiecit te in terram, & quaſi ſal infatuatum emiſit foras, vt conculceris ab hominibus. Omnes, qui viderunt te, omnes, qui te audierunt, obſtupeſcent ſuper te, quia nihil factus es, & nihil eris, morte incircumciſorum morieris in terra aliena. O, inquam, delire Senex, an non cognoſcis has omnes Propheticas voces in te eſſe completas? Has non ignoras Vir doctiſſimus, hæ non te latent Virum in ſacris Literis eruditum? Ah quàm magnus eras, Bernardine, in oculis omnium, ſi in oculis tuis paruus eſſe voluiſſes. Ah quàm pulcher eras, & ſpecioſus, niſi ſpeciem ipſe tuam adamaſſes; niſi vmbram ipſe tuam captare contendens, veram pulchritudinẽ, teq; ipſum miſerè demerſiſſes. Conſartum illud tuum ſaccum rude, rubentes pileos, & Pontificum Mitras ſuperabat. Nuditas tua, purpurea, prætioſaque operimenta vincebat. Nobile illud ſtratum tuum in Crate ac tabulis, molliſſimis cubilibus delicioſiùs poterat æſtimari. Profunda illa tua, & admiranda paupertas, omnes terræ diuitias poſſidebat. Exaltata erat in Mundo, & vſque ad Cælos gloria tua: modò traditus in reprobum ſenſum, factus es in deriſum omni populo, canticum eorum tota die. Vt quid tam malè propter te hodie audit Euangelicum miniſterium? tam malè tractatur Monaſticum nomen? An non pudet Senem, ab infantia Chriſtianum, à pueritia Deo dicatum, ad tantam inſaniam deueniſſe: vt in graui hac ætate tua, ea vel facere, vel dicere non erubeſcas; quæ nec Ethnici faciunt, nec Publicani? Tu extremam iam paupertatem ſemel, & ſecundò profeſſus, modò pecuniam contrectas, modò auro ſuffarcinaris, modò pauperis pœni-*

tet Chriſti? Tu antiqua, conſuetáque Ordinis tui abſtinentia mimimè contentus, nouum tibi, ac Sectatoribus tuis viuendi rigorem induxeras, longiores vigilias, acriores inedias; aſperius indumentum, duriora ieiunia, humilioris corporis nuditatem, arctiorem denique rerum omnium egeſtatem. Hæc tu Magiſter induxiſti, hæc tu in prouecta iam, & ſenili ætate probaſti: nulla hîc adoleſcentiæ excuſatio, nullus errori relinquitur locus. Modò repentina leuitate, ſacrilega mutatione; (non dexteræ Excelſi) ſed inuidiæ Diaboli pro ficta fraude procedis, ſæculari habitu, nobilibus veſtimentis: modò Sacra irrides, modo ieiunia abrogas, modò continentiam culpas, modò abſque dierum ſelectu, vel reuerentia, quibuſcunque pinguibus ſaginaris: modò heſternam eructas cœnam, & crudum pauonem in balnea portas. Toto ætatis tuæ tempore, facie liuida, prolixa barba, veſte pannoſa, ſeueram pollicitus vitam: nunc vnguenta redoles, nunc voluptati indulges, nunc bacchanalia viuis. Multa bona opera Mundo oſtendiſti, multos ab erroribus reuocaſti, multos continenter viuere docuiſti, multis piam largitionem perſuaſiſti, multos ad melioris vitæ frugem induxiſti: nunc quidquid ædificaſti deſtruis, quidquid paraſti, amittis: nunc quantùm in te eſt, malo tuo exemplo, omnes ad vomitum compellis; & qui tam peruersè, & imprudenter peccas, multò ſanè deteriùs quod peccas, excuſas, & dum ad ea, quæ malè agis, tuæque turpitudini Patronus accedis, magis quàm eras, peccator efficeris. Detur timori Romani Pontificis, quod peccaſti, detur ſanguini, quod ad ſchiſmaticas partes commigraſti: certè maledicentiæ tuæ virus, & impium excuſationis tuæ venenum, nulla ſtimulatio protegit, nulla cauſa falſa defendit. Pudet me (mi Pater, vbi Catholicus eſſe volueris, ſemper venerande) pudet omnes candidos Chriſtianæ veritatis Cultores, ea de teipſo iactante audire, quæ nullus vnquàm aduerſarius auſus fuiſſet infringere. Scribis enim in illis tuis præclaris, quæ vulgò circumferuntur, Apologeticis literis, hactenus te Chriſtiano Populo velatum Chriſtum prædicaſſe: deinceps verò verum illum, ac liberum producturum te comminaris. Quid eſt, quod loqueris, Pater? An non vides tuis te teneri laqueis? tuis pedicis irretiri? Quæ nunquam ſaxa, quæ Cruces, quis parricidarum culleus, quæ aſinaria mola in caput tuum, in tuam ceruicem, in tuum ſufficiant ſupplicium? An putas te impunè iam dudum Chriſtianum Populum te illudere potuiſſe: qui AntiChriſtum pro Chriſto prædicaueris? qui Phariſaicum fermentum pro ſacra doctrina, qui Pharmacum pro vero lacte propinaueris? ſiccine ſimplicem gregem infeciſti? ſiccine innocentes Oues, Carnifex, ſermonum tuorum lenocinio ad lanienam attraxiſti? Et quam fidem tibi poſthac adhibendam ſperare poſſis, qui impiiſſimis mendaciis Auditores tuos ſeduxeris? qui tandiu panem pollutum porrexeris? qui tandiu diuinum Verbum adulteraueris? Vides ad quod ſaxum impingis? vides quàm profundam tibi præparas foueam? vide quàm ex diametro in verticem tuum iniquitas tua deſcendit? Attende, obſecro, quàm malè tibi non conſtas, quàm periculosè teipſum mutas, ſi veritatem tibi eſſe conſtabat apud Lutherum; ſi Petrum, & Paulum, eorúmque Eccleſiæ Succeſſores non rectè videbas ambulare in ſinceritate Euangelij; ſi quæ in Populis prædicabas, non ſecundùm Catholicam Fidem eſſe ſciebas, cur tandiu ſiluiſti? Cur Dei veritatem in iniuſtitia detinuiſti?





Cur in ſtercore ipſo tuo computruiſti? Cur impiè Hieroboam, in illis tuis vitulis aureis omnem Iſraël peccare feciſti? An putas ſtrophis hiſce tuis nobis illudere, & ne veram præuaricationis tuæ cauſam agnoſcamus, cornicum (vt veteri dicitur prouerbio) nobis oculos infigere? quin potius cum B. Rege confiteris? quin vociferaris? Hactenus Eccleſiæ vera prædicaui; hactenus in ſana doctrina perſeueraui; hactenus Catholicum ſenſum guſtaui; hactenus talentum mihi creditum benè diſpenſaui: nunc ſuperbia mutauit cor meum, nunc lumen oculorum meorum non habeo, nunc fœnum agri, vt bos comedo, nunc rationabilem exutus mentem cum feris, & beſtiis habito. Quis non videt? quis non intelligit, quo ſpiritu ductus ſis in deſertum, vt tenteris, & vincaris à Diabolo? Dum magnus haberis in Eccleſia, dum Principes audiunt, dum te Populi admirantur, dum Nobiles te prædicant, & Italiæ Ciuitates, dum tua latet hypocriſis incorruptum Verbum, quod diſſeminas. Vbi ſanctiſſimus Pontifex te citat, vbi conſcientia tua te accuſat, vbi iniquitas pœnam formidat. Nunc primùm nudum te agnoſcis, nunc primùm ad aliud Euangelium te conuertis. Vides in te non hærere mandatum, ſentis malè ſartum figmentum: ſi malè locutus es, pœnitentia teſtimonium perhibe de malo, aſperge te cinere, accinge te ſacco, induere cilicio, in ieiunio, fletu, & planctu, teque pœnitentem oſtende. Videat populus, quem ſeduxiſti, videat Eccleſia, quam decepiſti, quòd iniquitates tuas agnoſcis, quòd peccatum tuum contra te eſt ſemper. Hanc pœnitentiæ formam, vel tuus ipſe bonorum operum omnium antiquator, Euangelicus Epicurus Lutherus negare non poteſt, tam in Italico Rege, & Niniuitis, quàm in cæteris omnibus pœnitentiam omnium arbiter Deus approbauit. Nunc verò verè tibi induendus erat ſaccus, quem vt iactanter fortaſſe aſſumpſeras, ſic procul dubio temerariè dimiſiſti: nunc dura ſubeunda erat Eremus, vbi & Pontificis vltionem euitares, & diuinam aduersùm te indignationem placares. Tu verò ſpreto Religioſo cultu, diuiſo genitricis vtero, confractis ſponſæ tuæ vberibus, abrogatis ſacris cæremoniis, relictis patriis legibus, confugiſti ad Aſſyrios, defeciſti ad Babylonios, conuerſus es ad Balach, & feciſti tibi præputium iuxta ritum gentium; vt dimices contra Matrem tuam, vt exprobres Populum Iſrael, vt maledicas Eccleſiæ Dei, vt Summo Pontifici detrahas. Acceſſiſti ad Gentem Apoſtatricem, ad domum exaſperantem, ad Populum incredulum, ac rebellem; vbi crapulæ, & ventri indulgeas, vbi inceſtuoſa matrimonia iungas, vbi opera deneges, vbi Chriſtum iterum crucifigas, inconſutilem eius tunicam ſcindas, & partem ex ea cum impijs militibus facias: vbi Euangelicam libertatem (iuxta quod dixit B. Apoſtolus) in occaſionem carnis conuertas. Matrem, quæ te genuit, reliquiſti, ex eius ore mel, & lac ſuauiſſimum ſuſcepiſti: nunc aperis contra eam os tuum, exaltas & exacuis contra eam linguam tuam; leuas contra eam calcaneum tuum. Heu, heu, Pater mi, quid feciſti nobis ſic? tamtumne potuit indignatio? tantumne valuit ambitio? Verè Aſtra non ſunt munda in conſpectu Dei, & in Angelis ſuis reperit prauitatem. An ſatiùs erat tibi in exilium, & in carcerem ire, quàm Eccleſiam Dei confundere? An non præſtabat mortem ipſam appetere, quàm Dei legem derelinquere? quàm ſacra vota infringere? quàm ſolemnia Inſtituta violare? Vt quid tanto Orbis totius ſcandalo, tanta animarum pernicie, tanto exiſtimationis tuæ dedecore caniciem tuam cum dolore deducis ad Inferos? Adhuc in auribus noſtris reſonant illæ tuæ lu-

culentiſſimæ Conciones, de continentiæ bonis, de Sacrorum deuotione, de ieiuniorum obſeruantia, de mirificis Sanctorum præconiis, de Monaſticis laudibus, de paupertatis honore. Adhuc ante oculos noſtros appares nudis pedibus, pannoſus, & horridus; adhuc alges, adhuc eſuris, adhuc ſitis, adhuc nudus exiſtis: & inter epulas, & comeſtiones, delitias, & cubilia, inter mollia ſtrata, inter vulgares tabernas, inter ebrios, inter inceſtuoſos, inter blaſphemos inuerecundus Apoſtata videri ſuſtines? Vbi illæ tuæ voces magnificæ de Mundi contemptu, de perſecutionum beatitudine, de conſtantia in aduerſis? Vbi acerrimæ illæ tuæ inuectiones contra bonorum cupiditates, contra ambitionum vanitates, & inſanias falſas? confuſa ſunt omnia, & caſſa ſunt omnia. Vbi tu ipſe, qui prædicabas non furandum, furaris, qui non mæchandum, mæcharis? qui abominabaris Idolum, & ſacrilegium facis? Vbi tu ipſe Magiſter totum id operis deſtruis, quod antea docebas. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt nocte fleam, vt luce plorem baculum Eccleſiæ confractum, Magiſtrum Populorum obcæcatum? Paſtorem in lupum conuerſum? Sapientem Patrem in reprobum ſenſum commutatum? Chriſti Præconem in Diabolum effectum? Quis magnum ſuſcitet Samuëlem? quis manſuetum Dauidem exhibeat, qui Abſalonem lugeat infelicem? quis proferat Euangelicum Patrem, qui à Meretricibus reuertentem prodigum Filium recipiat? Si fortè ſurgas, ſi fortè ad eum redeas, & dicas: Pater, peccaui in Cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari Filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. An non tibi exiſtimas meliùs reuerti ad Patrem tuum, ad domum Genitricis tuæ, vbi abundas panibus, quàm in longinqua à Deo regione paſcens porcos mori? Quid tibi in Barbaris Gentibus? quid tibi cum alienigena Nutrice? quid tibi cum Nouerca? quid in externis ædibus? Quid cum praua, & adultera? quid cum Muliere meretrice, quæ etiam proprium oppreſſit, & viuentem veræ Matris Filium conatur diuidere? Agnoſce vbera, quæ te lactauerunt, agnoſce vocem vocantis, vocem plorantis, vocem in Rhama, vocem ab excelſo clamantis: Reuertere, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper Montes Bethel, ſuper Montes aromatum. Non poterit obliuiſci Mater infantem ſuum, non poterit Pater contineri, quin occurrat, quin amplexetur, quin oſculetur, quin proferat ſtolam primam, & occidat vitulum ſaginatum. Miteſcet ſuper te virga Summi Pontificis, vbi miteſcat in te furor ſacrilegi erroris. Senties indulgentem Patrem, vbi te Catholicum exhibeas Filium. Moueat te Sanctorum Chorus, moueant Fratrum tuorum preces, moueant Filiorum lachrymæ: noli ipſos decipere, noli ipſos paruifacere, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. Leua in circuitu oculos tuos, vide quos in Chriſto genuiſti, quos dulciſſimo lacte nutriſti, quos ſolido cibo pauiſti: Omnes iſti congregati ſunt, & venerunt tibi, venerunt orationibus, venerunt votis, venerunt obſecrationibus, vt piè ſuſcipiant, vt in humeros ſuos gaudentes imponant, vt ad Dominicum gregem lapſum Paſtorem reducant: vt viſa tua reſipiſcentia, gratias Altiſſimo referant, piiſſimáque voce decantent: Pater noſter perierat, & inuentus eſt, mortuus fuerat, & reuixit. Oportebat, te, ô Frater Bernardine, qui veritatem profiteris, ad malitiæ tuæ libertatem veritatis teſtimonio non abuti, & Scripturæ auctoritates ad erroris redargutionem aſſumere, non ad firmandam impietatem peruertere: ne eius ſoliditatis leuiſſimas ſer-





monum tuorum nebulas exiſtimares: vt clariſſimo Solis iubare facile diſſipari non poſſe, vana tibi perſuaſione præſumeres. Quid namque tibi cum Paſtoris voce, qui iam lapſus dignoſceris? An non rapinam arbitraris noſtrorum tibi Virorum ſurripere teſtimonia? Vocat te Romanus Pontifex, vocat te Chriſti Vicarius, vocat te Caput Eccleſiæ, nihil adhuc comminatur, vim nullam intentat: tu ad vocantis vocem nuditatis tuæ conſcius, te abſcondis? Tu à facie Domini Dei tui fugis, tu Principi Populi Dei maledicis, tu contumelioſus Semæi in Regem tuum ſaxa conuertis, & ſuper hæc omnia Euangelicam tibi ſententiam abrogare non erubeſcis? Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Sic tibi blandiris, Bernardine, ſic bellè tibi, tuiſq; decãtas, Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Quaſi non idẽ liceat furibus, & homicidis, quaſi Martyrem faciat pœna, non cauſa? quid ad perditos, & prauos homines, quid ad magnos Apoſtolos dictum fuit? quid ad ſicarios, & latrones? Quid ad ſacrilegos & adulteros, quid ad humiles, & religioſos Viros, quid ad fideles, ac Deo charos, Diuinum promulgauit Oraculum, Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Quos Vos? Vos Diſcipulos meos, Vos electos meos, Vos imitatores meos, Vos Vicarios meos, Vos Præpoſitos Eccleſiæ meæ, Vos perſequentur: Vos, inquam, humiles, Vos obedientes, Vos ſanam doctrinam tenentes, Vos à fortiſſima pœna non recedentes. Ecce de quibus veritas dicit: Ecce de quibus bonus Paſtor prædicit, Si me, &c. Qui ſic dixit, qui ad tales, & tantos dixit: non vtique ad vos dixit, vos deſignauit, vos ſeductores, vos Apoſtatas, vos rebelles, vos ebrios, vos inceſtuoſos, vos ſacrilegos, vos Chriſtianos Epicureos, vos qui meritò à piјs Præſulibus, ac Principibus perſecutionem patimini, non propter Iuſtitiam, ſed propter ſcandala veſtra, propter duritiam veſtram. Vos igitur iuſtè Eccleſiæ virga percuſſit, vos iuſtè ſalutaris gladius obtruncat, vos iuſtè pia medica manus à ſano corpore reſecat: de quibus nequaquam dictum eſt, & vos perſequentur: alioquin cauendum erit Chriſtianis Principibus, ne ſceleratum quempiam occidant, ne reum aliquem omnino ſua ſententia condemnent. Impleantur fora ſceleribus, domus homicidiis, viæ latrociniis. Valeat lex Cornelia, dormiat Iulia; ne Euangelicæ comminationi obnoxij fiant, ne audiantur cum Bernardino acclamantes: Si me perſecuti ſunt, &c. Cauendum ergo erat ipſi Petro, ne durum quippiam moliretur in Ananiam, & Saphirã. Cauendũ & Paulo, ne Corinthium inceſtuoſum Satanæ traderet in carnis interitum: ne Magiſtri ſententia eis obiiceretur, Si me, &c. Quas igitur cornicaris, quas obiicis nubes, quas ad Populi phaleras, vt de te, tuiſque Sectatoribus credi velis ad ſe non dictum, Si me perſecuti ſunt, &c. An non fortaſſe non minùs te aliquid exiſtimas, magnis Apoſtolis. Num ad ſigna tua rugiunt Dæmones? Num ad vmbram tuam ſanantur infirmi? vt verum de te aſſeras dictum: Si me perſecuti, &c. Non te perſequitur, quæ odit peccata, non homines; quæ omnibus laxat vbera, quæ nulli gremium claudit. Non perſequi poteſt Eccleſia in te Chriſtum, qui longè à Chriſto receſſiſti: non te perſequatur ambitio tua; non te perſequatur iniquitas tua, & nullum habebis aduerſant, nullũ ſenties perſequentẽ. Sit vna fides & erit vna pax: ſit vna in Eccleſia confeſſio, & vna amicitiæ ratio. Tolle vitulos aureos, tolle excelſa, non ſint Robohã, & Hieroboã, Hieruſalẽ, & Samaria: ſit vnũ Ouile, & vnus Paſtor, & ſimul tolles; Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.

XXXIV Hæc Parænetica Epiſtola, tanta pietate, ab eminentiſſimo Viro conſcripta, cùm Ochinum non hominem, ſed ex homine in hæreticam pecudem; omni rationis, nedum veræ Religionis ſenſu carentem, mutatum offendiſſet; nihil ab eo præterquam riſus atque hæreticæ inſaniæ furores extorſit.

*Cur Ochini lapſus fusè ab Auctore exaratus fuerit, cauſa redditur.*

XXXV Hæc igitur impuriſſimi, atque impiiſſimi Monſtri, ne dum hominis, facta, mentem, ingenium, & turpiſſimum à Fide lapſum, quæ Religioni adeò exitialia fuerunt, vt eam penè ad funera rapuerint, ac proinde maximas illi tenebras effuderint: ne fortè mirabitur quiſpiam, cur acriori, ac abundantiori ſtylo hoc loco perſtrinxerim; quæ potiùs vel ſicco pede pertranſiri, vel extenuata proponi, vel tandem alto ſilentio ſepeliri æquum nonnullis videri poterat; vt totius Religionis honori conſuleretur. At qui in hanc admirationem incidunt, planè vel Hiſtoriographi munus ignorant, cuius potiſſimum officium eſt, res geſtas, vt acciderunt, pro veritate candidè referre: quas ſi quis vel obtruncare, vel diminuere, vel ſilentio tegere voluerit, iam non Hiſtoriographi, ſed patrocinantis partes agit; quod Hiſtoriographo maximè cauendum eſt: ne dum rerum patrocinium ſuſcipit, ab earum veritate, atque ab Hiſtoriographi fide excidat. Vel eò ſaltem, Religionem labefactari falsò exiſtimant, quo ipſius potiùs honos, ac dignitas augetur.

XXXVI Quis enim ignorat, vitia quandoque vtilia eſſe; & quæ vni obſunt, toti nonnunquam Reipublicæ prodeſſe: inde enim, & legum dignitas, ac poteſtas: & rectorum iudiciorum, ac pœnarum laus: demum maiorum bonorum gloria ſe ſe effert, dum vel vnius malo plerique boni fiunt, vel ex malorum conſpectu, velut ex oppoſitis tenebris bonorum lux clariùs effulget. Vox etenim Auguſtini eſt in Enchiridio: *Illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & ſuo loco poſitum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis.* Cùm verò malum, ac vitium illud benè ordinatum, ac ſuo loco poſitum eſſe nemo ignoret, cùm vel ad pœnam ordinatur, vel ad bonum aliquod à Dei Sapientia dirigitur. Malum profectò, hac ratione ordinatum cùm inter bona permixtum appareret, eam illis venuſtatem adfert, quam nigri coloris obſcuritas, picturæ; aut vocum oppoſitio, ſymmetriæ; aut tenebrarum caligo luci exorienti conferre ſolet. Denique ex ea mali comparatione, bona, quæ altiùs eminent, ampliorem lucem, ac dignitatem aſſequuntur.

Enchir. c. 2.

*Mala interdum Reipub. conferunt.*

XXXVII. Quo ſanè fit, vt parùm æqui rerum æſtimatores ſint, qui Capucinorum Religionem vnius Ochini, aut alterius, qui à Fide lapſi ſunt, totam deturpari ſentiunt. Num Iudæ vnius proditione, tota Chriſti Familia olim dehoneſtata fuit? An vnius, aut alterius ſcelere, Rempublicam optimis legibus inſtitutam, ac bonorum Ciuium copia affluentem, quis proprio honore deſtitutam eſſe exiſtimat? Religionem verò, tot Catholicæ Eccleſiæ Filijs fœcundam, tot Viris illuſtribus grauidam, tot proborum Hominum copia exuberantem, tanta denique virtutum, ac ſanctitatis luce emicantem, vnius Ochini; & paucorum ſcelere deformatam ſentient?

XXXVIII At Religionis Caput, ac Generalis fuit (inquiunt) qui lapſus eſt, atque inde grauius apud omnes ſcandalum, & maiorem ruinam peperit. Eſto, Religionis aliquando Caput fuerit. An non amplius eſt Eccleſiæ, quàm Religionis Caput eſſe. En Petrus deſignatum iam Eccleſiæ Caput, lapſus eſt; Eccleſiæ fundamentum, & columen cecidit: Chriſtum negauit. Quid? Num propterea Eccleſiæ totius honor deperijt? Quot Epiſcopi? quot Archiepiſcopi? quot Patriarchæ Eccleſiarum Capita? & Paſtores in hæreſim lapſi ſunt? Quid Nouatum Aphricanum Epiſcopum? quid Paulum Samoſatenum Primatem Antiochenum? quid Donatum Calamenſem Epiſcopum? quid Neſtorium Conſtantinopolitanum Patriarcham? quid Dioſcorum Alexandrinum? quid Photinum Syrmienſem? quid Eunomium Cizici? quid Photium Bizantij? & alios quamplurimos recenſemus? qui in Fide naufragium paſſi ſunt.

*Eccleſia malorum lapſu non denigratur.*

Si ex



ſi ex eorum lapſu Eccleſia ita denigrata fuit, vt omnem prorſus priſtini honoris iacturam fecerit? Equidem ſi vnius, vel paucorum turpitudo, omnes commaculat: à labe minimè liberæ, ac immunes erunt, cæleſtes illæ Angelorum Hierarchiæ, quæ tot cadentes, ac turpiter è Cælo dilabentes ſpiritus conſpexerunt.

XXXIX Graue Ochinus in Eccleſia ſcandalum peperit; quis ignorat? Graue quoque Caluinus, graue Lutherus, graue Bucerus, graue Petrus Martyr, graue quotquot; vel ex Clero, vel ex Cœnobiis Catholicam Fidē abiurarūt. Sed quid Chriſtus: *Neceſſe eſt* (inquit) *vt veniant ſcandala: verùtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Non Eccleſiæ, aut Religioni, aut Collegio Chriſtus væ minatur; ſed homini tantum illi, à quo ſcandalum oritur. Neque turpem: aut infamem Religionem eam eſſe iudicat, quæ ſcandaloſum gignit: ſed in eum duntaxat turpitudinem, ac infamiam reiicit, qui turpe ſcandalum parit. Eos verò, qui ſcandalo obſiſtunt, & ex eo meliores, ac præſtantiores fiunt, ardentioribúſque ad Fidem ſtimulis, ob aliorum lapſum, excitantur: cur magis ab Apoſtolo commendari non audiunt? Cùm ait: *Oportet hæreſes eſſe; vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant.*

Matth. 18.

*Religionis ſcandala non Religionem, ſed ſcandala facientem maculant.*

1. Cor.

XL. Grauem quidem Ochinus ſuo caſu ruinam excitauit: ſed quæ ſibi tantùm, non Religioni nocuerit: quin etiam illi plurimum profuerit. Qui enim Ochini lapſum tum ex pleriſque Dei Reuelationibus; tum ex ipſo rerum euentu, ad Religionis tantum probationem, ac profectum à Dei ſapientia, quæ ex malis ampliora bona elicit, diſpoſitum eſſe non ignorant: profectò ex eo maiorem bonorum copiam, & ampliorem apud Deum, & homines gloriam illi acceſſiſſe facilè animaduertent. Quapropter mirari deſinant Virum fama vbique notum; prædicatione illuſtrem, Religione ſublimem, ac totius Capucinorum Generalem, velut excelſam Cedrum Hæretico fulmine diſſectam fuiſſe. Quid enim admiratione dignum eſt: feriunt quoque fulmina montes, excelſæque cadunt turres. Num, qui magni, ac ſublimes Viri exiſtimantur; ſiue Doctores, ſiue Epiſcopi, ſiue Generales ſint, quandiu inter nos viuunt hominem exuunt? An non humanam ſemper naturam: propriæ imbecillitatis, & inconſtantiæ pondere ad ima deprimentem, circumferunt? ac propria animi libertate freti, è ſublimi bonorum culmine, citò ad improborum ſtatum prolabi queunt? Quis certam, ac tutam, vitæ ſedem, à periculo immunem, ſibi polliceri valeat?

*Ochini caſus ad Religionē, & examen à Deo permiſſus*

XLI. Quæ cùm ita ſint, quid eius hominis caſum tanta admiratione proſequuntur? Si hominem cecidiſſe admirantur: cur & ipſam hominis naturam, innumeris caſibus, ac periculis ſubiectam ſibi admirandam non proponunt? Quid Apoſtolum, quaſi noua docentem, non ſtupent, cùm ait: *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat.* Fatua planè, tametſi haud noua huiuſmodi hominum ſtupiditas eſt. Tertullianus enim nonnullos ſuo tempore commemorat, qui hac admiratione capti, ex quorundā, qui magni exiſtimabātur, ſibi lapſum ſcandalū parabant. *Solent* (inquit) *iſti Miriones etiam de quibuſdam perſonis, ab hæreſi captis, ædificari in ruinam: quare vel illa, vel ille fideliſſimi, prudentiſſimi, & vſitatiſſimi in Eccleſia in illam partem tranſierunt,* quos hac ratione Tertulliano digna eludit; *Quis hoc dicens non ipſe ſibi reſpondet, neque prudentes, neque fideles, neque vſitatos æſtimandos, quos hæreſes potuerunt demutare?* Nunquam enim aut prudentis, aut ſapientis animi fuit, vt ait Hilarius, poſt confeſſam, & iuratam in Baptiſmo Fidem, quidquam aliud, vel ambigere, vel innouare; aut ab iis, quæ ab Eccleſia ſemel tradita ſunt, recedere.

1. Cor. 10

*Scandalorum Miriones ſuggillantur.*

Tertull. de præſcript. hær.

Hilar. ad Conſt.

XLII. Hi denique Hæreſum naturam ignorare videntur, quæ vt docet Hieronymus, ardentiora ingenia, & locupletiora naturæ dona, ſibi quærit. Magna enim ingenia, teſte Platone, magna vitia pariunt. Quo fit, vt cùm Ochino, & ardens ingenium, & plurima animi vis, ac impet⁹, ad ardua quæq; aggredienda non defuerint: iis ad praua ſtudia, & immoderatas honorū cupiditates conuerſis, is in maxima quoq; vitiorū mōſtra, & grauiorem Hæreſis lapſum, tandem ſe præcipitem dederit. At quid mirā-

*Hæreſis quænam ingenia ſibi vendicet.*

dum, quòd ex tam ſanctæ Religionis gremio tam horrendũ monſtrum prodierit, quãdo & ex pingui oliua aſper Oleaſter, & ex grato fici papauere vana Caprificus exoritur. Ex nobis prodiit (vt Ioannis verbis vtar) ſed non erat ex nobis. Nã ſi fuiſſet ex nobis, permanſiſſet vtique nobiſcum. Fuit quidem Ochinus inter Capucinos adnumeratus, fuit Capucinorum militiæ adſcriptus, fuit inter Religionis Patres cõſcriptus, fuit poſtremò tam ſanctæ Congregationis aliquando Pater: at certè noſter non erat, qui aduersùs Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ Fidem pu gnabat. Hoſtis erat, Profanus erat, Aduerſarius erat. Neque enim aut Deum Patrem, aut Religionem filiam habere poteſt, qui non habet Eccleſiam Matrem.

*1. Ioan. 2.*

*Cyp. de vnit. Eccl.*

XLIII. Qui igitur propter indignum Ochini ſcelus, vel admiratur, vel in ruinam ædificantur; cùm eo humiliores, ac prudentiores fieri; Deique maximè in eo iudicia ſuſpicere deberent: humani profectò nonnihil patiuntur. At qui, vt maiores Religioni tenebras offundant; Ochinum Capucinorum Religionis Auctorem, atq; inſtitutorẽ fuiſſe confingunt: certè, vel odij, ac maleuolentiæ crimen; vel ſaltem craſſæ, ac ſupinæ rerum ignorantiæ labem effugere nequeunt: cùm Bernardinum Ochinum tertium tantummodò, inter Religionis Generales, locum habuiſſe certiſsimum ſit. Primus enim in Generalium numero, Matthæus à Baſsio collocatur, qui in primo Capitulo, quinto poſt Religionem conditam anno, Aluacinæ collecto eligitur: vnde & perſpicuum eſt, nec ipſum Matthæum Religionis Auctorem, aut Fundatorẽ extitiſſe; cùm iam fundata, atq; inſtituta Religione, ad Generalatus Officium, Fratrũ electione aſſumptus fuerit. Etenim ſi Religionis Auctor fuiſſet, ipſo ſanè fundationis iure, ipſum Patris, ac Generalis munus B. P. Franciſci, atq; aliorum Ordinũ fundatorum inſtar, ſibi vendicaſſet. Poſt Matthæũ, qui paulò poſt ſe à Generalatus Officio ſpontè abdicauit, Ludouicus Foroſempronianus, ſub Commiſſarij Apoſtolici titulo, per octo annos Ordinem rexit; quem propterea à Generalium albo, ac multò magis à Fundatoris nomine expellimus; quòd nulla vnquam Capituli conuocatione, aut Fratrum ſuffragiis ad Generalis munus electus, Apoſtolica duntaxat auctoritate, Ordinem moderandum ſuſceperit.

*Ochinus non Capucinorũ Auctor, ſed tertius tantũ Generalis aſſeritur.*

*Generalium ante Ochinũ ſeries narratur.*

XLIV. Secundus itaq; poſt Matthæum, Generalis Religionis Vicarius, fuit Bernardinus Aſtenſis, Romæ, in Capitulo Generali, anno 1536. congregato, electus. Duo enim Capitula vix ſex menſium interuallo, Ludouici Foroſemproniani vitio, vti ſuo loco ſignificatum fuit, coacta, velut vnicum recenſemus. Tertius igitur, qui Bernardino Aſtenſi in Generalatus Officio ſucceſſit, Bernardinus Ochinus fuit, in Capitulo Florentiæ coacto, anno 1538. & à Religione condita, quartodecimo, creatus; quemadmodum eo anno explicatum fuit. Quo ſanè fit, vt is nec primus Generalis, nec Ordinis Auctor eſſe potuerit, qui cùm anno 1534. ad Religionem, iam decimo ab hinc anno inſtitutam, ex Obſeruantium Familia acceſſiſſet; tertium tantummodò, inter Generales, locum poſtea ſibi vendicauit.

XLV. Quiſquis igitur noui huius figmenti aſſertor eſt: quæſo rerum veritati parcat; cui res planè obſcura, & ignota eſt: parcat puris auribus, quæ tam elucens, ac inauditum commentum audire horrent: parcat denique propriæ conſcientiæ damno. Neque enim in apertam, atque aduerſam veritatem pugnare, tenebras pro luce obtrudere, falſas accuſationes proponere, ementitaſque rerum ſpecies confingere, vnquam aut integræ mentis, aut ingenui animi indicium fuit. Hæc obiter attingenda duxi; vt ſua hiſtoriæ veritas integra maneat: néve, qui rerum geſtarum veritatem ignorant: cæco errore prolabantur.

XLVI. Verùm his prætermiſſis, illud nobis prætereundum non eſt, quod de extremis ab Ochino geſtis, haud ingrata ſanè memoria, tam ab exteris Scriptoribus, quàm à priſcis Ordinis Monumentis, ac fide dignis teſtimoniis, traditum accepimus: quæ Ochinum, in extremo vitæ diſcrimine, Hæreſes omnes Geneuæ recantaſſe, ac tandem pugionibus interfectum, pro Fide occubuiſſe teſtantur. Rem verò ita geſtam narrant: Dum Ochinus Ge neuæ in extrema ferè ſenectute

*Ochinus ſub vitæ finẽ Hæreſes omnes recantat.*





vitam duceret, in grauiſſimum tandem morbum incidit; ex quo cùm vitæ ſibi periculum imminere intelligeret; graui conſcientiæ ſtimulo agitari cœpit; turpémque à fide apoſtaſiam, atque hæreſes, per quindecim circiter annorum ſpatia, verbo, ac ſcripto ab eo paſſim diſſeminatas, quarum iampridem, Deo intus arguente, ac illuminante, illum pœnituerat, animo reuoluens; præteritum ſcelus grauiter deplorabat: atque animo integrè deteſtabatur. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, tam vbere, ac copioſo ſuæ gratiæ dono, illius mentem perſuaſit: vt accerſito, per familiarem quendam, Sacerdote, qui non longè ab ea Vrbe, apud Catholicos, animarum curam gerebat; eidem plenè ſcelera ſua confeſſus fuerit, & ad Eccleſiæ Catholicæ gremium, ab eo recipi poſtulauerit. Sacerdos verò, cui Ochinus haud ignotus erat, quanquam ille Pœnitentiæ Sacramentum non negaret: Hæreſes tamen, quibus Fidem Catholicam publicè impugnauerat, publicè quoque ab eo recantandas eſſe monet. Id oppidò Ochinus pollicetur, ſi è morbo conualeſcat. Sin minùs, id ægrum apud Diſcipulos, ac cæteros, qui ad illum Viſitationis cauſa confluerent, præſtaturum aſſeuerat.

*Hæreſes apud Sacerdotem abiurat, peccatorúmque abſolutione fruitur.*

XLVII Abſolutionis itaque beneficio hac conditione accepto; atque ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reuocatus; Cùm ſacro quoque Euchariſtiæ pane refici poſtularet; Sacerdos ſummum, tum vitæ, tum Sacramenti periculum metuens, illud quidem adminiſtrare recuſat: verumtamen ægrum illis Auguſtini verbis conſolatur: *Crede, & manducaſti.* Hoc modo Ochinus, Deo, atque Eccleſiæ redditus, cùm Hæreſes, quas ſecretò apud Sacerdotem abiurauerat, atque animo integrè deteſtatus fuerat; palàm quoque apud alios damnare vellet. Aduentantes ad eum diſcipulos, vt illi viſitationem impenderent, his primo quoque tempore verbis affatur. Ego quidem, Amici, poſt meum in hanc Vrbem aduentum, multa publicè docui; multa in ſuggeſtu prædicando propoſui; multa priuatis ſermonibus monui; quæ modò animum acrioribus ſtimulis pungunt, & conſcientiam exulcerant. Hactenùs luſimus, ſeu potiùs deluſimus; dum vegetior ætas, odium, ſimultas, ira, furor, inſanáque cupiditas, quæ mentem occupauerant, regnum in animo obtinerent: at iam ſatis profectò, ac nimium luſum, ac deluſum eſt: ſeriò nunc mihi vobiſcum agendum eſt, quum prouecta ætas, & iam ſenio confecta, quum vitalis huiuſce lucis vmbra declinans, quum morbus ingraueſcens, ac propinquam mihi corporis diſſolutionem minitans, quum mors denique, quæ haud procul abeſt, ludere, ac mentiri vetat, animúmque ad veritatem, ac ſuam originem reuocat.

*Ochinus, quæ malè docuit, coram Diſcipulis recantat.*

XLVIII Fateor, chariſſimi, Deumque immortalem ſceleris mei Iudicem appello; Diabolica me tunc fraude circumuentum fuiſſe, cùm Catholicam, ac Romanam Eccleſiam, quæ ſola vera Dei Eccleſia, & incorrupta Chriſti Sponſa eſt, impiè deſerui: atque vtinam, quæ nunc mihi veritas elucet, tunc eluxiſſet; ne tam impiæ deſertionis facinus vnquam aggreſſus fuiſſem. Scelus tamen vel ſerò tãdem agnoſco, atque illius pœnitentiam ago in cinere, & fauilla. Quamobrem quæcunque aduersùs Catholicæ Eccleſiæ doctrinam à me, aut verbo prædicata, aut ſcripto prodita fuêre, haud vereor fateri, falſa omnia, atque hæretica fuiſſe; ac præſertim, quæ contra diuinarum perſonarum Trinitatem, & vxorum ſingularitatem, veſano ſpiritu ductus, conſcripſi. His cùm ego fucatis mendaciis, ac commentis vos hactenus incautos deluſerim: iam ſupplex à vobis veniam poſco: errores, ac mendacia retracto; voſque etiam atque etiam rogo, vt quem errorum Doctorem hactenus habuiſtis, nunc veritatis Magiſtrum ſuſcipiatis: & qui errantem, ac falſa docentem olim ſecuti eſtis; modò vera loquentem, & ad antiquam Fidem, & Eccleſiæ Catholicæ, velut Matris ſinum reuertentem, ſequamini.

*Romanam Eccleſiam & Fidem Catholicam veram eſſe prædicat.*

XLIX. Obſtupuêre Diſcipuli, nouũ hũc, ac inexpectatũ Magiſtri ſermonẽ audiẽtes: cũq; eũ, ob morbi potiùs malignitatẽ delirare, quã ex proprio ſẽſu loqui arbitrarẽtur; meliorẽ illi ſalutẽ, ac incolumitatẽ ominantes diſcedũt. Eadem prorſus & cæteris, quibus hæreticã doctrinam publicis ſermonibus propinauerat, vehemẽtiùs perſuadere

conabatur. Hoc pacto Ochinus, cùm in dies magis animo confirmaretur; eùm primùm priſtinam valetudinem recepiſſet, ad publicam ſe ſe Hæreſum retractationem, atque errorum Palidoniam, ac damnationem parabat. Interea Diſcipuli frequentiùs ad illum redeuntes, cùm ſeriò loquentem, eadémque illis exhortationis verba ſæpiùs refricantem audirent, rem ad Vrbis Magiſtratum referunt, Ochinúmque violatæ Fidei criminis accuſant. Noua res Vrbis Rectoribus viſa eſt, grauíque animaduerſione digna: quamobrem, inito Conſilio, iiſdem Diſcipulis mandant, vt Ochinum iterum in lecto conuenientes, ab eò diligentiùs intelligant; num, quæ ſæpiùs de falſa illorum doctrina, & Romanæ Eccleſiæ veritate dixerat, ex animo confirmare vellet; tum ſi propoſita confirmaret, ſtatim interficerent.

*Geneuenſis Magiſtratus de Ochino interficiendo decretum.*

L. Pergunt Diſcipuli, Magiſtratui obtemperantes; Ochinúmque ægrotantem conueniẽtes, ipſius animum de propoſitis rebus accuratiſſimè explorant. At his Ochinus, vberiori iam è cælo virtute auctus; eadem, qua ſæpiùs, conſtantia, antè dicta aſſeuerat; diſſeminatos errores deplorat, & Catholicam Fidem tam diſertè confirmat; vt ipſos quoque ad eam amplectendam, ſerioribus verbis prouocet. Quare mox illi arreptis pugionibus, quos occultos geſtabant, in lecto iacentem, & manus ad Cælos tendentem, confodiunt. Alij verò eum Magiſtratus edicto extra Vrbem raptatum, lapidibúſque obrutum fuiſſe tradunt.

*Ochinus in Fidei Catholicæ confeſſione conſtans pugionibus interficitur.*

LI. Huius rei pleráque diuerſis temporibus, teſtimonia nobis emerſêre: quæ hoc loco recenſere non piget. Primum eſt Nicolai à Ponte Nobilis Viri, & apud Venetos Clariſſimi, qui cùm pro Veneta Republica, in Synodo Tridentina, priùs Oratoris munere functus eſſet; poſtea eiuſdem Dux creatus fuit. Hic cùm Venetiis in Capucinorum Conuentu ſemel per Pomarium deambularet: pleriſque Fratribus, qui illum honoris gratia comitabantur, ſub veritatis aſſeueratione affirmauit, ſe ex certo nuncio accepiſſe: Ochinum, ante obitum, Hæreſi recantata, Catholicam Fidem Geneuæ palàm profeſſum fuiſſe.

*Nicolai à Ponte Viri Clariſſimi de Ochini conuerſione teſtimonium.*

LII. Secundum Teſtimonium eſt Bartholomæi Burbaſſi, Viri Primarij in Oppido S. Germani Vercellenſis Diœceſis; qui cùm paulò poſt Ochini obitum, per Geneuenſem Vrbem iter faceret, ab incolis ſe accepiſſe teſtatur, eum ab Hæreſi ante mortem reſipuiſſe, &, ob Catholicam Fidem palàm confeſſam, à Diſcipulis interfectum fuiſſe. Quod Frater *Fidelis* à S. Germano *ipſius nepos*, qui deinde inter Capucinos Concionator eximius fuit; dum adhuc ſæcularem vitam ageret, ſe ex illius ore accepiſſe ſub iureiurando affirmauit.

*Secundum Teſtimonium.*

LIII. Tertium eſt cuiuſdam R. Patris à Clauena, Ordinis Prædicatorum S. Dominici: Viri inſignis, ac Prædicatoris celeberrimi; qui etiam Inquiſitoris munere aduersùs Hæreticam prauitatem functus eſt. Hic cùm ſemel cum Fratre Hilario à Marignano, Ordinis Capucinorum, Guardiano Conuentus Domaſi, familiare colloquium haberet; hæc inter alia dixit; vehementer ſe admirari, quòd Capucinorum Religio; ea, quæ circa Ochinum, in illius morte, geſta fuerant, ſcripto exarare negligeret; cæteriſque ignota eſſe pateretur. Neque enim (aiebat) is, vt vulgus exiſtimat, in Hæreſi extremum ſuum diem clauſit: ſed ſub vitæ finem, Hæreſi palàm eiurata, pro Catholicæ Fidei confeſsione morte mulctatus fuit: Quod publica fide, iuramento firmata, F. Eleuterius à Domaſo Sacerdos, Ordinis Capucinorum, ſæpè à F. Hilario præfato ſe audiuiſſe teſtatus eſt.

*Tertium Teſtimonium.*

LIV. Quartum eſt F. Zenonis Bergomenſis Concionatoris, ex Capucinorum Familia; qui cùm Viſitatoris Generalis in Prouincia Tyrolienſi Officio fungeretur: tres Epiſtolas à Viris fide dignis, variis ex locis, ac diuerſis temporibus ad eum datas accepit: quibus ea, quæ de errorum palinodia, & Ochini ob Fidei Catholicæ confeſsionem internecione hactenus dicta ſunt, illi confirmata fuêre.

*Quartum Teſtimonium.*

LV. Quintum eſt Fr. Simonis Veneti, olim in Heluetica Capucinorum Prouincia, Generalis Commiſſarij, qui hoc ipſum à grauiſsimis Viris ſibi teſtatum accepiſſe depoſuit.

*Quintum Teſtimonium.*





LV. Sextum eſt, Nobilis cuiuſdam Viri Neapolitani, ex Brancaciorum Familia; cuius nomen è teſtis memoria excidit: qui eo tempore, quo Ochinus Geneuæ prædicabat, cùm ex Gallia in Italiam rediens, per Geneuam iter faceret; ab Ochino, propter antiquam, quam cum eo olim neceſſitudinem geſſerat, conuiuio exceptus fuit; eum Brancacius, cùm ob longioris temporis fluxum, quo illius aſpectu caruerat, adhuc facie ignotum haberet, ab eo Ochinus poſt epulas ſciſcitatur, an non ipſum agnoſcat: faſſus eſt ille, ſe ipſius notitiam, quantumcunque eouſque conatus fuiſſet, necdum aſſecutum fuiſſe. At Ochinus illum ſeorſim aſſumens; Num, ait, mi Brancaci Bernardinum Ochinum tuum, tam olim tibi chariſſimum, non agnoſcis? Num is iam tibi ex animo, ac memoria excidit? At ille obſtupeſcens, quum primùm illum ex vultu, & antiqua verborum familiaritate agnouit, protinus ad eum: Num reuera (inquit) Ochine mi te præſentem habeo? Tu ne ille Ochinus es olim non mihi tantummodò, ſed etiam toti Orbi venerandus? Parce oculis, quæſo, parce temporum, ac rerum mutationi. Quis enim te tam repentina, ac prodigioſa animi, habitus, ac rerum metamorphoſi mutatum, atque à priori ſtatu alienum vnquam agnoſceret? Cùm nec ipſe (ſi vera dicere licet) teipſum agnoſcas. Erat Brancacius hic humanarum, ac diuinarum literarum haud ignarus: quare cùm liberam hanc cum amico confabulandi opportunitatem nactus eſſet, omnem rudentem mouere parat, quo Ochinum ab inſtituto perditionis itinere, atque ab Hæreſi vendicatum, ad Eccleſiæ gremium reuocet. Hinc ſermonem exorſus his eum verbis aggreditur.

*Sextum Teſtimonium.*

*Brancacius ab Ochino Geneuæ conuiuio excipitur.*

LVI. Heu Bernardine, quænam infelix hæc tui, ac rerum mutatio eſt. Haud ſanè dexteræ Excelſi; ſed planè Diabolicæ fraudis; quæ te ex Catholico homine, ex Orbis prodigio, ex altiſſimo Dei Præcone, ex fulgentiſſimo tandem Capucinorum ſydere, in Hæreticum Monſtrum, in totius Orbis Chriſtiani ſcandalum, in Diaboli Miniſtrum, in Satanam denique è Cælo cadentem commutauit. Pridem cùm te, Sacro illo, ac aſperiori Habitu, Sanctimoniam vndique redolente contectum, inter Capucinos, velut in medio lapidum ignitorum gradientem; auctoritate, atque imperio eminentem; populis Sanctiſſima Verba prædicantem; præſtantioribus denique Euangelicæ vitæ exemplis emicantem, vniuerſi ſuſpicerent: quales Deo, Angelóque ſpectantibus delitias comparabas? Quomodò Eccleſiam lætificabas in operibus tuis? Iam verò, quo Circeo poculo ita immutatus es? Vt conſertum illum ſaccum faſtidiens, qui rubentes pileos, ac Pontificum Mitras, nobilitate antecellebat; profana ac molli veſte, quæ nihil præter animi leuitatem, & turpe ſcelus indigitat; inter Hæreticorum choros, amictus appareas? Nunc vnguenta redoleas? nunc voluptati indulgeas? pro Ieiuniis heſternam cœnam eructes; & Bachanalia viuas? pro Vigiliis mollia ſtrata, ac cubilia quæras? Pro Cœlibatu, continentiam culpes? Denique, qui Cunctis Venerabilis nuper inter Angelorum choros ludebas; modò inter vulgares tabernas, inter Ebrios, inter Inceſtuoſos, inter blaſphemos, Apoſtata verſeris? Vbi mens? vbi prudentia? Bernardine, haud profectò crimen augeo: Spectabant olim; dum Cæleſti plenus doctrina, ac decorus ſcientia, in Eccleſia Dei Verba vitæ proponeres: oculi te mille loquentem; ſepiebant te populorum turmæ; ac velut Cæleſte ſydus, Euangelicæ doctrinæ radios longè, latéque per Orbem efflantem ſuſpiciebant: Quid eſt? quòd te modo exulem, transfugam, òbſcurum, Catholica Luce orbatum, hæretica doctrina ſordidum, mortifera dogmata euomentem, Luciferum denique è Cælo dilapſum cuncti horreſcunt? Ne igitur, quod te hactenus non agnouerim; obſtupeas: Ad priſtinam te formam, Amice, reuoca. Tu tibi teipſum redde: vt mihi, ac cæteris quoque notus eſſe queas.

*Brancacius Ochinum ad priſtinam fidẽ prouocat.*

LVII. Heu heu, Bernardine, Iam nunc tecum amicè agam. Quis te malus ſpiritus, quæ rerum cupiditas faſcinauit; vt Catholica Eccleſia deſerta, quæ ſola Fidelium Mater eſt, cuius tu quoque ab infantia Fidem cum lacte ſuxiſti: ad Eccleſiam ma-

lignantium Deo, & hominibus odibilem transfugeres? & Chriſto, ac ipſius Euangelio relicto, alterum tibi Chriſtum, ac Euangelium confingeres? quod nunquam ab Eccleſia didiciſti? Vide Bernardine, vnde excideris; quóve corrueris, ac teipſum præcipitem dederis: animaduerte, quantas nomini tuo, ac gloriæ, quam tibi in toto Chriſtiano Orbe comparaueras; tenebras offuderis; quot bonorum iacturam feceris; quantam meritorum ſubſtantiam diſſipaueris; quàm denique horrendo Dei Iudicio, quod tibi imminere ne dubites, te obnoxium reddideris. Iam ſeriùs tecum age, conſule honori, proſpice famæ, & quod caput eſt animæ tuæ miſerere, quam ad ſupremum æternæ damnationis periculum rapis. Iam ad nos redi. Cuncta (ſi reſipueris) facilè inſtaurabuntur: atque integra redibunt. Neque enim deerunt; qui pro te apud Pontificem agant, ac ſalua omnia reſtituant: tua hîc tantum deliberatione opus eſt.

*Ochinus mentem Brancacio aperit, ac reditum pollicetur.*

Dum hæc Brancacius feruentiori, quàm Viri conditio ferret, ſpiritu loqueretur: LVIII. Ochinus, qui iampridem, diuinos admiſſi facinoris aculeos, in animo perſenſerat: ex oculis lachrymas fundens; tandem in hæc verba erumpit. Quid, Amice, meos mihi lapſus, & culpas, quaſi mihi ignotæ ſint, exaggeras? Nihil iis mihi luculentius eſt: caſum agnoſco, ſcelus non ignoro: neque animus ad reſipiſcendum deeſt. Iampridem ad Catholicam Eccleſiam, ac Fidem redire mihi conſtans mens eſt, ac firmum animi propoſitum; domeſtica quædam duntaxat negotia, quibus mihi proſpiciendum eſt, reditum procraſtinant: haud longæ, mi Brancaci, intercedent moræ: mea res agitur. Intereà certam mei reditus fidem habeto.

Hac promiſſione Brancacius Geneua diſcedens, non multo poſt tempore Ochi- LIX. num in morbum incidiſſe audit: atque ingraueſcente morbo, iam pace ab Eccleſia accepta, Sacramento Pœnitentiæ expiatum, hæreſes (vti dictum fuit) reuocaſſe, ac voluntariam pro Fidei Catholicæ confeſſione, lapidibus obrutum, mortem ſubiiſſe percipit.

Hæc omnia cùm Carolus Gambacurtus, Marchio Celentiæ ſæpè Marchioni fi- LX. lio narraſſet; id ipſe Prouinciali Capucinorum Miniſtro Prouinciæ S. Angeli per literas ſub iureiurando aſſeuerauit.

*Septimum Teſtimonium.*

Septimum Teſtimonium eſt Pauli Griſaldi Peruſini, Ordinis Prædicatorum, Li- LXI. bro, cui Titulus eſt: *Deciſiones Fidei Catholicæ.* In Indice errorum, & Hæreticorum, vbi leguntur hæc verba.

Griſald. Deciſ. Fid. Cat. in Ind. err. & Hæret.

*Bernardinus Ochinus Senenſis; Apoſtata; Capucinorum D. Franciſci, qui docuit multa* LXII. *de auctoritate Papæ, Indulgentiis, & quod liceat plures Vxores habere: ſed in mortis articulo ſe de omnibus retractauit, vt à fide dignis intellexi.*

*Octauum Teſtimonium.*

Theod. Beza Lib. de Icon.

Poſtremum denique Teſtimonium; quod inſtar omnium eſſe poteſt; ex Theo- LXIII. doro Beza deſumitur: qui in Libro de Iconibus, cui Titulus eſt. *Veræ Imagines illuſtrium Virorum, in pietate, & doctrina, quorum labore Deus vſus eſt, his extremis temporibus, ad veram Religionem inſtaurandam, ex diuerſis Chriſtianitatis regionibus.* Impreſſus Geneuæ typis Ioannis de Laon. Anno 1581. vbi de Petro Martyre Lucenſi Hæretico agit, ita ſcribit. *Petrus Martyr* (inquit) *in egreſſu ſuo ex Italia, habuit ſocium Bernardinum Ochinum, Monachum magni nominis apud Italos, & Auctorem Ordinis Capucinorum; qui in fine ſe oſtendit eſſe iniquum hypocritam, atqui habuit alios, qui omninò aliter ſe geſſerunt.*

*Catholici à Caluiniſtis Hypocritæ appellantur.*

Porrò id certum eſt, eos tantũmodò apud Hæreticos, præſertim Caluiniſtas, Hy- LXIV. pocritas appellari; qui vel ad Catholicã Fidẽ accedunt; vel ab eorum Sectis deſciſcunt. Quo fit, vt hoc teſtimoniũ, quo Ochinus ab Hæretico Scriptore, haud ignobili, Hypocrita, atq; illius Sectæ deſertor palam aſſeritur, reliquis omnibus præponderet; ac velut certam huius rei fidem faciat. Nam qua ratione Hæreticus Scriptor, qui omnia peccata, fide ſola expiari docet, Ochinum hypocritã appellaſſet? quo nomine Catholici omnes apud illos nũcupari ſolẽt: ſi is in Caluiniana fide, ſeu potiùs hæreſi ſtabilis obiiſſet? Neq; enim fides, & hypocriſis apud illos ſimul in eadẽ Sede





ſtare valent: cùm hypocriſis eorum fidem euacuet: fides verò, quæ apud illos viget, omnem ab animo hypocriſim abſtergat. Cùm igitur Beza Ochinum, in fine hypocritam ſeſe oſtendiſſe, ait, nihil planè aliud aſſerere voluit, quàm Ochinum ab eorum fide, ac hæreſi defeciſſe, atque ad Catholicam Fidem acceſſiſſe.

*Capucinorũ Religio pro Ochino Deum orauit.*

LXV. Neque id vlli incredibile videri debet; Etenim poſt Ochini lapſum, Capucinorum Religio, tot pro illius conuerſione apud Deum orationes, ac lachrymas fudit: vt facilè credi poſſit, Deũ clementiſſimũ, tot piorum lachrymis cõmotum, hanc in eum miſericordiam contuliſſe. Quòd ſi ſancta Monica, Auguſtini Mater, pro filio rogans, audiuit, impoſſibile eſſe, filium tantarum lachrymarum perire. Et B.P. Franciſci oratio Fratrem Eliam, Eccleſiæ perduellem, Deo, & Eccleſiæ reddidit; vt ex Ordinis Chronico perſpicuum eſt, cur incredibile cẽſeri dêbet, chariſſimum olim Religionis Filium, repentino Hæreſis turbine diſperſum, tam piæ Matris, ac ſanctæ Religionis gemitu, ac lachrymis, ad Fidei, & Catholicæ Religionis vitam ita reuocatum fuiſſe: vt vitam etiam pro Fide profunderet? Planè id ita eſſe, antiqua noſtra Ordinis Monumenta confirmant. Etenim in Genuenſis Prouinciæ M.S. id velut certum aſſeritur. Poſt Ochini lapſum, quo tempore tota Capucinorum Religio, pro eo apud Deum lachrymas fundebat, Bernardinum Aſtenſem, notæ ſanctimoniæ Virum, cùm orationes, & Sacrificia pro Ochini ſalute Deo obtuliſſet: diuina tandem reuelatione accepiſſe, Ochinum in Eccleſiæ ſinu, extremum denique diem obiturum.

Chron. Min. p. 1. l. 1. c. 100

*Ochini conuerſio Bernardino Aſtenſi à Deo reuelatur.*

LXVI. Hæc ſi tot teſtimoniis probata vera eſſe cenſentur: Dei Opt. Max. clementia, à nobis quàm maximè ſuſpicienda, ac extollenda eſt: qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere; deducitque ad Inferos, & reducit: vt vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundet & gratia.

*B. Felix à Cantalicio Capucinorũ numero adſcribitur.*

LXVII. Cæterùm, quæ maxima, ac planè admirabilis Dei Prouidentia fuit: quo tempore Ochinus à Capucinorum, atque à Catholica Religione dilapſus, velut extincto lumine, ingentes Orbi Chriſtiano tenebras offudit; eodem clariſſimum, tum Religioni, tum Eccleſiæ lumen oboritur, ac ſuper Religionis candelabrum collocatur; vt id Ochinianas aliquando tenebras depelleret: neque modò Religionis Capucinorum angulum; ſed & vniuerſam Dei Domum, ſua ſanctimoniæ luce illuſtraret. Hic B. Felix à Cantalicio fuit, qui hoc anno, quaſi alter Eliſeus à Ligone, & Aratro, ad Religionis culturam à Deo vocatus, inter cæleſtia Eccleſiæ lumina emicat. Cuius vita, & geſta alibi copioſè exarabimus, nimirum anno ſalutis noſtræ 1587. quo ad Superos migrauit.

ANNVS CHRISTI. 1544. PAVL. III. 10. CAR. V. IMP. 26. RELIG. CAPVC. 20.

I. PACATIS rebus, & ex ſumma Dei Opt. Max. benignitate, reddita tandem Religioni pace, lucet annus milleſimus quingenteſimus quadrageſimus quartus : in quo maior, ac ſtabilior rebus tranquillitas ſuccedit, & præteritorum temporum anguſtiæ læto rerum ſucceſſu, ac diuinæ præſertim conſolationis vbertate, & beneuolentiæ teſtimonio abundè compenſantur.

*Ioannes Hiſpanus pleraſque à Deo Reuelationes accipit.*

Hoc enim tempore Fr. Ioannes Hiſpanus è Metymna Campeſtri, Sacerdos; qui vt Franciſci Aeſini Generalis iuſſa impleret, ſuperiori anno, in Montiſpolitiani Conuentum ſeceſſerat : dum in oratione, & ieiunio Dominum obſecrat, pleraſque à Deo Reuelationes, quæ ad Religionis ſtatum declarandum pertinent, tribus diſtinctis temporum interuallis accipit. Harum tametſi nonnullæ ad ſuperiorem annum 1543. aliæ ad præſentem annum ſpectent : nos tamen rerum vnitati ſtudentes, cuncta huiuſmodi Reuelationum capita, quæ ſatis copioſa ſunt; hoc anno, in quo frequentiùs Ioanni Dominus apparens, vberiorem in eum diuinorum arcanorum copiam diffudit; ſimul colligenda duximus : vt & ſecundùm rectam ſcribendi rationem, tunc tantummodò, cùm perfectè emerſerunt, à nobis integra recenſeantur : tum verò, vt minùs legentium animi, diſſecta rerum lectione diſtrahantur.

II. At verò, quum de Reuelationibus agitur. Quædam tum ex Patribus, tum ex probatis Auctoribus obſeruanda ſunt. Primùm Apparitionibus, ac Reuelationibus, nec leuiter, ac facilè credendum, nec nimis proteruè obſiſtendum eſſe, vt docet Ioannes, ita monens. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Qui enim citò credit* (teſte Eccleſiaſtico) *leuis certè eſt.* Id verò potiſſimùm cauendum eſt, quum de diuinis Apparitionibus, ac Reuelationibus agitur: quibus ob ſummam dei reuelantis auctoritatem, certa fides adhibenda eſt : Cùm enim, haud raro, Satanas ſeipſum, in lucis Angelum transfiguret; vt teſtis eſt Apoſtolus; haud facilè iis abſque probatione aſſentiendum eſt : ne, dum quod diuinum eſſe putatur, amplectimur, pro Deo Dæmon, ac mendacium pro veritate à nobis coli contingat.

1. Ioan. 4.
Eccleſ. 19.
*Reuelationibus non facilè credendum*

III. At neque Apparitionum, ac Reuelationum, ita à nobis veritas tractanda eſt; vt ſimulatque Reuelationis, atque Apparitionis nomen auditum fuerit : ab eo, velut à ſuſpecta voce cauendum ſit; ac tanquam à facie colubri fugiendum: Neque enim minoris periculi eſt, ſi quis loquentem Deum contemnat; quàm ſi non loquentem, loqui ſibi perſuadeat. Lex igitur ab Apoſtolo ſancita teneatur, vt nec diuinis Reuelationibus, atque Apparitionibus, ſine probatione credatur : nec probata apparitio, ac reuelatio, impio ſcelere, damnetur.

IV. Cæterùm, cùm diuinarum Apparitionum, ac Reuelationum, iuxta Abulenſem, quatuor ſint genera. Primum, quo Deus ſe per corpoream ſpeciem, oculis viſibilem, atque aſpectandum præbet. Secundum, cùm nihil Dei videtur, ſed ipſius tantum vox percipitur. Tertium, quo ſe nunc vigilantibus, nunc ſopore oppreſſis, per ſimulacra quædam, quæ in phantaſia concipiuntur, inſinuat; quæ Apparitio Imaginaria nuncupatur. Quartum tandem, quo ſe menti duntaxat, ac intellectui obiicit; ac nonnulla, quæ vel præterita, vel præſentia occulta, vel tandem futura ſunt, reuelat.

Toſtat. in 3. Reg. 1. 9. q. 2.
*Apparitionũ quatuor genera.*

In his



ANNVS CHRISTI. 1544. PAVL. III. 10. CAR. V. IMP. 26. RELIG. CAPVC. 20.

V. In his quædam dignitatis diſcretio eſſe agnoſcitur, qua altera alteram, vt teſtis eſt D. Thomas, perfectione antecellit. Præſtantior enim illa Apparitio eſt, quæ & à materia abſtractior eſt; & à perfectiori potentia ſuſcipitur. Quo fit, vt cùm auditum viſus, viſum imaginatio, imaginationem intellectus antecellat: Apparitionum præſtantiſſima ſit, Intellectualis: poſt hanc Imaginaria: poſt Imaginariam, Viſibilis: poſtremum tandem locum ſibi vendicet Vocalis.

S. Thomas. 2. 2. qu. 174. art. 2.

VI. Earum porrò ea apud vnumquemque ratio habenda eſt: vt nulla abſque legitimo examine, ac probatione velut diuina excipiatur. Vera autem, ac legitima Apparitionum probatio, ex duplici potiſſimùm fonte manat. Primò quidem ab eo, cui Apparitio, ſeu Reuelatio fit. Qui enim Deum per corpoream ſpeciem conſpiciunt; vel occulta reuelantem audiunt; vel imaginatione percipiunt; vel tandem intellectu loquentem apprehendunt: ſigna aliqua habere debent, quibus certiſſimè ſibi perſuadeant; Deum eſſe, qui illis apparet, ac cæleſtia reuelat. Quænam verò hæc ſigna, atque argumenta ſint; ex quibus Reuelationes à Deo profectas, quiſque certò ſibi perſuadere debet: nonnulli ita exponunt: vt primùm vehemens quædam mentis excitatio in homine præcedat; quæ illum quidem principio terreat; deinde quietum, ac pacatum relinquat: atque hoc diſcrimine, Angelicam, ac diuinam Apparitionem, à Diabolica dignoſci, illuſtriores quique rerum ſpiritualium Doctores tradunt: cùm Diabolica contrà in principio ſe leniter homini inſinuet, mox verò turbatum, ac inquietum animum reddat.

*Apparitiones quomodò probandæ, ac diſcernendæ.*
Tyreus de Appar. lib. 4. 4. c. 16.
*Diuinæ Apparitiones quibus ſignis dignoſcantur.*

VII. Poſt mentis excitationem, clara quædam Dei lux animo ſuccedit, quæ non modò vera eſſe, quæ reuelantur, homini indicat: verùm & Deum, non alium eſſe, qui apparet, aut reuelat, menti abſque dubitatione manifeſtat. Hinc enim Prophetæ, hoc lumine perfuſi, certiſſimi fuerunt, Deum, non alium, illos allocutum fuiſſe: ita vt ne minima quidem erroris ſuſpicio, aut dubitatio, in his locum habuerit.

VIII. Poſtremò poſt cæleſtem hanc illuminationem, animo inſidet diuinus quidam ſapor: qui ex Dei viſitatione, ac colloquio in homine oritur: quo mens intus eruditur, non humanam, aut Diabolicam: ſed diuinam ſapientiam eſſe, qua in cæleſti illa Reuelatione imbuitur. Hoc ſiquidem argumento S. Monica, Auguſtini Mater, eodem Auguſtino teſte, affirmare ſolebat, diſcernere ſe ſapore, quem verbis explicare non poſſet; quid inter Deum reuelantem, & animam ſuam ſomniantem, diſcriminis intereſſet. Hoc quoque teſtimonio S. Catharina Senenſis diuinas Reuelationes, atque Apparitiones ab aliis dignoſcere ſolita erat. Atque hæc quidem iis, quibus Reuelationes, atque Apparitiones fiunt: certa teſtimonia eſſe ſolent, quæ legitimas earum probationes præſtant.

Auguſt. l. 6. Confeſſ. c. 13

IX. At quandoquidem hæc iis non ſufficiunt, quibus huiuſmodi Apparitiones, ac Reuelationes velut diuinæ commendandæ ſunt. Ex altero quoque capite earum probatio petenda eſt. Cùm enim cuiq; qui diuinis ſe Apparitionibus, ac Reuelationibus cohoneſtatum affirmat, haud facilè credendum ſit; diligentiùs earum veritas, ac diuinitas ex his exploranda eſt, quæ certum rebus teſtimonium præſtare ſolent. Ac primùm quidem teſtimonium à perſona deſumendum eſt, quæ huiuſmodi Reuelationibus potitur: indagandúmque: num ea omni exceptione maior; num inculpatæ vitæ; num probatæ famæ. Et ſi Regularis fuerit; num perfectus Regulæ cultor; num virtutum ſtudioſus, num humilitatis potiſſimùm ſectator; dignámque cæleſtibus hiſce donis vitam ducat. Tum verò rerum, quæ reuelantur, natura, grauitas, ac maieſtas ſpectanda ſunt: An ſcilicet cum ſacris Literis, & Catholica Fide conſpirent; an nouam dactrinam contineant; an bonum honeſtum præſeferant. Denique quis eorum finis, quóve ſpectent, accuraratiùs explorari oportet. Num quæ reuelantur leuia ſint, ac inania, num ad virtutem prouocent; num ad Dei gloriam tendant, atque alia huiuſmodi, quæ res planè diuinas eſſe confirment. His enim argumentis, tum Apparitiones, tum Reuelationes di-

*Aliud probationis genus, quo Apparitiones ſunt probandæ.*

uinæ

uinæ ab Eccleſia probari ſolent, atque à profanis diſcerni.

X. Hæc idcircò neceſſariò prælibanda duxi: vt quoniam de diuinis Ioannis Apparitionibus, ac Reuelationibus nobis hîc agendum eſt: tum ex Ioannis perſona, tum ex eorum natura, qualitate, conditione, fine, quæ his Reuelationibus proponuntur, qui hæc lecturi ſunt, certam earum apud ſe, quoad homini fas eſt, probationem hauriant; nihilq; præterquàm diuinum his Apparitionibus, ac Reuelationibus ineſſe, ſibi perſuadeant: quemadmodum ex ipſa Hiſtoriæ ſerie cuique exploratum eſſe poterit.

*Ioannes ſæpè Chriſti colloquio fruitur.*

XI. Erat igitur Ioannes tam eximia in Religione ſanctitate conſpicuus; vt frequenter diuino Chriſti Domini colloquio, ac familiaritate frueretur; quemadmodum in ipſius vita fuſiùs exarabimus. Quo ſanè factum eſt; vt Aeſinus Generalis, cui illuſtris Viri ſanctimonia perſpecta erat; cùm Religionem tot, tantiſque calamitatibus perturbatam, & rebus aduerſis iactatam videret; vt de illius ſtabilitate propemodùm dubitaret: Dei mentem, ac conſilium, tam ſancti Viri opera ſibi explorandum decreuerit.

*Chriſtus Ioãni oranti apparet.*

XII. Ioannes itaque dum in ſolitaria Cella, quam ſibi ex luto, & arborum ramis ſeorſum extruxerat; in arcto, & quotidiano panis, & aquæ ieiunio, & lachrymis, iuxta Generalis præſcriptum, Dominum obſecrat: vt quem Capucinorum Religio, apud eum, gratiæ, & beneuolentiæ gradum ſibi vendicet, pro ſumma ſua benignitate indicare velit. Clementiſſimus Dominus, qui pauperculam Familiam, tam immani tempeſtate diuulſam, ac propè animo depoſitam ſolari, & in meliorem ſpem inducere diſpoſuerat; diuina vndique luce circumfuſus, oranti adeſt; cæleſtiq; ipſi⁹ nō modò corporis, verùm & mentis oculos fulgore irradians, his eum affatur verbis. Rem poſtulas, Ioannes; quam mihi gratiſſimum eſt aperire. Quæris, quanta Capucinorum Religio apud me gratia, ac virtute valeat: quáve illam beneuolentia complectar. Id firmiſſimè tene; inter alia omnia Religioſorum inſtituta, quæ à meo, ac cæleſtis Patris mei ſpiritu prodiêre; hanc mihi gratiſſimam, & acceptiſſimam Congregationem eſſe: quam tam tenero amore proſequor; vt haud ſecus quàm mater amantiſſima, ſollicitam ſemper illius curam gerã: neque vllam inter homines propaginem, quantumlibet ſanctam, eſſe tibi perſuaſum volo; quæ (vt olim Franciſco meo aperui) veris huius Regulæ Obſeruatoribus, mihi gratior, aut charior exiſtat. Quare Fratres in id tantummodò animum intendant, vt Regulam perfectè, & abſque offendiculo obſeruent: tum verò nullo modo de mea gratia, & patrocinio dubitent.

*Capucinorũ Congregatio quàm Chriſto ſit grata, reuelatione aperitur.*

XIII. Eadem quoque aliàs, dum oraret, iterum humanioribus verbis refricans addidit. Quid meam Fratres, erga hanc Congregationem, dilectionem in dubium reuocant? Hoc vnum cunctis exploratum ſit, hanc me mihi Familiam inter cæteras delegiſſe; in qua delicias, ac voluptates meas collocarem: eáque adeò me oblectari ſciant; vt hanc vnam, multarum Congregationum, quæ longè latéque per Eccleſiam diffunduntur, inſtar habeam: Tu verò nullatenus dubita, quòd ſi alia, aut perfectior, aut mihi gratior inter homines Congregatio extitiſſet; ad eam te vtique vocaſſem: In charitate enim perpetua dilexi te, & in miſerationibus magnis attraxi te. Satage igitur, vt in ea ad finem vſque, in veritate, ac iuſtitia permaneas, & in opere mandatorum Regulæ tuæ veteraſcas: hoc námque pacto mihi procul dubio gratiſſimus eris. Atque hæc quidem in primo, ac ſecundo temporis interuallo, ſæpè clementiſſimus Dominus, Ioanni apparens, illiúſque animum diuino lucis fulgore; cui falſum nullum ſubeſſe poteſt, illuſtrans reuelauit.

*Ioannes à Chriſto dilectus.*

*Ioanni frequentes reuelationes fiũt.*

XIV. At verò hoc anno, per quatuor circiter menſium ſpatia, tot illi benigniſſimus Saluator, è diuino pectore, arcana ad Religionis commodum, atque vtilitatem ſpectantia, liberaliſſimè effudit; tamque copiosè, cæleſtis gratiæ theſaurum aperuit; vt ea breui ſermonè perſtringi non poſſint. Creberrimæ namque hoc tem-

pore,



pore, Ioanni, non modò oranti; verùm & Sacra celebranti, & manducanti, & deambulanti, Reuelationes fiebant: quibus & perfectiſſimus Religionis ſtatus; & quæ ad commune illius bonum conducerent, familiariſſimè declarabantur. Porrò inter alia Reuelationum capita, quæ tunc illi Dominus, ad Religionis ſtatum ſpectantia aperuit.

XV. Primum eſt. Quòd vbi Religionem, ob ſimplicitatem, paupertatem, & Regularem obſeruantiam, rurſus quàm maximè ſibi acceptam eſſe confirmauit; hæc ſubdit: Hoc tibi certiſſimum ſit, Ioannes, me neminem aliquo errore aduersùs Catholicam Fidem contaminatum, nullum maioribus vitiis fœtentem, quæ Religionem grauiùs labefactare ſolent, neminem denique, aut Eccleſiæ perduellem, aut Religionis deturpatorem, diu in hac Congregatione paſſurum eſſe: quòd ſi quiſpiam huiuſmodi criminibus irretitus extiterit: niſi poſt aliquod pœnitentiæ ſpatium, ac meæ benignitatis interualla, pro mea voluntate diſpenſanda, citò reſipuerit, ab ea illum maturiùs expellam: ne huiuſmodi immundum, ac maculoſum animal, quod olim lege lata ab Altari meo expellendum volui, inter alios, qui ſe ſe mundas, atque immaculatas quotidie hoſtias mihi offerunt, locum habeant. Hæc enim duo hominum genera, adeò mihi inuiſa ſũt: vt neque ea diu ferre, nec placido, ac quieto in hac Congregatione fine quieſcere vnquam velim. Quamobrem Vicarium Generalem, atque alios Ordinis Superiores admone: ne propter aliquorum Fratrum à Religione apoſtaſiam, plus æquo mœrore ſaucientur; aut animo frangantur: in his enim ſuprema mentis meæ conſilia impleri neceſſe eſt. Veruntamen id magnoperè curent; vt alios in bono opere, ac pura, perfectaque Regulæ obſeruantia confirment: ipſique ſua exemplorum luce, illis præeuntes, ſemper ad meliora prouocent. Illud verò inter cætera mihi gratiſſimum erit: vt Generalis, modo, quo exorſus eſt, Frarres ſermonibus excitet, animet, corroboret, atque ad virtutum, ac Regularis obſeruantiæ perſeuerantiam efficaciter adhortetur. Neque ego ope, ac virtute mea illi vnquam deero: maximum verò in ſe beneficium collatum eſſe exiſtimet, quòd eum ſuper hunc gregem mihi dilectum, hoc præſertim tempore, Paſtorem conſtituerim, quo Euangelicæ perfectionis ardor plurima hominum negligentia, in Orbe tepeſcit. Caueat ſummoperè, ne dum viribus ſuis diffidit, quicquam ſuæ virtuti, conſilio, aut ſufficientiæ tribuat; ſed cæleſte donum à me profectum agnoſcens, in id duntaxat animum intendat, vt humiliter verbo, atque exemplo commiſſum ſibi gregem adminiſtret. Quòd ſi ad hoc munus implendum, minus ſibi vires ſuppetere videantur; opem à me expectet; interea animum non deſpondeat: meum enim erit, qui vocaui; opportuna illi præſidia, ac virtutem, etiam præter ſpem, augere.

*Maioribus criminibus contaminati diu in Religione ſtare nõ poſſunt.*

*Ob quorundã Apoſtaſiam nemo debet cõmoueri.*

*Chriſtus Aeſini Generalis ſtudia pro Religione laudat.*

XVI. Huic, & ſecundum caput addit, hæc ſubiiciens: Id quoque animaduerte, Ioannes; Veram, ac perfectam Euangelicæ Regulæ obſeruantiam, abſque meo ſpiritu haberi non poſſe: idcircò in Regula ſcriptum eſt: *Attendant Fratres, quòd ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem.* Quo fit, vt ex Fratribus nonnulli, facilè in lapidem impingant, qui cùm non meum, qui humilitatis, & charitatis eſt, ſed ſuum ſpiritum ſequantur: dum ardentiores altiſſimæ Paupertatis Zelatores haberi volunt, eamque ſibi humano ſpiritu, quaſi Idolum confingunt, ſimul & veram humilitatem iugulant, & charitatem proſternunt; nec tamen veram ſpiritus paupertatem aſſequuntur. Hinc enim plerique dum indiſcreti paupertatis æmulatores exiſtunt; ſuperbi, ac contentioſi euadunt; ſeipſos, atque alios turbant, inquietos vbique ſe produnt, cuncta altercationibus complent: & cùm non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes eſſe deberent; proprio ſpiritu inflati, à meo ſpiritu decidunt. Dùm verò zelum illum abſque ſcientia, ſiccamque, ac crudelem paupertatis æmulationem in mente alunt; qua neceſſaria charitas, ac debita in cæteros pietas, ac miſericordia, quibus paupertas ancillari debet, perimitur: profectò à vera, ac ſpirituali Regulæ obſeruantia cadunt, altiſ-

*cap. 10.*

*Vera Regulæ obſeruantia abſque Dei ſpiritu haberi nõ poteſt.*

*Indiſcreti paupertatis Zelotes ſuggillantur.*

ſimamque

ſimámque paupertatem, quæ non ſæua, aut crudelis; ſed ſuauis,ac benigna eſt;vtpotè à meo ſpiritu profecta, à ſua Sede deturbant; atque à proprio fine aberrantem præſtant. Denique cùm paupertatem plus æquo efferentes, ſe ſanctum, atque illuſtre quippiam agere putant, ſpiritum meum, quem ſuper omnia deſiderare, atque integrum ſeruare debent,vt Regulam perfectè obſeruent, proculdubio extinguunt, atque à vera Regulæ obſeruantia exorbitant. Paupertatem igitur, ita diligant, colant, amplectantur, oportet; vt humilitatis, & charitatis ſpiritum non extinguant. Quamobrem ſi Fratres mihi placere optant, in id viribus omnibus adnitantur; vt diuinum meum ſpiritum, qui bonus, ſuauis, ac benignus eſt;perfectè, ſuauitérque omnia diſponit, aſſequantur: Eò enim præſente, facilè omnia,quæ ad Regulam perfectè obſeruandam ſpectant, illis adminiſtrabuntur.

*Dei Spiritus ſuper omnia optandus ac querendus.*

In id porrò, ô Ioannes, quandoquidem iam à tuæ vocationis exordio, potiſſimùm omnes neruos intendiſti, atque aſſiduis precibus contendiſti, vt diuino hoc meo ſpiritu, ad perfectam Regulæ tuæ obſeruantiam tibi dux eſſem: illud tibi ſingulari meæ clementiæ munere donatum eſt; vt hactenus in nullum Euangelicæ Regulæ præceptum, aut conſilium impigeris. Porrò quemadmodum cœpiſti, ita perge; opus proſequere: vt perſeuerantiæ tandem, cui præmium debetur tibi corona reponatur. XVII.

*Corona, perſeuerantiæ præmium.*

Tertium quoque Caput ſubnectens,ait; Ad hæc ſcias volo, me ab huius Religionis alumnis, nihil magis, quàm plenam meæ, erga illos, benignitatis fiduciam expetere: ita vt eos, quam maximè chariſſimos habeam, qui omnem ſuam ſpem, & cogitationem in me proijcientes, toti à mea prouidentia pendent. Hos ego diligo, hos foueo, ac veluti filios amantiſſimos complector. Cùm è regione, moleſtiſsimè feram, pleróſque huius Congregationis Fratres, qui Euangelica conſilia profitentur, atque à mea prouidentia, ſuopte inſtituto, pendere debent; de ea ita diffiſos, & B. eorum Patris Franciſci monita ita oblitos eſſe, quibus eos paſsim ad omnem eorum cogitatum in me iactandum hortabatur; vt, quaſi nullam eorum ſollicitudinem gererem, cibos ſibi in itinere prouideant; diuturnas rerum prouiſiones, ſub vano, ac friuolo prætextu, accumulent; atque his ſimilia, quæ diuinæ meæ erga illos prouidentiæ dona proſcribunt, propemodùm infideliter præſtent: cùm tamen meminiſſe deberent; me nulli, qui integrè ſe meæ benignitati, ac prouidentiæ commiſerit, re vlla vnquam defuiſſe. XVIII.

*Rerum prouiſio à Chriſto dãnatur,*

Diſcant igitur, qui in hac mihi Regula; ac Congregatione famulantur,me propterea illos bonis omnibus expoliaſſe, atque ad ſummam rerum omnium egeſtatem vocaſſe; vt in his liberalitatis, ac prouidentiæ meæ diuitias oſtenderem:ijque viciſsim toti à mea benignitate penderent. Quapropter certent tantummodò perfecti Regulæ ſuæ æmulatores exiſtere: tum verò nullatenùs de mea prouidentia dubitent. Ego enim qui lilia agri veſtio, & volucres Cæli paſco; quomodo filios deſeram, qui omnem ſuam in me vitæ curam proiecerunt. XIX.

*Minoribus Fratribus de Dei prouidẽtiæ nunquam dubitandum*

Quartum his Caput ſubnectens, addit Conſtitutionum Leges,graues, ſanctæ,& meo ſpiritu compaginatæ, ac conſcriptæ, quæ Regulam, atque Euangelica conſilia, quo ſpiritu intelligi debeant, explicarent: faciliorémque illorum obſeruantiam redderent, pro ſingulari mea in Religionem benignitate, Congregationi datæ ſunt: quibus Religio ipſa vndique tanquam mœniis circumſepta muniretur; ne facilè carnalium ſenſuum, ac relaxationum, velut hoſtium, direptioni pateret. Has à nonnullis Congregationis Superioribus, paſsim, vel leuiſsima de cauſa violari, ac nulla iuſta ratione diſpenſari, magnoperè diſplicet. Ab aliis contrà, nulla fraternæ charitatis habita ratione,neque ſecundùm prudentiæ,aut ſpiritus mei ductum: ſed potiùs iuxta proprij ſpiritus impetum, auſteriùs contrahi, ac coarctari, nõ laudo.Has igitur,velut Regularis obſeruatiæ munimẽta,ac repagula à Religionis Superioribus sũmo ſtudio cuſtodiri; atq; eo,quo exaratæ ſunt,ſpiritu obſeruari. volo:vt ipſæ quoq; Religionẽ integram, ac ſartãtectã ſeruent. Hactenus Dominus. X X.

*Capucinorũ Conſtitutiones à Chriſti ſpiritu profectæ.*

*Conſtitutiones quo ſpiritu obſeruandæ.*





XXI. Sed quoniam in Religione quamplurimi, hac tempeſtate, Dei conſilium ignorantes; cùm prædicandi munus Religioni à Pontifice ereptum cernerent; metu, ac dubitatione excruciabantur: ne illud diuinæ mentis, ac conſilij decretum eſſet; vt Fratres deinceps à prædicationis Officio abſtinerent; idcircò quintum hîc Dominus Caput ſubijciens, ait:

XXII. Huius Congregationis Fratres, toti à mea voluntate pendere, neque aliud, prætерquam mentis meæ beneplacitum,intueri debent: ità vt animum à cuiuſcumque rei, quæ diuinæ meæ electioni ſeruata eſt, appetitu, ac ſollicitudine abſtrahentes, eum omninò ſub meæ voluntatis imperium transferant. Qui ita viuunt; vt ſe ſuáque omnia integrè meæ voluntati committant, atque à me quæcunque tandem mihi libuerint, ſiue illa honorifica,ſiue ignobilia, ſiue triſtia,ſiúe iucunda ſint; abſque ſollicitudine expectent: hos ego velut charos, atque intimos amplector; horum curam ſollicitam gero; in his voluntatem meam compleo, ac meipſum glorifico: atque hi ſunt, qui in ſinu meo dormiunt, pacificéque, ac tranquillè apud me quieſcunt. Qui verò ea, quæ meæ prouidentiæ relinquenda ſunt, nimis anxiè, ac ſollicitè quærunt; atque vt ea tandem, præter voluntatis meæ placita,aſſequantur; vel ad humanos fauores confugiunt, vel in ea omne animi ſtudium, ac laborem conferunt: ij profectò cùm à voluntatis meæ lege exorbitent, mihi haud placere poſſunt. Quare Fratres, qui mihi impenſiùs famulari, ac perfectè obſequi volunt; id potiſſimùm curent, vt liberum ab omni appetitu, ac cuiuſcunque rei cupiditate, animum gerant: ac præter animi virtutes, ac cæleſtem opem, qua ad eas pertingant; nullum, neque humanum, aut temporale bonum, tametſi illud honeſtum, optimúmque illis eſſe videatur; neque prædicandi munus; atque adeò, neque ipſa cæleſtis præmij commoda à me ſibi poſcant: ſed illa meæ voluntati relinquant: atque ab omni affectione vacuum ita animum gerant: vt vniuerſa iuxta meæ Sapientiæ, ac propoſiti lege me operari ſinant: cunctaque abſque ſollicitudine,de manu mea accipiant. Hæc enim Religio, cùm ſtatum perfectiſſimum aſſecuta ſit, ab his vacare debet, quæ perfectam ſpem, ac charitatem extenuant: quarum ea natura, ac virtus eſt, vt præter vnicum diuinæ gloriæ obiectum, cætera omnia, velut imperfecta, abijciat. Ego ſum, qui ineffabili meæ Sapientiæ conſilio, à Congregatione prædicationis Officium abſtuli; neque abſque voluntatis meæ decreto, quantumcumque contrà adnixum fuerit, reſtituetur. Quo fit, vt neque curioſiùs, meæ ſapientiæ arcana ab illis inueſtiganda ſint; neque eo Fratres plus æquo angi, & excruciari debeant. Id enim, tum ob publicum, tum etiam ob priuatum Religionis bonum fieri oportuit: ne qui ob Ochini lapſum Religionem, iam in Fide ſuſpectam habere cœperant, verbi potiùs exploratores, quàm auditores, ad Fratrum Prædicationem accederent; neque inde maius ſibi ſcandalum pararent, ſi quod fortè ab illis verbum, vel ſimpliciter, vel inconſultè dictum aliquando elaberetur. Religioni quoque conſulendum fuit; ne ea multorum calumniis exponeretur: ac prædicatio, quæ in commune bonum inſtituta eſt, illi in ruinam potiùs, quàm in commodum cederet.

*Omninò à Dei voluntate pendendum.*

*Animus ab omni cupiditate cuſtodiendus.*

*Diuinæ Sapientiæ arcana curioſiùs non inueſtiganda.*

His accedat, quòd hæc Congregatio, necdum ita perfectè ab hæreſum
XXIII. fœcibus expurgata eſt, quin aliquæ adhuc in ea Ochinianæ infectionis reliquiæ deliteſcant. Sunt enim, qui nonnullis erroribus labefactati, Hæreticam ſaniem nondum integrè ab animo expulerunt. Quapropter Religionem, tandiu à prædicationis Officio feriare volo; quoad, qui Dæmonum opera, adhuc hæretico morbo laborant; vel ab eo conualeſcant, vel ſi in eo putreſcere maluerint; eos à Congregatione expellam. Hæc verò quàm primùm impleri neceſſe eſt: ne diutiùs qui huiuſmodi ſunt, Congregationem commaculent, & commune Eccleſiæ meæ bonum, atque vtilitatem, quæ ex huius Congregationis prædicatione in eam proficiſcitur, impediant: Cæterùm nihil eos terreat, aut conturbet: prædicationis enim Officium, quum & Religioni expe-

*Cur Prædicationis Officiũ Capucinorum Congregationi ad tempus ſublatũ fuerit, cauſa à Chriſto redditur.*

diens, & Eccleſiæ meæ vtile fuerit, Congregationi abſque dubitatione reddam. Interea Fratres in ſilentio, ac bonorum operum lingua, perfectiſque Apoſtolicæ vitæ exemplis, Populis prædicent: id enim mihi æquè gratiſſimum erit, atque illis vtiliùs. Nihilque ampliùs à me poſtulent, aut ſibi expetant, quàm quòd ipſis ego, ad ampliorem nominis mei gloriam, pro mea voluntate vtar: in iiſque eo planè modo, loco, tempeſtate, vti mihi libuerit, meipſum glorificem. Cùm verò prædicationis veſtræ tempus præſtitutum redierit, id profectò efficiam: vt Chriſtiana Plebs magis humilibus, ac ſimplicibus verbis, per vos diſſeminandis, quàm maximorum Theologorum doctrina, ac inſignium Prædicatorum eloquentia proficiat: Dabo enim ſpiritum nouũ in viſceribus veſtris, ac tum verba mea in ore veſtro, quaſi ignis ardẽs erunt, corda ſimul & penetrantia, & inflãmantia: ita vt vnus veſtrûm mille, ac duo decem millibus aliis Prædicatoribus antecellant. Quapropter id tibi Ioannes, velut indubitatum repone: Pleroſque Fratres, ac magni nominis Prædicatores, nullo apud me in pretio haberi, qui in vana ſua eloquentia, ac doctrina confidentes, Regulariſque obſeruantiæ ſtudium negligentes, non meam, ſed propriam gloriam quærunt; neque animarum ſaluti, ſed propriæ tantùm exiſtimationi ſtudent. Hi tametſi innumeros ad me Populos conuerterent, atque in nomine meo prophetarent; tam à me nihili ducuntur: vt in extremo Iudicij die, cùm Euangelicam illam vocem ſibi vſurpabunt: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, prædicauimus, virtutes multas fecimus: haud ſecus illis reſponſurus ſim, quàm quod in Euangelio habetur: *Et tunc confitebor illis, quia ego nunquam noui vos.* Hi verò gaudium meum implent, qui omnem ſuam ſpem & cogitationem in me proijcientes, nihilque præter nominis mei gloriam, & animarum ſalutem animo verſantes, iuxta erogatum ſibi virtutis talentum, ac menſuram in verbo fideliter laborant. Hos ego tanti facio, ac tam ſingulari beneuolentia complector; vt eos, inſtar omnium, habeam, quorum tametſi exiguus numerus fuerit: horum tamen paucorum vox clariùs, & illuſtriùs, quàm ingens cæterorum Prædicatorum, qui toto Orbe diſperſi ſunt, clamor, nominis mei gloriam perſonabit.

*Quid à Deo poſtulandum.*

*Prædicatores, curioſi Regularemq; Obſeruantiam negligentes à Chriſto ſuggillantur.*

Matth. 7.

*Concionatores nihil præter Dei gloriam quærentes, quàm Chriſto grati.*

XXIV. Præter hæc Sextum quoque Caput addens, inquit: Arrige aures, Ioannes, Duo ſunt mihi in hac Congregatione Fratrum genera. Primum eſt, eorum, qui me forti, ac robuſto amore diligunt. Hi nimirum, qui in propria vitia, ac prauas cupiditates animo inſurgentes, fortiter irrumpunt: peccata omnia, præſertim lethalia pro viribus deuitantes, ſtrenuè contra Dæmonem pugnant, mihique abſque offendiculo famulari ſtudent. Horum quamplurimos non modò in Religione, verùm & in ſæculo mihi obſequentes vendico: quos & ego viciſſim beneuolentia proſequor: licèt ij, qui in Religione verſantur, ad perfectiorem huius amoris gradum, ob voluntariam rerum omnium derelictionem conſcendentes, ampliorem apud me gratiam aſſequantur.

*Quinam inter Dei amicos præſtantiores.*

XXV. Alterum eſt, eorum, qui non modò forti, ſed etiam dulci in me amore feruntur. Atque hi ſunt, qui cùm mentem ab inſanis cupiditatibus ac voluptatibus purgauerint, dulci ac ſuaui mihi charitate adhærent: quibus viciſſim me ipſum ſpiritu amplexandum, ac fruendum præbeo. Huius generis amatores mihi in hac Religione non deſunt; multos quoque ſæculum mihi huiuſmodi miniſtrat; qui cùm longiùs ab animi malitia abſint, mentis puritate, ac ſimplicitate, faciliùs interdum, ad hoc diuini amoris genus pertingunt. Cæterùm qui in Congregatione hoc mihi charitatis vinculo cõſtringuntur, mihi ſuper omnes amantiſſimi ſunt; in hiſq; meipſum glorifico, quamdiu in Regulari obſeruantia permanentes, humilitati ſtudent, meiſque donis haud ſe indignos præbent.

*Perfecta charitas Deo amantiſſimũ præſtat.*

XXVI. Septimum quoque Caput addens; Quo pacto, inquit, ô Ioannes, Congregationem hanc non diligam, quam mihi ipſe ego elegi, plantaui, vocaui, & ad mei nominis gloriam amplificandam inſtitui? Ne dubites, Fili, ea enim tam mihi grata, & dilecta eſt, vt ſi tres tantùm huic Congregationi Fratres ſupereſſent, qui





perfectè Regulam obſeruarent, hiſce tribus multò magis, quàm reliqua cæterorũ hominũ multitudine delectarer, ac voluptatem meam in ipſis collocarem. Quamobrem Fratres mirari deſinant; ſi eam hactenus tot terroribus concuſſam, tot perſecutionum machinis oppugnatam, tot Dæmonum tentationibus exagitatatam; tot denique, ac tantis calamitatum tempeſtatibus iactatam volui. Vndique illa tentanda, ac probanda fuit; vt diuinum hoc mihi acceptiſſimum opus eſſe oſtenderetur. At verò expleto probationis tempore à me præſtituto, nihil eſt, quod metuant: ea enim virtute mea excreſcet, amplificabitur, dilatabitur, atque in Orbe proficiet; demum eam metam attinget, ad quam altiſſimo meo conſilio, ac ſapientia præordinata fuit.

*Capucinorum Congregatio à Chriſto plantata & quàm ab eo dilecta.*

*Religionis Capucinorum incrementum à Chriſto prænunciatur.*

XXVII. Hæc verò, per plura, ac diſtincta dierum ſpatia, pluribuſq; colloquiis, Dominus Ioanni apparens ſæpiùs refricauit: his eum verbis cõfirmans: Nihil verearis, Ioannes, quin hæc vera ſint; neque Diabolicam fraudem his verbis ineſſe ſuſpiceris. Mea hæc verba ſunt, quæ ſuo tempore implebuntur.

*Reuelationum veritas confirmatur.*

Hic porrò, cùm Ioannes, quid circa Obedientiam, quam eatenus Capucinorum Congregatio Magiſtro Generali Ordinis Min. Conuentualium præſtiterat, obſeruandum eſſet, à Domino poſtularet; eo enim maximè timidæ Fratrum conſcientiæ, ob Apoſtolicam de Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Obſeruantium Primatu declarationem, velut ſcrupulo, eo tempore angebantur. Dominus his verbis clementiſſimè reſpondit. Diſcant Fratres Obedientiam, cui ex Regulæ præſcripto obſtringuntur, tribus potiſſimùm deberi. Primùm mihi, cui etiam S. Euangelij Obſeruantia promittitur. Deinde Pontifici Romano, tanquã Eccleſiæ Capiti, ac Vicario mihi ſubrogato, cui per omnia parere debent. Poſtremò B. Franciſco, ac Succeſſoribus ſuis; quemadmodum in Regula explicatur: vt Religioſæ Hierarchiæ Ordo, ac forma ſeruetur, quæ ſubordinationem ad vnum Religionis Caput includit. Quod ad duo priora perſonarum genera attinet; quandoquidem nulla de iis, apud Fratres dubitatio oritur, nihil dicendum eſt. Supereſt tertium, de quo nonnihil inter Fratres ambigitur: ſed accipe, Ioannes, quid in eo legitimè obſeruandum, ac ſequendum ſit. Cùm in Regula ita præcipitur: *Fratres teneantur obedire F. Franciſco, & Succeſſoribus ſuis.* Quiſnam B. Franciſci Succeſſor ſit, priùs vobis quærendum eſt. Diſce igitur, verã apud me Miniſtrorũ Ordinis ſucceſſionem, non ab antiquitate, ac diuturno annorum curriculo, neque ab Ordinis Primatu; ſed à legitima inſtitutione, ac præſertim à Regulæ Obſeruantia cenſeri. Hæc enim ſola apud me robur, ac pondus nanciſcitur: Ita enim olim prædicauit Paulus dicens: *Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes Filij.* Quod ipſe quoque in Euangelio non obſcurè docui; cùm Hebræos alloquens, qui ſe ex antiquo Abrahæ genere ſatos gloriabantur, iis obteſtatus ſum: *Si Filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Quapropter vano Fratres huius rei metu torquentur. Cùm enim Caput habeant, diuina mea Prouidentia conſtitutum, Apoſtolicaque Romani Pontificis, Vicarij mei, poteſtate electum; eidem, tanquam legitimo B. P. Franciſci Succeſſori, parere debent: quo fit, vt fruſtra alios Succeſſores quærant, inaniq; ſeipſos timore ſollicitent. Id enim duntaxat huius Congregationis Fratres, & quod illis præeſt, caput; omni ſtudio curare debent, vt veri, ac perfecti Regulæ cultores ſint, ac legitimi B. P. Franciſci Filij, vt vera, ac legitima Capitis ſucceſſione frui poſſint. Quamobrem Generalem admone, vt metu omni depoſito, ea tantùm, quæ ab Apoſtolica Sede, me agitante decreta, aut decernenda ſunt, integrè ſeruanda curet. Hoc enim pacto Fratres Regulam ſub Pontificis, ac ſui Generalis Obedientia obſeruantes, meam, ac B. P. Franciſci mentem implebunt: verumque, ac legitimum illius ſemen cenſebuntur. Hæc Dominus ſatis diffusè.

*Obedientia quibus debeatur.*

Cap. 1.

*Vera Ordinis Minorum ſucceſſio vnde cenſenda.*

Rom. 9.

Ioan. 8.

*Quinam in B. P. Franciſci ſemine cenſeantur.*

XXVIII. Sanxerat præterea Pontifex; quemadmodum anno 1537. dictum fuit? Ne ex Obſeruantium Familia, vllus in Capucinorum gremium reciperetur. Cùm verò

ex eadem Familia plerique, qui Regulæ obſeruandæ ſtudio ducebantur, ad eos profugerent; plurimùm Capucinorum Superiores, ob interclusam illis Regularis Obſeruantiæ viam, animo excruciabantur. Quo fit, vt iubente Aeſino Generali, Ioannes à Domino, quid in ea re agendum eſſet, exquireret. Cui Dominus, his verbis, reſpondet. Quæ à diuinæ meæ Sapientiæ conſilio manant, nec temerè diſcutienda, nec curioſè, aut anxiè perſcrutanda ſunt. Ego omnium corda noui. Scio quoque quos elegerim. Nulli viam ad ſalutem præcluſam volo. Veruntamen cuiuſque vocationem, iuxta Sapientiæ meæ leges, ſuis quamque temporibus diſpono. Quid Religioni conferat, quovè tempore id præſtandum ſit, non ignoro: neque enim omnia cuique tempori apta ſunt. Ego ſum clauis Dauid: cum aperio, nemo claudit: cum verò claudo, nemo aperit. Nihil quod ad huius Congregationis adminiſtrationem ſpectat, ſine meo conſilio fit. Quamobrem hæc meo conſilio adminiſtranda relinquant. Veruntamen Generalem admone, vt ad Pontificem accedat; rei grauitatem exponat, ab eoque quid illi ſequendum ſit, expectet: ego enim illum præcedam: Pontificiſque animum, quid acturus ſit, proculdubio inſtruam.

*Deus cordiū ſcrutator hominum vocationem diſponit.*

*Pontificis animus à Chriſto inſtruitur.*

XXIX. Generalis igitur, cùm hæc à Ioanne Domini dicta accepiſſet; ſtatim Romam profectus, Pontificem adit, cuius mentem, cùm de hac re diligentiùs interrogaſſet; ab eo audit, nunquam id ſuæ mentis conſilium fuiſſe, vt edito Diplomate Fratres de Obſeruantium Familia, qui ad perfectam Regulæ Obſeruantiam anhelant, à Capucinorum ingreſſu deterreret; ſed ad improbam Superiorum vexationem redimendam, ad id vi compulſum fuiſſe. Quapropter vltrò Generali indulget, vt quos ex Obſeruantium Familia probos Viros, & Religioni vtiles iudicaret (clam tamen) Congregationi aſſociaret, & in longiores partes tranſmitteret: ne deinceps ab Obſeruantium Superioribus moleſtiam ferret.

*Pōtifex, quid menti inſideat, Aeſino Generali aperit.*

XXX. Præter hæc nonnulla quoque Dominus, ad vberiorem Fratrum eruditionem addidit. Atque inter alia illud primum fuit. Ad perfectam Regulæ Obſeruantiam quatuor gradibus conſcendi. Primus eſt. Vt Fratres, propter altiſſimum illud diuinæ benignitatis donum; quo iniquiſſimis hiſce præſertim temporibus, quibus Dei charitas in Orbe refriguit, & multorum iniquitas abundauit, ad perfectiſſimum hunc Religionis ſtatum à Deo vocati ſunt; atque ob alia innumera, quæ illud conſecuta ſunt, beneficia, Deo grati exiſtant. Cùm enim ingratitudo ſit velut ventus vrens, exſiccans Fontem diuinæ miſericordiæ: qui tantorum beneficiorum immemores in Religione verſantur; neque eximium Dei donum agnoſcunt; eo ſe profectò indignos declarant; neque ampliora à Deo beneficia ſperare debent; quin etiam acceptis ſpoliari promerentur. Quo fit, vt velut ingrati, non modò à Regulæ Obſeruantia, quæ cum animi ingratitudine pugnat: verùm & à Domini Spiritu repellantur, qui ingratos ferre non poteſt.

*Chriſtus ob collata beneficia gratitudinem exquirit.*

XXXI. Secundus eſt. Vt Fratres animum à peccatorum ſordibus, quantum homini fas eſt, purum ſeruent. Perfecta enim Regulæ Obſeruantia omnem prorſus peccandi libidinem, atque appetitum pellit: Quanquam enim veniale peccatum Regulæ Præcepta non tollat; conſilia tamen, quibus Regula compacta eſt, quibuſque integra illius Obſeruantia ſubſiſtit; proculdubio eneruat. Hanc verò cordis munditiam, tametſi ab omnibus, qui Chriſto nomina dedêre, Dominus exquirat: ab his tamen ſeueriùs ſe exigere autumat, qui perfectiſſimum hunc Religionis ſtatum profitentur. Quare, ſi qui grauioribus criminibus bonum Religionis nomen labefactauerint, eos citiùs, niſi reſipuerint, è Religionis gremio, iterum deiecturos minatur.

*Cordis munditia ad perfectam Regulæ Obſeruantiam neceſſaria.*

XXXII. Tertius eſt. Vt qui perfecti Regulæ cultores eſſe cupiunt, omnem ab animo tumorem, & ambitionem expellant, aliis præeſſe non expetant, honorū culmina non quærant, factiones non excitent, perſecutiones non moueāt, alienæ famæ nō detrahant, diſcordiam inter Fratres non ſeminent. Ab his enim præſertim, vitiis omninò

*Cordis ſuperbia ab animo expellenda.*





vacare oportet eos; qui ad perfectam Regulæ Obſeruantiam properant; ſed potiùs humilitati, ac propriæ abiectioni ſtudentes, cum omnibus pacem, ac charitatem ſeruent. Caueant igitur, ait Dominus, qui in hac Congregatione viuunt: ne honorum cupiditate, ac dominandi libidine ad primas Sedes ac dignitates, me non vocante, currant; ac nemine deferente, vltrò ſibi primos conſeſſus rapiant. Id enim abominatio maxima eſt mihi. Quod ſi hunc præcellentiæ ambitum in Angelis non tuli: ſed hoc ambitionis ſcelere contaminatos, è Cælorum culmine ad ima deturbaui: haud ſanè illam in iis feram, qui cùm Minorum ſtatum profiteantur, humilitatem, atque honorum contemptum præ omnibus præſeferre, atque amplecti debent: Veniam ergo citò, & ſi quos huiuſmodi offendero, non parcam: ſed amouebo candelabrum eorum, ne luceant in Domo mea. Etenim, qui in hac Congregatione ad Prælationem aſſumuntur; non ad honores, ſed ad laborem, & ſeruitutem vocantur: ac propterea cæteris eos humiliores eſſe volo; ita vt quod Apoſtolos meos docui, in eis perfectè impleatur; nimirum. *Qui in vobis maior eſt, fiat ſicut minor; & qui Præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat.* Qui igitur, me vocante, cæteris præſunt; non ſuperbiam, aut typhum oſtentent; neque auſterè, & quaſi dominantes in Fratribus Prælationem gerant: ſed Fraternitatem diligentes, humilitate, ac charitate magis, quàm auſteritate, ac ſeueritate ſubditis præſideant: vitia benignè corrigant; in ſpiritu lenitatis errantes inſtruant, arguant, obſecrent, increpent, & forma facti gregis ex animo, ſeipſos exemplum omnium bonorum operum præbeant. Ita eos decet implere omnem iuſtitiam, & omnia omnibus fieri, vt omnes lucrifaciant.

*Ambitionis vitium quā in Religione oderit Chriſtus.*

*Luc. 9.*

XXXIII. Quartus, ac poſtremus gradus eſt. Vt Fratres ſuper omnia appetant, ac vi omni contendant, habere Spiritum Domini, & ſanctam eius operationem; quemadmodum in Regula ſcriptum eſt. Sicut enim, eo præſente, mens in ijs, quæ ad perfectam Regulæ Obſeruantiam neceſſaria ſunt, illuſtratur, inſtruitur, ducitur: animúſque ad eam aſſequendam allicitur, accenditur, pellitur: ità ſi is ab animo abſit; mens in eorum cognitione, ac electione, quæ ad Regularem Obſeruantiam ducunt, caligat: animúſque fruſtra in ea aſſequenda fatigatur: neque enim vlla hominum vis eò attingere poteſt; vt abſque Domini Spiritu, Euangelicæ perfectionis formam, quæ non niſi à Domini Spiritu profecta, ac tradita eſt, conſequi valeat. Quapropter Fratres, orationibus, lachrymis, ieiuniis, atque omni bonorum operum ſtudio adniti debent: vt hunc ſanctum Domini Spiritum à Deo accipiant, quo ad perfectam Regulæ Obſeruantiam ducantur: acceptum verò diligentiùs excolant, ac cuſtodiant.

*Qualis Superior eſſe debeat.*

XXXIV. Rurſus Dominus Ioanni apparens docebat: Duo in Congregatione proba, ac perfecta eſſe Fratrum genera; quæ tamen gradu quodam inter ſe diſcernuntur. Vnum eorum, qui cordis munditiam, ac puritatem aſſecuti ſunt. Hos ligno arido ſimiles eſſe dicebat; quod cùm humido careat, facilè ignis ſuſceptiuum eſt: ita hi cùm omnem prorſus mundanæ, ac carnalis cupiditatis humorem abiecerint, facilè diuinæ charitatis igne ſuccenduntur. Quanquam verò ad eam cordis ſimplicitatem, ac nihilitatem non peruenerint: vt nihil prorſus ſibi propriæ voluntatis, atq; arbitrij retineant: Attamen, cùm plurimam vim ſibi ad eam aſſequendam adhibeant; id tandem conſequentur, vt & ampliori (cùm Deo placuerit) diuinæ charitatis flamma ſuccendantur; atque iis Dei Opt. Max. Majeſtas aliquando ad nominis ſui gloriam augendam; velut inſtrumento vtatur.

*Duo perfectorum Fratrum in Religione genera aperiuntur.*

XXXV. Alterum eſt, eorum, qui perfectiſſimam vitæ ſimplicitatem, ac paupertatem adepti, nihil ſibi in voluntate, quod vel appetant, vel fugiant, præter ea, quæ vel appetenda, vel fugienda Dei voluntas præſcribit, proprium reliquerunt: atq; adeò à Dei voluntate pendent, vt haud ſecus, quàm vmbra corpus, eam ſubſequantur; illudque diuinæ voluntati in omnibus tam appetendis, quam fugiendis in ſeipſis Imperium tribuerint; vt non humana, ſed diuina in eis voluntas imperare videa-

*Quanā à Dei Spiritu in Religione agantur.*

tur. In his Dominus Sedem, ac Regnum ſuum collocare, hos regere, hos poſſidere, ſe affirmat. His Spiritum ſuum infundit, hos deniq; Spiritu ſuo agit: & quandoquidem, qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei, hos Deus velut diuinum Semen, & genus electum agnoſcit, amplectitur, fouet, atque in his miro quodam modo ſeipſum glorificat.

*Catholica Fides ab omnibus tenenda aduersùs huius tempeſtatis Nouatores*

XXXVI Præter hæc addidit quoque Dominus. Primùm, ac præcipuum ſuæ voluntatis propoſitum eſſe. Vt Fratres, in ſacris Eccleſiæ ſanctæ dogmatibus, ac Generalium Conciliorum decretis, fixi, ac ſtabiles permaneant: neque ſub vlla recentioris veritatis ſpecie, aut noua Scripturarum intelligentia, aut vllius reuelationis prætextu; etiam ſi Angelus de Cælo veniens, ſecus quàm hactenus prædicatum eſt, euangelizauerit; vlla ratione ab iis ſe auelli ſinant: ſed quæ ſemel ab Eccleſia tradita ſunt, teneant; quæ à Patribus didicerunt, ea tantùm doceant; nec ab iis latum vnguem recedant. Satan enim plerunque, atque his præſertim temporibus, ſe in Angelum lucis transfigurat; vt incautos ſub recti ſpecie fallat; lucémque Scripturarum profert; vt per lucem ad tenebras ducat.

*2. Pet. 1.*

*Ad Scripturarum interpretationem quo ſpiritu accedendum.*

*Mat. 11.*

XXXVII. Caueant Fratres (aiebat Dominus) ne ſuperbè, aut proprio ingenio freti, ad Scripturas accedant: non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei homines. Quapropter his, qui ad Scripturarum intelligentiam properant, duo potiſſimùm neceſſaria eſſe dicebat. Primum, vt vera animi humilitate viam ſibi ad eam ſternant: quam ſi ab animo excuſſerint, haud vnquam profectò ad verum Scripturarum ſenſum pertingent: Id enim (aiebat): Ego apertè docui, cùm ad Patrem orans, dixi: *Confitebor tibi Pater, Rex Cæli, & Terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & Prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*: quin potiùs à recta intelligentiæ via aberrantes ad præcipitium feruntur. Alterum eſt, vt non proprio, ſed meo duntaxat Spiritu, ad Scripturas intelligendas ducantur: Scripturæ enim, quæ meo tantùm Spiritu compactæ fuerunt, haud alio ſanè, quàm meo Spiritu intelligi queunt: quo cùm ſola Catholica Eccleſia à me imbuta fuerit, ab ea vera Scripturarum intelligentia procul dubio petēda eſt. Quo fit, vt qui non ab Eccleſia, ſed à proprio duntaxat ſpiritu, Scripturarum interpretationem hauriunt: ab earum procul dubio veritate aberrent. Atque hinc hæreſes oriuntur, dum Scripturæ, quæ bonæ ſunt, non benè, neque ſecundùm Spiritum meũ intelliguntur. In eas verò ex occulto iudiciorum meorũ abyſſo, nonnullos elabi permitto: vt & eorũ ſuperbia meritas ſuæ temeritatis pœnas luat; alijque eorum exemplo exterreantur; tum verò vt Eccleſia mea eorum magis erroribus proficiat. Denique vt, qui velut aurum in igne, tentatione probantur, ex probatione illuſtriores emergant. Vos autem ne terreamini, neque à recto Eccleſiæ ſenſu vnquam moueamini: State in Fide, atque in his, quæ ſemel ab ea tradita ſunt, radicati, & fundati, ſtabiles permanete.

*Hæreſes à praua Scripturarum interpretatione exorta.*

*Hæreſes cur Deus interdum graſſari permittat.*

*Purgatorij ignis veritas Ioanni à Chriſto argumentis adſtruitur*

XXXVIII Porrò inter alia Fidei dogmata, quæ tunc Dominus Ioanni, Fratribus commendanda, propoſuit; vnum fuit: Ignis Purgatorij veritas, ac pia Defunctorum cura, quam non modò ſibi gratiſſimam aſſeruit; verùm etiam multis argumentis, quæ minimè à Ioanne exarata fuêre, Fratribus commendauit.

*Reuelationes Ioanni facta à Chriſto velut diuinæ probantur.*

XXXIX Præter hæc, alia quoque quamplurima, Dominus Ioanni reuelauit, quæ ſcripto conſignari noluit: Hæc verò, quæ ad communem totius Congregationis doctrinam, & eruditionem ſpectant, ita Aeſino Generali manifeſtari voluit; vt certam etiam horum fidem Ioanni adſtrueret, ne quid in his Diabolicæ fraudis, aut aſtutiæ latere crederetur. Quamobrem, in hac poſtrema reuelatione, maiori diuini luminis ſplendore Ioanni apparens, ad eum inquit: Plurima, ô Ioannes, tibi mei conſilij Sacramenta reuelata ſunt, quorum veritas nullatenus tibi, aut aliis ſuſpecta eſſe debet: cùm tam multa illius teſtimonia tibi data fuerint, quæ omnem Diabolici doli ſuſpicionem abſtergunt. Nam præter internam meæ præſentiæ atteſtationẽ, quæ tibi luculenter declarata fuit; frequẽtes, atq; iteratas, diſtinctis tem-

porum



porum interuallis, ſæpè de eadem re Reuelationes accepiſti, quæ diuinas prorſus eſſe confirmarent. Nihil præterea in his, præterquam, quod ſacris Literis, & ſanctæ Catholicæque Eccleſiæ doctrinæ conſentaneum eſt, aſſeritur; cuius irrefragabilis veritas nulli prorſus ſuſpecta eſſe poſſit. Tertiò quoque, vt omnis de eorum, quæ tibi reuelata ſunt, veritate, dubitatio ab animo exularet, aliquorum Fratrum tibi conſcientias, atque occultiſſima crimina detexi: quorum alij cùm primùm te aperiente, ſcelus agnouerunt, illud tibi in Confeſſione pandentes, digna Pœnitentia abſtersêre, atque in meam rurſus amicitiam recepti ſunt. Alter tantummodò, qui cùm à te ſuam ſibi occultiſsimam culpam aperiri audiret; proprioque ore illam à nemine, præterquam à Deo cognoſci potuiſſe fateretur; ab ea tamen reſipiſcere noluit. Quapropter à me ob impœnitentiam à Religionis ſinu deiectus fuit. (Atque ita prorſus hoc tempore contigit, cùm Ioannes quorundam crimina, quæ nullis, præterquam ipſis criminoſis manifeſta erant, Deo reuelante, iiſdem aperuiſſet.) Hæc, inquam, ait; quæ nulla, aut Diabolica, aut Angelica virtute, præterquam à Deo, qui ſolus hominum mentibus illabitur, penetrari poſſunt: quàm vera, ac fidelia hæc dicta mea ſint, apertè declarant. Verùm id inter alia te horum certum reddat, quod non propria animi libido, aut appetitus: ſed ſola duntaxat Obedientia, ac Generalis Vicarij præceptum, te ad has reuelationes poſtulandas compulit. Neque enim ſub Obedientiæ virtute, fraus aliqua, aut Diabolica verſutia latere poteſt, quin ea potiùs omnes Satanicos dolos detegit, ac diſſoluit. Poſtremò ipſe rerum euentus, quæ in his Reuelationibus tibi prænunciatæ ſunt, omnium veritatem luculentiùs indicabit.

*Ioanni duorũ Fratrum conſcientia à Chriſto reuelantur.*

*Obedientia Satanæ artes detegit.*

XL. Caue igitur: ne de his vllatenus dubites. Hæc quæ ſcripto exaranda volui, Generali Vicario trade, vt ea ad commune Congregationis commodum, atque vtilitatem diffundat. Neque enim hæc tibi, qui vilis homuncio es, ac rudis, propter te manifeſtata ſunt: quanquam; vt obedientiæ tuæ meritum, ac virtus oſtenderetur, tibi haud immeritò reuelata fuerint: ſed vt in his potiſſimùm Congregatio mea creſcat, vegetet, adoleſcat, atque in omni bono opere ſeneſcat. Tum etiam, vt huius me Congregationis curam, ac ſollicitudinem gerere, omnibus perſpicuum ſit; quam mihi poſt tot rerum anguſtias conſolari placuit. Tum denique, vt dum mea illis conſilia, ac voluntates aperio, maiores in me eorum amoris, & charitatis flammas excitem; quibus tandem in ipſis meipſum glorificem. Tu verò caue, ne deinceps vllas à me Reuelationes expoſcas: ſed his contentus in ſilentio, ac humilitate tecum habita.

*Reuelationes cur Ioanni à Chriſto factæ fuerint, declaratur.*

XLI. Generalis itaque, cùm diuinas haſce Reuelationes, ac reſponſa à Ioanne, Domini iuſſu accepiſſet: tam animo confortatus fuit: vt metu omni, ac dubitatione depoſita, quoſcunque deinceps paſtoralis muneris, ac ſollicitudinis labores alacri animo perferret: ſæpéque dicere ſoleret; nullo ſe iam ob quæcunque, quæ Religioni accidere poſſent, aduerſa: metu ſollicitari: cùm Religionem ſub Chriſti tutela, ac patrocinio tutam eſſe non dubitaret.

## F. FRANCISCI A PALEMONE
### *Vita, & Geſta.*

*F. Franciſcus à Palemone ex Obſeruantium Familia ad Capucinos migrat.*

XLII. SVB hoc tempus F. Frãciſcus Rheginus à Palemone nuncupatus, depoſitis mortalitatis exuuiis, in Cõuentu Mileti, apud Calabros, ad immortalẽ vitã cõceſſit. Hic cũ per aliquot annos, in Obſeruãtiũ Familia, magna cũ virtutũ laude Deo militaſſet; quo tẽpore F. Ludouicus Rheginus, ac Bernardinus Georgius cum aliis ad Capucinos migrarunt; quemadmodum anno 1532. explicatum fuit, eodẽ ipſe quoque Regularis obſeruantiæ ſpiritu ductus, cum his ad Capucinorũ Reformationẽ acceſſit. Hic propter ſingulares animi virtutes, quibus à Deo cohoneſtatus fuerat;

ac potiſſimùm, ob columbinam quandam mentis ſimplicitatem, quam vbique præferebat; quæ tamen haud abſque plurima animi prudentia erat, Ludouico Rhegino chariſſimus fuit: Cúmque multa virtute, ac fortitudine præditus eſſet, eum in Reformatione apud Calabros inſtituenda, ac propaganda egregiè adiuuit. Atque eo factum eſt; vt cùm primùm Capucinorum Religio, Bernardini Georgij opera, ac labore, ad Siculos deuecta fuit: is propter ſingularem animi prudentiam, qua inter cæteros præcellere videbatur, primus Meſſanæ Guardianus à Ludouico inſtitutus, quo tempore Carolus V. Imperator, ex Aphrica rediens, Meſſanam appulit; ſupplicatione Fratrum inſtituta, qui oliuarum ramos in manu geſtabant, eidem obuiam proceſſit: quod pio Imperatori, qui animum ad res Italiæ pacificandas conuerterat, gratiſſimum fuit; ac velùt Cæleſte auſpicium accepit, quo magis ad rerum tranquillitatem curandam excitaretur; Plurimas cum Ludouico, & aliis in ipſis Reformationis primordiis calamitates, ac perſecutiones paſſus; quibus plerique fracti, ac deuicti, terga Reformationi verterunt; inuictam ſemper conſtantiam, ac Religioni Fidem ſeruauit: tametſi ſemel, atque iterum à Dæmone tentatus; vt clariùs, & Domini auxilium, & ipſius virtus apparerent, interdum vacillaſſe videretur.

*Ipſius pietas exemplo declaratur.*

Etenim illa Fratrum Obſeruantium perſecutione graſſante, qua Reformationis initia apud Calabros tam dirè concuſſa, ac iactata fuêre; vt Fratribus huc, atq; illuc diſperſis, res planè deſperatæ viderentur. Satan, qui, in ipſis præſertim incunabulis ſe infenſiſſimum Religionis hoſtem declarauerat; quique ſæuam illam tempeſtatem, eo præſertim conſilio concitauerat, vt Reformationem in ipſo ortu præfocaret, in grauem Franciſcum mentis dubitationem induxerat; ) quæ Bernardini Georgij quoque hoc tempore tentatio fuit: ( Num ea Capucinorum Reformatio à Deo profecta eſſet, quam tam dirè, & acerbè oppugnari conſpiciebat. Id enim, ea ratione, callidus ſerpens illi facilè in animo confirmabat; quòd cùm ea perſecutionum acerbitas, ex Apoſtolico Diplomate, cui ſumma auctoritas adiudicatur, atque à Religioſis Viris orta eſſet; eam haud aliunde, quàm à Deo illi profectam eſſe perſuadebat. Ex quo illud tandem verſipellis conficeret: quòd cùm ea nec Deo grata, neque ab eo inſtituta eſſet, ab ea quamprimùm illi recedendum foret. XLIII.

*Franciſci cõſtantia Diaboli tentatione probatur.*

Hac Satanæ tentatione Franciſci mens grauiter iactata, quid in eâ animi tempeſtate conſilij eligeret, ignorabat. Neque enim facilè hunc ſibi Religionis ſtatum damnandum ſentiebat; cùm Ludouicum, cuius ſanctitas haud ipſi ignota erat, in Reformatione conſtantem cerneret: plurimos quoque cum ipſo Viros ſanctos, ac prudentes eadem conſtantia præditos intueretur, quos à recta via aberrare, haud ſibi in animum inducere poterat. Inter has animi fluctuantis cogitationes ſemel accidit; vt ad quendam Fratrum Obſeruantium Conuentum Hoſpitij cauſa diuerteret: ibi cùm Fratrem amiciſſimum haberet, eum ſecretò conuenit, rogatq; vt quid de Capucinorum Reformatione ſentiret: num, ſcilicet, in ea perfectiùs, quàm in Obſeruantium Familia Regula obſeruaretur, candidè aperire vellet. Cui protinus ille. Mihi ( inquit ) illudere videris, Amice; Quis id vel cæcus non iudicaret? Si eæ apud Vos paupertatis leges ſeruantur, quæ in Capucinorum Reformatione decretæ ſunt, cui dubium eſſe poteſt, quin perfectiùs in ea, quàm apud nos, Regula obſeruetur? Quæ enim apud nos paupertatis Obſeruantia reliqua eſſe poteſt? vbi tot ad pecuniam recurſus, totque rerum prouiſiones, pretioſitates, ac ſuperfluitates vigent? Cætera quoque Regulæ præcepta ſi ſpectes, apud Capucinos arctiùs, ac puriùs, quàm apud Obſeruantes cuſtodiri quis ignorat? His Amici dictis, quanquam ea cogitationum tempeſtas, quæ in Franciſci animo orta fuerat, nonnihil quieſceret; haud tamen ita ſedata fuit, vt pacatum omninò, ac tranquillum illius animum redderet, donec rem ſibi orationibus, ac lachrymis à Domino poſtulandam propoſuit. Quapropter cùm aſſiduis ſe ieiunijs macerans ſedulò orationi incumberet, atque à Domino illuminari peteret; oranti ſemel Clementiſſimus XLIV.

*Franciſcus in graui hac tentatione Amici conſilium exquirit.*

*Chriſtus Frãciſco apparens in Religionis vocatione cõfirmat.*





Dominus cæleſti ſplendore amictus apparuit, his illum verbis increpans. Quid eſt Franciſce, quod in dubium reuocas. An Capucinorum Reformatio mihi grata exiſtat, vel à me profecta fuerit? An non ego te ad eã vocaui? Animum tibi, vt ad eam accederes, inſpiraui? Vires ad illius perſecutiones perferendas miniſtraui? Conſtantiámq; vt in ea immobilis hactenus perſtares, animo indidi? Vir modicæ fidei, quare inter cogitationum fluctus vacillas? quid dubitas? Quaſi Congregationem hanc ego minimè eduxerim, genuerim, dilexerim. Cur te à Satana tentari permittis; vt ab ea diſceſſum cogites? Mea hæc Congregatio eſt, à me genita, ac mihi magnoperè dilecta: in ea, ſi mihi gratus eſſe optas, permane: non te perſecutiones, non calamitates, non denique aſpera, atque aduerſa vlla moueant, quæ illi ex occulta meorum conſiliorum abyſſo eueniunt. Hæc illi accidere neceſſe eſt: vt in his clarior mea virtus, atque erga illam prouidentia, ac ſollicitudo eniteat.

XLV. His Domini verbis, poſt quæ, mox ex illius oculis ſublatus eſt, adeò mens Franciſci in Reformationis amplexu cõfirmata, atque ad perfectæ Regularis obſeruantiæ ſtudium incenſa fuit: vt ſeipſum omnium virtutum ſpecimen exhiberet. Rigidus tam in victu, quàm in veſtitu paupertatis ſectator, aſperrimo habitu, quoad vixit, vſus eſt. Omnia B.P.Franciſci ieiunia, quæ præter communem Quadrageſimam, & Aduentum, quinque alias Quadrageſimas complectuntur; arcto ieiunio cuſtodiebat: cùm reliquis anni diebus ſemel tantùm in die; eúmque tenuiſſimum cibum ſumere ſoleret; cunctáque B. Virginis Feſtorum peruigilia panis, & aquæ ieiunio celebraret. Verborum parcus, Fratrum colloquia, niſi de Regula, aut Diuinis rebus inſtituerentur, ſtudioſè deuitabat. Plura enim ſe ſilendo, quam loquendo didiciſſe, aiebat. Tanta verò honeſtate, ac morum probitate præſtabat, vt nihil in eo deprehendi poſſet, quod reprehenſione, aut culpa dignum videretur. Perpetuam mentis puritatem, in vtroque tam Religionis, quàm ſæculi ſtatu, ita ex ſingulari Dei munere, ſartamtectam ſeruauit: vt octoginta annorum ſpatio, quibus vixit, nullum vnquam mortiferæ alicuius culpæ remorſum in animo ſenſerit. Charitate in omnes tam feruidus erat; vt cùm Prædicationis munere fungeretur, non ſemel in die: ſed bis, ter, quatérque, & vbicunq; collectos homines conſpiceret, Dei Verbum tanto ſpiritus æſtu diſſeminaret: vt Francicæ, quod eſt Calabriæ Oppidum, vnico Quadrageſimalium ſermonum temporis ſpatio, Quatuor, & viginti adoleſcentes ſæculum deſerere, ac ſeipſos Deo mancipare ſua prædicatione compulerit: qui omnes cũ ad Capucinos cõuolaſſent, Oppidanos cõmouerunt, vt cùm primùm Franciſcum viderent, velut ex prouerbio dicerent. En qui matres liberis orbat.

*Vita illius & auſteritas deſcribitur.*

*Virtutes enarrantur.*

*Dei verbum feruentiſſimè prædicat.*

XLVI. Orationem denique, qua anima virtutibus pingueſcit, ac Deo coniungitur, tam aſſiduo ſtudio proſequebatur; vt à matutinarũ Horarũ exordio, vſque ad Refectorij ſignũ, quod pro prãdio datur; nunquã à Choro, atq; oratione recederet. Reliquumq; tẽporis, quod illi, vel ex prędicationis officio, vel ex domeſticis munerib⁹ ſupererat; totũ in orationibus inſumeret. Cúmque hoc ſedulæ Orationis ſtudiũ illi quotidianũ, ac familiare eſſet, eo fiebat: vt ferè sẽper animo in Deũ ſuſpenſus, cæteris extaticus appareret. Sæpè etiam, vel orãdo, vel pſallẽdo, extaſes patiebatur: inter quas illa illuſtris fuit, quæ toto Choro ſpectãte, dum Horæ Canonicæ decantarentur, illi accidit: cũ Ochini lapſus illi à Deo reuelatus fuit, de quo anno ſuperiori egimus. Erga Virginis Deiparæ cultũ, tã tenerè afficiebatur: vt cùm eã Matris nomine appellaret; nihil, quod ad filij debitum, ac officium ſpectat, in ea venerãda, ac dignis laudibus proſequenda prætermitteret. Ea quoq; in Dominicæ Paſſionis memoriam Religione ferebatur: vt illam ſedulò in animo geſtaret. Hinc, vt quàm pia hæc Crucis Chriſti meditatio, Deo grata eſſet, cunctis innoteſceret; quamplurimis ægris, dum adhuc viuus, ac ſuperſtes eſſet, ſolo Crucis Signo adhibito, incolumitatem reddidit.

*Orationis illius aſſiduitas commendatur.*

*Ochini lapſus illi inter pſallendum reuelatur.*

*Ægrotos Signo Crucis curat.*

XLVII Poſtremò cùm ætatis Octogeſimum annum, pari Annorum, ac virtutum ſerie præclarè exegiſſet: Mileti in morbum incidit: à Dominoque præmonitus, quo die ex hac vitali luce migraturus eſſet; vbi extremis Eccleſiæ Sacramentis animum expiauit: Circũfuſoſq; Fratres, ad perfectã Regularis Obſeruantiæ diſciplinã, vltimis

*Diem obitus diuina reuelatione accipit.*

*Piè in Domino obdormit.*

Verbis adhortatus eſt, cùm adhuc verba proferret, quaſi leui ſomno conſopitus, inter Fratrum manus ſuauiter expirat, in ipſa ſolemniſſima B. Virginis Aſſumptionis die, quam ſibi ipſi, dum viueret, ſupremam à Domino precibus poſtulauerat: vt cum ea Cælum conſcenderet, quam eximia viuens, ſemper Religione coluerat.

*F. IACOBI Hiſpellenſis Vita.*

XLVIII Poſt Franciſcum, alter quoque Fr. Iacobus Hiſpellenſis, hoc anno, morti debitũ exſoluit, qui tametſi in Religione, inter Laïcos, magnis virtutib⁹ floruerit: formidabilis nihilominus in eo, poſt mortẽ, diuinorũ Iudiciorũ ſeueritas eluxit: quę cùm ad plurimorum, ac totius Religionis doctrinã cõferat, hîc ea ſilẽtio præteriri nõ debet.

*Fr. Iacobus Hiſpellenſis virtutibus clarus.*

XLIX. Hic igitur cùm in ſumma auſteritate vitam duceret, ieiunia quotidiana coleret, nudis pedibus, ſandaliis abiectis incederet, aſſiduis laboribus corpus defatigaret, Orationem quoque ita familiarem haberet; vt quicquid in domeſticis obedientiæ officiis non inſumeret, totum in ea impenderet. Demum tot virtutibus floreret; vt clarum quoddam perfectioris vitæ, ac religioſæ conuerſationis, cunctis exemplar eſſe poſſet. Accidit, vt in Conuentu Fulginij, qui tunc veteri S. Valentini relicto, nouus ſub S. Ioſephi titulo extruebatur; Eleemoſynarij officio fungeretur; quo in munere, cùm ſæpè eleemoſynas pecuniarias in Eccleſiæ ſtructuram inſumendas quæreret: minùs fortè quàm & Regulæ puritas, & Religionis conſuetudo ferret, in his pertractandis, cautè, ac prudenter ſe gerere videbatur. Etenim numeratam pecuniam à pleriſque oblatam recipiens, eamque ſibi in Caputio, ſeu ſporta, repoſitam gerens, in ædificationis opus conferebat. Hinc cùm abſque debita rerum obſeruatione, & cautela, quæ tum à ſummis Pontificibus, tum à priſca Religionis conſuetudine præſcribitur; pecuniam pertractaret: is haud culpa vacabat: quæ cùm ex ignorantia, ac ſimplicitate magis, quàm ex animi ſententia, aut malitia proficiſceretur; eum nec facti conſcientia, nec culpæ vllius ſtimulus vnquam pupugerat: quo factum eſt, vt nec malefactum, pœnitentia, aut Sacramento expiaret. Quamobrem ſeueriùs à Domino in morte mulctatus fuit. Cùm enim laterum aliquando morbo correptus, in extremum vitæ diſcrimen incidiſſet: Quatuor dierum ſpatio, tam horrendas vultu, ac totius corporis motu, agitationes præſtat; tamque formidandas ex ore voces, quaſi cum Dæmone cominus confligeret, toto eo tempore depromit; vt his Fratres perterriti, luctantem, Orationibus, Pſalmis, atque Aquæ benedictæ aſperſione, quoad fieri poterat, adiuuarent. Res erat pauoris plena, hominem tanta vitæ auſteritate præclarum; totque virtutibus inſignem, tam diu, tamque incerto belli exitu, cum Dæmone colluctantem cernere: quem potiùs Angelorum ſolatio, in morte, potiturum ſperarent. Quarta iam dies inter hæc conflictus pericula abierat: cùm Iacobus aliquantiſper quieſcens, Dominicum à Boſcheto eximium Dei ſeruũ, qui illi à dextris aſſidebat, intuẽs ait: Dominice. Maximas hactenus à Dæmone paſſus ſũ anguſtias: ſed iam ab iis Dei gratia liber ſum: ac deinceps iucũda lætitiæ ſigna edere cœpit: inter quæ Deo animam reddidit.

*In morte cũ Dæmone cõflictat.*

*Prodigia poſt Iacobi obitũ viſa referuntur.*

L. At verò necdum Fratrum animi, præteritorum horrore exterrefacti, ſedari poterant: Cùm Iacobi corpore in Eccleſiam delato, repentina mox ventorũ tempeſtas, in aëre exorta, ita in Eccleſiam irruit; vt alteram tecti partẽ, diſrupta incardinatarũ trabium cõpage, diuulſerit; alteram tegulis nudauerit. Multorũ quoque murmur, velut per tecta diſcurrentium auditur: quorum alij tegulas comminuebant: alij eas quaſi ſagittas lõgiùs iaculabãtur. Atq; hoc ipſo tẽpore accidit; vt ligneæ Eccleſiæ feneſtræ, omnes vi quadã patefactæ, papyraceæ verò confractæ, ac dilaceratæ, nulla vi, fruſtra adhibita, occludi vnquã potuerint. Quæ res, tam ingentẽ Fratribus terrorẽ incuſſit, vt diuinũ rei quidquam ineſſe ſuſpicarentur. At reuera nõ Dei, ſed Diaboli opus eſſe, deinde omnibus perſpectũ fuit; qui ab eo triũpho pulſus, quẽ ſibi de Iacobi anima ſpopõderat; furorẽ, non abſq; Dei conſilio, in Eccleſiæ tectũ, quod ex dãnato pecuniarum vſu erectũ fuerat, deſpumauit. His acceſſit; quòd cùm circa Defuncti corpus funebre officium, de more, perſolueretur; ventus è feneſtra erũpẽs accenſum intorſtitiũ, qui in feretri capite ardebat, tãto impetu arripuit, ac cõtriuit,





vt illius fragmenta per Eccleſiam euolarent. Denique, humato corpore, per integra quindecim dierum ſpatia, in Oratorio, in quo Frater Iacobus orare conſueuerat, quaſi plangentis vox ſæpiſſimè audiebatur; quæ omnia Iacobi ſalutem maximam illis in ſuſpicionem adducerent.

LI. At Deus Opt. Max. etſi ſeuerus illius culpæ vindex agnoſci voluerit, vt ea ſeueritate quamplurimis prodeſſet: Iacobi tamen, quem fidelem in cæteris ſeruum habuerat, famæ conſulere; atque eam æternæ damnationis ſuſpicionem à Fratrum animis abſtergere voluit. Nonnullis enim diebus elapſis, Iacobus Ioanni Apulo, qui Ioanni Hiſpano in martyrio comes fuit, apparens; eidem ſignificat, ſe ex Dei miſeratione ſalutem conſecutum: veruntamen ob ſolum illius pecuniæ quæſtum, Purgatorij ignis per decennium à Deo pœnam accepiſſe; qua exoluta, ad Cæleſtem, atque omnis pœnæ expertem vitam euolauit.

*Per decenniũ Purgatorio igne purgatur.*

ANNVS CHRISTI PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1545. II. 27. 21.

I. ANNO Milleſimo quingenteſimo ſupra quadrageſimum quintum illuceſcente, adoleſcens Congregatio, quæ vigeſimum vix ſuæ ætatis annum attigerat; cùm Superioribus annis inter hæreſum ſuſpiciones, honoris iacturas, infamias, calumnias, pericula, atque innumerabiles preſſuras, & rerum anguſtias exactis: velut argentum igne examinatum, duris omnibus, & aſperis vſque ad purum à Deo decocta, ac probata fuiſſet: hoc tandem anno, priſtino, atque ampliori lucis ſplendori reſtituitur; ac tanquam Domini Hortulus, poſt hyemes, pruinas, ac Boreales flatus, qui antiquos ipſius flores decoxerant, iterum refloret.

*Pontifex de Prædicationis officio Religioni reſtituendo agit.*

II. Biennio ſiquidem expleto, ex quo prædicandi facultas, Capucinorum Religioni, ob Ochini, ac cæterorum lapſum ſublata fuerat: Pontifex, cui Dominus animum erga Religionem propenſum reddiderat; cùm ſapienter apud ſe perpenderet, quantùm Capucinorum Prædicatio, cum vitæ ſanctimonia coniuncta, Eccleſiæ vtilitatis adferret; quámque ad morum correctionem, ac vitæ reformationem, in Chriſtianum Populum promouendam, valeret: in hoc anni exordio, de euangelizandi munere, Capucinorum Religioni reſtituendo, cum Cardinali Carpenſe, Ordinis Protectore agit. Verùm quò res maiori prudentia, & abſq; periculo peragatur; præcipua Fidei Catholicæ Capita, quæ in controuerſiam cadunt, ſimul congerenda; ac ſchedula exarata, ſingulis Capucinorum Prædicatoribus proponenda imperat: vt ex ſingulis eorum reſponſis elici queat, quid vniuerſi de Catholica Fide ſentiant.

*Cardinalis Carpenſis Catholicæ Fidei articulos Capucinorum Concionatoribus proponit.*

III. Cardinalis itaque, vt Pontifici morem gerat: mox nonnullos Theologicarum quæſtionum Articulos, paſſim ab Hæreticis oppugnatos, ſcripto exaratos profert: quos ad omnes, ac ſingulos Religionis Concionatores, ità tranſmittendos curat; vt eorum reſcripta ſibi integra conſignanda iubeat. Hoc porrò Articulorum exemplar fuit, quod ex Apographo hauſtum, huc referendum duxi.

IV. ARTICVLI, QVI AB ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO Domino Cardinali Carpenſe Protectore, cunctis Religionis Capucinorum Concionatoribus, de mente Summi Pontificis Pauli III. propoſiti fuêre; vt iis quilibet breuiter, ac ſuccinctè reſpondere debeat.

*Quæſtionum Articuli Capucinorum Concionatoribus propoſiti.*

ARTICVLVS PRIMVS. *Quænam ſit cauſa Peccati Originalis, & quis eius effectus.*

2. *De principio Iuſtificationis, & eius cauſa.*

3. *Quid faciendum eſt iuſtis, ne cadant: ſed iuſtificentur adhuc. Et ſi ceciderint; vtrum poſſint reſurgere, & qua via: ſuis ne propriis virtutibus, & libera voluntate, an gratia Dei? & ſi ſic. Vtrum præueniente, an ſequente.*

4. *Vtrum Deus pulſet, an aperiat. Vel pulſet, aperiat, & trahat. Et ſi trahat: Vtrum volentes, vel inuitos.*

5. *Quem locum in his omnibus obtineat Fides, quem Opera? & quid cenſendum de Meritis, tam de Congruo, quàm de Condigno.*







6. *In his, qui cadunt poſt acceptam gratiam, & reſurgunt, quomodo remittatur culpa, & quomodo pœna? An ſimul, aut ſeparatim, & quibus modis.*

7. *De Purgatorio.*

8. *De Libero arbitrio.*

9. *De Pœnitentia, & partibus eius.*

10. *De Confeſſione vocali, & cui facienda.*

11. *De Sacramento Euchariſtiæ.*

12. *De cæteris Sacramentis, & de eorum numero.*

13. *De Eccleſia, & eius poteſtate.*

14. *De Summo Pontifice, & Eccleſia Romana.*

15. *De Ieiuniis, & Quadrageſima.*

16. *De Diſtinctione ciborum, & temporum.*

17. *De Votis, & præſertim Monaſticis.*

18. *De Virginitate.*

19. *De Miſſa.*

V. His igitur articulis, quibus noſtrorum Concionatorum fides, ac de rebus Theologicis ſcientia examinanda erat, vt in eo munere dignè verſarētur; per omnes Religionis partes tranſmiſſis: mirum planè fuit, quo pacto vniuerſi ferè, tam appoſitè propoſitis Quæſtionibus reſpōderint, vt Cardinalis Protector eorum reſcripta perlegens, planè admiraretur, Viros orationi potiùs, quàm Theologicarum rerum ſtudio vacantes, tam ſenſatè difficiliora Theologicæ facultatis dubia enodare; præſertim cùm ex Prædicatoribus pleriq;, atque ij potiſſimùm, qui à Ludouico Foroſempronīano ante ſtudiorum inſtitutionem, ad Prædicationis munus promoti fuerant; minus in Theologicis ſtudiis verſati viderentur. Verùm benigniſſim⁹ Dominus, qui eos Operarios in Vineā ſuā mittere decreuerat; illud iis os, & ſapiētiā cōtulit, qua ad Apoſtolicū munus explendum, tum à Protectore, tū etiā à Pōtifice digni haberētur.

*Concionatores aptè propoſitis Articulis reſpondent.*

VI. Franciſcus verò Generalis; vt ſuam, ac totius Religionis, cuius perſonā gerebat, perpetuam in Catholica Fide conſtantiam declararet: poſt omnium Concionatorum reſcripta, totius Congregationis nomine ſcriptum edidit, in quo vniuerſa illa Fidei capita, quæ à Cardinali Protectore propoſita fuerant, breui, ac perfunctoria reſponſione perſtrinxit; cuius exemplar propriis verbis exaratum, hoc inter Ordinis Monumenta offendi.

*Franciſcus Generalis totius Religionis nomine Articulis reſpondet.*

BREVIS FRANCISCI ÆSINI RESPONSIO ad ſingula Articulorum Capita.

VII. ILLVSTRISSIME DOMINE, *ſalutem, ac humilem commendationem*, &c. *Cùm Reuerendiſſima* D.V. *mihi notum fecerit, ex prudentiſſima* D.N. *Pauli III. ſummi Pontificis ordinatione prodiſſe, vt quid ſuper articulis infraſcriptis ſentirem, & crederem, ſcripto exararem: Ego quidem volens in tanta re (vt debeo) mandatis Apoſtolicis ſanè, & reuerenter obtemperare: non tantùm meo, ſed etiam totius Religionis meæ nomine, in primis aſſero in vniuerſali me præfatos Articulos credere, ac profiteri, prout illos credit, ac profitetur ipſa Romana Eccleſia: cui quidem ſaluberrimæ correctioni meipſum, ac vniuerſam Congregationem ſincerè ſubmitto; meaque omnia, atque illius dicta, & ſcripta, atque hæc præſertim, quæ inferiùs exarabo, præfatis Articulis reſpondens, plenè, ac integrè ſubijcio.*

*De cauſa peccati Originalis.*

VIII. *Ad Primum igitur, qui eſt de cauſa peccati Originalis, & de eius effectu. Dico, quòd cauſa peccati Originalis in primo Parente fuit transgreſſio diuini præcepti: in aliis autem eſt vnio animæ cum corpore, ab Adam deſcendente, ex naturali propagatione. Ita fit, vt peccatum Originale ſit pariter & in carne, & in anima; in carne materialiter, in anima formaliter. Huius autem peccati effectus, eſt concupiſcentia carnis aduersùs ſpiritum, inflictus dolor, & labor, morſque ſecuta, priuatio quoque viſionis, ac fruitionis diuinæ.*

*De principio Iuſtificationis.*

IX. *Ad Secundum, qui eſt de principio Iuſtificationis, & eius cauſa. Dico ipſius Iuſtificationis principium, ſiue efficientem cauſam, eſſe Dei voluntatem, & miſericordiam, qui gratuitò iuſtificat; ſed formalem eſſe gratiam, & charitatem, quæ ſemper eſt cum virtute fidei, & ſpei. Cauſa autem meritoria de condigno, eſt Paſſio Chriſti: ſed de congruò in adultis eſt bona illorum diſpoſitio, è gratia fluens, & opera bona.*

*De Iuſtificationis incremento.*

X. *Ad Tertium dico; quòd Iuſti ne cadant, ſed iuſtificentur adhuc; debent in diuino adiutorio, & eius gratia confidere: rectè credere, ſperare, diligere, ſicut oportet: aſſiduè orare, & bona operari: non propriis viribus, & operibus naturæ, ſed diuinæ gratiæ auxilio confiſi. Et ſi ceciderint, reſurgere poterunt, non tamen virtute propria, ſed Dei gratia, & præueniente, & cooperante.*

*De Attractione Dei.*

XI. *Ad Quartum dico; Deum & pulſare, & aperire, & ſuauiter trahere; ſed non inuitos, aut neceſſitate compulſos.*

*De Fide, & Meritis.*

*Iacob. 2.*

XII. *Ad Quintum dico; quòd Fides totius ſpiritualis ædificij primum, ac firmiſſimum fundamentum eſt. Id adultis tamen ſine operibus non ſufficit: immò, teſte Iacobo, ſine operibus mortua eſt. Opera verò bona facta in mortali merentur gratiam tantùm de congruo; ſed facta in charitate merentur gloriam de condigno, vel augmentum charitatis, & gratiæ.*

*De Lapſis quomodò reſurgant, tam à culpa, quàm à pœna.*

XIII. *Ad Sextum reſpondeo, quòd in his qui cadunt, & reſurgunt, cum culpa ſimul remittitur pœna æterna, per contritionem ſufficientem; dummodò habeant propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi; vel per confeſſionem, & per abſolutionem Sacerdotis; ſed pœna temporalis remittitur per contritionem, per Confeſſionem, per Sacramentum Euchariſtiæ, per opera bona, & pœnalia, per Indulgentias. Demùm per Ignem purgatorium.*

*De Purgatorio.*

XIV. *Ad Septimũ reſpõdeo: Purgatoriũ abſque dubio eſſe in partibus ſubterraneis, ſecundùm Scripturam, & vetuſtiſſimam Eccleſiæ traditionem: Extra tamen nonnunquam iuxta diuinæ voluntatis decretum. Cuius veritas nobis à Regula credẽda proponitur, dum iniungit: vt oremus pro Defunctis: qua pœna afficiuntur ij, qui hinc, vel cum reatu culpæ mortalis, vel cum veniali decedunt.*

*De Libero arbitrio.*

XV. *Ad Octauũ Reſpondeo; Hominẽ natura eſſe liberum, & bonum, & malum operari ex arbitrij libertate: ſed bonum cum gratia Dei, & excitante, & adiuuante.*

*De Pœnitentia, & eius partibus.*

XVI. *Ad Nonum Reſpondeo; Quòd Pœnitentia vno modo virtus eſt, ſpecies iuſtitiæ, qua quis ſeipſum punit pro peccatis à ſe commiſſis, interiùs per triſtitiam, & exteriùs per ieiunium, & alia opera pœnalia. Alio modo eſt Sacramentum, quæ eſt abſolutio facta à proprio Sacerdote, ad quam requiruntur Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.*

XVII. *Ad Decimum reſpondeo: Quòd Confeſſio eſt de Iure diuino, & ex impoſitione*

*Eccleſiæ:*



*Eccleſiæ; faciendáque eſt ſaltem ſemel in anno Sacerdoti, non Laïco; proprio, non alieno, niſi habuerit auctoritatem à proprio, vel à Superiori Prælato, ſcilicet, vel à ſummo Pontifice, vel à ſuo Epiſcopo, vel ab illis facultatem habente: eaque ita omnibus poſt Baptiſmum lapſis neceſſaria eſt, vt non in genere tantùm, ſed & in ſpecie, omnium delictorum, quibus à gratia excludimur, integrè fieri debeat.*

*De Confeſſione auriculari*

XVIII. *Ad Vndecimum reſpondeo, Quòd in Euchariſtia verè, & realiter extat Chriſtus totus, Deus homo, ſub vtraq; ſpecie, qui ſemper eſt cum Patre, & Spiritu ſancto, per circumínceſſionem. Ex vi tamen Conſecrationis ex pane ſolum Corpus, & ex vino ſolus ſanguis conficitur: ex concomitantia verò in vtroque Corpus, Sanguis, Anima, ac Filij Dei diuinitas manent.*

*De Sacramẽto Euchariſtiæ.*

XIX. *Ad Duodecimum, Reſpondeo, quod ſeptem ſunt Eccleſiæ Sacramenta; videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo ſacer, atque Matrimonium, à Chriſto quidem inſtituta, & Eccleſiæ tradita. Baptiſmus ſimpliciter omnibus neceſſarius; ſed Pœnitentia homini poſt Baptiſmum lapſo ſaltem ſemel in anno, vti diximus. Similiter & Euchariſtia. Sine alijs verò poteſt quilibet ſaluari, dummodò ea ſana Fide tenuerit, ac firmiter crediderit.*

*De reliquis Sacramentis, & eorũ numero.*

XX. *Ad Tertium decimum, qui eſt de Eccleſia, & eius poteſtate; Reſpondeo. Quòd Eccleſia Catholica vnica eſt, Viſibilis, bonis, & malis permixta, columna, & firmamentum veritatis, à Chriſto inſtituta, à Spiritu ſancto gubernata, ab Apoſtolis edocta: cuius duplex eſt poteſtas Ordinis, & Iuriſdictionis. Cuius, qui vnitatem tenet, inter Chriſti Oues cõputatur; qui verò ab ea alienus eſt, ab omni ſalutis ſpe excluditur.*

*De Eccleſia, & eius poteſtate.*

XXI. *Ad Quartum decimum, qui eſt de ſummo Pontifice, & Eccleſia Romana: Dico, quòd ſummus Pontifex Romanus eſt Petri Succeſſor, & verus, atque vniuerſalis Chriſti Vicarius: Iſque ſuper totam Eccleſiam militantem, tam ſuper Epiſcopos, & alios Paſtores, quàm ſuper ſubditos ordinariam habet poteſtatem: cui omnes firmiter obedire, humilemque ſubiectionem præſtare tenentur. Et maximè Fratres Minores, quibus in principio, & fine Regulæ ſpecialiter iniungitur: vt Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ ſint ſemper ſubditi, & obedientes. Romana verò Eccleſia Caput eſt, & Mater omnium Eccleſiarum ſuper omnes habens poteſtatem: quam qui Matrem non habet, nec Deum Patrem habere poteſt.*

*De ſummo Pontifice, & Eccleſia Romana.*

XXII. *Ad Quintum decimum, qui eſt de Ieiuniis, & Quadrageſima: Reſpondeo, omnes Chriſtianos, non legitimo impedimento detentos, ad ieiunia ab Eccleſia inſtituta, ſub pœna æterni iudicij teneri; ſingillatim verò ad ieiunium Quadrageſimæ (exceptis diebus Dominicis) cùm ea ab Apoſtolis inſtituta fuerit, & Eccleſiæ tradita.*

*De Ieiuniis, & Quadrageſima.*

XXIII. *Ad Sextum decimum de diſtinctione ciborum, ac temporum: Reſpondeo: Quòd omnes fideles diſtinctionem ciborum, & temporum, ex præcepto Eccleſiæ neceſſariò obſeruare debent: tum quòd eam Eccleſia præcipere valeat, tum etiam quòd ex antiqua Apoſtolorum traditione profecta cenſetur.*

*De delectu ciborum, & tẽporum.*

XXIV. *Ad Decimum ſeptimum, qui eſt de Votis, præſertim Monaſticis: Reſpondeo. Quòd Vota, præſertim Monaſtica ſunt honeſta, rationabilia, & meritoria, atque ab omni antiquitate probata. Et quod vouere eſt conſilij reddere verò, præcepti, & cùm Vota ſint de iure diuino, atque in Dei gloriam tendant, cum Dei gratia, & auxilio ſeruari, ac reddi poſſunt.*

*De Votis, præſertim Monaſticis.*

*De Virginitate & cœlibatu.*

XXV. *Ad Decimum octauum, qui eſt de Virginitate: Dico, quod Virginitas eſt donum Dei, Matrimonio excellentius, quam Paulus magnoperè cõmendat; imò & ipſe Chriſtus in Euãgelio, ſub Eunuchorum diſtinctione, conſuluit, atque exemplo probauit, cùm ipſe Virgo puriſſimus Virginem Matrem elegit, ac Virginem Virgini Ioanni commendauit, quem ob Virginitatem ſpecialiter dilexit,*

*De Sacrificio Miſſæ.*

XXVI. *Ad Decimum nonum, & vltimum, qui eſt de Miſſa, dico: Quòd Miſſa diuiniſſimũ quoddam myſterium eſt, & repræſentatio iucundiſſima myſterij humanitatis, & præſertim Paſſionis Chriſti; in qua conficitur Euchariſtia; non ſolùm omnium Sacramentorum; ſed etiam omnium Sacrificiorum digniſſimum, ac Deo gratiſſimum; ideóque frequenter Deo deuotiſſimè offerendum; cùm illud tum viuis, tum fidelibus defunctis, qui in Domino mortui ſunt, maximè proſit.*

*Prædicationis munus Religioni à Pontifice reſtituitur.*

XXVII. Pontifex igitur cùm totum Congregationis corpus, in Fide ſanum, neque vllo errore labefactatum eſſe conſpiceret: eo plurimùm gauiſus, Capucinos quos biennio antè à prædicatione abſtinere iuſſerat; hoc anno ad prædicationis munus reuocat. Huius rei fama Aeſini Generalis literis, per totum Religionis orbem euulgata; Deo vbique gratiæ redditæ: tum iis, qui Concionatorio munere fungebantur, grauiter indictum: vt iuxta Apoſtolicum Regulæ præſcriptum, nihil præterquam vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam; Chriſtum denique Crucifixum, Euangelico ſpiritu, populis prædicent.

*Capucinorũ prædicationi gratia è Cælo accedit.*

XXVIII. Mox Operarij in Domini Vineam miſſi vndique erumpunt; quibus cùm tanta, ac tam exuberans Dei gratia è Cælo afflueret; vt velut Dei ſpiritu ebrij, quæ in biennij ſilentio, atque in aſſidua oratione hactenus biberant, altè populis eructarent. Tam ingens, ac copioſa ſpiritualis vtilitatis meſſis inde in populos erumpere viſa eſt: vt hinc facilè cunctis exploratum fuerit; eam prædicationis intermiſſionem, non humanum, ſed diuinum planè opus fuiſſe; vt poſt eam copioſiùs in Orbe Dei miſericordia effunderetur; præteritíque temporis iactura, vberiori pinguioris fructus abundantia reſarciretur. Vndique eo tempore Capucini ad prædicandum vocabantur: nulla Vrbs, nullum Oppidum erat, quod Capucinos Prædicatores non expeteret. Tantáque requirentium copia erat; vt Prædicatorum numerus poſtulãtium multitudini haud ſufficeret. Hoc pacto, qui paulò antea eos hæreſis ſuſpectos, hypocritas, deceptores, illuſores habebãt; ac velut Orbis monſtra, ac Religioſi Ordinis dedecora, digito demonſtrabant; nunc Deo, è Cælo agente, atque animos immutante, eoſdem venerabantur, colebant, ſuſpiciebant; támque auidè ab eis Dei Verbum excipere videbantur; vt tanquam cæleſtes homines, ac nouos Orbis Apoſtolos demirarentur. Hæc ſiquidem mutatio fuit dexteræ Excelſi: qua factum eſt, vt Capucinorum Religio poſt Ochini tenebras, quibus demerſa credebatur; maiorem ſibi, tum Sanctimoniæ, tum exiſtimationis in Orbe lucem comparauerit. Ita vt illud Dei oraculum, quod olim Vates, aliquando futurum prædixerat; eidem enunciari poſſet: *Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te tranſiret: ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem, & generationem, & ſugges lac Gentium, & mammilla Regum lactaberis: & ſcies, quia ego Dominus.*

*Capucinorũ Prædicatores à populis tãquam noui Orbis Apoſtoli excipiuntur.*

Iſaiæ 60.

*Religionis exiſtimatio apud populos refloreſcit.*

XXIX. Inter alios porrò, qui Dei Verbum feruidè hoc tempore diſſeminarunt: vnus Fr. Angelus Saonenſis fuit, qui verbo, ac ſpiritu potens, hoc anno Venetiis, ſubſequenti verò Romæ in Eccleſia S. Laurentij in Damaſo, ingenti cũ animarũ fructu Dei Verbũ propoſuit. Aeſinus verò Generalis, cùm Religionẽ velut è Sepulchro reuocatã, ac rediuiuã, ex ſingulari Dei munere, tã repente ad priſtinũ nomen, ac ſplendorem rediiſſe, maximóque totius Orbis exemplo, in perfecta Regularis obſeruantiæ norma incedere conſpiceret: totus præ lætitia exultans, vbique Fratres ad amplio-

*Fr. Angelus Saonenſis eximius Diuini Verbi Concionator.*





res virtutum profectus verbo, atque exemplo prouocabat: ac Dei ſpiritu plenus, ſæpe inter ſermocinandum in hæc verba prorumpere audiebatur. Quid meliorem, Fratres? Quid ſanctiòrem ſedem quærimus? Hæc eſt Fratrum Minorum Capucinorum Reformatio, Deo dilecta. Hæc Domini plantula, quæ illius manu excolitur, irrigatur, putatur. Hæc legitima S.P.N. Franciſci propago, quæ illius perfectè veſtigia ſectatur: Hac, Fratres, tantummodò nos dignos exhibeamus; hanc diligamus: hanc totis viſceribus amplectamur.

*Frãciſci Generalis de Capucinorum Religione elogium.*

XXX. Interea Generale Concilium, quod anno 1542. XI. Kal. Iunij, in Tridentina Vrbe, à Pontifice indictum fuerat, vſque ad hunc annum grauiſſimis de cauſis dilatum; ſub huius tantùm anni finem, primæ Seſſioni, die decimatertia menſis Decembris initium præbet. Cui cùm Bernardinus Aſtenſis, Aeſini Generalis nomine adeſſet: in eo tanta vitæ ſanctimonia, morum grauitate, ſapientia, ac conſilio illuxit: vt magnam apud illius Concilij Patres auctoritatem, ac nomen adeptus fuerit. In eo Concilio inter duos Minorum Conuentualium, & Obſeruantium Generales pluribus diſceptatum fuit: cuinam eorum Religionis ſigillum deberetur. Minorum enim, qui de Obſeruantia nuncupantur, Generalis Miniſter, Leonis X. Summi Pontificis Bulla, & auctoritate, ſe cum Ordinis Primatu, ipſius quoque ſigillum aſſecutum fuiſſe aſſerebat: quod cùm legitima poſſeſſione teneret, ab ea ſe minime deturbandum eſſe contendebat. At contrà Minorum Conuentualium Generali Magiſtro reluctante. Tandem poſt multas hinc inde altercationes, Ordinis Minorum Conuentualium Generalis in Concilio ſurgens, ait: Ampliſſimi Patres; Si de Ordinis antiquitate agitur, res nemini dubia eſt, Ordinis ſigillum nobis deberi, qui antiquitate Obſeruantium Familiam præcellimus, atque iis in Ordine priores ſumus. Si verò ex Regulæ obſeruantia res examinanda, ac terminanda ſit; profectò neque nobis, neque Obſeruantium Ordini ſigillum vllo iure tribuendum eſt; cùm neutri Regulam obſeruemus; ſed Capucinorum Religioni debetur; in qua Regulæ obſeruantia viget. Huius Magiſtri Generalis dictum cùm vniuerſis Concilij Patribus placuiſſet; iam in Concilio de Ordinis ſigillo Capucinorum Congregationi dando agebatur: quòd cùm Bernardino Aſtenſi à Concilij Patribus ſignificatum eſſet; maluit is, Capucinorum Religionem humilitate potiùs, quàm ſigillorum pompa præcedere. Quare conſtanter oblati ſigilli honorem recuſat; ea duntaxat laude contentus, quòd Capucinorum Congregationem, velut legitimum B.P. Franciſci fœtum, ac S.R.E. filiam, à Patribus agnoſci, ac Sacris Concilij Canonibus inſeri, ac confirmari conſpexerit. Atque hæc cùm ſumma illius gloria ſit, quam à B.P. Franciſco ſibi ex humili Eccleſiæ obedientia, ac ſubiectione comparare didicit: in ea quoque maximos ſui honoris titulos, atque omnem ſuam dignitatem collocat.

*Concilium Tridentinum conuocatur, & inchoatur.*

*Diſceptatio inter duos Obſeruantiũ & Conuentualium Generales de Religionis ſigillo ortu.*

*Bernardinus Aſtenſis Ordinis ſigillũ recuſat.*

*Capucinorũ Congregatio in Concilio Tridentino verus S. Franciſci fœtus agnoſcitur.*

XXXI. Per hoc tempus Fr. Antonius Luſitanus, ætate quidem iuuenis; at virtute grandæuus, Fulginij in Conuentu S. Ioſephi extremum diẽ, præclaro cum Sanctimoniæ odore, claudit. Hic cùm nobili genere ortus, quo tempore Ludouicus Foroſempronianus ad Religionis clauum ſedebat, purus, ac Virgo ad illius ſinũ aduolaſſet, ex ea purior euaſit, ac virginitatis florẽ plurimis aliis virtutũ odoribus cumulauit. Maturiùs à Domino è ſæculi periculis euocatus, cùm primùm ad Religionis ſinum accurrit, cùm annis tenerior eſſet; (vix enim decimum quintum annũ attigerat) obidque à Ludouico potiſſimũ illi Religionis habitus denegaretur; quòd eũ auſteriorem Religionis rigorem ferre non poſſe exiſtimaret: poſtridie corã Ludouico aſperrimo habitu indutus apparens: Quid de corporis, Pater, inquit, robore dubitas? Leuia ſunt hæc, ad maiora animus fert: neque eo vlla vnquam ratione expoliari voluit, donec in Capucinorum militiam adſcriberetur.

*F. ANTONII Luſitani Vita, & geſta.*

XXXII. Mente puriſſimus erat, támq; præclaris moribus præditus, vt Aeſinus Generalis, illum, velut totius honeſtatis, ac modeſtiæ exemplar, ſuſpiceret; ac cæteris imitandũ proponeret. Cum mẽtis puritate perfectiſſimã quoq; obediẽtiã, paupertatẽ, ac vitæ

*B. Virgo ſæpè Antonio in Oratione apparet.*

auſteritatem copulabat. In cibo, ac potu parcus, ſilentio, atque orationi cum primis vacabat: in qua cùm Diuinæ contemplationis dono frueretur; ter, quatérque B. Virginem, cui is deuotiſſimus erat, ſibi apparentem, ac pleráque Diuina illi arcana manifeſtantem vidit; à qua etiam ſui obitus diem, ac plenam ſuorum peccatorum remiſſionem, à Deo ſe accepiſſe didicit. Poſthæc cùm vix tertium in Religione annum exegiſſet: ſanguinis profluuio laborare cœpit; quem cùm Fratres, cunctis adhibitis remediis, ſiſtere nullo modo poſſent: is ſubridens, inquit: Quid fruſtra contenditis Fratres? Ita à Deo ſtatutum eſt, vt vitam cum ſanguine fundam. Vtinam is pro Fide, pro Chriſti Eccleſia, pro Chriſto inter infideles profunderetur; vt Chriſti Sanguini, pro me effuſi, aliquid rependerem. Atque hoc deſiderio flagrans, cùm ſe internè Domino, tum Diuinorum Sacramentorum, tum charitatis vinculo colligaſſet; purus, ac Deo charus in Cælum migrauit.

*Diem obitus prænunciat & fauſtè in Domino obdormit.*

XXXIII

*F. VALERIANI Viterbienſis vita, & geſta.*

Hoc quoque tempore, Frater quidam Laïcus, Ordinis Prædicatorum; cùm in Conuentu S. Mariæ à Quercu Ciuitatis Viterbienſis, Deum attentiùs oraret; in mentis extaſim rapitur; quo tempore, binos Capucinos Fratres, in quodam Capucinorum Conuentu, corruptibili corporis ſarcina depoſita, Diuino conſpectui oblatos conſpicit; quorum alter magna cum gloria Cælum conſcendit. Alter breui quodam tempore, purgatoriis pœnis expiatus, poſt Socium ad præmia euolauit. Valerianus ea viſione incenſus, cùm Religionem Capucinorum, quæ tam illuſtres victores Cælo parat, ingredi decreuiſſet; Romam concedit; atque à Prouinciali Vicario receptus, ac Valerianus appellatus, ad Conuentum Montis Sancti Ioannis probandus tranſmittitur. Is verò cùm Loci illius adhuc ſimulacrum in mente gereret, in quo geminos illos Capucinos in viſu morientes aſpexerat: vix ad Conuentum peruenit; cùm eum locum defunctorum Fratrum eſſe agnouit. Quamobrem cùm à Magiſtro diligentiùs inueſtigaret; num Fratres aliqui in eo Monaſterio nuper obiiſſent: ab eo accipit, duos ibi Fratres: nimirum F. Franciſcum Belgam, & F. Ioannem Mariam Brixianum, extremum diem eadem hora clauſiſſe, obitus verò die adnotato, eum adamuſſim eſſe intelligit, quo eorum illi mors in viſione demonſtrata fuerat: Quapropter tunc viſionem Magiſtro referens, nouum, ac cæleſte vitæ tirocinium in Religione inſtituit. Hic tandem, cùm plurimis in Religione virtutum titulis præcelluiſſet; quibus præclaræ vitæ exempla aliis imitanda reliquit; perfecta tandem Regulæ obſeruantia clarus, poſt nonnullos auſterioris vitæ annos, æternam Cæleſtium bonorum poſſeſſionem adipiſcitur.

*Cæleſti viſione permotus, ad Capucinos migrat.*

*Vitam virtutibus plenam beato fine concludit.*





ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1546. 12. 28. 22.

I. DVM Generale Concilium, Tridenti hoc ſuperiori anno inchoatum, Annus hic noſtræ ſalutis milleſimus quingenteſimus quadrageſimus ſextus, ampliſſimo ducentorum quinquaginta quinque Patrum conſeſſu, ac magna populorum frequentia proſequitur; nouam quoque Comitiorum celebrationem Capucinorum Congregationi parit. Nam Franciſcus Aeſinus Generalis triennali ſui muneris, magna cum nominis ſui gloria, ac Religionis vtilitate, labore perfunctus, ſextum Generale Capitulum in Alma Vrbe indicit; in quo tum ob varia corporis incommoda, quibus afflictabatur; tum etiam ob extremum ſenium, quo vltra ſeptuageſimum annum prægrauabatur, cùm ſeipſum ab Electionis concurſu exemiſſet; Bernardinns Aſtenſis, qui tunc Tridentino Concilio intererat, omnium ſuffragiis, ad Generalis munus abſens eligitur. Mox Fr. Marianus Cyrneus Genuenſis Prouinciæ Vicarius, Tridentum, ad nouum Generalem, cum totius Capituli literis expeditur vt oblatis ſigillis, communis eum Electionis certiorem faciat. Bernardinus, qui vt eam dignitatem fugeret, lubens abſentiam à Capitulo captauerat, ægrè nuncium accepit: verùm cùm in eo Dei conſilium, ac voluntatem non obſcurè conſpirantem animaduerteret; non honori, ſed oneri humeros ſupponit; & creditum munus, ea qua à Deo pollebat, virtute, ac ſapientia peragendum ſuſcipit.

*Comitia Generalia Romæ conuocantur.*

*Bernardinus Aſtenſis abſēs Generalis eligitur.*

II. Equidem qui diuinæ Prouidentiæ res, & conſilia puriori oculo contemplari; atque æqua mente æſtimare ſolent: habent profectò, quid in Bernardini Aſtenſis, ac Franciſci Aeſini, diuina prorſus diſpenſatione, atque ad Religionis regimen vocatione admirentur. Duos ſiquidem hoſce Viros, proculdubio à Deo electos, ac deſtinatos fuiſſe perſpicuum eſt; qui nouam Religionem Deo Auctore ſatam, velut nutricij Patres ſinu exciperent, alerent, vegetarent, educarent, tuerentur: atque ad plenam, ac perfectam Seraphicæ Religionis formam prouocarent. Prior quidē Bernardinus, vix ortā, & inter obſcuras adhuc partus ſordes iacentem, erexit, ſapientia ſua pauit, conſilio illuſtrauit, Legibus, ac Conſtitutionibus communiuit; patientia tandem, ac prudentia ſua auxit. Cùm verò puſillam, ac dilectam hanc Domini Vineam ſæuus Aper de ſylua, ac ſingularis ferus, Ochinus nimirum, qui Bernardino ſucceſſerat, venenato Hæreticorum dogmatum dente deuaſtaſſet: ac ferè depaſtus fuiſſet. En Franciſcus Aeſinus, qui rebus opportunè ſuccurrit; feras in Congregationem graſſantes fugat; labentem Religionem à caſu vindicat; atque alterius Machabæi inſtar, à Deo excitatus, contra errores dimicat; hæreſes ſermonibus profligat; profana demolitur; ac diuinum tandem Religionis Templum inſtaurat. Iam verò reſtitutis rebus, Religionéque ad proprias ſedes reuocata, iterum Bernardinus ad eam ſeruandam, tuendam, augendam, propagandam, ac cæleſti virtutum ſplendore illuſtrandam vocatur. Quo fit, vt hi rectè duabus illis Oleis comparari queant, quæ iuxta Zachariæ vaticinium à dextris, & à ſiniſtris aurei Candelabri aſſurgere videbantur. Cùm enim hi duo, Seraphicæ Religionis Candelabrum, à Domino in Eccleſia collocatum; æqua virtute, ac diligentia, tam in proſperis, quàm in aduerſis, velut à dextris & à ſiniſtris cuſtodierint; ac tanquam Oliuæ fructiferæ in Domo Dei, Congregationem in pacificum

*Bernardini Aſtenſis, & Franciſci Aeſini in Religionem beneficia recenſentur.*

*Franciſci Aeſini in Religionē ſtudia*

*Zachar. 4.*

*Bernardinus Aſtenſis, & Franciſcus Aeſinus, cum duabus Vatis Oleis comparantur.*

ſemper ſtatum ſuo labore vendicauerint: haud ſanè mirum, quòd de his illud quoque explicari poſſit, quod à Vate ſubiicitur. *Iſti ſunt duo filij olei ſplendoris*; vtpotè, qui ſua prudentia, ac conſilio, nec non præclara ſanctimoniæ luce, Capucinorum Religionem illuſtrarunt.

Eo igitur munere ſuſcepto, Aſtenſis Generalis, vigilantiſſimi Paſtoris inſtar, III.
tam indefeſsè gregem circumire; cunctóſque ad perfectam Regulæ obſeruantiam, atque Euangelicarum virtutum ſtudium, cùm verbo, tum maximè exemplo, prouocare cœpit: vt Capucinorum Religio hac tempeſtate mirum in modum & numero, & virtute excreuerit: plurimáque apud omnes fama, atque exiſtimatione aucta fuerit.

Eo tempore, Fr. quidam Ioannes Hiſpanus, alter quidem ab illo Ioanne, qui IV.
poſtea Martyr occubuit; de quo anno 1545. egimus; virtute verò, ac vitæ perfectione haud abſimilis; in Cōuentu Foroſēpronij degebat: qui cùm diuinæ contēplationi ſedulò vacaret, in ea plerūque tanto diuini amoris incēdio mēs illius æſtuabat: vt cùm illud in cordis ſinu continere, ac comprimere non valeret, ſæpè in rugitus, ac clamores erumperet. Quamobrem, ne cæteris aliquando moleſtus eſſet; in quædam ſolitaria loca, quæ in Conuentus nemore, à Cardinale Vrbinate, eo conſilio extructa fuerant; vt ſi quando longiùs à rerum ſæcularium tumultu, ac hominum conturbatione abeſſe, ac Deo vacare vellet; in ea opportunè ſe reciperet: vt plurimùm ſecedebat. Hac in ſolitudine cùm maiorem diei, ac noctis partem in orationibus inſumeret, ſemel accidit: vt Foroſemproniani Ciues, facem quandam (vt videbatur) accenſam, circum ea loca, quæ eminentiùs in Vrbis proſpectu pendebant, velut gradientem cernerent. Quod cùm ij tanquam ſiniſtrum aliquod ſignum interpretarentur, quo Fratres Vrbis opem efflagitarent: mox eò quamplurimi accurrunt, quídve acciderit percunctantes; non infauſtum quidquam accidiſſe: ſed feliciſſimum Hiſpanum, ibi inter cæleſtes raptus duntaxat orantem offendunt: qui diuinam charitatis flammam in animo gerens, facis inſtar, totus ſurſum cæleſtibus ardoribus agebatur.

*Fr. Ioannes Hiſpanus virtutibus emicat.*

*Fax ardens, eo orante, à Foroſempron. Ciuibus conſpicitur.*

Interea, Picentem Prouinciā, Aſtenſis Generalis eo tēpore viſitatione perluſtrabat; V.
cùm Foroſempronium aduentās, fama quæ de huius Hiſpani Fratris ſanctitate percrebuerat, haud ægrè percipit: quam cùm à rerum veritate minimè abhorrere comprobaſſet; ſeorſum Hiſpano mandat, vt Dei benignitate ſuis Orationibus pulſata, ab eo, qualis rerū in Religione ſtatus ſit, quídve in ea corrigendum, aut fouēdū ſit, addiſcat. Id verò Generalis propterea à Deo maximè intelligere cupiebat: vt ſi quæ Ochinianæ peſtis reliquiæ, adhuc in Cōgregatione deliteſcerēt; quæ ſui anteceſſoris cenſuram, atque expurgationem effugiſſent, (quod Deo tantūmodò manifeſtum eſſe poterat) diligentiùs abſtergeret. Hiſpanus igitur Generalis præcepto compulſus; cùm rem à Domino lachrymis, ac precibus diu poſtulaſſet: hæc tandem pauca à Chriſto ſibi in oratione apparente accipit. Quanquam (inquit Dominus) Religionis ſtatus me plurimùm delectet; nonnulla tamen in eo vitia cauenda ſunt, quæ mihi cum primis ſunt inuiſa. Primum eſt, Ingratitudo: quam Fratres maximè vitare debent; ne donorum, ac cæleſtium chariſmatum riuulis, quos in eos maximè diffudēndos cupio, viam intercludant. Sunt enim qui, cùm tot, tantiſque à me quotidie beneficiis augeantur, eorum nihilo magis gratitudine mouentur, quàm ſi nihil in eos beneficij à me penitus collatum eſſet: Non beneficia agnoſcunt, non gratias pro gratiis reddunt: ſed omnium immemores, me abſque laude eſſe ſinunt, quod ſanè turpiſſimum vitij genus eſt, mihi maximè exoſum.

*Hiſpanus Generali iubente, quædā à Deo in Oratione poſtulat.*

*Chriſtus Hiſpano apparens quædam in Religione corrigēda monet.*

*Quorundam ingratitudo reprehenditur.*

Secundum eſt. Spiritualis quidam languor, atque animi tepiditas, quam in di- VI.
uinis rebus; atque his præſertim, quæ ad prauas mentis cupiditates edomandas ſpectant, præſeferunt: quæ me ita ad ſtomachum prouocant, vt iis compellar dicere, quod olim Laodiceæ Eccleſiæ Epiſcopo comminatus ſum. *Vtinam frigidus*

*Apoc 3. Spiritualis tepiditas fugienda.*





*eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.*

VII. Tertium, ac poſtremum eſt. Aliquorum durities, qui cùm aſpero interdum verbo laceſſuntur, nunquam odium, vel iras ex animo remittunt; ex quo innumera propè ſibi mala comparant. Caueant igitur Fratres. Ne ſi aliquis quandoque inter eos iræ impetus, ex repentino naturæ vitio erumpat; Sol, iuxta Apoſtoli mei præceptum, ſuper iracundiam occidat; aut ira in odium degeneret: Sed iracundiæ ſpiritu inter ipſa initia perempto, priſtinam cum Fratre pacem, ac amorem inſtaurent. Et ſi imitatores mei eſſe volunt, illatas iniurias, ac contumelias omni cum gaudio, atque animi tranquillitate ſuſtineant. Denique eos ſingulari ſe beneuolentia complecti affirmabat, qui bonum Religionis nomen zelantes; vniuerſos præclaris vitæ, ac virtutum exemplis ædificare ſtudent.

*Odia ab animo maturiùs extirpanda.*

VIII. Per id tempus Fr. Cherubinus à Quilliano, Ligur, cùm decimum octauum annum attingeret; ad Religionis ſinum aduolat: cuius vita, tot ſanctimoniæ ſignis illuſtrata fuit; vt illius memoria non perfunctoriè, ſed fuſiùs à nobis ſuo tempore celebranda ſit; anno ſcilicet ab Incarnatione Chriſti 1612. quo tempore è viuis exceſſit.

IX. At, dum hic prima adoleſcentis ætatis hora, ad Seraphicæ Religionis, velut Dominicæ Vineæ labores à Domino conducitur; Fr. Hieronymus à Montepolitiano, hoc quoque tempore, eo ſtrenuè labore perfunctus; ſub vitalis lucis occaſum, ad operum præmia vocatur. Huius Viri vita, & conuerſatio, tot præclariſſimarum virtutum ornamentis fuit illuſtris: vt, cùm ſua tempeſtate perfectum, atque abſolutum, totius religioſæ diſciplinæ compendium, ac ſimulacrum ab omnibus haberetur; inter primæuæ Religionis Patres, qui morum ſanctimonia, ac prudentia floruerunt, haud vulgarem locum obtinet: quo fit; vt ipſius vita paulò fuſiùs à nobis exaranda ſit.

## *F. HIERONYMI A MONTEPOLITIANO Vita, & Geſta.*

X. FVIT quidē Hieronymus genere Nobilis; quippe qui ex Paganacciorū ſtirpe, quæ inter Nobiliores Montiſpolitiani Familias adnumeratur, ortus fuit; at virtute nobilior; cuius ab ipſis tenerioribus annis præclarum ſpecimen exhibere cœpit. Tam enim ad diuina ab ipſa pueritia propenſum à Deo animum accepit; vt frequens Eccleſias viſitaret, puras ſæpiſſimè in oratione ad Deum manus attolleret; atque adeò rerum diuinarum, adhuc puer, amore teneretur; vt cùm domo abeſſet, haud alibi, quàm in Eccleſia, à Matre quæreretur. Porrò in ea ætate, quæ primis humanarum ſordium maculis labefactari ſolet, tam ſuaui fuit à Domino benedictione præuentus: vt cùm decimum duntaxat annum attingeret; in cubiculo orans, ſæpè à Sorore palmo, & ampliùs è ſolo in aëra ſublatus, viſus fuerit. Præclaram hanc pueri indolem, adoleſcentiæ ætas, maioribus adhuc pietatis, ac deuotionis incrementis auxit; quapropter, vt ſe ab illius ætatis illecebris purum ſeruaret; ſeipſum Deo conſecrare, Clericalique militiæ adſcribi voluit: quo in munere, cùm nonnullos annos, tāta vitæ integritate, ac morū honeſtate exegiſſet, vt totius Vrbis teſtimonio, nihil in eo, quod reprehēderetur deprehēdi poſſet: ad Cathedralis Eccleſiæ Canonicatum aſſumitur. Sacrorum igitur Canonum ſcientiā adeptus, cùm ad Archipresbyterale munus conſcenſurus eſſet; eam dignitatem fugiens: Deo præſertim vocante, qui eum ex vtero Matris ſuæ ſegregauerat, in Fratrum Obſeruantium Ordinem adſcribi feſtinat; eligens potiùs cum Domini pauperibus abiectus eſſe, quàm inter dignitatum pericula magnus verſari.

*Fr. Hieronymus à puero magnarum virtutum ſpecimen præbet.*

*Puer Orans, ſurſum in aëra fertur.*

*Eccleſiaſticā dignitatem fugiens ad Obſeruantes migrat.*

XI. Hoc humilitatis ſtudio, cùm Obſeruantium Ordinem amplexus eſſet; in eo plurimùm in virtutibus profecit. Hinc Dei amore feruens, Hieroſolymorum iter aggreditur, vbi Domini Incunabula, Sepulchrum, ac Sacra omnia illa loca, vbi aliquod Dominicæ Paſſionis, aut conuerſationis veſtigium ſe ſe contemplandum offerret, ſumma pietate perluſtrat. In Patriam tandem reuerſus, cùm eo tempore Capucinorum Reformatione exorta: qui ex Fratribus Conuentualibus Reformationem, ſub Franciſco à Montepolitiano, amplexati fuerant; omnes ad Capucinos migraſſent, iámque Conuentum S. Mariæ Magdalenæ ex Vrbis conſenſu in eos transtuliſſent: Hieronymus eorum exemplo permotus, ac perfectioris obſeruantiæ ſtudio incenſus, ad Ludouicum Foroſempronianum accedit, à quo anno 1534. Religionis habitu donatur.

*Hieroſolymorum loca piè viſitat.*

*Ad Capucinos accedit.*

XII. Iam verò in Religione nullus eo feruentior, nullus humilior, abiectior nullus: tanto erga perfectiſſimam Regulæ obſeruantiam ſtudio ferebatur, vt cùm ſemel ab eo quiſpiam cauſam quæreret: cur ex Obſeruantium Familia ad Capucinorum Reformationem acceſſiſſet; reſponderit; ſe non modò ad Capucinorum Reformationem; ſed, ſi quæ alia perfectior Reformatio etiamnum reperiri poſſet; in qua puriùs, ac perfectiùs Regula obſeruaretur; ad eam ſe protinus euolaturum. Antiquum Religionis Capucinorum ſtudium fuit, ſimul cum ipſa Religione exortum; vt primum in humilitate, ac ſuiipſius abiectione, ſpiritualis ædificij ab omnibus fundamentum ſternatur: Nec immeritò, cùm inde, velut hoſte ſuperato, tutior ad veram animi pacem, ac tranquillitatem, in qua perfecta Dei habitatio eſt, via homini paretur; ex eóque altiùs perfectioris vitæ ædificium aſſurgat.

*Regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimus.*

XIII Hæc Hieronymus, tam altè, in primo hoc Religionis tyrocinio, ac ſpirituali ædificatione fundamẽta iecit: vt viliora ſẽper Conuẽt⁹ exercitia ſibi præſtãda eligeret; domum verreret, paropſides lauaret, cunctis inſeruiret: ligna oſtiatim quæreret, ac humeris ſuis Domum aſportaret: adeóque ſuiipſius contemptu gauderet; vt honores perinde, ac peſtem refugeret. Quo factum eſt, vt quanquam in ſacris Literis peritus, prædicatorium munus rectè obire poſſet; eo tamen, ob humilitatem, nunquam fungi voluerit. Quærentibus autem plurimis; cur, cùm Prædicator inſtitutus eſſet, à prædicationis munere abſtineret; reſpondere ſolebat: necdum ſuæ prædicationis tempus aduentaſſe; quandoquidem nondum ſibi ipſi hactenus perfectè prædicauerat: ſibi enim priùs, tum cæteris prædicandum eſſe dicebat, ne illud Chriſti dictum ſibi objici valeret. *Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies, vt educas feſtucam de oculo fratris tui.* Eum enim, qui eas aliis virtutes prædicat, quas ipſe ne quidem digito attingit, Hypocritam eſſe dicebat. Atque hoc humilitatis ſtudio, perinde ac ſi ad omnia ineptus eſſet, cunctis ſe deſpicabilem exhibebat.

*Profunda Hieronymi Humilitas.*

*Luc. 6.*

XIV. At verò cùm illius virtus, ac prudentia Patribus haud ignota eſſet; quo profundiùs is ſeipſum humilitate deprimebat, ac Dei dona, velut ſub modio occultabat; eò magis ipſi illius virtutem extollere, ac fulgentem lucernam ſuper candelabrum ſtatuere cogitabant. Quare tum in Romana, tum in Bononienſi Prouincia ſæpè Vicarius Prouincialis, licèt inuitus, eligitur. Vir erat aſpectu venerabilis, decorus vultu, ac tanta morum honeſtate fulgens: vt in oculis pudicitiam, in vultu verecundiam, in ore candorem, in verbis humilitatem præſeferret; tantáque modeſtiæ lege oculorum aſpectum moderabatur, vt nullum vnquam, niſi demiſſis oculis alloqueretur. Hominum, ac præſertim mulierum conſortia, ac familiaritatem fugiens, linguam tam rigido, ac perpetuo ferè ſilentio frænabat; vt ſæpè dicere ſolitus eſſet, facilè aut iocoſum, aut inutile, otioſúmque verbum ex ore elabi, quo animus ſordeſcit, familiaréque illi Iacobi dictum erat: *Si quis putat ſe Religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt Religio.* Hac ratione perpetua fuga, ſe ab ipſorum quoque Fratrum colloquio abſtrahebat.

*Ad honores inuitus rapitur*

*Silentio ſtudet.*

*Iacob. 1.*







XV. Orationis ſtudium, cui ſe à puero addixerat; ſic in Religione proſequebatur, vt nihil illi iucundius eſſet, quàm ſolitaria loca quærere, in quibus diuinæ contemplationi vacare poſſet. Præcipua verò Hieronymi deuotio, in Deiparam Virginem ferebatur; quam tanta Religione venerari ſolebat: vt Miſſam quotidiè, niſi Feſto, aut Superioris obedientia impediretur, in B. Virginis honorem celebraret: Sabbathos dies perpetuis ieiuniis coleret; cuncta quoque Virginis Feſta arctiſſimo panis, & aquæ ieiunio per octo dies ita diſpertitos, vt quatuor Feſtum præcederet, totidémque poſt Feſtum ſuccederent, proſequeretur. Denique tam publica, de illius erga B. Virginem, religione, fama apud Fratres excreuerat; vt ſi quando alicuius erga Virginem deuotio amplificanda foret, commune illud apud omnes prouerbium eſſet: Alterum Hieronymum à Montepolitiano videri.

*Ipſius erga B. Virginem deuotio celebris*

XVI. Præter hæc, quotidianis quoque ieiuniis carnem ita extenuauerat; vt carne exeſa, ſola cutis oſſa contegeret: cúmque procera ſtatura præditus eſſet, tam gracilis, & macilentus apparebat; vt ſancti alicuius Anachoritæ cæteris faciem, & ſimulacrum referret. His admirabilis vitæ auſteritas coniuncta erat, qua nudis ſemper pedibus, abſque ſandaliis gradiebatur, ſolóque habitu, eóque ſimplici, & obſoleto contentus, inter aſperiora hyemis frigora, diuini tantùm amoris flamma calefiebat. Sæpè verò contigit; vt cùm tali illi præ frigoris rigore diſrumperentur, his haud aliud remedium adhiberet, quàm quòd rimas acu, vel ſubula, ac funiculo conſuebat. Virginitatis lilium, vti fama eſt, illæſum ſemper à Tartareis belluis ſeruauit: atque vt integrum abſque periculo poſſideret, perpetuis ieiuniis, atque aliis carnis macerationibus velut ſpinis obſitum, ac munitum cuſtodiendum curabat.

*Vitæ ipſius auſteritas cõmendatur.*

XVII. Hinc Dæmonibus tam formidabilis euaſit; vt cùm ſemel homo à Dæmone obſeſſus, ad Montiſpolitiani Conuentum, vbi is tunc cõmorabatur, perductus eſſet. Hieronymo ab Vrbe redeunte, Dæmon hominem in Eccleſia acerbiùs exagitare, atque altiùs inclamare cœpit, ſe nimis grauiter torqueri. Interrogatus verò quiſnam ipſius tortor eſſet, quavè de cauſa ſolito grauiùs cruciaretur: reſpondit ille, id ſibi ob inimici ſui aduentum contingere. Ignorabant Fratres, quem ſpiritus nequam, illis verbis annueret: nec dum enim Hieronymus ad eos peruenerat: quamobrem cùm ab eo quærerent, quiſnam ille inimicus eſſet: Siccus ille (inquit) macer, & proceri corporis Frater: quem vtinam nunquam agnouiſſem. Statimque Hieronymus in Eccleſiæ limine apparuit, cuius aſpectum cùm nefarius ſpiritus ferre non poſſet, protinus erupit: atque hominem liberum reliquit.

*Sola præſentia Obſeſſum hominem à Dæmone liberat.*

XVIII. Cùm itaque in præclara hac vitæ norma, tot virtutibus ornata, Hieronymus ætatem ad octuageſimum vſque annum traduxiſſet: poſtremò in Conuentu Ferrariæ extremo morbo corripitur: quo tempore, vbi ſui obitus diem, quem ter ſibi à Domino reuelatum acceperat, Bonifacio Anticolenſi Laïco, eximiæ probitatis Viro, quem tunc ſociũ habebat, declarauit. Sacris ſe Eccleſiæ Myſteriis ad Domini aduentum parat, & cùm pleraq; cùm ipſi Bonifacio, tũ cæteris Fratribus ſpiritualia in morte monita reliquiſſet: placidè in Domino obdormiuit. Cuius gloriã Dominus ſtatim poſt mortẽ declarare voluit. Etenim, necdum ipſius Corpus humi conditum erat, cùm is cuidã Mulieri, quæ languẽs, ac neruis attracta in lecto iacebat, glorioſus apparet: quæ cùm ſtatim in Eccleſiam, vbi tunc Hieronymi cadauer in feretro iacebat, ſe deferri curaſſet; atq; illius merita magnis vocibus implorans, fide plena ſe ſuper illius Corpus pronam proieciſſet; confeſtim à morbo incolumis, ac membrorũ ſanitate integrè recuperata ſurrexit. Hieronymi Corpus, tunc quidẽ ante Eccleſiã, in Cæmeterio aliorũ more conditum fuit, ac quinto poſt anno, cùm Bernardinus Aſtenſis Generalis, qui Hieronymi ſanctimoniam optimè perſpectam habuerat, poſtremi ſui Generalatus temporibus, in eum Conuentum appuliſſet, certámq; ac communem aliorum quoq; quæ de Hieronymi ſãctitate percrebuerat, opinionẽ accepiſſet; ſingulari erga Virum veneratione permotus; ſolum in quo conditus fuerat, effodi; Corpuſq; quò honorificẽtiùs collocari poſſet, exhumari iubet. Dominus

*Dies obitus ter illi à Domino reuelatur.*

*Glorioſus Mulieri poſt mortem apparet.*

*Mulier neruis attracta illius Corporis contactu curatur.*

*Hieronymi Corpus poſt quintum annum integrū, ac ſuaueolēs repertum.*

verò, qui Serui ſui, iam in Cælo regnantis, gloriam apud ſuos illuſtrare decreuerat; repentè prodigiis, ac miraculis adfuit. Cùm enim Hieronymi Corpus, imbribus, Solis ardoribus, ac cæteris temporum iniuriis, tot annis expoſitum fuiſſet: vt non modò computruiſſe; verùm & à terra exeſum, in patrium puluerem rediiſſe ab omnibus meritò credi poſſet: integrum tamen, incorruptum; & quod magis admiratione dignum eſt, odoriferum, ac ſuaue olens reperitur. Quo tempore Mulier, quæ fluxu ſanguinis laborabat, cùm ipſius Reliquias attigiſſet; à fluxu libera euaſit. Quapropter pius Generalis, poſt lachrymas, ac deuotiſſima oſcula corpori infixa, illud honorificentiùs in Arca lignea occludi, ac rurſus humo condi iubet. Huius ſancti Viri occaſione captata: Bernardinus dicere ſæpè ſolitus erat: ſe tot ſanctos Viros in Congregatione agnouiſſe; quorum niſi ſanctimoniam Capucinorum Religio, pia diligentia, ſub humilitatis modio potiùs occultare, quàm palàm exponere ſtuduiſſet: ij ſanè plurimis apud populos Miraculis coruſcarent. Veruntamen ſingularem hanc eſſe Dei prouidentiam aiebat: ne Religio, quam Deus humilitate potiùs, quàm rerum ſplendore, ac magnificentia vult creſcere; tot Sanctorum, quos peperit, gloria plus æquo extolleretur; atque in ſuamet luce caligaret. Hac enim de cauſa, & Beatus Pater Franciſcus, Beatum Petrum à Cataneo, miraculis poſt mortem emicantem, obedientiæ imperio compeſcuit; ne eo miraculorum fulgore, ac maieſtate ad ſe populos attrahens, Religionis humilitatem, paupertatem, ac Regulæ obſeruantiam, in diſcrimen adduceret. Denique, cùm Deus Opt. Max. Religionem diuturnam eſſe velit; eam potiùs propriis, ac veris apud ſe virtutibus ſtabilem florere; quàm alieno miraculorum, aut Sanctorum ſplendore, apud homines extolli, ac tandem euaneſcere curat. Hinc pleroſque, præſertim in ipſo Reformationis exordio, ſanctiſſimos Viros extitiſſe conſtat; qui nunc diuina luce perfruuntur: quorum virtutes, ac præclaram vitæ ſanctimoniam Capucinorum Religio, hoc diuinæ Sapientiæ ſpiritu imbuta, ac S. P. Franciſci, haud inepta æmulatione ducta, potiùs humilitate obtegere, quàm vanæ exiſtimationis ſtudio, euentilare ſtuduit.

*Mulier ipſius Corpus contingens à sāguinis fluxu liberatur.*

*Cur Capucinorum Religio ſanctos ſuos Viros occultet, cauſa redditur.*

XIX. Hoc tempore, quàm Deo, ac B. Franciſco gratum ſit, pietatíque conſentaneum; vilem Religionis tunicam, & canabaceum cingulum, etiam à ſæcularibus Viris, in Pœnitentiæ ſignum geſtari, illuſtri exemplo, ac miraculo demonſtratum fuit. Cùm enim Romæ Virginia Columna, acutiſſima febre correpta, cum extremo languore conflictaretur; Franciſca Columna ipſius Amita, ob mortale Neptis periculum, grauiſſimè animo affecta, in Oratorium ægrotanti proximum, ſe ad orationem confert: vbi Deo, ac B. Franciſco ſe voto obſtringit, toto vitæ ſuæ curriculo, ſe B. Franciſci Habitum geſtaturam, ſi Aegrotans à mortis periculo libera erumpat. Necdum illa orationem expleuerat, cùm Aegrotantis eam inclamantis vocem audit: ad quam cùm illa feſtinè accurriſſet: Bona nuncia (ait Virginia) nobis è Cælo allata ſunt. Duo enim Capucini Fratres, quorum alter S. Franciſcus erat, nunc primùm ad me acceſsêre, qui his me vocibus compellarunt. Bono animo eſto, Virginia, non morieris, ſed ex hac ægritudine citò conualeſces; ſtatimque ex oculis euanuerunt. Quapropter Deo, ac B. Franciſco gratiæ nobis agendæ ſunt, ab hoc enim tempore meliùs me habeo: Nec multò poſt incolumitatem adepta eſt. Quamobrem Franciſca, vt votum religiosè exolueret, Tunicam, & cingulum Religionis aſſumens, iis quandiu vixit, vſa eſt.

*Habitus S. Franciſci deferendi Religio Miraculo comprobatur.*

XX. Sub idem tempus, S. Antonij Vlyſſiponenſis, erga nonnullos, qui deperditis rebus ad ſacrum ipſius Reſponſorium confugerunt, pietas emicuit. Nam in Hidruntina Prouincia, Baroniſſa S. Martiani, Lucretia nomine, ex illuſtri Indellorum familia progenita, pretioſum annulum amiſerat, quæ cùm in eo quærendo nullum non lapidem mouiſſet; nihil tamen per bimeſtris ſpatium ſua diligentia profecerat: accidit verò, vt duo Capucini Fratres illac iter facerent, quos cùm

*S. Antonij Vliſſiponenſis reſpōſorio varia Miracula patrantur*





illa hoſpitio excepiſſet, mœrorem ob annuli amiſſionem conceptum aperit; ab iiſq; petit, vt S. Antonij Reſponſorium pro eo recuperando recitent. Acquieſcunt illi: Reſponſorium deuotè perſoluunt. Res planè mira, haud tamen tanti Interceſſoris patrocinio inſueta. Mulier enim quædam paulò poſt, dum in agro ſuo, in quem nunquam Baroniſſa diuerterat, grandiorem quendam lapidem loco amouet, annulum ſub eo deliteſcentem reperit; quem cùm poſt duos dies; vt clarior S. Antonij virtus eniteret, ad Baroniſſam detuliſſet: ea Annulum agnoſcens ſola S. Antonij ſibi virtute reſtitutum, eum, quoad vita potita fuit, ſummo ſemper honore proſequuta eſt.

XXI. Altera quoq; in eadem Prouincia, Mineruini Baroniſſa, pretioſum Conopœum furto ſublatum lugebat: quod cùm omni ſtudio perquiſitum reperire non poſſet, ad Capucinos confugit; qui vbi S. Antonij Reſponſorium deuotè recitarunt, Mox Turca quidam, ſeruus captiuus, qui clam Conopœum ſuffuratus fuerat, tam ingenti repentè metu correptus fuit, vt ſtatim ad Baroniſſam ipſius Dominam perrexerit; illiuſq; pedibus prouolutus, furtum manifeſtauerit; factiq; ab ea veniam poſtulauerit.

XXII. Poſtremò in Syracuſana Prouincia, F. Paulo à ſancto Philippo, noſtri Ordinis, Laïco, dum Licodiæ Conuentus ædificationi incumbit; perexiguum granum à Pontifice benedictum, è Roſario imprudenter exciderat: quod cùm ob Indulgentiam, quæ eidem à Sanctiſſimo collata fuerat, illi pretioſum eſſet, omne in eo quærendo ſtudium, ac diligentiam confert. Verùm in id fruſtra ſe adlaborare animaduertens, ad S. Antonij Reſponſorium confugit: quo omni cum pietate recitato, vix in horti Tuguriolum ad orandum ſeceſſerat; quum Formicam ad ipſum gradientem, globulumq; benedictum ore geſtantem cernit: vt eò amplior cæleſtis muneris liberalitas luculentiùs panderetur; quò minutula quoq; ipſa animalia, quæ nulla rationis lege reguntur, præter ipſas Naturæ leges, diuino operi famulantur.

*Reſponſorij S. Antonij Religio antiqua*

XXIII. Porro antiquam eſſe piorum hominum, erga hoc S. Antonij Reſponſorium, Religionem; quod in eiuſdem officio, Minorum Ordo, vltimo loco decantare ſolet, pleriq; ſcriptores commemorant, ac præſertim Auctor Chronicorum Minoritani Ordinis, qui pleraq; ex pio ipſius vſu in homines beneficia profecta recenſet. Quare ne illud hìc à Lectore deſideretur, integrum apponimus, his præterea adiunctis, quæ ad beneficia impetranda, in Sancti huius honorem, piè ab omnibus adnecti ſolent.

XXIV. Reſp. *Si quæris Miracula, Mors, error, calamitas, Dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani.* * *Cedunt Mare, vincula, membra, reſq; perditas petunt, & accipiunt, Iuuenes & cani.* Verſ. *Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent hi, qui ſentiunt. Dicant Paduani: Cedunt mare,* &c. *Gloria Patri,* &c. *Cedunt mare,* &c.

℣. *Ora pro nobis B. Antoni.*

℟. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus.

*Eccleſiam tuam Deus B. Antonij Confeſſoris tui interceſſio votiua lætificet: vt ſpiritualibus ſemper muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Dominum noſtrum,* &c. *Pater noſter,* &c. *Aue Maria,* &c.

ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1547. 13. 29. 23.

*Dæmonum in Capucinorum Religionem odium, & conatus.*

I. IMMANIBVS tot præcedentium Annorum calamitatibus, quibus Capucinorum Religio variè ante hac diuexata fuit; necdum Tartareorum hoſtium rabies exaturata, nouos, hoc anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſeptimo, in eam vortices, ac tempeſtates parat. Iam ij Religionem in ipſo ortu, carceribus, ac perſecutionibus perdere: Vix ortam ſub ſpecioſo vnionis titulo extinguere: Infantem Apoſtolicis decretis expungere, ac trucidare. Adoleſcentem Hæreſum iaculis confodere, ac Pontificis ira abſorbere, conati fuerant: cùm verò eam, ſingulari Dei munere, è tot periculis ereptam, illuſtriorem emerſiſſe cernerent, nouo, ac propè inaudito infernalium machinarum genere hoc anno adoriuntur.

*Dæmon quamplurimos obſeſſos ad Religionis ingreſſum compellit.*

II. Hac enim tempeſtate accidit: vt pleræque Dæmonum cohortes, accepta à Deo poteſtate, in quamplurimorum Adoleſcentum, ac Iuniorum ſæcularium corpora inſilientes, ea ita clam, atque occultè poſſiderent: vt nec vllum quidem poſſeſſionis ſignum exteriùs proderent. Poſſeſſos verò, tam ardenti Spiritus impetu, ad Religionem impellunt; vt breui tempore Nouitiorum loca huiuſmodi Arreptitijs, atque à Dæmone poſſeſſis plena eſſent: qui cùm totum annuæ Probationis tempus abſque vlla Dæmonum infeſtatione, aut manifeſtatione tranſegiſſent; vix profeſſione emiſſa, indiſſolubili ſe ſe votorum fœdere Religioni aſtrinxêre, cùm nefarii Spiritus repentè, velut ex inſidiis erumpentes, ac poſſeſſorum corpora diſcerpentes, tot in obſeſſis corporibus ſtrepitus, ac clamores edere cœperunt; vt vniuerſa confuſione, ac turbatione complerent.

*Dæmonum in Obſeſſis furor.*

III. Miſerum, ac planè horrendum ſpectaculum erat, tot Deo dicatos Adoleſcentes, quos Clauſtralis diſciplina antea honeſtiſſimos, atque ad omnem virtutem compoſitos reddiderat: præter naturam, præter morem, præter omnes virtutis, atque honeſtatis leges; ex Dæmonum, qui in eos Imperium occupauerant, vi, ita ludibriis agitatos videre: vt dentibus ſtriderent; os, oculoſq; diſtorquerent, ſpumam emitterent; voces in ſublime efferrent; brachia, ac totum penè Corpus in altum, magna vi ſuſtollerent; omni amictu, ac verecundia abiectis, membra rotarent; inuſitatos clamores, omniq; gemitu maiores, veluti rugitus immanes, ita ſacris in locis perſonarent: vt è propinquo ingens hominum pugna, cruentiſſimumq; prælium committi videretur. Denique vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentium, mugire taurorum. Alios capite poſt terga dimiſſo, vertice terram contingere: alios in altum ſublatos, tanquam è nubibus penderent, pedibus ſuſpendi: alios in aëra raptos ad diſtantia loca per quadraginta, & ampliùs milliarum ſpatia, in momento ferri, velut prodigio conſpicere erat. Non catenas, non compedes, non oſtiorum clauſtra integra ſinebant: tantuſq; in obſeſſos erat Dæmonum furor; vt cellarum valuas, ligneas feneſtras, ſaxa, libros in aliorum caput vibrarent: interdum fune, qua præcincti erant, Arreptitios conſtringerent. Sæpe eos in expurgatoria, ac fœda loca concluderent: ſæpiſſimè illis, dum cibum ſumerent, acus, clauos, lapides, lignorũ fragmenta in os inferrent. Neq; id rarò contigit, vt cùm Dæmones à Sacerdotibus exorciſmis premerentur: ij obſeſſi corpus arripere, atque alio transferre conarentur: mox inter Sacerdotem, & Dæmonem pro Arreptitio pugna: Dæmon obſeſſum vi rapere: Sacerdos verò arreptis obſeſſi pedibus, retinere contenderet: traheret Dæmon, traheret quoq; Sacerdos. Inter hæc, tot diu, noctúq; ſtrepitus in Monaſteriis audiebantur: vt & ſacra, ac diuina Officia interturbarentur; neq; vllus orationi, aut ſomno locus Fratribus

relictus



ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAROL. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1547. 13. 29. 23.

relictus eſſet. Quo ſanè fiebat, vt hæc Fratribus afflictio tam dura, & acerba eſſet; vt propemodum intolerabilis videretur. Id verò huius calamitatis miſeriam augebat; quòd ea tam longè, latéque diffundebatur: vt vix vlla Religionis hoc tempore pars eſſet, quæ Arreptitios huiuſmodi non pateretur: quanquàm iis magis Vmbriæ Prouincia, quæ D. Franciſci nuncupatur, abundaret: neque ea exiguo tempore duntaxat; ſed per quatuor circiter annos, Religionem vexauerit.

*Dæmonũ conſilii ſcopus aperitur.*

IV. Hanc porrò Tartarei Religionis hoſtes, haud leuibus conſiliis in nos tempeſtatem concitarunt; Primùm quidẽ. Vt diuina omnia, ac præſertim orationis ſtudium, quibus ij grauiter feriuntur, atque eorum potiſſimùm conatus diſſipantur, Religioni eriperent; ex quo, velut ſublatis armis, de Religione triumpharent. Tum etiam, vt Religionis famam, atq; exiſtimationem apud homines diminuerent: dum tot vbiq; à Dæmonibus arreptos eſſe cõſpicerent; quibus id propter occulta crimina accidiſſe ſibi facilè perſuaderent. Tum deniq; vt Religionis Superiores à Nouitiis recipiendis deterrerent; dum ij in Arreptitios incidere metuunt, atque hoc pacto Religio propagatione deſtituta, paulatim interiret, ac deflueret.

*Repentina Obſeſſorum liberatio à Deo profecta*

V. At verò Deus Opt. Max. qui iniquorum cogitationes diſſipat: poſt acerbiora huius Tentationis tempora; Dæmonum quoq; conſilia, in Religionem inita ita perdidit; vt poſt quadriennij tempus, quo Religio ab his Arreptitijs Dæmonum opera diuexata fuit; tam repentè nefarij ſpiritus, nullius ſtudio, at ſola Dei virtute ab obſeſſis corporibus abſceſſerint: vt ne vnus quidem in toto Religionis Orbe vno ferè tempore, energumenus ſuperfuerit. Qua in re nõ modò Dei erga Religionem prouidentia, ac ſollicitudo enituit: verùm, & diuinæ Sapientiæ opus manifeſtum fuit; quæ impio Dæmonum conſilio bene vſa, eos, qui in Religione negligentiores erant, eo Dæmonum ſtimulo, ardentiùs ad virtutes, ac perfectam Regularis diſciplinæ normam excitauit. Alios verò aduersùs Dæmonum artes, & inuidias ſapientiores, & exercitatiores reddidit.

*Plurimi virtutum ſanctimonia florent*

VI. Interea, quæ admirabilis Dei in nos Prouidentia erat, plurimi hoc tempore ſua virtutum ſanctimonia, velut ſuauiſſimo odore, Religionem complent: ne fœtidus ille Dæmonum odor, qui prioribus annis Religionis puritatem infeſtauerat, Orbem diutiùs ſua oliditate contaminaret. Inter quos hoc anno F. Iuſtinus à Panigaleo, Laïcus, & F. Bernardus Aſſiſias, Sacerdos, vterq; ex Vmbriæ Prouincia, in qua maior Arreptitiorũ numer⁹ graſſabatur, ad Superos euolãtes, magnã ſanctitatis fragrãtiam apud homines relinquũt: quorũ hìc à nobis memoria haud leuiter prætereunda eſt.

## *IVSTINI A PANIGALEO Vita, & Geſta.*

*Iuſtinus à Panigaleo ex Obſeruantibus ad Capucinos migrat.*

VII. PRIOR igitur Iuſtinus, à Panigaleo, haud ignobili Vmbriæ Oppido, honeſtis parentibus ortus, cùm in Obſeruantium Familiã, poſt aliquot à iuuentute annos, in ſæculo tranſactos, conſcriptus eſſet: in eaq; haud ſine virtutum laude, piam, honeſtamq; vitam, vſq; ad ſenectutem, in humili Laïcorũ ſtatu duxiſſet: quo tẽpore Bernardinus Aſtenſis, Ioannes à Fano, Euſebius Anconitanus, ac cæteri ad Capucinos migrarunt; eodem quoq; ipſe Regularis Obſeruantiæ Spiritu ductus, cùm iam ætate prouectus eſſet, à Ludouico Foroſemproniano in Capucinorum Militiam adſcribitur, & in Vmbriæ Prouinciam tranſmittitur: in qua tam præclarum cæleſtis vitæ tyrocinium inſtituit; vt Angelicam inter Fratres cõuerſationem præſeferret: ita enim ſe humilitate, benignitate, modeſtia, manſuetudine, atq; omnibus charitatis officiis, erga omnes facilẽ præbebat; vt cùm cunctis ſua opera, ac labore ſatisfaceret, à cunctis etiam magnoperè diligeretur. Laïcorũ ſtatum, cùm ad labores, ac domeſtica miniſteria à Deo vocatum eſſe non ignoraret; quotidianis laboribus corpus, licèt ſenectute prægrauatum, defatigabat; tantumq; in illud odium, quo ſe Euangelicum hominem declararet, piè in animo conceptum gerebat; vt non modò eſcam illi quoti-

 dianis

dianis ieiuniis ſubtraheret; ex quibus quamplurima, præſertim ſolemnioribus Domini, ac B. Virginis feſtiuitatibus, ad ſolum panem, & aquam contrahebat; quod eo tempore, apud omnes, ferè Ordinis Fratres, ſolemne erat: verùm vt illius ſuperbiam retunderet, aſperrimis ipſis hyemis frigoribus, nudum ferè, ſolo hiſpido, ſimpliciq; habitu, cui interdum pallium adhibebat, contectum, exponeret. Præter hæc, tot illud flagellationibus, vigilijs, atq; aliis vitæ incommodis velut infenſiſſimum ſibi hoſtem, aggrediebatur; vt nullas vnquam belli inducias cum eo paciſceretur, quò illud in perfectam ſpiritus ſeruitutem redigeret. Tanta in hoc Viro, dura, aſperaq; omnia pro Chriſto patiendi cupiditas erat: vt ſecum ſæpè conquereretur, tardiùs, & ad veſperum, quum iam vires illi præ ſenio deficerent, ad opus acceſſiſſe.

*Vitæ ipſius auſteritas commendatur.*

VIII. Orationem, Deo amiciſſimam, ita amplectebatur; vt cùm diem in labores inſumeret, noctu diuinæ contẽplationi vacaret. Quo fiebat, vt poſt Matutinas Horas nunquam, aut rarò ab Eccleſia recederet; ſed in ea diutiùs in oratione pernoctaret. Quo tẽpore pleraq; à Deo dona, ac cæleſtes Reuelationes accepit; quas cùm apud ſe occultiſſimè teneret, vix vnam, aut alteram aliquando ſibi ex ore elabi paſſus fuit, quæ nobis hoc loco enarrari queant.

*Pleraſque à Deo Reuelationes habet.*

IX. Erat Iuſtinus, tametſi Laïcus, ac prorſus literarum ignarus, plurimùm conſilio, ac prudentia præſtans: quamobrem ſæpè Guardianus, atq; interdum Vmbriæ Prouinciæ Commiſſarius à Patribus inſtitutus fuit. Cùm itaque Bettonæ, Guardiani munus gereret; ſemel in oratione pernoctanti Dominus; ſcamnum tripes manu geſtãs, apparet; qui Iuſtinum his verbis compellat. Vides hoc tripes ſcamnum, Iuſtine; ſcito, quod in eo Guardianus Cõuentus Carcerellarum ſedet: quo fit, vt ab omni prorſus periculo vacet: Erat Iuſtinus plurima cum Carcerellarum Aſſiſij Guardiano neceſſitudine coniunctus; qui cùm inter nonnullas eo tempore animi anguſtias verſaretur, pro eo Iuſtinus ad Deum preces fundebat, quum hac Domini viſione potitus fuit. Cùm igitur Iuſtinus ſcamni ſignificationem ignoraret, à Domino quærit; quidnam ſcamnum illud tripes portenderet. Cui Dominus. Scamnum, inquit, certa animi ſedes, & quies eſt: quæ tunc ſtabilis, & inconcuſſa agnoſcitur, quum mens in diuinæ Triadis ſpe collocatur. His Domini verbis intellexit Iuſtinus, Guardianum Carcerellarum Aſſiſij, qui plurimis tunc à quibuſdam Regularibus moleſtiis pulſabatur; certa in Deum ſpe, ab iis liberandum fore: quod non multo poſt tempore, eorum perſecutione ceſſante, contigit, quemadmodũ illi præmonſtratũ fuerat.

*Bettonæ oranti Dominus apparet ac quædam futura reuelat.*

X. Altera quoq; tempeſtate dum orat; à Domini Spiritu, in quorundam Religioſorum Eccleſiã, qui Capucinorum Religionẽ omnibus machinis oppugnabant: in temporis momẽto fertur: Cùmq; ab iis Matutinæ Horæ inchoarẽtur; dictu horribile. Eorum voces canum latratus, ſingula quoq; verba horrendæ in Deum blaſphemię Iuſtino videbantur. Quare Iuſtinus horrore perculſus, ad Dominum ait: Heu Domine mi, quid audio? Cui Dominus; Ne mirere, inquit: Iſti quidem res, ac carmina ſacra proferunt: ſed cùm diſſolutè, & abſque vlla conſcientiæ, ac Regularis Obſeruantiæ lege viuant: atq; inſuper eos, qui melioris vitæ inſtitutum amplexi ſunt, acerrimè perſequantur; haud ſecus mihi eorum laudes ſunt, quàm ſi canum latratus, ac porcorum grunnitus ederent; eorumq; voces, velut blaſphemias auerſor. Hæc Dominus. Neque id immeritò. Vox enim Auguſtini eſt; plus Deo canum latratus, mugitus boum, ac porcorum grunnitus, quàm Clericorum luxuriantium cãtum placere. Quanquam enim laudes, quæ Deo in Eccleſiis dicuntur; ſi ſacra verba, aut miniſteria ſpectes, Deo inuiſæ eſſe non poſſint; cùm vel à Deo ipſo, vel ab Eccleſia, quæ verum, ac legitimũ Dei cultum decernit, inſtitutæ ſint: attamen ſi offerentium animum attendas, grauioribus plerunq; criminibus labefactatum; quandoquidem is gratus Deo eſſe non poteſt: hinc illorum quoq; munera à Deo, velut ingrata, ac inuiſa proiiciuntur. Atq; hac ratione, & laudes, & feſtiuitates, & thura, & miniſteria, ab impiis Sacerdotibus, aut Miniſtris in Eccleſia oblata, velut execranda, Deus ipſe ſe odio proſequi teſtatur, apud Vatem, quum ait. *Quò mihi multitudinem victimarum ve-*

*Altera ipſius viſio deſcribitur.*

*Clericorum luxuriantiũ Cantus coram Deo, Porcorum grunnitus, aſſeruntur.*





*ſtrarum, dicit Dominus, plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui* &c. *Ne offeratis vltra Sacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi: Neomeniam, & Sabbathum, & feſtiuitates alias non feram; iniqui ſunt cœtus veſtri: Kalendas veſtras, & feſtiuitates veſtras odiuit anima mea: ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens.* Quare haud mirum, quòd hæ quoq; Religioſorum voces, quæ cùm ab animis, graui ſcelere contaminatis, proficiſcerentur, Deo execrabiles erant, Iuſtino blaſphemiæ viderentur.

*Iſa. c. 1.* *Cur ſacra munera Deus auerſetur.*

XI. Plurimis quoque aliis, de rerum Germanarum perturbatione, ac Tranſalpinarum Regionum deuaſtatione, quæ non longè ſequuta ſunt, à Deo Reuelationibus honeſtatus fuit, quas his aliquando verbis ſignificauit. O Fratres (aiebat) Mundus hodie nimis in maligno poſitus eſt: diù abſque Dei vindicta ſtare non poteſt: delicta enim creuerunt vſque ad Cælum, abominationeſq; ſunt in Templo Dei, quæ illius iram prouocant. Idcircò breui ſeuera Dei vltio Orbem perſtringet: Iudiciumque à Domo Dei, atq; à Religioſis incipiet. Quod planè in hæreſum infeſtatione contigit, quæ apud Germanos, & Gallos, haud multò poſt, graſſata fuit: quum tum Lutheriſtis, tum Caluiniſtis dominantibus, Catholica Fides expulſa, depopulatæ Vrbes, direptæ Regiones, diruta vbiq; Monaſteria viderentur; paſſimque Religioſi, ac Deo ſacri homines ad internecionem quærerentur.

*Futura Orbis mala prænunciat.*

XII. Flagrabat ſanctus hic Vir, tanta erga omnes, ac præſertim ægrotos charitate; vt cùm Chirurgicæ artis, ob longam rerum experientiam, quam in Obſeruantium Familia ſibi comparauerat, haud mediocriter peritus eſſet, Infirmorum maximè cura delectaretur: quorum vlcera putrefacta, ac penè inſanabilia, interdum oratione magis, quàm arte medica curabat. In Conuentu Foroliuij, quidam Frater, Paulus nomine, graui in altero crure Gangrena laborabat, quæ cùm omnem penitus membri ſenſum extinxiſſet, atq; in crus ſiderationem inuexiſſet: iam Medicorum conſilio decretum erat, vt crus illi abſcinderetur; ne morbi putredo altius ad alia membra conſcenderet. Iuſtinus verò teneriori erga ægrotum charitate motus, à Medicis petit, vt ægrotum ſibi curandum relinquant: cui cùm illi annuerent, protinus tanta charitate, atq; animi ſtudio, Fratris curæ cœpit incumbere: vt partim vnguentis, ac cataplaſmis, partim verò, ac maximè, ardentiſſimarum precum virtute, breui integram membro incolumitatem reſtituerit.

*Ipſius erga infirmos charitas.*

XIII. Hoc etiam charitatis æſtu incaleſcens, cùm ſæua, aliquas Italiæ Vrbes, peſtis inuaſiſſet; is Sacerdote ſibi in ſocium aſſumpto, ad eorum, qui peſtilentia laborabant, curam accedit: quam omni mortis metu depoſito, tam conſtanter exercet; vt dum Sacerdos Sacramenta miniſtraret, ipſe manu ſua puſtulas, ac carbunculos aperiret, ſaniem exprimeret, cataplaſmis foueret, diu noctuque laborantibus adeſſet, verbis conſolaretur; & ſi quos hinc decedere contingeret, mortuos ſepeliret. Porrò dũ huic pietatis operi ſtrenuè incumbit, haud Satanæ inuidia defuit, qui inter ipſa charitatis officia Viro Dei inſidias parat. Etenim Iuuenculam quandam, corpore quidem formoſam, ſed mente inhoneſtam impulit, vt Dei ſeruum ad turpem copulam pelliceret; atq; eodem tempore, qui Inferni prunas ardere facit, tam ardentes libidinis faces in Iuſtini carne accendit; vt totus tartareo illo igne ſibi comburi videretur. At Iuſtinus Satanæ opus perſentiens, reiecta Iuuenculæ impudentia, ſtatim ſe inde ſubripit; atq; in ſecretum locum ſecedens, ad B. Virginis opem aufugit: moxque carnis petulantiam tot verberibus caſtigare, ac lachrymarum imbribus oculos cœpit perfundere, donec his ſtygium illum ardorem extingueret. Quamobrem ſæpè poſt hæc dicere ſolebat; ſe vitam, animamq; Deiparæ Virgini debere.

*Peſte laborantibus miniſtrat.*

*Diabolicam tentationem ſuperat.*

XIV. Ea quoq; commiſeratione in pauperes ferebatur, vt eorum maximè inopia affligeretur: quam cùm omnibus, quoad fieri poterat, viis ſubleuare conaretur. Accidit tamen, vt dum in Narnienſi Conuentu, qui tunc nouus extruebatur; Guardiani officio fungeretur: Vir quidam pauper, ſub Solis occaſum; ad Conuentum accederet; in eoq; hoſpitio excipi poſtularet. Cui cùm Fr. Dominicus à Buſchetto, Sacerdos, qui tunc Ianitoris officio fungebatur, panem porrexiſſet; ſeq; quod pauperes eſ-

*Chriſto pauperi Hoſpitiũ denegatur.*

ſent,excuſans;ad hoſpitium, ob imperfectam loci ſtructuram, recipi minimè poſſe, iuxta Guardiani mandatum, reſpondiſſet. Pauper ille, accepto pane, Dominico ait: Scio quidem vos pauperes eſſe; at quid præſtare valeatis, non ignoro: His dictis, cùm terga vertiſſet, confeſtim euanuit: Mox verò Dominus, qui ſub illo Pauperis habitu, Hoſpitium poſtulauerat; Iuſtino Guardiano, qui tunc orationi vacabat, apparet: cui acceptum panem,quem manu gerebat, oſtendens,ait: Hunc panem à vobis accepi: hoſpitium verò mihi denegaſtis; En eiectus ab eo. Hæc cùm dixiſſet, panem in Altari collocans, ſtatim ſe ab illius oculis eripit.Dominicus autem, qui pauperem, poſt dicta,repentè euanuiſſe viderat; ociùs ad Guardianum currit,& quę cum paupere illi acciderant,narrat: At Iuſtinus:Scio,inquit,Fili,ſcio quid actum fuerit:malè vtiq; & improbè egimus, Domino hoſpitium denegauimus; veræ charitati ſub ementito paupertatis titulo defuimus. Angelorum Dominum è noſtri Monaſterij liminibus expulimus: Quid hoc inſolentiùs? Quid flagitioſiùs? quid denique turpius à nobis patrari potuit?En propterea Dominus à nobis indignatus receſſit. Veh nobis,quia peccauimus,quia impiè egimus,& mandata eius non cuſtodiuimus.Hæc cùm diceret,lachrymarum imbres ex oculis fundebat: Dominiq; abeuntis verba ſæpè ad animum reuocans,diu noctúq; finem fletibus, ac ſingultibus non imponebat.Nulla quies animo erat,ſed vel vigilaret,vel ad quietem accederet,ſemper illa Domini verba (*En eiectus abeo*) illi in auribus inſonare videbantur:quæ perpetuos rugitus, ac luctus in animo excitarent.Sicq; per quamplurimos dies, Iuſtini mens, inteſtinis cruciata doloribus, inter fletus,& lachrymas culpæ maculam eluebat;donec iterum tandem ſibi reconciliatum Dominum accepit.Ex quo facilè licet colligere, quàm ſeuera ab iis ratio exigenda ſit, qui vel tenuem pauperi ſtipem,nedum hoſpitium recuſant: cùm Dominus in pauperis perſona panem à pauperibus accipiens, hoſpitium ab iis, nonnulla ratione, ſibi denegatum, tam moleſtè ferat.

*Iuſtino Chriſtus Hoſpitiũ denegatum exprobrat.*

*Iuſtinus factum plurimis lachrymis deplorat.*

*Hoſpitiũ pauperi denegatum,cur tantopere Chriſtus ægrè tulerit, ratio redditur.*

Hîc porrò nonnullis dubitatio ſuboriri poſſet. Quo pacto Iuſtinus tam aſperè à Domino obiurgatus fuerit; eo quòd hoſpitium pauperi negaſſet: cùm ob nouam, ac imperfectam loci ſtructuram facile euenire potuerit, vt nullus pro peregrinis, ac pauperibus, needum locus extructus eſſet: imò id abſque vlla dubitatione aſſerendum ſit. Neque enim credendum eſt, Iuſtinum, ac Dominicum, qui homines erant virtute præſtantes, quique animi puritati ſummo ſtudio inuigilabant, turpe mendacium confingere voluiſſe: vt ad incommodum vitandum, id, quod non erat, aſſererent. Cùm itaque hác ratione Iuſtinus à Domino correptus non fuerit, iuſtáque correptionis ratio Chriſto non defuerit: altera profectò cauſa quærenda eſt, cur Dominus tam acriter Iuſtinum increpauerit. Ea verò alia eſſe non poteſt, quàm quòd Dominus à Capucinis Fratribus, quibus, è diuinæ Prouidentiæ theſauro, de neceſſariis abundè, ac liberaliſſimè prouidet,abundantiorem quoque in pauperes charitatem, ac pietatem exigat: non eam tantummodò, quæ aliis communis eſt; ſed eam, quæ ſingularis, atq; extraordinaria appareat; quandoquidem ſingularis, atque extraordinaria illius in Capucinos prouidentia eſſe conſpicitur. Quo fit, vt à Iuſtino tunc Dominus exquirere videretur: vt proprium egeno lectum, ac cellam cederet, vt perfectam in eum charitatem exerceret. Quo ſanè, & reliquos edocere voluit, Capucinorum charitatem, in pauperes, tam effuſam eſſe oportere: vt cùm alia non ſuppetit facultas, ea quiſque ſibi ſubtrahere debeat, quæ ad ſubleuandam pauperis miſeriam,opportuna, ac neceſſaria eſſe agnoſcuntur. XV.

*Extraordinaria Dei in Capucinos liberalitas.*

*Iuſtinus Paupertatis ſeuerus cuſtos oſtenditur.*

Verùm, vt ad Iuſtinum redeam: hic Dei ſeruus Regulæ, ac potiſſimùm Paupertatis, cuſtos tam Obſeruantiſſimus erat; vt cùm in Monaſteriorum ædificatione, arctæ paupertatis Regulas violari pertimeſceret; nouos Conuentus extrui malè audiret: ſed vbi ob Fratrum propagationem, noua ædificatione opus eſſet, in id maximè contendebat: vt vel Eccleſiæ pauperes, & derelictæ, à Fratribus in ha- XVI.





bitationem eligerentur; vel domus aliquæ dirutæ, rudi quodam modo inſtaurarentur. Hancque Beati Patris Franciſci mentem in Teſtamento expreſſam eſſe: ipſiùs Teſtamenti verbis confirmabat, in quo legitur: *Et ſatis lubenter manebamus in Eccleſiis pauperculis, & derelictis.* Nihil,hic Vir Dei, Monaſteriorum ædificatione periculoſiùs eſſe aiebat, propter euidens temerandæ paupertatis periculum: horrendumque Dei Iudicium, quod in Fratre Silueſtro, de quo anno 1540. egimus, declaratum fuerat; in huius rei argumentum proponebat. Idque vt faciliùs perſuaderet, velut futura prænuncians, aiebat: Nunc Religio adhuc paruula eſt: vbera non habet,quibus vbique propagatum ſemen alere valeat: pubertatis procul dubio tempora feſtinant; cùm adulta longè latéque per Orbem diffuſa, Monaſteriorum copia, atque vbertate luxuriabit; ac tunc quidem ob numeroſam Fratrum ſobolem, noua, atque ampliora Monaſteria extruentur; quæ ab arcta hac, noſtrorum temporum, paupertate nonnihil declinabunt. Nobis itaque qui in futuræ tempeſtatis exemplar dati ſumus, ea in ædificandis Monaſteriis ratio tenenda eſt; vt in iis totius paupertatis norma, quam poſteri ſequi, ac imitari debeant, conſpiciatur. Homini quippe naturale eſt, vt rerum, ac ædificiorum pulchritudine, ac magnitudine delectetur, in eáque ſenſus facilè dilabatur, quæ ſibi affinia ſunt, & cognata. Quod ſi ea hominis cupiditas, quæ à recto aberrat, maiorum exemplis, ceu fræno quodam coërcetur: profectò haud ita facilè in ea vitia ruit; quæ cum ratione aliqua fulciantur, nonnunquam, ſub recti ſpecie, ſe in hominis animum inſinuant. Magna ſiquidem eſt exempli vis, ad ea, tum ſequenda, tum fugienda, quæ maiorum factis præſcribuntur. Quapropter id nobis omni ſtudio curandum eſt: vt Monaſteria, quæ à nobis ædificantur, talem paupertatem, ac tenuitatem præſeferant; vt poſteris rectæ ædificationis exempla eſſe poſſint; quique ea inſpecturi ſunt, ab exceſſu cohibeantur. Hæc Iuſtinus ſapientiſſimè: Quippe qui diuina magis, quàm humana ſapientia imbutus, futura Religionis tempora præcurrebat: quæ facilè in ædificiorum exceſſum prolabi potuiſſent; niſi opportunis, ac ſeueris noſtrarum Conſtitutionum legibus, omnis huiuſmodi exceſſibus via interclusa eſſet; & quæ in ædificando, ob omnibus ſequenda ſit, forma præſcripta fuiſſet.

Teſtam. S. Franciſci.

*Futura Religionis tempora prænunciat.*

*Maiorum exempla ad Poſterorum diſciplinam quantam vim habeant.*

XVII. Iuſtinus igitur,dum in piis laboribus, ac nota vitæ ſanctitate, Narniæ, vbi tunc Guardianus erat, Domino famularetur; in morbum incidit: quo tempore Fratri Dominico à Buſchetto, cuius ſuperiùs memini; nocte in Eccleſia oranti numeroſa quædam, centum circiter Fratrum Capucinorum Supplicatio apparet, qui Eccleſiam, patefactis vltrò foribus, ingredientes; & cancellos, ac Sancta Sanctorum ad Chorum vſque penetrantes; inde in Dormitorium ſubeunt. Stupebat Dominicus, & vndenam tot Fratrum multitudo erumperet, quouè tenderet, ignorabat. Quamobrem cùm iam cunctis, qui in ſupplicatione gradiebantur, præteritis, duo tantùm extremi ſupereſſent; ad eos Dominicus accedens; ab iis quinam eſſent, & quò progrederentur,haud abſque metu ſciſcitatur.Cui illi:Nos, inquiunt, Fratres Minores Capuccini omnes ſumus,qui non pridem in Domino obdormientes,cum eo regnamus: nunc verò ab eo miſſi,ad Guardianum laborantem pergimus, vt viſitationis illi gratiam impendamus: Suprema enim illi imminet dies, qua ex hac in meliorem emigraturus eſt lucem. Iouis proxima haud elabetur dies, cùm huc reuertentes,ipſius animam è corpore migrantem, rectà in cælum comitabimur. His dictis, tota ea Fratrum ſupplicatio,è Dominici quidem oculis erepta fuit:at Iuſtino laboranti apparuit, quem cùm cæleſtibus verbis conſolata fuiſſet, diem quoque illi, atque horam obitus prædicit.

*F. Dominicus à Buſchetto B. Capucinorum ſupplicationem cernit*

*B. Capucinorum ſupplicatio Iuſtinũ ægrotum viſitat,& diem illi obitus prædicit.*

XVIII. Dominicus porrò eo Nuncio accepto, vix die illuceſcente ad Guardianum pergit; eumque his verbis compellat: Bono eſto animo, Pater, fauſtus ad te Nuncius accedo; iucunda fero; parum tibi iam laborandum eſt, breui

è corpore exeundum, dies Iouis, qui proximus eſt, tibi extremus erit: téque Deo Creatori reddet. Cui Iuſtinus: ſcio, Fili, ſcio, velocem eſſe depoſitionẽ corporis mei; ſicut oſtendit mihi Dominus; veſpertinámq; diei Iouis horam mihi ſupremam fore: Vtinam, atq; vtinam Chriſto fruar. Tum gratias Deo impenſiùs agere cœpit, ſacriſq; Eccleſiæ Sacramentis ſumma cum pietate ſuſceptis, cùm Feria quinta illuxiſſet, paulò ante Veſperas cunctos Fratres ad ſe conuenire iubet: quos vbi Paternis vocibus ad perfectam Regulæ Obſeruantiam, ac B.P. Franciſci veſtigia ſectanda eſt adhortatus, ſingulos pacis oſculo excipit; ac dextera in modum Crucis extenſa benedictione firmat. Tum Chriſti Crucifixi Imaginem manu geſtans, ab eo veniam peccatorum profuſis lachrymis poſtulat: Chriſti interea; ac Mariæ nomen dulciſſimè ſæpiùs ore ingeminãs. Hæc vbi ſumma deuotione præſtitit, cùm ſui occaſus tempus iam adeſſe intelligeret, illis Chriſti verbis: *Pater in manus tuas, &c.* Deo animã ſuam commendans, in ea voce Deo Spiritum reddit, ac Beata illa Capucinorum comitante caterua Cælum perpetuò regnaturus conſcendit.

*Iuſtinus obitus ſui diem prædicit, atq; in Domino obdormit.*

## *FR. BERNARDI ASSISIATIS Vita, & Geſta.*

*F. Bernardus Aſſiſias à puero pietati deditus.*

ALTER quoq; in hoc ipſo Narniæ Conuentu, eodẽ anno, vitæ, ac Religioſæ Militiæ finem imponit, Fr. Bernardus Aſſiſias, Sacerdos; qui ex honeſta illius Vrbis Familia ſatus, tot ab ipſa oriẽte ætate cæleſtium Benedictionum cumulis à Deo cohoneſtatus fuit; vt cùm vix adoleſcentiæ annos attingeret, iam perfectum mentis ſenium aſſequutus videretur. Tãta enim vultus modeſtia, oculorum honeſtate, morum elegantia, verborum grauitate omniq; pietatis ac Religionis ſtudio prælucebat: vt Aſſiſiates Ciues ipſius conuerſationem intuentes, Angelum inter homines eſſe iudicarent; de eoq; vaticinantes prædicerent, Sanctum aliquando eum Virum futurum. Cùm iam ad duodecimum annum perueniſſet, perfectè in Grammaticis rudimẽtis inſtructus, quanquàm Gymnaſium frequens adiret; Condiſcipulorum tamen familiaritates, ac cognatas illius ætatis leuitates, ac illecebras fugiẽs, in ſuũ ſe ſtatim cubiculũ proripiebat; vbi Aram pleriſq; ſacrarũ Imaginum, ac præſertim Domini in Cruce pendentis, B. Virginis, ac B. Franciſci picturis egregiè ornatam erexerat: atq; ante illã, deuotus Puer, ſæpe cũ lachrymis orabat: tãtuſq; ab ineũte illa ætate, Virginitatis amor illius animum præoccupauerat; vt omnes ferè ipſius orationes, ac preces in id tenderẽt; vt Dominus, B. Virginis, ac B. Franciſci ſuffragio, purã ipſius Virginitatem ſeruaret, quam ipſe nullo vnquam tempore ſibi violãdam præſtituerat. XIX.

*Pro tuenda Virginitate Deum orat.*

XX. Cùm autem iam adoleſcente ætate, cum ea Cæleſte quoq; lumen illi in animo à Domino inditum augeretur; variaq; ſæcularis vitæ pericula, quibus ea vndiq; obſidetur, altiùs mente repeteret; ardentiùs Dominum rogabat: vt qua via ab iis declinare, quoq; vitæ inſtituto rectiùs ei famulari poſſet, oſtenderet. Religionis quidem ſtatum, velut perfectiorem, ac diuinis obſequiis aptiorẽ, ſibi in animo propoſuerat: ſed quænam ſibi Religio eligenda, atq; amplectenda eſſet, cùm dubius hæreret, fortiùs ad Deum precibus inclamabat; atq; vt diuinam celeriùs illuminationem aſſequeretur, orationi carnis macerationes adhibere cœpit. Etenim ab eo tempore corpus flagellis cædere, ac molli lectulo relicto noctu ſuper tabulas, aut cubiculi pauimentum requieſcere aſſueuit: néve id domeſtici animaduerterent, lectum quaſi in eo accubuiſſet, conculcabat. Quadam die, cùm B.P. Franciſci Reliquiæ palàm aſpectandæ in Eccleſia exponerentur; Bernardus, in S. Patris cilicium oculos iniiciens, mox tam ardenti cilicij alicuius cupiditate teneri cœpit: vt cùm à quibuſdam Monialibus ſibi conſanguineis, omni ſtudio habendum curaſſet, ab iis aſperrimũ quoddam acceperit: quo tandem potitus, feruidus Adoleſcens illud ſibi tam appoſitè corpori aptat, vt nemo vnquam ex familiaribus, eo illum contectum agnouerit.

*Pro Religionis inſtituto eligendo preces inſtituit.*

XXI. Porrò eo tempore, Capucini Aſſiſium aduentantes, antiquum B.P. Frãciſci Monaſterium,

nafterium,



naſterium quod Carcerellarũ nuncupatur, ab Vrbis proceribus accipiunt: qui cùm ſæpè, mendicationis cauſa, ad Vrbem accederent, eos cùm primùm Bernardus aſperis indutos, ac nudis pedibus inter niues, & rigidæ hyemis frigora incedẽtes cõſpexit; protinus ardens Crucis diſcipulus, ac Virginitatis amator, eos ſibi imitandos proponit. Tantoque illius vitæ complectendæ ſtudio ardere cœpit; vt cùm nemini illud declarare auderet; eos, cùm primũ mẽdicãtes videret, eminùs per Vrbis vicos proſequeretur: vt illorum ſaltẽ præſentia, conceptum ardorem, quo erga huiuſmodi Religionis inſtitutũ æſtuabat, cõpeſceret. Verùm cùm eo aſpectu magis animo incaleſceret; diuinique amoris flamma, quæ in tenello pectore ardebat, iam ampliùs ab eo tolerari non poſſet: ijs tandem ardens animi ſui ſtudium, ac propoſitum aperit.

*Conuentus Carcerellarũ Aſſiſij à Capucinis incolitur.*

XXII. Fratres verò cum egregiam in Adoleſcente indolem, morũ diſciplinam, mentis ardorem, conſtánſque animi propoſitum animaduerterent: illum apud Euſebium Anconitanũ, qui eo tẽpore, in Vmbriæ Prouincia, Prouincialis Vicarij munere fungebatur, plurimùm cõmendantià quo tandem Capucinorum militiæ adſcribitur. Adfuit ſtatuta dies; in qua Bernardus ſæculo renunciaturus, cum eo, & ſæculares exuuias deponeret: Cúmque proprijs, vti fieri ſolet, veſtibus exutus, Religionis habitu induendus eſſet. Cilicium, quo contectus erat, apparuit. Euſebius verò eo cõſpecto, cùm illud tam aſperum, ac horridum cerneret, vt eo iam Adoleſcẽtis caro tabeſceret, illius quidem animum admiratur. Veruntamen illud iubet exuere: ac ne graue aliquod ipſius incolumitati detrimentũ adferret, illius tãdiu eidẽ vſũ interdicit, quoad Probationis annum abſoluerit. Bernardus igitur optato Capucinorum habitu potitus, ſub F. Vincẽtij à Flauiniano, Viri omni ſanctimoniæ genere eminẽtis, diſciplina, nouum cæleſtis vitæ tyrocinium inſtituit. Eo tẽpore Vincentius, Monaſterij Montis Caſalis habenas moderabatur; qui cùm omnes fermè, qui eo tẽpore in Religione florebant, auſteritate antecelleret: nouum tyronem ad omnem bellandi, ac debellandi hoſtis normam; verborum, factorũque diſciplina inſtruit. Carnem præſertim, domeſticum, ac veternoſum hominis inimicum, quæ perpetua aduersùs ſpiritum conſilia agitat; qua ratione, qua vi, quavè arte edomanda ſit; laboribus nimirum, vigilijs, ciborum inedia, flagellis, atque aliis caſtigationibus, quibus in ſpiritus ſeruitutem, vel inuita redigatur, docet. Mentẽ ab impuris cogitationibus puram ſeruare; integrum Deo cor cuſtodire, linguam compeſcere; ſolitudinem amare, ſuſpenſum in Deum animum gerere; Chriſtum ſibi imitandum proponere; Deum vbique præſentẽ habere, eoque tantummodò delectari; Orationi cũ primis ſtudere, Chriſti Crucem iugiter in animo ferre, in eaque ſola gloriari; Deum tandẽ ſuper omnia diligere, atque illi medullitùs inhærere, Tyronis animo inſtillat.

XXIII. Gaudebat tali præceptore ardens Crucis diſcipulus; nec quicquam ex Magiſtri præceptis, ſibi animo excidere patiebatur: tãtúmque eo Doctore profecit, vt in ipſo Religionis tyrocinio, perfectã omnium virtutum diſciplinã aſſecutus eſſe videretur. Lætabatur quoque plurimùm prudẽs Magiſter, talia in diſcipulo admirans prçludia, quæ futuræ virtutis, & ſanctimoniæ excellentiam præmonſtrarẽt: Nihil enim Bernardus, etiã poſt exactum Probationis annum, præter Chriſti Domini Crucem, nihil præter vehemens pro Chriſto patiendi deſiderium, in animo gerebat: tamque profundè illud ſibi in animo inſculpſerat; vt quotidiana ieiunia, quæ vt plurimum, ad panem, & aquam contrahebat; longas noctis vigilias, quas in oratione, & lachrymis inſumebat; prolixas flagellationes, lecti duritiem, pedum nuditatem, ſimplicis habitus tegumentũ, quo in aſperrimo frigore cõtentus erat, plurimáſque alias corporis afflictiones pro nihilo duceret: pluraque alia perpeti optaret, ſi ea corporis imbecillitas ferre potuiſſet. Ita fiebat, vt cũ totũ illius vitæ curriculũ, in quo aſperrimũ hoc viuẽdi genus proſecutus fuit, perpetuũ quoddã carnis Martyriũ; ac iugis Crucis Chriſti memoria eſſet: nunquã tamẽ ſibi ipſi ſatisfaciẽs, corpori ignauiã ac imbecillitatẽ exprobraret, quòd in Domini Cruce ferẽda ſegniùs, ac tardiùs ſe haberet: atq; animo deeſſet. Si quando ab alijs admonebatur; vt ſeuerã illam vitæ auſteritatem temperaret; ac ſuæ incolumitati conſuleret: ne ſuis illa viribus, ob tot auſteritates, deſtitu

*Bernardus ab Euſebio Anconitano Religioni adſcribitur.*

*Sub Vincentij à Flauiniano diſciplina militat.*

*Admirabilis ipſius vitæ auſteritas deſcribitur.*

*Proprio Corpori ignauiã exprobrat.*

deſtitu

deſtitutas; oneri tandem ſuccumbere,ac grauia corporis incommoda ſubire coge-
retur. Reſpondebat feruens Crucis amicus,Cur me Ieſu Chriſti,ac B. Patris Fran-
ciſci,ac tot Sanctorum veſtigia ſequentem,reprehenditis? An non Chriſtus paſſus
eſt,nobis exemplum relinquens,vt ſequamur veſtigia eius? An nõ B.P.Franciſci vi-
ta, maioribus aſperitatibus delibuta,nos ad ipſius imitationem prouocat? An non
tot ſanctiſſimorum hominum,quorum vitam maximis auſteritatibus plenam com-
mendamus, nos exempla præceſſerunt,quæ impigrè ſequi debemus? Nimis leuia,
nimis exigua ſunt,quæ nos agimus;nec cũ illis cõparanda:mea potiùs ignauia Fra-
tres, ac ſegnities à vobis ſuggillãda eſt.His dictis,generoſus Chriſti Athleta,ab his
ſeipsũ tuebatur,qui illũ ab inſtituta ſeuerioris vitæ diſciplina,reuocare conabãtur.

*Chriſti, ac Sanctorum exemplis ad dura toleranda ſeipſum prouocat.*

Hanc iugem carnis mortificationem,ardens orationis ſtudium,ac perpetua quę-
dam mentis in Deũ eleuatio,comitabantur. Carne enim ſubacta, & cũ vitijs cruci-
fixa, ſpiritus velut graui pondere exoneratus,leuior ad Deum ferebatur: cúmque
carnales delicias refugeret,haud mirum,quòd tam vberes,ac cæleſtes à Deo volu- XXIV.
ptates captaret: vt ea,quæ ſunt corporis oblitus, cum Deo præter corpus ſemper
viuere videretur. Semel cùm illi à Superiore præceptum fuiſſet, vt panis, & aquæ
ieiunium remitteret; fabáſque quaſdam virides comederet;is præcepto obtempe-
rans,fabas ſimul cum tunicis,ac valuulis edere cœpit;tam enim animo ab humanis
rebus abſtractus erat; vt nec quid ederet,planè animaduerteret.Vbique orabat,at-
que in omni loco puras ad Deum manus leuabat:cũ enim mente ſemper,ſiue am-
bulans,ſiue quieſcens,ſiue comedens,ſiue bibens in Deum conſcenderet; omne tẽ-
pus illi ad orationem aptum;omnis locus,eidem locus orationis erat.Porrò ex hac
aſſidua orationis frequentia, ac iugi cum Deo familiaritate, tam profunda men-
tis abiectio, ac humilitas illi exorta fuit, vt ſe omnium maximum peccatorem
arbitraretur:taliſque à cunctis exiſtimari vellet. Quapropter indeſinentes in ora-
tione lachrymas fũdẽs,quaſi is ſolus omnia Orbis ſcelera admiſiſſet; ob idque Dei
vindictam accerbiſſimam mereretur;eo ſanè,ad ampliora quotidiè Dei dona acci-
pienda parabatur.

*Ad Superioris præceptũ fabis veſcitur.*

*Ipſius Oratio,ac mentis humilitas commendantur.*

Mentis puritatem tam diligenti ſtudio excoluit;vt ſenſus omnes, per quos ea XXV.
labefactari poſſet;ac præſertim oculorum concupiſcentiam, tam ſeuera cuſtodiæ
lege coërceret:vt nullius vnquam vultum conſpiceret;nunquam ad delectabilia
quæcumque ſpectanda,oculos conuerteret,humi perpetuò defixos teneret:ab om-
nium,ac præcipuè mulierum colloquio,ac conſortio abhorreret;ac tanta ſollicitu-
dine honeſtati,atque animi candori incumberet;vt velut certum,ac indubitatũ id
ab omnibus haberetur; eum non modò candidũ Virginitatis florẽ incorruptũ ſer-
uaſſe,ſed etiam animũ ab omni lethalis culpæ labe purũ,vſque ad mortẽ ſeruaſſe. XXVI.

*Mentis puritati quantoperè ſtuderet.*

Regularis præterea obſeruantiæ,ac præſertim paupertatis ſtudioſiſſimus, nihil,
præter Deum,ſibi poſſidendũ,ab exordio propoſuerat:illúdque ſibi fixè in animum
induxerat,nimis auarum eſſe,cui Deus non ſufficeret.Hinc integram ſuã in Deum
cogitationem proijciens, adeò ſeipſum illius curæ, ac prouidentiæ commiſerat: vt
omnem ſui ipſius ſolicitudinem negligeret:ita vt cùm aliquando ſacris Ordinibus
initiandus,ſimul cum alijs ſuis commilitonibus,Peruſiam profecturus eſſet;cæteris
nonnihil ſecum panis,quo in itinere pranderent, deferentibus;is ab omni prorſus
alimoniæ prouiſione abſtinere voluerit. Cúmque illi viæ longitudinem, ac raras
in eo itinere habitationes reperiri obijcerent: Dominus (inquit) annonam proui-
debit. Deridebant illi:at ipſe in propoſito conſtans, abſque vlla panis prouiſione,
cum ipſis iter eſt aggreſſus.Cùm igitur hora prandij aduentante, Socij in ſecretum
quendam locum ſeceſſiſſent;& quiſque panem, quem detulerat, protuliſſet;Ber-
nardum deridentes. Vbinam, aiebant, panis tuus eſt Bernarde? At Bernardus;
Quid me tentatis, inquit: En præſto eſt. Et conuerſa ad tergum facie, do-
munculam quandam, penè dirutam videt; ad quam feſtinus accedens, in ea
hominem reperit, qui quatuor illi panes, tam albos,támque recentes offert:

*Paupertati ſtudens ab omni victus prouiſione abhorret.*

*Iter facienti panes Miraculosè miniſtrantur.*





vt Peruſiæ,quò tendebant,haud ſimiles haberentur.Quos cùm ad ſocios detuliſ-
ſet: En,inquit,quam bonus,quamque liberalis eſt Dominus;qualeſque panes mi-
hi ad prandium miniſtrauit. Vos profecto tales non habetis:obſtupuêre Socij; ne-
que id,præterquam Dei miraculo adſcribentes, eo quàm diuinæ prouidentiæ fi-
dendum ſit,didicêre.

XXVII. Sacerdotio denique inunctus, tanta pietate, ac grauitate ſacrum, ac reueren-
dum illud Altaris miniſterium peragebat; vt audientes in ſummam tanti myſte-
rij contemplationem, ac deuotionem prouocaret: numquam, niſi poſt longam
orationem ad Altare accedebat; tum verò peracto Sacrificio, diutiùs inter diuini
amoris amplexus, velut ab omnium humanarum rerum commercio abſtractus,
verſabatur.

*Miſſas ſumma cum Religione celebrat.*

XXVIII. Cùm igitur Bernardus, decem circiter annos, in ſumma hac vitæ auſteritate,
atque Angelicæ conuerſationis laude, in Religione tranſegiſſet: tandem in Nar-
niæ Conuentu grauiter ægrotare cœpit: quo ex morbo, cùm ſe ex huius ſæculi
procellis à Domino euocari intelligeret; poſt ſingularem animi patientiam, præ-
claráque virtutum exempla, quibus in extrema illa ægritudine præſertim enituit;
ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, ac feruenti oratione obuiam Domino proce-
dens, vitam in ſanctitate, & iuſtitia exactam, beato tandem fine concluſit. Iuuenis
quidem ætate Bernardus,cùm vix vigeſimum octauum annum attingeret:at virtu-
tibus grandæuus,hinc migrauit:breuíque conſummatus, expleuit tempora multa.

*Narniæ Sanctè in Domino quieſcit.*

XXIX. Communis fama eſt,pleráque illum,tum viuentem,tum defunctum,Dei virtu-
te,miracula patraſſe; quæ nullo nobis ſcripto conſignata ſunt. Illud verò tantum-
modò narratur. Mulierem quandam, paucis poſt ipſius obitum diebus, ad Mona-
ſterium acceſſiſſe; quæ cùm Bernardum fatis conceſſiſſe accepiſſet; humi proſtra-
ta,ac lachrymas vberes profundens,illius ſepulturæ pulueres deoſculabatur: haſq;
eiulans voces effundebat: Heu,Serue Dei,quomodo obiiſti? Heu,cur tam citò re-
ceſſiſti; vt mihi faciem tuam,antequam excederes,videre,& gratias pro collato be-
neficio proferre, datum non fuerit? Illuſtréque Miraculum, quod illius meritis à
Deo tulerat, publicè Fratribus narrauit.Huius,aliorúmque plurimorũ Miraculorũ
memoria:quãdoquidem monumentis minimè tradita fuit,noſtrorum ſilẽtio periit.

*Miraculis in vita & poſt mortem illuſtratur.*

*Mulier poſt illius obitum Miraculum: ab eo patratum narrat.*

XXX. Veruntamen; vt quam ſeuera,de ipſis quoque bonis,quæ interdum minùs benè
aguntur,à Deo ratio exigatur, cunctis manifeſtum fiat: memorabile de eo factum
narratur: Septimo enim poſt ipſius obitum die, Bernardus cuidam Fratri, Roma-
ni Noſocomij Præfecto, qui eum in extrema valetudine ægrotantem curauerat,
noctu apparet; eúmque proprio nomine appellans,his affatur verbis: Dominus ti-
bi, Frater,pro cura,quam de me ægrotante ſollicitam egiſti,abundè retribuat. Ob-
ſtupuit ille, præſertim cùm vocem tantum audiens, neminem prorſus videret.
Reſpondétque, Vndenam es tu, qui hæc loqueris? Ne metuas (inquit) Ego ſum
F.Bernardus Aſſiſias, quem in Narniæ Conuentu morientem,eximia charitate nu-
per es proſecutus. Ad quem Præfectus: Benè tibi ſit,Frater chariſſime, ait: Num te
ſaluum habeo? Saluum (inquit) ex Dei miſericordia, Veruntamen hactenus Dei
viſio,abſque vlla tamen Purgatorij pœna, mihi denegata fuit. Eo plurimùm admi-
ratus Præfectus,qui Bernardi ſanctitatem minimè ignorabat; Papæ, inquit, quam
ob cauſam,Bernarde, tandiu tibi gloria dilata fuit? Ob nonnullas, ait ille, quas in
obedientia præſtanda,maculas viuendo contraxi: plerunque enim accidit,vt cùm
Superiores, quidquam de corporis auſteritatibus mihi minuendum præciperent,
nimis proprio ſenſui inhærerem; meámque ſententiam, velut ad Regulæ obſer-
uantiam potiorem, haud proteruè tamen, Superioris iudicio præferrem. In his,
quanquam obedientiæ præcepto ſatisfacerem; integrè tamen Superioris mentem
non implebam: cùm Superiores, facilè ſenſui meo indulgentes, res iuxta mentis
meæ placita fieri acquieſcerent. Porrò hæc ſola cauſa fuit; quæ Cæleſtis beatitudi-
nis aditum mihi hactenus interclufit; iam verò liber,Dei gratia,Cælum conſcen-

*Poſt mortem Noſocomij Præfecto apparet.*

*Dilatam ſibi gloriam indicat & cauſam aperit.*

ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1547. 13. 29. 23.

*Quanta in futur ſæculo ſit Dei ſeueritas, explicat.*

do. Subdit Præfectus: Heu me,tam leuis cauſa, tam ſeueram pœnam peperit? Diſtrictiſſima, Frater, ait Bernardus, Dei viuentis Iudicia ſunt; nec quicquam inultum abire ſinunt. Decem, poſt Reformationem exortam, Fratres, in hac Vmbriæ Prouincia dormierunt; ex his verò octo tantummodò rectà in Cælum, abſque vlla Purgatorij pœna aſcenderunt,nonus aliquandiu in Purgatoriis pœnis detentus fuit: decimus verò iuſto Dei Iudicio damnatus miſerè in æternum periit. Atque his dictis ad Cæleſtia ſe contulit. Hic verò, Frater ille Silueſter eſſe creditur, qui cùm Aquaſpartæ Eccleſiam præter communes paupertatis regulas latiùs extendere voluiſſet, horrendo fine ſublatus eſt, de quo alibi egimus.

*Poſt quintum ab obitu annum, ipſius cerebrum incorruptum cernitur.*

Bernardi corpus, vt illius tempeſtatis mos erat, extra Eccleſiam in Cœmeterio XXXI.
ſepultum fuit. At quinto poſt anno, cùm parato intra Eccleſiam pro Fratribus ſepulchro, illius corpus exhumatum eſſet,vt in nouum ſepulchrum transferretur;cerebrum in ipſius capite ita ſanum, & integrum repertum fuit; perinde, ac ſi ille adhuc inter viuos exiſteret: quod cùm, ob contrarias loci qualitates,qui imbribus, ac Solis ardoribus expoſitus erat, ac proinde faciliùs condita putrefaceret; tum etiam propter diuturni temporis moras, quibus cæteris corporis partibus exeſis, celeriùs cerebrum corrumpi debuerat, non niſi Dei miraculo adſcribi poſſet. Fratres, diuinam, in Viro Dei, virtutem venerari cœperunt; qui militem ſuum, quem tempeſtiuè ad ſpiritualem Religionis militiam vocauerat, poſt breue certamen, hoſtium victorem, ac triumphatorem coronauerat.





ANNVS CHRISTI. PAVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1548. 14. 30. 24.

*Bernardinus Aſtenſis Generalis Epiſtolam ad Fratres ſcribit.*

I. SERAPHICI Capucinorum Gregis cauſam,Bernardinus Generalis, vigilantiſſimi Paſtoris inſtar, circuibat:perennéſque excubias ſeruans, creditas oues à Tartareorum Luporum rabie incolumes tueri; Gregémque ſartumtectum,integrúmque Deo vendicare, omni ſtudio inuigilabat. Cùm vt omnem in eo munere operam præſtaret, hoc anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, paſtoralem quandam Epiſtolam ad vniuerſos Congregationis Fratres tranſmittit; qua præcipua illis Seraphicæ Religionis fundamenta commendat;& quænam veræ,ac legitimæ Seraphici Gregis oues ſint,atque à Lupis,qui interdum ſub ouina pelle inter oues verſantur;qua ratione, quóve diſcrimine diſcerni debeant,ſapientiſſimè oſtendit. Cuius tenor eſt,qui ſequitur.

VENERANDIS, AC DILECTIS IN CHRISTO Patribus, Fratribus, ac Filijs Fr. Bernardinus Aſtenſis Generalis (licèt immeritus) plurimam in Domino ſalutem.

*Ad Philip. 4.*

*Bernardini Generalis Epiſtola.*

II. *GAVDETE ſemper in Domino Fratres,(Vos Apoſtoli verbis alloquor) Iterum dico,gaudete:Dominus enim propè eſt; cui proculdubio cura eſt de nobis. Quemadmodum pretioſæ veſtes corporis ornamenta ſunt, quæ illud magis decorum,ac venuſtum reddunt: ſic cæleſtes virtutes præclara quædam animi indumenta cenſentur; quibus ornati,& illuſtriores reddimur, & Deo grati efficimur. Etenim ſicut oriens Sol,totum Cœlum radijs illuſtrat; eodem modo etiam virtutes,poſtea quam hominis mentem penetrauerint;ſuis eam radijs,ac fulgoribus lucidiſſimam præſtant. Virtute Fratres,nulla res pulchrior,nulla honeſtior,conſtantior nulla. Pulchritudo enim vel valetudine perit,vel tempore flacceſcit. Opes vitiorũ ſunt potiùs,quàm integritatis miniſtræ. Voluptates,cæteræque corporis,vel animi delectationes, præter virtutem, tam leues,ac inſtantaneæ ſunt: vt fumo citiùs euaneſcant. Virtutis autem poſſeſſio, quum ea mentibus coaluerit, ſola conſeneſcit, ſola conſtans, & ſtabilis eſt,nunquam perit: diuitiis omnibus potior, omni voluptate delectabilior: cui nulla rerum pulchritudo, nulla venuſtas,nulla gloria comparari poteſt. Ea ſiquidem diuinum, ac Deo ſimilem hominem reddit, atque in tantam apud Deum dignitatem euehit: vt cæleſte illi imperium, ac coronam paret.*

*Virtutis laudes enarrantur.*

*Charitatis virtus quàm omnibus neceſſaria.*

III. *Inter has verò cùm principem locum Charitas obtineat: quam Apoſtolus definit de corde puro, & conſcientia non ficta: hæc nos Deum, Fratres mei, ſuper omnia diligere, hæc illi per omnia obtemperare: & quandoquidem (vt Gregorius ait) Probatio amoris exhibitio eſt operis, hæc integram, ac perfectam Deo Regulæ obſeruantiam,quam ſemel deuouimus, reddere docet. Neque enim,abſque Regulæ obſeruantia,Charitas eſſe poteſt,quæ omnem tum diuinæ,tum Seraphicæ legis obſeruantiã complectitur. Quapropter Fratres,diligenter obſeruate eos,qui ita ambulant,vt ve-*

ram cum Deo, & cùm Fratribus ſemper charitatem ſeruent, horum ſtudia, ac conuerſationem ſequimini. Hi enim ex Deo nati, atque à B.P. Franciſco rurſus geniti, diuinæ Filiationis, ac natiuitatis in ſeipſis teſtimonium gerunt. Sunt enim inter Fratres nonnulli; vaniloqui, ac illuſores, qui ſe charitatem habere ſimulant; & cùm omnem in ſe charitatis Spiritum extinxerint, illius ſe Diſcipulos, ac Apoſtolos iactãt, quos omni ſtudio deuitari oportet. Hi namque ſunt lupi rapaces, de quibus Saluator in Euangelio loquitur, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium: veruntamen ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Atque vt quo ſigno veri charitatis, ac Regularis Obſeruantiæ æmulatores à falſis dignoſci queant; facilè vobis manifeſtum ſit: Hæc perpendite.

*Charitatem ſimulatos ſuggillantur.*

IV. Primùm, cùm Fratrem Capucinum videritis, in oratione aſſiduum, Chori, & Cellæ amicum, vaniloquia fugientem, charitatis officia cuilibet, abſque diſcrimine, lubentiſſimè impendentem, ſanctæ Paupertatis ſtudioſum, non cupidum, non litigioſum, non Superioribus reluctantem; ſed humilitati ſtudentem, maioribus obtemperantem, nullaq; dura, & aſpera refugientem, perfectum deniq; Regularis Obſeruantiæ æmulatorem: hunc verum Fratrem Minorem Capucinum, legitimûmque B. P. Franciſci Filium, integro diuinæ charitatis charactere inſignitum, agnoſcite; his enim argumentis ſe perfectum Regulæ cultorem eſſe probat.

*Vera Charitatis ſigna explicantur.*

V. At verò, ſi Fratrem, qui Capucinus nuncupatur, in orando negligentiorem ſe gerere, fugiendæ orationis anſam vltrò captare, vaniloquiis, ac ſcurrilitatibus incumbere, otio indulgere, charitatis officia ſubterfugere, mulierum colloquiis, ac familiaritate delectari; rerum copia abundare; circumcellionem, garrulum, murmuratorem, ſuſurronem ſe paſſim exhibere; cum Superioribus contendere, cum nemine pacem habere, carnis curam in deſideriis perficere, ſenſuum voluptates proſequi; paupertatem, ac penuriam refugere: lata denique in omnibus via ambulare, conſpexeritis: ab eo angue peiùs cauete. Hic enim nomine tenus, ac nuncupatiuè duntaxat Capucinus eſt: reuera tamen Religionis peſtis, qui ſua tabe cæteros inficit. Cùmque bonorum vitam ſub ementito nomine, ac deſpectis veſtibus, iniquis moribus premat: charitatem nihilominus, paupertatem, ac cæteras virtutes quaſi proprias extollit; Hi ſunt, de quibus ait Apoſtolus, Inimici Crucis Chriſti, quorum finis interitus, qui veram in ſeipſis, atque in aliis charitatem iugulantes, Religionis cultum apud homines oſtentant: non vt mente, ſed veſte tantummodò, Religionis Filiis copulentur; cùm tamen ipſi Religionis perduelles ſint, atque animarum interfectores.

*Ficta Charitas cauenda.*

VI. Altera porrò virtus, Religioni cum primis cognata, eſt. Altiſſima Paupertas, quæ Regni cæleſtis nos hæredes inſtituit. Hæc quidem, vt docet Beatus Pater Franciſcus, inopes nos rebus facit, ſed virtutibus ditat. Fœcundus eſt, mihi credite, Fratres, ager pauperum, qui centuplum quàm ſatum fuerit, reddit, atque inſuper vitam æternam erogat. Semper diues eſt altiſſima Paupertas, neque indigentiam metuit; cui donatum eſt, in omnium rerum Domino vniuerſa poſſidere. Quid inopiam timet; qui Deum Cæli, & Terræ ſollicitum ſui curatorem habet? Iacta, (inquit Regius Vates) ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. O quanta Beatitudo, Fratres, nutritiam Dei

*Paupertas Minorum omnia poſſidet.*





ſollicitudinem ſibi vendicare? Quid de victu craſtino cogitamus? Reſpicite (inquit Dominus) volatilia Cæli; quoniam non ſerunt, neque metunt: neque congregant in horrea, & Pater noſter cæleſtis paſcit illa. Aut quid de veſte ſolliciti ſumus? Conſiderate lilia agri quomodò creſcunt, non laborant, neque nent. Quòd ſi fœnum agri, quod hodie quidem eſt, cras verò in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis nos? Fœlix omninò paupertas, quæ curis omnibus exuta, nihil præter Deum quærit: in quo omnem ſuorum bonorum ſummam collocat. Hæc, Fratres, auidiſſimè à nobis amplectenda, hæc tenenda eſt: vt in Dei nos quoque poſſeſſionem transferat.

*Math. 6.*

*Felix paupertas aſſeritur, quæ nihil præter Deum poſſidet.*

VII. Qui igitur apud nos, à rerum omnium temporalium amore ſemoti, altiſſimæ, atque Euangelicæ huius paupertatis virtutem ex animo diligunt: rerum egeſtate, ac penuria delectantur, à ſuperuacaneis abhorrẽt, habitu, corda, femoralibus contenti, nihil præter hæc quærunt, vilia amant: deſpectos habitus, deſpecta cingula, deſpecta ſandalia, deſpecta denique omnia ſibi eligunt: pauperculis habitationibus, communioribus cibis, menſæ tenuitate, atque arcto rerum vſu gaudent; nec tamen alios iudicant, aut contemnunt, aut pro paupertate rixantur, ſed in ſpiritu humilitatis, pacem cum omnibus ſeruant. Hos, Fratres mei, velut altiſſimæ paupertatis filios ſuſpicite: hos veros Dei pauperes agnoſcite. Hi enim ſunt præclara Religionis noſtræ lumina, ac deliciæ: hi Capucinorum decus, & gloria, à quibus Dei Eccleſia plurimùm illuſtratur.

*Vera Paupertatis argumenta declarantur.*

VIII. Contrà verò, ſi alij fuerint ſanctiſſimæ Paupertatis oſores, qui vana, ac ſuperflua quamplurima affectent, qui munuſcula dare, & accipere gaudeant: qui curioſis delectẽtur; qui molliores habitus, molliores tunicas, molliorẽ lectũ, molliores lodices, molliores puluinos, mollia tandẽ omnia ſibi ſollicitè quærãt: atq; ab aſperis abhorreãt: qui lautiores menſas ament, qui de ciborum qualitate, aut quãtitate ſæpè obmurmurent; qui locorum amplitudine, ac curioſitate oblectentur: qui in Monaſteriis ædificandis, non paupertatem, ſed vel commodum, vel curioſitatem ſectentur; qui in domeſticæ, atque Eccleſiaſticæ ſupellectilis vſu, in quo Paupertas elucere debet, copiam, vbertatem, pretioſitatem, aut quæ à ſimplicitate diſſentanea ſunt, ſub ſpecioſo diuini cultus titulo conquirant; qui rerum prouiſionibus exultent, qui denique ita pauperes haberi volunt, vt nihil illis, vel ad neceſſitatem, vel ad corporis commodum deſit. Horum, Fratres mei, fugite conſortia: neque vlla vobis cum illis, præterquam charitatis commercia ſint: lues enim paupertatis ſunt, qui tum ore, tum facto venenum geſtant, quo bonos corrumpunt, paupertatem interimunt, ac Religioni tenebras offundunt.

*Ficta Paupertas quàm fugienda.*

*Falſi Pauperes ſuggillantur.*

IX. Cùm itaque Capucinum Fratrem, ſanctiſſimam Paupertatem contemnere, ac nullo ipſius zelo affici, perſpexeritis; æquum ſanè eſt, vt & ipſius orationem, & virtutes, & vitæ conuerſationem ſuſpectam habeatis. Tales enim quamplurimos vidimus; qui cùm multis virtutibus florerent, vix ſanctam à ſe paupertatem abiecerunt; mox omni virtute expoliati, turpiſſimè prolapſi ſunt, ſeque in perditionis viam præcipites dederunt. Quamobrem qui Deo placere, ac tuta via in Religione incedere cupiunt; ſanctiſſimam Paupertatem, tanquam viæ ducem, ac firmiſſimum Religionis fundamentum amplectantur; ſine quo, nec

*Paupertatem negligentes in omnia vitia prolapſi.*

*ipſa Religio ſtare poteſt. Sicut enim effoſſo domus fundamento, eam prorſus ruere neceſſe eſt: ita qui paupertatem à Minorum Religione auellunt; Religionem ipſam ad caſum prouocant: quare horrendum iis iudicium imminet, qui relaxationes in paupertatem inuehunt; eamque in ſeipſis trucidantes, quantùm in ipſis eſt, Religionem ad interitum rapiunt. Hi namque cùm non B. P. Franciſci, ſed Fr. Eliæ Filij ſint, Chriſti paupertatis hoſtes, ac Religionis deſtructores, nullam in Dei Regno hæreditatem ſibi vendicant.*

*Charitas, & Paupertas præcipua Religionis fundamenta.*

X. *Quapropter, dilectiſſimi Fratres, vos omnes in Domino hortor, ac moneo: vt omni ſtudio, ac ſollicitudine feruentiſſimæ orationi inſtantes, cæleſtes virtutes, ac potiſſimùm charitatem, ac paupertatem, quæ duo præcipua noſtræ Religionis fundamenta, & veri Fratris Minoris Capucini ornamenta ſunt, à Deo aſſequi omni ſtudio contendatis. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, non vacuos, aut ſine fructu, vos in Religionis vinea conſtituent: ſed abundè vobis introitum in æternum Regnum Chriſti Saluatoris noſtri miniſtrabunt. Deus autem, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti benedicat vos omni benedictione in Cæleſtibus, in Chriſto, cui honor, & gloria. Valete. Datum in Conuentu Caſtri Ioannis die 6. Iunij 1548.*

XI. Hoc modo pius Generalis, tum verbo, tum ſcripto, ac præſertim illuſtriſſimis vitæ exemplis, inſtar aquilæ ſuper pullos volitans, filioſque ad perfectam Regulæ obſeruantiam prouocans, illos ad perpetuas gloriæ coronas parabat: quibus hoc anno, tres inter alios illuſtriores Regulæ cultores, à Deo donati fuêre.

XII. Ex his primus fuit Fr. Antonius Cyrnæus, Sacerdos; qui cùm decem, & octo annorum ſpatio, Deo in Capucinorum Religione perfectè famulatus eſſet, hoc anno in Conuentu Montis Caſalis, terræ corpus, animam verò Deo reddit: cuius vitam à Deo quampluribus miraculis illuſtratam, haud ſilẽtio prætereundam duxi.

## *FRATRIS ANTONII CYRNAEI*
## *Vita, & Geſta.*

XIII. ANTONIVS igitur, è Corſica, Maris Mediterranei Inſula, oriundus; atque in Grammaticæ rudimentis inſtructus: cùm Inſulam inteſtinis odiis, ac inimicitiis diſciſſam cerneret, adoleſcente adhuc ætate, Romam profectus; ibi ſecum, de fugiendis ſæculi periculis, conſilium iniit: quapropter in Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, ordine conſcriptus, in eo, aliquot annos, magna cum virtutum laude tranſegit. Verùm cùm ad duriora pro Chriſto toleranda, ardentiori Spiritus ſancti flamma ſuccenderetur; hinc ad Reformatam S. Frãciſci Familiam, quæ Clarenorum tunc appellabatur, tranſmigrat; quæ deinde ſimul cum Amadæorum Congregatione ſub Pio V. Pont. Max. in Obſeruantium Ordinẽ deſiit. Hîc nouus S. P. Franciſci diſcipulus, plurimùm in virtutibus, ac præſertim in vitæ auſteritate profecit, donec exorta Capucinorũ Reformatione, eorũq; nomine, atq; aſperrimæ vitæ inſtituto, vbique per Ordinẽ diffuſo, Antonius auſterioris vitæ, ac perfectioris obſeruantiæ ſtudio incenſus, ad eos ſe contulit; atque à Ludouico Foroſemproniano anno 1530. Capucinorum numero adſcriptus fuit.

*Fr Antonius Cyrnæus ex Clarenorum Familiã ad Capucinos migrat.*

XIV. Planè admiratione digna ſunt, quæ ſanctus hic Vir, cùmprimùm ad Capucinos acceſſit, præter communes Religionis leges, ac cæterorum vſum Deo, vt creditur, Auctore præſtitit. Cùm enim Euangelica illa Chriſti

verba



verba apud ſe perpenderet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hoc cæleſti edicto perculſus, tanto cœpit in proprium corpus, quod ſpiritui inimicum eſſe haud ignorabat, odio exardeſcere: vt omnem in illud aciem dirigere, idque ad extremũ vſque ſpiritũ perſequi ſtuduerit. Quapropter, ne illud mollibus fortiùs ad pugnandum animaretur; graui primùm loricæ ferreæ pondere, quam nudis membris, per aliquot annorum ſpatia diu noctuque adhærentem tulit, hoſtem edomare exorſus eſt: verùm cùm ea humaniùs, quàm bellum exigeret, ſe hoſtem excipere exiſtimaret; Cilicium ex equinis pilis, vſque ad medium tonſis, confectum, quò magis eorum aculeis perfoderetur, hoſtiſque ſuperbiam frangeret, ac laſciuiam cohiberet, eidem parat. At ne hoc quidem contentus: cùm inimicum, adhuc pugnantem, duriùs excruciare cuperet; ſecundum ex rudi cannabi, duris vndique nodis, qui carnem ſuis aculeis fodinarent, intextum componit: quo domeſticum hoſtem acerbiùs diuexare cœpit. Tertiũ poſtremò, biennio antequam ex humanis excederet; cùm iam annum ſeptuageſimum tertium ageret; ex ſuilla cute, villis ferè vſque ad ima abraſis, longè alijs horribilius ſibi comparat; quo acriùs in familiarem aduerſarium, eo tempore inſurgeret, quo celeriùs ad victoriam properabat.

*Luc. 14.*

*Ipſius vitæ auſteritas prorſus admiranda.*

*Quibus Cilicijs carnem edomaret.*

XV. Hoc igitur primùm belli genere, Antonius, carnem, velut inteſtinum hoſtem aggreſſus; aliud quoque eodem tempore; ne belli inducias illi indulgeret, quibus aduersùs eum vires, & copias inſtauraret, durum, atroxque excitauit. Ita enim quotidianam cibi, ac potus illi annonam intercepit: vt omnem prorſus in ipſo exordio, præter panem, & aquam, ventri eſcam ſubtraheret. Magis verò incaleſcente ad auſteritatem animo; cùm Hilarionis, Macharij, ac priſcorum Anachoretarum ieiunia propiùs imitari vellet: à pane abſtinens, quinque duntaxat vel ficuum, vel mollium fabarum; vel alterius generis leguminum vncias, vnicúmque aquæ calicem ſibi, in qualibet die, ad cibi, ac potus menſuram præſcribit; atque hac viuendi forma tandiu vſus eſt quoad fabis, aut fructibus interdum deficientibus, ad totidem panis vncias quotidianum cibum contraheret. Aetate verò iam ingraueſcente, quæ in alijs ieiunia, aut moderare, aut penitus abolere ſolet; cùm iam ſeptuageſimum annum ageret, nouum quoddam, ac portentoſum ieiunij genus colere cœpit: Nam per plures hebdomadæ dies, ab omni cibo, potúque abſtinens, vix ter in hebdomada panem, & aquam ſibi ad vitæ alimoniam adhibebat.

*Incredibilis illius Abſtinentia enarratur.*

XVI. Cuncta iam, veteranus miles, carnis conſilia, ac bellicas artes, quibus ea ſpiritum aggredi ſolet, ipſo longo rerum vſu, ac exercitatione aſſecutus videbatur. Quo fit, vt nihil prorſus rigoris, atque aſperitatis prætermitteret, quo hoſtem eneruaret. Corpus ita nuditate affligebat, vt cùm glacialibus hyemis frigoribus, quæ in Vmbria, vt plurimùm, acriora eſſe ſolent, vniuerſa rigerent; is ſolo habitu obſoleto, ac lacero, abſque tunica, & pallio, illud obtegeret; non vt frigus depelleret; ſed vt nuditatem Religionis habitu honeſtaret. Cum oculis fœdus pepigerat, vt ſomni tantum duntaxat caperent, quantum vix naturæ ſufficere poſſe quis exiſtimaret: tres enim non ampliùs horæ quieti ſatis ſibi eſſe videbantur; & cùm neceſſarius ſomnus vrgeret, haud molliùs, quàm ſubſtratis tabulis, quieſcebat. Poſt tam breue ſomnum exurgens, ſacraſque excubias obſeruans, reliquum noctis tempus, totum in oratione, ac diuinarum rerum contemplatione inſumebat. Denique vt nihil carnis afflictionibus deeſſet: ſingulis noctibus, in Dominicæ Paſſionis memoriam, corpus longa flagellatione caſtigabat.

*Variæ illius Corporis Macerationes indicantur.*

XVII. Nouo porrò, hoc tempore, atque a paucis eatenus vſitato, caſtigationis genere vſus, ſemel in anno, tot verberũ, ictibus, totum corpus cædebat; quot Dominum in ſua flagellatione ſuſtinuiſſe Sanctorũ reuelationibus traditũ acceperat: qui ad numerũ (vt ferunt) 6666. excreuerũt. Hãc verò flagellationẽ, in qua quinque integras horas impẽdere ſolitus erat: cùm certo experimento didiciſſet, tanto tẽporis ſpatio hũc verberũ numerũ expleri, Domini Flagellationẽ appellabat: quę quoniã ab eo ad

*Dominicam flagellationẽ per quinque horarum ſpacia exercet.*

 Dominicæ

Dominicæ Flagellationis memoriam, ac imitationem inſtituta erat, mirum planè quàm Satanæ inuiſa, ac moleſta eſſet: ita vt ſæpè Antonio, ſub monſtruoſa ſpecie apparens, eum vi omni impedire, atque ab ea deterrere conaretur. Quod aliis quoque quamplurimis deinde accidit; qui poſt Antonium, ea ſibi vti propoſuêre; quos Diabolus variis artibus & terriculamentis aggreſſus eſt, ne illam ad finem vſque perducerent. At ſtrenuus Chriſti Athleta, fortiùs cum hoſte dimicans, Dæmonem ſibi infeſtum oratione, ac ingeminata flagellatione fugabat.

*Diabolus flagellationem Dominicam impedire conatur.*

XVIII. Inter tot, ac penè incredibiles vitæ aſperitates, quibus Antonius aduersùs domeſticũ, & acerrimũ hoſtẽ cominùs pugnabat, Deóque propriũ corpus, velut gratam Sacrificij hoſtiam, mactabat; illud in eo planè mirabile erat, quòd ſemper rubicundus, eam in vultu ſerenitatem, atque hilaritatem oſtenderet, quaſi inter ſplendidas epulas, & quotidianas delicias verſaretur: quod ſanè haud aliundè, quàm à concepto diuini Spiritus æſtu, quo intus in animo ardebat; ac velut cœleſti pabulo alebatur, proficiſci poterat.

*Ipſius, in tot vitæ aſperitatibus, vultus hilaritas.*

XIX. Hinc frater quidam, Tadæus nomine, Antonio familiaris, cùm eo maximè admiraretur; quo pacto inter tot corporis auſteritates is diu viuus, nedum incolumis ſtare potuiſſet: aliquando ab eo percontatus fuit, quot annorum ſpatia in eo vitæ genere traduxiſſet? Reſpondit ille; quindecim annos eatenus ſibi in Religione elapſos fuiſſe, ex quo illud viuendi genus inſtituerat. Veruntamen cùm plurima mentis humilitate præcelleret, ſtatim addidit: At quorſum id à me queris? Num quaſi magnum, aut eximium aliquid exantlauerim? Falleris certè: Nihil meum Frater, agnoſcas: ſed quæ Dei ſunt, Deo redde. Haud ea omnia, quæ nobis magna videntur, magni ſemper apud Deum æſtimari ſolent: pleraque in Dei ſtatera parui ponderis ſunt, quæ apud homines alta, ac ſublimia videntur. Si opus, quod ab homine proficiſcitur, expendas; illud profectò eatenus bonum cenſeri debet, quatenus ex Deo eſt, & ex illius amore, & charitate manat. Quis verò, quantumcumque Deum ſibi diligere videatur, ipſius charitatem ſibi certò polliceri valet? ex quo ab eo exantlatum opus, bonum, ac Deo gratum eſſe, ſibi ablandiri queat. Tam enim amor ſui cuique blandus, ac coniunctus eſt: vt frequenter ſe diuini amoris exuuijs contegens, atque in Dei charitatem ſeipſum transfigurans, eum, qui non eſt, ſe eſſe ſimulet; ac ſub ementita diuinæ charitatis ſpecie, ita opus eludat: vt cùm aurum ſe Deo obtuliſſe arbitratur, nihil præter ferramenta protulerit. Quot præterea, aut latentis ſuperbiæ, aut humanæ gloriæ, aut vanæ preſumptionis venena, in ipſas hominis virtutes irrumpunt; quæ cùm illas inſana aliqua cupiditate corrumpant, ac vitioſas reddant, à Dei charitate diueilunt? His hominum opera, quantumcumque illuſtria, ac præclara; cùm morbis affici queant, quæ in ipſis ſpiritualem charitatis vitam extinguunt: magna profectò haud cenſenda ſunt, quouſque Iudex Dominus adueniat, qui & iuſtitias iudicet, & cuiuſque opera cuius ponderis ſint, examinet.

*Opera ſua humilitate extenuat, ac Deo tribuit.*

*Amor ſui interdum in Dei amorem ſe transfigurat.*

*Hominum opera, quanti Valeant, à Deo Iudicanda.*

XX. Hac diuinæ gratiæ, & charitatis incertitudine, Antonius, operum ſuorum magnitudinem, in omnium oculis deprimere: alioſque ad eos vitiorum anfractus euitandos, quibus bona eorum opera periclitari poſſent, prouocare ſtudebat: cùm aliàs nihil ſibi prorſus in omni virtutum opere tribueret; ſed Deo totum adſcriberet, qui omnium bonorum fons, & origo eſt; quiquè ſolus, quod bonum eſt, dat velle, & perficere.

*Deo bona opera tribuenda*

Paupertatem, amantiſſimam B. P. Franciſci ſponſam, tam ſeriò Vir Dei æmulabatur; vt nequicquam ſibi præter habitum, cingulum, fœmoralia, Regulam, ac Breuiarium, temporali vſu ſibi conceſſa vendicaret: dicèreque ſolitus erat; cætera omnia, quæ minùs neceſſaria ſunt, Fratres non parum à ſpirituali profectu retardare; ac Purgatorijs pœnis obnoxios reddere. Hæc cùm ſemel Fratribus collectis proponeret, Frater Bernardinus à Collepetracio, qui officio Prædicator erat, Antonio reſpondit. Equidem quod ad ſpiritus profectum ſpectat, maximè ab iis

*Non neceſſarijs delectari, quàm perniciosum.*





cauendum eſt, quæ illum, vel impediunt, vel diminuunt. At ſi de Purgatoriis pœnis agitur: vtinam hæ mihi poſt mortem ex Dei benignitate obuenirent. Cui Antonius: Neſcis Bernardine, inquit, neſcis, quid tibi, aut optes, aut petas, & quò te Dei Spiritus vocauerit, etiamnum ignoras: an non ad Euangelicam perfectionem, te Religionis Seraphicæ Profeſſio prouocat? quid verò Purgatorias pœnas expetere, aliud planè eſt; præterquàm in Euangelicæ perfectionis via, ſtrenuè proſequenda, ſe negligentiorem declarare? cùm enim veniales peccatorum ſordes, eæ ſint, quæ dum animam maculant, cæleſtis Regni illi ingreſſum prohibent, donec Purgatoriis pœnis abſterſæ, & expiatæ fuerint. Qui pœnas ſibi Purgatorias optant: ij profectò, vel ſe horum peccatorum cupiditate adhuc teneri; vel minus ab eorum labe abhorrere oſtendunt. Quo fit, vt Euangelicam perfectionem non ea, qua æquum eſt, animi ſtrenuitate, ac diligentia proſequantur: ſed vel ab ea proſequenda deſiſtant, vel ad eam duntaxat negligentiùs tendant; quod Religioſæ profeſſionis vitium eſt, ac ſegnioris animi argumentum.

*Euangelica perfectio venialium etiã culparum cupiditatem excludit.*

*Purgatoria pœna non optanda.*

XXII. At qui in hiſce venialibus culpis extirpandis deſidiores ſunt, quàm Euangelicus ſtatus, ac Religionis perfectio ferat; maximè pertimeſcere debent, ne nimia eorum familiaritate, ad grauiora, ac mortifera peccata pertrahantur; neque dum Purgatorij pœnas non fugiunt, in æternas impingant. Cuncta itaque, Bernardine, tentanda ſunt; vt iis omnibus, quæ à perfecta Euangelicæ perfectionis diſciplina animum remorantur, obtruncatis; rectà poſt mortem Cælum conſcendere liceat. Hæc Antonius, non ad Bernardini tantummodò, ſed ad poſteriorum quoque diſciplinam grauiter perpendenda admonebat.

*Peccata venialia non vitantes, in grauiora impingunt.*

XXIII. Nihil huic Seruo Dei Oratione, ac rerum diuinarum contemplatione, vnquam aut optabilius, aut familiarius fuit: quam ita ſibi ſemper coniunctam habuit; vt cùm ab ea vix diuelli poſſet, maiorem cum illa diei, ac noctis partem tranſigeret: Fratrúmque ob id colloquia refugeret: nemora, ac ſolitaria loca, in quibus Deo liberiùs vacare poſſet, ſollicitè quæreret. Solitudinem namque Deo dicatam: ſolitariámque vitam cæleſtis doctrinæ ſcholam, ac diuinarum artium diſciplinam eſſe nouerat. Quo fit, vt Montis Caſalis Conuentum, qui longiùs ab hominum turba inter nemora deliteſcebat, ſummoperè diligeret; atque vt plurimùm ſibi habitandum, Superioribus annuentibus, deligeret. Erga ſacra Altaris Myſteria, in quibus præcipua Dei charitas effulget, tam mirè afficiebatur; vt cùm iis quotidiè ſumma Religione, incumberet: tanto in eorum contemplatione mentis exceſſu raperetur, vt totum ferè Matutinum tempus, quod illi ex Horis Canonicis ſupererat; in ea, velut ſpiritu excedens, vel in Eccleſia, vel interdum in nemore contereret, quò ardentiùs ad Altare accederet. In hoc, planè ineffabile, diuinæ charitatis opus, dum Peruſiæ aliquando, in ipſo Conuentus nemore, ardentiùs animum intenderet: Fr. Bernardinus à Collepetracio, qui inter primos virtutum ſanctimonia enituit: cùm eò oraturus acceſſiſſet, Antonium diuino ita ſpiritu incenſum offendit: vt vultum; inſtar flammei globi præſeferret: totuſque diuinæ charitatis flammis abſorptus, nihil præter hæc verba inclamaret. Ieſu, Ieſu, Amor meus, gaudium meum.

*Solitudo orationis amica ab Antonio quæritur.*

*Ardens Antonij facies videtur.*

XXIV. Is porrò, cùm à quodam Fratre aliquando interrogaretur: quo pacto tandiu, nocturno præſertim tempore, Orationi abſque ſomno vacare poſſet, ita reſpondit. Dei Seruus, quod in ſe eſt, præſtare debet; vt Dei dona, quæ omnibus præſtò ſunt, eum minimè imparatum offendant. Deus enim, qui cordium inſpector eſt; non tam ipſam bonorum operum ſubſtantiam, quæ à Deo magis, quàm ab homine manat, quàm pia hominis ſtudia, ac deſideria, quæ opus ipſum præcedunt; apud ſe ponderat. Hinc eſt illud Vatis: *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Noſtrum quidem opus eſt; Frater chariſſime, obices, quibus Dei dona, quò minus in nos defluant, impedire poſſunt, omni ſtudio amouere; ipſaque Dei dona, ardenti quodam mentis deſiderio complecti.

*Deus magis animũ, quàm opus ſpectat.*

Pſalm. 9.

Verùm nec id ſatis eſt : diuina ſiquidem munera, non deſiderantibus tantùm; ſed piè, ac ſollicitè petentibus dantur : *Petite* (inquit Chriſtus) *& accipietis; quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Petere igitur, quærere, & pulſare, omni cum humilitate, patientia, & animi contentione opus eſt : vt diuinæ liberalitatis munificentia fruamur, Pater enim ille cæleſtis, piis Filiorum ſuorum lachrymis, atque orationibus delectatur; datque ſpiritum bonum petentibus ſe. Quapropter, qui bono aliquo cæleſti, quod humano ſtudio minimè aſſequi poteſt, ſe indigere ſentit, illud à Deo poſtulare debet; qui dat affluenter. Quo reſponſo Vir Dei indicare voluit, quæcunque à Deo eatenus beneficia acceperat, ea non tam humana induſtria, aut diligentia, quàm aſſidua oratione, à Deo aſſecutum fuiſſe.

*Ioann. 16.*

*Oratio ad Dei dona conſequenda neceſſaria.*

XXV. Poſt refectionem, eò quòd minùs illi ad orationem aptum tempus videretur; Pſalmos Pœnitentiales, Officiúmque pro Defunctis Deo exoluere ſolebat. Percunctante verò cuidam, qua via ad rerum diuinarum contemplationem pergendum eſſet, reſpondit : Tria, inter alia, homini ad contemplationem potiſſimùm neceſſaria eſſe : Nimirum Abſtinentiam, corporis robur, & ſolitudinem. Duo quidem priora, ſe à Dei benignitate accepiſſe: tertium verò necdum perfectè aſſecutum fuiſſe, affirmabat; ob id maximè, quòd obedientiæ iugo ſubiaceret; cuius cùm obſeruantiſſimus eſſet, nihil prorſus abſque Superioris imperio agebat; ſed nec agendum eſſe aſſerebat. Obedientiam enim omnis Religioſi operis ſalem, & condimentum eſſe docebat : quam ſi ab eo tollas, iam illud inſulſum, ac Deo minùs gratum eſſe oportet. Quo fit, vt ſolitudinis tranquillitati, atque Orationis ſacrificio, obedientiam nullo nunquam tempore præferret.

*Quanam ad Contemplationem neceſſaria.*

*Obedientia Contemplationi præferenda.*

XXVI. Humilitatis virtuti, tanquam omnium virtutum fundamento, iam ab exordio tam tenaciter adhæſerat : vt ad omnem prorſus ab animo tumorem depellendum, nunquam aliis, aut honore anteferri; aut dignitate præeſſe voluerit. Nunquam adduci potuit, vt vel Guardianatus, vel alterius gradus eminentiam acceptaret; ratus meliorem, ac tutiorem eorum, qui ſubſunt, quàm qui præſunt, conditionem exiſtere. Charitate verò adeò erga pauperes flagrabat, vt dum in Conuentu Fulginij degeret, à pleriſque diuitibus; vberes eleemoſynas, ad alendos pauperes extorqueret : Aliis quoque, qui aduerſa valetudine detinebantur, incolumitatem polliceretur; ſi certam eleemoſynæ quantitatem in pauperes erogarent : quam illis, poſt exolutum pretium à Deo mox precibus impetrabat : hoc pacto plures ægrotos, diuina virtute, ad corporis, & animi incolumitatem reuocauit. Nihil penitus charitatis, ac officij Vir Dei prætermittebat, quo pauperum inopiam, modis omnibus, ſubleuaret. Nam cùm cætera illi adminicula deeſſent, quandoque lanam à Dominis, & Gregum tonſoribus eleemoſyna mendicatam accipiens; ex ea egenis pannos abſq; pretio conficiendos curabat. Interdum quoq; triticum, ſiliginem, hordeum, à Ditioribus pauperum nominè emendicans, ex his panem confici, ac pauperibus erogari ſatagebat. Porrò tam ardenter his charitatis officiis incumbere ſolitus erat, vt tum ob crebra miracula, quæ ab eo Dei virtute, in hoc genere patrabantur : tum etiam ob præclaras illius virtutes, quæ iam cunctis perſpectæ erant; eam ſibi apud omnes ſanctimoniæ famam comparaſſet : vt iam non alio, quàm ſancti Patris nomine, vulgò paſſim appellaretur.

*Antonius Ægrotos animo, & corpore curat.*

*Sanctimoniæ opinione apud omnes celebris.*

XXVII. Tot Antonij virtutes, quibus clarum ipſius nomen, tam apud Deum, quàm apud homines, illuſtris reddebatur : cùm Satanas, perpetuus bonorum omnium hoſtis, ferre nullo modo poſſet; iniquum aduersùs illum conſilium excogitat; quo vel ipſum proſternat, vel ſui ſaltem nominis apud homines gloriam commaculet. Fulginij, vbi tunc Antonius, in ea Conuentus Familia conſcriptus, degebat: cuiuſdã Monaſterij Moniales, mala apud vulgus fama, haud abſq; aliquarum culpa laborabant: quas cùm Antonius ad honeſtioris vitæ formã reuocare cuperet, facultate à Superiore obtenta, ad Monaſteriũ accedit: ac tã ſeriis cũ his cohortationibus agit : torque apud Deum pro iis lachrymas, ac ſupplicationes fundit; vt quæ culpa aliqua

*Moniales mala fama laborantes ad meliorem frugē reuocat.*





labefactatæ erant, Diabolóque locum dederant, mox macula pœnitentia abſterſa, ex animo ad Chriſtum redierint. Id verò inuidus Satan tam iniquè tulit; Vt protinus in Sancti viri famã, Diabolico planè conſilio, cõſpirauerit: Etenim, dum Antonius cũ Socio, in Monialium domo, quę Monaſterio coniuncta eſt: quæque domeſtici Famuli habitationi eo tẽpore deſeruiebat, aliquantiſper quieſcit. Dęmon, Ruſtici forma, & habitu aſſumpto, eò accedit; intrò ſpectat, ac turbato illos vultu intuens; nõnullâq; inter labia Verba obmurmurans, ab ijs protinus abſcedit: foreſq; exterius peſſulo claudit. Mox verò vrbis vicos, & plateas circumiens, vbique inclamat: Heu Ciues, accurrite, feſtinate. En Sacrarũ Virginũ ſtupratores; en qui Monaſterij clauſtra violarunt; en publici honoris prædones. Iã nunc in Monialiũ domo occluſi latent: quid cunctamini? eia in domum irrumpite: apprehẽdite, rapite, morte mulctate. His Satan vocibus quidem, verùm multò magis Tartareis ignibus Ciuium animos inflammans, eos ad tumultum concitabat. Vix porrò ea vox in Vrbe audita fuit; cùm agminatim omnes, vt ſacrilegos Conſtupratores teneant, ad Monaſterium concurrunt. Intereà Antonius, qui peſſimam Dæmonis artem haud obſcurè agnouerat, humi proſtratus Dominum cum lachrymis deprecabatur, ne ſeruorum ſuorum famam, Diaboli opera periclitari pateretur. Aberat tunc domo famulus, alijs Monaſterij negotijs occupatus, quum repentè vocem è cælo ſibi imperantem audit. Quid hîc ſtas? Cito, domum reuertere. Ea quidem ille voce obſtupuit, cùm vnde erumperet, ignoraret: verũtamen illi mox obtemperãs, vix medium iter peregerat; cùm totam Vrbem ad Monaſterij domum confluentem; ſatellitiúmque eò properantem animaduertit : cui cùm obuiam fieret, tumultuſque ab eo cauſam intelligeret; turbam, ac ſatellitium, ne in domũ irruant, verbis compeſcit; tum domus fores patefaciens; Antonij illis conditionem, ac ſanctimoniam indicat; quorſum eò aduentauerit, quãtumque ſpiritualis vtilitatis ei Monaſterio attulerit, opportunè, ac prudenter aperiens, nullo negotio, excitatas turbas ſedat. Hoc pacto Satanæ opus, Deo Auctore, diſſolutum, in graciles ſpumas abijt, maiorémque Antonio apud omnes gloriam comparauit.

*Dæmon Vrbem aduersùs Antoniũ concitat.*

XXVIII. Rurſus verò Antonius, cùm in eodem Fulginij Cõuentu, Dęmonem iuxta Ciſternam vidiſſet, binas manu vrnas, quibus lympham attingeret, geſtantẽ; eidem ait: Quid hîc agis mala beſtia? Vndenam ſibi tanta huius aquæ ſitis? At Dæmon nullo illi reddito reſponſo, actutùm euanuit. Porrò Vir Sãctus intellexit, duplicem illam vrnam, qua Ciſternæ aquam Dæmon attingere optabat; duplicem amorẽ ſignificare; ſui nimirum, & ſæculi: quẽ Satan Fratribus propinare feſtinabat: vt Deo fonte derelicto, ac viua Regularis obſeruantiæ aqua contempta, ad fœculentas, ac diſſipatas ſui, ac ſæcularium rerum amoris ciſternas accederent.

*Antonius Diabōlum duabus vrnis aquam attingentem cernit.*

XXIX. Interea tam ingẽs vbique, ac Fulginij pręſertim, de Antonij Sãctitate fama percrebuerat; vt qui ægritudine aliqua laborabant, vndique ad eum curandi confugerent: quos ipſe ſigno Crucis in fronte, vel in pectore impreſſo, ab infirmitatibus liberos dimittebat: Hoc modo, quandoquidẽ quamplurimos quoque à Dæmone obſeſſos curabat; horum omnium tam ingens, ac copioſus numerus fuit; vt cùm nulla à noſtris, tot ſignorum, ob multitudinem, ratio habita fuerit, inopes nos illorum copia fecerit, vixque aliquorum memoria ad nos ſuperſtes peruenerit. In his illud, quod de Phyſici Fulginienſis, qui Ioannes ab Interamnia appellabatur, filio narratur, præclarum eſt: Qui vlcere inſanabili laborans, cùm Antonio curandus oblatus fuiſſet: is cumprimùm certam pauperibus eleemoſynam erogandã Patri pręſcripſit; ſigno Crucis conſignatum mox à morbo liberat.

*Signo Crucis Aegrotos ſanat.*

*Vlcere inſanabili laborantem ſigno Crucis curat.*

XXX. At illud præclariùs, quod de Proſpero è Veruchiano, Agri Fulginienſis Oppido, monumentis traditũ legitur: qui cùm filiũ, iam per quadriẽnium mẽbris attractum in lecto iacentẽ lugeret: audita ſancti viri fama, conſilióque cũ vxore inito, filiũ ad ipſũ deferẽdũ curãt. Hi cùm primũ ad S. Valẽtini Cõuentũ cũ filio acceſſerũt; in Eccleſię area cõſiſtentes, Sãctũ Virũ obnixè rogãt; vt Crucis ſignum filio adhibeat; ex

*Puerum attractum oratione incolumem reddit.*

quo certa fide ſanitati reddendum ſperant. Erant tunc cum Antonio plerique alij Fratres, rei exitũ expectãtes; Antonius verò oculis in Cælũ erectis, cùm aliquantiſper oraſſet; ab iis paululùm diuulſus, Matrem cõpellit; vt puero, quem inter brachia gerebat, humi depoſito longiùs ab eo abſcedat. At Mater. Heu Pater (inquit) ſimulatque à me Puer humi depoſitus fuerit, ſtatim corruet: neque enim is vllo pacto pedibus ſubniti valet. Cui Antonius: Quid hæſitas Mulier? (inquit) Illic Puerũ in Ieſu nomine humi depone, tũ velox ad nos accede. Paret illa: Pueróque è ſinu depoſito ad Antonium celeriùs feſtinat. Puer verò, quaſi nullo vnquam morbo laboraſſet; ſuper pedes ſtans, ac perfecta membrorum incolumitate fruens, ad Matrem, quæ illum vocabat, lætus citò cucurrit; atque in ipſius ſinum aduolauit. Id porrò factum, cùm ingentem parentum animis lætitiam peperiſſet, vix quod cernebant, credere poterant. At Dei miraculo comperto, pro accepto beneficio, mox ante ſacram Euchariſtiam proſtrati, Deo ex animo gratias referunt.

*Varijs Morbis laborãtes Crucis ſigno curat.*

XXXI. Huius Miraculi fama, cùm ad Franciſcum à Vega, Fulginienſem Ciuem perueniſſet: cui Filius, adhuc Puer, pluribus iam menſibus, graui morbo cruciatus, nullis pharmacis iuuari potuerat; illum ad Virum Dei defert, ab eóque Crucis ſignaculo muniri poſtulat: quo ſignatus, ſtatim à morbo incolumis euadit. Eodem quoque modo, Vincentius Pacinus, qui poſt hæc Deo dicatus, ac Sacerdotio inunctus fuit; cùm à teneris annis comitiali morbo afflictatus, ſæpè Epilepticis ſymptomatibus corriperetur; ad Antonium delatus, Cruce ab eo in capite ſignatur; protinúſque morbo effugato, conualuit; neque eo ampliùs diuexatus fuit.

*Cæco puero lumen reſtituit.*

XXXII. Inter hæc, cùm Vir Sanctus, ex Agro Perusino, ad MontisCaſalis Conuentum proficiſceretur, contigit; vt in via, haud longè à Phratta Peruſina, in quandam Virorum, ac Mulierum turbam incideret: quibus cùm Antonij Sanctimonia haud ignota eſſet: Puerum, oculorum lumine captum, illi iuxta campeſtre Sacellum, curandum offerunt. At is Puerum manu apprehenſum in Sacellum introducit; & cùm ante B. Virginis Imaginem omnes adgeniculari iuſſiſſet: iis, vt quinquies Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem recitent, indicit. Interea pro Puero Dominum orans; abſoluta oratione, Crucis ſignum Cæci oculis imprimens, ad eum inquit: Fili, reſpice in me. Is verò confeſtim oculos aperiens, in eum lumina intendit. Cui Antonius, Num me clarè vides? Clariſsimè, Pater, (inquit) te Capucinum Senem, nudipedem, ac corda præcinctum intueor. Da igitur Deo Optimo Maximo gloriam (inquit Antonius.) Tum ad Matrem conuerſus: En Filium tuum Beatæ Virginis ſuffragio incolumem; da operam, vt in Deiparæ Virginis pietate educetur; téque illi in ea pietate ducem, & exemplum præbe. Eo miraculo perſpecto, mox vniuerſi in genua procidentes, immenſas Deo, ac B. Virgini gratias perſonant.

*Cæcam, & Epilepticam ſigno Crucis ſanat.*

Hoc itidem modo cùm per Agrum Tifernenſem iter faceret: Puellæ, quæ oculorum lumine carebat, illius oculos ſputo ſuo liniens, viſum reſtituit. Rurſus propè Vrbem Fulginij quædam Caupona erat, quæ Sancti Rochi nuncupabatur; quò cùm aliquando veniſſet Antonius, puellam quandam Epilepſia laborantem reperit: quam ſigno Crucis à morbo liberat, atque inde Taberna nominis appellatione mutata, deinceps Fratris Antonij Taberna nuncupari cœpit. Quamplurima alia, ac ferè innumera, Sanctus hic Vir, Deo operante, Miracula edidit, quæ ſancta illa antiquorum noſtrorum Fratrum humilitas, quæ ab omni faſtu, ac honoris cupiditate longè aberat, notanda, aut ſcriptis exaranda neglexit: hæc verò, quę publica fide, ac fama, teſtimoniíſque fide dignis commendata ſunt, minimè prætereunda cẽſui: ne dum plus æquo humilitati; ac ſilentio datur; minùs diuino honori, qui ex Dei Seruis redundat, conſulatur.

XXXIII. Cùm igitur Antonius, in hac virtutum palæſtra, vſque ad ſeptuageſimum quintum ſuæ ætatis annum decertaſſet; ex quibus decem, & octo poſtremos, in ſummis vitæ auſteritatibus, ac virtutum omniũ ſtudio apud Capucinos cõſumpſit; cæleſtis Coronæ tẽpore iam appropinquante; in Cõuentu MontisCaſalis, acuto laterũ dolore corripitur, quo maxima cum animi patiẽtia tolerato; cùm ſe ad extremã rerum

omnium



omnium metam properare animaduerteret: diuina Sacramentorum armatura, ad ſupremam ſe cum hoſte pugnam ineundam, contegendum curat. Inter hæc, quandoquidem nonnihil trepidare viſus eſt; à Fratre quodam interrogatus, quã ob cauſam timeret? Reſpondit: haud nouus hic mihi timor eſt, Frater, Dei enim Iudicia expaueo, qui terribilis eſt in conſiliis, ſuper filios hominum. Adhuc enim; an opera mea Deo placita fuerint, ignoro. Paululùm cùm oculis in Cælum defixis ſubſtitiſſet, protinus exclamare cœpit, O Fratres, verè fœlices. ô terq; quatérq; beati Capucini, qui in Sanctitate, & Iuſtitia, omnibus diebus ſuis, Deo famulantur: quot illis Coronas paratas cerno.

*Dei Iudicia extimenda.*

*Antonius ex humanis migrat.*

Interea Fratres, dum ad Pleuritidis dolorem ægroto ſubleuandum, frequentiùs panniculos, lateri applicandos calefaciunt, caſu ſimul omnes ab Antonio diſcedunt: quo tempore is à Domino vocatus, ex humanis migrat: quapropter, Fratres, ad Antonium redeuntes Sanctum Virum in ſtrato adgeniculatum, apertíſque oculis, perinde ac ſi vita frueretur, Cælũ intuentẽ è viuis exceſſiſſe cernunt; quẽ omnibus, (vti fieri ſolet) officiis proſequutũ, omni cũ Religione ſepeliũt.

XXXV. Porrò F. Ioannes Appulus, qui illum ægrotantem curauerat; cùm à viuente adhuc Antonio poſtulaſſet; vt eorũ, quæ ſibi poſt obitũ contingerent, certiorẽ quamprimùm redderet: idque is pollicitꝰ fuiſſet, dũmodò diuina ad illud volũtas accederet, Antonij promiſſa expectabat. Iam verò quàm profunda, ac tremenda Dei Iudicia ſint; quãtoquè cũ mẽtis timore, ac tremore, Dei Seruis in hoc vitę incolatu cõuerſandum ſit: ex his, quæ modò dicenda ſunt, licèt perſpicere. Sex enim, poſt Antonij mortem, mẽſes iam elapſi erant; quum Ioanni, Matutino tempore è Cella exeunti, quinque defuncti Fratres, in ipſo Cellæ liminè ſeſe conſpiciendi offerunt: inter quos prior èrat Antonius, ſecundus Iacobus Hiſpellenſis, tréſque alij ex Obſeruantium Familia.

*Antonius Ioanni Appulo poſt mortẽ apparet.*

Porrò Antonius eo adhuc lacero habitu vtebatur, quo illum, Fratres, poſt mortem indutum, terræ cõdiderant. Illicò Antonius Ioannem conſuetis illis inter Fratres verbis, *Aue Maria*, ſuauiter ſalutat. Cui Ioannes, eo aſpectu lætatus. Benè, inquit, tibi ſit Antoni, diu expectate: Quid tandiù aduentũ diſtuliſti? Vtique (reſpondit ille) Dei voluntas non fuit, vt citiùs tibi apparerem. Benedictus Deus, ſubdit Ioannes. Cúmque omnes Cellam ingreſſi ſederẽt; Ioannes Antonium compellat: vt quiſnam ipſius ſtatus ſit; numvè æterna ſalute fruatur, aperiat.

*Damnationis periculum narrat.*

Salutem, (ait Antonius) ex Dei gratia cõſecutus ſum: verùm maximo me in damnationis periculo, ob vnicam tantummodò culpam, quam cùm non agnoſcerem, nihili faciebam; inuolutum conſpexi: Sola Ieſu Chriſti Paſſio, ac Sanguinis illius virtus, deſperatam propè mihi ſalutem contulêre, ac Purgatoria pœna donarunt; quã nos omnes coniunctim Deo exoluimus. Papæ (ait Ioannes) quid illud criminis fuit? Cui ille.

*Cautè in Regulæ præceptis ambulandum.*

Cùm Fulginij, S. Valentini Conuentu derelicto, nouus S. Ioſephi titulo ędificatus eſſet: Fratres ære alieno opprimebantur: in quo exoluendo, cùm operam meam præſtarem; minùs cautè quàm Regulæ puritas, ac Pontificum decreta ferrent; imprudens tamen, in eo me negotio geſſi: Culpa quidem mihi ignota fuit, quæ ſi nota fuiſſet, ab ea procul dubio abſtinuiſſem. At Diuini Iudicij ſeueritas, quæ diſtrictè vniuerſa ponderat; meámque in agendo temeritatem, & in recta via exquirenda, ſocordiam metiebatur; haud inultã abire paſſa fuit.

*Monaſteriorum ædificatio periculis plena.*

His Ioannes. Væ nobis, inquit, & quis poterit ex nobis ſaluus fieri? Cui Antonius. Scito, Frater chariſſime, eos, qui in hoc Religionis exordio, in quo feruor ſpiritus, ac purior Regulæ Obſeruantia viget: Conuentuum ædificationibus haud ſe miſcent; cunctos ferè Cælum, & vt plurimùm, rectà, abſque vlla Purgatoria pœna conſcendere: qui verò ædificationibus aut pecuniis, non obſeruata paupertatis, aut recta Regulæ ratione ſeſe immiſcent; omnes ferè in damnationem ruere. Poſtremò cùm eum Ioannes interrogaret: Num grauiter in Purgatorio cruciaretur; numque diu ibi detinendus eſſet. Reſpondit ille, leuem quidem eſſe pœnam: ſed ob diuinæ viſionis carentiam illi grauem videri; breui tamen ab ea liberum Dei gratia, ac benignitate futurum. His dictis, Antonius cum Sociis repentè ex ipſius oculis euanuit.

Quis

*Diuinorum Iudiciorum ſeueritas in Antonio expenditur.*

XXXV. Quis ineffabilia hæc Dei Iudicia non ſtupeat? quibus hominem, poſt ſexaginta annos, in Dei famulatu conſumptos, poſt innumerabiles certaminum triumphos de carne, ac Dæmone reuectos; poſt tot corporis martyria, vltrò pro Chriſto perpeſſa. Virum tot virtutibus clarum, tot Dei donis inſignem, tanta ſanctitate conſpicuum; tot denique miraculis illuſtrem; poſt mortem obuolutum, ac penè oppreſſum cernimus Admirationem verò auget; quo pacto, qui tam arcto diuinæ familiaritatis vinculo, Deo coniungebatur; tantáq; diuinorum donorum copia affluebat; vt Dei ſibi in patrandis miraculis virtutem vindicaret: ea luce orbatus eſſet; vt culpæ illius maculam, animo inhærentem non agnoſceret; quo eam dignis lachrymis, ac pœnitentiæ Sacramēto delere poſſet. Hæc ſanè, quæ in Dei iudiciis inexplicabilia cenſentur, obſcuriora ſunt; quàm quòd ea ingenio, aut ratione, comprehendi valeant. Id tantùm nobis in re abſtruſiſſima effari liceat: hæc ad poſterorum exemplum, Deo permittente, accidiſſe: vt qui Regulari obſeruantiæ ſtudent, omnē prorſus ab animo negligentiam, ac temeritatem excutiant. Meminerintque, quibus plus datum eſt, plus quoque ab iis repetendum eſſe. Neque grandia, ac illuſtria ſupererogationis opera exantlare, quicquam apud Deum exiſtimationis ſibi acquirere; ſi neceſſarium Regularis obſeruantiæ opus negligatur.

*Omnis in Regula obſeruātia negligentia expellēda*

XXXVI. Illud poſtremò nonnullis admirandum videri poſſet. Cùm enim poſt Antonij obitum, multa Deus Opt. Max. Miracula ad illius Reliquias patraret. In quibus illud fuit, quod de Siluestro Biturgienſi ex Ordinis Monumentis accepimus: Cui cùm oculorum lumen paulatim ita interceptum eſſet, vt iam nec legere, neque ſcribere vllo modo valeret: vix Conſpicilia, quæ olim Antonio deſeruierant, ſibi oculis admouit: quum protinus tam clara oculorum lumina aſſecutus eſt; vt non modò perſpicuè legeret, ac ſcriberet: ſed clariorem, quàm antea, luminum viſum receperit; eumq; vſque ad mortem integrum ſeruauerit. Quo pacto, qui in purgatoriis pœnis, culpæ illius adhuc labem eluebat, miraculis apud homines emicaret? Res quidem planè inſueta, haud tamen cuiquam incredibilis videri debet; qui Sanctorum Merita, quibus Deo ex Miraculorū maieſtate, gloria accedit, Purgatoriis pœnis, haud quaquam abſorberi, vel intercipi non ignorat. At neque à ratione diſſentaneum eſt; vt Deus illos, poſt mortem, ſignis, ac miraculis illuſtret; quibus tametſi, poſt hanc vitam, nonnihil maculæ Purgatorij pœnis expiandum relictum fuerit: inſigni tamen, quandiu vixerunt, ſanctimonia apud homines claruêre; quemadmodū de aliis quoque Sanctis à Scriptoribus traditum eſt. [a] Veneratio namque, quæ Sanctorum Corporibus debetur, purgatoria pœna non tollitur: neque fidelium inuocatio ſuo vllatenus fine fruſtratur. Etenim haud aſpernanda quorundam ſententia [b] eſt, ſanctorum Virorum Animas etiamnum Purgatoriis pœnis obnoxias, quandoquidem charitate erga viuos afficiuntur, pro iis orare, ac iis beneficia impetrare poſſe. Verùm ſi aliorum magis ſenſus placet, qui ab his omnem intercedendi vim auellunt. Cur iis id opinari non liceat: Deum fidelium inuocationem ac vota, ad huiuſmodi Sanctos directa, velut ſibi oblata ſuſcipere, atque eorum opus, ſua benignitate ſupplere: [c] præſertim cùm Sanctorum quorumcumque inuocatio, ad Deum potiſſimùm tendat; atque ad ampliorem ipſius gloriam redundet. Diſcant igitur, qui hæc legunt; & Dei Iudicia metuere, quibus ipſos etiam filios, ac amicos ſuos perſtringit: & illius benignitatem, ac clementiam commendare; qui ipſos quoque, quos redarguit, honoribus proſequitur:

*Antonij Conſpicilia oculorum lumen reſtituunt.*

*Purgatorio Sanctorū Merita non intercipiuntur.*

[a] S. Greg. l. 4. Dialog. c. 4. Petr. Dam. Epiſt de Mit. ſui temp.
[b] Bicl. lect. 58. in Can. Medin. q. 5. de orat. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 1. Valen. 3. tom din. 6. qu. 2. p. 6.
[c] D. Thom. 22. q. 83. Alens. 4. p. q. 91. in 4. Nauar. Enc. in Præl. de orat. n. 16. & 29.

*F. LEONARDI AVGVSTANI VITA ET GESTA.*

XXXVII. Secundus porrò, qui hoc tempore è mortalibus ad Immortales conſcendit, Frater quidam Leonardus Auguſtanus fuit: qui Patre Hæretico, atque opulento natus, cùm ſub ipſo iuuentutis flore, vt Italiam inuiſeret, è Germania diſcedens, Venetias appuliſſet; ibi diuino lumine illluſtratus; atque à Dei gratia maturè præuentus; hæreſi abiurata, Catholicā Fidem eſt amplexus: moxque eo vocante, qui neſcit tarda molimina, Mundo valedicens, Capucinorum numero ſe adiunxit. Pater verò, quum primùm de gemina filij conuerſione nuncium accepit; rem præter





omnem modum moleſtiſſimè ferens, propinquos, ac domeſticos cum equis, ac copioſa pecunia, expediendos curat, vt filium in Patriam reducant. At Leonardus iis omnibus ſpretis, fortiùs in propoſito conſtans, maluit abiectus eſſe in Domo Dei, quàm glorioſus in tabernaculis Patris habitare. Quapropter cùm tres in Religione annos exegiſſet; quibus mirum in modum in omni virtutum genere, ac præſertim in Beatiſſimæ Virginis, atque vndecim millium Virginum cultu, quem ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio, ſumma pietate, ſibi proſequendum ſtatuit, cum primis profecit. Quarto Religionis anno in ſupremum morbum incidit, quo probata ipſius patientia, Sacramentiſque ſumma cum deuotione ſuſceptis; cùm, circumſtante Fratrum corona, iam ad vitæ finem properaret, repentè animo exhilaratus, adſtantes his vocibus compellat. Eia, Fratres, date huic Beatæ Societati locum. An non glorioſam Virginem Dei Matrem, cum turba Virginum appropinquantem cernitis? Protinuſque Hymnum, *Te Deum laudamus* decantans, necdum illud expleuerat; cùm Dei laudes adhuc in ore verſans, candidiſſimum Deo Spiritum reddidit; atque inter puriſſimos illos Virginum Choros, æthera conſcendit.

*Ante Obitum B. Virginis præſentia potitur.*

*F. VINCENTII A COLLEARIO. Vita, & geſta.*

XXXVIII. Hoc quoque modo & tertius, Fr. Vincentius à Colleario Laïcus, ex Vmbriæ Prouincia, hoc anno in Couuentu Spoleti ad Superos euolat: qui cùm plures annos in maxima vitæ puritate, ac virtutum laude in Religione tranſegiſſet; morti proximus, eùm Fratres cum iam iam animam efflaturum crederent; repentè in lecto adgeniculans, brachia in modum amplexus cœpit extendere; atque adſtantibus Fratribus dicere: En Virginem Beatiſſimam; en venientem Cæli Reginam. Tum manus extendens, quaſi aliquem amplexaretur; maxima lætitiæ ſigna edebat: inter hæc Vincentius animam exultans Deo reddit, & inter Beatæ Virginis amplexus expirat.

*B. Virginem Mariam in morte videt.*

*F. IACOBI FLORENTINI. Vita, & geſta.*

XXXIX. His & quartus accedat, Iacobus Florentinus, qui in Genuenſi Vrbe: cùm primùm Fratres ex Hoſpitali S. Columbani Domo ad S. Barnabæ Ædem tranſmigrarunt; primus illius Conuentus Guardianus creatur. Vir Angelicus planè fuit, manſuetiſſimus, humilitatiſque ita ſtudioſus, vt quanquam Guardianus eſſet, vilia quæque domus officia præſtare haud vereretur. Auſteritatis amicus, parciſſimè cibo vtebatur: cumque hiſpidi panni, quibus ad Triremes damnati indui conſuèuêre; quibuſque ea Prouincia, vt plurimùm vti ſolet, illius auſteritati haud ſufficerent: intextis funiculis, totam interiorem habitus partem contegebat, vt ea aſperitate; velut Cilicio, carnem domaret. Has, ac pleraſque alias corporis afflictiones, quas ſeriò ac ſecretò exercebat, dum aſſidua oratione, ac cæleſtium rerum contemplatione, cui plurimùm addictus erat, ſuaues reddit, bonis operibus plenus, in Conuentu Aſtenſi deuotiſſimo fine in Domino quieſcit.

*Diuina erga Fratres Prouidentia, Miraculo oſtenditur.*

XL. Hoc anno admirabilis Dei erga Fratres prouidentia enituit. Cùm enim in Prouincia S. Angeli, iam Conuentus S. Ioannis Rotundi, duorum ferè milliarium ſpatio longè ab Oppido, fundamenta iacta eſſent, tam alta è Cœlo nix cecidit: vt Eccleſiæ, ac Conuentus foribus niue obſtructis, nulla Eleemoſynario via pateret, qua Fratrum neceſſitati prouidere poſſet. Iam panis, ac legumina omnia conſumpta fuerant; neque vlla humani ſubſidij ſpes illis relicta erat: cùm eis ad diuinam opem confugientibus, quatuor Iuuenes, aſpectu decori, ſub Veſperum Conuentus Tintinnabulum pulſant: ex quibus alter panes, alter vinum, tertius, & quartus varia obſoniorum genera ferebant. Hi cùm omnibus ignoti eſſent, à Ianitore interrogantur, vnde, & cuius pietate, hæc illis benedictio obueniret. Cui illi: Deo, inquiunt, gratias agite, qui ſuos in neceſſitate non deſerit: cumque hæc dixiſſent, confeſtim abeunt. Nonnullis igitur die elapſis, mirabantur Oppidani, conſuetæ mendicationis dies à Fratribus præteriri: quamobrem ſuſpicati, ne ob niuis copiam intercepti, victus egeſtate laborarent, aliquos deſtinant, qui prærupta niue ad Conuentum pertingant. Ab his cùm Fratres de victu interrogarentur, reſpondent; ſe diebus quidem elapſis ad ſummam

ANNVS CHRISTI. 1548. PAVL. III. 14. CAROL. V. IMP. 30. RELIG. CAPVC. 24.

victus inopiam, ob plurimam niuem, qua à mendicatione exterrebantur, deueniſſe. Veruntamen quatuor Virorum pietate, qui in ſumma rerum egeſtate illis vitæ neceſſaria miniſtrauerant, omnia apud eos abundare. Redeunt illi, factum Proceribus renunciant, diligentiſſimaq; apud eos Inquiſitio fit; quinam ex Oppido Capucinis eo tempore annonam attulerit: cúmq; nullus prorſus illius eleemoſynæ Auctor apud eos inueniretur; neq; aliunde ex aliis Oppidis, qui à Conuentu longè diſtabant, ea illis ſuppetere potuiſſet: tunc primùm eam Cæleſtem liberalitatem fuiſſe, ab Angelis hominum ſpecie contectis, in eos collatam agnoſcunt. Quapropter lege inter eos ſancita, deinceps ſtatuunt: vt cùm nix altitudine palmum excederet, mox ex publica Oppidi annona, vitæ neceſſaria Capucinis Fratri-administrarentur.

*Pleraq; ſanctiſſimi Nominis IESV miracula narrantur.*

Hoc tempore Virtus Sanctiſſimi Nominis I E S V, quæ poſt S. Bernardini tem- XLI.
pora, paulatim ex hominum memoria excidiſſe videbatur; magno ſignorum ſplendore, apud Capucinos refloreſcere viſa eſt: qui, cùm ægrotos inuiſentes, illud in chartula impreſſum iis geſtandum præberent; eoſq; ad tanti nominis venerationem compellentes, in ſpem incolumitatis attollerent, illis Chriſti verbis, *In Nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Innumera propè, illius virtute, miracula fiebant. Inter hæc nonnulla hoc tempore patrata recenſentur. Annibal quidam Perinus in Hidruntina Prouincia, diu febre, aliiſq; corporis languoribus laborauerat; cùm Fr. Auguſtinus à Meſapia, qui Vicarij Prouincialis in ea Prouincia munere fungebatur; oblatum illi Nomen I E S V, chartula impreſſum; cùm priùs ægroti animum, ad ipſius virtutem implorandam excitaſſet, ipſius collo appendit. Vix autem ægrotus ſanctiſſimum Nomen accepit; cùm à febre, ac cæteris infirmitatibus liber, è ſtrato proſiliit: atque vt ea repentina incolumitas non aliunde, quàm ex huius potentiſſimi Nominis virtute, in eum emanaſſe cunctis innoteſceret; cōtigit, vt germanus Annibalis Frater, eodem paulò poſt, quo ipſe, morbo corriperetur: in quem cùm is illud IESV Nomen à ſe ſublatum tranſtuliſſet, Frater quidem eo accepto conualuit; at is cùm primùm eo caruit, in eundem morbum recidit; neq; ab eo liberari vnquam potuit, quoad aliud ſibi à Fratribus bus impetrauerit.

Marc 16.

*Nomen Ieſu Febrim, aliaſque infirmitates curat.*

*A quartana febre liberat.*

Ioannes Baptiſta Ceſanus, cùm Hoſtuni, eodem tempore, cum vxore quartana XLII.
febre laboraret, à F. Stephano Miletano Concionatore Capucino, vt ad ſanctiſſimi Nominis IESV præſidium confugiant, excitantur: à quo cùm vnicum Nomen IESV impreſſum, dum eos ipſe febris horror inuaderet, accepiſſent; illud ſibi ſucceſſiuè adhibentes, ſtatim à febre conualeſcunt.

*Fratrem ab Angina curat.*

Eodem modo F. Franciſcus à Latereia Capucinus, qui nomen I E S V ſingulari XLIII.
quodam cultu, ac veneratione proſequebatur; cùm aliquando angina correptus, maximo in vitæ diſcrimine verſaretur: haud aliud ſibi remedium adhibere voluit, quàm quòd nomen IESV ſibi collo alligauit: cuius virtute protinus à morbo liberatus fuit. Hinc tam in Hidruntina, quàm in cæteris Ordinis Prouinciis; I E S V Nominis Religio, tam longè latéq; diffundi cœpit; vt quamplurima vtriuſq; ſexus hominum millia, à variis languoribus, diuina ipſius virtute, ſanata fuerint.





ANNVS CHRISTI. 1549. PAVL. III. 15. CAR. V. IMP. 31. RELIG. CAPVC. 25.

*Septimum Generale Capitulum Neapoli conuocatur.*

I. TRIENNIVM Paſtoralis muneris, Bernardinus Aſtenſis, ſumma
vigilātia, & maxima cū Religionis gloria, Regulariſq; Obſeruantiæ ſplēdore, in Generalatu expleuerat: quū hoc anno, qui milleſimus quingenteſimus ſupra quadrageſimum nonum eſt, ſeptimum Generale Capitulum Neapoli conuocat: in quo cùm à laboribus paululum reſpirare, & optatæ mentis quieti vacare ſummoperè expeteret, plurima excuſationum capita, coram Patrum conſeſſu, omni qua poteſt, efficacia profert; quibus ſe ab iſtius oneris moleſtiis liberari poſtulat. At Capituli Patres cū ipſius adminiſtrationē Religioni vtiliſſimā, ac propemodū neceſſariā cernerent: minùs quidem ipſius quieti, magis verò totius Congregationis commodo conſulendum iudicant: quare omnibus illius argumentis, quibus ſe ab huiuſmodi officij laboribus excuſare tentauerat, meliori ratione, ac publicæ vtilitatis commodo reiectis, rurſus in Generalatus munere confirmant. Bernardinus verò, cùm diuinam voluntatem ſtudiis ſuis reluctantem intelligeret, iterum oneri dat manus, ac, graui licet, ponderi humeros ſupponit.

*Capituli Generalis decreta.*

II. In hoc Generali Capitulo, nonnulla prioribus Ordinis Conſtitutionibus addita
fuêre: quæ, & temporum prudentia, ac rerum experientia neceſſaria eſſe docuit.

III. In his primum eſt. Quòd ad Generale Capitulum tot ex qualibet Prouincia
Cuſtodes conueniant, quot in ea Prouincia Cuſtodiæ numerantur, dummodò quinque Cuſtodum numerum non excedant; nec tribus pauciores ſint; ijq; à Capitulo omnium votis eligantur.

IV. 2. Quòd in qualibet Prouincia, per ſecretum ſcrutinium, Cuſtos in Capitulo
Prouinciali, communibus Vocalium ſuffragiis eligatur, qui Vicarij Prouincialis culpas in adminiſtratione admiſſas, ad Generale Capitulum deferat: ac Cuſtos Cuſtodum nuncupetur.

V. 3. Qui è ſæculo, ad noſtram Congregationem accedunt, Guardiani dignitatem
non obtineant, niſi quintum in Religione annum abſoluerint. Regulares verò, niſi poſt exactum à probatione annum, voce actiua, & paſſiua non fruantur: niſi fortè in vtriſq; à Generali Vicario iuſta de cauſa diſpenſatum fuerit.

VI. 4. In electione Diſcretorum localium, vltra quinq; ſcrutinia minimè proceda-
tur. Quintum verò ſcrutinium, adnotatis eorum nominibus, qui ſuffragia dant, & & accipiunt; nec non ſuffragiorum, quæ cuiq; obtigerunt, numero exarato, optimè occluſum, ac obfirmatum ad Prouincialem Vicarium mittatur, qui nimium pertinaces, ac ſenſui ſuo inhærentes puniat.

VII. 5. Fratres nullas ad tertium S. P. Franciſci Ordinem Fœminas recipiant, quæ
per quadraginta annorum ſpatium, vitæ probitate, ac boni nominis fama apud omnes ſe commendabiles non reddiderint: eoque ſemper excepto, quòd illarum Confeſſiones non audiant. Eadem quoq; capita, præter primum in Virorum receptione obſeruent.

VIII. 6. Si Guardianus alicuius Conuentus, integro ante Capitulum Prouinciale
menſe, è viuis deceſſerit; Vicarius Prouincialis de duorum Definitorum conſenſu alterum eligat: ſin minus temporis interceſſerit; Vicarius tantùm illius loco, vſque ad Capitulum, in Conuentu ſubſtituatur.

IX. 7. Quòd nullus Fratrum, abſque Vicarij Generalis licentia, ſæcularium quo-
rumcunq; confeſſiones audire præſumat: niſi extremæ neceſſitatis caſus vrgeat; atque à Parocho facultatem habeat.

8. Quòd quum Generalia, aut Prouincialia Capitula celebrantur; nulla præterquam rerum neceſſariarnm prouiſio fiat: nec vllus Clericali Militiæ adſcribatur, niſi appoſitè legere nouerit; Laïciq; nullos omnino libros, præterquam Regulam habeant. X.

*Bernardinus Aſtenſis ſigno Crucis febrem fugat.*

His ita conſtitutis, ac ſolutis Comitiis: ſumma Dei benignitas, quæ Bernardinum ad Religionis opus vocauerat; haud illi ad laborum ſolatium defuit. Nam die Portiunculæ inſtante; cùm is Aſſiſium proficiſci decreuiſſet, ſibique Fratrem Bernardinum à Collepetracio, qui eo tempore in Vmbriæ Prouincia Vicarij Prouincialis munus adminiſtrabat, Socium adiungere optaret: fortè accidit, vt eum in lecto iacentem, & graui febre ægrotantem inueniret; ad quem accedens, inquit: Quid hîc Bernardine agis? An ignoras, quòd ad Portiunculæ feſtum celebrandum, Aſſiſium maturè mecum profecturus ſis? Iam ſi lubet, febri huic tuæ imperabo, vt te liberum ſinat, quò mecum progredi queas? Cui Bernardinus, nihil, inquit, mihi iucundius Pater, fugiat te imperante febris, euadat, crumpat, perpetuò exulet; vt te liber ſequi valeam. Bernardinus verò Generalis, IESV Nomine inuocato, cùm illum in fronte, Cruce conſignaſſet, protinus effugata febre, incolumem reddidit: nonnulla duntaxat corpori imbecillitate relicta, qua vno, vel altero die inſtaurata, qui nuper ægrotabat, Generalem ſuum valens, & incolumis Aſſiſium proſequitur.

*Capucinorum Religio virtutibus floret.*

Id quoq; Bernardini Generalis animum magnoperè ſolabatur; quòd Religionem hoc tempore, & numero excreſcere, & virtutibus lucere, & Regularis Obſeruantiæ ſtudio effloreſcere, & tandem auctoritate, atque exiſtimatione apud homines plurimùm augeri perſpiceret. Quo fiebat, vt & Ochini memoria iam planè apud homines extincta, ac præteritæ tempeſtatis nebulæ, nouo Religionis ſplendore, vndiq; expulſæ viderentur; diuinumq; illud Vatis Oraculum in ea impletum eſſet: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Hinc Sanctus Generalis, ſæpè totus ſpiritu exultans, illud illi Numerorum decantabat. *Quàm pulchra Tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël, vt Valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt Tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi Cedri propè aquas. Fluet aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas.* Mira etenim Religionis incrementa futura, quamplurimos quoq; in ea homines à Deo excitandos fore, diuino Spiritu præuidebat: quorum ſpectata virtus, & Sanctimonia non modò Religionem; verum & omnem Dei Eccleſiam illuſtrarent. XI.

Iſa. 54.

Num. 24.

*Bernardinus Aſiẽſis futura Religionis incrementa præuidet.*

Hoc tempore contigit, vt quatuor Fratres hyemali tempore Roma diſcedentes, Narnium, vbi tunc Bernardinus Generalis erat, proficiſcerentur. Ex quibus duo præeuntes, cùm Caſtronouum aduenisſent, victum in eo Oppido mendicantes, vix duo, aut tria panis fruſtula accipiunt; quibus tamen contenti, ac Deum laudantes, dum ad quandam Tabernam, quo frigus depellerent, parant diuertere: Vix ad Tabernæ oſtium perueniunt; cùm illos Tabernarius accerſens, ait: Ingredimini, Patres: Nobilis enim quidam Vir, veſtrum mihi modò prandium exoluit. Quo audito, Fratres, cùm Virum, qui eam in ipſos pietatem contulerat, omni diligentia quærerent, neminem prorſus inueniunt. Quapropter cæleſtem Angelum fuiſſe, qui ad eorum neceſſitatem ſubleuandam, à Deo miſſus eſſet; certa ſibi fide perſuadent. Atque hinc, omni cum gratiarum actione, cibum ſumentes, cœptum iter alacriùs proſequuntur. XII.

*Deus Angelorum Miniſterio Fratribus prouidet.*

Inde igitur profecti, cùm viæ paululùm proceſſiſſent, in Socios incidunt; ſimulque pergentes, cùm primùm eò peruenêre; vbi à communi via, diuerticulo quodam, per nemora ad Conuentum aſcenditur; fortè accidit, vt à recta ſemita aberrantes, per deuia quædam graderentur: vbi cùm nullum in niue, qua vndiq; Regio operiebatur, hominis veſtigium videretur; eò longiùs à Conuentu abſcedebant. Inter hæc dum animo hæſitant, & quà via petenda ſit, ignorant; En vmbra XIII.





quædam, quaſi hominis ſimulacrũ iis extemplò apparet; quæ illos his verbis compellat: Heus, Fratres, à via Conuentus aberraſtis: veruntamen ne vos error conturbet; me tantùm ſequimini: mox illos antecedens præibat. Illi viæ ducem, tametſi ignotum, ſequentes, vix aliquantulum proceſſêre; cùm hominem ex oculis ereptum, & in collis cacumine ſedentem conſpiciunt: ſtupent illi: ea tamen, quæ iis monſtrata fuerat, via ad eum tendentes, Monaſterium haud longè abeſſe perſpiciunt. Cùm autem viæ ducem nullibi apparentem cernerent, Deo, qui ductorem illi è Cælo præſtiterat, gratias agunt: Huius generis quamplurima exempla, apud noſtra Monumenta, leguntur, quæ haud paſſim recenſenda erunt, ne multitudine lectoris animum obruant.

*Fratres à via aberrantes diuinitus in viam reſtituuntur.*

XIV. Hoc anno Vir clariſſimus, Franciſcus Aeſinus, cùm vitam maximis virtutibus refertam, vſque ad extremam ferè ſenectutem, ſanctiſſimè traduxiſſet: plurimis quoque pro Religione, piis laboribus, honeſtiſſimè perfunctus fuiſſet; fœliciter in Domino quieſcens ad Cæleſte præmium euolat: cuius memoria, qualis ab antiquis Ordinis monumentis haberi potuit, à nobis celebranda eſt.

*Franciſcus Aeſinus vitam cum morte commutat.*

## *F. FRANCISCI AESINI, TERTII GENERALIS Vita, & Geſta, ex probatiſſimis M. S. deſumpta.*

XV. AESIVM Vrbs eſt, inter Appennini Colles, in Agro Piceno, ad Aeſim Fluuium ſita; quanquam in antiquis inſcriptionibus, inter Vmbriæ Vrbes cenſeatur; ex qua Franciſcus, nobili Repantorum ſtirpe progenitus, originem duxit. Adoleſcens humanarum literarum ſtudiis addictus, in iis tam felici Mineruа profecit; vt cùm vigeſimum annum attingeret; iam Philoſophicam diſciplinam aſſecutus, Peruſiæ, ſacrorum Canonum ſtudiis ſeriùs operam daret. Quo tempore Epiſcopali illius Vrbis ſede vacante, Pater, qui opibus, & auctoritate plurimùm in ea Vrbe valebat, à Pontifice obtinet; vt Franciſcus Aeſij Epiſcopus deſignetur. Interea, cùm iam abſolutis ſacrorum Canonum ſtudiis, Franciſcus Doctoratus Lauream, & cum ea Epiſcopatus munus ſuſcepturus eſſet; grauiſſimam illius oneris ſarcinam; quamplurima quoq; eorum pericula, altiùs animo reuoluere cœpit, qui mundanis rerum humanarum tempeſtatibus iactati, ab his ſæpiſſimè ad certum animæ naufragium pertrahuntur. Quapropter Deo ſimul intus & illuſtrante, & vocante; cùm libros omnes, pecuniam, ſupellectilem, & quæcunque hactenus ipſius vſui deſeruierant, pauperibus erogaſſet: vnà & Epiſcopatui, ac ſæculo renuncians, ad ſacrum Minorum Obſeruantium Ordinem ſe contulit. In quo Deo ſtrenuè militans, tantam in Regularis Obſeruãtiæ, ac cæterarum virtutum ſtudio, laudem conſecutus eſt: vt inter præcipuos illius Religionis Patres, prudentia, vitæ integritate, ac literarum peritia cenſeretur.

*Franciſcus Aeſij Epiſcopus deſignatur.*

*In ſacram Min. Obſeruantium Militiam adſcribitur.*

XVI. Ad prædicationis officium aſſumptus; in eo tam egregiè excelluit: vt Apoſtolicus à Pontifice Prædicator inſtitutus, tametſi nonnullo linguæ impedimento teneretur; vbiq; tamen magno cum populorum applauſu, atque vtilitate Dei Verbum diſſeminaret. Nec minor in eo erat Regularis Obſeruantiæ ardor. Cùm enim iam ab ipſo ſuæ Conuerſionis exordio. S. Franciſci Regulam ad literam obſeruare, fixè ſibi in animo propoſuiſſet: eo fiebat, vt paupercula tantùm loca, ſolitaria, atq; ab hominum oculis remota, ſibi inhabitanda quæreret: quæ, tùm propter innatam ſibi animo humilitatem, ac modeſtiam, ob quam à cunctis diligebatur; tum etiam propter ſingularem animi integritatem, ac Sanctitatis opinionem, quam ſibi in Ordine comparauerat, facilè, à Superioribus impetraret: in his quæcunq; ad perfectum Regulæ cultum ſpectabant, ſummo ſtudio proſequebatur. Veruntamen cùm Ordinem à Regulari Obſeruantia magnopere dilapſum cerneret, in id potiſ-

*Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus*

ſimùm animum intendere videbatur: vt Ordinis ruinas, noua Reformatione, inſtaurandas curaret. Erat tunc Ordinis in Romana Curià Procurator, Frater Bernardinus Aſtenſis, quem cùm Franciſcus Regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimum, ac Virum planè ſanctum agnoſceret; cum eo de Reformatione, apud Pontificem proſequenda conſilium init. Interea verò, dum vterque in ea re ſtrenuam operam nauat; rumor de Capucinorum Reformatione, extra Ordinis obedientiam inſtituta, atque à Pontifice approbata, vbique diffundebatur: quæ cùm plurima virtutum, ac Regularis Obſeruantiæ laude, apud omnes excelleret; dubium aliquando Franciſci animum reddidit; num Reformatione, quam apud Apoſtòlicam Sedem agitabat, prætermiſſa, ad Capucinos accederet. At verò cùm Vir prudens vniuerſa ſecum animo verſaret, quæ huic Reformationi aduerſa accidere poterant; vereretúrque, ne Capucinorum Reformatio, quam vndique infirmam, ac Viris deſtitutam, omnibus ab Ordine machinis oppugnari cernebat; tandem in interitum rueret, ac breui in graciles ſpumas abiret. Id planè illius animum futura rerum expectatione, ſuſpẽſum reddebat. Quamobrem Capucinorum res certiùs exploraturus, conſiliũ cũ Ludouico Foroſemproniano cõfert, qui eo tempore primam in Eccleſia S. Mariæ Miraculorum Sedem collocauerat; fœdereque cum eo inito, quemadmodum aliàs fuſiùs explicatum fuit, propriam Reformationem apud Apoſtolicam Sedem proſequitur. Hanc Apoſtolicis Literis munitam tãdem aſſequutus, dum illius propagationi in Piceno ſtudet cum Socio; Ioanne Baptiſta à Nurſia, in carcerem truditur, ac pro digno opere indignam contumeliam fert. At cùm breui è vinculis liber exiiſſet; ad Capucinorum Reformationem, anno 1534. ſimul cum Bernardino Aſtenſi, Ioanne Faneſtri, atque aliis, quos eo loco commemorauimus, celeriùs conuolar.

*Reformationem Ordinis cum Bernardino Aſtenſi proſequitur.*

*De Capucinorum Reformatione adeunda cogitat.*

*Capucinorum Congregationi aſſociatur.*

In ea verò, quantam virtutum laudem apud Deum adeptus ſit, id in primis de- XVII.
clarat; quòd eam, quæ virtutum prima eſt, quibus carnis voluptates quaſi fræno coërcemus; Temperantiam nimirum in cibo, & potu, ſic coluit; vt naturæ quidem, quæ paucis admodùm contenta eſt, neceſſaria non ſubtraheret. Verùm ſuperfluum omne, & quod in epulis iucundum eſt, ita reſecaret: vt eſcam non voluptati, ſed neceſſitati duntaxat deſeruire cogeret: neque enim eam Gregorij vocem eſſe ignorabat. *Ad conflictum ſpiritualis agonis non aſſurgi, ſi non prius intra noſmetipſos hoſtis poſitus, Gulæ videlicet appetitus euomatur: quia ſi non ea, quæ nobis ſunt, viciniora proſternimus; inaniter ad ea, quæ longiùs ſunt, impugnanda transimus.* Incaſſum namque contra exteriores inimicos in Campo bellum geritur, ſi intra Vrbis mœnia Ciuis inſidians habetur. Hinc ſanctum illum Eremitam ſæpè commemorabat, qui à Diſcipulo interrogatus, cur tanta inedia corpus extenuaret. Sine me (inquit) contra hoſtem agere, occidit me, & ego occido illum. *Semper enim* (vt ait Ambroſius) *ſaturitati amica luxuria fuit, fames autem inimica laſciuiæ.* Neque alia (ſi Vati credimus) fuit iniquitas Sodomæ, præterquam ſaturitas panis. Quo fit, vt fruſtra illum, & mentis vitia domare, & carnis voluptates proſternere poſſe diceret: qui ventris ingluuiem frænare, & gulæ vitium, Temperantiæ virtute, moderari negligeret.

*Quanam Franciſci abſtinentia fuerit.*

S. Greg. mor. lib. 30.

Amb. ſer. 40.

*Saturitas Luxuria amica.* Ezech. 16.

Hinc Franciſcus, primùm aduerſùs ventris ingluuiem bellum inſtruere, at- XVIII.
que aciem dirigere; cibique temperantiam, nedum perfectam virtutem, ſed & virtutum omnium ducem, ita ſibi inter alias toto vitæ ſuæ curriculo amplectendam præſtituit: vt nemo tam epularum cupidus, quàm hic ſobrietatis amator extiterit. Semel in die duntaxat cibum citra ſaturitatem ſumere ſolebat. Illudque Hieronymi vſurpans: *Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſatietatem fugiens: neque enim prodeſt tibi biduo, vel triduo tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi poſt pariter obſtruatur*, ſatiùs exiſtimabat, Religioſum hominem communibus eſcis, atque adeò carnibus ſobriè veſci, quàm in ciborum delectu ſuam ieiunij

*Abſtinentia virtutum omnium dux.*

Hier. & habetur de cõſec. d. 5. c. Non dico.





ſummam conſtituere; Bernardumq; adducere ſolitus erat, ita docentem: *Meliùs eſt exiguo ſanguine ad vſum veſci; quàm ventoſo legumine, vſque ad ructum exaturari: præcipuè cùm & Eſau non de carne, ſed de lente ſit reprehenſus: & de ligno Adam, non de carne damnatus: & Ionatas de guſtu mellis, non carnis, morti adiudicatus. E contra verò Elias innoxiè carnem comedit. Abraham Angelos gratiſſimè carnibus pauit, & de ipſis ſua fieri Sacrificia Deus præcepit.* Quapropter eos minùs cõmendabat, qui auſtera quædam ieiunia, vel in pane, & aqua, vel in ſolis leguminibus, nonnullis hebdomadæ diebus, exantlantes, reliquis, vel ſe cibis ingurgitare, vel famem depellere nunquam poſſe videbantur. Veram autem abſtinentiam in eo poſitam affirmabat: vt ſobriè, ac parcè quis communi cibo ad vitam, non ad voluptatem vteretur; neq; vnquam ſatur è menſa recederet.

Bernard. in Apolog.

*Abſtinentia qua laudanda.*

XIX Abſtinentia ſiquidem (aiebat) orationi, ac rerum diuinarum contemplationi ancillari debet: neque illud ieiunium laudandum, quo mentis acies ad cæleſtium contemplationem, vel nimia inedia debilitatur; vel ciborum ſatietate obtunditur. Ieiuniis enim ea eſt adhibenda temperies, (Teſte Fulgentio) vt corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet: ita vt ad res diuinas ineptum reddatur. Atque hanc B. P. Franciſci mentem fuiſſe docebat, vt tam ieiunia, quàm cæteræ corporis exercitationes, ea lege à Fratribus ſuſciperentur: vt ſanctæ Orationis ſtudium non extinguerent; cui (vt in Regula habetur) debent cætera temporalia deſeruire. Hinc ea omnia culpæ adſcribere haud verebatur, quæ ab oratione quoquo modo animum auocarent; atque ad eam ineptum redderent. Cuiuſmodi ſunt nimia, vel in loquendo verboſitas, vel in conuerſando familiaritas, vel in agendo ſollicitudo, vel in cæteris rebus cupiditas; quæ animum ſua libertate ſpoliant, quò minùs ad Deum liberè in oratione euolare queat.

*In abſtinentia ſaturitas vitanda.*

Fulg. ad Prob.

Reg. c. 5.

*Quæ ab Oratione auocãt, fugienda.*

XX. Orationem enim totius Religioſæ vitæ finem, ac ſcopum eſſe dicebat; ad quam cætera omnia referenda ſint. Cùm enim ſupremum homini præceptum datum ſit, Deum ſuper omnia diligere: Deum verò nemo diligere queat; niſi ipſius ſuauitatem, qua ſe humanis affectibus inſinuat, priùs animo deguſtet. Hinc Orationem, qua mens in Dei ſuauitatem attrahitur, atque amorem compellitur, ad perfectam Dei dilectionem aſſequendam, neceſſariam prædicabat. Quapropter, etſi ad eam vniuerſas, tum Abſtinentiæ, tum cæterarum virtutum actiones referendas eſſe exiſtimaret. Sobrietatem tamen, & Abſtinentiam, tanquam cæterarum Caput: ſine qua mens in Deum purè aſſurgere non poteſt; verbo, & exemplo præ reliquis commendabat.

*Oratio quantoperè homini neceſſaria.*

XXI. Cùm Abſtinentia verò, ita rerum penuriam, & egeſtatem, velut illi cognatam & affinem amplectebatur; vt nihil ea precioſius, nihil præſtantius eſſe exiſtimaret: Hinc tanto illius ſtudio, ac cupiditate tenebatur; vt cùm Anno 1543. Romæ Generalis creatus, Religionis Orbem viſitaret: vbicunque Sartagines, ad res frigendas, offenderet, mox è Conuentu eliminaret. Verua, quoque ad aſſandum, nulla, ea præſertim ratione eſſe patiebatur: quòd res ipſas frixas vel aſſas potiùs ad cibi voluptatem, & gulæ incitamentum, quàm ad famis remedium pertinere diceret. In cæteris quoque rerum penuriam, ac paupertatem ita proſequebatur: vt vbicunque ampliora hortorum ſpatia, vel vberiorem in Sacriſtiis, vel Fratrum Officinis rerum ſupellectilem reperiret; ea protinus reſecaret: quanquam, eo tempore, tam arcta rerum paupertas in Religione coleretur: vt vix neceſſaria, Fratres, ob rigidam illius cuſtodiam, ſibi adeſſe permitterent. Nemora, vbi id loci commoditas ferret, in Conuentibus quidem ali tolerabat: at ligna ex his, ad cõmunem Fratrum vſum cædi, hac præſertim ratione interdicere ſolebat; quòd nemora ad orationẽ, & nonnullã Fratrũ oblectationem, tantùm conceſſa cenſeantur: quòd ſi ea ad Conuentus commodũ, atq; vtilitatem,

*Rerum paupertas abſtinentiæ cognata.*

*Rigida Franciſci paupertas explicatur.*

ex lignorum vſu, quis transferat; profectò à Regula exorbitat; quæ omnem tam lignorum, quàm cæterarum rerum prouiſionem Fratribus prohibet. Quamobrem ſi Agros, ac Vineas ad panis, ac vini adminiſtrationem excolere, nobis penitus à Regula prohibetur: cur & nemora ad lignorum prouiſionem habere, ab ea interdictum haud cenſeri debet? Atque hic fuit communis, omnium prioris illius tempeſtatis Patrum, ſenſus, qui in eam extremam ſententiam accedebant, ſi non excedebant: vt nec aridos, ac inutiles ramos, ex arboribus præſcindere; neque exciſos, aut cadentes, in Monaſterij vſum transferre auderent.

XXII. Præterea cùm hortos, ad olera tantùm enutrienda deſeruire contenderet: fructiferas Arbores, quales Mali, Piri, Amigdali, Oleæ, atque aliæ huiuſmodi eſſe ſolent; quandoquidem rerum prouiſionem redolerent, in his ali non ferebat: tametſi his, eo duntaxat tempore, Fratres, fructibus veſcerentur, quo recentes ex Arbore colliguntur. Verùm, cùm is Arbores, quæ fructus, ad breuem ac temporarium tantùm Fratrum eſum, ferunt, in Monaſteriis ali non ſuſtineret: ab iis ſanè multò magis abhorrere viſus eſt, quas ad diuturnam fructuum cuſtodiam, ſeri conſpiceret; cuiuſmodi ſunt Nuces, Caſtaneæ, Oleæ, Amigdali, atq; aliæ huius generis Arbores, quarum fructus diutius ſeruari ſolēt. Quamobrem cùm Siculos Conuentus viſitans, paſſim Oleas, Amigdalos, aliaſque frugiferas Arbores in Hortis conſertas offenderet: cunctas mox ſuccindi, atq; eradicari iuſſit: quò ſe non modò à rerum prouiſione; verùm etiam ab omni prouiſionis ſuſpicione, ac periculo alienum eſſe oſtenderet. Hinc quoq; ſuperflua omnia, velut Paupertati inimica, quemcumq; tandem ſibi titulum vendicarent, exſcindens; ea duntaxat, quæ vel à Regula, vel à Conſtitutionibus præſcribuntur, à Fratribus habenda decreuit. Interea cunctos, vt integrè à Dei Prouidentia penderent, verbo, & exemplo prouocabat. Neque enim is vnquam à Socio, quicquam in via deferri patiebatur: Vbi tamen per deſerta loca iter faceret, vix ſibi, ac Socio vnum aut alterum panem viæ comitem permittebat. Accidit tamen aliquando, vt cùm longum, ac difficile per inhabitata loca, iter aggreſſurus eſſet; Fr. Antonius Aletinus, quo tunc is comite vtebatur: ipſius maximè laboribus, ac ſenectuti compatiens; tres; eo ignorante, nocte Turdos aſſos pararet, atque in via, ad Senis ſolatium, ſecum ferret. Iam dimidio itineris confecto, inſtabat Meridies: quum Franciſcus, hilari vultu, his Antonium verbis compellat. Iam nunc, Antoni, Deo gratias ex animo ago: quandoquidem ea nobis hodie corporis refectio erit, quæ Minores Fratres maximè decet: Neque enim is, præter panem, quicquam à Socio delatum eſſe arbitrabatur; Socio verò, Turdos proferente, tam iis contriſtari cœpit, factumq; tantoperè ægrè tulit; vt vix tribus, vel quatuor, ſilentio panis buccellis deguſtatis, rurſus ſe ad iter perſequendum accinxerit; Sociúmque grauiter facti redarguerit.

*A rerum prouiſione abhorret.*

*Superflua paupertatis inimica.*

XXIII. Nihil æquè Franciſcus, ac gulæ delicias, atque incitamenta auerſabatur: quamob rem cùm Fratres, præſertim iuuenculos; ſale, ad cibos condiendos, in menſa vti conſpiceret, modeſtè carpens, nullum præter famem, in menſa condimentum quærendum eſſe docebat. Quod verò ad Monaſteriorum ædificia ſpectat: ſi quando in his quicquam à paupertatis Regula exorbitare animaduerteret, protinus diruendum curabat, Auctoremq; graui pœna mulctabat. Minùs verò Seraphicæ Ordinis paupertati obeſſe putabat, malæ ædificata diruere; quàm ea integra, ad poſterorum perniciem, manere. Qui enim (aiebat) ab aliis ſumptuoſiùs ædificata vident, ea quoque ſibi licere arbitrantur: quo fit, vt ædificationis vitium, quod à prioribus integrum relinquitur, integrum quoque ad poſteros tranſmittatur; qui ab eo nouæ, ac maioris plerunque tranſgreſſionis exemplum deſumunt. Nullum, inter omnia Religionis officia, ac miniſteria, ædificatione periculoſiùs eſſe aiebat, propter ſummum temerandæ paupertatis diſcrimen: idcircò ab ea quantùm poterat, abſtinebat. Cùm Venetiis aliquando longiores moras traheret, nonnulla in Conuentu ædificanda curauit:

*Gulæ delitias auerſatur.*

*Ædificatio periculi plena ob paupertatis exceſſus.*





quæ cùm Frater quidam laicus, minus neceſſaria eſſe iudicaret, ad eum inquit. Pater Generalis, vide, ne in hac operis ædificatione nonnihil exceſſeris. Cui ille; Ne mirere, ait, fili, nam ſimulatque Capucinus Frater, ædificatorio operi ſe ſe vltrò immiſcet, Dæmonis imperium ſubit: à quo ita mente obcæcatur, vt ne quidem ipſos paupertatis exceſſus animaduertat. Hac de cauſa B. Pater Franciſcus, primum illud S. Mariæ Angelorum Monaſterium, quod ex luto, ac viminibus conſtructum erat; & ſtramine opertum, quoad vixit, nunquam mutari, aut noua ædificatione ſuccedente dirui voluit; vt poſteris in paupertatis exemplum cederet: Fratriſque cōſilio obtemperans, protinus ædificata, diruenda curauit.

*Primum S. Mariæ Angelorum Monaſterium ex luto & viminibus conſtructum.*

XXIV. Frequenter præclarus hic Vir, dum Generalis Officio fungeretur; de ædificiorum magnitudine, ac ſuperfluitate, apud Fratres publico ſermone agens, dicebat. Mihi iam ſeni credite, Fratres, nihil magis integro Fratrum Minorū Ordini, quàm ædificiorum exceſſus hactenus nocuiſſe: neque plures, quàm ex iis qui paupertatē in ædificiis violarunt, Fratres ad Orcum tranſmiſſos fuiſſe. Quòd ſi huius rei cauſam expetitis, ea eſt; quòd tam arcta eſſe debet ædificiorum noſtrorum paupertas; vt pauperum ædiculas non excedant. Quo fit, vt quoties noſtrorum ædificiorum forma, aut amplior, aut venuſtior, aut curioſior, aut ſumptuoſior eſt, quàm ipſa, quę pauperum eſſe ſolet; toties à paupertatis regula deflectat; quæ B. P. Franciſci priſca, ac perpetua doctrina fuit; quum nos à pauperum habitaculis, Monaſteriorum noſtrorum exempla haurienda eſſe doceret.

*Minorum ædificiorum forma à Pauperum Aedibus petenda.*

XXV. Id enim certum eſt, (addebat) Pauperes nobis à B. P. Franciſco, velut noſtræ paupertatis exempla, propoſitos fuiſſe: quos tam in veſtiendi, ac viuendi, quàm in habitandi forma imitari debeamus. Porrò ſi pauperum nobis in veſtitu ea forma præſtituta eſt, vt pauperum inſtar, vilibus induamur: atque eandem quoque in victu pauperum egeſtatem ſequi oportet, quibus nulla omninò poſſeſſio eſt: cui dubium eſſe poteſt, quin eadem quoque, cum pauperum habitaculis, in ædificandis Monaſteriis, nobis ratio ineunda ſit? Hinc nullum, paupertatis præcepto, in Regula aut ſublimius, aut difficilius conſurgit: cùm ab eo omnia nobis humanæ vitæ commoda proſcribantur.

*Paupertatis præceptum apud Minores omnium difficillimū.*

XXVI. Cùm igitur tam certum, ac firmum ſit huius Seraphicæ doctrinæ fundamentum, vt nulla prorſus ratione conuelli poſsit: illud quoque conſequens eſt; eorum locorum, quæ magnificentiùs extructa ſunt, quàm Regulæ paupertas ferat, vſum nobis penitus interdictum eſſe. Si enim illud indumenti genus, quod non ex vili, ſed ex pretioſo confectum eſt; velut à paupertate abhorrens, apertè à Regula prohibetur: cur & eorum ædificiorum, quæ longiùs à Seraphica paupertate abſunt, vſus, & habitatio nobis interdicta eſſe non debet? cùm in vtriſque par ſit paupertatis præceptum. His illud quoque ſubijciebat. Pleráque nos, tam in domorum habitatione, quàm in corporis refectione, ac rerum corporearum cultu, ſenſus potiùs, quàm veræ neceſsitatis commoda quærere; quæ procul abiicienda eſſent: vt ſpiritus ad rerum diuinarum ſaporem pertingere valeret. Illud quippe inter Deum, & Capucinos pactum initum eſt, vt quò longiùs hi, ob puriorem Regulæ obſeruantiam, à ſenſuum oblectationibus, ac terrenarum rerum cupiditatibus abſceſſerint: eò maiores, ac ampliores ille ſpiritus delicias ſubminiſtret. Quamobrem ij magnoperè hallucinantur, totóque Cælo aberrant: qui corporis commoda, ac ſenſuum voluptates in Religione ſectantes, iis iucundiorem ſibi vitam comparare putant: cùm enim à ſuaui illo Dei ſpiritu, à quo omne gaudium, & iucunditas, velut è fonte manat, quàm longiſsimè abſcedant: profectò non facilem, aut iucundum, ſed difficillimum, ac ærumnoſum penitus rerum ſtatum omni gaudio, ac ſuauitate vacuum conſequuntur: quem parum, ab Inferorum gehenna, abeſſe exiſtimauerim. Nihil enim intolerabilius eſt, quàm in Religione, quæ ſpirituali vita ſubſiſtit, ſine ſpiritu viuere.

*Aedificiorum magnorum vſus Minoribus interdictus.*

*Senſus Voluptates in Religione quærentes ſuggillantur.*

*Spiritus Paupertas in quo conſiſtat.*

XXVII. Hæc Vir egregius de exteriori Paupertatis cultu, ſæpè Fratribus inculcabat: quibus alia quoque de interna Spiritus paupertate, ad quam magnoperè Filios prouocabat, addere conſueuerat, dicens. Filij chariſſimi, ſpiritus paupertas, non exteriori tantùm cultu contenta eſt; ſed internum potiſſimùm exigit: qui in eo maximè conſiſtit; vt Frater Minor Capucinus, rerum omnium terrenarum cupiditatẽ exutus, vniuerſa, atque adeò ſeipſum propter Deũ cõtemnat. Vilibus indui, caſas humiles habitare, ieiunijs incumbere, orationi vacare, corpus flagellis, atque alijs afflictionibus terere; bona quidem ſunt; eoque meliora, quò ad perfectiorem Regulæ obſeruantiam tendunt. Veruntamen ſi hæc ſola ſint; nec internam ſpiritus paupertatem, ſibi comitem adiunctam habeant; ad veram, ac perfectam diuini ſpiritus poſſeſſionem pertingere nequaquam poſſunt. Terrenorum quippe amor, dum in animo viget, diuini Spiritus locum occupat: neque eum in homine perfectè dominari ſinit. Si parentes, ſi propinqui, ſi Prouincia, ſi Monaſterium, ſi Cella, ſi liber, ſi aliud quodlibet, ſua cupiditate, in animo regnat: quamdiu id regnum obtinet; tandiu diuinus ille Spiritus, quo Deo perfecta charitate coniungimur, ab eo exulet, neceſſe eſt. Neque enim Dei, & rerum corruptibilium amor, qui ad Deum non tendit, ſimul in eadem animi ſede eſſe poſſunt. Neque ſumma illa Dei Maieſtas, perfectè diligi poteſt, quũ præter eam, terrenum quicquam, quod ab ea extraneum eſt, diligitur. Denique vbicunque Euangelicus hic Dei ſpiritus eſt, inde ſordidum omnem, ac vilem creaturarum amorem expelli oportet. Quapropter, qui hunc Dei ſpiritum, qui Euangelicæ perfectionis eſt, aſſequi volunt: omnem procul rerum quarumcunque, quæ extra Deum ſunt, cupiditatem abijciant; ac Deo integrum animum, interna Spiritus paupertate, conſignent.

*Paupertas ſpiritus quã neceſſaria.*

*Terrenorum & Dei amor ſe viciſſim expellunt.*

*Sui ipſius amor fugiendus.*

XXVIII. Verùm adhuc excellentiorem viam (aiebat) vobis demonſtro. Parum eſt, ad perfectam ſpiritus paupertatem adipiſcendam, res omnes humanas contemnere: niſi ſeipſum quiſque cum illis quoque contemnat, ac propter Deum abijciat. Plus enim cuique ſui ipſius amor, quàm rerum cupiditas nocet. Innata quippe quædam nobis eſt animo, φιλαυτια, qua in nos ipſos ferimur: quę tãtò ſpiritui pernicioſior eſt, quantò magis animum à Dei amore auocat. Ea propter Chriſtus iis, qui ad perfectam ſpiritus paupertatem, & Euangelicæ perfectionis faſtigium anhelant; tam grauiter ſui ipſorum odium præſcribit; vt eo carentes, etiam à Diſcipulorum ſuorum numero expungat, quum ait. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrẽ, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores: adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Cum itaque eò hoc proprium odium ſpectet, vt ſui ipſius amorem, quo Dei charitas minuitur, ab homine expellat: ſi quis in Dei amore proficere, & perfectam illam diuini Spiritus poſſeſſionem cõſequi optat, quam nobis B.P. Franciſcus tantoperè in Regula commendat, his verbis. *Attendant Fratres, quòd ſuper omnia deſiderare debent, habere Spiritum Domini, & ſanctam eius operationem,* vt ſe totum in Dei poſſeſſionem transferat: neque aliud, præterquam diuinæ voluntatis, ac beneplaciti imperium, ſibi in animo præſidere ſentiat, neceſſe eſt; ita vt illud Apoſtoli in ore perpetuò verſet: *Domine, quid me vis facere?*

Luc. 14.

*Sui ipſius amore Dei charitas frigeſcit.*

Teſt. S. Frãç.

Act. 9.

*Homo naturæ Dei ſeruus.*

XXIX. Perpendat ſecum Dei ſeruus; ſe naturà non liberum, ſed ſeruum: neque ſuum, ſed Dei poſſeſſionem eſſe: (vti aiebat Plato) cùm ab eo vitam, ſenſum, vegetationem, corpus, animam; denique illud ipſum, quod eſt, acceperit. Ex quo Auguſtino dicere licuit: *Quid tam non tuum, quàm tu: ſi quod es, alicuius es.* Quod cùm ita ſit; quomodò ſibi quicquam vendicare, aut minùs quàm totus a Dei voluntate pendere debet is; qui ſe totum Dei eſſe animaduerterit? Eo fit, vt cùm ſe quiſque non rem ſuam, ſed Dei tantummodò poſſeſſionem inſpicere debeat: nihil eum, præter ſui poſſeſſoris gloriam quærere, atque ita perfectè illi ſubijci, & ab illius nutu pendere oporteat: vt non modò omne temporale commodum; verùm & ipſam cæleſtis Regni conſecutionem ipſius arbitrio, ac beneplacito committat: tantùmque diuinæ voluntati tribuat; vt ſi id Dei gloria, ac voluntas magis poſtularet; vt perpetuò

Aug. tract. 29. in Ioann.

Inferni



*Dei gloriam quiſque magis quàm ſeipſum, debet diligere.*

Matt. 18.

Inferni ignibus cremaretur, quod tamen fieri impoſſibile eſt, Saluatore apud Matthæum atteſtante. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis,* quàm quòd cæleſte præmium obtineret: promptiùs ad gehennam, pro Dei gloria, quàm ad beatitudinem, abſque illa, accederet. Porrò hæc eſt excellentiſſima Spiritus paupertas, quam pauci admodum aſſequuntur: quæ in eo potiſſimùm ſita eſt, vt nihil omninò, præter Ieſum Chriſtum, & ipſius gloriam, quęratur, optetur, diligatur.

*Hypocriſis ex virtutibus orta.*

XXX. Poſtremò Sanctus hic Generalis Fratres ſollicitè monebat; vt ſummoperè à Dæmone meridiano cauerent; qui, quos ad aperta vitia pertrahere non poteſt, virtutibus deprauat; dum eorum animos ita corrumpit, vt præclaro operum ſplendore, Sanctitatis nomen ſibi apud homines comparare ſtudeant; atque ea luce ſibi tenebras ſtruant. Nihil religioſo homini hac hypocriſis peſte pericuſoſius eſſe docebat. *Ea enim* (vt Chryſoſtomus ait) *cùm aliquem ſuæ ditioni ſubiecerit, is ægrè in ſanitatem reſtituitur: & quam peſtifera tabe infecit animam, è Cælo abſcindens, terræ affigit: neque eam ampliùs ſinit, vt ad veram lucem ducere poſſit intuitum. Qui enim hoc modo afficitur, nullo præceptore, omnia ſua ſponte operatur, quæ aliis placere arbitratur: & vt aliis admirationi ſit, præceps agitur.* Si bonus, ſi deuotus, ſi Sanctus, apud alios videri vis; vt bonus à cunctis dicaris: vt Sanctus, & venerabilis ab hominibus prædiceris; vt denique nemo te deſpiciat; ſed vniuerſi debitum tibi honorẽ perſoluant: iam à bono, & à verò Sanctitatis nomine excidiſti; eámque honoris mercedem iam aſſecutus es, quæ omnem alterius vitæ honorem, mercedémque depaſcat. Quid eo homine miſeriùs? qui propriis opibus, quibus alij ditiores fieri ſolent, ipſe ſibi ruinam, ac egeſtatem parat? ex remediis morbum creat? ex medicina languorem generat, & vnde melior fieri debuit, deterior redditur? Rurſus ſi humilẽ, ſi officioſum, ſi obſequentem, ſi ad omnia vtilem, ac promptum erga Patres teipſum exhibueris; ſi munuſcula obtuleris, ſi benè affectum oſtenderis, vt illorũ animum, gratiam, beneuolentiam ad dignitates conſequendas tibi concilies: an non eo te à Dæmone meridiano proſtratũ, ac Religioſo Minoris Capucini nomine indignum declaras? qui ab omni honore, ac dignitatum cupiditate, eò longiùs abeſſe debet, quò arctioribus, ad Euangelicam perfectionem proſequendam, Regulæ vinculis aſtringitur? Quid Capucino hominè monſtruoſiùs, qui mentis ambitione eò pertingit, vt ſemper ſit pauidus, ſemper attentus, ne dicat, quod diſpliceat? humilitatem ſimulet, honeſtatem mentiatur, affabilitatem exhibeat, benignitatem oſtẽdat, obſequia præſtet, officia accumulet; & vt iuga boum ſibi emat, & grauiſſimo dignitatis pondere ſeipſum premat, in modum Prothei, in omnes ſe formas demutet?

Chriſoſt. hom. 2. in Ioan.

*Hypocriſis omnem alterius vitæ honorẽ depaſcit*

*Veræ Hypocriſis ſigna enarrantur.*

*Fulgens ſtella Frãciſco ſermocinante Refectorio incubat.*

XXXI. Hæc atque alia quamplurima, religioſæ vitæ documenta, Franciſcus tam ardenter Fratrum animis inſinuabat: vt Capucinorum Religio, eo Generali, maxima in virtutibus, ac Regularis obſeruantiæ perfectione, incrementa dederit. Quo fit, vt nec mirum videri debeat, quòd eo ſermocinante, fulgida ſtella nonnunquam è Conuentu attolli viſa fuerit: vt alibi explicauimus. Quanquam verò nonnullo is, in prædicando, linguæ impedimento teneretur: tanta nihilominus illi in dicendo vis diuinitus indita erat; vt animos facilè à vitiis ad virtutes tranſmutaret. Cuius rei, licèt innumera exempla proferri poſſent; vnum tamen indicare ſufficiat, quod Nurſiæ, ſumma cum illius Vrbis vtilitate, perſpectum fuit: quæ cùm ciuilibus odiis ac diſſenſionibus ita diſſecta, ac dilacerata eſſet; vt factionibus ad arma concurrentibus, maxima Vrbi ſtrages immineret: accidit, vt ſub id tempus, Franciſco in eam Vrbem aduentante, Vrbs, Sancti Viri fama commota, ſupplex illius opem efflagitaret; quo tantum ab ea malum auerteretur. Franciſcus verò poſt orationem ſuggeſtum conſcendens, tanta cœpit in odia, ac inimicitias ſpiritus virtute inuehi; ac concitatos animos tanta ſuauitate, ad concordiam prouocare: vt vix tribus aut quatuor Concionibus publicè abſolutis, ob maximam affluentis populi multitu-

*Publicam Nurſiæ pacẽ componit.*

dinem

dinem in Vrbis platea, ab eo fieri opus fuit; animorum tempeſtas ſedata, factiones ſublatæ, ſimultates omnes extinctæ; innumeræq; Dæmonum phalanges, quæ Ciuium animos perturbabant; atq; odia, rixaſq; inter eos excitabant, inde diuina virtute eiectæ fuerint: Demùm communis in Vrbe pax, & concordia, publico campanarum ſonitu, ac ſolemnibus lætitiæ ſignis, conteſtata.

*Dæmonem ſolo oris imperio ab Obſeſſo eiicit.*

XXXII. Hoc pacto cùm Franciſcus ardentiſſimè Dei Verbum diſſeminaret, atque integras Vrbes è Satanæ poteſtate eriperet: diuina virtute fiebat, vt is Inferorum turmis tam formidabilis euaderet; tantamq; aduersùs Dæmones è Cælo ſibi poteſtatem compararet; vt ſolo oris imperio, illos ab obſeſſis corporibus eiiceret. Cuius rei inter alia illud exemplum narratur. Eugubij cùm Dei Famulus, ſacro Aduentus tempore, diuini Verbi ſemina diffunderet; Vir quidam à Dæmone poſſeſſus, eidem offertur; qui cùm Latino, Gallico, Italico, atq; aliis plurimis idiomatibus vteretur, quibus curioſorum animos ad ſe, velut eſca propoſita, attrahebat: Franciſcus ad Spiritum, quorſum (inquit) tibi tot linguarum pompa? Ego tot idiomata non teneo; ſed tibi immunde Spiritus, in nomine Ieſu Chriſti præcipio, vt hinc abſcedas: mox nefarius ille Spiritus dicto obtemperans erumpit, liberumq; hominem relinquit. Alia quoq; quamplurima cùm Deus per eum mira operaretur, his ipſius apud homines Sanctimoniam magis in dies commendare videbatur. Erat Franciſcus, velut Oliua quædam fructifera, in Domo Dei: ac tanquàm lignum, quod plantatum eſt, ſecus decurſus aquarum, ex quo perennes Deo fructus erumperent. Cùm enim, in Domini Vinea, diligentiſſimi Operarij inſtar, ſedulò laboraret; quos verbo Chriſto lucrifacere non poterat, ſcripto Deo parere ſatagebat.

*Opuſcula nonnulla conſcribit.*

Hinc Opuſcula quædam edidit: Inter quæ Circulus diuini Amoris adnumeratur: in quo, quò pacto Deus ſuper omnia diligendus ſit, diſertiſſimè traditur. Alteram quoq; Explicationem Doctrinæ Chriſtianæ euulgauit, quæ plurimùm à Marcello 2. Pontifice commendata fuit; atq; inter Vaticanæ Bibliothecæ Codices relata.

XXXIII. Iam multos Franciſcus pro Religione, ac ſancta Dei Eccleſia labores exantlauerat: plurimos quoq; Annos, priùs in Obſeruantium, deinde in Capucinorum Familia, qui ad quinquageſimum octauum excreuerant, in omni Iuſtitia, & Sanctitate traduxerat. Religioneq; magna cum virtutum laude adminiſtrata, poſt illud munus exactum iam triennij tempus effluxerat: cùm nonnullis, ſupra octogeſimum, ætatis annis prægrauatus; Peruſiæ tandem morbo grauius afficitur: ex quo cùm ſupremam ſibi horam imminere intelligeret: patientia in primis, quam tenente morbo illuſtrem exhibuit: tum aliis virtutibus, quæ Religioſum hominem, ad extremum cum Tartareo hoſte certamen ineundum, properantem, comitari debent: ac demum Sacramentis, animum ad Domini occurſum parat: Fratres, verbis ad pietatem prouocat; ac tandem vitæ, tot laudum præconiis celebri, quot ab eo, ſumma cum virtute geſta fuerant: glorioſum finem imponit. Huius Viri præclariſſimi tot in Capucinorum Religionem beneficia fuêre: vt illud planè ei laudis elogium debeatur, quod apud Eccleſiaſticum legitur his verbis compactum. *Sapientia laudabit animam ſuam, & in Deo honorabitur. In medio Populi ſui gloriabitur, & in Eccleſiis Altiſſimi aperiet os ſuum. In medio Populi ſui exaltabitur: & in plenitudine Sancta admirabitur: & in multitudine Electorum habebit laudem, & inter Benedictos benedicetur.* Neque id immeritò. Huius enim Viri memoria, cùm apud Deum immortalis ſit, iurè laudem, & benedictionem apud homines ſibi vendicat.

*Peruſiæ diem extremum obit.*

Eccleſ. 24.

*Poſt mortem glorioſus apparet.*

XXXIV. Quod ne perperam, aut fruſtra alicui dictum videatur. Vix tertius poſt ipſius Obitum dies elapſus fuerat, quum Franciſcus Fr. Ioanni Baptiſtæ Nurſino, qui illius quondam chariſſimus in labore Socius fuerat, extremum ſpiritum agenti, apparet, cæleſti gloria circundatus: quemadmodum, paulò inferiùs, in ipſius Ioannis Baptiſtæ vita exarabimus.

XXXV. Huius ſancti Viri merita, quantum apud Deum pondus obtinerent; Deus ipſe Opt. Max. poſt mortem nonnullis ſignis declarare voluit. Nam in Vrbe Spoletana,

cùm



cùm Nobilis quædam Mulier, funem, qua viuens Franciſcus præcingebatur, à Fratribus, ob ſuam in Virum deuotionem, dono impetraſſet; eam protinus ad Mulierē, à Spiritu nequam in Vrbe obſeſſam, defert. Spiritus verò ſimulatque funem præſenſit; poſſeſſam conturbare, & vehementiùs ſolito exagitare cœpit. At Nobilis illa, fune manibus apprehenſa, cùm ea Dæmoniacam perſtrinxiſſet, plena fide, ait: Tibi præcipio, ò Dæmon, per Viri illius merita, qui fune hac viuus præcinctus fuit; vt ab hac creatura protinus recedas. Mirabile dictu: vix ea verba protulerat; cùm mox Tartareus ille Spiritus inde erumpens, Dæmoniacam ſemimortuam relinquit, ac liberam dimittit.

*Franciſci cingulum obſeſſam à Dæmone liberat.*

XXXVI Nonnullis deinde elapſis annis: cùm huius ſancti Viri Caput è tumulo erutum fuiſſet: Fr. Bernardinus Mutinenſis, qui grauiſſimo capitis morbo laborabat; ita vt eo ferè ad inſaniam redigeretur: ad illud deuotiſſimè confugiens, ac Franciſci opem implorans, ipſius contactu ſtatim capitis incolumitatem adipiſcitur. Atque vt huius ſancti Viri gloria nemini dubia eſſe poſſet, accidit; vt cùm hoc anno, non lōgè poſt Franciſcum, Paulus 3. Pont. Max. ex humanis exceſſiſſet: Fr. Ioannes Baptiſta Pedemontanus, Sacerdos Prouinciæ Romanæ, Vir ſanctitatis eximiæ, qui erga eos præcipua charitate ferebatur, qui aliquam in Eccleſia, vel in Religione prælationē geſſerant; pro quibus, cùm fatis concederent, orationes ac ſuffragia Deo offerebat; audita Franciſci, ac Pauli 3. morte, pro iis preces, ac ſupplicationes ad Deum funderet; vehementiorique ſpiritus impetu impulſus, à Virgine Deipara, cuius ille deuotiſſimus erat, inſtantiſſimè poſtularet; vt quid de vtriuſque Viri ſalute, in Dei Iudicio actum eſſet, ſibi aperire dignaretur. Adfuit oranti Seruulo Beatiſsima Virgo, fulgentiſsimis vndique radiis circumfuſa, quibus ille exterrefactus cùm pronus in terram cecidiſſet, benigniſsimè à Deipara confortatus, eam ſibi dicentem audit: Cur Ioannes Baptiſta, de Franciſci ſalute dubitas? An non tantus Vir, qui tam præclara voce, ſcripto, exemplo ſuæ virtutis, ac præcipuę in me deuotionis teſtimonia edidit, cæleſti Regno frui debuit? Certum igitur tibi ſit, eum perpetuum in Cælo præmiū conſecutum fuiſſe. Paulus III. verò plurimùm in Dei Iudicio laborauit; ſed tandē ſalutem conſecutus eſt, Indulgentiarum ſuffragio, quas is pro Defunctis viuens cōceſſit; quarum ope ſeptuaginta ſeptem millia Defunctorum animæ, è Purgatoriis pœnis liberę emerſerunt. Veruntamen adhuc in Purgatorio delictorum pœnas luit. Atque his dictis abſceſsit. Poſt decem verò à Franciſci obitu annos; cùm illius Corpus, ſimul cum Ioannis Baptiſtæ Nurſini Corpore, humo opertum iacuiſſet; vtrunque ita integrum reperitur, perinde ac ſi eo die condita fuiſſent, vti mox in Ioannis vita exarabitur.

*Capitis ipſius contactus Capitis dolore laborantem ſanat.*

*Ioannes Baptiſta Pedemōtanus ſāctimonia clarus.*

*Franciſci gloria à beatiſſima Virgine reuelatur.*

*Franciſci Corpus poſt decennium integrum cernitur.*

XXXVII. Igitur poſt Franciſci mortem vix triduum interceſſerat; cùm Ioannes Baptiſta è Nurſia, qui cum eo ex Obſeruantium Familia ad Capucinos migrauerat, atque indiuiduus ſemper ipſius Comes fuerat; in eodem Peruſiæ Conuentu, Mundo, ac rerum naturæ in cæleſtem Patriam conceſſurus, vale dixit: vt qui ſpiritu, Religione, virtute, ac Regularis diſciplinæ zelo in vita coniunctiſsimi fuerant, nec morte quidem diſiungerentur.

## *F. IOANNIS BAPTISTÆ A NVRSIA,*
## *Vita, & Geſta.*

XXXVIII FVIT hic Ioannes Baptiſta, optimis à teneris annis moribus imbutus, ad diuina propenſus, atque ab omni præſertim obſcenæ voluptatis cupiditate alienus; cui cùm Pater, iam adulto; Virginem coniugio copulare vellet; contractiſque ſponſalibus, nuptiæ celebrandæ eſſent: caſtiſsimus Iuuenis, qui virginitatem ſuam eouſque illibatam ſeruauerat, cùm ſibi coniugio eripiendam fore acerbiſsimè ferret; Deum breui hac oratione, non abſque

*Ioannes Baptiſta Caſtitatis amantiſſimus.*

multis lachrymis effuſa deprecatur. Deus integritatis, & caſtitatis amator, qui me cuſtodiſti à iuuentute mea, & à carnis voluptatibus hactenus impollutũ ſeruaſti: en vndique in me caſtitatis hoſtes inſurgunt, vndique oppugnant, quid dicam, aut quid faciam, ignoro: en ad te confugio. Domine Ieſu, Virginum amator. Virgo, te Virginem ſequi ſemper ſummoperè optaui, iam nunc fer opem, conſilium miniſtra, propoſitum ſerua; ne quando dicat inimicus meus; Præualui aduersùs eum. Deus verò, qui caſtas hominum cogitationes, & conſilia fouet: mox Ioannis Baptiſtæ animo inſpirat, vt ſi caſtitatem ab hoſte tutam ſeruare, ac tueri velit; ſæculari ſtatu relicto, ad Minorum Obſeruantium Religionem ſe transferat. Acquieſcit diuinis conſiliis caſtus Iuuenis, ſpretiſque huius ſæculi nuptiis, ac carnali ſponſa derelicta, cùm necdum decimum ſeptimum ætatis annum attingeret, ad cæleſte Religionis coniugium, nulla mora interpoſita euolat. In Obſeruantium igitur Familiam adſcriptus, nihil præter virtutum ſtudia in animo verſat: Orationem præſertim, ac diuinarum rerum contemplationem, ita ſibi amicam, ac familiarem conciliat; vt nulla re magis, quàm ea delectari videretur: atque eo factum eſt, vt cùm animum potiùs ad quietem, ac ſolitudinem contuliſſet, minùs literariis laboribus incumbens, ea tantùm ſtudia proſequeretur, quæ ad Sacerdotij Miniſterium obeundum illi neceſſaria eſſent; quo tandem, poſt expletos Clericatus annos, magna cum pietatis laude functus eſt. Franciſco Aeſino in Religione familiariſſimus erat, à quò pleráque, tum ad Regulæ obſeruantiam, tum ad ſpiritualem virtutum profectum ſpectantia, diſcere ſolebat. Quapropter Regularis obſeruantiæ, quam paſſim in Ordine dilabi conſpiciebat, ſtudio incenſus, cum Franciſco Aeſino impigrè, in Reformatione inter Obſeruantes ſtatuenda, laborauit: at vincula, & carcerem pro bono opere cum Aeſino conſecutus, de Reformatione deſperans, cum eo pariter ad Capucinorum Reformationem, anno 1534. ſe confert. Inter Capucinos verò tanta omnium virtutum laude floruit; vt Regularis Obſeruantiæ cum primis ſtudioſiſſimus, arctiſſimam, tam in victu, quàm in veſtitu paupertatem, atque auſteritatem coleret: cum Deo in oratione tam aſſiduè conuerſabatur; vt vix vnquam, præterquam in publicis munerum functionibus, inter Fratres appareret.

*Sponſam intactam deſerit & ad Obſeruantes migrat.*

*Cum Franciſco Æſino pro Reformatione laborat.*

*Ad Capucinos migrat, ac virtutibus floret.*

XXXIX. In Conuentuum ædificatione iis maximè aduerſabatur, qui pauperculas domos inter nemora ædificatas, atque à Ciuitatibus remotas deſerebant: vt nouas, ac commodiores conſtruerent; horrendúmque Superioris exemplum, quod in priori Religione acciderat, referre ſolitus erat. Illud verò tale fuit. Dum is in pauperculo quodam Minorum Obſeruantium Monaſterio, longè ab Vrbe inter Syluas ædificato degeret: loci illius Superior, Monaſterij ſolitudine pertæſus, de eo in Vrbem transferendo cogitare cœpit: conſilióque cum Fratribus communicato, cùm vniuerſos in eandem ſententiam pertraxiſſet; protinùs proceriores ex nemore arbôres præſcindi, ac tigna pro nouo Monaſterio parari iubet: quod cùm omni diligentia præſtaretur, accidit; vt ramus ex arbore defluens, Guardiani genam leuiter vulneraret. Qui cùm vulnus paruipenderet, iuxta morem ad barbæ raſuram ſe contulit: vulnus autem ferro exacerbatum, in tumorem ſe ſe efferens, phlegmonem peperit: cui febris acuta ſuccedens, Guardiani vitam in diſcrimen adducit. Dum igitur grauiſſimè ægrotans, nocte quadam in lecto decumberet: vix ſe Fratres in Cellas ſuas ad quieſcendum receperant; cum ingens in Dormitorio ſtrepitus perſonat; perinde ac ſi validiſſimo ictu Cellæ alicuius fores pulſatæ fuiſſent: quo audito, mox cuncti è Cellis exilientes, quendam proceræ magnitudinis Ceruũ ad Guardiani fores ſtantẽ conſpiciũt, qui cornibus cellæ ipſius oſtiũ iterum impetere parabat: quem cùm clamoribus, ac fuſtibus perſequerẽtur, (Etenim Ceruũ illũ è nemoribus digreſsũ, caſu eò penetraſſe exiſtimabãt) is è Dormitorij feneſtra, protinus ſaltu ſe præcipitẽ donat. Tũ Guardianũ adeũtes, penè metu exanimatũ inueniunt: quẽ dũ verbis conſolari ſtudẽt; is haud aliud per ſingulos halitus, verbũ profert, præterquã, Ah Ceruus, ah Ceruus ille. At illi cũ Ceruũ ab ipſis fugatũ, eſſe

*Pro locorum mutatione horrendum narrat exemplum.*

*Dæmon ſub Cerui ſpecie Guardiani Cellã petit.*





reſpõdiſsẽt: iterũ ſinguli in ſuas ſe Cellas conferũt. In ipſo autẽ noctis profundo, dũ vniuerſi ſomno indulgẽt; En iterũ maior in Dormitorio fragor auditur: quo Fratres expergefacti, ac metu perterriti; Cellam egredientes; rurſus eundem Ceruũ, Guardiani Cellæ adſtantem, eamque Cornibus petentem reperiunt: quem cùm ob præcelſam Dormitorij, quod in Rupe altiſſima extructum erat, altitudinem, ex qua is ſe, à ſummo ad ima præcipitem dederat, in fruſta conciſum, nedum interemptum putarent: iam non communem ſyluarum Ceruum agnoſcunt; ſed in eo eminentius aliquod Myſterium latere ſuſpicantur. Rurſus tamen Ceruo, non abſque terrore effugato, ad Guardianum pergunt; quem extremum ſpiritum agentem, & ſanctiſſimi Nominis Iesv loco, quod illi piè inuocandum ſuadebant, Ceruum illum, Ceruum muſſantem, atque inter dentes frangentem audiunt. Denique paruo temporis ſpatio elapſo, Guardianus abſque Sacramentis, atque vllo Contritionis ſigno, miſerè animam efflat. Hæc ille ſæpè commemorans, quò Fratres à minùs neceſſaria Domorum mutatione deterreret: quam non aliundè, quàm à Seraphici Spiritus iactura, atque à ſanctiſſimæ Paupertatis tædio manare affirmabat: oculatum ſe huius rei teſtem exhibere ſolitus erat.

*Guardianus abſque Sacramentis moritur.*

X L. Honeſtatis cuſtos integerrimus fuit: cui cùm Dæmon inſidias aliquando parare vellet, puellæ formam aſſumit; ac ſub Solis occaſum, ad Monaſterium, in quo is tũc Guardianus erat, accedens; ſummis precibus à Ianitore, in exterius hoſpitium recipi poſtulat: ne pudicitiam ſuam in diſcrimen vocaret, ſi ad alios diuerteret: Ianitor rem ad Guardianum defert, qui protinus ad Deum in oratione cònfugiens, Diabolicas, Deo reuelante, technas detegit: quapropter Ianitori reſpondet. Quid tu puellam (inquit) pudicitiæ ſtudioſam narras? Dæmon eſt, non puella, qui noſtræ potiùs pudicitiæ inſidias ſtruit; illum quamprimùm è foribus eiice. Ianitor verò, cùm velox ad Monaſterij fores rediiſſet, Dæmonem iam euaſiſſe reperit. Nonnulla Vir hic viuens Miracula edidit: inter quæ illud refertur; quòd Peruſiæ, Antonium quendam, qui graui in crure vlcere laborabat, Crucis Signo tantùm adhibito, protinus perfectæ ſanitati reſtituerit.

*Dæmon ſub puellæ ſpecie Fratrum caſtitati inſidiatur.*

XL I. Poſtremò, in eodem Peruſiæ Conuentu, cùm ſuprema Franciſco Aeſino, ſuo inter viuos Achati, funera perſolueret; iã ſui obitus diuino Spiritu præſcius, ligneũ Sarcophagum, in quo Franciſci Corpus condendum erat: ita amplum fieri præcepit; vt duo ſimul iuncta corpora capere valeret: tum verò, vt ſe breui Franciſco cõiungendum indicaret: his verbis adſtantes affatus eſt. Ne Fratres, factum admiremini: quomodò enim, in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparandi. Vix autem Franciſci Corpus tumulo condiderat, quum & ipſe febre ægrotare cœpit: ex qua cùm velociſſimè ſibi hinc decedendum prænoſceret, ad Domini aduentum, ſollicitè ſe deuotiſſima Sacramentorum ſuſceptione, ac lachrymarum copia parat. Porrò in ipſa ſui obitus hora, Frãciſcum Aeſinum cæleſti gloria effulgentẽ, ac ſibi apparentem conſpiciens, ſuauiter exclamare cœpit: ô quàm ſplendidam; ô quã præclaram ego lucem cerno! O Franciſce; ô Franciſce, quàm pulcher es! Tũ Hymnum, *O glorioſa Domina,* &c. ore perſonans, dum illũ adſtantes Fratres adhuc cantu proſequũtur: necdum eo expleto, inter deuotas Fratrũ voces, & cæleſtis lucis ſplẽdores, Deo animã reddit. Atq; hoc ipſo tempore, F. Albertus Neapolitanus, Vir Sãctimonia illuſtris, dum inter cæleſtes raptus, diuinis deliciis fruitur, Ioãnis Baptiſtæ animã, Chriſti Domini Iudicio oblatã intuetur: in qua cùm Dominus præter leues quaſdã negligẽtias, quas in diuino Officio perſoluẽdo, admiſerat, nihil expiãdũ repeꝛiiſſet: iis proprio ſãguine abſterſis, cæleſti benedictione donatã, ad æthera trãſmiſit.

*Obitum ſuũ Fratribus prædicit.*

*Franciſcum Aeſinum in morte glorioſum cernit.*

*A Chriſto gloria donatur.*

XLII. Poſt Ioãnis Baptiſtæ obitum, olim fama fuit; illum cuidam Ordinis Deuoto, qui in Aquæſpartæ Oppido, extremũ ſpiritum agebat, glorioſum apparuiſſe, eiq; cæleſte præmiũ annunciaſſe. Deniq; cùm ipſius corpus ſimul cũ Frãciſci Aeſini corpore, in eadẽ Arca conditum fuiſſet: decimo, poſt vtriuſq; obitum, anno: dum Fratres eorũ corpora, vt in nouũ ſepulchrũ transferãt, omni diligẽtia exquirũt: accidit, vt lignea Arca, iã ob loci humiditatẽ, putrefacta, dum humũ ligone effodiunt, caſu, ac impru-

*Ordinis Deuoto glorioſus apparet.*

*Franciſci, & Ioã. Baptiſtæ Corpora poſt decimum annum integra reperiuntur.*

denter, alterius eorum pedi vulnus infligunt: ex quo cùm ſtatim ſanguis, tanquam ex viuo corpore efflueret; eo ſigno Corpora reperiunt, eruunt, efferunt: atque vtraque tam integra atque incorrupta conſpiciunt, perinde ac ſi eo die ſepulta eſſent. Res planè cunctis admirabilis viſa fuit, ac ſola Omnipotentis Dei virtute patrata. Quapropter diuinam quàm maximè potentiam, ac magnificentiam laudantes: Corpora Nouo Sarcophago incluſa, honorificentiùs in Sepulchro recondunt.

Porrò necdum hic annus integer effluxerat; quum Paulus III. iam octoginta, & XLIII.
vnius annorum ſenex, cùm Apoſtolicam ſedem annis quindecim, dies viginti octo adminiſtraſſet, in Quirinali Monte 4. Idus Nouembr. ex hominum vita ad meliorem concedit. Cuius ea ſuprema morientis ad Cardinales vox fuiſſe dicitur; vt optimum eligerent, qui ad totius Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem, ſibi in Pontificia dignitate ſuccederet.

*Paulus III. ex humanis excedit.*

Cæterùm, quæ olim à B.P. Franciſco Ordinis Detractoribus comminata fuêre; hoc anno, nonnullos, qui in Capucinorum Religionem ora ſoluere, ac calumnias augere auſi ſunt; Deo vlciſcente perſtrinxerunt. Etenim in Oppido Melipignani, Hydruntinæ Prouinciæ Claudius, quidam Moracius, Bergomas, dictũ Vatis ignorans: qui à Sacrorum Virorum conuiciis abſtinendum monet, dicens *Nolite tangere Chriſtos meos:* Capucinorum famam ita dilacerabat; vt publicè aſſerere haud dubitaret; ſe Diaboli potiùs, quàm Capucinorum Miſſæ malle intereſſe. Cúmque in eo Capucinorum odio, ac maledicentia diu perſiſteret, nec maledictis finem imponeret, accidit; vt ante Capucinorum Conuentum, paulò poſt miſerum inimici inuaderent, ac pugionibus confoſſum, totum ferè illius corpus ictibus terebrarent: oſque, quo tot maledicentias in Fratres protulerat, ingenti lapide contererent. Luxerunt Fratres repentinam hominis internecionem, eò præſertim, quòd Deo mortuum ſuſpicarentur: Veruntamen diuinæ vindictæ Iudicium, quo Miſer inopinatò oppreſſus fuit, eò lubentiùs cunctis extimeſcendum proponimus; vt ex eo alij quoque prudentiùs addiſcant; ab omnium quidem; præſertim verò, ab eorum qui Deo conſecrati ſunt, detractione linguam coërcendam eſſe, de quibus Dominus idcircò apud Prophetam ait. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

*Pſal. 104.*

*Ordinis Calumniator à Deo infauſta morte mulctatur.*

*Zachar. 2.*

Aliud quoque huius rei exemplum hoc tempore accidit. Cùm in Oppido S. XLIV.
Marini de Capucinorum Conuentus ædificatione ageretur: Vir quidam, qui Prior cognominabatur, prædium ſuum duplo, quàm omnium opinione valeret, Capucinorum nomine emi poſtulabat. Hi verò, qui res Capucinorum agebant, cùm prætij nimium exorbitantis ſumma deterrerentur, locũque minùs ædificationi aptum animaduerterent: ab illius agri emptione ſibi abſtinendum duxerunt: quamobrem Vir ille, in Capucinos indignatione efferuens, non modo impudentiſſimis calumniis confictis, in Religionis nomen debacchabatur: verùm vbicumque Fratres offenderet; conuiciis, ac contumeliis proſequebatur. At diù hominem, in Dei Seruos maledicum, diuina vindicta non tulit; Nam dum venena adhuc in Religionem euomeret, intempeſta noctis hora, magnus in domo illius ſtrepitus, atque horrenda planè vox auditur: ad quàm cùm vicini accurriſſent: Priorem nudum è ſtrato deiectum, & ad medium vſque cubiculum à Dæmone raptatum, atque exanimem reperiunt; aſpectu ita horrendum, ac deformem, perinde, ac ſi ab aliquo laqueo peremptus fuiſſet; quæ res tam ingentem vniuerſis metum incuſſit, vt mox cuncti iuſtam hanc Dei in eum animaduerſionem, ob illatas Capucinis contumelias, eſſe acclamarent.

*Ordinis perſequutor à Dæmone ſuffocatur.*

E regione, hoc ipſo tempore, S.P. Franciſci erga Virum Ordinis benefactorem, XLV.
pietas maximè emicuit. Nam in Oppido Amandulæ, Pharmacopola quidam, Potentianus nomine, Vir ad miraculum pius, pharmaca omnia, quæ ægrotis noſtris neceſſaria erant, abſque vllo pretio adminiſtrabat. Hic cùm proſcriptum quendam, hominem flagitioſum, ac perditum, infenſiſſimum hoſtem haberet; ab eo illi ſæpè, in itinere, inſidiæ inſtructæ fuerant; vt cùm primùm ad Capucinorum Con-

uentum



uentum accederet, quò ſæpè deuotionis cauſa pergere ſolebat: glande configeret. Cùm igitur impius homo, Potentianum ad Conuentum euntem, die quadam è denſiori ſylua obſeruaret. Ibat Potentianus ſolus, nullo ſibi Comite adiuncto: quem tamen occultus Inſidiator, à quamplurimis eum comitantibus ſtipatum cernit. Pietas enim quã is erga Dei Seruos exercebat, multos illi è Cælo comites Angelos aduocabat. Fremebat Graſſator, qui ſanguinarium conſilium, ſibi ab ea hominum multitudine impediri conſpiciebat: verùm cùm inſanis furiis exagitatus omninò hominem è medio tollere decreuiſſet: Potentianum, eo tametſi (vt illi videbatur) comitatu ſeptum, tormento oppetit. At globulus igneus, diuina virtute, in caſſum inter vtrumque fœmur prætериens, fœmoralia tantùm perforat; neque vllum prorſus ei damnum infert. At ille rabie percitus, iterum ſcelus tentat; hominemque rurſus bombarda aggreſſus, glandem ad ventrem dirigit: quæ cùm thorace, ac induſio penetratis, ad carnem vſque pertigiſſet; ibi diuina virtute ſubſiſtens, illæſum hominem relinquit: vt eò clariùs addiſcant, qui Ordinem vera, ac præcipua deuotione, & veneratione proſequuntur, iis è Cælo præſidium non deeſſe, quo in periculis, & aduerſis rebus diuina protectione cuſtodiantur.

*Ordinis Benefactor Angelos Comites habet.*

*Dei Miraculo à nece præſeruatur.*





IAM

ANNVS CHRISTI. IVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1550. 1. 32. 26.

*Iulius III. Pontifex creatur.*

I. IAM ſuperior Annus effluxerat, & Paulo Tertio ex humanis ſublato, adhuc Apoſtolica Sedes, vigentibus inter Cardinales diſsidiis vacabat, cùm præſens Annus Milleſimus quingenteſimus ſupra quinquageſimum Chriſto Domino Vicarium, Petro ſucceſſorem, atque Orbi Chriſtiano Pontificem reddit Iulium Tertium Aretinum, Vincentij filium: qui cùm priùs Ioannes Maria de Monte appellaretur; magnum iuſtitiæ, integritatis, ac prudentiæ ſpecimen, maximis in rebus prodiderat. Is cùm die ſeptima Februarij Pontifex coronatus fuiſſet; mox Iubileum annum indicit, Portam ſanctam conſuetis cæremoniis aperit, ac Tridentinum Concilium, quod propter peſtilentiam, ac bella graſſantia, Bononiam anno 1547. tranſlatum fuerat; Caroli Imperatoris rogatu, Tridentum reuocat, ac proſequendum curat.

*Bernardinus Generalis in Romana Prouincia Conſtitutiones ſancit.*

II. Interea Bernardini Aſtenſis Generalis virtus, ac ſapientia in moderanda Capucinorum Congregatione, maximè elucebat: qui cùm in eam perfectè efformandam, illuſtrandam: atque vtiliſsimis legibus communiendam, totus animo incumberet; pleraque hoc anno in Romana Prouincia, obſeruanda conſtituit: quæ cùm ad totius Congregationis, nedum Prouinciæ vtilitatem ſpectarent; in Generali Capitulo, quod poſt biennium coactum fuit, approbata, ac Generalibus Conſtitutionibus addita fuêre. Hæc, quum primùm de Generalibus Comitiis, quæ Anno 1552. celebranda ſunt: ſermo fiet, à nobis exaranda erunt.

III. Hoc quoque tempore cùm de Pallio, quo Minorum Religio iam à priſcis temporibus vti ſolet, inter Fratres quæſtio orta eſſet; Num ſcilicet; illud ſimul cum duabus tunicis adhiberi poſsit. Quæſtionem Bernardinus, nonnulla rerum declaratione præmiſſa, tam ſapienter diſſoluit; vt ipſius ſententia ab omnibus recepta, inter Generales Ordinis Conſtitutiones relata fuerit: legiſque vim, ac robur ſortita fuerit: quam propterea hoc loco propriis verbis exarandam duxi.

## FR. BERNARDINI ASTENSIS GENERALIS CAPVCINORVM De Minoritani Pallij vſu ſententia.

*Bernardini Aſtenſis de vſu Minoritani Pallij ſententia.*

IV. *OMNIBVS quidem, ad Dei gratiam, tum aſſequendam, tum conſeruandam, neceſſaria eſt diuinæ, & Eccleſiaſticæ legis obſeruatio; à nobis verò Capucinis præter hanc integra quoque Regulæ noſtræ, ac præſertim altiſſimæ Paupertatis obſeruantia neceſſariò exigitur. Quare cùm plerique Fratrum, Regularis obſeruantiæ cum primis ſtudioſi, id potiſſimùm intelligere affectent; Quænam ad veſtitus, qui vel à Regula Fratribus præſcribitur; vel antiquo, & communi vſu approbatus eſt, præceptum concurrant: quis in ea re meus ſenſus ſit, lubenter Fratribus meis aperio; Sententiam verò meam cuiuſque, ac præſertim ſummorum Pontificum, & Catholicorum Prælatorum cenſuræ ſubijcio.*

V. *Dico primò: Fratrem Minorẽ Capucinũ; qui pluribꝰ Tunicis quã duabus à Regula cõceſſis, abſq; vera neceſſitate vtitur, mortifera ſe culpa obſtringere, vt docet Clemẽs V.*

VI. *Dico ſecundò: Cùm Regula duas tantùm Tunicas concedit, omne aliud veſtimen-*





ANNVS CHRISTI. IVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1550. 2. 32. 26.

*ti genus, præter eas prohibere: quod enim ab ea conceſſum non eſt, cenſetur prohibitum, iuxta Regulam iuris. Neque enim B.P. Franciſcus duas tantùm Tunicas nominaret; ſi cum his thoracem, ſagum, fœmoralia, ac Pallium concederet.*

*Duæ tantùm Tunicæ à Regula conceſſæ.*

VII. *Dico tertiò: Pallium ex antiquo Ordinis vſu receptum, quamuis de eo nulla in Regula mentio fiat, Capucinis licere. Id multiplici ratione demonſtratur. Primò: ex antiqua Legenda trium Sociorum D. Franciſci, in qua traditur; Beatum Franciſcum, & Socios Pallio vſos fuiſſe. Secundò: ex antiquis Picturis, quæ B. Franciſcũ Palliũ geſtãtẽ referunt, ex quibus aliquas vidi. Tertiò: ex Pallio D. Franciſci, quod Tiburi aſſeruatur, ac maxima veneratione apud omnes habetur. Quòd ſi Beatus Franciſcus in Regula duarum tantùm Tunicarum, non Pallij meminit, ea cauſa eſt, quòd cùm duas Tunicas magis, quàm vnicam Tunicam cum Pallio, ad frigus depellendum deſeruire intelligeret: imbecilliorum infirmitati condeſcendere voluit; cùm tamen ipſe cum Sociis, vnicam tantùm Tunicam cum Pallio geſtaret.*

*Pallium Minoribus licere, rationibus adſtruitur.*

VIII. *Dico quarto: Pallium Capucinis Fratribus regulariter tunc tantùm licere; quando vnius Tunicæ locum ſupplet: & cum habitu ſine Tunica defertur. Id quoque diuerſimodè probatur. Primò: ex eadem Legenda, in qua refertur B. Franciſcum, ac Socios, habitum tantùm abſque Tunica, cum Pallio geſtare ſolitos fuiſſe; ac præterea Chriſtum Dominum B. Franciſco ſemel apparuiſſe, eique dixiſſe. Ego toto vitæ meæ curriculo ſola Tunica contentus, tanquam leuis Curſor cum ea Pallium ſolum geſtaui. Id tamen de exteriori Tunica intelligendum eſt: Tunicam enim inconſutilem intus ſub ea gerebat, de qua in Euangelio Ioann. 19. Secundò: Sanctus P. Franciſcus in Regula duas tantùm Tunicas concedit. Ergo Fratres Capucini tribus veſtimentis, ſeu pannis vti non poſſunt. Cùm verò Pallium loco vnius panni, ac veſtimenti habeatur: Fratribus Pallium ſimul cum duabus Tunicis geſtare non licet. Id confirmatur ex Piſano in lib. Conformitatum, vbi ait: Execrabatur B. P. Franciſcus Fratres triplicibus indutos. Vbi etiam hæc verba addit: Nolebat B. Franciſcus Fratres ſuos pluſquam duas Tunicas habere, quas tantùm concedebat. Ex quo manifeſtum eſt: D. Franciſci mentem illis Regulæ verbis explicatam, eam fuiſſe; vt Fratres tribus diſtinctis pannis vti non poſſent: & qui ſecùs abſque neceſſitate agerent, Regulam proculdubio violarent.*

*Pallio quando Fratres Minores vti poſſint, aperitur.*

Conformit. l. 1. F. 9. & lib. 2. Fr. 16

IX. *Dico quintò: Minus eſſe Palliũ cum habitu ſolo, quàm habitùm cum Tunica geſtare. Pallium enim præſertim breue, cùm velut dimidiatus pannus ſit, Tunica minus eſt, ac minùs frigori depellendo accommodatum. Quo fit, vt Beatus Pater Franciſcus, Pallium cum habitu ſolo, quàm duas Tunicas geſtare mallet, vt ex illius Teſtamento perſpicuum eſt. Hinc colligo, Beatum Franciſcum cùm binas Tunicas ſimpliciter concedit: magis vnicum habitum cum Pallio concedere; cùm Pallium Tunica minùs ſit.*

*Pallium dimidiatus pãnus cenſẽdus.*

X. *Dico ſexto: Ad frigus depellendum, Fratribus Capucinis licere, tam Pallium, quàm habitum altero panno munire, ſeu vt vulgò dicitur, foderare: neq; enim id Regula, aut Paupertatis ſtatus prohibet. Non Regula. Nam in Teſtamento, quod Regulæ quædam explicatio eſt; expreſsè B. Pater concedit, vt Fratres habitus intus, & foris altero panno munire valeant, qui voluerint. Id enim non eſt pannos multiplicare, ſed vnum pannum munire: neque veſtis munita, aut pelliculata,*

*Tunicæ munimenta Minoribus licita quæ.*

*duæ veſtes ſunt: vt ait Vgo; ſed vna tantùm. At neque id à Paupertatis ſtatu diſſentaneum eſt; cùm & ipſi Pauperes, à quibus B. P. Franciſcus noſtræ Paupertatis exempla colligebat; veſtimenta quoque munita ferant: quanquam id mea ſententia obſeruandum ſit, ne Pallio, vel habitui, pluſquam vnum cuique panni munimentum adhibeatur, niſi ſecus neceſſitas poſtulet: neque ſcrupuloſiùs nimis diſquirendum eſt: num illud munimentum ex nouo, vel obſoleto panno eſſe debeat; cùm neque id B. P. Franciſcus in Teſtamento anxiè quærat, aut præſcribat, cùm ait: Et contenti eramus vna tunica intus; & foris repetiata, ij qui volebant. Vbi à nouo, vel obſoleto abſtrahit, ac cuique arbitrio permittit: tametſi magis auſteritati congruat, vt obſoletum munimentum adhibeatur.*

*Pallio cum ſimplici Tunica vti, tutiùs.*

XI. *Dico ſeptimo: quamuis qui duas Tunicas, vel ſimplices, vel munitas, abſque Pallio geſtant, magis Regulæ literæ ſatisfaciant: qui tamen habitu, vel ſimplici, vel munito ſimul cum Pallio vtuntur; perfectiùs B. Franciſci mentem implent, tutiuſque, ac citra periculum verſantur. Ratio eſt, quoniam ij, qui duas Tunicas geſtant, rarò effugere valent, quin ſæpè Pallium, vel domi, vel foris, vel in itinere, abſque neceſſitate geſtent: quo ſanè Regulam violant. At qui habitum tantummodò quoquo modo munitum cum Pallio ferunt, ab omni ſe periculo liberant, & Beati Patris preſſiùs veſtigia ſequuntur.*

*Quando Pallio, atque duabus Tunicis Minores vti queant.*

XII. *Dico vltimò: Fratribus Capucinis non ita abſolutè Pallij vſum, ſimul cum duabus Tunicis interdictum eſſe; quin iis aliquando eo in neceſſitate frui liceat. Vera autem neceſſitas ex his potiſſimùm colligitur. Primum: cùm iter facturus, imbrem, niuem, aliaſque temporum iniurias metuit. Secundò: cùm ob morbum, vel imbecillitatem ex morbo relictam: pluribus quàm duabus Tunicis eget, ne in morbum recidat; tunc enim Pallium ſibi de Superioris licentia aſſumere valet. Tertiò: cùm ſenio confectus ita calore naturali deſtituitur, vt duabus Tunicis calefieri minimè queat. Quarto: cùm periculo primum de ſeipſo facto, reipſa experitur, ſe abſque mala corporis valetudine, frigus perferre, vel credita ſibi officia perſoluere, aut Choro intereſſe, aut orationi vacare non poſſe; ſi duabus tantum Tunicis vtatur, ac propterea pluribus veſtimentis indigere: hæc enim Fratrem Capucinum excuſant, ſi Pallium ſimul cum duabus Tunicis geſtet. Poſtremò: iuxta aliquorum ſententiam, cùm frigidiſſimas Regiones, vel incolunt, vel iter faciendo pertranſeunt: quanquam ſecus ego expertus fuerim; qui cum Socio ſolo habitu, ac Pallio contentus, ſæpè Montes aſperrimos niue, ac glacie opertos, abſque periculo tranſcendi. Eam ob cauſam ſatiùs ſemper fore iudicaui, habitum tantum cum Pallio, quàm duas Tunicas abſque Pallio deferre.*

XIII. Hæc Aſtenſis Generalis, de Pallij vſu, olim ſententia fuit, quam deinceps cuncta Generalia Capitula confirmarunt: ac decreto in Generalibus Conſtitutionibus ſanxerunt. Dum igitur is in excolenda Seraphicæ Religionis Vinea, & ad vberiorem fructum prouocanda, impigrè laboraret, hoc ipſo tempore Frater Antonius à Monteſicardo Sacerdos, è Piceni Prouincia, ad cæleſtem Patriam euocatur: Cuius hæc extat Memoria.





## *FR. ANTONII A MONTESICARDO, Vita, & Geſta.*

*F. Antonius à Monteſicardo inter Obſeruantes adſcriptus.*

XIV. MONS Sicardus Oppidum eſt in Piceno, Vrbinatum Duci ſubiectum, ex quo Antonius honeſtis parentibus genus duxit. Ab adoleſcentia Domini iugum ferre didicit. Nam annos vix decem & octo natus, graui Sæcularis vitæ iugo excuſſo, leui Domini oneri in Minorum Obſeruantium Ordine humeros ſuppoſuit. In quo tam alta in ſuiipſius contemptu, ac profunda animi humilitate perfectioris vitæ fundamenta iecit: vt cùm iam in Religione prouectus, eo conſilio, ac prudentia polleret, vt cæteris præeſſe, atque adminiſtratione prodeſſe poſſet; eò tamen nunquam adduci potuerit, vt vllum Prælationis genus, ei licèt oblatum, acceptaret. Dicere enim familiaribus ſolebat; vbi integra Regulæ obſeruantia non viget; ibi tutò Prælationem adminiſtrari non poſſe. Denique cùm perfecta Regularis obſeruantiæ diſciplina, atque omnium virtutum ſtudio omnes antecelleret; id ſibi apud Obſeruantes nomen comparauerat, vt in Piceni Prouincia, nemo illo ſanctior, ac perfectior haberetur.

*Dei voluntatem pueri miniſterio explorat.*

XV. Per id tempus, Capucinorum Reformatio, ſub Fr, Matthæo à Baſſio, & F. Ludouico Foroſemproniano, inter prima adhuc ſui ortus incunabula verſabatur; cùm ipſius fama ad Antonium perlata, ad illius amplexum vehementer ipſius animum ſollicitabat; at cùm Dæmonis inſidias prudens pertimeſceret; nec quicquam de illius diuturnitate certum ſibi polliceri poſſet: Deum aſſiduè fuſis lachrymis deprecabatur; vt conſilium ſuum dirigeret, & quid ſibi ſequendum eſſet, demonſtraret. Inter hæc accidit, vt dum Antonius, cum pleriſque ſui Conuentus Fratribus, de Capucinorum Reformatione colloqueretur; quam alij præ Obſeruantium Reformatione commendabant; alij contrà illi propriam Reformationem præferebant: tener quidam puer pauperculus, qui graui capitis ſcabie laborabat; quotidiè ad Monaſterium accederet; cui Frater quidam, rei Medicæ peritus, quotidianam curationem adhibebat. Hunc cùm Antonius vidiſſet, B. P. Franciſci exemplo edoctus, qui ab huiuſmodi puero Dei voluntatem, ad ſocios ſibi eligendos, exquiſierat; puerulum ad ſe vocat: aliiſque adſtantibus Fratribus, illum his verbis compellat. En puer, duæ ſunt Fratrum Reformationes, altera noſtrorum Fratrum Reformandorum; aliorum altera, qui Capucini nuncupantur: Iam tibi in nomine Dei præcipio; vt dicas nobis, quænam harum vera B. P. Reformatio ſit, ac Deo magis placeat. Mirabile dictu: Vix ea Antonius fatus eſt; cùm puer, totus vultu, inſtar flammæ incenſus, ac velut Dei Spiritu agitatus, elata manu, ac extento digito clauſtra percurrere cœpit, qua maiori poterat voce exclamans: *Capucini, Capucini, Capucini*: Cùm tamen, ne Capucinorum quidem vnquam nomen antea audiiſſet. Id protinus cùm ab omnibus diuino operi, ac miraculo adſcriptum eſſet: En (inquit Antonius) ex ore infantium, & lactentium Deus veritatem nobis oſtendere voluit. Ac tunc iam de diuina voluntate certior factus; cum pluribus eiuſdem Conuentus Fratribus ad Ludouicum Foroſemproniamum accedens, Capucinorum Congregationi adiungitur.

*Pueri voce admonitus ad Capucinos cum aliis migrat.*

*Antonij auſteritas enarratur.*

XVI. Inter Capucinos adnumeratus, ſummam vitæ auſteritatem, cum ſummis animi virtutibus coniunxit: nam vnica in die, ac parca refectione contentus, vniuerſas B. P. Franciſci Quadrageſimas, peruigiliáque Feſtorum Domini, & B. Virginis, pànis, & aquæ ieiunio conſecrabat. Animum interea rerum diuinarum contemplatione impinguans, nudiſque ſemper pedibus, abſque ſandaliis gradiens, expeditior vniuerſam Domini mandatorum, ac conſiliorum viam, Dei Spiritu plenus percurrebat. Paupertatis obſeruantiſſimus, cùm toto vitæ ſuæ tempore, vnico tantùm habitu, eoque maiori ex parte præſegminibus compacto vteretur; mentem præclaris patientiæ, manſuetudinis, charitatis, ac reliquarum virtutum indumentis

exornandum curabat. Poſtremò, dum carnis petulantiam, duris flagellis, vigiliis, aſpero cilicio, aliiſque ſeuerioris diſciplinæ rigoribus domare ſatagit, ſpiritum ad cæleſtia liberiorem, & ad Dei dona capeſcenda aptiorem, parat.

XVII. Inuictus quoque pugil, cum hoſte in Religionis palæſtra luctaturus, ne vnde teneretur, haberet; ab omnibus ita abſtinebat: vt præter Breuiarium, & ea, quæ ad Religionis habitum, ex Regulæ præſcripto ſpectarent, nihil omninò ſibi habendum præſcriberet. Cæteróſque tam verbo, quàm exemplo ad hanc rerum nuditatem, & expoliationem prouocans, caſu quodam horribili perterrebat: qui miſero cuidam Fratri, dum ipſe adhuc inter Obſeruantes Reformatos viueret, non pridem acciderat. Cùm enim Cingulanum Oppidum, quod in Piceno, ſub Appennini Collibus, in monte ſe ſe effert, ſæua peſtilentia ita inuaſiſſet; vt quamplurimos quotidiè depaſceret: Obſeruantium Reformatorum Monaſterium, quod ab eo haud longè aberat, ea tabe infectum, ex ſuis non paucos ſibi ſublatos vidit; quos dira lues terris ereptos, in Cælum tranſmiſit. Quod ne leuiter dictum quis exiſtimet; quoties ex illis Fratribus, quiſpiam contagioſo illo morbo ereptus, diē ſuum obibat; Oppidi Cuſtodes, qui in excubiis noctu vigilabant, clarum quoddam lumen è Cælo, in Monaſterium deſcendens intuebantur: quo ſigno mox aliquem ex his defunctum eſſe, certo experimento agnouerant: Angelus quippè (vt creditur) luminis inſtar, è Cælo delapſus, animam ad Deum proficiſcentem comitabatur. Res iam cunctis manifeſta erat: ac quatuordecim hoc ſigno è viuis exceſſerant. Quū Frater quidam Laïcus diem tunc extremum claudit, in cuius obitu, cùm lumen è Cælo minimè à Cuſtodibus conſpectum fuiſſet: ea re Oppidi Proceres maximè commoti, à Fratribus, cuiuſnam vitæ, ac conuerſationis defunctus ille extitiſſet; curioſiùs inueſtigant. Fratres verò, quibus defuncti vita laudabilis ſemper viſa fuerat; cùm Religioſam illius conuerſationem apud homines commendarent; rem tamen tacitè apud ſe conſiderantes: tunc primùm de illius ſalute dubitare cœperunt. Porrò inter illius Conuentus Fratres, Vir erat ætate grauis, ac pietate inter alios conſpicuus; qui cùm factum altiùs ſecum perpenderet; ſuffragia pro defuncto offerre; atque à Deo lachrymis poſtulare cœpit; vt Fratris illius ſtatum ſibi pro ſua benignitate declararet. Dum igitur intempeſta nocte, Senex pro defuncti anima Deum rogat; En ingens flamma, in qua defuncti anima, igneis catenis ligata tenebatur, oranti apparet: Quam cùm Senex haud ſine mentis, ac corporis horrore conſpexiſſet; ab ea, cuiuſnam anima ſit, percunctatur. At illa, Heu me infelicem, ait: anima ſum Fratris illius Conuerſi, nuper defuncti. Tum ad eam Senex. Num ſaluus es Frater? At ille. Heu maledicta dies, in qua natus ſum; dies, in qua peperit me mater mea: maledictus Vir, qui annunciauit patri meo dicens: Natus eſt tibi puer maſculus: qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea ſepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Heu cur exceptus genibus? Heu cur lactatus vberibus? Neque enim me nunc æternæ damnationis ſententia premeret, nec igneus me hic diuini furoris turbo poſſideret. Quid de mea ſalute quæris? De damnatione potiùs quære. Dei enim fulmine attritus, æternis Tartari flammis in morte adiudicatus fui. Heu Frater (ait Senex) & vnde tantum tibi malum? Cui ille; Quinque (inquit) Roſaria æternum mihi incendium pararunt. Totidem enim mihi, abſque Superioris licentia, ab amico compraueram: quæ cùm propinquis meis dono elargiri ſtatuiſſem; ea nec Superiori vnquam aperire, vt eorum mihi ab illo facultatem exorarem; nec culpam in Confeſſione agnoſcere; eò quòd res mihi leuis videretur, mihi in animo fuit: quamuis enim nonnunquam malefacti conſcientia latraret, eam tamen rei paruitate, velut iuſta excuſatione, ſedabam. Cùm verò ad Dei Iudicium ventum eſt, quandoquidem res iam non leuis, ſed grauior, quàm mihi mea ſententia perſuaderet, à Deo iudicata fuit, inter Proprietarios relegatus, ac in Orcum detruſus, iuſtam æternæ damnationis ſententiam accepi. Atque vt hæc vera eiſe intelligas, ſi ſcabellum

*Paupertatis ſtudio flagrat.*

*Plerique ex Obſeruantibus peſtilentia ſublati, Cælum conſcendunt.*

*Laicus inter Obſeruantes à Chriſto damnatur.*

*Ob quinque Roſaria inter Proprietarios relegatur.*

Oratorij



Oratorij, vbi orare conſueueram, perluſtraueris, ibi Roſaria malis auibus mihi cōparata reperies: Ego verò ad Proprietarios relegatus, cum iis æternum moriturus abeo. Hiſq; dictis abſceſſit. Senex verò, cùm illius mox rei Guardianum conſcium feciſſet; Oratorium ſimul explorantes, abſcondita ſub illius ſcabello Roſaria offendunt.

XVIII. Hoc itaque damnati Fratris exemplo, atque aliis hortationum verbis; Fratres, non ſolùm à rerum, tametſi minimarum poſſeſſione, ac proprietate; ſed etiam à ſuperfluarum copia deterrebat. Cur, Fratres mei, aiebat, B.P. noſtro Franciſco ſapientiores eſſe volumus; qui nec ſibi, nec aliis quicquam, præter ea, quæ in Regula præſcribuntur, quæque neceſſaria ſunt, vnquam permittere voluit? Quid ſuperflua, ac minùs neceſſaria quærimus; quæ leuem animum; non modò ſuo pondere deorſum trahunt, quò minùs ad Deum liberè euolare queat: verùm & Capucinum hominem in ſupremum ſalutis diſcrimen adducunt? Cùm enim quæ ſuperuacanea ſunt, neque à Regula, neque à B. P. Franciſco, neque à Chriſto, qui Regulæ primus auctor eſt, illi concedantur: quonam obſecro iure illis vtitur? Aut qua ratione, ab iniqua rerum poſſeſſione ſeipſum liberare valet? Et ſiquidem, iuxta multorum Patrum ſententiam, Eccleſia nonniſi rerum neceſſariarum, quæ Ordinis vſui cedunt, in ſe proprietatem transfert: cuiuſnam rerum ſuperfluarum, præterquam poſſeſſoris Fratris, proprietas erit? Quamobrem iis, qui ſuperfluis rebus delectantur, magnoperè verendum eſt, ne coram Deo inter Proprietarios habeantur. At neque meo iudicio à crimine vacant, aut iuſtè ſe excuſare valent, qui hæc ipſa ſibi à Superioribus conceſſa fuiſſe dicunt. Cùm enim Superioribus, in ea, quæ ſuperflua ſunt, poteſtas omnis à Regula interdicta ſit: quo pacto rerum ſuperfluarū: quæ eorum poteſtatem effugiunt; vſum aliis concedere poſſunt? Quo fit, vt nō modò ab iis ſuperfluis cuique abſtinendum ſit, quæ nulla Superioris facultate ſibi vendicat: verùm & ea quoque abiicienda, quæ à Superiore conceſſa, ſuperuacanea eſſe iudicantur.

*Superflua habentes, ab Antonio ſuggillantur.*

*Rerum ſuperfluarum proprietas apud poſſeſſorem.*

*Superiores ſuperflua ſubditis concedere nequeunt.*

XIX. Hæc huius ſancti Viri doctrina, cùm non aſpernando veritatis fundamento innixa, S.P. noſtri Franciſci placitis conſentanea eſſet, qui præter ea, quæ neceſſaria ſunt vniuerſa abiicienda eſſe admonebat, his verbis. *Cui totaliter, dilectiſſimi Fratres, inhærentes, nihil aliud pro nomine Ieſu Chriſti in perpetuum ſub Cælo habere velitis*: quamplurimos, vt à ſuperfluis abſtinerent, deterrebat. Verùm id magis ſuo exemplo præſtabat. Hinc enim ab omni cuiuſcunque rei, quantumuis minimæ, ſuperfluo vſu ita abhorrebat; vt Roſarium, quod ab Vrbinatum Duciſſa dono acceperat; quoque de Superiorum licentia vſus fuerat; cùm morti proximus, ab eadem Duciſſa, in extrema valetudine inuiſeretur, eidem reſtituerit: ea potiſſimùm ratione fretus; quòd illud communi vitæ curſu abſoluto, ſibi ampliùs neceſſarium non eſſet. Ita enim liber hinc ab omnibus euolare optabat; vt ne quidem Roſarium, vbi iam illius illi morte vſus intercipiebatur, ſibi relinquendum putaret.

Reg. c. 6.

*Roſarium dono acceptum in morte reddit.*

XX. Ob præclaras Antonij virtutes, quibus inter cæteros in Piceni Prouincia emicabat: Nouitiorum aliquando illi cura, & educatio commiſſa fuit; quam tametſi inuitus, ex obedientia tamen ſuſceptam, per aliquot annos, ſummo ſtudio, ac diligentia exercuit. Cuius illud teſtimonium fuit. Cùm enim hoc in munere, Vrbini, in Cōuentu Croſichij verſaretur: accidit, vt Vir quidam Nobilis, ac Fratribus familiaris, quo tempore Nouitij in effodienda tellure, quotidiano operi vacabant, cum eo in Horto deambularet. Dumq; varia inter ſe miſcent colloquia, Antonius frequenter oculos in quendam Nouitiū coniicit: ac interrupto ſermone, illius operi ſeriùs animum intendit. Admirabatur Vir Nobilis, attentiorem illum Antonij, in Nouitium intuitum: cumque nullam in Nouitio illius cauſam deprehenderet, ab Antonio percunctatur: quidnam in eo Nouitio ſpectandum aduertat, quo in eum potiùs, quàm in cæteros animum appellat. Cui Antonius: Ne mirêre (ait) Satanam vidi iuxta Nouitium illum ſtantem, multiſq; ei verbis, vt à cœpto labore deſiſteret, per-

*Nouitium à Dæmone tentatū videt.*

ſuadentem.

ſuadentem. Verba Tentatoris,quæ ſuggerebat,audiui. Nouitium quoque Satanæ reluctantem percepi. Ea me Nouitij lucta attentiorem reddidit: ne forte Diaboli fraus, ac perſuaſio, aduersùs illum præualeret.Hinc quanta in iis educandis cura, ac ſollicitudo illi ineſſet: quámque in grauiſſimo illo munere obeundo, diuina benignitas copioſè illi è Cælo affulgeret, perſpicuum eſſe poteſt.

XXI. Abſtinentia tam fuit admirabili, vt in vtraque, & Reformatorum, & Capucinorum Religione, triginta circiter annos,in panis & aquæ ieiunio expleuerit:cuius ita obſeruantiſſimus erat; vt neque ægrotans, neque iter faciens, ab eo declinare vellet. Semel cùm longum iter facturus eſſet, à Socio rogatus, vt vel ante profectionem aliquo ſe cibo refocillaret; vel ſaltem panis aliquid ſecum in itinere deferret, quo fatigatus veſci poſſet: vtrunque agere renuit, quamuis iam ætate, ita grandæuus eſſet, vt ab ipſo Ieiunij præcepto abſolui potuiſſet. Hoc modo iter aggreſſus, cùm meridiè tranſacto, iam vires illi ad iter proſequendum deficerent; præeunte Socio ſubſtitit; oculiſque in Cælum erectis, Deum precatur, vt qui volucres Cæli paſcit, & dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum; ipſum quoque in ea neceſſitate non deſerat. Vix ab oratione ceſſauerat, cùm ſe fonti proximum, & iuxta illum dimidiatum panem, grandiorem, recentem, albumque eò diuinitus allatum conſpicit; quo cum gratiarum actione ſumpto, eo diuina virtute, non tam reſtitutas, quàm auctas ſibi corporis vires ſentiens; reliquum iter tanta leuitate confecit; vt & Socium præeuntem prætererit, & nulla ampliùs, eo die, cibi refectione indiguerit.

*Per triginta annos, in pane, & aqua ieiunat.*

*Panis illi à Deo miniſtratur.*

XXII. Rerum diuinarum contemplationem, aſſiduo Orationis ſtudio, tam ſibi familiarem comparauerat: vt vbique animum è terrenis rebus ſuſpenſum, ac Cæleſtibus occupatum gereret. Quadam die, cùm in communi menſa, cum cæteris familiæ Fratribus diſcumberet; deuoti cuiuſdam libri, qui ſpeculum Crucis inſcribitur, lectionem audiens; tam ardenter ſurſum agi cœpit: vt corpore altius è ſolo exurgente, Vir Dei, tota ſpectante Familia, in aëre ſubſiſteret; tandiuque in eo corporis ſtatu perſtaret; quod abſoluta Refectione, Familia conſuetas Deo gratias perſolueret: Guardianus verò, qui Antonij ſpiritum, num ex Deo eſſet, Obedientia, atque humilitate probare decreuerat: ſimulátque ab extaſi reuocatus fuit, his, illum verbis compellat. Antoni, iam nunc opera tua egeo: vt opus, quod manè in horti cultura imperfectum deſerui, mecum perficias. Cui Antonius, En præſto ſum, Pater, ait opem qualemcumque potero, feram: arreptoque ligone, tametſi iam præ ſenio viribus imbecillis eſſet, Guardianum proſecutus eſt. At Guardianus necdum eo contentus, vt Fraternam in eo charitatem experiretur: ſeorſum illum aſſumens, ait: Antoni, eſt mihi in hoc Monaſterio, Frater quidam, moribus diſſolutus, atque indiſciplinatus. Antonius verò cùm à murmuratione angue peiùs abhorreret, ſimulátque prima hæc Guardiani verba percepit, protinus adgeniculans, ait: Pater, memini, me necdum Aſino lectum ſtrauiſſe (curam enim cuiuſdam Aſini gerebat) Si placet, meo muneri ſatisfaciam. Hoc pacto à Guardiano declinat, qui cùm illum ad ſtabulum vſque eminus proſecutus fuiſſet; genuflexum tandem in ſtabulo, atque in oratione defixum, paulatim ſe in aëra extollentem reperit: quo obſtupeſcens; cùm veram illius ſanctimoniam eſſe, certò teſtimonio comprobaſſet, maxima Virum deinceps in veneratione habuit.

*In menſa, in Extaſim rapitur, ac corpore ſurſum eleuatur.*

*A Guardiano ipſius ſpiritus probatur.*

*In ſtabulo orans ſurſum effertur.*

XXIII. Horas Canonicas in Choro tam attentè, ac tanta corporis compoſitione Deo perſoluebat: vt quamuis ſenio iam confectus eſſet; nunquam tamen aut ſedilibus, aut parieti innixus, ſed recto ſemper corpore, niſi aliud res ipſa diuina poſtularet, Deo pſalleret. Diuinam enim Maieſtatem, cui laudum illud penſum exoluitur, animo præſentem aſpectans, omni, tum animi, tum corporis compoſitione proſequendam affirmabat.

XXIV. His dum Fidelis Dei ſeruus, Diuina comitante gratia, ſedulus vacat: Deoque omni ſtudio placere, & diuini nominis gloriam præclara operum, ac virtutũ luce,





luce, augere curat: haud ſanè mirum, quòd Deus glorificatorẽ ſuum, ſignorũ quoque gloria illuſtraret. Etenim Antonij Sanctitate, longè latéque per Picenũ Agrum peruulgata; omnes ferè illius regionis ægri; præſertim ex Petræ rubeæ Oppido, ad eum confluebant; qui exiguam chartulã, in qua ſancta nomina Ieſu, Mariæ, & Ioſephi manu ſua conſcripta erãt, ab eo accipientes; protinus corporis in columitatem conſequebantur. Ruſticus quidam ex Foroliuienſi Agro, qui hydropiſi, & crurum dolore grauiter laborabat: celebri eius nominè audito; cum iter ad eum auſpicatus fuiſſet; vix duo, aut tria millia paſſuum confecerat, cùm repentè ab vtroque morbo liberatus, toto ſe corpore ita incolumem ſentit; vt plurimos deinde annos, abſque vlla morbi afflictatione tranſigeret. In Aſculana Vrbe mortuum; puerum ſua oratione ad vitam reuocaſſe, conſtans omnium fama fuit.

*Quamplurimos Ægrotos diuina virtute curat.*

*Ruſticus à Morbo liberatur.*

*Puer ad vitam reuocatur.*

XXV. Narniam cùm aliquando ex itinere perueniſſet; caſu contigit, vt à quodam Paſtore in Sylua, quæ Conuentui noſtro proxima eſt, ignis accenderetur: cuius cum ventus; qui eo tempore flabat; huc atque illuc flammas diſpergeret; eo factum eſt, vt ingens inde incendium excitatum, in momento totam ſyluam incenderit, atque abſumpſerit. Res propemodùm horrenda erat, crepitantium flammarum, quæ à vento ferebantur, ſtridorem, ac ſtrepitum audire; flammarumque volumina, ex arbore in arborem inſilientia, tam voraciter ingentes, quaſque plantas exedere, vt vix trunci igni ſupereſſent: incendiũ verò cùm propiùs ad Conuentum accederet: eo perterriti Fratres, vniuerſi è Monaſterio egreſſi illud euadere curabant. Aderãt tunc in eo Monaſterio Euſebius Anconitanus, Bernardinus Mõſulmenſis, ac plerique alij Patres, qui cùm Romã ad Generalia Comitia proficiſcerentur, ſimul è cõuentu exeũtes, ad deuaſtantis incendij conſpectum exhorrebant. Vltimus tãdem Fr. Antonius fuit, qui cum ſenio grauaretur, lẽtiùs cæteris progrediebatur. Is vbi flãmas conſpexit, ſubridens, ac manu, capitiſq; motu quædã lætitiæ ſigna edens: mox ad Monaſterium redit. Antonium ſecutus eſt Frater Angelus à Colle-diſcipuli; vt quid ab eo fieret, curioſiùs exploraret. Vix Antonius ad Cellam peruenit, cùm eum flexis genibus Deum cum lachrymis orantem cernit: moxque eo orante, incendium miteſcit. Porrò necdum ab oratione ſurrexerat, cùm incendij flammæ, vt eò clarior Dei virtus, atque Antonij orationis vis eluceret, inter quædam ſicca folia, atque aridos arborum ramos, penitùs extinguuntur.

*Incẽdium ſua oratione extinguit.*

XXVI. Iam verò Sanctus hic Dei ſeruus, multos ſenectutis annos, pari vitæ auſteritate, ac ſanctimonia traduxerat: quum paucis ante obitum annis, certæ ſuæ electionis, ac prædeſtinationis à Domino ſigna accipit: quæ is, ſub incertæ perſonæ nomine, aliquando nonnullis familiaribus, his verbis declarauit. Noui hominem (inquit) qui cùm per annos quatuordecim, poſt Matutinas Horas, inſomnis totum illud noctis ſpatium in oratione inſumpſiſſet: nocte quadam orans, ſub Auroræ crepuſculum, vtraſque Eccleſiæ fores pateſieri; formoſiſſimorumque hominum Supplicationem Eccleſiã ingredi conſpicit. Poſtremus verò, Vir omnium nobiliſſimus, ac ſpecioſiſſimus, tanta cum majeſtate gradiebatur; vt facilè omnium, qui in Supplicatione erant, Caput agnoſceretur. Hi cùm ad Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare perueniſſent, cuncti adgeniculantes Sacram Euchariſtiam adorant, eo vno Illuſtriſſimo viro excepto; cui ab Adoleſcentibus quibuſdam, qui Sole fulgidiores erant, aurea Sedes in ipſo Altaris ſcabello paratur. In ea cùm vir ille ſediſſet; protinus iubet, Fratrem, qui in extremo Eccleſiæ angulo orabat, ad ſe accerſiri: qui cùm claro intus mentis lumine illuſtratus; Virum illum, in Throno ſedentem, Dei Filium eſſe intelligeret: capite ad terram vſque demiſſo, ad eum accedens pronus ante illum iacebat. Cui Dominus, Plurimùm, Fili mi; (inquit) in amplificanda, ac propaganda Majeſtatis meæ gloria laboraſti: dura multa pro nomine meo pertuliſti: qualẽ ergo nunc premium accipies? Iam pete, quod vis; vt illud ex benignitate mea

*Antonij viſio enarratur.*

aſſequaris. Cui ille. Quem Domine, quem tua benignitate proſequeris? Amnon ſordidum hominem, vilem, flagitioſum, totq; ſceleribus reſperſum, vt nihil vnquam, præterquàm iram tuam promeruerit. Veruntamen, ſi, quæ tua clementia eſt, indignum reſpicis: id tantùm ſupplex à te peto, vt culparum mearum faſciculos, quos impiè collegi, diſſoluere, ac tuo Sanguine ita tibi placeat delere: vt ne vna quidem maneat ſuperſtes. Poſthæc verò, ita me tua gratia, ac beneuolentia dones, vt ab ea nullo vnquam tempore excidere valeam. Dominus autem illum placido vultu intuens, ait: Gratum mihi eſt, quod petis. Moxq; ad Angelos conuerſus, Afferte, ait, ad me Librum vitæ: quo ſtatim oblato; alteroq; Angelo Domino calamum adminiſtrante, cùm ipſe atramentarium geſtaret, Dominum proprium ipſius nomen in Libro vitæ ſcribentem ſuis oculis conſpicit. Quo facto Dominus, eidem benedictionem impendens, repentè cum tota illa cæleſtium hominum, & Angelorum corona ad ſuperna ſe contulit.

*Antonius à Chriſto vitæ Libro inſcribitur.*

XXVII. Ineffabili hoc dono à Domino accepto, Antonius, ne ſuperbia immutaret intellectum eius, neuè aliqua præſumptio deciperet animam illius, cùm octuageſimum circiter annũ ageret: grauiſſima carnis tentatione à Deo probatur; qua tam acriter exagitari cœpit, vt quoquò ſe verteret, obſcœna ſpectacula illi ab immundo Spiritu vbiq; animo obiicerentur. Pugnabat Senex contra adoleſcentiæ vitium, quo ſe iam liberum, ac rude donatum fore exiſtimabat: ac tunc carnis incendia ſentiebat, cùm libidinis calore præ labentis æui fluxu frigeſcente, nix toto capite albeſcens frigidiſſimã ætatis hyemem in carne graſſari renunciaret. At hoc ſtygij illius fabri opus erat, qui cùm prunas in glacie ardere faciat, in Antonij carne, ieiuniis, ciliciis, vigiliis, atque omni macerationum genere iam ferè attrita, tot libidinis flammas, nedum igniculos excitat; vt iam Antonio præ ardoris vehementia tentatio intolerabilis videretur; ac ſe diu in Religione permanere poſſe penè deſperaret. Iam illum nec panis, & aquæ ieiunia, neque vſque ad ſanguinem flagella, neque aſpera cilicia, neque ardentiſſima ad Deum ſuſpiria, aut profuſæ in oratione lachrymæ; quibus hoſtem edomare, ac proſternere conſueuerat, quicquam illum eo tempore iuuabant, aut Diabolicæ tentationis onus leuabant. Fruſtra omnia tentabantur. Ardor enim concupiſcentiæ, quo maioribus carnis aſperitatibus premebatur, eò altiùs aſſurgebat. Quid plura? Horribili hac tentatione, quæ iam ab hoſte tot præliis proſtrato, præter ſpem excitata fuit; Deus dilectum Seruum ſuum, quem iam in Libro vitæ conſcripſerat, ac perpetua ſibi charitate coniunxerat, probari voluit: vt nihil tot vitę auſteritatibus, ac propriæ virtuti adſcriberet: ſed omnia diuinæ clementiæ, ac benignitati, à qua vis omnis, ac virtus, tum ad reſiſtendum, tum ad bonum perficiendum manat, tribuenda addiſceret.

*Grauiſſima carnis tentatione probatur.*

*Propria virtuti nihil adſcribendum.*

XXVIII. At verò vbi Antonius terribili hac tentatione aliquo tempore probatus fuit: fidelis Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, non modò tentationem abſtulit; ſed & cum tentatione prouentum dedit, vt Iacobi Apoſtoli vox obtineret dicentis: *Beatus Vir; qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet Coronam vitæ.* Paucis enim poſthæc diebus elapſis Maceratæ in morbum incidit, ac ſingulari animi, ac Sacramentorum præparatione ad ſuperna diſpoſitus, hinc purus migrat; vitamq; magna cum virtutum Sanctimonia tranſactam, beato fine concludit: Deniq; pro breuiſſimo tentationis labore, perpetuam vitæ coronam accipit.

*Iacob. 1.*

*Macerata rebus humanis valedicit.*

## *F. PETRI A MAZARA.*
### *Vita, & Geſta.*

XXIX. EODEM quoq; tẽpore, Fr. Petrus à Mazara, Vrbe Siciliæ Littorali, in ora Auſtrali, inter Thermas, & Lilybœum ſita; violẽter Cælũ rapuit. Hic enim, cùm nobili genere ortus eſſet, ſui generis ſplẽdori, maximas ſuis vitiis tenebras offũdens, prauæ

educa



educationis vitio, eò ſcelerum peruenit, vt omni flagitiorum genere primum iuuentutis florem contaminauerit. Homo natura ferox, audacia furens, promptus ad vim, ad omne facinus audax, nihil præter ſcelus, atque perniciem animo volutare videbatur. Sic enim prodigioſo ſe furore in omne crudelitatis genus præcipitem dederat; vt neque ſexui, neque ætati parcens, quem ſibi aliquo modo infenſum haberet, ad cædem deſignaret. Vir luxurioſus, atq; ad omnem libidinem effuſus: quem nec pudor ab infamia, nec generis, ac familiæ macula à turpitudine auocarent. Mulierem enim, quæ ſuæ libidini inſeruiebat: ſola ſuſpicione ductus, quòd ſeipſam alteri proſtituiſſet, fiſſo vſque ad ſexum vtero, truculenter necat. Riualem quoque eodem modo crudeliter trucidat. Ob hæc, ac pleráque alia nota facinora, cùm morti adiudicatus eſſet, patris ære redemptus, iterum in grauiora relabitur: Nam Mazaræ Vrbis Gubernatoris filium, adhuc puerum, qui eum fugientem inſequebatur, præ furore arreptum, in fruſta concidit. Hinc cùm ſeipſum Proſcriptorum Ducem, ac Caput conſtituiſſet, tot ſcelera ſceleribus addidit: vt ad necem vndique à Magiſtratibus quæreretur.

*F. Petrus à Mazara plurimis vitiis irretitus.*

*Scortum, ac Riualẽ crudeliter necat.*

*Puerum in fruſta concidit.*

XXX. Dum igitur flagitioſiſſimam exul inter ſceleſtos vitam duceret, Deus, qui diues eſt in miſericordia; quandoquidem in eo bonitatis ſuæ diuitias oſtendere decreuerat: illum ad meliorem vitæ frugem facto mirabili pertrahit. Cùm enim bellicis bombardis, atque armis, quibus id hominum genus onuſtum incedere ſolet, circumſeptus; quadam die, ad aluum expurgandum, in ſecretam nemoris partem ſeceſſiſſet; armáque iuxta ſe, vti ſemper ſolebat, depoſita collocaſſet; vix aluo exonerato, ea repetere voluit; cùm neque tormenta, neque alia; quæ ibi depoſuerat, arma adeſſe comperit. Rem Vir ſtupidus admiratur. Cúmque à nemine inde ſublata fuiſſe, prorſus illi indubitatum eſſet: factum altiùs animo perpendens, illud non hominum, ſed Dei opus eſſe, quo ad meliorem illum vitæ frugem prouocat, non obſcurè percipit; protinúſque quaſi Diuinum, de non ſæuiendo, Edictum è Cælo ſibi allatum accepiſſet; ab omnibus non modò ſibi armis deinceps abſtinendum ſtatuit: Verùm & cum iis, vitam quoque tot facinoribus turpem exuere, ac in meliorem commutare parat. Quapropter mox ſociis valedicens, mentéque, cæleſti dono, in meliùs mutata, anteactæ vitæ ſcelera deflere, & ad pœnitentiam ardentiùs animari cœpit. Nemora, quæ priùs innoxio ſanguine conſpergere ſolebat; tũc primũ lachrymis rigat; pectus tũdit; mentẽq; præteritorũ ſcelerũ dolore dilacerat. Deus verò, ſuprem⁹ luminũ Pater, qui Petri animũ ad sũmũ doloris ac Pœnitentiæ apicẽ pertrahere decreuerat; diuinã illi è Cælo lucẽ adminiſtrat: qua ſe illi ſeuerum ſcelerum Iudicem pãdit; ac præteritorũ criminũ grauitatẽ ante oculos ponit; Hoc lumine illius mens intus perfuſa, ad diuinũ ſe Iudicium prouocari, anteactæq; vitæ rationẽ ab eo depoſci cogitabat. Mox quaſi præſẽs Dei Iudicio adeſſet: in eo perfectã Iudicij formã ſibi conſpicere videbatur. Simul enim aderãt, tot ab eo patrata facinora, quæ illũ accuſarẽt, ac Reũ conſtituerẽt: Aderat teſtis Conſciẽtia, quæ malefactorũ eũ coargueret: Aderat Carnifex, ac tortor ipſe timor; qui animum diſcruciaret. Aderat poſtremò ipſa Iudicis ſeueritas, quę tot criminũ Reũ condemnaret: atq; inde quidã Animi confitentis ſanguis, vberiùs per lachrymas profluebat.

*Arma illi diuinitus ſubripiuntur.*

*Præterita ſcelera multis lachrymis deplorat.*

XXXI. Horrebat Petri mens, Diuino ſupernè lumine illuſtrata, tot flagitiorum conſpectu, ac præteritorum malorum conſcia, iam ſeipſam continere non poterat, quin in triſtia ſe lamenta effunderet. Putáſne (aiebat) virorum iniquiſſime, quòd Deum Iudicem effugies; cuius tu maieſtatem, tot annis, omni tum humano, tum diuino iure abrupto, contempſiſti? Imperium perpetua cordis rebellione abnuiſti? Templum ſacrilega, tot criminum pollutione violaſti? Putáſne Dominum tam citò placari poſſe; aut tam facilè tui miſereri velle; quem tam conſtanti animi malitia, ne ſua in te poteſtate frueretur, velut calce toties abiecisti? Heu hominum ſceleſtiſſime, quò fugies? Quò te à facie Domini abſcondes, cùm Cæli reuelabunt iniquitatem tuam; & ſcelera tua, quaſi ex

*Acriùs ſeipſũ accuſat.*

*Deuter. 32.* *Hierem. 2.* *Oſe. 4.*

inſidiis, aduerſùm te conſurgent? ô miſerrimè quid facies, cùm venerit in iudicium Deus, vt conterat omnes ſceleſtos, & diſperdat vniuerſos peccatores terræ? Quid non deducis quaſi torrentem lachrymas per diem, ac noctem? Cur tacet pupilla oculi tui? Deum, qui te genuit, dereliquiſti; & oblitus es Domini Creatoris tui, quid ſceleſtius? At parum id eſt. A ſæculo enim confregiſti iugum eius, & dixiſti: Non ſeruiam. Multiplicaſti abominationes, & ſcelera: neque iis vnquàm ſatur dixiſti; Sufficit. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium ex te inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. His vbi acrioribus ſeipſum increpationibus inſectatus eſt; lumina lachrymis obruta ad Deum conuertens, ipſius clementiam, quò ſibi illuceſceret, vberiùs his verbis obteſtabatur. Altiſſimè hominum Creator, cuius tanta, ac tam inexhauſta bonitas eſt; vt nullis hominum ſceleribus obrui, aut deleri queat. Mira de Miſericordia tua mihi narrata ſunt: quodque de Impiorum perditione, ac morientium nece haud quaquam delecteris, certo teſtimonio perſuaſum. En confuſio faciei meæ cooperuit me: Etenim tot ſcelera ſceleribus addidi; vt ea vſque ad Cælum creuerint. Deſperarem planè: niſi me Domine tuæ pietatis abyſſus in meliorem ſpem reuocaret. Heu ineffabilis bonitatis pelagus; Ne quæſo, te mea crimina abſorbeant. Ne obſecro, ô perennis diuinæ miſericordiæ fons, flagitiorum meorum abyſſus pietatis tuæ aquas exhauriat. Da miſericordiam miſero petenti, qui non petentem ad tuam miſericordiam prouocas. En ſcelera agnoſco, peccata non abſcondo: ac præteritorum criminum culpas deploro. Ad omnipotentem venio, qui poſſit crimina delere: ſauciuſque ad Medicum propero, qui vulnera curare velit. Tu ne contritum, Domine & humiliatum abiicies? Heu ſana vulnera, infirmum cura, mortuum ac peccatis fœtentem ad vitam reuoca; ſi culpa animum ligat, fletus diſſoluat; ac te exſuſcitante viuat, qui peccato occidente perierat.

*Diuinam clementiam inuocat.*

Has pœnitens animus, ac ſcelerum dolore ſaucius, ad Deum voces, ac ſuſpiria iactabat; neque vlla tot criminibus pœnitentia ſatis eſſe videbatur. Porrò eo tempore, Capucinorum Congregatione, iam per Calabriam propagata, Bernardinus Georgius, à Ludouico Rhegino miſſus, nonnulla apud Siculos Fratrum Monaſteria extruxerat, quorum cùm Petrus auſteram vitæ rationem, ac Pœnitentiæ plenam didiciſſet; eam ſibi à Deo paratam eſſe arbitratus, in qua præteritæ vitæ maculas dignis pœnitentiæ operibus abſtergeret; confeſtim ad Capucinos aduolat; qui cùm hominem à vitiis perfectè reuocatum, atque omninò à priori immutatum eſſe animaduerterent, eum Religionis habitu donant. His enim Religio benignior, ac humanior eſſe ſolet; quorum cùm olim ſalus deſperata eſſet, atque etiamnum maximo in diſcrimine verſetur, maiori quoque ope ad ſui remedium indigent; iuxta illam Saluatoris ſententiam: *Non egent, qui ſani ſunt, Medico, ſed qui malè habent.* Huius Viri conuerſio, cunctos, qui eum perditiſſimum nouerant, in ſummam admirationem rapuit; Vrbique Mazaræ ingentem lætitiam peperit. Neque id fruſtra. Tam enim perfecta hæc hominis mutatio fuit, totque virtutibus exornata: vt in ipſo probationis anno, quem in Gibilmannæ Conuentu exegit, iam ſupremum perfectionis gradum aſſecutus videretur. Nullus eo humilior, nullus abiectior erat; perennes ab ipſius oculis lachrymæ, ob præteritorum ſcelerum memoriam, defluebant. Dum communis ſiue in Choro, ſiue in Capitulo à Nouitiis flagellatio fieret; mox in amariſſimos fletus erumpens, haud vocem continere poterat, quin flendo exclamaret. Quid vos innocentes criminis commiſiſtis? quo hæc flagella ſubeatis? Mihi ſceleſto, mihi impio, mihi nefario flagella debentur, qui tot delicta patraui, qui tantoperè Deum exhonoraui: Me, me, ipſum flagellate; in me omnes Lora conuertite, qui ea tot criminibus promerui. Inter hæc totus lachrymis exundans, palàm Dei miſericordiam pro admiſſis ſceleribus poſcebat. XXXII.

*Ad Capucinorum Religionis ſinum confugit.*

*Luc. 5.*

*Petri humilitas Variis actibus panditur.*

Ardenti hoc contritionis Spiritu, ſæpè etiã orando in ſeipſum inuehebatur; quo XXXIII.

tandem



tandem factum eſt, vt ob eam humilitatis virtutem, id ſibi apud Deum gratiæ, ac beneuolentiæ compararet: vt in oratione, & inter pſallendum ſæpè ſenſibus excedens in aëra ferri conſpiceretur. Mira profectò, atq; alioqui inſueta res, vt qui paulò antea plurimo innocentum ſanguine, ac cædibus redundabat; animumq; omni flagitiorum genere fœdatum gerebat: iam inter cæleſtes Choros adſcitus, menteq; & corpore ab humanis ſolutus, cum Deo verſaretur. At hæc veræ, ac perfectæ pœnitentiæ prodigia ſunt: cuius opus eſt, contrita omnia ſanare, corrupta reſtituere, deſperata inſtaurare, & duplicia de manu Domini accipere: neque enim apud Deum tam valet menſura temporis, quam doloris. *Latro ille* (inquit Chryſoſtomus) *qui pendebat in Cruce, non eguit prolixitate temporis, vt ingreſſum Paradiſi mereretur; vno temporis momento totius vitæ ſceleribus abſolutus, præcedere ad Paradiſum etiam Apoſtolos meruit.* Gaudebant Fratres, tantum Dei donum in nouo adhuc Tyrone admirantes, ac Deum laudabant, qui non temporis ſpatia, ſed animi charitatem metitur: neq; ante actæ vitæ vitia, ſed præſentis virtutem conſiderat.

*Inter pſallendum in exceſſum rapitur.*

*Chryſ. lib. de reparat. c. 5.*

XXXIV. Poſt exactum verò Probationis annum, cùm tam ſingulari vitæ auſteritate, omnique virtute floreret; vt totius Regularis diſciplinæ cunctis ſe formam præberet; elapſis aliquot annis, Nouitiorum Magiſter eligitur. Quo in munere vix credibile eſt, quàm præclara virtutum omnium luce, nouis illis Religioſæ Militiæ Tyronibus anteiret; quos non ſolùm doctrina, verùm multò magis exemplo, ad perfectam Euangelicæ vitæ diſciplinam prouocabat. Dominicæ Paſſionis opprobria, tam profundè ſibi in animo inſculpſerat; vt in qualibet ſexta Feria, quæ Dominicæ Paſſionis memoriæ conſecratur; fune ſibi ad collum alligata, nudum; ſolis tantùm ſibi lineis fœmoralibus retentis, ea ſe à Nouitiis per Eccleſiam, & Refectorium raptari iuberet. Quo tempore tam ingentes gemitus, ac ſingultus edere ſolebat; vt omnes ad lachrymas compelleret. Raptate (aiebat) hominem ſceleſtum, hominem nefarium, immò non hominem, ſed bellua peiorem; cui nihil præter hominis ſimulacrum humani relictum eſt. Raptate (inquam) qui tot Dei Filio vulnera inflixit, ac dolores ſuper vulnerum dolorem illi accumulauit. Flebat ipſe præterita crimina, ac Domini ſui opprobria. Flebant Nouitij amariſſimi Patris lachrymas; quos interdum quoq; præcepto cogebat, vt duris eum flagellis cæderent.

*Nouitiorum Magiſter creatus varia pœnitentiæ opera exercet.*

XXXV. E Nouitiorum Magiſterio ad totius Prouinciæ Panormitanæ gubernacula euocatus; præclara poſteris veri Paſtoris exempla imitanda reliquit. Nam præter ſummam in grege cuſtodiendo vigilantiam, in agendo prudentiam, in proſpiciendo conſilium, in laborando fortitudinem, in puniendo manſuetudinem, in parcendo facilitatem, ac cæleſtem propemodùm in rebus adminiſtrandis ſapientiam: qua fiebat, vt cunctorum ſimul & amorem; & timorem ſibi conciliaret: tam rara, ac ſingularis in eo mentis humilitas elucebat; vt cùm ſemel in Panormitano Conuentu, ſuo munere fungens, ſupremo Prouincialis loco in Refectorio ſederet: faſtuoſaque illius honoris cogitatio, quo tunc apud Fratres fruebatur, quoque illi omnes parebant, in animum irrepſiſſet: protinus, vt ſuperbum hoſtem velut Arci appropinquantem trucidaret, è Sede exiliens ſe coram omnibus humi proſternit; ac Beati Patris Franciſci inſtar, ſuperbæ cogitationis motum aperiens, vniuerſis imperat; vt pedibus ſua ipſius ora premant, ac conculcent. Quod cùm Fratres præ reuerentia agere renuerent, id illis ex obedientiæ præcepto iniungit; eoq; vniuerſos exemplo docuit, quàm à Paſtoribus, & ab iis, qui dignitate cæteris præcellunt, animi nedum facti ſuperbia deteſtanda ſit.

*Superbæ cogitationis motum ſeuera caſtigatione proſequitur.*

XXXVI Siciliæ Regnum, necdum eo tempore, in tres Prouincias diſtinctum fuerat: ſed integrum vnius tantùm Prouincialis imperio ſubiacebat: quod tamen, ſanctus hic Vir, toto ſui muneris triennio, nudis pedibus, abſque ſoleis viſitat: quanquam in



eo

*Martirij cupiditate flagrans in Aphricam proficiſcitur.*

eo pleraq; ſaxoſa, atq; aſpera loca ſe ſe offerrent, meatu difficillima. Corpus interea tot verberibus caſtigabat, vt communia illi flagella non ſufficerent; ſed ferreis catenis, iiſq; craſſioribus carnem domaret. Hinc tam vehemens Martyrij cupiditas ipſius animum cœpit percellere: vt præterita ſcelera, ſibi à Deo haud ignoſcenda fore putaret; niſi ea proprio cruore elueret. Enimuerò inter tot facinora, quæ ſe olim patraſſe deplorabat, nullum grauiori luctu, ac mœrore, quàm pueri illius, quem in fruſta diſſecauerat, cædem proſequebatur. Quare interdum Familiaribus dicebat; ſe cæterorum quidem criminum à Deo veniam accepiſſea;t pueri illius internecionem adhuc inexpiatam manere. Quamobrem ab Aſtenſi Generali ſummis precibus impetrat; vt in Aphricam cum Cæſariana Claſſe proficiſceretur; quæ Ioanne à Vega, Generali Triremium Præfecto, Archipiratam Dragutium, qui Mediterraneum Mare latrociniis infeſtabat, perſequi parabat. Claſſi igitur adiunctus, cùm in Aphricam veniſſet, ligneam Chriſti Crucifixi Imaginem dextera gerens, milites ad Vrbis Aphricæ expugnationem animat: primuſq; Chriſtum mœnibus, atque in Arce collocat. Expugnata verò Vrbe, cùm Cæſaris Claſſis in Siciliam remearet, obtinendi Martyrij ſpe fruſtratus; (neque enim illi ab exercitu ſeparari datum fuerat) in Siciliam redire cogitur. At quanquam tunc voluntati Martyrium defuerit: eam tamen Martyrij Coronam, quæ voluntati, ac tot duris, in Religione ab eo pro Chriſto toleratis, debebatur, Deus clementiſſimus diutiùs illi prorogare noluit. Etenim cum Claſſe in Siciliam rediens, graui in itinere morbo corripitur; ex quo cùm cæleſti Domini voce, quæ illum ex Crucifixi Imagine, quam ſecum gerebat, allocutus fuerat; ſe hinc breui diſceſſurum intellexiſſet, ſuique obitus diem, ac horam ab eodem didiciſſet: Ioannem Claſſis Præfectum impenſiùs rogat; ne, poſtquam mortis debitum exoluerit, ſuum Cadauer (vti ſolet) in Mare proiici, ac pelagi vndis committi imperet; ſed in primo Capucinorum Conuentu ſepeliendum curet: ex quo id illi futurum pollicetur, vt Deus ob id ſecundum Claſſi Auſtrum indulgeret. Quod cùm Generalis, ob ſummam, qua ſanctum Virum proſequebatur, reuerentiam, illi iuramento promiſiſſet; Petrus, reliquum vitæ ſpatium totùm in Dei laudibus conſumens; eadem, quam prænunciauerat, hora ad puriorem vitæ lucem euolat. Illius verò Corpus ad Caſtrum Veteranum, vbi Capucinorum Conuentus nonnullis abhinc annis extructus fuerat, delatum; ibi honorificè à Fratribus ſepultum fuit. Anno autem, poſt ipſius obitum expleto; cùm effoſſa humo Petri Corpus exhumatũ eſſet; integrũ ferè omni ex parte repertũ fuit: vt animam apud Deum, incorrupta Corona donatum eſſe cunctis perſpicuum eſſet: Quod alio quoque teſtimonio declaratum fuit: eo namque tempore accidit, vt Dæmoniacus quidam ad eundem Caſtri veterani Conuentum duceretur, qui cùm omni vi, ne eò accederet, reluctaretur; ab Exorciſta tandem interrogatus, quid cauſæ eſſet, quod tantoperè eò pergere recuſaret? Reſpondet Dæmon, Petrum quendam infenſiſſimum ſibi hoſtem ibi ſepultum haberi, qui plurimos viuens de eo triumphos reuexerat; ac propterea ſe locum illum maximè exhorreſcere.

*A Chriſto obitus diem & horam addiſcit.*

*Extremum diem obit, & in Conuentu Caſtri veterani ſepelitur.*

*Fr. Antonius à Politio ſanctimonia conſpicuus.*

XXXVII Hoc anno, plerique alij Fratres, virtutibus illuſtres, depoſito corporis exuuio, ad Dominum euolant. Inter quos primus fuit Fr. Antonius à Politio Laïcus: qui vt liberiùs orationi vacare, animumque ad Deum faciliùs transferre poſſet; corpus tam graui inedia extenuabat, vt ad perpetuum panis, & aquæ ieiunium compelleret: neque tamen eo ad ſatietatem, ſed ad certam quandam duntaxat quantitatis mẽſuram veſceretur. Et quaſi qui atro carnẽ ſuam odio proſequeretur, Ciliciũ aſperrimum ex equinis, ac ſuillis pilis, quibus etiã fila quædam ærea acuminata, contexta erant, compactum gerebat: quo cùm, poſt ipſius obitum, deuotus quidam Frater vti vellet, illius aſperitatẽ vix per horæ ſpatiũ ferre potuit. His corporis afflictionibus cùm potiores animi virtutes copularet: maximas ob

id



id Dæmonum infeſtationes patiebatur: qui ſub variis Belluarum figuris, horrendiſq; monſtrorum ſimulacris apparentes, illum nunc virgis cædebant, nunc cominus cum eo pugnare videbantur. Quorum tamen victor exiſtens, poſt diuturnos certaminis labores, tandem Politij in pace requieſcit; Plurimis tam in vita, quàm in morte Miraculis claruit, quæ noſtrorum humilitate, fama tantùm loquente, apud nos ſilent.

*F. Gabriel à Calataniſſeta & F. Rogerius ab Enna virtutibus clari.*

XXXVIII. Pari quoq; ſanctitatis fama floruêre, Fr. Gabriel à Calataniſſeta, & Fr. Rogerius ab Enna, Siculi. Hunc poſteriorem cùm Satan in morte tam graui tentatione vrgeret, vt eum, ob præterita ſæculi peccata, iam à Deo damnatum eſſe, perſuadere vellet: Dominus Ieſus, Cruce onuſtus, oranti apparuit, has edens voces: Rogerie, vniuerſa delicta tua in hac Cruce depone, in qua pro peccatoribus mortem pertuli: in ea enim ſalutem, & vitam inuenies. Quibus Chriſti verbis, Rogerius in meliorem ſpem erectus, atque omnem ſuæ ſalutis ſummam in Domini Cruce collocans, in Crucis amplexu obdormiuit.

*Fr. Martinus Belga Vir ſanctus.*

XXXIX Neque his virtute inferior fuit, Frater Martinus Belga, Laïcus, Franciſci Titelmani Socius; cuius charitas Romæ in ægrotis, qui in Incurabilium Domo iacebant, curandis, potiſſimùm enituit: quibus tam ardenti charitatis ſtudio inſeruiebat; vt in ipſis ſeipſum prorſus exinanire videretur. Regulæ obſeruantiſſimus fuit, obedientia quoque, paupertate, humilitate, manſuetudine, modeſtia inſignis, ſilentio, ac ſolitudini vacabat; vt diutius, ac liberiùs Dei colloquio in oratione frui poſſet. Hic cùm quindecim annos, in ægrotorum illius Domus obſequio inſumpſiſſet; quo tempore quamplurima ibi eum miracula edidiſſe, communis fama erat; prolixa, ac moleſta quidem corpori, animo verò ſuaui, & is à Domino infirmitate probatus fuit: in qua, cùm ſummam patientiam, cum pari patiendi deſiderio coniunctam, ſemper exhibuiſſet; ſupremum ibi diem agens, tandem pro mercede cæleſtem gloriam accepit. Cuius, præter vitam omni in virtute tranſactam, teſtes ſunt, pleraq; miracula in ipſius morte patrata, quæ cùm à nemine deſcriberentur, ipſa obliuione deleta, ſola fama ad nos perlata fuêre.

*Multis miraculis emicat.*

*Petrus à Martina Vir Sanctitate illuſtris.*

XL. Hoc anno, dum in Conuentu Potentiæ, Magiſtri Nouitiorum officio fungeretur, Petrus à Martina, Vir omni ſanctitate illuſtris: Comes Potentiæ, qui Capucinorum Ordinem ſumma beneuolentia complectebatur: quò familiariùs eorum conuerſatione frui poſſet, ad eos aliquando pranſurus acceſſit. Quo tempore Petrus Nouitium, vt aquam attingat, ad fontem deſtinat. Pergit cum hydria Nouitius, qui cùm tunc primum ab oratione ſurgeret, imbutum diuina meditatione animum, necdum à contemplatione auocauerat. Quapropter etſi corporis greſſibus ad fontem properaret; mente tamen inſtitutam orationem proſequebatur: qua tandem factum eſt, vt hydria iuxta fontem depoſita, ipſe animo, ac corpore in aëra ſubleuatus, in ea contemplatione ſenſibus excederet. Magiſter verò, cùm Nouitium diuturnas moras trahentem animaduerteret, alterum mittit; qui cùm ad fontem perueniſſet, Sociumque ſex è terra cubitis elatum in aëre ſtantem vidiſſet; eo aſpectu exterrefactus ad Magiſtrum reuertitur. Colloquebatur eo tempore cum Comite Potentiæ Magiſter, qui vbi Nouitium vultu mutatum, ac perterritum intuetur; ab eo quid acciderit, ſciſcitatur. At ille, cùm nihil aliud effari poſſet, eas tantùm voces promebat. Ad fontem, Pater, ad fontem. Comes verò cum Magiſtro aliquid ſiniſtrum ſuſpicati, citò ad fontem pergunt; Nouitiumque etiamnum corpore è terra ſublatum, ſenſibuſque excedentem cernunt: quo aſpectu Comes tam animo liqueſieri cœpit; vt in maximos lachrymarum fontes erumperet: quare ad Magiſtrum conuerſus; ô Pater, inquit, quàm ſplendido me conuiuio ante prandium excepiſti? Hæ planè mihi iucundiores epulæ ſunt, quàm quæ in prandio

*Nouitius aquam hauriens in extaſim rapitur & in ſublime fertur.*

OO 4 ſunt

ſunt paratæ. O terq; quaterq; beati, qui inter Cæleſtes has dapes quotidie delitiamini. Poſt hæc cùm Nouitius à raptu rediiſſet; à Magiſtro interrogatus, quid eo tempore meditaretur? Reſpondit, ſe Chriſti Domini labores, ac ſitim, cùm ex itinere fatigatus, ſupra fontem ſederet, contemplatum fuiſſe: atq; illud meditationis argumentum erat, quod ea die illi à Magiſtro præſcriptum fuerat.

Per id quoq; tempus, Nouitius quidam, à Monterrono Oppido Diœceſis Aletinæ, qui priùs Ouium curam gerebat, cùm necdum annum Probationis expleſſet; diuturno morbo correptus, à Religione dimittitur: qui ad Gregis curam remeans, cùm frequens ad Confeſſionem, ſacramq; Communionem accederet: mentis recollectionem, orationiſq; tempora in Ordine ſtatuta; ſenſuum quoq; cuſtodiam, ac cætera ſpiritualis vitæ præcepta, quæ Probationis tempore à Magiſtro didicerat, ſollicitè cuſtodiret. Demùm B.P. Franciſci Regulam, perinde ac ſi inter Capucinos conſcriptus eſſet, obſeruaret. Accidit, vt nonnullis poſt hæc elapſis annis, lethali morbo correptus ad mortem ægrotaret: quo tempore in mentis exceſſum raptus, diu immobilis perſtitit: cúmque ſenſibus redditus, ex imo pectore ſuſpirium effudiſſet, à ſuis interrogatus, quidnam illi eo tempore accidiſſet! his verbis reſpondit: Heu, chariſſimi, hactenus inter plurimas Dæmonum turmas verſatus ſum, qui cum B. P. Franciſco, ac multis Beatorum Capucinorum agminibus contendere viſi ſunt: Num ego inter Capucinos S. Patris Filios adnumerandus eſſem: illis negantibus, eò quod in Capucinorum Ordine conſcriptus non fuerim: his contrà ob id potiſſimùm affirmantibus, quòd non mea culpa, ſed languore præpeditus, ab iis deſciuerim: Beati tamen Franciſci Regulam in Sæculo obſeruauerim. Deniq; à Deo lata ſententia fuit; vt inter Capucinos recenſear, atque eorum præmiis in beato Cælorum Regno fruar. Quapropter valete, chariſſimi. Etenim illa Beatorum agmina me exeuntem expectant. Cumq; paululùm ſuſtinuiſſet, hinc feſtiuus deceſſit. XLI.

*Nouitius ab Ordine dimiſſus in morte à Deo inter Capucinos adſcribitur.*





I. ANNVS partæ Salutis Milleſimus quingenteſimus ſupra quinquageſimumprimum, iam ſuos temporum ordines explicabat: quum Bernardinus Generalis, qui omni ſtudio Religionis adminiſtrationi inuigilabat, cùm nonnullos ex his, qui ex Min. Obſeruantium Familia ad Capucinos migrauerant, Regularis diſciplinæ impatientes, aut auſterioris vitæ tædio affectos, ad Obſeruantes, abſque vlla Superiorum licentia remeare cerneret: vt publicæ Ordinis tranquillitati proſpiceret; ſcandalaq; quæ inde paſſim oriebantur, obtruncaret: rem ad Iulium III. ſummum Pontificem defert: qui Bulla hoc anno edita, omnem Capucinis Fratribus viam intercludit, qua ad Obſeruantium Ordinem, niſi obtenta à Generali, aut Prouinciali licentia, tranſmeare queant. Bulla verò in hæc verba concepta legitur.

*Ne Capucini ad Obſeruantes migrent, Apoſtolico edicto prohibetur.*

# IVLIVS PAPA III.

*AD futuram rei memoriam. In eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpeculo meritis licèt imparibus, diſponente Domino conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim Religioſarum tranquillo ſtatui conſulitur: & cùm à Nobis petitur, deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum, nobis nuper exhibita petitio continebat; quòd cùm aliàs fel. record. Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter, tam prædictis, quàm Ordinis Min. huiuſmodi de Obſeruantia nuncupatis Fratribus, per eius in forma Breuis literas prohibuiſſet, ne alij aliorum Profeſſores, ſine licentia ſuorum Prælatorum in ſcriptis habita, ad certum tunc expreſſum breue tempus reciperent, intendens in præmiſſis maturiùs procedere, & meliùs prouidere. Et cùm dicti Fratres Capucini nuncupati à pluribus Catholicis Prælatis didiciſſent, literas ipſas cum eodem Paulo Prædeceſſore expiraſſe; & propterea Fratres de Obſeruantia nuncupatos, huiuſmodi ad eos tranſeuntes, per ipſos Fratres Capucinos liberè recipi poſſe prætenderent, ad eorum notitiam peruenit, quod nos per quaſdam noſtras in forma Breuis literas, omnes, & ſingulas receptiones Fratrum de Obſeruantia nuncupatorum prædictorum, per eoſdem Fratres Capucinos nuncupatos, abſque licentia Generalium, ſeu Prouincialium huiuſmodi in ſcriptis, vt præfertur, habita, quouis prætextu, & colore faciendas: nullas, & irritas fore, & ſic iudicari debere ad noſtrum beneplacitum decreueramus; & ipſis Fratribus Capucinis in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub certis cenſuris, & pœnis, ne de cætero quempiam ex dictis Fratribus de Obſeruantia, abſq; dicta licentia in ſcriptis habita recipere præſumerent, diſtrictè præceperamus; prout in literis prædictis pleniùs dicitur contineri. Et ſicut eadem petitio ſubiungebat, valde*

*abſurdum foret, Fratres de Obſeruantia nuncupatos præfatos, ne ad Congregationem prædictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum, arctiorem vitam ducentium, tranſirent, prohiberi: & quod ipſi Fratres Capucini nuncupati ad eorundem Fratrum de Obſeruantia Congregationem tranſire, & ab ipſis recipi poſſent. Quare pro parte dictorum Fratrum Capucinorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eiſdem Fratribus Capucinis nuncupatis, ad Congregationem Fratrum de Obſeruantia nuncupatorum prædictorum tranſitus; ipſiſque Fratrum de Obſeruantia nuncupatis, eorundem Fratrum Capucinorum receptio ſimiliter prohibeatur; decernere; & aliàs in præmiſſis opportunè prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum quarumlibet, præſertim Religioni deditarum tranquillo ſtatui, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus; eoſdem Fratres Capucinos nuncupatos, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis; ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati: quòd eiſdem Fratribus Capucinis nuncupatis, ad Congregationem Fratrum de Obſeruãtia nuncupatorum huiuſmodi tranſitus; ipſiſq; Fratribus de Obſeruantia nuncupatis dictorum Capucinorum receptio, niſi licentia ſuorum Generalium, ſeu Prouincialium Prælatorum in ſcriptis habita, ſub eiſdem modis, & formis, ac pœnis, & cenſuris in omnibus, ac per omnia ſimiliter diſtrictè prohibeatur; cum omnibus, & ſingulis facultatibus, licentiis, clauſulis, & decretis neceſſariis, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Surrentin. & Baren. Archiepiſcopis per præſentes committimus, & mandamus: quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, quando, & quoties opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum, aut alicuius eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas firmiter obſeruari, eoſdemque Fratres Capucinos, & alios, quos literæ ipſæ quomodolibet concernunt, illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes ipſos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna Iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; ac cenſuras, & pœnas prædictas legitimis ſuper iis habendis ſeruatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachij ſæcularis. Non obſtantibus literis prædictis, ac piæ Memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis huiuſmodi, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunq; aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non*

*facientes*



*facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 15. Feb. 1551. Pontificatus noſtri anno primo.*

*B. Surren.*

*Locus Sigilli Annuli Piſcatoris.*

*A. della Torre.*

*à tergo.*

*Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quingenteſimo quinquageſimoprimo, Indictione nona, die verò vigeſima nona Menſis Auguſti, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Iulij diuina Prouidentia Papæ tertij, Anno ſecundo, retroſcriptæ literæ intimatæ, ac notificatæ fuerunt Religioſo Viro Commiſſario Generali Ordinis Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, Romæ in Monaſterio, ſeu Conuentu in Ara Cæli perſonaliter inuento, & apprehenſo, ipſum monendo & requirendo ſub pœnis in eiſdem literis contentis, vt eiſdem pareret, & obediret; copiamq; ſibi dimittendo per me Martinum Mecillo prælibati S. D. N. Papæ Curſorem.*

PETRVS GOMEZ.

II. Hoc tempore Ioannes Zuaze à Metymna Campeſtri Sacerdos; de quo plura ante hac diximus; & alter Ioannes Appulus inter Laïcos Fratres adnumeratus, ambo Viri virtute, ac vitæ Sanctimonia inſignes: cùm Martyrij pro Chriſto ſubeundi deſiderio flagrarent; facultate, ac benedictione ab Aſtenſi Generali, iuxta Seraphicæ Regulæ præſcriptum, impetrata; ad Infidelium terras pergunt. Atq; hoc anno agone feliciter conſumato, ad Coronas euolant. Quorum vita cùm plurimis, ac magnis virtutibus exornata fuerit, ea primùm à nobis breuiter percurrenda eſt: vt qua via ad triumphum peruenerint, cunctis perſpectum eſſe poſſit; ac primùm à priori Ioanne rem auſpicabimur.

*Ioannes Hiſpanus, & alter Appulus Martyrio tolluntur.*

### *F. IOANNIS ZVAZE A METYMNA CAMPESTRI Vita, & Martyrium.*

III. FVIT Ioannes à Metymna Campeſtri; quæ Hiſpaniæ Oppidum eſt, præclarum Regni Caſtellæ Emporium; his, qui Valliſoleto Toletum verſùs proficiſcuntur, medio itinere interiacens. Hic Nobili ſtirpe progenitus, à pueritia in benedictionibus dulcedinis tam ſuauiter à Deo præuentus fuit; vt erga res diuinas, ac præſertim Sacro-ſancta Miſſæ Myſteria, ſupra ætatem, animo afficeretur: ita vt cùm primùm ſibi per ætatem licuit, nihil ſibi iucundiùs eſſet, quàm Eccleſias deuotè viſitare; diuinis officijs intereſſe, Sacerdotibuſq; celebrantibus ſumma reuerentia miniſtrare. Adoleſcens vana aliorum conſortia, ac Iuuenilis ætatis illecebras fugiens, frequens in Eccleſiis erat: atque oratione tantummodò, rerumque diuinarum contemplatione delectari videbatur. Hæc Ioannis ſolitudo, atq; ab hominum familiaritate receſſus, Patri minùs arridere videbatur: qui cùm illum blandum hominem, comem, ac venerium optaret, equeſtria diſcere; ſæpeq; illum cum aliis Nobilioribus adoleſcentulis ſimul per Oppidum equitare compellebat. Parebat quidem Patris imperio pius Adoleſcens; at cùm dulciores animi ſui voluptates in diuinis rebus collocaſſet; poſt vrbanam equitationem, protinus ſolitudinem, in qua cæleſtium contemplationi vacaret, ſollicitè quærebat. Hæc ſanè fu-

*Ioannes à Metymna Campeſtri Nobili genere natus.*

*Ab Adoleſcentia res mundanas faſtidit.*

turorum

turorum præſagia erant, quæ adoleſcentem, non ad mundanas, ſed ad cæleſtes delicias, à Deo vocatum indicarent; & quaſi diuina quædam ſemina, illius animum ad maiora, atque altiora prouocarent. Quamobrem, cùm mentem iam ab humanis rebus penitùs alienam ad Deum transferre cogitaſſet: ad Carthuſianos Monachos ſe confert; quò faciliùs eorum numero adiunctus, optatæ ſolitudinis otio tandem frui poſſet: Verùm cùm ætate adoleſcentior eſſet, & corpore exiguus puerilem vultum præſeferret, ab his repulſam patitur: Quapropter ad Reformatos Obſeruantes S. Franciſci confugiens; cùm eadem quoque ratione, quòd eum Religionis auſteritati, ac laboribus imparem exiſtimarent, ab iis repelleretur: eidem tamen conſulunt; vt ad Obſeruantium Familiam, quæ commodiori vita fruitur, priùs ſe conferat: tum verò, cùm robuſtiorem corporis virtutem, creſcente annorum numero, nactus fuerit: via illi, ad Reformationem aſſequendam, facilior ſternetur. Ioannes conſilio acquieſcens, in Conuentu Valliſoletano, Obſeruantiũ Familiæ aſſociatur.

*Ioannes ad Cæleſtia natus.*

*In Obſeruantium Familiam cooptatur.*

IV. Hîc nouellus Tyro, vt ſolidiora virtutum fundamenta iaceret, quibus ſpiritualis Domus tutò ædificari poſſet, quæ aliquando ad perfectum creſceret; in ipſo Nouitiatus anno, obedientiam, humilitatem, paupertatem, abſtinentiam, Regularem diſciplinam, ac reliquas perfectioris vitæ virtutes, ſtudet ſubſternere: armorumq; ſpiritualium panopoliam parat, quibus in Religionis palæſtra, aduersùs Spiritus hoſtes digladiari, ac de iis triumphum referre queat. Tranſacto verò Probationis tempore; cùm ad ſeueriorem huius tyrocinij diſciplinam anhelaret; facultate obtenta, indè ad Reformatos migrat: inter quos eam vitæ rationem inſtituit, quæ omnibus admirabilis videretur. Nam à vino, & à carnibus abſtinens, pane tantùm, & iuſculo ſemel in die veſcebatur. Oratio quæ Puero familiaris eſſe cœperat, iam Religioſo, tam aſſidua erat; vt niſi ab ea illum, vel Obedientiæ opus, vel naturalis neceſſitas auocaret, ipſi perpetuò inhæreret. Paupertatis adeò ſe ſtudioſum exhibuit; vt cùm certa quædam, ac ordinaria Annonæ copia, Reformatorum Conuentui, in cuius tunc is Familia conſcriptus erat, ſolo ipſius intuitu, à Patre conſtituta eſſet: vt ab ea abſtineretur; vel ſaltem ſuo nomine minimè reciperetur, impenſiùs à Superiore poſtulauerit. Verebatur enim Vir paupertatis amicus, ne certa illa, ac ſtatuta Annona, quæ ipſius intuitu eò à Parentibus deſtinabatur, aliquam prouiſionis humanæ ſpeciem ſibi vendicaret. Hac de cauſa Conuentum, ac Prouinciam illam deſerens, in S. Gabrielis Prouinciam ſe confert: vbi pauperiora ſibi in ea Monaſteria eligens, quinque vel ſex circiter annos, magna in paupertate, atque auſteritate vitam duxit.

*Ad Diſcalceatos poſt annum Probationis migrat.*

*Aſperam inter Diſcalceatos vitam ducit.*

*In ſancti Gabrielis Prouinciam migrat.*

V. In ea Prouincia, cùm ob ſingularem Viri ſanctitatem, cuiuſdam Sanctimonialium Monaſterij illi cura à Superioribus demandata eſſet: Monialem, cuius probè virtutem, & apud Deum merita haud aſpernenda nouerat, aliquando compulit; vt obnixè à Deo peteret, quo in ſtatu, aut loco, is perfectiùs Regulam obſeruare poſſet; diuinumque, quoad illi liceret, reſponſum impetraret. Paret Monialis: cúmque pluribus diebus ob id orationi vacaſſet; Deo tandem reuelante, didicit, Regulam illum perfectiùs obſeruaturum, ſi Italiam peteret; & Capucinorum Congregationi ſe ſe adiungeret. Haud longiùs Ioannes rem protelat, aut vlla expectata mora diem procraſtinat: Dei namque beneplacito perſpecto, mox in Italiam proficiſcitur; atque anno 1539. Capucinorum inſtitutum amplectitur. Eo tempore Bernardinus Senenſis Capucinorum Congregationem moderabatur, à quo Ioannes Ordini adſcriptus, atque in Thuſciæ Prouinciam miſſus; in Conuentu Montiſpolitiani, cæleſtem propemodùm vitæ rationem inſtituit. Vt enim perfectam rerum diuinarum contemplationem, ad quam ſe à Deo vocari præſenſerat, meliùs aſſequeretur; animumque faciliùs ad cæleſtia transferret; primùm quidem ad cordis munditiem ac nitorem, quo mentis oculus, ad Deum cognoſcendum, potiſſimùm illuſtratur, animum intendit: quem tanto ſtudio proſequebatur; vt ne verbum quidem otioſum, vnquàm ex illius ore elaberetur. Omnium familiaritates ſtudioſè

*Dei conſilium à Moniali addiſcit, atq; inter Capucinos adſcribitur.*

*Ioannis virtutes enarrantur.*



ſtudioſè fugiebat, ac niſi obedientiæ, ac charitatis opus aliud poſtularet, ſolus ſemper ad ſolitaria loca, orationis amica, ſecedens: rarò cum Fratribus colloquebatur: cùm enim reipſa didiciſſet in multiloquio non deeſſe peccatum: Silentium, velut fidum internæ puritatis cuſtodem, amplectebatur; ac dicere ſæpè ſolitus erat, Orationem eſſe ſilentij filiam, ob id potiſſimùm, quòd Silentium, quo animi puritas comparatur, puram quoque Orationem gignat. Sed quoniam Euangelicum ſilentium Pytagoricum, aut mutum non eſt: ita vt loqui neſciat: ſi quando res, aut temporis ratio poſtulabat; vt de rebus diuinis quicquam diſſereret; tam ſapida, ac melliflua ipſius eloquia erant: vt audientes mirum in modum recrearent. Sicut enim epulæ poſt ieiunium dulciores videri ſolent: ita etiam poſt ſilentium verba, quæ vel ad Dei laudem, vel ad cæterorum vtilitatem depromuntur, diuinam quandam vim, ac ſaporem ſibi vendicant; quo velut cæleſti quodam melle illiti, audientium animos ad virtutem alliciunt. Quapropter cùm nihil Ioanni iucundiùs eſſet, quàm in ſolitudine diuinis colloquiis vacare: hinc ex conſortio ſermonis Dei, tantùm ipſius verba, apud alios, diuinæ lucis, ac virtutis ſibi hauriebant, vt Angeli potiùs, quàm hominis voces cunctis viderentur.

*De rebus diuinis ſuauiſſimè diſſerit.*

V. Haud ignarus erat, iam veteranus Miles: quot caro, quæ hoſtis hominis domeſticus eſt, ſpiritui ad Deum properanti inſidias ſtruat; atque alterius Amalech inſtar, aduersùs illum bella paret: quamobrem cùm iam antea, inter Reformatos, primam in eam aciem inſtruxiſſet; nunc inter Capucinos, acriorem cum ea pugnam inire; ac hoſtem, ne bellum inſtauret, debellare curat. Res planè omnibus admiratione digna erat: delicatum hominem, non fortem, non robuſtum, non validum; ſed imbecillem potiùs, ac infirmiori natura præditum, tam ſtrenuè, ac viriliter aduersùs omnes carnis cupiditates decertantem conſpicere; vt ne vni quidem, vel minimæ locum relinqueret. Corpus inter aſperrimi cilitij puncturas, velut inter ſpinas, diu noctúque volutans; ne ſub cilicio, vel aliundè ſibi ſolatia, nedum delicias quæreret; inter ipſas niues, & glaciales Boreæ flatus, cùm hyemali tempore cuncta penè frigore rigerent; vix habitu, eóque obſoleto, ac pluribus præſegminibus variegato, obtegebat. Nudis pedibus; quo acriorem ſe illius hoſtem proderet; ſoleas, aut ſandalia, quæ aliis cõmunia eſſe ſolẽt, nullo vnquã tẽpore permittebat. Denique, vt illius petulantiã edomaret; crebris illud flagellis cedens, vigiliis, fame, ſitiq; propè enecandũ curabat. Abſtinentiã enim hoc tempore tam rigidã colere cœpit: vt nunquam niſi ſemel in die, panem & aquam ad cibum admitteret.

*Admiranda Ioannis auſteritas.*

VI. Hoc modo potiſſimo hoſte proſtrato, ac eneruato, liberior ad Deum in oratione ſpiritus euolabat: cui adeò intentus erat, vt cùm trium, vel quatuor tantùm horarum ſpacio, ante Matutinas Horas, neceſſario ſomno indulgeret; reliquum noctis tempus, ad Auroram vſque, in diuinis contemplationibus inſumeret. In Aurora verò, diuiniſſimum Miſſæ ſacrificium, quotidie tanta mentis deuotione, atque exterioris hominis compoſitione offerebat: vt audientium animos, vi quadam, ad tam cæleſtis myſterij contemplationem ſurſum efferret. In viuorum, ac defunctorum memoria, quæ in Miſſa fieri ſolet, etſi moroſiùs aliquantulum detineretur: haud tamen Miſſæ ſpatium vltra horam extendebat. Hoc pacto etiam, cùm Horas Canonicas perſolueret, tanta animi attentione res diuinas contemplabatur; vt ferè ſemper ſenſibus excedere videretur. Reliquum verò diei tempus, quod vel Obedientiæ, vel charitatis operibus, vel ipſis Naturæ neceſſitatibus ſupererat: ad ſolitaria loca ſecedens, diuinis meditationibus dare ſolitus erat: in quibus interdũ, ad decimam, ac vndecimã vſq; horam; vultu in Cœlũ defixo, immobilis perſeuerare viſus fuit. Hinc Patres, cùm eximium illud Diuinæ cõtẽplationis donũ, in eũ tã copioſè à Deo collatum intelligerent: quo liberiùs Deo ſeorſim vacare poſſet, eundẽ à Chori obligatione abſoluunt. Deniq; ob frequentem, ac cœleſtem hãc cum Deo conuerſationẽ, & præclariſſimarũ virtutum ſplendorem, qui in eo præ cœteris emicabat: eã ſibi Ioannes apud Fratres, & ſæculares homines exiſtimationẽ compa-

*Miſſæ ſacrificium ſumma Religione celebrat.*

*Multa horarum ſpacia in Oratione inſumit.*

rauerat; vt non alio, præterquam Sancti Hiſpani nomine, ab omnibus appellaretur.

VII. Per hoc tempus, illi à Franciſco Aeſino, Generali Vicario, iniungitur: vt nonnulla, quæ ad Religionis ſtatum ſpectabant, à Deo in oratione quæreret; quemadmodum anno 1543. fusè enarratum fuit: Cuius dum præcepto obtẽperat, Reuelationes quamplurimas, tum in Montiſpolitiani; tum etiam in Foroſempronij Conuentu, diuinitùs accepit: quo tempore lumina, ac faces in ipſo Conuentus tecto ardere conſpiciebantur. Reuelationes nos anno 1544. fideliter enarrauimus: quæ cùm ab Aeſino Generali comprobatæ, paſſim per Religionis Orbem volitarent: Atque inter alias, illa potiſſimùm Fratres permoueret; qua Chriſtus Religionem maximo ſe amore complecti aſſeuerat: Ioannes aliquando à Fratribus interrogatus, Quandiu Capucinorum Religio in ſuaui illa Chriſti Domini dilectione, ac beneuolentia, ſtabilis permanſura eſſet: his verbis reſpondit. Chara erit Deo, ac Saluatori noſtro Religio; quandiu non erit, qui diruat, & ædificet. Secundò: qui doceat, & nunquam diſcat. Tertiò: qui currat, & non vocetur. Quartò: qui comedat, & non ſatietur. Quintò: qui igni proximus ſit, & non calefiat. Quibus obſcurè dictis, quinque potiſſimùm vitia indicare voluit; quæ cùm Religioni maximè noceãt, Dei cũprimis erga illam beneuolentiam minuũt. Primũ eſt, quum paupertas, tam in prioribus, ac pauperculis domibus diruendis, quàm in nouis, ac ſumptuoſis ædificandis violatur. Secundum vitium eſt, Si ij, qui cœteros, aut verbo, aut exemplo docere debent, contrariam dictis vitam exhibeant: recta doceant, & mala operentur: præclara de Religione ſentiant, prædicent, proloquantur: indignámque Religioſo homine vitam ducant. Denique; quod verbis cæteris prędicant, ipſi agere nunquam diſcant: Semper docentes, & nunquam ad operum ſcientiam peruenientes. Tertium eſt, Si turpis, & ambitioſus honorum quæſtus, in Religione graſſetur: ſintque, qui ad dignitates in Religione vltrò, ac inhiantes currant; quum ad eas à Deo minimè vocantur. Ex quo Sectæ, contentiones, odia, perſecutiones, iniquę electiones, atque omnium malorum ſemina, interdum in Ordine oriuntur. Quartum eſt inſatiabilis ventris cupiditas, & ingluuies, quæ cùm primùm in Religionem inuecta fuerit, omnes illius virtutes depaſcit, cunctorumque vitiorum lernam aperit. Ea namque fit: vt caro obeſa ac impinguata recalcitret, ac ſpiritui ſubiecta eſſe renuat: Mox carnis vitia inualeſcant. Nulla ventris cupiditati menſura, nulla Gulæ meta eſſe poſſit: dumque pauperum edulia faſtidiuntur: ac meliora, atque abundantiora appetuntur; quid paſſim, præterquam de Dei Prouidentia obmurmuratur: ac Dei in nos charitas effugatur? Poſtremum denique Vitium eſt, Si charitas, ac diuinus orationis ſpiritus, quem Fratres ſuper omnia deſiderare debent, in Religione frigeſcat: qui cùm nullo, aut Sacramentorum calore, aut Seraphicæ Regulæ flamma caleſieri poſſit, non tam diuinæ charitatis ſuauitatem perdit, quam propinquum Religionis interitum annunciat. Hæc vtinam Deus clementiſſimus, ita à Religione longiùs expellat, vt nullo vnquam tempore ad eam propiùs accedant.

*A Deo pleraſque Reuelationes accipit.*

*Ioannis de Religionis diuturnitate obſcurè dictum.*

*Ambitionis damna quanta ſint.*

*Ventris ingluuies ac cupiditas reprehenditur.*

VIII. Tanta, hic Vir Dei diuinitus luce perfundebatur: vt ipſa abſtruſiſſima ſpiritualis vitæ arcana, quæ aliis obſcuriora videntur, tam facilè explicaret, vt ab iis omnes difficultatum tenebras depelleret. Hinc Fratri, qui ab eo aliquando conſilium poſtulauit. Num Prælationis munus iuſtè recuſare poſſet; cùm eo à meliori, ac potiori contemplationis bono reuocaretur. Reſpondit: Caue Frater, ne ſub ementito lucis ſplendore, te Dæmon meridianus circumueniat. Vbi integer Regulæ Cultus viget; ac ſalua Regulæ obſeruantia, Prælatio exerceri poteſt, à Prælationis ſeipſum munere excuſare, humilitatis quidem officium eſt: id enim cuique conſultum eſt, ab honoribus abſtinere: quod multorum Sanctorum exemplo olim demonſtratum fuit. At Prælationis onus, quum ex Obedientia imponitur, ſub cuiuſcunq; boni prætextu, pertinaciter reſpuere; nõ tã humilis, quã proterui, ac indocilis animi sẽper indiciũ fuit, ac dãnatæ inobediẽtiæ teſtimonium;

*Prælationis munus pertinaciter nõ recuſandũ.*

à qua



à qua quiſque maximè abhorrere debet: ne in temeratæ Regulæ crimen impingat. Sed cùm his ille hac præſertim ratione repugnaret: Quòd eo Prælationis Officio, grauia vndique illi Spiritus detrimenta emergere probaret: quæ partim potiora illi animi bona ſubriperent, quæ ex interna præſertim mentis quiete, ac ſpiritus cum Deo vnione oriuntur: partim in pleráque illum animi pericula pertraherent, à quibus ipſa Dei Lege cauere debet. Domino præſertim atteſtante. *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur: Animæ verò ſuæ detrimentũ patiatur?* At Ioannes, Toto (inquit) Cælo, Frater, aberras; ſi ſpiritualẽ Animi profectũ Obediẽtia impediri exiſtimas: quæ enim vel ex lege, vel ex præcepto neceſſaria ſunt; quandoquidem ad illud Bonorũ genus ſpectãt, quæ ſine culpa negligi, aut prætermitti non poſſunt; haud ſanè à meliori bono animum reuocãt: ſed potiùs ad ſpiritualem vtilitatẽ conferunt. Spiritus nãque, qui legi ſubiectus eſt, ex ea vitam, incrementúmque ſortitur: Idcircò ſpiritualis vitæ damna non ex Prælatione, quæ de genere bonorum eſt: ſed ex malè adminiſtrato Prælationis munere extruuntur: cùm ſcilicet, illud vel ſegniter, ac imprudenter adminiſtratur: vel in eo adminiſtrando, non Dei, ſed propria gloria, vel aliorum beneuolentia quæritur. Apoſtoli enim vox eſt. *Si adhuc hominibus placerem, Dei Seruus non eſſem.* Quamobrem Superioribus magnoperè cauendum eſt, (aiebat) ne ſibi in præſidendi honore placeant, aut illum quoquo modo affectent. Sed Prælationis munus, quum vltrò imponitur, cum timore Domini exerceant; in eóque præter Dei gloriam, ac commiſſi gregis vtilitatem, nihil quærant. Qui enim in illud ſtudio aliquo feruntur, aut proprium in eo commodum ſpectant, in laqueum incidunt, & in tentationem Diaboli: ſæpéque à Deo derelicti, eo maiorem ſibi damnationem acquirunt. *Quoniam iudicium duriſſimum in iis, qui præſunt, fiet. Potentes autem potenter tormenta patientur.* Verùm qui Diuinis Obedientiæ funiculis, ad Prælationes trahuntur: quandoquidem eos à Deo vocari certum eſt, neceſſariam ad earum adminiſtrationem ab eo opem quærere, ac expectare debent; qua tutò in iis verſari queant: Neque vlla his pericula extimeſcenda ſunt: dummodò ita in Prælatione ſe gerant; vt non proprium, ſed Diuinum tantummodò in ea Opus ſibi commiſſum agnoſcant, in quo fideliter laborẽt. Non honorem, ſed Onus conſiderent: neque præſidentiæ gradum, ſed iniuncti muneris ſollicitudinem animo verſent. Denique Saluatoris dictum altè animo repetentes, quo Prælatos monet. *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator,* impigrum in Prælatione laborem, non dignitatem ſpectent: Ita fiet: vt nulla pericula metuant. Quamobrem ſi meum conſilium expoſtulas, Frater, tua tibi mens primùm exploranda eſt. Num rectum, num humilem, num fidelem. num diuina charitate accenſum, ad Prælationem animum adferas; vt dignè in eo munere verſari queas: His vbi te haud carere cognoueris; Prælationis officium, quod tibi ex Obedientia iniungitur, ne pertinaci animo recuſa: ſed omni illũ cum humilitate potiùs excipiens, fideliter exerce, ac diligentiùs cura: vt iuxta præſcriptas Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum leges, nulla cuiuſque rei, aut perſonæ ratione habita, munus tuum abſque offendiculo adminiſtres. Veruntamen caue, ne te aliquãdo collatę dignitatis iacturæ metus excruciet: aut ſublatę ignominiam erubeſcas. Qui enim hoc animi timore afficiuntur: atque vt vel dedecus effugiant, vel ſeipſos in eo munere ſtabiliant, omnem lapidem mouent; pleraque ſubditis indulgent, ac plura diſſimulant, quæ ſeueriùs corrigenda eſſent. Multorum quoque Superiores, qui vel in dignitate ſtabiles eſſe volunt, vel iis expoliari metuunt; verbis, munuſculis, ficta humilitate, benignitate, ſuſſurrationibus ſibi beneuolentiam conciliare ſtudent; quorum ope fulciantur: vnde plerunque ſchiſmata, factiones, Sectę in Prouinciis excitantur: quæ omnium malorum ſemina in Religionem inuehunt. Ab his cùm te liberum velim, ſuadeo Frater; vt cùm primùm ad Prælationis opus accedis, temetipſum exuas, neque aliud in eo, præterquàm Deum Opt. Max. atque illius gloriam ſpectes.

Matth. 8.

*Prælatio ex Obedientia impoſita ſpiritualem profectum non impedit.*

*Prælatio non appetẽda aut diligenda.*

Sap. 6.

*Prælatio quo pacto adminiſtranda.*

*In Prælatione quid fugiendum.*

*Prælatorum vitia damnantur.*

XIX. Præter Reuelationes ſuperiùs exaratas, pleraque alia Sancto huic Viro à Deo reuelata fuiſſe, omnibus certum eſt;præſertim in Cõuentu Carcerellarũ Aſſiſij,in quo is Angelicam planè vitam aliquandiu duxit:quas tamen is, ex Chriſti præcepto, alto ſemper ſilentio obtexit. Ardebat interea in Ioannis animo,maxima Martyrij pro Chriſto ſubeundi cupiditas;cuius iam ab exordio, cùm adhuc inter Reformatos degeret,igniculos præſenſerat;eoſque ſucceſſiuè in animo alere ſtuduerat.Florebat hoc ipſo tempore,inter Laïcos,plurimùm virtute,ac vitæ ſanctimonia, Frater Ioannes Appulus,cuius alibi mentio facta fuit: qui cùm eodem, ſanguinis pro Chriſto profundendi,ſtudio duceretur; accidit, vt(Deo res ita diſponente)ſuperiori anno 1550;quo tempore Sacrum Indulgentiæ S.Mariæ Angelorum tempus inſtabat;ambo Aſſiſium conuenirent; quò ipſe quoque Bernardinus Aſtenſis Generalis,atque alij quamplurimi Fratres peruenerant. Iam antiqua inter vtrumque Ioannem neceſſitudo interceſſerat: qua factum eſt, vt inter ſe eo tempore familiariùs agerent;atque alter alteri flagrans Martyrij deſiderium aperiret. Quid moramur, inquit Appulus? En Generalis adeſt, adeſt temporis opportunitas; ad ſumus & nos: & forte quidem, hoc tempore, vtrumque huc Dei benignitas vocauit; vt ſicut animo, ita & martyrio coniungat. Cur noſtra Generali communia ſtudia non aperimus? Vtrique cùm res opportuna viſa eſſet, Generalem adeunt; humillimèque mentis propoſitum exponunt. At Generalis, quanquam vtriuſque virtutem perſpectam haberet, cùm tamen maturè in re grauiſſima progredi vellet;grauioribus ex Patribus,qui ibi aderant,accerſitis,Fratrum illis expoſtulationẽ proponit:qui vtriuſque vitæ ratione probè examinata, cùm illos probatiſſimos,atque omni exceptione maiores iudicaſſent: dignos exiſtimant, quibus arduum illud propugnandæ,ac propagandæ Fidei opus crederetur.Generalis quoque cùm in eandem Patrum ſententiam conſpiraret, re cum Sanctiſſimo,per Generalem Ordinis Procuratorem, communicata;eos tandem ſua benedictione munitos ad Infidelium terras deſtinat. Ij porrò cùm primùm Sanctiſſimi facultatem, ac Generalis literas accepêre;vix credibile eſt, quàm ingenti voluptate perfuſi impenſas Deo gratias agerent, qui eos dignos faceret, in partem ſortis Sanctorum: ac protinus iter Venetias versùs arripientes,cùm paululùm ibi commorati eſſent, nauis opportunitatem nacti, quæ Orientem versùs tendebat, Conſtantinopolim adnauigant. Ibi cùm antiquam Vrbem olim Fidelem, tunc alta in infidelitate ſepultam,ac vero Dei lumine orbatam cernerent:cui nemo erat,qui Fidei lucem annunciaret: ſumma in eam miſeratione commoti, in Vrbis medium prodeuntes, vbicumque collectos Saracenos vident, illis Chriſtum maxima libertate annunciant. Principiò quidem Infidelium plebs,cùm illos nudipedes,habitu cilicino indutos,ac Caputio illo acuto,velut cornu armatos conſpiceret: quaſi ſtultos deridere,ac cachinnis proſequi videbatur. At cùm primùm conſtanter eos Chriſti Fidem,ad ſalutem neceſſariam prædicare,Mahometem deluſorem proclamare, legémque illius falſam,ac beſtialem conuitijs laceſcere audiunt;protinus in furorem verſi,pugnis illos, ac fuſtibus oppetitos, ac variis contumelijs affectos, ad Iudicem ducunt: qui cùm eos conſtanter Chriſtum prædicantes audiſſet, multis verberibus affectos,in carcerem detrudi iubet. Interea Chriſtiani Mercatores, qui in ea Vrbe commorabantur,ſimulatque factum didicêre: cùm rem ad magnum Turcarum Dominum deferri extimeſcerent; ex quo commune aliquod ijs periculum impenderet: Iudici quadam pecuniarum ſumma oblata, Sanctos Confeſſores, è Carceribus extractos,ad diſceſſum compellũt.Ij verò eo maximè exultantes,quòd iam digni habiti eſſent,pro nomine Ieſu contumeliam pati;nauigium nacti in Paleſtinã vehuntur:vbi cùm primùm Sancta illa Ieroſolymorum loca, quæ aliquo Dominicæ Paſſionis veſtigio cõſecrata erãt,ac præcipuè Sanctiſſimum Chriſti Domini Sepulchrum piè,ac deuotè venerati ſunt:tanta ex hoc Sacrorum locorũ aſpectu, pro Chriſto patiẽdi cupiditas,ipſorum animis addita fuit;vt nihil ardentiùs, quàm acerbiſſimos cruciatus, ac turpiſſimam pro Domino necem oppetere optarent.

*Ioannes Martyrij cupiditate flagrat.*

*Cum Ioanne Appulo de Infidelium terris adeundis conſilium communicat.*

*A Bernardino Aſtenſi Generali ad infidelium terras cum Ioanne Appulo deſtinatur.*

*Conſtantinopoli Chriſti Fidem Infidelibus prædicant.*

*Verberibus affecti in Carcerẽ truduntur.*

*Hieroſolymã profecti Chriſti Domini Sepulchrum venerantur.*

Hinc



Hinc B. P. Franciſci potiſſimùm exemplo ducti, qui Babyloniæ Sultano Chriſti Fidem prædicauerat,Memphim,ſeu Babylonem proficiſci cogitant. Quare è Paleſtina ſoluentes Alexandriam Ægypti perueniunt; vbi à Chriſtiano quodam, ad quem Franciſcani Fratres diuertere ſolebant,hoſpitio excepti;cùm de Chriſti Fide Memphi prædicanda, cum eo conſilium contuliſſent;is primùm illud iis opus, velut periculis plenum, diſſuadere cœpit; ſed cùm Dei charitate feruentiſſimos, ac Martyrij cupidiſſimos animaduerteret; Sanctis verbis confortatos, atque animatos dimiſit:qui ab eo digreſſi tandem Memphim perueniunt.

XI. Eſt Memphis, ſeu noua Babylon, Vrbs Ægypti maxima, ab ea Babylone loco, ac terrarum ſpatiis diſſita,quæ apud Aſſyrios à Nino, ſeu Belo (vt fertur) ædificata,olim Regum Aſſyriorum ſedes fuit. Hæc enim iuxta Nilum ſita, vbi primùm Nilus ſecatur, & Delta formam efficit, Cairus à noſtris, ab Arabicis Mazar, aut Mitzer, à Latinis Memphis,ſeu Babylon dicitur,quæ ab Alexandria 130. ab Hieroſolymis verò 360. millia paſſuum diſtat.

XII. Huc igitur, cùm vterque appuliſſet: Vrbem innumera hominum multitudine, quibus nulla Fidei lux affulgebat, quibuſque Chriſtus proſcriptus erat, refertam conſpicientes, animo intimè ingemiſcebant. Regionéſque tot olim Anachoretarum Fide,& ſanctitate longè latèque florentes, tantáque Sanctorum Virorum ſegete fœcundas, tunc ſæua infidelitate abſumptas,atque omni prorſus bono ſteriles intuentes,lachrymas ex præcordiis fundebant: Deúmque ex animo deprecabantur, vt diuina in eos ira temperata, benignum ſe, ac pacatum illis oſtenderet, quò in priſtinam Fidẽ reuiuiſcerent; eámque ipſis virtutem conferret,quæ ad tantæ multitudinis animos ab infidelitate reuocandos valeret. His in obſecrationibus vbi aliquot dies exegêre: animumque ſibi ad dura omnia, ac mortem pro Chriſto tolerandam,intrepidum à Deo poſtularunt: Vrbem circumeuntes, in Iudæum quendam Italum incidunt: qui cùm eos ex Idiomate Italos agnouiſſet;hoſpitio in Vrbe excipit. Ardens quidem iis animus ad Chriſti Fidem in Vrbe prædicandam inerat; ſed cùm Babylonicum idioma ignorarent, populiſque Italica lingua ignota eſſet, hærebant animo,quid facerent. At Deo illis conſilium miniſtrante, velut opportunum ſibi in animum inducunt:Baſſam Vrbis Gubernatorem,qui Italicæ linguæ haud ignarus erat, adire: cúmque à falſa Mahometanorum ſecta euocatum ad Chriſti Fidem omni ſtudio pertrahere: facile enim ſibi futurum perſuadebant;vt capite ad Chriſtianam Legem perducto, reliqua plebs,quæ ad Regis exemplum componitur,Chriſto faciliùs nomina daret.

*Babylonem adnauigant, vbi à Iudæo hoſpicio excipiuntur.*

XIII. Hoc igitur inter ſe conſtituto; Iudæum Hoſpitem conueniunt; eique velut ſecretiſſimè aperiunt,eos res grauiſſimas,ac maximi momenti habere,quæ cum Baſſa communicent.Iudæus verò cùm eò ſe Baſſæ gratiam, ac beneuolentiam conciliaturum ſperaret; impiger ad eum euolat, & quid ex Fratrum ſermone acceperit, eidem renunciat. Baſſa autem certo illis die conſtituto,eos vocari imperat; quæue negotia cum ipſo pertractanda habeant, ab iis ſollicitè exquirit. At Ioannes Sacerdos,cùm ſe Baſſæ conſpectu,quem tantoperè optauerat,tandem frui videret; his eum verbis alloquitur. Tibi; ò Baſſa, quem Deus tot populis Rectorem dedit, cuique ampliſſima hæc Vrbs ad nutum paret: grauiſſima negotia, tuiſquè populis vtiliſſima, à me proponenda ſunt, quibus ſi animum intendere volueris, immortale tibi nomen,ac gloriam comparabunt.Ea namque tanti ponderis, ac momenti ſunt; vt ab iis tua, totiuſque huius Vrbis ſalus, ac incolumitas pendeat. Arrige aures, Vir prudentiſſimè: neque enim vana, aut ludicra ſunt, quæ ad animæ ſalutem, æternamque felicitatem comparandam ſpectant. Quid illa precioſius? Quid hac optabilius excogitari poteſt? Quibus ſi aurum, ſi argentum, ſi theſauros, ſi Regna compares; ea profectò tantoperè vileſcunt;perinde ac ſi turpe cœnum,aut infimum terræ puluerem cum Cælo conferas. Tecum igitur,cùm de tua,ac totius huius populi ſalute nobis agẽdum ſit,quę nullo pacto,

*Ioannes Baſſæ Babylonico Chriſti Fidem prædicat.*

 (ſi tamen

( ſi tamen prudens tibi animus, atque à ratione haud quaquam alienus ineſt ) tibi contemnenda eſt. Id primum velut certum tibi perſuade: eam tibi, non in Mahometis lege, quæ potiùs turpe omnium vitiorum ſeminarium, ac virtutum præſcriptio appellari debet: ſed in vnius duntaxat Chriſti Ieſu Domini, ac Saluatoris Fide, ac Baptiſmo quærendam, ac collocandam eſſe. Qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinauit formam Serui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, vt homines, qui peccati iugo premebantur, in libertatem vendicaret. Denique ſeipſum obtulit immaculatum Sacrificium Deo, vt nos ſanctificaret per Sanguinem ſuum, & per lauacrum regenerationis mundaret nos ab omni ſorde, & inquinamento peccati. Mente, ac prudentia tua vtere, ô Baſſa. Interrogo te, cùm per primam Adæ culpam, vniuerſa humani generis ſoboles, ſub mortis imperio teneretur, ac vulnerata iaceret; cuius morte in vitam reparatus es? Cuius vulnere tua curata ſunt vulnera? Quis mortem pro te ſuſcepit; & ægritudinum tuarum cauſas, & inſanabilia vulnera abſtulit? Quis te ad vitam reuocauit à morte? Quis de Inferno ad Cælos reduxit? Cuiùs caput pro peccatorum tuorum ſentibus, ſpinea eſt Corona redimitum? Cuius maxillæ palmis ſunt verberatæ, ac pugnis contuſæ? Cuius ſputis deturpata facies? Quis, ne tu perpetua flagella ſubires, flagella ſuſtinuit? Quis pro te opprobriis ſaturatus fuit? Num Mahomethes, ac Pſeudopropheta veſter; cuius vita Epicureorum, ac Belluarum potiùs, quàm hominum fuit? Agnoſce te illius morte in vitam vendicatum fuiſſe; cuius vita, in commune humanæ redemptionis pretium, Deo oblata fuit: Vnus enim eſt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Fallunt te, ô Baſſa, qui Mahometem tibi Prophetam prædicant; qui obſcænam illius tibi legem commendant; qui ſalutis eum tibi Miniſtrum perſuadent. Neque enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſaluos fieri, præterquam Ieſu Chriſti nomen, ac Fides. Hæc ſola tibi eſt, ad ſalutem, & vitam beatam via: hanc amplectere, hac perge, ſi cæleſtem vitam, ac ſupernam felicitatem conſequi optas.

*Mahometis lex vitiorũ omnium ſeminarium.*

Philip. 2.

*Vita æterna per Chriſtũ reſtituta.*

*Ioannes Chriſtum hominum Redemptorem prædicat.*

XIV. Hæc Ioannes tam feruido ſpiritu affatus eſt, vt Baſſa Viri audaciam, ac libertatem in dicendo admiratus, ira primùm in eos efferbuerit: at eorum vultus macilentos, ac extenuatos contemplans; cùm eos præ inedia, ac longa rerum tolerantia delirare exiſtimaret; iram comprimens, ipſos retineri, ac melioribus cibis refocillari iubet; eo quòd Vir impius ſperaret; homines ſanæ aliquando menti redditos, ad Mahometicam legem facile perducendos fore. Iuſſu itaque Baſſæ detenti, atque humanis carceribus incluſi, cùm aliquot dies effluxiſſent; ante Iudicem, qui apud illos, Caddi, appellatur, vterque ſiſtitur: quos cùm Iudex placidis primùm verbis interpellans, quinam, & vnde eſſent, quorſúmque Memphim veniſſent; denique an non magni Prophetæ Mahometi Serui, ac cultores eſſe vellent, ſingillatim interrogaſset: intrepidi reſpondent; ſe Chriſtianos eſse, ac Chriſtum colere; Mahometem verò non Prophetam, ſed Pſeudoprophetam, deceptorem, ac illuſorem agnoſcere; atque eam tantùm ob cauſam, ſe longam è Chriſtianorum terris, eouſque peregrinationem ſuſcepiſse; vt qui ab eo decepti, inter denſas infidelitatis tenebras verſantur, diuinam tãdem Fidei lucem aſsequantur; Chriſtúmque Dei Filium, vnicum humani generis Saluatorem agnoſcentes, Chriſtianam Fidem, quæ ſola ad beatã vitã dux eſse poteſt, & cũ ea Baptiſmũ amplectãtur.

*In Carcerem coniecti ante Iudicem ſiſtuntur.*

*Ioannes Chriſtum coram Iudice prædicat, & in Mahometem inuehitur.*

XV. His tam liberè dictis Iudex excanduit. Quid? (inquit) An non Mahometes magnus Propheta eſt? Cuius legi tot populi, ac nationes colla ſubdunt, atque vltrò ſubijciuntur? Quis magnus ſicut Propheta noſter, qui tanta, ac tam præclara ſuis Cultoribus bona pollicetur? Quid hac, quæ nobis à magno Mohomete noſtro promittitur, vita, aut meliùs, aut beatiùs excogitari poteſt?

XVI. Cui Ioannes, Patere, Iudex (inquit) vt qualis hæc vita, quæ vobis à Mahomete, velut beata commendatur, cenſenda ſit: breuiùs, quoad fieri poterit, aperiam.





XVII. Id quidem in primis non ignoro. Pleraque, ac tria potiſſimùm eſſe huius vitæ bona, in quibus Mahomethes ſummam veſtram felicitatem collocat. Nimirum diuitiarum copiam, nullius rei indiguam: bellicam fortitudinem, qua Imperij termini longè latéque extenduntur; Corporis tandem, animíque voluptatem, quæ dolore, ac triſtitia hominem exuit. At quàm hæc à vera felicitate, hominiſque beata vita longè abſint, iis facilè perſpectum eſt, qui harum rerum naturam haud ignotam habent. Qui enim in opum affluentia, ac rerum omnium copia ſummum ſibi ipſis bonum ſtatuunt: id tantùm ſibi commodi proponunt; vt quæ vel ad neceſſitatem euitandam, vel ad vitæ ornamentum conferunt, ex iis ſibi abundantiùs quærant. Hinc enim magnificas ædes, ampliſſimas villas, cultiſſima rura, vberes agros, pretioſam ſuppellectilem, veſtes egregias, vaſa argentea, aureáque cælata, margaritas, gemmas accumulant. Hinc equos inſignes, ſeruorum, ac miniſtrorum cateruas. Hinc denique omnia ad vitæ ſplendorem ſpectantia ſibi comparant,

*Mahometanorum ſumma felicitas, quibus in rebus ſita.*

*Summam felicitatem in Opibus non reponendam oſtenditur.*

XVIII. At verò quot illos incommoda ſequantur, quæ omnem iis felicitatem eripiunt, Iudex, perpende. Diuitias, homini non ſatietatem, aut animi tranquillitatem; quæ vera felicitas cenſeri poſſit, adferre: ſed potiùs ſitim ac cupiditatem augere, omnium Sapientum vox eſt. Ex quo id Poëtæ dicere licuit.

*Diuitiarum incommoda enarrantur.*

*Interea pleno cùm turget ſacculus ære,*
*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

Iuuenalis.

Pecunia non ſatiat, ſed irritat. Quotamcunque reperies, qui etſi abundè rerum copia fruatur: non alia, atque alia meliora, & maiora expetat?

*Vnus Peleo Iuueni non ſufficit Orbis,*
*Aeſtuat infelix anguſto limite Mundi.*

Nec verò ſolùm, qui diues eſt, rei familiaris augendæ appetitu angitur: ſed & ea, quæ adeptus eſt, amittendi metu cruciatur; atque ita cùm vitæ tranquillitatem, ac iucunditatem expectare videbatur; mordaces curæ, anxiæque ſollicitudines ei in animum ſuccedunt, quæ illum non tam felicitate ſpoliant, quàm inter miſeros relegant.

XIX. Neſcis diuitias non tam honeſtati, quàm improbitati ſeruire: dum hominum ſocordiæ locum parant, diuitéſque ad prauas voluptates alliciunt: ita vt qui magis opibus accumulandis dediti ſunt, eo minùs virtutis nanciſcantur. Taletis dictum fuit. Homines natura quidem ad virtutem natos eſſe, ſed à diuitiis corruptos, ad vitia pelli, & ſub falſa cuiuſdam boni opinione, à veriſſimis bonis abduci. Denique cùm cædes ob diuitias committuntur, cùm Templa ſpoliantur, cùm amicitia violatur, cùm fides negligitur, lucro perfidiam ſuadente: cùm patriæ produntur; quo pacto tot mala ex opibus naſcerentur, ſi hę inter vera hominis bona recenſeri poſſent? Quis tandem vllam opibus felicitatem ineſſe ſentiat; quæ cùm inter Fortunæ bona cenſeantur, ſæpè hominem fallunt, meliorique illum ſpe fruſtrantes nonnunquam miſerum efficiunt? Crœſum olim diuitem, ac potentem, an non fortuna repentè ſubuertit? & ad extremum ſupplicium raptum, Solonem, qui eum felicem eſſe negauerat, exclamare cœpit? Quid Craſſos olim? Quid Pompeios? Quid Cæſares? Quid Antonios, atque alios commemorem; quibus fortuna cũ diuitias, maximoſque honores, non dono, ſed mutuò dediſſet; ſummo cum vitæ fœnore depoſitos repetiit? Caduca nimirum, & fragilia, puerilibuſq; conſentanea crepundiis ſunt, iſtæ, quæ opes humanæ vocantur. Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur; nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc, atque illuc acta, quos in ſublimè extulerant, im-

*Diuitiæ tam honeſtati, quàm improbitati ſeruiunt.*

*Opes homines fallunt, & meliori ſpe fruſtrantur.*

prouiſo recurſu deſtitutos in profundo cladium miſerabiliter immergunt. Quapropter nec bona exiſtimari, quæ tam facilè fluunt: nec felices haberi debent, quæ inflictorum malorum amaritudinem, ſui inconſtantia, atque interitu accreſcunt. Quamobrem id tibi, Iudex, primo loco perſpectum ſit, Mahometem, quum ſummam veſtram in diuitiis, ac rerum affluentia felicitatem ſtatuit, nihil præterquàm falſam de vera felicitate, ac beata vita opinionem docere.

XX. Ad Rem Bellicam venio, quam is inter ea, quæ ſummum homini bonum præſtant, enumeranda cenſet: ea potiſſimùm ratione, quòd Militaris fortitudo, immortalem homini gloriam pariat; qua nihil mortalibus optabiliùs videtur. Hac Regni, ac Imperij fines dilatat; hæc victorias, ac triumphos præſtat: hæc apud remotiſsimas gentes, ac populos nomen militibus comparat; hæc tandem glorioſos, ac immortales, etiam poſt mortem, reddit. Verùm quàm iſta à vera felicitate, ac ſummo hominis bono, quo is beatus efficitur, diſiuncta ſint, facilè aperio.

*Bellicæ fortitudinis bona à vero bono aliena.*

XXI. Haud quidem inficior, quibuſdam Militiam gloriam, ac nominis amplitudinem comparaſſe: ac certè plures offendas, quibus militia dedecus, carceres, ſeruitutémque attulit. Nonnullos profectò militaris fortitudo ad ampliſſimas opes, ac ſummum Imperium euexit. At propè innumeros reperias; qui quæ in pace parauerant, bello ſibi euerſa lugerent. Quis Darium? quis Cyrum? quis Annibalem? quis Mitridatem? quis Iugurtam, atque alios penè innumeros, quos bellica virtus extulerat, à caſu liberos præſtare potuit? Quare opportunè Vates.

*Militiæ dāna recenſentur.*

*Clara fuit Sparta: Magnæ viguère Micenæ,*
*Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arcus.*
*Vile ſolum Sparta eſt, altæ cecidère Micenæ:*
*Oedipodioniæ quid ſunt niſi nomina Thebæ?*
*Quid Pandionis reſtant niſi nomina Athenæ?*

Arma enim, quæ paucis imperia ſtruunt, multis excidium parant; Quis ignorat, bella victorias, ac triumphos parare? at neſcis, varium eſſe belli exitum? Victoriámque non vni ſemper arridere: ſed Victorem ſæpè in ipſo triumpho deſerere? Quoties vicère Carthaginenſes? Quoties Parthi? Quoties Galli? Quoties gentes aliæ? Quæ tandem victæ aliorum iugo colla ſubdidère? Quænam, obſecro, bellicæ victoriæ felicitas ineſſe poteſt? Quæ quo maior eſt, eo ampliori hominum ſanguine, ac funeribus comparatur. Cæterùm cur eam gloriæ immortalitatem, quæ hominum cæde, & ſanguine redundat: tantoperè extollas, ignoro; cùm ab ea potiùs abſtinendum ipſa hominum ſocietas, ac natura doceat. Quòd ſi hæc gloria, quæ bellicam fortitudinem comitatur, nec conſtans, nec perpetua eſt: quique ea præditi ſunt, quotidianis periculis obnoxij, neque à curis, neque à laboribus, variiſque corporis, animique ægritudinibus vacant; id planè certum eſſe debet, malè in ea à Mahomete vitæ felicitatem collocari.

*Militiæ felicitas nulla.*

XXII. Tertium tandem, in quo Mahometes ſummam ſuis felicitatem repoſitam habet, eſt ipſa Corporis, & Animæ Voluptas: quæ à vera, ac beata vita, cui ſumma felicitas debetur, tantoperè abhorret: vt ea pecudum potiùs, quàm hominum felicitas appellanda ſit. Quod ſanè ita perſpicuum eſt; vt qui hominum natura, ac mente prediti ſunt, id negare nullo modo queāt. Animo, ac ſapiētia vtere, ò Iudex, Voluptatem quidem aliqui definiunt, vt præter modum, & rationem, vehemens quædam lætitia ſit, opinione alicuius magni boni concepta. Alij voluptatem, iucundum motum in ſenſu eſſe cenſent. Mahometi voluptas eſt, omnibus ſenſuum deliciis frui: nihilque moleſtum habere. Quid amabò hac voluptate magis à ſummo bono alienum? Nam ſi hominem à brutis diſcerni æquum eſt; qui voluptatem ſummum hominis bonum conſtituunt, an non id agunt, vt hominum naturam cum pecudum, ac brutorum natura confundant? quibuſcum id homini com-

*Corporis voluptas à vera felicitate penitus diſiūcta.*

munę



mune eſſe oporteret, vt ad voluptatem omnia referrent. Quòd ſi id muta animalia, idcircò à natura nacta ſunt, quòd ea rationis expertia, ad præſtantiora bona mentem non acceperint. Quis eam hominis naturæ maculam inurat, vt neque meliorem, neque præſtantiorem, quàm bruta, finem à Deo ſortitam eſſe ſibi perſuadeat?

*Hominem voluptas ad pecudum naturā transfert.*

XXIII. Nimis profectò malè de hominum natura ſentit Mahometes, quibus cùm Deus excellentem, erectámque corporis ſtaturam, Cælumque intuentem dederit, nihil eam à brutis, quæ pronam, atque humi ſpectantem figuram accepêre, diſtare credit.

XXIV. At verò, ſi voluptatem ipſam inſpicimus; Nulla res pernicioſior, nulla peſtis acerbior in hominum vita, voluptate reperiri poteſt. Hinc enim omnium malorum genera naſcuntur. Quod enim tam impium, tam atrox, tamque nefarium facinus eſſe poteſt, ad quod voluptas hominem non compellat? Hinc enim & Regum cædes, & Vrbium euerſiones, Regnorumque interitus conſequuti ſunt. Quis voluptati vnquam coniunctus fuit, qui cum virtute bellum gerendum non ſuſciperet? Quoniam tum cùm voluptas gignitur, vitium in animo oritur, à quo virtus ipſa expellitur, ratio obtunditur, mens obcæcatur, conſilium, & ſapientia fugantur; nullus denique virtuti locus eſſe poteſt, vbi Sedem voluptas occupauit. Malorum eſca voluptas eſt, qua homines velut hamo capiuntur; Fera eſt, quæ non feraliter, ſed ſuàuiter homines ſibi ſubdit; beneuolentiæ habitum induit, vt inimicitiam celet: dum enim deliciis animum emollit, corpora reſoluit, vires eneruat, vigorem hebetat, & Senectæ indumenta in iuuentute prælibat: Quo fit, vt ea dupliciter & quod noceat, & quod fallat, auerſanda ſit.

*Voluptas homini pernicioſa.*

XXV. Denique qui in corporis voluptatibus ſummum bonum ponunt: non ſatis quidnam bonum ſit; videntur intelligere: Vnde enim illud bonum appellare audent, quod innumera, tum animo, tum corpori ſuapte natura mala adfert. Quis enim ignorat, quàm voluptatum appetentia moleſtiæ, anxietatiſque plena ſit, dum eæ non habentur; cùm verò habentur, quàm graui animum metu ſollicitent, ne citius euolent. Cùm verò illæ tandem ſua ſatietate faſtidium pariunt, nihil præter luctum, ac tenebras in animo relinquant. Triſtes verò eſſe voluptatum exitus, quæ cum malo coniunctæ ſunt; quiſquis ſuarum libidinum reminiſci voluerit, facilè intelliget: quæ ſi beatos reddere poſſent, nihil cauſæ foret, cur non pecudes quoque beatæ eſſe dicantur.

*Voluptas innumera mala adfert.*

XXVI Nulla igitur, ò Iudex, in voluptate; nulla in armis; nulla in opibus, aut aliis huius vitæ bonis felicitas quærenda eſt. In animo eſt, quod nos beatos facit: Niſi ſtabili, & fixo, & permanente bono, beatus eſſe nemo poteſt: nihil enim inueteraſcere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, quæ vitam beatam conſtituunt: nam qui timet, ne quid ex his, quibus fruitur, deperdat; beatus eſſe non poteſt. Beata vita nihil deſiderat, nihil metuit, nihil requirit, nullo eget, ſed ſeipſa contenta eſt. Beata illa tantùm vita appellanda eſt; quæ nullis eſt fortunæ telis expoſita, nullis procellis obnoxia; ad quam nec metus, nec dolor, nec inuidia, nec maleuolentia, nec obtrectatio, nec iniuria, nec ægritudo, nec perturbatio vlla, quæ animum à perenni tranquillitate dimouent, poteſt accedere.

*Felicitas vbinam quærenda.*

XXVII. Denique beata vita, ac ſumma hominis felicitas in ſummo, ac perfecto bono collocanda eſt; quod nunquam fluit, nunquam ſeneſcit, nunquam excidit, deperit nunquam; quo nullum aut maius, aut perfectius, aut iucundius, aut pulchrius, aut honeſtius excogitari valeat. Hoc verò vbinam quærendum eſt? præterquam in eo, quod ſolum bonum eſt, ac bonorum omnium fons eſt, & origo, Deus ſolus, hominis ſola felicitas eſt, quo, poſt huius vitę occaſum, animus à voluptatibus, ac terrenis cupiditatibus liber, in Cælo fruitur.

*Summa felicitas in ſummo bono collocanda.*

XXVIII. Falleris, Iudex: ſi in hiſce rebus corporeis, beatam vitam, tum hîc, tum in futurum repoſitam cenſes; ſummum enim homini bonum, in quo beata vita eſt, tale eſſe oportet; vt homini cum nullo animante commune ſit, nec vllam cū corpore,

*In rebus corporeis minimè quærēda.*

aut

aut rebus externis cognationem habeat. Quapropter id tibi velut certiſſimum ſtatue: beatam vitam, non in Cerere, & Baccho, ſplendidiſque conuiuiorum epulis; non in ludis, aut choreis; vbi virentibus campis, terra luxurians alumno ſe induit gramine; & redolente paſcitur flore; non inter Paradiſi poma, quæ cæleſtis saporis guſtum eſurientibus præſeferunt. Neque inter Venereas ſelectiſſimarum vxorum, quæ tum in Virgines mutentur, voluptates, aliaſque huiuſmodi carnis delicias quærendam; quam ſuis Mahometes turpiter pollicetur; ſed in optima animi operatione ſpectandam eſſe, qua Deum purè poſt hanc vitam contemplatur, eoque abſque vlla perturbatione fruitur: quæ ſumma, & perfecta eorum felicitas eſt, qui ab omni terrenarum voluptatum labe ſemoti purè hinc ad cæleſtes Sedes euaſerunt.

*Mahometis felicitas expungitur.*

*In Cælo perfecta hominis felicitas repoſita.*

Ad hanc, ſi quibus tandem gradibus conſcendatur, exquiris. Diſce hominem XXIX
Religione, Sapientia, Fide, Spe, Charitate, ac cæteris virtutibus, viam ſibi ad beatam vitam parare. Nam ſi Religio tollatur è medio, nulla nobis ſupereſt cum Cælo cognatio: quorſum enim oculos in Cælum erigimus? præterquàm aut Religionis gratia, aut rerum diuinarum contemplatione; ſed quoniam res diuinæ ab hominis ingenio perfectè comprehendi non poſſunt; oportet Religionem cum Fide coniungi: etenim cùm altera abſq; altera perfecta eſſe non poſſit; qui alterutrã altera neglecta ſuſcipiunt, viam maximis erroribus aperiunt. Quapropter paucis accipe, Iudex, qua via ad beatam vitam eundum ſit: haud alia planè, quàm Fide in Dominum Ieſum Chriſtum Dei Filium. Hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcamus Deum verum, & quem ille miſit Ieſum Chriſtum.

*Fides in Ieſum Chriſtũ, ad ſummam felicitatem via.*

Quod verò ad Mahometem ſpectat, quem magnum appellas: magnus certè XXX.
Mahometes, ò Iudex; at cùm Prophetam appellas, tota veritate aberras: magnum ſi vis, magnum accipe. Magnus impoſtor eſt, magnus Apoſtata, magnus Pſeudopropheta, magnus ſeductor: dolo, fraude, malitia maximus, nedum magnus. Quare ne mirêre, quòd impia, ac carnali lege tot populos ſeduxerit, ac in ſummas tenebras demerſerit: ea enim eſt eorum, qui in flagitiis maximi ſunt, natura, vt paucorum ruina minimè contenti ſint; ſed quamplurimos in idem præcipitium rapiant. Seuera Dei vindicta eſt, ſcelera acerbiſſimè vlciſcentis, quòd tot populi, ac nationes veræ Fidei luce orbatæ, in tot errorum tenebris obdormiant; ac Mahometicæ legis iugo premantur. At ſi paululùm è tenebris caput erexeris, obrutámque carnalium voluptatum pondere, rationem in libertatem vendicaueris; planè obſcenam legem, quæ nihil præterquàm corporis bona, carniſque voluptates ſequendas proponat; fallaceſque, ac doloſas illius promiſsiones, quibus nulli vnquam potiri datum eſt, quæque ſi haberentur, tandem in faſtidio eſſent: poſtremò impium, ac turpem illius legis latorem eſſe animaduerteres, qui turpi, ac iniqua lege tot populorum turmas ſeducat; atque ad horrenda Tartari ſupplicia tranſmittat.

*Mahometes quomodo, & qua ratione magnus.*

*Mahometes Populorum ſeductor.*

His contra Mahometem, ac illius legem dictis, adeò Iudex ira exarſit, vt pro- XXXI.
tinus vtrunque diriſsimis flagellis cædi imperauerit: quo in ſupplicio, ſancti Martyres, laudes ex animo Chriſto decantantes, impiæ turbæ inter flagella Chriſtum prædicabant. Poſt hæc in arctum ac tenebroſum carcerem detruſi, quotidiana, impij Iudicis iuſſu, inedia affligantur. Ij verò ſe inuicem in Domino confortantes, lætiſsimè, quaſi ad delicias inuitati eſſent, inedias, flagella, carceris ſquallores pro domino ſuſtinebant; duriora, atque atrociora pro Chriſto ſubire parati: diuinamque interea clementiam commendantes, dies noctéſque in diuinis laudibus, atque orationibus inſumebant: id potiſsimùm à Deo poſtulantes, vt qui eo duce, atque auſpice Martyrij ſtadium ingreſsi, Fideique certamen auſpicati fuerant; illius quoque virtute, ad finem vſque roborarentur, donec expleto certamine, ad Coronam pertingerent.

*Martyres flagellis cædũtur & in carcerẽ truduntur*

Iterum poſt aliquot dies, manibus poſt terga reuinctis, ad Iudicem ducuntur, XXXII





quos cùm is interrogaſſet; num ad ſaniorem mentem reuerſi, quæ aduersùs Sanctum Prophetam, atque illius legem protulerant, irrita eſſe; atque inter illius cultores annumerari vellent: quod illis pluribus verbis perſuadere cœpit. His illi vno ore reſpondentes, dixerunt: Tu ſanam cum tuis, ô Iudex, indue mentem, qui impia lege faſcinati, ac dementati poſt damnatum Mahometem curritis: iis enim qui Chriſtum, ac Chriſtianam Fidem colunt, mens ſana eſt. Fruſtra niteris, vt quæ ſemel vera, ac certa prædicauimus, à nobis reuocari debeant; quin ea potiùs inter verbera & carceres magis confirmata accipies. Neque enim, ſicut Mahometes, populos fallere, aut pro veris falſa obtrudere; aut tandem vera ipſa, quæ multos iuuare poſſunt, abſcondere, aut reuocare didicimus: tu potiùs à falſa, ac peſtifera Mahometi lege abhorrens, quæ cultores ſuos æternis ſuppliciis parat, Chriſtianam Fidem amplectere; quæ ſola ad immortales gloriæ delicias ducit.

*Iterum Chriſti Fidem Iudici perſuadent.*

XXXIII. His iratus Iudex, rurſus illos durioribus flagris verberari, atque aliis cruciatibus examinari iubet: ij verò inter verbera, & cruciatus Iudicem interpellantes: Vides infelix, aiebant, quàm minimùm, qui Chriſto adhærent, atque illius Fidem toto animo ſequuntur, tua tormenta ducant; ea enim illis ad Coronam proficiunt. Vtinam grauiora te, ac tuos, qui Mahometicas luxurias ſectantur, apud Orcum ſupplicia non manerent; quæ nulla vnquam temporum diuturnitate, aut æternitate terminanda erunt. Poſt verbera, & cruciatus denuò in carcerem retruſis, noua ſuppliciorum genera parantur, quibus eos impia turba, totius humanitatis oblita proſequitur. Iudex verò cùm ſæpiùs ad Tribunal vocatos, ac repetitis pœnis affectos, ad Mahometicæ legis cultum ſe illos pertrahere poſſe deſperaret; perpetuò carceri abſque cibo, ac potu lata ſententia adiudicat: vt tandem fame, ac ſiti enecati intereant. Porrò audita hac Iudicis ſententia Martyres pariter in carcere genuflectentes, Deo ex intimis viſceribus gratias agunt: ibique in oratione, ac diuinis laudibus, vſque ad obitum perſeuerantes, cœptum agonem feliciter conſumant.

*Rurſus flagris durioribus examinantur.*

*Ad Perpetuum carcerem abſque cibo, & potu damnantur.*

XXXIV. Per id tempus accidit; vt Chriſtianiſſimi Regis Gallorum Orator illac iter faceret: qui audita illorum fama, cùm eos adhuc in carcere ſuperſtites forè arbitraretur; à Baſſa è carcere liberari, ac ſibi tradi impetrat: at vbi ad carcerem ventum eſt; qui miſſi fuerant, Sanctorum Martyrum corpora humi exanimata iacere: eoſque deuicto certamine, iam ad coronas euolaſſe conſpiciunt.

*Pro Chriſti Fide Martyrium conſumant.*

Nonnulli M. S. Auctores, hos Sanctos Martyres, Conſtantinopoli publica capitis obtruncatione, Martyrium obiiſſe tradunt, quibus alij etiam addunt; Ioannis Sacerdotis caput, poſt abſciſſionem, per horam Chriſti Fidem Saracenis prædicaſſe. Nos ſuam cuique Fidem integram ſeruantes, quæ plurium teſtimoniis probata accepimus, ſatiùs hîc inſerenda duximus. Horum Martyrij meminit Chronicon Ordinis, p. 3. lib. 9. cap. 34. in eo tamen nonnihil hallucinatur, quòd Ioannis Sacerdotis ſocium in Martyrio, F. Alexandrum Italum quendam commemorat; cùm noſtra omnia M. S. Ioannem Appulum fuiſſe affirment. Error verò ea fortè ratione apud illum Auctorem irrepſit; quòd qui Ioannis inter Capucinos nomen, & appellationem nactus fuit, apud Diſcalceatos, vnde ad Capucinos emerſit, Alexander vocaretur: quo factum eſt, vt is apud illum Alexandri nomen retinuerit. Atque hæc quidem de Ioannis Hiſpani Sacerdotis Vita, & Martyrio, quæ à plurimis, grauiſſimiſque Auctoribus M. S. accepimus, dicta ſufficiant. Pleraque nunc de Ioannis Appuli Vita, ac virtutibus, hoc loco ſubnecti æquum eſt; ne quæ ad publicam Religionis, & Eccleſiæ lucem conferunt; ſilentij, aut obliuionis tenebris obruantur.

Chron. Min. p. 3. lib. 9. c. 43.

*Ioannes Appulus priùs Alexander inter Diſcalceatos appellatus.*

## *FR. IOANNIS APPVLI,*

### *Vita, & Martyrium.*

*Ioannes Appulus inter Diſcalceatos adſcribitur.*

IOANNES igitur Appulus, Ioannis Hiſpani è Metymna Campeſtri in Martyrio XXXV.
ſocius,Ecis, Apuliæ Dauniæ Vrbe, quæ Beneuentano Archiepiſcopatui ſubditur, honeſta, licèt paupere familia ortus; ab Adoleſcentia, nobilis cuiuſdam Hiſpani ſe obſequiis mancipauit; à quo in Hiſpaniam ductus, poſt complures annos in eo famulatu tranſactos, cùm aliquando Fratres Ordinis S. Franciſci, Diſcalceatos, Prouinciæ S. Gabrielis, aſpera veſte indutos,ac nudis pedibus,maxima cùm vtriuſque hominis compoſitione, in ſupplicatione incedentes conſpexiſſet: eo aſpectu tam perfectum Mundi contemptum animo peperit, tantoque illius vitæ amplectendæ ſtudio incenſus fuit: vt nulla interpoſita mora, mox ad eorum ſe ſocietatem contulerit, & in Laïcorum numerum cooptatus, Alexandri nomen ſortitus fuerit. In ea porrò Religione, quæ virtutum ſemper fœcunda fuit, tanta morum diſciplina, humilitate, vitæ auſteritate, ſuiipſius neglectu, victus, ac veſtitus paupertate, ac plurimis aliis virtutibus florere cœpit; vt cùm totius Regularis diſciplinæ normam, & exemplar in ſeipſo præſeferret, cæteris admirabilis videretur.

*Martyrij cupidus efficitur.*

Tam illuſtribus hiſce Religioſæ vitæ tyrociniis exornatus Alexander. Cùm XXXVI.
ſæpe Martyrum geſta in menſa legerentur,& quæ ij pro Chriſto mala tolerauerāt, frequenter animo ruminaret;tam ardentem Martyrij pro Chriſto ſubeundi cupiditatem animo ſibi inhærere ſenſit: vt exinde fixè ſibi in animo ſtatuerit, vniuerſa moliri, quò hanc ſibi à Deo gratiam compararet.Intelligebat namq; Vir prudens, non humanæ,ſed diuinæ prorſus virtutis, ac cæleſtis gratiæ donū eſſe,tam arduum ac difficile opus auſpicari: Neque temerè illud ſibi arrogandum eſſe; quod cùm in Euangelicæ Legis perfectione præſtantiſſimum ſit, ex Dei potiſſimùm munere proficiſcitur. Quamobrem quotidianis Ieiuniis, vigiliis, orationibus, lachrymis, diuinæ clementiæ fores pulſabat, vt optato tandem Martyrij dono frueretur. Verùm cùm neque id ignoraret: Martyrij palmam, velut ſupremum diuinæ charitatis teſtimonium, quod ab homine proficiſci poteſt: copioſo multarum virtutum apparatu, quo ea ſtipata eſſe ſolet, indigere: nec niſi improba omnium vitiorum lucta, ac certamine comparari poſſe: Mox prauis omnibus cupiditatibus bellum indicit. Carnem,ne ſpiritum ad vitia propellat,variis caſtigationibus adoritur. Humilitatem,manſuetudinem, patientiam, rerum ac ſpiritus paupertatem, ſuiipſius odium,ac contemptum, charitatem; demùm omnium virtutum ſupellectilem ſibi comparandam curat: omnéque in ea adipiſcenda ſtudium, & operam confert.

*Omni virtutum laude floret.*

*Sepulchrum ſibi ad orandum eligit.*

Summum vero, ac præcipuum Orationis illi ſtudium erat: quam cùm virtutum omnium officinam eſſe intelligeret: tam ſibi hoc tempore familiarem adſciuerat, vt ab ea vix vnquam diuelleretur. In Conuentu Saluateriæ,ſepulchrum quoddam, quod in Eccleſiæ angulo, nullo operculo obſeratum iacebat, ſibi ad orandum elegerat: in quo cùm frequentiùs Orationi incumberet; inde Alexandri, adhæc vſque tempora,ſepulchri appellationem retinuit. In hac cùm Alexander aliquandiu virtutū ſe palæſtra exercuiſſet: ex qua maior illi in dies Martyrij cupiditas accendebatur: Incenſum tandem animi ſtudium Generali Miniſtro aperit; à quo facultem impetrat, vt cum F. Bartholomæo Tiphernate, ac duobus aliis eiuſdem Ordinis ſociis, qui eodem martyrij deſiderio tenebantur,ad Infidelium terras ſe con- XXXVII.
ferat.

*In Mauritaniam cum aliis proficiſcitur.*

Ea facultate à Generali lata, Alexander cum ſociis in Mauritaniam proficiſcitur: ibique dum Mauris omnes liberè Chriſti Fidem ad ſalutem neceſſariā eſſe prædicant: primò contumeliis, deinde multis verberibus affecti, in ſiccum





puteū,abſq; cibo,conijciuntur.Diu in hoc putei ergaſtulo, nimirum viginti duorū dierū ſpacio,Chriſti milites cōcluſi extitēre:quo tēpore plebs illa Barbara, omnēq; prorſus humanitatē exuta, quotidiè cibi loco,vas ingens, lotio ac ſtercore plenum ſuper Dei Seruos effundebat, eo conſilio: vt fœtore, ac inedia enecati tandem interirēt. Iam verò nulli dubitandū eſt,quin hoc pacto Chriſti Athletæ martyrij agonem breui tēpore conſūmaſſent:niſi Iudæorū quorundā,qui in ea Vrbe habitabāt, Deus animum permouiſſet, vt illis,ex naturali quadā humanitate, cibos quotidie miniſtrarēt. Dum igitur in hoc putei profundo,ſtrenuè Chriſti milites,pene fœtore cōfecti,ad martyrij palmā anhelāt,Deóq; laudes ardentiùs decantāt:impia illa Barbarorū turba, auri cupida,Dei Seruos nonnullis Chriſtianis Mercatoribus ea cōditione venūdat,vt ab iis in Chriſtianorū terras reduci debeāt. Hoc pacto Alexāder, cum cæteris in Hiſpaniā rediens:cùm martyrij, quē haud procul aſpexerat, ſpe hoc tempore fruſtratus eſſet; haud tamen martyrij cupiditatem exuit:Nam aliquo tempore elapſo, rurſus impetrata à Generali Miniſtro facultate, ſolus iterum ad alias Infidelium terras profectus; dum iis Chriſtum conſtantiſſimè annunciat; quamplurimis verberibus, ac fuſtibus cæſus; iterum ad Chriſtianos remeare cogitur.

*In ſiccum puteum cum aliis conijcitur,tū in Hiſpaniā redit.*

*Iterum ad Infidelium terras remeat, ac verberibus afficitur.*

XXXVIII. His inuictus Chriſti miles,tot aſperis pro Chriſto perpeſſis,haud tamen animum deſponderat:quin potiùs eò feruentiùs ad martyrij palmā anhelabat,quòd ſummis iam labiis deguſtaſſet, quanta in duris,& aduerſis pro Chriſto perferendis, animo ſuauitas,ac iucunditas ineſſet. Quo fit, vt his minimè contentus, bis adhuc impetrata à Generali licentia,(vt noſtra M.S. ferunt) Infidelium partes penetrauerit, ac repetitis ab iis ſuppliciis exagitatus, bis quoque ad Chriſtianorum oras expulſus fuerit. Quamobrem Generalis Miniſter, cùm à Deo illi martyrij curſum præpediri exiſtimaret; iterum pulſantem quieſcere iubet.

*Quartò ad Infidelium partes penetrat, ac repetita ſupplicia fert.*

XXXIX. Alexander itaque, cùm hinc martyrij ſpem ſibi omninò ereptam videret: haud tamen aſſiduis lachrymis, diuinæ benignitatis aures pulſare deſinit, quo hæc ſibi ſpes aliunde inſtaurari queat.

XL. Porrò hoc tēpore,iam Capucinorū fama,quos ſumma vitæ auſteritate, Regularisq; obſeruātiæ perfectione, in Italia florere intellexerat, in Hiſpaniæ oras aduolauerat:cùm in eā mox Alexander cogitationē defigit; eo præſertim conſilio adductus,quòd in ea martyrij ſpem ſibi reuiuiſcere poſſe perſuaderet; quapropter accepta à Generali facultate, in Italiam cōcedit;plurimiſq; in itinere incommodis affectus;præſertim Puppij,vbi bellis graſſantibus, cùm tāquā Vrbis explorator detētus, & in imum carcerem detruſus fuiſſet:quatuor & viginti dies beſtiarum cibo,ac putrida aqua vitam ſuſtentare compellitur:etſi tandem Viri dein integritate perſpecta è carcere eductus fuerit, Romam venit, atque à Ludouico Foroſemproniano, qui ea tēpeſtate ad Religionis gubernacula ſedebat, Capucinorū gremio excipitur, anno 1530. mutatóq; Alexādri nomine Ioānes appellatus,ab eo in Apuliā mittitur.

*In Italiam profectus ad Capucinos migrat.*

XLI. Nouum hic Dei Seruus,in ea Prouincia, virtutum tyrocinium inſtituit. Nam vt ſe martyrio,quod animo inſculptum,ac indelebile gerebat,apud Deum dignū præſtaret:vitam priori longè auſteriorem auſpicari cœpit. Antrum; quod intra Conuentus limites ſub Monte latebat, cùm à Guardiano ſibi pro domicilio impetraſſet;in eo humi cubans,atque in pane, & aqua quotidie victitans; aſſiduæ orationi, ac diuinarum rerum contemplationi vacabat. Nihil magis,quàm patiendi pro Chriſto cupiditas, in ipſius animo verſabatur: quo fiebat, vt nullis corporis incommodis,nulliſque carnis afflictionibus parceret. Cùm ſemel Guardiani iuſſu,in aſperos quoſdam Montes,panem mendicaturus cōceſſiſſet; nix tā copioſa è Cælo deſcēdit; vt ad genua vſq; pertingeret:is verò cū nudis ſemper pedibus,abſq; ſandaliis incederet;iniūctū mēdicationis opus,haud infectū deſerit;ſed eā frigoris pro Chriſto tolerādi opportunitatē nactus,niuē nudis pedibus ſcindit,premit,calcat: Nō modò vt, Obediētiā preſcriptā impleat:ſed vt volūtariū frigoris pro Chriſto martyriū ſubeat. At neq; eo martyrio fruſtratus fuit. Nā cū pedibus nimio frigore cōtractis,ab his ſēſus

*Auſteriſſimā in Antro vitam ducit.*

*Inſignis patientia commendatur.*

omnis abſceſſiſſet, Digitorũ illi vngulæ excidêre:pedéſque in tumorem exurgentes,incredibilem penè illi dolorem adferebant. At is perfecto Chriſti Martyrio flagrans,in vehementiſſimo illo pedũ dolore,vix doloris ſenſum percipere videbatur.

*Abſtinentia, ac vitæ ipſius auſteritas indicatur.*

Hinc ad Vmbriæ Prouinciam migrans;diu Mõtis Caſalis Conuentum incoluit; XLII.
vbi cùm ſub alta rupe,Guardiano id ſibi indulgente,Cellam ſibi ex luto,& viminibus cõſtruxiſſet; in ea auſteriſſimũ vitæ genus,nouo Spiritus ardore,aggredi inſtituit.Etenim pane omiſſo,fabas,aut aliud huiuſmodi leguminũ genus,neq; ſale neq; oleo conditum;ſed pura duntaxat aqua coctũ; certáque mẽſura limitatũ,cum aqua ſibi in cibum,ac potũ conſtituit:quo tamen ſemel tantùm in die veſcebatur. Aſpero cilicio indutus,ac toto anni tẽpore,ſolo habitu contentus,hyemis rigores,atque aëris inclementias,Martyrij aliquando pro Chriſto ſubeundi ſpe enutritus, lubens tolerabat.Dũ oraret,totus præ diuini amoris æſtu ardere videbatur,præſertim cùm Dominicæ Paſſionis Myſteria contemplaretur:neque enim tunc diuinæ charitatis ardor,intra animi tantùm illius ſinũ cõtinebatur;aut in lachrymas defluebat, vel in ſuſpiria,ac rugitus euaporabatur:ſed etiã in voces,ac tã ingẽtes clamores erũpebat; vt ab is,qui longè aberant,facilè audiri potuiſſent.Hos cùm Fratres moleſto animo ferrent,ab iis vt ſe temperaret,perſuadebant.Quibus ille,Ignoſcite,quæſo Fratres (aiebat)Nimis imbecillis natura eſt : ſuffugium quærit.Si meę id poteſtati relictum eſſet,quàm lubens,ac nullo perſuadente,ab eo abſtinerem.Tanta enim in Dominicæ Paſſionis conſideratione lux illi è Cælo affulgebat,támque ardens charitatis incendium,ex luce illa diuina fluens, illius animum afficiebat; vt niſi illius flammam alto clamore exhalaſſet, facilè cordis vitam,præ nimio ardore,in diſcrimen vocaſſet:Quapropter cùm Matutino tempore,ad Sacrum Miſſæ audiendum accederet, nihil ex illius ore præterquàm:Ieſu bone,Ieſu bone:quaſi Echo ex cordis voce reſonans,toto illo itinere audiebatur.In Miſſa verò,quanquã ſummã,vt à clamoribus abſtineret,vim ſibi inferret;haud tamen fieri poterat;quin in alta interdum ſuſpiria erũperet;ea tamẽ adeò pia ac deuota erãt,vt cęteros quoque ad pietatẽ excitarent.

*In Dominica Paſſionis Meditatione clamores edit.*

Ardentem huius Viri in Deum charitatem, cùm Tartarei illi ſpiritus,boni totius XLIII.
Oſores,iniquo animo ferrent : ſæpè clamores , nonnunquam Beſtiarum fremitus edebant:variaque rerum ſpectra,ac ſimulacra ante illius oculos ſtatuebant;vt eum ab Oratione auocarent : quæ tamen Ioannes , ſigno Crucis in ea vibrato , ſtatim euaneſcere compellebat.Nihil iniquus Satan non moliebatur,quò ſanctum Virum, vel ad impatientiam pelleret,vel inſueto fragore terreret:Clauum aliquando Ioannes in Cella defixurus erat : quum repentè, ſe proprio nomine ab altero accerſiri audit : ad quem dum is protinus vultum conuertit:mallei ictus, quo Clauum percuſſurus erat; in manum defertur,eámque haud leuiter offendit : Mox Dæmones cachinnum efferunt : Ioannes verò cùm Diabolicum opus agnoſceret,ad eos conuerſus inquit.Quid?ô mali Dęmones,meo malo exultatis?vos certè,vos veſtra malitia fallit;neque enim vobis,ſed Deo meo hoc vulnus acceptum fero ; hoc ob ipſius amorẽ accipio : parua hæc vulnera ſunt,maiora addite,ſi poteſtis. Altero quoque tempore,cùm in Rupis illius cacumine,ad cuius radices Ioãnis Cella extructa erat,paucis ante diebus tres Iudicis ſententia latrones ſuſpendio enecati fuiſſent;tã ingens,quadam nocte,in Rupe illa à Dæmone ſtrepitus editur : vt tota Rupes radicitus conuelli, ac dilabi videretur:quòd cùm Dei Seruus Satanæ opus eſſe intelligeret,quo illi quietem interturbare nitebãtur,è Cella egrediens:Heus Dæmones, (inquit) hominum perturbatores,quid noctis ſilẽtia mihi veſtro ſtrepitu præripitis? Iam iſtinc faceſſite. Cui protinus,vox è rupe.Falleris Ioãnes,non Dæmones;ſed latrones ſumus;quorum hic corpora laqueo perempta pendent. At Ioannes Dæmonum inſidias his verbis latentes agnoſcens:Nec hoc,ſubdit,quidem ignoro , quòd Tartarei latrones eſtis,latronibus omnibus peiores : iam in malam Crucem omnes abite ; & Crucis Signo illis oppoſito eos confeſtim ad fugam compulit.

*Dæmon variis artibus illius orationem impedire nititur.*

*Dæmonis arte Manum ſibi malleo vulnerat.*

*Dæmones latronũ ſe animas ſimulantes Signo Crucis fugat.*

His tamen haud contenti, omnis quietis perturbatores.Dum in cella iterum in XLIV.





ſilentio orat , vocem effingunt,quæ,Ioannem,ter inclamat.Ioãnes Fratrum quempiam adeſſe arbitratus, è Cella egreditur:ſed cùm neminem adſtantem reperiſſet; inter pendentium arborum folia,duntaxat leuem ſtrepitum percipiens ; quiſnã eſſet, voce impauida interrogat. Dæmon autem è foliis reſpondens , ait : Quid me quæris?Sum Beelzebub.Cui Ioãnes,Quid huc veniſti,inquit,iniquiſſime? At Beelzebub; Num te,ait, ita robuſtum,ac viribus potentem exiſtimas, vt me hinc expellendum cenſeas ? In caſſum niteris:Te enim,ac Franciſco tuo prior,rupes iſtas poſſideo:olim hîc ſedem fixi:meus hic locus,mea iampridem poſſeſſio eſt.Quis es tu, qui me ex antiquis meis ſedibus deturbandũ putas?Illud quidem me malè habet, quòd plurimos,quos iure optimo poſſideo, ita tuo vitæ exemplo ad pœnitentiam prouocas,vt à meo imperio declinent. At ædepol vlciſcar ego. His dictis euanuit.

*Beelzebub de Ioanne conqueritur.*

At Ioannes latrantis dicta paruipendens,maiori in dies virtutum ſtudio, quo ſe Inferni turmis formidabilem redderet , animum exornabat. Hinc cùm ſæuus hoſtis acriùs in Dei Seruum ira incaleſceret; temporis opportunitatem captat, quo Ioannes,in præcipiti quodam loco , ligna ſecuri cæderet : Moxque ad ipſum ſub Paſtoris habitu accedens,ait : Me agnoſcis Ioannes!En huc eo conſilio veni,vt te ex his rupibus deorſum præcipitem agam. Cui Ioannes.Quis es tu,qui hæc minaris? Ego ſum Beelzebub,ait.At Ioannes.Tu ne ſceleſtus ille es ( inquit ) tum arrepta ſecuri. Ni hinc oppidò effugias ; hac ego te ſecuri fugam capeſcere compellam. His auditis Beelzebub,cachinnum effundens,protinus abſceſſit.

*Beelzebub Ioanni minatur, atque ab eo fugatur.*

XLV. Inter hæc quò plura Ioannes de Tartareo hoſte, diuina virtute trophæa referebat,eò ille maioribus in eũ iris incaleſcens, eas quandoquidem,alio modo in ipſum deſpumare non poterat ; ſæpè quiſquilias , ac ſordes : interdum quoque ſtercora, dum veſceretur,fabis & aquæ immiſcebat:quæ cùm ad patientiæ coronam ex ſuperna diſpenſatione dari Vir Sanctus intelligeret;has Dæmonis moleſtias æquanimiter tolerabat.Nocte quadam cùm aliquantulùm ſe ſopori dediſſet;Dæmon dextram illi tibiam tam fortiter Diabolica virtute compreſſit, vt ex illius conſtrictionis dolore,per aliquot dies claudus efficeretur. Frequenter etiam lapides in eum proiiciens,præſertim cùm ex antro,ad Sacrum audiendum, in Eccleſiam pergeret; illum à re diuina impedire conabatur. Semel cùm Ioannes iuxta Rupis illius concaua deambularet;Dæmon inter dumeta, ſub horribilis draconis ſpecie , ignem ex ore euomentis,eidem apparet:cuius aſpectu, cùm nonnihil Ioannes principiò exterritus fuiſſet:Dæmonis tamen artem agnoſcens,Crucis Signo obiecto , illum extemplò fugat.Aliàs quoque Dæmon Galli forma aſſumpta,cum eo in antro verſabatur:qua ſub ſpecie ſemel humanam vocem depromẽs, Ioannem his verbis affatur:Ioannes,habes hic gallinas quamplurimas;cur non oua comedis? Hæc tametſi Dei Seruo moleſta eſſent:moleſtiora tamen illi erãt,quæ Dæmon nonnunquã,ſub Mulieris impudicæ ſpecie,actus obſcœnos præferẽtis,oculis ſimulachra obiiciebat: quibus mirum in modum ipſius animus afflictabatur.Die quadã cùm ex itinere fatigatus,in Cellula quieſceret;Dæmon ſub adoleſcentis forma,ad eum veniens,feſtinatò eum ſurgere iubet,& ad Guardianum pergere ; à quo ob graue negotium eum accerſiri affirmat.Extemplò Ioannes ad Guardianum conuolat : Guardianus verò,cùm nec de eo quidem cogitaſſet,eum à ſe vocatum negat.At Dei Seruus id Dæmonis arte factum animaduertens, ait:Planè quid ſibi Satan lucri repoſuerit, ignoro : Nam ſi quietem intercepit;obedientiæ tamen mihi meritum auxit.

*A Dæmone variis modis infeſtatur.*

*Dæmon illius quietem interturbat.*

XLVI. Albingæ in Liguria , quo tempore Fratres ibi Monaſterio fruebantur : dum aliquandiu cõmoratur , à Guardiano obtinet,vt Cellã ſibi in quodam Horti tugurio extruat;in qua ab omniũ cõſortio,ac familiaritate remotus,diu, noctuque orationi vacabat.At Dæmõ,qui vbique Dei Seruum orantẽ perſequebatur,tot hîc Virũ Dei minis,terroribus,ac durioribus verberũ inflictionibus aggreditur:vt quandoq; vix ſemiuiuũ relinqueret.Quamobrem Guardianus, Cellam illi in cõmuni Dormitorio cõſtituit:ad quã cùm Ioannes ſemel accederet, Dęmon cellam ita inuiſibili virtute

*A Dæmonibus dirè verberatur.*

occludebat, vt nulla vi Ioannes in eam ingredi valeret. At Vir Dei, protinus Dæmonis opus agnoſcens, quaſi qui cum Dæmone colluctari, ac vires experiri vellet; fortiùs Cellæ oſtium impellere, ac toto corpore in illud adniti cœpit: Dæmon verò verſipellis, cùm illicò impellenti cederet, Ioannem ad caſum prouocat, cachinnoque effuſo recedit.

XLVII. Hæc porrò Deus, hominum profectus amantiſſimus, idcircò fieri permittebat; vt & Serui ſui meritum augeret; & dum eum in omni patientia ac humilitate probat, probatum aliquando Corona donaret. Veruntamen, (quæ ſumma Dei benignitas erat) quò magis his Tartareorum hoſtium infeſtationibus affli‍ctabatur, eò maiores Deus Seruo ſuo Spiritus delicias miniſtrabat. Nam hoc ipſo tempore pleraſque à Deo cæleſtes Viſiones, ac Reuelationes accipit; inter quas illa illuſtris habetur, quæ in Conuentu Spoleti diuinitùs illi manifeſtata fuit. Ibi enim orans in mẽtis exceſſum rapitur; quo tempore Iuuenis illi quidam ſpecioſiſſimus adſtat, qui his illum verbis compellat. Mecum veni, ô Ioannes, Tibi enim magna, ac mirabilia oſtendam. Moxque dextera illius manu apprehenſa, in Templum quoddam ampliſſimum ducit, cuius Lacunar auro illitum, ornatiſſimum erat, quatuor columnis ſuffultum: ex quibus cùm duæ iam dirutæ, ac ſubuerſæ iacerent: Virum quendã, aſpectu horridum, ac terribilem cõſpicit; qui ingenti claua tertiam columnam inuadens, eam crebris, ac fortioribus ictibus proſternere, ac demoliri conabatur; vt præclarum illud Lacunar ad ruinam compelleret. Porrò Iuuenis, qui Ioannem ducebat, ad eum conuerſus, ait; Quid tibi videtur, Ioannes? An non magno in diſcrimine hoc Templum verſatur? Maximo certè, inquit Ioannes: at quodnam huius rei myſterium eſt? Cui Angelus: Intellige, inquit, ô Ioannes: hoc Templo Dei Eccleſiam ſignificari: Lacunar, Clericalis Paſtorum ſtatus eſt, quo Eccleſia ſubſiſtit: Columnæ verò, quæ Lacunar fulciunt, varia Ordinum Religioſorum inſtituta ſunt; quæ Deus idcircò in Eccleſia erexit: vt haud ſecus, quàm fortes, ac ſtabiles quædam Columnæ, eam vita, exemplo, doctrina, virtutibus, orationibúſque aduersùs Dæmonum, ac hæreſum oppugnationes tuerentur, ac ſartamtectam ſeruarent. Cæterum Columnæ, quas iam euerſas, atque humi proſtratas cernis; ij Religioſorum Ordines ſunt; qui cùm à prima Patrum ſuorum inſtitutione exciderint, atque ab eorum virtutibus, ac vitæ ratione deflexerint: inter carnis tantùm deſideria iacent. Reliquæ verò, quæ adhuc ſtant, ac ſuperſtites manẽt, nonnullæ aliæ Religiones ſunt; in quibus & Regularis obſeruantia, ac ſolida virtus etiamnum integra viget: atque hæ ſunt, quæ aureum Lacunar, ſuo interdum põdere ad ima defluentem, ne prolabatur, ſuis virtutibus fulciunt. Porrò qui fero conatu columnã aggreditur, ipſe Dæmonum, ac hæreticorũ impetus eſt; qui Religioſorum Ordines proſternere, atque è medio tollere omni ſtudio cõtendũt; vt ſimul de Clericorũ ſtatu triumphẽt: quod tamen haud aſſequi valent, aut valebunt vnquam, tametſi de quibuſdã ſingillatim trophæa referre videantur. Deus nãque, qui ſuæ Eccleſię curã gerit, ſuos opportuno tẽpore Reformatores mittet, qui ruinas inſtaurẽt, diſrupta cõſolident, ac vitiis deprauata in priſtinã virtutum incolumitatẽ vẽdicent. XLVIII.

*Templi viſio Ioanni in exceſſu demonſtratur.*

*Viſio illi ab Angelo declaratur.*

*Diaboli in Religiones odium, & conatus.*

Plurimis tandem ſignis, ac miraculis, Deus Serui ſui ſanctitatem teſtatam voluit: vti communis fama eſt, quæ temporum illorum humilitas, potiùs ſilentio obtegere, quàm ſcriptis excipere curauit: ita vt vix vnius, aut alterius fragmenta, integra ad nos peruenerint. Inter hæc illud primum narratur, quod eo in Conuentu Montiſcaſalis degente contigit: Agricolæ enim cuiuſdam Ordinis deuotiſſimi, qui Iulianus appellabatur, vxor, cùm partus doloribus preſſa, fœtum in lucem edere non poſſet, magno in vitæ diſcrimine verſabatur. Quamobrem Iulianus ex Agro confeſtim ad Virum Dei, cuius ſanctimonia iam vbique diuulgabatur, Nuncium mittit: qui illi vxoris periculum referat, ipſiuſque pro ea ad Deum preces efflagitet. At Ioannes Nuncio: Dic amico noſtro Iuliano (inquit) ne eum vxoris periculum angat; non pridem enim pro ea Dominum rogaui. Id tantùm ſollicitè curet, vt

*Multis à Deo Miraculis illuſtratur.*

*Mulier partum ſuis precibus impetrat.*





quàm primùm domum redeat; nam hoc ipſo tempore Mulier ſalua maſculum Filium peperit; vt eum ſacro lauacro intingendum curet. Iulianus verò accepto nuncio, ſtatim Ioannis dicto paret; domum feſtinat; Cúmque iam natum Filium offendiſſet; Deo illum Baptiſmo conſecrat, Ioannemq; ob latam Ioannis ſuffragio à Deo gratiam, appellari iubet.

XLIX. Hoc in Oppido, Nobili cuidam Mulieri Filia adhuc puella erat; cuius dexteram genam, cancer tam ſæuus inuaſerat; vt carne exeſa, morbus iam ad interiora vſque oſſa pertingeret: Cui cùm nullo remedio occurri poſſet; ea ſanctum Virum ad ſe accerſit; Filiamq; in lecto iacentem oſtendens, ab eo cæleſte ſuffragium depoſcit: Puellæ caſum Ioannes miſeratus, matrem ſuauibus verbis conſolatur; tum breui oratione facta, cùm Signum Crucis ſuper genam Puellæ efformaſſet; manuq; canceris tumorem compreſſiſſet, ſtatim plaga ſanata, ac gena priori incolumitati reddita fuit.

*Puellam Cãcri morbo laborantẽm Signo Crucis ſanat.*

L. Inter hæc, cùm Dei Seruus animo ſemper ad Martyrium inhiaret; ac pro eo iuges apud Deum lachrymas funderet: Christus Dominus tandem tot lachrymarum, ac gemituum pietate commotus, ſemel impenſiùs ante Imaginem Crucifixi orantem, & lachrymantem his verbis è Cruce alloquitur: Quid ploras Ioannes? quid tot lachrymas fundis? Cui Ioannes. Ingemiſco, ait, Domine, quòd te diuinum pro me in Cruce Sanguinem fundentem cerno; Cùm ego ne guttam quidem hactenus pro te effuderim. Tot tenerioris æui Virgines, tot Pueros imbelles, atq; Adoleſcentes pro te certantes, inter Martyria triumphantes recolo: meq; Senem, fruſtraq; ad Martyrij certamen inhiantem, à triumpho expulſum video. At Chriſtus: Ne fleueris, inquit, Ioannes; iam lachrymis finem imponito: Martyrium petis? Eſto: Martyrium habeto, quo tandem laureatus ad me venies. Ea pollicitatione accepta, Ioannes, tam animo exultare cœpit, vt cùm eo tempore Guardianum ſibi obuium haberet; præ lætitia ſeipſum minimè continere potuerit, quin hæc ad eum verba effunderet: O quàm bona, Pater Guardiane; ô quàm fauſta nuncia hodie mihi allata fuêre: Iam tandem Chriſto fruar: iam Martyr occumbam; neque id mihi quiſquam auferre poterit. Cui Guardianus; Vnde hæc tibi tã certa ſunt. Qui neminem fallit, (inquit) is id mihi pro ſua benignitate pollicitus fuit, meq; Martyrij certũ reddidit. Porrò ab eo tempore Ioannes, nihil præterquàm Dei laudes in ore verſare videbatur: diu noctúq; orationibus vacans, Domini promiſſionem impleri certiſſimè expectabat. Dum verò hac ſpe ipſius animus aleretur, contigit; vt Indulgentiæ S. Mariæ Angelorum tempore adueniente, is cum aliis Aſſiſium contenderet; quo tempore, inito cum Ioanne Hiſpano Sacerdote conſilio, facultateq; ab Aſtenſi Generali impetrata, ſimul cum Ioanne, primo Bizantium, dein Memphim proficiſcitur vbi vnà pro Fide certant, ac tandem fame, ac ſiti; enecati, Martyrio ſimul coronantur; quemadmodum ſuperiùs in Ioannis vita fuſiùs explicatum fuit. Atque hic vtriuſque Ioannis, beatus planè exitus fuit: qui cùm præclara, atque admiranda vitæ ratione, priùs Dominum glorificaſſent; illuſtriſſimo ij quoque mortis genere, à Domino glorificati, ad Martyres conuolarunt.

*Chriſtus Ioãni Martyrij Coronam pollicetur.*

*Cum Ioanne Hiſpano Bizantium proficiſcitur.*

*Memphi Martyrio coronatur.*

LI. Hoc tempore alij quoque Fratres, virtute inſignes, cùm Religionem bono Sanctimoniæ odore imbuiſſent, beato tandem fine quieuerunt. Ex his prior fuit Fr. Iulianus Salodienſis; Sacerdos, Mediolanenſis tunc Prouinciæ alumnus: qui in ipſo Reformationis exordio, è Minorum Conuentualium Familia, ad Capucinos migrauerat. Hic inter ipſa Religionis initia in Calabriam, deinde in Siciliam, demum in Liguriam miſſus, plurimos pro Religione piè labores pertulit: ſecundus fuit S. Barnabæ Conuentus apud Genuenſes Guardianus; cùm primus Iacobus Florentinus extitiſſet, de quo nonnihil anno 1548. egimus. Vir hic ob præclara virtutum ornamenta, quibus in Religione inter cæteros eluxit, cùm familiariter cum Domino conuerſaretur, multis à Deo viſionibus, ac reuelationibus illuſtratus fuit. Quo fiebat, vt ſæpè Dæmonum infeſtationes, ipſo præſertim orationis

*F. IVLIANI SALODIENSIS, Vita, & Geſta.*

*Pleraque à Deo Viſiones, ac Reuelationes habet.*

tempore pateretur frequēter:quoque ab iis verbera ſuſtineret, quæ dum is inuicto planè animo fert, ampliorem ſibi apud Deum gratiam comparat, à quò ſæpè poſt hæc diuinis Reuelationibus cohoneſtabatur. Cùm in die Aſcenſionis Domini pluribus à Dæmone flagellis cæſus fuiſſet, poſt hæc Domino apparente, tam altè illi Aſcenſionis Dominicæ Sacramentum declaratum fuit; vt illud verbis haud referre poſſe affirmaret. Virginitatem cùm perpetuò coluiſſe communis omnium fama fuit. Poſtremò cùm iam ſenio confectus, Romam miſſus eſſet, ibi plenus virtutibus extremum diē claudit. Pridie verò, quàm in morbū incideret; qua die ex humanis exceſſurus eſſet, diuinitus admonitus; ſequenti die ſacrum Miſſę myſteriū facturus, ad Miniſtrū inquit: iam lubēter mihi à Sacris aſſiſte: poſtrema enim hęc mea Miſſa erit: nec me amplius hæc Sacra Altaria Miniſtrum habebūt. Poſtridiè cùm in morbum incidiſſet, breui ex humanis ſublatus, omni cū pietate in Domino obdormit.

*Diem ſui obitus prædicit, & in Domino obdormit.*

LII. Alter verò Frater Alexius à Cunio Pedemontanus, tam ſingulari vitæ integritate, ac puritate exornatus fuit; vt in ipſa ſui obitus hora Beatiſſimæ Virginis, ac Beati Patris Franciſci aſpectu, ac conſolatione dignus fuerit.

*F. Alexius à Cunio ſanctimonia clarus.*

LIII. Tertius fuit Fr. Dominicus Bononienſis, Sacerdos; qui cùm in Obſeruantium Ordine quinque annos magna cum virtutū laude exegiſſet: inter ipſa Capucinorum primordia, ad Reformationem accedens, in ea cæleſtem potiùs, quàm humanam vitam duxit. Ab omnibus enim carnis commodis, ac ſenſuum oblectamentis maximè abhorrens, ita aſpera omnia amplectebatur; vt nouo nunquam habitu, qui carnis calorem inter hyemis frigora foueret; ſed obſoleto ſemper vti vellet: nudis omni tempore pedibūs abſque ſandaliis incederet: aſperum ad carnem ciliciū gereret: ſomnum ad tres, vel quatuor ad ſummum noctis horas cōtraheret; reliquam noctis partē in oratione inſumeret; nudis tabulis pro ſtrato vteretur, cūctaque ſummam in eo auſteritatem prædicarent. Abſtinentia tam fuit admirabili, vt cū ſemel tantùm in die refectionem ſumeret; præterquam panem, & aquam, vix quandoque aliud ad cibum adhiberet. Solitaria loca quærebat orationis amica, in quibus diuinarum rerū contemplationi in ſilentio vacās, cæleſtem potiùs cum Deo, quàm cum hominibus vitam agere cenſebatur. Denique Virginis Religionem ita animo impreſſam gerebat; vt Sacras ipſius ſolēnitates aſperiori ieiunio, ac prolixiori oratiōne præuenire ſolitus eſſet. Denique cōmunis de illo fama apud omnes percrebuerat, vt cū plerique in Thuſciæ Prouincia, in qua is conſcriptus erat, Fratres virtute ac ſanctimonia eminerēt; nullus tamē eo ſāctior haberetur. Multis poſtremò miraculis clarus, quorū apud Noſtros excidit memoria, hoc anno ad fęlicius æuū cōcedit.

*F. DOMINICI Bononiēſis vita & geſta.*

*Summā vitæ auſteritatem amplectitur.*

*Miraculis clarus ex humanis migrat.*

LIV. Quartus, ac poſtremus fuit Fr. Albertus Neapolitanus, Laïcus, ex Vmbriæ Prouincia: qui cùm in ſæculo, per aliquot annos, inter arma militarem vitam duxiſſet; à Deo ad Capucinorū militiā euocatus, in ea ſtrenuè aduerſus carnis concupiſcentias, ac vitia dimicauit. Auſteritate, abſtinentia, ſilentio, humilitate, ac Regularis obſeruantiæ ſtudio inſignis fuit: quo fit, vt ob præclara ipſius vitæ exempla, à Superioribus ferè ſemper in Nouitiorū Conuentibus collocaretur. Charitate præſertim erga infirmos præcelluit. Peruſiæ cùm ægroti Fratris curam ageret; nec quid illi carnium adminiſtraret, haberet: ſua oratione, geminos quotidie turdos, quibus Aegrotū refocillaret, à Deo impetrat, quos laqueo irretitos in nemore deprehēdebat. Orationi, ac ſolitudini cum primis vacans, cùm magnā diei, ac noctis partē in rerū diuinarū meditatione occuparet, plurimas à Deo Viſiones, ac Reuelationes accepit. Atq; inter alias ea fuit, qua Ioannē Baptiſtam à Nurſia, in morte ante Dei Tribunal ſtantē; ac cæleſti tandem gloria donatū vidit; vti aliàs in ipſius vita explicatum fuit. Dum Concionator quidam ex Noſtris in Vrbe, vt putatur Spoletana, quæ quamplurimis odiis, ac vitiis contaminata erat, Dei Verbum prædicaret: is copioſas Dæmonum turmas inde effugere, Deo monſtrante, conſpicit. Quapropter cùm ob eximia dona, quæ à Deo cumulatè acceperat, graues Dæmonum moleſtias diu ſuſtinuiſſet, omnium tandem victor, Peruſiæ ad cæleſtes coronas euolat.

*F. ALBERTI Neapolitani vita & geſta.*

*Variis virtutibus floret.*

*Ioannem Baptiſtam à Nurſia gloria donatum in exceſſu cernit.*

*A Dæmone infeſtatur, ac in Domino quieſcit.*





LV. Illuſtris hoc anno, in Conuentu S. Brigittæ Montiſcalerij, quod amplum Oppidum eſt Taurinenſis Archiepiſcopatus: hinc Eridano allutum; illhinc amœnis Collibus, Baccho, & Cereri ſuauiſſimis ſeptum: Diuinæ in nos Prouidentiæ teſtimonium enituit. Qui enim in eò Conuentu, qui longiùs ab Oppido inter nemora latebat, conſcripti erant; cùm alta niue obſeſſi, à mendicatione prohiberentur; nihilque quo veſcerentur, haberent; ad Domini pœnum confugiunt; ab eoque ſibi ſedula oratione alimoniam petunt, qui dat eſcam omnibus in tempore opportuno. Nec illis diuina Liberalitas defuit. Dum enim Horas Canonicas in Choro perſoluunt; ianuæ tintinnabulum pulſatur; Corbiſque pane candido, atque etiamnum calido plena, abſque vllo deferentis veſtigio, in oſtij veſtibulo à Ianitore reperitur. Panis verò non iuxta Religionis morem diſtentus, ac pluribus ſibi ſectionibus coaleſcens; ne Regioni domeſticus eſſe putaretur; ſed alterius formæ rotundus, alterque ab altero ſeiunctus cernitur. Gaudent Fratres tanto diuinæ Prouidentiæ munere cumulati, dumq; diuinam ex animo benignitatem laudātes menſæ diſcumbunt, rurſus Oſtij tintinnabulum pulſari audiunt: Cadumq; vino plenum, præ foribus, eodemmodo è Cælo datum, reperiunt: nec tamen vllius, qui tum panem, tum vinum detuliſſet, in niue veſtigia diligenter conquiſita deprehendunt. Ex quo Deo, liberaliſſimo largitori, iterum impenſiùs laudes, ac gratias reddunt.

*Diuina Prouidentiæ Miraculum in Conuentu Montis calerij enarratur.*

LVI. Alio quoque exemplo, hoc tempore, ſuauior ac liberalior Dei in Fratres benignitas enituit. Cùm enim in Conuentu Potentiæ, illius Familiæ Fratres, ea die, quæ Quadrageſimale ieiunium antecedit: in qua ij honeſtè recreari ſolent, omni prorſus obſonio carerent: haud ieiunos ad ieiunium accedere Dei Prouidentia paſſa eſt. Nam ſub illius diei occaſum, ſcropha quædam ſylueſtris, quæ plures ſecum paruulos nefrendes ducebat; Hortum ingreſſa; cùm primùm Fratres ad ſe venientes conſpicit, vno ex his dentibus iugulato, ac Fratribus relicto, repentè ſe cum cæteris fuga proripit. Re Fratres obſtupeſcunt, ſed cùm in ea non Bruti factum, ſed diuinam Prouidentiam perpenderent, Dei donum laudibus proſequuntur: lætique diem illum, diuino munere tranſigunt.

*Scropha Sylueſtris diuino miraculo obſonium Fratribus miniſtrat.*

LVII. Verùm quò effuſior in eos Dei benignitas elucet, qui ſe totos diuinæ Prouidentiæ, & voluntati committunt: eò ſeuerior Dei in alios ira graſſatur, qui Bonitatis illius diuitias contemnentes, improbo ſe propriæ voluntatis, ac inobedientiæ ſcelere contaminant. Id hoc exemplo declaratum fuit. Quidam enim Hidruntinæ Prouinciæ Frater, qui loca & Conuentus, non quos Obedientiæ illi lex præſcriberet; ſed quos propriæ duntaxat voluntatis libido animo proponeret, ſibi ad habitandum eligere ſolebat: cùm ex Prouincialis Capituli præſcripto, illi ab ea, in qua eouſque conſcriptus fuerat, in aliam Conuentus Familiam, quæ ſuis haud quaquam placitis arridebat, migrandum eſſet. Mox tam perditè in Superiores obmurmurare, & cuncta quærimoniis replere cœpit; vt nec Superiorum præcepto acquieſcere, nec vlla præſcriptæ obedientiæ lege ſe arctari pateretur. Increpant alij hominis proteruiam, & furioſè in Superiores debacchantem, ſi minùs virtutis amore, magis ſaltem pœnæ formidine compeſcunt; atque eò, tandem pertrahunt, vt quamuis illius animum non immutarent, eum tamen ad externum obedientiæ opus, ac præſcripti loci mutationem compellerent. Migrat ex eo Conuentu, homo propria voluntate tumidus; atque inter Superiorum obtrectationes, ac ſycophantias, iter inuitus proſequitur. At Deus Opt. Max. qui ſuperbos, ac rebelles animos diu in Religione, quæ humilitatis, atq; obediētiæ magiſtra eſt, nō fert: hūc in itinere grauiſſimis corporis doloribus corripit; vt ſaltē malis preſſus, ad meliorē mentē redeat. Deo haud cedit homo ferus, nec immiſſis dolorib⁹ melior, ſed potiùs deterior factus, ſuorū dolorū cauſam in Superiores reijcit, quos dēte canino mordet, ac dilacerat. Hoc pacto cū ad deſtinatū Cōuentū appuliſſet, ingraueſcētibus dolorib⁹ tādē ad ſupremū vitę halitū, necdū proteruæ voluntatis onere depoſito, peruenit, quo factū eſt; vt propriā volūtatē, atq; animi cōtumaciā, quā vitæ ſociā ſibi elegerat, etiam in morte comitem inuenerit; & abſque vllis contritionis ſignis hinc emigrauerit.

*Frater Inobediens, ac murmurator, in Infernum detruditur.*

| Annvs Christi. | Ivl. III. | Car. V. Imp. | Relig. Capvc. |
|---|---|---|---|
| 1551. | 2. | 33. | 27. |

Poſt huius obitum, Clericus, qui eodem tempore, in proximo Conuentu grauiſſimè ad mortem ægrotabat; in mentis exceſſum ante obitum raptus; Miſerum Fratrem in Infernum detruſum, atque inter altiſſimos flammarum globos ſepultum videt; idq; Fratribus narrat: vt qui ſe erga Superiores duros ac pertinaces exhibent; quique ægrè obedientiæ iugo colla ſubdunt; diuino fulmine, quo miſer iſte ictus fuit, feriri pertimeſcant. LVIII.








| Annvs Christi. | Ivl. III. | Carol. V. Imp. | Relig. Capvc. |
|---|---|---|---|
| 1552. | 3. | 34. | 28. |

*Octauum Capitulum Generale Romæ celebratur.*

I. ANNVS hic Milleſimus quingenteſimus quinquageſimus ſecundus, in quo Octauum Generale Capitulum Romæ conuocatur, extremos Bernardini Aſtenſis Generalatui terminos ponit; ac primum Euſebio Anconitano, qui in eo Generalis electus, quintum ſibi in Generalium Ordine locum vendicat, annum aperit. Hæc Comitia inter alia celebratiſſima fuêre, ea præſertim ratione; quòd in his ſingulari Patrum ſapientia, Ordinis Conſtitutiones, quæ in primo Aluacinæ Capitulo, anno 1528. editæ, deinde in ſecundo, anno 1536. Romæ coacto, denuò recognitæ, & auctæ fuerant: modò copioſiùs illuſtratæ, ac typis mandatæ fuerint. Nonnulla etiam ſtatuta, quæ Bernardinus Aſtenſis, ſingillatim in Romana Prouincia obſeruanda præſcripſerat; velut communi Religionis vtilitati proficua, in hoc Capitulo confirmantur, ac Generalibus Conſtitutionibus inſeruntur. Ea verò ſunt.

*Euſebius Anconitanus Vicarius Generalis eligitur.*

*Statuta Bernardini Aſtenſis Generalibus Conſtitutionibus adiuncta.*

II. Primum. A cunctis Fratribus, qui in hac Congregatione noſtra verſantur; altiſſimam rerum paupertatem, Regulamque à nobis promiſſam, literaliter, & iuxta IESV Chriſti Domini noſtri mentem, B. P. noſtro Franciſco explicatam, obſeruandam volumus; cuius eam voluntatem eſſe nouimus, vt Regula ad literam, ſine gloſa obſeruetur.

III. 2. Obſeruentur quoque Ordinis Conſtitutiones, quibus tamen nullius conſcientiam conueniri, neque vllum ad culpam; ſed ad pœnas duntaxat, in ea taxatas, obſtringi declaramus.

IV. 3. Nullus omninò ad pecuniam recurſus fiat, niſi in rebus apprimè neceſſariis, quæ mendicando commodè haberi non poſſunt; præſertim in his, quæ ad vitam ſpectant.

V. 4 Superiores nullo modo permittant, pecunias indifferentes, Fratrum nomine apud aliquem reponi; qui carnes, piſces, aut alia eſculenta, ad Monaſterij vſum emat. Pecuniarum enim indifferentium vſus nobis penitus interdictus eſt. Neque vllo modò ferant, quempiam carnes, piſces, pro Fratribus mendicare. At neque Fratres hæc per ſe, præterquàm pro Infirmorum neceſſitate mendicent: ſed Paupertatis altiſſimæ legem obſeruantes, à benigna Patris cæleſtis Prouidentia pendeant; cui proculdubio cura eſt de nobis.

VI. 5. Fratres, qui nullo morbo, aut corporis imbecillitate laborant; culcitras ſtramineas, multo minùs laneas, aut lodices nullo modo ſibi ſternant; ſed Conſtitutiones ſeruent. Palliaque iuxta Conſtitutiones, manuum digitos non excedant: quæ longiora ſunt, abſcindantur; & ad eam menſuram contrahantur.

VII. 6. Nemo in Cella eſculenta, aut poculenta habeat, aut ſeruet.

VIII. 7. Guardiani, & Superiores, Officiales ſuos corrigant, cùm malè, aut negligenter ſuo officio funguntur. Verùm illorum officia non turbent, neque ab aliis turbari permittant: tanque ab omni rerum cupiditate abſint, vt ad menſam accedentes, quæ comeſturi ſint, ignorent, ac ignorare velint.

IX. 8. Superiores, ac Officiales ſollicitè curent, ne aut ægrotis Fratribus, aut benevalentibus neceſſaria deſint; ita tamen, vt ſancta Paupertas minimè violetur; ſed inter Charitatis, & Paupertatis virtutes ita verſentur; vt erga ægrotos ad charitatem, erga incolumes verò magis ad paupertatem declinent.

X. 9. Nullus Fratrum, rem medicam erga ſæculares homines exerceat; aut ægrotis quicquam, aut ſumendũ, aut morbo applicandum conferat, niſi Medico conſulto.

10. Nullus quoque Fratrum, in Energumenis exorciſandis, aut Spiritibus coniurandis incumbat, aut his vllo modo ſeſe immiſceat. XI.

11. Fratribus diſcolis, & incorrigibilibus, quorum mores intolerabiles ſunt, XII.
P. Vicarius Prouincialis Caparoni, per ſex menſium ſpatium deferendi, pœnam imponat: ijque ſe quotidiè accuſent; ac qualibet ſexta feria ſeipſos in Refectorio flagellent. Quod ſi id illis minimè ad emendationem ſufficiat; panis, & aquæ ieiunium, qualibet die Lunæ, ac Mercurij addatur, vt ad morum correptionem pertrahantur.

12. Sæculares homines, ad communem Fratrum menſam, in Refectorio, cum XIII.
Fratribus, aut etiam ſine Fratribus, non admittantur. Si qui verò Charitatem à Fratribus poſtulauerint; ea illis, vel in aduenarum hoſpitio, vel alibi extra Refectorium adminiſtretur. Prohibemus identidem Fratribus, ne Sæculares in Monaſterij Officinas, veluti Refectorium, Coquinam, Cellam vinariam, Dormitorium, & Chorum introducant; niſi fortè per modum tranſeuntis, cùm ex deuotione Monaſterium inuiſendum petunt. Qui ſecus egerit, per vnius Miſerere ſpatium, diſciplina in Refectorio plectatur.

13. Nemo, aut ſubditus, aut Guardianus, pro quacunque perſona, extra Con- XIV.
gregationem exiſtente, eleemoſynam petat, niſi de licentia Vicarij Generalis, ſcripto expreſſa; cui declarare teneatur, à quo, quid, & quantum poſtulare velit. Generalis verò huiuſmodi facultatem, niſi iuxta charitatis regulam, nemini impertiat.

14. Fratres, in domo ſæcularium, præterquam in itinere, cibum non ſumant. XV.
Et tunc quoque cùm iter faciunt, pauperum more, panem, deinde potum emendicent: quibus refecti, ſuum iter proſequantur. Et qui ſecus egerit. Guardianus illius loci, in pœnam illis diſciplinam, vnius Miſerere ſpatio producendam, imponat.

15. Nullus Fratrum, abſque Guardiani licentia, rem aliquam ad communem XVI.
Monaſterij vſum ſpectantem, in proprium vſum transferat: veluti libros &c. neque habitus, aut tunicas obſoletas ſcindens, pecias ſibi conſtruat. Guardianis quoque interdicitur, ne libros, qui à Dominis, ſingularis alicuius Monaſterij vſui decreti ſunt, in aliud Monaſterium transferre, aut aliis transferendi facultatem impertiri valeant. Quòd ſi plures eiuſdem materiæ libri, in Conuentu reperiantur; qui ſuperuacanei ſunt, ſolùm de licentia Vicarii Prouincialis in aliud Monaſterium transferri poſſint. Confeſſarij verò, qui Fratrum aliquem ſecus egiſſe compererint, tandiu abſolutionem differant, quoad libros proprio Monaſterio reſtituerint.

16. Olera, aut fructus Monaſterii vltrò à Fratribus ad benefactorum domos XVII.
non ferantur: cùm verò ab iis poſtulantur, honeſtè iuxta diſcretionis Regulas dari poterunt.

17. Hyemis tempore, cùm poſt Matutinas Horas ignis accenditur; Fratres ſi- XVIII.
lentium ſeruent; atq; vbi frigus depulerint, in Cellas ſe recipiant: nec propè ignem colloquia miſceant. Qui verò in eo ſæpè delinquere deprehenſus fuerit, Superior diſciplinam illi ſequenti die, per vnius Miſerere ſpatium, in Refectorio peragendam, imponat.

18. Poſtremò nullus omninò Laïcos Fratres, vel publicè, vel ſecretò, aut lege- XIX.
re, aut ſcribere doceat. Et qui ſecus fecerit, ab ea inobedientiæ culpa abſolui non poſſit, præterquam à Prouinciali Vicario, qui grauem illi pœnitentiam imponat. *Hæc ante Clementis Octaui Conſtitutionem edita, nonnihil poſt eam immutata ſunt.*

Hæc igitur Statuta Generalibus Conſtitutionibus addita, cùm huius Capituli XX.
Patres, diuturna, ac immobilia eſſe optarent; integras ipſas Conſtitutiones, quæ ſcripto duntaxat hactenus exaratæ, atque euulgatæ fuerant. Venetiis hoc anno typis excudi curarunt: in quo, vt prima vltimis reſponderent; conſtanſque rerum viciſſitudo, quæ ad Religionis perfectionem tendebat, clariùs eluceret; haud ſine Dei

conſilio



conſilio fit; vt Matthæus à Baſſio, qui & priorum Conſtitutionum potiſſimus Auctor fuerat, & inter Capucinorum Generales primum locum ſortitus fuerat: in hac ipſa Venetiarum vrbe ſancto fine extremum tandem diem clauſerit: vt inde perfecta Conſtitutionum lux emergeret, vbi primus illarum Auctor, plurima ſanctitatis luce à Deo illuſtratus occubuit.

XXI. Huius Sancti Viri memoria, haud leuiter nobis prætereunda eſt: quanquam enim is (vt aliàs diximus) quò liberiùs diuinæ prædicationi incumberet; ſeu (vt veriùs dicam) Dei Prouidentia, ita res Capucinorum diſponente, Caputio tenus è Capucinorum Familia exceſſerit; & Clementis VII. facultate vſus, vſque ad mortem Eremiticam vitam duxerit; ac proinde ſupremum inter Capucinos diem non obierit; plurima tamen eum Capucinorum Religio, tum ob vitæ ſanctitatem, qua in Dei Eccleſia clariſſimè effulſit, tum etiam, quòd antiqua B. P. Franciſci habitus forma reſtituta, prima Capucinæ Religionis fundamenta iecerit, ac primus in ea Generalis electus fuerit, ſẽper veneratione proſequuta fuit. Quofit, vt ſi minùs Auctorem, ac Inſtitutorẽ; Patrẽ tamen ſemper agnouerit; cuius propterea præclara geſta, ac vitam omni virtutũ genere refertam, proſequi glorioſũ putamus.

*Matthæus à Baſſio Venetiis diem extremum claudit.*

*Capucinorũ Religio Matthæi à Baſſio memoriam pia veneratione proſequitur.*

## *FR. MATTHÆI A BASSIO, PRIMI CAPVCINORVM Generalis Vita & Geſta, ex variis, ac probatiſſimis M. S. decerpta.*

XXII. Matthæus itaq; Baſſij ortus, quod Montis Feretrani Caſtellum eſt, haud procul ab Appennino diſtans; Comitumque Carpeniatum, quæ Illuſtriſſima eſt etiamnum Vrbinenſis Ducatus Familia, titulis, opibus, rebuſque, tum bello, tum pace præclarè geſtis, demùm pietate clariſſima Ditioni ſubiectum: parentes tenuis fortunæ, ac ruſticanos ſortitus eſt; qui tamen puerum egregia indole à Deo præditum, optimis moribus excoluerunt. Patri nomen Paulus fuit: Matri Franciſca; qui ſine querela in Domini mandatis incedentes, puerum in Domini timore ſollicitè educarunt. Deus autem, qui illuſtriores electos ſuos benedictionibus præuenire, & futura quædam illorum vitæ præludia, ſignis quibuſdam, præmonſtrare ſolet; in vtriuſque Parentis nomine, quænam pueri virtus, ac excellentia futura eſſet, ſymbola quædam præſignificare voluit. Etenim paterno nomine, quanta in toto ipſius vitæ decurſu, Apoſtolici muneris gratia præcellere deberet, non obſcurè annuit; & materna appellatione, quodnam vitæ genus illi è Cælo præſtitutum eſſet; quamque Franciſcanus Ordo illius, tum virtute, ac vitæ ſanctimonia, tum Reformatione illuſtrandus eſſet, indicauit.

*Matthæi à Baſſio vita exaratur.*

*Ipſius genus & Origo expenditur.*

XXIII. Erat puer ingenio docilis, ſimplicitate, ac morum quadam ſuauitate, ac lenitate ita præditus; vt cunctis ſe amabilem redderet. Ad res diuinas, pluſquam tenera illa ætas ferret, propenſus, ſacris oblectabatur: Miſſas deuotiſſimè audiebat, orationi inſtabat, ieiuniis adhuc puerulus incumbebat: adeóque ob morum facilitatem, à cæteris pueris diligebatur; vt eorum ſemper turmis, quæ ab illius ore pendere videbantur, ſtipatus, velut omnium Dux, ac Paſtor incederet. Hos quandoque pius puer in ſolitaria loca ducens, manus attollere, ac nomen Ieſu inclamare, interdum miſericordiam à Deo plenis vocibus petere; aliquando etiam genuflectere, ac humum deoſculari; nonnunquam Deo gratias perſonare iubebat: cui mox pueri omnes velut Magiſtro dicto citiùs parebant.

*Matthæi à Baſſio à pueritia mores, atque ad diuina propenſio.*

XXIV. Cùm iam duodecimum annum attigiſſet; ſæcularibus veſtibus depoſitis, quaſi iam ſæculum deſpiceret, & ad meliora adſpiraret; tunicam talarem ex leuidenſa cinericia ſibi conficiendam curat; qua veſtimenti forma, vſque ad Religionis complexum ſemper deinceps vſus fuit. Accidit verò eo tempore; vt inter Seſtini Populum, Magno Ethruriæ Duci ſubiectum, & Baſſianos, ob controuerſos vtriuſque ditionis terminos, grauis altercatio oriretur. Quapropter Seſtini Gubernator,

qui

qui Baſſianis, ac Miratorianis grauiter infenſus erat; trecentorum militum copias eò expedire cogitauerat; vt vtriuſque Oppidi agros deuaſtarent. Porrò Oppidorum incolæ, cùm nihil huiuſmodi ſuſpicantes, velut in vtramque aurem obdormirent, eo planè tempore, quo Ethruſcus miles, Seſtino digreſſus, Miratoriam versùs properabat; Matthæus, horum penitus ignarus, centum ferè pueros collegerat; ac conſuetam tunicam indutus, tanquam omnium Dux, vniuerſos præcedens, Seſtinum versùs iter arripuerat. Iam ad Seſtini terminos, Baſſianis contiguos acceſſerat; cùm viarum compitum offendens, ibi eo inchoante, vniuerſi nomen Ieſu inclamant. Milites verò, qui ad deprædationem feſtinabant; cùm tot clamores eminus perciperent, ſubſiſtunt: rémque Oppidanis manifeſtam fuiſſe arbitrantes, militum manipulum ab iis miſſum eſſe ſuſpicantur. Id verò certiùs exploraturi, cùm vlteriùs paululùm progreſſi eſſent; Matthæus pueros iterum in proximum collem ductos, ibi nomen Ieſu altiùs perſonare iubet. Porrò hic puerorum clamor, tam illis formidabilis viſus eſt, tantumque animis terrorem incuſſit; vt cùm maiorem hoſtium numerum, in ſe repentè irruiturum extimeſcerent; ſe ſe in fugam conuerterint. Hoc pacto Deus Opt. Max. infantium vocibus, velut Gedeonis tubis, armatos milites effugare; atque Oppida ab imminenti clade liberare voluit.

*Pueros ad pietatem prouocat.*

*Patriam à militum deuaſtatione liberat.*

XXV.

*Puer in platea peccatoribus pœnitentiã prædicat.*

Præclara, egregius Puer, Apoſtolicæ prædicationis, quam aliquando maximo populorum fructu, atque vtilitate diſſeminaturus erat, in tenera illa ætate, Deo excitante, ſemina iaciebat. Nam cùm id proprio iam ſibi ingenio comparaſſet, vt prima Grammaticæ artis rudimenta teneret: Sanctorum Patrum vitas, ac B. P. Franciſci geſta aſſiduè legens, ea animo volutabat. Hinc haud raró in platea, Mercatorum menſas, & ſcamna conſcendens; vberiori cæleſtis gratiæ dono, quàm æuum illud puerile ferret, his homines ad pœnitentiam prouocabat. Quapropter, qui hæc in puero prælùdia intuebantur, ea altè animo admirantes, præclari de eo quidpiam futurum diuinabant, & velut ex vngue leonem, qui ſuo aliquando rugitu terreret, futurum ominabantur.

XXVI.

Vix Matthæus ad quintumdecimum annum peruenerat: cùm vtroque parente orbatus, ac ſuæ poteſtati relictus; tanto ſtudio res diuinas proſequi cœpit: vt cùm neceſſarium oculis ſomnum, quò prolixiùs vigiliis, ac orationi vacaret, nimiò feruore præriperet: humi perſæpe cubaret, adoleſcentémque ætatem, arctioribus ieiuniis obruens, eo alimento deſtitueret, quo ea foueri, ac ſuſtentari ſolet: neque in his corporis macerationibus, ad quas ardentiori ſpiritus ſtudio ferebatur, moderationem ſeruaret; in grauem aliquando morbum inciderit: in quo tamen priſtinæ auſteritatis non oblitus, cùm à propinquis plumea illi Culcitra in lecto, ad membra refouenda ſterneretur; eam protinus pius adoleſcens, velut inuiſam exhorrens, quaſi qui iam mollia omnia refugeret, primumque aduersùs Carnem bellum inſtrueret, amoueri; ſtramineámque tantùm ſibi miniſtrari permittit. Hac in ægritudine, quæ haud exiguo illum tempore vexauit, Matthæus, non vulgarem Patientiæ virtutem: ſed quod in ea virtute optimum ac perfectum eſt, ipſum nempe Patientiæ gaudium præſeferre viſus eſt. Quo fit, vt iam illud Apoſtoli ſibi vendicaret, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Hoc porrò tempore, dum corporis languore diutiùs in lecto detinetur: à Conſanguinea gallina quædam ſylueſtris, quæ ipſi in cibum paretur, è rure defertur: quam cùm pius adoleſcens vinculis conſtrictam conſpiceret; mox, vt ea à vinculis ſoluatur; obnixè à Conſobrina poſtulat. Cui illa; Sylueſtris, inquit, gallina eſt: Si ſoluatur, protinus ita euolabit, vt non facilè deinde capi poſſit. At Matthæus: Quid tum? ait: Sine obſecro, vt libera abeat. Mulier verò cùm ægroto morem gerere vellet, gallinam ſoluit; Ea verò naturæ ſylueſtris oblita, ſtatim in Matthæi ſinum accurrit; ac velut domeſtica auis, inter ipſius brachia, quaſi in nido incubare cœpit. Stupebant omnes, ac rei nouitatem admirantes, quò clarior hîc Dei virtus niteret; concitatis cla-

*Ob auſteritatis exceſſum in morbum incidit.*

*2. Cor. 12.*

*Gallina ſylueſtris inter ipſius manus incubat.*

moribus,



morib⁹, ac vi adhibita, eã inde deturbare conabãtur: at illa è Matthæi ſinu vi auulſa, iterum ſpontè ad illum reuolat; & quod admirationem augere videbatur; protinus muſcas, quæ circa ægrotum volitabant, quaſi venatrix auis aucupare, eumque ab illa moleſtia liberare, omni ſtudio curat. Hoc ille auis ſolatio, tanquam diuinæ Prouidentiæ dono munificentiſſimè elargito, quandiu eo morbo laborauit, vſus fuit: tum verò accepti beneficij haud immemor, eam, recuperata valetudine, liberam abire permittit.

*Gallina Muſcas circa Matthæum volitantes venatur.*

XVII. Cùm igitur integra incolumitate potitus, ad decimum ſeptimum ætatis annum pertigiſſet; innumerabiles ſæcularis vitæ laqueos, ac pedicas ſecum cœpit perpendere; quibus mundani homines, miſera quadam neceſſitate alligantur; ne liberè ad Deum euolare queant; nullumque tutiorem Religione locum eſſe arbitratus, quæ cùm longè à ſæculo remota, atque ab humanis cupiditatibus libera ſit, inter altiſſimas Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis rupes tutiſſimum ſuis cultoribus aſylum præſtat: in B. Franciſci Familiam, quæ Obſeruantium nuncupatur; cuius iam à puero, diuina illum gratia vocante, cinericia illa tunica ſibi formam aſſumpſerat; cooptari feſtinat. Præceſſerat iam in puero, quidam rerum cæleſtium amor, qui cum adoleſcentia excreſcens, ſæpè eum velut columbam, innocentiæ, ac puritatis amicam, in oratione gementem, ac meditantem præſtabat. Quapropter haud mirum fuit; quòd poſt orationum gemitus apud diuinam clementiam effuſos, pennas quoque columbæ aſſumpſerit; atque in Franciſcanæ Religionis cauernam, ac ſolitudinem, dum adhuc columbæ inſtar, purus, innocens, ſimplex, virginitatis, ac honeſtatis cuſtos eſt, euolauerit.

*Minorum Obſeruantium Ordinem ingreditur.*

XVIII Nihil eo in Religione humilius, nihil obedientius, pauperius nihil. Cùm enim, ſapientis Architecti inſtar, ſpiritualem domum ſtabili fundamento, in petra ædificare ſibi propoſuiſſet; ne aliquando corrueret; omnium virtutum lapides ſibi ad ſtructuram neceſſarios eſſe ratus; humilitatem, velut omnium fundamentum, obedientiam, paupertatem, honeſtatem, modeſtiam, manſuetudinem, abſtinentiam, auſteritatem, carnis caſtigationes, orationes, vigilias, charitatem, ac cæteras virtutes ſummo ſtudio ſibi comparare ſtudet; quibus præclarum perfectioris vitæ tyrocinium inſtituit. Eo factum eſt, vt cùm huius Religionis Patres, adoleſcentem virtutibus eximium, ac docili ingenio præditum, nec non ad diſcendum aptum fore animaduertetent; ad literarum ſtudia promouerent. Paruit humilis tyro; ſed cùm Apoſtolo docente, didiciſſet, literam occidere, ſpiritum autem viuificare: eamque B. Franciſci mentem, in Regula expreſſam eſſe intelligeret; ne vllo aut corporis, aut animi labore, ſeu literario ſtudio orationis, ac deuotionis ſpiritus extingueretur; minus erat, quod literis, quàm quod orationi, ac rerum diuinarum contemplationi; qua diuinus in nobis ſpiritus alitur, tribuere ſolitus erat. Quo fit, vt vberiorem à Deo ſapientiam, quàm humanam à Tullio, aut Demoſthene eloquentiam didicerit. Denique Dei Verbi Concionator inſtitutus, cùm nihil præter Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum ſcire vellet: hinc nón perſuabilia, ac compoſita humanæ ſapientiæ verba; ſed ſpiritum, ac virtutem Dei, velut fortiſſima è Cælò tela, ſibi oratione comparat; quibus & conſtructas vitiorum munitiones deſtrueret, & Dæmonum conſilia diſſiparet; omnemque humanæ, ac Diabolicæ malitiæ altitudinem, ſe aduersùs Deũ extollentem, diuina virtute proſterneret. Demùm captiuas hominum mentes in libertatem vendicãs, ad Chriſti obſequium ac ſeruitutem duceret. Etenim ab eo tẽpore Regnũ Cælorum, iuxta Euangelicum præſcriptum annuncians; peccatoréſque æterni ſupplicii terroribus, ac cæleſtis gloriæ pollicitatione, ad pœnitentiam ſimpliciter prouocans, eo prædicandi genere id diuina virtute, quæ paruulis, ac ſimplicibus adeſt, aſſecutus eſt; vt vberrimam animarum ſegetem Domino meteret, ac in Dei horreum congregaret.

*Virtutibus ſtudet, & ad liberalia ſtudia promouetur.*

*Apoſtolico Spiritu Dei Verbum populis prædicat*

XIX Annus à Partu Virginis 1523. agebatur; cùm ſæua quædam lues, pleriſque Italiæ Vrbibus depopulatis; inter eas Camerini Vrbem potiſſimùm inuaſit. Id cùm

*Peſte laborãtibus Camerini miniſtrat*

Matthæo innotuiſſet, qui non longè in Conuentu Verucæ, ſeu Montis falconis degebat; miſerandum illius Vrbis ſtatum, ac calamitatem, apud ſe animo verſare cœpit; totque languentiũ, qui omni charitate, ac ſolatio deſtituti erant; tot abſque pœnitentia ac Sacramentis pereuntium; tantæ denique corporum, & animarum cladis, quibus nemo erat, qui opem ferret, miſeratione commotus: præclarúmque S. Bernardini exemplum ſibi ante oculos ſtatuens, qui peſtilentia ſuo tempore Senis graſſante, ſe laborantium obſequiis intrepidè mancipauerat: cùm primùm à Domino orans conſilium, ac opem poſtulauit; Guardianum adit, conceptúmque illi animo propoſitum aperiens, licentiam, ac benedictionem ab eo efflagitat, qua illi Camerinum pergere, ac peſte laborantibus, ſuis obſequiis inſeruire liceat. Guardianus porrò, cui, & Viri probitas, & probata virtus, iam ſatis perſpecta erat, cùm feruidum charitate illius animum cerneret; ampliorémque inde diuini nominis gloriam; & hominum ædificationem, futuram ſperaret: licentiam, ac ſanctæ obedientiæ illi meritum lubentiſſimè impertit; Ludouicúmque Foroſempronianum illi comitem adiungit. Guardiani igitur hi benedictione dimiſſi, diuina comite gratia, Camerinum ſe conferunt.

XXX. Porrò in ea tunc Vrbe principabantur, Ioannes Maria Varanus Camerinenſium Dux, & Catharina Ciboa vxor, Clementis VII. Pontificis Neptis; quibus in communi illa Vrbis calamitate, Matthęi animus, piáque illius erga ægrotantes ſtudia gratiſſima fuerunt. Matthæus verò ſtatim omnia infectorum loca cum Ludouico percurrere; vniuerſas domos, in quibus ægroti iacerent, perluſtrare: hos ad patientiam hortari, illis neceſſaria miniſtrare; grauiter laborantes pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis munire; morientium animas Deo commendare, defunctos ſepeliendos curare, viuoſque ad Dei timorem publicis, ac priuatis ſermonibus prouocare cœpit. Denique quotidianum hoc ipſius opus, ac ſtudium erat, cuncta laborantibus, tum corporalia, tum ſpiritualia obſequia, tanto charitatis æſtu impendere; vt nulli labori, nullíque periculo parceret; maximúmque ſibi lucrum acceſſurum exiſtimaret; ſi in eo charitatis opere exhibendo, pro Chriſto vitã profunderet. Deus verò, qui eorum præſertim curam gerit, qui ſeipſos pro aliorum ſalute procuranda negligunt; vtrumque, & Matthæum, & Ludouicum inter tot pereuntium funera, ac peſtis pericula, incolumem ſeruare voluit; vt & cæteros ipſorum exemplo ad pia huiuſmodi officia prouocaret, eoſque ad illuſtriùs futuræ Reformationis opus pararet.

*Ipſius Charitas ac diligentia in ægrotorũ miniſterio commendantur.*

XXXI. In hiſce pietatis, ac charitatis officiis, Matthæus, tantum ſibi integritatis, ac ſanctimoniæ nomen comparauit; vt cùm perfecta illius virtus, & charitas cunctis perſpecta eſſet; Vir ſanctus ab omnibus haberetur, maximámque is ſibi apud eos Vrbis Principes gratiam, ac exiſtimationem conciliauerit: ita vt ab eo tempore Catharina Ciboa Duciſſa, ſingularem erga illum deuotionem, ac beneuolentiam animo conceperit; quæ opportunos aliquando, ad futuræ Reformationis fœtum, atque incrementum, fructus pareret.

XXXII. Vrbis igitur peſtilentia omni ex parte effugata; Matthæus cum Ludouico ad priſtinum Conuentum rediens, cùm Regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimus, in id omne ſtudium, ac ſollicitudinem conferret; vt in Regulæ cultu, & obſeruãtia abſque offendiculo incederet. Id tantummodò illius maximè animum affligebat; quòd Ordinis familiam, à pura Regularis obſeruantiæ norma, haud leuiter deflexiſſe cerneret: quo fiebat, vt iuges in oratione lachrymas funderet; verámque ac perfectam Ordini, à Deo Reformationem poſtularet: quàm tandem poſt multas lachrymas, Deo miſerante, eo planè modo aſſecutus eſt, quo anno 1524. & 1525. à nobis fuſè explicatum fuit.

*Pro Ordinis Reformatione Deum aſſiduè rogat.*

XXXIII. His itaque hîc conſultò prætermiſſis, quæ ſuperioribus annis, de Matthæi viſionibus, Reuelationibus, habitus mutatione, patientia, rerum aduerſarum tolerantia, prædicatione, electione, ac tandem quadrati Caputij depoſitione, copiosè





à nobis exarata ſunt; hîc ea duntaxat nobis explicanda ſuperſunt, quæ poſt illius à Capucinis diſceſſum, ab antiquis Ordinis Monumentis, ab eo geſta accepimus. Matthæus igitur quadrato Caputio ob Pauli III. Decretum, quo libera vagandi facultas Capucinis auferebatur, non ſine lachrymis depoſito; haud tamen conceptam vitæ auſteritatem, ac ſanctitatem exuit. Nam etſi ex Clementis ſeptimi Pontificis indulto, nullo certo domicilio, ac Sede conſiſtens, tanquam aduena, ac peregrinus, vel inter ſyluas degeret, vel Orbem prædicando peragraret: ſolo tamen vili, ac rudi habitu, vſque ad mortem contentus, ac nudis pedibus, abſque Sandaliis, aut Calepodiis incedens, tam perfectam viuendi rationem, quoad vixit, proſecutus eſt: vt in ieiuniis, vigiliis, orationibus, lachrymis, ac plurimis laboribus Domino ſeruiens, vitam ipſam in commune aliorum commodum, ac ſalutem transferret. Piam illam conſuetudinem, qua pueros ad Deum laudandum, ac nomen IESV perſonandum prouocabat; quam puer exorſus fuerat, neque Senex deſeruit: haud ea ſanè duntaxat ratione, quòd Deus laudem, ex Infantium ore profectam, acceptam haberet; verùm etiam, vt tenellis mentibus, quæ necdum doli capaces erant, Dei amorẽ inſtillaret: Quo fiebat vt cùm puritatis, cum primis amator eſſet, pueros maximè diligeret, quos aptis interdum, deuorantium Draconum, ac Infernarum beſtiarum exemplis, ac terroribus, maturè ab illicitis reuocabat; atque adeò eorum inſtitutione delectabatur: vt is (vt fertur) primus fuerit, qui Foroliuij, pueros ad publicam Chriſtianæ doctrinæ inſtitutionem congregaret: quam deinde Patres Societatis IESV, atque alij ſuis laboribus copioſiùs illuſtrarunt. Pueri identidem ab eo blanditiis, ac munuſculis allecti, tanto illius amore tenebantur; vt eum turmatim per agros, & Oppida ſequerentur. Eo factum eſt, vt cùm æſtiuo tempore, aliquando Senogalliæ Agrum prædicando peragraret; multa illum Puerorum turba comitaretur: quos cùm pius Pater, ex itinere feſſos, & ſiti, ac calore languidos conſpiceret; paruam vini lagenam à muliere eleemoſyna acceptam, quæ tamen omnibus haud ſufficere poterat, pueris apponit. Bibit puerorum multitudo: cúmque vniuerſi, quod ſibi ad ſitim extinguendam ſatis erat, hauſiſſent; diuina tamen virtute factum eſt, vt lagena plena adhuc Mulieri reſtituta fuerit.

*Quadratum Caputium ob Pauli III. decretum depoſuit.*

*Pueros ad pietatẽ inſtruit.*

*Doctrinæ Chriſtianæ Inſtitutor aſſeritur.*

*Vini lagenam ſua oratione multiplicat.*

XXXIV. Hanc piam Puerorum inſtitutionem, Vir Dei, eò libentiùs amplectebatur, quòd eos hac ratione, à pleriſque puerilibus vitiis abſtraheret; illaque prouectiorem quoque ætatem haud facilè deſereret. Principiò quidem nonnullis, qui nihil in ea, præter rem puerilem ſpectabant, leuis, ac ludicra viſa fuit: attamen cùm plurima inde bona, ac commoda oriri cernerentur; eo fiebat, vt non Pueri tantummodò, ſed prouectiores quoque ætatis homines: agricolæ præſertim, Dei Virum ſequerentur, & cum pueris deuotè nomen IESV inclamarent: Deumque iuxta præſcriptam ab eo formam, magnis vocibus laudarent. Hoc modo in die Aſcenſionis Domini, cùm plurimam hominum, ac puerorum multitudinem, in Collem quendam ſublimem duxiſſet: Signo Crucis per omnes Orbis partes manu efformato, altiùs inſonare cœpit. *Hodie Dominus Ieſus aſcendit in Cælum: E Cælo benedicat nos Dominus Ieſus*; quem mox tota illa hominum, ac puerorum turba, iiſdem vocibus, haud ſine lachrymis proſequebatur. Interdum quoque per agros, ac per Vrbis vicos incedens, inſequentes puerorum, ac hominum turbas ad IESV amorem, in hæc verba, prior ipſe decantans, prouocabat. *Surſum, ſurſum Paradiſus, vbi noſter manet IESVS: Mundo iam ſeruire nolo, ſed cum IESV ſtare volo. IESVS, IESVS amor meus, pars mea tota, & cordis Deus:* Hæc verò concinentes manus in Cælum efferebant. Nonnunquam etiam alia ad Inferni terrorem animis ingerendum, exclamanda ſuggerebat, quibus rudes præſertim agrorum incolas, ac ſimplices homines, tum ad timorem, tum ad amorem Dei excitare ſolebat.

*Turbas ad Deum laudãdũ prouocat.*

XXXV. Nulli Matthæus grauis, nulli oneroſus erat. Nam poſt prædicationis, aut

*Vita ipſius auſteritas declaratur.*

itineris labores, modico pane contentus, nihil præterea mendicando quærebat: crudas herbas, ac fructus interdum, cùm haberet, pani adhibebat. Cùm verò ab aliquo ad prandium inuitaretur, ad illum ea potiſſimùm ratione ire non recuſabat; quòd ſpirituale aliquod animarum lucrum inde ſibi futurum ſperaret: verùm ea conditione ad conuiuium excipi poſtulabat; vt vilia, ac modica tantummodò fercula illi apponerentur: quibus tamen tam parcè vtebatur, vt ne ea quidem attingere videretur. Regulæ tam obſeruantiſſimus erat; vt non modò à pecunia, ac omni rerum poſſeſſione abhorreret: verùm cùm in ea legeret, quòd Fratres, neque domum, neque locum, neque rem aliquam ſibi approprient; nullam vnquam certam domum, ac fixum domicilium, quoad vixit, ſibi vendicare voluerit: ſed vbicunque eum nox interciperet; vel ſub arbore, vel in porticu, vel in ſtabulo, aut in aliquo Xenodochio quieſceret; tum poſt breue ſomnum ſurgens, reliquum noctis tẽpus in oratione inſumeret. Nulli rei Dei Seruus, magis quàm proprio deſpectui ſtudere viſus eſt: quare eorum voces nihili pẽdebat, qui aut ipſiùs ſimplicitatem deriderent, aut neglectam vitam dicteriis carperent: cùm enim ſolida in animo humilitatis fundamenta iecíſſet; iis perpetuò innixus hærebat. Inter hæc tametſi Matthæus à Capucinorum Ordine ad Obſeruãtium obedientiam (vti alibi dictum fuit) acceſſiſſet: haud tamen ita ſe à Capucinis diſſuerat, quin ad eorum Conuentus, quoties vel abluendi, vel expurgandi, vel reſarciendi habitus, aut alia huiuſmodi neceſſitas vrgeret, diuerteret; vbi ingenti omnium lætitia, & charitate exceptus, cuncta, quæ neceſſaria erãt, ab iis humaniſſimè ſibi adminiſtrata accipiebat. Quaproter is etiam Capucinorum Religionem, haud ſanè minori, quàm antea, beneuolentia proſequebatur: ita vt eam ſuam quoque Religionem appellaret.

*Reg. c. 6.*

*Poſt diceſſum ſæpè ad Capucinos diuertit.*

XXXVI. Dum igitur Vir Dei Chriſti Domini opprobria ſæpè mente recogitans, totus animo arderet, ibique ſeipſum aliquando Deo ſacrificium offerre optaret: vbi non modò corporis labores, ſed & contumelias, ludibria, vituperationes, vulnera, ac vitæ pericula ſubiret; ſanguinémque pro Chriſto profunderet: Deus Serui ſui vota, omninò irrita eſſe haud paſſus fuit. Nam cùm per id tempus anno ſcilicet 1546. Carolus V. Cæſar bellicam expeditionem aduersùs Ioannem Fridericum Saxoniæ Ducem, & Philippum Lantgrauium, Hæreticos, Imperij perduelles pararet: Pontiféxque Octauium Farneſium Nepotem eò cum electorum militum copiis deſtinare decreuiſſet; audita huius ſancti Viri fama, quæ ex præclara vitæ ſanctimonia, ac miraculorum luce vbique ferè percrebuerat, eum Pontifex ad ſe accerſitum, cum exercitu in Germaniam mittit: vt & ſuis cohortationibus Catholicos milites ad pugnam cieret, & orationibus Hæreticos aduerſarios funderet; denique vt Germanos Populos ſuo vitæ exemplo, ac prædicatione, in Catholica Fide confirmaret.

*A Paulo 3. in Germaniam cum exercitu mittitur.*

XXXVII. Matthæus itaque cum exercitu in Germaniam profectus, honorificè à Cæſare excipitur, cui etiam futuram ex hoſtibus victoriam prædicit. Ibi ſtrenuus Chriſti Miles, Cæſaris milites, quomodò fixa in Deum ſpe illis pugnandum ſit, inſtruit; omnes ad peccatorum pœnitentiam prouocat, iis Sacramenta adminiſtrat; cohortationibus ad pugnam roborat; ac Deo potius, quàm armis fidendum docet. Denique caſtris, in ipſo certaminis die, ſibi ex aduerſo oppoſitis; is Chriſti Crucifixi lignea duntaxat Imagine armatus; Cæſarea caſtra intrepidus præcedit; cunctóſque pro Chriſto, quem illis Ducem, & auſpicem pollicebatur, ac pro Catholica Fide ſtrenuè dimicare verbis ardentibus accendit. Denique cùm ad pugnam ventum eſſet, (mirabile dictu!) Catapultæ, & ænea tormenta, horrendo aduersùs illum tonitru diſplodebantur; Bombardarum grando vndique, ab aduerſa Hæreticorum acie, in eum pluebat: is verò impauidus, nec minimùm loco cedere, neq; ictus paueſcere, aut globos ignitos formidare cõſpiciebatur; ſed oppoſito illis Crucis ſigno aliò diuertere, atq; in caſſum euolare, diuina prorſus virtute, cogebat. Stupebant aduerſarij: admirabantur & noſtri; Virum inter

*Caſtra Cæſaris præcedit, Militeſque ad victoriam animat.*

*Inter Bombardarum ictus ſtat incolumis.*





rum inter tot tormentorum ictus incolumem, & imperterritum ſtare: atque inde cùm illi terrerentur: hi contra Dei virtutem pro eis pugnantem conſpectantes, viriliùs pro Fide dimicabant, ac fortiùs ad victoriam animabantur: donec hoſte cæſo: & fuſis Hæreticorum copiis, noſtris tandem triumphus diuinitus ceſſit: quem Cæſar ipſe velut è Cælo ſibi datum agnouit, cùm poſt victoriam piè admodum dixit. Veni: Vidi: & Deus vicit. Illud quoque mirabile fuit; quòd poſt conflictum, Matthæi habitus, ac pallium, quo obtegebatur, ſcloporum vndique globulis perforata apparuêre; cùm tamen ne vllus quidem eius carnem attigiſſet. Id vbi Cæſari relatum fuit; ampliùs probatam Viri ſanctitatem venerari cœpit: eúmque in cæteris præliis, quæ cum iiſdem variis deinde temporibus commiſit, ſibi comitem habere voluit.

*Ipſius habitus, corpore intacto, globulis perforatur*

XXXVIII. In eo Cæſaris exercitu, Vir quidã Peditum Dux, ferox, ſuperbus ac diuini nominis cumprimis blaſphemator, eo tẽpore militabat: qui cùm corã Matthæo, horrẽdo quodã modo, Dei nomẽ blaſphemare auſus eſſet: Dei ſeruus durè illũ præter morẽ increpans, eidẽ manu colaphum impegit: quo accepto, cùm vniuerſi illũ furiis agitandum expectarent; ille cõtrà, quaſi protinus è lupo Agnus euaſiſſet; ſtatim ad illius pedes corruit, ac delicti veniã popoſcit. Et quod magis admirandũ: perinde ac ſi cum perſona vitium quoq; caſtigatũ eſſet, eo tam perfectè animũ exuit; vt deinceps ab omni blaſphemia abſtinuerit. Sic quippe Dei virtute factum eſt, vt cõtraria contrariis curarentur, & arrogantis blaſphemiæ morbus, diuina virtute colaphi opprobrio ſanaretur.

*Blaſphematorem corripit, & ad pœnitẽtiã prouocat.*

XXXIX Eo igitur bellorum incendio, hoſtium ſubmiſſione extincto; Matthæus in Italiã rediens, ad Eccleſiã S. Michaëlis in Monte Gargano ſitam, ob ſingularẽ, qua in Archangelũ ferebatur, religionem, peregrinationem inſtituit: quo in itinere, cùm iuxta antiquum ſibi prædicandi morem, vbique homines Inferni terroribus, ad pœnitentiam compelleret; quamplurimas à facinoroſis, qui male ſe increpari audiebant, contumelias, ludibria, atq; etiam verbera patitur, quæ æquo animo fert. Certa quoque vitæ pericula, præſertim apud Tifernates ſubit; que ille nihilipendens, dummodò Euangelico muneri ſatisfaciat, velut lucra ſibi appoſita arbitratur. Romæ etiam dum in quorundam Prælatorum ſuperbiam, ac pompas acriùs inuehitur, in carcerem truſus, multis incommodis afficitur: quibus tamen haud à liberrimo illo increpandi genere deterreri potuit. Tandem cùm ad Garganum perueniſſet, ibi Archangeli memoriam tanta religione, ac Seraphici Spiritus ardore colit, vt quamplurimos, in eo templo, dies aſſidua in oratione, ac lachrymis conſumpſerit.

*S. Michaëlis in Gargano Eccleſiam viſitat.*

*Variis contumeliis afficitur.*

XL. E Gargano tandem digreſſus, Sipontum venit, quod Manfredonia hodie appellatur, ex antiqui Siponti ruinis conſtructa: vbi à Viro quodam, qui mala in ea vrbe fœneratoris fama laborabat, domo excipitur. Mox quis, & qualis ſuus Hoſpes eſſet, diuinitus admonitus; cùm primùm ad prandium ventum eſt, Matthæus panem, qui ſibi appoſitus fuerat, conſpiciens. Quid hìc hoſpes (inquit) nobis apponis? Panemne, aut ſanguinem? Cui Hoſpes. Panem, qualis domi conficitur. Haud profectò, ſubdit Vir Dei. Sed pro pane Pauperum ſanguinem offers. Heu crudelem panem? qui tot Chriſti pauperum cruore madet: quis non illius aſpectum exhorreat? Cumque panem vtraque manu, ſpongiæ inſtar, comprimeret; Sanguis inde effluere cœpit. Mox Vir Sanctus è menſa exiliens. Abſit (inquit) vt tam diro pane veſcar, qui viuo pauperum ſanguine redundat. Atque inde protinus abſcedens, nonnullis panis fruſtulis ſibi aliunde emendicatis, ad Hoſpitalem vrbis domum ſe cõfert. Hoſpes autem ſanguinis ſpectaculo perterritus; alterius Zachei inſtar, reſtituto fœnere; plurimáque pecuniarum ſumma in pauperes erogata, iniuſta deinceps lucra deſeruit, & diuinam miſericordiam, ac benedictionem promeruit.

*Ex Fœneratoris pane ſãguinem elicit.*

XLI. Inde Ecas profectus; cùm iam in ea Vrbe illud fœneratoris factum peruulgatum eſſet, honorificè Dei Seruus ibi exceptus fuit: tantaque eo tranſeunte vtriuſque ſexus commotio accidit; vt cuncti ad feneſtras conuolarent, vnde

*Infantem lac ſuggentem Capucinum futurum prænunciat.*

beatum Virum ſaltem prætereuntem viderent. Inter alios Mulier quædam honeſta fuit, quæ cùm infantem paruulum vbera ſuggentem in ſinu geſtaret: quo tempore eò pertranſibat Matthæus, infans vbere dimiſſo, tanta cœpit, eo conſpecto, lætitia geſtire; vt è matris ſinu diuelli, & ad eum pergere velle videretur. Mos erat Viro Dei perpetuus, demiſſos in terrã oculos ſemper gerere, capútque intra Caputium abſcondere: tunc verò præter morẽ oculos erigens, infantẽque ita exultãtem conſpiciens, vbi illum inter vlnas accepit: Benedictus, inquit, tu à Domino, ô infantule: O te fœlicem, quem benigna Dei miſericordia adhuc vbera lambẽtem anteuenit: ac ſe dignum parat. Meus aliquando, ac mei Ordinis filius, & alumnus eris: cúmque illum Signo Crucis benedixiſſet, matri reddidit: nec vanum fuit B. Patris de Puero vaticinium: vbi enim infans ad iuuentam peruenit; cùm de vxore illi copulanda inter parentes ageretur, ſæculi vinculis abruptis, liber ad Capucinos euaſit; Fratriſque Bernardi nomen ſortitus; cùm pleroſque annos, magna cum virtutum laude in Religione exegiſſet, in ea, haud ſine virtutum laude, diem extremum concluſit.

XLII. Appulia tandem relicta, Matthæus Piſaurum venit; vbi dum vetuſto ſibi more, per Vrbis vicos, Inferni pœnas peccatoribus prædicat; malo putri à Nobili quodã Viro cõtumelioſè oppetitur. Cui ſtatim Mattheus. Leuia hæc mihi ſunt, inquit. Verùm tibi ipſi caue: Nam grauius tibi vitæ periculum imminet. Ridet ille: ac Virum Dei mente captum exiſtimans, inſanias, ac ſarcaſmos auget. At vindictam haud vltrix Dei ira procraſtinat. Etenim ipſa nocte, dum rixa eidem cum altero exorta, vterque ad arma concurrit, alterum illi crus ab Aduerſario amputatur. Eoque factum eſt; vt qui Dei Seruum riſu & contumelia malè acceperat: iam Deo vlciſcente ſua met ipſe damna defleret. In eadem quoque Vrbe, cùm pro Cõcione aſperè in fœneratores, quos vbique inſectabatur, inuectus fuiſſet; poſt ſermonem, in Legiſperitum quendam fœnera exercentem incidit: cuius vbi veſtis extremitatem tenuit, atque in omnium oculis expreſſit, copioſum inde ſanguinem emulſit: quem Legiſperito demonſtrans: En, ait, quænam tibi veſtis eſt, mixta ſanguine: hic pauperum proculdubio ſanguis eſt, qui aduersùm te in aures Domini Sabaoth exclamat: Vide, ne te Dei ira feſtinatò comprehendat. His dum prodigiis, Vir Dei, fœneratores, atque alios nefarios homines, Inferorum exitio terret; palámque per Vrbem Prophetæ inſtar, pœnitentiam prædicat. Tabernarius quidam, Vir facinoroſus, ad eum accedens, cùm alterum ſibi in crimine ſocium, eidem digito demonſtraſſet: ô Eremita, inquit, Noſti iſtius hominis malefacta? Cui ſtatim Matthæus: Ego, inquit, & illius, & tua quoque ſcelera noui; quorum niſi pœnitentiam egeritis, Dei minimè iram effugietis; protinúſque aperto Breuiarij codice, & oblato illis loco, in quo de occulto illorũ peccato agebatur. Hîc, inquit, veſtrum peccatum legite, & reſipiſcite. Illi commune delictum, cùm Dei Seruo haud ignotum eſſe intelligerent; mente quidem confuſi, haud tamen pœnitentes abiêre. Quo factum eſt, vt eorum alter, in ea ipſa hebdomada, hoſtium coniuratione interfectus fuerit: Alter, eodem menſe, bonis omnibus expoliatus, atque extrema calamitate affectus, inter exules vitam duxerit.

*Percuſſori vitæ periculum præſignificat.*

*Ex Fœneratoris veſte Sanguinem exprimit.*

*Tabernariis occulta delicta pandit, ac Dei vindictam prænunciat.*

XLIII. Hinc Matthæus Vrbinum proficiſcitur: cumque in ea Vrbe nonnullos publicos ſermones habuiſſet; à quodam Rhetore correptus, quòd Rhetorum præcepta minimè prædicando obſeruaret, ſubridens: Et tu, inquit, qui ſuperiori nocte tale ſcelus (ſcelere explicato) perpetraſti: Num Dei præcepta obſeruaſti? Mihi quidem, qui in Tùllij, aut Quintiliani præcepta minimè iuraui, vitio dandum non eſt, ſi ab iis interdum exorbitem: tu verò, qui Chriſtiana profeſſione ad Dei Legem obſtringeris, qualem violati præcepti excuſationem adfers? Tu delictum corrige: ego ſi minùs Rhetorum præcepta obſeruauero, nulla ob id culpa conſtringor. Hac in Vrbe, dum blaſphematores publicè pro ſuggeſtu arguit; dexteram versùs ligneam

*Rhetorem de occulto peccato obiurgat.*





Crucifixi Statuã, quæ in omnium proſpectu in Choro eminebat, extendẽs: An non (inquit) illam Chriſti Crucifixi Imaginem cernitis? Væ miſeræ Vrbi, cùm ea vobis terga verterit: tunc enim quamplurima in eam mala inundabunt. Hoc ſancti Viri vaticinium, Vrbi tandiu obſcurum fuit, quoad illa Chriſti Crucifixi Statua, ob vetuſtatem in terram collapſa, inde extra Eccleſiam tranſlata fuit; atque in ipſo Eccleſiæ frontiſpicio altiùs collocata, terga iis, qui in Eccleſia aderant vertere cœpit. Quo tempore diſſenſionibus in Vrbe, inter Ducem, & Optimates ebullientibus, Vrbs plurimis cladibus, grauiſſimiſque calamitatibus affecta fuit.

*Vrbinatibus futuram calamitatẽ prædicit.*

XLIV. Hæc futurorum vaticinia, & diuinæ rerum occultiſſimarum Reuelationes, adeò Viro Dei familiares erant; vt ferè innumeræ recenſeantur. Lentiani, Iuuenes quoſdam, foliorum ludo vacantes offendit, quibus cùm ſolita exclamatione Infernum minaretur: alter ex iis tædio affectus, reſpondit: Ad Infernum ij, qui extra Mónaſteria vagantur: Eidem ſtatim Matthæus. Ne dictum negligas, fili, ait, tu delicta tua feſtinatò confitere; nam poſt tertium diem è viuis excedes. Is verò Matthæi monita deſpiciens, triduo expleto, repentina morte ſublatus, maximum toti Oppido terrorem incuſſit.

*Mortem Iuueni poſt triduum minatur.*

XLV. Arimini, Vir ætate grauis, necdum Symbolum Apoſtolorum didicerat, quæ eorum temporum calamitas erat: quem cùm Matthæus in via obuium habuiſſet; propiùs ad ipſum accedens, ſecretò dixit; In Infernum ibunt, qui Apoſtolorum Symbolum ignorant. Vir eo magis ſtupens, quò neminem illius rei conſcium eſſe ſciebat, diuinam vocem eſſe ratus, protinus illum addiſcendum curat. Dum in eadem Vrbe, conſueto more, Infernum peccatoribus minaretur; quendam, qui ludo incumbebat, blaſphemantem audit: quem cùm aſperè reprehendiſſet, ille furore percitus, eum alapa appetiit. Cui Matthæus, mox alteram genam offerens: En, ait, iterum percute: At verò tu, rebus tuis maturè conſule: nam tertium diem haud videbĩs ſuperſtes. Puluerariam is artem exercebat: quapropter cùm poſtridie tormentario pulueri conficiendo operam daret; caſu ignis ſcintilla in puluerem decidit, qua puluis repentè inflammatus hominem combuſsit, & quod magis deplorandum eſt, impœnitentem igni ſempiterno addixit.

*Alteri mortem poſt tertium diem prænunciat.*

XLVI. Foroliuij, Iuuencula quædam vana, & petulans, quæ nuper Viro deſponſata fuerat, cùm illum Inferni ſuppliciis peccatores terrentem audiret, ridiculè ab eo petit: Num Diabolus tam turpis, ac deformis eſſet, quàm ipſe prædicabat. Cui Vir Dei: Heu miſera, inquit, tu ipſa, octauo ab hinc die, iſtius rei iudex eris, quum illum perſpicies. Riſit illa. At octauus dies, qui eidem fatalis fuit, illius riſum in luctum commutauit. Quidam in hac Vrbe Vir honeſtus erat; qui cùm ſexdecim in coniugio cum vxore annos abſque prole traduxiſſet; iam de ſobole procreanda ſpem abiecerat. Hic Matthæo ſecum ad prandium aliquando vocato, cùm coniugij ſterilitatem indicaſſet: Cur, inquit Matthæus, de prole deſperas? Tot equidem Liberi tibi futuri ſunt, vt aliquando illos moleſtos patiare. Exitum rẽs ipſa probauit: nam cùm ſeptem deinde filios procreaſſet; ab iis tot deinde moleſtias pertulit: vt celeriùs ob id diem ſuum obierit. Plura huiuſmodi diuino Spiritu futura prædixit, quæ ipſius mentem, copioſiſſimo cæleſtis lucis dono, à Deo illuſtratam teſtabantur.

*Iuuenculæ petulanti obitum poſt octauum diem indicat.*

*Copioſam Viro ſterili prolem annunciat.*

XLVII. At verò quàm admirabilis eſſet huius ſancti Viri, in aduerſis perferendis patientia; præter ea, quæ hactenus enarrata ſunt, plurima etiamnum exempla declarant. Cùm enim nouo, ac liberrimo illo increpationis genere, quo vbique, tum publicè, tum priuatè, iuxta varia hominum genera, vitio aliquo irretitis, Infernum comminabatur, pleroſque offenderet: varia quoque ab iis, qui acerbæ huiuſmodi obiurgationes ferebant, aſpera, atque aduerſa ferebat. Sæpè enim iniuriis, ac conuiciis impetitus, frequenter ex Oppidis eiectus, haud raro etiam alapis, ac fuſtibus cæſus, atque in aquam demerſus, vniuerſa abſque vllo murmurationis aut vindictæ ſenſu, patientiſsimè ſuſtinebat. In Oppido Carpij, dum Infernum

*Ob liberas increpationes ſæpè contumeliis afficitur.*

*Fuſtibus cæſus, & ex Oppido eiectus, Percuſſoribus benedicit.*

peccatoribus per vicos inculcat. Ductor quidam Militum id indignè ferens, quoſdam mittit, qui eum fuſtibus, ac verberibus cæſum, extra Oppidum eiiciant. At Vir Dei ex Oppido eiectus, poſt verbera, & contumelias: ſuo vindictæ genere vſus, verberatoribus voce, ac manu protenſa benedicit. Luci, quod Oppidum eſt in Aemilia, cùm Dei Verbum diſſeminaret, caſu in aliquos incidit: qui præ foribus tabernæ meritoriæ ebrietati vacabant: ex iis vnus, cùm calicem mero plenum, Matthæo per riſum propinaſſet, Matthæus de more Infernum ebrioſis ominari cœpit: quod ille audiens, ira, ac vino incaleſcens colaphum illi inuſſit, quod Matthæus patienter ferens, inde abſceſſit. Verùm cùm re ad Hæreticæ prauitatis Inquiſitorem delata, is ſacrilegum pœnis inſectandum cogitaret: Matthæus vt Euangelicam vicem rependat, mox ſe illius Patronum apud Iudicem præſtat, factum extenuat: percuſſorémque omni ſtudio excuſare curat: quo ſe omni odij, ac vindictæ ſenſu prorſus carere indicet.

*Alapa percuſſus Percuſſorem apud Iudicem excuſat.*

XLVIII. Verùm Deus ſcelerum vindex, illatas Seruo ſuo contumelias haud inultas eſſe patiebatur, quas interdum infauſta, quandoque repentina inferentium nece vindicabat. Etenim præter rerum exempla, quæ hactenus exarata ſunt: Rauennæ, cùm Tabernarium quendam, hyemali tempore, Ruſticos pertrãſeuntes conglobata niue perſequi conſpiceret; conſueta increpatione, iis Infernum comminari cœpit, qui pauperes moleſtia afficerent. Ille increpationem moleſtè ferens, valida manu Dei Seruum in gena percuſſit: Cui Matthæus, cùm alteram protinus percutiendam præbuiſſet, ille minas, ac furias deſpumans, ab eo diſceſſit. At Deus hominis temeritatem, quam necdum pœnitentia expiauerat, repentino interitu mulctauit: nondum enim ad anni finem peruenerat; cùm equo iter faciens, dum lacunoſa quædam loca pertranſit; equo collabente, in altum gurgitem demerſus, nullo opem ferente, aquis ſuffocatur. Matelicæ quoque cùm in peccatores, conſuetis clamoribus inueheretur; ac peccata quædam reprehenderet, quæ Vrbis illius Dominos haud leuiter perſtringebant; res illis prorſus moleſta, ac intolerabilis viſa eſt: quamobrem Peretto cuidam mandant, vt Virum Dei modis omnibus, aut aſperis, aut ſuauibus ex Oppido eiiciat. Perettus facinus aggreſſus, primùm placidis illum verbis adhortatur, vt ex Oppido diſcedat; At Matthæus cùm hominis voces negligeret, ille aſperis, ac minis vſus, vi tandem eum inde exire compellit. Verùm en ſeuera Dei vltio, quæ à Peretto exorſa, vniuerſos comprehendit: nam vix paucis diebus elapſis, Perettus paralyſi corripitur, qua corpus humi raptare cogebatur; itidem & Peretti vxor, ac filia eodem morbo afflictati, miſeram in eo vſque ad mortem vitam ducunt. Bonorum quoque iacturam haud mediocrem perpeſſi, hæc ob iniuriam, ac vim Dei Viro illatam, palàm ſibi eueniſſe fatebantur. Illius quoque Vrbis Dominis, ex eo tempore, multæ calamitates acciderunt. Arx enim quæ illorum domicilium erat, paulò poſt à Pontificiis copiis demolita, ac ſolo æquata fuit: eorum quoque alter Camerini laqueo peremptus; alter ſua ditione pulſus, atque aduerſa fortuna exagitatus, cuncti communis facinoris pœnas luêre.

*In Gena percuſſus alteram genam percuſſori offert.*

*Nonnulla diuinæ vindictæ exempla narrantur.*

XLIX. Poſtremò, dum in Oppido Montis Bulionis, Dei Verbum diſſeminat; Eccleſiæ Rectorèm, Virum mala apud omnes fama laborantem, tam indeuotè, tantaque celeritate ſacra Miſſæ Myſteria celebrantem audit, vt iuſtè quiſpiam dubitare poſſet; num ea ab eo integrè perſoluerentur. Quamobrem Matthæus, peracto Miſſæ Sacrificio, Rectorem adit; & necdum ſacras veſtes exutum, nimiæ illum celeritatis, his verbis, arguit. Venerandi Domini Sacerdotes, ſacra Dei Myſteria maxima cum mentis religione, ac reuerentia peragunt: Maledictus enim à Vate pronunciatur, qui opus Dei negligenter agit. Porrò hæc tua Miſſa tam curſim, ac feſtinanter dicta, Dei Eccleſiam non ædificat; ſed potiùs deſtruit. Digna ergo (vt par eſt) diuinum opus veneratione perfice, aut ſaltem ab eo abſtine: ne Chriſtiano Populo ſcandalum parias. His dictis, Matthæus ſtatim ab illius ſe conſpectu pro-

*Eccleſiæ Rectorem arguit.*





ripit. Rector verò, quem ea correptio grauiter offenderat, Adria iracundior, vix Sacerdotales veſtes exuit, cùm infenſum in Virum Dei animum gerens, protinus illum inſequitur: at, Deo ſcelus auertente, factum eſt; vt nullibi ille Dei Seruum tametſi ſollicitè quæſitum, reperiret: Quapropter domum rediens, paulò poſt ab hoſtibus, quibuſcum graues ſimultates gerebat, vulneribus confoſſus; poſt vnam aut alteram horam, animam exhalat. Quæ verò in huius Rectoris morte acciderunt, tam horrenda, ac prodigio ſimilia cunctis viſa ſunt: vt ea hîc ſilentio prætериri non debeant. Cùm enim Vir hic ad extremam vitæ lineam perueniſſet; quo tempore animam efflat, cum ea ſimul & flammæ vapor, ex illius ore erumpens conſpicitur: qui paulatim excreſcens, ac ſeſe per aëra diffundens, tam ingentem repentè aëris tempeſtatem peperit; vt irrumpentes vndique venti fortiſsimas quercus, atque altiùs radicatas arbores euellerent; animalia quoque, quæ per agros paſcebantur, ita per aëra volutarent, vt muſcarum more circumferri viderentur. Porrò eo tempore Energumenus quidam Exorciſmis compulſus, vt quæ illius tempeſtatis cauſa eſſet, aperiret: reſpondit, qui eum obſidebat, Dæmon; vniuerſos illius Regionis Dæmones, eò ad Rectoris tranſitum ſimul aduolaſſe; omniaque tentationum iacula in eum vibraſſe, ne in mortis articulo ſcelerum ſuorum pœnitentia duceretur: quod cùm tandem aſſecuti eſſent; eos in trophæi ſignum, illam ventorum rabiem concitaſſe.

*Rectore ab hoſtibus interfecto, prodigioſa in illius morte videntur.*

L. Sanguinis fluxum, Vir Dei vndecim annorum ſpatio, tam admirabili patientia ſuſtinuit; vt nullum vnquam ei remedium adhibere voluerit: quin etiam pio cuidam Viro, qui ſe eum curaturum ſpoponderat, reſpondit: Quæſo te, Amice, ſi quis tibi theſaurus pretioſiſsimus eſſet, an non illum cautè, ne furum, aut latronum aliquando tibi deprædatione ſubriperetur, cuſtodires? Id profectò, ait ille. Tum Matthæus: Morbus, inquit, iſte mihi, theſauri inſtar, pretioſiſsimus eſt: quidni illum ſollicitè ſeruem? aut cur eum mihi auferri permittam?

*A ſanguinis fluxu Matthæus liberari recuſat.*

LI. Tanta verò erga pauperes Vir Dei charitate ferebatur; vt cùm eos Fœneratorum, ac Hebræorum vſuris expilari moleſtiſſimè ferret: Hebræos quidem tanquam Chriſtianorum Harpias, ac pauperum hirudines, ex Vrbibus expellendos curaret. Fœnera verò, Montium Pietatis, quos paſſim erigere ſolebat, inſtitutione è Chriſtiano Orbe effugare niteretur. Sæpè etiam, præſertim cùm anni ſterilitas pauperes opprimeret; fabas ad egenorum alimenta ſeminabat, quas cùm clementiſſimus Dominus, vbique cæleſti benedictione auctas multiplicaret, his egenis abundè ſuccurrebat. Id præſertim in Oppidis Martiani, Veruchij, & Sartiani viſum fuit: vbi cùm Vir Dei, vrgente pauperum neceſsitudine, variis temporibus, fabas ſeminaſſet; tam mira, Dei virtute incrementa dedêre; vt illa non modo Pauperum omnium ad eas confluentium alimento ſufficerent: verùm, & poſt ſubleuatam pauperum inopiam, ampliorem agrorum Dominis fructus vſuram reddiderint.

*Fabas ſeminat, quæ à Deo multiplicantur.*

LII. Incruentum Miſſæ Sacrificium quotidie tanto mentis ardore Deo offerebat; vt in eo nonnunquam ſenſibus excederet. In Oppido Fori Sarzinij, dum ſemel ſacra Myſteria celebraret, in mentis exceſſum raptus, paulatim è terra ad duorum cubitorum altitudinem efferri viſus eſt. Atq; eo factum eſt, vt cùm ibi aduersùs mulierum pompas, ac luxus pro Concione inueheretur; Viri illæ ſanctitate commotæ, facilè vana omnia tum capitis, tum corporis ornamenta abiecerint; atque à pompis deinceps abſtinuerint.

*Sacra Myſteria conficiens in aëra effertur.*

LIII. Veruntamen qui perpetuas cum Electorum ſemine inimicitias fouet, antiquus ille Serpens, haud leuia in eum interea tentationum tela vibrabat: vt eius vel conſtantiam proſterneret, vel puritatem labefactaret. Dum Baſsij, quæ ipſius patria erat, Dei Verbum diſſeminat, immundus ille fornicationis ſpiritus tam ardentes aliquando in eo libidinis flammas accendit; vt totus ſibi ardere videretur: at ſollicitus virginitatis, ac puritatis cuſtos, vix luxuriæ ardores in ſe concitatos

*A fornicationis Spiritu tentatus, nudus ſe inter vepres volutat.*

ſenſit; cùm in proximam ſyluam profectus, B. P. Franciſci exemplo, nudum ſe tandiu inter vepres volutauit, quoad cruore è toto corpore effluente, ſenſus dolor libidinoſum carnis ſenſum, ſimul cum Tartareo hoſte effugaret. Neque id ſemel duntaxat; ſed & iterum præſtitiſſe fama eſt, donec victoria de immundo Spiritu reportata, perpetuæ caſtitatis (vt fertur) à Deo tandem donum conſecutus eſt.

LIV. Huius Viri ſanctitatem tot ſignis, ac Miraculis Deus teſtatam eſſe voluit, vt haud facilè ſit vniuerſa referre. Hactenus quidem nonnulla exarata ſunt; at plura adhuc explicanda ſuperſunt. In his illud memorabile fuit: quòd cùm Foſſapelaſella diſcedens, quod eſt in agro Ferrarienſi Oppidum, Venetias proficiſceretur: imperuium iter per loca paluſtria, arundinibus, & calamis conſita arripit: quæ res cùm incolas non leui admiratione afficeret; eo maximè, quòd paludem denſis calamis obſitam; atque altis gurgitibus, ac fluminibus interceptam eſſe ſcirent; quæ illius iter impedire poſſent: ex his aliquos impulit, vt curioſè illum ſcapha haud procul ſequerentur. Porrò, hæc hominum curioſitas, illos rerum planè mirabilium teſtes præſtitit: videbant enim denſas arundines, quæ iter impediebant, nullo pellente, ante Virum Dei ſeipſas inflectere; eique ſumma admiratione ſub pedibus viam ſternere. Hoc quoque in itinere, cùm altum quendam gurgitem, viam interſecantem, obuium haberet, illum nullo negotio, aut periculo, Signo tantùm Crucis adhibito, ſiccis veſtigiis pertranſeuntem cernunt. Poſtremò, cùm ad Padum, notæ magnitudinis, ac profunditatis Fluuium perueniſſet, nec vlla ibi nauicula ad vehiculum deſeruiret; extenſo ſuper aquas pallio Flumen celerrimè traiicit. Neque id ſemel. Nam & antea, cùm Ioannem Faneſtrem ad Venetos proficiſcentem, per aliquod itineris ſpatium comitatus fuiſſet, eodem quoque Pallij ſui nauigio Padum traieciſſe ferunt. Demùm hoc tempore, cùm Leniacum appuliſſet, quæ Arx eſt, Atheſis Fluminis rapidiſſimi vndis proluta, nullo ibi nauigio reperto, quo Flumen tranſmearet: poſt breuem orationem ſtrato pallio, perinde ac nauicula vſus, in alteram Fluminis ripam conceſsit.

*Varia ipſius Miracula enarrãtur.*

*Gurgitem, ac Padum ſiccis pedibus traiicit.*

*Atheſim ſtrato pallio traiicit.*

LV. Porrò admirandus hic Fluminum traiiciendorum modus, adeò ex Dei virtute Matthæo familiaris erat; vt cùm ſemel Arimino, Venetias nauigare vellet; Nautamque, qui ex Ariminenſi portu ſoluebat, nullis precibus flectere potuiſſet, vt ipſum in naui reciperet: expanſo ſuper vndas pallio, cunctis præ ſtupore admirantibus, tam celeriter æquora ſulcare viſus eſt; vt nauigio illo poſt terga relicto, breui tempore Venetias appulerit: Nautæ verò eò magis obſtupuêre; quòd cùm Maris tempeſtate iactati, vix poſt tres dies Venetum litus attigiſſent, Matthæum in S. Marci Platea prædicantem offendunt.

*Venetias ſtrato ſuper vndas pallio adnauigat.*

LVI. Illud tamen præ cæteris memoria, atque admiratione dignum eſt, quod è noſtris Ordinis Monumentis hauſimus. Nam eo Piſauro Venetias iterum adnauigante, cùm ingenti tempeſtate exorta, is in extrema Nauiculæ ora ſederet: dum Nautæ vltrò citróque ad vela accurrunt; Virum Dei minùs ſibi cauentem in Mare impellunt, confeſtimque à Pelagi intumeſcentis vorticibus arreptus, nullius ope ita adiuuari potuit, quin longiùs à Nauigio iactaretur. Nauigium verò flante Euro, longè pulſum Matthæum inter vndas deſerit. Quo fit, vt eum cuncti, qui in nauigio erant, velut aquis præfocatum lugerent. Poſt aliquot dies, ſedata tempeſtate, cùm Nautæ Venetias perueniſſent; Matthæum, quem vndis ſepultum, atque extinctum credebant; per Vrbis vicos pœnitentiam, more ſolito, peccatoribus annnnciantem audiunt. Marini ſiquidem illi vortices, qui Naui naufragium minabantur, Deo imperante, Matthæo inſtar Nauigij fuêre, quibus omni nauigio celeriùs Venetias adueheretur.

*In Mare demerſus Venetiis prædicans offenditur.*

LVII. In ea igitur Vrbe, quam is præ aliis diligere videbatur; cùm Vir Dei certam ſibi ſedem figere decreuiſſet; diligentiorem ſe huius Vineæ, quam & pinguem imperio, & omni hominum genere fœcundam, & ad fructum aptam eſſe non







ignorabat, cultorem exhibere cœpit. Hîc, diligentiſſimi Agricolæ inſtar, & inutiles palmites amputare, alioſque ad vberiorem fructum prouocare, omni ſtudio curat. Quapropter Vrbem totam circumiens; ſolitis increpationibus complet: nulláſque contumelias, aut pericula veretur; quæ in ipſo præſertim exordio, ab iis ſubire cogebatur, qui ſibi ſua vitia tam liberè exprobrari, haud æquo animo ferebant; dummodò Euangelicum opus integrè præſtet. Chriſtianam puerorum Inſtitutionem, quam alibi plantauerat, in hac quoque Vrbe erigendam ſtudet. Cùm verò totam Regiæ illius Reipublicæ adminiſtrationẽ à Ducis, & Senatorum auctoritate pendere, ab iiſque vniuerſa, tum Iudiciorum, tum publicæ rei negotia pertractari animaduerteret; cuncta Iudicum Tribunalia, quæ in S. Marci Palatio variè diſpertita ſunt, quotidiè permeans, clamabat: Ad Infernum ibunt, qui iuſtitiam æqua lance non adminiſtrant. Ad Infernum; qui pauperes, ac inſontes opprimi ſinunt. Ad Infernum, qui vota, ac ſuffragia habent venalia. Ad Infernum, qui reos, ac ſceleſtos non puniunt, ſed vitia fouent. Ad Infernum, qui pauperum, ac viduarum cauſas non ſuſcipiunt. Hæc cùm liberiori voce ſæpè inclamaret: Aliquando etiam hora tertia, quum Iudices pro Tribunalibus ſedere ſolent; vna manu lucernam accenſam, altera peniculum gerens: quaſi qui rem aliquam, vel amiſſam quæreret, vel malè formatam, ad meliorem formam reuocare vellet; viſus eſt per Iudicum Atria diſcurrere, Hoc modo cùm à pleriſque, quid quæreret, interrogaretur. Iuſtitiam (aiebat) quæro. Quod cùm Senatoribus renunciatum eſſet; nimium illis mordax dictum, factumque viſum fuit; quo facilè Iudicum fides in diſcrimen vocaretur: quamobrem inter eos communi conſilio decretum fuit; vt ſub amplioris vtilitatis titulo, is Foſſam Clodiam, quæ Vrbs eſt, Venetiis haud longè diſtans, ad Dei Verbum diſſeminandum mitteretur. Paruit Matthæus: nulláque mora interpoſita eò profectus, per biennium ibi, non abſque magna illius Vrbis vtilitate, Dei Verbum prædicat; quo expleto, cùm Venetiarum deſiderio teneretur; à Nauta, qui eò nauigationem parabat, ſe deferri poſtulat: Nauta verò, cùm Clariſſimorum, qui Matthæum ab Vrbe expulerant, indignationem metuens, illum vehere recuſaret. Matthæus, qui ſe à Deo Venetias reuocari intelligebat; pallio, quemadmodùm aliàs agere conſueuerat, ſibi ſuper vndas ſubſtrato, Venetias adnauigat: quem Populus, cùm nouo illo, ac miro modo Maris vndas ſulcantem conſpiceret; omnes communi applauſu, ac lætis clamoribus, quibus venienti acclamabant: *En Pater ſanctus, En Pater ſanctus*, in litore excipiunt.

*Venetiis Tribunalia percurrens Inferni comminatione deterret.*

*Ab Vrbe dimittitur, & Foſſam Clodiam deſtinatur.*

*Venetias ſubſtrato ſuper vndas Pallio remeat.*

LVIII. Vix Vrbem ingreſſus, iterum compita, & plateas, conſuetis Inferni exclamationibus perſonat: neque vllo noui exilij timore perculſus, quo tempore Quaranthiæ Tribunal, in quo Dux cum Senatoribus, ad cauſas ſanguinis diiudicandas ſedet, exerceri ſolet, Aulam ingreſſus; toto ſpectante Collegio, horrendum in modum exclamat: Ad Infernum ibunt, qui ritè iuſtitiam non adminiſtrant. Ad Infernum Potentes, qui per vim Pauperes opprimunt. Ad Infernum Iudices, qui inſontium ſanguinem fundunt. Dux verò huiuſmodi clamoribus pertæſus, cùm veſtibuli Apparitoribus annuiſſet, vt velut importunum declamatorem, eum ex Aula eiicerent: Sebaſtianus Venerius, qui tunc inter Senatores ſedebat. Vir cum primis omnis æquitatis cuſtos, religioniſque, ac pietatis propugnator acerrimus: Viri Dei patrocinium ſuſcipiens, ad Ducem, ac cæteros Senatores conuerſus, inquit: Quandoquidem, Sereniſſime Princeps, Patreſque conſcripti, à Deo in hac Republica Iudices conſtituti ſumus; vt diuinam in nobis auctoritatem præferentes, recta de hominum vita, ac ſalute iudicia proferamus: quid nobis in hac iuris adminiſtratione, magis optandum eſt; quàm quòd à cæleſtibus Nunciis noſtri officij admoneamur? ne quid interdum oſcitanter, aut temerè à nobis contra legem, fidem, religionem, æquitatem fiat. Grauiſſimum hoc iudicium eſt: alia namque ſententia corrigi poteſt, de vita hominis tranſactum

*Ad Quaranthiæ Tribunal ſolita increpatione accedit.*

*Sebaſtianus Venerius Matthæi patrocinium ſuſcipit.*

*Iudicium de vita hominis irreuocabile.*

non patitur immutari. Quapropter cùm de vita, & ſpiritu hominis ſententiam laturis diu, multumque conſulendum ſit; ne quicquam præcipiti ſtudio, vbi irreuocabile factum eſt, agitetur. Profectò hæ ſancti Hominis voces, nihil magis nobis in mentem reuocant, quàm graue, ac periculoſum illud iudicium eſſe, in quo de hominis vita aliquid ſtatuitur.

*Macheti factum in exemplũ proponitur.*

LIX. Olim Philippus Macedo, dum Machetæ cuiuſdam pro Tribunali ſedens, cauſam cognoſceret: nonnihil dormitabat, minuſque Iuris æquitati attendens, in eum ſententiam tulit; à qua Machetus cùm ſe repentè appellaſſet, Rex iratus: Ad quem, inquit, appellas? An ignoras appellationis Verbum Monarchis eſſe inuiſum? Cui Machetus: Ad teipſum, inquit, Rex, non dormitantem appello. Iam verò, etſi nobis omnibus ea, ex Dei benignitate mentis rectitudo inſit; vt cuique Ius violare, præſertim vbi de capitis cauſa agitur, nefas maximum habeatur: facilè tamen accidere poteſt; vt vel propter obſcuras pendentis cauſæ cognitiones, vel ob occultas accuſatorum inſidias, ac conſpirationes, ac reorum cauillationes; vel tandem, ob aliquam in hiſce cauſis examinandis diligentiam prætermiſſam, nonnunquam iudicium dormitet. Quid? ſi Deus Hominem hunc, tametſi habitu vilem, ac deſpectum; reuera tamen ſanctum, noſtræ Vrbi Angelum deſtinauit; vt nos ſuis vocibus, velut dormitantes excitet, quo diligentiùs in credito nobis à Deo munere verſemur; num procul à nobis abigendus eſt? aut diuina beneficia, quibus in Officio contineri poſſumus, reſpuenda? ſi hunc ex habitu ſordidum hominem iudicamus: Certè nos meminiſſe decet: ſæpè etiam ſub ſordido palliolo ſapientiam latere; atque eam maximè, quæ vera, ac Chriſtiana ſapientia nuncupatur. Quæ enim Apoſtolorum ſapientia? An non ea fuit, quæ ſub humili, ac ſordido Piſcatorum habitu Orbem erudiuit? At verò ſatiùs eſt, vt ex vita, & conuerſatione potiùs, vt ſapientes decet, hominem æſtimemus. Equidem ſi huius religionem, pietatem, morum diſciplinam, rerum omnium contemptum: notamque animi magnitudinem; cui nihil magnum videri poteſt in rebus humanis, nihil improuiſum, nihil inopinatum, nihil graue accidere: mentis conſtantiam, ac moderationem intuemur; qua ſibi ipſi ita imperat, vt neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, nec cupiditate aliqua prematur; ſed fortuna omni ſuperior, quemcunque ea caſum inuexerit, hunc aptè, & quietè ferat: quæ hominem planè ſapientem, ac Deo ſimillimum præſtant. Si vitam denique voluntaria rerum omnium inopia diuitem, ieiuniis pinguem, auſteritate obeſum, omniumque virtutum genere præſtantem interrogemus: & quod caput eſt, diuinæ amicitiæ teſtimonia exploramus, quibus vndas ſicco veſtigio calcat, ac pelagus (vt notum eſt) ſtrato pallio transfretat: hæc planè ſanctum, ac velut alterum nobis Apoſtolum à Deo miſſum prædicant: quem ſi tanquam obſcurum hominem importunè clamantem repellimus; planè verendum eſt; ne illum aliquando mutata ſorte inter Cæli Principes connumeratum videntes, Sapientis dictum admirabundi vſurpemus, dicentes: *Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illoram æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodò computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.*

*Christiana ſapientia, qua cenſenda.* — *Quænam hominem ſapiẽtem præſtent.* — Sap. 5.

*Venerij poſt hæc proſperitas.*

LX. Hæc Venerius, qui ſapienti hac ſua oratione adeò Ducis, ac reliquorum Senatorum animos flexit, & erga Matthæum beneuolos reddidit; vt exinde liberè illi permiſſum fuerit, vbique ſuis increpationibus vti. Neque huius Viri pietati diuina merces ampliſſima defuit; Nam ex eo tempore Venerio proſpera omnia, tam circa rem familiarem, quæ cùm antea illi tenuis eſſet, mirum in modum aucta fuit; quàm quoad honores, ac dignitates, quibus in ea Republica potitus fuit, ſucceſſêre. Cùm enim in nauali prælio, quod aduersùs Turcas geſtum eſt: anno 1571. Venetarum Triremium Ductor Generalis à Republica inſtitutus eſſet: illius maximè prudentiæ, ac vigilantiæ adſcriptum fuit, quòd faciliùs victoria





de infideli hoſte reportata fuerit. Deinde ad maximos ſuæ Reip. honores euectus; Dux tandem Reipublicæ ſupremus eligitur anno 1578.

*Matthæi vita auſteritate plena.*

LXI. Matthæus igitur, cùm iam liberè per Vrbem, ac Tribunalia excurrere, atque vnumquemque ſui officij admonere, præſtitutáque illa ſibi increpandi forma à vitijs deterrere valeret; diem quidem feruido illo ſuo ſpiritu ductus, in huiuſmodi Euãgelica diuinæ charitatis officia inſumebat; nocte verò cùm omni domicilio careret: ſub aliqua, vel Sancti Marci, vel Riuialti porticu, ſæpiſſimè verò ſub Turri Campanaria Eccleſiæ S. Moyſis, ſibi quietis locum eligebat: vbi vel humi cubans, vel in prominentibus Mercatorum menſulis iacens, poſt breue ſomnum, ante alicuius Eccleſiæ fores, reliquum noctis tempus, in oratione expendere ſolitus erat.

*A Plebano S. Moyſis in domum recipitur.*

LXII. Erat eo tempore Præpoſitus Eccleſiæ S. Moyſis, Vir prudentia, ac pietate clarus: qui cùm Virum Dei, ſæpè ſub Campanario humi iacentem vidiſſet; neque famam de illius ſanctitate per Vrbem diffuſam ignoraret: Num res famæ reſponderet, exploraturus, pluribus diebus omnes illius actiones, ac vitæ rationem diligentiùs obſeruare cœpit: quam cùm omni auſteritate, patientia, ac virtute plenam tandem perſpexiſſet: Virumque vera ſanctimonia præditum iudicaſſet; honorificè illum in domum recipere, ac decẽs cubiculum rebus omnibus neceſſariis inſtructum, eidem aſſignare parat. At Dei ſeruus, qui hominum deſpectu magis quàm honore gaudere ſolebat; cùm vilia, ac ignorabilia potiùs, quàm honorifica diligeret: domicilium quidem non reſpuit, in quo ſe à temporum iniuriis tueri, ac orationi liberiùs vacare poſſet; at tamen paratum illud cubiculum renuit; atque anguſta duntaxat quædam Ædium ſuprema, quæ nulli, præterquam alendis palumbis, vſui deſeruiebant, ſibi in hoſpitium eligit. Huc Vir Dei, poſt diurnos quotidianæ prædicationis labores, ſe recipiens, Deo liberiùs vacabat: hîc pane, & aqua, vt plurimùm, contentus; tum Regularia, tum B. P. Franciſci ieiunia arctiſſimè obſeruabat: hîc ſibi ſolitudinem ædificauerat, in qua haud ſecus, quàm ſi inter nemora, & ſyluas verſaretur, flammigeras ad Deum orationes fundebat; cúmque ſomnus neceſſarius vrgeret, tabulas pro culcitra, lignumque pro puluillo ſibi ad quietem ſubſternebat. Hîc denique corpus dirè flagellis caſtigans, atque aliis macerationibus Deo mactans, ſeipſum in odorem ſuauitatis holocauſtum, hoſtiámque Deo placentem offerebat. Hoc modo verus Crucis diſcipulus, carnem cum Chriſto Crucifigens, in nullo magis, quàm in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriari videbatur; cuius cùm tanta cupiditate teneretur, vt nihil quod ad perfectum veteris hominis interitum moliendum ſpectat, ſtudij prætermitteret; quò integro Crucis amplexu frui poſſet: in Chriſtum ac cœleſtem ipſius vitam tranſlatus, id cum Apoſtolo effari valeret. *Chriſto confixus ſum Cruci. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Gal. 2.

*Viliora ad habitandum loca ſibi eligit.*

*Matrona epota aqua quæ Matthæo ſuperfuerat, à dentium dolore liberatur.*

LXIII. Quamobrem haud mirum, quòd tam illuſtri miraculorum genere, Deus fideliſſimi ſerui ſui ſanctimoniam comprobaret: vt non modò ſæpè vndas ſicco pede calcauerit, (quod tamen paucis datum eſt) verùm & ea ipſa, quæ illum adhuc viuentem contigerant, diuinam ſibi ad morborum remedia virtutem vendicarent. Cuius rei nonnulla lubet exempla referre. Ac primùm Matrona quædam, quæ ob grauiſſimũ dentiũ dolorem, ferè ad inſaniam redigebatur, cùm Matthæum poſt prædicationem, ex quadam hidria aquam guſtantem animaduertiſſet; ſecum ait: En mei doloris remedium, ſi reſiduum illius aquæ bibero, quam tam ſanctus Vir prior guſtauit, perfectè ſanabor. Mox hidriam ſibi afferri curat, ex qua cum aquam bibiſſet, protinus ab eo dentium languore conualuit. In Oppido quoque Pennæ Billiorum, cùm Dei ſeruus Verbum Dei diſſeminaſſet, Mulier quædam, cuius vbera adeò intumuerant, ac præcalluerant; vt abſque grauiſſimo dolore infantem, cui lac ſuggendum præbebat, lactare non poſſet: temporis occaſione captata, quo Matthæus, ex oblato ſibi vini calice, nonnihil apud illam hauſerat; Vini illius reſiduum, præ ſancti Viri deuotione ſeruans, vix

*Altera ab vberum morbo curatur.*

eo ſibi vbera lauat, quum ea duritie effugata molleſcunt, lácque abſque dolore effundunt.

*Iſchiaditico morbo laborans Matthæi aqua ſanatur.*

LXIV. Venetijs, cùm in Vico S. Moyſis à quodã Viro pio, qui Iſchiaditico morbo laborabat, aliquando hoſpitio exceptus fuiſſet; quùm primùm Matthæus, qui ex itinere venerat, aqua ſibi pedes lauit hoſpes, qui ipſius ſanctitatem probè nouerat, aquam illam ablutionis ſeruat; eámque ſibi corporis partem eadem abluendam curat, qua dolor in eum irrumpere ſolebat. Adfuit repentè diuina virtus, quæ omni dolore, ob ſancti Viri merita effugato, ab eo morbum abſtulit.

LXV. Poſt hæc eidem Hoſpiti accidit; vt graui lapidis ictu, dexter illi poples confractus fuerit, quo ex vulnere, cùm grauiſſimo dolore afficeretur; eum vir Dei in lecto iacentem inuiſit. Cruciſque ſigno ſuper poplite efformato, dolorem ſimul cum vulnere curat.

*Matthæus Crucis Signo confractum poplitem ſanat.*

LXVI. In Vico S. Nicolai eiuſdem Vrbis, Mulier quædam, Parochi illius Eccleſiæ Mater, iam multorum annorum ſpatio languens, in lecto iacebat: quæ cùm Virùm Dei aliquando per Vicum incedentem, conſuetáque increpatione Infernum peccatoribus minitantem audiſſet: miſſo ad eum Nuncio ad ſe venire rogat; qui ſtatim ad ægrotam accedens, vbi diuturni morbi ab ea afflictionem didicit; blandè illam conſolatus, de Dei benignitate bene ſperare iubet; tum Crucis eam Signo benedicens, abſcedit. Paulò poſt languens, cùm ſibi vires augeri, atque ex morbo conualeſcere adnimaduerteret; veſtes poſcit, atque è lecto exiliens, quæ plures annos iacuerat; repentè ſe incolumem, ingenti omnium ſtupore, Dei virtute conſpicit.

*Mulier diu ægrotans à Matthæo Crucis Signo curatur.*

LXVII. Illud quoque haud ſilentio prætereundum eſt, quod in Platea Sanctæ Mariæ formoſæ eiuſdem Vrbis, eidem accidit. Cùm enim ibi nõnullos Iuuenes, in die Feſto, foliorum ludo incumbentes offendiſſet, durè illos increpans, folia ipſa luſoria iis eripere conabatur; quæ cùm ex his iunior, ſibi in ſinu abſcondiſſet, Virum Dei acrioribus verbis inſectari cœpit; quem ille intuitus; Caue, inquit, tibi Fili; velox enim te manet Domini vindicta. Vix ab eo Matthæus diſſeſcerat, cùm tam ingens Iuuenem membrorum tremor inuaſit; vt artubus diſſolutis, mox humi prolapſus fuerit: inde à Baiulis ſublatus, atque in propriam domum delatus, multorum menſiũ ſpatio, grauiſſimis doloribus cruciatus, in lecto abſque motu iacebat: Quo tempore, cùm varia ad ipſius curationem remedia adhiberentur: nec vlla illi Medicorum opera, ac diligentia prodeſſet: is tãdem velut incurabili morbo affectus à Phyſicis deſeritur. Inter hos corporis dolores; dum miſer, omni incolumitatis ſpe abiecta, humanóque ſolatio deſtitutus iaceret: Vexatio, quæ dat intellectum auditui, ad ſaniorem eum mentem reuocat; propinquorúmque conſilio perſuaſus, qui morbi cauſam in petulantem illam verborum ſaniem, quam in Virum Dei iactauerat, referebant: Matthæum ad ſe vocandum curat: qui cùm ad eum veniſſet, ægrotus profuſis lachrymis ſcelus ſuum agnoſcens, ab eo dictorum veniam poſtulat: qui cùm tenerrimè ægrotum amplexatus fuiſſet, blandis illum verbis ad Dei benignitatem prouocat: diuináque illi Miſericordia repromiſſa, ab eo diſcedit. At vix Matthæus ab eo diſceſſerat: cùm abſcedentibus ſimul doloribus, toto repentè corpore ſe incolumem ſentit; protinúſque è lecto exiliens, qui incolumitatis ſpem abiecerat, poſtridie ſua per Vrbem negotia agit; perinde ac ſi nulla vnquam ægritudine laboraſſet: quæ res cùm totam penè Vrbem graui admiratione affeciſſet, ægrotanti haud inutilis fuit: quandoquidem moribus in melius commutatis, nunquam diuinæ huius curationis meminerat; quin vberes ex oculis lachrymas effunderet.

*Iuuenis Matthæum verbis inſectans à Deo caſtigatur.*

*Idem Matthæi amplexu ſanatur.*

LXVIII. Per id quoque tempus, Mercator quidam Venetiis, acuta febre grauiſſimè ægrotabat; qui cùm vitæ periculum metueret, Dei Seruum in via peccatores, magnis clamoribus, Inferni exitio terrentem audiens, iis magis exterreri cœpit; quare cùm eum Virum ſanctum agnoſceret, ac ſe ipſius orationum ſuffragio à morbo ſubleuãdum ſperaret, protinus ad ſe aduocandũ curat. Accedit ad Aegrotum Matthæus, Cruciſque ſignaculo eidem in fronte impreſſo, & exigua Cruce

*Febre acuta laborans poſt Confeſſionem incolumitati redditur.*





ex iis, quæ ex ligno ab eo conſtrui ſolebant, illius collo appenſa, vbi ægrotum placidis verbis conſolatus eſt, dixit: Amice, conſilium meum accipe: Animam à peccatis cura, & crimina tua quamprimùm euome: ne longiùs pœnitentiam differ, ſi ex hoc morbo optas conualeſcere: Quòd ſi id quamprimùm egeris, citò quoque Dominus tibi optatam incolumitatem præſtabit: moxque his dictis ab eo diſceſſit. Hæc cùm audiſſet Infirmus, quandoquidem vix præ ægritudine effari poterat: Vxori ſilentio mandat, vt Sancto Viro mocenigũ eroget: quod eroget tunc præcioſioris monetæ genus. Vxor verò, vt Mariti iuſſa impleret, cùm poſt Matthæum, qui iam domus gradus deſcenderat, cucurriſſet; antequam ea de nummo quicquam illi ſignificaret; Quid mihi, inquit, Vir Dei, mocenigum erogare cogitas? Pecunia mihi non eſt opus: eam aliis pauperibus eroga. Obſtupuit Mulier, eò quòd Dei Seruum, rem omnibus occultam, quam nulla ratione didiciſſe poterat, diuinitùs perſpexiſſe intelligeret; atque inde maiori ſpe de Coniugis incolumitate concepta, eidem perſuadet, vt Sacerdote quàmprimùm accerſito, animum expiet. Qui monitis acquieſcens, vix integram ſuorum peccatorum confeſſionem coram Sacerdote præſtitit, ac inſuper Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, animum refecit: cùm ſtatim febre abſcedente, breui integram incolumitatem eſt adeptus.

LXIX. At illud planè admirabile factum fuit, quod huic Dei Seruo, cum Legiſperito quodam, Ducalis Curiæ Aduocato, accidit: qui cùm opulentiſſimus eſſet, rémque familiarem iniuſtis titulis auxiſſet; nonnullo tamen pietatis ſtudio tenebatur, quo & in Beatam Virginem Religione, & in pauperes miſericordia ferebatur. Hic cùm Sebaſtianum Venerium Senatorem, in Matthæi laudem declamantem audiſſet: cùm eum Virum Sanctum haberet, ſemel ſecum ad prandium vocat: qui cùm ſtata hora ſe in ipſius domum contuliſſet: dum fercula parabantur, Aduocatus his Matthæum verbis affatur: Pater mi, eſt mihi in domo Simia planè admirabilis, quæ bruti naturam propemodùm tranſcendere videtur: quanquam enim hoc beſtiarum genus propiùs humanos actus æmuletur: hoc tamen animal adeò hominem præſefert; vt famuli mihi perfectè obſequia præbeat. Hæc menſam ſternit, hæc mantilia criſpat, hæc calices, & ciathos lauat, hæc orbes ſuis locis collocat; hæc dum è Curia redeo, quaſi herum venientem agnoſcat, domus fores aperit; atque alia huiuſmodi officia præſtat, quæ ſummam omnibus admirationem pariunt. His auditis Mattheus, confeſtim diuino lumine illuſtratus, quænam illa Simia eſſet; quidve in ea domo portenderet, agnoſcit. Quare Aduocato reſpondit. Mira (inquit) ac magna profectò Sunt hæc, quæ de Simia narras: at animaduerte; ne in hac Simia aliquid, præter Simiam lateat. Amabò eam adduci iube. Mox illo iubente diu Simia conquiſita, tandem loco obſcuro, ſub lecto deliteſcens conſpicitur. Cumque ea, vt inde erumperet, à famulis compelleretur; illa præter morem dentibus fremens, nullo modo adduci poterat, vt in medium prodiret. Quod cùm Matthæo renunciatum eſſet; is cum Aduocato ad eam accedens: Adeſto, inquit, Infernalis bellua in nomine Domini Ieſu Chriſti: atq; vt huc ante nos quàmprimùm prodeas, præcipio: quæ cùm præcepto parens, ſe ante omnium adſtantium oculos ſtatuiſſet, ad eam Matthæus. Diuino (inquit) te imperio obſtringo, & cogo vt quis ſis, quorſúmve huc adueneris, nobis abſque ambage declares. Cui Simia humanam vocem depromens. Ego ſum Diabolus (ait) neque alius mihi, quum huc veni, ſcopus aliquando fuit: quàm vt huius Aduocati animam, quæ multis nominibus mea eſt, ac meo imperio ſubdita; mecum ad Tartara raperem. Cui rurſus Matthæus. Quid eſt (inquit) quod cùm illius tam famelicus eſſes, necdum eam tecum ad Orcum rapuiſti? Quid detinuit? Age, fare, quid prohibuit? Dicam: (reſpondit Dæmon) Id ſanè tantùm prohibuit, quòd ante ſomnum orans, ſemper Dei opem, ac Deiparæ Virginis patrocinium, ſibi in præſidium implorauit: quod ſi ſemel duntaxat ab eo inuocando abſtinuiſſet, noctu proculdubio quieſcentem

*Dæmon in Simiæ ſpecie legiſperito obſequia præſtat.*

*Dæmon ob Matthæi imperium ſeipſum detegit.*

*Ad Virginis Beatiſſimæ Patrocinium confugiens à Dæmone ſeruatur.*

præfocaſſem, ipſiuſque Animam mecum ad Tartara duxiſſem: ea ſiquidem lege à Deo in eam poteſtatem acceperam, vt ſi is Orationem intermitteret; ego illius quoque animam interciperem.

LXX. Audiebat Aduocatus, ac tota illius Familia, maximo terrore perculſa, has Diaboli voces; reiq; exitum tremebundi præſtolabantur: cùm Aduocatus metu penè exanimatus, ad Matthæũ ſupplex conuerſus, eum, vt ſuo patrocinio non deſtituat, impenſiùs rogat. Cui Matthæus. Ad Deum (inquit) Amice, & ad B. Virginis patrocinium confuge, qui tibi, niſi tu tibi deſis, opitulari volunt. Tum ad Dæmonem conuerſus. Quandoquidem, ait, hactenus tibi in hunc hominem imperium à Deo interdictum fuit, hoc ipſum tibi, & ego ipſius nomine interdico: tu ſolus in Tartarũ abi, qui à Deo maledictus es; huic verò diuina iam benedictione donando, ac ſuis omnibus, caue, ne abſcedens, vlla ratione damnum inferas. At Dæmon, Hanc inquit, à Deo poteſtatem accepi, vt hinc abſque aliquo damno non recedam. Reluctabatur Matthæus; Altercabatur Diabolus in propoſito pertinax: Interea tremere omnes, pauere; atq; Aduocati pectus metu conſtringi. At vbi illorum Matthæus animos verbis confirmauit; Diabolo, inquit: Eſto. Damnum infer: at ego damnum præſcribo, quod excedere nequeas: hunc tu parietem perfode, ac foramen relinque, quo te ex hac domo euaſiſſe teſteris; neq; vltra quippiam damni inferas, præcipio. Vix ea fatus erat Matthæus: cùm Simia euaneſcente, cuncti effoſſum ex vtraque parte parietem vident: Deiq; ob tam mali hoſpitis diſceſſum, flexis genibus clemẽtiam laudant. Matthæus verò, cùm Aduocatum animo compunctum, atq; ad omnia paratum animaduerteret, eidem rei iniuſtæ reſtitutionem, ac melioris vitæ inſtitutum facilè perſuadet: prandióque, cęleſtibus potiùs monitis, quàm dapibus celebrato; Matthæus, vt magis Aduocati animum in bono propoſito confirmaret: Vides, inquit, hanc mappam, qua menſa ſternitur, hæc tota pauperum ſanguine tincta eſt; ſuménſq; mappæ initium, ac manibus comprimens, ac diſtorquens copioſum ex ea ſanguinem emulgebat, quem cùm Aduocatus ſubiecta patina reciperet: En tibi (aiebat Matthæus) ſanguis pauperum, quem tot iniuſtis exactionibus hauſiſti: hic horrendis aduersùm te in Cœlum vocibus clamat; diuinámque in te iram concitat: iam tibi, tuiſque rebus proſpice: malè parta, benè reſtitue, ac melius diſtribue: vitæ rationem, iuxta Chriſtianæ diſciplinæ Regulam compone, tum diuinam erga te clementiam liberaliſſimam agnoſces.

*Ex Aduocati mappa ſanguinem exprimit.*

LXXI. Hæc omnia cùm Aduocatus, tot ſignis territus, diuina ſibi arridente gratia, præſtitiſſet: benigniſſimus Deus, qui Aduocati animum, iam ad meliora diſpoſitum, in arrepto propoſito confirmare decreuerat: in ea quendam haud inutilis metus ſtimulũ, quo ad meliorem Dei timorem cõpelleretur, excitauit. Etenim, cùm ſæpè foramen illud, quod Dęmon abſcedens in pariete reliquerat, cõpreſſo lapide, ac cœmento, vi omni obturare contendiſſet; nihil tamen ſuo ſtudio, ac diligentia proficiebat: quandoquidem illud Dæmonis opera sẽper, vt priùs, apertum conſpiciebatur. Quamobrem cùm ſibi etiãnum à Dæmone metueret; neque ſe ab illius imperio liberũ exiſtimaret, donec aditus ille tam infenſo hoſti pateret: grauiter animo afflictatus, Matthæum iterũ ad ſe accerſitum rogat; vt quid ſibi in ea re agendũ ſit, conſulat: qui vbi eum æquo animo eſſe iuſſit; ac dummodò hoſtem ab animo expulerit, nihil ei contimeſcendum eſſe monuit: veruntamen prudenter ſuadet; vt Angeli Imaginem, qua forma depingi ſolet, in lapide inſculpendum curet; eóque os foraminis obſtruat: fore enim pollicetur, vt bonis Angelis in domum receptis, inde mali exulare cogantur. Id cùm Aduocatus iuxta Matthæi conſiliũ præſtitiſſet, foramẽ eo lapide occluſũ, à Dæmone deinceps aperiri minimè potuit. Reſque adeò toti Vrbi perſpecta fuit; vt Pons, qui domui vicinus eſt, ex illius Angeli ſculptura, quæ in hãc vſq; diẽ in eadem domo integra cernitur? Põtis Angeli appellationẽ ſortitus fuerit.

*Angeli imago Dæmonem fugat.*

LXXII. Præſto erat fideliſſimo Dei Seruo, non modò in maximis, ſed & in minimis quoque rebus, quæ ad illius ſolatium ſpectabant, diuina virtus ac benignitas. Cùm





enim totum ſe in Creatoris laudem effunderet; neque ab eius vnquam placitis deflecteret; hinc liberam illi in creaturas poteſtatem exercere datum erat. Quo factum eſt, vt non ſolùm ſuper leues vndas ſolido veſtigio incederet: verùm & earum naturam, ac qualitates, quum res poſtulare videbatur, immutaret. Accidit enim, vt aliquando S. Georgij Inſulam, quæ in Vrbis Venetiarum proſpectu eſt, Nauicula peteret: quo tempore ſiti laborans, lignea palula, qua è ſcapha aquæ emitti ſolent, manibus arrepta: ea Maris aquam attingit; quam protinus ſigno Crucis benedicens, cùm ori admouere vellet; à Nauta admonitus; Ne Maris aquam, quæ ſalſa, ac inſalubris eſt, biberet: Reſpondet, Falleris Amice; Non eſt ſalſa aqua, ſed dulcis: atque vbi ea ſitim extinxit, reliquum Nautæ porrigit: qui cùm eam dulcem guſtaſſet, Sancti Viri merita ſuſpiciens, Dei virtutem admiratur; qui ad illius benedictionem, aquæ naturam immutauerat.

*Matthæus Signo Crucis Maris aquã dulcem reddit.*

LXXIII. Communis quoque fama fuit; hoc tempore Matthæum, pallium ſuum imbre madidum, cùm ignis beneficio careret; neque aptus ipſi locus ſuppeteret, quo Soli exſiccandum exponeret; ſuper ipſum ſolarem radium, qui per feneſtram in hoſpitium ingrediebatur, expandiſſe: radiúmque perinde ac ſi ſolidus murus eſſet, pallium ſuſtentaſſe.

*Solis radius Matthæi pallium ſuſtinet.*

LXXIV. Quo tempore Venetiis quædam peſtilentiæ initia percipiebantur; ac ſæuior in Vrbe tot gentium, ac nationum multitudine copioſa, timebatur: Baptiſta Morra Mercator, qui Matthæo familiaris erat, ad Viri Dei patrociniũ cõfugiens, eũ rogat, vt ſe ſuóſque à morbi cõtagio ſeruet: Is verò nõnullis capitis capillis eidem forfice in Crucis formã præſciſis, ait: Iam ne timeas, Baptiſta: tibi enim, ac tribus filiis tuis, nulla omnino nocebit lues. Nec vanam fuiſſe Serui Dei promiſſionẽ res ipſa comprobauit. Cùm enim poſt id tẽpus, bis in Vrbe peſtilentia graſſata fuiſſet; Baptiſtæ domus tametſi vndiq; ab infectis obſeſſa, sẽper tamẽ à morbo diuinit⁹ ſeruata fuit.

*Morræ domũ a lue ſeruat.*

LXXV. Interea ardens animarum zelus, quo Matthæi animus incendebatur; haud otioſum eſſe patiebatur, quin ipſum quoq; ad eos compelleret, qui inter obſcuras infidelitatis tenebras verſabantur: Quapropter ad Iudæorum gentem, quæ Venetiis copioſa eſt, nonnunquam etiam ſe conferens, Chriſtum illis verum Orbis Meſſiam ab iis expectatum annunciabat. Quanquam enim, (vt docet Apoſtolus) Cæcitas Iſraëlitis contigerit, donec plenitudo gentium intrauerit: ea tamen Dei ſententia haud omnes, ac ſingulos ita cõplectitur, vt neminẽ ad Chriſti Fidẽ accedere Sinat: cùm ea potiùs ex Iudæorũ duritie, quam ex vllo poſitiuo Dei decreto, quo illorum cæcitatem, ante illius præuiſionem determinauerit, pendere credatur. Hinc cunctas Vir Dei vias tentabat: nullumq; non lapidem mouebat, quo cœcum populum ad Chriſtianæ Fidei lucem pertraheret. Iudæos ſæpe, tum publicis ſermonibus, tum priuatis colloquiis conueniens, in id potiſſimùm adnitebatur: vt cuncta Meſſiæ aduentus tempora, in lege præſtituta, iamdudum dilapſa eſſe oſtenderet; ac Chriſtum illis Meſſiam perſuaderet. Verùm illi cùm & aures, & corda incircuncisa gererent; vel prædicantem ſpernebant; vel pietatis interdum, ac Chriſtianæ Fidei ſtũdium ſimulantes, ſuadenti illudebant. At ineffabilis Dei clementia, haud vanos ac inutiles illius aliquando labores eſſe patiebatur. Fiebat enim interdum, vt qui Sanctum Virum, ſub ſimulata Religionis ſpecie fallere optarent, ſæpe in veræ Religionis caſſes inciderent.

*Iudæis Chriſtum prædicat.*

LXXVI. Id Iudæo cuidam accidit, qui cùm Matthæum aliquando prædicantem audiiſſet; compunctionem ſimulans, poſt ſermonem illius ſe precibus commendat, quibus ſibi à Deo Fidei lucem impetraret. Annuit Matthæus, ſuámque erga Deum illi operam pollicetur: ille autem poſt Matthæi terga ridens, id cæteris contribulibus renunciat. Poſt hæc pluribus diebus elapſis, cùm Iudæus Matthæum in via obuium habuiſſet, eidẽ poſt ſalutationem ait: Pater mi Matthee: nunquã ex eo tẽpore perſenſi, quod Chriſtus ille veſter, luce aliqua animum meum peruaſerit. Cui Matthæus, Ita eſt, inquit; At mox cauſam reddam. Interim, quæſo te, vt mecum venias

*Iudæus fictè ſe Matthæi precibus commendat.*

opera enim tua egeo. Cui cùm Iudæus aſſentiret, mox illum in Palatium quoddam, inde vnius milliaris ſpatio diſtans, ſequentẽ ducit; vbi in ipſo limine ſaccũ frumentarium, Baiulum, atque in Mari ſcapham paratam inueniunt. Matthæus verò ad Iudæum conuerſus: En Iudæe Frater, ait, hunc quem vides, frumentarium ſaccum in parata ſcapha componere, ac domum aſportare opto; amabo mihi opem fer, vt eum Baiuli huius humeris imponam. Promptum ſe exhibet Iudæus: confeſtimque pallio depoſito; dum Mattheus Sacci os, ille alterũ caput efferet, vt Baiuli humero imponant: Matthæus ſuum ſibi caput ex induſtria dilabi ſinit. Mox clamat Iudæus. Quid agis Matthæe? Suſtine, nimium mihi oneris incumbit. Neque illud ſolus ſuſtinere valeo. At Matthæus confeſtim. Saccum (inquit) depone. Tum Iudæo ait. Quid eſt, amice, quod te male habet? Num quòd te ſaccum extollente, me verò ſimul non efferente, is Baiuli humeris imponi non poſſit? Ea planè cauſa eſt, ait Iudæus: neque enim ſolus, abſque alterius ope, ſaccum ferre vllo modo valeo. Agnoſce igitur (tunc ſubdit Matthæus) me ſolum tuæ ſalutis onus ferre non poſſe. Rogaueras pridem, vt pro te diuinæ Maieſtati preces offerrem, quibus veram Fidei lucem aſſequi poſſes: Ego quidem, quæ mei officij erant, ſollicitè exhibui; tu verò, quæ tuæ partes erant, tibi ac mihi defuiſti: rectum ad Deum animum defer, ſinceramque cordis orationem cum mea oratione coniunge; ac tunc experimento diſces, quàm ſuauis in te Dei Miſericordia ſit futura. Vix his dictis, ſaccus Frumentarius, Baiulus, & ſcapha in Iudæi oculis euanuerunt; qui re tam mira obſtupefactus, domum tacitus redit; factoque mirabili cum vxore & familia communicato; cùm ſinceras tunc ex animo omnes ſimul ad Deum preces funderent; neque illis Matthæus ſuo orationum ſuffragio deeſſet; fidei tandem veritatem ex Dei Miſericordia conſecuti, ac Baptiſmo tincti, omnes Chriſto nomina dedêre.

*Iudæum Miraculo ad Chriſti Fidem perducit.*

LXXVII. Iam igitur Dei Seruus, ac perfectus Chriſti, ac Beati Patris Franciſci imitator, iuxta Beati Patris conſilium, velut aduena, ac peregrinus, in paupertate, ac humilitate quamplurimos annos Domino famulatus fuerat; nihilque iam cum Mundo, qui illi crucifixus erat, commune habens, toto ſtudio ad Cæleſtia inhiabat: cùm tempore iam appropinquante, quo Deus illius peregrinationi terminos ſtatuere, ac peregrinationis labores cæleſti tandem præmio coronare decreuerat; graui capitis dolore laborare cœpit: qui cùm in apoſtema contabuiſſet, breui illum ad ſupremam vitæ metam, haud inuitum perduxit.

*Venetiis in morbum incidit.*

LXXVIII. Iacebat ſuper tabulas humi ſtratas, pauperculus Dei famulus, mortiferè ægrotans; & qui eò vſque ancillarum domus obſequia, præ honeſtatis, ac paupertatis amore recuſauerat, nec dum ea in ſupremo illo morbi languore admittenda cenſuit: Quo fit, vt cùm ipſe ſibi neceſſaria miniſtrare non poſſet; multa rerum indigentia laboraret; quam tamen Vir Dei, duris hactenus neceſſitatibus aſſuetus, non eã tam æquo, quàm alacri animo ferebat. Et quidem poterat Matthæus, vel ad Obſeruantes, vel ad Capucinos, qui iam eo tempore Monaſterio in Vrbe fruebantur, diuertere, à quibus ſumma charitate proculdubio exceptus, ac curatus fuiſſet: ſed cùm nulli oneroſus eſſe vellet; vitæque peregrinationem, quam ab initio inſtituerat, perpetuam vſque ad mortem proſequi optaret; in alieno potiùs domicilio inſtar aduenæ, & peregrini, quàm in Monaſterio extremum diem claudere voluit. Quod abſque diuinæ Sapientiæ conſilio haud factum eſſe putatur: vt ſcilicet & amplior Dei Seruo gloria accederet, quam ex vberiori miraculorũ ſplendore deinceps ſibi comparauit; & mortis occaſus vitæ illius ſtatum declararet; quem Deus ab vtraque, & Obſeruantium, & Capucinorum Familia, non Ordinis, aut Regulæ profeſſione; ſed habitu duntaxat, ac vitæ ratione ſeiunxerat. Neque enim Matthæus, cùm primùm à Capucinorum obedientia, vt prædicandi libertate frueretur, diſceſſit; Minorum Obſeruantium ita habitum ſumpſit; vt lunula, & ſcapulario, ac diſiuncto ab habitu Caputio vteretur, eo modo, quo Obſeruantium Familia vti ſolet: ſed obtruncato tantùm Caputij acumine; ita tamen, vt longiùs adhuc

*Qualis Matthæi habitus forma fuerit, indicatur.*





poſt terga penderet, abſque lunula & ſcapulario, illud ſimul cum rudi habitu coniunctum geſtauit: hæcque veſtitus forma, cùm illi vbique familiaris eſſet, eo fiebat, vt ab omnibus paſſim vel Eremita, vel Capucinus, ob Habitus affinitatem crederetur. Id quidem citra vllam dubitationem aſſerendum eſt: Matthæum, cùm primùm à Capucinis exceſſit, & quadratum Capucinorum Caputium exuit, nullum ſibi inter Capucinos locum reliquiſſe: præſertim cùm ab eo tempore, iuxta verbale Clementis ſeptimi indultum, à Capucinorum ſe Obedientia ſubtrahens, ſemel in anno Prouinciali Obſeruantium Miniſtro, tanquam illius Ordinis membrum ſe ſubiectum præberet. Erat igitur Ordini inter Obſeruantes adſcriptus, ab iis tamen nonnulla habitus differentia, ac vita ſeiunctus. Erat item à Capucinis Ordine, ac vita diſiunctus, quanquam habitu ad eos propiùs, quàm ad Obſeruantes accederet. Veruntamen Dei Seruus, vt integram Obſeruantium Ordini, cui ſe ſubiectum gerebat, obedientiam in morte exhiberet: Confeſſario ſibi ex his Patribus accerſito, ab eo Pœnitentiæ Sacramentum ſibi adminiſtrandum curat; atque in Obſeruantium Eccleſia, adhuc ſuperſtes ſuprema ſibi funera perſolui decernit.

*Matthæus inter Obſeruantes migrat.*

LXXIX. Dum igitur pauperculus hic Dei Seruus, corpore languens; animo verò ad æterna anhelans, anguſto in loco ſub tecto iaceret: Vir quidam Nobilis, qui illum ægrotantem audierat; nonnulla ad eum edulia ſaccharo condita per Famulum mittit: Ea ſimulac Vir Dei conſpexit, Famulo inquit. Munera hæc Nobilium, non pauperum ſunt: quæ cùm minùs mihi neceſſaria ſint, aliis magis prodeſſe valent. (Eodem quippe temporis momento illi à Deo reuelatur, pauperculam quandam Familiam maxima in rerum indigentia verſari) Quapropter oſtendam, fili mi, quid agere debeas, Hinc non procul abeſt Familia quædam, rerum omnium indigua, atque ad ſummam rerum egeſtatem redacta: quæ hac Domini tui liberalitate maximè ſubleuari poteſt. Iam ergo dictis meis acquieſce: ſume caniſtrum, atque hos cibos ad eam feſtinatò defer: At verò cùm ſe famulus excuſaret, quòd domum, ac Familiam ignoraret; Nec id te angat (inquit) Erit, qui te & viam, domum, & Familiam doceat. Hinc digreſſus eam tibi elige viam, quam tibi ſpiritus dictauerit, ac per eam tandiu perge, quoad panniculus hic lineus, quo caniſtrum tegitur, ſponte ante domus cuiuſdam fores decidat: tu ibi gradum ſiſte: moxque eam domum ingreſſus in ea cibos relinque: ea enim neceſſitatis domus eſt, cui hæc à Deo fercula parantur. Pergit ille dicto parens; cùmque vnum, aut alterum Viculum, quo tenderet, ignorans pertranſiſſet, En repentè panniculum, velut vento flante, vi à caniſtro auelli, & ante cuiuſdam domus oſtium euolare cernit. Obſtupeſcit ille, domumque ingreſſus, pauperculam quandam Mulierem, quæ tunc fœtum enixa fuerat, in lecto iacentem, ac plurima filiorum turba ſeptam reperit; quibus nihil ad victum in domo reliquum ſupererat. Huic ille cibos elargitur, atque ob inſolitum factum, in ſummam animi admirationem raptus, rem vti acciderat, Domino ſuo refert; quæ mox per Vrbem diffuſa, pleroſque variis morbis affectos permouit; vt ad Sanctum Virum vndique pro curatione accederent.

*Indigenti Familiæ Miraculo ſubuenit.*

Inter hos quidam Artifex fuit; qui cùm vtroque crure claudus, vix progredi valeret: Dei Seruum, vt à Deo illi incolumitatem exoraret, impenſiùs rogabat. Cui Matthæus. Agèdum (inquit) ſume aquam, & mihi pedes laua; tum verò eadem tibi crura ablues: qui cùm dicto parens, Viri Dei pedes lauiſſet, cùm primùm eadem aqua ſibi crura abluit, protinus recta ſibi crura reſtituta eſſe ſenſit. Is verò tanti beneficij haud immemor, cùm fortunæ bonis haud mediocriter abundaret; poſt Sancti Viri obitum, quæcunque ipſius funeribus neceſſaria fuêre, copioſè miniſtrauit.

*Claudus aqua, qua Matthæi pedes lauit, ſanatur.*

LXXX. Poſtremò cum à Plebano Eccleſiæ S. Moyſis Sacrum Viaticum, atque extremæ Vnctionis Sacramentum accepiſſet; rebus cum Deo optimè cõpoſitis, verus Mundi, ac ſuiipſius contemptor, haud plures ſui in morte conſolatores quæſiuit, aut lu-

*Nullo præſente Deo Spiritum reddit.*

gentium turba ſæpiri voluit: ſed perinde ac ſi humanum omne in morte ſolatium abijceret, ac etiamnum ſuiipſius deſpectui ſtuderet; velut pauper, & abiectus, nullo præſente, Deo ſpiritũ reddit, ſolóſq; Angelos ſui obitus teſtes ſibi vendicat. At vix Dei Seruus è viuis exceſſerat; ignobilique, ac obſcura illa, vt videbatur, morte cũctis ignota, ſublatus fuerat; cùm Deus Opt. Max. vt pretioſã Sanctorum ſuorũ mortem ſibi eſſe declararet; eam glorioſiùs illuſtrare voluit. In ea enim ſui obitus hora, domus illius ancilla, Matthæi animã, ſub candidiſſimæ columbæ ſpecie, æthera penetrantem videt: quæ cùm mox ad Matthæi cubiculum aduolaſſet, eum iam hinc emigraſſe conſpicit. Obiit Vir Sanctus, Nonis Auguſti, in die Sabbathi. Statim verò poſt ipſius obitum, vt quàm læto triumpho cœlum conſcenderet, cunctis exploratum eſſet; vniuerſæ tum S. Marci, tum S. Moyſis Eccleſiæ campanæ, ſponte, ac nullo pulſante audiuntur. Cúmq; tota Vrbs ea re obſtupeſceret; ſanctiq; Viri etiamnum obitum ignoraret; pueri turmatim per Vrbem incedentes, velut prænuncij clamant: *Mortuus eſt Vir Sanctus; Mortuus eſt B.P. Matthæus.* Obſeſſi quoq; à nefariis Spiritibus, ingentes in Vrbe clamores edunt, quibus Vrbs tota commota: confeſtim populus ad Plebani domum currit, feſtinúſque ad Matthæi habitaculum pergens, Virum Sanctum Chriſti Crucifixi Imaginem inter brachia gerentem, quaſi qui in ipſius complexu extremum ſpiritum reddidiſſet, exanimem reperit.

*Matthæi anima ſub Columbæ ſpecie Cælum penetrat.*

*Pueri, Matthæi obitum Vrbi annunciant.*

LXXXII. Porrò Locus ille tanta odóris ſuauitate, quæ ex defuncti Corporis ore emanabat, fragrare cœpit; vt omnes illud cæleſtis potiùs, quàm terrenæ habitationis domiciliũ crederent. Sancti quoque Viri vultus, qui antea aſper, ac ſeuerus videbatur; tam pulcher, ac venuſtus apparere cœpit: vt Angelicam potiùs, quàm horridam mortui hominis ſpeciem præſeferre videretur. Maior per ſingula temporis momenta, affluentium turba excreſcebat, vt venerandum Corpus attingeret; quum die iam ad Veſperum declinante, Sancti viri Corpus in Eccleſia deponitur, occluſiſque foribus cuſtodes Corpori adhibentur. Vix autem die illuceſcente, populus vtriuſque ſexus, moræ impatiens, ac vehementiori in Sanctum Virum deuotione incenſus, vndique ad ſacrum illius Corpus venerandum confluit: Deus verò, qui Serui ſui merita, ac Sanctitatem illuſtrare decreuerat; mox eum, plurimis ſignis illuſtrem reddit: Eo námque tempore, Mulier quædam, vtroque oculo orbata, cùm ad feretrum acceſſiſſet; cæciſque oculis Sancti Viri corpus attigiſſet; protinus, cunctis ſpectantibus, claros, ac videntes recipit. Quæ res, cùm maiorem in populo erga Sanctum Virum religionem excitaſſet, iam nullus deuotioni modus erat: cuncti enim certatim ad Sanctum Virum accedere; cuncti corpus attingere; cuncti, vt ex illius habitu aliquid ſibi carperent, decertabant. Quare Plebanus veritus; ne poſt veſtes, ipſum quoque Corpus diſſecarẽt: protinus ſepeliendum curat: quapropter ſacro Corpore in hominum humeros ſublato, funus ad S. Franciſcum de Vinea, quæ Min. Obſeruantium Eccleſia eſt; in qua Vir Sanctus ſibi ſepulchrum elegerat; quàm primùm inſtituit. Veruntamen cùm innumera populorum vtriuſque ſexus multitudo exundaret, qui ad Sacrum corpus contingendum affluebant: vix funus ad S. Marci plateam, quæ ampliſſima eſt, peruenit; cùm excreſcentibus turbis, à quibus via ad funeris exequias proſequẽdas intercludebatur, ibi conſiſtere neceſſe fuit. Interea Plebanus, eam populi frequẽtiam perpendens, ſecum animo cogitare cœpit; maximo ſuæ Eccleſiæ emolumento futurum, ſi Sancti Viri corpus in ea depoſitũ, decenti loco collocaretur: Quare mutato conſilio, atq; illius frequentiæ occaſione captata, pedem refert: funuſq; ad S. Moïſis Eccleſiam reuocat. Sacro itaque hoc pignore in Sacriſtia depoſito: Plebanus, honorificum ei tumulũ, primo quoq; tempore conſtruendũ curat. Inter hæc ex Vrbis Senatoribus nonnulli, qui tot turbas, ad Sancti Viri funus confluentes conſpexerant; ad Matthæi Corpus accedentes, vultus pulchritudinem, carnis mollitiem, membrorum flexibilitatem, ac præſertim ſuauiſſimi odoris fragrantiã, maximè admirabantur: quæ cũ in publico Senatu retuliſſent, Senatuſcõſulto decretũ fuit; vt B. Viri Corpus aqua, bis, térq; diligentiſſimè lauaretur: vt inde

*Suauiſſimus odor è Matthæi ore effunditur.*

*Cœca Mulier ad Matthæi contactum à cæcitate liberatur.*

*Populorum ad illius funus affluẽtia.*

*Funus ab ingenti populi frequentia intercipitur.*

*Matthæi Corpus molle, flexibile & odoriferum.*





non obſcurè agnoſci poſſet; num illa odoris ſuauitas, arte aliqua compoſita, vel diuina tantùm virtute, in Corpus inuecta eſſet. Quod cùm ſumma diligentia factum eſſet, & quo magis Sacrum illud Corpus aqua abluebatur, eò maiorem odoris ſuauitatem, ac fragratiam diffunderet: re in Senatum delata, Senatuſconſulto ſancitum eſt; vt publico ære, magnificentiùs ſancto Viro funus inſtrueretur; cui Senatores veſte purpurea induti, intereſſent.

LXXXIII. Interea verò dum ſacrum funus differtur, Patribus Obſeruantiæ, Plebani mens ac conſilium non obſcurè innoteſcit; quo B. Viri Corpus ſibi vendicare, tumulumque illi in propria Eccleſia ſtatuere decreuerat; Quapropter rem ſtatim ad Apoſtolicum Nuncium deferunt; atque apud eum de iniuſta Corporis illius vſurpatione conqueruntur. Adeſt quoque Plebanus, iuſtã illius cauſam obtendens: Illi Matthæum in Ordine Min. Obſeruantium profeſſum, & ex quatuor Miniſtrorum Generalium Obedientialibus literis, quę apud eum repertæ fuerant, Ordini ſubiectum oſtendunt: ex quo ſecundùm iura, & Ordinis priuilegia, Excommunicationem Plebano cõminantur: ni Sancti Viri Corpus, velut propriam Ordinis poſſeſſionem, ſuæ Eccleſiæ reddat. Hic Matthæum extra Clauſtra degentem, ac velut à Religionis gremio abſciſſum, ſupremum apud ſe diem obiiſſe affirmans; hac ratione, velut domicilio carentem, ad Matricem Eccleſiam ſpectare contendit: Quod ſi (aiebat) aliquid Religionis habitus ſibi ponderis vendicat; is potiùs Capucinis cedere debet, quorum in morte habitum geſtauit.

*Lis inter Plebanum S. Moyſis & Obſeruantes oritur.*

LXXXIIII Dum hæc ita in controuerſiam vertuntur: Proceres Parochiæ S. Moyſis, ad Decem Capitum Tribunal, quòd in ea Vrbe ſupremùm eſt, confugiunt: atque ab eo, illum, qui tandiu viuens apud eos habitauerat, ſibi in morte non auferri poſtulant. Mox iudices cauſam ſuſpendunt, donec in ea quid agendum ſit, certiùs cognoſcãt. Porrò Apoſtolicus Nuncius, cùm huic controuerſiæ, quæ infauſta ominabatur, finem imponere vellet: Corpus quidem Min. Obſeruãtibus reddendum adiudicat: Verùm illud, abſque funebri pompa, clàm ad eorum Eccleſiam aſportari, ac communi Sepulchro, Apoſtolico decreto, condi iubet; ne ante conſuetum vitæ examen, ac neceſſarium Eccleſię iudicium, Sanctorũ honos Defuncti Corpori exhiberetur. Hoc Apoſtolicũ Iudicium cum Iudices probaſſent: Curię Accẽſo edicitur; vt ab eo Matthæi corpus Sarcophago incluſum, atque in Scapham ſublatum, ad Sanctum Franciſcum de Vinea occultè deferatur. Quanquam verò Accenſus Curiæ, cum ſuis, rem omni diligentia, ac ſilentio præſtitiſſet; ea tamen ita Populum latere non potuit, quin immenſa hominum, mulierúmque multitudo, ſacri Corporis vectationem præueniens, Vicos, Conuentum, Eccleſiámque pręoccuparet; vt Arcam ſaltem contingeret. Quamobrem Apoſtolicus Nuncius eò delegatum deſtinat; qui Corporis ſepulturæ præſideat; ne quid præter Sacros Canones inconſideratè fiat. Augebatur ita populi frequentia; vt cùm Sacra Officia circa Corpus peragi non poſſent, militum armatorum cuſtodia opus fuerit, qui Chori oſtia obſeruarẽt. Tandem Arca, in qua S. Viri Corpus occluſum iacebat, aperta; mox tam ſuauis ex eo Corpore odor cœpit erumpere, vt iam quiſquam nihil, pręterquam cæleſte, ac diuinum cogitare poſſet, Cuncti Sanctum; cuncti beatum prædicabant: cúmque in eo & Angelicum aſpectum, & morbidas carnes, & tractabilia membra contemplarẽtur; manifeſta diuinæ virtutis indicia aſpectabant, quæ Beati Viri, iam apud Deum regnantis, Sanctitatem declararent. Poſtremò exequiis circa Defunctum perſolutis, tertio poſt ipſius obitum die, hora noctis ſecunda, ſacrum illud Corpus in communi Fratrum Sepulchro, propè Chorum tumulatur.

*Matthæi Corpus ad S. Franciſcum de vinea iuſſu Nuntij Apoſtolici clã defertur.*

*Odor ſuauiſſimus ex Arca effũditur.*

LXXXV. Cæterùm cùm tam ardens, erga Virum Dei, eſſet Veneti Populi deuotio: vix poſtea dies illuxerat, cum vndiquẽ ex Vrbe ad ipſius Sepulchrum gentes confluunt, ac etiam plerique apud illud inſomnes pernoctant. Mox verò Deus Opt. Max. Serui ſui gloriam, quamplurimis ſignis, ac Miraculis prædicat: quæ tametſi maiori ex parte obliuione deleta fuerint: pauca tamen, quæ ad nos integra peruenerunt,

*Obſeſſi à Dæmone ad Matthæi ſepulchrum liberantur.*

paulò inferius à nobis referenda erunt. Maximè verò huius Sancti Viri virtus, in ab-
reptitiis liberandis, coruſcare viſa eſt: nefarij ſiquidem Spiritus ipſius nomine audi-
to, ſtridebant, torquebantur, cruciabantur: horrendóſque clamores edentes, ex ob-
ſeſſis tandem corporibus diſcedebant.

Fama igitur miraculorum percrebreſcente; cùm ingens populi frequentia, ad
Sepulchrum confluentis, diuina officia interturbaret: à Conuentus illius Fratribus LXXXVI
Apoſtolico Nuncio ſupplicatum fuit; vt Matthæi Corpus in marmoreum tumu-
lum ob id conſtructum, qui nonnihil è terra efferebatur, transferri permitteret.
Qui re priùs diligenter examinata, & cum Pontifice conſulta, poſtulationi tan-
dem annuit. Itaque beati Viri Corpus, poſt ſecundum ab illius obitu menſem, in
*Corpus in alium tumulum transfertur.*
peruigilio B.P.Franciſci, cùm intempeſta noctis hora, è communi Fratrum ſepul-
chro expromptum fuiſſet, prorſus integrum, ac incorruptum: perinde ac ſi eo die
ſepultum eſſet; tractabile, ac ſuauiſſimè olens reperitur: quod in marmoreum tu-
mulum à Fratribus tranſlatum, quàm beata, ac fœlici in Cœlo vita frueretur, hoc
ipſo tempore non obſcurè declarat. Dum enim, feretro humeris impoſito, Fra-
*Matthæi Corpus ſignum benedictionis edit.*
tres B. Viri corpus in marmoreum tumulum transferunt; illud haud ſecùs, quàm
ſi apud nos adhuc vita frueretur, dextro brachio erecto, ac digitis in benedictio-
nis formam compoſitis, quaſi adſtantibus benediceret, Crucifixi in eos ſignum
edit. Corpus extra tumulum conditum, hoc exteriùs Epitaphio inſignitum
fuit.

*Epitaphium Matthæi Sepulchro appoſitum.*

*B. P. Frater Matthæus de Baſſio, Marchiæ, Minor de Obſeruantia, Verbi
Dei Prædicator Apoſtolicus, animam Deo reddidit. Nonis Augusti.
Anno* 1552.

POſthæc non modò Venetæ Vrbis, verùm & aliarum Regionum, ac Ditionum LXXXVII.
populi, per duodecim annorum ſpatium, ad B. Viri ſepulchrum confluere viſi
ſunt: quo tempore tot miracula Dei virtute, ob illius merita, patrata, totque fide-
lium vota, tumulo appenſa fuêre: vt Apoſtolicæ Sedis mandato, tunc Proceſſus de
ipſius vita, ac miraculis inſtructus fuerit: qua ratione verò cœptum examen præter-
miſſum fuerit, res minimè perſpecta eſt. Id facilè, vel ob Religionis inopiam, quæ
ſumptus refugeret: vel ob eorum ignauiam quis accidiſſe exiſtimet, qui cùm rem
*Proceſſus de illius Beatificatione inſtituitur.*
maiori ſtudio apud Romanam Curiam proſequi potuiſſent, rerum difficultatibus
exterriti, à cœptis deſtitêre. Huius Viri ſanctimonia, ac Miraculorum copia ita
cunctis manifeſta fuit: vt paſſim illum Populi, ac varij rerum ſacrarum Scriptores,
Beatum nuncupent. Atque inter hos Franciſcus Gonzaga, de Orig. Seraphicæ Re-
lig. p. 1. fol. 97. Rodulph. Toſſinianenſis Hiſt: Seraph. lib. 2. fol. 158. Marcus Vlyſſipo-
ponenſis Chron. Ord. p. 3. lib. 9. c. 15. atque alij quamplures; qui Matthæum
Beati titulo cohoneſtant. Nos in hac Beati Nuncupatione, id omninò ſequendum
ducimus: quod vltimo Vrbani Octaui Pontificis Decreto obſeruandũ decernitur.

Porrò Miraculorum, quorum memoria adhuc integra apud nos extat, Cathalo- LX XXVII
gus hic eſt.

*Miraculorũ Cathalogus texitur.*

Primum; Mulier à Dæmone obſeſſa, Matthæi nomine inuocato, à Dæmone, il-
liuſque vexatione liberata fuit. LXXXIX.

Altera duodecim iam annis Dæmonum faſcino conſtricta, eodem è Cælo opi- LXXXX.
tulante, à vinculo ſoluitur.

Puella duodecim annos nata, quæ à multis Dæmonum legionibus obſeſſa erat, LXXXXI.
Sepulchrum ipſius viſitans, ab iniquo illorum imperio liberatur.

Stephani cuiuſdam Marangoni filius, qui Veneriis iuxta paruam Hoſpitalem LXXXXII.
domum habitabat; cùm altero oculo Cæcus eſſet, ad ipſius reliquias viſum recipit.

Bartholomeus Pileator, Vici S. Luciæ à multis annis incola, voto ad Beatum LXXXXIII.
Matthæum emiſſo, deperditum auditum recuperat.

Vincentia



XCIV. Vincentia Corona Murani incola, quæ membris omnibus ita attracta, iacebat,
vt ſolam linguam, ac lumina integra haberet; à propinquis ad Matthæi Sepul-
chrum ſe deferri popoſcit: quò vbi peruenit, tanta fiducia ac lachrymarum copia,
B. Viri opem ſibi in ſubſidium petit: vt protinus reſtituto membrorum vſu, perfectè
incolumis euaſerit; ac ſuis pedibus domum redierit.

XCV. Palarina Mulier Vicentina, quæ iuxta Eccleſiam S. Blaſij ad furnos habitabat,
cùm plures annos formiculari morbo laboraſſet, ad Sancti Viri Sepulchrum ac-
cedens, ac illius merita implorans; ab eo incolumis receſſit.

XCVI. Antonius Calceolarius, Vicentinus, cuius domus propè Eccleſiam S. Simeonis
ad D. Marinum ſita erat; ſic crura, & manus ex toto perdiderat; vt vix ligneis ful-
cris innixus ferri, aut progredi valeret. Hic audita Miraculorum fama, quæ de Mat-
thæo vbique diuulgabatur; ad ipſius Sepulchrum, tametſi difficillimè, peruenit: vbi
inuocato ipſius nomine, ac ſuffragiis in ſui opem imploratis, protinus ſibi conſoli-
data crura, ac manus reſtitutas ſenſit; ac diuino beneficio tam perfectam incolumi-
tatem aſſecutus eſt, vt appenſis ad Sepulchrum fulcris, quorum adminiculo eò ve-
nerat, domum liberis greſſibus redierit. Huic Miraculo cùm tria ferè hominum
millia adeſſent; cuncti ora, vocéſque in Matthæi laudes ſoluentes, Deum in Sancto
Viro glorificarunt.

XCVII. Mulier, quæ Filium ſeptem annorum, peſtifero morbo laborantem, ſuper Mat-
thæi Sepulchrum collocauerat; atque ipſius ſuffragium ſupplex, pro eo implorauc-
rat; ſaluum illum repentè, atque incolumem recepit.

XCVIII. Filia quædam Magdalenæ Meſtrenſis, quæ vtroque crure ita clauda erat, vt
ſeipſam mouere non poſſet; ad B. Viri Sepulchrum delata, maximo omnium, qui
aderant, ſtupore; antequam inde recederet, integra crura ipſius interceſſione acci-
pit: quibus & Deum laudans, ac debitos ſuo benefactori honores perſoluens, ad
ſuos reuertitur: Quo perſpecto Miraculo; Vir quidam Nobilis, qui B. Viri Miracula
atro carbone notauerat: mox animo compunctus, genibus ante illius Sepulchrum
flexis, ſimulque lachrymas fundens, veniam ſui delicti à Beato viro poſtulat.

CXIX. Claudus quidam de Plebania Sacci, qui omni pedum motu carebat; ad B. Viri
Sepulchrum hominum manibus delatus, Dei benignitate, ac B. Viri meritis, inte-
gram pedum ſanitatem conſecutus; rectus, ac ſuis pedibus domum reuertitur.

C. Mulier quædam, Margarita nomine; caſu ſibi brachium confregerat: cuius cùm
omninò vſu careret, ad S. Viri Sepulchrum confugit, cuius ſuffragio ſtatim ſanita-
te donatur.

CI. Andreas filius Vincentij Gallinæ, è Vico S. Dominici, cùm iam à multis annis ita
curuus incederet, vt ambulans vultu genua contingeret; ad Beati Viri Sepulchrum
accedens, ac deuotiſſimè illius merita, ac interceſſionem implorans; inde corpore
rectus, atque animo exultans recedit.

CII. Thadæus; filius Victoris à Burano, crure ita Claudus, vt illius ope omninò de-
ſtitutus eſſet; vix ad B. Viri Sepulchrum peruenit, ac pro cruris incolumitate, vota
ad ſanctum Virum effudit, cùm ſe crure ſanatum percipit.

CIII. Eodem modo Gaſparina Clodienſis, Magdalenæ filia, cùm per plures annos ner-
uis attracta, membrorum vſu caruiſſet; ad Sancti Viri Sepulchrum allata, integram
membrorum ſanitatem adepta fuit.

CIV. Sanctimonialis quædam, Paula nomine, quæ Patauij in Monaſterio Sancti Ste-
phani; hidropiſi diu afflictata fuerat; cùm facultate impetrata, ad B. Viri Sepul-
chrum veniſſet; mox à diutino morbo liberata, alacriùs diuinas laudes perſolu-
tura, ad Monaſterium rediit.

CV. Vxor Dominici Balbi, Viri Clariſſimi, per complures annos neruis contractis
in lecto iacuerat: cùm ad Sancti Viri Sepulchrum ſe deferri curat; vbi illius opem
fuſis lachrymis efflagitans, repentè toto corpore ſanata, pro votis exaudiri me-
ruit.

Gandulpha

Gandulpha Clodienſis; filium, qui ex altiori quodam loco caſu præcipiti rue- CVI.
rat; totumque corpus protriuerat; cùm plena fide Beati Viri Sepulchro ſanandum obtuliſſet; eo mox priſtinæ incolumitati reddito, Fidei præmium tulit.

Ioanna Platera, è S. Trinitatis Oppido, in ſiniſtro crure inſanabili vlcere labo- CVII.
rans, B. Viri meritis, ac ſuffragio, ab eo morbo liberatur.

Mulier quædam, quæ ſeptem annorum ſpatio, in lecto iacuerat, variis languori- CVIII.
bus affecta; cùm ad Matthæi Sepulchrum ducta fuiſſet, turba hominum ferè quatuor millium ſpectante, ab eo incolumis abſceſſit.

Puer quidam claudus, B. Viro ante illius Sepulchrum à Patre oblatus, repentè CIX.
cruribus inſtauratis ambulare cœpit.

Mulier quædam Venetiis habitans, cùm adeò pedum vſu capta eſſet, vt vix pro- CX.
gredi vllo modo poſſet; decimo poſt Beati Viri obitum die, illius Sepulchrum viſitans, integræ incolumitati reſtituitur.

Angelus Teutonicus, Margheriæ incola, hidropiſi laborans, cùm in ſella geſta- CXI.
toria ad B. Viri ſepulchrum delatus fuiſſet, ipſius merito ab ea infirmitate liber, Deum in ſancto Seruo ſuo glorificare didicit.

Mulier, quæ ex diutino morbo, tantam membrorum debilitatem contraxerat, CXII.
vt abſque fulcris progredi non poſſet: miraculorum B. Viri fama peruulgata, ægrè ad ipſius ſepulchrum ſe contulit; vbi cæleſtem illius opem implorans; illico confirmatis membris, priſtinam incolumitatem accepit.

Pleráque alia B. Serui ſui interceſſione Deus Omnipotens miracula edidit, quæ CXIII.
ex innumeris ferè tabellis; ac votis, quæ diu ante illius Sepulchrum appenſa fuerunt, atque etiamnum appenſa conſpiciuntur, colligi valent. Horum olim libellus, P. Daza Hiſpano, Chronicorum Sancti Franciſci Auctore teſte, conſcriptus fuit, quem idem Auctor in Prouincia S. Antonij apud Obſeruantes obſeruari affirmat. Nobis equidem pergratum fuiſſet, libellum illum inſpicere, & quæ ad B. huius Viri, ac Dei potiſſimùm gloriam ſpectant, ex eo colligere: ſed cùm is ad nos minimè peruenerit: his tantũ miraculis cõtenti fuimus, quæ publico Venetæ Vrbis teſtimonio, ac velut toto Orbe ſpectante, probata è noſtri Ordinis monumẽtis accepimus.

*Libellus de Matthæi Miraculis olim conſcriptus.*

Huius Beati Viri memoria à pleriſque noſtræ tempeſtatis Scriptoribus illuſtra- CXIV.
tur: inter quos eſt Franciſcus Gonzaga, qui de eo ita ſcribit: *Vltimis his temporibus, nempè à ſalutifera Chriſti Natiuitate* 1525. *Venerabilis Pater Matthæus Baſſius Regularis Obſeruantiæ Alumnus; qui miraculis tum in vita, tum quoque in morte claruit, Vir vtique ſui ſtatus zelantiſſimus: atque Euangelicæ paupertatis amantiſſimus, ſtrictiori vitæ inhians, pyramidali cuculla, quam vulgò Capucinum vocant, viliſſimóque habitu ſumptis, Patrum Capucinorum Ordini initium, originémque dedit.*

Fran. Gonz. de Orig. Seraph. Relig. p. 1. fol. 56.

*Matthæi memoria apud Scriptores illuſtris.*

Illius quoque ampliſſimè meminerunt, Marcus Vlyſſiponenſis Auctor Chroni- CXV.
corum Fratrum Minorum par. 3. lib. 9. cap. 36. qui eius quoque miracula commemorat, & Rodulphus Toſſinianẽſis, Hiſtor. Seraph. lib. 2. fol. 158. Daza, & pleriq; alij.

Chron. Min. pra. 3. l. 9. c. 36.
Rodul. Toſſin. Hiſt. Ser. l. 2. fol. 158.

Fuit Matthæus corpore non admodum procero; ſed mediocris ſtaturæ; Natu- CXVI.
ra, & complexione delicatus, vultu macilentus, barbæ longioris, quæ ad nigrum colorẽ declinare videbatur: oculos graues, vocémq; ad raucitatem deflectentẽ præferens, ea peccatores, Infernum cõminando, exterrebat. Poſt primũ ſuum ab Obſeruantiũ familia diſceſſum: nunquã deinceps lunula, nimirum Orbiculari illa parte, quæ ante pectus pendet, Minoribus Conuentualibus, & Obſeruãtibus cõmuni, aut ſcapulari à tergo pẽdẽre vſus fuit: ſed aut pyramidale Caputiũ, dũ inter Capucinos fuit, aut paululũ obtruncatũ, vbi ab iis deſciuit, perpetuò vſq; ad mortem retinuit. Multis in vita, ac poſt mortem, miraculis clarum, Capucinorum Religio ſũma sẽper veneratione proſecuta eſt: quem tametſi (vt vberiùs alibi explicatum fuit) ſuum Auctorem non agnoſcat; ab eo tamen prima ſui ortus initia, Deo duntaxat, ac B. Franciſco Patre, ac Inſtitutore ſe accepiſſe gloriatur. Neque id parum illius gloriam auget: quòd eum Deus Opt. Max. diuino huius Reformationis fœtui, ve-

*Vera Matthæi effigies indicatur.*





lut obſtetricantem elegerit, atque in manu eius Ordinis inſtaurationem direxerit: hinc enim, & diuinæ Religionis putatiui Patris, & Nutritij, meritò ſibi nomen vendicauit. At neque leuitatis vitio illi tribuendum eſt; quòd antiqui habitus formam, quam Deo monſtrante, prior in Capucinorum Religiõne, velut extinctam ſuſcitauerat; poſtea deſereret: cù enim in eo diuinæ Sapientiæ conſilium ſuſpiciẽdum ſit; quo Capucinæ Religionis ortus, ac propagatio longè à communi cæterarum Reformationum ratione diſponebatur: prompta Beati Viri obedientia, ad omnem Dei vocationem parata, ſummis potiùs laudibus efferenda eſt, quæ nec carni, nec ſanguini acquieuit: neque oblato ſibi Auctoris, atque Inſtitutoris nomine allici potuit, quominùs eò omnibus pedibus iret: quò eum diuinus è Cælo Spiritus impellebat.

*Matthæus Religionis Capucinorum putatiuus pater*

CXVII. Admiranda quidem, ac præter communes Clauſtralis vitæ leges, huius ſancti Viri vita fuit: quæ tamen ita ab omni labis ſuſpicione vacat; vt nulli non modò hominum calumniæ obnoxia eſſe poſſit: Verùm tot virtutibus reſperſa, ac tam ingenti miraculorum copia à Deo probata, ac illuſtrata fuit, vt meritò illud Eccleſiaſtici elogium illi occini debeat: *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo: quaſi oliua pullulans, & cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri eum conſummatione virtutis. Circa illum Corona Fratrum; & quaſi plantatio Cedri in Monte Libano, ſic circa illum ſteterunt, quaſi rami palmæ.* Atque hæc de Matthæo ſatis dicta ſint.

*Matthæus à calumnia liberatur.*

Eccleſ. 50.

CXVIII Cæterùm hoc anno, cùm in Conuentu Bugellæ Agri Vercellenſis, in quo Fratres tam arctam, atque auſteram paupertatem colebant; vt lignea tabula ad Miſſas, diuináque Officia ſignificanda, pro campana vterentur: nix tam alta ê Cælo cecidiſſet; vt via illis ad panis mendicationem prorſus interclusa eſſet: ſuauis, ac benigna Dei Prouidentia, quæ ſuos pauperes alit, his haud deeſſe potuit: Mulus enim pane, vino, atque aliis eſculentis onuſtus, in ipſo Conuentus oſtio, nullo præterquàm Deo, aut Angelo ductore, apparuit; quibus Fratrum indigentiæ abundè ſatisſactum fuit; ac diuina erga Noſtros Prouidentia, nouo, tametſi familiari, miraculo commendata.

*Diuinæ Prouidentiæ in Conuentu Bugellæ Miraculum.*

CXIX. Alterum quoque hoc tempore, apud Hidruntinos, charitatis, ac honeſtatis exemplum enituit. Nam fame valida totam regionem illam occupante, cùm Fr. Marcus à Fellono, in Conuentu noſtro Martinæ, Guardiani munere fungeretur; quædam Vrbis Familia, ad eam victus neceſſitatem, ac egeſtatem redacta fuerat; vt Mater, cui tres filiæ nubiles erant, ſuprema egeſtate compulſa, earum pudicitiam proſtituere cogitaſſet. Quamobrem iis ad Monaſterium ductis, Guardianum accerſiri curat; eique ſeorſum filias pro pane proſtituendas offert. Ea re Guardianus exterritus, vbi Matrem, ac puellas grauiter ob factum increpauit; toto illo penuriæ tempore; diminuta ſuis annona, eam Familiam aluit: atque à tanto ſcelere reuocauit.

*Maxima charitatis, & honeſtatis exẽplum.*

I. LVCET Annus Milleſimus, quingenteſimus quinquageſimus tertius, fœcunda virtutum ſegete, ac felicioribus præmiorum coronis fertilis: in quo Euſebius Generalis, dum diligentiſſimi Agricolæ inſtar fodiendo, putando, ſuffulciendo, colligando, ac piis aliis laboribus Religionis Vineam excolit, ad vberiores humilitatis, paupertatis, obedientiæ, fraternæ charitatis, ac cæterarum virtutum fructus palmites prouocat.

*Euſebius Generalis Paupertatis ſtudioſiſſimus.*

II. Vir erat prudentia, conſilio, ac virtute clarus; adeóque Regularis obſeruantiæ, ac præſertim ſanctæ Paupertatis ſtudioſus, quam altiſſimum Religionis fundamentum eſſe non ignorabat: vt nullam prorſus rerum prouiſionem, quantumuis tenuiſſimam, in Monaſteriis ferret. Rapas, Cucurbitas, Cicoria, Allia, Cæpas, Paſtinacas; atque alia huiuſmodi olera, quæ diu ſeruari poſſunt, nullo pacto in hyemem, præterquàm ad ſemen cuſtodiri patiebatur: ea enim Euſebio, ac cæteris priſcis illius tempeſtatis Patribus ſententia inerat; vt quacunque rerum prouidentia, Regulæ puritatem violari cenſerent. Quamobrem in Prouinciarum viſitatione; cùm ſæpè ad Fratres ſermones haberet; vniuerſos de puriori Regulæ obſeruantia inſtituere ſolebat: in quibus cùm Regulam, ac præſertim Paupertatis præceptum, iuxta S. Franciſci mentem, ac Pontificum placita explicaret; magnámque in dicendo vim à Domino adeptus eſſet, quamplurimùm Fratrum animos ſuis ſermonibus illuſtrabat; ac perfectos vbique Regulæ cultores exhibebat.

*Simplicitatē ſummoperè diligit.*

III. Simplicitatem Paupertati cognatam, quæ rerum pretioſitati, ac curioſitati inimica eſt, ingenti ſtudio proſequebatur; ita vt vitreas lampades, quæ ante Euchariſtiæ Sacramentum, in noſtris Eccleſiis pendent, circulis æreis, atque ex auricalcho fabrefactis fulciri prohibuerit; cùm aut ligneis; aut ſtramineis carta contectis, Paupertatem, ac ſimplicitatem magis commendari exiſtimaret: qui vſus etiamnum in pleriſque Religionis Prouinciis viget ſuperſtes. Porrò, vt Fratres ad Paupertatis ſtudium, ac amorem alliceret, id ſæpè dicere ſolitus erat: Fratres Minores à Deo Orbi datos eſſe, vt Chriſti Paupertatem inter homines referant: propterea in id maximè Fratres eniti debere; vt Chriſtum pauperem imitentur. Plurima ſunt (aiebat) in quibus haud Chriſtum imitari valemus: is enim Dæmones eiiciebat, & ſuper aquas ambulabat, & panes multiplicabat, & infirmos verbo curabat; & plurima huiuſmodi ſigna patrabat: ac præterea longa quadraginta dierum ieiunia, abſque cibo, & potu celebrauit, turbas pauit, ac pleraque diuina opera molitus fuit; quæ nobis perficere, neque datum, neque præceptum eſt: at verò paupertatem illius imitari, à rerum prouiſione abſtinere, ſuperuacanea reſecare, commoda abiicere, neceſſariis tantùm contentos eſſe, rerúmque penuriam pro Chriſto æquo animo tolerare; Minorū opus eſt: nobis Dei gratia non tā agere datū, quàm præceptum Huc nos Dei benignitas, huc Religionis excellentia vocat, quæ nos altiſſimæ Chriſti paupertatis maximo beneficio cultores, ac æmulatores præſtat. Quo fit, vt in eam omni ſtudio ferri, ipſamque cupidiſſimè amplecti planè æquum ſit, ne tantæ vocationis exortes, ac degeneres habeamur.

*Ipſius de Paupertate Minoritica doctrina.*

*Rerum diuinarum contemplationē Fratribus ſuadet.*

IV. Paupertatem verò oratione, ac rerum diuinarum contemplatione, ali, ac perfici docebat. Cùm enim rerum diuinarum ſapor; qui ex earum conſideratione oritur,





omnem rerum mundanarum guſtum ab animo expellat: hinc perfecta ſpiritus paupertas naſcitur, ac nutritur; cùm mens rerum omnium, quæ ſub Cælo ſunt, nauſeabunda, in ſummum illud, ac diuiniſſimum bonum, quod ſolum ſibi ſapidum eſt, omni ſtudio, ac contentione fertur. Quod cùm ſibi ſufficere didicerit, inde à cæteris omnibus abſtinere cupit, quæ animum quoquo modo ab illius contemplatione auocant.

V. Cæterùm cùm piā Paſtoris vitā omni doctrina meliorē, ac præſtātiorē, ſubditorū diſciplinam eſſe non ignoraret: quæ Fratribus verbo prædicabat, prior ipſe opere præſtare omni ſtudio conabatur. Tam enim toto ſui Generalatus tempore, in ſeipſum rigidus fuit, vt aſpero habitu, vix ad nouem palmorum ſpatia extenſo vteretur; pedeſter, ac nudis ferè ſemper pedibus, abſque Sandaliis Religionem viſitaret; ſemel tantùm in die refectionem ſumeret; tantaque in ea auſteritate præcelleret; vt etiamnum ex infirmitate conualeſcens, cùm ad Conuentum Tiferni Metaurenrenſis, qui S. Angeli in Vado, vulgato nomine nuncupatur, viſitaturus appuliſſet; carnéſque in menſa illi appoſitæ fuiſſent; iis veſci, ea tantummodò ratione, recuſauerit; quòd cæteri eo obſonio carerent: præſertim cùm ſeptimus iam menſis elapſus eſſet, ex qui ab eo Conuentu carnes penitus exulauerant. Alterū quoque popinæ præfectum corripuit, quo illi oua caſeo aſperſa, ex itinere aduentanti appoſuerat: dicebat enim, oua ſola ſine caſeo caſeum quoque per ſe; ſine ouis ad edulium ſufficere. Huic victus auſteritati, cùm reliqua quoque illius vitæ forma reſponderet; qua cæteros ad ſui imitationem prouocabat: hinc perfecta Regularis obſeruantiæ, ac omnium virtutum diſciplina, plurimùm ſuo tempore in Religione aucta fuit.

*Vita auſteritate preclarus.*

VI. Hæc auſterioris vitæ exempla, quibus Euſebius ſuos ad præſtantiora virtutum ſtudia prouocabat; omnemque ſuiipſorum in Deum curam proiicere docebat: quātum Deus grata haberet, cunctis illuſtriori miraculo teſtatū eſſe voluit. Dum enim in Montis Caſalis Conuentu aliquando moras trahit, tam copioſa è Cælo nix cecidit: vt viam omnem, atque aditum ad mendicationem intercluderet. Quapropter cùm nec panis, nec vlla alia rerum annona, Fratribus ad refectionem reliqua eſſet; pius Generalis cunctos in Refectorium conuenire iubet; vbi ſermone de Dei Prouidentia inſtituto, dum in ea omnes ſperare, ac fidem collocare monet: En Monaſterij tintinnabulum pulſatur: moxque Ianitor ad fores accedens, Iuuenem in oſtio aſpectu pulcherrimum offendit; qui vbi manticam, pane candido plenam, ac geminas vini lagenas, ad Fratrum refectionem protulit; ſtatim ex oculis euanuit; nullo ſui veſtigio in niue relicto. Eo quippe miraculo, id Deus confirmare voluit; quod à pio Generali de certa Dei Prouidentia Fratribus ſuadebatur.

*Diuino Miraculo Euſebij doctrina confirmatur.*

VII. Neque abſimile in Conuentu S. Angeli, cuius ſuperiùs meminimus, factum accidit. Ibi enim hoc ipſo Generali præſente, cùm ob copioſiſſimam niuem, quæ noctu altiùs Oppidi vias occupauerat, Fratribus mendicandi facultas ſublata eſſet; nihilque omninò aut panis, aut alterius edulij in domo ſupereſſet: Generalis cunctos ad Dominum confugere, & ante ſacram Euchariſtiam orare iubet. Interea quidam alterius Ordinis Concionator, qui eo manè Dei Verbum in Oppido proponebat; cùm inter concionandum, Capucinos indiſcretè tum habitationis, tum paupertatis ſuggillare vellet: En, inquit, qui ſancti haberi, atque inter nemora, abſque rerum prouiſione habitare volunt; nunc Dei Prouidentia veſcantur, cùm niue obſeſſos ſe vident. Hæc Concionatoris verba, alio ſenſu, quàm à Concionatore dicebantur, à piis interpretata; pleroſque ex populo permouerūt, vt collectis vndique pane, vino, oleribus, leguminibus, ac cæteris cibis, quibus in Quadrageſima veſci licet, iumentum iis onuſtum ad Conuentum tranſmitterent, ac Fratrum neceſſitati prouiderent. Quod ſanè à Dei Prouidentia profectum eſſe, qui ipſos quoque aduerſarios ſui conſilij Miniſtros eſſe vult, nemo iure in dubium reuocare poteſt.

*Diuina erga Fratres Prouidentia oſtēditur.*

Denique tam copioſa apud nos ſunt diuinæ huius Prouidentiæ exempla; vt némini prorſus dubium eſſe poſſit, quin huius pij Generalis, ac cæterorum Patrum doctrina, qua rerum prouiſio penitus à Monaſteriis noſtris tollenda decernitur; cæleſtis planè ſit, & diuina; iiſque qui ad puriorem Regulæ obſeruantiam anhelant, cum primis neceſſaria. VIII.

Hoc anno, egregius è Brixiano Agro Operarius, ad noſtræ Vineæ culturam accedit: nimirum Fr. Matthias Bellintanus Salodienſis; de quo nobis aliàs fuſiùs agendum erit. Atque eodem tempore Fr. Bernardinus à Balbano, eximius diuini Verbi apud nos Prædicator; cùm Aletij, in Prouincia Hidruntina Dei Verbum diſſeminaret: Hæreticorum Sectam, quodam ſtannęario Fabro Auctore, clam in ea Vrbe diſſeminatam detegit; quam dum publicè pro ſuggeſtu argumentis damnat; Stannearius id indignè ferens, inſidias illi in itinere ſtruit; vt ad Conuentum redeuntem impiè occidat. Bernardinus igitur, cùm peracta Concione ad Conuentum rediret: En Stannearius ex inſidiis erumpens, Bernardinum ferro aggreditur, atque interficere conatur. At Bernardinus nihil periculum veritus, inermis aggredientem diuinitùs ſtupore perculſum apprehendit, premit, ferrumque de manu eripiens, illum ad vitæ poſtulationem compellit: qui facto obſtupeſcens, animo ad ſua confuſus, ac perterritus redit. Quo factum eſt, vt facili deinde negotio, Sectam nuper exortam extingueret. IX.

*F. Bernardinus à Balbano Sectam Hæreticorum detegit, ac inſectatur.*

Per id quoque tempus, præclarum B. Virginis patrocinium, erga geminos Capucinos Fratres emicuit. Hi cùm Lauretanam B. Virginis Ædem deuotè coluiſſent, è Portu Anconitano ſoluentes, naui in Illiricum vehebantur, cùm ſubitò fluctibus intumeſcentibus, atque Euronotis inter ſe decertantibus, ingens tempeſtas orta eſt: quæ cùm vndique Nautis naufragium minaretur; nautas, ac Mercatores compulit, vt ad nauim exonerandam, merces omnes in Mare proiicerent. Interea Fratres in Nauis angulo Deum orantes, cùm in eum ſpem omnem iactaſſent, ſerenos vultus præferebant: quos dum Mercatores, qui mercium iacturam paſſi fuerant, impauidos & alacres conſpiciunt; ira, & odio perciti; quòd in communi anguſtia, ac damno vultus mœrorem non oſtenderent: En, inquiunt, malorum noſtrorum Auctores: hi ſunt, qui tempeſtatem excitant, nec quicquam dãna noſtra curantes, his potiùs oblectantur; quis eos diutiùs ferat? Tum velut furore inſani, ambos Fratres arripiunt, ac ſupplices manus in Cælum tendentes, in Mare demergunt. Porrò hi vix vndas attigêre, quum B. Virginis illis apparentis opem ſtatim ſibi adeſſe ſentiunt: Etenim illius manu ſubleuati, ſuper fluctus incolumes feruntur: Iis Maris vortices, quæ ampla nauigia abſorbere ſolent, pro Nauigio erant: quo abſque moleſtia ad portum ducerentur. Idcircò vndis ſuperiores, manibuſque ad Cælum erectis, ſimul hymnos, & laudes Deo, & Deiparæ Virgini melliſluè decantabant: donec iterum in Anconæ portum reuecti, atque inde rurſum ad Lauretanam Ædem remeantes, Deo, ac B. Virgini ex animo gratias reddunt. Huius Miraculi meminit, Horatius Turſellinus, in ſua Hiſtoria de ſacra Aede Lauretana, X.

*Illuſtre B. Virginis erga geminos Capucinos Miraculum narratur.*

Horat. Turſellinus. Hiſt. Lauret. l. 3. c. 15.

Apud Siculos, hoc tempore, in Vrbe Cephalodienſi, iura ſuprema neci perſoluit Fr. Leo Drepanenſis, Sacerdos omni memoria dignus; qui illud ſanctitatis nomen non ſolũ apud Fratres, ſed etiã apud ſæculares homines adeptus eſt: vt quidã Ordinis deuotus, Balthazar nomine, cognomine Indulcius, qui filium hidropiſi laborantem, velut mortuũ lugebat: cùm funem, qua ſanctus hic Vir viuens præcingi ſolebat, à Fratribus poſt mortẽ impetraſſet; vix ea laborans præcinctus fuit, cũ meliùs confeſtim ſe habere cœpit; tum poſt exiguum tẽpus integrê à morbo cõualuit XI.

*Fr. Leo Drepanenſis ſanctitatis opinione celebris*

*Leonis Cingulum Hydropicum ſanat*

De hoc Viro id memoriæ traditum eſt; quòd cùm Guardiani aliquando munere fungeretur: ingenti fame apud Siculos orta, Ianitor Conuentus abundantiora, ac grandiora panis fruſta pauperibus erogabat, quã antea ſoleret: quare veritus ille; ne panis ex abundãtiori eleemoſina min⁹ Familiæ ſufficeret, cõtrahi voluit; & arctiora XII.





pauperibus dari. Vix id Ianitori mandauerat; cùm adoleſcens vultu decorus ante ianuam ſtat, qui grandiorem Caniſtrum, pane plenum, in humeris gerens, Guardianum vocari poſtulat; qui cùm ad eum veniſſet: Accipe, inquit, Vir modicæ fidei, hunc panis calathum: Tune tibi Deum defuturum exiſtimaſti; cùm Ianitori mandares, vt arctiorem panem pauperibus diſtribueret? His dictis ſtatim ex illius oculis euanuit. Guardianus verò diuina increpatione correptus; cùm iam culpam agnoſceret; nullum lachrymis modum ſtatuebat; donec Prouinciali Vicario ad eum Conuentum accedente, publicè ſe de ea, velut graui culpa perpetrata, apud eum accuſauit, pœnitentiámque ſibi ab eo publicè inflictam accepit. Hinc diſcant, qui vel ad Vrbium, vel ad Eccleſiaſtica gubernacula ſedent, quàm erga pauperes eos munificos eſſe oportet: cùm ab eis Chriſtus, non ſolùm negatæ, ſed etiam diminutæ pauperibus alimoniæ, rationem ſeueram ſit exacturus.

*Ab Angelo ob diminutã pauperibus eleemoſynam reprehenditur*

XIII. Poſtremus hoc anno, in Aquilana Vrbe, ad cæleſtem coronam euolat, Fr. Matthæus à Leoniſſa: Vir ſanctitate conſpicuus, atque inter priſcos illos Religionis Patres, qui virtutum ſplendore Reformationis noſtræ primordia illuſtrarunt, clariſſimus; cuius propterea Vitam, & geſta omni memoria digna, diligentiùs hiſtoria proſequi lubet.

## *FR. MATTHAEI A LEONISSA VITA ET GESTA, ex veteribus M. S. fideliſſimè exprompta.*

XIV. MIRABILIS planè Deus in Sanctis ſuis, quos ab æterno præelegit, ac prædeſtinauit conformes fieri Imagini filij ſui, vt ſint initium aliquod creaturæ eius. Hos enim ab vtero ſegregat, ſegregatos vocat, vocatos iuſtificat, iuſtificatos potioribus gratiæ donis magnificat, magnificatos tandem glorificat, atque æterna corona donat. Diſtincta hæc diuinæ electionis dona, facilè in Matthæo licet perſpicere, quẽ Deus Opt. Max. omniũ bonorum fons, & origo, Leoniſſæ, quod Aprutiæ, vel (vt aliis placet) Vmbriæ Oppidum eſt, Neapolitano Regno ſubiectum, honeſtis, ac piis parentibus; patre nimirum Dominico Silueſtro, matre Franciſca Alfarabia natum, excitat; vt vtriuſque parentis pietas in filio coaleſcens; eum ex vtero, ad ampliora Chriſtianæ iuſtitiæ, ac pietatis incrementa pararet: atque ita paterni nominis rem, ac virtutem, velut ſibi ab incunabulis inditam, retineret; vt materni vitam, ac conditionem ſibi aliquando vendicaret; coniunctámque & Dominici, & Franciſci in ſe vno futuram vitæ ſanctimoniam præſeferret.

*MATTHÆI A LEONISSA vita; & geſta enarrãtur.*

*Matthæi genus ac ſtirps indicatur.*

XV. Tot ab ipſa ineunte ætate Matthæus à Deo cæleſtibus donis præuentus fuit: vt Religioſa pietas, atque erga res ſacras deuotio ſecum nata videretur: quæ cum pueritia creſcens, quaſi latens in animo pedagogus, eum à puerilibus vitiis, ac iocis abſtractum, ad ſacra audienda, ad Eccleſias, ad Religioſas Domos prouocabat: atque adeò his puerulus delectabatur; vt vna omnium vox eſſet, velut futurorum præſagium; eum à Deo ad Religionem, ac ſanctitatem parari. Puer Grammaticis ſtudiis initiatus, cùm ingenio præſtaret; in his breui ſupra coëtaneos profecit; ita vt vix adoleſcens humanioribus, ac Philoſophicis ſtudiis operam daret. Quo tempore pietate, ac rerum ſpiritualium amore cum ipſo adoleſcente, frequens ad Confeſſiones, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem accedebat. Verbis parcus, moribus maturus, toto corpore compoſitus, quaſi ſenilem animum gereret, tam grauiter in omnibus ſe agebat; vt cæteri literariæ palæſtræ commilitones, leue aliquid, aut ſcurrile, ante illum proferre, ac moliri vererentur. Virgininatis honeſtas tam perfectè in ipſius vultu, verbis, atque actibus elucebat, vt non modò ab obſcœnis omnibus quàm maximè abhorreret: verùm ſi quod interdum condiſcipulis turpe verbum elaberetur; is vultus verecundia, ac rubore; quàm candida illi honeſtas in animo eſſet, non obſcurè teſtaretur. Denique tanta in eo morum compoſitio, at ſuauitas conſpiciebatur, vt vniuerſos ad virtutem alliceret.

*A puero futuræ ſanctitatis prælUdia præfert.*

*Ipſius adoleſcentiæ virtutes enarrantur, ac præſertim honeſtas.*

XVI. Poſt Philoſophiæ ſtudia, animum ad Medicæ Artis præcepta addiſcenda, ea præſertim ratione, lubentiùs appulit: quòd Medicum munus, ad pietatem, & charitatem in pauperes exercendam, anſam miniſtraret: quo tempore, ne mens in diuinis rebus tepeſceret; Galeni, & Hippocratis ſtudia, ſacrorum, ac ſpiritualium Librorum lectione condire ſolitus erat: ſicque fiebat, vt animus diuina ſapientia imbutus, ad clariorem humanæ ſcientiæ notitiam pertingeret, In his cùm aliquandiu verſatus eſſet; Doctoris tandem in ea ſcientia lauream aſſecutus, eam ſibi, in Medica arte, apud ſuos exiſtimationem comparauit; vt cæteris omnibus, qui ad illud munus aſpirabant, antelatus, ad ſui Oppidi curationem, publico ære conductus fuerit. At quanquam is in eo munere gnauiter ſe haberet: ac plurimam apud ſuos laudem conſequeretur: haud tamen animus, iam à Deo ad meliora, ac præſtantiora vocatus, quieſcebat. Ardebat quippe in ipſius mente, diuinus quidam è Cælo igniculus, quo ad vilia hæc, & infima deſpicienda; cæleſtiáque ac ſuperiora ſectanda, ſurſum indeſinenter agebatur. Sæcularis vitæ ſtatum nimiis curis implicitum; iiſque animum, velut onere, ſemper ad ima depreſſum cogitabat; quem cùm graui illo curarum pondere, ſemel tandem liberum, ac ſolutum, ad ſuam originem redire optaret: mundana omnia deſerere, ad ſolitudinem euolare, Deoque ſoli vacare ſibi in animo proponit. Veruntamen vbi ipſius animi propoſitum vtrique parenti innotuit: quandoquidem in eo ipſi rei familiaris augendæ, ac Familiæ illuſtrandæ ſpem omnem collocauerant; humani aliquid paſſi, illud ſtatim oppugnare, ingentē pecuniā ab eo in ſtudiis inſumptā obiicere, ploratus edere, lachrymas fundere, adiurare, obteſtari ſe vtrique mortē, ſi id præſtet, acceleraturū; à propoſita tandē deliberatione, omni ſtudio auertere aggrediuntur. Chariſſimorū Parentum lachrymas, Matthæus, qui vſq; adeò, illis eatenus obediēs fuerat; vt vllā his mœſtitiæ cauſā præbere, piaculum duceret, cùm minimè repellendas cenſeret; à Religionis propoſito, ne illorum animos contriſtaret, tunc quidem ſibi ſuperſedendum ſenſit: Tertij tamen Ordinis B. P. Franciſci habitum, velut melioris Præcurſorem aſſumit, vt in eo Religioſæ vitæ, quam ſibi aliquando complexandam præſtituerat, quædam velut fundamenta iactaret.

*Medicinæ ſtudiis vacat.*

*Ad Religionis ſtatum anhelat.*

XVII. Medicorum igitur toga, in Tertij Ordinis habitum commutata, à Medici tamen officio, quod ex ſe honeſtiſſimum eſt, non abſtinuit: nec quotidianæ curationi, cui ex publico ſtipendio tenebatur, eo tempore defuit. Verùm id veſtis mutatio honeſto muneri contulit, vt cum eo diuiniora, atque ampliora orationum, ac cæleſtium contemplationum ſtudia coniungeret; honeſtúmque laborem, honeſtiori rerum dininarum exercitatione illuſtraret. Ab eo namque tempore frequentiùs, ac diutiùs orationi inſiſtere, carnem ieiuniis, ac vigiliis domare, corpus flagellis cædere; ac ſolitaria ad lachrymas, & ad rerum cæleſtium meditationem, loca quærere cœpit. Quotidianas curationes tanta in pauperes charitate exercebat: vt cùm ij pharmaca, ac medicamenta ſibi præ inopia comparare minimè poſſent: panem illis benediceret; qui ab iis ſumptus, Medicinæ in his operationem, ac morbi curationem ſortiebatur. Stephani quoque cuiuſdam Ettorei à Leoniſſa, filium cui frons ſaxi ictu grauiter ſauciata fuerat; haud alio cataplaſmate, præterquàm Crucis Signo adhibito, curauit. Poſt quotidianas curationes ægrotis impenſas, in campeſtrem quandam Eccleſiam, ab Oppido duo circiter paſſum millia remotam, ſecedere ſolitus erat: vbi binas, ac ternas, in orationibus, horas inſumens, corpus verberibus caſtigabat. Cùm verò erga Dominicam Paſſionem, maxima animi pietate afficeretur, hoc tempore id primùm agere inſtituit; vt intempeſta nocte, impoſitam ſibi in humeros trabem, quæ Crucem Domini ſuo pondere referret, per omnes Oppidi Eccleſias raptaret: hoc verò piæ exercitationis opus, quàm Domino gratum fuerit, pluribus deinde Miraculis, quæ inferiùs referenda erunt, planè declaratum fuit.

*Tertij Ordinis B.P.Franciſci habitum aſſumit.*

*Rei Medicæ ſtudia cum oratione coniungit.*

*Crucis Signo grauiter ſauciatum curat.*

*Trabem ob Dominicæ Crucis memoriam humeris raptat.*





Feruebat in Matthæi animo, atque in maiores in dies flammas excreſcebat, æternorum amor: quo factum eſt, vt cùm mundanos compedes, quibus hactenus, adhuc altero pede, in ſæculo detinebatur, iam ferre non poſſet: exacto ſuſcepti muneris tempore, quo ſe Oppidi ſui curationi obſtrinxerat; ſtudiorúmque ſumptibus vtcumque domui inſtauratis; Mundo, ac Parentibus valedicere decreuerit. Quapropter paterna domo relicta, Romam proficiſcitur; vbi vitam ſibi inter Capucinos eligens, à Bernardino Aſtenſi, tunc Romanæ Prouinciæ Prouinciali Vicario, anno 1539. ad Religionis ſinum recipitur.

*Inter Capucinos adſcribitur.*

XVIII. Poſt Religionis ingreſſum, cùm ſe nouus Chriſti Miles, Mundi exuuiis depoſitis, vero S. Franciſci habitu contectum, atque in ipſius Familiam cooptatum cerneret: tam animo exultare cœpit; vt iuges, per aliquot menſes, præ gaudio lachrymas funderet. Ordinis probationes, quæ aſperrimæ eſſe ſolent; cuiuſmodi ſunt victus penuria, ieiunia, vigiliæ, quotidiani labores, carnis flagella, corporis & animi mortificationes, pedum nuditas, frigoris rigor, habitus aſperitas: demùm quę in Religione aſpera, quædura quæ ſenſui amara paſſim ſe ſe offerunt; ardentiſſimo Matthæi animo, tum parua ac leuia eſſe videbantur: vt nec quicquam graue eſſe putaret, quod diuinus Amor, ac charitatis incendium, illi leue non efficeret. Quanquam verò, hoc tempore, in præſtantioribus animi bonis adipiſcendis; quæ in veris, ac ſolidis virtutibus ſita ſunt; omni ſtudio incumberet: neque vllus eo humilior, nemo abiectior, nullus ad vilia omnia obſequia peragenda propenſior, nullus denique ad omnium virtutum ſtudia ardentior, conſpiceretur. Duo tamen ſunt; quæ in nouo tyrone admiratione potiſſimùm digna erant. Primum, quòd cùm ætate prouectior ad Religionem acceſſiſſet, (iam enim vigeſimùm octauum annum attigerat) Virque eſſet omnibus liberalibus diſciplinis eruditus; grauis, ac multarum rerum vſu exercitatiſſimus: ea tamen animum ſimplicitate imbuit; vt omnem prorſus humanæ ſapientiæ ſenſum, omnémque propriæ mentis ſententiam; quæ ab iis haud facilè diuelli poteſt, qui ex literarum ſtudiis rerum intelligentiam ſunt aſſecuti, exuiſſe videretur. Mortuum ſe ſuper terram exiſtimabat nouellus tyro: atque vt cæleſtem vitam adipiſceretur, haud alio, quàm obedientiæ, ac humilitatis ſpiritu ſibi viuendum præſtituerat. Quo ſanè fiebat, vt tam cæca in omnibus, quæ ſibi imperabantur, obedientia duceretur; vt iumenti inſtar, non quid iuſſum, ſed quomodo iuſſis parendum eſſet, apud ſe perpenderet. Alterum eſt; quòd eam animi ſimplicitatem, humilitatem, modeſtiam, obedientiam, verecundiam, ac cæteras Nouitiatus virtutes, ac inſtituta, quæ ſemel in Nouitiatus anno, ſimul cum Religionis habitu induit, tam auidè deinceps amplexatus fuit, ac mordicus retinuit; vt ea toto vitæ ſuæ curriculo, nunquam ab animo depoſuerit. Quo fit, vt etſi aliis præeſſet; eandem tamen diſciplinæ formam in animi demiſſione, in morum compoſitione, in ſilentio, in oculorum mortificatione, in loquendo, in agendo, Guardianus ſeruaret, quàm Nouitius ſibi comparauerat.

*Mirus in eo animi feruor ad dura ſubeunda.*

*Humanam Sapientiam exuit.*

*Cæca in omnibus Obedientia ducitur.*

*Nouitiatus diſciplinam integram vſque ad obitum ſeruat.*

XIX. Exacto verò Probationis anno, cùm generoſus Chriſti Miles ſe in palæſtra verſari, ſibique cum veternoſis hoſtibus fortiter decertādum eſſe intelligeret: primùm aduersùs carnem, quæ ſpiritui inimica eſt, bellum eſt adorſus; quam frigore, ac nuditate, vnico tantùm habitu, inter ipſos gelidiſſimi hyemis rigores, contentus, perſequi cœpit. Verùm cùm rudioris habitus aſperitas, haud illi ad auſteritatem ſufficeret; aſperum ſub eo ciliciū, ad genua vſque defluens, gerebat; ac præterea ſub cilicio, catena, quæ corpus in ſpiritus ſeruitutem redigeret, lumbos præcingebat. Nunquam ſandaliis vſus, nudis pedibus, quacunque anni tempeſtate, niuem, glaciémque premens: Tanta interea carnem abſtinentia extenuabat; vt quotidiana non modò ieiunia coleret; quibus ſæpiſſimè nihil præterquàm panis, & aqua cibum miniſtrabat: ſed ipſam quoque corporis refectionem aliquando ita contraheret, vt bis tantùm, vel ter in hebdomada ad victum neceſſaria ſumeret. Semel verò cùm Epiphaniæ quadrageſimam celebraret; auſterioris ieiunij cupiditate incenſus, S.P.

*Summam vitæ auſteritatem colit.*

*Admirabili abſtinentia nitet.*

Franciſci exemplo, diu ab omni cibo abſtinere voluit: cùm autem vſque ad decimum ſeptimum diem, abſque vlla corporis, præterquàm ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quam quotidie deuotiſſimè offerebat, refectione perueniſſet: hîc ſiſtere voluit; ne cum Beato Patre de ieiunio contendere velle videretur: ſed conſueta panis, & aquæ refectione vſus fuit. His prolixæ noctis vigiliæ accedebant, quas poſt Matutinas Horas potiſſimùm obſeruans, cùm in oratione, ac rerum diuinarum contemplatione inſumeret, breuem tantùm humi, aut ſuper tabulas iacens, corpori ſomnum indulgebat. Hæc in Matthæo, eò maiori admiratione digna erant, quòd cùm corpore gracilis, ac natura delicatus eſſet, minùs tot auſteritatibus aptus videretur. At qui hominum naturam condidit; is militi ſuo robur, ac vires corporis augebat; quibus, ad multorum exemplum, ſtrenuè aduersùs carnem dimicaret.

*Aſſiduum illius in Orationis ſtudium*

XX. At neque hanc auſterioris vitæ diſciplinam, in ſæcularium domibus, ſi quando iter faciens, ad eos diuerteret, remittebat: ſemper enim lautioribus cibis prætermiſſis, vilioribus tantùm veſcebatur; vel eos cautè cinerum, & aquæ commixtione inſipida reddebat. Nunquam in lecto, ſed vel humi, lapide ſibi capiti ſuppoſito, vel ſuper tabulas iacere conſueuerat: conſuetáſque noctis vigilias ſeruans, ac Flagellationes exercens, diuinam ſibi inter noctis tenebras è Cælo lucem comparabat. Sed quoniam ægrum, ac imbecille corpus, feruentioris animi vias, æqua virtute percurrere, ac illius veſtigia ſequi minimè valebat: inde accidit, vt ſæpè in languores incideret: quo tempore, etſi vitæ auſteritatem nonnihil remitteret, ac inducias cum hoſte paciſceretur; vbi tamen conualuerat, bellum rurſus aduersùs carnem inſtaurare, duriuſque in ipſam agere ſolebat. Verùm cùm his corporis incommodis frequenter afflictaretur; tandem & ſandalia ferre, ac pallium cum habitu geſtare, aliquando compellitur. Rigida tamen, quæ ſemel exorſus fuerat, ieiunia, ad mortem vſque integra ſibi eſſe voluit.

*Cibos cineris & aquæ immixtione inſipidos reddit.*

XXI. In oratione, ac præſertim in Dominicæ Paſsionis contemplatione, potiores animi ſui delectationes collocaſſe videbatur. Hinc ſpirituale illud exercitium, quod in Dominicæ Crucis memoriam, adhuc ſæcularis inchoauerat; etiam poſt ſuſceptam Religionem pari ſtudio proſecutus eſt. Sæpè enim, cùm id temporis, ac loci opportunitas ferret; in profundo ipſo noctis ſilentio ſurgens, poſt longam corporis flagellationem, trabem ſibi humeris imponebat; nudiſque pedibus ad Eccleſias pergens, Chriſtum Dominum Crucem ad Caluarium deferentem meditabatur, atque interdum lachrymoſis gemitibus, ſacram Domini Paſsionem, iuxta Matthæi Euangelium recitans deplorabat: quo tempore haud rarò accidit, vt cæleſtia quædam lumina, à nonnullis conſpicerentur, quæ ipſum euntem ac redeuntem comitabantur. Hæc lumina primùm Leoniſſæ, à quadam pia fœmina viſa fuêre; dum Matthæus adhuc Tertiarius, pium hoc opus, intempeſta aliquando nocte præſtaret. Cùm verò inter Capucinos hoc ipſum nocte quadam proſequeretur; Sacerdos quidam, Manfredus nomine, ex Auguſtinianorum Familia; Vir pietate eximius, qui Matthæum nonnunquam pio operi inſudantem obſeruauerat, ſe illi comitem adiungit: quo tempore contigit; vt Vir quidam, cui iumenta è ſtabulo aufugerant, in eos incideret. Cui Matthæus, antequam ab eo de iumentis interrogaretur: Amice, inquit, ne iumenta hac via quæras: Illac perge, ac reperies. Stupet ille, cùm Matthæum ſui itineris cauſam, necdum illi manifeſtatam, ſibi aperiri audit. At eò magis deinde obſtupuit, quòd ab eo diuulſus, cùm poſt terga ſpectaret, pleraque lumina, (cùm nullum antea vidiſſet) vnà cum Matthæo incedere conſpicit. Denique vix ille alia, quæ ſibi à Matthæo demonſtrata fuerat, via progredi cœpit; cùm iumenta, quæ amiſſa lugebat, ſibi ſtatim obuia habet.

*Pium trabis exercitium proſequitur.*

*Dum trabem raptat, lumina cum eo incedere cernũtur.*

*Occultas hominis cogitationes penetrat.*

XXII. Interdum quoque Dei Seruus, graui illo pondere onuſtus; quò acerbiùs diuinæ Flagellationis dolores in ſeipſo experiretur, & maiori pietate opus illud

exantla



exantlaret; ſeipſum ad ſanguinem vſque flagellis cædere conſueuerat. Quo fit, vt ſæpè nix, qua humus eo in itinere tegebatur, ſanguineis ſtillis circumquaqueruberet. Cæterùm hic luminum ſplendor, varium intuentibus aſpectum præferebat. Etenim à nonnullis, velut accenſa fax, ab aliis ſyderis inſtar videbatur: quandoque etiam plura, interdum pauciora; quædam præcedentia, alia ſubſequẽtia lumina cernebantur; quæ cùm Virum Dei euntem, ac redeuntem; donec trabem deponeret, proſequerentur; hoc ſanè Religionis opus Deo gratiſſimum eſſe, non obſcurè conteſtabantur: quippe qui è Cælo Angelos, illi in eo viæ curriculo, comites adiungeret. Ex hac Dominicæ Paſſionis memoria, ſummam Vir Dei, erga Sacro-ſanctam incruenti Sacrificij oblationem, animo Religionem hauſerat, qua fiebat; vt nunquam, niſi poſt prolixæ orationis ſpatium, ad eam accederet: rémque Sacram tam ardenter perageret, vt nonnunquam ex ardentiſſimo diuinæ charitatis incendio extra ſenſus ageretur; quod illi aliquando Narniæ accidit, dum in Cathedrali Eccleſia ſemel Sacrificium offerret; vbi toto populo ſpectante, in extaſim raptus, in ea per dimidiæ horæ ſpatium, ſenſibus exceſſit.

*Pia illa Trabis raptatio quàm Deo grata.*

*Dum ſacrum Miſſæ Myſterium peragit in exceſſum rapitur.*

XXIII. Ardentiſſimus animarum zelus, & Chriſti charitas, quę Apoſtoli animum vrgebat, Apoſtolica Viri Dei ita viſcera depaſcebatur; vt cùm primùm illi à Patribus prædicationis munus creditum fuit; nulli labori parceret, nullíque temporis opportunitati deeſſet; qua non ſe totum in aliorum ſalutem indiſcriminatim effunderet. Cùm enim Sapientibus, & inſipientibus ſe debitorem agnoſceret: non Vrbes tantùm, aut celebriores ſuggeſtus, vel nobilium Auditoria, vana ambitione captabat: ſed humiliora ſibi potiùs Oppida eligens, Vicos, & Caſtella prædicando percurrebat: neque vllius, tametſi infimi hominis, ſalutem ſibi aſpernandam putabat; ſed Chriſtum pro omnium ſalute mortuum ante oculos gerens, pro omnibus tam auidè ſeipſum impendebat; vt quos verbo ad Deum pertrahere non poterat, oratione, ac fuſis ad Deum lachrymis lucrifaceret.

*Dei Verbum cunctis indifferenter prædicat.*

XXIV. Semel accidit, vt Capucinorum Conuentu iam Leoniſſæ ædificato: Virgilius quidam eiuſdem Oppidi incola adoleſcẽs, a Germanis Fratribus, inter quos is minimus natu erat, in Montem Maſſium, Oppido contiguum mitteretur; vt inde equum, qui in eo paſcebatur, domum reduceret. Iam dies ad veſperum declinabat; Soléque ad occaſum ruente, dum Virgilius ad Montem pergit, noctis tenebris intercipitur: quibus ille pertæſus, in horrendas blaſphemias cœpit erũpere; atque, eodem tempore Cælum nubibus obductũ, tot tonitruis horribiliter mugire, grandinem fulminare, ac ventorum flatibus perſonare cœpit; vt Mons radicitùs euellendus eſſe videretur. His tamen Virgilius, haud melior factus, cùm equo inuento domum rediret; Matthæum extra Oppidum ſibi occurrẽtem offendit: qui protinus ad eum inquit: Quid ſceleris patraſti, Virgili? En huc tui cauſa venio: Satanam enim ob blaſphemas voces, quas in Deum tam impiè iactaſti, magnoperè in te concitatum vidi; qui ſuas in te vires exerere parauerat, niſi te Dei clementia ſuorum precibus adiuuiſſet. Caue, fili, ne iterũ te Dei ira intercipiat. Culpam pœnitẽtia expia, à blaſphemiis abſtine, mores corrige, vitámque compone: lento enim pede procedit diuina vindicta, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. Expauit periculo Iuuenis, diuináque gratia adiutus, vitam, moréſque correxit.

*Blaſphemantem à Dæmonum furore ſuis precibus liberat.*

XXV. In Dei Verbo diſſeminando, Chriſti Seruus, tanto charitatis æſtu ferebatur: vt cùm iuxta Apoſtoli conſilium, peccatores argueret, obſecraret, increparet acerrimè; vberes ſemper ex prædicatione fructus referret; neque vnquam abſque animarum lucro ab ea recederet. Porrò inter alia ſpiritus dona, quæ Altiſſimus Seruo ſuo contulerat, illud potiſſimùm erat: quòd ad animos conciliandos, pacémque inter inimicos componendam, è Cælo datus videbatur. Affluebat Viro Dei mira quædam, tum in dicendo, tum in agendo ſuauitas; qua cùm ſe omnium moribus, ac ingeniis aptaret; omnium quoque animos ad ſe alliciebat. Vis etiam ipſius verbis ea à Deo inſita erat; vt ipſos quoque feros, ac rebelles animos ad ſe compelleret,

*Lites componit, & pacem inter inimicos conciliat.*

ac rationi

ac rationi ſubderet:eo fiebat;vt vndique ad lites,& controuerſias inter ciues componendas,ab Vrbibus poſtularetur. Cùm verò lis aliqua illi pertractanda, aut odia extinguenda eſſent, id ei legitimum, ac perpetuum erat:vt præcedenti nocte,piam illam Dominicæ Paſſionis memoriam trabe in humeros ſublata,celebraret : quam etiam ſibi adhibere ſolebat,quoties arduum aliquod conuerſionis animarum opus aggreſſurus eſſet;aut quidpiam à Deo impetrare cuperet:maximum enim inde ſibi è Cęlo præſidium accedere,haud ſemel expertus fuerat. Cùm ad Vertij Oppidum, quod haud longè Leoniſſa diſtat,aliquando prædicaturus acceſſiſſet:à quodam Petro Manno,ſibi familiari,hoſpitio excipitur ; qui cùm Matthæi auſteritatem non ignoraret;ab eo quærit,quidnam in cœna,quod illi gratum eſſet,ſibi parari vellet: protinus ille.Mel frugum, ſeu Panicum ( inquit)quod vile eſt frugis genus; ad cœnam para. Parato itaque pulmento ex Panico,atque illi appoſito;antequam is pulmentum attingeret,cineribus reſpergit;ac tum ex eo nõnihil guſtare cœpit:Quod cùm Petri vxor ægrè ferret,ad Matthæum conuerſa:Quid eſt , Matthæe, ( inquit) quòd cinerem cum Panico commiſces?Num vt meliùs tibi ſapiat?Id profectò , reſpondit Matthæus : magis enim animi palato cinis ſapidus eſt,quàm Panicum ſenſui:idcircò ne ſenſus animi guſtum intercipiat,cinis pulmento commiſcendus fuit. Breuique cœna peracta,ad paratum ſibi cubiculum ſe recipit : ex quo paulò poſt, velut occultò erumpens,ad campeſtrem Eccleſiam B. Mariæ dicatam , quæ mille paſſus ab Oppido diſtat,conſueta trabe onuſtus pergit.Petrus verò , qui Matthæi acta explorare ſtatuerat : vbi eum domo exiiſſe comperit;è longinquo inſequitur. Porrò Matthæus trabe,quam in via offenderat, humeris impoſita,ad Campeſtrem illam B. Mariæ Aedem fune ſibi ad collum alligata,pergit:cúmque euntem,ac redeuntem Petrus eminùs ſequeretur; claris ſemper luminibus ſeptum procul aſpicit:ipſumque tandiu eo luminum ſplendore ſtipatum cernit; donec is trabe , ante Eccleſiam S. Angeli, illius Oppidi Parochialem, depoſita ; funéque è collo ſoluta domum rediret:quo tempore luminum quoque fulgor abſceſſit.

*Arduum aliquid aggreſſurus pium trabis opus exercet.*

*Pulmentum cinere conſpergit.*

*Lumina Matthæum trabem ferentem ſequuntur.*

Hoc planè modo,dum Leoniſſæ Mulier quædam laterum dolore,ſiue pleuritide XXVI. correpta,grauiter ægrotat : Matthæus intempeſta nocte , graui illo trabis pondere onuſtus, ad S.Trinitatis Eccleſiam,quæ longiùs ab Oppido diſtat , conſuetis luminibus circumſeptus peregrinabatur :quod cùm ægrotanti renunciatum fuiſſet;redeuntem per familiares accerſit ; atque vt pro ea ad Deum preces fundat,obnixè rogat.Is verò cùm egram verbis cõſolatus eſſet;Signo Crucis lateri adhibito,ſtatim morbum fugat,laborantémque priſtinæ incolumitati reſtituit. Eo quippe teſtimonio Deus cunctis manifeſtum eſſe voluit,quã pio hoc religionis officio coleretur.

*Signo Crucis Pleuritide laborantem ſanat.*

Leoniſſæ Conuentum,Matthæus poſt Generale Capitulum,quod Neapoli anno XXVII. 1549. celebratum fuit,facultate à Bernardino Aſtenſi impetrata,extruxit:vbi cùm inter ipſa Conuentus exordia,ſolus ipſe cum duobus tantùm Fratribus ædificationi incumberet;contigit, vt tam multa nix è Cælo aliquando deſcenderet,vt Oppidum, nulla via , ad ea quæ vitæ neceſſaria ſunt,quærenda , adire poſſent. Porrò id ea tempeſtate Fratribus commune,ac legitimum erat;vt nihil in ſequentem diem ſibi ad victum,annonæ ſeruarent.Niue igitur obſeſſi,cùm nec quòd manducarent, nec vnde alimenta ſibi quærere poſſent,haberent:Matthæus ſocios ad Deum confugere , & de illius Prouidentia benè ſperare iubet.Totũ iam matutinũ tẽpus ab iis in oratione,ac diuinis rebus inſumptum fuerat:iámque inſtabat meridies; cùm Familiæ Fratres, Dei opẽ impenſiùs flagitant,ac præſtolantur. Aliis quidẽ videbatur, Deum minimè tentandũ eſſe:ſed omnia priùs exantlanda,quibus via ad Oppidum aperiri poſſet.Suadet Matthæus omnes æquo animo eſſe , nec Deũ illis ſua Prouidentia defuturũ ſpondet.Dum hæc inter ſe pertractant;fores Conuẽtus pulſantur: ſtupẽt omnes;ad oſtiũ accurritur;nullúſque præ foribus reperitur,nullius veſtigia in niue cernuntur:quatuor tantũmodò panes,cum olla ęnea pulmẽto plena,in ipſo oſtij limine apparẽt; quæ illis ad victũ ſufficerent.Hæc Fratres, actis Deo ex animo

*Diuino Miraculo,panis, & pulmentum fratribus miniſtrantur.*

gratii



gratiis ſumentes ; maiorem deinceps de Dei Prouidentia ſpem animo concipiunt. Poſthæc aliud quoque Monaſterium,in Aquilana Vrbe,in qua tandem diem extremum clauſit,ante obitum auſpicatur : quod tamen morte ſublatus , ad perfectum vſque perducere non potuit.

XXVIII. Interea germanus illi frater,in Min.Conuentualium Ordine,Concionator erat, Ioannes nomine:quem ſæpè ad Regulæ obſeruantiam ; ac præſertim paupertatem, Deo iuratam,acrioribus verborum ſtimulis prouocabat. Ridebat ille,ac fratris monita aſpernabatur.Contigit verò,vt aliquando Matthæus ad illius cubiculum accedens , illud periſtromate ornatum ; lectum ſub conopæo magnificè ſtratum ; Abacum,vaſis,è Balearibus allatis,inſtructum conſpiceret.Qua ex re grauiter commotus,ac Dei zelo correptus,ad fratrẽ inquit. Quænã iſthæc ſunt,frater,humili,ac paupere S.Frãciſci filio planè indigna?Vbinã Deo data fides? Vbi Regulæ obſeruantia? Vbi paupertatis zelus?Nihil ne te conſciẽtiæ languores premunt;neque diuinæ vindictæ terrores exagitant?Non hæc te ſceleris,ac violatæ fidei arguunt;atq; ante Dei Tribunal reum condemnandum conſtituũt? Quid Minori Fratri cum tanta ſupellectilis pompa ? Hæc vbi protulit : baculo,quem manibus gerebat , vaſa illa omnia confregit,periſtromata manibus diſcerpſit,conopæumque vi è lecto diuellens:Noli(inquit)Frater,noli hoſtes,qui te in Dei Iudicio trucidabunt , tecum in cubiculo fouere.His damnis , ac verbis frater, nec minimùm commotus , his tantùm profecit;vt animo in meliùs mutato,poſt vnius,vel alterius menſis tempus,ad Capucinos tranſuolauerit. Is namque in huius beati Viri animo Regularis obſeruantiæ zelus æſtuabat;vt cùm eam vel leuiter violari animaduerteret,nullis verbis,ac correptionibus parceret.

*Germanum fratrem increpat, & ad meliorem frugem prouocat*

*Germanus illius Frater ad Capucinos migrat.*

XXIX. Præclaram,abſolutamq; hanc Serui ſui ſanctitatem,cùm Deus Orbi manifeſtam eſſe vellet:non modò illum Prophetiæ dono , quo copioſiſſimè exornatum eſſe voluit:verùm & maximis,ac clariſſimis ſignis illuſtrauit:ex quibus tametſi quamplurima temporum iniuria perierint:quæ tamen integra ad nos vſque perlata ſunt;cùm certo teſtimonio probata fuerint, maximè ad diuini Nominis gloriam augendam, atque huius Viri ſanctimoniam declarandam conferunt. In his igitur,præter ea,quæ paſſim hactenus commemorauimus,primum enumeratur: Quòd cùm Leoniſſæ,inter Maſtrociorum , & Menincangelorum familias , quæ illius Oppidi potentiores erant,odia ac ſimultates graſſarentur : ſæpè fiebat,vt vtrinque cædes patrarentur: Accidit verò , vt cùm mutuis aliquando factionibus ad arma concurrentibus , tumultu exorto,maxima in Oppido rerum omnium perturbatio eſſet:teneræ cuidam puellæ,quæ Curtia vocabatur,ob armorum terrorem,qui illius animum inuaſerat, os repentè ita diſtortum,atque à proprio ſitu mutatum fuerit;vt magis ad occiput, quàm ad frontem vergeret:id cùm Antonia,puellæ mater , grauiſsimè deploraret : tandem Matthæi,cuius ſanctitas cunctis iam perſpecta erat,opem ſibi implorandam ſtatuit.Quapropter eum domum accerſitum ſummis precibus rogat,vt puellæ,quã monſtro ſimilem lugebat,ſuis à Deo precibus auxilium poſcat. At Matthæus teneram puellam inter vlnas accipiens, eidémq; ſuper genua blandiens:quis eſt(aiebat) puellula mea,qui os tibi tam malè contorſit?non eſt hic oris locus :cumque interea manu ipſius os attingeret,atq; ad proprium locum compelleret:protinus os ad priſtinam ſedem rediit;Matthæus verò matri:En,inquit, filiã modò habes ex hac oris deformitate liberam. At heu peiora ſunt,quæ illius ori aliquando imminent mala. Res tunc omnibus obſcura fuit:at poſt aliquot annos; cùm puella ad nubilem ætatem excreuiſſet:forte accidit; vt rixa inter partes iterum excitata,qui hoſtem bombardæ ictu oppetere cupiebat : iuuenculam, ante fores domus ſedentem pro hoſte transfixerit : oſque illius glande tranſuerberauerit,quo ex vulnere interempta , verum Matthæi de ea vaticinium eſſe comprobauit.

*Os puellæ diſtortum manus contactu reſtituit.*

*Futurum puellæ infortunium prædicit.*

XXX. Eodem porrò tempore huic Soror erat,nomine Nanſidonia:quæ cùm prægnans in lecto iaceret ; partuſque periculum extimeſcens , obnixè ſe Matthæi precibus

commenda

*Mulieri partum cum ſalute prænunciat.*

commendaret. Mox illi Matthæus. Ne verearis, inquit, Mulier, ſalua maſculum paries, Matthæique nomen illi imponito. Quid plura? vix pauci elabuntur dies, cùm Mulier puerum incolumis enititur, ac iuxta Matthæi placitum, Matthæum appellat.

Poſthæc, in eodem Leoniſſæ Oppido, Mulier quædam, Caratenuta nomine, quæ Matthæo familiaris erat, partus doloribus angebatur; quum Matthæus illius domum ingreſſus, audito prægnantis periculo, ſeorſim cum ſocio ſecedens, pro ea ad Deum preces fundit. Interea, eo orante, Mulier maſculum parit, nunciuſque ad Matthæum feſtinus properat, læta de partu renunciaturus: cui Matthæus: Sile, inquit, quid factum ſit, non ignoro. At vniuerſos admone: ne quis fœtum contingat, aut pannis inuoluat; donec ad puerum acceſſero. Iuſſis mox obtemperatum. Interea Matthæus, necdum ab oratione ſurgens, pro puero Dominum rogat. Oratione tandem peracta, ad puerum veniens, illum ex humo, in quo etiamnum iacebat, attollit; atque in fronte ſignans. Benè, inquit, tibi fuit, ô Infans, quòd Diuum Auguſtinum, in Cælo, apud Deum patronum habuiſti: rurſuſque Cruce conſignatum, Auguſtinum appellari voluit. At verò cùm poſthæc Mater ab eo quæreret: Cur tamdiu humi infantem iacere voluerit? Ne id (inquit ille) Mulier curioſiùs inquiras. Puero id prorſus neceſſarium fuit; ne quid illi grauius contingeret. Etenim, Deo reuelante; didicerat; Puero in poſterum patibulum parari; idcircò illum Vir Dei, nec pannis inuolui, neque ex humo tolli; ſed nudum in ſolo tandiu iacere voluit; quoad Deus clementiſſimus, & Infantis pœna, & ſerui ſui Oratione erga illum miſeratione commotus, ſuſpendium reuocaret: ac benignioribus oculis fœtum aſpiciens, inter domus ſuæ familiares aliquando collocandum decerneret. Huius autem rei illud argumentum fuit; quòd infans, cùm ad iuuenilem ætatem perueniſſet; mundanis voluptatibus contemptis, Religioſæ vitæ inſtitutum amplexatus, inter Capucinos, non ſine virtutum laude, diem extremum obiit. XXXI.

*Præuiſum puero patibulum ſua oratione auertit*

At neque illud prætereundum eſt, quod Mulieri cuidam pauperculæ, graui morbo laboranti, in eodem Leoniſſæ Oppido contigit: cui cùm pharmacum à Medico conſtitutum, Pharmacopola ob id maximè dare recuſaret; quòd ea, ob inopiam, pretium ſoluere non poſſet; id Matthæo renunciatum fuit; qui mox præciſam à pane cruſtulam, in lampadis, quæ ante Altare B. Virginis ardebat, oleo intinctam, ad ægrotantem mittit: quæ ab ea deguſtata, talem medicam vim ſortita fuit; vt exiguo temporis ſpatio, à morbo perfectè conualuerit. XXXII.

*Panis cruſtula in B. Virginis lampade intincta, Aegrotantem ſanat.*

Interea Aquilæ, quæ Aprutij Vrbs eſt, Capucinorum Conuentus extruebatur: cui cùm Matthæus præſideret, cum duobus, vel tribus ſociis, apud Monachos Cæleſtinos, in Cœnobio Collis Magij hoſpitabatur: quo tempore Antonellus Coleniſcenſis, qui Prouincialis, ac Prioris in eo Cœnobio munere fungebatur; in tam grauem paralyſim incidit; vt os illi monſtruosè contortum eſſet. Plurima ad illius curationem pharmaca; quamplurima varij generis remedia à Phyſicis adhibita fuerant nihil denique prætermiſſum, quo os illi ad priorem formam, ac ſtatum rediret: at fruſtra omnia tentata. Porrò is Matthæo chariſſimus erat, quem cùm ſemel in lecto iacentem inuiſeret: his verbis affatus eſt: Num, Pater mi, remedium vllum ad tui morbi curationem ſupereſt? Nullum planè reor, ait, Languens; vniuerſa enim probata ſunt. Cui Matthæus: Atqui efficacius (inquit) necdum tentatum eſt; à quo tuæ curationis exordium auſpicandum fuit. Ecquodnam illud eſt? ait Aegrotans. Noſtin' (inquit Matthæus) tantæ virtutis ſacrum Crucis Signaculum eſſe, vt non ſolùm corporis, ſed etiam animi languores pellat? Cui mox Antonellus. Noui profectò, Pater mi; nec quantæ illud virtutis ſit, ignoro: cùm eo Apoſtoli tot ſigna patrarent: atque illo conſignati, mortui ipſi è ſepulchro reſurgerent. Quare, vt ſacro me hoc Signo honeſtes, te Pater ſupplex oro, atque obteſtor. At Matthæus. Bono, (inquit) animo eſto: piè poſcentibus diuina XXXIII

ſemper



ſemper benignitas adeſt: Cúmque in genua procumbens, Deum aliquantiſper oraſſet; mox ſurgens, manu Crucis ſignum ſuper ægroto protendens, illicò os in priſtinum locum reſtituit, atque integra hominem ſalute donauit.

*Crucis ſigno Cæleſtinorũ Prouincialẽ à morbo curat.*

XXXIV. Hoc ipſo tempore contigit, vt per Antredochi Oppidum iter faciens, ad piam quandã Mulierem, Claram nomine, hoſpitij cauſa diuerteret: quæ cùm vinum, quo Hoſpitem exciperet, præ inopia nõ haberet; clam ad Tabernam vinariã mittere decreuerat, vt inde ſibi vinum compararet: At Matthæus factum anteuertens, Mulieri ait: Quid ab exteris vinum quærere paras; cùm illud domi copioſum habeas? An non ſi ad Dolium miſeris, illud tibi vinum miniſtrabit? Cui illa: Certè Pater, Fruſtra ad Dolium prouocas: illud enim iam pridẽ exhauſtum eſt; neq; à multis diebus vinum reddit. Nihil vereare, (ſubdit Matthæus) ſemel adhuc tantùm ad Dolium mitte. Cúmq; ea Patris dicto obtẽperans, feſtina ad Dolium cucurriſſet; illud vino plenum offendit. Atque vt huius ſancti Viri virtus, qua apud Deum valebat, clariùs innoteſceret: tanta ex eo Dolio deinceps vini copia effluxit; vt nõ modò per diuturnum tẽporis ſpatiũ, toti domus Familię ſufficeret: ſed cùm illud, ex Matthæi præcepto, abundè pauperibus, atque ægrotis erogaret; vix tãdem exhauſtus fuerit.

*Vinum Mulieri ſua Oratione impetrat, ac multiplicat.*

XXXV. Per id quoq; tempus, in Agro Leoniſſenſi, Ruſticus quidã, Calabricius cognomine, ægrotãs, graui cibi inapperẽtia laborabat: quem cùm Matthæus familiariter inuiſeret: ab eo tandem quærit. Num quicquam, quo illius guſtus excitari poſſet, ei in mentẽ veniat. At ille. Vini (inquit) nonnulla cupiditate teneor: ſed cùm vino ob inopiã careret: Afferte, inquit Matthæus, mihi aquæ poculũ: quod quum primùm ſigno Crucis benedixit, infirmo obtulit: qui vbi aquã diuina virtute in vinum cõmutatam guſtauit: mox ab infirmitate conualuit. Huius generis quinq; alia tum Leoniſſæ, tũ Aquilæ, tum Antredochi miracula ab eo patrata narrantur; quibus admirabilis huius Viri ſanctimonia magis in dies apud homines illuſtrabatur. Veruntamen alia, quæ ſubſecuta ſunt, illuſtriorẽ proculdubio reddidêre. Nam vti publica Tabellionis Fide teſtatũ conſtat: dum is in Aquilana Vrbe Conuentus ædificationi præſideret, contigit; vt Rinaldi cuiuſdã, Iuris vtriuſq; Doctoris filius, qui illi vnicus erat, diem tandem vitæ nouiſſimum clauderet: cuius obitu cùm Pater, velut præ dolore inſaniens, ferè in deſperationẽ rueret: Matthæus, dum mortuus adhuc in lecto iaceret, vt Patris dolorem leniat, à propinquis vocatur: qui illius caſum miſeratus; vbi cunctos è cubiculo egredi compulit; poſitis genibus pro defuncto diutiùs orat: tandem ab oratione ſurgens, cùm defunctũ Crucis ſigno conſignaſſet, eundẽ ad vitã reuocat; factúmq; ita euulgatũ fuit; vt nõ modò Patrẽ, ſed & Vrbę totã teſtem habuerit.

*Aquam in vinum conuertit.*

*Mortuũ Doctoris filium ad vitam reuocat.*

XXXVI. Huic aliud quoque ſimile accedit, quod in eadem Vrbe contigit: Cùm enim cuiuſdam mulieris viduæ filius, qui matris canitiem ſuis laboribus ſubleuabat, morte ſublatus fuiſſet: flebat irremediabilibus lachrymis Mater, mœſtitia, ac dolore penè obruta; ad quam cùm Matthæus conſolator acceſſiſſet; illa ſancti Viri pedibus obuoluta, ſummis eum precibus, ac lachrymis rogat; vt mortuo filio vitam reddat: Cui Vir Dei; Quid me, inquit, vilem peccatorem pro defuncti vita interpellas? Non hæc à me, ſed à Deo miracula quærenda ſunt. Illa contrà magis ſe ſe in lachrymas effundere, & exclamare, Vir Dei, filium mihi tuis precibus redde: id potes, ſi vis: ne miſeram ſpernas. Nam & viduam lachrymantem Dominus non repulit, cuius filium è ſepulchro reuocauit. Stetit Matthæus, & viduæ vices miſeratus, ad defunctum pergit; genua ante Dominum flectit, in oratione aliquandiu perſeuerat: tum ad mortuum accedens, ſigno Crucis benedictum, rurſus ad lucem reuocat; atque inde feſtinatò abſcedit. Defunctus verò rediuiuus ſurgens, cùm ſupplices palmas ad Cælum tetendiſſet; Matri inquit, Deo gratias agamus, dilecta parens, qui per huius ſancti Serui ſui merita mihi vitam reddidit; reſque vbique per Vrbem diffamata fuit.

*Mulieris viduæ filium ſigno Crucis à mortuis ſuſcitat.*

XXXVII. Tertium quoq; in eadem Vrbe anno 1541. mortuũ ad viuos reuocat. Res verò ita accidiſſe fertur. Paulus quidã Aquilæ erat, Vir pius, & Cõgregationis Capucinorũ

cum primis deuotus: qui cùm vnicum filium cariſſimum haberet, is aliquando in
morbum incidit: Pater verò de filij incolumitate ſollicitus, poſt diligentiſſimā Phy-
ſicorū curam, quam nec minimum ægrotanti prodeſſe cernebat, cùm morbū ingra-
ueſcere animaduerteret, aſſiduas à Fratribus orationes fieri depoſcebat: ac neq; pio
officio Fratres deerant, Viri tū pietate, tū calamitate moti. Deus verò cùm maiorem
ſibi hinc gloriā comparare vellet: & morbum ingraueſcere, filiúmq; inter parētum
manus animā expirare voluit. Tantus ob filij obitū vtrumq; parētem dolor inuaſit;
vt nec cibū ſumere, nec mœroris ſolatia vlla capere vellent: ſed lachrymis, ac fleti-
bus omnia vela darēt. Interea propinqui, dū funus Defuncto parāt, Matthæū accer-
ſendū curāt, vt mœſtiſſimis parentibus aliquid conſolationis impertiatur. Cōuolat
ad piū opus Matthæus, ac domum ingreſſus, cùm plurimā lugentium turbam vide-
ret; qui omnia fletibus, ac eiulatibus implebāt; cunctis ſilentiū indicens, mox in ſe-
cretū ſe cubiculum confert; vbi diutiùs orans, poſtremò ab oratione ſurgit: cúmque
ad defunctū Adoleſcentē reuerſus, vniuerſos hilari vultu ſalutaſſet: Quid ploratis?
inquit, nō eſt mortuus Adoleſcēs, ſed dormit. Tum ad mortuū accedens; vbi illū te-

*Adoleſcenti ſua oratione vitam reſtituit.*

nerrimè amplexatus eſt, ſigno Crucis benedicit. Adoleſcēs verò, cū rurſus hui⁹ vitę
vſura, diuina virtute, frui cœpiſſet; ſtatim oculos aperit, ac rediuiuus parentes, ac
circumſtantē turbā ad Dei laudes, quas ille prior exorſus eſt, celebrādas prouocat.
At nec minori admiratione dignum eſt, quod Sancti huius Viri virtute erga Di- XXXVI.
dacum, Hieronymi Cerquæ, Aquilanę Arcis Præfecti filium, diuino planè miraculo
ab eo geſtum fuit. Hic enim ad mortē ægrotans, dum iā ſenſibus omnibus deſtitu-
tus, extremo conflictu cum morte colluctatur; eò Dei Seruus vocatur: qui cùm pia
huiuſmodi officia lubens impenderet; ſolus moribundi cubiculum ingreditur:

*Moribundum poſt Orationē incolumem reddit.*

ex quo cùm paulò poſt egreſſus eſſet, qui morti propinquus erat, ſaluus, & incolu-
mis, beati Viri oratione cernitur. Quamobrem pater tanto miraculo obſtupeſcens,
ſumma, quoad vixit, Virum Dei veneratione deinceps proſecutus eſt.
Eam præterea Deus Seruo ſuo virtutē contulerat; vt non præſens ſolū, ſed abſens XXXVII.
quoq; iis, qui ipſius opē implorabant, opportunè impertiret. Huius rei teſtis eſt, Vir
quidam Matthæo deuotiſſimus; qui cùm fluuium, quo Vrbs Aquilæ alluitur, tranſ-
uadare vellet; in ſummum vitæ diſcrimen incidit: vndarum enim vi raptus in pro-

*Abſens, illius opem flagitātem, è graui periculo liberat.*

fundum trahebatur: quum in ſummo illo vitæ periculo, Matthæi opem his vocibus
efflagitat: O Matthæe Serue Dei, iam nunc mihi tua ope adeſto; vix hæc dixerat,
cùm repentè ſe in alteram fluminis ripam delatum conſpicit.
Pleráq; etiā varij generis ſigna, ab hoc Sancto Viro patrata leguntur, quæ præclara XXXVIII
ipſius apud Deū merita teſtātur. Inter hæc, illud ſingulari huius Viri sāctitati adſcri-
ptū eſt; quòd cū imbre è Cælo cadēte, is cum Socio Leoniſsā versùs iter faceret; ne
pluuiæ quidē ſtilla illos attigerit: cū tamē aquæ vndiq; propter imbriū copiā exūda-
rēt. Id Mulieri, à quo Leoniſſæ, antequā in eo Oppido Capucinorū Cōuētus, extrue-

*Per imbres cum ſocio abſque imbre incedit.*

retur, hoſpitio exceptus fuerat, nō obſcurè innotuit: quæ cū ignē ad exſiccādas eorū
veſtes inſtruere vellet; eas nec imbre madefactas, nec pluuię guttis humefactas cernit.
Cùm igitur Deus, qui Iuſtorum omnium Corona eſt: Seruum ſuum; quem ante
Sæcularia tempora elegerat, ex vtero matris ſegregauerat, ad gratiæ dona vocaue-
rat, Fide ac præclaris operibus iuſtificauerat; tanta miraculorum dignitate, ac ſplen-
dore magnificaſſet; vt eum vniuerſi, velut cæleſtē hominē ſuſpicerent, prædicarent,
venerarentur: poſtremò etiam glorificare, ac corona donare ſtatuit: vt quē perpetua
charitate, ante natiuitatē dilexerat, poſt vitæ cōſummationē, ſēpiterno cæleſtis glo-
riæ ſinu cōplecteretur. Quapropter dū ſemel in oratione defixus, ad cæleſtes diuinæ

*Orans à Domino breui futurum obitum ſuum accipit.*

charitatis amplexus anhelat, & cū Apoſtolo citiùs è corporis vinculis diſſolui, & cū
Chriſto eſſe cupit; breui Dominus corporis ſui diſſolutionem illi futuram oſtendit.
Quāobrem Vir Dei hoc cæleſti oraculo admonitus, ſtatim Leoniſſam ſe cōfert: vbi
extremū ſuis Vale dicturus, à Fratre ſuo germano cōuiuio excipitur: cui cū & pro-
pinqui omnes, eo poſtulāte, adeſſent; lautiora huius conuiuij fercula, ſalutifera quæ-

dam monita



dam monita fuêre, quæ B. Pater illis, velut ſupremo teſtamento relinquit: quibus
eos ad Dei timorem, ad Mundanarum rerum contemptum, ac cæleſtium amorem
adhortatur. Poſthæc tandem, cùm illis velocem tabernaculi ſui depoſitionem fu-
turam aperuiſſet; eos ad pacem, ac fraternam inter ſe charitatem perpetuò fouendā,

*Germanis valedicit, & ad pietatem hortatur.*

teneris verbis alliciens, vniuerſos ſua benedictione cōmunit, & aqua benedicta aſ-
pergit, illis Apoſtoli verbis vſus: *Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcū.* *2. Cor. 13.*
XL. Inde Aquilam reuerſus, paulò poſt in languorem incidit: quo tempore cùm à
pleriſque tum lautiores epulæ, tum bellaria ſaccharo condita, ad eum mitteren-
tur: ea protinus ad pauperum familias, tametſi ipſi ignotas deſtinabat: quas ege-
ſtate confectas, Deo reuelante, agnouerat. Eo morbo cùm diutiùs ægrotaret, ab
Aquilanæ arcis Præfecto, cuius filium à funeribus reuocauerat; in quoddam ca-

*In morbum incidit.*

ſtrum Vrbi propinquum, Medicorum conſilio, tranſmigrare cogitur: Cùm enim,
ex Phiſicorum ſententia, Cælum illud peſſimum ſit, quod morbum induxit: ea Cæ-
li, ac loci mutatione, à diutino morbo ſubleuandus ſperabatur. Porrò prolixus ille
corporis languor, qui tædium aliis afferre ſolet: Dei Viro eò maiores ſpiritus deli-
cias miniſtrabat, quò ſummo Dei beneficio ſibi datum agnoſcebat; vt non ſolùm

*Aquilæ diutino morbo laborat.*

animo, & cogitatione; ſed ipſa quoque dolorum tolerantia, Domini paſſiones in
ſeipſo perferret; hinc illius patientiæ virtus magis probata, ad illuſtriores illum in
dies coronas parabat. Ea porrò loci mutatione, cùm nedum morbi vis remittere-
tur, ſed potiùs aucta in deteriùs proficeret; iterum Aquilam redire compellitur;
quo tempore à Tullio germano illius Fratre inuiſitur; qui cùm Aternum, ad quæ-
dam Oppidi ſui negotia peragenda proficiſceretur, illius morbum ingraueſcentem
cernens, iter intermittere cogitauerat; vt Fratri ſuprema obſequia præſtaret. Cui
Matthæus; Tulli, ait, ne te mea pericula moueant; res publicas age: adhuc enim
rediens me ſuperſtitem habebis.
XLI. Interea, qui ab Aquilanæ Arcis Præfecto miſſi fuerant, vt Matthæum equo im-

*Equo vti recuſat.*

poſitum. Aquilam reducerent; Dei Virum rogabant, vt equi beneficio frueretur.
Reluctabatur Matthæus. Neq; enim decet, aiebat, eū, qui toto ſuo Religionis curri-
culo, viuens pedeſter inceſſit; nunc moribundum equitare. Cùm verò illi cogerēt,
inuitúmq; ad Ephippium raperent: Agite (inquit) quod vultis: nam fruſtrà in id ad-
nitimini: Deo námq; id minimè gratū eſt, quod ipſo rerum experimēto percipietis.
Itaque cùm Dei Virū equo impoſuiſſent: en extēplò frænum ex ore equi dilabitur,

*Ab equo omnia ornamenta decidunt.*

habenæ diſſoluuntur, perfringitur cingulū, antilena diſſuuntur: vniuerſáque humi
prolabūtur. Quāobrem qui aderant, facto perterriti; quandoquidem in eo Dei con-
ſiliū agnoſcunt: Dei Seruū ex equo deponūt, cúmq; pedeſter progredi nō poſſet, in
Sella geſtatoria collocatū, Aquilam perducunt. Eo tēpore cùm in Aquilana Vrbe,
Capucinorū Conuētus vix prima fundamēta iacta eſſent; pauci tantūmodò Fratres,
qui ſub Mattheo ędificationi incūbebant; apud Cœleſtinos (vti aliàs dictū fuit) cum
Mattheo hoſpitabātur. Nunc verò Dei Seruus, quādoquidē extremū ſibi diē immi-
nere intelligebat: vt ſūmā, quę Minores decet, Paupertatē in morte oſtēderet: nō ad
Cœleſtinos, quibus grauis eſſe extimeſcebat; ſed ad Hoſpitalē Vrbis domū ſe defer-

*Ad Hoſpitalem Domum Aquilam defertur.*

ri poſtulat. Aliis quidē magis placet: vt hoc tēpore Conuētu maiori ex parte exædi-
ficato, in eo Matthæ⁹ cū Sociis habitaret: ac proinde rectà ad Cōuētū delatus fuerit.
Nos perſcripta teſtimonij cuiuſdā auctoritate permoti, quo Hoſpitalis Vrbis dom⁹,
Matthæū in ea extremū vitę diē obiiſſe teſtatur: in hāc potiùs sētētiā declinauimus.
XLII. Hîc igitur cùm Vir Dei ſe ad vitæ occaſū properantem cerneret; extremo prælio
cū Tartareo hoſte cōflicturus, diuinis ſe Pœnitentiæ, & Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sa-
cramētis ad certamē parat: fortiſq; Athletæ inſtar, Sacro ſe Oleo inungi poſcit; vt &
tutiùs cū nudo hoſte colluctetur, & expeditior ad coronā conſcēdat: tū verò vbi ſo-
ciós pręclaris monitis, ad perfectam Regulę obſeruantiā, virtutū profectū, ac diuinā

*Horam ſui obitus prænunciat.*

charitatē cohortatus fuit: Tullio quoq; fratri, qui tūc opportunè Piſcaria redierat;
necnon Ioāni, altero germano, qui ad eū quoq; Leoniſſa venerat; benedictionē im-

 pertitur

pertitur. Tandem hora ſui obitus prænũciata, felix ad Dominũ migrat, die vigeſima prima Iunij. Porrò vix anima mortale corpus exuerat: cùm eadẽ hora, pleraq; circa pinaculũ Templi S. Bernardini, lumina è Cælo apparent, quæ glorioſum illius trãſitum indicant. Confeſtim verò maxima populorum turba ad eum confluit: omnes Corpus attingere, & oſculari contendunt: quamplurimi ipſius habitum in fruſta concidunt; vt quiſque fruſtulum ſibi arripiat: cuncti Sanctum, cuncti Beatum appellant, prædicant, acclamant. Cùm verò Capucinorum (vt diximus) Eccleſia necdum ædificata eſſet; publico Vrbis decreto ſtatuitur; vt corpus, ſolemni funeris pompa, ad Cæleſtinorum Eccleſiam Collis Magij deferatur, ibique in B. Ioannis Sacello condatur. Igitur cùm altera die, totius Vrbis concurſu, Corpus eo delatum, ac ſeorſim in ſepulchro conditum eſſet: plurima ſtatim in eos, qui ad ipſius opem confugientes, illius ſepulchrum viſitabant; Dei miracula coruſcare cœperunt: quorum tanta copia fuit, vt & votiuas tabellas pendere; diuque lampadem ante ipſius ſepulchrum ardere permiſſum fuerit: quo factum eſt, vt neque alio, præterquã Beati Matthæi nomine in Vrbe, ac toto Aquilano agro appellaretur. Horum memoria quo pacto tam integrè perierit, vt vix vnum, aut alterum ad nos peruenerit, planè ignoro.

*In ipſius obitu Cæleſtia lumina apparent.*

*Mortuus plurimis Miraculis coruſcat.*

Poſt huius ſancti Viri obitum, atque eadem (vt putatur) hora, qua is ex humanis exceſſerat: pia quædam Mulier, Leoniſſæ dum orat, in mentis exceſſum rapta, Matthæum ornatiſſimo palatio donatum; atque in magnifico quodam throno glorioſè ſedentem conſpicit, qui ſtatim ex illius oculis euanuit. Alteri quoque deuotæ fœminæ, quæ ipſius merita, ad maſculinam prolem conſequendam inuocauerat, poſt mortem viſus eſt; maſculum illi pollicens, quo deinceps poſt breue tempus potita eſt. XLIII.

*Glorioſus poſt mortem multis apparet.*

Poſt aliquod tempus, percreſcentibus miraculis, quæ ad huius Sancti Viri ſepulchrum patrabantur; cùm Arcis Aquilanæ Præfectus, qui Viro deuotiſſimus erat; tumulum aperiri impetraſſet; candidum in ipſius ore lilium procreatum ab omnibus conſpicitur; ex quo tam cæleſtis odor emanabat; vt pius Vir ſumma in eum deuotione commotus, brachium ex ipſius corpore abſtulerit; atque in Hiſpaniam aſportauerit: quo tempore ipſius Canonizationem apud Pontificem omnibus modis tentandam ſibi proponit; quam facilè rebus tunc integris proſecutus fuiſſet; niſi breui mortali vitæ colophonem impoſuiſſet. XLIV.

*Poſt mortem candidum ex ipſius ore lilium exoritur.*

Breui quidem Matthæus; at ſtrenuo, ac legitimo certamine, gloriæ ſibi coronam cõparauit. Vix enim quartumdecimũ in Religione, & à natiuitate quadrageſimum tertiũ annũ expleuerat; cùm ad triumphũ peruenit. Corpore gracilis, ſtatura altior, barba ad nigredinẽ tendens, facie pallidus, ac macer, vultu hilaris, oculis grauis fuit Matthæus; ſed ſpiritu pinguis; animo ſublimior, pœnitentia clarus, meritis diues, miraculis glorioſus, vita fœlicior, Cœlum in æternum regnaturus conſcendit. XLV.

*Matthæi effigies delineatur.*

Per id tempus, Arbor propè Senarum Vrbem, quæ S.P.N. Franciſci vulgo nuncupatur; pleraſque Dei virtute ægrotis ſanitates contulit. Huius Arboris originem commemorat, Bartholomæus Piſanus in Conformitatibus his verbis. *Cuſtodia Senenſis habet locum de Senis, qui ab antiquo loco per iactum diſtat, baliſtæ: in quo loco antiquo B. Franciſcus redeundo de Roma, de ſero figendo baculum in terram, in Arborem excreuiſſe pulcherrimam inuenit de mane.* De hac quoque Rodulphus Toſſinianenſis ita ſcribit: *Erat Senis primò Oratorium non longè à Conuentu, vbi nunc Fratres habitant, & ibi B. Pr. Franciſcus Romà rediens, baculum, quem manu gerebat, humi infixit, illeque in Arborem proceram, & pulcherrimam excreuit.* XLVI.

Conform. l. 1. fruct. 11. p. 2.

*B. P. Franciſci Arbor antiqua.*

Rodulph. Toſſin. hiſt. Seraph. l. 2. fol. 161.

Hæc igitur, cùm ob S.P. Franciſci memoriã, ac cæleſte prodigiũ, quo exorta fuerat; apud Senenſes Populos magna in veneratione haberetur: accidit, vt hoc anno in quo Gallorũ exercitu Italiã inuadente, per Senenſem Agrũ bella graſſabantur: Ruſticus quidam, ſecuri armatus, eo conſilio ad Arborẽ accederet, vt eam ad ſuos vſus ad radicẽ vſq; amputaret. Id cũ quidã milites animaduertiſſent, Ruſtico perſuadere conantur, ne manũ nefario auſui admoueat: monentq; illã B. Frãciſci arborẽ eſſe, XLVII.

*Ruſticus arborem S. P. Franciſci temere inuadẽs fulmine proſternitur.*

cui



cui veneratio deberetur. At iis Ruſticus, omni Religione abjecta; Si B. Franciſcus; ait, mea inopia laboraret, his ſanè deteriora præſtaret. Cúmque in ea mentis temeritate ferus homo perſiſteret; vix primo ſecuris ictu Arborem percuſſit; cùm repentè fulmen è Cælo delapſum, impium hominem peremit; Arboréque ad medium vſque truncum ſucciſa, ramos hâc, atque illac diſperſos proſtrauit. Nec tamen eo fulminis ictu ita Arbor extincta fuit: quin ex ipſius radice, deinde nouum germen exortum, in Arborem æquè magnam, ac proceram excreuerit.

XLVIII. Re porrò per Vrbem, ac totam Regionem rumore diffuſa, Arboris ſtipes, ac noua deinde planta è ſtipite pullulans, mox tanto ab incolis in honore haberi cœperunt; vt diuina virtute, per hæc ſigna quamplurima operante, huius Arboris religio per Orbem, longè latéque propagata fuerit. Iam verò, quod ad hunc annum ſpectat. Lucretia Senenſis cuiuſdam Matronæ, è Curtiorum Familia, pediſſequa; cùm Argemate oculis ſuffuſo, per triduum vtroque lumine capta fuiſſet; exciſæ Arboris folia ſibi oculis admouens, ſtatim oculorum lumen recipit. Alia quoque in eadem Vrbe Mulier, quæ ſex menſium ſpatio, ita toto corpore attracta fuerat; vt ne loco quidem dimoueri poſſet: cùm balneo lota fuiſſet, ex eiuſdem Arboris foliis ſibi parato, integræ incolumitati reſtituta fuit. Laurentius quidam, qui Senis in hoſpitali domo acuta febre laborabat, cùm motu omni, ac ſenſu deperdito, defunctus putaretur, ad Sepulchrum deferebatur: quo tempore dum ſe B.P. Franciſco ex animo commendat: B. Pater ſuæ Arbori inſidens, eidem apparet, perfectámque illi corporis ſanitatem confert. Accidit denique hoc tempore, vt duo pueri iocantes, viua calce ſibi mutuò oculos oppeterent; qua tandem factum eſt, vt ea pupillæ humidum exſiccante, vtérque oculis orbatus fuerit: verùm his dum oculi, aqua ex huius arboris foliis expreſſa, in B. Franciſci nomine abluuntur; vterque viſum, diuina potiùs, quàm humana virtute, recuperat.

*Plerique Morbo laborantes ligni eiuſdem virtute ſanãtur.*



I. FLORET hic Annus Milleſimus quingenteſimus ſupra quinquageſimum quartum, illuſtri potiſſimùm Bernardini Aſtenſis corona; quam poſt viginti annos, in Capucinorum Religiòne informanda, expolienda, illuſtranda, propaganda, atque in ſupremis rerum anguſtiis fouenda, ac confirmanda, ſumma cum laudę, ac perpetua ſui nominis gloria tranſactos; plurimóſque pro ea labores exantlatos, tandem hoc anno, apud Dominum conſequitur: quam tamen gemini Fratres, quorum nomina ſcripta ſunt in Libro vitæ, quò illuſtrior, ac glorioſior reddatur, ſuo triumpho præcurrunt. Hi cùm in Sicula Prouincia, Clericali Ordine inſigniti eſſent, eundémque Conuentum incolerent; ambo etiam ſimul breui agone cõſummato, Naturæ, humaniſque rebus valedicentes, cæleſti gloria coronantur. Eorum alter, qui Bernardus Enneus, ſiue à Caſtro Ioanne, appellabatur, poſt vitam magna cum puritatis, ac cæterarum virtutum laude tranſactam, admirabili patientiæ exemplo vitam cum morte commutat.

*F. Bernardus Enneus virtutibus clarus in Cœlum migrat.*

II. Vix hic animam egerat; cùm alter nomine Daniel, Leontinus, qui eo tempore cum morte colluctabatur; Bernardum tunc defunctum, Vultu hilari ſibi adſtantem cernit; qui iter ad Cælum parabat. Cuius aſpectu is mirum in modum exultans, cùm nihil de Bernardi Socij morte illi renunciatum eſſet, protinus exclamat: En venio, Bernarde, en venio: Tum verò circumfuſos Fratres rogat, vt aliquantiſper Bernardi ſepulturam differant; vt eadem vtrumque ſimul condat: An non (inquit) chariſſimum Socium me expectantem videtis? Quo dicto cùm iam animam ageret, adſtantes Fratres his verbis compellare cœpit: Eia; Fratres aſſurgite, ac tot venientes huc *Sanctos* digna veneratione excipite: En hic meus inter alios adeſt *S. Ioſeph, quem ſingulari ſemper deuotione*, quoad vixi, proſecutus ſum: atque inter hæc verba lætus Deo animã reddit: Socióq; ad æthera eunti copulatur.

*Daniel Leontinus Bernardum Cælum conſcendentem cernit.*

*S. Ioſephum, ac pleróſque alios Sanctos in obitus hora intuetur.*

III. *Hos* itaque Clericali militiæ adſcriptos, velut geminas faces, ac illuſtrioris ſui triumphi præcurſores; cùm Bernardinus Sacerdos ante præmiſiſſet, poſterior deinde maiori gloria ſecutus eſt: cuius vitam admirabili prorſus virtutum, ac perfectæ ſanctimoniæ ſplendore illuſtrem, meritò hìc conſcribere decreuimus: non quidem integrè; cùm plurima illius præclarè geſta apud nos perierint; alia ſilentio ſepulta cum ſilentibus nobis quoque ſiluerint. Etenim Thomas Tifernas, qui haud longè poſt hæc tempora Generalis fuit; quique Bernardini diu Socius fuerat; plurima, quæ ille mira patrauit, apud ſe recondita gerere, haud ſemel affirmauit: quæ cùm nulli ante obitum patefecerit, haud dubium, quin cum eo & ipſa ſepulta iacuerint.

## *F. BERNARDINI ASTENSIS, SECVNDI CAPVCINORVM Generalis, Vita, & Geſta.*

IV. ASta, quæ à nonnullis Pompeia cognominatur, Vrbs eſt antiqua Liguriæ, ſeu vt aliis meliùs placet, Inſubriæ, Nobilis, frequens, ſplendida, ad Morum ſita: cui & Ager fœcundus eſt, & amœna Collium fertilitas: quæ cùm primùm in Vicecomitum poteſtate eſſet: poſtea dotis titulo ad Gallos deuoluta, hodie conditionibus fœderis Cameracenſis Sabaudiæ Reguli Ditioni ſubijcitur. Hinc







Bernardinus, ex illuſtri Palliorum ſtirpe progenitus, ſua incunabula accepit: ex qua ipſe quoque S. Secundus Martyr, Vrbis illiùs Patronus, originem duxit. Parentes fortunæ bonis cùm plurimùm affluerent: inter hæc Caſtrum, quod vulgò Ringhum appellatur, antiqua illis poſſeſſio fuit: Vnde frequentiùs Bernardini Pater Ringhi Dominus appellabatur. Adoleſcens cùm optima indole præditus, eam animi vim, ac præſtantiam ſortitus eſſet, vt eum natura ad omnem laudis, ac nominis nobilitatem magnum produxiſſe videretur, ea propter à Patre Romam mittitur: vt in ea Vrbe, quæ omnium nobiliſſima eſt, tum liberalibus ſtudiis, tum etiam morum diſciplinæ, ac nobilium exercitiis operam daret. At verò Deus Opt. Max. cuius conſilia longè ab hominum conſiliis diſtant; cùm adoleſcentem, qui iam quintumdecimum annum attigerat, ad illuſtriorem ſpiritus nobilitatem, & gloriam, ante omnem rerum conſtitutionem vocaſſet: luce in Bernardini mentem cœlitùs immiſſa; quàm fallax, fugaxque ſit terrenæ nobilitatis ſplendor, luculentiùs oſtendit; cœleſtiſque generis gloriam, vili hac contempta, illi amplectendam proponit. Non reluctatur Cæleſti lumini generoſus Adoleſcentis animus; neque in longas moras conſenſum trahit: ſed quò mundanam altiùs gloriam proſternat, abiectiſſimam, pauperrimámque Minorum Obſeruantium ſibi Religionem ociùs amplectendam diligit: vt per integrum humanarum rerum contemptum, abiectioriſque vitæ genus, quod Apoſtolicum æmulatur; ad excellentiorem ſpiritus nobilitatem conſcendat.

*Bernardini genus & Patria.*

*Mundana contemnens Obſeruantiũ Ordinem ingreditur.*

V. In Obſeruantium itaque Familiam adſcriptus; tanto ſtudio virtutibus, quæ Religioni propriæ ſunt, ac præſertim abſtinentiæ, quæ vniuerſa penè vitia in homine interimit, cœpit incumbere: vt cùm ob parcam victus menſuram, quam ſibi præſcripſerat, adoleſcentiſque ætatis incrementa, iugi fame, ac inedia torqueretur; in morbum inciderit: eoque ad Ethicam febrim duceretur. Verùm ex Superiorum præcepto, abſtinentia illa auſteriori temperata, tandem à morbo conualuit; tametſi priſtinas vires, priori inedia iam confractas, deinceps nunquam receperit. At quanquam ſtrenuus virtutis æmulator, ſeuerioris illius abſtinentiæ rigorem moderaretur; haud tamen ita incolumitatis ſtudio afficiebatur; vt aut curam carnis in deſiderio ageret, aut abſtinentiam deſereret. Etenim cùm ſemel tantùm in die communibus cibis veſceretur; perpetuò tamen à carnium eſu abſtinuit: ea duntaxat ratione, quòd in iis comparandis Fratres, eo tempore, ad pecuniam confugerent: quod is velut illegitimum damnabat.

*Mira Bernardini abſtinentia.*

VI. Tantus in ipſius vultu, atq; oculis pudor; tantáque in verbis, ac conuerſatione in eo honeſtas elucebat: vt nemo de ipſius virginitatis candore prorſus dubitaret. Ad literarum ſtudia cum aliis promotus, ita in iis animum occupat; vt cùm maiorem diei partem in piis infirmorum obſequiis, vilioribus domus exercitiis, atque oratione expenderet: in rerum tamen intelligentia (Deo illi pietatis opera cõpenſante) adeò proficeret; vt ſedulum aliorũ ſtudium, ac laborem longè ſuperaret: atq; hinc inſignis in Ordine Theologus, præſertim in via Scoti, ac Lector prę̃ſtãtiſſim⁹ euaſit.

*Perpetuam Virginitatem colit.*

VII. Nunquam ob literarias occupationes, orationis ſtudium intermiſit; in quo cùm aſſiduus eſſet, inde fiebat; vt ſummas animi virtutes cũ ſumma doctrina cõiungeret: & quem Theologica diſciplina, ab eo ſimul cũ cæleſti lumine hauſta, illuminatiſſimũ Theologum reddebat; præclara animi virtus, cum vitæ Sanctimonia cõiuncta, vbiq; optimum, & ſanctũ prædicaret. Hinc cùm prudentia, grauitate, conſilio, atque exiſtimatione plurimùm in Ordine valeret; ſæpè Romanæ Prouinciæ Prouincialis Miniſter, atque Ordinis tandem Procurator electus fuit: quo tempore; vnà cum Franciſco Aeſino (vt alibi ſignificatum fuit) de Ordinis Reformatione apud Pontificem egit: Qua impetrata, cùm eam nullo pacto in Ordine diffundi poſſe animaduerteret: Aeſino ad Capucinos tranſuolante, is eum quoq; paulò poſt ſecutus eſt. Priſca quædã M.S. horribili eum cuiuſdam Guardiani, iam vita defuncti, voce, ac ſimulacro ad id potiſſimùm excitatum ferunt. Cuius hæc hiſtoria narratur.

*Literarum ſtudia cum Oratione copulat.*

*Pro Reformatione apud Obſeruantes laborat.*

*Ob Defuncti Fratris damnationem ad Capucinos migrat.*

Dum enim Miniſtri Prouincialis apud Obſeruantes officio fungens, ſemel Romanam Prouinciam viſitaret; accidit, vt in Monaſterij cuiuſdam viſitatione, dum in ampliori, ac curioſiùs fabrefacta quadam Fratrum aduenarum Cella, quæ illi ad quietem parata fuerat, noctu ſtudio incumbit; Cellæ oſtium quaſi à Fratre pulſari audiret: cui cùm ſolito Religioſorum more reſpondiſſet, *Deo gratias*, quo ingrediendi facultas pulſanti datur; nemo tamen Cellam ingrediebatur: id cùm ſecūdò, ac tertiò factum eſſet; tandem defunctus Frater, qui illius olim Cõuentus Guardianus fuerat, eámque ampliorem, ac curioſiorem Cellam conſtruxerat, intro pedem infert: cūque bis, vel ter per Cellã ſilētio deambulaſſet, poſtremò in hæc verba indignabūdus prorūpit. O maledicta Cella, cuius cauſa à Deo maledictus, in Tartarū perpetuò cruciandus mergor; quo dicto ſtatim ex ipſius oculis euanuit. Huius damnati Fratris aſpectus, & verba, tam altè Bernardini animo inſiderunt; vt deinceps Ordinis Reformationem omni vi, ac ſtudio aſſequi cõtenderet: at cùm fruſtra eam ſe tentare animaduerteret; tandem anno 1534. cum pleriſque aliis illuſtrioribus Ordinis Patribus, quemadmodum ſuo loco explicatum fuit; ad Capucinorum Reformationem ſe contulit.

*Ipſius ad Capucinos acceſſus diuinæ prouidentiæ adſcribitur.*

Singularis hæc fuit Dei Opt. max. in Capucinorum Congregationem, quæ tunc puſilla, ac infirma erat, prouidentia. Cùm enim ea velut tenellum terræ ſitiētis virgultum, vndique ventorum flatibus agitatum; non prudentiam, non conſilium, non doctrinam, non homines haberet, quibus ſeipſam tueretur: Dei procul dubio opus fuit; vt tot Viri prudentiâ inſignes, doctrina præclari, ac ſanctitate illuſtres, ad illius præſidium accederent; ac præſertim Bernardinus; cuius prudentia, grauitas, virtus, ac vitæ ſanctimonia tam omnibus perſpecta erat; vt in ipſis Generalibus Comitiis, quæ altero poſt ipſius ingreſſum anno Romæ celebrata fuēre, nemine diſcrepante, omnium votis bis Generalis electus fuerit, vti ſuo loco enarratum fuit. VIII.

*A Ludouico Foroſemproniano Peruſiam mittitur.*

Vix Bernardinus à Ludouico Foroſemproniano, qui tunc Religionis clauum moderabatur, in Capucinorum numerum cooptatus fuit: cùm ab eodem Peruſiam deſtinatur; vt in ea Vrbe, quæ in Ethruria præclara eſt, ad Vmbriæ terminos propè accedens, Religionem diffundat; Monaſteriumque ædificandū curet. Mox iter Bernardinus aggreditur: cúmque Peruſiã cum Socio perueniſſet; ibi ab Antonio quodam Pileario hoſpitio excipitur. Erat hic Antonius Vir vitæ integritate, ac pietate inſignis; qui cùm geminos filios, quos ex coniuge acceperat, in omni timore Dei, ac pietate educaſſet; vterque illi peſtilentia eripitur: ac velut alter Iob à Domino probatus, haud abſimilem in graui illa calamitate patientiã exhibet. Inter hos maior natu, cùm iam extremū ſpiritum ageret, Patrem his verbis affatur. Pater mi, ſummas Deo gratias ago, quòd te Patrem tam bonum, tamque pium ſortitus fui; cuius diligentia, ac ſollicitudine bonos mores, ac Dei timorē conſecutus, iam ad omnium rerum metam perueni. Haud me ab hac vita diſceſſus moleſtat; quandoquidem ad benignum Patrem, atque optimum animorum finem tendo: tui me tantum mœrores angunt, ac cruciant: at deſine triſtari; neque obitū noſtrum plus æquo luge; quanquam enim nos, qui tibi liberi ſumus, nunc fato eripiamur; meliores poſt hac tibi filios Dominus dabit, quos vtiliores experiare. Etenim in hãc Vrbem Religioſi quidam, hactenus Orbi ignoti, pauperes, ſqualentes, nudipedes, vilibus induti; atque è S. Franciſci gremio prodeuntes, breui aduentabunt; qui pœnitentiam vita, ac verbo prædicabunt: hos tibi filios elige; hos amplectere; his teipſum conſolare: hi namque à Deo miſſi omniū ſaluti incumbent. His dictis, cùm ſe Sacramentis muniiſſet, deuotiſſimè in Domino obdormiuit. Porrò hoc tempore Antonius, cùm fortuitò in Bernardinum incidiſſet, nouum habitum admiratus, apud ſe cogitare cœpit: num ij fortè Religioſi eſſent, quos moriens filius in Vrbem vēturos prædixerat: ſtatimque ad Bernardinū accedens, ab eo cuius Religionis, ac inſtituti ſint; quidue in ea Vrbe negotij gerant, ſciſcitatur. Cui vbi Bernardinus vitam, inſtitutum, finemque quo eò miſſi fuerant; nimirum ad Ieſu Chriſti Euangelium, ac pœnitentiam populis præ- IX.

*Antonius Pilearius, Vir bonus à Deo probatur.*

*Morientis ipſius Filij de Capucinis vaticinium.*

*Antonius Capucinos vt filios habet.*

dicandam



dicandam declarauit: is ſumma cum voluptate in domum receptos, velut filios habet, & apud Vrbis Proceres cõmendat. Interea Viri Vrbis primarij, cùm ex Bernardini verbis illius doctrinã, prudētiam, ac vitæ Sanctimoniam olfeciſſent; obnixè rogant, vt Dei Verbum in Vrbe diſſeminet: quod cùm is bis, térque maxima totius Vrbis vtilitate, ac concurſu præſtitiſſet: tanto Viri, ac Religionis ſtudio allecti fuēre; vt mox illi in Monte Malbi, ad Monaſterium ædificandum, locum decernerent; quod breui tempore, iuxta illas priorū temporum paupertatis regulas, Antonij opibus extructum fuit. Huius Viri tanta fuit erga Religionem Capucinorum beneuolentia; vt non ſolùm Peruſiæ, ſed etiã Panicalij, & Carcerellarum Conuentus proprio ære ædificauerit: nihilque vnquam officij prætermiſerit, quo ſe amantiſſimum Capucinorum, quos filios ſuos appellare ſolebat, Patrem declararet.

*Bernardinus Peruſiæ Conuentum extruit.*

X. Conuentu itaq; Peruſiæ fundato, Bernardinus anno 1535. Romam ad Generalia Comitia vocatus, omniū conſenſu Generalis Vicarius eligitur: quo in munere planè incredibilia ſunt, quæ Vir hic admirabilis pro Religione geſſit, ſuſtulit, exántlauit. Etenim ipſius tam ingens fuit erga Capucinorum Reformationem ardor; cùm primùm Religionis habenas regendas ſuſcepit: vt in ea tuenda, educanda, amplificanda, erudienda, confirmanda; donec ad perfectã regularis obſeruantiæ, ac morū diſciplinæ formã conſcenderet; Patris meritò nomen, ac rem ſibi cõparauerit. Tanta enim vitæ auſteritate, paupertatis rigore, Regulæ obſeruantia, Regularis vitæ præſtantia, ac virtutum omnium perfectione, primæuam illã naſcentis Religionis ætatē inſtituit: vt felicia illa B. Franciſci tempora, Regularis diſciplinæ forma, ſi non ſuperaſſe, ſaltem exæquaſſe videatur. Quo fit, vt abſq; vlla alterius iniuria, id ei laudis, ac cõmendationis debeatur; qua reuera dici queat, Capucinorum Reformationem, poſt diuinã natiuitatem, eo parente, ad perfectum Religionis ſplendorem renatam fuiſſe: neq; vllum vnquam Generalem prudentia, vitæ integritate, moderandi diſciplina, Regularis obſeruantiæ zelo, ac iuuandæ Congregationis ſtudio, eo præſtantiorem agnouiſſe. Non enim labor hunc à maioribus negotiis, pro tuenda, ac confirmanda Reformatione capeſcendis; non rerum, ac temporum anguſtiæ ab animi magnitudine; non fluctuantes Religionis tempeſtates à concepto ſemel ſpiritus ardore, auocarunt: ſed impigro labore, ac conſtanti animi ſtudio, per octo annorum ſpatia, quo Congregationem moderatus eſt; ad eum rerum ſtatum nutantem tunc Religionem euexit, quo præſtantior nullus à nobis expeti poſſet.

*Romam redit, & Generalis eligitur.*

*Bernardini ingentia in Religionem beneficia.*

XI. Neq; id mirum; cùm enim ille Capucinorum Religionem, diuina potiùs, quàm humana ſapientia regendam cenſeret: ſpem omnem, ac cogitationem in Dominum proiecerat; cuius conſilio Religionem moderabatur: quem propterea oratione tam aſſiduã pulſabat; vt cùm à publico munere liber eſſet, quindecim, vel ſexdecim interdum horas diuinis obſecrationibus daret. Generalatus verò officio implicatus, orans, ſextam ſaltem quolibet die horam attingeret. Quo ſane fiebat, vt illi à Deo conſilium, ac ſapientia, ad id munus præſtantiſſimè obeundum, abundè miniſtraretur. Quotidie Sacrum Miſſæ Sacrificium tanta pietate, ac reuerētia Deo altiſſimo offerebat; vt cùm vna orationis hora, ad animum præparandum, haud ſufficeret; diutiùs in tanti myſterij contemplatione, ac Dominicæ Paſſionis memoria immoraretur: Hinc dum Sacra ageret: haud rarò ex ipſius vultu cæleſtis quidam ſplendor erumpens, qui eum diuina luce plenum oſtenderet; emicabat. Poſt Sacra verò peracta; cùm ardentiori Dei in habitantis ſpiritu ſurſum ageretur, longas plerunque moras, velut animo excedens, in oratione trahebat.

*Ingens illius in Oratione ſtudium.*

*Splendor ex ipſius vultu emicat.*

XII. Quamlibet parui temporis iacturam tam magnifacere conſueuerat, vt ſæpè dicere ſoleret: Si de quolibet verbo otioſo, quod interdum nobis ex ore inconſultò elabitur, à Deo ratio exigenda eſt; multò magis, de qualibet pretioſi temporis iactura, nobis rationem reddendam: cùm ea tot diuinæ charitatis, ac cæterarum virtutum bona, quibus cæleſtes tum gratiæ, tum gloriæ opes augeri poſſunt, intereant. Quocunque ſiue Generalis, ſiue Prouincialis munere fungeretur; eum ſemper

*Præclarus ab eo in Viſitatione modus inſtituitur.*

modum

*Chori Religionem ſummo ſtudio proſequitur.*

modum ſeruabat, quem Beatus Pater Franciſcus, aliquando Superioribus ſequendum præſcripſit: neque enim vnquam ad Fratrum viſitationem, ante Sacra peracta, ac prolixam orationem accedebat; ex qua diuinam, ad fallaces ſpiritus à veris diſcernendos, è Cælo lucem hauriebat. Diuinarum laudum penſum, quod Deo in Choro perſoluitur, tanti apud ſe faciebat: vt ſi aliquando viſitationis gratia ad Conuentum appelleret, quo tempore in Choro horæ diuinæ inchoantur: omnibus charitatis officiis, quæ aduenis Fratribus exhiberi ſolent, in aliud tempus reiectis; cum cæteris ad diuinas laudes perſonandas conueniret. Eas verò tanto ſtudio, ac pietate proſequebatur; vt nunquam niſi vel ſtans, ac recto corpore, nulli prorſus rei innixus, vel genuflexus; cùm iam ſenio grauaretur, eas in Choro perſolueret: neque ab iis, præſertim à Matutinis Horis, tametſi ex itinere feſſus, vnquã ſeipſum eximeret: quo tempore cõmunem etiã flagellationem, & orationem cum cæteris exoluebat. Hinc eos grauiter increpare conſueuerat; qui paſſim, ob quodcunque negotium, à diuinis ſe officiis ſubtraherent: cuncta enim, quantumuis grauia negotia, ac literarum ſtudia, velut leuioris momenti, diuinarum Horarum tempore intermittenda eſſe ſentiebat; vt grauiſſimum Dei opus omni ſtudio, ac religione dignum ageretur. XIII.

*Ipſius in viſitando zelus ac prudentia commendatur.*

Laur. Iuſtin. de iuſt. & regim. Prælati c. 8.

Mira in puſilli Gregis curatione, prudentia, & charitate præſtabat: in qua cùm perfectum veri Paſtoris munus exhiberet; ſingulas oues perluſtrans, vniuſcuiuſque mores, ſtatum, qualitates, morbos, vulnera, conſiderabat; iiſque paternæ pietatis, ac confidentiæ ſinum aperiens, prudentis Phyſici inſtar, illas opportunis pharmacis curabat. Hoc enim (teſte Laurentio Iuſtiniano) Medicinæ artis periti proprium habent; vt nòn omnibus æqualiter, ſed ſingulis diuerſa, prout expedire perſpexerint, languoribus medicamenta impertiantur. Nunc quippe ferro, nunc cauteriis, ſæpè variis vtuntur vnguentis. Interdum ægrotantes ciborum parcitate attenuant, nonnunquã alimentorum qualitate ſuſtentant; his vinum prohibent, illis carnium abſtinentiam indicunt: Singulorum quippe naturam ac vitam cum ſapienter perpendant; quæ cuiuſque morbo neceſſaria, ac opportuna ſunt, remedia adminiſtrant.

*Cæleſtis illius in morbis animi curandis Sapientia.*

Hæc Bernardino Generali, in curandis animarum morbis, prudentia inerat: vt ſi quos in via Dei negligentiores, ac tepidiores offenderet: hos tanta dictorum ſuauitate admoneret, argueret, obſecraret; vt à ſe feruidos, ac incenſos dimitteret. A Dæmone tentatos tam ſaluberrimis doctrinis inſtrueret, armaret, conſolaretur; vt vel ab iis tentationes aufugerent; vel ij ad pugnandum fortiores euaderent. Morboſas oues, ſi quas inueniret, tam prudenti manſuetudinis, ac rigoris temperamento ad incolumitatem prouocabat: vt nec nimia ſeueritate, atque auſteritate perderet, nec laxiori indulgentia in vitiis confoueret: ſed inter hæc mediocritatem illam teneret, quæ ad morbos ſanandos maximè prodeſſe ſolet: ſanas verò, ac beneualentes ita dictis confirmare ſolebat; vt poſt ipſius monita, præclariora iis virtutum ſtudia augerentur. Denique diues quidam pœnus eſſe videbatur, à quo quiſque ſibi cæleſtis vitæ cibum depromere, ac ſpiritu pingueſcere valeret. XIV.

*Rituum vniformitatem prædicat.*

In Viſitationibus in id præcipuè animum intendere viſus eſt: vt tam in Sacris, quàm domeſticis actionibus, victúque ac veſtitu iiſdem, Fratres vbique ritibus vterentur; vt cunctos vno ſpiritu duci, idemque ſapere omnibus exploratum eſſet. Diſſonum namque illi videbatur, quòd qui in vnum corpus coaleſcunt, atque vno vocationis ſpiritu reguntur, diſpari inter ſe rerum cultu diſcindantur. Quapropter eundem in Choro cantum, & cæremonias ſeruari: in Eccleſiis, Miſſas eodem ritu celebrari: in dormitione, in refectione, atque aliis domeſticis actionibus, eundem modum, ac præcepta cuſtodiri imperabat; quibus vniformis totius Religionis ſtatus appareret. XV.

*Paupertatem in ſermonibus commendat.*

Sermones ſæpiſſimè de Regulæ obſeruantia; ac præſertim de perfecta, atque altiſſima Minorum paupertate inſtituebat: quam vt Fratrum mentibus ſuauiùs inſtillaret; Chriſti hæreditatem appellare ſolitus erat, Fratribus Minoribus, velut

filiis



filiis teſtamento relictam, qua illis ius ad cæleſte Regnum acquiſitum eſt. Ita B. Franciſci verba interpretabatur: *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ Paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes, ac Reges Regni Cælorum inſtituit; pauperes rebus fecit; virtutibus autem ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ vos perducit in terram viuentium.* Orationem verò poſt hanc tot laudibus efferebat; vt abſque illa perperam ſe quemquam Minorem Fratrem appellare, ac fruſtra à vitiis abſtinere, nedum vllum virtutum ſibi profectum polliceri poſſe, aſſereret. Religionem corpori, orationem animæ comparabat, quæ corpori vitam miniſtrat: atque inde Fratrem abſque oratione cadaueri ſimilem eſſe dicebat; qui vitiis fœtere, ac tandem à Religionis ſalo, ad ſæculi litus deſpumari, neceſſitate quadam compellatur.

Regul. c. 6.

*Oratio Religionis anima aſſeritur.*

XVI. Fratres mei (aiebat) Draco ille rufus, qui mulierem illam Sole amictam, ac filium eius perſequebatur, Diabolus eſt: qui orationem Dei luce perfuſam inteſtinis odiis proſequitur. Quapropter eſtote prudentes; & vigilate in orationibus. Orate abſque intermiſſione, vt non intretis in tentationem: qui enim ab oratione vacat, quaſi miles inermis eſt, ad bella procedens; qui facilè ab hoſte ſuperatur. Oratio Diabolum fugat, ac hoſtium turmas proſternit. Si à me quærat quiſpiam, quiſnam bonus Frater cenſendus ſit, vno verbo dicam: *Is, qui orat.* Quis melior? Reperam: *Qui meliùs orat.* Quiſnam tandem optimus? Haud affirmare verebor: *Qui optimè orat.* Charitas enim, qua boni, ac Deo grati efficimur; cùm oratione creſcat, ac intendatur; eò ſanè perfectior fit, quò oratio in homine præſtantior aſſurgit: inde enim & perfectæ in Deum transformationes, & extaſes, & raptus, & diuini amoris incendia, velut ex fonte emanant. At maius aliquid de oratione dicam. Tanta enim illius vis eſt; vt ex ſceleſto cæleſtem, & ex Diabolico Angelicum, ex perdito denique, hominem ſanctiſſimum præſtare queat; ſi ad illius ſinum confugiat. Hinc namque primæ impiis ad pietatem cogitationes exoriuntur; hinc ad ſcelera exhorrenda virtus; hinc ad pœnitentiam amplexandam vigor; hinc ad virtutum ſtudia ſtimuli; hinc ad Mundi, ac rerum omnium contemptum excitamenta; hinc àd Euangelicæ perfectionis conſilia capeſſenda impulſus; hinc ſpirituales in Religione progreſſus; hinc denique cæleſtis, atque Angelicæ vitæ inſtitutio fluit: quæ hominem ex Dæmone Deo ſimillimum præſtat. E veſtigio ſi orationem Frater abiiciat, quantalibet ſanctitate præcellat, horrendum caſum minimè effugere poteſt: quo interdum fit, vt ex cæleſti Viro, Diabolicus tandem euadat.

*Oratio quàm Religioſo Viro neceſſaria.*

*Orationis vis propemodùm cæleſtis.*

XVII. Fratrem quendam grauis tentatio vrgebat: qui ad Bernardinum veniens, cùm ſuam illi tentationem aperuiſſet; ab eo Generalis quærit, num oraret: Cui ille, Iamdudum, inquit, Pater, ob animi anguſtias ab oratione abſtineo. Vade, (ait Bernardinus) ora, & te tentatio deſeret.

*Tentatum Fratrem ad Orationem compellit.*

XVIII. Exteriorem corporis compoſitionem, ac præſertim oculorum demiſſionem, quam is in ſeipſo tam ſeuerè obſeruabat; vt nullius vnquam vultum fixis oculis conſpiceret, plurimùm in Religioſo homine commendabat: quare cùm Iuuenem quendam Clericum, erecta ceruice, cæteros elatis oculis conſpicientem vidiſſet: ad ſe vocatum interrogat; quot in Religione annos expleret? Cui cùm ille, quartum necdum attigiſſe diceret. Ego (inquit) multorum annorum iam ſenex, alterius vultum intueri erubeſco: tu verò trium annorum Clericus, omnium vultus contemplari non vereris? An ignoras, oculos feneſtras eſſe, per quas mors in hominis hoſpitium ingreditur? quæ ſi hoſtibus pateant, facilè ij cordis bona deprędantur? Claude viſus oſtia, ne patentem animum fures inuadant, ac deuaſtent.

*Oculorum cuſtodiam Clerico commendat.*

XIX. Fratres ſæpiſſimè Otium, velut peſtem fugere, ac ſe ſe poſt orationem honeſtis laboribus exercere docebat: ne immundus Spiritus, qui Religionis amplexu expulſus fuerat, mentis domum otio vacantem offendat: ſeptémque alios ſpiritus nequiores ſecum aſſumẽs, ad animam redeat, eámque vitiorum multitudine compleat; fiantque nouiſſima hominis illius peiora prioribus; nihil enim (ſi Hieronymo credimus) (aiebat) Religioſo homini otio deterius eſt, quod non ſolùm non

*Otio Religioſo homini nihil deteriùs.*

Hier. epiſt. ad Demetr.

acquirit

acquirit noua,ſed etiam peracta conſumit. Verùm nec inutiles labores commendabat, eo quòd ab otio parùm diſtare cenſeret. Inutiles verò eas occupationes eſſe exiſtimabat,quibus interdum Fratres fruſtrà tempus in depingendis, vel colorandis Imaginibus,aut Crucibus oſſeis,eburneis, æreis conſtruendis,ac ſimilibus conterunt: quos potiùs ad horti culturam, ad Infirmorum obſequia, & alia domus exercitia hortabatur: quæ tamen ab iis tanta prudentia, ac ſale præſtari volebat; vt iuxta S.Patris Franciſci conſilium, orationis ſpiritum non extinguerent; vel propter ea orationem deſererent. Quanquam verò ita orationis ſtudium commendaret: vt illud corporeis omnibus exercitationibus anteferret; eos tamen, qui communia domeſticorum officiorum munia, vel corporalia obedientiæ opera, vt orationi vacarent,præſtare recuſarẽt;aut ſegnius peragerẽt,ſeueriùs redarguebat. Orationẽ enim (aiebat)obedientiæ,velut ancillã heræ ſubiectam eſſe debere;neq; eum orationis fructu carere poſſe dicebat,qui ad iniunctũ obediẽtiæ opus explendũ,orationis ſeipsũ ſuauitate priuaret:Obedientia ſiquidẽ meliùs,quàm oratio, pro eo ad Dominũ clamat. Deniq; nullum maius,aut præſtabilius obedientia Deo Sacrificiũ offerri,illis Prophetæ verbis allatis docebat: *Melior eſt obedientia, quã victima,& auſcultare magis,quã offerre adipẽ arietũ*. Pleráq; alia Religioſæ vitæ documẽta,pius Pater filiis tradere ſolitus erat,quibus ad perfectã virtutũ diſciplinã vniuerſos attraheret.

*Inutiles Fratrum occupationes reprehendit.*

*Oratio Obedientiæ ſubiecta.*

1.Reg.15.

XX. Maximæ verò huic prudentiæ,qua Religionem ſollicitè adminiſtrabat,præclara admirabilis vitæ exempla reſpondebant;quibus,velut ardens quædam lucerna, ita cæteros ſuo fulgore anteibat; vt quos verba minùs ad perfectioris vitæ rationem inſtituendam mouere poterant, facta compellerent.

XXI. His tandem accedebant notæ ſanctitatis ſigna;quibus Deus Opt.Max.quàm grata ſibi huius Serui ſui vita; quamque accepti labores eſſent, copioſè declarabat. ſæpè enim illi diuinæ Sapientiæ occulta manifeſtabantur; quibus non ſolùm quæ futura erant,ſed intimas animorum cogitationes penetrans, eas vbi opus eſſet,declarabat.

*Intimas animi cogitationes percipit.*

XXII. Aſtenſis Eccleſiæ Archidiaconus, ob vitæ integritatem, plurimùm Bernardino charus,cùm Religioſæ vitæ ſtudio teneretur; ſecum animo verſabat;num Capucinorum inſtitutum ſibi ad vitæ perfectionem eligendum eſſet. Dum in hac deliberatione fluctuat; illud ſibi conſilium ſequendum præſtituit,quod Bernardinus ſibi amplectendum ſuaderet. Res adhuc Bernardino ignota erat, neq; vllum huius deliberationis,præter intimam animi cogitationem, teſtem Archidiaconus ſibi adſciuerat:cùm hoc conſilio Bernardinum adit: Vix autem Monaſterium ingreſſus, eum ſibi obuium habet,quaſi qui veniẽti occurreret. Necdum Bernardinum Archidiaconus verbis ſalutauerat,cùm Bernardinus ad eum: Quid hoc eſt,inquit,Archidiacone, quod in animo verſas? Sta in teſtamento tuo, & in vocatione tua ſeneſce: neque enim te Deus ad Religionem,ſed ad tuam Eccleſiam excolendam vocat:hoc age,& hîc labora. Stupet Archidiaconus,dum arcana animi ſui conſilia, quæ nulli eatenus communicauerat, Viro Dei non ignota eſſe intelligit. Quare haud ſecus, quàm ſi illud ex Angeli ore accepiſſet, protinus ipſius conſilio parendum cenſet. Neque enim aliud ab eo, præterquam Dei placitum, ſubminiſtrari certò ſibi perſuadet, qui occultam à Deo ipſius cogitationem didicerat. At neque id fruſtra: Cùm enim ille Vir bonus,ac prudens eſſet; Aſtenſi Eccleſiæ plurimùm deinde ſua virtute, ac prudentia contulit.

*Archidiacono Dei Conſilium, antequam interrogetur, aperit.*

XXIII. Rurſum cùm Spoletum ex Viſitatione aduentaſſet:viro cuidam Ordinis benefactori,qui ad eum inuiſendum acceſſerat; eodem modo germani illius Fratris, qui octauo iam ab hinc anno diem ſuum obierat, gloriam quam à Deo poſt mortem conſecutus fuerat, Deo id illi reuelante, ſignificat. Erat Vir hic, piè admodum de Fratris ſalute ſollicitus:pro quo cùm plurimas,toto hoc tẽpore,Deo oblationes,ac ſuffragia perſoluẽda curaſſet;haud tamen animũ pia quadam anxietate liberauerat, qua erga defũcti Fratris ſalutẽ afficiebatur. Quãobrem Bernardinus,cũ primũ eum

*Ordinis Benefactori Defuncti Fratris gloriam reuelat.*





ad ſe venientem cernit; his illum verbis ſalutat: Felicia (Vir amiciſſime) terque fauſta ad te nuncia fero: Scipio, germanus tuus, iam Cælum conſcendit; iam felix, atque æternus eſt: Tibi quoque omni ſtudio curandum, vt in eum conſcendas locum, qui ſolutum corporeis vinculis fratrem, beato recipit ſinu. Obſtupuit ille primùm inexpectata hac verborum ſalutatione: ſed cùm præclaram Bernardini ſanctitatem non ignoraret, haud vltra de fratris ſalute, quæ Bernardino reuelata fuerat, ſibi dubitandum eſſe perſuaſit.

XXIV. In hoc ipſo Conuentu,per id tempus, dum nocte quadam diutiùs orat: Dei Angelum è Cælo delapſum, ſtricto enſe Spoletanæ Vrbi minitantem, moxque gladium reponentem videt: quod cùm ter ab eo factum fuiſſet, Angelum tandem abſcedentem,ac Cælum repetentem conſpicit. Huius rei cùm myſterium ignoraret, ab Angelo edocetur: Deum quidem ob graues inimicitias, & odia, quæ in ea tunc Vrbe graſſabantur, maximè infenſum, grauem Spoletano populo calamitatem comminari: veruntamen eum plurimis piorum Virorum; ac potiſſimùm Mulierum, quæ frequenter, ac deuotè ad Sacramenta accedebant, precibus, ac lachrymis placatum, à flagello abſtinuiſſe.

*Angelũ ſtricto gladio Spoletanæ Vrbi minitantẽ cernit.*

X X V. Quo tempore Generalatus officium adminiſtrans, Ruſcinonem, ſeu, vt alij volunt, Puteolos proficiſcebatur: in medio itinere, ingentem cuiuſdam Ordinis, cuius nomen conſultò reticeo, Religioſorum equitantium turmam ſibi obuiam habet: qui cùm nullum prorſus ei ſalutationis ſignum impendiſſent, concitato curſu progredi videbantur. Hos Conuerſus quidam Frater pedeſter ſequebatur, quem Bernardinus facie aliquando notum habuerat:ab eo cùm is, quinam ij equitantes eſſent,quòve pergerẽt percõtaretur. Omnes iſti(inquit ille)Ordinis Superiores ſũt,qui in eo,dum viuerent,dignitate floruerũt:modò verò vita functi,iuſto Dei Iudicio condemnati,ad Tartara pergunt;atque ego quoq; illos, eadem damnationis ſententia preſſus, perſequor. Cui Bernardinus: Quid tu(inquit)cùm Superior non fueris,idem cum iis iudicium ſubis? His ille: Quid miſerum,ait,vera fateri cogis? Non me Prælationis vitia;ſed Regulæ inobſeruantia, & immoderatus Prælatorum amor,me eodem damnationis pondere cum iis in Infernum mergunt. Neque enim,vt his morem gererem,eorúmque mihi amicitiam conciliarem: & præſcriptas Regulæ leges violare,ac nefaria audere vnquam veritus ſum. Hæc æterni mei exitij cauſa, ac perpetui luctus origo. Iam verò cuncti ad Vulcani fauces properamus;vt in eas diuina ſententia præcipites feramur. Quibus dictis,is cum toto illo Prælatorum equitatu repentè ex illius oculis erupit. His magis Bernardini animus, velut diuino quodam ſtimulo excitabatur; vt in Religionis adminiſtratione, ea omni ſtudio curaret; quibus Regularis obſeruantiæ diſciplina,tam ab Ordinis Superioribus, quàm à Reliquis purior, ac perfectior haberetur. Idcircò plerunque Deus illi Dæmonum conſilia, quæ in Religionis perniciem ab iis agitabantur,inter orandum pandebat.

*Plerique cuiuſdam Ordinis Superiores à Deo damnati Bernardino apparent.*

*Cuiuſdam Ordinis Conuerſus ſuæ damnationis cauſam Bernardino aperit.*

XXVI. Paulò ante Ochini lapſum, quo tempore Bernardinus à Generalatus munere vacabat; cùm ſemel in nemore oraret. En copioſos militum, tam peditum, quàm equitum Ordines; in quibus truces quidam milites, vultu horribiles cernebantur, ante ſe gradientes conſpicit; quorum cùm aſpectu obſtupeſceret, & quò tenderent, ignoraret: ex iis vnus ad eum accedens, ait: Quid nos ſtupidus admiraris? Aut has armatas hominum phalanges eſſe tibi perſuades? Dæmones nos, non homines ſumus: Tartarea hæc Caſtra ſunt, ad hominum perniciem armata: Iam ſoluti ad bella contra Chriſtianos, ac præſertim Religioſorum Ordines procedimus. Cernis hanc peditum nubem? Hæc Sæculares homines inuadere, ſibi ex condicto propoſitum habet. Equitum verò turmis aduersùs Eccleſiaſticos, ac Religioſos pugnare propenſius ſtudium erit; quos maximè noſtro imperio ſubiectos cupimus: nec tuus ab armis noſtris Ordo immunis erit. Vix ille hæc effatus fuerat, cùm Tartareus ille exercitus, ex ipſius

*Dæmonum caſtra orans cõſpicit, & quid portendant, intelligit.*

oculis ereptus, nigras ſe in vmbras condidit. Hæc verò malorum prognoſtica fuêre; quæ ex Ochini, ac cæterorum caſu, tam in Sæculares, quàm in Eccleſiaſticos homines; qui Capucinorum exinde Religionem exhorrere, ac perſequi cœperunt; quàm in ipſam Religionem ebullierunt; ex qua nonnulli tum à Fide, tum à Religione, Dæmonum ſuggeſtione, exciderunt.

*Bernardini pro Religione labores.*

XXVII. Cæterùm quàm grauiter Bernardinus Ochini lapſum ſenſerit; quantúmque animo ob ſummum Religionis diſcrimen, in quo ea tunc verſabatur, afflictatus fuerit; haud ſanè facilè explicari poteſt. Cùm enim teneram hanc B. P. Franciſci plantulam, quam non pridem, velut amantiſſimam, tanta diligentia, ac ſollicitudine excoluerat, rigauerat, conſtabilierat; vt ad vberrimos quoſque virtutum fructus prouocaſſet; tam diræ calamitatis flatibus quaſſari conſpiceret, vt vndique ad exciſionem quæreretur: Nulli prorſus labori, ac diligentiæ parcebat, quo illius incolumitati omni ſtudio incumberet; illataque ab Ochino damna inſtauraret. Depoſitam prope Familiam, ſæua hac tempeſtate iactatam, ac penè conuulſam; conſternatóſque Fratrum animos cæleſtibus verbis conſolabatur, ſermonibus confirmabat, atque in meliorem ſpem erigebat.

*Pro Ochino orans ipſius futurã ſalutem à Domino accipit.*

XXVIII. Ipſius verò Ochini caſus tam incredibili Virum Dei mœrore affecerat, vt perpetuis eum lachrymis proſequeretur. Lugebat pius Pater tanti Viri occaſum, quem cùm nuper velut populorum ſydus, ac tam ſanctæ Religionis Patrem conſpexiſſet: tunc altis hæreſum tenebris ſepultum, falſæque Religionis Miniſtrum ſpectabat: indeque cùm perennes pro eo ad Dominum preces, ac lachrymas funderet: haud paſſus eſt clementiſſimus Dominus, tot lachrymas incaſſum effundi. Quamobrem dum ſemel ardentiùs pro Ochini ſalute, & conuerſione Dominum rogaret: Chriſti vocem è Cælo dicentis audit: Bernardine, iam quieſce: Ochinus tandem me miſerante, ſalutem conſequetur.

*Damnatæ cuiuſdam mulieris ſimulacrum cernit.*

XXIX. Nullis, cùm Generalis eſſet, corporis laboribus, aut itineribus parcebat, quibus Religioni prodeſſet. Contigit autem aliquando, vt in Hiſpaniam adnauigans, nauis, qua vehebatur, inter arenas fixa inhæreret: quamobrem iter pedeſter proſequi cogitur. Erat illi tunc Socius F. Raphaël Aſtenſis, Laïcus, Prouinciæ Genuenſis alumnus, Vir omnium memoria, ac veneratione dignus: quo cum dum per deſertum quoddam progrederetur, ab iis mœſta quædam dolentis vox eminus auditur. Subſiſtit Bernardinus: & dum, vndenam ea vox erumpat, vndique circumſpicit: En fœmina inter geminos Apros, à quibus miſera dilacerabatur, ſe illi aſpectandam offert. Horreſcit primo aſpectu Bernardinus; verùm cum hoc non humani, ſed diuini alicuius iudicij ſimulacrum eſſe intelligeret: à Muliere & conditionem, & doloris cauſam exquirit. Cui illa: Heu me, inquit, nobiliſſimi cuiuſdam Hiſpani olim filia fui; quæ, vt turpibus carnis voluptatibus cũ Amaſio operã darẽ, ſub fulſo perpetuæ caſtitatis ſeruandæ ſtudio, honeſta coniugia reſpui: neque huius me vnquam ſceleris pœnituit; donec morte abreptam, Dei Iudicium ad hæc me intolerabilia duorum horum Dæmonum, qui me Aprorum inſtar dilaniant, ſupplicia adegit: heu miſeram, heu infelicem in æternum perimendam. Inter hæc verba, ab Apris illis tartareis abrepta, ac per medium diſcerpta, ſe ex illius oculis eripit. Alias quoque hominum turmas, eo in itinere, igneis catenis vinctas, à Dæmonibus ad Tartarum duci conſpicit. Hæc porrò, & pleraque alia, quæ cæteris obſcura erant; idcircò Virò Dei abundè manifeſtabantur: tum vt in his diuinæ amicitiæ teſtimonio frueretur: tum etiam, vt ea in aliorum commodum, ac vtilitatem transferret.

*Orans ſæpè raptus, & extaſe ſpatiatur.*

XXX. At verò diuini Spiritus impetus, quibus Dei famulus in oratione agebatur, tam admirabiles erant; vt omnem propè modum excedere viderentur. Sæpè enim inter orandum, non modò animo extra ſenſus rapi; ſed etiam corpore, ternis cubitis, altiùs in aëra efferri viſus fuit. Et quidem ſi Sociorum, qui eum ad Religionis viſitationem pergentem comitati ſunt; ac præſertim Fratris





Antonij à Monte Ilcino, diuini Verbi Concionatoris, qui Scriptoris apud eum munus egit, teſtimonio credendum eſt: id illi ſæpiùs in itinere accidiſſe probatum fuit: vt dum eos orans præcederet; cùm primùm diuini Spiritus viſitationem præſentiebat; primum greſſum accelerаret, deinde in curſum ſe daret, poſtremò tanta vi ſpiritus raperetur; vt in aëra ferri, atque altiùs haſta, celerrimè volare ab eis conſpiceretur. Quo tempore; tametſi ij curſum arriperent, ad ipſum tamen haud quaquam pertingere poterant: nec breuis ille volatus erat; cùm ſæpè ad bina milliaria ſe extenderet. Vix tamen ſibi redditus erat; cùm diuinarum rerum colloquia tam familiariter cum ſociis miſcebat; perinde ac ſi vehementiſſimos illos ſpiritus exceſſus nunquam paſſus fuiſſet.

*In itinere orans, per aëra volitat.*

XXXI. Id porrò nemini incredibile videri debet: cùm B. Patriarcham Franciſcum, hac diuini Spiritus vi ita aliquando correptum fuiſſe ex hiſtoriis conſtet: vt ſuper nubes ipſas corpore efferri viſus fuerit, quo oculorum acies minimè pertingere valeret. Idem quoque pleriſque aliis contigerit, quos ardentiſſimæ charitatis impulſus, Dei virtute operante, haud ſemel è terra ſurſum ferri compulit.

*Diſcretam in cibo & potu abſtinentiam colit.*

XXXII. Hos feruentioris orationis fructus, fouebat perpetua, ac diſcreta quædam tam in victu, quàm in veſtitu vitæ auſteritas; qua fiebat, vt tametſi vinum, & communes cibos non reſpueret: iis tamen tam parcè vteretur; vt vix ad naturæ ſuſtentationem, ne dum ad itinerum labores ſubleuandos, ſatis eſſe viderentur. Ab omni cibi, aut lautioris, aut amplioris ſpecialitate ſic abhorrebat; vt cùm ad Monaſteriorum viſitationem accederet, præter communes, ac pauperes Monaſterij eſcas, nihil ſibi omninò miniſtrari pateretur: hinc quoque ſociis omnem in itinere ciborum prouiſionem interdixerat; niſi fortè modici panis; cùm refectio extra Conuentus, aut ſæcularium Domos ſumenda eſſet. Hanc Apoſtolicæ vitæ rationem, ab omni prorſus rerum prouiſione alienam, ac diuinæ Prouidentiæ innixam, toto ſui Generalatus tempore, ita inuiolatam coluit; vt ab ea nunquam, vel latum vnguem receſſerit. Ea verò quàm diuinæ Maieſtati grata extiterit; pleriſque miraculis Deus teſtatum eſſe voluit. In quibus illud primum fuit. Frater Bernardinus à Tuderto, B. Viri ſocius, die quadam longo itinere defatigatus, ac fame confectus penè defecerat, qui ad Bernardinum conuerſus, inquit: En Pater Generalis, iam me vires præ fame, ac laſſitudine deſerunt; nec vlla eſt nobis panis, aut alterius cibi copia, quo neceſſitati ſubueniri poſsit: an non ſatius eſſet, panis ſaltem quicquam in via deferri? Cui Bernardinus: Suſtine pauliſper, fili, iamiam Dominus cibum prouidebit. Vixque vnius lapidis iactu progreſsi, aquæ viuæ fontem ſub quercu inueniunt; puerique à tergo clamantis vocem audiunt, qui caniſtro onuſtus, volucre celeriùs ad eos euolat: qui vbi caniſtrũ pane, vino, ac cibis refertum, quibus laſsi refocillari poſſent, gratioſè obtulit: ſtatim ex oculis euanuit. Tunc Bernardinus: En, inquit, quàm bonus Deus his, qui recto ſunt corde: tui autem ô Bernardine Fili, penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus tui: Diſce, quàm diuinæ benignitati confidendum ſit, tum Deo gratias agentes, allatis è Cælo cibis confortantur.

*A rerum prouiſione in itinere abhorret*

*Ab Angelo illi in via cibi miniſtrantur.*

*Panis illi diuinitus affertur.*

XXXIII Cum eodem aliàs quoque Socio iter faciens, cùm vterque inedia afflictaretur; neque vlla illis eſſet rerum prouiſio: ad fontem, qui illis tunc primùm in via ſe obtulit, accedentes, panem prægrandem ibi reperiunt; qui vtrique ad integram refectionem fuit ſatis. Cæterùm vt cæleſtem illam eſcam eſſe agnoſcerent, à Deo profectam; eo pane tam mirè ſatiati ſunt, vt vſque ad tertium diem nulla alia refectione indiguerint.

XXXIV Dum Pedemontij Monaſteria, iam ſenectute prægrauatus viſitaret: accidit, vt quadam ſexta feria, cùm iter vſque ad meridianam horam produxiſſet; iam præ cordis deliquio deficeret: quare ad F. Angelum à Colleſcipulo itineris ſocium conuerſus, ait: Fili, mihi præ inedia dilabuntur vires, vnde illas inſtaurare poterimus? Cui ſocius: Pater, inquit, teipſum, non alium accuſa; cùm enim panis,

*Panes & vini lagenam ab Angelo accipit.*

aut vini quicquam nobiſcum deferri prohibueris, nihil nobis planè eſt, quo ab hac neceſſitate ſubleuari queas. At Bernardinus: Potens eſt, inquit Deus, cui noſtra haud ignota eſt neceſſitas, nobis prouidere. Vix hæc dixerat, quum adoleſcētem aſpectu pulcherrimum, è Colle deſcendentem vident, qui cùm ad ipſos perueniſſet; quatuor albos panes, ac vini lagenam profert; móxque ſe ab eorum oculis abripit. Quo facto liberaliſſimus Deus, & ſollicitam, quam erga fideliſſimum Seruum ſuum gerebat, curam, & prouidentiam commendare; & amplioris in eum confidentiæ remunerationem impertiri voluit.

Alio quoque tempore, cùm Franciſcum Æſinum itineris comitem haberet; ni- XXXVI
hil vterque aut panis, aut vini ſecum tulerant. Iam maiorem diei viam ieiuni confecerant; cùm Bernardinus Franciſcum ita affatur: Franciſce, mihi modico vino ad vires inſtaurandas opus eſſet. Cui Franciſcus: Mihi quidem, inquit, cucurbitula eſt; ſed vino vacua. Amabò (ſubdit Bernardinus) num vini aliquid ſuperfuerit, explora. Parebo equidem, inquit Franciſcus; ſed iam pridem vacuam reliqui. Cumque Curcubitulam perluſtraſſet; optimo vino plenam reperit: quo vterque confortatus, reliquum viæ alacriter in Domino peregerunt. His diuinæ benignitatis teſtimoniis, adeò Bernardinus in concepto animi propoſito; quo nihil vnquam edulij, in via ſibi deferendum præſtituerat, confirmatus fuit: vt in Generalibus Comitiis, quæ ſub Euſebio Anconitano celebrata ſunt, inter Generalium Conſtitutionum decreta illud quoque addendum curauerit. Ne Fratres cibi annonam in via ſecum ferant, præſertim dum inter notos, & domeſticos iter faciunt.

*Cucurbitula vino vacua, diuinitus plena reperitur.*

Maximus in Bernardini animo erga Seraphicam paupertatem, ac præſertim, quæ XXXVII.
ad Monaſteriorum ædificationem ſpectat, zelus æſtuabat: quapropter tam ſollicitè inuigilabat; ne aliqui in iis ædificandis exceſſus irreperent; vt Romani Conuentus Guardianum, ob id tantùm aſperè increpauerit; quod Clauſtri pauimentum coctis lateribus conſtrauerit: quanquam nihil in eo opere pecuniæ inſumptum fuiſſet. Nonnullæ etiamnum in Romano Conuentu S. Bonauenturæ, à quo nuper ad alium migratum eſt; Cellæ integræ videntur, ex arundinibus, & cemento conſtructæ; quas is dum Generalis eſſet, ſibi habitandas elegerat.

*Paupertatis illius zelus in Monaſteriis ædificandis.*

At terrificum illud exemplum fuit, quo Deus ardentem huius Viri zelum, quo XXXVIII
in Monaſteriorum paupertatem ferebatur, diuina planè virtute comprobare voluit. Nam cùm Fanum aliquando ad Conuentus viſitationem acceſſiſſet: locus illi amplior viſus eſt, quique cōſuetæ paupertatis metas excederet: quãobrem cũ diu, multúmque ædificationis exceſſum duris verbis proſecutus eſſet: diuino tandem erga Ordinis paupertatem zelo ſuccenſus; ne exceſſus in aliorum exemplum ſerperet, cunctos è Monaſterio exire, atque inde omnia aſportari iubet. Cùm igitur vniuerſi ſe in hortum ad Monaſterij proſpectum recepiſſent, Vir Dei, Conuentui, ab altiſſima Ordinis paupertate degeneri, in nomine Domini maledicit. Horribile dictu! Vix maledictionis ſentētia ab eo prolata fuerat; cùm vētus vehemēs ab Aquilone in Conuentum irruens, illum in momento ſubuertit; & ad ſolum vſque proſternit: tantáque illius ædificij ruina fuit; vt lapides omnes, àc lateres ea maledictione contriti, ne vnus quidem integer euaſerit. Ea res non eos tantummodò, qui præſentes aderant; ſed abſentes quoque, quotquot factum audierunt, ita vniuerſos terruit; vt omnes, non ſolùm in Monaſteriorum ædificatione, paupertatis exceſſus euitarentur; verùm ſi qui eò vſque alicubi irrepſerant, corrigerentur.

*Fani Conuentus, ob Bernardini maledictionem, à fundamentis ruit.*

Emicabat potiſſimùm in Bernardino, effuſa quædam erga omnes charitas: XXXVII.
quam ægrotis præſertim exhiberi, ſæpè in viſitationibus inculcare ſolitus erat. Nihil hoc Viro benignius, nihil manſuetius erat. Si quando Fratrem à Dæmone tentatum, vel lapſum offendiſſet; tam ſuaui admonitione, aut correptione curabat; vt cùm nemo faciem eius exhorreſceret, ab eo cuncti ad virtutem animati, inflammatique diſcederent. Huius Viri charitatem haud ſemel Deus miraculo

*Ipſius erga Ægrotos charitas vini Miraculo commendatur.*





commendauit. Nam cùm Aſſiſij Monaſterium extrueretur; Fratres in domo cuiuſdam pij, ac deuoti Viri, qui Ludouicus appellabatur, ſibi hoſpitium elegerant: quo tempore cùm Frater Bernardinus à Monte Vlmo, ob cordis deliquium, modico vino egeret: præſens aderat Generalis; qui ab hoſpite vini paululùm poſtulans, ab eo audit, nihil prorſus vini in domo ſupereſſe. Perge, inquit, ad dolium, ne dubita: Dominus enim tibi, ac nobis vinum dabit. Pergens ille, dolium vſque ad effuſionem vino plenum reperit: quo æger, ac tota deinceps familia recreata fuit. Idem quoque cùm Romæ eſſet, cuidam familiari ſuo, qui Baptiſta vocabatur, præſtitit: quem cùm domi inuiſeret, ille ad Bernardinum ait: Pater mi, vinum profectò tibi guſtandum offerrem; niſi is nuper in dolio defeciſſet: at neque hoc tempore, præterquam vappa, in tabernis venalis eſt. Cui Bernardinus: Vir es modicæ fidei (inquit.) Quid de vino dubitas? Ito celeriter, vinúmque pro te, ac pro nobis è dolio hauri. Pergit Baptiſta, cui Viri ſanctitas iamdiu perſpecta erat; ac multa fide plenus, dolium explorat: quid plura? plenum accipit, vinum haurit, & ad Bernardinum defert: quodque miraculum auget, quanquam ex eo is copioſè deinde pauperibus, Bernardini iuſſu diſtribueret; ſibi tamen, ac ſuis vſque ad tertium menſem abundè ſuffecit.

*Familiari cuidam vinũ diuinitùs impetrat, ac in dolio multiplicat.*

XXXIX Illuſtrem huius Viri Sanctimoniam, Deus pleriſque aliis miraculis comprobatam voluit. Etenim præter ea, quæ hactenus exarata ſunt; inſigne illud de Ioſepho Fernenſi celebratum refertur: ad quem cùm Bernardinus Generalis epiſtolam ſcripſiſſet, qua illum Aretium, ad Dei Verbum diſſeminandum deſtinabat: quo tempore is Generalis literas accepit, fluxu Epatico tam grauiter laborabat; vt Medici iam ferè de illius ſalute deſperarent: quare ad Generalem reſcribens, ſe extrema quidem ægritudine teneri, quo minùs iuſſis obtemperare, & Aretium ſe conferre queat, per literas ſignificat. At ſi morbo, quo affligatur, is abſcedendi præceptum imponat, nihil planè futurum eſſe, ait, quod eum ab impoſito obedientiæ præcepto implendo deterreat. Bernardinus verò Ioſephi litteris acceptis, his ad eum verbis reſcribit. Quandoquidem ea tibi ô Ioſeph, à Deo fides, ac obedientiæ virtus impertita fuit; vt ad iniunctum tibi obedientiæ opus implendum, à morbo, quo impediris, liberari poſtules: ac præterea Aretij Vrbs tuæ Prædicationis opera maximè indigeat: idcircò in Dei nomine, ac virtute ſanctæ obedientiæ, morbo, quo cruciaris, præcipio; vt quàmprimùm abeat, teque liberum, ad Dei opus præſtandum ſinat. Mirabile dictu! Vix Ioſephus allatam ſibi epiſtolam legit; cùm morbus diuino præcepto à Viro Dei prolato parens, extemplò aufugit; libérque ille, ac incolumis ſtatim Aretium verſùs iter arripit.

*Morbo per litteras imperat, atque à Ioſepho Fernenſi depellit*

XL. Cùm è Generalibus Comitiis, quæ in Vrbe Neapolitana anno 1549. celebrata fuerant, cum Fr. Matthæo à Leoniſſa, Viro ſene, ac ſancto, ac pleriſque aliis Fratribus rediret; iterque vſque ad meridianam iam horam produxiſſent: inſtante refectionis tempore, ad fontem, qui in via ſe illis obuium præbet, vniuerſi pergunt: nemo vinum ſecum tulerat, quo & ſitis extingui, & vires itinere defatigatæ, refocillari poſſent. Cúmque inter eos Matthæus eſſet, qui ægra valetudine afficiebatur: Bernardinus ad eum: Vino, ait, ô Matthæe, tibi ob corporis tui languores opus eſt. Cui Matthæus: Illud tibi potiùs, Pater, qui ſenectute grauaris, neceſſarium eſſet. Potens eſt Deus (ait Bernardinus) aquæ iſti vini virtutem præbere. Res planè mira! Nam illius fontis aqua, nullo mutato colore, vini optimi guſtum, vim, ac ſuauitatem mox reddit. Læti tunc omnes vinum, abſque vuæ racemis expreſſum, bibunt; cunctique ſitim nouo, ac cæleſti mero, fonte propinante, extingunt: vix autem fontem ad manuum lotionem poſt refectionem attingunt: cùm is ad aquæ naturam rediens, vinum fundere deſinit.

*Fons aqua Bernardini oratione vinum fundit.*

*Aſinus Bernardini iuſſu ſoleam ferreã Fabro ferrario reddit.*

XL. Prioribus primi, & ſecundi ſui Generalatus annis Bernardinus, quum vegetior illi ætas erat; Religionem pedeſter viſitauerat: tertio verò ſui Generalatus triennio, cùm iam ſenio grauis eſſet; Aſinum illi Generale Capitulum permittit; quo interdum, itinere feſſus, vtebatur. Accidit verò, vt cùm Mediolanenſis Prouinciæ Monaſteriis ius viſitationis impenderet: Aſinus, quo vehebatur, ſoleam ferream in itinere amitteret: cuius loco cùm alteram à Fabro ferrario reponendam curaſſet; ille ſoleæ pretium à Generali depoſcebat. At Generalis, pretium illi à Deo expectandum; fruſtra Fabro ſolcario pluribus verbis perſuadere conatur; Nam eo reluctante, is tandem ad Aſinum conuerſus, ait: Aſine, Frater, Ferrarius hic Faber pretium tuæ ſoleæ ſibi poſtulat; quod nos ob paupertatem exoluere minimè valemus: tu ergo illi ſoleam ferream redde; ne te, noſque captiuos detineat: factum planè admirabile! Aſinus vix eo audito, perinde ac ſi præceptum intelligeret; emiſſo calce, ſoleam exuit; atque ante Fabrum ferrarium proiicit. Is verò vbi factum vidit; tantæ rei admiratione perculſus, mox ad Bernardini pedes proſtratus, veniam poſcit; ruſuſque Aſinum ſolea ferrea abſque pretio munit.

XLI. E Brixienſi Agro in Tuſciam profectus, cùm quadam die, ſub ſolis occaſum, in campeſtrem cauponam cum Socio diuertiſſet; auidè à Cauponario excipiuntur; qui cùm ab eis vberem hoſpitij mercedem expectaret, eos ſplendidè tractat. At cœna abſoluta; ac redditis Deo de more gratiis. Tabernarius cœnæ pretium ab iis expoſtulare cœpit. Cui Bernardinus: Nos, inquit, pauperes ſumus, ac paupertatis filij; quibus neque aurum, neque argentum in Zonis eſt; at ne dubita, Dominus enim pretium tibi pro nobis retribuet. Tabernarius verò his verbis haud contentus, vt pretium exoluerent, inſiſtebat. Tandem Bernardinus ad eum. Perperam, inquit, à nobis, frater, pretium depoſcis, cùm illud tibi à nobis exolutum fuerit. Excandeſcens autem Tabernarius: Vnde, inquit, aut quando mihi cœnæ pretium à vobis exolutum fuit? Ne iraſcare, quæſo, ait Bernardinus; ſed pacatè nobiſcum age. Dic obſecro, quantum tibi hac cœna pretium debeatur. Tantum (ait ille.) Eſt ne tibi trutina, (ſubdit Bernardinus) quam præſto habeamus? Eſt (inquit): Affer amabò. Quæ cum allata eſſet, ſcribit Bernardinus in chartæ fruſtulo orationem, *Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen ſanctum tuum, vitam æternam.* Quam Deo in gratiarum actione poſt cœnam obtulerat Tum ad Tabernariũ: Hoc eſt pretium (inquit) quod nos tibi pro cœna exoluimus: ego chartulã hanc dextera lãce apponam: tu argẽti pretiũ, quod tibi pro cœna deberi affirmas, in altera collocato: ſiquidem argenti lanx præponderauerit, nos debitores ſimus: ſin chartulæ grauior fuerit, tu à pretio poſtulando abſtineto: illud enim tibi perſolutum fuiſſe planè exploratum erit. Re itaque cum hac conditione accepta, Tabernarius trutinam ſumit, vtramque lancem componit, æquat, librat; debitam ſibi argenti ſummam, grauiori ære, in ſua lance collocat: Bernardinus verò chartulam in altera ſtatuit. Eleuatur ſtatera: adeóque lanx chartulæ præponderat; vt ne à plano quidem moueatur. Iterum Tabernarius vtramque lancem diligentiùs aſpectat, luſtrat, explorat; num fraus aliqua lateat; rurſumque argentum, & chartula in lance librantur; grauiſſimáque chartulæ lanx in trutina conſpicitur. Stupet Tabernarius. Cui Bernardinus: Quid, inquit, obſtupeſcis, Frater? haud dignum vllum hac retributione, quæ tibi exoluta fuit, pretium inuenire poteris. Maius adhuc argenti pondus ſumito, atque in tua lance ſtatuito: quod cùm ille feciſſet, totámque lancem argento oneraſſet, chartulæ lanx nec vnquam loco dimoueri potuit. Id cum Tabernarius altiùs animo contemplatus fuiſſet; mox ad Bernardini pedes corruens, diuinam in eo virtutem agnoſcit: veniámque turpis cupiditatis à Deo expoſcens, voto ſe obſtringit; nunquam ſe ab vllo hoſpitij mercedem accepturum, qui poſt ſumptum cibum Orationem: *Retribuere dignare Domine, &c.* ad Deum effunderet: ac deinceps erga Capucinorum Ordinem deuotiſſimus fuit.

*Tabernarium cœna pretiũ poſcentem illuſtri miraculo ad pietatẽ prouocat.*

*Oratio Retribuere, &c. pluribus argenteis nummis præponderat.*







XLII. Poſthæc verò accidit, vt (Deo illius in Religioſos, ac pauperes munificentiam remunerante) cùm Tabernarius hic opes auxiſſet: quidam S. R. E. Cardinalis copioſa cum domus familia, ac Nobilium equitatu ad hanc Tabernam diuerteret: quem cùm Tabernarius, regio planè apparatu excepiſſet; cunctaque quæ ad Cardinalis potiſſimùm menſam ſpectabant, ſollicitè adminiſtraret: tandem Cardinalis à cœna ſurgens, Deóque gratias referens, Orationem: *Retribuere dignare*, &c. inter alias Deo perſoluit. Quam cùm Tabernarius audiſſet; paululùm animo hæſitare cœpit; num ab eo hoſpitij mercedem accipere deberet, quem Orationem *Retribuere dignare*, &c. perſoluentem percepiſſet. Illinc enim eum grauis ſumptus, quem in eo hoſpitando erogauerat, deterrebat. Hinc verò voti vinculum, quo ſe firma Deo ſponſione deuinxerat, à mercede accipienda auocabat. Tandem voti Religio vicit: qua factum eſt; vt cùm de hoſpitij mercede ſecum deinde ageretur; pretium omne reſpueret, atque omnia integrè ſibi perſoluta eſſe diceret. Quod vbi Cardinali renunciatum fuit; iſque à Tabernario tam prioris miraculi factum, quàm etiam poſterioris voti vinculum didicit: primùm Viri pietatem laudat; & cùm munificentiſſimo dono, quod duplo hoſpitij ſumptus excedebat, Tabernarium affeciſſet: ipſius filium, qui iam Sacris initiatus, Iuris Eccleſiaſtici ſtudia proſequebatur; dignitate Eccleſiaſtica augendum curat. Atque ita qui pactum Domini cuſtodiuit, de manu eius accepit duplicia: vt ex eo diſcant, qui pietatis operibus incumbunt, pauperum eleemoſynis terrenas facultates non minui: ac Domino fœnerari, qui pauperibus tribuunt.

*S. R. E. Cardinalis in Tabernarium, ob illius pietatem munificentia narratur.*

XLIII. Cùm itaque id Bernardino perpetuum, ac legitimum eſſet; vt omnem rerum prouiſionem in via abiiceret, totámque in Deum ſpem, ac cogitatum iactaret: mira quoque Dei erat erga illum ſollicitudo; qua fiebat, vt cùm eos bonis accumularet, qui in Seruum ſuum ſe beneuolos præbebant; alios contrà, qui ſe aſperos, ac duros illi exhibebant, rerum penuria premeret. Accidit enim poſthæc; vt dum viſitationem æſtiuo tempore, per Æmiliam cum ſocio proſequitur: longo itinere, ac calore exhauſtus, ad Tabernam quandam diuerſoriam diuerteret; parúmque vini, quo exhauſtæ vires refocillarentur, à Tabernario peteret. Cui Tabernarius, cùm nullam vini mercedem ab eo ſperaret, nihil apud ſe vini eſſe protinus reſpondet. Quo audito, Bernardinus flexo capite præteriit. Vix iactu lapidis inde Bernardinus aberat; cùm Nobilium equitatus ad Tabernam aduentat, vinúmque hauriri poſtulat: aduolat ad Cellam vinariam Tabernarius, cui bina, ac terna dolia vino plena adhuc ſupererant: cúmque dolia omnia exploraſſet: cuncta vacua, ac penè arida offendit. Rem dum Tabernarius ſecum admiratur; protinus verba, quibus Dei Viro vinum petenti negauerat, illi in mentem veniunt, quibus nihil penitus ſibi vini eſſe affirmauerat: quare culpam agnoſcens, poſt Virum Dei feſtinat; cúmque haud longe inde abſentem offendens, ſupplex ab eo poſtulat, effuſiſque lachrymis rogat; vt rediens doliis ſuis benedicat, iiſque vinum reſtituat, quod auaritia vſque ad fæcem ebiberat. Redit Vir mitiſſimus; doliis benedictionem impertit, vinumque in dolia reuertitur; quo non modò opportunè ipſius neceſſitati ſuccurritur; familiáque mero redeunte, exhilaratur: ſed eo duplici miraculo, Vir antea auarus, pietatem, atque in pauperes Chriſti munificentiam diſcit.

*Tabernario vinum Bernardino deneganti dolia exſiccantur.*

*Bernardini benedictione vinum in dolia redit.*

XLIV. His illud poſtremum accedat, quod Fr. Bernardinus à Tuderto, quondam Sancti huius Viri Socius, Fr. Thomæ à Trebiano fideliſſimè retulit. Narrat is, beatum Patrem, dum Italiæ Prouinciam viſitaret, Vrbem quandam, cuius illi nomen, cùm hæc referret, è mente exciderat, ingreſſum fuiſſe: per quam dum iter facit, accidit: vt maximos gemitus, ac clamores è domo quadam erumpentes perciperet: quorum dum cauſam ſciſcitatur; audit, vnicum tunc viduæ filium morte ſublatum; cuius occaſus maximam luctus, ac doloris acerbitatem

*Mortuum filium ad lucẽ reuocat.*

matri adferret. Id cùm pius Pater intelligeret; viduæ caſum miſeratus, domum ingreditur, matrem verbis conſolatur: tum ad defunctum accedens, ac pauliſper genuflexus orans, illum ſigno Crucis conſignat: quo facto mortuus oſcitare cœpit, ac rediuiuus à morte, & ab infirmitate conualuit.

XLV. His, aliiſque copioſioribus miraculis, quæ partim ſuperiùs anno 1549. relata ſunt, partim noſtrorum ſilentio, ac obliuione deleta fuêre; eam Vir Dei ſibi tum apud Fratres, tum apud Seculares homines, ſanctitatis exiſtimationem comparauerat: vt Vir ſanctus, ac illuſtris ab omnibus haberetur. Paulus Tertius Pontifex Max. id de Bernardino dicere ſolebat: Capucinorum Religioni nihil prorſus formidandum, quin etiam bonorum omnium cumulum ſperandum eſſe, quandiu Bernardinum Aſtenſem ſuperſtitem haberet. Religionem is octo annorum ſpatio, tanta prudentia, & ſanctitate rexit; vt maximum illi ſplendorem contulerit. Generalia Ordinis ſtatuta ordinauit, illuſtrauit, auxit: qui tandem Generalatus munere ter repetito glorioſè perfunctus; cùm in Romano Conuentu per triennium Theologicam diſciplinam explicaſſet: quo in munere, qui illius Auditores erant, inſignem Viri eruditionem, cum præclara mentis illuminatione, eidem cæleſti dono infuſa coniunctam, nunquam ſatis admirari videbantur. Tandem ſenio, ac corporis incommodis confectus, Romæ ſupremo morbo corripitur: ex quo cùm ſe à Domino vocari intelligeret; generalem peccatorum confeſſionem, ab ipſa pueritia inſtitutam, multis lachrymis coram Sacerdote perficit: tum cæteris Sacramentis muniri curat. Quibus deuotiſſimè ſuſceptis, vniuerſos Romanæ familiæ Fratres, ad ſe accerſitos, paternis verbis, eò ardentiori ſpiritu prolatis, quo ſe breui ab iis morte ſeparandum ſenſerat; ad Regularis diſciplinæ obſeruantiam, ad Paupertatem, ad Orationis ſtudium, ad Crucis amplexum, denique ad diuinum amorem vehementer adhortatur. Poſthæc animum colligens; cùm æternorum totus deſiderio, atque amore flagraret: ſæpè illa ſenis Simeonis verba animo, oréque repetebat: *Nunc dimittis Seruum tuum Domine*, &c. Qua die verò illi ex hac luce tranſitus parabatur: cùm Veſpertinas horas, & Completorium cum Socio Domino perſoluiſſet; vbi ad Beati Patris Franciſci Antiphonam: *Cælorum candor*, &c. ventum eſt, repentè totus animo, ac facie exhilaratus ad Socium ait: En Frater, en Frater, an non vides? Cui Socius: Quid eſt, Pater, quod vides? Is verò protinus re ſilentio obtecta, Antiphonam, *Cælorum candor*, &c. proſequitur: qua abſoluta, vbi manus ſibi in mortui modum aptauit; caput ſuper puluillum inclinat, quaſi qui quietem ſibi conciliare vellet: oranſque ſpiritum Deo propè ſeptuagenarius reddit: cùm quinquaginta circiter annos, in vtraque, & Obſeruantium, & Capucinorum Religione, ſumma cum integritatis, prudentiæ, ac ſanctimoniæ laude conſumpſiſſet. Romæ ſepultus, non inſculpta marmoreo tumulo præclarè geſtorum trophæa profert: ſed præſtantiſſimarum virtutum ſtemmata, clariſſimæque ſanctimoniæ memoriam; tot denique glorioſos labores pro Religione fortiter exantlatos, quæ nulla inquam obliuio delere poterit, poſterorum animis perpetuò celata reliquit. Cui illud Eccleſiaſtici decantari æquum eſt. *Princeps Fratrum, firmamentum gentis, Stabilimentum populi, qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione. Quaſi Oliua pullulans, & cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri eum in conſumatione virtutis.* Ipſius effigies ad viuum depicta in Conuẽtu noſtro Mottæ Philocaſtri aſſeruatur. Huius B. Patris dicta, & facta, adeò præclara, ac memorabilia ſunt, vt meritò apud omnes melioris notæ Fratres, magnam ſibi ſemper auctoritatem compararint.

*Pauli 3. Põt. de Bernardino elogium.*

*Romæ in morbum incidit.*

*Cæleſti viſione ante obitũ potitur.*

*Sanctimonia clarus Romæ diem extremum claudit*

Eccl. 5. & 51.

XLVI. Hoc anno, Fr. Angelus Saonenſis, celebris Concionator, dum Bononiæ magna cum totius Vrbis vtilitate, Dei Verbum diſſeminat: in amœno Colle, qui haud longè ab Vrbe abeſt, Religionis Monaſterium fundat, quod Montis Caluarij appellatione cohoneſtat.

*Bononiæ Conuentus extruitur.*





XLVI. Atque hoc eodem Anno, Tipherni, nix copioſiſſima è Cælo cadit: quo tempore, cùm Capucini Fratres, qui veterem adhuc Conuentum longiùs ab Vrbe diſtantem habitabant; niue obſeſſi, pane, ac vino carerent; atque ob niuis abundantiam, via omnis ad mendicationem illis intercluſa eſſet: nonnullæ adhuc in Conuentu Fabæ ſupererant, quas coquinæ Præfectus aqua madefaciendas curat. Dies Veneris erat, Dominicæ Paſſioni conſecratus; in quo dum vniuerſi Fratres in Eccleſiam collecti, ardentiùs ante Nonam ſimul orationi vacant. En ianuæ tintinnabulum pulſatur. Accurrit Fr. Gratianus Ancaianenſis, tunc Conuentus Ianitor; Virúmque præ foribus cernit, qui aſellum pane, ac vino onuſtum, ad Fratrum ſubſidium duxerat. Rem Ianitor ad Guardianum defert, qui hominem cum aſello in Conuentum introduci iubet: at dum Ianitor ad fores reuerſus, vt Guardiani imperata faciat, hominem quærit: panem quidem, ac vinum ante fores reperit; hominem verò, & aſellum nullibi apparentes conſpicit. Cumque quò ille diuertiſſet, vndique diligentiſſimè exploraret, nulla nec hominis, nec aſelli veſtigia in niue expreſſa deprehendit. Quapropter cæleſtem annonam omnes à Deo profectam agnoſcentes; plurimas diuinæ Maieſtati, quæ in eos munificentiſſima fuerat, laudes, ac grates perſoluunt.

*Tipherni Fratres à niue obſeſſi à Deo cæleſtem annonam accipiunt.*

XLVII. Pleriſque hoc tempore Deus Opt. Max. exemplis manifeſtum eſſe voluit; quanta lignum ex arbore S. Franciſci, de qua alibi egimus, præſciſſum, in veneratione ab omnibus habendum ſit. In his primum ex Mediolanenſi Prouincia erumpit. Etenim Fr. Andreas Cremonenſis Sacerdos, hoc anno Cremona Laudum iter faciens, Nobilem quendam, equo inſidentem, in via obuium habet: qui cùm ob ſingularem, qua erga B. Franciſcum deuotionem afficiebatur, ab eo Crucem ex ligno S. Franciſci fabrefactam petiiſſet: quo tempore Andreas Crucem è manica expromptam Nobili offert: equus, cui ille inſidebat, quaſi qui ſacrum B. Franciſco lignum, veneratione dignum duceret; in priora genua procidit, honorémque, quo poterat, modo, tum ligno, tum ſancto Crucis Signaculo perſoluit. Quod cùm Nobilis ille ſumma cum admiratione perſpexiſſet: Me profectò, ait, equus melior fuit: quodque ego præſtare debueram, prior facto docuit; ſtatimque ex equo delapſus, ac genuflectens, reuerenter Crucem à Sacerdote accipit.

*Equus ante Crucem ex B. Franciſci ligno fabrefactam genuflectit.*

XLVIII. Altera itidem mulier, quæ à Fratre Tobia Mediolanenſi Crucem huiuſmodi, ex ligno S. Franciſci compactam, acceperat: cùm eam ligneæ Coronæ B. Virginis, quam ſecum deferebat, alligaſſet: caſu accidit, vt Corona ſimul cum Cruce illi imprudenter in ignem prolaberetur. Cumque Corona, quæ lignea erat, igne combuſta, ac conſumpta eſſet: ſola Crux integra, atque ab igne illæſa permanſit; quam Felis quædam domeſtica, vngula ex igne erutam, atque ore apprehenſam, ad heram detulit: vt luculentiùs cunctis miraculum pateret.

*Crux ex B. P. Franciſci ligno compacta in igne nõ comburitur.*

XLIX. Quanta verò hoc ipſum B. Patris lignum diuina virtute polleat; quamque efficax, ob tanti Patris interceſſionem, ad languores curandos remedium ſit; pluribus tum hoc anno, tum ſuccedentibus annis exemplis declaratum fuit. Porrò ex his, quæ hoc anno memoriæ tradita ſunt. Primum eſt cuiuſdam Patrisfamilias, qui Nicolaus vocabatur: qui cùm in Agro Tiphernate, graui dyſenteria laboraret, ex qua proximum ſibi interitum metuebat: à Fratre Vbaldo Eugubino, Laïco Capucino perſuaſus; vt ad B. P. Franciſci merita imploranda animum conferret; ab eo nonnihil pulueris, quam is ex B. P. Franciſci ligno elimauerat, accipit: quo ſimul cum vino maxima fide hauſto, ſtatim à morbo conualuit. Idipſum quoque ibidem alteri contigit: qui graui febre ægrotabat: cui cùm eiuſdem ligni limatura, vnà cum aquæ potu ſumenda tradita eſſet, vix ea hauſta, à febre curatus fuit. Innumera huiuſmodi curationum exempla apud antiqua noſtra M.S. exarantur: quorum ſaltem aliqua ſuis quæque annis referenda erunt.

*Puluis ex ligno B. P. Frãciſci eraſus, Ægrotum curat.*

L. Hoc tempore, non paucæ Mulieres, rude Religionis Cingulum, ex fune, quo Fratres præcingi ſolent, compactũ ſibi adhibẽtes, è partus doloribus repẽtè liberantur.

ANNVS CHRISTI. IVL. III. CAR. V. IMP. RELIG. CAPVC.
1554. 5. 36. 30.

*Tres Mulieres Ordinis Fune præcinctæ à partus doloribus liberantur.*

Inter quas prima fuit in Prouincia Hidruntina Baroniſſa Montis Ruffi: quæ, cùm ob partus difficultatem maximo in vitæ diſcrimine verſaretur, Ordinis fune, quem à Fratribus ſumma deuotione poſtulat, ſibi præcincto; illicò ſalua enititur.

Caſtellanetæ, ſeu Caſtaniæ, quæ eſt Vrbs Neapolitani Regni, ſub Archiepiſ- LI.
copatu Tarentino; altera Mulier iam triduo partus doloribus cruciabatur: ex quibus cùm moritura crederetur, à propinquis Religionis Cingulum depoſcitur; quo parturiens præcincta, ſtatim mortuum fœtum ſalua parit, cunctoſque ad diuinæ virtutis tum admirationem, tum laudem compellit.

Tertia denique Fratris Gregorij Aletini Capucini ſoror, quæ partus doloribus LII.
Aletij ad tertium vſque diem ita affecta fuerat; vt à cunctis illius ſalus deſperaretur; cùm funem, quo Fratres præcingi ſolent, manu attrectaſſet; protinus fœtum incolumis in lucem edidit.





ANNVS CHRISTI IVL. III. MARCEL. II. PAVL. IV. CAR. V. IMP. REL. CAPVC.
1555. 6. 1. 37. 31.

I. TRIENNALI circulo expleto, vltimus Euſebij Generalis Annus, & à partu Virginis, Milleſimus quingenteſimus quinquageſimus quintus agebatur; cùm nouum Generale Capitulum, Firmi in Piceno, conſueto Pentecoſtes tempore ab Euſebio conuocatur: in quo celebratis Comitiis, Euſebius ipſe omnium Electorum conſenſu, in Generalatus munere confirmatur. His Comitiis inter alios interfuit, F. Hieronymus Piſtorienſis, Vir vitæ integritate, ac eruditione celebris; qui ex Obſeruantium Familia, paulò antea ad Capucinos tranſuolauerat: de quo pluribus ſuo loco agendum erit.

*Nonum Generale Capitulum Firmi in Piceno celebratur.*

II. Interea, qui mille ad Religionis perniciem oculis inuigilat, Stygius hoſtis: cùm vberrimam animarum ſegetem, quam ex ſimplici Noſtrorum Prædicatione, diuina vndique pietas metebat, moleſtiſſimo animo ferret: quorundam ex noſtris Verbi Dei Præconibus animos permouerat: vt ſub fallaci quodam amplioris exiſtimationis prætextu, ſermonis ſimplicitatem faſtidientes; vanæ, ac curioſæ verborum eloquentiæ ſtuderent: quo maiorem apud populum ſibi auctoritatem, & gratiam conciliarent. Quo fiebat, vt minùs animarum ſaluti, curationique incumberent. Quapropter in hoc Capitulo, vehementiùs ab Euſebio Generali, in eos diuini Verbi Concionatores inuectum fuit; qui ſimplici, atque Apoſtolica prædicandi ratione poſthabita; nihil præter curioſitatem, ac ſermonis elegantiam ſectarentur: quos propterea, comminata Concionatorij muneris priuatione, ab inſtituto deterruit.

*Concionatores nimis ornatè Dei Verbum prædicãtes, ad ſimplicitatem reuocantur.*

III. Graues ferè toto hoc triennio, in Religionem procellæ ab Aemulis excitatæ; quibus eam ad ſupremam naufragij deſperationem ſe pertrahere poſſe ſperabant, Euſebium compulerunt; vt maiorem huius temporis partem in Romano Conuentu tranſigeret: quò faciliùs & commotos vortices confringere, & contorta ab Aduerſariis in Religionem tela retundere valeret. Porrò hæc in Religionem tempeſtas, poſt Iulij Tertij, qui hoc anno, decimo Kalend. Aprilis extremum diem clauſit, obitum orta; breuique Marcelli ſecundi, qui Iulio ſucceſſit, Pontificatu aucta; tandem ſub Paulo Quarto, qui hoc anno decimo Kal. Iunij ad Pontificale munus aſſumitur, non abſque graui Religionis moleſtia ſedatur.

*Graues in Religionem procellæ cõcitantur.*

Etenim Paulo Tertio è viuis ſublato; qui ſuprema Capucinorum Religioni fu-
IV. nera minabantur, noua Iulij Tertij Pontificatus opportunitate captata, antiquas iterum apud Apoſtolicam Sedem querimonias, ac contentiones mouent; quibus Capucinos ſibi ſubiicere tentant: nouaque in eos bella cient, vt penitus è medio tollant. At Iulio maturiùs ex humanis excedente: rem acriùs ſub Marcello ſecundo proſequuntur: ſed ipſo quoque, poſt viginti duos Pontificatus dies, hinc emigrante; cùm Apoſtolica Sedes Paulum Quartum, Virum prudentiſſimum; atque erga Religionem beneuolum accepiſſet: quem non tam facilè, aut clamores terrerent, aut oppugnantium auſteritas moueret: poſt primum illius Pontificatus annum, procella in Noſtros excitata paulatim miteſcere viſa eſt. Igitur nonnihil deferueſcente perſecutionis æſtu: Euſebius, Franciſco à Soletro, & Ioanne Albienſi grauiſſimis Patribus Romæ relictis; vt, ſi quæ prioris perſecutionis reliquiæ iterum fortè pullulularent, iis ſua prudentia opportunè obſiſterent: ſub tertij anni exor-

dium,anno videlicet 1557.Religionis Viſitationem auſpicatur:quæ tametſi ſerò ab eo inchoata fuerit, haud tamen, ob ſingularem Viri virtutem,ac prudentiam,plurima vtilitate caruit.

*In Veneta Prouincia Fratres peſte laborantibus miniſtrant.*

V. Iam verò, quod ad hunc annum ſpectat: Sæuiſſima lues Patauium, ac totum Patauinum Agrum inuaſerat; quo tempore Capucini Fratres vltrò ſe peſte laborantium obſequiis, magna cum totiùs Vrbis ædificatione, atque vtilitate mancipant: quo in munere Fr. Alexander Iuſtinopolitanus Conuentus Vicentini Guardianus, & F. Hieronymus Ticinenſis, Clericus, vitam cum morte commutant:atque eodem ferè tempore Fr. Leo Veronenſis, Guardianus Venetiarum, Sancto fine in Domino quieſcit.

*F. MATTHÆI RHEGINI vita & geſta enarrantur.*

*Ipſius virtutes enarrantur.*

VI. In Vrbe Rhegienſi apud Calabros moritur hoc anno Fr. Matthæus Rheginus Calaber, ex Coramantiorum Familia; Vir omni virtutum laude clarus: cuius tanta fuit mentis humilitas, vt ſacro Subdiaconatus Ordine contentus, ad altiores Diaconatus, ac Presbyteratus Ordines, præ animi humilitate, promoueri recuſauerit. Fuit hic Regulæ cũprimis obſeruãtiſſimus, ac totius Regularis diſciplinæ forma, vitæ auſteritate rigidus, abſtinentia inſignis,in Oratione feruentiſſimus, ac diuinarum rerum contemplationi deditus; præcipuè verò in Dominicæ Paſſionis Myſteriis recolendis ita frequens, ac pius; vt in eorum meditatione iuges ferè ex oculis lachrymas funderet.

*Panem Fratribus, ac Operariis à Deo miraculosè impetrat.*

Huius Viri Sanctitas nonnullis à Deo miraculis declarata fuit. Dum enim non longè à Rhegina Vrbe, Capucinorum Conuentus extrueretur, accidit; vt ob frequentes, ac copioſos imbres, panis aliquando ad Fratrum, & operariorum victum mendicari non poſſet: ex quo tam Fratres, quàm Operarios conſueta refectione carere oporteret. Id cùm Matthæo innotuiſſet; mox in Eccleſiam ſolus ſecedens, ad Chriſti Crucifixi pedes ſeipſum proſternit; ab eoque annonæ prouiſionem poſtulat. Nec pius Dominus orantis petitioni defuit:nam vix oratione peracta,ianuæ tintinnabulum pulſatum fuit; virque ignotus, panis candidiſſimi corbe onuſtus, in ianua apparet; quo Fratrum, & Operariorum neceſſitati abundè ſubuentum fuit.

*Signo Crucis confractum ſanat.*

VII. Porrò in ea Conuentus ædificatione, dum tranſtra quædam altiùs in Eccleſiæ tecto collocantur; caſu euenit: vt faber lignarius minùs ſibi cautus, ex alto Eccleſiæ culmine præceps ad imum rueret: quo caſu cùm vniuerſi illum toto corpore confractum arbitrarentur. Matthæus, mox lapſum hominem Signo Crucis ſignat, cúmque data manu erigens, protinus incolumem Operi reſtituit.

*Pleroſque ægrotos Signo Crucis tantùm adhibito curat.*

*Poſt obitum ſuauis ex illius Corpore odor diffunditur.*

VIII. Pleroſque hoc modo Dei Seruum ægrotos Signo Crucis curaſſe, memoriæ traditum eſt: quibus cùm id tantùm admonens diceret: Fili habeto Fidem Dei, & ſaluus eris: confeſtim ab eo ſanabantur. Denique obitu ſuo Fratribus longè ante mortem prædicto; cùm ſe Eccleſiæ Sacramentis deuotiſſimè, ad Domini occurſum præparaſſet; plenus virtute, ſeptuagenarius ad meliorem vitam concedit. Cuius ſanctitati illud è Cælo teſtimonium acceſſit, quod ex ipſius corpore, poſt mortem, tam ſuauis odor diffundi cœpit; vt F. Antoninus Rheginus, qui illud in ſepulchro condidit, eo perfuſus, poſt hæc per octo integros dies ſuauè oleret.

*F. ANTONII SICVLI Vita & geſta*

*Illuſtris Antonij patientia commendatur.*

IX. Romæ hoc ipſo anno Fr. Antonius Siculus, Laïcus, infirmorum præfectus; cùm plurimis in Ægrotorum cura laboribus, piè, ac fideliter, per aliquot annos perfunctus eſſet, ad perennem quietem euolat. Inter cæteras huius Viri virtutes, illuſtris patientia fuit; ac dura pro Chriſto tolerandi ardor: nam cùm pro officij ſui munere carnes pro infirmis à laniis peteret: lanius quidam cæteris opulentior, Antonij conſpectum tam grauiter ferebat; vt cumprimùm ad lanienam ſuam accederet, illum ab ea duris verbis expelleret; ac ſæpiſſimè iniuriis, ac conuitiis oneraret. His Antonius nunquam ita lædi potuit; quin maiorem ex his voluptatem capiens, frequentiùs ad lanium pergeret; illatáſque contumelias, velut pretioſas gemmas, ac carbunculos colligens, non tam animo turbatum, quàm ſe vultu hilarem





oſtenderet: caput iniuriis inclinabat, ridentémque faciem præſeferens: quaſi qui diu optatis potitus eſſet, aut ſpolia opima ex hoſte tuliſſet; domum gaudens reuertebatur. Hanc Antonij patientiam tot iniuriis, ac contumeliis laceſſitam, diuturnóque temporum ſpatio probatam; cùm Lanius altiùs ſibi animo inſculpſiſſet; magnoperè ea admirari cœpit: neque præſtantiſſima, ac propè diuina virtute vacare ſenſit, quod in eo præter humani ſenſus rationem, ſe ſe efferre conſpiciebat: quapropter cumprimùm Antonius ad lanienam rediit, tanta Virum veneratione ſuſcepit; vt ab eo primùm iniuriarum veniam poſtulauerit; deinde obnixè rogare cœperit, vt quæ ad Infirmorum eſum neceſſariæ eſſent, aliundè, præterquam ab eo, deinceps carnes non peteret: tantámque exinde erga Antonium, ac Religionem animo pietatem, ac beneuolentiam peperit; vt quandiu ſuperſtes fuit, ſolus carnes pro Infirmis erogare voluerit. Tanta quippè eſt exemplorum, ac rectè factorum vis; vt his plerunque homines magis, vel ad vitæ correctionem, vel ad virtutem moueantur, quæ in aliis præclarè geſta admirantur; quàm quæ ab aliis benè audita percipiunt: validiora enim exempla, quàm verba ſunt (S. Leone teſte) & pleniùs opere, quàm voce docetur. Cum hac animi virtute, vitæ auſteritatem, abſtinentiam, corporis macerationem perpetuò coniunxit: tanta quoque morum diſciplina, ac ſermonis ſuauitate præditus fuit; vt cùm Paulo Tertio Pontifici, qui illius ſanctitatem nouerat, ob id charus eſſet; Pontifex illius ſæpè colloquio delectaretur.

*Lanium ſua patientia ex contumelioſo, pium ac beneuolum præſtat.*

S. Leo Papa, ſermon. de Ieiunio.

*Charitate erga Aegrotos effunditur.*

*Romæ Sanctè in Domino obdormit.*

X. Potiſſima tandem illius virtus fuit, quæ Electorum propria eſt; effuſa nimirum quædam erga infirmos, ac cæteros omnes charitas: qua fiebat; vt neque vigiliis, neque labori vlli propter ægrotos parceret: tantáque vniuerſos charitate complecteretur; vt & ipſa ſibi neceſſaria ſæpenumero denegaret: vt aliorum commodis ſatisfaceret. Hinc ſæpè ſibi ipſi vel obſonium, vel fœmoralia munda ſubtrahebat, vt cæterorum indigentiam ſuppleret. Frequenter etiam vilia, ac laborioſa ſibi aliorum exercitia, quaſi otio vacaret, aſſumere ſolebat; vt eorum labores ſubleuaret. His cùm magnam ſibi tum in Vrbe, tum apud Fratres ſanctimoniæ exiſtimationem, haud fruſtra comparaſſet; tandem poſt vigeſimum in Religione annum, in ſanctitate, & iuſtitia haud vulgari conſummatum: in eodem Romano Conuentu, mortali vitæ finem imponit, vt immortalem apud Deum auſpicaretur.

*F. LVCAE NARINI Vita & Geſta.*

*Dæmonum conſilia diuinitùs illi reuelantur.*

XI. Nari quoque apud Siculos, hoc anno, ad Superos migrat, Frater Lucas Narinus, Sacerdos: multarum virtutum gloria illuſtris, humilitate ſublimis, charitate præſtans, abſtinentia, ac cæteris corporis caſtigationibus præcellens: ac præſertim diuinarum rerum contemplatione inſignis; in qua pleráſque à Deo Reuelationes accepit. Inter has ea fuit: Quòd cùm diuinitus illi reuelatum eſſet: Cacodæmones aduersùs Religionis propagationem, Conuentum collegiſſe; in quo ab iis decretum fuerat: vt Nouitios omnes Siculæ Prouinciæ à Religione expellerent. Is protinus ad cunctos Nouitiorum Magiſtros epiſtolas dat; quibus illos huius Tartarei conſilij certiores reddit: quod ſanè haud parùm illis contulit, quò maiori diligentia Nouitios à Diabolicis technis liberos ſeruarent.

*Dæmonem Fratris humero innixũ in Oratione videt.*

XII. Cùm verò ſemel in Conuentu Ennæ, ſeu Caſtri Ioannis, Guardiani munere fungens, noctu in Eccleſia oraret: Dæmonem nigra, ac talari veſte indutum, Eccleſiam introeuntem videt, qui Fratris cuiuſdam humero, velut amico, ac familiari inniti cœpit: quem cùm is baculo, quo fulciebatur, percuſſiſſet; Dæmon quidem aufugit; at infelix Frater, qui cum Dæmone fœdus pepigerat, cùm admonitus, ſibi à Sathana cauere noluiſſet; excuſſo obedientiæ iugo, ea nocte à Religione naufragus excedit. Hoc quippe Deus, ob innumera, quæ de Tartareo hoſte trophæa reuexerat, illum dono cohoneſtauerat; vt Dæmonum conſilia cerneret: quò faciliùs aliis doctrina, & oratione opitulari poſſet. Hoc modo cùm

*Dæmonem Fratri ficus porrigentem cernit.*

Thermis Himeris, quæ eſt Siciliæ Vrbs, Guardianus eſſet: alterum quoque Fratrem, in horto furtiuè ficus comedentem, conſpicit: cui Dæmon ex arbore meliores ficus miniſtrans, illum ad vetitum fructus eſum pelliciebat: quod cùm Dei Seruus animaduertiſſet; Fratrem ad ſe accerſitum monet, ne præter obedientiam, ficu veſcatur; Serpens enim (aiebat) qui Mulieri vetiti ligni eſum perſuaſit, te quoque ad ficus præter obedientiam guſtandos compellit. At id parùm eſt, arborem enim ipſe conſcendit, ac ficus è ramis profert: vt inde certiſſimè addiſcas, quæ præter obedientiam extra communem menſam eduntur; è Diaboli manibus proculdubio prodire.

*Dæmonum opera ex Eccleſiæ culmine dilabitur.*

XIII. Tanta erat huius Viri Sanctitas, vt cùm eam Dæmones ferre non poſſent, ſæpè è gradibus illum deijcerent. Cùm Gibilmannæ, aliquando Conuentum moderaretur; Dæmonis opera, ex alto Eccleſiæ culmine, in terram collapſus, vtraque ſibi crura confregit: quo caſu cùm grauiſſimo dolore cruciaretur: tametſi illud patienter ferret, vis tamen doloris eum ad aliquos gemitus edendos compellebat. Cui Chriſtus Cruce onuſtus apparens, his illum aliquando verbis affatus eſt. Luca, quiſnam acrior dolor fuit, tuus ne, quem in cruribus ſuſtines; an meus, quem ſub hoc Crucis onere pertuli? Cui Lucas: Tuus certè, bone Ieſu, cui nec meus quidem vllo modo comparandus eſt; Vtinam tuo quoque dolore fruar. Chriſtus autem diſcedens ſua benedictione omnem illi doloris ſenſum abſtulit.

*Chriſtus Crucem baiulans illi apparet.*

*A Colicis doloribus B. P. Franciſci cõtactu ſanatur.*

XIV. Colico aliàs quoque dolore in Conuentu Tiracenſi grauiter cruciabatur; quo in cruciatu, cùm B. P. Franciſci opem humiliter imploraſſet: B. Pater illi viſibilis apparens, doloriſque locum manu contingens, ab eo illum languore liberum reddit. Alio quoq; tempore cùm iter faciens flumen traijceret, à rapido illius curſu manifeſto naufragio deorſum trahebatur: quo in diſcrimine cùm ad B. P. Franciſcum animum, verbaque dirigens, dixiſſet. Noſti B. Pater, quoniam non ſponte, ſed ex obedientia hoc iter ſuſcepi; ecce nunc aquis ſubmergor. Vix hæc prolocutus fuerat; cùm ſtatim ſe ad alteram fluminis ripam delatum conſpicit. Atque hæc quidem diuinæ in Dei Seruum beneuolentiæ ſigna fuêre, qua illum variè afflictum conſolabatur. At ſanè mirabiliora ſunt, quæ ad Serui ſui ſanctitatem declarandam diuina per eum virtus operabatur.

*A ſubmerſione B. P. Franciſci ope liberatur.*

XV. Contigit aliquando; vt Vrceoli vitrei, qui Miſſæ miniſterio inſeruiebant, Aeditui incuria humi excidentes confringerentur: Aedituus verò eo magis eorum lapſu cruciabatur, quòd alij eorum loco ſubrogandi haud ſibi eo tempore ſupereſſent: quod cùm Viro Dei, qui etiamnum eo manè Miſſam celebraturus erat, renunciatum fuiſſet: Aedituo inquit: Quid turbaris modicæ Fidei? Vrceolorum ad me fragmenta adfer; quæ cùm ſimul ſuis locis aptè copulaſſet; ſigno Crucis adhibito, integros illos Aedituo reſtituit; ac paulò poſt ad Miſſæ celebrationem accedit.

*Vrceolos confractos ſigno Crucis inſtaurat.*

XVI. Poſthæc cùm Leontium profectus eſſet; Mulier quædam, quæ iam diu paralyſi laborauerat, cùm primùm S. Viri in Vrbem aduentum percepit; à Guardiano poſtulat, vt Lucæ ſemel ſaltem præſentia ſibi frui liceat: Re à Guardiano impetrata, cùm Lucas ad ægrotantem perueniſſet; multamque cum ea propinquorum turbam, quæ ad eam viſitandam confluxerat, offendiſſet: ab ea percunctatur, quàm benè ſe habeat; quiſve illam morbus affligat. Reſpondet languida, diutina ſe paralyſi laborare. Cui Lucas; Nequaquam, ait, ita erit; benè valebis, ſi Deo placuerit. Cumque ab ea quæſijſſet, qua corporis parte illam morbus arriperet; illa dextram latus oſtendit, quam Vir Dei ſigno Crucis obſignans: Quid iſtic iaces, inquit, cùm nullus te morbus occupet, iam ſurge, ac Deo gratias age. Illa dicto obtemperans, protinus incolumis è ſtrato ſurgit, atque à paralyſi ſe prorſus liberam ſentit.

*Signo Crucis Mulierem Paralyticã ſanat.*

XVII. In Oppido Ennæ, extremo agone cum morte conflictabatur adoleſcens, No-

bilis



bilis cuiuſdam fœminæ filius; quæ cùm Capucinorum Ordinem haud vulgari beneuolentia complecteretur, moribundum filium Fratrum precibus impenſiùs commendauerat. Iam eò lethalis morbus adoleſcentem adegerat, vt deſperata valetudine, ſupremus duntaxat illius vitæ exitus expectaretur. Noctu igitur dum Mater morienti filio mœſta aſſiſtit; moribundus ad Matrem conuerſus ait: Mater, An non animaduertis, Patres iſtos Capucinos, iamdudum genuflexos orare; roga, vt ſurgant; ac paululùm quieſcant. Cui Mater: Nulli, inquit, fili mi, hic Capucini orantes ſunt: rem tamen altiùs animo conſiderans, noua de filij ſalute ſpe concepta, ſtatim ad Capucinos nuntium mittit; qui Guardianum rogaret, vt Fratrem Lucam, qui tùnc in eo Conuentu degebat, quamprimùm ad ægrotum mitteret. Venit Lucas, & cùm iuxta ægrotantem ſediſſet; placidis illum verbis conſolatur: aquam ſibi iubet afferri, quam ſigno Crucis benedicit; ægrotantémque adoleſcentem monet, vt Salutationem Angelicam deuotè recitet: qua ab eo perſoluta, mox aquam illi potandam præbet; qua hauſta, repentè adoleſcens è lethali morbo conualeſcit, è ſtrato ſurgit, ac poſtridie per Vrbem incolumis incedit. His tam illuſtribus ſanctitatis teſtimoniis à Deo probatus; tandem Vir Dei, mortalis vitæ ſtadio decurſo, agonéque feliciter conſummato, ſempiternæ, vti piè credimus, fœlicitatis brauium aſſequitur.

*Clarus Miraculis extremum diem claudit.*

XVIII Alij quoque hoc anno, Viri virtute præclari, è Capucinorum Ordine ad Cæleſte premium euolant: inter quos prior eſt Fr. Ioannes Candela Rheginus, Laïcus; qui anno 1532. cum Ludouico Rhegino, ac reliquis, ex Obſeruantium Familia, in ipſo Reformationis exordio, ad Capucinos migrauerat. Fuit hic Ioannes Regulæ obſeruantiſſimus, vita auſterus, charitate feruidus; támque in oratione aſſiduus; vt vix vnquam, cùm ſuo muneri ſatisfeciſſet, ab Eccleſia diſcederet. Obitum ſuum, Deo reuelante, longè ante præſciuit: quamobrem cùm ad mortem ægrotaret: Antonino Rhegino, infirmorum Præfecto, qui illi in extremo vitæ diſcrimine aſſiſtere optabat, dixit: Antonine, fili, nondum venit hora mea: ito, & quieſce; opportuno te tempore accerſam. Cúmque ſanctis ſe Eccleſiæ Sacramentis deuotiſſimè muniiſſet; inſtante ſuæ reſolutionis hora, Antoninum accerſit: atque eodem tempore, Auicula cellam ingreſſa, tanta ſuauitate canere, ac cæleſte melos edere cœpit; vt & moribundum, atque adſtantes ſumma voluptate afficeret: Porrò inter hos auiculæ illius cæleſtis cantus, Ioannes, Deo animam reddit. Poſt mortem caro illius mollis, ac morbida, velut pueri reddita fuit; tamque ſuaui odore perfuſa; vt Cæleſtis gloriæ iam præmium aſſequuta videretur. Septuagenarius obiit in Conuentu Rhegij, atque ibidem ſepultus in Domino quieſcit.

*F. IOANNIS CANDELÆ Calabri Vita, & Geſta.*

*Obitum ſuũ diuinitus præſcit.*

*Auicula illi in morte adſtat, ac ſuauiter canit.*

XIX. Alter quoque inter Calabros Vir ſanctitate conſpicuus; nimirum F. Bonauentura Rheginus, laicus, hoc anno à corporeis vinculis ſoluitur: qui & ipſe inter priores illos Calabros Patres, Ludouici Socios, adnumeratur: qui ſumma conſtantia, ac virtute, primæuos illos perſecutionum impetus deuicerunt. Mira in hoc Viro erga infirmos charitas, ac diligentia eluxit: quibus tanto ſtudio, ac ſollicitudine inſeruire viſus eſt; vt cibum, ac ſomnum, quò illorum obſequiis vacaret, ſibi præriperet. In vultu hilaritatem; in verbis ſuauitatem præferebat: quo fit, vt omnibus gratus, vniuerſos ſua modeſtia, ac morum diſciplina ædificaret. Orationem tantoperè coluit; vt poſt charitatis obſequia, ad ſolitaria ſemper loca orationi apta ſecederet.

*F. BONAVENTVRAE RHEGINI, Vita & Geſta.*

*Ipſius virtutes deſcribũtur.*

XX. Cæterùm diuina familiaritas, quam aſſidua illi oratio genuerat, tantam Dei Seruo, erga Deum confidentiam comparauerat; vt nihil vnquam ab eo peteret, quod impetrandum non ſperaret: nonnullis id exemplis manifeſtum fuit. Cùm enim fornax Calcaria ad Rhegini Conuentus ædificationem pararetur: quampluri mique Operarij, quibus victus à Fratribus miniſtrabatur, ad opus confluxiſſent: contigit aliquando; vt panis Operarijs ad refectionem deeſſet: quos Bonauentura

 bono

*Panem è Cælo Operariis exorat.*

bono animo eſſe, ac parumper duntaxat expectare iubet; donec ociùs ad ipſos redeat: ſtatimque mantica in humeros ſublata, ac Fratre Antonino Rhegino ſecum Socio aſſumpto; vix vno ab iis lapide digreſſus, mantica humi depoſita in genua procidit; diuinámque liberalitatem, orans ſibi adeſſe depoſcit. Interea ex Operariis vnus, qui eum cum mantica abeuntem conſpexerat; cùm hominum habitationes inde longè abeſſe non ignoraret: clàm illum ſecutus; cùm primùm eum orationi cum Socio incumbentem videt; ſtatim ad Socios rediens. Iam, inquit, hodie pro pane, nobis ſupplicationes ad veſcendum dabuntur; quid fruſtra panem expectamus? En Fr. Bonauentura cum Socio panis obliti, orationi vacant: nos verò interea fame conficiemur. At Bonauentura, vbi Deum aliquantiſper orauit; manticam pane albo, & optimo è Cælo plenam accipiens, ad Operarios reuertitur; panémque illis abundè miniſtrat. Qui verò cæteros ad murmurationem compulerat, miraculo perterritus, cùm culpam agnouiſſet; veniam à Viro Dei poſtulat, quam etiam facilè conſequitur.

*Diuinitus à Trabis oppreſſione liberatur.*

Hinc paruo tempore elapſo, cùm vaſta quædam trabs, quæ eiuſdem Conuentus ſtructuræ neceſſaria erat, vehenda eſſet: eam Bonauentura boum opera pertrahendam curabat; quo tempore accidit; vt currus, quem is cum bobus præcedebat, è Colle præcipiti defluens, boues, & trabem magno impetu in eum impelleret. Porrò ea impetus vi, ac pondere, cùm omnes illum contritum, nedum oppreſſum crederent; En Vir Dei incolumis è lapſu ſurgit: alteriuſque bouis, qui iugum excuſſerat, onus ſuſtinens, trabem abſque vlla corporis læſione, aut iniuria ad Collis radicem vnà cum altero boue pertrahit. Id cunctis, qui aderant, cùm non tam admirabile, quàm humanæ virtuti prorſus impoſſibile viſum eſſet; nihil in eo, præter Dei virtutem miro modo operantem ſuſpicientes, diuinam benignitatem commendarunt.

*Fornacem Calcariam ardẽtem ingreſſus illius ruinas inſtaurat.*

XXI. At illud poſtremò mirabile fuit, quòd dum altera fornax Calcaria, quæ pro eiuſdem Conuentus ædificatione inſtructa fuerat, iam ſecundo die ardet; animaduertunt Calcarij, fornacem ruinam minari: cúmque ea re eò grauiùs cruciarentur; quòd nullo remedio ruinam inſtaurari poſſe intelligerent: Vir Dei, animo conſternatos in ſpem diuinæ benignitatis aſſurgere, eoſque refectionem ſumere iubet. Interea ſigno Crucis ſeipſum armans, ardentem fornacem ingreditur; per flammas ad ruinam graditur; ardentes lateres ſuis locis collocat, fornacem ſuffulcit, ruinas inſtaurat; quo in opere non paruam temporis moram inſumit: tum verò à flamma, tam illæſus iterum per os fornacis egreditur: vt nec habitus pilum ab igne exuſtum haberet, nec ignis odorem præſeferret. Expauêre vniuerſi, qui eum fornacem accenſam ingredientem conſpexerant. At verò cùm à fornace non tam incolumem, quàm ne à flamma quidem delibatum, exeuntem cernerent. Mox vniuerſi Dei virtutem ſummis laudibus efferre, ac Viri Dei ſanctitatem, tam admirabili ſigno à Deo conteſtatam, venerari cœperunt.

*Obitus ſui horam prædicit.*

*Corpus ipſius poſt mortem niue cãdidius cernitur.*

XXII. Poſtremò, cùm fidelis hic Dei Seruus, tres & viginti annos, in Marthæ miniſterio ſtrenuam operam nauaſſet; obitus ſui hora Fratribus prænunciata; meritis, & miraculis clarus, octogenarius in Cælum migrat, ac laborum mercedem accipit. Magnus Vrbis Rheginæ, ad Sancti Viri Corpus venerandum, hominum, ac mulierum concurſus fuit: quo tempore illud memorabile accidit: quod dum illi à Fratribus officia funeralia perſoluerentur; Corpus niue candidius apparuit; ſuauiſſimumque odorem efflare cœpit: quo cùm vniuerſi obſtupeſcerent, ſuauiores Deo laudes perſonant, qui Sanctos Seruos ſuos mirificat, gloriáque, & honore apud ſe coronat.

*F. DOMINICI à Molochio, Vita & vitæ pus vitas.*

XXIII. Poſtremus hoc tempore Rhegij ex humanis excedit, Fr. Dominicus à Molochio; qui cùm Angelicam puritatem, ac virginitatem ad Capucinorum Religionem attuliſſet, eam plurimis in Religione virtutibus auctam, ac illuſtratam, velut duplicatum talentum Domino reddidit. De eo Sacerdos, qui generalem illius





confeſſionem, ab incunabilis cœptam, in morte audiuit: olim teſtatus eſt, nulla eum mortali vnquam culpa labefactatum reperiiſſe.

XXIV. Fr. Seraphinus Aſculanus, Vir ſanctitate hac noſtra tempeſtate clariſſimus, de quo in ſecundo Annalium tomo plura ſcripturi ſumus, hoc anno duodeuiginti annos natus ſæculum exuit, & ad Crucis vexillum, in Capucinorum Familia, rebus omnibus exoneratus aduolat.

*F. Leo Veronenſis virtutibus clarus.*

*F. Petrus Clodienſis Sanctimonia eximius.*

XXV. Floruerunt hoc quoque tẽpore in Veneta Prouincia Viri virtute illuſtres, ac de Regulari obſeruantia inter alios benemeriti; Fr. Leo Veronenſis, Sacerdos, qui in ea Prouincia Guardiani, Magiſtri Nouitiorum, ac ſuprema Vicarij Prouincialis dignitate functus, Regularem diſciplinam plurimùm ſua virtute, ac vigilantia auxit: corporis ſui hoſtis acerrimus fuit, quòd aſperrimo cilicio, vigiliis, ieiuniis, victus, ac veſtitus auſteritate aſſiduè afflictans, dignam tandem Euangelico, & Crucifixo homine vitam in meliorem commutat. Et Fr. Petrus Clodienſis Laïcus, qui Septuagenarius ad Religionis gremium accedens, atque ob ſummam Viri exiſtimationem habitu donatus; ſub eo tã dignè viginti duorum annorũ ſpatio verſatus eſt, vt quamuis extrema ſenectute premeretur; iuuentutis tamen labores, ieiunia, ac communes corporis auſteritates alacri animo ſubiret. Demùm nonageſimum ſupra ſecundum annun agens; ſpiritu vegetior, ſanctitatis opinione ob præclaras virtutes poſt ſe relicta, non vitam cum morte; ſed mortem cum feliciori vita commutat.

*Galli Pedemontium occupant.*

XXVI. Hoc tempore cùm Auguſta Taurinorum, quæ Pedemontani Principatus Metropolitana Vrbs eſt; Carolo Allobrogum Duce vi inde pulſo, in Gallorum poteſtatem deueniſſet; ex militibus præſidiariis quamplurimi hæretica tabe infecti, Vrbis portas cuſtodiebant: qui cùm Catholicos Indigenas paſſim variis contumeliis afficerent; tum maximè Capucinos inſectabantur: qui Aedem B. Mariæ de Agro, in tota Regione deuotione celebrem, milléque ab Vrbe paſſus diſtãtem, incolebãt.

*Eximius Cõcionatoris pro Catholica fide zelus.*

*Hæretici in Capucinorũ necem conſpirant.*

XXVII. Hac igitur tempeſtate accidit, vt Ordinis Concionator, cum Socio ad Vrbem accederet: quem Hæreticus militum Dux, in ipſo portæ veſtibulo conuiciis laceſſere, ac conſueto Hæreticorum more, Catholicam Fidem verbis cœpit proſcindere. Id cum Concionator ægrè ferret; Fidei zelo accenſus, Catholicam Fidem multis argumentis propugnat; atque Hæreticum hominem clariſſimis rationibus erroris conuincit. At cùm ille errori pertinacius inhærens nullum rationi locum daret: proponit Concionator; velit ne veræ Fidei hoc experimentum facere: Dextra (inquit) noſtra amborum nuda brachia ſimul colligentur; ac ſubiecto rogo pariter à nobis inferantur. Cuius brachium in igne illæſum, & incombuſtum permanſerit: illius, Dei ipſius teſtimonio, vera Fides, ac Religio ſit. Renuit pactum Hæreticus: ſed cùm Sectæ ſuæ famam, hoc pacto maximè apud alios minui, ac labefactari videret, tanto in Capucinos odio exarſit: vt protinus conſilio cum aliis Hæreticis inito, in omnium Capucinorum, qui in eo Conuentu degebant, necem conſpirauerit. Cunctóſque noctu trucidandos decreuerit.

*Terror Hæreticos inuadit, & ad fugam compellit.*

XXVIII. Res ita ſilentio tegi non potuit; quin nobili cuidam Viro nota fuerit, qui Fratres impij conſilij, ac coniurationis admonet; certumque illis diem, ac horam horrendi facinoris indicat. Re comperta, Fratres non horrere, non terreri, non fugam capeſcere, non externa ſibi præſidia comparare, non oſtia occludere: ſed potiùs Deo Opt. Max. gratias agere; qui eos dignos efficiat, vt pro Chriſto animas ponant; impauido animo interfectores expectare, ac Deo ſe ſe pro Catholica Fide victimas offerre, alacri animo parant. Interea Guardianus vniuerſos Eccleſiam adire, atq; ante Altare Domini proſtratos, pro perſecutoribus preces Deo fundere, ac proprias Deo animas commendare iubet. Iam ſecunda inſtabat noctis hora impio ſceleri præſtituta; cùm armatam Hæreticorum manum ad Monaſterium accedentem perſentiunt: mox, Guardiano iubente, Eccleſiæ fores, quæ peſſulo occluſæ erant, patefiunt; quò faciliùs aduentantes milites ingredi queant. Id verò cùm abſque ſtrepitu, ac fragore fieri non poſſet: qui ad ſcelus parati iam præ foribus

aderant; cùm ſtrepitum audirent, foreſque pateſieri cernerent; diuina virtute perterriti, ac maiorem militum copiam, qui in eos irruerent, intus eſſe ſuſpicati; protinus omnes ſe in fugam dedunt, ac nemine præterquam Deo, perſequente, pedibus talaria nectunt. Hoc pacto, qui ad ſacrilegam Seruorum Dei internecionem audaces venerant; Oeſtro perciti, ac leporibus timidiores, vitam ſibi præcipiti fuga comparabant. Fratres verò qui ſe Deo hoſtias conſecrare auidè optabant, cùm Martyrij Coronam ſibi arreptam eſſe conſpicerent; non parùm animo contriſtari; & culpam in ſeipſos reijcere videbantur; quaſi tanto Dei dono ſeipſos indignos præſtitiſſent.

*Fratres ereptâ ſibi Martyrij Coronâ lugent.*

Haud tamen ij Martyrij merito, & corona, apud Deum caruêre; qui non tam ſanguinem in Martyrio effuſum, quàm ardentem ipſam Martyrij cupiditatem Corona proſequitur. XXIX.








I. ANNVS hic Milleſimus quingenteſimus quinquageſimus ſextus pleriſque Religionis Pugilibus, poſt bella parat victorias, & hoſte proſtrato ouantium miſcet triumphos, eò ſanè illuſtriores, quò & acrior hoſtis, & perículoſior conflictus Victorum magis virtutem, ac fortitudinem commendant.

## IOSEPHI FERNENSIS, SEV MEDIOLANENSIS, *Vita, & Geſta.*

*IOSEPHI FERNENSIS Vita, & Geſta deſcribuntur.*

II. INter hos prior ad Coronam euolat Fr. Ioſephus à Ferno, Diœceſis Mediolanenſis Oppido, quem propterea alij à Mediolano nuncupant. Hic decem & octo annos natus, prætereuntis Mundi vanitatem, cæleſti ſibi lumine affulgente, contemnens, ſolida cæleſtium virtutum bona, in Minorum Obſeruantium Ordine, ſibi quærenda præſtituit: in quo cùm plures annos religioſè conuerſatus eſſet; eamque in Theologicis ſtudiis excellentiam adeptus fuiſſet; vt publicè in Conuentu Palentiæ, Theologicam diſciplinam prælegeret: dum ibi credito ſibi muneri omni cum laude vacat, à Fratre Franciſco à Canobio, qui ex eadem Obſeruantium Familia paulò ante ad Capucinos migrauerat, eique arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniunctus erat, Epiſtolam hoc tenore exaratam accipit.

*Ioſephus Theologiæ Profeſſor.*

III. Chariſſimè in Chriſto Pater. Si tantillam cæleſtis voluptatis partem animi tui ſinus exciperet, quam Dominus in me abundè effudit, cùm primùm ad hanc me Capucinorum Congregationem vocauit; haud dubito, quin omni mora poſtpoſita, ac perfractis humanarum rationum vinculis, quæ te hactenus vinctum detinuère, ad eam quàm citiùs euolares: Ea enim cùm omnium maximè perfectam Chriſti imitationem, ac veram Seraphicæ Regulæ obſeruantiam doceat; omnium quoque virtutum, atque Euangelicæ perfectionis magiſtra eſt. Hîc, Frater, ſi vera noſſe cupis, vera humilitas regnum tenet: hîc obedientia moras neſcit: hîc altiſſima paupertas ad clauum ſedet: hîc caſtitas ab omni tum dictorum, tum factorum impuritate abhorret; hîc charitas nunquam tepeſcens, vnumquemque ædificat: hîc purus Dei cultus animos diu, noctúque diuinis laudibus paſcit: hîc oratio mentem in ſublime tollit. Hinc odia, hinc inimicitiæ, hinc ſimulationes longè exulant: nullus hîc nocens, nullus ſuſurro inter Fratres, iurgia, aut rixas excitat: hîc omnibus idem animus, ac concors ſenſus: vbique pax, vbique concordia regnat. Quid plura, Frater? Si id mihi, quod experior, dicere liceat; hic planè Dei hortus irriguus eſſe videtur, hîc paradiſus voluptatis, in quo conſita ſunt vniuerſa præſtantiſſimarum virtutum genera: hîc ordinatam caſtrorum aciem mihi videre videor, quæ cùm aduersùs ſpirituales nequitias, ac carnis voluptates depugnet; per voluntatis abnegationem, ſenſus mortificationem, ac varias corporis macerationes, ſibi ad Regnum Cælorum comparandum viam ſternit. Videas enim hunc cilicio carnem domantem; illum quotidianis ieiuniis incumbentem; alterum terga flagellis cædentem; alium in oratione vigilantem. Hic lachrymas fundit, ille in diuinis laudibus exultat: omnes viliora pietatis, & charitatis officia ſibi inuident. Deum. Opt. Max. obteſtor, mi Ioſeph, quia ex quo in hoc me viuendi inſtitutum diuina benignitas adduxit; iam mihi alter à me ipſo eſſe videor; vixque me ipſum agnoſco. Fugit prior Franciſcus, alter nouus, ac melior ſucceſſit. Diuinæ hoc metamorphoſis opus eſt: hæc mutatio dexteræ Excelſi. Idipſum tibi procul dubio continget, cùm primùm ad nos migrare tibi in animum induxeris. Parce, Frater, hæc ad te ſcribere, tum antiquę neceſſitudinis vinculum, tum charitas ipſa, quæ bona omnia vult eſſe communia, compulit. Si in hoc tibi

*Epiſtolam à Franciſco à Canobio accipit.*

officio defuiſſem,planè mihi defuiſſē:quapropter ſi amiciſſimo credis,ſi ſapis,ſi tandē hæc amici officia tibi ingrata non ſunt,ad nos quāprimùm veni. Vale in Domino.

IV. Cùm has Ioſephus literas legiſſet; quandoquidem longè ab hac cogitatione animus aberat,protinus riſit:eaſque in copioſo Fratrum cœtu, velut fabulam, riſu proſequendā,propoſuit.Deus verò, cuius cōſilia longiùs ab hominū ſenſu remota ſunt, multorum,qui, dum hæc Epiſtola legeretur,præſentes aderant,corda tetigit;ac præſertim Fratris Hieronymi Nouarienſis, qui Sacriſtæ in eo Conuentu officio fungebatur, ita animum commouit;vt ab eo tempore, velut indeſinenti ſtimulo agitatus, nullo loco aut conſiſtere,aut quieſcere valeret;totámque illam noctem ob id ferè inſomnem duxerit.Quamobrem ſummo mane,ad Ioſephum accedēs,qui Concionem eo die publicè ad populum habiturus erat:eidem animi ſui fluctus, ac cogitationes, quibus ad Capucinorum Religionem,vi quadam impelli videbatur,aperit.Cui Ioſephus:Certe,mi Hieronyme,(inquit)quî factum ſit, ignoro. Eadem quoque mihi in animo tempeſtas commota eſt:mens variis cogitationum fluctibus agitata quid legat,ignorat.Hi codices,ac literarum apices,nihil, præter Capucinos mihi perſonare videntur:& cùm hactenus ne Capucinos quidem eſſe cogitarem, iam nunc animus nihil præter Capucinos obuerſat:cogitatio non niſi in Capucinos fertur;mens Capucinos cogitat:in concione Capucinos lego;omnia denique mihi Capucinos reſpondent.Diuinum hoc opus eſt,ac Dei vox,quæ nos ad Regulæ obſeruantiā,ac meliorem Reformationem vocat:cui,(vt video) omninò parendum eſt; ne cæleſte donum paruipendere videamur.Poſthæc Ioſephus,cùm rem cum Frāciſco Nouarienſi, Viro pio,ac graui,qui illi à Cōfeſſionibus erat, maturè contuliſſet;eum iiſdem cogitationum procellis iactatum offendit.Alij quoque duo, nempe Fr. Angelus à Ferno germanus Ioſephi Frater, & Fr. Egidius Aronenſis, qui eadem ſpiritus tempeſtate commoti fuerant;his adiunguntur.Hi igitur cùm cæleſti vocationi ſibi omninò obſequendum ſtatuerent; id communi conſilio decernunt;vt vnà omnes noctu è Conuentu diſcedentes,Mediolanum proficiſcantur;vbi Capucinorum Prouincialem eſſe ſibi perſuadent. Hoc tempore Ioſephus in Palantiæ Conuentu Vicarij munere fungebatur; qui cùm ſibi à Guardiano cauere vellet,illi cautè perſuadet;vt ſub honeſtæ recreationis titulo(à morbo enim recens conualuerat)extra Vrbem ad cuiuſdam familiaris villam ſe conferret. Guardiano itaque è Monaſterio digreſſo, noctu quinque illi Fratres,videlicet Fr. Ioſephus à Ferno cum Angelo Fratre, F. Franciſcus, & Hieronymus Nouarienſes, & Fr.Ægidius Aronenſis parata nauicula, proximum ſtagnum,qui Lacus Maior appellatur,traiicientes,Mediolanum ad Capucinos pergunt. Vnde,cùm Prouincialem Vicarium Brixiam profectum didiciſſent,eò quoque ipſi iter dirigentes, ab eodem omnes Religionis habitu donantur. Hoc modo parua hæc Fratrum manus, quandoquidem Dei vocationem, perfecta Regularis obſeruantiæ diſciplina, ac plurimis virtutibus perfectam reddidit: magnam ſibi; inter præclaros ſuperioris illius æui Patres,laudem comparauit.

*Epiſtola irriſoriè lecta Ioſephi, ac multorum animos mouet.*

*Cum aliis quatuor ex Obſeruantiū Familia ad Capucinos migrat.*

V. Ioſephus itaque, hoc pacto ab Obſeruantium Familia diſſutus, & Capucinis adiunctus,tanto ſtudio ad diuina ſe contulit:abſtinentiamque,paupertatem, humilitatem,ac cæteras virtutes,quæ ad Euangelicæ perfectionis columen viam parant, ſibi amplectēdas præſtituit:vt inter perfectos Seraphicę Regulę cultores,qui eo tempore florebant,haud vulgarem locum,ac nomē ſibi adeptus fuerit .Orationis cum primis ſtudio ita animum addixit:vt inde ardentes,tū ad diuini amoris incendium ſibi in animo excitandum,tum ad penetranda hominum corda,ac Dei Verbo inflāmanda,ſagittas conflaret.Illuſtris,ac feruentiſſimus ſua tempeſtate diuini Verbi Prædicator fuit;atque adeò in eo munere diuina virtute præcelluit:vt admirabiles in hominū animis;ac præſertim cùm Orationi Quadraginta horarum incumberet; cuius ipſe primus Auctor,ac Inſtitutor fuit,impetus,ac mutationes efficeret. Id vno vel altero exēplo lubet oſtendere.Quo tempore Mediolanenſis Vrbs, ob graſſantia Cæſarianorum,ac Francorum bella,maximè cōſternata iacebat:in ea Ioſephus Verbū Dei

*Verus Seraphicæ Regulæ cultor, virtutum omniū ſtudia proſequitur.*





diſſeminans, Ciuibus perſuadet, vt Quadraginta horarum Orationem in Vrbe inſtituant: ex qua futurum illis pollicetur, vt ex tot incendiis, ac direptionibus, quibus Vrbs, ac totus Mediolanenſis ager vndique premebatur, tandem liberarentur. Ciues diuturnis iam calamitatibus attriti,ac Viri promiſſionibus allecti, haud ſurdas Ioſepho,qui plurimùm apud eos,ob vitæ ſanctimoniā,atque in dicendo vim,auctoritate valebat,aures prębent.Quare cōmuni Vrbis conſilio,Quadraginta horarū oratio,primò quidē in Cathedrali Eccleſia,tum etiā in aliis Vrbis Eccleſiis,per totum anni circulū inſtituta fuit:in qua cùm populus ad Sacram Euchariſtiam,& orationem conflueret;is Dei Verbum per ſingulas Eccleſias miniſtrans, vniuerſos ad pœnitentiam,ac meliorē vitæ frugē hortabatur. Nec defuit Serui ſui promiſſo è Cælo clemētiſſimus Pater. Vix enim ea in Vrbe Oratio inſtituta fuit;cū paulatim bellorū tumultus cœpit miteſcere,ſedatus armorū ſtrepitus, & pax inter Cæſarianos,& Gallos,Carol. V.Imperatore,& Franciſco Gallorum Rege;ad Foſſas Marianas in mutuum conſpectum,& colloquium conuenientibus,compoſita fuit.

*Primus Quadraginta horarum Orationis Inſtitutor fuit.*

*Mediolani Quadraginta horarum Orationem inſtituit.*

VI. Hîc quoniam de Quadraginta horarum Oratione ſermo inſtitutus,fert;vt nonnulla obiter de pia hac inſtitutione attingamus.Illud primùm apud omnes certum eſſe debet.Quadraginta horarum orationem,ea ratione à Ioſepho inſtitutā fuiſſe; vt illud Quadraginta horarum tempus ad mentē reuocet,ac pia inſtitutione colat, quo ſanctiſſimū Domini Corpus in Sepulchro olim conditū iacuit:indéq; eam ſibi apud Chriſtianos religionem vendicet;vt Sacra Euchariſtia publicè in Eccleſia per totidē horas expoſita,Chriſtiana plebs, Pœnitentiæ Sacramento à culpis expiata,ac Sacro Domini Corpore refecta;quò ad Dei dona capeſcēda aptior fiat,totum illud temporis ſpatium pia oratione celebret,quo Dominus pro hominum ſalute mori, ac Sepulchro recondi voluit. Pium hoc Orationis opus Verbi diuini Concionatores piis,ac breuioribus ſermonibus,per ſingulas horas diſtinctis,proſequi ſolent: quos Deus Opt. Max. vt quàm grata ſibi illa inſtitutio ſit,oſtendat: etiamnum tum copioſa è Cælo gratia perfundit; vt miræ quotidie inde peccatorum conuerſiones, & inſoliti ad pœnitentiam impetus erumpant: inueteratarúmque ſimultatum odia, quæ nulla ratione, aut auctoritate cohiberi potuerant, hîc ſola Dei virtute, extinguantur. Quod ipſe quotidianus vſus iis præſertim Concionatoribus declarat, qui huiuſmodi Sermones nullo Orationis fuco, aut rerum curioſitate comptos, ſed Dei tantùm Spiritu delibutos, ac feruentiſſimo animo conceptos ad pœnitentiam & animarum lucrum componunt.

*Oratio 40. Horarū qua ratione à Ioſepho inſtituta.*

*Quadraginta Horarum Orationis vis, & efficacia.*

VII. In his non compta Rhetorum eloquentia, non compoſitis Orationis lenociniis, non ſelectis verborū floſculis,quæ audientiū aures delectare ſolent:ſed ardentiori duntaxat ſpiritu opus eſt;qui hominum corda penetret,lancinet,moueat,accēdat; ac velut gladius quidam anceps,vſque ad diuiſionem Animæ,& Spiritus pertingat: acréque inter Carnem & ſpiritum bellum excitet.Quamobrem hi de Peccatorum pœnitudine, de odio & deteſtatione culpę,de prioris vitæ renouatione,de perfecta ad Deum mentis conuerſione,de mundanarū rerum contemptu, de carnaliū voluptatū fuga,de Deo ſoli adherendo,ac diligendo,de rerū cæleſtium amplexu;atque aliis huiuſmodi ſubiectis materiis, themate ſibi ex ſacris Scripturis aſſumpto, inſtitui ſolent:Qui cùm ob illorum frequētiam; tum etiam ob maiorem ſpiritus vehementiā,qua proferri oportet,breuiores eſſe debeant:vt diuini Verbi Prędicator,par omnibus eſſe poſſit:Ab his,&prolixæ rerum narrationes,& Philoſophicę,ac Theologicæ quæſtiones;quæque ad intellectum tantūmodò erudiendum ſpectāt,prorſus obtruncanda ſunt; vt animo duntaxat ad pœnitentiam inflammando vacetur. Quinimò, & à coaceruatis Scripturarum,aut Patrum teſtimoniis abſtinendum eſt, quibus res interdum fuſiùs perſuaderi ſolent:ne audientium mentes:quibus ea iam fide perſuaſa ſunt, quæque potiùs ad ea amplexanda, quàm ad ſibi perſuadenda ſtimulis indigent; eorum multitudine obruantur, ac diſtrahantur. Quare iis tantùm teſtimoniis delectis, quæ ad animum promptè excitandum ac compellendum pertinent, à cæteris abſtineant. Hæc obiter hoc loco attingenda duxi: Vt ſi

*Quadraginta Horarum ſermones quomodo inſtituendi.*

qui fortè pium hoc,atque vtiliſſimum Quadraginta Horarum opus ſibi,Deo duce, amplectendum proponant,quo pacto illud aggredi,ac proſequi debeant,non ignorent. Pium hoc orationis opus, à Ioſepho in Dominicæ ſepulturæ memoriam inſtitutum, Capucinorum Ordo ſumma ſemper religione proſecutus eſt; ea præſertim ratione, quòd ex eo tot animarum lucra Chriſto Domino accedere, tamque copioſam vtilitatum ſegetem,velut ex fertili agro, in Chriſtiana Eccleſia pullulare cerneret; (quemadmodum ſuis quibuſque annis explicabitur) vt in ea nihil magis,quàm diuinum opus agnouerit.

*Cur Capucinorum Ordo Quadrag. Hor. Orationi potiſſimùm inſiſtat.*

*In plerìſque Italiæ Vrbibus Ioſephus Quadra. hor. Orationem inſtituit.*

VIII. Hac igitur tam pia Mediolani inſtitutione relicta; quæ ad hodiernam vſque diem perenni religione, in ea Vrbe colitur: Ticinum ſe confert;vbi Gallorum exercitus fama Vrbem perterritam, quadraginta horarum oratione inſtituta, à metu liberat; & primùm ibi Genuenſis Prouinciæ Monaſterium ædificat,vti anno 1537. fuſiùs exaratum fuit. Inde Senas profectus; ibi eandem Orationem, quadraginta horarum ſermonibus celebrat:vbi inter alios Ciuem quẽdam,qui ſimultatem cum alio tam inteſtinam gerebat, vt nulla Parentum,neque ipſius Ethruriæ Ducis prece,ad concordiam flecti vnquam potuiſſet:vnius tantùm ſermonis virtute ita commouit;vt vltrò pacem inimico obtulerit,ſtabileſque cum eo amicitias iunxerit.Senis digreſſus Biturgiam venit;vbi ſola Dei,per quadraginta horarum orationem,ac ſermones, operantis virtute,tot odia extinxit;totque inter ciues graſſantes diſcordias compoſuit: vt Prælato quodam illius Vrbis atteſtante, centum non minùs, vna Quadraginta horarum celebratione,inimicitias iugulauerit.

IX. Biturgia,poſt diutini languoris curationem,Bernardino Generali morbum præcepto effugante (quemadmodum alibi explicatum fuit) ſibi diuinitus impertitam cùm Ioſephus Aretiuum profectus eſſet: Vrbem mutuis Ciuium odiis,ac diſſidiis, ita dilaceratam,ac diuulſam offendit: vt integris familiis aliò propter ſimultates tranſmigrantibus, Vrbs penè depopulata videretur. Lugebat Vir ſanctus tantam Vrbis calamitatem,& dum pro ea lachrymas,ac preces ſimul cũ Socio, eximiæ pietatis Viro,adDeum fundit;hęc illi in animũ cogitatio incidit:quòd ſi publicũ Vrbis conſilium conuocandum curet,in quo quadraginta horarum orationem celebrandam proponat;fortaſſe fore,vt Deus pia illa filij ſui memoria, & ſuorum lachrymis placatus,Vrbis ruinas inſtauret. Adhuc hęc mente ſolus apud ſe volutabat;cùm Socius,qui ab eo haud procul orabat,protinus exclamat:Age,Pater,age,quod cogitas: Dei namque cõſilium eſt.Hinc Ioſephus de Dei beneplacito certior factus; cœtum congregat,pium opus proponit;tantaque dicendi vi,cui & Dominus è cœlo virtutem cõfert,id illis perſuadet:vt Oratione Quadraginta horarum publico Vrbis decreto inſtituta;cùm vniuerſi ad pœnitentiam,ac ſcelerum confeſſionem,& lachrymas confugerent;& cæleſti pane refecti ad Orationem confluerent: Ioſepho ſermocinante,tanta in eo populo animorum commotio diuinitùs contigerit; vt ciuibus ad mutuos amplexus concurrentibus,breui tempore odia fugata, pulſæ inimicitiæ,ac diſſidia omnia communi cõcordia extincta,ac penitus deleta fuerint. Tantaque illius Vrbis exultatio fuit:vt cùm paulò poſt,Ioſephus Senis Aretiũ rediret; tota Vrbs ſimul cum Clero,fauſta acclamatione illi obuiã proceſſerit:eumque Primores cum Socio in humeros ſublatum in Eccleſiam aſportarint:tantum enim Dei Seruo ſe debere fatebantur,perinde ac ſi ipſe Aretij Vrbem rurſum condidiſſet.

*Ioſephi conſilium de Oratione 40 horarum inſtituenda diuinitus confirmatur.*

*Aretium Odiis dilaceratum 40. horarũ Oratione reſtituit.*

X. Poſt hæc Ioſephus Eugubium ſe confert:quo tẽpore Vrbs graue à Pauli 3. Pontificis copiis, quæ ſe ad illius obſidionem parabant; ſibi exitium timebat. Cùm enim Ioanne Maria Varano abſque virili prole extincto, Camerinenſis Ducatus, qui iure antiquo ad Romanam Eccleſiam ſpectabat, à Franciſco Maria Ruuereo Vrbinatum Duce occuparetur: Paulus III. qui eo tempore ſedebat, ea re grauiter commotus, ingentes peditum & equitum copias, tum ad Camerini expugnationem, tum etiam ad Vrbinatis ſtatus deuaſtationem deſtinauerat: quæ cùm ſe ad Eugubij expugnationem pararent; Eugubini Ciues, metu perculſi, fugam ab

*Eugubinis Ciuibus 40. horarum Orationem perſuadet.*

Vrbe



Vrbe cogitabant. At Ioſephus conſternatos eorum animos in meliorem ſpem erigens, nihil illis metuendum eſſe dicebat; dummodò ſano ipſius conſilio acquieſcerent. Vnuſquiſque (ait) animum ſceleribus exuat, ac Pœnitentiæ Sacramento abſtergat: Quadraginta horarum publicè inſtituatur oratio, in qua quiſque ad Deum confugiat, & ſe Euchariſtiæ Sacramento muniat; tum nullus vobis nocebit exercitus. Ioſephi protinus conſilio obtemperatum fuit: quadraginta horarum oratio indicta. Interea frequentia nuntia appropinquantis exercitus quotidie aduentabant, quæ Ciues magis terrerent, & ad fugam compellerent: quos Vir Sanctus, ne fugerent, aut formidarent: obteſtatur, fore enim pollicetur, vt nec hoſtes Vrbem quidem viderẽt. Denique quadraginta horarum oratio, magno cum pœnitentiæ gemitu, ac totius Vrbis frequentia, celebrata fuit: quo tempore tam copioſa è Cælo nix cecidit; vt Pontificia Caſtra, quæ Aſſiſij conſederant; ac propediem Eugubium versùs proceſſura erant, ſubſiſtere opus fuerit. Quin etiam, vt rem à Deo profectam eſſe clariùs perſpectum eſſet: quidam equitum Magiſter, qui ardentior, cæteris per niuis medium viam ſe ſtraturum iactauerat:ſimul ac iter aggreſſus fuit; primùm equo ruente decidit. Cum verò ira excandeſcens, ac magis in propoſito pertinax, iterum ſe in viam per niuem dediſſet; rurſus equo cadente dilapſus, os ſibi fœmoris confregit. Interea rebus cum Vrbinatum Duce compoſitis; cùm iuxta Sancti Viri promiſſa, hoſtes necdum Vrbis mœnia conſpexiſſent; Vrbs ab eorum furore libera fuit. Quo beneficio diuinitus accepto, publico Vrbis decreto ſancitum fuit;vt in tantæ rei memoriam,quotannis ſub ſacri Domini Natalis diem; quo tẽpore Vrbs ab hoſtibus libera fuit:Quadraginta horarum oratio publicè in Eccleſia S. Franciſci celebraretur:ac præterea ſub meridiem, quotidie campana Palatij pulſaretur; vt eo ſigno cuncti admonerentur; quinquies orationem Dominicam, ſimul cum Angelica Salutatione, ab omnibus Deo;pro gratiarum actione,perſoluendam eſſe.

*Eugubij Oratio 40. horarum celebratur.*

*Eugubium ab Obſidionis metu liberatur.*

XI. Incredibiles planè ſunt animarum fructus, quos Sanctus hic Vir ex Verbi diuini prædicatione, & quadraginta horarum oratione Deo retulit. Cùm etiam conſilio, ac prudentia plurimùm excelleret: Congregationem S. Pauli decollati, qui vulgò Barnabitæ appellantur; alteram quoque Clericorum Regularium, quæ Somaſcha nuncupatur; quarum paulò antea, nimirum circa annum 1533. inſtitutio eruperat: conſilio,atque etiam viſitatione iuuit. Tam enim ipſius apud omnes prudentiæ, & ſanctitatis exiſtimatio percrebuerat: vt prioris Congregationis Præfecti, cùm ad viſitationem pergerent, comitem ſibi Ioſephum adiungerent; neque abſque illius conſilio quicquam agerent. Ob præclaram quoque hanc Viri præſtantiam,ſæpè apud Noſtros Prouincialis Vicarij munere functus fuit, ac Generalis Capituli, quod Romæ anno 1552. celebratum eſt, Definitor electus.

*Nonnullos Clericorum Regularium Ordines Conſilio, & viſitatione iuuat.*

*Generalis Capituli Definitor eligitur.*

XII. Nonnulla Deus, ad Viri huius ſanctitatem hominibus declarandam, miracula edidit: quorum aliqua,quæ dubiæ apud Nos fidei ſunt, conſultò prætereo: paucis hîc tantummodò, quæ certo teſtimonio probata ſunt, compendioſè enarratis. Quo tempore Ioſephus Bononiẽſem Prouinciam moderabatur; necdum Foroſarzinij Monaſterium extructum fuerat:cùm per illud Oppidum iter faciens,ad pium quendam Virum,F. Marij à Foroſarzinio,(qui octauus apud nos Generalis fuit) patrem,hoſpitij cauſa diuertit; quem grauiter ægrotantem offendit. Ad eũ Ioſephus, cùm velut ad ſibi familiariſſimum accederet:Senex tãtam animo lætitiam ex illius aduentu concepit;vt brachia ad illius amplexum extendens,præ gaudio lachrymas funderet:quem Ioſephus chariſſimè complexatus; Quid hic iaces, Amice, inquit. Ignoras,quod hora prandij ſit.Surge,vt illud nobis parandum cures.His dictis,cùm illum Crucis ſigno in fronte conſignaſſet,(mirabile dictu!) ſtatim Senex à morbo conualuit: atque è ſtrato ſurgens, prandium mox inſtruendum curauit: vnuſque ipſe ex diſcumbentibus fuit.

*Senem Hoſpitem ſigno Crucis ab ægritudine liberat.*

XIII. Poſthæc Somaſchæ Congregationis Patres, profectionem ad Generalia Comitia

parabant;

parabant: quo tempore quidam illius Congregationis Præpoſitus, Ioſepho familiariſſimus, morbo detinebatur; ne ad Comitia pergeret: ab eo cùm Ioſephus cauſam percunctaretur, ob quam ſe ad profectionem non accingeret? Febre (inquit ille) tam moleſta afficior, vt me vix domo egredi ſinat. Veruntamen ſi febri fugam imperaueris, planè confido, quòd ea liberum me ad Comitia abire permittat. Cui Ioſephus: Num, inquit, ego Petrus Apoſtolus ſum, qui morbis imperem? At ille vehementiùs inſtabat, vt eum ſaltem Signo Crucis benediceret. Reluctabatur præ humilitate Ioſephus: ille verò impenſiùs Dei Seruum obſecrabat, atque obteſtabatur; ne illi Crucis Signum denegaret. Ceſſit tandem tot precibus Vir Dei, & Crucis Signo illi in vertice impreſſo: Deus (inquit) tibi benedicat, at quod petis, iuxta fidem tuam tibi præſtet. Extemplò febris Crucis imperio cedens, aufugit: is verò priſtinæ incolumitati reſtitutus, poſtridie ad Comitia pergit.

*Somaſchæ Congregationis Præpoſitū à febri Signo Crucis curat.*

XV. Erat Ioſepho in Oppido Ferni germanus Frater; Vir bonus, ac pius licet tenui facultate præditus: ad quem cùm is ſemel diuertiſſet, lautiori ille Fratrem animo, quàm epulis excipit. Etenim cùm ad prandium ventum eſſet, pergit ille ad dolium, vt vinum hauriat: at dolium diuturno vini hauſtu iam exhauſtum, vinum non reddit. Bis, ter, tentat ille; dolium erigit, perfodit, premit, vt vinum emulgeat: at iam arida fæx vinum ignorat; doliúmque ſonans nihil præter ſonitum eructat. Redit ille rubore perfuſus; Fratrique vini defectum aperire cogitur. Ridet Ioſephus. Haud benè (inquit Frater) dolium exploraſti? Reuertere, quia vini multum adhuc in dolio ſupereſt. Renuebat ille dolium iterum repetere, qui illud ſæpiùs fruſtrà tentauerat. Cui Ioſephus, Semel, inquit, etiamnum tenta. Ille Fratris prece potiùs, quàm ſpe vlla compulſus, ad dolium redit. Quid plura. Vltrò dolium copiosè vinum præſtat; & quod homini paupertas abſtulerat, Dei munificentia Serui ſui precibus exorata donat: Vinum cùm gaudio affertur, quo pariter recreantur: diuinaque benignitas ab vtroque commendatur. Pleraque alia Deus, ad Serui ſui commendationem, Fama loquente, Miracula præſtitit; quæ vel Scriptorum negligentia, vel humili Noſtrorum ſilentio, ac taciturnitate perierunt.

*Germano Fratri vinū ſuis precibus à Deo impetrat.*

XVI. Denique cùm Fidelis Dei Seruus talenta à Domino accepta, ac ſapienter pluribus annis negotiata, copioſo cum fœnore Domino reddidiſſet: rationis tempore appropinquante; vbi ſe ad Domini aduentum, lumbis mentis ſuccinctis, atque accenſa ardentioris charitatis lucerna parauit, Mediolani è viuis excedens, Deū tandem laborum ſuorum Remuneratorem promeretur, ac dicentem percipit: *Euge Serue bone, & Fidelis, quia in pauca fuiſti Fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

*Mediolani Deo ſpiritum reddit.*

Matth. 25.

XVII. Eodem ferè tēpore, & alter fideliſſimus Dei Seruus, qui pleraque à Deo talenta proprio labore augenda acceperat, ad mercedem peruenit. Is Fr. Angelus Saonenſis fuit, inſignis ſua tempeſtate diuini Verbi Præco: qui Saona, quæ Vrbs eſt in Liguria, nobili genere progenitus; ab adoleſcentia Domini iugo aſſueſcens, vix ſeptemdecim annos natus, in Minorum Obſeruantium Familiam conſcribi voluit: ex qua, poſt expleta Theologiæ ſtudia, ad Capucinos migrans, plurimùm Regulæ obſeruantia, ac cæteris virtutibus præcelluit. Tanta vultus venuſtate, morum ſuauitate, atque affabilitate præditus fuit: vt hóc de eo Elogium antiquis monumentis traditum legatur: *Venerabilis Pater Fr. Angelus de Saona tam gratioſus Prædicator fuit, vt nemo tam triſtis, & afflictus cum eo loqueretur, qui ab eo non recederet conſolatus, & lætus. Erat enim ſtatura altus; colore albus, facie hilaris, ac ſemper iucundus. Magna ſua Prædicatione operabatur. Gratus fuit multis Vrbibus, ac præſertim Venetiis, Romæ, & Bononiæ, qui prædicans in Eccleſia magna S. Petronij, & S. Petri per annum integrum accepit locum Montis Caluariæ miraculosè, qui priùs dicebatur ob amœnitatem aëris, Beluedere; & hoc fuit anno 1554. qui anno Domini 1556. ætatis ſuæ anno 58. vel circiter, completa prædicatione, die S. Marci in Ciuitate Aëſij Prouinciæ Marchiæ obiit feliciter.* Hæc ex Bononienſis Prouinciæ Monumentis. At præter commemoratas Vrbes, Neapolim quoque, Fir-

*F. ANGELI SAONENSIS vita & geſta.*

*Illuſtris diuini Verbi prædicator.*

*M. S. Prou. Bononienſis.*

*Antiquum de ipſo Elogium.*





mum, Maceratum, Aſculum, & pleraſque alias Italiæ Ciuitates prædicando peragrauit; quas non ſolùm diuini Verbi prædicatione, ſed præclariſſimis quoque vitæ exemplis, ac nota vitæ ſanctimonia ad vberes virtutum fructus prouocauit. Hinc illum quoque Deus Opt. Max. ſignis haud vulgaribus illuſtrare, illiuſque apud homines Sanctitatem commendare voluit. In quibus illud aperto, ac communi teſtimonio probatum fertur: quòd cùm Bononiæ apud Populum ageret, ac diuini Verbi ſemina diffunderet: ſemel ex hoſpitio, (quod illi in Vrbis Vico, qui Lama dicitur, conſtitutum fuerat) digreſſus, ad prædicandum pergebat; cùm in hominem incidit, tam grauiter ab hoſtibus ſauciatum, vt cranio capitis diſſecto, in duas ſe caput partes diſiungeret. Miſeri hominis caſum Angelus commiſeratus, ad eum accedit; vtramque capitis partem læua manu conſtringit: dextera verò vulnus Signo Crucis benedicit: quo edito, mox ſimul diſſectæ capitis partes diuina virtute, coaleſcunt; vulnuſque repentè inſtauratur, vulneris tantùm cicatrice in capite relicta, quò illuſtrior diuini Miraculi Maieſtas ſeſe efferret. Euulgato per Vrbem miraculo, cùm Angelus poſt Prædicationem ad hoſpitium rediret: puer, qui in ea via, ad mendicationem iacebat, tam neruis attractus; vt ne quidem ſeipſum loco mouere poſſet; eo viſo, ſtatim exclamare cœpit: Vir Dei, me quoque ab infirmitate cura, ſicut alterum curaſti. Cui Angelus. Nunquid Medicus ſum, fili mi; ad Phyſicum confuge. Non, Pater mi, (aiebat puer) ſed tu Crucis Signum mihi adhibe, vt ex morbo conualeam. Cúmque fortiùs puer pro Signo Crucis obtinendo inclamaret; illi tandem Angelus ait: Puer mi, ſi te Deus pro ſua benignitate, Signo Crucis ſanare voluerit; En Signum Crucis: ſecundùm fidem tuam fiat tibi. Cúmque illum Signo Crucis obſignaſſet; ſtatim puer exiliens, atque integræ incolumitati reſtitutus, ad matrem currit, exclamans; Miraculum Mater; Miraculum mater: En ego incolumis ſum. Ille Dei Seruus me Signo Crucis ſanauit. His, aliiſque miraculis Deus, & Serui ſui merita, & animarum incolu-
XLIV. mitatem, quam pleriſque ſua Prædicatione præſtabat, commendare voluit. Quibus etiam permoti Bononienſes Ciues, qui priùs animum minùs erga Capucinos propenſum gerebant, ad Religionis cultum, ac deuotionem acceſsêre.

*Virum ad necem vulneratum Signo Crucis incolumem præſtat.*

*Puerum neruis attractū Signo Crucis incolumitati reſtituit.*

*Bononienſes erga Capucinos beneuolos reddit.*

Res planè opportuna, ac diuino duntaxat conſilio acta fuit. Cùm enim Capucinorum Religio in ipſo exordio, Vrbi ignota eſſet; eaque victus, ac veſtitus aſperitas, qua etiam hypocritæ obtegi ſolent; Bononienſibus Ciuibus ſuſpecta eſſet: quibus & ipſa Dæmonis opera accedebat, qui animos à Religione auocare conabatur: eo fiebat, vt Capucini Fratres ſcommatibus, ac ſarcaſmis vbique in Vrbe exciperentur: atque eò maximè, quòd tunc Monaſterium Angelus his in locis ſibi elegerat; quæ publico ferè Vrbis proſtibulo inſeruiebant. Quo fiebat, vt qui Religionis candorem, & Sanctimoniam ignorabant; rem in deteriorem ſenſum interpretantes, nihil, præterquàm carnis maculas ſuſpicarentur. At his per Vrbem Miraculis diuulgatis; Religioniſque ſanctitate cælesti teſtimonio perſpecta; tanta deinceps in Fratres Vrbis deuotio efferbuit: vt cùm quotidiano populi ad
XLV. Conuentum confluxu, ac frequentia, officia, ac orationes interturbarentur; Guardianus ſcripto ad ianuæ frontem affixo, quo populo haud defutura illi Fratrum ſuffragia pollicebatur; confluentes ab ea frequentia reuocare coactus fuerit.

*Bononienſes cur erga Capucinos priùs malè affecti.*

XLVI. Poſtremò cùm ſanctus hic Vir, in Piceno per aliquot annos Dei Verbum maxima cum audientium vtilitate, diſſeminaſſet; in Conuentu Aeſij multiplicato talentorum fœnore, meritis diues, ad Dominum migrat.

*Aeſij diem extremum obit.*

Contigit hoc tempore, vt cùm Fratres in Conuentu Potentiæ, quæ Vrbs eſt in Lucania, ita niue obſeſſi eſſent; vt Monaſterio egredi, ac panem mendicare prohiberentur: hominum illis Prouidentia ſublata, Deus orantibus è Cælo panem miniſtrauerit. Dum enim rebus omnibus, quæ ad victum pertinent, deſtituti, à
XLVII Deo eſcam quærunt; ianuæ tintinnabulum pulſatur, ſaccuſque pane recenti, & calido ad os vſque refertus, in oſtij limine reperitur; nullo deferentis veſtigio in

*Panis Fratribus è Cælo Miraculo miniſtratur.*

niue deprehenſo: vt cæleſte illud donum eſſe nemo dubitaret.

*Duo Fratres Hoſpitio miraculosè excipiuntur.*

Denique hoc ipſo anno, eximia Dei erga geminos Fratres prouidentia emicuit: XXII.
nam cùm Fr. Lucianus Aguirienſis, ſiue à S. Philippo, Prouinciæ Siracuſanæ, ſimul cum Fr. Bernardo à Thermis Himeris, Tiracenum versùs proficiſceretur; vſque ad tertiam noctis horam inter imbres, & noctis tenebras, per nemora iter fecerant; cùm procul lucem quandam aſpicientes; eóque viam proſequentes: domunculam, & in ea Senem offendunt, qui eos beneuolè hoſpitio excipit: habitus imbre madefactos exſiccat, panis fruſtulum ad ſerotinam ieiunij refectionem miniſtrat; & quietis locum aſſignat. Manè cùm ſurrexiſſent, à Sene digreſſi, iter proſequuntur: at vix domo egreſſi à tergo reſpicientes, nullũ domus veſtigium poſt ſe relictum intuentur; ex quo heſternum illis à Domino hoſpitium paratum fuiſſe agnoſcentes, diuinam pariter clementiam, ac benignitatem pia gratiarum actione, ac laudibus extollunt.




TRIPLICI





I. TRIPLICI potiſſimùm hic annus Milleſimus quingenteſimus quinquageſimus ſeptimus corona fulget; quæ totidem Athletis, ſtrenuè in Religionis palæſtra dimicantibus, poſt certamen, ac improbos agonis labores decernitur.

## *FR. IOSEPHI A COLLEAMATO.*
## *Vita, & Geſta.*

*F. IOSEPHI A COLLEAMATO, Vita & Geſta.*

II. PRimus eſt F. Ioſephus à Colleamato, qui inter ipſa Capucinorum primordia, ad huius Religioſæ Militiæ cingulum à Domino vocatus; in ea quoad vixit, tam legitimè certauit, vt Religionis palæſtram plurimis virtutibus, ac gloria exornauerit; ac pleroſque ſuo virtutis exemplo ad certaminis victoriam prouocauerit.

*A Pueritia pietatis ſemina à Deo accipit.*

III. Hic Colleamati; Piceni Oppido, in Agro Fabrianenſi ſito, piis parentibus ortus: quædam Religionis ſemina, in ipſa pueritia, intus in animo à Deo inſita accepit: quæ cùm illum à puerilibus iocis, ac næniis abſtraherent, ad res diuinas, & orationem ſuauiter compellebant. Hinc ab ipſa ineunte ætate, indicta ab Eccleſia ieiunia puerulus obſeruare. Hinc ſi fortè iurantem quempiam, aut blaſphemantem audiret, protinus horreſcere. Hinc pauperes, ac languentes ita ex animo commiſerari; vt cum ipſis quoque, & fleret, & langueret. Hinc denique tantam, talémque in moribus grauitatem præferre didicerat: vt immatura grauitate ætas ſeipſam ſuperare, ac præcoci ſenio aſpergi videretur. Adoleſcente verò ætate, cùm radicata in animo virtus altiùs in pietatem excreſceret; ne pretioſus, tum puritatis, tum virginitatis theſaurus, quem hactenus ſollicitè cuſtodierat; furum deprædationi pateret, atque in certum diſcrimen raperetur: tutum in locum deponere, ac in Minorum Obſeruantium Ordine, ſeipſum Deo conſecrare feſtinat. At Deus Opt. Max. qui Electorum vias ſupremo cõſilio diſponit; inſtitutam aſſumptæ Religionis viam, nè longius in ea progrederetur, ſpinis ſæpit. Nam altero pede venenata ſpina transfixo; cùm ex eo vulnere conualeſcere non poſſet, ad ſæculum remeare cogitur. Porrò ad ſuos reuerſus, etſi Religionis habitum depoſuerat haud tamen Religioſũ animum, ac conſilium exuit: ſed vt liberiùs diuinis rebus vacaret, in quandam agreſtem domum, Sacræ cuidã Sanctæ Annæ Aedi propinquã, ſecedit: in qua dum ab hominũ conſortio ſemotus, cæleſtem in rerum diuinarum cõtemplatione, vitam agit; erumpente tunc noua Capucinorum Congregatione, vndique aduerſantium procellis iactata: cùm Ludouicus Foroſempronianus, ſimul cum Paulo Clodienſi, vt perſecutionem declinarent, ad Fabriani Montes confugientes, Colleamatum veniſſent: eos quum primùm Ioſephus, qui tunc Petrus Matthæus appellabatur, aſperiori illa veſte indutos, ac nudipedes conſpexit; ea vitæ auſteritate commotus ad eos accedit: ab iiſque vitæ inſtitutum diſcit: moxque ad illud vitæ genus amplectendum, Deo inſpirante, animatur. Quapropter cùm à Ludouico in Capucinorum numerum referri poſtulaſſet: ab eodem, non abſque eximio ſuipſius, ac Mundi contemptus teſtimonio recipitur: quemadmodum anno 1528. copioſiùs exaratũ fuit. Hoc pacto Petrus Matthæus, nomine in Ioſephum commutato, ſextum inter primæuos illos Capucinorum Patres, ac Religionis Satores, locum ſibi vendicauit.

*Ad Capucinos Min. quodam modo accedit.*

IV. Probationis annum Ioſephus inter montes, & nemora, perſecutione vndique in Reformationem graſſante, peregit: vbi cùm interdum vix pane ad vitæ ſuſtentationem neceſſario frueretur: Corpori quidem aſperrimum, at animo ſuauiſſimum inter cæleſtes diuinæ contemplationis delitias, vitæ genus ducebat. Perſecutione verò paululùm miteſcente; cum Paulo Clodienſi Romam proficiſcitur: quibus in itinere duo alij, qui à Sæculo ad Religionis amplexum anhelabant, comites addũtur. Dum igitur nonnihil inter ſe itineris ſpatio diuiſi, vt meliùs quiſque diuinarum rerum meditationi incumberet, in via pergerent; iamque Meridies ad refectionem compelleret: nulla iis omninò annona erat, qua victus neceſſitati ſubuenire poſſent: cùm Ioſephus, qui cæteros in via præcedebat; quendam venuſti aſpectus adoleſcentem in compito viarum ſedentem intuetur; ad quem cùm perueniſſet, is protinus aſſurgens panem Ioſepho offert. Stupet Ioſephus tam gratioſo Iuuenis aſpectu, quo præter humanum, cæleſte quicquam præſeferre videbatur: at multò magis illam panis annonam, quam tam opportunè illi adminiſtrauerat, admiratur. Creſcit admiratio; quum cæteris duobus præteritis, alterum quoque panem, eum Paulo tribuentem cernit. Dumque inter has cogitationes verſatur, iterum vultu ab tergo ad Iuuenem conuerſo; cùm diligentiùs illum contemplari cuperet, ex oculis ſublatum videt. Quamobrem ad Paulum ait: Eia, Pater, iam Angelico pane veſcamur; Dominus enim verè pius, verè miſericors, è Cælo nobis victum miniſtrauit. Cumque gemini illi panes vix duobus ſufficerent; illud planè mirabile fuit: quòd iis in alios quoque ſocios diſpertitis, omnes tam abundè refecti ſunt: vt nec quicquam ſibi eo die, aliud ad victum expeterent.

*Ab Angelo in itinere panẽ accipit.*

V. Abſtinentiam, carnis macerationes, ac cæteras vitæ auſteritates, in quibus prior illa Religionis ætas propè modum excedebat, ita coluit: vt ſolo habitu, abſque tunica, toto vitæ ſuæ curriculo contentus, illum præſegminibus tegeret; quotidianis ferè ieiuniis corpus extenuaret: B. P. Franciſci Quadrageſimas, velut legitimo ſempiterno ieiunaret: vixque vllo vnquam tempore, ne gelidiſſima quidem hyeme, ad ignem accederet: meliores ſibi prunas, quibus animus calefieret, ex oratione, ac diuini amoris incendio, quàm ex conflagrantibus faſciculis quærens. Hinc orationis ſtudioſiſſimus, prolixas in ea noctis vigilias ducebat: quibus cùm Dæmones mirum in modum cruciarentur; haud mirum, quòd varias illi inter orandum formas, ac ſpectra obiectantes, ab ea ſæpè illum exturbare conarentur. Interdum namque illi mulieris pulcherrimæ formam obiiciebant; vt ipſius animum à diuinarum rerum contemplatione auocatum, ad impura phantaſmata transferrent: ſemel cùm orationi incumberet, Satanas tam tetrum, ac horrendum ſe illi aſpectandum obtulit: vt os illi per triduum, præ ingenti terrore, ad aures vſque diſtortum fuerit. At inuictus Chriſti pugil, fortiùs aduersùs Stygiũ hoſtẽ dimicans, glorioſiora indies de eo trophæa diuina virtute reportabat. Quotidie præterea Defunctorum officium, ad animarum, quæ Purgatorias pœnas luunt, ſuffragium perſoluebat: quod cùm prioribus illius æui Patribus commune eſſet; poſterioribus etiamnum his Religionis temporibus, ferè cunctis velut hæreditate tranſmiſſum, ſolemne eſſe ſolet.

*Summa illius vitæ auſteritas commendatur.*

*Dæmones illum ab Oratione auocare conantur.*

VI. Ex aſſiduæ orationis ſtudio, ſolitudinis amor adeò Ioſephi animum occupauerat; vt nihil magis, quàm in ſyluis, ac ſpeluncis vitam ducere exoptaret; idcircò Fratrum, atque hominum ſæcularium frequentiam fugiens, ad ſolitaria loca lubens ſecedebat: vbi brachiis in Crucis modum protenſis; hac forma, quàm Deo gratam eſſe cognouerat, vt plurimùm Dominum orabat. Inter hæc tanta in eo humilitas elucebat; vt cùm viliora, ac abiectiora domus obſequia ſummo ſemper ſtudio præſtaret, ſibi tamen nunquam ſatisfaceret: niſi cunctis Fratribus, perinde ac ſi omnes illi Superiores eſſent, promptè, ac indiſcriminatim obtemperaret. Is omnium capillos tondere; is omnium veſtes reſarcire; is omnium mutatoria lauare; is omnibus obſequi, tãta animi cõtẽtione ſtudebat: vt nulla ipſius humilitatis officiis meta impoſita videretur. Quo fit, vt hac animi ſubmiſſione, ac morũ facilitate, eã ſibi apud

*Mira ipſius mentis humilitas.*





omnes beneuolentiam conciliaſſet; vt ab omnibus, Orbis fidelitas, nuncuparetur.

VII. Neque verò minori prudentia, ac conſilio præcellebat: quo factum eſt, vt cùm ſæpè Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum officio functus fuerit; ex illius diſciplina, quamplurimi Viri virtute præſtantes prodierint: inter quos Fr. Marius à Forozarzinio enumeratur, qui deinde Generalis, & Vir eximiæ prudentiæ, ac cõſilij fuit.

VIII. Maxima huius Viri in Deum fiducia erat: quæ ex mentis puritate, & perpetuo orationis ſtudio potiſſimùm illi oriebatur: qua factum eſt; vt cùm è Generalibus Comitiis, quæ Neapoli anno 1549. celebrata fuêre, cum aliis octo Fratribus rediret; maiori iam diei parte in itinere abſque refectione conſumpta; cuncti ferè præ inedia deficerent: quos Ioſephus verbis conſolatus, de Dei Prouidentia omnes benè ſperare hortabatur. Interea viam ante omnes carpens, alios quoque ad iter proſequendum animat: at creſcente inedia, ac viribus præ laſſitudine deficientibus, cùm ij vlteriùs progredi non poſſent; En adoleſcens rufus, aſpectu venuſtus, poſt eos venit, qui cùm cæteros præteriiſſet, ad Ioſephum perueniens, geminoſque illi candidiſſimos panes tribuens, hæc verba addit: Accipe Ioſeph eleemoſynam, quã Dominus omnium tibi erogat: Deoque gratias age: Quo dicto ſtatim ex oculis euanuit. Porrò Ioſephus ob acceptos ab Angelo panes, lætus ad Socios redit; cúmq; iis alios quoq; ab Angelo panes erogatos fuiſſe crederet; eos appellans, inquit. Heus Viri modicæ fidei: iam videtis, quàm bonus ſit Dominus; qui dat eſcam timentibus ſe: Eia ſedete iam, ac cæleſti annona fruimini, quam Dominus Deus miſit vobis. Cui illi: Quæ annona? inquiunt: neque annonam vidimus, neq; vlla nobis res ad victũ miſſa eſt: Quibus Ioſephus: Num adoleſcentem, inquit, Fratres, qui nunc vos præteriit, animaduertiſtis? Is Angelus Dei eſt: qui duos hoſce mihi panes porrigens, diuinum nobis donum, ac benignitatem commendauit. Planè exiſtimaueram ego, quòd & alios vobis impertitus eſſet: Verùm nihil vos panum paucitas terreat: hi omnibus ſufficient: iam ſub hac vmbra ſedeamus. Cumq; geminos panes in fruſta concidiſſet, cuncti ex eis abundè ad voluntatem ſumentes, ad ſaturitatem vſque reficiuntur; Deóque impenſiùs gratias agunt.

*Geminos panes in via ab Angelo accipit.*

IX. Altero quoque teſtimonio, Deus huius ſancti Viri confidentiam, velut cæleſti remuneratione dignam commendauit. Cùm enim Cõuentum, qui inter Sentini noui Montes iacet, aliquando moderaretur, contigit; vt vberrima niue è Cælo delapſa viæ omnes ad panis mendicationem Fratribus interciperentur; neque vlla humani ſubſidij ſpes illis relicta eſſet: iam panis, legumina, & ſi quod aliud eſculentum in domo ſupererat, abſumptum fuerat: cùm Vir Dei ad diuinæ Prouidentiæ theſaurum confugiens, Fratres ad diuinam opem efflagitandam prouocat. Cumque omnes orationi incumberent: en ingens fragor è propinquo Monte, velut rupis exciſæ auditur: Statim Fratres ad Conuentus ianuam conuolant; vt periculum, ſi quod eſt, deuitent. Porrò oſtio aperto, nihil præter prægrandem ſaccum, pane refertum, è Cælo miniſtratum inueniunt: quod illis euſque ad quotidianum victum ſatis fuit, quoad aditus ad mendicationem, niue liquefacta, pateficret.

*Eo orante Panis è Cælo Fratribus miniſtratur.*

X. Huius Viri Sanctitatem quamplurimis Deus miraculis teſtatam eſſe voluit: ex quibus nonnulla placet referre; multis ſilentio præteritis, quorum memoria, conſcribentium negligentia, fama tantùm ſuperſtite, interiit. In his primum eſt; quòd cùm ſemel in Paterni Oppidum, haud longè Fabriano diſtans, profectus eſſet; vt Operarios ad ligna præſcindenda ſibi compararet: accidit, vt nullum omninò ibi, præter febricitantem quendam offenderet; quem cùm ad opus vocaret, reſpondit ille, ſe lubentiſſimè quidem iturum, niſi febri, qua è veſtigio corripiendus erat, detineretur. Cui Ioſephus. Non te febris, inquit, detineat. Sume tibi ſecurim, & mecum perge; febris enim, qua hactenus laboraſti, te deinceps deſeret. Credit ille promiſſo, & arrepta ſecuri, dum in opus incumbit; vires augeri, ac priſtinam ſibi incolumitatem diuinitus reddi ſentit: qua deinceps pulſa febri potitus eſt, vt diuina in eo magis virtus eluceret.

*Operarium febricitãtem, verbo à febre liberat.*

XI. Huic accedat, quòd dum in Conuentu Foroſempronij, Guardiani munus adminiſtraret; cuiuſdam agricolæ vxor, iam quatriduò grauiſſimis partus doloribus vexata, ſummo in vitæ diſcrimine verſabatur; quamobrem Coniux ad Virũ Dei confugiens, obnixè eum rogat; vt pro ea ad Deum preces fundat. Is verò ſeorſim ſecedens, cùm aliquantiſper oraſſet, ad hominem reuerſus, ait: Iam domum redi. Vxor enim tua modò ſalua maſculum peperit: age, vt nomen illi Ioſephi imponas; vt ſub S. Ioſephi patrocinio viuat. Cumque ille domum reuerſus, ſalua omnia iuxta Viri Dei verbum reperiiſſet; Ioſephi nomine infanti impoſito, quàm efficax Serui Dei oratio fuerit, reipſa non obſcurè perſpexit.

*Partus incolumitatem mulieri à Deo impetrat.*

XII. Porrò Ioſepho Soror erat, Viro cuidam honeſto matrimonio coniuncta: à qua cùm is aliquando telæ fruſtulum petiiſſet; qua mutatoria ſibi fœmoralia pararet: reſpondet illa, nihil tunc telæ, præter linteũ ſibi ſupereſſe: quod cùm necdum conſutum eſſet, ex eo pia mulier particulam, quæ ad mutatoria ſatis eſſet, ſtatim præſcindit, ac fratri erogat. Die elapſo, cùm mulier alteram ſibi telam comparaſſet; qua ſublatam à linteo partem ſuppleret: integrum linteum reperit, perinde ac ſi nulla illi telæ pars dempta fuiſſet; quo miraculo Deus, & Sancti Viri meritum, ac mulieris pietatem commendare voluit.

*Telam Sorori ſua oratione multiplicat.*

XIII. Id ipſum quoque alteri Mulieri contigit: quæ cùm præter lini faſciculum, quem ſibi ad induſium conficiendum parauerat; nihil apud ſe telæ reliquum haberet: Viro Dei telam ab ea poſtulanti linei illius faſciculi partem tradit: quam poſtea diuina virtute faſciculo reſtitutam, nulloque ſciſſuræ ſigno apparente, eidem inſtauratam cernit. Ita namque Dei benignitas cum Seruo ſuo agebat: vt quæ in illius ſubſidium conferebantur; ſibi grata eſſe, vel etiam miraculo comprobaret. Quod altero quoque teſtimonio demonſtratum fuit. Cùm enim ſemel Colloamati apud fratrem ægrotans, defruto vti minimè poſſet; crudum vinum à propinqua muliere quæritur; quæ non pridem dolium exhauſtum eſſe reſpondet: vrget Ioſephi Fratria, vt dolium diligentiùs exploretur, num vnum ſaltẽ vini ciathum reddat; quo ægrotantis neceſſitati ſubueniri queat. Ad dolium itum eſt: Quid plura? Deo, quod hominum inopia deerat, ſua virtute ſupplente. Dolium mero plenum conſpicitur; vinumque non modò Viro Dei ægrotanti; ſed & toti domus familiæ ſuppeditat: quod cùm vniuerſos ad rei admirationem prouocaſſet, eos quoque ad Deo laudes perſoluendas compellit.

*Præciſa telæ ipſius oratione integra cernitur.*

*Vini dolium vino vacuũ, plenum reperitur.*

XIV. Nihil Ioſephus præter Crucem ſapere, nihil præ Cruce diligere, ſola denique in Cruce gloriari videbatur: quo fiebat; vt cùm verus, ac perfectus Crucis amator, ac diſcipulus eſſet, ſæpiſſimè quoque ægrotis ſigno Crucis incolumitatem conferret. Camerini, Mulieris cuiuſdam filius, tam horribili lepra reſperſus erat; vt cùm omnem iam illius carnem exediſſet; mortui potiùs, quàm viuentis hominis ſimulacrum præſeferret. Hunc mater, cùm ad Dei Seruum adduxiſſet, ab eo poſtulat: vt leproſum filium ſigno Crucis benedicat. Præſtat ille viuificum Signum, moxque miteſcit lepra: atque adeò ſacri illius Signaculi virtus proficit; vt integram leproſus poſt aliquot dies curationem ſit adeptus.

*Leproſum ſigno Crucis curat.*

XV. Illud verò memoria dignum eſt, quod Fabriani, toto ſpectante populo, Dei virtus, ad Serui ſui commendationem oſtendit. Cùm enim is eleemoſynam, more Capucinis conſueto, in Vrbis platea peteret. Puer, qui Ioſephi vocem perſenſerat; cùm è domus feneſtra, longiùs corpus protenderet, ab ea dilapſus, caput in ſtratum lapidem ita colliſit, vt eo in duas partes diſciſſo, cerebrum flueret: mox vniuerſi ad puerum accurrunt, fruſtraque remedia parant: colliſionis enim vulnus, & ſanguis vndiq; fluens, cùm omne medicamentum reſpuerent: proximum puero interitum minabantur. Inter hæc Ioſephus aduentans, miſerandum pueri caſum percipit: ſtatimque ad ipſum accedens, caput vtraque manu conſtringit; diſiunctáſq; partes copulans, ſignum Crucis bis, terq; ſuper eas multiplicat: Proh mirabilis Dei virtus! Defluens protinus ſanguis ſiſtitur, capitis partes intimè, vt antea, connectuntur; puer velut è ſomno excitatur; atque in omnium oculis ſurgit incolumis. Obſtupeſcere

*Puerum è feneſtra delapſum, ac moribundum ſigno Crucis incolumem reddit.*





vniuerſi, Deum omnipotentem vocibus laudare, ac Serui ſui ſanctitatem commendare non deſinunt.

XVI. Neque illud poſtremò prætereundum: quòd cùm Fratriæ ſuæ filia adhuc paruula, clauda, gibboſa, ac tot corporis incommodis affecta eſſet; vt mater aliquando cum Ioſepho conquereretur, eam neque Mundo, neque Deo, aut illius cultui, ob corporis deformitatem, aptam eſſe. Eam vbi Vir Dei verbis conſolatus eſt: paruulam in ſinum accipit, quaſi ei abblandiri vellet; latera contrectat, humeros componit, tibias æquat, ac ſigno Crucis conſignat: quod cùm bis, vel ter præſtitiſſet; paruula è ſinu dimiſſa protinus recta progredi, ac integra valetudine frui cœpit.

*Puellam claudam, ac gibboſam incolumitati reſtituit.*

XVII. His, & pleriſque aliis diuinæ virtutis teſtimoniis, cùm Ioſephi ſanctimonia omnibus probata eſſet; in Conuentu Foroſempronij Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum munus gerebat: cùm ſupernæ retributionis diem ſibi imminere, Deo reuelante, percipit, quam etiam cuidam Nouitio, aliiſque haud obſcurè ſignificat. Cùm enim ramunculos, quibus piſa fulciuntur, cum Nouitio in horto plantaret, ad Nouitium conuerſus: Fili mi, inquit, tibi, ac aliis tantummodò, non mihi hic labor proderit: me piſa hæc matura non videbunt. Nobiles quoque quaſdam fœminas, cùm hoc tempore Vir Dei præſens inuiſeret: illæque frequentiorem ipſius præſentiam optarent: Quid meam, (inquit) præſentiam quæritis? aliò tranſmigrandum eſt: citò vobis eripiar. Conſueuerat Vir ſanctus, bina ante Matutinum tempus hora, ad orationem ſurgere. Poſthæc igitur cùm conſueta noctis hora orationi incumberet: En ingens pituitæ cumulus, è cerebro fluens, illius repentè fauces occupat. Huic cùm febris ſucceſſiſſet; Medicus morbum paruipendens, breui illi incolumitatem pollicebatur. Cui Ioſephus: Falleris (ait) necdum, quod diuinum eſt, in morbo agnoſcis. Quid pharmaca ad incolumitatem paras? para morituro ſepulchrum: hæc enim ægritudo ſupremum mihi ex Dei decreto diem indicit. Quamobrem Sacramentis ſumma cum Religione ſuſceptis; ad Domini occurſum piis animi ſuſpiriis anhelans; vbi circumfuſos Fratres præclaris monitis inſtruxit, atque ad Regularis obſeruantiæ, ac Euangelicæ vitæ perfectionem ſupremis verbis prouocauit; tandem obdormiens in Dei ſinum perpetuò, vt creditur, coronandus concedit,

*Obitus ſui tẽpus pleriſque longè ante prænunciat.*

*Foroſempronij ſanctè in Domino obdormit.*

XVIII. Poſt huius ſancti Viri obitum, cùm Fratres ob communem ſanctitatis opinionẽ, de eo apud omnes conceptam, vererentur; ne euulgato ipſius tranſitu, nimia populi frequentia in eos exundaret: perſolutis illi ante lucem funeribus, corpus in communi ſepulchro condendum curant. At minimùm ea illis diligentia profuit: nam manè populis vndique ex Vrbe erumpentibus, ac tumultuantibus, corpus extumulare, atque exoſculandum in publicum proferre, compelluntur.

*Magna populi ad illius funus frequẽtia.*

XIX. Porrò Ioſephi facies poſt obitum pulchrior, quàm dum viueret, apparet: genæ enim non ſqualidæ, aut pallentes; ſed rubore perfuſæ conſpiciebantur; quæ ſummam ſpectantibus voluptatem, ac deuotionem parerent. Tumulato iterum corpore, poſt quartum ſepulturæ diem, cùm Domus Superior, Ioſephi corpus in alterum tumulum, in quo duo alij Fratres, Ioſephi ſocij, ac contemporanei, ſimul in eodem ſarcophago occluſi iacebant, transferendum vellet. Reluctabantur Fratres, eò quòd irruentem iterum in ſe populorum turbam metuerent: ſarcophagum quoque tam anguſtum eſſe affirmabant, vt tres haud quaquam capere poſſet: ſed cùm res non humano, ſed diuino conſilio agitaretur. Vicit tandem Superioris ſententia: quapropter aperto ſarcophago, duo illa mortuorum Fratrum corpora, ad Arcæ latera ſeceſſiſſe; mediúmq; Ioſephi corpori locum reliquiſſe animaduertunt: quaſi ſocium corpus medium ſibi, ac honorabiliori loco habere optarent. Cùm igitur inter ea medium Ioſephi corpus collocatum eſſet, protinus tam ſuauis ex Ioſephi, & aliorum corporibus odor diffundi cœpit; vt ſæculares homines ad Eccleſiam conueniẽtes, eum abſque dubio è tumulo emanare perciperent. Quapropter ne hic in populum rumor diffunderetur; ex quo turbæ iterum concitaretur: cunctas Fratres tumuli rimulas diligentiſsimè obturant; calcéq; totum ſepulchri lapidem operiunt.

*Ioſephi & aliorum duorum corpora ſuauem odorem efflant.*

XX. Poſt hunc plurima quoq; virtute claruit F. Ludouicus Fulginas, Cõcionator: qui cùm annos decem & octo natus, vt Mundi pericula declinaret, ſæculo poſt terga relicto, ad Minorum Obſeruantium Ordinem confugiſſet; in eoque per aliquot annos ſanctè conuerſatus fuiſſet; Regularis obſeruantiæ ſtudio ductus, ſub Lũdouico Foroſemproniano ad Capucinos tranſuolat: à quo ad Reformationis gremium receptus, & in Picentem Prouinciam tranſmiſſus, magna ibi tum in Regulæ obſeruantia, tum in omni virtutum genere incrementa dedit. Vir fuit mediocris doctrinæ; verùm tam ingenti animi probitate, & charitate præditus; vt ob id maximè à Ludouico concionandi munus acceperit: in quo, adeò ſua ſimplicitate præcelluit; vt Oppida, & copioſæ populorum turbæ, ad quatuor, & quinque hominum millia interdum excreſcentes, ad eum audiendum confluerent. Poſt concionem, vt ſummam paupertatem, quam animo inſculptam gerebat, factis oſtenderet: ne communem quidem Menſam, quæ illi paſſim offerebatur, ab vllo accipere; ſed ſtipe oſtiatim emendicata, cum Socio ad Syluas ſecedere ſolebat; vbi pane, & aqua, vt plurimùm victitans, admirabilem inter homines vitam ducebat. Tam in ſeipſum rigidus fuit, vt hiſpido habitu nedum contentus, ſub eo aſperum quoque cilicium gereret; nudis ſemper pedibus, quocunque anni tempore, abſque ſandaliis ambularet; quotidiana ieiunia coleret; pulmento, & carnibus nunquam veſceretur; herbas verò tantùm, & legumina interdum ſibi ad victum adhiberet. Cùm autẽ Anachoretarum vitam, atque auſteritatem ſummo ſtudio ſibi proſequendam præſtituiſſet: (quod antiquum priorum Patrũ ſtudiũ erat) quo tẽpore in Conuẽtu Collis Pepi Guardiani officio fungebatur: ſæpè cũ F. Ioãne Ancaianẽſi, in quædam veteris cuiuſdam Cœnobij, quod S. Apollinaris appellabatur, antra ſolitaria ſecedens; ibi bis tantùm, vel ter in hebdomada, panis, & aquæ cibo corpus reficiebat: cùm reliquam temporis partem, vel in diuinis colloquiis, vel in rerum cæleſtium meditatione conferret: in qua à ſenſibus nonnunquam ita abſtrahebatur, vt nec quid circa ipſum ageretur, aduerteret: ſed fixos ferè ſemper in Cælum oculos abſque palpitatione teneret. Sæpe etiam in anno, Chriſti Domini flagellationem, quinque horarũ ſpatio productam, exercebat: vt Dominicæ Paſſionis mortificationem in ſeipſo referret. Denique cùm Dei Seruus tot, ac tantis virtutibus floreret; ſibi tamẽ ſemper inutilis eſſe videbatur: neque vnquam ſe Dei opus incœpiſſe querebatur. In Vmbriæ Prouinciam profectus, cùm aliquot ibi annos in ſumma vitæ auſteritate, orationis aſſiduitate, ac perfecta Regulæ obſeruantia tranſegiſſet: ad laborum præmia à Domino vocatur; Fulginiíque colico dolore correptus, Deo ſpiritum reddit.

*Vita auſteritate, ac plurimis virtutibus fulget.*

*Ipſius Abſtinentia admirabilis.*

*A ſenſibus ſæpè in Oratione abſtrahitur.*

XXI. Poſt huius Sancti Viri obitum, iam vigeſimus annus effluxerat, cùm Fratres ipſius oſſa quærentes; vt ea in nouum Monaſterium transferrent: Ludouici corpus, tam vndequaque integrum, ac recens reperiunt; vt eo die vita defunctus videretur: quo ſanè cunctis haud obſcurè innotuit; quàm illuſtrem gloriæ coronam, eximius hic Dei Seruus, in Cælo à Deo conſecutus fuerit.

*Poſt Vigeſimum ab obitu annum ipſius Corpus integrum apparet.*

XXII. Tertius quoq; hoc tempore, ad Cæleſte præmiũ euolat, Fr. Bonauentura à Monteregali, Oppido Samnitum: qui à puero optimis moribus à Matre educatus, tanto in quodlibet vitium odio ferebatur; vt tolerabilior illi Inferni ignis, quàm culpa videretur. Ea porrò bona puero indoles, potiſſimùm ob matris prudentiam indita fuit; quæ quoties puerum in aliquod vitium impegiſſe animaduerteret; mox, vt accenſum ignis carbonem palma geſtaret, compellebat. Adoleſcens in Minorũ Obſeruantium familiam adſcriptus, in ea per aliquot annos, magna cum virtutũ laude vixit: Vincentio Aquilano, qui eo tempore inter Obſeruantes ſanctitate florebat, operam dedit: à quo etiam multa ad ſpiritualium diſciplinam ſpectantia didicit. Huius Vincentij meminit Auctor Chron. Ordin. Minor. Mira ipſius patientia in eo potiſſimùm enituit; quòd exorta Capucinorum Reformatione; cùm is à Miniſtro ad Capucinos tranſmigrandi facultatem poſtulaſſet: Miniſter ita ea poſtulatione ira efferbuit; vt fuſte arrepto, multis eum verberibus cæderet.

*F. BONAVENTVRÆ à Monte Regali, Vita & geſta.*

*Optima matris educatione à vitiis abhorret.*

Chron. Min. par. 3. lib. 8. c. 18.

*Mira ipſius patientia.*

Is verò



Is verò cum pluris illatam Miniſtro moleſtiam, quàm verbera æſtimaret; etiam dum verberibus afficeretur, illatæ moleſtiæ veniam à Miniſtro depoſcebat: ita vt Miniſtro à verbere ceſſante, is quieſcere noluerit: donec Miniſter eam illi moleſtiam condonaret.

XXIII. Horrendum cuiuſdam Fratris, qui in eodem Conuentu, hoc tempore, ſecum degebat; exemplum narrare poſtea ſolitus erat: vt Fratres è propinquorum amore auocaret: quo ſe non leuiter commotum aiebat, vt ad Capucinos migraret.

XXIV. Sacerdos quidam (inquit) mecum in eodem Montis Regalis Monaſterio verſabatur: qui cùm ſemel poſt Matutinas horas per nemoris viã deambularet: En Dæmon, Patruëlis ſui, Viri ſæcularis, formam præſeferens; ſe illi obuiam præbet: Cuius cum is tam inopinato occurſu obſtupefactus; quid tunc ibi ageret, vel vnde eò irrupiſſet; ab eo ſciſcitaretur. Reſpondit ille: ſe quidem per muros aſcendiſſe: verùm id prudenter factum, ne cuiquam Fratrum ipſius aduentus innoteſceret. Cauſam verò ſui aduentus exponens ait: Noſti, Pater, quanta ſit nepotum tuorum inopia; qui necdum ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria habent: iam verò illos ditandi optima ſe ſe opportunitas offert. Latet in proximo hoc monte theſaurus, ac maxima diuitiarum copia, quæ in noſtram facilè poteſtatem venire poteſt; dummodò mecum Sacerdos adſit, qui præſentia ſua Dæmones theſauri cuſtodes compeſcat. Hac de cauſa huc ad te intẽpeſtiuè acceſſi; vt re quã citiùs perfecta, ociùs ad Monaſterium redire queas: nulluſque res noſtras aduertat. His auditis ille: Abſit (inquit) vt abſque Miniſtri licentia eò pergam. Cui Dæmon: Res, inquit, ſilentio, non clamore peragenda eſt: quod ſi apud alios euulgata fuerit; iam non noſtra; ſed aliorum procul dubio vtilitas erit: neque nos beneficio potiemur. Noſti enim, quæ lex theſauros fodientibus præſcripta ſit, amabò pergamus. Cui ille: Quid hæc, inquit; mihi ſuades? Certè reluctatur animus ea moliri, quæ conſcientiæ lex fieri prohibet. Quid legem conſcientiæ obiicis? Dæmon ait: annon charitatis lex, qua pluribus prodeſſe potes, maior eſt, quæ conſcientiæ imperare debeat? Annon, qui domeſticorum curam negligit, eſt infideli deterior? Quò tot nepotes, & nubiles neptes euadent, ſi illarum curam neglexeris? Vbi tua in eos charitas, ſi tantùm illis bonum inuideas. Nihil id tuæ cõſcientię nocet, cùm ex intentione à Deo homines iudicentur. Demũ tot argumentis, ac rationibus illum Dæmon adoritur; vt imprudens à Dæmone, in montẽ ſe adduci ſinat. Dũ igitur ſimul tenebroſa nocte per Mõtis deuia ad theſaurũ pergunt: ſæpè ille in ſaxa impingens prolabebatur: Cui Dæmon, vt animum ad iter proſequendũ adderet, iam proximũ fore theſauri locum pollicebatur. Iam ad altiſſima quædã prærupti Montis præcipitia peruenerant; cùm ille graui caſu in terram dilapſus, ad Deum exclamabat: ô bone Ieſu, ò Mater Dei Maria, fer opem, quonam me hîc locorum adducit? Cui Dæmon, cùm Patruelis tunc forma exuta, horribilem effigiem obieciſſet; reſpõdet: Vę tibi infelix Apoſtata, & excõmunicate: niſi nomen illud tremendum inclamaſſes; iam te ex hoc loco deorſum præcipitem egiſſem: ac protinus ex illius oculis euaſit. His verbis, atque horribili Dæmonis figura ille ferè exanimatus, celeriùs ad Monaſterium feſtinat; atque à Miniſtro delicti veniam poſtulat; vt hinc, qui ad Religionem vocati ſunt: dum vel inopiæ propinquorũ ſubleuandæ, vel opum illis augendarum, plus æquo, ſtudio incumbunt; ſe in Diaboli laqueum, & tentationem incidere, facilè addiſcant.

*Quam à propinquorum amore cauendum ſit, exẽplo oſtenditur.*

*Dæmon ſub Propinqui ſpecie Fratrem fallit.*

*Apparentes Dæmonis rationes.*

*Theſaurum Fratri pollicetur.*

*Propinquorum amor Religioſo perniciosus.*

XXV. Itaque Bonauentura cum Dei vocationem, qua ad Capucinos agebatur; haud ſibi negligendam cenſeret: tandem è Cibotolæ Conuentu, in quo is Guardiani officio fungebatur; ad Capucinorum ſe Reformationem, inter ipſa Religionis initia transfert: in qua ſanè tot virtutibus floruit; vt Euangelicæ perfectionis viam, quam ſemel, arrepto cæleſtis vitæ curſu, ſibi ab exordio percurrendam præſtituerat; nunquam vſque ad vitæ occaſum deſeruerit. Tam enim eximius paupertatis ſectator fuit; vt panni præſegmina, quæ inſectis Fratrum tunicis interdum ſuperſunt; ſollicitè colligens,

*Perfectam vitæ rationem inſtituit.*

nihil

nihil ex his vnquam perire pateretur, liberum ab omni rerum cupiditate ita animum gerebat; vt à ſuperuacaneis omnibus abhorrens, præter ea, quæ in Regula expreſsè Fratribus conceduntur, nihil prorſus ſibi ad vſum vendicaret. Aſſiduis, ac ferè quotidianis ieiuniis cùm carnis petulantiam domaret; illud præ cæteris abſtinentiæ genus commendabat; quo Fratres ſemel tantùm in die eſcam ſumētes, iis cibis contenti ſunt, qui in communi menſa miniſtrantur: tametſi ad quadrageſimalium ciborum qualitatem non pertineant. Singulare enim, nec laudandum illud abſtiētiæ genus eſſe dicebat: quo quadrageſimales eſcæ quæruntur; cùm alias communis menſa adminiſtrat. At verò cùm abſtinentiæ virtus, qua plerique illuſtres Viri, ac ſanctitate præſtantes, à carnibus, ac lautioribus cibis meliùs ſibi abſtinendum putarunt, minimè vituperanda ſit; planè conſtat, huius ſancti Viri doctrinam haud alio ſenſu intelligendam eſſe; quàm quòd iis hoc abſtinentiæ genus ſingulare, ac vitioſum eſſe videatur, qui illud præter Superioris obedientiam, ac inditam animo prudentiam, ſibi vſurpant.

*Quodnam Abſtinentiæ genus commendaret.*

XXVI. Plurima erga Defunctorum animas charitate afficiebatur: quo fiebat: vt ſæpiſſimè pro iis Miſſas celebrare, officia perſoluere, flagellationes exercere, ac lachrymas in Oratione fundere ſoleret: atque hæc pia in Defunctos officia, pauperum eleemoſynas appellare ſolitus erat; quæ illis à viuentibus erogantur: quas cùm illi tempore egeſtatis acceperint; à pœnis deinde ſoluti, atque in plenam bonorum cæleſtium poſſeſſionem vocati, iis deinde à quibus acceperunt, cum fœnore reddunt. Verùs hic Iſraëlita cùm nihil præter Dei honorem, & animarum ſalutem animo volutaret; vniuerſos ad Deum attrahere cupiebat: idcircò ſæpe Iuniores Fratres ſæcularium hominum, ac mulierum præſertim conſortia fugere, orationi inſtare, à ſuperfluis abſtinere, paupertatem diligere, & Chriſti Crucem ex animo amplexari, ardentioribus verbis admonebat.

*Erga Defunctorum Animas charitate afficitur.*

XXVII. His, ac pluribus aliis perfectæ iuſtitiæ Operibus, cùm Chriſti Seruus ad extremum vſque ſenium vacaſſet; ac prophetico ſpiritu pleraque futura prædixiſſet: tandem in Conuentu Spoleti ad ſupernæ beatitudinis brauium à Dominio vocatus, cùm in ſupremo ipſo mortis agone meridianæ Orationis ſignum campana daretur; F. Angelo Peruſino adſtanti, ait: Fili, ſignum Orationis eſt, feneſtram claude, ac paululùm ſecede: vt ſuum tempus Orationi demus. Cui cùm Fr. Angelus reſpondiſſet, haud te deſeram, Pater, ne te extrema vitę meta, me abſente, occupet. Vade (inquit ille) Religioſum Virùm hinc ſine Oratione decedere non decet. Itaque cùm ſe Orationi dediſſet; paulò poſt animam orando exhalat; & Cælum feliciter regnaturus conſcendit.

*Propheta ſpiritu pleraque futura prædicit.*

*In Oratione Deo ſpiritum reddit.*

XXVIII. Huius Sancti Viri Corpus, humi ſub dio ante Eccleſiam ſepultum, cùm poſt quintum annum quæreretur, vt in ſepulchrum, quod recens in Eccleſia extructum fuerat, reconderetur: integrum, ac ſuauiſſimè olens reperitur. Quo tempore illud quoque mirabile accidit, quòd dum Frater: qui, vt Bonauenturæ corpus, humi conditum, quæreret, locum effodiebat, ligone imprudenter ipſius pedem vulneraſſet; copioſus è vulnere ſanguis effuſus, ſpiritum apud Deum viuere, cæleſti corona gaudere, non obſcurè nobis ſignificauit.

*Poſt quintum annum Corpus ipſius integrum reperitur, & ſanguinem fundit.*

XXIX. His quartus quoque hoc anno accedit, F. Franciſcus Curenſis Laïcus: qui inter primos fuit, qui à Ludouico Foroſemproniano ad Religionis gremiū recepti, plurimis eam virtutibus illuſtrarunt. Vir fuit cum primis abſtinentia admirabilis: ita vt, cùm quotidiana ferè ieiunia coleret, ſæpè etiam integras quadrageſimas panis, & aquę tantummodò victu tranſigeret: cui etiam auſtera omnia tam in victu, quàm in cultu reſpondebant. Charitate erga infirmos inſignis, diu in Romano Conuentu Noſocomio Præfectus fuit. Semel cùm in Conuentu Collis veteris, Romanę Prouincię, ægrotum quendam Fratrem curaret, Foſſenniam, vt Medicum conſuleret, profecturus erat: Nauicularius verò, qui Tiberim traiiciebat, nullis precibus adduci potuit, vt illum trās Tiberim abſque pretio veheret. At velox Nauicularium,

*F. FRANCISCI Curenſis, ſeu à Turre Vita.*

*Abſtinentia, charitate, ac ſui ipſius contemptu admirabilis.*

uicularium,



uicularium, qui pium charitatis opus interceperat; Dei vindicta præoccupat: nam è littore digreſſus, mox cum Nauicula in flumen demergitur. Tanto ſanctus hic Vir odio in ſeipſum exardeſcebat: vt omnes auidè occaſiones captaret, quibus omnem animi ſuperbiam in ſeipſo trucidaret; vilémque ac contemptibilem ſe cæteris præberet. Hac de cauſa quadam die ardentiori hac proprij contemptus cupiditate pulſus: habitum exuit, nudúſque ſolis ſibi fœmoralibus relictis, Cruce in humeros ſublata, totam Romanam Vrbem percurrit; magna voce exclamans: Pœnitentiam agite peccatores. Tandem annis, ac bonis operibus grauis, Romæ hoc anno humanæ naturæ debitum exoluit.

*Nudus, ac Cruce onuſtus Romæ Pœnitentiam prædicat.*

XXX. Supereſt, vt pro huius anni colophone, perfectæ hîc charitatis exemplum ſubiiciam, diuino miraculo commendatum. Illud ſemper Capucinorum Religionis ſtudium fuit; vt quæ Chriſti paupertate nata, atque enutrita eſt, pauperum etiam curam gereret, ac ſummam in eos charitatem oſtenderet: quod priſci Congregationis noſtræ Patres non tam verbo, quàm facto, ac reipſa docuerunt. Quàm verò hæc Deo charitas grata ſit, plurimis diuina Majeſtas ſignis manifeſtum, ac teſtimoniis probatum eſſe voluit, ac præſertim hoc anno. Cùm enim in Veneta Prouincia nouus quidam Conuentus extrueretur; fames totam Regionem occupauerat: quo fiebat, vt Fratres vix ad vitam neceſſaria mendicando acciperent. Accidit ſemel, vt cùm Eleemoſynarius panem de more oſtiatim mendicaſſet; tanta pauperum eſurientium turba ad eum conflueret, vt quicquid panis pro Fratrum Familia eleemoſyna acceperat, totum pauperibus diſtribuerit. Domum reuerſus, cùm pane vacuus Guardianum obuium haberet: ab eo, cur panem ex mendicatione non attulerit, interrogatur. Cui ille. Tot (inquit) Pater, pauperum fame pereuntium, turmas in Oppido offendi; vt in eos præ commiſeratione, totum emendicatum panem erogauerim. Iam cœnæ hora imminebat, cùm Guardianus Eleemoſynario. Feſtina, inquit, ad Cellarium, & vide num panis fruſtula aliqua ſuperfuerint, quæ Fratribus apponantur. Pergit ille, & cùm arcam quandam, quæ nullius ferè rei vſui inſeruiebat, aperuiſſet: eam recenti, atque albo pane plenam reperit. Deus enim, qui panem in pauperes erogatum, ſibi acceptum tulerat; eum Fratribus cum fœnore reddidit: quo & poſteri diſcerent, Euangelicos pauperes maximè in cæteros charitatem decere: neque iis rerum egeſtatem metuendam eſſe, qui è liberaliſſima Dei Prouidentia abundè vniuerſa accipiunt.

*Perfectæ charitatis in pauperes exemplum diuino Miraculo cōmendatur.*

NOVA

*Decimum Generale Capitulum celebratur.*

I. NOVA huius Anni Milleſimi quingenteſimi quinquageſimi octaui luce exorta; noua quoque Comitia ab Euſebio Generali, in Neapolitana Vrbe indicuntur, quæ decimum inter Generalia locum obtinent: in his Fr. Thomas Tiphernas, Vir præclarus, ac multarum rerum vſu, ac prudentia inſignis, qui Bernardini Aſtēnſis quondam Socius fuerat; omnium ſuffragiis Generalis eligitur. Inter alios huius Capituli Patres, Fr. Alphonſus Sueſſanus conſilio, ac morum integritate potiſſimùm enituit: qui cùm Neapolitanam Prouinciam per nouem annorum ſpatia, magna prudentia adminiſtraſſet, in hoc Generali Capitulo primus Definitor acclamatur: faciléque ad Generalatus officium conſcendiſſet, niſi is ſimulata ignorantia, ab eo ſe prudens abduxiſſet.

*Fr. Thomas Tiphernas Generalis eligitur.*

II. Pleraque in hoc Capitulo, ad præſtantiorem Religionis adminiſtrationem conſtituta ſunt. In his, vt Ordinis Procurator, (qui eatenus ex Romana tantùm Prouincia aſſumi ſolebat: ita vt Romani Conuentus Guardianus etiam Procuratorio officio fungeretur) ex omnibus Ordinis Prouinciis eligi poſſet; Quapropter ex Mediolanenſi Prouincia, Fr. Euangeliſta à Canobio ad hoc munus, hoc anno vocatus fuit. Idem quoque de Romani Conuentus Guardiano pro tempore decretum fuit; donec Romana Prouincia, idoneos ad illud munus, quod iis præſertim temporibus, grauiſſimum erat, Viros ſibi vendicaret. Prouincia quoque S. Bernardini, cùm ob exiguum Conuentuum numerum, quo concluſa videbatur, Prouinciæ nomine frui minimè poſſet: Patrum decreto diſſecta, pars Conuentuum Romanæ Prouinciæ attributa fuit, altera ad Picentem Prouinciam tranſlata. Nonnulla quoque in Apuliæ Prouincia, de quorundam Conuentuum mutatione, quæ neceſſaria videbantur; ac plura alia Religioni vtilia ſancita fuêre. Quibus ita conſtitutis, ac ſolutis Comitiis: Thomæ Generali benè viſum fuit, antequam viſitationem auſpicaretur; à nouo Pontifice, Paulo 4. Ordinis, ac Priuilegiorum confirmationem quærere; quam cùm non niſi poſt ſex menſes, ob Aulicorum quorumdam conſpirationem, qui cum malè erga Religionem affecti eſſent, omnes illi ad Pontificem aditus intercluſerant, voce tenus impetraſſet: tandem viſitionem aggreſſus, maxima in eo munere cum prudentiæ laude, aç Regularis obſeruantiæ zelo, tametſi aliquantò quàm priores Generales ſeueriùs, ſe geſſit.

*Quædam in Generali Capitulo Statuta.*

*Thomas Generalis Ordinis ac Priuilegiorum confirmationem à Pontifice impetrat.*

III. Vix Thomas viſitationem inchoauerat: cùm latentes eorum, qui in Ordinem conſpirauerant, ſtatim inſidiæ panduntur: eò ſanè perículoſiores, quò à Potentioribus inſtruebantur; neque vlla noſtris via aperiebatur, qua res Ordinis tueri, & cauſam apud Pontificem agere valerent. Antiqui enim Capucinorum aduerſarij, cùm Cardinalis cuiuſdam, cuius conſultò nomen reticeo, qui plurimùm gratia apud Paulum 4. valebat, beneuolentiam, atque auctoritatem ſibi conciliaſſent; cum eo coniurauerant; vt Capucinorum Religio, ad Minorum Obſeruantium Ordinem, & obedientiam, Pontificia poteſtate reuocaretur. Iamque Bulla ab iis conſcripta, ac parata erat; quam Cardinalis facilè, ob ſummam illius auctoritatem, ſibi à Pontifice confirmandam pollicebatur. Res nulli, præterquam ſolis conſpiratoribus manifeſta erat: Religioque in eo diſcrimine verſabatur, vt ſola Dei virtute, ac potentia à ſupremis funeribus liberari, atque in vitam vendicari poſſet.

*Horribilis in Religionem tempeſtas ſecretò exoritur.*







Plurimæ quidem hactenus procellæ, iam ab exordio, in Religionem excitatæ fuerant; quæ cùm palàm deſæuirent, iis ratione, & conſilio obſiſti poterat. At nulla hac ſæuior tempeſtas, quæ Religionem in vtramque aurem obdormientem, neque ab vllo prorſus ſibi periculo cauentem inuaſit. At ſumma Dei prouidentia, quæ iam ab exordio, huius Religionis nauiculam, è tot ingruentibus procellis ſeruauerat; ne his etiam hoc tempore clam concitatis fluctibus operiretur, è Cælo inuigilat. Dum enim Cardinalis exitialem Religioni Bullam ad Confirmationem parat; opportunúmque ad illius expeditionem duntaxat tempus expectat: Dei prorſus iudicio fit, vt is ob plurima criminum capita, quibus eo tempore apud Pontificem pulſatus fuit; fugam arripuerit: neque vſque ad huius Pontificis obitum in Vrbem redierit. Quapropter hoc tempore Capucinorum Religio id Deo liberatori occinere poterat, quod Sapientiæ cap. 12. legitur. *Cùm ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes: & cùm de nobis iudicatur, ſperemus miſericordiam tuam.* Neque enim vlla ab hac tempeſtate euadendi ſpes illi, præterquam in Dei miſericordia, relicta erat; qua inimicos confunderet, ac criminum accuſatione flagellaret. Re igitur propter Cardinalis fugam infecta, cùm aduerſarij eius ſe auctoritate deſtitutos viderent, cuius ope propoſitum aſſequi ſperauerant, à cœpto deſiſtunt: Religióque à tanto periculo, Deo ſolo protegente erepta, iterum priſtina tranquillitate potitur.

*Dei Prouidentia tempeſtas orta ſedatur.*

*Sap. 12.*

*FRATRIS BERNARDINI A BALBANO Vita & Geſta.*

IV. Hac tempeſtate, nonnulli Viri, doctrina, & Sanctimonia illuſtres, mortalem hanc cum immortali vitam commutarunt. In his primus fuit Frater Bernardinus à Balbano, Lucaniæ Oppido: qui doctrina, & prædicatione clarus, velut nouus Apoſtolus, multas Apuliæ, Calabriæ, ac Salentinorum Vrbes Euangelica prædicatione percurrit. Hic cùm vitæ auſteritatem, abſtinentiam, ac morum ſanctimoniam cum Dei Verbo coniungeret: plurimam ad hominum animos ad pœnitentiam prouocandos, à Deo vim aſſecutus eſt. In Catholica Fide tuenda, ac propugnanda acerrimus, Hæreticos tam ſtrenuè inſectatus eſt: vt cùm Aletij, apud Salentinos, Dei verbum diſſeminaret; exortam ibi Hæreticorum Sectam, non ſine vitæ periculo, vi prædicationis extinxerit; vt anno 1553. fuſiùs explicatum fuit. Quàm verò illius prædicatio Deo grata, ac Dei Spiritu plena eſſet, illud profectò indicauit: quòd mulier quædam admodum pia, ac deuota, dum eum prædicantem audit; ſæpè candidiſſimam Columbam, circa illum volitantem conſpicit; quæ tandem in eius capite quieſcere viſa eſt: vt illius verba non ab humano; ſed à diuino Spiritu profecta crederentur; qui ſuis os & Sapientiam præbet, qua omnem impietatem deſtruãt; ac velut cæleſti gladio Dæmonum germina obtruncent: quæ verò à Deo ſata, ac plantata ſunt, ad perfectum prouocẽt: Id paſſim in hoc Sancto Viro perſpectum fuit: qui cùm ex Aletino agro Hæreſum ſemina, quæ ſæuus hoſtis ad hominũ perniciem ſparſerat, sũmo ſtudio eradicaſſet: Mox Mulierum conuerſarum Collegium, quod etiamnum ſtat incolume, ad totius Vrbis vtilitatẽ ædificat: in quo, quæ à lapſu reſipiſcunt, religioſæ vitæ ſtatum, ac habitum conſequuntur. Tam præclara Bernardinus Dei luce perfundebatur, vt ea interdum, quæ longiſſimè aberant, conſpectarent: & quæ cæteris occulta erant, diuina illi virtute panderentur. Dum ſemel Conſentiæ Dei Verbum diſſeminat. Matris obitus illi, inter prædicandum, à Deo reuelatur: quem cùm is eodem tempore Auditoribus indicaſſet, Populum excitat, vt pro ea Dominicam Orationem, cum Angelica ſalutatione Deo perſoluat.

*Virtute, ac prædicatione inſignis.*

*Columba eo prædicante in ipſius Capite viſa conſiſtere.*

V. Id quoque haud prætereundum eſt, quòd cùm anno 1554. Potentiæ Conuẽtum adminiſtraret; ob ingentẽ niuis copiam, quæ vias omnes intercluſerat, quò minùs ad Oppidum pro eleemoſyna accedere valeret; familia omni victus prouiſione deſtituta, in ſummo vitæ diſcrimine verſabatur: Quo tẽpore Bernardinus cũctos ad Dei miſericordiã confugere, neq; vlla ratione de ipſius ope illis deſperandũ eſſe monet.

*Fratribus in neceſſitate panis è Cælo datur.*

Noctu igitur cùm de more ad Matutinas Horas ſurrexiſſent, dũ ij Domino pſalmos decãtant: En F. Vitus Laïcus, qui in Eccleſiã oraturus ſeceſſerat; prægrãdem calathũ, pane recenti plenum, in Altari collocatũ cernit, Quo ille admiratus, cùm rem ad Guardianũ detuliſſet; is ei ſilentium indicens, Matutinas Horas vſque ad finem perſoluit: cùm ad Altare cum reliquis accedens, cæleſtem annonam à Deo miſſam vident; deuotis lachrymis proſequuntur; ac Hymnum, *Te Deum laudamus*, &c. vno ore perſonantes, cuncti Dei benignitatem diuinis laudibus efferunt. Diuinæ huius largitatis miraculum, cùm Potentiæ Comes, qui eo tempore vita fruebatur, à Fratribus reſciuiſſet, is panem ex his vnum à Guardiano impetratum, in tantæ rei memoriam diu apud ſe incorruptum ſeruauit. Conſentiæ tandẽ, cùm grauiſſimè ægrotãs, iam extremo agone cum morte colluctaretur; ab humani generis hoſte, de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio tentari cœpit: quo tẽpore cùm lingua effari non poſſet; nunc tres, nunc vnum tantummodò digitum altiùs extollens, Perſonarum Trinitatem cum eſſentiæ vnitate coniunctam, eo ſigno palàm profitebatur. In ipſa verò ſui tranſitus hora, Frater quidam virtute præclarus, qui in Romano Conuentu moribundus iacebat; cùm Bernardini animam Cælum ſcandentem conſpiceret, protinus exclamat; Expecta, Bernardine, Expecta; donec & ego tecum veniam. His verbis præſens aderat quidam Romanæ Curiæ Prælatus: qui cùm morientem interrogaſſet, quemnam ille his verbis annueret; reſpondit: En modò Bernardini à Balbano anima Cælum conſcendit; quam & ego Deo iubente ſequor: quo dicto is quoque Deo animam reddit. Summa porrò diligentia tunc ab eo Prælato actum eſt, vt certo nuncio Bernardini à Balbano obitus hora, ac momentum ſibi perſpectum fieret: quod illud planè eſſe comperit; in quo alter Romæ diem ſuum obierat. Nonnulla hic Dei Seruus deuotiſſima, ac omni pietate referta, Opuſcula edidit. In his ſunt, Methodus orandi; Libellus de Prædeſtinatione: Meditationes de Vita Chriſti: De nouem effuſionibus Sanguinis Chriſti: De ſeptem Regulis benè viuendi, atque alia, quæ etiamnum inter hominum manus verſantur.

*Ipſius Anima Cælum conſcendere viſa.*

*Opuſculæ pia nonnulla edidit.*

*F. BERNARDI OFFIDANI, Vita & Geſta.*

VI. Hunc non longè ſecutus eſt Frater Bernardus Offidanus, Laïcus, qui inter illos quinque Fratres adnumeratur, qui impetrato à Clemente VII. Põtifice Diplomate, quemadmodum Anno 1528. dictum fuit, inter ipſa Reformationis initia, ex Obſeruantium Familia, ad Capucinos conuolarunt. Multæ in hoc Viro, incredibileſq; virtutes præluxerunt; maximis quaſi theatris, & Orbi propè vniuerſo, ad imitationem propoſitæ. Vix enim ad Capucinorum Reformationem acceſſit; cùm prioris temporis (vt illi videbatur) iacturam, ſumma omnium virtutum ſtudio, ac proſecutione, ſibi reſarciendam propoſuit: & quanquam iam ætate prouectus, virtutem tamen ætati præferens, tam in omni Religioſæ diſciplinæ ſtudio profecit; vt & robuſtioris iuuentutis flores, & dilabentis ſenectutis fructus, in ipſo ſenio copulata collegerit.

*Perfectiſſimus Regulæ, ac virtutum cultor.*

VII. Perfectiſſimam Regulæ obſeruantiam, velut cæterarum virtutum baſim, ac fundamentum, cùm ſibi animo aſſequendam præſtituiſſet: in altiſſimam primùm Religionis paupertatem animum, ac vires intendit: quam velut parentem, ac Chriſti ſponſam, tanto ſtudio ſibi amplectendam elegit; vt in ea ſummas delicias collocaſſe videretur. Toto anni tempore nudis pedibus, nullis ſandaliis adhibitis incedens; vnico tantùm habitu, breui, rugoſo, obſoleto, interpolo contentus erat: cui interdum palliolum, cùm à Superioris imperio compelleretur, adhibebat. Cùm verò iam ætate grauior eſſet, à Superioribus illi Sandaliorum vſus, ea potiſſimùm de cauſa indicitur, quòd variis tunc corporis languoribus premeretur. Illud ſedulum erat Bernardi ſtudium; quo pacto Chriſti, ac Beati Patris Franciſci paupertatem perfectiſſimè imitaretur. Mendicos, qui vix panis fruſtulis famem compeſcunt, velut exẽplaria ſibi ante oculos proponens, tanta in paupertatẽ cupiditate ferebatur: vt vix neceſſariis ad vitę ſuſtentationẽ vteretur. Quotidianis quoq; cũ ferè

*Abſtinentia & vita auſteritate admirabilis.*





ſemper ieiuniis incumberet: Quadrageſimas tamen S. P. Franciſci, tanta victus abſtinentia celebrare ſolitus erat; vt in iis nullum ſibi, præterquàm panis, & aquæ cibum adhiberet.

VIII. Cùm primùm Fulginij S. Valentini Monaſterium extructũ fuit; in eo Bernardus ad Guardiani officium electus, tanta auſteritate, ac tenuiſſima victus ratione cum tota Familia vitam inſtituit: vt cùm aſſiduis laboribus, ac vigiliis Corpus defatigarent; pani tamen ad ſummum fructus, ad quotidianum victum, interdum adderent. Frigebat caminus, qui ignem ad cibaria excoquenda ignorabat: neque vlla à popinæ Præfecto ad fercula, aut prægustanda, aut paranda diligentia exquirebatur; vbi hortus, vel allia, vel cæpas, vel aliud herbarum genus, abſque popinæ miniſterio, ſpontè miniſtrabat. Cùm etiam vini vſus, prima illa naſcentis Reformationis tempeſtate, tam parcus eſſet: vt illud tantummodò ad ægrotorum, ac debilium neceſſitatem ſubleuandam miniſtraretur: his Abſtemiorum menſa erat; quæ ſtomachos non feruere, non tumere, non ructare, non ſpumare cogeret; ſed hauſta è liquidis fontibus aqua, ſitim ſedaret. Stupebant Fulginates Ciues; neque diuturnum illud vitæ genus eſſe poſſe exiſtimabant; quod tam aſperum ac violentum, communem hominum vitam excederet. Quod cùm Bernardo ſæpè obiicerent. His illis ſapienter reſpondere ſolebat; naturam modicis contentam longè iucundiùs paucis, quàm multis ſuſtentari. Vitam enim (aiebat) parcam, & modeſtam, & terræ frugibus contentam, & ab animalium cædibus abſtinentem, priſci illi homines, qui propiùs ab Orbis natiuitate abfuerunt, proculdubio coluêre: quibus ea olim & iucunda, & diuturna erat. Vnde, quæſo, tot morbi? tot ſtomachi languores? tot capitis dolores? tot denique morborum genera in humanum genus, præterquàm ex dapum affluentia; ac varietate inuecta ſunt? Vox olim Philoſophi fuit. Quicquid auium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepeliri ventribus. Quære nunc, cur ſubitò moriamur? Quia nimirum mortibus viuimus. Panem & aquam natura deſiderat; intra quæ quiſquis deſiderium ſuum claudit, profectò cum Ioue de felicitate contendit. Haud ignotum nos callem terimus, aut per deuia, ac inſolita gradimur. Tot nos ſancti, ac illuſtres homines, viæ duces, præceſſerunt: vt planum, hoc ac iucundum, nedum violentum nobis iter eſſe poſſit.

*Pro victus frugalitate & abſtinentia pugnat.*

Senec. 10. Rhetor.

*Gula Fames inſatiabilis.*

IX. Hoc modo Bernardus, cæterique illius æui Patres; cùm in ſumma, ac voluntaria rerum paupertate vitam ducerent; ibi altiſſima Religionis fundamenta iaciebant; vbi nulla domus ſuper edificandæ ruina timeri poſſet. Mira erat huius Viri, in primæua illa Congregationis paupertate, ac ſimplicitate ſartatecta ſeruanda, ſollicitudo: Quamobrem cùm ſemel in Conuentu Camerini paruum quendam ini Cadum animaduertiſſet; perinde ac ſi violata paupertas eſſet; protinus ad Guardianum feſtinans: Pater (inquit) quid eſt? quòd in Conuentu nouum, ac inſolitum conſpicio? Cadum nimirum vini; quo Religionis paupertas, ac ſimplicitas in diſcrimen vocantur, ac rerum prouiſio in Ordinem inuehitur? Hactenus ſolis lagenis, ſine Cado res peracta eſt: iam verò ſi ad cados, & rerum prouiſionem ventum eſt; citò hinc mihi tranſmigrandum eſt: abſit enim, vt ibi diutiùs maneam, vnde paupertas exulare incipit. At Guardianus Viri zelo plurimùm gauiſus. Non te, Bernarde, (inquit) Vini Cadus turbet: neque enim is familiæ, ſed aduenarum hoſpitum tantummodò vſui inſeruire debet, qui ad Capitulum Generale hâc tranſeuntes, proficiſcuntur: quibus cùm lagenæ ſufficere nequeant, ne charitati minus ſatisfiat, Cado vti neceſſe fuit: hac verò neceſſitate ſublata ad Dominum ſuum Cadus redibit. Huic cùm rationi Bernardus acquieuiſſet, protinus ad Guardiani pedes proſtratus, ſe coram illo iniquæ cogitationis accuſat. Nullus denique vnquam tam auri cupidus, quàm hic paupertatis amicus fuit: quo fit, vt Euſebius Generalis ſæpè dicere ſoleret; plurimos quidem ſe in Prouinciarum viſitatione, ſanctos Fratres

*Paupertatis illius zelus exemplo oſtẽditur.*

offendiſſe; ſed qui Bernardo ſtudioſiùs paupertatem proſequeretur, fortè neminem.

Humilitatem quoque paupertatis amicam, tam antiquo ſibi fœdere copulauerat; vt cùm primùm ſe Capucinorum Congregationi adiunctum conſpexit: protinus in tam profundam mentis, ac ſuiipſius exiſtimationis deiectionem deſcenderit: vt ſe tot Sanctorum Fratrum numero, ac ſocietate indignum iudicaret. Quo fiebat, vt cunctos velut maiores, ac dominos: ſe verò velut omnium viliſſimum Seruum, ac mancipium exiſtimans, vniuerſis obſequeretur; ac viliſſima quæque Conuentus officia hoc animi ſenſu amplecteretur. X.

*Ipſius quàm profunda Humilitas.*

Charitate etiam erga Fratres, præſertim ægrotos ita præcelluit; vt propterea ægrotorum curæ, vt plurimùm, præficeretur: cui muneri cùm incredibili diligentia, ac charitate incumberet; haud tamen ab orandi ſtudio animum auocabat: cui poſt Aegrotorum curam tanta ſollicitudine vacare ſolebat, vt pleraſque diei, ac noctis horas in oratione inſumeret. Nihil æquè, ac iugis Dominicæ Paſſionis meditatio, huius Sancti Viri animum recreabat; quàm cùm ſæpè lachrymis perfunderet: hinc ſolitaria loca, orationis amica, ſemper quærens, à Fratrum conſortio (quoad fieri poterat) abſtinebat. Dum ſemel in Oratione lachrymas funderet, ac Deum pro ſuis delictis exoraret: Beatiſſima Virgo, quam is ſingularem ſibi apud Deum Patronam elegerat, eidem apparens; plenam ſe illi à Deo peccatorum ſuorum remiſſionem impetraſſe ſignificat: quo nuncio tantùm animo voluptatis concepit; vt nihil deinceps, præterquam diuinas laudes occineret. Erga ſæculares viros præcipua quadam charitate flagrans, eorum calamitatibus tam mirè afficiebatur; vt non modò ipſe lachrymas ad Deum pro iis funderet: verùm & ceteros Fratres, ea potiſſimùm ratione, ad eos orationibus adiuuandos propelleret; quòd eos inter ſæculi tempeſtates, atque æternæ mortis pericula verſari affirmaret; quibus orationum ſuffragia ex charitate debeantur. Corporalibus quoque eorum anguſtiis ita animo commouebatur; vt haud ſecus, quàm ſi vel ab eo geniti, vel carnis conſanguinitate ſibi coniuncti eſſent, illorum calamitates defleret. Hæc intima erga proximos charitas, ac compaſſio, quæ Viri Dei viſcera depaſcebatur, quàm Deo accepta fuerit, illuſtre miraculum declarauit. Cùm enim Colmenzoni Conuentus adhuc integer ſtaret: Bernardus in proximùm Caſtellum à Guardiano, ſub occaſum Solis miſſus, vt panis eleemoſynam poſtridie ab incolis peteret; necdum ſe ad quietem receperat: cùm ingentem inter ipſa noctis ſilentia, mulierum eiulatum audit. Percunctatur Vir Dei, quid ille eiulatus mali præſeferat? auditque mulieris cuiuſdam filium, qui vnicus illi erat, tunc è viuis exceſſiſſe. Mox Bernardi viſcera commoueri; mox orbatæ matris caſum commiſerari; mox & ipſe in lachrymas erumpere; tum ſecreto cubiculo concluſus, totam illam in oratione noctem inſomnem ducere: in qua pro puero orans, à Deo tandem exaudiri meretur: Vix enim mane illuſceſcente, defunctum puerum clam ad ſe deferendum curat: clauſóque cubiculi oſtio, vbi ſecretò pauliſper orauit; mox è cubiculo prodit, puerúmque rediuiuum inter brachia geſtans, matri ſuæ præ gaudio exultanti reddit. Præter hæc, alia quoque miracula, ſigno Crucis ab eo edita narrantur; quæ ſola fama nobis, apud noſtra Ordinis monumenta, teſtata relinquit: quibus illud ſanctitatis nomen apud omnes comparauerat, vt velut Sanctum haberent, ac ſancti Patris nomine nuncuparent. At Deus Opt. Max. qui illum ex omni carne elegerat, & optimis gratiæ ſuæ donis Sanctum præſtiterat: cùm tandem immortalis gloriæ ſtola induere, & nomine æterno hereditare vellet: poſt diutini languoris probationem, qua illius virtus perſpecta fuit; hoc anno è Conuentu Camerini, ad puriorem Cæli auram feliciori vita donandum euocat. XI.

*Orationis ſtudio plurimũ vacat.*

*Plenam peccatorum remiſſionem B. Virginis ſuffragio obtinet.*

*Perfecta illius Charitas commendatur.*

*Mortuum viduæ filium ad vitam reuocat.*

*Camerini in cæleſtem patriam concedit.*

Poſt Sancti Viri obitũ Mulier quædã, quæ Bernardũ viuẽtem ſingulari deuotione proſecuta fuerat; cũ graui anguſtia premeretur: Dei opẽ fuſis lachrymis in oratione XII.

implorans,



implorans, Beati quoque Viri merita ſibi ſuffragari poſtulabat. Cui Chriſtus Saluator apparens, cùm nullum ei reſponſum præberet; neque ad eam viſum deflecteret; illa ad Bernardum confugiens, eum ardentiùs inuocat. Adeſt repentè oranti Bernardus, lugentémque mulierem conſolatus, liberationem illi à graui illa ærumma à Domino impetrat.

*Poſt mortem mulieri apparet, eámque ab afflictione liberat.*

XIII. Tertius quoque hoc tempore, in Conuentu S. Petri Porcariæ, ſeu Aqueſpartæ, ex humanis migrat F. Egidius Turrianus, Sacerdos, dum in Vmbriæ Prouincia Vicarij Prouincialis munere fungitur. Vir fuit multis, ac præclaris virtutibus ornatus, Regularis obſeruantiæ propugnator accerrimus, atque orationis cum primis ſtudioſiſſimus, cui poſt Matutinas Horas vacare, perpetuum illi, ac velut legitimum ſempiternum erat.

*F. ÆGIDII TVRRIANI, Vita & geſta enarrantur.*

XIV. Is Peruſiæ, Monialium S. Claræ, quæ Capucinæ nuncupantur, Monaſterium extruendum curauit; quibus etiam adminiſtrationis modum, quo vti deberent, præſcripſit. Hic dum in Peruſino Conuentu Guardiani onus ſubiret; ſæpè cum pauperculo quodam Lanifico colloqui ſolebat; quem cùm ad pietatem inſtrueret, inter alia eleemoſynam illi in pauperes commendabat his verbis: Fili mi, ſi parùm tibi eſt, parùm da; ſi multum, multũ pauperibus diſtribue: cuncta enim Deus tibi cũ fœnore reddet. Hęc, Vir ille ad pietatẽ procliuis, haud ſibi animo excidere paſſus: quotidie obolum pauperi erogabat: ex quo cùm rem familiarem ſibi in dies augeri animaduerteret; copioſiorem quoque ipſe eleemoſynam, iuxta facultatum copiam, egenis largiebatur: Deo verò liberaliùs ſe erga illum habente, cùm vſque adeò illius opes excreuiſſent; vt ex famulo, Lanificij operis caput, ac mercator euaderet. Hoc tempore accidit; vt ob anni ſterilitatem, ingens penuria totum Peruſinum agrum occuparet, quæ huius Viri pietatem permouit; vt maiorem, atque ampliorem in pauperes munificentiam oſtenderet: Hoc enim tempore, cùm maxima pauperum turba quotidie ad ipſius domum conflueret, is cunctis abſque diſcrimine, panem, & vitæ neceſſaria miniſtrabat. At verò Satan tantæ Viri pietati inuidens, vxorem commouit, vt ſub prudentiæ, ac diſcretionis prætextu Viro perſuaderet; vt nec tã diffusè nec indiſcriminatim; ſed quodã habito delectu pauperioribus, atque iis, qui maiori neceſſitate premerentur, eleemoſynę diſtribuerentur. At Vir, qui Dei beneficia in ſe collata ſibi altè animo infixerat; vxorẽ ab ea cogitatione, quã Satanæ conſiliũ, atque artẽ appellabat, prioris paupertatis memoria reuocare conatur. Cùm verò illa in ſua animi ſententia perſtaret. Quid contentione opus eſt? (inquit.) Tu tibi ſaccum pane refertum ſume: eumque prudenter, iuxta tuæ diſcretionis regulas, diſtribue: Ego alterum æquæ magnitudinis, egenis meo ſenſu diſtribuam: tum quæ melior, meane, an tua ſentẽtia ſit, rei exitus declarabit. Re ita cõpoſita, cũ mulier maximo cum conſilio, ac circumſpectione panem ſuum paucis erogaret: Vir contrà cunctis abſque delectu poſcentibus ſuũ tribueret; Dei virtute factum eſt; vt Mulieris ſacco breui conſumpto; Viri panis nec poſt diuturnum tempus in ſacco deficeret. Quo miraculo vxor ſtupefacta, Viro protinus conſenſit; liberaliórque ipſa in pauperes euaſit. Id cùm Vir ille Ægidio retuliſſet: Vides (inquit Ægidius) quàm te Deus erga pauperes liberalẽ eſſe velit; cùm tam liberaliter munificentiam tuam erga pauperes remunerat. Multis tandem in Vmbriæ Prouincia inſtituenda, propaganda, illuſtranda, piis laboribus perfunctus; in Conuentu Porcariæ, ſiue Aquæſpartæ ſancto fine extremum diem claudit.

*Peruſiæ Capucinorum Monaſterium extruit.*

*Lanificum ad pauperum charitatem inſtruit.*

*Pauperum eleemoſyna Miraculo comprobatur.*

XV. Trigeſimo ſecundo poſt ipſius obitum anno; cùm ſepulchrum, in quo is conditus fuerat, apertum eſſet; vt in eo alterius Fratris defuncti cadauer reponeretur: ipſius Corpus ita integrum, & incorruptum apparuit, quaſi eo die tumulatum eſſet: quo ſanè & Viri Dei ſanctitas manifeſta fuit; & maior Deo omnipotenti gloria acceſſit: qui cùm Seruorum ſuorum Animos cæleſti gloria coronet, Corpora quoque in diuinæ amicitiæ ſignum, diu incorrupta ſeruat.

*Poſt trigeſimum ſecundum ab obitu annum ipſius Corpus integrum reperitur.*

XVI. Hoc anno die 21. Septẽbris, qui dies B. Matthæo Apoſtolo fuit ſacer: Carolus V.

ANNVS CHRISTI. PAVL. IV. CAROL. V. ET FERD. I. IMP. REL. CAPVC.
1558. 4. 40. 1. 34.

Imperator; cùm biennio antè abdicata imperij poteſtate, ac rerum omnium temporalium curis ſolutus; quò liberiùs ſibi, ac Deo vacare poſſet, in Ferdinandum Fratrem imperium tranſtuliſſet: glorioſiſſimam vitam, ac multarum rerum præclarè geſtarum ſplendore illuſtrem, cum morte commutauit.

XVII. Id poſtremò hîc adnectere lubet, quod Deus benigniſſimus, ad pia illorum ſtudia confirmanda, qui Quadrageſimale Epiphaniæ ieiunium, à B. P. Franciſco in Regula inſtitutum, tametſi nulla lege præceptum, obſeruant; circa hæc tempora oſtendere voluit. Cùm enim in quodam Vmbræ Prouinciæ Conuentu, hanc Epiphaniæ Quadrageſimam, quæ ob Dei benedictionem, quam S. Pater ieiunantibus pollicetur, Benedicta appellari ſolet; Guardianus, ac tota ſimul Familia religiosè cuſtodiiſſent; iam dies extremus aduenerat; quum Fratres benedictionem de more genuflexi à Guardiano poſtulant: quibus Guardianus his verbis reſpondet: Filij, ſiquidem B. P. noſter Franciſcus, hanc Quadrageſimam ieiunantibus, Dei benedictionem precatur; illis verbis. *Sanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania vſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo Sancto Ieiunio conſecrauit; qui voluntariè eam ieiunant, benedicti ſint à Domino*; haud meum eſt, ſed Dei tantummodò hanc vobis benedictionem impertiri: quapropter ſatiùs eſt; vt vnà omnes in Eccleſiam conuenientes, ad Chriſti Saluatoris pedes proſtrati, eam nobis ab eo fuſis precibus exoremus. Acquieſcunt omnes, deuotè Eccleſiam petunt: cunctiſque ante ligneam Crucifixi ſtatuam, quæ altiùs ſupra Presbyterij cancellos eminet, procumbentibus: Guardianus quinquies Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem perſoluendam indicit: qua perſoluta; prior ipſe Guardianus, tum cæteri omnes vocem, *Benedicite*, conclamantes, à Domino benedictionem poſtulant. Planè mirabile dictu! Dextra illius Crucifixi manus, magno cum fragore è Cruce ſoluitur; protenſóque Crucis ſigno illis benedicit: qui cæleſti omnes ſuauitate repleti, ac vberes præ voluptate lachrymas effundentes, Domino gratias agunt; quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

*Epiphaniæ Quadrageſimam Ieiunantes à Domino benedicuntur.*





ANNVS CHRISTI. PAVL. IV. FERD. I. IMP. RELIG. CAPVC.
1559. 5. 2. 35.

I. ANNVM Thomas Generalis iam in Thuſciæ, ac finitimarum Prouinciarum viſitatione expleuerat: cùm hoc anno Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono profectionem, ad Genuenſem Prouinciam parat: quæ cùm eo tempore ob præſtantem Superiorum adminiſtrationem; qui in ea virtute præcellebant, plurimùm Regularis diſciplinæ zelo, atque obſeruantia floreret; vix Generalium viſitationem expoſcere videbatur. Quo fiebat, vt priores Generales in ea neque integram, neque magna ex parte Conuentuum viſitationem inſtituerent. Thomas verò, qui ſe puſillo huic Gregi à Domino præpoſitum intelligebat; vt vniuerſi pecoris ſui vultum agnoſceret: quò pleniùs muneri ſuo ſatisfaceret, cùm primùm Genuam appulit, inde per omnia illius Prouinciæ; quæ antequam in duas diſſecaretur, ampliſſima erat; loca ſe diffundens: Tranſpadana, & Ciſpadana, & quæ in Pedemontana Galliæ ſubalpinæ Regione iacent, & quæ ad vltimos vſque Ligures, interiectis Marium ſpatiis, diſtant, pedeſter penetrat. Quo tempore Bugellæ Monaſterium Comitis cuiuſdam à Puteo, Viri pij liberalitate; qui tot agri iugera, quot Conuentus ædificationi neceſſaria erant, in hoc opus erogat, à noſtris extruitur. Porrò accuratiſſima hæc Thomæ viſitatio plurimùm huic Prouinciæ, tum ob ſingularem Viri prudentiam, tum etiam ob præclara vitæ exempla, quibus cæteris prælucebat, ad Regularis obſeruantiæ incrementum contulit. Vix enim credibile eſt, quantum ipſe Paſtoris conſpectus, floreſcentibus etiam rebus, ad Gregis incolumitatem, tum conſeruandam, tum augendam, vim adferat. Antiquum enim adagium eſt: Domini aſpectu equum pingueſcere. Nec quiſquam ignorat, Superioris præſentia ſubditum ſemper meliorem fieri: Nam quemadmodum in præliis videmus, generoſiſſimos quoſque milites fortiùs, alacriúſque manum cum hoſte conſerere; cùm ſe vel à Duce, vel à Rege conſpici animaduertunt: & ſi qui in iis ſegniores, aut timidiores ſunt, Imperatore perſpecto, ad prælium animari. Ita qui in ſpirituali vitiorum, ac virtutum conflictu, Superiorem velut Ductorem ſæpè viſitationi incumbentem conſpiciunt; cùm ab eo & præſtantiora virtutum exempla, ac Regularis vitæ præcepta hauriant; ardentiùs profectò ad perfectionis ſtudium animantur: & ſi qui in Religioſæ vitæ diſciplina negligentiores ſunt, Paſtoris præſentia, tanquam ſtimulo excitantur.

*Thomas Generalis Genuenſem Prouinciam viſitat.*

*Bugellæ Cõuentus extruitur.*

*Quam vtilis, ac neceſſaria ſit Superiorum viſitatio expenditur.*

II. Dum itaque Thomas paſtorali hac diligentia, ac ſollicitudine, quæ ſui muneris ſunt, in Prouinciarum viſitatione præſtat, Fr. Petrus à Martina Sacerdos, Patria Hidruntinus, ac Rudiorum Conuentus Guardianus, depoſitis mortalitatis exuuiis, ad immortalium Sedes permeat.

## *FR. PETRI A MARTINA.*
### *Vita, & Geſta.*

*FR. PETRI A MARTINA, Vita, & virtutes exarantur.*

III. MIrabilis planè hic Vir fuit, ac tot virtutibus clarus, vt meritò nomen ipſius in Sacris tabulis conſcribendum, neque vlla vnquam obliuione delendum ſit. Hic honeſtis parentibus Martinæ, Salentinorum Oppido, progenitus; cùm ad iuuentam perueniſſet: fortè accidit, vt rixa cum Riuali excitata, ab eo haud

leue vulnus acceperit. Interea verò dum Phyſicorũ opera vulneris curationi vacatur: is varia animæ, corporiſque pericula mente obuerſans; animi vulnus curandum cogitat. Quare hoſte accerſito, vltrò illi iniuriam, atque illata damna condonat: veniámque viciſſim ab eo quærens, priorem cum eo amicitiam inſtaurat. Tum verò ſecum de cauendis mundanæ conuerſationis periculis, conſilium init: quod vbi integrè è vulnere conualuit, nulla mora interpoſita, reipſa exequitur; dum ad Minorum Obſeruantium Familiam, in quam duos ante germanos Fratres præmiſerat, adſcribi feſtinat. Paucos in ea Religione annos exegerat; cùm Capucinorum Congregatione, iam apud Calabros, ac Salentinos dilatata, Petrus ad perfectiorem Regulæ obſeruantiam anhelans, cùm iam Sacerdotio iunctus eſſet, anno 1535. ad Capucinos ſe confert: vbi tam præclaram in ſuiipſius abiectione, proprio contemptu, humilitate, abſtinentia, auſterioris vitæ cultu, perpetua oratione, charitate, ac cæteris virtutibus vitæ tyrocinium inſtituit; atque ad eum Euangelicæ perfectionis apicem conſcendit; vt apud omnes ipſius ſanctitatis fama percrebreſcente, frequentiſſimè illi Nouitiorum cura, & inſtitutio à Patribus credita fuerit. Huic dum muneri diligentiſſimè incumbit: vix credibile eſt, quantas à Dæmone moleſtias perferat; qui cùm variis modis, nunc ſtrepitu excitato, nunc editis vocibus, ac ſuſurrationibus eum ab oratione auertere conarentur: nihil tamen ab eo, præterquam ardentiora orationum iacula, quibus ij confoderentur, ſibi comparabant. Mira huius ſancti Viri in educandis, ac inſtruendis Nouitiis diligentia, ac ſollicitudo erat: quam cùm Satanas moleſtiſſimè ferret: eidem in Rudiorum Conuentu aliquando per hortum deambulanti, viſibili forma apparens, poſt ingeminata tripudia, velut ex triumpho exultans, ait: Iam nunc, quantum potes, enitere; profectò prohibere non poteris, quin vnum tibi, te inuito, hac nocte Nouitium rapiam. Cui Petrus: Confundat, inquit, te Deus, Satan. Mox Nouitios omnes accerſens, eos longo ſermone admonet, Satanæ tentationibus reſiſtere; orationibus ſeipſos præmunire, atque à Diabolicis technis cauere: tum Monaſterij fores omnes occludi, clauéſque ad ſe deferri iubet. Cunctis igitur ſomno deditis, ſolus vigilabat Magiſter; cùm in ipſo noctis profundo, Conuentus tintinnabulum pulſari audit: Tum protinus excitato Ianitore, cum eo ad ianuam accurrit: vixque oſtium aperuerat, cùm Hominem atris veſtibus indutum, atque equo inſidentem ante ianuam offendit: qui cùm Nouitium in equi clunibus geſtaret, Petro ait: En Petre, tibi raptum Nouitium mecum veho: ac dicto citiùs equi armos calcaribus fodiens, ab illius ſe oculis ſubripit. Mox Petrus vniuerſos Nouitios explorans, vnum ex his ea nocte aufugiſſe, & ad ſæculum rediiſſe comperit.

*Ex vulnere cõuerſionem colligit.*

*Ex Obſeruãtium Ordine ad Capucinos migrat.*

*Nouitiorum Magiſter inſtituitur.*

*Dæmon Nouitium iterum ad ſæculum compellit.*

IV. Omnes Satan neruos intẽdebat; vt huius Sancti Viri orationes, quibus is mirum in modum cruciabatur; ac præſertim, dum Sacroſancta incruenti ſacrificij myſteria celebraret, modis omnibus interturbaret. Quamobrẽ cùm is ſemel Sacrũ Miſſę Sacrificiũ offerret: Dæmon à Siniſtro Altaris cornu, quaſi Pſalmos obmurmurans bs, bs, bs, in ipſius aures perſonabat: quo murmure eum ab attenta Sacrificij oblatione auocare nitebatur. Cui Petrus: Quomodo, inquit, huc accedere audes mala beſtia, vbi Domini adeſt præſentia? At verò ad eum Dæmon: Quid iſtud miraris? An non ego iuxta Crucem ſtabam, atque operam meam Miniſtris exhibebam, cùm is olim in Crucem ageretur? Tot membra mea hîc adſtant, ac perſæpè ipſum Dominum tractant, cur & id mihi eorum capiti non licebit?

*Sacra Celebrantem Dæmon interturbat.*

Neque his contentus ſæuus omnium bonorum hoſtis; frequenter etiam Dei Seruum (Deo idipſum ad maiorem ipſius probationem, & coronam permittente) verberibus, ac flagris oppetebat. Verùm nec mitiùs Petrus in Dæmonem agebat: cùm eum duriùs ſuis orationibus flagellaret, atque ex hominum tum animis, tum corporibus pelleret. Quod nonnullis exemplis exploratum fuit, in quibus hoc inter alia probatum refertur.

*A Dæmonibus verberibus cæditur.*

V. Anus quædam, familiari Dæmonis opera vtebatur; quæ cùm nonnulla, quæ





in Conuentu Potentiæ, quem tunc Petrus moderabatur; Fratribus occultiſſima erant, detexiſſet: Virum Dei permouit, vt eam in Dei nomine adiuraret; vt, ſi quod illi cum Dæmone pactum eſſet, aperiret. Principio quidem abnuit Mulier factum detegere: at in Dei nomine adiurata narrat; ſe aliquando, cùm nimio labore defatigata eſſet, Dæmonem in ſui laboris ſolatium inuocaſſe, qui cùm primùm illi adfuiſſet, opémque actutum præſtitiſſet; pacto cum eo inito, illius ſe deinceps ſemper opera vſam, ac pleráque ab eo paſſim occulta didiciſſe ait. Id vbi Vir Dei perſpectum habuit: quum primùm Mulierem ad ſceleris pœnitentiam prouocauit, illius cum Dæmone pactum, eo licet reluctante, reſcindit: Dæmonémque ab ipſius poſſeſſione, ac imperio frementem deturbat.

*Dæmonem à Muliere pellit.*

VI. Nihil Seruo Dei iucundiùs, nihil frequentiùs, quàm orationis ſtudium erat, in qua, & rerum diuinarum ſibi arcana ex Dei benignitate pandebantur; & præſtantiſſimis Dei donis potiebatur. Id ſæpè Fratribus manifeſtum fuit: tum maximè, cùm in Conuentu Rudiorum, apud Aletinos, Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum munere fungeretur. Quo tempore, dum quadam die ſub Veſperum, Eleemoſynarij à mendicatione redeuntes, ab eo de more benedictionem quærunt: Petrum in Eccleſia orantem, & candidiſſima nube ſeptum conſpiciunt; quæ illis accedentibus euanuit; quo id planè indicabatur, ipſius tunc mentem, totam in diuinæ lucis caliginem transfuſam eſſe. Hinc ſæpè fiebat, vt Deo reuelante, pleraque occulta agnoſceret, ac nonnunquam futura prænunciaret.

*Orans candida nube ſeptus cernitur.*

VII. Dum in Conuentu Potentiæ, in quo is Guardiani munere aliquando functus fuit: quodam mane cum Fratribus in Choro Primam Horam perſolueret; Vix horam inchoauerant; cùm ex diuina reuelatione accipit, nonnullos homines, qui mutuas inter ſe ſimultates gerebant, haud longè à Conuentu, ſtrictis enſibus ad necem vſque digladiari: quamobrem mox intermiſſa Hora, Fratres compellit: vt eò confeſtim omnes accedant, mutuámque illam cladem auertant: ne verò ob cœptas Dei laudes Fratres à pietatis opere retardarentur: Eamus (inquit) filij, nec vereamur cœptum Dei opus, vt tantum ſcelus impediamus, deſerere: etenim Deo gratius eſt, tot animas Orco eripere, quàm ipſi laudes, iis neglectis, perſoluere. Ad locum igitur feſtinant; digladiantes homines offendunt; quos Vir ſanctus non modò à mutua internecione auocat, verùm & ad reconciliationem, reciprocámque beneuolentiam compellit.

*Quoſdam à mutua cæde, Deo reuelante, reuocat.*

VIII. Illud quoque admirabile diuinæ benignitatis teſtimonium, in hoc Conuentu, eo, Guardiano enituit. Nam cùm aditis omnibus ad mendicationem magnaniuis copia obſtructis, Fratres extrema victus inopia laborarent. Petrus omnes ad Deum iubet refugere, & ab illius prouidentia pendere. Adhuc orationi inſtabant; cùm ianua pulſatur, mulúſque pane, vino, & aliis onuſtùs, in ipſo oſtij limine cernitur: cuius cùm neque in niue veſtigia conſpicerentur; neque vndè eò appuliſſet, cuiquam exploratum eſſet: manifeſtum diuinæ liberalitatis miraculum ſupremis laudibus efferentes, dapes è Cælo miſſas recipiunt, & diuinam cuncti benignitatem commendant.

*Petro orante, Deus fratribus in ſumma egeſtate è Cælo prouidet.*

IX. Præter hæc, aliis quoque Deus Seruum ſuum, miraculis illuſtrem eſſe voluit: in quibus præclarum illud memoriæ traditum eſt. Quo tempore Vir Dei Potentiæ Monaſterio præerat, anno ſcilicet ſalutis noſtræ 1558. accidit; vt non longè à Potentiæ Vrbe quidam vaſtæ magnitudinis Serpens, iuxta Comitis Potentiæ prædium, in quodam Montis antro deliteſceret: ex quo ſæpè emergens, quamplurima pecoribus, atque armentis, interdum etiam hominibus damna inferebat. Ea re cùm & Comes, & incolæ grauiter afflictarentur; atque eò maximè, quòd omnibus iam machinis ingentis illius belluæ internecione tentata, in iis fruſtra operam inſumpſiſſent: ex quo omnem tanti mali euadendi ſpem animo abiecerant. Comiti

*Vaſtæ magnitudinis Serpens armenta deuaſtat.*

haud ignota erat Petri Sanctitas, quam fama vbique peruulgauerat; cui haud difficile fore arbitrabatur, tanto huic malo mederi: Quapropter ad Virum Dei confugiens, ab eo ſummis precibus poſcit, vt deſolatis rebus aliquod à Deo remedium poſtulet. Tam commune malum pia Petri viſcera ita commouit; vt ſuam apud Deum Comiti operam polliceretur. Mox diuinam clementiam piis clamoribus excitat, orationibus pulſat, lachrymis ad miſericordiam compellit: tum verò diem decernit, quo ipſe ad Serpentem pergere, & cum eo ſola Dei virtute pugnare ſtatuit. Adfuit ſtata dies; cùm Petrus, poſt Sacra Myſteria Deo oblata, diuina virtute armatus, ad locum pergit: rupem, quæ è regione antri eminebat, cônſcendit: ibique orans Serpentem egredientem expectat. Eò quoque Comes conuenit, armata hominum caterua ſtipatus; innumera præterea plebs ad ſpectaculum confluit: vt eò illuſtrior, & Dei virtus, & Petri Sanctitas ſe proderent; quò plures aſpectantium ſibi oculos vendicarent. Dum igitur in Rupe Vir Sanctus ardentiùs orat: Deus Opt. Max. cui & præclara Serui ſui, apud ſe merita cunctis declarare, & afflictæ plebis animos in meliorem ſpem inducere, propoſitum erat: Virum Dei, toto ſpectante populo, in aëra efferri; ac pleriſque cubitis altiùs è Rupe diuina virtute extolli voluit: vt intuentium animos, ad diuinum opus, quod ab illo patrandum erat, attolleret. Interea è ſpecu Serpens erecto collo, tumida ceruice, ardentibus oculis, multóque ſtrepitu, ac ſibilo, horribilis erumpit. Mox horrere omnes, trepidare animo, fugam parare. At eum ſimulàtque Vir Dei animaduertit, protinus è rupe deſcendens, ad eum intrepidus pergit: Crucis ſigno aggreditur: Vocis imperio domat; funéque, quo præcinctus erat, ad illius collum alligato, domeſticum, ac manſuetum reddit. Stupent omnes, diuinámque in Viro Dei virtutem agnoſcentes, rei exitum præſtolantur. At Petrus alligatum Serpentem ad Comitem ducit: qui illius magnitudine, & aſpectu exterritus, cùm ab eo fugam meditaretur, à Dei Viro confirmatus; propiùs ad Serpentem accedit; mitem accipit; Dei potentiam, ac Petri ſanctitatem commendat; ac tandem bombardarum ictibus interficiendum curat. Hoc pacto cùm Deus inſignem Petri ſanctimoniam, tam celebri miraculo illuſtrare voluiſſet; breui etiam illum poſthæc è mortalium numero, ad immortalium cœtum euocandum præmonet: quod is hoc anno, dum in Conuentu Rudiorum Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum munus adminiſtraret, Fratri Euſebio Tarentino indicat: cui quintadecima ante ſuum obitum die; cùm iam ægrotus in lecto iaceret; à B. Virgine ſibi apparente didiciſſe ſignificat: vnum ex illius Conuentus Familia, intra quindecim dierum tempus, ex humanis exceſſurum. Accidit verò hoc ipſo tempore, vt Frater quidam Bonauentura Petri ipſius Germanus, qui in Minorum Obſeruantium Ordine prædicationis Officio præcellebat, ad eum inuiſendum accederet: quem cùm Petrus pia, ac fraterna planè confidentia fretus rogaſſet: vt exhortationis ſermonem, quem ipſe, ob morbi moleſtias, impendere non poterat, Nouitiis proponeret. Ille accitos in hortum Nouitios ad virtutis profectum, ad animi conſtantiam, ad Religionis amorem pluribus verbis hortari cœpit: quibus tandem hæc ad perorationem attexuit. Videte Fratres vocationem veſtram, quia non multi Nobiles, non multi Potentes, non multi Sapientes; ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus in hac Capucinorum Religione, vt confundat fortia. Quapropter manete in vocatione veſtra, gratias Deo agentes, qui vos vocauit in partem ſortis Sanctorum, vt eſſetis initium aliquod creaturæ eius. Quanquam ſi verum fateri lubet, maximas ego ſemper animi delicias, ac plenam cordis voluptatem in Obſeruantium Ordine repererim: qui S. Bernardini, B. Ioannis à Capiſtrano, B. Iacobi Picentis, ac tot aliorum Sanctorum, ac Beatorum hominum ſplendoribus emicat; quibus noua Capucinorum Religio prorſus deſtituta eſt. Poſtrema hæc hortatoris verba, velut iacula quædam veneno illita, teneros Nouitiorum

*Petrus orans in aëra effertur.*

*Serpentem ſigno Crucis domat, & alligat.*

*Pleriſque diẽ ſui obitus prænunciat.*

*Nouitij Bonauenturæ Sermone à Religione auocantur.*





animos Religionis illius appetitu ſauciarunt, quo ab inſtituta Capucinorum vita auocabantur. Quo fit, vt graui hinc tentatione illis exorta, ac Diabolo malum ſub boni ſpecie ſuggerente, vniuerſi à Religione diſceſſum cogitarent. Id porrò cùm vultus, qui animi index eſſe ſolet, triſtitiæ ſignis indicaret: Petrus inſolitam in his mœſtitiam animaduertens, protinus ab iis cauſam ſciſcitatur: qui cùm à principio eam celare ſtuderent, ab eo tamen, ſeriùs admoniti: Serpentem in ſilentio mordere: Diabolíque tentationes earum taciturnitate augeri; eam tandem eſſe cauſam aperiunt, quòd ex Bonauenturæ verbis didiciſſent, magnam in Obſeruantium Ordine Beatorum copiam florere, quibus Capucinorum Religio caret: ex quo omnes ad Obſeruantes accedere, ſibi in animum inducerent.

At Petrus, hoc eorum vulnere detecto, ſubridens ait. Filij, hæ paruulorum ſagittæ ſunt, quibus veſter omnium animus ſauciatur. Neque enim Sanctorum, ac Beatorum multitudo, quibus olim Religio fœcunda fuit; ſed præſens Religionis ſtatus, tum Regularis Obſeruantia, tum etiam ſedulæ virtutum exercitationes ſpectandæ ſunt, quæ vbique in Religione vigent: Hæc vos, non priſcorum Beatorum copia, ad Religionis amplexum debẽt compellere. Quid enim præclara Maiorum geſta, aut clariſſimorum Virorum ſeries longo ordine digeſta, poſteros iuuant: ſi ij ab eorum virtute degeneres, longè ab illorum, quos laudibus efferunt, dignitate abſint? deteriorémque rerum ſtatum aſſecuti ſint? At nec Capucinorum Religio adeò Sanctis, ac perfectis Viris deſtituta eſt; quin plures huiuſmodi in Cælo cum Deo regnantes habeat: plurimos quoque etiamnum viuentes in ſinu alat, qui prioribus illis, perfecta apud Deum ſanctitate, haud quaquam inferiores ſunt. Id poſtremò, filij, ad veſtrum hîc ſolatium addam, quod diuinitùs mihi ſignificatum fuit: nimirum tres in hoc Conuentu electiſſimas Dei animas eſſe, quæ intra quindecim dierum ſpatium, Cælum conſcenſuræ ſunt. His cùm eos dictis animo recreatos, atque ab ea tentatione liberos dimiſiſſet; rei euentus dicta probauit. Nam poſtridie illius diei, Laïcus quidam, qui Ianitor erat; Vir eximiæ virtutis, in morbum incidit: quem paulò poſt Fr. Bernardinus Tarantinus Clericus, ſubſecutus eſt; qui eam perfectionis metam attigerat: vt orans frequenter in mentis exceſſum raperetur; quo tempore tam inſenſibilis fiebat; vt quamuis colaphis cæderetur, ac toto corpore diſcerperetur, vel in alia loca transferretur; nihil eorum penitus aduerteret. Hi igitur, cùm ante præſtitutos dies, ambo ſancto fine vitæ periodum terminaſſent; his Petrus tertius acceſſit: qui vbi Fratribus ſui obitus horam, quæ ſequenti Dominica die, poſt Conuentualem Miſſam illi à Deo præſtituta erat, prædixit: ipſa quintadecima luce, poſt Sacramenta deuotiſſimè ſuſcepta; Fratréſque ac Nouitios, ſanctis monitis, ac ſupremis hortationibus inſtructos, omnium poſtremus ad Superos migrat.

*Petrus Nouitios de Religione mutanda tentatos in vocatione confirmat.*

*F. Bernardinus Tarentinus ſæpè in mentis exceſſum rapitur.*

*Petrus à Martina Aletij ſupremum diem obit.*

XI. Sub id tempus Fr. Matthias Salodieſis, qui inter Capucinos Vir inſignis fuit: cùm Roma Neapolim cum ſocio contenderet: à quodam Hoſpite meritorio, qui inter Sulmonetam, & Pipernum aduentantes excipiebat, hoſpitio benignè recipitur: qui cùm plurima in illũ beneuolentiæ, & charitatis ſigna præſtaret; ab eo interrogatur, quidnam ipſum ad tam ſingularem erga Capucinos amorem compelleret? Cui ille: Ne mirêre, (inquit) Pater: Haud fruſtra me in hunc Ordinem deuotio impellit. Cùm enim me diuturna, ac moleſta plùribus annis ægritudo detinuiſſet; neque illi curandæ Phyſicorum diligentia, quam fruſtra adhibueram, quicquam vnquam profuiſſet: ad cæleſtem Medicum confugiens, Dei Opt Max. diu opem imploraui: plurima quoque maioribus ſanctis, Petro, & Paulo; Ioanni Baptiſtæ, ac pleriſque aliis vota obtuli: quibus nihilominus, cùm neque me ab ægritudine liberari, neque vlla ex parte à morbi moleſtia leuari animaduerterem: in illud tandem, Deo afflante, conſilium incidi: vt quo faciliùs diuinam mihi opem compararem: Capucinis hoſpitium nunquam me denegaturum fixè animo ſtatuerim. Id cùm reipſa per aliquod tempus promptis animis præſtitiſſem: Semel accidit; vt duobus Capucinis

*Hoſpes Meritorius Religionis Merito ab ægritudine liberatur.*

Fratribus hoſpitio acceptis, morbi moleſtia plus ſolito affectus, ad Deum animũ, vocémque ſimul effundens, ita illum præcarer. Domine Deus meus, Si vota mea, quibus hactenus Maieſtatem tuam, ac tot Sanctorum merita, mihi in opem poſtulaui, minùs tibi grata ſunt: te ſaltem Sanctæ huius Capucinorum Religionis amor, ac tot Sanctorum Virorum, qui in ea florent, merita moueant: vt mihi morbi huius tam moleſti liberationem impendas. Vix hæc dicta protuleram: cùm aduerſa protinus valetudine aufugiente, integra mihi incolumitas reſtituta fuit: Porrò id nulli admiratione dignum videri debet: Neque enim vlla maioribus Sanctis gloria eripitur, ſi quædam ab aliis interdum inferioris meriti beneficia accipiantur. Dei enim ſpectanda maximè laus eſt, ac voluntas: qui cùm ex variis Sanctorum ſplendoribus ſibi gloriam colligat; eos interdum, qui inferioris Ordinis ſunt, Miraculorum patratores præſtat: vt ſuam quoq; in his apud homines laudem aſſequatur. Cæterùm hoc beneficio, Religionis merito, in hominem collato, Deus & pium illius in Fratres hoſpitalitatis opus confirmare, & diuinam ſuam in Religionem beneuolentiam commendare voluit.

Memorabile poſtremò, hoc tempore, in Romana Prouincia factum accidit, quo XII.
ſanè omnibus manifeſtum fuit; quàm Religioſo homini exitiale ſit inobedientiæ, ac contumaciæ ſcelus; quod velut peccatum ariolandi, & quaſi idololatriæ ſcelus apud Deum cenſetur; atteſtante Scriptura: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Scandriliæ Conuentum Fr. quidam Paulus ab Arenario, Campaniæ Oppido, hoc tempore moderabatur: Vir omnium virtutum genere ornatiſſimus, ac tam ſingularis abſtinentiæ, vt per aliquot annos quotidiano victui, vnum tantùm, vel duo ad ſummum leguminum pugilla, & aquam adhiberet: cunctáque temporum ſpatia ſibi ad orandum data exiſtimaret. Solebat hic feſtis diebus, vt multorum votis ſatisfaceret, Sacerdotes in proxima Oppida deſtinare: qui & Sacra celebrarent, & cùm res poſtularet, nonnulla ad victum neceſſaria emendicarent, quæ profeſta die vix, aut ægrè haberi poterant. Aderat in eo Conuentu Frater quidam Hortulanus; qui dum horti labori incumberet, hæc illi in animum cogitatio ſubrepſit. Cras dies Feſtus eſt, quo Guardianus Sacerdotes ad Oppida deſtinat: faciléque mihi cum eorum aliquo peragrandum erit. Quid? Nullane vnquam mihi quies expectanda eſt? Aedepol, ſi me Guardianus cum Sacerdote ad Caſtella ire iuſſerit, haud acquieſcam: potiuſque mihi è Religione abſcedendum eligo: Porrò cogitatio hæc ſæpè animo iterata tandem in deliberationem ſubiit: atque adeò animo infixa adhæſit, vt id conſtanter, ac pertinaciter, apud ſe ſtatuerit. Honeſta illi prorſus hæc deliberatio videbatur; cùm ea in die feſto ſibi à labore vacandum proponeret; at imprudens ignorabat, obedientiam quieti præponẽdam eſſe; neq; diem Feſtum violari, quum res ad victum præſertim neceſſariæ parantur; neque enim homo propter diem feſtum, ſed propter hominem feſtus dies inſtitutus eſt. Quanquam enim id, apud Religioſos præſertim Viros, minùs commendandum ſit; quum ea in diem feſtum præſtanda reijciuntur; quæ cùm laborioſa ſint, commodè in alteram diem profeſtam referri poſſunt. Feſtus etenim dies corporis quieti, ac Sabbathiſmo præſtitutus eſt; vt maiori cum animi pietate, ac tranquillitate rebus diuinis vacetur: attamen ſi præter ea, quæ apertè diuinæ legi aduerſantur, in eo quicquam à Superiore agendum præcipiatur; haud temerè reluctandum, ſed potiùs illi omninò acquieſcendum eſt: Deo ſiquidem magis tunc obedientia, quàm Sabbathum, aut Sacrificium placet: meliúſque obtemperando, quam quieſcendo dies feſtus agitur. Quapropter non tam imprudens, quàm improba, ac inhoneſta Hortulani deliberatio fuit; cùm mentem ſub ementita Religionis, ac pietatis ſpecie, ad inobedientiam parauit. Quod horribili ſigno mox comprobatum fuit. Cùm enim die feſto illuceſcente, Guardianus, non Hortulanum, ſed alterum cum Sacerdote ad Caſtella deſtinaſſet: is perinde ac ſi ob eam animi deliberationem, nullius ſibi culpæ

*1. Reg. 15.*

*F. Paulus de Arenario abſtinentia inſignis.*

*F. Hortulanus inobediẽtia cogitationem parit, ac nutrit.*

*Obedientia quieti anteponenda.*

*Feſti dies cur inſtituti.*





conſcius eſſet, abſque vlla criminis cõfeſſione, ad Sacram Synnaxim accedit, atque hinc ad refectionem cum cæteris pergit. Mos eſt in Romana Prouincia, vt poſt refectionem vnà omnes in Chorum conueniant, & quinquies Orationem Dominicam cum Angelica ſalutatione, ante Sacram Euchariſtiam, perſoluant. Hortulanus itaque cùm ſibi à Guardiano caueret, ne etiamnum poſt refectionem eum ad Caſtellum aliquod mitteret: in Cellam ſe confert, priorem adhuc in animo deliberationem verſans. Interea maxima Coruorum miræ magnitudinis, ac horribilis aſpectus multitudo, hortum, arbores, tecta Conuentus implet; qui tam horrendo ſtrepitu vbique, ac præſertim circa Hortulani Cellam crocitant: vt Fratres ingenti pauore exterriti, rem velut prodigioſam ad Guardianum deferãt. Guardianus porrò, vbi & Coruorum copiam, & aſpectum, & inſolitam magnitudinem contemplatus eſt. Non noſtrates, inquit, hi corui ſunt; neque regionis noſtræ incolæ; hi procul-dubio ex Auerno prodeunt: cùm verò, quid portendant, incertum ſit, res cum Deo oratione peragenda eſt, & ab eo conſilium expectandum. Soluſque ad orandum ſe confert: Interea Coruorum multitudo ad Hortulani Cellam cõmeantium feneſtrã obſidere, roſtriſque ac vnguibus, omnique vi in eam ingredi conabatur: is contrà feneſtram occludere, & cum coruis pugnare omni ſtudio contendebat.

*Hortulanus inexpiatus ad Sacramẽta accedit.*

*Coruorum multitudo Conuentum occupat.*

*Dæmones ſub Coruorum ſpecie Hortulanum infeſtant.*

XIII. Guardianus verò poſt orationem ſurgens, Fratres accerſit; cunctoſque ſacræ Pœnitentiæ Sacramento animum expiare iubet: Sibi enim à Deo reuelatum eſſe affirmat; Coruos illos Dæmones eſſe, eò idcircò ex Orco collectos, vt vnius Fratris illius Familiæ animã ſecũ ad Stygios rapiant. Protinus vniuerſi ad Sacramẽtum confluunt: ſoluſque Hortulanus necdum Sacramento expiatus, ſed in Cella occluſus, cum auibus decertabat; cùm Guardiani iuſſu vocatus, de Coruis interrogatur; curvè potiùs ſuam, quàm aliorum Cellas infeſtent, ab eo cauſa quæritur. Ille necdum ſeipſo melior factus, cauſam ſe ignorare, factùmque haud ſatis demirari, ait. Cui Guardianus; Caue fili, inquit, ne imprudens ſerpentem in ſinu foueas; cauſámque animo celes. Intimos mentis ſinus explora, diligentiúſque apud te conſcientiam perſcrutare; num aliquid in animo geras, quod Dei in te iram concitauerit. Non hi, vt putas, Corui ſunt; contra quos dimicas: Dæmones profectò ſunt, diuino huc iudicio aduecti; vt vnius Fratris animam ſecum ad Tartara ducant. Porrò hi te ſolum quærunt, te volunt, te aggrediuntur, & tecum ſolùm pugnant. Caue, Fili, ne te tandem deuincant. Cæteri iam animos pœnitentia expiarunt; nec tamen adhuc Corui abſcedunt, ſed potiùs plures fiunt; tu ſolus necdum mentem Sacramento abluiſti. Quid hoc? Vide, ne infauſta tibi hæc mali præſagia ſint. His Hortulanus verbis perterritus, protinùs ad mentem redit; illúdque contumacis inobedientiæ ſcelus, quod animo conceperat, ſeriùs apud ſe reuoluens, Guardiano aperit. Guardianus, verò vbi illius delicti grauitatem, æterno ſupplicio dignam oſtendit; eumque ad perfectam illius deteſtationem adduxit; tandem corde compunctum in Pœnitentiæ Sacramẽto à culpa abſoluit. Vix Hortulanus impium inobedientiæ ſcelus, pœnitentiæ Sacramento abſterſerat; cùm illæ Coruorum turmæ, maximo ſtrepitu abeuntes, ac roſtra, vnguéſque velut in mutuam cædem conuertentes, ſeipſas diſcerpunt, volatúque celerrimo in propinquam vallem ſe præcipites dedunt. Res Oppidanis omnibus innotuit; & tacito Hortulani nomine, vbique peruulgata fuit: vt qui Religioni nomina dedêre, Superioribus à Deo conſtitutis, ſimplici animo obtemperandum, temerèque illorum iuſſa minimè diſcutienda eſſe diſcant.

*Hortulanus propriũ ſcelus agnoſcit, & Sacramẽto expiat.*

*Coruorum multitudo aufugiens Hortulanum deſerit.*

XIV. Alio quoque exemplo, quàm irreconciliata inter Fratres odia Deo diſpliceant, hoc tempore demonſtratum fuit. Etenim in Sicula Prouincia, duo Fratres inter ſe verbis rixati fuerant: qui necdum reconciliatis animis ad orationem pomeridianam accedunt. Hi porrò dum in Eccleſia Orationi abſque Oratione; ſed tumidis potiùs, ac procelloſis animis incumbunt: En propè Altaris cancellos Æthiopiſſa quædam, eatenus ignota, apparet: quæ terga Altari vertens, orantes in Eccleſia

❧ Annvs Christi. Pavl. IV. Ferd. I. Imp. Relig. Capvc. ❧
1559. 5. 2. 35.

*Fratres poſt rixam orantes Dæmonem ſub Æthiopiſſæ ſpecie vident.*

attentiùs contemplabatur. Hanc cùm ex Fratribus, qui in Eccleſia orabant, alter, terga Altari vertentem indignè ferret, durioribus illam verbis increpat. Cui Æthiopiſſa. Sine me (inquit) quod ago peragere: neque enim huc oratura accedo; ſed mala cotonia quæro, quibus ſuauiſſimè veſcor. Hoc Regionis illius prouerbium eſt, vt odia, quæ ex iurgiis naſcuntur, malorum cotoniorum nomine exprimantur. Hæc cùm eorum vterque, qui iras etiamnum in pectore fouebant, Æthiopiſſam proloquentem audiiſſent: eamque ex truci aſpectu, non Æthiopiſſam; ſed Tartareum Incolam, diſcordiæ ſatorem eſſe colligerent: protinus exterriti, odia deponunt; atque eodem tempore inter ſe pacem, & reconciliationem ineunt. Dæmon verò, qui Æthiopiſſæ ſimulacrum acceperat, eóque ad diſcordiam fouendam acceſſerat; cùm pacem animorum ferre non poſſet, illicò euanuit; cæteroſque iurgia, ac diſcordias fugere; & ſicubi aliqua verborum, aut animorum diſſenſio irrepſerit; protinus inita reconciliatione, obtruncare docuit.

*Poſt Fratrũ reconciliationem Dæmon fugit.*

Denique hoc anno Paulus IV. Pontifex Maximus, cùm annos quatuor, menſes duos, ac dies 24. in Pontificatu expleuiſſet: ſui deſiderio in Eccleſia relicto: XVI.
(fuit enim & Religionis zelo inſignis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ, firmandæque ardore, ſi quis alius, illuſtris) Decimo quinto Kal. Septembr. ad defunctos Patres concedit. Cuius obitu Apoſtolica Sedes, menſes quatuor, ac dies 7. vacat.

*Paulus IV. Pontifex rebus humanis valedicit.*








❧ Annvs Christi. Pii. IV. Ferd. I. Imp. Relig. Capvc. ❧
1560. 1. 3. 36.

I. QVI vertitur Annus Milleſimus quingenteſimus ſupra ſexageſimum in ipſo nouæ lucis crepuſculo, nouum Orbi reddit Pontificem Pium Quartum, qui per omnes ferè honorum, ac munerum Ciuilium gradus, ad ſupremum ſcandens: in ſolemni Epiphaniæ Feſto, ante Baſilicam Vaticanã, more maiorum inſignia Pontificatus ſuſcipit; & ex Ioanne Angelo Mediceo S.R.E. Cardinali, tit. S. Priſcæ, Pius 4. appellatur. Hic cùm primùm ad ſupremum Chriſtiani Orbis Imperium euectus eſt; in id potiſſimùm animum, ac cogitationem contulit: vt Tridentino Concilio, quod ſub Paulo 3. ante 24. annum inchoatum fuerat; ſupremum colophonem imponeret: eo potiſſimùm ductus conſilio, quòd eo Eccleſiaſticam diſciplinam, quæ nimia temporum licentia nonnihil deformata videbatur, reſtituendam; corruptoſque Chriſtianorum mores reformandos ſperaret. Quapropter ſub huius anni finem, edita Bulla, quæ incipit: *Ad Eccleſiæ regimen.* Tridentum iterum Synodum conuocat; quæ tandem poſt quartum annum, ſumma totius Orbis Chriſtiani vtilitate abſoluitur.

*Pius 4. Pontifex creatur*

*Tridentinum Concilii proſequitur.*

II. Quod verò ad res noſtras attinet, noua hoc anno ſub hoc Pontifice Bulla emergit; qua Capucinorum Religio iterum Apoſtolica auctoritate approbata, ac priora priuilegia, eidem à Clemente 7. & Paulo 3. indulta confirmantur: quibus illud præterea additum eſt: ne cuiquam ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ipſo facto incurrenda; non ſolùm Capucinorum habitum, ac Caputium, iuxta Pauli 3. Decretum geſtare; verùm nec ita ſimilem, vt pro Capucino haberi queat, præſeferre liceat: vt ex ipſa Bulla perſpicuum eſt, his verbis contexta.

*Noua Bulla Religionis Priuilegia confirmantur.*

# Tranſumptum Bullæ S. D. N. Pij Papæ IV.

## Qua confirmantur omnia Priuilegia, Fratribus Ordinis Minorum, Capucinis nuncupatis, per felic. record. Paul. 3. & alios Romanos Pontifices conceſſa.

*IN Nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Nouerint vniuerſi, & ſinguli, hoc præſens publicum Tranſumptum inſtrumentum inſpecturi, viſuri, lecturi, pariter & audituri, quod Nos Alphonſus Caraffa, miſeratione diuina Sanctorum Ioannis, & Pauli S.R.E. Diaconus Cardinalis Neapolitanus vulgariter nuncupatus, Cameræ Apoſtolicæ Regens, Romanæq; Curiæ Iudex ordinarius, ſententiarum quoq; & Cenſurarum in eadẽ Romana Curia, & extra latarum, ac quarumcumq; literarum Apoſtolicarũ vniuerſalis, & merus executor. Ad inſtantiã ven. Vicarij Generalis, Fratrũ, & Religionis Ordinis Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum principalium omnes, & ſingulos ſua communiter, vel diuiſim intereſſe putantes, eorúmq; Procuratores, ſi qui tunc erant in Romana Curia pro eiſdem contra literas Apoſtol. ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Pij, diuina Prouidentia Papæ 4. Confirmationis Priuilegiorum dictis Vicario, Conuentui, per felic. record. Clementem PP. VII. & Paulum III.*

ac Iulium III. Romanos Pontifices, & ipſius Domini Pij Prædeceſſores gratioſè factas, & conceſſas, cum filis ſericeis rubei, croceique colorum, vera Bulla plumbea ipſius Domini noſtri Papæ more Romanæ Curiæ impendentis bullatam, ſanam, & integram, & alias, vt moris eſt, expeditam, ſub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, quarto Non. Apr. Pontificatus eiuſdẽ Sanctiſſimi D.N. Pij Anno primo. Nec non ad videndum iurare teſtes ſuper illorum recognitione, quatenus opus ſit, videndúmque illas tranſumptari, & in publicam, ac authenticam tranſumpti formam redigi, mandari, & poſtquam tranſumptata ſunt, videndum illas reſtitui, mandari, auctoritatémque, ac decretum deſuper interponi: vel dicendum cauſam, ſi quam haberent rationabilem, quare præmiſſa minimè fieri deberent, allegandum per Audientiam publicam literarum contradictarum dicti D. N. Papæ citari fecimus, & mandauimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet, ad diem, & horam infraſcriptos. Quibus aduenientibus comparuit in iudicio legitimè coram Nobis Religioſus Fr. Antonius Pollius Tarraconenſis Diœceſis, vnus ex dicti Ordinis Fratribus, & Procurator aſſertus dictorum Fratrum; & Ordinis Capucinorum, pro quibus nihilominùs de rato, & ratihabitione in forma Iuris valida promiſit, & certas literas citatorias in dicta audientia, noſtro de mandato executas reportauit, citatorúmque in eiſdem contentorum non comparentium contumaciam accuſauit; ipſoſque pro contumacibus reputauit, & in eorum contumaciam ſupradictas litteras Apoſtolicas ſanas, & illæſas, ac omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, facto realiter, & in ſcriptis exhibuit, atque produxit; quas tranſumi, & exemplari, ac in publicam formam redigi, mandari, auctoritatémque & decretum noſtrum deſuper interponi per nos inſtanter poſtulauit. Nos tunc Alphonſus Caraffa Cardinalis, & Regens præfatus dictos citatos non comparentes reputauimus meritò prout erant, quoad actum huiuſmodi, id exigente iuſtitia, contumaces, & in eorum contumaciam dictas literas Apoſtolicas ad manus noſtras recepimus; illaſque vidimus, tenuimus, legimus, & diligenter inſpeximus, ſanaſque integras, & illæſas, ac omni prorſus vitio, ac ſuſpicione carentes reperimus; ipſaſque vlteriùs ad dicti Fratris Antonij Procuratoris aſſerti vlteriorem inſtantiam per diſcretum Virum D. Deſiderium Bonauenam dictæ Curiæ noſtræ Notarium publicum tranſumi, & exemplari, ac in publicam formam redigi fecimus, & mandauimus. Volentes, & auctoritate dictæ Curiæ decernentes, quod præſenti noſtro tranſumpto de cætero in antea in Romana Curia, & extra, in Iudicio, & extra Iudicium vbique locorum detur, & adhibeatur talis, & tanta fides, qualis, & quanta ipſis originalibus literis daretur, & adhiberetur, ſi forent in medium exhibitæ vel oſtenſæ, quarum literarum tenor talis eſt:

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Paſtoralis officij cura (meritis licèt imparibus) nobis ex alto commiſſa Nos excitat, & inducit, vt circa piorum locorum quorumlibet, ac perſonarum in eis diuinis obſequiis vacantium ſtatum proſperè dirigendũ, & feliciter conſeruandũ, & manutenendũ noſtræ vigilãtiæ partes ſolertiùs impẽdamus: ac iis, quæ propterea proceſſiſſe comperimus, vt illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidium impartiamur.





Dudum ſiquidem fel. record. Paulo Papę 3. Prædeceſſori noſtro pro parte tunc Vicarij, & dilectorum filiorum, Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum expoſito, quod poſtquam piæ Memoriæ Clementi Papæ 7. etiam Prædeceſſori noſtro pro parte nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum Ordinis Minorum expoſitum fuerat, ſe deſiderare pro animarum ſuarum ſalute, ac Dei gloria Eremiticam vitam ducere, & quantum humana patiebatur fragilitas, Regulam B. Franciſci obſeruare, & tunc Magiſter Prouincialis Prouincię Marchiæ Anconitanæ Ordinis Minorum Conuentualium nuncupatorum ad Romanam Curiam accedendi, & ab ipſo Clemente Prædeceſſore, ac Sede Apoſtolica quæcunque ad animarum ſuarum ſalutem, ac Dei gloriam petendi, & impetrandi licentiam eis conceſſerat, ac bonæ Memoriæ Andreas tit. S. Priſcæ, dum viueret Preſbyter Cardinalis, & dicti Ordinis Protector, tunc in humanis agens eis, vt ſimilem impetrationem facerent: ita tamen, quòd vnum ex eorum conſortio omnium ipſorum nomine Magiſtro Prouinciali, ſeu Capitulo Prouinciæ dictorum Fratrum Conuentualium nuncupatorum, in qua habitarent, ſingulis annis in ſignum ſubiectionis præſentare tenerentur; & ipſe Magiſter, ſi ſibi videretur ſemel in anno, & non vltra eos viſitare, & ſi ipſos inueniret, Regulam prædictam non obſeruare, ad eam pleniùs obſeruandam eos monere, ac debitis modis compellere poſſet: præter id autem, nec eos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud eis iniungere, aut ab eis exigere valeret; ſed potiùs eos tueri, & defendere conaretur, vt in pace poſſent Altiſſimo famulari, prout in Protectoris, & Magiſtri Prouincialis prædictorum patentibus literis deſuper confectis pleniùs dicebatur contineri: idem Clemens Prædeceſſor literas prædictas, & in eis contenta quæcunque pro expreſſis habens, ipſorum Fratrum in ea parte ſupplicationibus inclinatus eis, vt ſecundùm Regulam prædictam, vitam Eremiticam ducere, & habitum cum Caputio quadrato geſtare, nec non omnes tam Clericos Sæculares, & Preſbyteros, quàm Laïcos ad eorum conſortium recipere, ac tam ipſi, quàm alij ſic recipiendi barbam deferre, & ad Eremitoria, ſeu loca alia quæcunque cum conſenſu Dominorum eorumdem locorum ſe conferre, & in eis habitare; vitamque auſteram, & Eremiticam inibi agere, & in quibuſcunque locis mendicare, nec non omnibus, & ſingulis Priuilegiis, indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum prædictorum, ac Eremo Camaldulenſium Beati Romualdi, illiuſque Eremitis in genere, vel in ſpecie eatenus conceſſis, & in poſterum concedendis æquè principaliter, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerent; per ſuas, tam ſub plumbo, quàm in forma Breuis literas facultatem conceſſerat, prout in illis pleniùs continetur, & in eadem expoſitione eidem Paulo Prædeceſſori facta ſubiuncto; quòd literarum prædictarum vigore nonnulli Clerici Sæculares, Regulares, & Laïci ab ipſis Fratribus, vt præfertur, nominatis, vel vno ex eis, ac ab alijs de ipſorum commiſſione recepti, Congregationem Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum conſtituerant, ipſique Fratres cupiebant literas prædictas quoad infraſcripta confirmari, & extendi: & propterea eidem Paulo Prædeceſſori humiliter ſupplicari fecerant, vt huiuſmodi eorum votis annuere de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Prædeceſſor attendens vberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in agro militantis

*Eccleſiæ eatenus produxerat, & in poſterum producturam ſpe firma ſperabat; ac dignum cenſens, vt circa ea, quæ ipſius Ordinis incrementum concernebant, benignos fauores impenderet, huiuſmodi ſupplicationibus inclinatus literas Clementis Prædeceſſoris huiuſmodi, quarum tenores haberi voluit pro expreſſis; auctoritate Apoſtolica, ex certa ſua ſcientia approbans, & confirmans illas tunc, & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capucinorum huiuſmodi; ac ipſius Congregationis Fratribus, perinde ac ſi illæ eiſdem Congregationi, & Fratribus directæ fuiſſent, quoad omnia, & ſingula in ipſis literis contenta ſuffragari debere decreuit. Et nihilominùs auctoritate, & ſcientia ſimilibus per ſuas ſub plumbo confectas literas ſtatuit, & ordinauit, quod ex tunc deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum Capucinorum circa finem triennij, ex quo ad officium Vicariatus huiuſmodi electus foret, vel etiam priùs, aut poſteriùs iuxta præfatæ Regulæ tenorem, ac ipſorum Fratrum laudabiles Conſtitutiones, Vicarios, Diſcretos, ac Cuſtodes vocem Congregationis habentes quarumlibet Prouinciarum, & Cuſtodiarum ſibi ſubiectarum in loco per ipſum Vicarium Generalem deputando, ad Capitulum conuocare poſſet: quorum ſi qui legitimo impedimento detenti ipſi Capitulo intereſſe non poſſent, per Nuncios ab eis deputatos, vel ſuppletis votis eorum, iuxta ipſorum conſuetudinem præſentia ſuppleretur; qui ſic congregati omnia, & ſingula: quæ alij Fratres Ordinis in eorum Generali Capitulo de iure, vel conſuetudine, & ex Priuilegiis poſſent, faciendi, ordinandi, & diſponendi, & potiſſimè eligendi vnum Religioſum eiuſdem Ordinis, ac Congregationis in eorum ſimilem Vicarium Generalem facultatem haberent, & ipſius Vicarij electionem ſi maiori parte eligentium celebraretur, quàm primùm commodè fieri poſſet, Generali Magiſtro dictorum Fratrum Conuentualium nuncupatorum, ſicut eatenus ſeruatum fuerat, donec aliud deſuper ordinatum à Sede Apoſtolica fuiſſet, præſentarent, ſeu præſentari facerent; ipſeque Generalis Magiſter intra triduum à præſentatione ſibi facta ipſum electũ Vicarium confirmare teneretur, concedendo ei, & committendo plenariè vices ſuas, tribuendo videlicet liberam poteſtatem, & auctoritatem; ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes, ac ſingulos Fratres eiuſdem Ordinis Capucinos nuncupatos, etiam ſi alio quouis nomine nuncuparentur; tam in capitibus, quàm in membris publicè, & priuatim viſitandi Congregationes in Prouinciis, & Cuſtodiis omnibus eis ſubiectis, ſiue pro electione Vicariorum, Diſcretorum, Cuſtodum, & Guardianorum, ſiue pro aliis vtilibus negotiis faciendi, ſeu fieri faciendi noua loca, Conuentus, ſeu Eremitoria recipiendi, Fratres ſubditos corrigendi, & puniendi, excommunicandi, & abſoluendi, incarcerandi, & à carceribus liberandi: Contradictores, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris, & dicti Ordinis remedia, etiam per inuocationem brachij ſæcularis, vel Eccleſiaſtici, ſi opus foret, compeſcendi: & generaliter, ſpecialitérque omnia, & ſingula circa Fratres, Conuentus, Domos, Loca, & Eremitoria huiuſmodi faciendi, exercendi, diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi, & ſtatuendi, quæ Generalis Magiſter dicti Ordinis circa Fratres, Conuentus, Domus, Loca, & Eremitoria Fratrum Conuentualium nuncupatorum facere poſſet, ſi perſonaliter adeſſet, vel intereſſet: ac eaſdem autoritatem; poteſtatem, gratias, & facultates per ipſum Magiſtrum Generalem eidem Vicario Generali conceſſas,*

*vel*



*vel earum partem aliis Fratribus, quos ad hæc iudicaret idoneos committendi, & concedendi, nec non per ipſos prædicti Vicarij Commiſſarios committi, & concedi faciendi. Et triduo elapſo, & electo non confirmato, Sedis Apoſtolicæ auctoritate cum plenaria poteſtate huiuſmodi vſque ad Succeſſoris electionem haberetur: & intra hoc tempus officio ſuo ſine ſcitu omnium Vicariorum, & Diſcretorum, Prouincialium, aut maioris partis eorundem renunciare nequiret, poſſet tamen conuocare omnes Vicarios, & Diſcretos ſibi ſubiectos infra tempus officij ſui in loco per ipſum deputando, quoties ſibi opus viſum foret: Si verò Generalis Vicarius infra officij ſui tempus ex hac luce migraret, ſeu aliàs ab officio amotus foret: Vicarius in cuius Prouincia mori, ſeu amoueri contingeret: nunciaret, quàm citiùs poſſet omnibus Definitoribus Capituli Generalis immediatè præcedentis, & omnibus Vicariis Prouincialibus, & de conſilio, atque conſenſu duorum Vicariorum proximorum determinaret locum, & tempus, niſi fuiſſent per Generale Capitulum, vel per præfatum Vicarium ante obitum ipſius, & amotionem deputata: & conuocaret, qui forent auocandi pro Succeſſoris Vicarij electione celebranda. Quo vocationis tempore auctoritate Sedis prædictæ exerceret officium Vicariatus huiuſmodi primus Diffinitorum prædictorum, vel eo deficiente ſecundus, & ſic de alijs ſucceſſiuè cum plenaria poteſtate præmiſſa: & hoc idem cenſetur de Vicariis Prouincialibus, cùm eos mori, vel amoueri contigerit, ac Prouincias regi, & gubernari per primum, & alios Definitores ſucceſſiuè Capituli Prouincialis immediatè præcedentis, prout ſupra de Vicario Generali ſtatutum exiſteret; ſalua ſemper, & reſeruata prædicti Vicarij Generalis, vt præmittitur, poteſtate: Generalis verò, ac tam Magiſter prædictus, quàm Miniſter Ordinis Minorum huiuſmodi, aut quiſquam Miniſtrorum, ſeu Magiſtrorum Prouincialium, ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis, tam Conuentualium, quàm de Familia, ſiue de Obſeruantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem prædictam ordinatum foret, prædicto Vicario Generali ſeu cæteris Vicariis, vel cuipiam Fratri eiuſdem Congregationis de Capucinis nuncupatæ moleſtiam, ſeu impedimentum aliquod inferre non auderet, nec præſumeret ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis officij, omniumque actuum legitimorum: niſi quòd præfatus Magiſter Generalis, donec aliter per ipſam Sedem ordinatum foret, per ſe duntaxat perſonaliter viſitare, & corrigere poſſet, & valeret prædictum Vicarium Generalem, ſeu Fratres, Domum, locum, & Eremitorium eorundem Fratrum Capucinorum nuncupatorum piè, benignè, & charitatiuè ad meliorem frugem prouocando. Etſi quemquam reperiret criminoſum, ipſum Vicarium de conſenſu, & aſſenſu maioris & ſanioris partis Fratrum, Domus, Eremitorij, Loci, vel Conuentus viſitatorum in eodem loco, & non extra corrigere valeret, & punire, pœnitentiare, & emendare ſecundùm quod delicti qualitas exigeret faciendum. De regimine verò, & cura prædictorum Fratrum Capucinorum nuncupatorum ſe aliter non intromitteret. Diſtrictiùs inhibens quibuſcunque perſonis, cuiuſcunque conditionis exiſterent, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub præfati Vicarij Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquomodo præſumerent. Inſuper idem Paulus Prædeceſſor veſtigiis recolendæ mem. Pij Papæ II. ſimiliter Præde-*

 *ceſſoris*

ceſſoris noſtri in ea parte inhærendo, qui aliàs ex certis cauſis auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia in fauorem Familiæ de Obſeruantia interpretatus erat, & declarauerat: quòd cùm Apoſtolica Sedes Generalem totius Ordinis Minorum Miniſtrum, & Prouinciales Vicarios, Miniſtrorum loco certis piis, ac ſanctis reſpectibus eſſe voluiſſet, & decreuiſſet: Vicarij ipſi, qui illis præeſſent, & quibus ipſi ex debito eorum profeſſionis obedirent, veri, & indubitati ipſorum Miniſtri, cùm tales B. Franciſcus dicti Ordinis inſtitutor eos eſſe intendiſſet, quò ad vſque præfata Sedes; in cuius arbitrio conſiſtebat, aliud alio reſpectu ordinare ſtatuiſſet, eſſent, & perpetuò forent differentes à prædictis Miniſtris ſolo nomine; eoſque qui dictis Vicariis obedirent, ſecundùm dictæ Sedis determinationem, eorum Regulæ, & præcipuè in ea parte, vbi erat. Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt obedirent ſuis Miniſtris: plenè, & integrè ſatisfacere, auctoritate, & ſcientia prædictis declarauerat, & decreuerat, quod donec aliter ſuper præmiſſis per præfatam Sedem ordinatum foret, Fratres Capucini prædicti eorum Vicariis, prout de Vicariis Familiæ per dictum Pium Prædeceſſorem (vt præfertur) ſtatutum fuerat obediendo: plenè, & integrè præfatæ Regulæ ſatisfacerent, prout in literis dicti Pauli Prædeceſſoris pleniùs continetur. Pro parte eorumdem Fratrum Capucinorum nuncupatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt literas Pauli Prædeceſſoris huiuſmodi, & in eis contenta quæcunque approbare, & confirmare, ac aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim vitam Eremiticam degentium profectui, & felici ſucceſſui, prout poſſumus, libenter conſulimus: ſingularum literarum prædictarum, & quarumcumque aliarum ſcripturarum occaſione præmiſſorum forſan confectarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, nec non per felic. memor. Iulium Papam 3. pariter Prædeceſſorem noſtrum dilectis filiis Fratribus Hieronymo Lancæ Siculo, & eius ſociis aſſerentibus ſe Capucinos exiſtere, conſimilémque modo præmiſſo habitum deferre in non modicum ſcandalum, & deformitatem Ordinis, & Congregationis huiuſmodi, etiam in forma Breuis, & quaſcunque alias literas quibuſuis aliis in quibuſcunque Mundi partibus, & locis commorantibus dictum habitum, vel præfato modo conſimilem extra obedientiam Superiorum eiuſdem Congregationis, & nulla habita licentia, earumdem litterarum vigore, geſtantibus, & deferentibus conceſſas reuocantes. Huiuſmodi ſupplicationibus inclinati literas Pauli Prędeceſſoris huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ita quod nullus cuiuſcunque conditionis exiſtat, non ſolùm eorum habitum iuxta literarum Pauli Prædeceſſoris huiuſmodi tenorem, verùm etiam, nec ita conſimilem, quod propter eum poſſit credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub præfati Vicarij Generalis pro tempore exiſtentis obedientia, & cura permaneat, ſub ſimili pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, quoquo modo geſtare præſumant, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium confirmamus, & approbamus; & omnia, & ſingula in eiſdem literis dicti Pauli Prædeceſſoris contẽta prędicta de nouo concedimus. Quocirca vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, nec non dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, ac aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel





duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Capucinorum Fratrum prædictorum, ſiue alicuius eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes ei, quod in præmiſſis efficacis defenſionis, præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruari, ac ſingulos, quos illa concernunt, eis pacificè gaudere. Non permittentes, eos deſuper per quoſcunque contra præſentium tenorem, quomodolibet indebitè inquietari, ſeu perturbari. Contradictores quoſlibet, ac rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia opportuna Iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vocibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacij PP. VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de vna, & duabus, non tamen tribus dietis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, nec non quibuſuis Priuilegiis, & indultis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, quæ aduersùs præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus; cæteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi Hieronymo, & aliis eius ſociis præfatis; vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, quarto Non. Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

C. MIRVENNA.

Quibus omnibus, & ſingulis tanquam ritè, & legitimè factis auctoritatem, & decretum dictæ Curiæ, atque noſtrum duximus interponendum, & interpoſuimus, prout interponimus præſentium per tenorem. In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſentes literas, ſiue præſens publicum tranſumpti inſtrumentum exinde fieri, & per Notariũ noſtrũ infraſcriptũ ſubſcribi, ſigilliq; noſtri, quo in ſimilibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione, ſiue impreſſione communiri. Datum Romæ in Ædibus noſtris, in quibus iura reddi ſolent, de ſero hora Veſperorum, & audientia cauſarum ſolita, & conſueta ad iura reddendum, & cauſas audiendum pro Tribunali ſedente, ſub anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, Indictione 3. die verò 28. Menſis Iunij, Pontificatus autem ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina Prouidentia Papæ IV. Anno eius primo, præſentibus ibidem diſcretis Viris Dominis Andrea Gerardo, & Ioanne Bargino Clericis Lugdunenſ. & Gebennen. repectiuè Diœceſ. dictæ Curiæ noſtræ Nota-

*riis, & coram nobis ſcribis teſtibus ad præmiſſa omnia vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.*

III. Tertiò igitur Capucinorum Religio, ab Apoſtolica Sede, irrefragabili Edicto, atque auctoritate approbata, ac confirmata, dum optata tranquillitate fruitur; Thomas Generalis indefeſſo labore, ac vt plurimùm pedeſter, gregem circumiens, vigilantiſſimi Paſtoris inſtar, ſedulò illius incolumitati inuigilat: neque vt à plurimis fieri ſolet, nouos Religioni tyrones quærit, aut vltrò venientes obuiis vlnis excipit: ſed cùm, & mente prudens, & natura ſeuerior eſſet; nonniſi probatiſſimos ad Religionis gremium adſciri, certa lege decernit. Neque id ſanè fruſtra: cùm enim ex Nouitiorum potiſſimùm probitate, vel improbitate omnium bonorum, aut malorum ſeges in Religione oriatur; in eo maximè Superiores prudentes, ac circumſpectos eſſe oportet: vt iis tantummodò Congregationis fores aperiant, qui virtute, prudentia, ac vitæ probitate ſibi, aliiſque prodeſſe poſſint: ne Seraphicus Ager malo ſemine imbutus, in vepres, ac vrticas ebulliat. In eo verò cùm is ſeuerior eſſet, eo fiebat; vt paucis admodum ad Religionis ſinum aditus pateret: Ex his etiam, qui ad habitum confluxerant, plerique leuem ob cauſam ab Ordine dimitterentur. In his porrò tametſi ſeueritas haud damnanda ſit: quin etiam ſi errandum ſit, ex ſeueritate potiùs, quàm ex nimia indulgentia errari præſtet. Hîc tamen prudentia opus eſt, ac modus in rebus ſeruandus; ne dum ſeueritas à virtute exorbitat, minus charitati, ac Religionis commodo ſatisfiat; quod hoc planè tempore exemplo diuinitus demonſtratum fuit.

*Thomas Generalis in Nouitiorum receptione prudentiſſimus.*

*Seueritas cũ virtute temperanda.*

IV. Nam cùm in Conuentu Aſtenſi, tunc Genuenſis Prouinciæ, Nouitius quidam, Cyprianus nomine, haud aſpernandæ virtutis adoleſcens; viuaciorem quandam à Natura vim ſortitus eſſet; qua inter ipſa præſertim Probationis initia, minùs ſibi interdum temperare poterat. Eum Fratres inito conſilio habitu exuendum, atque à Religione dimittendum decreuerant; cùm Nouitius, Fratrum deliberatione perſpecta, ad Deum benignum confugiens, his illum verbis precatur: Domine Deus, hominũ Saluator: tu cordium ſcrutator es verus; nec te vlla hominis latet cogitatio: noſti Domine, qua ratione, & conſilio in hanc me Religionem contulerim: nimirum, vt Mundo, ac mundanis omnibus crucifixus, in ea me tibi perpetuò conſecrarem; & ſub ſanctæ Crucis vexillo, nudus te Dominum meum nudum ſequerer. Obſecro Domine, ne me à tuæ Crucis amplexu diuelli permittas: è Babylone aufugi; ne quæſo, me ampliùs Babylon videat, aut teneat. Huc me ex immenſa tua benignitate, velut inter veros Iſraëlitas vocaſti; hic me locus perpetuò poſſideat: quòd ſi viuum tot Sãctorum numero, velut indignũ Patres adſcribere recuſant; ſaltem mortuum nõ proiiciant. Peto Domine, vt morte potiùs, quàm corpore, aut animo ab hoc cœtu diſiungar. Ardentes has Nouitij preces Deus haud irritas eſſe voluit: nam antequam ab Ordine dimitteretur, repentina febre correptus, cùm ad vltimam vitæ metam perueniſſet, Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum aſpectu dignatus, extremum in Religione (vti poſtulauerat) diem clauſit, ac purum Deo ſpiritum reddidit. Ex quo id facilè perſpici poteſt: maiores plerunque virtutes ſub obſcura naturalium imperfectionum veſte latere: quæ tum à Superiore, tum à Nouitiorum Magiſtro prudenter explorandæ ſunt; ne pretioſæ interdum gemmæ cum quiſquiliis proiiciantur.

*Nouitius à Religione dimittendus mortẽ à Deo impetrat.*

*B. Virginis in morte viſione potitur.*

V. Hoc tempore, quandoquidem Apuliæ Prouincia, quæ ſub ſancti Hieronymi appellatione, Apuliam Peuceriam, Lucaniam, & Salentinos complectebatur, in tam copioſum Conuentuum numerum excreuerat; vt vnius Prouincialis Vicarij viſitatione perluſtrari non poſſet: Thomæ Generalis decreto ſancitum fuit, vt in Prouinciali Capitulo, quod hoc anno Grauinæ congregatum fuit; Lucania,





quæ & Baſilicata dicitur, ab Apulia, & à Salentinis diſiuncta, diſtincto Prouinciæ nomine frueretur. Lucania porrò à cæteris diſſita; S. Hieronymi appellatio deſiit: Appulique, & Salentini in vnam adhuc Prouinciam coaleſcentes, nouam Prouinciæ S. Nicolai nuncupationem ſibi vendicarunt. At neque hi diu à diuiſione immunes eſſe potuerunt: propagata enim vtrinque Conuentuum ſobole; cùm tam vaſta adhuc Prouincia eſſet; vt gemina (vti Conſtitutionibus noſtris ſancitum eſt) Vicarij Prouincialis viſitatio, iis quolibet anno impendi non poſſet; iterum poſt vigeſimum annum Apulia Peucetia à Salentinis ſubdiuiſa: illa S. Nicolai nomen retinet, hæc ſanctæ Mariæ in finibus terræ cognomen accipit, quemadmodum anno 1590. fuſiùs explicabitur.

*Lucania Prouincia à cæteris diſtinguitur.*

VI. Dum hæc apud Appulos, & Lucanos geruntur: F. Angelus Aſtenſis diuini Verbi Concionator eximius, Genuæ in Conuentu S. Barnabæ vitam, magnis in virtutibus actam, beato tandem fine concludit. Hic cùm inter Minores, qui de Obſeruantia nuncupantur, pleroſque annos, magna cum eruditionis laude traduxiſſet; atque etiam inter Sorbonicos Doctores cooptatus, Doctoralem lauream in facultate Pariſienſi adeptus fuiſſet; caſu formidabili perterritus, ad Capucinos ſe contulit. Res verò ita accidiſſe fertur. Dum is Saonæ, quæ Vrbs eſt in Liguria, Genuenſi Reipublicæ ſubiecta: cuiuſdam Nobilis Fœminæ ſacras Confeſſiones exciperet, quæ immoderato veſtiũ luxu, & carnis voluptatibus indulgens, iam à multis annis, iis criminibus irretita tenebatur: & quod crimen augebat; eouſque ad Pœnitẽtiæ, ac ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramẽta inexpiata acceſſerat: Diuina Omnipotentis ira, quæ quò lentiùs ad vindictam procedit, eò ſeueriùs punit, miſeram inopinatò præoccupat. Sola enim die quadam ſecretum cubiculum ingreſſa, dum cõſuetis voluptatibus animum addicit: En repentè, ad Dei Iudicium rapitur: in quo, tum ob diuturnam ſcelerum impœnitentiam, tum etiam propter Sacramenta tamdiu indignè ſuſcepta: diuina ſententia ad Tartarum adiudicatur: Mox illa ſtridentem vocem extollere; mox horribiles clamores edere: ac Dei Iudicio ſe damnatam aſſerere: omnia denique domus loca deſperatis hiſce vocibus complere cœpit. Aderat tunc illius nubilis filia, quæ Matris clamoribus perterrita, Patrem, qui tunc domo aberat, ſtatim accerſendum curat. Accedit Coniux: Vxorémque iuſtam ſuæ damnationis pœnam inclamantem verbis conſolari, atque in meliorem diuinæ clementiæ ſpem ſtudet erigere: Infælix omnem prorſus conſolationem reſpuit. Eóque ampliùs deſperationis voces ingeminat, quò ſe à Deo condemnatam affirmat. Coniux verò, cùm vxoris animum nulla ratione ab ea ſententia reuocari poſſe cerneret: F. Angelum Confeſſarium aduocandum iubet: qui dum multis rationibus, id Dæmonis tentamentum eſſe, illi perſuadere nititur; eam inter alias adfert: quòd quæ tot annis ſibi conſcientiam aperuerat, atque ab eo peccatorum abſolutionem acceperat; id quoque credere deberet, ſe nullam in ea damnationis cauſam offendere. At illa Dei Iudicio, ac virtute compulſa, reſpondet: Quid, Pater, Confeſſiones, ac abſolutiones commemoras? Eheu hæ ſunt, quæ me miſeram in Dei Iudicio condemnant: fictè enim ſemper ad Sacramentum acceſſi: plurima tibi pollicebar; quorum cùm nulla cordis pœnitudine tangerer, in his, velut iumentum in ſtercore, voluntariè computrui: Deo mentita fui: pompas, luxus, vanitates, corporis curam, quibus ſemper animum addixi, cæteroſque in ſcandalum pertraxi, longè Deo, ac propriæ Animæ ſaluti antepoſui. Pretioſæ veſtes, monilia, annuli ingentis pretij, quæ illo in ſchrinio reconduntur, (ſchrinium indigitans) atque eleemoſynæ ob id pauperibus denegatæ, vt inſatiabili mei luxus fami ſatisfacerem: ſenſus denique voluptates, quibus nullum vnquam terminum poſui. Hæ damnationis meæ cauſæ ſunt.

*Fr. Angelus Aſtenſis virtute inſignis.*

*Mulier Nobilis iuſto Dei Iudicio damnatur.*

*Mulier ſuæ damnationis cauſas aperit.*

VII. His cùm filia reſponderet: Mater, quæſo, ne ſpem ſalutis abiicias: etiamnum res integra eſt: veſtes, ac monilia vendantur; pretiumque pauperibus detur. Illa ardẽtes ad filiam oculos conuertẽs, indignabũda ait: Apage iſthinc maledicta filia: tui enim

cauſa potiſſimùm condemnor. Nam quum primùm veſtem illam auro textam tibi conficiendam curaui; nulla in hac Vrbe fœmina, tametſi Nobilis, erat quæ tam pretioſa veſte vteretur: iam verò meo hoc iniquo exemplo Vrbs ita corrupta fuit: vt vix vlla in ea Nobilis reperiatur, quæ veſtem auro textam, magno pretio ſibi comparandam non velit. Vix hæc miſera illa affata fuerat; quum eam in omnium oculis Dæmon arripiens, & vſque ad cubiculi tabulatùm efferens, tanta vi ad ſolum alliſit; vt eo caſu miſera illa extincta, tam grauem ibi fœtorem reliquerit, vt cùm à nemine prorſus tolerari poſſet, inde cunctos abſcedere coëgerit.

*Mulier à Dæmone arrepta, ſolo alliditur ac perit.*

VIII. Horrendo hoc mulieris ſpectaculo, cùm Fr. Angelus grauiter commotus fuiſſet; protinus ſibi à periculo cauendum cenſuit: Quapropter mora nulla interpoſita, ad Capucinorum Ordinem migrans, in eo doctrina, prædicatione, Regulari obſeruantia, ac plurimis aliis virtutibus floruit; ac tandem Genuæ dum in Conuentu S. Barnabæ Guardiani officio fungitur, in pace quieſcit.

*Mulieris caſu perterritus Angelus ad Capucinos migrat.*

IX. Plerique hoc tempore, Viri virtute illuſtres, ac ſanctimonia clari, ad Superos euolarunt. Inter quos humilitate, abſtinentia, vitæ auſteritate, altiſſimæ Paupertatis cultu, Prædicationis zelo, potiſſimùm floruit, Fr. Ludouicus Vrbinas, diuini Verbi Concionator; qui ex Obſeruantium Ordine inter primos ad Capucinos accedens, primas illas Ordinis procellas, quæ ex Ochini lapſu excitatæ fuerunt; tanta conſtantia pertulit: vt quamplurimos ſuo exemplo, ac virtute confirmauerit. Paupertatis tam ſtudioſus fuit, vt vno, ſoloque habitu, eoque obſoleto contentus, alterum per viginti quinque annorum ſpatium, quo inter Capucinos vixit, nunquam admiſerit. Solius panis, & aquæ victus, poſt quotidiana ieiunia, quæ ſomni parcitate, ac prolixioris orationis ſtudio ſuauia reddebat, ſæpè illi familiaris erat. Tanto Regularis obſeruantiæ zelo ducebatur; vt quum vel minimùm, ipſius candorem, aut puritatem labefactari animaduerteret; nullis omninò verbis, & increpationibus parceret. Vilibus, & laborioſis domus obſequiis maximè delectari conſpiciebatur: quibus in officiis dum ſedulò ſeipſum exercet. Dæmon ipſius humilitati, ac paupertati inuidens, vt eum aliquando ad auri cupiditatem alliceret; dum ſemel ligone tellurem in horto fodit, ingentem illi auri, & argenti theſaurum aperit; quo ille viſo tantoperè exhorruit, vt illum confeſtim terra operuerit. Eas verò Dæmonis artes fuiſſe, vt eum ad auri deſiderium impelleret, id planè indicauit; quòd nullus deinceps ibi theſaurus, tametſi omni diligentia quæſitus, repertus fuit. Tandem Firmi in Piceno, magna cum ſanctimoniæ fama, diem vltimum claudit.

*Fr. Ludouicus Vrbinas ſanctimonia celebris.*

*Dæmon illi theſaurum aperit quem is terra obruit.*

X. Poſt hunc, puritatis, ſimplicitatis, ac obedientiæ præſertim virtute clarus enituit, in Bononienſi Prouincincia; Fr. Iacinthus à Fano, Laïcus; qui cùm vitam in perfecta Regulæ obſeruantia, vitæ innocentia, ac præclaris virtutibus tranſegiſſet: in Conuentu Petrærubiæ iam ad vitæ occaſum properanti, Beati Apoſtoli Petrus, & Paulus apparuêre; qui cùm eum, vt cum ipſis ad Cælos pergeret, verbis allicerent; tanta vſque ad mortem obedientiæ ſimplicitate reſplenduit; vt Apoſtolis reſponderit; ſe nunquam è Monaſterio, abſque Guardiani ſui licentia, egreſſum fuiſſe; ac nec tunc id ſine illius obedientia facturum. Cui cùm annuiſſent Apoſtoli: rem Iacinthus Guardiano narrat; ac facultatem eundi poſcit: Cui Guardianus: Quandoquidem (inquit) tam boni, ac omni exceptione maiores hi Socij ſunt, qui te ad Cælum comitem vocant. Ito (Fili) cum ipſis feliciter, mea quoque benedictione dimiſſus: cumque eodem tempore eidem benedixiſſet. Mox Iacinthus, vbi iunctis manibus, & capite inflexo perſonuit, *Benedicite*, protinus animam expirans, cæleſte cum Apoſtolis iter eſt proſecutus.

*F. Iacinthus à Fano virtute præclarus.*

*Obedientiã cæleſti Regno præfert.*

XI. Tertius quoque Fr. Benedictus à Brixia, Laïcus, abſtinentia, & oratione potiſſimùm, in Ethruriæ Prouincia, inſignis fuit: quem cùm Dæmon ab oratione exturbare conaretur: cum eo ſæpè contendere, ac velut cominus digladiari videbatur. Tandem quotidianis ieiuniis, atque aliis corporis aſperitatibus confectus, multa quoque à Dæmone perpeſſus, cùm ex hoſtibus ſalutis ſibi triumphum paraſſet, hoc anno mortalia deſerens, ad immortales coronas peruenit.

*Fr. Benedictus Brixienſis virtutibus emicat.*



XII. Quartum quoque F. Antonium Senenſem, Clericum, hîc commemorare lubet: qui cùm admirabili vitæ puritate, ſui ipſius abiectione, abſtinentiæ rigore, corporis maceratione, ac præſertim Orationis ſtudio atque aſſiduitate, in qua penitus ab humanarum rerum contubernio abſtractus videbatur; pleroſque annos in Clericali Ordine, quò altiùs aſcendere noluit; magna cum ſanctimoniæ fama tranſegiſſet; in Piceni tandem Prouincia hoc anno ad cæleſtem lucem euocatur.

*F. ANTONIVS Senenſis plurima virtute celebris.*

XIII. His poſtremus accedit, Fr. Franciſcus à Sinagria, Sacerdos: qui in Panormitana Prouincia plurima virtutum luce inter alios emicuit. Hic adeò paupertatis amator fuit: vt panni præſegmina, quæ interdum proiiciuntur, ſollicitè colligens; ea filo pendentia in Cella conſeruaret: quæ aliquando ſui, & aliorum vſui deſeruirent. Cumque plures huiuſmodi præſegminum fila è Cellæ ſuæ parietibus penderent: eam paupertatis Emporium appellare ſolebat. Ex hoc exterioris paupertatis cultu, ad ſpiritus paupertatem, & omnium rerum contemptum conſcendens; tam in orationis ſtudio, ac diuinarum rerum contemplatione apud Deum profecit; vt in ea ſæpè mentis exceſſus pateretur; quos cùm is omni ſtudio celare cõtenderet: fieri tamen non poterat, quin interdum Fratribus innoteſcerent. Accidit aliquando, vt Frater quidam illius opera indigens, ad ipſius Cellam accederet: quem à ſenſibus alienatum, & vſque ad Cellæ tectum in aëra ſublatum conſpiciens, diutius eo aſpectu potitur: verùm is eo tempore ad ſeipſum rediens, cùm rem aliis perſpectam eſſe intelligeret; grauiter animo afflictari cœpit. Ea ſiquidem eſt humilitatis laus, vt ſelectiora quædam Dei dona, quæ homini gloriam, ac exiſtimationem adferre ſolent; maximè deliteſcere affectet: ne vel maiori apud cæteros in pretio habeantur, quod vera humilitas refugit; vel cæleſtium bonorum merces latronibus ſpiritualibus deprædandas offeratur.

*F. FRANCISCI A SINAGRIA, Vita & geſta.*

*Inſignis Paupertatis ſectator.*

*Sæpè in exceſſum rapitur, & in aëra eleuatur.*

XIV. Hanc porrò humilitatem, quæ omnium donorum Dei cuſtos eſt fideliſſima; Vir Dei tam ſollicitè proſequebatur: vt aut cæteris præeſſe, aut dignitate aliqua exornari, omninò abhorreret: atq; adeò huic propoſito inhæreret; vt ob id nonnihil aliquando à recto deflexerit. Cùm enim ſemel Panormitani Conuentus adminiſtrationem refugeret, nullaque ratione animum cum ea dignitate componere valeret; è Monaſterio clam abſque Superioris licentia aufugit: quod cùm ex animi ſimplicitate potiùs, quàm ex vitio flueret; contigit; vt in ipſa Vrbis Panormitanæ platea, quò fugiens peruenerat; Archangelum Michaëlem, ſub Iuuenis cuiuſdam ſpecie; armis candentibus obtectum, obuium haberet; qui his illum verbis aggreſſus eſt. Quid hîc Franciſce ſtas? aut quò pergis? Non hîc Religioſorum locus eſt: citò ad Monaſterium redi: neque enim te extra Conuentum vagari, aut decet, aut Deo placet. Cui Franciſcus: Vnde, (inquit) aut quis es tu, qui hæc mihi perſuades? Si me ignoras (ait ille) Michaël Archangelus ſum, in cuius honorem tu hanc modò quadrageſimam ieiunas: atque huc veni, vt te facti redarguam. Iam ad tuos quàm primùm reuertere; ſtatimque ex oculis euanuit. Quamobrem Franciſcus, ob Angelicam correptionem, animo compunctus, atque errorem corrigens, ad Monaſterium redit; grauiterq; ſe coram Superiore de violata obediẽtia accuſat. In eoq; Pſalmographi dictũ obtinuit: *Iuſtus cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuã*: Error enim, qui ex ſimplicitate magis, quàm ex animi malitia proficiſcitur; non ad lapſum, ſed ad perfectũ tendit. Quod in iuſto hoc Viro, ac fideli Dei Seruo perſpicuum fuit; qui poſt hæc tantam cæleſtium donorum copiam, & excellentiam à Deo aſſecutus eſt: vt cùm per duodecim annorum ſpatium, à Deo ſpiritus Sancti illapſum, eo modo, quo in die Pentecoſtes Apoſtolis olim datus fuerat, ſibi poſtulaſſet: à Deo tandem exaudiri meruit. Nam in ipſa Pentecoſtes die, dum Hora Tertia in Choro, Hymnum, *Veni creator ſpiritus*, cum cæteris decantat, en Spiritus ſancti maieſtas, ſub flammæ cuiuſdam prælucentis ſymbolo, cunctis aſpectantibus, viſi

*Dignitates fugit.*

*E Monaſterio fugiens à S. Michaële corripitur.*

Pſalm. 36.

*Spiritus S. die Pentecoſtes ſub flammæ ſpecie ſuſcipit.*

bus, viſibiliter dilabitur: ac per vnius horulæ ſpatium Franciſci capiti inſidet: quo tempore illius facies Solis inſtar, fulgere, ac radios vndique fulgurare cernebatur. Poſt id verò temporis flamma abſcedente, tanta Franciſci animo lux, velut ex lucis fonte relicta; atque illius verbis tam ingens vis indita fuit: vt perinde ac ſi illius verba iacula quædam ignita eſſent, aliorum animos inflammarent; & ad Dei amorem accenderent.

*Panormi ad Superos migrat.*

XV. Poſt hoc cæleſte donum illi ex ſingulari Dei benignitate collatum, Vir Dei duobus, non ampliùs annis ſuperſtes fuit: quo tempore ingentia Sanctitatis ſigna edidit. Tandem ſenio conſumptus, in Conuentu Panormitano, hoc anno labentem vitam cum immortali commutat.

*HIERONYMVS A TIPHERNO Metaur. BARTHOLOMÆVS NITIENSIS PETRVS NITIENSIS. BENEDICTVS A MODIA virtute præclari.*

XVI. Præter hos, aliorum quoque Virorum ſanctimonia illuſtrium, hoc tempore memoria celebratur. Piceni Prouincia Hieronymi à Typherno Metaurenſi, Sacerdotis, virtutes commemorat. Ethruria Bartholomæum Nitienſem Sacerdotem miræ abſtinentiæ Virum, haud mediocriter commendat. Ianuenſis Prouincia Petri Nitienſis Sacerdotis, ac Benedicti à Modia, Laïci, præclara geſta dignis laudibus proſequitur. Huius poſtremi caput, poſt multos ſepulturæ annos, cùm recenti ſanguine perfuſum repertum fuiſſet, ampliorem apud omnes venerationem ſibi comparauit.

*Mulier calathum ouis plenum Fratribus erogãs alterum à Deo accipit.*

XVII. Poſtremum tandem illud hoc anno Peruſiæ accidit: quòd cùm pia quædam mulier, marito inconſulto, calathum ouis plenum Noſtris vltrò pro eleemoſyna erogaſſet; en Coniux domum rediens, ſtatim oua poſtulat, vt venalia in foro proferantur. At mulier Coniugis iram metuens, mox ad B. Virginis, & S. Franciſci opem confugit, ſupplexque illorum auxilium implorat: tum ad penum pergens, in eo alterum calathum tot ouis refertum reperit, quot ea Fratribus paulò ante elargita fuerat. Cuius aſpectu pia mulier commota: in tam ingentes protinus gemitus, ac ploratus prorupit; vt eò Maritus accurrens, lachrymarum ab ea cauſam exquiſierit: quam cùm mulier aperuiſſet; is, vt rem certiùs agnoſcat, ad Fratrum Conuentum confeſtim aduolans, de ouorum calatho percunctatur. Ij oua adhuc integra cum calatho oſtendunt; quo miraculo adeò ille animo perculſus fuit; vt deinceps abundantiorem Monaſterio eleemoſynam decreuerit; ſingularique Fratres deuotione, quoad vixit, proſecutus fuerit. Ita benigniſſimus Deus Religionis initia ſua liberalitate fouebat; vt fideles ad pietatem, atque eorum inopiam ſubleuandam prouocaret.





*Generale Capitulum congregatur.*

I. TRIENNIVM in paſtorali munere Thomas Generalis exegerat; quùm hoc anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo illuceſcente, vndecimo Generali Capitulo Romæ congregato, noua celebrantur Comitia; quibus quàmplurimi Viri virtute illuſtres interfuêre: atque inter alios Fr. Euſebius Anconitanus, qui primum inter Definitores in his Camitiis locum ſortitus eſt, Fr. Franciſcus à Suriano, Fr. Marius à Foroſarzinio, Frater Hieronymus Piſtorienſis, & Fr. Euangeliſta à Conobio, quorum ſpectata virtus, ac prudentia, his præſertim temporibus, plurimùm Religioni ſplendoris, atque vtilitatis contulit.

*Thomas in Generalatus officio confirmatur.*

II. Antiquus, iam ab ipſa Religionis conſtitutione, vſus apud nos inoleuit; vt qui Generalatus officio defungitur, coram Capitulo publicè negligentias in officij adminiſtratione à ſe commiſſas accuſet, ac ſalutarem pœnitentiam, iuxta delictorum menſuram, conſtitutam accipiat. In hoc itaque Capitulo, cùm nimia in puniendo ſeueritas, Thomæ Generali obiecta fuiſſet: id illi, poſt grauem obiurgationem, pœnitentiæ ab Euſebio iniunctum fuit; vt Popinæ patinas, & vtenſilia ablueret: quòd ille eò alacriùs opus obeundum ſuſcepit: quòd & ad humilitatem conferret; atque eo ſe à prioris officij onere, à quo ſe abdicare decreuerat, liberandum ſperaret. At cùm res illi ex ſententia minimè ſucceſſiſſet, (ſtatim enim poſt hæc habitis Comitiis rurſus in Generalatus munere, communi omnium ſuffragio confirmatur) rem is adeò moleſtè tulit, vt cùm tenaciùs propoſito inhærens, electioni prorſus aſſentiri recuſaret, cæteris de more Hymnum: *Te Deum laudamus* &c. concinentibus, & Eccleſiam adeuntibus; is in Cellam ſeceſſerit. At cæleſti voce admonitus, qua ad crediti ſibi oneris labores compellitur; conſilium mutat, & ad Eccleſiam pergens, oneri humeros iterum ſupponit. Rurſus quoque Euangeliſta à Canobio ad Procuratorium munus eligitur, qui, cùm aduerſa valetudine præpeditus, ei deinde muneri vacare non potuiſſet, Euſebius in ipſius locum ſufficitur.

*B. P. Franciſcus in Aede B. Mariæ orans cernitur.*

III. Hoc tempore apud Calabros Religio maximè propagabatur: quo tempore Apruſti, ſeu Caſtrouillari, non abſque diuini Numinis prouidentia, illuſtrique S.P. Franciſci apparitione, extruitur. Res ita apud noſtra Monumenta narratur. Ædicula quædam S. Mariæ Virgini dicata, haud longè ab Vrbe diſtabat: quò cùm Ciues deuotionis cauſa confluere ſolerent; accidit aliquãdo, vt plurima hominum ac mulierum turba eò contendente, duo Adoleſcentes cæteros præirent; qui Ædiculã ãte alios ingreſſi, ante Altare Fratrem, Capucinorũ more indutũ, orantem reperiunt: cuius aſpectu exterriti, cùm Capucinos antea nunquam vidiſſent, pedem retrahunt, cæteriſque rem velut nouam ſignificant. Eò verò cùm & reliqui appuliſſent, neminem in Ædicula orantem offendunt. Rem Adoleſcentes ſeriùs confirmant: Orantiſque Fratris adamuſſim locum, atque habitus formam, & qualitatem referunt. Rem omnes apud ſe tacitè conſiderant: cúmque graui Myſterio haud carere cenſeant, eam ſibi cuncti alta mente reponunt. Interea, vix ſextus poſt hæc menſis elabitur; quum ex Capucinis Concionator, cum ſocio ad Vrbem prædicaturus accedit: quos ſimulatque Adoleſcentes conſpiciunt: habitum agnoſcunt, ac per Vrbem conclamantes. En (inquiunt) cuius habitus, & forma Vir ille erat, qui

*Apruſti Conuentus extruitur.*

in S. Mariæ Aedicula orabat. Vrbs necdum Capucinos nouerat: quo fit, vt quum primùm Concionatorem Apoſtolico Spiritu ardentiùs Dei Verbum prædicantem audit; ac præclarioribus vitæ exemplis oris verba confirmantem cernit: Nouæ Religionis ſtudio allecti Vrbis Proceres, Conuentum illi conſtruendum decernant. Extemplò locus ad ædificandum quæritur: At pluribus exploratis, vt Dei conſilium obtineret, nullus aptior ædificationi locus, illa B. Virginis Aedicula, à cunctis iudicatur: in qua tandem huius Monaſterij fundamenta hoc anno iaciuntur: ac tunc primùm cunctis perſpicuum fuit, haud alium præterquàm B. Franciſcum, Virum illum fuiſſe, qui in ea ædicula idcircò orans viſus eſt, vt ſua apud Deum oratione locum illum Capucinis pararet, in quo ij piè Domino famulantes, homines ad pietatem compellerent, ac Deum Opt. Max. pro Vrbe rogarent.

IV. Thomas igitur Viſitationem exorſus, cùm Narnia ad Aquæſpartæ, ſeu Porcariæ Conuentum proficiſceretur: antiquus ille mendacij Pater, & concordiæ hoſtis; vt illius Familiæ pacem, quæ nimis illi inuiſa erat, conuelleret; ſolemnes in eam inſidias ſtruit. Sardus enim quidam Frater, qui ex Aquæſpartæ Conuentu Generali obuiam venerat: vbi de nonnullis, quæ ad eum pertinebant, in itinere cum eo egit: ab illo digreſſus, ad Socios ſecedit; quibuſcum poſt Generalem gradiebatur. Interea Dæmon Sardi illius Fratris vultum, ac formam aſſumens, pluribus compoſitis mendaciis Generali perſuadere cœpit, illius Familiæ Fratres mutuis inter ſe odiis exardeſcere; omniáque in eo Conuentu peſſum ire, niſi acrius ab eo remedium adhibeatur. Captat callidus hoſtis Thomæ naturam, quàm cum ad ſeueritatem maximè noſſet propendere; tanta rerum turbatione exulceratam, ad alterutrum impellere poſſe putabat: vel vt inſontes puniret, vel plus æquo in eos exardeſceret, quos iurgiorum ſatores eidem eſſe perſuaſerat: neque enim ignorabat. Iratum, qui accedit ad pœnam, mediocritatem illum tenere non poſſe, quæ eſt inter nimium, & parùm: ſicque à recta iuſtitiæ regula exorbitantem, ad Familiæ illius damna, ac perniciem propelleret. Credit Generalis compoſitis illis ficti Sardi verbis, quæ maximum communis concordiæ zelum præſeferebant; plurimúmque animo ob illius Familiæ Schiſmata exagitabatur. Variæ ac multiplices cogitationes illius mentem afficiebant, turbabant, ac velut tempeſtate quadam iactabant. Satan verò vbi Generalis animum in Familiam commouit, ab ipſius ſe oculis ſubripit. At ille cùm aliquantiſper varia ſecum conſilia, ac remedia contuliſſet: Sardum Fratrem, quem rerum delatorem putabat, iterum accerſitum diligentiùs interrogat; & quò meliùs turbatis rebus mederi queat; ab eo diſcordiarum cauſas, ac elementa quærit. Stupet ea interrogatione Sardus: cúmque noua prorſus ea illi res videretur, nihil vnquam de hoc Familiæ ſchiſmate à ſe dictum, aut excogitatum affirmat: Hoc Sardi Fratris reſponſo, nonnihil Thomas animo perturbatur, vrget, interrogat. An non (inquit) tu ipſe nuper de his mecum longiori ſermone diſſeruiſti? Cur te nouum, ac ignarum fingis? Cui ille: Certè, Pater, tam noua audio, vt tibi prorſus mirandum non ſit, ſi in re mihi penitus ignota nouus tibi videar. Neque enim poſt primùm viæ occurſum, in quo de nonnullis, quæ ad me ſpectant, tecum egi; vllum vnquam, aut de huius Conuentus Familia, aut de aliis omninò rebus, verbum protuli; cùm te relicto ad ſocios acceſſerim: At neque, ſi vera effari iubes, quæ modò commemoras, vera ſunt. Tota enim Conuentus Familia ſumma ex Dei benignitate pace gaudet; neque eſt in ea Satan, aut occurſus malus. Quis igitur ille eſt (ait Generalis) qui longa verborum ſerie, tot mihi infauſta de hac Familia recenſuit? Ipſi quoque Generalis comites Sardum Fratrem, neque ab ipſis vnquam diuulſum, neque cum eo collocutum fuiſſe confirmant. Obſtupuit Thomas: ac tandem illud Dæmonis opus fuiſſe agnoſcit; qui vel Familiæ illius pacem turbare, vel Generalis animum in eam concitare tentauerat. Indéque prudentior didicit, nunquam Generali, aut Superiori primis cuiuſquam accuſationibus credendum eſſe: ſed tam diù dictis fidem negandam, quoad rem facto, ita

*Dæmon Fratris ſpeciem aſſumens Thomam Generalem in Familiam concitat.*

*Thomas varia conſilia agitat.*

*Dæmonis ars detegitur.*

*Primis accuſationibus nunquam credendum.*





eſſe exploratum fuerit. Primæ enim accuſationes ſæpè à Dæmone ſunt, ac frequenter contingit; vt qui his facilè credunt, in grauiſſimos plerunque errores incidant; quos nulla deinde ratione inſtaurare queant.

V. Grauiſſima interea apud Calabros, per totum Rheginum Agrum, peſtilentia graſſabatur: quæ cùm Vrbem Rhegium tam miſerè depaſceret; vt Eccleſiæ Miniſtris, vel abſumptis, vel longiùs effugatis; non eſſet, qui ob horrendam morbi faciem, languentium multitudini Sacramenta adminiſtraret; ac in ſupremo illo communis cladis periculo opitularetur. Aderant tunc in noſtro Rhegij Conuentu, tres Viri virtute, & charitate eximij: quorum nomina ſunt Frater Hieronymus à Georgia, alter Hieronymus à Monteſorio vterque Sacerdos, & Fr. Iacobus Rheginus, Laïcus. Horum primus cùm inter plurima ſpiritus dona, quæ à Deo acceperat; pia, ac lachrymoſa quadam Dominicæ Paſſionis meditatione potiſſimùm præcelleret: eo fiebat, vt in ſacrorum Myſteriorũ oblatione, in profluentes ſemper lachrymas ſeſe effunderet. Secundus, præter reliquas virtutes, quibus animũ exornauerat; tã perfectã linguæ cuſtodiã, ac verbis circũſpectionẽ, poſt primũ Religionis amplexũ, adhibuit; vt nihil vnquam ſub aſſeueratione affirmaret; ne fortè in aliquo verbo offenderet. Tertius tandem abſtinentia, oratione, ac diuinæ familiaritatis conſortio, eam virtutum perfectionem attigerat; vt quàmplurimos Crucis ſignaculo à morbis curaret. Hi igitur, cùm miſerandam Vrbis ſtragem, ac tot pereuntes hominum turmas omni humano ſolatio deſtitutas cernerent, animas ſuas pro Chriſto, ac fraterna charitate contemnentes; impetrata à Bernardino Rhegino, qui alter à Georgio iampridem defuncto erat, tunc Rhegij Guardiano facultate, laborantium ſeſe obſequiis mancipant. Dum itaque omni charitatis officio pio operi, ac labori incumbunt; neque vllis vitæ periculis parcunt, quò ſeſe in aliorum ſalutem effundant: ipſi quoque peſtilentia ſublati, voluntario charitatis Martyrio coronantur. Hieronymus à Georgia, cùm ſub meridiem, in Hoſpitali laborantium Domo Deo Spiritum reddidiſſet; eodem temporis momento Fratri Antonino Rhegino, Viro ſancto, ac miraculis claro, in Cella apparens; ac totus exultans, illum his verbis compellat: Veni Antonine Frater, veni. Cumque Antoninus adhuc illius mortem ignorans, viuum crederet, ad eum propiùs accedere verebatur, ne contagium contraheret. Cui Hieronymus: Ne metuas, inquit; tantummodò mecum perge. Cúmque ſimul Sancta Sanctorum ingreſſi fuiſſent: mox Hieronymus ex ipſius oculis euanuit: ſtatimque ex Vrbe nuncius adeſt: qui Hieronymum nona hora ex humanis ſublatum referret. Ex quo Antonino perſpectum fuit; illud planè temporis momentum fuiſſe, quo beata Hieronymi anima in cæleſte Sanctum Sanctorum conceſſerat. Iacobus quoque Rheginus, cùm in ſequentis diei Aurora morti debitum exoluiſſet, eadem hora Guardiani Cellæ oſtium pulſat; atque eo planè ritu, quo ab aliis fieri conſueuit, cúm è Conuentu exeunt, benedictionem ab eo poſcit, dicens: *Benedicite Pater.* Guardianus verò cùm ne quicquam adhuc de Iacobi tranſitu reſciuiſſet, Cellam egreſſus, Iacobum vbinam eſſet: quærebat, quum fortè in Fr. Antoninum incidit; qui cùm Iacobi obitum iam ex Dei reuelatione accepiſſet, ad Guardianum ait. Ne, Pater, Iacobum apud nos quæras: iam nunc corporis vinculis exolutus ad Superos euolauit: ac pro Obedientiæ merito, quod illi à te collatum fuerat, quum ad Ægrotorum miniſterium acceſſit, poſtulata benedictione tibi grates rependit. Horum Corpora in Eccleſia S. Saluatoris Vrbis Rheginæ ſepulta iacent.

*F. HIERONYMVS à Georgia.*
*F. HIERONYMVS à Monteſorio.*
*F. IACOBVS RHEGINVS Sanctimonia illuſtris.*

*Peſte laborantibus miniſtrat.*

*Peſte correpti ad Superos euolant.*

*Nõnullis poſt mortem apparent.*

## *FR. IACOBI A MELPHICTO, VITA ET GESTA ex variis M. S. exprompta.*

VI. HOc ipſo anno Fr. Iacobus à Melphicto, quæ Apuliæ Peucetiæ Vrbs eſt: Vir doctrina, conſilio, prudentia, Regularis obſeruantiæ zelo, patientia, ac multis aliis virtutibus clarus, vitam cum morte commutat. Hic inter Minores obſeruantes, ſua

*Fr. Iacobus Melphictanus inter Obſeruantes illuſtris.*

tempeſtate,doctrina,ac eruditione celeberrimus fuit:atque inde ſæpè Prouincialis munus in ſua Prouincia,magna cum prudentiæ laude adminiſtrauit: Capitulo Generali interfuit;in quo Patres Obſeruantiæ à Pontifice poſtulandum decernunt;vt Fratres Minores Conuentuales, vel Priuilegiis valedicerent; vel ſi Priuilegiis frui mallent, Ordinis ſigillum deponerent;ac Obſeruantibus, qui Priuilegio non vtuntur,integrum conſignarent.Ea propoſitio(vt ferunt)Põtifici oblata, illi prorſus honeſta viſa eſt:quapropter cùm iubente Pontifice,illius optio Generali Minorũ Cõuentualium Magiſtro data eſſet:is ne arctiori regularis obſeruantiæ iugo ſuos ſubiugaret, ab Ordinis ſigillo,quàm à Priuilegiis abſtinere maluit.

*De Religionis ſigillo quadã narrat.*

VII. Hæc quidem,quæ de Ordinis ſigilli tranſlatione, ex antiquis noſtris M. S. decerpſimus, maiorem proculdubio auctoritatem, ac fidem expoſcunt: quo fit, vt cùm in hoc quid certum, ac liquidum ſit, haud facilè à nobis affirmari queat:rem potiùs ex aliorum,quàm ex noſtra ſententia diiudicandam cenſeamus.

VIII. Iacobus igitur Melphicti Guardianus erat: quum gemini aliquando Capucini Fratres, à Ludouico Rhegino,qui tunc Calabris præerat, ad Religionem iis in locis propagandam, miſſi,ad Monaſterium illud ſub Solis occaſum accedunt: quos cùm is benignè hoſpitio excepiſſet; ab eiſque cauſam ſciſcitatus fuiſſet, cur aſperiorem illã vitam ducerent:Reſpondent illi:Minores Fratres, qui perfecti Regulæ cultores eſſe volunt, ad eam ipſa Regularis obſeruantiæ lege compelli. Riſit Iacobus. Et vndenam (inquit) id ex Regulæ præſcripto colligitis? ij verò, cùm Viri prudentes eſſent, tam appoſitè, ac ſapienter de præſcripta Regulæ obligatione,atque illius obſeruantia agere cœperunt: vt qui in Theologica ſcientia doctiſſimus erat,Regulæ diſciplinam necdum ſe aſſecutum agnoſceret.Quare,cùm ab eo tempore animum magis ad Regularis diſciplinæ ſtudia intendiſſet;tunc primùm,& pericula in quibus verſabatur, cœpit animaduertere; ac rebus ſuis prudentiùs conſulere ſibi in animum induxit.

*De Regulari Obſeruantia cum Capucinis agit.*

IX. Hoc itaque maturè ſecum deliberato, Miniſtri Prouincialis aduentum captat: & cum eo pluribus verbis de reformanda Prouincia agit: qui cùm Viri grauiſſimi auctoritatem, ac perſonam vereretur; rem quidem negare non eſt auſus: eam verò vſque ad Patrum Congregationem,quæ breui colligenda erat, differendam ſentit. Re igitur in Congregatione propoſita: Patribus viſum fuit, eam meliùs,ac perfectiùs in Prouinciali Capitulo peragendam fore. Acquieuit eouſque Iacobus: nonnulloſque Regularis inobſeruantiæ abuſus, in eo Patrum conſeſſu proponendos, ſcripto exarat: à quibus Reformationis exordia petenda eſſent: atque inter alios is erat; Vt conſuetudo quædam, iam olim in ea Prouincia introducta, expungeretur: qua fiebat, vt quum primùm Fratres in aliqua Vrbe Conuentum erigerent, cum Ciuibus pactum inirent; vt de veſtitu ab iis toti Familiæ prouideretur: quod cùm ad certam rerum prouiſionem pertineat, id Regula fieri prohibetur. Ad Capitulum ventum, atque hi Reformationis articuli cùm in eo diu, multumque vltrò citróque agitati eſſent, tandem approbantur:verùm cùm ea approbatio haud ſpontè, atque ex animo flueret: Reformatioque vi quadam,ac neceſſitate extorta, virtutis humore careret; breui aruit: vixque ad ſextum vſque menſem peruenit. Id cùm Iacobus ægrè ferret; Apuliæ Prouincia relicta, ad Neapolitanam ſe confert;vbi aliquandiu Theologicis diſciplinis tradendis vacat: ſed cùm Reformationem bis,terque in hac quoque Prouincia tentatam,aſſequi minimè poſſet; ad Capucinos migrare cogitat. Accidit verò, vt quo tempore Iacobus Neapoli Verbum Dei diſſeminaturus erat, eò quoque Bernardinus Ochinus Prædicationis gratia accederet: quem cùm Iacobus olim familiarem habuiſſet, cum ante Quadrageſimalium Sermonum initium amicè inuiſit; ſuique animi cum eo deliberationem confert; qua ad Capucinorum Religionem ſibi tranſmigrandum ſtatuerat. Laudat Ochinus conſilium: antiquoque ambitionis vitio impulſus, vt eò faciliùs illi tranſmigrationem perſuadeat; vix Religionem ingreſſo, Prouincialis eum dignitate ho-

*Cum Miniſtro Prouinciali de Reformãda Prouincia tractat.*

*Reformationis articulos in Capitulo proponit.*

*In Neapolitana Prouincia fruſtra Reformationem tentat.*

*Cum Bernardino Ochino de tranſmigratione ad Capucinos agit.*





neſtandum pollicetur. At qui non tumidos honorum titulos quærebat, nec ambitionis ſpiritu ad Religionem ducebatur; ſapienter reſpondet: ſe non honores,ac dignitates; ſed Regulæ obſeruantiam apud Capucinos quærere; ac propterea iis minimè moueri. Quamobrem abſoluto Quadrageſimalium Sermonum curſu, is cum Socio, ac nonnullis aliis, Sacræ Theologiæ canditatis, Anno 1536.ad Religionem conuolat.

*Ad Capucinos poſt Quadrageſimalem laborem migrat.*

X. Erat Iacobus multis corporis incommodis affectus: ita vt ob exundantem pituitoſi humoris fluxum, quo obruebatur; vt faciliùs pituitæ frigiditatem arceret, ac humorem conſumeret,habitum inter Obſeruantes,intus purpura munitum geſtaret: quod ſanè haud leuiter ipſius animum affligtabat, ac metu exagitabat: ne auſterioris vitæ aſperitates, quas ſibi apud Capucinos ſubeundas non ignorabat, ferre valeret. At qui debiles confirmat; & iis,quos vocat,nouam è Cælo fortitudinem præſtat,Deus Opt. Max. eam Iacobo,poſt Religionis ingreſſum, corporis incolumitatem contulit: vt, areſacta pituita, vniuerſas Religionis auſteritates, non tam æquo,quàm alacri animo ſuſtineret.In noua hac ad Capucinos vocatione, Iacobus tam præclarum Regularis Obſeruantiæ, ac prudentiæ ſpecimen edidit: vt plurimùm apud omnes nominis, atque auctoritatis adeptus fuerit; nihilque graue in Neapolitana Prouincia,abſque illius conſilio fieret. Euangelicum prædicationis munus, quo iam antea egregiè præcellebat; poſt ſuum ad Capucinos acceſſum, tam ardenter, atque Apoſtolico Spiritu proſequutus eſt: vt Foroliuium à Franciſco Æſino Generali miſſus, cùm Vrbem, quorumdam opera, non nihil Hæretico errore imbutam offendiſſet; tum publicis Sermonibus, tum priuatis diſputationibus in errores inuectus, nihil ſtudij, aut operis prætermitteret; quo Vrbem ab ea tabe expurgaret. Ex quo graue quorundam Hæreticorum in ſe odium concitauit: qui cùm ſe Catholicos ſimularent, eum contrà vbique Hæreſis inſimulabant. Hinc Ferrariam profectus, dum in ea Vrbe Dei Verbum diſſeminare aggreditur, omnes ſibi, Dæmonum ſtudio,aditus ad prædicandum præcluſos reperit. Foroliuienſes namque Hæretici, qui Iacobum pluſquam Vatiniano odio proſequebantur; cùm eum Ferrariam proficiſcentem audiiſſent: omnem protinus operam nauant, vt exaratis ad Epiſcopalis Sedis Vicarium literis, Iacobum apud eum Hæreſis ſuſpectum reddant; aliiſque ad pleroſque Ferrarienſes Ciues conſcriptis, Vrbem totam eo rumore compleant. Quo factum eſt: vt quum primùm Iacobus Ferrariam appulit, ac Dei Verbum in ea Vrbe diſſeminare tentauit: illi & ad prædicandum Eccleſia, & ad habitandum Domus à Ciuibus denegaretur. Haud tamen Iacobus animum deſpondet: ſed cùm rem humilitate, ac patientia peragendam intelligeret: diſſeminatum rumorem præclaris patientiæ, ac vitæ exemplis præfocare ſtudet:Vixque tandem à Ciuibus Eccleſiolam, & Hoſpitium rebus omnibus domeſticis ita vacuum accepit:vt præter nudas lecti tabulas,nihil penitus eorũ,quæ neceſſaria ſunt,miniſtraret. Tunc Socio Iacobus. Eia Frater(inquit) animos auge. Debile quidem principium eſt:Melior tamen fortuna ſequetur. Iam nobis certo experimento probandum;num & Deus Opt.Max.Ferrariæ ſit:an ipſius ab ea numen abſit. Hoc ipſo tempore Hugo Boncompagnus, qui deinde Pontifex fuit, Gregorij XIII. nomine inſignitus, Vicarij Epiſcopalis in ea Vrbe officio fungebatur: Ad quem quum primùm Iacobus, vt ab eo prædicandi facultatem obtineret,acceſſit: protinus ad eum Vicarius. Tune (inquit) Iacobus ille es: qui Foroliuij Hæreſes diſſeminauit? Id enim de te auditum fuit. Cui Iacobus. Ego quidem ait, Iacobus appellor: ſed abſit, vt Hæreſum diſſeminator, quin potius profligator eſſe iudicer: Hactenus non nouorum; ſed Catholicorum dogmatum, ſolo Dei munere, aſſertor fui:Foroliuij nuper Dei Verbum, non Hæreſes diſſeminaui; quin etiam contra Hæreſes ibi exortas pugnaui:Catholicam Fidem verbo, ac ſcripto propugnatam,ab errore vendicaui;vt omnis me Hereſis hoſtem oſtenderem: Neque alio mihi in hac re, præterquam ipſa Vrbe, teſte opus eſt.

*Foroliuij prædicans Vrbem ab Hæreſi expurgat.*

*Ferrariæ Hæreticorũ opera illi Hoſpitium denegatur.*

*Hugo Boncompagnus Ferrarienſis Epiſcopi, Vicarius.*

Caue, optime Vir; ne qui malam hanc de me famam diſſeminant, malè ipſi de Catholica Fide ſentiant: Verùm cùm ipſa experientia, quæ integer teſtis eſſe ſolet, res magis, ac faciliùs probari queat. Veniat Dominus Vicarius, & Iacobum prædicantem audiat: tum verò apud ſe prudenter iudicet, num ipſius doctrina Catholica, aut Hæreſis ſuſpecta haberi debeat. Dicto acquieſcit Vicarius: Prædicationiſque illi themate, de abſtruſiſſimo diuinæ Prædeſtinationis Myſterio propoſito, præſcripta die, ad ſermonem accedit: in quo Iacobus tam luculenter, ac perſpicuè de re tanta diſſerit: Vt Vicarius, ac Ferrarienſes Ciues, qui curioſiùs ad Sermonem confluxerant: Viri, tum in Fidei rebus pertractandis, tum in doctrina explicanda, præſtantia perſpecta, omnem prorſus mali ſuſpicionem ab animo abſterſerint: protinuſque cuncta, quæ tum hoſpitio, tum illius victui neceſſaria erant, omni ſtudio miniſtranda curauerint. Tunc Iacobus ad Raphaëlem Aſtenſem ſocium conuerſus. Vides (inquit) Raphaël, Deum necdum Ferraria exulem eſſe: Porrò in ea Vrbe, cùm is diu maxima cum audientium vtilitate, Dei Verbum diſſeminaſſet. Inde Epidaurum profectus, tantam ſibi apud eam Rempublicam, & populum, ad omnem tum Religionem, tum pietatem procliuem, ſua prædicatione gratiam conciliauit; vt eum ſibi Epiſcopum à Pontifice poſtulauerint: at eo conſtanter Epiſcopatum recuſante, Pontifex tametſi ad Reipub. petitionem propenderet; inuitum tamen ad id munus compellere noluit.

*Iacobus ſermonem Ferraria de Prædeſtinatione diuina inſtituit.*

*Facetum Iacobi dictum de Deo Ferraria non extincto.*

*Epidauri à Rep. Epiſcopus poſtulatur.*

XI. Epidauro digreſſus Iacobus Venetias proficiſcitur, vbi dum Euangelici Agricolæ inſtar, diuini verbi ſemina ſpargit; fertilémque hunc Eccleſiæ agrum excolit, atque ad vberiorem fructum prouocat: Generalis Minorum Obſeruantium Miniſter, qui eo tempore Venetias appulerat; cùm ad ſuos Iacobum reuocare cuperet: F. Clementem à Monelia ex Sociis præcipuum, ad eum mittit, qui ſuo nomine multis eum pollicitationibus ad prioris Ordinis reditum alliciat; præſertim cùm breui Capucinorum Congregationem à Pontifice extinguendam fore affirmaret. Cui Iacobus. Rem planè, inquit, ridiculam narras, cùm Capucinorum Congregationem mox delendam eſſe autumas: neque enim ea idcirco à Deo inſtituta fuit, vt vix ortam confeſtim ad funera rapiat: viuet profectò, vigebit, & in Orbe proficiet Capucinorum Religio. Tu verò Generali Miniſtro renuncia; me Regulæ obſeruantiam, quam diu optaueram, apud Capucinos inueniſſe; neque aliud mihi apud alios, aut quærendum, aut optandum ſupereſſe. Hoc Iacobi reſponſo haud contentus Generalis, iterum maioribus illum promiſſis tentat; Reformationique, quæ tum in Italia, tum in Hiſpania excitanda foret, præfecturum illum pollicetur. Has quoque pollicitationes Iacobus breui reſponſo intercipiens, ait. Dic Generali Miniſtro, me Regulæ obſeruantiam, non dignitates, aut Primatus quærere; plurimos apud ſe habet, quos his dignitatibus cohoneſtet, mihi inglorium viuere, gloria eſt. Tertium tandem, ac poſtremum lapidem mouet Generalis Miniſter; ſpondetque Iacobo, ſi ad ſuos redeat, ſe totum Ordinem ad Reformationem adducturum. His auditis Iacobus, haud ita ſe continere potuit; quin protinus reſponderet. Quid fruſtra Generalis Reformationem ſpondet? ſuæ in primis reformationi ſtudeat, tum de Reformatione ipſum ſeriò cogitare, mihi ipſi facilè perſuadere potero. Hoc pacto Vir grauiſſimus, cùm trinam hanc tentationem deuiciſſet: proculdubio exutum omni ambitione animum, conſtantiſſimumque in aſſumpta Religione mentis propoſitum, nunquam ſatis laudandum declarauit.

*Ter à Generali Obſeruãtium Miniſtro tentatur, vt ad Obſeruantes redeat.*

*Sapientiſſima Iacobi reſponſa referũtur.*

XII. Poſt hæc Aleriũ venit; vbi fœneratores, quos ibi copioſos reperit, tũ ſermonibus, tũ publicis diſputationibus, tã vehemẽter inſectatus eſt; vt Deo præſertim opitulante, omnia inde fœneratitia pacta, & cõtractus abſtulerit. Cùm verò acriùs quadã die pro ſuggeſtu vſuras exagitaret; Vir quidam fœnerator in Vrbe potẽs, cùm ea velut ſibi dicta acciperet, de ipſo apud Proregem conqueritur. Iacobus verò eò vocatus, vbi ſe nullius ſingularis perſonæ vitium publicè attigiſſe; ſed in genere tãtummodò, fœneratorum ſcelus perſecutũ fuiſſe oſtendit. Ad fœneratorem conuerſus ait:

*A Fœneratore accuſatus eundem Miraculo terret.*

Ego qui



Ego quidẽ ne publicum ſcelus tuum palàm arguerem, tuo honori, ac exiſtimationi dedi. At quid? An non tu Vir ille es, qui in alis, ac veſtibus tuis pauperum ſanguinẽ geris? Iam tuum mihi pallium cede. Ita me Deus adiuuet, ni ex eo viuum pauperum ſanguinem exprimam. Cumque manum ad Fœneratoris pallium extendiſſet; exterritus ille mox aufugit, ne Dei Iudicium ſcelus ipſius aperiret.

XIII. Mirum planè erat, quàm liberè, quàm grauiter, quàm ſeuerè Vir hic Euangelicus ipſa quoque Potentium vitia increparet. Marchio Vritanus, qui eo tempore Frentani dominabatur; cùm varios errores, ac hæreſes hauſiſſet; eas clam per Hæreticum Miniſtrum diſſeminabat. Quod vbi Iacobus agnouit, facultate à Fr. Pacifico Brixiano, tunc Hidruntinæ Prouinciæ Vicario Prouinciali lata, Marchionem adit: quem cùm multis argumentis conuictum ab hæreſi reuocare non poſſet, grauiùs increpat; vt eum Dei ſaltem iudicio terreat. Tum verò in ipſius errores Frentani publicè pro ſuggeſtu inuehi cœpit: tantúmque ſuo labore, ac prædicatione profecit; vt erroribus ab Vrbe pulſis, Catholicam illi Fidem, ac veritatem reſtitueret. Rem Marchio tam grauiter tulit: vt mox illũ hoc aſtu de medio tollere decreuerit. Simulat is ſe nonnulla errorum ſuorũ cognitione ductum, Iacobi colloquium expetere; quẽ propterea, nuncio miſſo, ad ſe in Frentani arcem accerſit. Interea Militibus, qui Pontem Arcis deciduum cuſtodiebant, vehementiùs præcipit, vt quum primùm Iacobus ad eos peruenerit, mox eum è Ponte præcipitem deiiciant. Iacobus accepto nuncio; cùm nihil mali ſuſpicaretur, ad Arcem cum ſocio pergit; Pontem, ac Cuſtodes milites nullo reluctante pertranſit, ad Aulam peruenit, tandem ipſum Marchionis cubiculum, nullo prohibente penetrat: qui illius aſpectu obſtupefactus, ad eum inquit. Quis te malus genius huc Iacobe adduxit? Cui Iacobus: Non me malus genius, inquit, ſed Deus Optimus Max. ac tuæ ſalutis ſtudium huc me aduehunt; vt ſi me benignum ſuaſorem habere renuas, ſaltem aſperum tuorum errorum cenſorem, ac correctorem accipias. Cumque multis rationibus fruſtra eum ab erroribus reuocare tentaſſet; ab eo tandem ſine fructu diſcedit: atque eodem modo Portæ cuſtodes, Pontémque nemine vim inferente tranſmeat. Marchio verò Cuſtodibus accitis, in eos acriùs excandeſcens, cauſam quærit, cur iuſſa non impleuerint? Iacobúmque è Ponte præcipitem non egerint? At illi Iacobum, aut ingredientem, aut exeuntem, haud ſe vidiſſe affirmant. Deus namque qui pro Iacobo ſollicitè inuigilabat; euntem, redeuntemque iis inuiſibilem præſtiterat, qui in ipſius cædem conſpirauerant.

*Liberè, ac ſeuerè Potentum ſcelera arguit.*

*Marchionem Vritãnum ab Hæreſi reuocare conatur*

*Marchio in ipſius necem conſpirat.*

*Inuiſibilis diuina virtute redditur.*

XIV. Intrepidum Iacobi animum nullæ minæ, nullaque vitæ pericula terrebant; præſertim cùm de Catholica Fide tuenda res ageretur: cuius acerrimus ſemper propugnator fuit. Fidei namque & animarum zelus, quo feruebat, maximam illi animo de Deo ſpem, ac confidentiam ingerebant: Hinc Deus Opt. Max. qui ardentiori hoc illius zelo, ac charitate delectabatur, ipſius mentem tanta ſapientiæ luce illuſtrabat; vt futuros quoque diuino Spiritu rerum euentus prænoſceret, ac præſignificaret. Dum enim anno 1553. Melphicti Dei Verbum diſſeminaret; maximéque in Fœneratores inueheretur: publicus quidam in Vrbe Fœnerator erat; qui quò acriùs ab eo increpabatur, eò magis in riſum, & cachinnum effundebatur. Cui Iacobus: Caue tibi, inquit, ne Latrunculis ludentem te Diabolus aliquando inſano ictu intercipiat: nec fruſtra elapſum verbum: paucis enim vix elapſis diebus, cùm Latrunculis luderet, eo ipſo temporis momento, quo à colludente ſupremus Regi fugiendi aditus intercluditur, repentina morte correptus, vitæ illi curſus abrumpitur.

*Fœneratori obitum breuẽ futurum prænunciat.*

XV. Plurimos iam ſuæ ætatis annos Iacobus exegerat; cùm vltima rerum linea appropinquante, Deus Seruum ſuum, quem fidelem in multis agnouerat, ſuprema tentatione probare voluit, vt ampliori corona donaret. Hidruntinæ Prouinciæ Proregem Iacobus grauiter læſerat, eò quòd ipſius in Iuſtitia adminiſtranda oſcitantiam: vnde grauiora in populo damna oriebantur, publicè arguiſſet. Quam-

*Proregem arguit ipſiuſq; in ſe odium concitat.*

obrem

obrem Prorex cuiuſdam libelli famoſi, qui in eum conſcriptus fuerat, occaſione captata: Iacobum, tanquam illius auctorem, ac præterea læſæ Maieſtatis reum, quaſi Prouinciam hoſtibus tradere vellet; exilio mulctat: at Iacobus, qui longè ab vtroque ſcelere alienus erat, oppoſita crimina abſtergere voluit: qui verò aduerſùs eum vltrò cauſam quæſierat, cùm nullum illi abſtergendæ calumniæ locum reliquiſſet; iniuſtam exilij damnationem, quæ poſtremam illi gloriam adferret, inſontem ſubire cogit. Exul itaque, ob prædicatæ veritatis teſtimonium, Meſſapiam proficiſcitur; vbi poſt biennium, annoſus, probatus, meritis ac virtutibus clarus Deo ſpiritum reddit. Tanta fuit illius ſanctimoniæ fama; vt Meſſapiæ publicè illi ſtatua erecta fuerit. At neque ea diuino teſtimonio vacauit; nam quarto poſt ipſius obitum anno; cùm ipſius Corpus exhumatum fuiſſet; integrum, ac incorruptum apparuit, ſuauiſſimo inſuper odore flagrans. Nonnulla is Opuſcula edidit, quibus præclaræ eruditionis cunctis monumenta reliquit. In his ſunt, Commentarius in Decalogum; alter in Pſalmum: *Domine, quis habitabit*, &c. Opus in Symbolum Fidei; aliud de Mortificatione carnis: poſtremum de Conceptione Virginis. Hoc pacto, cùm vtroque & vitæ, & doctrinæ teſtimonio clarus, ad Deum conſcenderit, illud quoque Euangelicum Elogium iure ſibi vendicat: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.*

*A Prorege iniuſto exilio mulctatur.*

*Maſſapia moritur, & poſt quartum annum ipſius Corpus integrum, ac ſuaueolens reperitur.*

Matth. 5.








I. NOVVS huius anni Milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſecundi circulus, intermiſſam iam pluribus annis, ſub Iulio 3. ſacroſancti Tridentini Concilij celebrationem reſtituit; primamque ſub Pio 4. Pontifice, die 18. Ianuarij, Patrum ſeſſionem aperit, quæ tamen ipſius Concilij decima ſeptima numeratur. Thomas verò Generalis, ne Religionis viſitationem, quam ſuperiori anno inchoauerat, infectam deſereret; F. Euangeliſtam à Canobio, qui tunc Mediolanenſem Prouinciam moderabatur, & cum eo Franciſcum Mediolanenſem, Virum doctiſſimum ad Concilium deſtinat. Poſt hos autem & Hieronymum à Piſtorio, qui in Concilio ad Patres ſermonem habuit, & alterum Hieronymum à Monteflorum; Viros prudentia, ac doctrina illuſtres mittit. Hos demùm & ipſe poſtremus ſecutus eſt: qui cùm inter Concilij Patres, de bonis immobilibus omnibus Religioſorum Ordinibus concedendis, agi intelligeret; protinus in Concilio ſurgens: quorumcunque tã mobilium, quàm immobilium bonorum poſſeſsioni apertè renuncians; S. Franciſci Regulam, quæ bonorum omnium poſſeſsionem prohibet, ſe cum toto Ordine purè, & ſecundùm Regulam, ac B. Franciſci mentem obſeruare velle publica proteſtatione declarat. Hac Thomæ proteſtatione permotus Generalis Min. Obſeruantium Miniſter, is quoque bonis omnibus immobilibus ſui Ordinis nomine renunciat. Atque eo factum eſt, vt in Seſſ. 25. eiuſdem Concilij, quæ ſequenti anno 1563. celebrata fuit: vterque & Capucinorum, & Obſeruantium Ordo, à bonorum immobilium poſſeſsione pulſus fuerit; quum in 3. Cap. decernitur. *Concedit S. Synodus omnibus Monaſteriis, & Domibus, tam Virorum, quàm mulierum, & mendicantium; exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obſeruantia vocantur: etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex Priuilegio Apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps bona immobilia eis poſsidere liceat.*

*Thomas Generalis illuſtres Viros ad Tridentinum Cõcilium deſtinat.*

*Omnium Bonorum poſſeſsioni in Cõcilio apertè renunciat.*

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.

II. In hoc Concilio, cùm Generalis Minorum Obſeruantium Miniſter, Minores Conuentuales ſibi ſubiicere tentaret; obſtitit viriliter Thomas, ea præſertim ratione: quòd huiuſmodi ſubiectio Capucinorum Congregationi, quæ Minorum Conuentualium Ordini, velut antiquiori innititur; prorſus exitialis eſſet, ac interitum minaretur. Quapropter nihil in ea re à Concilij Patribus innouatum fuit. Poſthæc idem Obſeruantium Generalis, miſsis ad Thomam Generalem grauibus quibuſdam Viris ex Reformatorum numero, eidem perſuadere conatur; vt Capucinorũ Ordinem cum Obſeruantium Familia vniat, quibus ille reſpondet, Capucinorum Ordinem præſentium rerum ſtatu ita contentum eſſe, vt meliorem non quærat. Cùm verò ij eo præſertim argumento fortiùs vrgerent; quòd Generalis Minorum Obſeruantium Miniſter, ex Leonis X. Pont. Bulla, ſupremum totius Religionis Minorum Caput eſſet: ab iis Thomas percunctatur; Num Generalis ex Reformatorum numero, vel à Reformatis electus eſſet. Cui cùm ij reſpondiſſent, eum neque ex Reformatorum grege, neque à Reformatis electũ fuiſſe: protinus Thomas Leonis Bullam è ſacculo hauſtam illis legendam offert: in qua Pontifex decernit; vt qui ſupremus totius Ordinis Generalis futurus eſt, ex Reformatis aſſumatur: atque à Reformatis eligatur. Iam verò (ait Thomas) ſi non ex Reformatis aſſumptus, neq; à Reformatis electus eſt Generalis veſter: qua ratione ſe ſupremum Ordinis Generaliſsimum iactat? Id cùm Obſeruantium Generali renunciatum eſſet; veritus ille ne quicquam hac de cauſa in Concilio aduersùs eum ageretur; ſtatim à Concilio abſcedens in Hiſpaniam proficiſcitur.

*Generalis Obſeruantium Miniſter Cõuentuales ſibi ſubiicere tentat, cui Thomas obſiſtit.*

*Thomas Generalis qua ratione vnionem cum Obſeruantibus reſpuat.*

III. Sapienter Thomas Generalis, antequam ad Concilium accederet, apud ſe cogitauerat, faciſè accidere poſſe; vt antiqua de Habitu, & quadrato Caputio, iterum lis, & controuerſia ab Aduerſariis in Concilio excitaretur. Quamobrem dum Florentia iter facit, id potiſſimùm curat: vt verum B. P. Franciſci habitum, qui apud Ethruriæ Duces, Florentiæ aſſeruatur; & quadrati illius Caputij formam, quæ ea prorſus eſt, quæ nunc Capucinorum eſſe ſolet: graphicè in tabella depicta, publicáque Tabellionis fide munita, ex ea referat: quæ cùm illius magni Ducis benignitate accepiſſet; Monogrammam figuram ſecum ad Concilium defert: & quidem peropportunè. Cùm enim Concilij Patres diligentiùs ab eo perquiſiuiſſent; vndenam illam Habitus formam Capucinorum Ordo ſibi adſciuiſſet: is protinus delineatam illam B.P.Franciſci Habitus, & Caputij ſpeciem, quam Florentia ſecum attulerat, coram Patribus explicans, inde ſuam Habitus formam Capucinorum Ordinem deſumpſiſſe comprobat: atque hoc pacto iis, qui ex aduerſo pugnabant, ſilentium impoſitum fuit.

*Veram S. Franciſci habitus figurã ad Conciliũ defert.*

IV. Dum igitur, propter optimam Thomæ Generalis adminiſtrationem, Capucinorum Religio, plurimùm hoc tempore apud Deum virtute, atque apud homines exiſtimatione, ac ſanctimoniæ fama excreſcit: pleriſque Deus, liberaliſſimus operum diſtributor, Iuſtitiæ coronas reddit; qui aduerſùs vitia, ac ſpirituales nequitias ſtrenuè dimicantes, vi ſibi cæleſte Regnum compararunt. Illud quidem ſumma ſemper admiratione dignum viſum fuit, iis præſertim, qui Dei conſilia, ac cæleſtes hominum vocationes ſapientiori animo contemplantur: quo pacto Deus Opt. Max. aliquos ab ipſo vitalis lucis crepuſculo, ad ſui amplexum trahat; ac velut amantiſſima quædam Parens in ſinu foueat, nutriat, donis, ac gratiis vegetet, augeat, amplificet, donec ad perfectum adducat: ac demùm cæleſti gloria donet. Aliquos verò diuturnis primùm ſceleribus obrui, flagitiis operiri, ac velut imo cœno infixos, inter profundas peccatorum ſordes verſari ſinat: antequam è Cælo manus porrigat; eoſque ad Iuſtitiæ lucem euehat: Hoc Dei conſilio nihil ſanè profundius: cuius tamen rationem reddit Apoſtolus, ad Timotheum ſcribens, his verbis. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc Mundum, peccatores ſaluos facere; quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum; vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Nam quemadmodum erga priores Dei bonitas, ac liberalitas potiſſimùm fulget, quibus acceptò fert Iuſtitiam: ita & in poſteriores præcipuè Dei Miſericordia elucet: quam propterea Deus clementiſſimus, ob Chriſti Ieſu meritum, his poſt plurima ſcelerum naufragia confert; vt poſterior, ac vberior eorum virtus poſteris diſciplina ſit: qua à vitiis reſipiſcere, & ad pœnitentiam fortiùs animari diſcant.

*Dei conſilia in varia hominum vocatione expenduntur.*

*1. Tim. 1.*

V. Porrò hæc Dei conſilia, in Baptiſta Fauentino, ac Franciſco Nouarienſe, nobis hoc anno ſeſe perpendenda offerunt: dum ille è maximis ſceleribus euocatus, atque ad omnem Religionis patientiam, ac virtutem compoſitus, Iuſtitiæ coronam verè pœnitentibus repoſitam à Deo tandem aſſequitur. Hic vberioribus ab ipſa oriente ætate, Dei donis perfuſus; vitam magna cum virtutum laude, ac ſanctimonia tranſactam, pretioſa Sanctorum morte claudit.

## *FR. BAPTISTAE FAVENTINI,*
## *Vita, & Geſta.*

PRioris itaque Baptiſtæ vitæ ſeriem auſpicantes, eam à Patria exordimur; quam Fauentiam, Aemiliæ Vrbem fuiſſe, certum eſt: vbi cùm diu vitam plurimis, ac turpiſſimis ſceleribus contaminatam duxiſſet; cò tandem ſcelerum deuenit; vt inter nefarios homines, ac Proſcriptos deſcriberetur. Is tamen, cùm ita perditus, ac deſperatus eſſet; vt intra communem flagitioſorum numerum

*F. Baptiſtæ Fauentinus, Proſcriptorũ Princeps.*



numerum contineri non pateretur: Proſcriptorum, ac facinoroſorum omnium caput conſtitutus, tot prioribus ſceleribus crimina addidit; vt velut immaniſſimum, ac fœdiſſimum improbitatis monſtrum, cunctis ſe flagitiis ingurgitaret; perditéque in omne ſcelus, ac facinus ſe proijceret. Demùm quæcunque in homine nefario, ac flagitioſo vitia reprehendi, publiciſque legibus damnari poſſunt, ea in hoc vniuerſa redundare viderentur.

*Maximis ſceleribus contaminatur.*

VI. Vir erat proceræ magnitudinis, ac tam robuſtis viribus à natura præditus; vt medium hominem arreptum, diu manu in aëra ſuſpenſum teneret. Dextrũ brachium ita læuo protenſiùs à natiuitate acceperat: vt cùm enſem dextera diſtringeret, tam longè in alterum protenderet, vt haſtam manu gerere videretur. Vultus furorem, oculi feritatem, ſermo atrocitatem præſeferebat. Animus illi erat, ad omne facinus audax: quo factum eſt, vt cùm primùm Anconitana Vrbs à Pontificiis expugnaretur; is primùm Papæ vexillum illius mœnibus intulerit. Priùs ſub Vrbinatum Duce Magiſtri militiæ onus ſuſtinuit: deinde ſub Pontificibus Clemente VII. & Paulo III. Dux Cohortis creatus, plurimam in bello laudem conſecutus eſt. In his tamen, vt fert improborum hominum natura, cùm mentem maximis vitiis contaminatam gereret: nihil probum, nihil honeſtum, nihil virtute dignum, nihil denique à turpitudinis labe immune in animo volutabat. Quo fit, vt optima ipſa naturæ dona ad vitiorum fomenta transferret.

*Natura ferox, & ferus.*

VII. Cùm verò placuit ei, qui dicit de tenebris lumen ſplendeſcere: vt qui priùs blaſphemus erat, Deum ſua pœnitentia glorificaret: & qui ad cædes, ac rapinas inhiabat, iam ad meliora conſilia conuerſus, ſeipſum viuentem, ac Deo placentem hoſtiam immolaret: dum aliquas in Florentina Vrbe moras trahit; primum ibi Dei ad meliora volcantis ſpiritum haurit: quod ita accidiſſe narratur. Dei Verbum Fr. Bernardinus Senenſis tunc in ea Vrbe, ſummo omnium applauſu, Quadrageſimali tempore diſſeminabat: cùm eo audito Baptiſtæ mens, quæ in ſcelerum profundo verſabatur, tam acutis diuinæ virtutis ſtimulis agitari, tantóque repentè cæleſtis lucis fulgore illuſtrari cœpit; quo deplorandam vitæ rationem, quam eatenus inſtituerat, luculentiùs cerneret: vt tunc primùm anteactæ vitæ crimina deflere, & ſtabile melioris propoſitum arripere, ſibi in animum induxerit. Ea ſecum deliberatione inita; cùm Capucinorum vitam, velut ad pœnitentiam, ac priorum ſcelerum expiationem, Deo potiſſimùm vocante; aptam ſibi delegiſſet: ad Bernardinum accedit; ab eóque ſummis precibus, Religionis habitu donari poſtulat. Eo tempore Bernardinus Bononienſem Prouinciam moderabatur: qui nouum hominis, mala fama vbique notiſſimi, propoſitum prudenter ſecum animo perpendens: quod facilè euaneſcere; animuſque in priſtina vitia, quæ iam longo vſu ſibi cognata effecerat, ipſa vitiorum affinitate relabi poſſet. Cùm enim conſuetudo ius quoddam ſit moribus conſtitutum; nemo ſanè ignorat, quàm difficilè ſit, praua conſuetudine deuicta, virtuti aſſueſcere: diuturnus ſiquidem vitiorum vſus vix aboletur: aſſidua conſuetudo pro natura inoleſcit; Animúſque ſceleribus adſtrictus, vix ab eis diuelli poteſt. Quapropter Bernardinus illud ſibi probandum, & examinandum ſtatuitt: ac Viri quidem propoſitum laudat, prædicationis tamen tunc laboribus occupatum, minus poſtulatis acquieſcere poſſe indicat: atque hoc pacto huius rei deliberationem, ad extremum vſque ſuum ab ea vrbe diſceſſum, differt.

*Dei verbum audiens Conuerſionis ſpiritum concipit.*

*Ad Capucinorum vitã adſpirat.*

*Conſuetudinis quanta vis.*

VIII. Abſolutis itaque Ieiunij Quadrageſimalis ſermonibus, cùm Bernardinus iam ex Vrbe diſceſſum pararet: En Baptiſta, armis omnibus exutus, quibus ob graues, quas cum plurimis gerebat, ſimultates, muniri conſueuerat; Bernardinum adit: eumq; iterum per Deum immortalem obteſtatur: ne diutiùs ipſius ſpẽ remoretur, ſed eum quamprimùm ad Capucinorum gremium recipiat. Cui Bernardinus. Nulla mihi, inquit, in hac Ethruriæ Prouincia eiuſmodi poteſtas eſt: ſi mecum in Bononienſem prouinciam ꝓficiſci volueris, facilè voti compos fies. Cui cum Baptiſta

*Bernardinus Baptiſtæ conſtantiam probat.*

promptè annueret: Bernardinus librorum ſacculo illi oblato; Tolle igitur, ait; hunc tibi in humeris ſacculum, ac ſimul Fauentiam pergamus. Nihil cunctatur Baptiſta: nec ignominioſum putat eo onere grauari; ſacculum hoc ipſo tempore humero imponit; atque vt erat holoſericis veſtibus indutus; pedeſter, ac inermis Bernardinum ſequitur: Viam ſibi per Criſpini Oppidum Bernardinus elegerat, quà Fauentiam contenderet; in qua & Lemonica Vallis & inter alia, Brexillum, & Fulinianum, haud ignobilia Oppida, illi pertranſeunda erant: in quibus cùm Baptiſta ple[illegible]que cædes patraſſet, in his quàm plurimos capitali odio ſibi infenſos comparauerat: Neq; id Baptiſta ignorabat: ſed cùm ea ſcelerum præteritorum pœnitentia duceretur; vt ea proprio cruore expiare non metueret, intrepidus inter hoſtes ſacculo onuſtus incedit. Stupent Oppidani, cùm primùm Baptiſtam intuētur: cuncti ad ſpectaculum accurrunt; & cùm Baptiſtam cernerent, vix eum Baptiſtam eſſe ſibi in animum inducere poterant: Hinc ſe mutuò ſtupidi interrogabant; num is Baptiſta eſſet. Baptiſta verò cùm eorum murmur perciperet: ſecum tacitus reſpondebat: Hic certè ſceleſtus ille Baptiſtonus eſt, (hoc enim nomine appellari ſolebat) omni ſupplicio dignus. Hoc modo cùm & Fauentiam prætergreſſus eſſet, vbi multorum ſibi odia conciliauerat, ad Conuentum tandem ſimul cum Bernardino peruenit.

*Baptiſta inter hoſtes conſtãs permeat.*

*Baptiſta humilitas, & conſtantia.*

Poſtridie Baptiſta Bernardinum pro Religionis habitu interpellat, quem cùm IX.
Bernardinus aſperiori adhuc probationis genere eundem aggredi vellet: Tot (inquit) ô Baptiſta, hominum ſanguinem in hac Vrbe effudiſti; ex quo grauiſſimas, atq; innumeras tibi inimicitias conciliaſti: planè haud æquum eſt, vt ad pacificum Ordinem, & tranquillam Fratrum Familiam, tot hominum odiis onuſtus, ac irreconciliatus accedas: quapropter id tibi primùm curandum eſt; vt ante Ordinis ingreſſum veniam humiliter, ac fune è collo pendente, ab inimicis tuis impetres, eoſq; tibi reconciliatos accipias. Promptum ſe Baptiſta exhibet: funem ſibi collo alligat; ad Vrbem pergit: primúmque viduæ cuiuſdam domum, ac præſentiam adit; cuius Coniugem dudum inter irarum æſtus interfecerat; tum ante illam proſtratus: En, inquit, ô Mulier, nefarium Baptiſtonem, impium mariti tui interfectorem: iam ſceleris pœnitentiam ago; ac humilis veniam poſtulo: ſin vindictam quæris, quas voles, de me nunc pœnas exige. Eo aſpectu, ac verbis illa tam animo commota fuit, vt veniam ſtatim cum lachrymis dederit. Hoc pacto cæteros quoque, quos ſuis ſceleribus læſerat, cùm hac humilitate ſuperatos ſibi beneuolos reddidiſſet, ad Bernardinum redit: qui vt ſtabile hominis propoſitum extrema tentatione probaret. Haud (inquit) hæc ſatis ſunt, Baptiſta. Tot enim in hac Vrbe facinora patraſti; vt ſcãdala quę inde emerſêre, etiamnum in aures Domini Sabaoth inſonent; atque in Cælum clamẽt: ea tibi, quoad fieri poterit, abſtergenda ſunt: quare æneum illi Cacabum indigitans. Hunc (inquit) Cacabum in humeros tolle, ac per totam Vrbem incedens, præteritorum ſcandalorum tibi publicè indulgentiam poſce.

*Baptiſta ab inimicis veniam poſtulat.*

Res planè noua, ac mira erat: hominem antea tot hominum cæde reſperſum, X.
tot titulis ſuperbum, ſanguinarium, ac toti Vrbi tremendum; tunc cacabum, nidore obtectum, in humeros geſtantem, atque inclamantem audire: O Ciues, ô Ciues, quæſo, parcite impio, ignoſcite contumelioſo, ac ſceleſto diuinam clementiam exorate. Mirabantur, compungebantur, collachrymabantur cuncti, admirandam hominis metamorphoſim aſpectantes: eamque dexteræ Altiſſimi mutationem eſſe palàm fatebantur; qui ex lupis agnos, & ex coruis columbas præſtat. Hoc pacto probata hominis patientia, Nouitiorum tandem habitu donatur. Quanquam verò Baptiſta in literarum ſtudiis verſatus eſſet; vt in Clericorum Ordinem recenſeri potuiſſet: ea tamen illi mentis humilitas fuit; vt cùm ſe eo indignum iudicaret: à Pontificis diſpenſatione, quam facilè impetrare potuiſſet, abſtinere, atque in Laïcorum numerum adſcribi voluerit.

*Vrbem Cacabo onuſtus circumit, ac ſcelerum veniam petit.*

Quadrageſimum Baptiſta iam annum attigerat; cùm in Nouitiorum albo con- XI.





ſcriptus, ſeipſum ita alloqui cœpit. Heus Baptiſta: tot annis Mundo, ac Diabolo, Dominis crudeliſſimis, tam fideliter obſecutus es; vt nihil ſcelerum prætermiſeris, quò te perditum illorum mancipium oſtenderes: An non æquum eſt, vt quando te ſumma Dei miſericordia, è grauiſſimo eorum iugo ereptum, ad diuinum famulatum vocat, fideliùs Domino, ac Creatori tuo ſeruias? Iam igitur expergiſcere: peccata tua lachrymis laua, pœnitẽtia redime, precibus obtrunca, humilitate ſepeli: & ſicut exhibuiſti membra tua ſeruire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc eadem tibi exhibenda ſunt ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem: ne minùs Deo, quàm Diabolo tribuiſſe videaris. Hoc ſtimulo ſeipſum excitans: ita ſe in omnium virtutum, ac præſertim humilitatis, ac ſuiipſius deſpicientiæ palæſtra exercere cœpit: vt cùm nullum vnquam officij genus, aut temporis, ac loci opportunitatem prætermitteret, quò ſe apud alios contemneret: nunquam tamen ſibi ipſi ſatisfacere, aut ſatis ſeipſum deſpicere videretur.

*Baptiſta Nouitiorum habitu donatus, ſe ipſum ad pœnitentiam prouocat.*

XII. Fuit illi toto Nouitiatus tempore Magiſter ſeuerus: qui tamen cùm ferum illius aſpectum reformidans, mitiùs cum eo agere videretur: eum Baptiſta aliquando his verbis cõpellat. Quid eſt, Pater mi, quòd me tam ſuauiter excipis? ac ſeuerioribus caſtigationibus parcis? Neſcis, quò ferior, ac truculentior mihi natura eſt, eã maiori diſciplina, ac caſtigatione indigere? Ferox equus non niſi loris manſueſcit. Ignoras, quòd qui pigro Aſino ignoſcit, magis quotidie ignauum ſentiet? Verbere, non indulgentia Seruo opus eſt, qui ſæpè contumax fuit. Age Pater; igne, ferro, vre, ſeca, ne parcas: mihi vel cedendum, vel moriendũ eſt. Si cuiquam tibi fortè ignoſcendum eſt: his iunioribus Nouitiis, his Agnis parce, qui necdum, quid culpa aut ſcelus ſit, agnouerunt: mihi verò, omnium hominum flagitioſiſſimo, omne plagarum genus debetur. Mirum porrò erat, quanta animi alacritate, graue quodcunque pœnitẽtię opus ſibi iniunctũ perficeret; ac vilia quęque obſequia exerceret: quàm præclara obedientiæ, humilitatis, patientiæ, ac cæterarum virtutum exempla præberet. Inter hos ſpiritus æſtus, cùm probationis annũ exegiſſet; ſolemnia profeſſionis vota tanta lachrymarũ copia emittit: vt adſtantes quoq; Fratres ad fletum compelleret.

*Magiſtrum, vt ſeueriùs cum eo agat, adhortatur.*

XIII. Tam altè huius Viri animo præteritorũ criminum memoria, ac grauitas inſculpta erat, vt nullus eum vnquam, in quacũque lætitiæ cauſa, ridentẽ viderit. Inter profeſſos conſcriptus, tantam mox vitæ auſteritatem inſtituit, vt reliquos in admirationẽ raperet. Neq; enim vnquam Tunica vti voluit: ſed vetere duntaxat, ac obſoleto habitu cõtentus, inter rigidiora Hyemis frigora, mẽbra potiùs propter honeſtatem contegere, quàm fouere videbatur. Atque vt acriùs cum domeſtico hoſte pugnaret, carnémq; faciliùs ſpiritui ſubiugaret; aſperum ſub eo ciliciũ gerens, nudiſq; pedibus incedens, quò per Crucis viam expeditior curreret, ſandalia abiecit. Panis, & aquæ ieiunia illi frequentiſſima erant: prolixioréſq; in oratione vigiliæ: poſt quas cùm neceſſarius ſomnus vrgeret, nudæ illi tabulæ ſtratũ præbere conſueuerant. Inter hæc tam diris corpus flagellis cædere exorſus eſt; vt perinde ac ſi ligneum, aut marmoreum, non carneum illud ſibi eſſe perſuaderet; ita in id ardentiori ſpiritus æſtu concitatus deſæuiret. Veruntamen cum his meliora quoque animi ſtudia, & virtutes ſectatus; humilitatẽ, ac viliſſimum ſuiipſius contemptum, quem ab exordio ſibi amplectendum inſtituit, toto vitæ ſuæ curriculo, tanto ſtudio excoluit; vt licèt ætate prouectior, neminem tamen niſi flexis genibus, perinde ac ſi Nouitius eſſet, alloqueretur. Tanta ſuiipſius abiectione, ac humilitatis ſpiritu vilia quæque miniſteria præſtabat; vt cùm Fratribus omnibus inſeruiret, Coquinæ miniſtraret, domum verreret, immunditias aſportaret, atque infima quæque obſequia promptiſſimè exhiberet; quaſi hæc ipſa præſtare indignus eſſet; ſæpè ſeipſum redarguens hæc ſecum proloqueretur: Age, Baptiſta, cuncta molire, & quantuncunque potes, enitere; nunquam tamen id aſſequi poteris, vt dignus ſis tot Dei famulis inſeruire.

*Summam vitæ auſteritatem amplectitur.*

*Humilitate, ac ſuiipſius contemptu emicat.*

XIV. Si quando aduenam Fratrem ſibi honorem, velut Seni impendere animaduerteret: mox eidem adgeniculatus, dicebat: Pater, dum me honore afficis, quis ſim,

necdum tibi perſpectum eſſe video. Diſce igitur, me Baptiſtonem illum ſceleſtum, nefariũ,flagitioſum,Deo,& hominibus odibilem eſſe:cui non honor; ſed dedecus, ac pœna debetur. Quæſo,Pater,Deum pro illo precare,vt ei tandem propitius fiat. Enimuerò Euãgelicũ hoc ſuiipſius odium,ac deſpicientiã tam altè ſibi in animo repoſuerat:vt quum Alphonſus Pacius Fauentinus, Vir nobilis,aliquando ad Cõuentum accedens,cum Baptiſta colloqueretur; is quum primùm illi ſe ignotũ eſſe perſpexit: tot in Baptiſtã apud illũ cœpit maledicentias congerere, ac ſcelera amplificare:vt Nobilis ille,tot maledicentiis pertæſus , ab eo ſtomachabundus abſceſſerit: Vix à Baptiſta digreſſus,cùm alterũ AlphonſusFratrem ſibi obuiũ haberet,ab eo de Baptiſta percunctatur:à quo quum primùm Baptiſtam illum eſſe didicit,qui tot in ſeipſum crimina collegerat;hominis virtutem admirans, inde magis animo cõpunctus,atque illius humilitate mirũ in modum ædificatus abſceſſit. Aegrotos ſumma charitate curabat,atque adeò afflictis compatiebatur; vt cùm aliquem dolore, aut afflictione aliqua prægrauatum cerneret ; mox cogitationem ad ſeipſum reflectens diceret. Tibi, ô Baptiſta,hi dolores,& afflictiones debentur ,qui toties,ac tam grauiter Dominum tuum offendiſti. Denique tam perfecta huius Viri conuerſio fuit; tantáque apud ſæculares homines ex ea cùm admiratio,tum ædificatio percrebuit; vt illum omnes,velut miraculum ſuſpicerent : atque adeò in prouerbium euaſerit; vt cùm res aliqua mira efferenda eſſet,in exemplum Baptiſtæ cõuerſio traheretur.

*Apud Nobilem in ſeipſum maledicentias congerit.*

XV. Cæterùm cùm tam fera, ac terribili natura præditus eſſet,vt eam nonniſi ſumma vi,ac violentia ad virtutẽ cogeret:eo fiebat,vt primos naturæ impetus, qui hominis poteſtatem effugiunt, ita fræno interdum alligare non poſſet, quin foras nutu,aut verbo aliquando erũperent:quos cum primùm aduerteret,mox tã profunda humilitate iugulabat;vt mali dãnum vberiori boni vſura reſarciret. Semel cùm in Petræ Honorij, ſeu ( vt vulgò dicitur ) Bertinori Familia conſcriptus eſſet:contigit,vt ob quædam in horto ab eo ineptè facta,aſperioribus verbis à Guardiano corriperetur: quibus cùm ipſius natura,ad vindictã procliuis,acerrimè reluctaretur;quoſdã vultu motus edidit : quos vbi Guardianus animaduertit : Eia,inquit, huc haſtam magno Duci Baptiſtæ afferte,qua ſe vlciſci queat. Baptiſta vero ſimulac vitioſum naturæ motum ex Guardiani verbis agnouit; tãta protinus in ſeipſum iracundia efferbuit; vt ſe ſolo proſternens totum in puluere volutare, atque exclamare cœperit: Tollite ab hoc proditore , ac facinoroſo ſacrum habitum , nefariúmque hominem è cœtu veſtro expellite ; neque enim inter tot Dei Seruos habitare dignus eſt. Hoc pacto exclamans , dum corpus per totum pomarium rotat , vix Fratres illum continere potuerunt, quin ſe ex alta rupe ( imprudens tamen ) præcipitem daret.

*Primos Naturæ impetus humilitate iugulat.*

XVI. Alio quoq; tempore accidit,vt in Refectorio,quod Capucinis Capituli loco cedit, dura reprehẽſione à Superiore exciperetur:qua cùm grauiter ipſius natura ad dura impatiens cõmoueretur,eam tanta vi ſibi illata repreſſit;vt venam ſibi pectoris aperuerit. Quare cũ deinde ſolus in Eccleſia ante Altare proſtratus oraret, Dominóq; pectoris ſanguinem offerens, confidenter diceret : En Domine Ieſu, qualia pro tui amore patior. Repẽtè Dominus ex lignea Crucifixi Imagine,dextera manu reuulſa,laterìſque illi vulnus oſtendens,reſpondet : Vide, Baptiſta, qualia & ego pro te in Cruce ſuſtinui. Qua Domini voce Baptiſta animo liquefactus,ac lachrymis obrutus,alacrior deinceps ad propoſitũ certamẽ per patientiã cucurrit:illũ ſedulo animo recogitãs,qui talẽ ſuſtinuit aduersùs ſemetipsũ pro peccatoribus cõtradictionẽ.

*Naturæ impetum cohibens venam ſibi pectoris aperit.*

*Chriſtus Baptiſtæ ſanguinem illi pectoris offerẽti è Cruce reſpondet.*

Inter alias,quæ is ante cõuerſionem,Fauentiæ cædes perpetrauerat;vna cuiuſdã Nobilis , fuit : qui cùm geminos poſt ſe filios,paternæ necis vindictæ cupidos reliquiſſet:ij cùm Baptiſta,tametſi iam Deo per Religionem conſecrato,reconciliationem inire recuſantes,in ipſius necem conſpirabant : quapropter cùm,ſuadẽte Diabolo,illum è medio tandem tollere decreuiſſent : duobus ſecum Sociis aſſumptis: armati ad Conuentum pergunt ; ac pulſato oſtij tintinnabulo, Bãptiſtam accerſiri poſtulant ; velut qui cum eo negotium gerendum habeant. Ianitor verò , qui eos





ferro,ac armis accinctos cernit,rem priùs ad Guardianũ velut ſuſpectam defert;qui Baptiſta accerſito, his eũ verbis affatur. Pleriq; Viri,ô Baptiſta,armis inſtructi,te ad fores aduocãt:vereor magnoperè,ne hi hoſtes tui ſint,qui te ad necem quærant. Cui Baptiſta. Liceat,ait,Pater,mihi eos per rimulam contẽplari;vt quinam ij ſint,certiùs diiudicare queam. Cúmque iis per rimulam conſpectis,hoſtes ſibi eſſe cognouiſſet: Equidem, ait,hi ſunt,qui ob trucidatum parẽtem,ſæua in me odia nutriunt: At nihil vereare, Pater:Deus nobis illos amicos præſtabit : ſine tantummodò ; vt ad eos accedam. Annuente Guardiano,cùm repentè fores aperuiſſet:eodem temporis momento ad illorum pedes proſtratus : En,ait,nefarius ille proditor:En impius,ac ſceleſtus Baptiſta,Parentis veſtri interfector;iam modo dignas de eo pœnas luite , occidite,mactate,diſcerpite;hæc enim, ac grauiora eius ſcelera merentur. Ij verò cùm hominis proſtrati humilitatem conſpexiſſent; vocéſque lachrymarũ plenas percepiſſent,omni animi feritate depoſita,odióque in amorem commutato,in ipſius amplex[9] ruũt;& exinde ſe perpetuo illi neceſſitudinis vinculo cõiungũt. Ea quippe eſt humilitatis vis;vt ipſos quoq; feros,& auerſos animos,ad ſui beneuolentiã cõpellat.

*Hoſtes , qui in ipſius necem coniurauerant,humilitate placat.*

XVIII. Is Viro Dei mos à principio fuit:vt cùm ad Vrbem accederet,ligneam Crucem in ſinu geſtaret:in quam ſæpè oculos deflectens,animum pia illius meditatione paſcebat. Dum igitur Fauẽtiæ Eleemoſynarij munus exercens,ligneã Crucem inter brachia de more geſtaret:Nobilis quidam Iuuenis rem dãnare , atróq; carbone, velut hypocriſis vitio turpem,palàm notare cœpit. Cui Baptiſta:Cur mei, inquit, tam ſeuerus es cenſor ? Si tot annis Dæmonis arma,quibus tot ſcelera molitus ſum,in pectore geſtaui : Quid me nunc vitij accuſas , quòd vel ſerò ſaltem Chriſti inſignia inter brachia geram ? His Nobilis ille verbis compunctus,facilè animaduertit;non ex hypocriſis vitio , ſed ex virtute proficiſci , quod Baptiſta in pœnitentiæ ſignum oſtentabat , iudiciúmque extemplò correxit.

*Iuuenem eũ Hypochryſis damnantem humili reſponſione à iudicio reuocat.*

XIX. Admirabilem hunc ſuiipſius deſpectum , pia quædam,ac præcordialis in Deum Animi effuſio fouebat:quam aſſidua,ac quotidiana oratione ſibi familiarem adſciuerat:ea verò tunc potiſſimùm ardentiùs in Deum ferebatur; cùm ad Sacrum Domini Corpus,bis in hebdomada ( vti communis apud Capucinos conſuetudo eſt) accederet. Eo namq; tempore cùm diutiùs orationi incumberet; gemitus,ac ſuſpiria,velut ignita quædã iacula,ex ima cordis faretra hauſta,in Cælum vibrabat. Orationi quoq; hoc tempore,poſt Matutinas Horas,tam diuturnam corporis flagellationẽ copulare ſolitus erat ; vt ab ea nunquam niſi defeſſus,ac penè viribus exhauſtus ceſſaret. In oratione verò non Pſalmos,aut Hymnos,vt aliis mos eſt,recitàbat; ſed perennis illius vox erat ; Deus propitius eſto proditori Baptiſtæ.

*Ipſius erga Domini Sacramentum Religio.*

XX. Maximus huic Viro inerat pro Chriſto patiendi ardor:nec plurimis , licet vndique ſibi quęſitis opprobriis,ſuiipſius deſpicientiæ fames exaturari poterat:qua etiã factum eſt,vt cùm Martyrij cupiditate flagraret,ad Infidelium Terras pergere ſummoperè optaret. At Deus Opt.Max. cui illud Martyrij ſtudium haud iniucundum erat; Infidelium quidem illi cruciatum denegauit;ſed diutinum,ac familiare cuiuſdam diutini languoris Martyrium , extremis ſuæ ætatis annis , contulit : quo toto corpore,ac præſertim tibiis ita diuexari cœpit;vt cùm earum omninò vſu careret, lecto dimoueri non poſſet. In his porrò corporis languoribus, cùm illud tantùm ſibi ſolatium relictum eſſet ; quòd currili ſella ad ſacra audienda ſeipſum baculi adminiculo impellere poterat : ſummas hinc Deo gratias agens , diuinam clementiam, tanquam ſibi benignam ampliſſimè commendabat.

*Martyrij cupiditate flagrat.*

XXI. Poſtremò tandem morbo,ac ſenectute confectus;cùm obitum ſuum longè antea cuidam familiari ſuo prædixiſſet;ſupremum Deo ſpiritũ redditurus,quãdoquidem paupertatis eouſque cultor ſeueriſſimus extiterat , conſcientiæ ſtimulo agitari cœpit ; quòd cultellum,quo in menſa vtebatur ; adhuc ſub ea,velut ſibi repoſitum eſſe meminiſſet : quare protinus ad Fratres : Amabo ( inquit ) cultrum illum à meo menſæ loco amouete ; ne meus eſſe credatur. Cui cùm Fratres dicerent,Cultellum

*Obitus ſui tempus prænunciat.*

*Cultellum è ſuo menſæ loco amoueri iubet.*

non ſuo, ſed communi Fratrum vſui inſeruire: Id (inquit) non ignoro; ſed quamdiu meum illum locum ſibi vendicat, facilè quenquam in ſuſpicionem, quod meus ſit, adducere poterit: Capucinum autem Fratrem, non tantùm à violatæ paupertatis crimine; ſed etiam à criminis ſuſpicione vacare oportet: Neque hinc, niſi rebus omnibus exutum, licet decedere. Cultello amoto, mox animo pacatus, cùm ſe Eccleſiæ Sacramentis, ac pia lachrymarum effuſione ad Domini occurſum omni pietate paraſſet; Fauentiæ placidè ad Dominũ euolat. Poſt mortem facies eius tam venuſta, ac corpus, tam molle apparuit; vt tenera pueri caro eſſe videretur: quæ cæleſtis gloriæ, quam apud Deum iam adeptus fuerat, argumenta fuêre; vt hinc omnibus perſpicuum ſit, nemini propter ſcelera deſperandum eſſe, dummodò quæ retrò ſunt obliuiſcens, ac ſuperioris ætatis errata corrigẽs, ad meliora animum reuocet. Vox enim Dei eſt per os Vatis aſſerentis. *In cubilibus, in quibus priùs Dracones habitabant, orietur viror calami & iunci: & erit ibi ſemita, & via: & via ſancta vocabitur,* quod in Baptiſta nõ obſcurè perſpectum fuit: qui cùm priùs variis ſceleribus corruptus, ſtigios Dracones animi incolas haberet; tot deinde virtutibus floruit: vt & Dei Sedes euaſerit; cæteriſque viam ſtrauerit, qua ad ſummum Regularis Obſeruantiæ, atque Euangelicæ perfectionis faſtigium conſcendant.

*Poſt mortem ſigna Sanctitatis exhibet.*

Iſa. 35.

## *FR. FRANCISCI NOVARIENSIS, Vita, & Geſta.*

*Franciſcus Nouarienſis à puero ad diuina vocatur.*

XXII. HActenus in ſceleſto, ac nefario homine, Dei clementiam præclarè elucentem, ac velut inter opacas humanæ impietatis tenebras, diuinam è Cælo lucem effulgentem perſpeximus. Iam verò ipſe Hiſtoriæ ordo poſtulat: vt exorientem ipſum Diuinæ Bonitatis, ac Iuſtitiæ ſolem, omniũ oculis aſpectandum proponamus: qui alterum à primo ſuæ ætatis crepuſculo, inexhauſtis ſuæ liberalitatis radiis illuſtrat; ante vitiorum tenebras ad lucem vocat; humanis necdum ſceleribus contaminatum ad cæleſtia pellit; & quem abundantioribus gratiæ donis cumulauerat, perpetua hoc anno gloriæ corona donatũ exornat: vt qui in priori largã Dei in miſeros pietatem, ac clementiam ſuſpexêre; in hoc altiùs, & Dei conſilium admirari, ac diuinæ bonitatis, liberalitatiſque opes commendare diſcant. Hic porrò Franciſcus Nouarienſis fuit, qui ex Nobili Torniellorũ familia Nouariæ ortus: (quæ Vrbs eſt in agro Laumellino, in modico colle ſita, diu ſub Mediolanẽſium Ducum, nunc verò ſub Hiſpanorum Regum ditione florens) diuinis benedictionibus præuentus, præclara ab ineunte ætate futuræ virtutis præludia edidit. Puer enim optimis à Parentibus moribus imbutus, inditam quandam à Deo ad Diuina propenſionem ſortitus erat; qua à puerilibus abſtinens, ſenilia tantùm animo verſabat: Hinc ſacris delectari; hinc puerorum vitia fugere; hinc Parentibus ad nutum parere; hinc diuinis Myſteriis deuotè intereſſe: & cùm adoleuiſſet, deuotos liberos reuoluere, ſæpè ad Sacramenta accedere, honeſtatem, ac modeſtiam in omnibus præſeferre videbatur. Quo fiebat, vt qui Adoleſcentẽ tanta vitæ innocentia, ac præſtantia prœditum cernerent: in id omnes iudicium contenderent; animum cum tanta virtute compoſitum, non Mundo, ſed Deo tantummodò conſecrandum fore. Neque eos opinio de illo cõcepta fefellit: Nam vix ſextumdecimum annum attigit; quum ſæculo cum ſuis deliciis calcato, Mundo maior, Deo ſe in Ordine Minorum Obſeruantium maturiùs conſecrat: atque adeò in ſummis ſe religioſæ vitæ virtutibus exercet, vt grauiſſimus, inter Obſeruantes Vir haberetur. Cùm verò Regularis Obſeruantiæ cum primis ſtudio teneretur; quo tempore illa ad Ioſephum Fernenſem à Franciſco Canobienſi Epiſtola conſcripta fuit; de qua ſuperiori Anno 1556. egimus: qua plerique ex ea Obſeruantium Familia, qui tum Palentiæ aderant, permoti, cum Ioſepho ad Capucinorum Reformationem euolarunt: cum iis & Franciſcus ad Capucinos ſe contulit.

*Ex Obſeruantium Familia ad Capucinos migrat.*

XXIII. Vir fuit ad omnem virtutem compoſitus: nihil in ipſius moribus, aut actibus niſi

graue,



grauè, niſi honeſtum, niſi virtute dignum elucebat: humilitate abſtinentia, vitæ auſteritate, corporis maceratione, ſilentio, linguæ cuſtodia, oratione, ac præterea grauitate, ac prudentia tantoperè inter Capucinos enituit: vt cùm totius Regularis diſciplinæ omnibus norma eſſet; Nouitiorum, vt plurimùm, ei cura, ac educatio committeretur. Porrò inter alias perfecti hominis virtutes, quas Tyronum auribus, animiſque inſtillabat; Silentium, atque oris cuſtodiam, illis præ omnibus commendare ſolitus erat. Neque fruſtrà à Iacobo Apoſtolo, huic virtuti, omnem hominis perfectionem adſcribi docebat, cùm ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt Vir.* Sicut enim ex linguæ vitio omnium ferè vitiorum colluuies in animam vehitur; Vnde illa Sapientis vox erumpit. *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis, & lingua mea perdat me.* Et altera Apoſtoli dicentis. *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis: Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à Gehenna.* Ita ex Silentio, & accurata oris cuſtodia, bonorum omnium ſeges in animo oritur. cùm enim ſilentium virtutum omnium cuſtos ſit, atque vniuerſas foueat, colliget, contineat, ne per os dilabentes diſpergãtur; quis facilè ipſius bona enarrare queat?

*Ob virtutũ eminentiam Magiſter Nouitiorum creatur.*

Iacob. 3.

Eccleſ. 22.

Iacob. 23.

*Oris cuſtodiam Nouitiis potiſſimùm commendat.*

XXIV. Hinc Nouitios ſuos inſtituens, aiebat; Si vultis, Filij, Religioſum hominem ab irreligioſo diſcernere: quem verbis parcum, lingua temperatum, libentiùs audientem, quam loquentem; ſecum habitantem; à mendacio, à murmuratione, à detractione, atque à cæteris linguæ vitiis, tanquam à colubro abhorrentem: inania, ac ſcurrilia verba cauentem, circulos vitantem, ſolitudini vacantem, demiſſa (ſi quando fari opus eſt) voce loquentem; plura cum Deo, cum aliis verò pauca loquentem conſpexeritis: hic apud vos Religioſi nomen obtineat; hic colatur; hic ſuſpiciatur; ac velut perfecti hominis exemplar, imitandus ſtatuatur. Quòd ſi è regione Religioſum quempiam, loquacem, garrulum, verboſum, vaniloquiis, ac multiloquiis deditum; circumcellionem, vana conſortia quærentem, ſilentij impatientem, ſolitudinis hoſtem; ad murmurationes, detractiones, aliorumque facta diiudicanda pronum; ad rixas, & contentiones paratum; neque vllo linguam fræno compeſcentẽ videritis; is profectò nec Religioſus, nec Religioſi apud vos nomine dignus cenſendus eſt: Nam vt Apoſtolus ait: *Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam; ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt Religio.* Quapropter ſi quis Religioſi hominis rem, & appellationem aſſequi vult, in id potiſſimùm illi enitendum eſt: vt linguam fræno cohibeat, nec niſi ad neceſſaria eam ſolui patiatur.

*Religioſus loquax, Religioſi nomine indignus.*

Iacob. c. 1.

XXV. His, atque aliis præclaris Religioſæ vitæ præceptis, tyrones ad perfectam ſpiritualis vitæ formam efformabat. Oratio illi tam familiaris, ac lachrymoſa erat; vt cùm præter ſtatuta orationis tempora, ſurſum animum vbique in Deum ageret, lumina fletibus ſemper madida circumferret: quibus adeò, in diuiniſſima præſertim Sacrificij incruenti oblatione, affluebat; vt ab ea nonnunquam, ad effugiendos ſpectantium oculos, abſtineret.

*Orationis ſtudium illi aſſiduum.*

XXVI. Nouariam miſſus: vt Capucinorum Familiæ in ea Vrbe locum pararet: quò ſe mortuis mortuũ oſtenderet, nunquã apud propinquos, in ea Vrbe potentes hoſpitari voluit: ſed in veteri quadam Aede hoſpitio ſibi delecto, in ea velut in Monaſterio, ac pauperum domicilio diuerſabatur. Itaq; cùm per aliquod tempus ibi tam Religioſè conuerſatus eſſet; vt bono virtutũ odore, ac præclarioribus vitæ exemplis, patriam Vrbem illuſtraſſet; tandem in morbum incidit: quo cùm diutiùs detineretur; ne aliis ob ægritudinẽ grauior eſſet, apud Alexandrũ Torniellum ſibi propinquum, ac familiariſſimũ, domicilium elegit. Tot in eo lãguore, qui illi ſupremus fuit, Vir Sanctus, ſuiipſius contemptus, patientiæ, ac cæterarum virtutum ſigna exhibuit: vt facilè omnibus exploratum eſſet; ſolida illum, & abundantiora mentis bona poſſidere: infirmitatémque, nón tam ad mortis occaſum, quàm ad virtutum exercitationem illi datam eſſe. Porrò ingraueſcente morbo, cùm ſe ad vltimam rerum lineam properantem cerneret; vbi ſe diuinis Sacramentorum armis

*Nouariam Vrbem ſuo exemplo ædificat.*

aduerſùs

aduerſùs hoſtem communiuit:in nuda humo ſe collocari voluit:vt ſe fortem Chriſti Athletam eſſe oſtenderet, qui in arenam aduerſùs humani generis hoſtem deſcenderet: verumque ſe B. P. Franciſci imitatorem demonſtraret: qui extremum cum morte conflictum in puluere, ac ſumma rerum paupertate conficeret: ac demùm, vt nihil iam ſe cum Mundo & humanis rebus commune habere declararet. Hoc pacto ab omnibus liber, ac ſolutus Franciſcus celeriùs ad Dominum migrat.

XXVII. At, qui vitam, tot virtutum ſanctimonia inſignem duxerat; ac diuini nominis gloriã, inter viuos, omni ſtudio proſequutus fuerat: haud debita ſibi in morte gloria carere debuit: vt Dei promiſſio ſtaret, affirmãtis: *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eũ.* Quapropter vix Franciſcus ex hominũ commercio ſublatus fuit: quum Deus Opt. Max. eximiam Serui ſui ſanctitatem, præclaráque ipſius apud eum merita, Miraculis illuſtrare cœpit. Quidam enim Cathedralis Eccleſię eiuſdem Vrbis Canonicus, Carolus nomine; qui tam graui Capitis dolore diu laborauerat, vt à Sacro Myſterio celebrando, ob languoris grauitatem, abſtineret: quum primùm aqua, qua defuncti Franciſci corpus ablutũ fuerat, caput ſibi lauit; protinus ab omni Capitis dolore tã liber euaſit, vt eò deinceps nũquam prægrauatus fuerit. Id cùm quidam eiuſdem Vrbis Calceolarius, qui crura tuberibus, ac puſtulis diu plena geſtauerat, factum reſciuiſſet: eandem ſibi aquam adhibet; crura lauat; confeſtimque ea velut pueri, ſana recipit. Quo beneficio accepto, Vir ille tam Deo, ac Sancto Viro ſe gratum exhibuit; vt quæcunque ad ipſius funus neceſſaria erant; is ſolus proprio ære ſuppeditare voluerit.

*1. Reg. 2.*

*Poſt mortem Miraculis emicat.*

XXVIII. Necdum B. Viri corpus tumulatum fuerat: cùm miraculorum fama per Vrbem diffuſa, lis inter Cathedrales Eccleſiæ Canonicos, Minores Conuentuales, & Obſeruantes de illius ſepultura exoritur. Cùm enim nedum ibi Capucinorum Cõuentus extructus eſſet; Canonici velut peregrinũ, in priuatis ſæculariũ ædibus defunctum, ſibi deberi aſſerebant. Cõtra Obſeruantes, cùm eum olim ex eorum Familia extitiſſe contenderent; inde, vt ſuũ repetebant. Tertio quoq; Minores Conuentuales, meliori (vt videbatur) ratione, Capucinorum Religionem quodã ſubiectionis, ac dependentiæ Ordine, ſibi connexam affirmabãt; ex quo Franciſci corpus ſibi iure vendicarent. Lis hæc ſuborta, funus ad tertium vſq; diem diſtulit: quo tẽpore tota Vrbs ad B. Viri corpus venerandum confluxit: & quamplurimi, qui vel illius reliquias contingebant, vel ipſius merita inuocabant, à variis corporis morbis conualuerunt. Lite tandem à Nouarienſe Epiſcopo dirempta. Tumulus quidem in Min. Conuentualium Eccleſia corpori adiudicatur: feretrum verò Sacra illa Corporis Sarcina onuſtum Capucinis, qui aderant, Obſeruantibus, & Conuentualibus deferendum traditur: Clero, Regularibus, ac tota Vrbe ad funus confluentibus.

*Lis de ipſius ſepultura oritur.*

*In Minorum Conuentualium Eccleſia ſepelitur.*

XXIX. Dum Beato Viro funera in Eccleſia perſoluuntur: Damianus quidam Calceolarius, qui cùm vnius oculi luce prorſus careret; alterius vix vſu fruebatur: ac inſuper graui capitis morbo afflictabatur: dum Frãciſci merita apud Deum ſibi propitia inuocat; repentè capitis dolore effugato, clarum vtriuſque oculi viſum recipit: quo deinceps, ad vltimum vſque ætatis ſenium, abſque vlla ipſius diminutione integrè potitus eſt.

*Cæco oculũ reſtituit.*

XXX. Porrò Anno poſt ipſius obitum elapſo: cùm ſepulchrum, in quo Franciſci corpus conditum fuerat, apertum eſſet; vt in id Fratris cuiuſdam Ludouici cadauer, à Minorib. Conuentualibus inferretur: B. Viri corpus integrum, & incorruptũ, tamq; ſuaueolẽs reperitur: vt vniuerſi cæleſti illo odore recreati ad Dei Opt. Max. laudes, qui ſe glorificantes honorat; & Serui ſui encomia decantanda prouocarentur.

*Poſt annum Franciſci corpus integrum, ac ſuaueolens reperitur.*

XXXI. Suauiſſimo identidem virtutũ odore, Religionem aſpergit, hoc tẽpore, F. Bartholomæus Hiſpellẽſis, Sacerdos: qui cùm primus ex Vmbriæ Prouincia ad Capucinos acceſſiſſet; inter priſcos illos Patres, qui Religionẽ ſuis virtutib⁹ exornarũt, haud infimo loco collocatur. Is nãq; cũ ab adoleſcentia Domini iugũ in Min. Obſeruãtium Ordine ferre didiciſſet; in eoq; ſolida ſub F. Bartholomęi Tiphernatis Viri clariſſimi

*F. BARTHOLOMAEI Hiſpellenſis Vita & Geſta.*

diſciplina



diſciplina, Regularis Obſeruãtiæ fundamenta ieciſſet: quo tempore Capucinorum Reformatio, ſub Matthæo à Baſſio, & Ludouico Foroſẽproniano pullulare cœperat; prioris Obſeruantiæ ſtudio ad eã ſe contulit, Anno 1530. & à Ludouico Fulginum miſſus, ſecundum inter Guardianos Conuentus S. Valentini locum ſibi vendicauit.

*Ex Obſeruantibus ad Capucinos accedit.*

XXXII. Plurima in hoc Viro, ac maximis laudibus commendanda virtus fuit: plurimùm Seraphicæ paupertatis ſtudium: quo fiebat, vt inter aſperrima hyemis tẽpora, viliſſimus illi tantùm habitus abſque tunica ſufficeret: adeóque à rerum abundantia, ac prouiſione abhorreret; vt nec vllum frugum genus, diuturno aliquo tempore, in Conuentu ſeruari pateretur. Plurima in victu frugalitas, ac temperantia; qua non modò à gemina in die comeſtione; verùm etiam à ſaturitate ſibi perpetuò cauebat: atque vt omnem guſtus ſenſum, qui eſuriem & ieiunia, vt plurimùm comitari ſolet, à ſe longiùs expelleret. Pulmenta, ſi quando iis veſceretur, aqua ſuper infuſa, inſipida reddebat: cùm tamen panis, & aquæ ieiunia, ſæpiſſimè, ac præſertim ſolemnioribus peruigiliis illi familiaria eſſent. Plurima quoque oris cuſtodia, quæ Virum Dei non ſolùm à variis, ac inutilibus verbis deterreret; ſed & ad longa, & arctiſſima ſilentia compelleret, quæ perpetuo ſolitudinis cultu; niſi vel à Superioris munere, vel à charitate, aut obedientia impedirerur, atque hominum fuga fouebat. Plurima præterea inſidebat animo humilitas, ac ſui ipſius deſpicientia, quam tam arcto fœdere ſibi ab initio copulauerat; vt nullo magis, quàm omnibus ſubeſſe, ac parere, viliſſimiſque Domus obſequiis mancipari oblectaretur. Hæc porrò cùm aſſiduum, ac nunquam intermiſſum Orationis ſtudium, illi animo ingeneraſſet: eo quoque fiebat, vt ad præſtantiſſima quæque Euangelicæ perfectionis opera exantlanda, quodam quaſi ſtimulo propelleretur: Tanto denique in omnem Regularis obſeruantiæ diſciplinam ſtudio ferebatur; vt meritò inter illuſtriores Regulæ Cultores, qui eo potiſſimùm æuo florebant, locum ſibi vendicauerit.

*Virtutes ipſius quãplurimæ deſcribuntur.*

XXXIII Inter furibundas illas Ochinianæ tempeſtatis procellas, quibus tota Religio ad naufragium vſque iactabatur, Sancti huius Viri virtus haud intempeſtiua fuit: qui cùm Sanctitatis opinione, ac nominis exiſtimatione apud omnes plurimùm valeret; ſuis cohortationibus, quibus cæteros ad conſtantiam prouocabat, quamplurimos vacillantes confirmauit. Poſtremò cùm eum diuinæ charitatis gradum conſcendiſſet; vt Martyrij pro Chriſto ſubeundi ſumma cupiditate flagraret; ſæpiúſque poſtulata facultas illi à Generali Vicario denegata fuiſſet: ipſius votis Dominus haud defuit; qui illi & carnis quodammodò martyrium contulit, & martyrij meritum non minuit; quamuis infidelis vitam non abſtulerit. Dum enim in Montis Caſalis Conuentu, in quo tunc Guardiani munere fungebatur, quotidiano labori operã daret: vepréſq; ac dumeta quædam, quæ rupi tenaciter adhærebant, vi adhibita auellere conaretur: en ingens ſaxum repentè ex alto ruens, Dei Seruũ ferè ſuo pondere oppreſſit; totq; Corporis ipſius oſſa confregit; vt cùm pleroſque in maximis doloribus, ac cruciatibus dies duxiſſet; in quibus mira illius patientia ac virtus enituit: ab iis tandẽ conſumptus, velut domeſtico martyrio ſublatus, in Domino obdormiuit.

*Martyrij ſtudio flagrat.*

*Domeſtico Martyrio ex humanis tollitur.*

XXXIV Bartholomeo virtute, aut vitæ ſanctimonia haud inferior fuit, Frater Ludouicus à Stronconio, Sacerdos; qui inter ipſa Reformationis initia, ex Obſeruantium Familia erumpens, ſub Ludouico Foroſemproniano, ad Religionis gremiũ, velut ad Cauernã Maceriæ, quaſi Columba euolat: tantaque in ea vitæ innocentia ac puritate præcellit; vt inter primos illos Religionis Patres ac Satores iure connumerari queat. Hic cùm primùm noſtræ militiæ nomina dedit: cùm ſolidas in humilitate, ſui ipſius neglectu, ac charitate, quæ potiſſima ſpiritualis vitæ ornamenta ſunt, radices figere optaret: à Ludouico obtinet; vt in Hoſpitali Incurabilium Domo; in qua & alij Capucini Fratres, Romæ tunc operã nauabant; ægrotorũ miniſterio deſtinetur. Quo in munere tãta ſui ipſius abiectione elucere cœpit, vt viliſſima quęque obſequia præſtare, generoſa quadã mẽtis nobilitate, contẽderet. Tantoq; charitatis ſtudio ægrotis inſeruire viſus, vt amãtiſſimæ parẽtis erga filios officiũ ęmularetur:

*F. LVDOVICI à Stronconio, Vita & geſta.*

*Diu in Hoſpitali Incurabilium Domo miniſtrat.*

non tempus,

non tempus, non intempeſta nox, non ſomnus, non labor, non vlcerum fœtor, non aliud denique moleſtum à maximo illo charitatis æſtu illum retraheret. Tam denique in ea cura præclarè ſe geſſit: vt Romana Vrbs optimo ipſius, ac cæterorum Fratrum, qui in eo Xenodochio inſeruiebant, odore repleta; Hoſpitalem illam Domum, quæ ære alieno oppreſſa, atque exhauſta videbatur, copioſiſſimis eleemoſynis inſtauraret.

*Ipſius in ægrotis curandis charitas.*

XXXV. In ea porrò ægrotorum cura, cùm iam duodecim annos exegiſſet: quietis aliquando, ac ſolitudinis cupidus, in Vmbriæ Prouinciam ſecedit: vbi dum orationi, ac diuinarum rerum contemplationi, poſt Marthæ negotium, cum Magdalena vacat: En iterum ad Marthæ ſollicitudinem, ac labores vocatur. Nam qui Hoſpitali S. Iacobi Incurabilium Domui præerant, cùm Ludouici abſentia Domus illius res plurimùm minui, ac dilabi cōſpicerent; eum ſummo ſtudio reuocandū curant. Id cùm Viro Dei ex Generalis Vicarij literis innotuiſſet: Eamus, (inquit) quid moramur? pauperes Dei ſumus, & cum Dei pauperibus nobis hinc abeūdum. Romam igitur rediens, à Domus illius præfectis, velut Angelus Dei excipitur; Sed cùm iam ſenio prægrauatus eſſet; vix ad biennium vſque peruenit; quum maximo Domus illius, ac totius Vrbis luctu, ob ſingularem, quæ de illo apud omnes percrebuerat, Sanctitatis opinionem; corporis exuuio depoſito, felix ad eum pergit, qui laborantibus mercedem largitur.

*Roma diem extremum claudit.*

XXXVI. Poſt hunc, in Mediolanēſi Prouincia, virtute, & ſanctimonia floruit, F. Stephanus Mediolanenſis, Laïcus: Vir oratione apud Dominum potēs, de quo illud inter alia in Monumentis refertur. Quòd cùm in Viglebani Conuentu, qui ab Vrbe mille circiter paſſus diſtat, Guardiani munus gereret: Hyemali tēpore accidit; vt tota Regione tam alta niue obſeſſa, vt Fratres, ad vitæ neceſſaria emendicanda, Vrbē adire non poſſent: ij ſumma in egeſtate verſarentur. Quamobrem Stephanus, cui gregis alendi cura à Deo cōmiſſa fuerat, cùm eum iam iam fame conficiendū metueret; ſolus in Eccleſiam ſecedens, ad Deum profugit: támque ardentes pro Suorum neceſſitate Domino preces offert, vt necdum oratione abſoluta, Conuentus Tintinnabulum pulſatum fuerit: Neque vllo præ foribus apparente, aut vllis hominū veſtigiis in niue conſpectis, Saccus pane ad os vſque refertus, ante fores deprehenſus fuerit: quo cùm vniuerſa Familia, poſt actas Deo liberaliſſimo largitori gratias, tot dierum ſpatio refecta eſſet; vt is facilè exhauriri potuiſſet: haud tamen panis vnquam in Sacco imminutus fuit, donec ad mendicationem aditus pateſieret.

*F. STEPHANI Mediolanenſis, Vita & geſta.*

*Annonam in ſumma Fratrum neceſſitate à Deo Oratione impetrat.*

XXXVII. Hic cùm in ſanctitate, & iuſtitia, plurimos Deo annos famulatus eſſet: vt Deo acceptus probaretur; paulò ante vitæ occaſum, horribili à Deo tētatione examinatur: Dei etenim Iudicio ita diſponēte, horrendas Tartari fauces ſibi ſemper patefactas, atque ad eum deuorandum vbique paratas cernebat. Nihil Orationes, aut gemitus proderant. Non ſitus, non locorum mutatio, horrendum illum aſpectum, vel intercipiebat, vel immutabat. At neque cogitationem alio diuertere poterat: Sed quocunque vel in Eccleſiam, vel in Cellā, vel in Nemus, vel in Clauſtra ſe conferret: vbique horridæ illæ Inferorum fauces, ac iam iam deuoraturæ flammæ, ſe ſe illi ſpectandæ offerebant: quarum tantoperè metu excruiabatur; vt toto triduo horribili hoc timore percitus, Monaſterium circumiens, nihil præter hæc verba inclamaret. Heu me miſerum Fratres. Heu me: Iam ad Inferos damnatus ſum. Soláque hæc flebilis vox ex illius ore erumpens audiebatur. Perterrebantur Fratres; cùm Virum, quem virtute, ac ſanctimonia præclarum agnouerant, æternæ ſe damnationi adiudicantem audirent: nullúmque non rudentē mouebant, quo illum ab ea mētis cogitatione auocarēt. Chriſti probra, Paſſiones, Sanguinē pro eo effuſum, Dei clementiā, vitā in virtutib⁹, ac Regulę obſeruātia trāſactā: B. Virginis, S. P. Frācíſci merita, ac ſuffragia, quibus ſeipsū cōmitteret, illi ad memoriā reuocabāt. Verū omnia fruſtra: donec triduo exacto, terribilis hęc ab eo Tētatio ſublata fuit, & pax mētis reddita. Quo tēpore luctu in Citharā mutato, nihil pręter Dei laudes, ſuauiſſimè decā-

*Horribili à Deo tentatione probatur.*

tabat.



tabat. Fratribus verò tum ab eo curioſiùs inquirentibus: vnde illi prior illa apprehenſio animo inſediſſet: Supremùm, ait, Fratres, illud Dei Decretum fuit; vt triduana illa Tentatio animum exagitaret: Plurimam is rubiginem contraxerat, quæ igne detergenda eſſet. Optima Dei in me clementia fuit: vt hîc ea purgatoriam mihi pœnam exhiberet. Nec mirum, Fratres, quòd fruſtra vniuerſa à vobis tentarentur, vt hæc à me, ratione aliqua, aut vlla allata perſuaſione, Tentatio excuteretur: cùm enim me Diuino Iudicio oppreſſum, ac quolibet temporis momento, ab Tartari faucibus abſorbendum conſpicerem; nihil animū ab ea triſtitia leuare poterat, cui ex diuina planè diſpenſatione ſubiiciebatur. Poſthæc, cùm is extremum breui ſibi diem imminere, Fratribus prædixiſſet: tanquam aurum igne examinatum, ac probatum, hoc anno, Mediolani, melioris vitæ coronam adipiſcitur.

*Die obitus prædicto ex humanis migrat.*

XXXVIII. Alter quoque ex humili Laïcorum Ordine, F. Benedictus Mutinenſis, hoc anno, Naturæ debitum exoluit: qui cùm vitam optimo Regularis Obſeruantiæ, atque omnium virtutum odore reſperſam, cum morte commutaſſet: poſt multos ab ipſius obitu annos, illius caput omni ex parte integrum, barba, capilliſque cuti fixè inhærentibus, atque oculis nedum corruptis reperitur. At præter hæc, illud mirabile, quo ſane Deus ſpiritus apud ſe viuentis ſanctitatem, luculentiori teſtimonio declarare voluit, eo tempore aſpectatum fuit. Nam Cæmeterij humo ligone effoſſa, vt alterius Fratris defuncti corpus ſepeliretur, (quod priori illa tempeſtate, in qua necdum ſepulchrorum vſus apud Noſtros inualuerat, frequentiſſimum erat) qui terram effodiebat, cùm ipſius caput ligone imprudenter vulneraſſet; protinus recens ex vulnere ſanguis effluxit: quo illius apud homines poſt mortem vita, ac gloria commendata fuit.

*F. Benedictus Mutinenſis virtute præclarus.*

*Sanguinem mortuus è vulnere fundit.*

XXXIX. Huius denique Anni finem beato fine concludit, F. Ioannes à Corleone Siculus, Sacerdos: qui abſtinentia, vitæ auſteritate, charitate erga infirmos, ſilentio, ſolitudine, atque Oratione imprimis, inſignis apud Ordinis monumenta celebratur. Huius Viri ſanctimoniæ præclarum illud teſtimonium fuit, quod in Gibilmannæ Conuentu, quem is ſub Guardiani titulo moderabatur, eidem accidit. Mos eſt, olim apud ſanctos Patres, atque etiamnum in Minorum Religione, antiquo vſu receptus; vt tribus Anni temporibus, quæ maiora, tum Aduentus, tum Epiphaniæ, tum etiam maioris Quadrageſimæ Ieiunia præcedunt: per tres, aut quatuor circiter dies, antequam Ieiunia inchoentur: honeſtæ quædam animi Remiſſiones, Fratribus à Superioribus indulgeantur: quæ cùm eò potiſſimùm tendant, vt mentem aſſiduis exercitationibus defatigatam, animumque maioribus curis, velut obrutum ſubleuent, recreent, inſtaurent; atque ad præclariora facinora obeunda parent: eique quodammodò vires, ac robur miniſtrent: ea moderatione ac temperantia ſuſcipiendæ ſunt: vt in his nihil niſi honeſtum, niſi modeſtum, niſi virtute dignum appareat. Denique ita Animum relaxare debent, vt grauioribus tantùm curis, non virtute Religioſum hominem exuant: meliorémque, & ad omne virtutis opus peragendū, promptiorem efficiant. Quæ enim ita animū diſſoluunt: vt omnē ab eo modeſtię, ac tēperantiæ frænum excutiant: nihilq; eum virtutis integrū habere ſinant: haud profectò in earū numero, quæ ab Eutrapelia commendantur; quæq; hominem Religioſū decent, connumerādæ ſunt: ſed potiùs inter turpes animi diſſolutiones, ac vitia, quæ omni ſtudio, à ſacris præſertim Viris fugienda ſunt, reijciendæ: Hinc apud nos, non modò, quæ ſacris Canonibus prohibentur: veluti aleas, aut pictas chartas, aut aliud ſimile ludere; verùm &, quæ vel illiberale, ſeu petulans, aut vitioſum aliquod Ioci genus præſeferunt: lege lata à noſtris Animi remiſſionibus expelluntur: quale eſt ſcurram agere, in ſcenam Hiſtrionum more prodire, cachinnis quemquam proſequi. Baculo, vel manu cum alio digladiari, ſarcaſmis aliquem inſectari, Mundanas cantilenas occinere: aliaque huiuſmodi præſtare; quæ cùm à virtute abſint, honeſtam Recreationem perimunt.

*Ioānes à Corleone ſanctitate conſpicuus.*

*Honeſtæ Animi remiſſiones antiquo vſu receptæ.*

*Immoderatæ à Religioſorū Cœnobiis expellendæ.*

XL. Dum igitur in Gibilmannæ Cōuentu, ante Quadrageſimale Ieiuniū, ex antiquo

vſu

*Chriſtus Ioanni apparens incompoſitas Fratrũ recreationes damnat.*

vſu, Animi remiſſiones celebrantur: Ioannes ad orandum in Eccleſiam ſeceſſerat: quo tempore Fratrum Familia, cùm ea ſibi Recreationis genera eligere debuiſſet, quibus intra Modeſtiæ, honeſtatis, ac Religioſæ virtutis ſepta continerentur: captata Superioris abſentia, in incompoſitas, ac immoderatas quaſdam animi relaxationes ;, quæ in vitium, ac ſpiritus diſſolutionem degenerarent, ſemet effundebat. Quum Dominus Ioanni in Oratione apparens, has fundit voces. Ioannes. Iſthæc tuorum Fratrum tripudia, mihi haud quaquam grata ſunt: Neque enim vlla in his virtutis Regula agnoſcitur, qua honeſtari poſſint: ſed ita animum diſſoluunt, vt eum procul à virtute abigant, & ad ſpiritus iacturam pertrahant: Quare maturè illa cohibe: His auditis Ioannes, confeſtim ab Oratione ſurgens ad Familiam ſe confert; quam vbi, Domini voce expoſita, ab immoderatis illis Animi remiſſionibus exterruit: earum culpa pœnitentia expiata; quænam honeſtæ, atque à Deo probatæ, animi recreationes cenſendæ ſint, declarat: Itæ nimirum, in quibus cùm Religioſa potiſſimùm ſimplicitas, grauitas, maturitas, honeſtas, ac temperantia eluceant; animum ad maiorem virtutum profectum prouocant.





I. IN hoc Anni Milleſimi quingenteſimi ſexageſimi tertij circulo, qui Sacro, Oecumenico, ac Tridentino Concilio poſt annos 27. ab illius indictione elapſos, extremam tandem lineam imponit, Patribus ita acclamantibus: *Beatiſsimo Pio Papæ Domino, ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici multi anni, & æterna memoria.* Dum Thomas Generalis ingenti ſollicitudine Religionis Orbem perluſtrat; pleraque memoratu digna in ea eueniunt; quæ cùm ad multorum doctrinam, ac inſtitutionem conferant; ea ſilentio præteriri non debent. Nam primùm in Lucaniæ Prouincia, Sacerdos quidam occulto quodam ſuperbiæ ſpiritu ductus, ſpirituales viſiones appetere videbatur: qui cùm ob id orationi plurimùm vacaret, ac præſertim duas ante Matutinum Officium horas, noctu in rerum diuinarum contemplatione inſumeret. Satan, qui Deo permittente, ſe in Angelum lucis transfigurat, vt imprudentes, ac præſumptione inflatos ſubuertat; ſpirituale illud vitium in homine nactus, falſa Beatæ Virginis ſibi imagine aſſumpta, quaſi vnigenitum ſuum exanimem in ſinu geſtaret, oranti in Altari apparet: cuius aſpectu cùm mira in Sacerdotis ſenſum voluptas redundaret; ea & ipſius animus ſingulis noctibus, quibus hæc illi viſio demonſtrabatur, auidiſſimè paſcebatur. Augebatur in dies, Satanæ opera, illa in Sacerdotis animo ſpiritus delectatio; quæ cùm in ſenſus ipſos deflueret, tanta illum ſuauitate complebat; vt ſibi inter cæleſtes delicias verſari videretur. Verùm vt ex ligno tinea, ita etiam ex tanta illa deliciarum vbertate, ſcrupulus in Sacerdotis mente exoritur: quo apud ſe dubitare cœpit, num ea à Deo, vel à Dæmone delectatio manaret: quare Prouincialem Vicarium ſibi conſulendum proponit. Moderabatur tunc Lucanam Prouinciam Fr. Hieronymus Eboliтanus, Vir prudentia clarus, ac ſpiritualium rerum vſu exercitatiſſimus: cui cùm Sacerdos viſum retuliſſet: mox Vir prudens Satanæ opus eſſe ſuſpicatus; eidem mandat, vt quumprimùm ea illi viſio rurſum demonſtrata fuerit; haud quaquam in eam oculos coniiciat: ſed clauſis luminibus, Chriſtum ita in cordis ſecreto alloquatur. Domine Ieſu: Si quod in hoc ſimulacro mihi oſtenditur, tuum eſt, atque ex tua benignitate fluens; planè quemadmodum te Cælo inuiſibilem, atque in hoc Altaris Sacramento, ſub panis ſpecie viſibilem: ita etiam in hoc mihi obiecto tuæ carnis ſimulacro præſentem adoro. At verò ſi hoc non tuum, ſed Satanæ opus ac figmentum eſt, qui ſe ſub hac tui imagine venerandum exhibeat: illud ex animo execror: abſitque Domine, vt aliquam illi hactenus reuerentiam, ſiue adorationem impenderim; aut hoc etiam tempore impendere velim; quin potiùs omnem prorſus illi honorem denegans, velut Monſtrum immundiſſimum, ac execrandum abiicio, ac deteſtor: in cuius rei ſignum in eum conſpuo; protinuſque ſputo totum illud ſimulacrum petat. His monitis inſtructus Sacerdos, cùm iterum conſuetis horis ſe ad orationem contuliſſet: en Satanas, qui ſolito ſplendore circumfuſus, priſtinam illi imaginem oculis ſubiicit: quem cùm Sacerdos verbis illi à Prouinciali præſcriptis excepiſſet, ac tandem in obiectam imaginem conſpuiſſet, viſio repentè euanuit: ſtatimque ex ſummo Eccleſiæ culmine, ingenti ſtrepitu, Sus miræ magnitudinis ante illius pedes dilapſus,

*Sacerdos Dei viſiones appetens à Dæmone decipitur.*

*A Superiore conſilium poſtulat.*

*Dæmonis fallaciam detegit, & ſpirituale vitium exuit.*

intolerabilem inde abſcedens ibi fœtorem reliquit; quo tamen is ſolus Sacerdos per bimeſtris ſpatium, in delicti ſui pœnam, diuexatus fuit; vt inde qui ad ſpirituales profectus anhelant, vel ipſo Satana doctore addiſcant; ſpiritualem apud Deum ſuperbiam maximè fœtere: nec cæleſtes viſiones, ac diuinorum munerum dignitatem, ſed cæleſtes potiùs virtutes, ac humilitatem potiſſimùm appetendam eſſe. Porrò Sacerdos proprio periculo edoctus, à ſuperba illa ſpiritualis ambitionis cupiditate reſipiſcens, Domino deinceps in timore, ac humilitate famulari didicit.

II. Aliud quoque memorabile factum, hoc tempore, in Conuentu Baruli Prouinciæ S. Nicolai, ad quamplurimorum eruditionem accidit. Iuuenis quidam Clericus, Iuſtinus nomine, in Prouincialis Vicarij viſitatione, Fratris cuiuſdam crimen ad Superiorem detulerat; cuius tametſi veritas perſpicua eſſet: in eam tamen accuſationem Clericus, non eo, quo par erat; zelo, aut charitate: vnde apud Religioſos præſertim Viros, accuſatio omnis proficiſci debet: ſed tum ex concepta quadam animi in Fratrem indignatione, tum etiam ex ſui Guardiani perſuaſione, potiſſimùm impulſus fuerat. Poſthæc verò contigit, vt elapſo aliquot dierum ſpatio, Clericus ad mortem ægrotauerit: quo tempore F. Sebaſtianus Barenſis, qui cùm in eo Conuentu Guardiani munus gereret, Iuſtinum ad denunciandum crimen impulerat: ab eo iam ſupremo morbo laborante poſtulat, vt quatenus Deo beneplacitum fuerit, ſuum illi poſt obitum, alterius vitæ ſtatum renunciet. Spondet Iuſtinus. Mortique paulo poſt debito perſoluto, poſt menſem Sebaſtiano in Pomario deambulanti improuiſus adſtat. Horruit primo aſpectu Guardianus; dum Iuſtinum conſueto habitu ad ſe venientem conſpicit: animo tamen ſibi addito, ad eum pergit; & vt omnem ſibi dubitationis anſam præſcindat, ab eo, quiſnam ſit, inquirit. At ille: Iuſtinus, ait, ego ſum, qui cùm meam tibi poſt obitum præſentiam pollicitus fuerim; eam à Domino prohibitus, citiùs exhibere non potui. Sat citò, inquit Guardianus, ſi ſat benè tibi fuerit. Qualem te habemus Frater? Saluum quidem ex Dei miſericordia (ait Defunctus:) at non ſine maximo damnationis periculo, ob illum accuſationis articulum, quem à me in Fratrem N. apud Prouincialem Vicarium delatum noſti. At quî id fieri poteſt, (inquit Guardianus) An non is verus fuit? & ab omni falſi ſuſpicione alienus? Verus equidem (ſubdit ille) at amarulento quodam animo aduersùs Fratrem prolatus; atque ob tui gratiam ad Superiorem delatus: quæ res apud Deum tam grauis, ac criminoſa iudicata fuit; vt vix ob eam, damnationem effugerim: ſumma verò Dei clementia, quæ æternam mihi pœnam condonauit, triginta annorum in Purgatorio igne mihi ſupplicium exoluendum præſcripſit: quo dicto ſtatim ex illius oculis abſceſſit. Guardianus verò, cùm rem altiùs ſecum perpenderet; atque hominum facta, & conſilia, quæ interdum leuiſſima videntur, tam ſeuerè à Deo examinari, ac iudicari didiciſſet; animum ab huiuſmodi periculis auocatum, mox ad tutiorem vitæ rationem transfert.

*Clericus verum crimen Fratris ad Superiorem amarulento animo defert*

*In morte damnationis periculum incurrit.*

*Purgatoria pœna per triginta annos plectitur.*

III. Illuſtre quoque hoc tempore miraculum, in Conuentu Camerini, à Laïco quodam Fratre Anonimo editum legitur. Hic cùm Popinæ miniſterio diligentiſſimè incumberet; & quæ ad Marthæ officium ſpectabant, ſumma charitate præſtaret: adeò tamen Mariæ otium æmulabatur, vt quamlibet temporis particulam, quæ quotidiano ſui muneris miniſterio ſupererat, auidi Mercatoris inſtar lucrifaceret, ac velut pretioſam orationi reponeret; & ad Domini pedes, quos ſæpè lachrymis rigabat, ac ſacris meditationibus oſculabatur, ſollicitè conferret. Contigit verò hoc tempore; vt quidam eiuſdem Vrbis Vir Nobilis, Iuuenculam, opibus quidem, ac genere inferiorem; forma tamen, ac virtute præſtantem ſibi coniugio copularet; ex qua cùm filium procreaſſet, hinc ab inteſtato deceſſit. Tenellus adhuc puer erat, ac multis corporis incommodis affectus, cuius cùm propinqui

*Frater quidã Anonymus virtutibus clarus.*





breui vitæ occaſum expectarent, Matrem bonis omnibus expoliatam, domo eijciendam decreuerant. Afflictabatur pia mater, & languentem filium frequenter Fratrum orationibus, ac ſuffragiis commendans, ſola diuinæ pietatis, atque orationum, quæ pro puero fiebant, ſpe ali videbatur. Obit tandem diuino iudicio puer: mater verò dolore abſorpta, cùm nullum ſolatium admitteret; defunctum puerum in cunabulis collocatum, ſummo mane ad Capucinorum Eccleſiam ſecum deferendum curat: quæ vbi eò peruenit; mox ibi tot gemitus, tot lachrymas, totque clamores edere cœpit; vt Fratres vniuerſos ad ſui commiſerationem compelleret: O Sancti Franciſci Filij (aiebat Mater filio orbata) mœſtiſſimæ matri filium reddite; neque enim hinc abſcedam, donec infantem meum viuum recipiam: Fratres quidem, quibus poterant, mulierem verbis conſolabantur. Illa verò ſpei, ac multæ in Deum fiduciæ plena, cunabulis cum defuncto pueri corpore ante Altare relictis, in Eccleſiæ angulum, Deum pro puero oratura ſecedit; certam ſibi à Deo, Fratrum oratione, opem expectans. Interea Laïcus Popinæ Præfectus, cùm miſerandum matris caſum didiciſſet: ipſius lachrymis, ac mœrore commotus, ante Altare procumbens, Deum ardentiùs pro pueri vita rogare cœpit. Longas is iam in oratione moras produxerat, quũ nullus necdum in puero vitæ ſenſus deprehendebatur. Quare ad Deum conuerſus, his eum verbis, ex ſumma diuinæ benignitatis confidentia hauſtis, compellat. Quid eſt, fortiſſimè, ac clementiſſime Deus, qui nunquam obliuiſceris orationem pauperum, quòd ſupplicantis pauperis tui deprecationem ſpernis? Vſquequo, Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Iuſtus quidem es tu, Domine, ſi diſputem tecum; veruntamen iuſta loquar ad te. Nunquid non factus es, Domine, refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione? Num deſpicies preces viduæ ſi effundat loquelam gemitus, aut pupilli ſi ad te clamauerit. Ecce? Domine, lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & clamor eius ad te vſque ad Cælum aſcendit; & non eſt, qui eam conſolari queat, niſi tu Deus omnipotens, & clemens. Vox pupilli iacentis clamat ad te: Num magne Deus Iſraël, Pupillum, & Viduam deſpicies; & pauperum tuorum orationem repelles? Iam nunc permitte, Domine, vt tecum in iudicio contendam, & cum omnipotente verbis meis diſceptem. Nunquid bonum tibi videtur, vt multiplicetur ſanguis filiorum tuorum, & corruant ante te, qui diligunt nomen tuum? Et nunc Ecce, Domine; niſi orationem Serui tui pro paruulo deprecantis exaudias: me quoque cum paruulo coram te cadentem aſpicies. Neque enim hinc à facie tua egrediar, aut pane, aut cibo aliquo veſcar, donec vel Seruum tuum deprecantem exaudias, vel ſimul cum puero corruentem in pace recipias.

*Pro mortuo puero Deum rogat.*

*Confidentis animi Oratio quàm Deo grata.*

IV. Mira confidentis animi virtus. Vix hæc Dei Seruus ante Deum protulerat: quum puer rediuiuus è cunabulis erumpens, ad matris ſinum accurrit: quòd cùm primùm is animaduertit, protinus ab Altari aufugiens, ab omnium ſe oculis ſubripit; ne quod Dei virtute factum fuerat, ſuo merito tribueretur. Ita nempè humilitatis virtus Sanctis Viris amica eſt: vt proprios vndique honores fugiant; quò Dei tantùm gloriam commendent.

*Oratione puerum ad vitã reuocat.*

V. Per id tempus, in Conuentu Montis Veteris Prouinciæ Picentis, vitalis huius lucis vſuram reddit Fr. Nicolaus Anconitanus, Sacerdos, ac diuini Verbi Concionator: qui cum Euſebio Anconitano, atque aliis ex Obſeruantium Familia, anno 1534. ad Capucinorum inſtitutum conceſſerat. Vir hic Regulæ cum primis obſeruantiſſimus fuit, atque adeò paupertatis amicus; vt detritis tantummodò veſtibus, ac vetuſtate exſoletis, vteretur. Carnem aſperrimis flagellationibus, vigiliis, ac præſertim ieiuniis affligans, vt ſpiritum ad diuina contemplanda liberiorem, ac puriorẽ ſibi vẽdicaret, familiare id ſibi adſciuerat; vt tres cuiuſlibet hebdomadæ dies, panis, & aquæ abſtinẽtia cõſecraret. Cumq; orationi, ac rerũ diuinarũ contẽplationi plurimùm deditus eſſet; inter alia Ieiuniũ, & Solitudinem ad eam maximè conferre affirmabat: illud quidem, quò leuior, & expeditior ad ſuperiora animus fiat, dum

*F. NICOLAI ANCONITANI Vita & Geſta.*

*Ipſius virtutes enarrantur.*

corpus minùs ciborum pondere grauatur: hanc verò, vt purum, & à rerum multiplicitate liberum animum ſeruet: hinc ſolitaria ſemper loca quærens, Fratrum quoad poterat, colloquia vitabat; quo puriùs, ac diutiùs diuinis meditationibus vacaret: teſte enim Sapiente, didicerat: in multiloquio non deeſſe peccatum; facileque vas, quod operculo caret, vnguenti ſuauitatem perdere; nec diuinis aptum muneribus animum eſſe, qui ſeueram linguæ cuſtodiam non adhibeat. Nec tamen ità ſolitudini inhærebat, vt corporalia, & quotidiana exercitia ſperneret: Nihil enim Viro iucundius videbatur; quàm ſe vilibus quibuſque domus obſequiis mancipare, atque infirmorum præſertim miniſterio incumbere. At nec minor illi in Dei Verbo diſſeminando inerat charitatis æſtus: quo fiebat, vt humiliora ſemper loca ad prædicandum ſibi eligens, populos, non in ſublimibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in ſimplici Euangelij verbo, atque in Spiritu, ac virtute Dei ad virtutem, ac beatam vitam erudiret. Iis vt peccata fugerent, à vitiis abſtinerent, quæ militant aduersùs animam; diuinis præceptis obtemperarent, bonis operibus incumberent, quæ ad vitam ducunt; mortem, Dei Iudicium, horrenda Inferni ſupplicia, æternas damnatorum pœnas, Beatorum gloriam ſibi ante oculos ponerent, ac aſſidua cogitatione in animo verſarent; non multo verborum apparatu, aut eloquentiæ lenocinio, ſed ſimplici tantùm ſermone perſuadebat: quo tamen mirabiles in hominum animis motus excitans, ingentes ex prædicatione fructus colligere conſueuerat. Nec mirum. Cùm enim Euangelij verba operibus maritaret; hinc ſterilitatem vbique ignorans, velut ex cæleſti copula, animarum fœtus vbique Deo vberrimos generabat. Dominus quoque, qui ex ſimplici ſuorum prædicatione, & meliori prædicantium vita delectatur: ſignis, ac virtutibus Serui ſui dicta confirmabat: Etenim plerique, qui morbo aliquo afficiebantur, vt ipſius benedictione fruerentur, ad eum poſt Prædicationem accedentes; cùm eos pius Pater ſigno Crucis muniret, ab ægritudine liberi dimittebantur. Horum ſanè tanta copia fuit: vt numeroſæ Aegrotantium turbæ ipſius benedictionem expetentes, interdum ad Monaſterium confluerent; Cùm verò Noſtris eo tempore, nulla non modò cura, aut ſollicitudo eſſet, ſingularia ſanitatum munera conſcribere; verùm etiam iis maximè ob humilitatem aduerſarentur, qui à ſanctis Viris præclarè geſta, aut diuinitus patrata, quoquo modò memoriæ tradere curarent: eorum duntaxat in genere memoria ab antiquis monumentis nobis conſignata fuit. Obiit pretioſa morte Iuſtorum ſanctus hic Vir; poſt quinquageſimum quintum ætatis ſuæ annum, in Conuentu Montis Veteris; vndetriginta in Religione annis, maxima cum Sanctitatis, ac Religionis gloria tranſactis.

*Dei Verbum ſimpliciter prædicans ingentes fructus colligit.*

*Ægrotos ſua benedictione curat.*

VI. Per id quoque tempus, F. Matthæus à Schio, Agri Vicentini Oppido, diuini Verbi Prædicator, corporis exuuio abiecto ad Superos aſcendit. Hic ex Obſeruantium Familia, inter primos ad Capucinorum Reformationem accedens, primus circa annum Domini 1537. ad Vicentinum Agrum miſſus; in Colle, propè idem Schij Oppidum, tanta paupertate Monaſterium conſtruxit; vt præter intexta vimina, & lutum, nihil ad ſtructuram adhibitum fuerit. Guardianus eo in loco conſtitutus, tam inſigni vitæ auſteritate, ac ſanctimonia cum tota Familia conuerſari cœpit: vt pane hordeaceo, herbis, ac leguminibus contenti, quotidiana ieiunia colerent: flagellationes vſque ad ſanguinem exercerent; ſilentio, ac ſolitudini tantoperè incumberent, vt cùm diu noctúque diuinis laudibus, ac orationi vacarent: nunquam inter ſe, niſi diuina, vel ad Regulam, ac virtutes ſpectantia pertractarent. Pendebat è vicina quercu oſtij tintinnabulum, cuius tam raró ſonus audiebatur: vt ſonitum propemodùm ignorare videretur. Haud nemora, ac ſyluæ illis ad ligna miniſtranda deerant: ſed cùm inter Hyemis glacies ſummo paupertatis zelo feruerent: ſi quando frigus vrgeret; bacillos, lignaque exigua, quæ in ſepibus, ac viis huc, atque illuc ſæpè diſperſa iacent, colligebant; ex quibus igniculo inſtructo externum frigus depellerent. Matthæus verò interdum è Mona-

*F. MATTHAEI à Schio, Vita, & geſta.*

*Schij Conuentum pauperrimè ædificat, auſteriſſimáq; cum Familia vitam ducit.*





ſterio erumpens, tanto ſpiritus feruore Dei Verbum diſſeminabat; Regionémque fulguris inſtar, Euangelica prædicatione percurrebat: vt cuncti illum, non hominem, ſed velut Dei Angelum haberent; cæleſtéque admirabilis illius vitæ inſtitutum ſuſpicerent.

VII. Dum in hoc Monaſteriolo, quod S. Nicolai appellabatur; paupercula illa Fratrum Familia, in diuinas tantùm laudes animos intenderet; vitamque propemodùm Angelicam duceret: accidit, vt tanta, tamque alta nix è Cælo rueret; vt Conuentus oſtio obturato, ac viis omnibus ad mendicationem interclusis, ſummo in vitæ diſcrimine tota Familia verſaretur: panis enim conſumptus erat, legumina defecerant; nec vlla aut victus quærendi: aut euadendi ſpes illis relicta videbatur: cùm Matthæus omnes in oratione ad Deum clamare, cæleſteque à Deo ſubſidium quærere iubet, *Qui præparat Coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos.* En cuncti ad lachrymas confluunt; vniuerſi ante Altare procumbunt; vt quærant à Deo eſcam ſibi. At Deus benigniſſimus, qui cùm Coruos non deſerat, multo magis filiorum curam gerit, ſuis annonam è Cælo miniſtrat: Adhuc enim orationi inſtabant; quum tintinnabuli ſonus auditur. Stupent omnes eo tempore tintinnabulum pulſari, quo nemini ad Conuentum aditus eſſe poterat: ad oſtium pergunt, neminémque præter ſaccum recenti, ac calido pane refertum, qui tunc è clibano hauſtus videbatur, ante fores offendunt. Cumque nullius omninò veſtigia in niue deprehendant; nõ hominum, ſed Dei miſerentis cæleſtem liberalitatem agnoſcunt. Quapropter mox vniuerſi ad Deum voces attollere, diuinas laudes decantare, ac Dei benignitatem illis ſapientiæ verbis commendare contendunt: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum de Cælo panem præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem; & omnis ſaporis ſuauitatem.* Neque id fruſtra. Panis enim ille tam ſapidus, ac miræ ſuauitatis illis viſus eſt; vt comedentes ſimul & reficeret, & recrearet. At verò, vt clarior Dei Prouidentia eluceret; neque ſacco panis, neque cæleſtis eſurientibus annona vnquam defuit, donec via ad mendicationem aperiretur.

*Fratribus annona deficiente, Deus è Cælo annonam mittit.*

*Iob. 39.*

*Sap. 16.*

*Deus ſuis panem multiplicat.*

VIII. Tanto Matthæus diuinæ charitatis æſtu agitabatur; vt vbicunque, vel in plateis, aut vicis, collectos homines offenderet, Dei illis Verbum ſummo animi feruore proponeret: peccatores ad pœnitentiam compelleret; Inferorumque illis ſupplicia proponens, Dei Iudicio terreret: Mundana Feſta, ac Bacchanalia, quæ choreis celebrari ſolent, vbicunque fieri intelligeret; Chriſti Domini Crucifixi Imagine, quã ſemper manu geſtabat; ac Dominicæ Paſſionis memoria, tũ etiam repentinæ mortis comminatione, perturbare, ac intercidere ſolitus erat. Semel cùm in Vicentina Vrbe publicam ſaltationem inſtitui cerneret; in eam pro concione inuectus, id Vrbi tandem comminatus eſt, ac futurum prædixit; vt plurimus ibi hominum ſanguis effunderetur: quod paulò poſt, haud ſecus quàm prænũciauerat, accidit; nam turbis inter choreas concitatis; nonnulli interfecti, ac plurimi inde vulnerati abſceſsêre. Ex quo illis exploratum fuit: Apoſtolicum Virum, haud abſque certa diuini Spiritus luce, futuram cladem præmonſtraſſe.

*Matthæus ardenter Dei Verbum diſſeminat.*

*Cladem ex choreis exoriendam prænunciat.*

IX. Neque tamen, ob prædicationis labores, Vir ſanctus conſuetam vitæ auſteritatem vllo modo ſibi minui patiebatur. Nam ſermone abſoluto: vel panis ſibi, ac Socio, quantum ſatis erat, oſtiatim emendicare conſueuerat; vel ſi ab aliquo ad refectionem inuitaretur; non alio præterquàm communi, ac ſecundario pane veſci volebat. Deniq; cùm multis, ac piis laboribus pro Chriſto, ac Veneta Prouincia, quã aliquãdiu ſanctiſſimè rexit, perfunctus eſſet; ſeptuagenarius in pace quieuit. Poſt Matthei obitũ, tanta ob illius exẽplum, in hoc Conuentu paupertatis obſeruãtia viguit: vt loci illius Familia cũ ſumma rerũ egeſtate contẽderet: atq; adeò victus parcitati ſtuderet; vt cùm ſemel caprinus caſeus, qui vix ad duarũ librarũ põdus aſcẽdebat; à pio quodã Viro Fratribus eleemoſyna oblatus fuiſſet; amplior, ac craſſior, quã paupertas ferret, illis viſus fuerit: quare votis Fratrum publicè à Guardiano diſquiſitis, cõmuni conſilio decretum fuit; vt media tantũ illius caſei pars reciperetur.

*F. Bernardinus Aſſanenſis. F. Bonauentura Gallus. F. Bonauentura Bercellenſis omnes virtute conſpicui.*

X. Alios quoque præter enumeratos; Viros virtute inſignes variæ Ordinis Prouinciæ commemorant. Ethruriæ Prouincia, Bernardini Aſſanenſis Sacerdotis, Viri ad omnem virtutem compoſiti, oratione, ac corporis mortificatione præclari geſta cum laude recenſet. Neapolitana, Bonauenturam Gallum, Laïcum feruentiori ſpiritu præditum, ac ſanctitate in Religione conſpicuum; miris laudibus effert. Bononiẽſis alterũ quoque Bonauenturam Bercellenſem, Laïcum, præſtantioris ſanctimoniæ commendat. Piceni denique Prouincia illuſtris cuiuſdam Laïci Fratris, Viri virtute eminentis, poſt mortem factum celebrat, qui cùm vultu ad ſepulchri ſolum conuerſo ſepulchro conditus eſſet; quaſi ea corporis figura, ac poſitio minùs illi congrueret, qui in Cælum conceſſerat; tota ſpectante familia, quæ illi ſuprema perſoluebat, ſupinus faciem ad Cælum conuertit; vt quo abierat ſpiritus, & corporis vultus ſpectaret.

*Mulier à Dæmone raptata Fratrũ precibus à B. Virgine liberatur.*

XI. Pleraque hoc tempore, apud varias Religionis Prouincias, memoranda acciderunt. Primùm namque in Oppido Caputæ Bononienſis Prouinciæ, quod Petræ rubeæ coniunctum eſt. Mulieri cuidam diuiti, auaræ tamen, duo filij erant: qui cùm, ob quaſdam de agrorum terminis controuerſias exortas, cum vicinis rixati fuiſſent, à ſuperueniente tunc temporis ſatellitio apprehenſi, in carcerem detruduntur. Quod cùm matri renunciatum fuiſſet; illa in omnem deſperationem acta, Diabolum iteratis vicibus obteſtari cœpit, vt eam è medio tolleret. Tempus tunc meſſis erat, cùm triticum à Ruricolis in area excutiebatur: En Diabolus, Dei iudicio, nequaquam cunctatus, repentè mulierem rapit; ac per aream, & agros inuiſibiliter raptans, eam ſibi tollere contendit. Tanta porrò eo tempore imbrium, ac ventorum tempeſtas aërem conturbare cœpit; vt cuncta peſſum ire crederentur. Accurrunt vndique ad mulieris opem ruricolæ; cumquè nihil aduersùs Dæmonem proficerent, mox ad Capucinos Petræ rubeæ conuolant; mulieriſque calamitatem narrantes, pro ea obſecrationes Deo fieri rogant. Confeſtim Fratres ante Altare proſtrati, B. Virginis Litanias decantant; illiuſque opem ad miſeræ mulieris præſidium implorant. Porrò eo tempore Virgo Deipara, clariſſima vndique luce circumfuſa, mulieri apparet: Cuius aſpectum cùm ater ille tenebrarum Angelus ferre non poſſet, aufugiens, liberã mulierẽ relinquit. Mulier verò meliori mẽti reddita; cùm ſe è tanto periculo erutam cerneret, Deo gratias agens, vitáque in meliùs commutata, B. Virgini deinceps deuotiſſima; atque in Capucinos liberalior euaſit.

*F. Hieronymus Camerinenſis Vir illuſtris.*

XII. Aliud quoque Velitri, quæ Latij Vrbs eſt antiquiſſima, hoc tempore memorabile accidit. Cùm enim fames totam regionem occuparet, eaque maximè pauperes depaſceretur: Velitrani Ciues pietate in pauperes commoti, publicas in Vrbe eleemoſynas, ad pauperum inopiam ſubleuandã, colligere cogitant. Quare Epiſcopum adeuntes, vt cum eo conſilium conferant; cum eo F. Hieronymum Camerinẽſem, noſtri Ordinis Concionatorem offendunt: qui cùm Ciuium erga pauperes pietatem intellexiſſet, opus apud Epiſcopum maximè commendat. Ciues verò Viri ſtudio allecti, Hieronymum in hoc officio collegam, ac comitem ſibi ab Epiſcopo poſcunt: qui cùm eorum votis vltrò annuiſſet; Guardiani quoque Velitrani conſenſus accederet: Hieronymus hominum, qui in ea Vrbe opulentiores erant, ſibi cathalogum dari poſtulat. Cui cùm Ciues notulam præbuiſſent, inter alios quẽdam Ioannem Colam omnium ditiſſimum commemorant; qui tamen vſque adeò auarus, atque in pauperes crudelis erat; vt nullas nõ modò iis eleemoſynas erogaret; ſed auidiùs quoſcunque poſſet, expilaret: ita vt cum ſuis mercatoribus, quos ad varia mercium genera vẽdenda, plures ſibi in Vrbe vendicabat; occultum pactum iniiſſet: vt cùm primùm Religioſi ab iis eleemoſynas peterent; panis mantica, vel Lecytho olei ab iis acceptis, quaſi eleemoſynam daturi, ab iis clam panis, vel olei partẽ ſubriperent, quam poſtea ſecum diuiderent. Atque hoc pacto ſub eleemoſynæ ſpecie, etiam quæ pauperum erant, ſuffurabatur.

*Ioannes Cola diues auarus, pauperes expilat.*

XIII. Accidit ergo, vt dum Ciues cum Hieronymo in pium opus incumbũt, ac Vrbem





cirmeunt, in Ioannem Colam incidant. Confeſtim Ciues Hieronymum admonẽt, Virum adeſſe; qui nullam vnquam eleemoſynam pauperibus erogare ſoleat. Accedit Hieronymus, ac Ioannem Colam humaniſſimis verbis ſalutat: cui cùm publicam pauperum inopiam expoſuiſſet, cui ſubleuandæ plurimam illi Deus bonorum copiam elargitus fuerit; ſuadet, vt Domino pauperibus tribuens fœneretur. Is cùm Hieronymum audiſſet; cuidam Tabernario, qui ipſius nomine oleum vendebat, obtruncatis verbis, ait: His dimidium olei. Exiſtimabant Ciues à Ioãne Cola dictum eſſe, vt medium olei pondus ab eo illis daretur; maximéque ob rei nouitatem admirabantur. At Tabernarius, qui Ioannis Colæ obſcurum dictum perceperat; cùm à Hieronymo olei lecythum poſtulaſſet, interiorem Tabernæ ſinum ingreſſus, ab eo mediam olei libram detrahit, quam in ſuo vaſe oleario reponit, lecythumque Hieronymo reddit: qui cùm nihil in eo fraudis interceſſiſſe ſuſpicaretur, cum Ciuibus ad aliorum Tabernas pergit. At vix paululùm proceſſerat: cùm Tabernarius poſt eum ab tergo clamat: Pater, heu Pater. Subſiſtit Hieronymus: Tabernarius verò lachrymis perfuſus. Heu me; inquit, alios fallere putabam; miſer, meipſum fefelli: Deumq; iuſtum mei ſceleris vltorem experior. Pro venia obſecro, ô Pater; oleũ pauperibus ſuffuratus ſum, fateor: hoc enim mihi à Ioãne Cola præceptum fuerat; vt libræ medietatem à veſtro lecytho ſubriperem: iuſſis parui, auaritiæ manum dedi, óleum ſubripui. Verùm ecce Deus iuſtus pauperum vltor, ſtatim præ foribus adfuit; vix enim ſubreptum oleum in ingens vas olearium, quod oleo mihi plenum erat, infuſum fuit; cùm vas totum percrepuit; oleumque in ſceleris pœnam effuſum. Iam Dei vindictam agnoſco: iam ſcelus deteſtor: ac futuram Deo Opt. Max. emendationem ſpondeo. Rogo, Pater, vt Deum pro me exores, ne deterius mihi aliquid contingat.

*Tabernarius ſcelus fatetur.*

XIV. Obſtupuère vniuerſi: res verò cùm Ioanni Colæ renunciata eſſet: protinus animo expauit, ac diuinum in ſe Iudicium perſentiens, poſtridie in grauem morbum incidit. Germanus verò Ioannis Frater, quandoquidem de ſpirituali Fratris ſalute, quã maximo in diſcrimine verſari non ignorabat, ſollicitus erat; Hieronymũ ſtatim accerſit; qui cùm ad ægroti lectum accedens, multis eum verbis ad aliena reſtituẽda, ad pœnitentiam, [illegible] peccatorum Confeſſionem hortaretur. Iis Ioannes nihil reſpondens, horrendos duntaxat, ac terribiles, Tauri inſtar, mugitus edebat: quibus adſtantibus pauorem incutiebat. Sæpiùs verò cùm oculos in [illegible] quãdam nummariam defigeret; rei cauſam Hieronymus à Germano ſciſcitatur: reſpondet ille: ſeptuaginta millia aureorum ibi occluſa contineri. Mox Hieronymus ad Ioannem. Quid, inquit, Ioannes, de tot nummis acturus es? Cui ægrotus, qui eouſque tacuerat: de iis, inquit, cùm primùm à morbo conualuero, diſponam. An non conſultiùs eſt, inquit Hieronymus, vt ad fœnorum tuorum damna reſarcienda, dum ſuperſtes es, nummorum partem pauperibus eroges? Cui cùm Ioannes ſolis duntaxat rugitibus reſponderet: animaduerteretque Hieronymus, ſe cum Ioanne oleum, & operam perdere; alios ſibi Fratres à Guardiano adiungi poſtulat, qui ægroto alternatim aſſiſtant; ac ſalutaria monita adminiſtrantes, Ioannis animum ad pœnitentiam prouocent. Accedunt Fratres, ac pia erga Ioannem officia præſtant. Quibus tamen cùm nihil proficerent; nihilque ægrotus, præter formidabiles boatus redderet: ruente iam nocte, iubet Hieronymus plures faces in Aula accendi: quæ adſtantibus metum, quo ob horrendas Ioannis voces terrebantur, leniant. Iam quinta noctis hora effluxerat; cùm ventus vehemens in domum repentè irruens, ligneis feneſtrarũ cancellis comminutis, Aulæ feneſtras, ac fores ingenti ſtrepitu patefacit; faceſque, quæ in Aula ſplendebant, extinguit. Fratres verò, qui in Aula erant, penè timore exanimati, inter tenebras humi iacebant: cùm Hieronymus cæteris animoſior, familiam accerſit: lumenque adferri iubet. Adfuit confeſtim cum lumine Ioannis Germanus: qui cùm Aulam ingreſſus fuiſſet; cuncti lectum ægroti

*Ioannes Cola in morbum incidit.*

*Horrendos in morte mugitus edit.*

*A Dæmone rapitur, & in Infernum ſepelitur.*

combuſtum, Ioannémque à Dæmonibus raptum, ac per Aulam raptatum, ex ſignis, quæ in pauimento reliquerat, deprehendunt. Solarium quoque, quod extra feneſtram prominebat, vnde Ioannis corpus aſportauerant, igne exuſtum intuentur. Hoc pacto infelix, æterna ſua damnatione, pauperum, quos deuorabat, pretium exolui. Diuitias quas malè parauerat, inuitus deſeruit; mortuuſque eſt diues, & ſepultus in Inſerno.







I. QVADRAGESIMVM, hoc Anno Milleſimo quinquageſimo ſexageſimo quarto, Capucinorum Ordo iam ætatis ſuæ annum attingit: quæ cùm firma, ac perfecta ætas eſſe cenſeatur: inter iuuentutem, ac ſenectutem media: cui maiores, ac robuſtiores, ad ardua quæque tum aggredienda, tum proſequenda vires accreſcunt. Haud mirum, quòd hoc tempore Religio plurimùm robore, ac virtute in Orbe aucta, in ampliora Virorum, ac virtutum germina ſeſe extenderet: quemadmodum hoc, & aliis poſterioribus annis exarabimus. Interea triennale iam officij ſui munus Thomas Generalis expleuerat; cùm hoc anno, duodecimum Generale Capitulum ab eodem Foroliuij indicitur. Celebrantur, Deo Auctore, Comitia; quibus interſunt Viri virtute præſtantes, quorum conſilio, & prudentia, cùm Religio optimè adminiſtrari potuiſſet; omnium tamen conſenſu Fr. Euangeliſta à Canobio, qui Mediolanenſi Prouinciæ præerat; ſeptimus Generalis eligitur.

*Duodecimum Generale Capitulum colligitur.*

II. Plurima hic Vir prudentia, ac virtute inter cæteros præſtabat: vtpote ſingulari eruditione, inſignique animi probitate præditus; atque adeò Regularis obſeruantiæ ſtudioſus, vt nihil præter eam expetere videretur: quo ſanè factum eſt; vt ſub illius adminiſtratione, quæ benè à prioribus Generalibus, antea in Religione ſata fuerant, meliùs ipſius diligentia excreſcerent; Regulariſque diſciplinæ cultus haud aſpernanda ſuo tempore incrementa daret. Nonnulla in hoc Capitulo ad integram Concilij Tridentini obſeruantiam, à Patribus conſtituta ſunt. In his; vt Theologica ſtudia, in qualibet Ordinis Prouincia, iuxta eiuſdem Synodi decretum, publicè inſtituerentur: nam ante hoc tempus; cùm Fratres, Ordinis humilitatem, ac ſimplicitatem ſtudiorum erectione minui, ac labefactari extimeſcerent, publica literarum ſtudia inſtituere verebantur: & ſi qui erant, qui literatum ſtudiis incumberent, iis priuati tantùm Prælectores dabantur. Alia quoque nonnulla ad Religionis ſtatum ſpectantia, quæ in eadem Synodo decreta fuêre, Generalibus Conſtitutionibus addita ſunt: vt Euangelica Religio integerrimam ſe Eccleſiaſticarum Regularum cuſtodem exhiberet. Euſebio quoque Anconitano Procuratoris officium, apud Romanam Curiam delatum: ac Marius à Foroſarzinio Romani Conuentus Guardianus, vſque ad futura generalia Comitia creatus.

*Fr. Euangeliſta à Canobio, Vir prudens Generalis eligitur.*

Seſſ. 5. c. 1. de Reform.

*Nonnulla in Capitulo ſtatuta.*

III. His conſtitutis ſoluuntur Comitia: & dum Euangeliſta Generalis ſe ad Religionis viſitationem accingit, Rodulphus Pius Cardinalis Carpenſis, qui poſt Franciſcum Quignonium anno 1542. Ordinis protectionem ſuſceperat; cùm ſe grauiter ægrotare cerneret. Euangeliſtam Generalem accerſit; cumque his verbis affatur. Morbus hic meus, Euangeliſta, maturiùs, quàm Religionis tuæ neceſſitas ferat; me hinc ereptum Deo immortali reddet. Ego quidem lubens hinc abeo; neque ex ærumnoſo hoc rerum ſtatu me diſceſſus angit: tuæ tantùm Congregationis, quã ſummo ſemper amore proſecutus ſum, vices doleo; quæ mea fortè etiamnum opera, ac ſubſidio indiget. Veruntamen, vt extremo hoc quoque tempore, ſuprema illi beneuolentiæ officia impendam: quandoquidem minùs auxilio, magis tamen conſilio eidem prodeſſe cupio: quo meliorem, poſt meæ vitæ occaſum, rerum ſtatum ſortiatur. Habes, Euangeliſta Iuliũ Ruuereum Cardinalem, qui vt auctoritate, & prudentia præſtat; ita etiam plurima Capucinorum Religionem beneuolentia cõplectitur. Hic maximè Religionis rebus prodeſſe, ac opitulari poteſt: quamobrem

conſulo,vt quamprimùm Pontificem adeas;ab eoque illũ mihi in hoc protectionis munere ſuffici poſtules;quò faciliùs,cùm ex hac luce migrauero,is in meum locum ſuccedat: inde enim magnam Congregationi veſtræ vtilitatem acceſſuram ſpero.

*Euangeliſta Generalis Cardinalem Ruuereum vice-protectorem à Pontifice poſtulat, & Carpenſis moritur.*

Haud ſurdus, Generalis, Cardinali optima conſulenti aures præbet: quare ipſius protinus conſiliis acquieſcens,ad Pontificem accedit,ab eoque Ruuereum Vice-protectorem poſtulat:qui cùm id Cardinali Protectori haud ingratum fore percepiſſet;haud ægrè poſtulata donat. Interea morbo ingraueſcente Cardinalis Carpenſis hoc anno die ſecunda Septembris, ſuprema neci iura ſoluit. Porrò Generalis Min. Conuentualium Magiſter, audito Carpenſis obitu, Florentia Romam feſtinatò aduolat;præſentémque S. Carolum Borromæum, Pontificis ex Margarita Medicea Sorore Nepotem,Ordini Protectorem à Pontifice poſtulat:cuius cùm votis Pontifex annuiſſet; mox illi in mentem redit, ſe Generali Capucinorum Vicario petente, Cardinalem Ruuereum iam in Protectoris locum ſubrogaſſe: cúmque ab hac deliberatione nullatenus vellet recedere; Borromæus, qui tunc præſens aderat. Ne vereare (inquit) Beatiſſime Pater, huic Generalis poſtulationi annuere. Meus eſt Cardinalis Vrbinas, mihique amicitia coniunctiſſimus:nulla inter nos animorum diſſenſio pertimeſcenda. Dum ille Capucinis, ego Conuentualibus, noſtra auctoritate præſidebimus; communi conſilio, & communicato labore, vtriuſque Religionis Protectioni inuigilabimus. Laudat Borromæi conſilium Pontifex: quapropter cùm paulò poſt, Generalis Obſeruantium Miniſter, Ioannem Baptiſtam Cicadam Genuenſem, Tituli Sancti Clementis Cardinalem,Ordini Protectorem poſtulaſſet:Pontifex qui iam de Protectore, vti dictum eſt,ſtatuerat,nihil in eo deinceps immutandum voluit. Atque hinc diuino planè conſilio factum eſt;vt cùm Borromæus vtrique Min.Conuentualium,& eorum,qui de Obſeruantia nuncupantur,Ordini ſua Protectione præeſſet;ſolus Ruuereus Capucinorum Congregationi,velut Protector præſideret. Itaq; ab hoc tẽpore Protectoris munus,quod ab vno duntaxat S.R.E.Cardinali,in toto Minorum Ordine,adminiſtrari ſolebat,diſſectum fuit:Capucinorumque Religio, hoc anno ſingulari ſuo Protectore gaudere cœpit. Quod illi, tum ob frequentes perſecutionum procellas,quæ in eam excitabantur;tum ob firmiorem rerum ſtatum, ac Religionis ſtabilitatem aſſequendam,maximè opportunum fuit. IV.

*Cardinalis Ruuereus Capucinorum Protector inſtituitur.*

Dum igitur hæc Deo potiſſimùm ita diſponente, feliciùs Religioni ſuccedunt: F. Alexander à Fano,Prouinciæ Picenſis Sacerdos, mortalis vitæ curſu abſoluto, ad immortalem,haud abſque plurima ſanctimoniæ opinione,migrat. Hic cùm inter Minores Conuentuales conſcriptus vitam duceret: quo tempore Capucinorũ Ordo pullulare cœpit,Regularis obſeruantiæ ſtudio incenſus,ad eum ſe contulit:atque adeò in omni virtutum genere profecit; vt perfectam Regularis diſciplinæ normam in ſeipſo præferret: Primum enim virtutis tyrocinium à carnis mortificatione exorſus; quam vitiorum omnium fomitem non ignorabat: ea corpus inedia edomabat, vt vniuerſa Regulæ Ieiunia, atque alia quamplurima ſolius panis & aquæ refectione celebraret. Carnem, quæ aduersùs ſpiritum concupiſcit,quotidianis ferè flagellis attereret.Humilitate, ac ſuiipſius neglectu tantoperè oblectabatur; vt quamuis Guardiani dignitate præſtaret; viliſſima quæque obſequia,quæ à Laïcis Fratribus exerceri ſolent, auidiſſimè amplecteretur. Nihil æquè ac ſui ipſius deſpicientiam diligebat.Hinc cùm ſemel ad publicam panis mẽdicationem Fanum pergeret;contigit, vt Ruſticum quendam Vrbis incolam,cado onuſtũ,in via offenderet.Cui Alexander.Dic amabo, Amice,inquit,An non tu Vrbis incola es?Cui ille.Sum equidem.Quæſo te,ait Alexander: tune Cadum hunc, quem humero geris,abſq; verecundia per Vrbem feres?His ille:quid verecundiam cõmemoras?Haud ſanè mea negotia gererẽ,ſi me huiꝰ rei pudor,aut verecũdia teneret.Mox ad ſeipsũ Alexãder:Heu me miſerũ,inquit,nedũ huiꝰ Ruſtici virtutem aſſecutꝰ ſũ:ego enim cadũ hũc abſq;rubore in Vrbe,quę mihi patria eſt nõ ferrẽ;hic verò ne de rubore quidẽ cogitat.Quãobrẽ Ruſtici exẽplo permotꝰ,vt cõceptã animo V.

*F. ALEXANDRI à Fano Vita & geſta.*

*Plurimæ ipſius virtutes enarrantur.*

*Ex Ruſtici verbis ſeipsũ arguit, ac mortificat.*





verecundiã deuinceret: cùm geminas tunc cęparum tricas eleemoſyna accepiſſet: eas non mantica occludere, aut alioqui occultare, ſed palam in humeris deferre voluit; quò eam mentis ſuperbiam, ac vitioſum pudorem confoderet. Nihil hoc Viro modeſtiùs,nihil honeſtiùs erat.Mulierum adeò conſortia deuitabat, vt etiam ad eas propè accedere vereretur. Eas verò ſi aliquando neceſſitas alloqui compelleret; tanta id oculorum demiſſione,tantaque ſenſuum mortificatione,ac circumſpectione præſtabat; vt Socium ſemper verborum teſtem habere vellet:nec ſermonem vltra tertium reſponſum protraheret.Nouerat enim ab Auguſtino dictum: *De carnibus ſcintillæ proſiliunt, de ferro rubigo nutritur:morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam.*

*Mulierum conſortia fugit.*

Aug. lib. de ſingul. Cler.

VI. Studium verò, quo orationem, ac diuinarum rerum contemplationem proſequebatur,tam illi aſſiduum, ac familiare fuit;vt cæleſtium rerum potiùs,quàm humanarum ſpectator videretur.Diu noctuque cum Deo,& Angelis verſabatur. Raró, niſi ad humilitatis officia, extra Chorum, & Refectorium cum Fratribus conuenire ſolebat,Deo dicatæ ſolitudini, vt plurimùm, vacans:in qua Dei colloquiis familiariſſimè fruebatur. Quamobrem tanta ipſius, tum apud ſæculares homines, tum apud Fratres,ſanctitatis Fama diffundebatur,vt cuncti illum,velut totius Sanctimoniæ exemplar, ſuſpicerent. Atque inde quamplurimi, qui varijs languoribus afflictabantur, ipſius Sanctitatis odore attracti, ad eum confluebant; quos Vir Dei Crucis ſignaculo muniens, ab ægritudine liberos reddebat.

*Orationi, ac ſolitudini vacat.*

*Ægrotos Signo Crucis ſanat.*

Accidit Aliquando, vt ad Caſtellum quoddam, quod inter Oppidum Montis Veteris, & Foroſempronium iacet, ad lanam mendicandam cum F. Antonio Apinianenſi accederet: vbi geminos cuiuſdam mulieris viduæ filios, grauiſſima ægritudine laborantes offendit. Mater verò cùm vtroque filio ſe orbandam cerneret, acerbiſſimè animo diſcruciabatur: Cui Alexander ex animo compatiens, eam pluribus verbis, vt animum cum Dei beneplacito componeret, hortari cœpit. Neque enim fieri poſſe, aiebat, vt à Deo opem expectaret, niſi priùs cum Dei voluntate conueniret. Id cùm à Muliere Vir Dei tandem aſſecutus fuiſſet: mox ad liberos extrema valetudine laborantes accedit, Signo Crucis benedicit, ac protinus matri incolumes Dei virtute reſtituit. Hic tandem meritis diues, ac ſanctis operibus plenus, cùm vſque ad canos vitam cum magna ſanctimoniæ laude tranſegiſſet, Maceratæ diem extremum claudit.

*Geminos Fratres ſupremo morbo laborantes Signo Crucis curat.*

VII. Sub idem tempus, Frater Baptiſta Laritionenſis Calaber, Prouinciæ Rheginæ Sacerdos, qui Surdus cognominabatur; ex huius vitæ exilio ad patriam concedit. Vir vtique omni memoria dignus, ac tot virtutibus illuſtris; vt velut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi puluerís pigmentarii virtutum compoſita, in Cælum conſcenderit; ſuauiſſimoque odore vniuerſam Capucinorum Religionem reſperſerit. Is cum primùm ad Capucinorum vitam acceſſit: ſpiritualem domum ædificaturus, eam non in labili fluentis arenæ ſolo; verborum ſcilicèt, ac Religioſi tantum nominis ſono: ſed velut ſapiens Architectus, in ſolida humilitatis, obedientiæ, paupertatis, atque omnis generis ſenſuum mortificationis petra, illius fundamenta poſuit; quæ ſtabilem ædificij molem, ac ſtructuram præſtarent. Tam humili ſui abiectione, ac contemptu agebatur, vt in ſola ſui deſpicientia gaudere videretur: viliſſima enim officia, & Ægrotorum obſequia, quæ alios vel ob nauſæam, ac rerum fœditatem, vel ob ſordidam operis conditionem, ab iis præſtandis interdum reuocant; tam auidè amplectebatur; vt in his ſummum ſtudium, ſummamque voluptatem collocaret. Hinc cunctis ad nutum inſeruire; hinc omnibus obſequi, vniuerſoſque ſua opera adiuuare, quotidianum illius opus erat: ſermone affabilis,atque eloquio ſuauis,tametſi verbis parcus, ita omniũ animos ad ſe alliciebat;vt cunctis charus,&amabilis eſſet.Potiſſimùm tamẽ illius ſtudiũ in orationẽ,ac rerum diuinarum contẽplationem ferebatur:In ea diu noctuque verſabatur:

*F. BAPTISTÆ LARITIONENSIS, Vita & geſta.*

*Virtutum luce præfulget.*

in ipſa totus præ amoris incendio ardebat: ac diuinæ charitatis flamma ſuccenſus, ad dilecti vocem, ſæpè in lachrymas, & gemitus liquefiebat. Hinc porrò factum eſt, vt à dilecto in cellam vinariam introductus, diuinæ Sapientiæ abdita, tam futura, quàm ea, quæ intimis hominum cordibus latent, ſæpè diuino munere agnoſceret: cuius nonnulla lubet exempla proferre.

*Intima hominum ſecreta agnoſcit.*

Dum in Conuentu Catacij (quæ Vrbs eſt magnæ Græciæ, Calabriæ vlterioris VIII.
primaria) Vir Dei aliquando moras duceret: Baro quidam in lecto ægrotabat, qui huius Viri Sanctimoniæ fama commotus, quæ in Vrbe percrebuerat; per internuncium ſe illius precibus commendat. Cui Baptiſta: Dic Baroni, inquit, fruſtra illum à Domino corporis incolumitatem poſcere; quandiu ſerpentem in ſinu animi fouet: Iuuenculam, quam domi concubinam alit, è ſinu eiiciat, ac honeſto Viro collocet: tum pro morbi curatione exoret: ac proculdubio aſſequetur. Res omnibus, præterquam Baroni, ac ſceleris complici occulta erat: quamobrem, cùm Baro, eam nonniſi ex Dei reuelatione, Viro Dei innotuiſſe intelligeret, confeſtim illius dicto paret: mulierem coniugi copulat, ac protinus à morbo conualeſcit.

*Occultum ſcelus pandit Ægrotanti, ac illi incolumitatem prænunciat.*

Nobilis quidam Vir Vrbis Stilenſis, dum Catacij moras trahit; ex domeſtico- IX.
rum literis filium grauiter ægrotare accipit: quo nuncio magnoperè afflictatus, ad Dei Virum ſe confert; & vt pro nati ſalute Deo preces offerat, vehementiùs rogat: Cui Baptiſta: Ne te, ait, filij ſalus ſollicitet; breui conualeſcet: Deo potiùs Opt. Max. gratias age, qui ea te prole donauit, quæ & patris gloria, & tui generis ſplendor ſit futura. Rem exitus probauit: Ægrotus enim, cùm priſtinæ incolumitati redditus eſſet; maximas deinde in ea Vrbe dignitates ſua virtute conſecutus eſt.

*Ægrotantis incolumitatẽ prædicit.*

Per idem tempus illius Prouinciæ Prorex Catacium venerat: vbi cùm certo X.
nuncio abſentem Vxorem in grauem morbum incidiſſe didiciſſet; audita Baptiſtæ fama, mox Franciſcum Ferrarium Nobilem Virum, & Ordinis deuotiſſimum ad Dei Seruum deſtinat; qui ægrotantem vxorem impenſiùs illius precibus commendet. Non cunctatur Franciſcus; ad Conuentum pergit: Baptiſtam, cui is familiaris erat, accerſit; vt Proregis mandatum exponat. At Vir ſanctus, ſimulatque, Franciſcum, ne dum verba proferentem videt: Quid, inquit, Franciſce, pro muliere huc rogaturus accedis? Deceſſit Proregina, iam vita defuncta; pro anima, non pro corporis incolumitate orandum. Stupet Vir Nobilis; neque vllatenus de rei veritate, quam Baptiſtam ex Dei reuelatione accepiſſe, certiſſimè ſibi perſuadet, apud ſe dubitat. Veruntamen, cùm dura hæc nuncia ad Proregem perferre, minùs illi opportunum videretur; verbum ſubticet. At tertio die certus ad Proregem de Proreginæ morte nuncius venit: qui vbi defunctam vxorem accepit; iterum Franciſcum Ferrarium ad Capucinos deſtinat, vt pro ea Deo ſuffragia offerant. Is verò tunc primùm ea, quæ illi à Viro Dei dicta fuerant, Proregi aperit; ne diuinam illius ſapientiam, quam ad occulta agnoſcenda à Deo acceperat, ſilentio obtegere videretur. Tanta hic Dei Seruus, ad futura perſpicienda, Dei luce perfundebatur; vt Prophetiæ Spiritus illi ad omnia præſtò eſſe videretur. Quo ſanè factum eſt, vt cùm in eodem Catacenſi Conuentu, in quo per aliquot annos moras duxit: quadam die nonnullas triremes mare ſulcantes cerneret, velut ſpiritu exultans, multis adſtantibus dixerit: O beati oculi, qui poſt aliquot annos æquora iſta Chriſtiana claſſe ſtrata conſpicient: vnde amplior Chriſtiani nominis gloriæ, & Catholicæ Eccleſiæ ſplendor accedet. His verbis Naualem Victoriam annuere voluit, quam Chriſtianorum claſſis, ſub Pio V. Pontifice, & Ioanne Auſtriaco Ductore anno 1571. de Turca reuexit: quam tunc Deo reuelante, futuram præſignificauit.

*Proreginæ occultam mortem aperit.*

*Futuram Chriſtianorũ victoriam de Turca referendam præſignificat.*

Erat quoque in eadem Cataci Vrbe, Nobilis quædam Mulier, quæ cùm Virum XI.
Dei præcipua deuotione proſequeretur. Hæc cùm ſemel cum Baptiſta colloqueretur, clam illi funis, quo præcingebatur, fruſtulum præſcidit; vt illud inter ſacra

*Suum, ac Nobilis Mulieris obitum prædicit.*





reponeret: quod cùm Vir Dei nimis ægrè tuliſſet; mulierémque facti increpaſſet; illa: En Pater, (inquit) nouam tibi, ac integram funem attuli, qua præcingaris. Cui Baptiſta Neque funis hæc noua, quam attuliſti, prorſus mihi neceſſaria erit: neque tu fruſtulo, quod præſcidiſti, diuturno tempore frueris. Quod planè, vti prædixerat, contigit: nam poſt paucos dies, Chriſti Seruus, corporeis nexibus abſolutus, ad Superos euolauit: Mulier quoque haud longè poſt illum, rebus humanis valedixit.

XII. Poſtremò cùm obitum ſuum Fratribus multò antea prænunciaſſet: abſoluto ſeptuaginta annorum exilio, in quo velut aduena, & peregrinus, præter mortalem vitam nihil cum Mundo commune habuit: rebus omnibus liber, in feliciorem cæleſtis domicilij ſedem in Conuentu Cataci concedit. Porrò ob illius ſanctimoniæ famam, tanta poſt ipſius obitum, populorum multitudo ad eum venerandum confluxit: vt cùm ipſius corpus ſepulturæ dari non poſſet; publica Epiſcopi auctoritate opus fuerit, qua illud in ſepulchro condi mandaretur. Quædam poſt illius mortem miracula à Deo patrata narrantur: Inter quæ illud non obſcurè refertur, quod de Nobili quodam Viro Catacienſi certo teſtimonio proditum fuit: qui cum perſpiciliorum viri Dei tegmen, à Fratribus dono acceptum, ægrotanti cuidam admouiſſet; is protinus incolumitati reſtitutus, quàm efficax apud Deum illius ſuffragium fuerit, diuino beneficio auctus cunctis teſtatum reddidit.

*Poſt mortem miraculis emicat.*

*Ipſius perſpicilia ægrotum ſanant.*

XIII. Sub id quoque tempus Fr. Matthæus Auinionenſis, Laïcus, magna cũ virtutum laude, apud Cyrneos, ſuprema iura neci exoluit. Qui cùm ob perfectiorem Regularis obſeruantiæ cultum, ex Minorum Obſeruantium Ordine ad Capucinorum Reformationem ſibi migrãdum ſtatuiſſet, in Italiam veniẽs; eo in itinere, dum per Foroliuienſem Agrum iter facit; En Graſſator haſta, & enſe armatus, è nemore erumpens, ab eo minacibus verbis nummos poſcit. Vir erat Matthæus corpore robuſtus, ac viribus præſtans: quare cùm ſe ab vno tantùm inuaſum cerneret, cui is ſatis eſſe poſſet; quaſi illi obtemperaturus ignitabulum theca occluſum proferẽs, ante illius pedes proiicit; qui calibis ſonitum audiens, ratus ibi nummos ad eſſe; protinus ſe ad prædam inclinat. At Matthæus protinus collo illius apprehenſo, ac fortiter humi compreſſo, Sicarium genibus ita ſuffocabat; vt nequidem loco dimoueri poſſet. Interea haſta, altera manu apprehenſa, necem illi minabatur, ſi inde recederet, donec longiùs progreſſus haſtam humi plãtaſſet. Porrò Sicarius ex inòpinato euentu, tam ingenti pauore perculſus, ac metu exanimatus fuit; vt Matthæo integrè paruerit: atque hoc pacto Matthæus à Sicario liber, Genuam proficiſcitur. Quanquam verò id Matthæus, ob validum corporis robur, propriis viribus facilè aſſequi potuiſſet. Diuinam tamen tunc illi virtutem adfuiſſe, credendũ eſt; quæ cùm pia illius ſtudia, quibus ad Reformationem ferebatur, probaret: Sicarij animum, ne inſtitutũ ipſius iter interciperet, ingenti illo timore perculit. Iam verò vbi Matthæus Genuam appulit; à ſui Ordinis Fratribus, qui ipſius animi deliberationem ſubodorauerant, variis contumeliis afficitur, ac per omnia tentatur, vt propoſitum mutet. Is tamen cunctis ſua conſtantia deuictis, velut aurum igne probatum, in Genuenſi Prouincia inter Capucinos adſcribitur.

*FR. MATTHÆI Auinionenſis Vita, & Geſta.*

*A Graſſatore inuaſus illũ ſibi ſubijcit.*

*Ad Capucinos migrat.*

XIV. Perfectus hic Regularis obſeruantiæ cultor fuit, paupertatis zelator, honeſtatis cuſtos, humilitatis, ac ſui ipſius neglectus ſectator inſignis: qui cùm ſibi, in ipſo Religionis ingreſſu, omnium virtutum faſtigium aſſequendum præſtituiſſet: Gulam abſtinentia, ac ieiuniis; corpus flagellis; carnem variis macerationibus, ac laboribus domare; ſenſus denique omnes ita fræno cohibere aggreſſus eſt: & quod caput eſt, animum tam aſſidua oratione ad diuina transferre ſtuduit; vt non mediocrem inde apud omnes ſibi breui tempore ſanctitatis exiſtimationem comparauerit. Eo porrò factum eſt; vt cùm prudentia, ac conſilio plurimùm valeret; tametſi Laïcus eſſet, plerunque tamen ad Guardianatus, ac Definitorij muneris dignitates, in Genuenſi Prouincia proueheretur.

*Magnis virtutibus fulget.*

Plurimos hic in Taurinenſi Sanctæ Mariæ in Agris, & in Montiſcalerij Monaſteriis ædificandis, labores exantlauit: eo præſertim tempore, quo Gallis longè latéque in Pedemontana regione dominantibus, hæreſes pleriſque in locis impunè graſſabantur: quo fiebat, vt varias ab Hæreticis moleſtias, ac frequenter contumelias ſuſtineret.

XV. Contigit verò aliquandò: vt Taurinum proficiſcens, Eridani Pontem tranſmearet: quo tempore, Hæreticum quendam equo inſidentem ſibi obuium habet: qui cùm Hæretico furore percitus, equo in Matthæum impulſo, illum è Ponte exturbatum in flumen deijcere conaretur. Viri inſolentiam Matthæus irridens, Equi coma manu apprehenſa, tanta vi, quæ tum illi à natura inerat, tum etiam à Deo tunc addita fuit, ad ſe Equum attraxit: vt eum coram ſe prioribus pedibus genuflectere coëgerit. Tum verò ad Hæreticum: Vides, inquit, quàm mihi facillimum eſſet, te in flumen præcipitem dare; niſi me Catholica, ac Seraphica Religio à facto reuocarent. Agnoſce igitur, quàm præſtantior ſit Catholicorum Religio, quæ hoſtibus parcit; quàm Hereticorum Secta, quæ ipſos quoque amicos infeſtat. Tremuit facto Hæreticus, neque Capucinis Fratribus deinceps vnquam inſultare auſus fuit.

*Inſolentem Hæreticum facto terret.*

XVI. Hinc Sedulam, ſeu Caſale, quæ Montisferrati Vrbs præcipua eſt, profectus; ſuam quoque in eo Conuentu extruendo operam præſtat. Viri huius ſanctimoniam Deus miraculo declarare voluit. Cùm enim iam imminente hyeme, is ligna ad Fratrum vſum, ac calefactionem paraſſet; Agricolam quendam rogat, vt ea plauſtro ſuo impoſita, ad Monaſterium vehat. Erant agrorum viæ, eo tempore, tam alto cœno obſeſſæ; vt plauſtris prorſus imperuiæ forent: Quapropter recuſat Agricola, rémque facto periculo, prorſus impoſſibilem aſſeuerat. Cui Matthæus: Ne expaueas, inquit, plauſtro boues iunge: dabit Deus, vt nihil limus nobis officiat, neque iter intercipiat. Credit ille: plauſtrum parat, boues iungit, ac cœnoſo ſe itineri committit. Mirabile dictu! Vehunt boues plauſtrum lignis onuſtum; limuſque, qui mollis, ac rarefactus erat; quaſi ſolida humus Plauſtrum recipit: calcant boues rarefactum cœnum: atque illorum vngulæ, plauſtrumque lignis onuſtum, haud profundiùs in limo, quàm ſi ſolidum ſolum eſſet; infiguntur. Id cùm vniuerſi conſpexiſſent: haud alteri præterquam diuinæ virtuti, Matthæi precibus exoratæ, factum mirabile adſcribunt.

*Plauſtrum lignis onuſtũ, ipſius precibus in alto cœno, velut in ſicco graditur.*

XVII. At verò quàm diligens, ac ſeuerus hic Dei Seruus caſtitatis, velut prætioſiſſimi, ac cæleſtis theſauri cuſtos fuerit, illuſtri exemplo demonſtratum fuit. Dum enim in Conuentu Montiſcalerij, qui S. Brigittæ nuncupabatur, Eleemoſynarij onus ſuſtineret, ſemel contigit; vt Truſarellum, quod Caſtellum eſt haud longè à Monaſterio diſtans, ſe cum Socio mendicationis cauſa conferret: vbi etiam pernoctare cogeretur. Erat Caſtelli illius Dominus, Vir nobiliſſimus, Tribunus equitum, & Religioni Capucinorum cum primis deuotiſſimus: cui nonnullæ Filiæ nubiles erant, ad pietatem inſtructæ: quapropter Matthæus cùm Socio ab eo humaniſſimè excipitur: atque vbi nocturnæ quietis tempus aduenit; ſeparata iis cubicula aſſignantur. Porrò immundus ille Spiritus, totius caſtitatis oſor, qui mille Matthæi pudicitiæ inſidias ſtruebat: ea ſolitudinis occaſione captata, tam ardentes in earum adoleſcentularum altera libidinis faces accendit: vt cùm Matthæus ſeparatim à Socio prolixiùs, vti ſolebat, in ſuo cubiculo oraret: cæteris omnibus ſomno deditis, clam illa ad Matthæum nuda acceſſerit: clauſoque Cubiculi oſtio, in illius amplexus inhoneſta ruerit: Matthæus verò inopinato, ac turpi illo aſpectu commotus, primùm verbis, ac ſeuera increpatione, puellã à ſe arcere curat: illa verò Dæmonis ignibus aduſta, cùm minas ac increpationes cõtemneret, ac Virùm Dei obſcœnis actibus acriùs ad turpitudinẽ cõpelleret: is tandẽ flagello, quo ſeipsũ paulò ante oppetierat, manu arrepto; tã egregiè, & tam diu inhoneſtam puellã flagellare cæpit; quoad vndique liuores, ac rubræ verberũ vibices in ipſius corpore ap-

*Illuſtre illius pro tuẽda caſtitate factum.*





parerent: quibus illa ſeipſa melior facta, ac turpi libidinis Dæmone flagris propulſato; ſapientior, quàm venerat, ad ſua redit. Matthæus porrò Dæmonis victor, cùm de hoſte profligato, Deo bonorum omnium Auctori gratias egiſſet; inde ſummo mane abſcedens; ad Monaſterium reuertitur. Puellam autem poſthæc tantoperè facti pœnituit; vt cùm totam ſe fletibus, ac lachrymis, diu noctúque perfunderet, Patri cauſam ſciſcitanti proprium ſcelus aperuerit; vibices oſtenderit, ab eoque delicti veniam impetrauerit. Pater verò protinus ad Monaſterium conuolans, Matthæum accerſiri poſtulat: qui cùm ſe ab eo ad necem vocari, ob præteritum factum exiſtimaret: Dei priùs ope ſibi implorata, illum intrepidus adit; maximúmque ſibi lucrum acceſſurum putat, ſi pro tuenda caſtitate vitam profundat. At alio prorſus, quàm opinabatur exitu, res tota concluſa eſt: Nam Vir ille prudentiſſimus, cùm maximam familiæ ſuæ maculam, Matthæi virtute, ſublatam eſſe perpenderet; tantùm abeſt, vt ſiniſtrum quicquam aduerſùs eum in animo verſaret: quin potiùs maximam illius virtutem admirans, ſimulatque eum adeſſe conſpicit; protinus in ipſius complexus ruens, lachrymis obortis, nullum agendis gratiis finem imponit. Quibus, aiebat, ô Matthææ, te gratiis proſequar? Quibus te laudibus accumulem? Te enim auctore meus, ac familiæ meæ honos, qui emarcuerat, refloruit: perierat; at tua virtute reuixit: ceciderat, niſi te ſeruante ab interitu vendicatus eſſet: quamobrem tibi meipſum, ac mea omnia integra debeo. Erubuit Matthæus: & cùm præter expectationem rem, Deo agente, accidiſſe cerneret: eam palàm fieri ægrè tulit; vt caſtitatis virtutem, cuius tam præclarum ſpecimen ediderat, maiore humilitatis gloria cumularet. Denique is cùm ex Genuenſi Prouincia, ad Corſicæ Prouinciam, Generalis Vicarij iuſſu tranſmigraſſet; in ea mortalis vitæ ſtadium, magna cum virtutum laude confecit.

XVIII. Singulare hoc anno Ferrariæ factum contigit, haud ingrata memoria dignum. Sanctimonialis enim quædam, cuiuſdam Ordinis Profeſſa: dum Sanctorum Patrum geſta, à Caſſiano conſcripta; atque inter alia S. Euphroſinæ acta perlegit: ipſius exemplo permota, ſibi in animum inducit, virili habitu aſſumpto, Minorum Capucinorum; quos Sanctimonia vbique florere intellexerat, auſteriorem vitam complecti: atque inter eos, ſub illius Religionis habitu ignota, Domino famulari. Imprudens quidem conſilium fuit; ſed magni, ac feruentis animi teſtimonium. E Monaſterio itaque digreſſa, cùm ſub virili veſte, à Bononienſis Prouinciæ Prouinciali Vicario, in Capucinorum ſortem adſcribi poſtulaſſet: ille hominem ratus, ac feruentioris animi ſtudium ſecum admirans, dignum exiſtimauit; quem Religionis habitu donaret. In Nouitiorum igitur Laïcorum numerum admiſſa; vniuerſa, quæ ad coquinæ miniſteria, domus munditiam, & cætera officia, quæ ad Laïcos ſpectant, tanta diligentia præſtabat; humilitati, obedientiæ, charitati tam feruidè ſtudebat: ac demùm orationi, ac diuinis rebus tanto ſtudio incumbere videbatur; vt cunctos in ſui admirationem raperet. Hoc pacto cùm ad quintum vſque menſem, probationis annum perduxiſſet: fieri tamen haud potuit; ſexus ipſa natura ad propria refluente; quin hoc tempore, virilibus fœmineos quoſdam actus interſereret: quibus pedetentim Fratres in ſexus ſuſpicionem adducti fuêre. Quo fiebat, vt & accuratiùs eam obſeruarent, & diligentiùs illius acta perpenderent. Inter hos Senex quidam Pater, extremum de illa periculum facturus; quadam Dominica die, in qua Nouitiæ fœminæ popinæ miniſterium commiſſum fuerat: dum ea cum reliquis Nouitiis, in Eccleſia rebus diuinis vacaret; ad popinam accedens, ollam carnium, quæ igni admota fuerat; quaſi caſu aliquo dilapſa eſſet, prudenter inuertit: tum in ſecretum locum ſecedens, vnde Nouitiæ verba, & actus rectè percipere valeret; redeuntem expectat. Poſt diuina myſteria peracta; En ea feſtina ad popinam redit: at ſimulatque ollam inuerſam animaduertit, protinus exclamat: Heu me miſeram! Quis ollam carnium ſubuertit? Neque enim, tametſi viriles actus

*Sanctimonialis ſub virili habitu inter Capucinos recipitur.*

*A Sene Fœmina detegitur.*

ſimularet; ſeipſam, præſertim in repentino caſu, quum natura mentem anteuertit, aut ſimulare, aut negare poterat. Sua igitur voce, ac teſtimonio cùm ſe fœminam prodidiſſet; atque à Magiſtro interrogata, ſtatus ſui conditionem, tametſi inuita; integrè declaraſſet: res ad Epiſcopum delata fuit: qui cauſa diligentiſſimè examinata, cùm in ea nihil præter ſimplex, ac feruens animi propoſitum deprehendiſſet; impunem illam ſuo Monaſterio reſtituit.

*Proprio Monaſterio reſtituitur.*

XIX. Per hoc quoque tempus, Deus Opt. Max. iuſtiſſimus ſcelerum vltor, ſeueriſſimum alterius vitæ iudicium, in eos exercendum, nobis perſpectum eſſe voluit; qui temporis iacturam parui pendentes, ac ſæpè obmurmurantes aliena facta dilacerant. Accidit enim, vt in Conuentu Romano, F. Antonius de Monte Concionator, qui inter primos enumeratur, qui in Prouincia Romana ad Capucinorum inſtitutum euolauerant: nocte quadam, cùm ſomnum ſibi conciliare non poſſet; è ſtrato ſurgens in popinam deſcenderet; vt ex prunis ignis, quæ ibi aſſeruari ſolent, ſibi lucernam accenderet. E dormitorio tunc in popinam per cochlidem deſcendebatur; quæ deinde, poſt aliquod tempus, nouis gradibus conſtructis, ſublata fuit. Cùm igitur iam vſque ad cochlidis medium proceſſiſſet, ex quo popinæ fores cerni poterant; maximum inde ignis ſplendorem, calidúmque ex igne vaporem proficiſci animaduertit; quapropter admirans ſecum ita rationabatur. Noctis nunc profundum eſt, cùm omnes quieti indulgent; cibi hoc tempore non parantur; vndenam tantus in popina ignis fulgur? Dum ita ſeipſum alloquitur: En horridus Æthiops illi protinus obuius fit: cuius cùm is aſpectu tremefactus obrigeret: Ad eum Æthiops: Ne time, (inquit) ſtatimque eum manu apprehenſum, ad propinam ducit; quam mox patefactis foribus ingreſſus; in ea ingentem ignem inſtructum, plurimaſque prunas humi ſtratas videt: tum geminos Fratres, qui nuper in eodem Conuentu defuncti fuerãt, magno cuidam verũi infixos cernit; quos alter Æthyops, priori vultu horribilior, in ſubiecto igne verſabat; quò vndique eorum corpora aſſarentur. Obſtupuit eo aſpectu Antonius: cumque Fratres illos, adhuc viuẽtes familiariter agnouiſſet: propriis eos nominibus appellans, his verbis compellare cœpit: Heu Fratres! Quid hoc rei eſt? num phantaſma eſt, quod oculis meis cerno? Heu, quænam miſera ſors vos in tam dira ſupplicia rapuit? Num vos Tartara abſorbent? Aut ſaluos Dei aliquando clementia ab his ſuppliciis eripiet? His ipſi: Saluos, inquiunt, nos quidem Dei miſericordia recepit: at his pœnis diu hîc afficiendos eſſe iudicauit; eò quòd plurimam temporis iacturam nihili facientes, calefactionis tempus in murmurationibus, atque aliorum factis diſcutiendis, ac inutilibus prorſus verbis, hoc loco conſumpſimus; cæteroſque adſtantes, in eadem vitia, noſtro exemplo pertraximus. Verùm quod grauiùs eſt: cùm à Senioribus Patribus huiuſmodi culpæ argueremur; eorum increpationes negligentes, quaſi aniles fabulas deſpeximus. His dictis totum illud horridum ſpectaculum euanuit; vt altiùs eorum Fratrum animo infixum maneret; qui vel temporis iacturam, vel inanes fabulas, nedum obmurmurationes; ac hominum quorumcumque detractiones, aut factorum diſcuſſiones ad ignem compoſitas, leuia exiſtimant: cùm ea tam ſeuerè à Deo iudicari, ac puniri audiant.

*Horrendum duorum Fratrum exemplum.*

*Murmurationes, ac inutilia Verba, quam ſeuerè à Deo puniantur.*

XX. Accidit quoque hoc tempore, vt Figulus quidam, Sauinus nomine, qui Nouanæ, ſeu Ciuitatis nouæ (quæ Piceni Vrbs eſt, cuius & is incola erat) Capucinos ea deuotione proſequebatur: vt teſtacea vaſa, quæcũque Cõuentui opus erant, illis abſque pretio donaret; in Apuliam proficiſceretur. Peractis verò negotiis, cùm per ignotũ iter, ac deſerta loca, in quibus nec Oppida, nec diuerſoriæ tabernę, niſi poſt diuturnũ ſpatium reperiebantur: nec quæ ad victũ neceſſaria erant, quæri, aut comparari poterant, in patriam rediret: iam maiorem diei partem ieiunus itinerando conſumpſerat; cùm longo itinere feſſus, ac inedia confectus, ſe in Collem proijcit; ibique omni hominum ope deſtitutus, liquenti animo humi iacebat: cùm extemplò

*Dei in Ordinis Benefactorem Prouidentia, ac benignitas.*





illi bini Capucini Fratres, velut itinerantes apparent; qui ad eum accedentes: Quid hic, aiunt, Sauine, ſtas? Eia, iter proſequamur; panémque illi ad refectionem proferunt: tum poſt panem, vinum miniſtrant. Quibus ille refocillatus, cùm reſumptis viribus ſe cum iis in iter dediſſet; illi protinus ex oculis euaneſcunt. Diuinum ille beneficium, ob priorem in Religionem pietatem, ac munificentiam, latum agnoſcens, inde in Fratres liberalior euadit, ac plus ſolito beneficentiam auget. Ex quo Ordinis Benefactores, haud obſcurè percipere valent: Deum liberaliſſimum bonorum omnium retributorem, non ſolùm eam illis benefactorum vſuram, quæ ad æternæ vitæ mercedem pertinent, copioſè reddere: ſed eam quoque, quæ temporalia commoda, ac neceſſitates aſpectant, ſæpè liberaliter tribuere.

XXI. Denique hoc anno, Ferdinandus Imperator, ſui deſiderio apud homines relicto, Septimo Kal. Auguſt. morti tributa perſoluit: Maximiliano II. ſibi in Imperio ſuccedente.

*Ferdinandus Imperator diem extremum obit.*



ANNVS CHRISTI. PII IV. MAXIMIL. II. IMP. RELIG.. CAPVC.
1565. 6. 2. 41.

I. NOVA hæc B.P.Franciſci plantula, ſub humili Capucinorum nuncupatione, inter Boreales perſecutionum flatus efflorefcens, ac diuina virtute vegetans, quaſi oliua fructifera in Domo Dei, vberiori tum virtutum fructu, tum Conuentuum numero, magis in dies propagabatur: cùm hoc anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſub Euangeliſta Generali, & Fräciſco Meatia Prouinciali Mediolanenſis Prouinciæ Vicario, Laudi Pompeiæ, quæ eſt Vrbs Inſubriæ, ad Adduam; media inter Mediolanum ad Occidentem, & Placentiam ad Eurum ſita: Cuius Ager fertiliſſimus, caſeo, butyro, & carnibus abundat: Prima illius Conuentus fundamenta iaciuntur: quorum Deum ipſum Auctorem fuiſſe, nonnulla, quæ eo tempore diuinitùs obtigerunt, facilè declarant. Cùm enim Ager non longè ab Vrbe diſtans, Conuentus ædificationi maximè accommodatus videretur; iuſto pretio oblato, Prouincialis Vicarius eum à Nobili quodam Agri domino obtinere conabatur: at qui Agrum poſſidebat, cùm Vir primarius eſſet, non modò pretium recuſat, atque Agri venditioni obſiſtit: verùm & duris Prouincialem verbis excipit: quibus tamen, nec quicquam is commotus, ad eum inquit: Ne te, Domine, vlla poſtulationis noſtræ moleſtia premat: Tuus Ager eſto. Nos Mediolanum redibimus: tandiuque Dominum precibus pulſabimus, donec vltro nobis prædium, nullo poſtulante, tradas. Res Nobili ridicula viſa eſt: At nec ridicula, nec vana fuiſſe Patris verba, velox rei exitus declarauit. Vix enim ad Solis occaſum ventum eſt; cùm Nobilis ille repentina febre correptus, de ſalute periclitari cœpit. Eo is periculo exterritus, meliórque diuina caſtigatione factus; cùm id Dei Iudicio ſibi accidiſſe agnoſceret: mox ſe Agrum Capucinis daturum Deo pollicetur; ſi priſtinam ab eo incolumitatem aſſequatur. Haud Viri votis defuit diuina benignitas: ſed quam irreligioſa mentis proteruia abſtulerat, voti pietas, ac Religio, breui homini incolumitatem reſtituit. At cùm indulgentiæ facilitas (quod ſæpè hominum vitio accidere ſolet) diuini beneficij hominem immemorem reddidiſſet: is recuperata valetudine conſiliũ mutat, promiſſáque incolumis implere negligit. At Deus Opt. Max. cui infidelis promiſſio, diſplicet Virũ ſeueriùs punit: Mox enim, tot acerbiſſimi illum artuum dolores, ac cruciatus inuadunt; vt is rurſum ad ſaniorem mentem reuocatus, cùm ſeueriorem in ſe Dei manum pertimeſceret: ſtabile tunc animi propoſitum, de Agro ad Conuentus ædificationem donando, inſtaurauerit; ac ſolido ſe ad id promiſſo Deo obſtrinxerit: quo apud ſe conſtituto, iterum ex ſumma Dei clementia, ſedatis doloribus, è morbo conualeſcit: moxque Capucinis ad ſe accerſitis, Agrum ſponte donat; ac ſingulari deinceps illos beneuolentia complectitur. Id cùm filius eius natu maior, qui ad plenam ætatis iuuentam peruenerat, moleſtiſſimè ferret: tanta mox in Patrem ira excanduit, vt diſtricto gladio eidem necem minaretur; niſi ab ea Agri donatione animum reuocaret. At pater filij minas contemnens, illiuſque amentiam patris imperio compeſcens, quod Deo ſpoponderat, integrè reddit. Filij verò inſolentiorem auſum, haud impunem Deus eſſe voluit. Nam cùm inter robuſtiores, ac præſtantioris formæ iuuenes, is tunc in Vrbe præcelleret; tot ei exinde corporis incommoda acciderunt: vt nemo in ea illo, aut infirmior, aut deformior euaſerit: vt duplex ſupplicium, geminum quoque ſcelus, quod in

*Laudi Pompeiæ Conuentus extruitur.*

*Vir Nobilis Agrum vendere recuſans à Deo caſtigatur.*

*Nobilis Agrũ ſponte donat, fitque erga Ordinem beneuolus.*

*Filius inſolens à Deo caſtigatur.*

Deum



ANNVS CHRISTI. PII IV. MAXIMIL. II. IMP. RELIG. CAPVC.
1565. 6. 2. 41.

Deum, ac patrem patrauerat, haud immeritò caſtigaret.

II. Huius igitur Conuentus ædificationi, cùm Frater quidam à Prouinciali Vicario præfectus eſſet; non parùm in eo extruendo à paupertatis regula exceſſiſſe viſus fuit: Cùm verò hoc criminis genus, in ipſis præſertim Reformationis inſtitutæ cunabulis, ſeueriori pœna à Deo plecti ſoleret: poſt hæc accidit, vt hic graui morbo laborans, à Fratribus de proximo mortis periculo admoneretur; quò maturiùs animæ ſuæ rebus proſpicere valeret. At is graui inexpiati ſceleris, atque auſterioris Dei Iudicij pondere preſſus; hæc tantùm per ſingulos anhelitus verba depromebat: Ah nimium me calx illa adurit. Ampliùs illi Dei miſericordiam, ac pietatem eidem pollicebantur, dummodò in eam ſe integrè proiiceret. At ille: O quam me calx illa cremat. Oblata illi Chriſti crucifixi Imagine: Ne deſperes Frater (aiebant) Saluatorem tuum inuoca, in hæc te vulnera ſanguine redundantia immerge. Ille verò nihil ampliùs quàm: Heu, quàm me calx illa inflammat, reſpondebat. Confide, Frater, (inſiſtebant) Beatæ Virginis opem tibi in ſubſidium implora, quæ peccatorum omnium refugium eſt: ab eo autem nec quicquam aliud audiebatur, præterquam: Heu, heu, quam me calx illa exurit. Quò fit, vt abſque vlla Sacramentorum ope, aut diuini nominis inuocatione hinc decedens, animam in hæc ipſa verba exhalauerit: nulla, vel minima de animæ ſalute nobis ſpe relicta.

*Frater, ob violatam, in ædificio paupertatẽ, horrẽdo fine tollitur.*

III. Feliciùs verò, hoc ipſo anno, F. Benedicto Vercellenſi Clerico, trium annorum profeſſo contigit; qui cùm breuem vitæ curſum magna cum mentis puritate, humilitate, obedientia, ac Regulæ obſeruantia in Religione conſumpſiſſet: Brixiæ feliciſſimè in Domino obdormit: cuius gloriam Deus eadem hora, qua è viuis exceſſit, Nouitio cuidam deuotiſſimo, qui in eo Conuentu annum probationis agebat, manifeſtare voluit. Cùm enim Nouitius ille, qui Marcus appellabatur, poſt Matutinas Horas, in Cellula ſua orans, ſpirituali quodam ſopore correptus fuiſſet: Conuentus Clauſtrum, dormitorium, hortum, ac ſyluam Capucinis Fratribus plena ſibi conſpicere videbatur: quo ille obſtupefactus, ab eorum altero: Vnde, & quorsùm tanta Fratrum copia ibi collecta eſſet, percunctatur. Cui is: Ne mirère, Frater (inquit) Omnes Capucini ſumus, huc è Cælo delapſi; vt Fratris vnius animam, quæ breui ex hoc Conuentu egreſſura eſt, in Cælum comitemur: protinuſque ei habitum ex panno aurotexto confectum explicans: Hoc, inquit, habitu Frater ille exornandus eſt, qui vilia ſibi propter Dominum indumenta in Ordine elegit. Quanquam enim breuem in Religione curſum expleuerit, Regulam tamen perfectè, quoad vixit, obſeruauit: Poſt hæc illius dicta, cùm Nouitius è ſopore ſibi redditus eſſet: defuncti Fratris ſignum dari percipit, quo tempore Benedictus, coronandum iam Deo ſpiritum reddiderat.

*Fr. Benedictus Vercellenſis virtutum coronæ emicat.*

*Nouitij de illius gloria viſio deſcribitur.*

IV. Plerique alij hoc anno, vitam in Religione auſpicatò initam, ac honeſtiſſimè actam, beato fine clauſerunt. Inter quos ex Piceni Prouincia, primus nobis ſeſe offert, Fr. Maſſeus Laïcus, patria Tridentinus: qui cùm inter ipſa Reformationis primordia, anno videlicet 1535. ſæculi vanitatibus abiectis, religioſæ militiæ tyrocinium amplexus eſſet: tanquam bonus Chriſti miles, in id omnem curam, ac ſtudium contulit; vt vitia, quæ ſæpè in animum militant, indicto in ea prælio, debellaret: carnem cum vitiis crucifigeret, animumque præclaris virtutibus exornaret. Naturam, cùm vel longo vſu, vel ſuapte conditione, ſomno deditam ſortitus eſſet; tanta vi ad vigilantiam compulit; vt parciſſimè deinceps ſomno vteretur. Corpus epulis, ac lautioribus cibis aſſuetum, ieiunijs ferè quotidianis afflictabat: quorum quamplurima, cùm ſolo pane, & aqua pinguia Domino offerret; nunquam tamen (quod rarum eſt) famem depellebat; aut iis ad ſaturitatem veſcebatur. Nullam carni requiem indulgere, ſibi ab initio in animo propoſuerat: quo fiebat, vt eam die laboribus, quos vel in horto fodiendo, vel in alijs domus exercitiis exantlabat: nocte flagellationibus,

*F. MASSEI TRIDENTINI, Vita & geſta.*

*Ipſius virtutes enarrantur.*

 vigiliis,

vigiliis, longa oratione extenuaret. Atque vt in eam omnem Euangelici odij, ac hoſtilitatis rigorem exerceret, cùm omnia niue operta eſſent, glacialibúſque Boreæ flatibus vniuerſa rigerent: nunquam id corpori indulgere voluit; vt vel ad ignem accederet, vel alia, præterquàm corporalis laboris calefactione, frigus depelleret.

*Summum illius paupertatis ſtudiũ.*

V. Haud facilè referri poteſt, quàm Seraphicæ hic paupertatis amator fuerit: cuius tanto amore tenebatur; vt cùm viliora, & pauperiora tam in cibo, quàm in veſtitu ſibi ſemper deligeret; nihil etiam in domo, tametſi vile, aut exiguum perire pateretur. Quare per hortum, ac nemus incedens; ſi quando bacillos, ac lignuncula offenderet; ea velut altiſſimæ paupertatis teſtimonia, ne interirent, colligebat; ac colligenda cæteris ſuadebat: neque enim (aiebat) altiſſimæ paupertatis virtus in magnis duntaxat, ſed in minimis quoque rebus elucet. Humilitatis verò, obedientiæ, ac præſertim charitatis ſtudioſiſſimus, totum ſe in aliorum, atque infirmorum potiſſimùm, obſequia effundebat: quorum cura vſque adeò delectabatur; vt nullus illi in iis adminiſtrandis labor moleſtus eſſet, nullus ægrotantium languor prolixus, nulla fœtens plaga: Chriſtum ſiquidem in infirmis, magis quàm infirmos ipſos ſpectabat. Super hæc verò eminebat quoddam aſſiduæ, ac nunquam intermiſſæ orationis ſtudium: quo ita extra ſe ipſum ferebatur; vt vel ſtans, vel ſedens, vel ambulans, vultu ac animo in Cælum ſemper erectis, quaſi cæleſtia meditans; quid circa illum fieret, frequenter non aduerteret: ita vt alterius potiùs, quàm huius vitæ hominem præſeferre videretur.

*Pleroſque ægrotos ſigno Crucis curat*

VI. Huius Viri ſanctitas, non modò Fratribus, verùm & ſæcularibus Viris adeò manifeſta erat: vt plurimi ad eum ægroti confluerent; qui ab eo Crucis ſigno communiti, mox incolumes abſcedebant. Hoc modo quamplurimos ab eo variis languoribus curatos fuiſſe, ex antiquis Ordinis Monumentis conſtat: quamuis, quæ in ſingulis geſta ſunt, minimè conſcripta habeantur.

VII. Quàm verò Sanctus hic Vir Deo charus fuerit, vnico exemplo licet conijcere. Cùm enim is Sennam fluuium inter Fanum, & Senogalliam fluentem, cum F. Antonio Apinianenſi, eo tempore tranſuadare pararet, quo ob frequentes pluuias, tumidæ, ac rapidæ illius vndæ altiùs ſolito excreuerant: ait ille Antonio, ſe capitis vertigine, præſertim in tranſuadandis fluminibus non parùm laborare. Cui Antonius: Ego, inquit, præibo; tu cingulum meum apprehende, ac meis veſtigiis inſiſtere cura. Quod cùm Maſſeus præſtitiſſet: vix ad medium fluminis curſum peruenerant, cùm Maſſeus capitis vertigine correptus, inter vndas vacillare, ac dilabi cœpit. Altior vnda, & grauis Antonij iam ſenis ætas, quò minus Maſſeum in humeros extollere poſſet, prohibebant: reditus verò æqualis illis periculi erat: Quare ſpe omni in tanto periculo deſtituti, ad Dei opem confugiunt: nec fruſtra: adfuit enim repente è Cælo diuina virtus, quæ vtrumque mox ad oppoſitam fluminis ripam, in quam tendebant, nequidem aqua madidos tulit: vt præclara Viri apud Deum merita eniteſcerent. Denique cùm triginta in Religione annos, magna cum ſanctimoniæ laude compleuiſſet; in Conuentu Montiſgranarij, ſenex ad ſuperna præmia conſcendit.

*Diuino Miraculo à ſubmerſione liberatur.*

*F. IOANNIS FASSATII Mediolanenſis, Vita & Geſta.*

VIII. Poſt hunc ad Coronam peruenit, F. Ioannes Faſſatius Mediolanenſis Sacerdos, & Concionator: qui ex Prædicatorum Ordine ad Noſtros aſſumptus, cùm in Mediolanenſi Prouincia, Prouincialis Vicarij ſæpe dignitate ornatus fuiſſet; dignam quoque eo munere, morum, ac vitæ ſanctimoniam exhibuit. Etenim cùm iis omnibus virtutibus præcelleret, quæ Minorem Fratrem omnibus numeris abſolutum præſtant; ac Regularis obſeruantiæ cum primis acerrimus æmulator exiſteret; ea virtute, ac prudentia Mediolanenſem Prouinciam moderabatur: vt & bonis ſolatio, & improbis, ac negligentioribus terrori eſſet: ſicque ſeueritatem lenitate temperabat, vt & manna, & virgam in eadem Arca ſeruaret: ex eodémque ore & benignitas, & ſeueritas fluerent. Quo planè fiebat, vt directionis virga, quæ

*Illius prudẽtia commendatur.*





aliis terrorem incutere ſolet, in manu eius manna progigneret, ac ſubditos conſolaretur.

VIII. Dei Verbum, tam ingenti charitatis æſtu, audientibus proponere ſolitus erat; tantaque Dei gratia in eo diſſeminando affluebat; vt Euangelicum illud Chriſti oraculum de eo verè pronunciari poſſet: *Non enim vos eſtis, qui loquimini: ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Quod manifeſto aliquando ſymbolo compertum fuit. Nam cùm ſemel Brixiæ Dei Verbum prædicaret; candida columba in ipſius capite requieſcere viſa fuit. Quantis verò apud Deum Vir hic meritis fulgeret; illuſtre exemplum declarat. Cùm enim æſtiuo tempore, Modœtia Mediolanum pergens, ſiti æſtuaret; à Tabernario vini poculum poſtulat: qui cùm ei illud denegare decreuiſſet, nihil apud ſe vini ſupereſſe reſpondet, tametſi plura dolia in domo vino plena ſeruaret: quo audito pertranſiit Ioannes. Vix autem is inde vnico iactu lapidis dilapſus fuerat; cùm Tabernarius ad cellam Vinariam pergens, vt vinum hauriat, dolia omnia vino vacua inuenit. Mox vexatio, quæ dat intellectum auditui, denegatum Ioanni vini poculum illi in mentem reuocat: Quo factum eſſe agnoſcit: vt crudelis illa mentis auaritia quæ vinum pauperi negauerat; vinum ebiberit, & dolia exſiccauerit: Deoque culpam vlciſcente, qui vinum ad pauperis neceſſitatem ſubleuandam, mendosè ſibi adeſſe negauerat, vinum reipſa ſibi abeſſe experiretur, dictumque veritas ſequeretur. Quamobrem animo confuſus, cùm nullum aliud tunc mens oportunum conſilium miniſtraret; feſtinus poſt Ioannem, qui haud procul aberat, currit: à quò cùm denegatæ charitatis veniam poſtulaſſet; rem, quæ acciderat, cum lachrymis narrat. Is verò Viri caſum miſeratus: Iam, inquit, domum redi: tecum enim & vinum in dolia redibit. Cui cùm ille fidem adhibuiſſet; domum rediens, vinum quoque ad dolia reuerſum comperit.

*Matth. 10.*

*Dum prædicat Columba in ipſius capite inſidens conſpicitur.*

*Tabernarij, vini potum illi denegantis, dolia areſcunt.*

*Vinum ipſius oratione ad dolia redit.*

IX. Poſtremò, cùm adhuc Prouincialis Vicarij munere fungeretur: Mediolani ſupremo morbo correptus; vbi ſe ad Domini aduentum deuotiſſima Sacramentorum ſuſceptione parauit: cùm ſpiritum Deo redditurus eſſet, cunctis Conuentus Fratribus ad ſe vocatis, ac clepſammidio ſibi ante oculos ſtatuto, circumfuſam Fratrum coronam his verbis alloquitur. Exiguum, Fratres, mihi vitæ tempus ſupereſt; ſicut oſtendit mihi Dominus: vnius duntaxat horæ ſpatio vobiſcum ſum, vt in eo vos veſtræ ſalutis commonefaciam: cumque omnes ardentioribus verbis ad Regulæ obſeruantiam, ad paupertatem, ad charitatem, ac cæteras virtutes per horam adhortatus eſſet; hora elapſa, manibus in Cælum erectis, Hymnum: *Te Deum laudamus*, inchoat; quem dum cæteri proſequuntur, ipſe corpus ad mortis quietem componens, in extremo illo Hymni verſu: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum*, beatam ſpem, ac quietem conſequitur.

*Ante obitum per horam Fratribus ſermocinatur, tum ſpiritum reddit.*

X. Alter quoque Ioannes à Leoniſſa Vmbriæ Prouinciæ Concionator; ac Matthæi illius Sanctiſſimi Viri germanus; cuius in ipſius Matthæi vita conuerſionis exordium annuimus, anno 1553. hoc anno rebus humanis valedicens, ex hac luce migrat. Hic ex Minorum Conuentualium Familia, (vt alias diximus) Matthæi fratris potiſſimùm precibus ad Capucinos vocatus, inter nos inculpatam, ac virtutibus præclaram, vitam duxit. Feruentiſſimus fuit Verbi diuini Præco, atque adeò ſermone potens, vt ipſos quoque improbos, & corruptos animos ad Virtutem compelleret. Illud verò inter alia, tam ſingulare, ad diſſidia componenda, à Deo donum acceperat; vt innumerabiles propè, ac inueteratiſſimas Ciuium, ac Vrbium ſimultates ſua tempeſtate graſſantes extinxerit, atque ad mutuam amicitiam compulerit. Quorum nonnulla exempla recenſere lubet.

*F. IOANNIS A LEONISSA, Vita & Geſta.*

*Diſcordias componit.*

XI. Dum Tipherni, quo tempore Prouincialia in Vmbriæ Prouincia Comitia agebantur, Sacrum Miſſæ Sacrificium offerret: nonnulli Sacro audiendo intererant, qui antiqua, ac inueterata inter ſe odia fouebant. Hos Ioannes cùm ad mutuam concordiam, ac beneuolentiam adducere ſummopere optaret; vbi ad ea Domi-

*Sacra celebrans inimicos ad concordiam pellit.*

nicalis Orationis verba peruenit. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, diuino velut Oeſtro percitus, faciem, & verba ad circumſtantes conuertens, tam efficaciter de inimicorum dilectione cœpit diſſerere; vt necdum ſermone peracto, qui inteſtinis inter ſe odiis ardebant, mutuis ſe oſculis exciperent; ac ſtabili deinceps inter ſe neceſſitudinis vinculo colligarentur.

XII. Poſt hæc Ruſticus quidam Viſſini Comitatus, cui germanus Frater à quodam Ciue nuper interfectus fuerat, adeò ad pacem cum aduerſario ineundam durus, ac inexorabilis erat; vt nullis vnquam, neque amicorum, neque Nobilium, ac potentium precibus adduci potuiſſet; vt animum ad concordiam componeret. Illum Ioannes aliquando domi conuenerat, vt ei pacem ſuaderet; ſed cùm is in propoſito ſibi odio pertinax eſſet, illiuſque aduentus cauſam ſuſpicaretur; ſe è domo abeſſe ſimulauerat. Quamobrem mutui colloquij ſpe fruſtratus, ad Sacra aliquando celebranda ſe confert: ad quæ cùm plerique conuenirent, eò & Ruſticus ipſe, cui nonnulla inter odij tenebras pietatis lux affulgebat; cum aliis accedit. Cunctis ea ſimultas manifeſta erat; quo fit, vt vix Ruſticus in Eccleſia viſus fuerit; cùm protinus res ad Ioannis aures defertur: qui eam temporis opportunitatem nactus, ſimulatque Sacra peregit; ne Ruſticus inde euaderet, Eccleſiæ fores occludi iubet.

*Ruſticus inter Miſſarum ſolemnia ab eo ad concordiam adducitur.*

Tum Sacras adhuc veſtes indutus, de iniuriarum remiſſione, & fraternæ charitatis, ac pacis bono tam efficaciter agit; vt Ruſticus animo commoueri cœperit. Quapropter, cùm eum proprio nomine vocatum, ad ſe accedere iuſſiſſet; ab eo quærit: an non cum Fratris ſui interfectore, qui & præſens in Eccleſia aderat, pacem inire velit: cui cùm Ruſticus præter omnium expectationem, promptum ſe exhiberet; ipſo tempore pax, & amicitia nullo labore inita, ac ſtabilita fuit. Res cunctis admiranda viſa eſt, qui pertinaciſſimúm Ruſtici animum non ignorabant: quare cùm Ruſticus ſubinde interrogaretur: quo pacto tam facilè, in eam reconciliationem veniſſet; quam tot annis, ac tot Nobilium precibus inire antea recuſaſſet: reſpondit; ſe vi quadam inuiſibiliter eo tempore attractum, ac compulſum fuiſſe; vt nullo pacto reſiſtere valeret, quò minus Ioannis dictis ſtatim aquieſceret.

XIII. Hoc planè modò alias quoque, Virum, quendam, publico ſcelere obſtrictum; qui Sacramenta refugiebat, ad pœnitentiam compulit. Cùm enim Sacris Myſteriis incumbens, illum adeſſe intelligeret: ad populum poſt Miſſæ finem conuerſus ait: Amabò, Fratres, quinquies Dominicam Orationem, ac ſalutationem Angelicam, pro perdito homine, vnà omnes perſoluamus: cuius tanta inſania eſt, vt potiùs in profundum Tartarum demergi, atque ad horrenda Inferorum ſupplicia cum Diabolo relegari, quàm peccata ſua confeſſione expiare, & inter Dei filios adnumerari ſibi eligat. His dictis, ac populi Oratione, tantoperè is animo compunctus fuit; vt peccata ſua lachrymis, ac Pœnitentiæ Sacramento quàmprimùm delens, vitam in melius commutauerit.

*Hominem impœnitentem, ad pœnitentiam reuocat.*

XIV. His accedit, quòd cùm inter duo Vallis Spoletanæ Caſtella, tam inteſtina odia vigerent; vt inde mutuæ cædes, ac innumera propè mala exorirentur: quàmplurimi tum Eccleſiaſtici, tum illuſtres Viri, in iis diſſidiis componendis, diu fruſtra operam inſumpſerant; cùm Ioannes diuina potiſſimùm ope, ac virtute confiſus, tam arduum concordiæ, inter vtrumque populum ineundæ, opus aggreditur; tantaque prudentia, ac dexteritate, Deo præſertim opitulante, proſequitur: vt quæ tot annis, atque à tot illuſtris Viris pax pertentata fuerat, breui tempore inſtaurata fuerit. Res planè admirabilis fuit, ſoliuſque diuinæ virtutis opus: tam enim exiguo tempore, Ioanne Auctore, diremptæ lites, animi compoſiti, diſſidia fugata, atque odiis, ac ſimultatibus vtrinque ſedatis, conſtans inter eos pax, ac neceſſitudo firmata; vt res humanum propè modum excederet.

*Populos ſua Oratione ac prudentia ad concordiam prouocat.*

XV. Hæc frequentiora erant Ioannis negotia: quæ cùm longa ſemper oratione anteuerteret, diuinamque virtutem ſibi comitem haberet; haud mirum, quòd propoſitam ferè ſemper metam attingeret. Hinc Deus Opt. Max. qui Ioannis animum,

ac geſta



ac geſta moderabatur; vt ſe horum Auctorem oſtenderet: ſi qui, vel illius dicta contemnerent, vel monitis aduerſarentur; haud impunes eſſe ſinebat: quod ne gratis dictum putetur. Accidit, vt in Oppido Sillani, duo eiuſdem Oppidi incolæ, de agri tranſitu inter ſe pugnaciter contenderent: quorum vt controuerſiam dirimeret, Ioannes, vtroque in agrum vocato, alterum, qui longiùs à recto rationis tramite exorbitabat, ſuauiter monet; atque inter æquitatis terminos continere tentat: ille verò maiori pertinacia pugnans, cum multis verbis admonitus, nulla ratione animum cum recto componere vellet: Ioannes mox diuino ſpiritu afflatus; ad eum inquit: Caue tibi, Frater: caue, inquam: Ager enim hic tibi funeſtus erit: niſi enim meliori conſilio rebus tuis proſpicias: hîc te Dæmon, & repentinus interitus expectant. Hæc cùm ille monita deſpiceret: poſt aliquot dies in eodem agro aduerſarium ad rixam prouocans, ab eo interficitur; Agrumque, iuxta ſancti Viri dictum, ſuo ſanguine perfundit.

*Concordiam refugienti necem certo loco futuram prædicit.*

XVI. Huic non abſimile alteri factum accidit: quem cùm Ioannes ad concordiam cum hoſte ineundam hortaretur; in tantam ille mentis amentiam prolabitur: vt in hæc verba prorumperet: Quid fruſtra pacem perſuades? tametſi Deus id mihi ore tenus præciperet, non parerem. Cui Ioannes Dei zelo feruens, ait: Tam ne Deum contemnis, miſer? Scito, quia hic te locus propediem exanimem recipiet. Nec illum imminens Dei iudicium præteriit: Poſtridie enim ibidem ab inimico interemptus occubuit. Ex quo id omnibus exploratum fuit: Dei Seruo, non modò Diuinam virtutem, qua impios ſupremo exitio terreret, adfuiſſe: verùm & præclara, qua futura prænoſceret, Dei luce illuſtratum fuiſſe.

*Pacem recuſanti repentinum obitū pranunciat.*

XVII. His & aliud exemplum lubet adnectere: quo ſe futurorum, diuino ſpiritu, præſcium haud obſcurè declarauit. In Oppido Vallis Spoletanæ, quod Paſſum appellatur; tres vnà aleatores conuenerant: qui cùm publicè aleæ, ac ludis vacarent, cæteros quoque ad huiuſmodi ſtudia alliciebant: quibus & Dei nomen blaſphemabatur, & plurimæ inde rixæ, ac iurgia oriebantur. Hos ſæpè Ioannes & aleas fugere, & à publico Oppidi ſcandalo abſtinere hortatus fuerat. Ridebant illi, ac pia monitoris officia aſpernantes impio ſceleri vacabant. Tandem cùm eos Ioannes ludentes conueniſſet; ad illos inquit. O infelices, en luditis; ignoratiſque, quænam aduerſùm vos ſententia à Deo ferenda ſit! Iam ſæpe vos, vt ab hoc perditionis itinere pedem reuocaretis, admonui; voſque monita omnia negligentes in ſcelere computreſcitis. Cur ſeueriorem Dei in vos iram concitatis? En populi ſcandalum; en blaſphemæ voces; en iurgia, ac ſcelera, quæ hoc in loco perpetrantur, clamant in auribus Domini Sabaoth, ac velocem Dei in vos vindictam prouocant: quæ vos iam ſuo pondere obruet, & grauitate conteret. Audite, miſeri; qui trahitis iniquitatem in funiculis: Nec veſtro contenti damno, tot animarum ſanguinem funditis: bonúmque Dei Nomen, ſumma impietate, blaſphemare facitis: En iam Securis ad radicem Arboris poſita eſt; Iam aduerſùm vos ab æthere ſonat horrendus cœleſtis iræ cataclyſmus; exitialéque è Cœlo edictum pendet, quo conterendi eſtis: Quid plura? Niſi maturè ſcelerum pœnitentiam egeritis, breui ſimul omnes gladio peribitis. Hæc Ioannes publicè illis comminatus eſt: quæ, vt non hominis, ſed Dei voces eſſe quiſque intelligeret: vix paucis elapſis diebus, iuxta Viri Dei comminationem, adamuſſim acciderunt: Rixa enim inter eos exorta, cùm omnes ſibi mutuò necem intuliſſent: Propheticam illam Ioannis vocem fuiſſe, ac Deo auctore profectam, cunctis non obſcurè perſpectum fuit.

*Aleatoribus futurum exitium præſignificat.*

Hoc ipſo Prophetiæ ſpiritu, in Religione, Fratrem quendam anteuertit; qui cùm ab eo, de nonnullis Regularis inobſeruantiæ criminibus correptus fuiſſet; iſque correctioni minimè acquieuiſſet; eidem fore prædixit: vt è Religionis ore quamprimùm euomendus eſſet: quod miſero haud longè poſt contigit. Nam confractis obedientiæ vinculis, in turpem ſe apoſtaſiam præcipitem dedit. Poſthæc cùm Vir Dei in morbum incidiſſet: ſupremum huic Mundo ærumnarum pleno, valedi-

*Fratri Correctionem recuſanti Apoſtaſiam prædicit.*

cens,

cens, Iuſtorum morte ex humanis tollitur.

*FR. BERNARDI MEDIOLANENSIS, Vita & Geſta.*

XVIII Hunc quoque ſecutus eſt, ex Mediolanenſi Prouincia, Fr. Bernardus Mediolanenſis, ex illuſtriſſima Vice-comitum Familia progenitus. Hic cùm Sacris, humaniſque literis apprimè eruditus eſſet; Patre agente, Brixienſis Epiſcopus eligitur: quod cùm Bernardo renunciatum eſſet; grauiſſimum is Epiſcopi onus, tot animarum reddendis rationibus obnoxium, ſecum animo verſans; difficillimumque munus, cui tot virtutum ornamenta neceſſaria ſunt, quot Apoſtolus enumerat ad Timoth. ſcribens, cùm ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c. Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, &c.* apud ſe perpendens: ab eo ſe ſubtrahere cogitat. Verùm cùm ob parentum moleſtiam, nullum aliud ſibi euadendi conſilium ſupereſſe cerneret: in ſolitudinem fugit; atque inter ſyluas aliquandiu latuit: vbi ieiuniis, atque orationibus tandiu ſeipſum exercuit; donec Patre luminum inſpirante, Capucinorum, qui non pridem in Orbe pullulauerant, ſe Congregationi adiungit; & cæleſtem humilitatis viam, iam diu illi à Deo inſpiratam amplectens; vt omnem pœnitus mentis ſuperbiam confringeret; in Laïcorum numerum adſcribi curat. Verùm, quo profundiùs is in humilitate, Euangelicæ perfectionis fundamenta iecit; eò virtutum moles, quæ iis deinde ſuperſtructa fuit, altiùs conſurrexit. Tam enim ſuiipſius abiectione, ac deſpicientia excelluit: vt cùm ſe reliquorum Fratrum conſortio indignum exiſtimaret; omnium ſe pedibus ſubſterneret; heluonem ſe, gurgitem, ac voraginem cæleſtis patrimonij appellans, ſimul improbum, ſceleſtum, ac totius Religionis dedecus ſeipſum prædicabat. Nihil demùm dicti, aut facti vnquam prætermittere viſus eſt, quo non ſeipſum apud alios maximè contemneret.

*1. Timot. 3.*

*Brixiæ Epiſcopus deſignatus dignitatem fugit.*

*Capucinorũ Congregationi adiungitur.*

*Humilitati, ac ſuiipſius deſpectui ſtudet.*

XIX. Huic de ſeipſo viliſſimæ exiſtimationi, altiſſima quædam rerum paupertas reſpondebat: qua ſibi vilia, atque ab aliis contempta ſemper eligere gaudebat; Viliſſimus illi habitus erat, viliſſima Sandalia (tametſi vt plurimùm iis minimè vteretur) viliſſima fœmoralia, viliſſima ſtrophiola, viliſſima Cella, viliſſimus lectus; cuius loco ſarmenta ſibi ſubſternere ſolitus erat; viliſſima lodix, viliſſima tandem omnia: atque adeò hac rerum vilitate, ac egeſtate delectabatur; vt ſe rebus omnibus exuere poſſe optaret, quò ea perfectiùs frueretur. Somni parcus, gemina ante Matutinum Officium hora, ad orationem ſurgens; eo tempore totus in Deum mentis ardoribus agebatur: atque his cæleſtibus dapibus paſtus; ſi quando ad familiaria hominum conſortia accederet, tam mira ſuauitate res diuinas eructabat, tamque altè de his diſſerebat; vt omnes ab illius ore admirabundi penderent: eamque de rebus cæleſtibus ſcientiam, ab eo non humano labore quæſitam, ſed diuinitus illi infuſam eſſe, certiſſimè ſibi perſuaderent.

*Eximius Paupertatis ſectator aſſeritur.*

XX Charitate in pauperes tam eximius fuit: vt cùm Ianitoris officio fungeretur, cibi partem, quam communem cum cæteris in prandio, aut cœna accipiebat, repoſitam, pauperibus diſtribueret. Nonnulla, diuina luce illuſtratus, futura prædixit, quæ rei exitus vera comprobauit. Inter hæc, Nobili cuidam Viro, qui Capucinis adeò infenſus erat; vt cùm ij propè Oppidum Drucolam, quod in Agro Brixiano, propè Benacum Lacum iacet, Monaſterium conſtruerent; quæ ipſi die ædificabant, ille noctu diruenda curaret; grauem calamitatem prænunciat: quæ non multo poſt tempore eidem accidit; eo ad triremes damnato. Denique tam ingens, apud ſæculares homines, de eo ſanctitatis fama diffuſa erat: vt cùm per Brixiæ Vrbem incederet, plurima illum ſemper populi turba ſequeretur; certatimque omnes ipſum audire, ac videre contenderent. Poſtremò Brixiæ in Cõuentu, qui Abbatiæ nuncupatur: diem ſupremum obit; maxima tum apud Fratres, tum etiam apud Sæculares homines, ſanctimoniæ opinione relicta. Quamobrem ipſius obitu per Vrbem diffuſo, magna populorum multitudo ad illius funus confluxit: cumque alij tunicam, alij capillos præ deuotione è defuncto corpore excinderent: accidit, vt quidam dextri pedis vnguem imprudentiùs amputans, carnem ſimul cum vngue

*Prophetiæ ſpiritu illuſtratur.*

*Nobili Viro futuram calamitatem prædicat.*

*Obit ſanctimonia clarus.*





præſcinderet; quo facto præter naturam ſtatim è vulnere ſanguis effluxit: vt is apud Deum in Cælo viuere probaretur.

XXI. Quinto verò poſt Bernardi obitum anno; cùm ipſius oſſa, vt in aliud ſepulchrum transferrentur, exhumata eſſent: ſuauiſſimus ex his odor emanare cœpit. Quo tempore Fr. Honorius Brixianus Sacerdos, qui in eo Conuentu diu febri quartana moleſtiſſima laborauerat; cùm ipſius ſepulchrum ingreſſus Bernardi oſſa exoſculatus eſſet; meritáque ac opem ipſius imploraſſet; ab ea protinus conualuit: ſicque Bernardus, dum Eccleſiaſticam dignitatem, cum humili Capucinorum vita commutat, mundoque ſe penitus abiectum præbet, humilium præmium adeptus, illuſtrem apud Deum gloriam hoc anno conſequitur.

*Poſt quintum ab Obitu annum ipſius oſſa ſuaue olent.*

## F. BERNARDINI A MONTE VLMI,

### *Vita, & Geſta.*

XXII. QVintus deniq; ac præclariſſimus, qui hoc Anno mortali, corruptibiliq; Sarcina depoſita, immortalem gloriæ ſtolam ſibi comparat, eſt Bernardinus à Monte Vlmi, Picentis Prouiciæ Cõcionator: Vir ſanctitate, ac miraculis celebris: qui cùm in Minorum Conuentualium Ordine, eam doctrinæ, & eruditionis laudem, preſertim in via Scoti adeptus eſſet; vt Scoti anima paſſim nuncuparetur: ac propterea in ſũmis Italiæ Academiis publici profeſſoris munere, magna cum nominis ſui gloria perfunctus eſſet. Piſas tandem vocatus, publicè in ea Vrbe Theologicas diſciplinas profitebatur: quo tẽpore, cùm ſemel inter æſtiui temporis calores, tunicam exutus, librum Conformitatum, à Bartholomeo Piſano editum, manibus volutaret, in illud fortè exemplum incidit, quod apud eum legitur, his verbis exaratum. *Quidam Frater Minor fuit in Prouincia Angliæ habens gratiam raptus, & dum quadam die redditis gratiis pro prandio, ſtaret in Choro: coram Miniſtro, & Fratribus, incœpit plorare fortiſſimè, & fuit coram præfatis raptus. Miniſter hæc videns Fratribus mandauit, vt omnes expectarent; quovſque Frater ipſe à raptu ad ſe veniret. Quo reuerſo, & per Miniſtrum interrogato per obedientiam, vt quid vidiſſet, ad Fratrum ædificationem diceret: adſtrictus obedientia, inquit: Ego fui raptus in Cælum, & vidi quatuor Fratres Ordinis noſtri, per B. Franciſcum mandato Chriſti iudicari, qui hodie de hoc mundo deceſſerunt. Vnus habebat poſt ſe vnam ſalmam magnam librorum. Alius habebat in dorſo habitum pulcherrimum. Tertius habebat poſt ſe homines, & mulieres, & pueros. Quartus erat pauper, modicus, & deſpectus. Hos iudicaturus ex Chriſti mandato B. P. Franciſcus primum interrogat: Cuius Ordinis fuerit, & quid ſibi vellent iſti libri? & cùm Frater primus diceret, ſe ſui Ordinis eſſe, & libros præfatos habuiſſe ad ſtudendum. Et B. Franciſcus: feciſti ne, quod Dominus in prædictis libris mandat: Et cùm ille diceret, quod non: B. Franciſcus, vt proprietarium maledixit: Et ipſe cum libris ad Infernum deſcendit. Secundus interrogatus à B. Franciſco: Cuius Ordinis eſſet? Et iſte aſſereret, ſe eſſe Fratrem Minorem: Beatus Franciſcus, mentiris, ait: quia Fratres minores non mollibus, ſed vilibus indui debent: nec pretioſis, vt tu. Et eidem maledicendo, ipſum ad Infernũ direxit. Tertiũ cùm interrogaſſet modo iam dicto, & quare homines, ac mulieres eum ſequerentur? Reſpondit, quod in Curiis eos iuuarat, pro eis aduocando. Et B. Franciſcus, Frater Minor non debet eſſe aduocatus; Quia non litigent dicit Regula: ſed debet eſſe in Cella, & plorare annos ſuos in amaritudine. Et hunc maledicẽdo, in Inferno repoſuit. Quartum verò Fratrem cùm interrogaſſet, ſi eſſet Frater Minor? Et ille audacter dixiſſet; quod ſic: B. Franciſcus, amplexando eum, dixit, quia Regulam ſeruaſti, & verus Frater Minor fuiſti; intra in gaudium Domini tui; Et hic cum Beato Franciſco in gloria remanſit.*

XXIII. Hoc itaque formidabile de damnatis Fratribus iudicium, cùm attentiùs Bernardinus legiſſet, tam altè illi animo à Deo inſculptum fuit; vt protinus ſe ipſum interrogans diceret: Quid ais Bernardine? Quid reſpondes? An non audis?

*Formidabili exemplo ad Regulæ obſeruantiam prouocatur.*

Hic te liber alloquitur, te horrendum hoc Dei Iudicium manet: Num nugæ num fabulæ ſunt, quæ dicuntur? An non hæc B. Franciſci vox eſt, quæ Regulæ præuaricatores condemnat, atque æterno ſupplicio ferit? An non Dei hæc monita ſunt, quæ te à mortis ſomno excitant; & ad meliora prouocant? Quid dormitas? quid ſtertis? Iam nunc ſaltem excute ſomnum; diſiice nebulas, quæ ſi à caligine tibi oculos obducunt: diſcute rerum ſtatum, quæ te diuinis iudiciis obnoxium reddunt. Quid excuſatione, quid diſſimulatione opus eſt? Si librorum copia, ſi veſtium mollities, ſi Sæcularia negotia, ſi Regularis inobſeruantia cum illis tibi communis eſt; quidni, & commune iudicium; & ineuitabilis pœna tibi immineat? An non præſtat, dum vita tibi ſuperſtes eſt: Quanti paupertatem, humilitatem, ac Regulæ obſeruantiam, quam profeſſus es, amplecti? ne te inſperata dies intercipiat, partemque tuam cum hypocritis, ac præuaricatoribus ponat. Hoc ſtimulo agitatus, Bernardinus, haud ſibi obdormiendum; ſed quò à Dei clementia vocabatur, ſequendum proponit. Quare ex eo tempore fixè in animo ſtatuit, perfectam Regulæ obſeruantiam complecti; nouæque Reformationi, quæ à Franciſco Politiano, ac ſeptẽ aliis illuſtribus Viris, quorum aliàs meminimus, nuper in Minorum Conuentualium Ordine inſtituta fuerat, ſe ipſum adiungere. Hoc itaque apud ſe deliberato: quum primùm illud publicatum Prælectionum penſum exoluit; ad Reformationem ſe confert; atque in Conuentu Tiferni Metaurenſis, ſimul cum Fr. Vbertino, eiuſdem Conuentus fundatore, aliiſque eiuſdem Reformationis Fratribus, Regulari obſeruantiæ ſtudet. Cùm verò ſub annum 1538. in eo Oppido Ioannes à Fano, Dei Verbum toto Quadrageſimali tempore diſſeminaſſet; ipſius exemplo, & ſermone permotus; vnà cum Vbertino, ac tota illius Conuentus Familia; ad Capucinorum Religionem tranſmigrat; ipſo quoque Conuentu (accedente Oppidanorum conſenſu) ad Capucinos tranſlato; quemadmodum eodem anno fuſiùs à nobis explicatum fuit.

*Ad Reformatos Conuentuales ſe confert.*

XXIV. Bernardinus itaque in Capucinorum Ordinem relatus: quanquam tam infirma corporis valetudine laboraret; vt communes Religionis auſteritates, quæ inter ea Ordinis initia, duriores vbique vigebant, vix ferre poſſe videretur: naturæ tamen imbecillitatem virtute ſuperans; Deo potiſſimùm opitulante, tanta auſteritate vitam inſtituit; vt cæteris prorſus admirabilis videretur. Nudis enim pedibus, abſque ſandaliis toto anni tempore incedens, aſperiori, ac interpolo ſemper habitu vtebatur; eo ſolo, tunica reiecta, contentus. Quadrageſimalia ieiunia B. Patri Franciſco familiaria, quæ quinque enumerantur; præter ea, quæ vel à Regula, vel ab Eccleſia præſcribuntur; tam arcta lege ſibi cuſtodienda præſtituerat: vt iis ſæpè, præter panem, & aquam, nihil ad victum adderet. Ingraueſcente autem ætate; cùm panis, & aquæ ieiunium, vnica in die tantùm refectione compenſaſſet; Hoc quotidianæ abſtinentiæ genus conſtanter vſque ad mortem retinuit: neque vlla ratione adduci vnquam potuit, vt vel tanquam ſeni, vel tanquam ieiunanti, ſingulare aliquod ferculum, præter commune, ſibi adminiſtraretur. Quapropter cùm aliquando Popinæ Præfectus, ob ipſius ſenium, ac imbecillitatem, carnes, quibus tunc Fratrum Familia carebat, ſub pulmẽto occultas adminiſtraſſet; quum primùm id is animaduertit, ab vtroque, & à pulmento, & à carnibus abſtinuit; Præfectúmque illius facti duriùs his verbis increpauit. Cur, Frater, inuitum me ad hypocritas compellis? Neſcis, eum, qui palàm abſtinentiam profitetur, clam verò lautioribus cibis ventrem implet, iure hypocritam, ac Phariſæum cenſeri? Cui à Chriſto dicitur: *Phariſæe cæce, munda priùs, quod intus eſt calicis, ac paropſidis, vt fiat id, quod de foris eſt, mundum.* At id parùm eſt: nam & turpi me ciborum ſpecialitatis vitio obſtringis: quod cuique maximè in Religione fugiendum eſt: quo religioſa cõmunitas læditur, ſimplicitas deperditur, pax turbatur, ac Religio ipſa, quæ vna animorum, ac rerum communitate ſubſiſtit, proculdubio ad nudum nomen contrahitur. Quare grauiter Fratres admonere ſolitus erat; vt à ciborum ſpecialitate angue peius abhorrerent: plurimúmque ob id ſuis cohortationibus proficiebant, quòd non ſolùm

*Capucinorum Congregationi aſſociatur*

*Admirabilis illius vitæ auſteritas deſcribitur.*

*Ab Hypocriſi abhorret.*

Matth. 23.

*Ciborum ſpecialitas à Religioſis Viris vitanda.*







Vir bonus, & Sanctus ab omnibus haberetur: verùm quæ aliis obſeruanda proponebat: prior ipſe clariſſimis vitæ exemplis exhiberet. Quo fit; vt his Bernardini, atque aliorum antiquorum Patrum conſiliis, Capucinorum Religio imbuta, iam ab exordio ab huiuſmodi hypocriſis, ac ſingularitatis vitiis ſemper tam accuratè cauerit; vt ne quidem illorum ſuſpicionem ferre queat: eumque animi candorem, ac ſimplicitatem; atque adeò rerum, ac perſonarum indifferentiam ſeruet; vt vel virtutes ſimulare, vel ſanctitatem apud homines oſtentare, vel tandem inter filios cibo, veſte, aut re aliqua diſcernere; non tam hactenus ignoret, quam etiam graue piaculum exiſtimet. Ex quo id planè contigit: vt quo longiùs ab omni hypocriſis, atque iactantiæ ſuſpicione, iam olim abſcedere viſa eſt: plurima huius, atque aliorum Sanctorum Fratrum geſta, ac miracula omni potiùs diligentia contegere, quam vulgò committere ſtuduerit.

*Capucinorũ Religio quãtoperè Hypocriſim exhorreat.*

XXV. Paupertatem præterea, quæ Minorum gemma eſt, Sanctus hic Vir tantoperè coluit: vt quamuis inter celebres illius tẽpeſtatis Concionatores adnumeraretur: nihil tamen ſibi in Cella, præterquam aliquos pietatis libros, quibus ad ſpiritum Dei charitate inflammandum iuuabatur, adeſſe pateretur. Hinc cùm rebus tã parcè vteretur, vt præter ea, quæ cũctis ex præſcripto Regulæ neceſſaria ſunt, nequicquam ſibi habendum præſtitueret: magnoperè in eos inuehebatur, qui rebus ſe ſuperfluis præter neceſſitatẽ onerarent: quos publicis baiulis deteriores eſſe dicebat. Illi enim tametſi graui ſarcina onuſti, huc atque illuc onera ferãt; vectationis tamen poſt hęc mercedem accipiunt. At qui rerum ſuperuacanearum, in Religione, pondus ſibi in humeros aſſumunt; haud aliud, præterquam grauius, ac diſtrictius Dei iudicium in morte pro mercede aſſequuntur. Quamobrem adeò à ſuperfluis abhorrebat; vt rerum quoque neceſſariarum vſum ad extremum contraheret. Etenim cùm ad conſcribendas Conciones, charta illi prorſus neceſſaria eſſet; in eas ſe paupertatis anguſtias concluſerat; vt non integram, aut recentem chartam: ſed epiſtolas ad ſe miſſas, qua parte conſcriptæ non erant, ſibi ad ſcribendos ſermones adhiberet.

*Superfluis ſe onerantes Baiulis deteriores.*

*Arcta illius Paupertas cõmendatur.*

XXVI. Bernardini Aſtenſis, de Tribus Pannis, Minoribus Fratribus interdictis, ſentẽtiæ inhærens, eam ſæpè Fratribus inculcabat: docebatque nemini præter neceſſitatẽ, ac Superioris licentiã, tribus diſtinctis pannis vti licere: neq; id Superiores ſecluſa neceſſitate ſubditis indulgere poſſe. In eos verò præcipuè inuehebatur, qui quaſi de Dei Opt. Max. prouidẽtia diffiderẽt, rerũ prouiſioni, vel in Conuentu, vel in itinere ſtudebãt: quos vt ad certã diuinæ prouidẽtiæ ſpẽ, ac cõfidentiã prouocaret: his ſæpè verbis admonebat: Mihi credite Fratres (aiebat) Deus Opt. Max. nullo magis, quàm firma in eũ ſpe, ac ſollicitudine in eũ proiecta, honore afficitur. Nã etſi Deus eleemoſynis, paupertate, caſtimonia, corporis afflictionibus, ac diuinę Legis obedientia honoretur; haud tamen æquè ac plena in eũ confidentia colitur. Cùm enim corpus abſtinentia, ieiuniis, ciliciis, nuditate, flagellis, ac cæteris macerationibus affligatur. Deo tantũ carò ſacrificatur: at cùm animi, ac totius corporis, omnẽ tandem noſtri curam integrè in Deum proiicimus: integrum tunc & animæ, & corporis holocauſtum Deo offerimus; atque omni, qui à nobis proficiſci poteſt, Deum honore afficimus. Neque enim aliud quicquam nobis ſupereſt, quod Deo offeramus. Id verò cùm Deus ab omnibus expetat; tum maximè à nobis expoſcit, qui ad altiſſimam rerum paupertatem vocamur, quibus ſpecialem is curam pollicetur, illis Euangelij verbis: *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis: neque corpori veſtro, quid induamini.* Hinc tam frequenter illa Vatis verba, in B. Franciſci ore verſabantur. *Iacta ſuper Domino curam tuam, & ipſe te enutriet.* Nouerat enim, Deo reuelante, Pater Sanctus; hunc Minorum Ordinem, totum in Dei prouidẽtia fundari; atque ab ea pendere: ac proinde nulli noſtrum diuinæ benignitatis curam, vnquam ſubtrahendam fore, qui in eam cogitationes ſuas omnes proiiceret.

*Curam omnem in Deum proiiciendam argumento confirmat.*

Matth. 6.

Pſal. 54.

*Minorum Ordo in Dei Prouidentia fundatur.*

XXVII. Porrò vt hoc ipſum exemplis adſtrueret, quæ ſibi aliquando acciderant, libentiùs ſub incertò nomine narrabat. Scio hominem (aiebat,) qui cùm è Conuentu Tolentini, ſolus, ob exiguũ Fratrũ numerum, qui in eo tunc inhabitabãt, Montẽ Vlmi

*Diuina Prouidētia fidendum exemplo adſtruit.*

proficiſceretur,tam copioſus eo tempore imber è Cælo depluit: vt aquarum riuulis vndique defluentibus;Fiaſtræ, & Chienti Flumina,quæ iter illud interſecant, adeò intumeſcerent;vt coniunctis vndis magnam eorum agrorum planitiem inũdarent.Huc ille,cùm totus imbre madefactus perueniſſet; exundantem amnem circumſpiciens, cùm nullo pacto tranſuadari poſſe exiſtimaret: hærebat animus, ac variis cogitationum fluctibus agitatus, quid agendum eſſet, ignorabat. Dies enim,qui ad occaſum properabat,retrocedere penitus vetabat: incerto verò vado ſe committere, vbi alta aquarum vis, omnia fluminis vada intercidiſſet, manifeſtumque vitæ periculum minaretur; nullum iuſtum conſilium perſuadebat: ſola illi in Deum ſpes reliqua erat;quem impenſiùs tunc rogare cœpit, vt in ea illi rerum anguſtia opem ferret. Dum ita ardentiùs Deum orat,ecce inſperatò ab tergo Vir proceræ magnitudinis apparet;qui,eo ſalutato,ait. Quid tecum Pater cogitas? ac incerto animo,ac cõſilio verſas? Num flumen traiicere optas?Id equidem,Amice,inquit:At me rapida fluminis vnda terret.Cui ille:Ne te,ait,vllus huius rei metus inuadat;Ego cuncta huius fluminis vada noui;tutum te vltra flumen humeris traiiciam. Credo equidem, ſubdit is: Vada noſti: at fluuius exundat, conſuetoque haud alueo continetur; paſſim latet altior vnda,cui haud tutò fidendum. Verùm ille:Confide,Pater,ait,nihil in hac re periculi metuendum. Tum protinus,illo in humeros ſublato,tam facilè,ac leuiter per fluminis vndas permeat,vt nec vndas quidem attingere videatur.Cumque ſaluum illum ad alteram fluminis ripam tranſuexiſſet, tam opportuno,ac beneuolo Vectori gratias acturus erat; cùm circumcirca aſpiciens,neminem adeſſe reperit.Iam verò is tunc cæleſte Dei auxilium, Angelico miniſterio ſibi impenſum agnoſcens;ſublatis in Cælum oculis:Heus cæleſtis Aliger,inquit,hominem cùm te eſſe exiſtimarem,gratias relaturus eram:nũc verò,cùm te cæleſtem Angelum fuiſſe agnoſcam,iam Deo Creatori,ac benefactori,qui te mihi auxiliarem dedit;maiores,quas poſſum, laudes rependo.

XXVIII Hæc & pleraque alia diuinæ pietatis argumenta Bernardinus, dum in Picenti, Bononienſi, & Neapolitana Prouincia Vicarij Prouincialis munus adminiſtraret, ſæpiùs Fratribus proponere ſolitus erat; quibus omnium animos alliciebat; vt ſe in diuinæ Prouidentiæ, ac benignitatis ſinum proijcerent. Proprium quoque ſuiipſius odium, & abnegationem: qua Religioſus Vir ſuis omnibus cupiditatibus emori debet, tantoperè commendabat; vt neminem, ad perfectas diuini amoris delicias pertingere poſſe doceret; niſi liberum ab humanis cupiditatibus animum gereret. Neque enim ſat eſt, aiebat, ſi corpus flagellis excarnifices; ſi ieiuniis extenues; ſi vigiliis maceres; ſi nuditate conficias; ſi denique aliis auſteritatibus mactes: niſi animus ſuis omnibus cupiditatibus, ac Philautiæ, qua quiſque ſibi viuit, penitus intereat; ac ſoli Deo viuere incipiat. Hinc pauci eam perfectionis metam attingunt, qua id de ſe ipſis cum Apoſtolo affirmare valeant: *Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Quandoquidem rari ſunt, qui perfectè ſeipſos abnegare, ac proprij amoris voluptates proſequi, ac interimere didicerint. Etenim ad has debellandas, longa, atque aſſidua animi exercitatione opus eſt.Quatuor (inquit) mihi ab exordio hoſtes fuêre: nempe Accidia, Concupiſcentia carnis, Gula, & mei ipſius amor:in quos aciem nullo nunquam tempore direxi:Hos mihi debellandos idcircò ab initio ſtatueram, quòd eos mihi infenſiores experirer.Porrò id Dei gratia conſecutus ſum:vt tres quidem priores iam mihi parùm,aut nihil negotij faceſſant; quin potiùs velut proſtrati iaceant:quartus verò adhuc ſæpè victus pugnat.Neque enim id hactenus me aſſecutum confido; vt vetus homo,qui ſe,ſuaque iugiter quærit,mihi penitus interierit: ita vt æquè obtrectationibus & contumeliis, ſicut honoribus,animus oblectaretur; ſi illæ inſperato aliquando ingruerent;

*Philautia,ac proprij amoris vitium in nobis perſequendum.*

*Gal. 2.*

*Quàm difficile ſit, proprium à ſe amorem depellere oſtendit.*

XXIX. Hinc Philautiæ mortificationi tanto ſtudio incumbebat; vt ad mentis ſuperbiam retundendam,quæ ex multa eruditione illi oriri poterat; nullum vnquã,vel apud Fratres,vel apud Sæculares homines,dum priuatim ageret:Latinum verbum,

vel



vel Auctorum dicta, aut placita proferret. Semel,cùm Iuriſperitum cum Phyſico, de re litteraria diſputantem audiret; occulta vel Dæmonis tentatione,vel naturæ impetu, qui peritioribus communis eſſe ſolet, impellebatur: vt ſuam quoque ipſe ſententiam inter diſputantes interponeret: hunc ille Intellectus pruritum: cùm poſt aliquot huiuſmodi impulſus, tandem animaduertiſſet: protinus inde fuga ſe ſubtrahens, Fratrem quendam Ruffinum ſibi obuium habet; à quo, cur inde aufugeret,interrogatus, reſpondit: Ruffine, Aſinus hic meus inter Doctos computari geſtiebat; ego verò cùm Aſinum illum, non doctum,aut doctorem eſſe velim;ad ſtabulum compello. Itaque cùm ſedulò propriæ abnegationi,ac humilitati ſtuderet: Deus qui humilibus gratiam largitur: maioribus illum quotidie gratiæ donis augebat:quæ is,ne aliquando tandem dilaberentur,aut in eo ſterilia fierent, perpetuo quodam orationis ſtudio excolebat. Cùm enim parco naturam ſomno aſſuefeciſſet;noctu,poſt breuem quietem ad orationem ſurgebat: die verò cùm nullo obedientiæ, vel officij impedimento detineretur; poſt ſacra Myſteria deuotiſſimè celebrata,ſolitarius ſemper,vel in horto, vel in nemore cum Deo agebat. Orationi verò lachrymas tam indiuiduas comites adhibere ſolitus erat:vt non modò,cùm orationi in Eccleſia,vel in nemore incumberet;ſed & vbique(cùm vix vnquam ab oratione ceſſaret)ab oculis ferè ſemper lachrymas funderet.Ad hæc tanta religione,atque attentione Horas Canonicas perſoluebat; vt haud ſecus,quàm ſi Deum ſibi præſentem intueretur;vbicunque, vel in Choro, vel alibi diuinum Officium recitaret,nunquam niſi ſtans diuinas laudes perſolueret. Verùm illius in Prædicatione feruor propemodùm incredibilis erat, eo præſertim tempore, cùm corruptiſſimi hominum mores,ante Tridentinum Concilium, paſſim in Chriſtiano Orbe graſſarentur.Nemo enim ignorat,quàm turpis illa tunc hominum ætas eſſet;quot hæreſibus maculata,quot vitiis contaminata;quantaque bonorum omnium ſterilitate arida, ac deformis appareret: quapropter cùm plurimæ tunc Italiæ Vrbes,propter bellorum tumultus, & exterarum Nationum colluuiem; malo hæreſum ſemine imbutæ eſſent: omnem in iis expurgandis Vir ſanctus laborem, ac ſtudium contulit: quo fit,vt publicè pro ſuggeſtu,cùm Vir doctiſſimus eſſet;errores argueret,refelleret, Catholicæ Fidei dogmata explicaret: quodque publicis ſermonibus aſſequi minimè poterat,per domos priuatim docens, propoſitaſque in Fide dubitationes enodans,conſequeretur.Hinc cùm nullo labori ac ſtudio parceret,quo Dominicum Agrum à zizaniis purgaret;haud aſpernandos ſua diligentia, præſertim ex Picenti,ac Bononienſi Prouincia, fructus retulit.

*A diſputatione declinans, mentis ſuperbiam retundit.*

*Orationis illi aſſiduum ſtudium.*

*In expurgandis hæreſibus. ac fouenda pietate laborat.*

XXX. Cæterùm,cùm eò calamitatis ea Orbis ætas deuecta eſſet:vt Dei cultu frigeſcẽte,pietas ita in hominum animis aruiſſet, vt plerique ipſum Apoſtolicum Symbolum,& Dominicalem Orationem ignorarent;nulloque ad pietatem ſtudio mouerentur: Bernardinus per Oppida, & Caſtella potiſſimùm pergens; rudem plebeculam, vbicunque illam, vel in Eccleſia, vel in agris collectam offenderet;ſollicitè Fidei rudimenta docebat: ad miſericordiæ opera piis ſermonibus alliciebat: atque vt ad pietatem,& ad Dei cultum ſuauiùs prouocaret;ſæpiſſimè ſupplicatione inſtituta, Sanctorum,aut B. Virginis Litanias decantans, populum in vicinum aliquem collem ducebat:vbi cunctos ad Deum laudandum, & miſericordiam ab eo poſcendam prouocabat. Populus verò ab eo hac pietate inſtructus,magnis vocibus,eo præcinente,quandoque clamabat: *Laus ſit Deo noſtro: laus ſit Redemptori noſtro.* Interdum: *Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri.* Nonnunquam etiam aliis eiuſmodi piis clamoribus diuinam ſibi miſericordiam exorabat.His atque aliis huiuſmodi ſtimulis,quibus populum ad pietatem compellebat, id planè aſſecutus eſt;vt Dei charitas, quæ iam in plurimorum animis elanguerat, ac ferè extincta erat;iterum incaleſceret,atque in flammas exurgeret.

*Populos ad pietatem prouocat.*

XXXI Poſt aliquot annos in piis hiſc laboribus conſumptos: cùm Vir ſanctus incredibili orationis,ac diuinæ contẽplationis amore teneretur; omninò ſe à prædi-

*A prædicatione abſtinere cogitans, diuina viſione terretur.*

cationе,atque hominum frequentia abſtrahere cogitat; vt eò liberiùs cum Deo colloqui poſſit. Dum hæc ſecum ita deliberat, aliquando orans in extaſim rapitur; in qua Chriſtum velut Iudicem ſedentem, ac ſibi nonnihil ſubiratum aſpectat. Qui cùm ipſius vitam ad examen vocaret, diſtrictiſſimaque coram Chriſto operum,ac cogitationum ipſius diſquiſitio fieret: En apud Iudicem accuſatur, quòd Prædicationi, ad quam à Deo vocatus fuerat, maximo animarum diſpendio inſudare renuat;ex quo æquum ſit, eum talento,quod ab eo acceperat,velut indignum ſpoliari: metu ingenti Bernardini animus ſollicitabatur: cùm Iudex ſententiam fert,vt ei lingua,qua Prædicationis munus exercebat,protinus amputetur; Iam Iudicis ſententia executioni mandanda erat: cùm Bernardinus pauore ferè exanimatus, mox ante Iudicis Tribunal ſeipſum proſternit, lachrymas fundit, lachrymiſque rogatus,ac ſupplicationes, quibus Iudicis animum ad clementiam leniat, adiungens:ne lingua ſibi præſcindatur, animum ſe à propoſito reuocaturum, ac Prædicationis officium ſe in poſterum ſollicitè adminiſtraturum pollicetur:Denique vniuerſa tentat,quò illud linguæ obtruncandæ Iudicium effugiat. Porrò hac promiſſione accepta,Chriſtus ſententiam ſuſpendit. Bernardinus autem ab extaſi rediens,cùm diuinum prædicandi edictum agnouiſſet; iterum animum ad Prædicationem appellit;ac maiori,quàm antea,ſollicitudine,Apoſtolico muneri incũbit.

*Seueriùs diuinam Iuſtitiã inculcans, à Domino corripitur.*

Solebat Bernardinus, vt peccatores à ſceleribus deterreret; ſeueriſſimam illis XXXII.
Dei iuſtitiam, ac diuini Iudicij rigorem, vehementiùs ante oculos ponere. Semel verò, cùm de impiorum morte agens,tam diſtrictam in eos vltionem verbis pro ſuggeſtu exaggeraſſet; vt nullam iis ferè diuinæ clementiæ ſpem reliquiſſe videretur: Dominus eadem nocte oranti apparens, illum his verbis increpat. Quid eſt, Bernardine, quòd peccatores à meo ſinu repellis? Placet quidem, vt Iudicium meum homines timeant, quò à culpis abſtineant: haud tamen mihi gratum eſt, vt de mea miſericordia deſperent, quæ impiis ad extremam vſque vitæ lineam obuia eſt: quare ſic ſeueritatem meam prædicare debes; vt clementiam non expellas: neque enim mihi minor clementia, quàm ſeueritas eſt. Hac Domini increpatione ſapientior Bernardinus, ſuauioribus deinceps verbis,ac diuinæ miſericordiæ vinculis, peccatores ad pœnitentiam attrahere cœpit. Inter eos verò, quos hoc pacto ad Dominum perduxit: quidam Blaſius Stella fuit: Vir innumeris ſceleribus obſtrictus; quique tot ſe hominum cædibus fœdauerat; vt immenſum quoddam crudelitatis portentum exiſtimari poſſet. Hic cùm Virum Dei aliquando prædicantem,ac Domini in peccatores clementiam verbis inculcantem audiſſet;ſuorum ſcelerum aſpectu commotus, ita apud ſe cogitabat. Si certam à Deo miſericordiam me conſequi poſſe crederem; profectò nihil tam graue eſſet,quod ad eam promerendam,meaque ſcelera expianda non exantlarem.Hac cogitatione ductus,cùm ad Virum Dei ſe contuliſſet, his eum verbis affatur:Pater,Si quis grauiſſima,ac propè innumera in Deum crimina perpetraſſet; num ab eo ſcelerum ſuorum veniam ſperare poſſet? Quid ni? (Bernardinus ait)Num vllo peccatorum pondere immenſa Dei clementia obrui poteſt? Aut ſcelerum numero ita exhauriri, vt maior ſemper non aſſurgat? Tunc ille:Si me ignoras, inquit: Ego ille ſum Blaſius Stella;mortalium omnium,quos terra ſuſtinet,flagitioſiſſimus; humanarum,ac diuinarum legum peruerſor; cæde, ac hominum ſanguine redundans; tamque ad omne facinus proiectus, vt publicis litteris damnatus,ac proſcriptus,omnium ſcelerum rectè gurges,ac vorago appellari queam.Iam verò ſi poſt tot facinora diuinę quicquam adhuc mihi miſericordiæ ſupereſt,in qua ſperandum iubeas: iam mihi quid agendum ſit,impera:neque enim vllum tam graue,aut moleſtum pœnitentiæ opus erit,cui humeros facillimè non ſupponam.

*Blaſius Stella,Vir nequiſſimus,eo prædicante ad Deum conuertitur.*

His auditis Vir Dei, mox ſuper collum Blaſij procumbens, illudque obortis XXXIII
lachrymis irrigans, ait: Quid de Dei clementia dubitas, mi Blaſi? An non hæc illius sũma gloria eſt peccatoribus parcere? Propterea expectat Dominus,vt miſe-

*A Bernardino ad Dei clementiam prouocatur.*





reatur noſtri. Securus igitur accede: benignum Dominum, ac Patrem ſortitus es, qui iram, ac vindictam in pœnitentes neſciat. Quomodo enim miſeretur Pater filiorum,ita miſeretur Dominus timentibus ſe:quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Confortare itaque, ſcelera tua lachrymis laua, pœnitentia,ac confeſſione dele: Hæc enim ante omnia tibi præſtanda ſunt. His dum Bernardinus pœnitentis animum in diuinæ miſericordiæ ſpem erigeret; Blaſius diuina iam virtute commotus, totus lachrymis perfundebatur. Quapropter nihil poſt hæc verba cunctatus, iuxta Viri Dei præſcriptum ſeipſum ingreditur; animum ad ſcelerum confeſſionem parat; tum magna lachrymarum vi peccata ſua Sacerdoti aperit,eorumque tandem integra abſolutione potitur. Vix autem poſt pœnitentiam Blaſius domum reuerſus fuerat: cùm Diabolus noctu, horribili illi forma contectus apparet, hæc verba depromens: Quid feci Blaſi? Quid deliqui? quòd me ingratiſſime hominum desereres? An non hactenus integrè tibi in omnibus obſecutus ſum? Inimicorum tibi animas dedi: voluptates, quarum ſtudio tenebaris, impertiui: cur igitur, me relicto, aufugis? Malus perfectò ille te Frater faſcinauit. Cui Blaſius: Faceſſe iſtinc Dei, & Hominum hoſtis; nihil iam tecum commune habere volo. Cui Dæmon: Tui ſaltem aliquid mihi, ò Amice, in præteritæ amicitiæ ſignum, antequam abeam, elargire. At Blaſius: Quid adhuc garris, impudentiſſime, ait: iam omne neceſſitudinis vinculum, quod tecum contraxeram,abrumpo: hoſtem duntaxat agnoſco. Cito abi iſtinc, ſin ego hac te crepida abigam. Cumque crepidam ſibi è pedibus tuliſſet, in Dæmonem proiicit: Dæmon verò arrepta crepida, mox inde magno ſtrepitu aufugit. Blaſius autem cùm poſt hæc geminos in lachrymis,ac pœnitentia,menſes traduxiſſet; ſpe diuinæ miſericordiæ plenus, ad Patrem miſericordiarum, ex humanis migrauit.

*Peccata integra confeſſione lauat.*

*Dæmon Blaſio apparens de eo conqueritur.*

*Blaſius Dæmonem crepida fugat, & pie in Domino obdormit.*

XXXIV Interea Bernardinus creditum ſibi, variis in Religionis Prouinciis, Vicarij Prouincialis munus, tanta animi integritate, tamque ardenti Regularis obſeruantiæ ſtudio adminiſtrat; vt Fratres vbique ad virtutum incrementa prouocarentur. Vitia enim, vbi opus eſt, acriùs reprehendit: paupertatis abuſus, ſi qui fortè ſenſim inter Fratres irrumperent, maturiùs amputat; morum corruptiones tollit; antiquas Religionis conſuetudines integras tuetur; ſimplicitatem fouet, ſubditorum profectui inuigilat, probos tantum, ac idoneos ad honores extollit: & quod optimum Paſtorem decet, ſanctiſſimis vitæ exemplis cunctis prælucet. Quo fit: vt tam communis de ipſius ſanctitate, apud Fratres fama diffunderetur; vt Bernardini Aſtenſis teſtimonio, nullus Bernardinum in Religione, eo tempore, doctrina, & ſanctimonia antecelleret.

*Bernardinus varias Prouincias magno Regularis Obſeruãtia fructu administrat.*

XXXV. Hanc verò tam illuſtrem vitæ ſanctimoniam, qua Bernardinus, quaſi ſtella refulgens, in Religionis Orbe, emicabat: cæleſtis diuinarum Reuelationum, ac miraculorum fulgor illuſtriorem reddebat: nam tametſi ex his quamplurima, obliuione deleta,perierint: nonnulla tamen,velut ex incendio erepta,ad nos vſque integra euaſerunt,quæ ſilentio præteriri non debent. Dum in Conuentu Corinalti Picentis Prouinciæ, quadam die,maiori Dormitorij feneſtræ innixus,quoſdam ſegetum meſſores, procul in agris triticum metentes,aſpectaret; Guardianus ad ipſum accedens, vt ſecum colloquendi anſam captaret:inquit:En Pater, quot homines illi, quos hinc procul abeſſe conſpicimus, in metenda, & congreganda ſegete labores exantlant:quot ſolis ardores patiuntur,quantiſque ſe ſudoribus exhauriũt: An non ij commiſeratione digni ſunt? Cui Bernardinus præter expectationẽ:Nulla, inquit,hi non modò commiſeratione proſequendi, ſed num vitali aura digni ſint, ignoro. Papæ cur iſtud? (ait Guardianus.) Haud mirêre (inquit Bernardinus) tam enim ſceleſti ſunt, tamque turpia inter ſe colloquia miſcent; vt ſi ea tuis auribus perciperes; non homines, ſed pecudes, ac iumenta, rationis expertia cenſeres: quòd ſi id certiùs noſſe optas, propiùs ad eos accede;ac ſub illa te ſepe,quę agrum circumdat,abſconde:tum quàm inhoneſta inter ſe agitent,addiſces.

*Reuelationibus,ac Miraculis à Deo illuſtratur.*

*Meſſores procul ſtantes, ac de rebus turpibus ſecretò colloquẽtes audit.*

Locus à Conuentu tam longè aberat, vt Guardianus rem experiri noluerit: veruntamen cùm ne quidem vox, nedum ſecreta illorum colloquia ab eo percipi poſſent: hæc illi ſola diuina virtute manifeſta fuiſſe, velut certiſſimum habuit; præſertim cùm eum à ferendis huiuſmodi iudiciis tam alienum agnoſceret; vt rem, niſi perſpectiſſimam haberet, nunquam aſſereret.

XXXVI. Hoc tempore accidit, vt Antonius quidam Comes; qui Guidobaldo ſecundo huius nominis, Vrbinatum Duci chariſſimus erat, in flumine natans, caſu aquis præfocatus fuiſſet: quod ingentis Duci cauſa doloris fuit: quamobrem cùm ſemel Dux cum Bernardino colloquens, mœrorem de illius morte, ob id maximè conceptum aperiret, quòd repentinus illius obitus dubiam ei de ipſius ſalute opinionem reddidiſſet. Mox Bernardinus: Quid Dux, inquit, Amici vicem doles? aut cur te illius ſalutis timor ſollicitat? Solue metu animum; Saluus eſt Antonius: Soſpes eſt; non inter mortuos, ſed inter viuos à Deo computatus: dies enim extrema cùm illum à lethali culpa liberum offenderit, Deo reddidit: quapropter à luctu abſtine. Dux verò, qui Virum ſanctimonia clarum eſſe non ignorabat; cùm tam certè, ac liberè hominis ſalutem aſſerentem audiret; quandoquidem id illum, non niſi ex diuina Reuelatione accepiſſe ſibi perſuadet; plurimùm de Amici ſalute animo conſolatur. Magis in dies merito, & gratia Bernardinus apud Deum augebatur: cũ Anno 1560. dum Vir Dei Ricinam nouã, quæ Piceni Vrbs eſt, prædicationis cauſa proficiſcitur; **Trajani**, à quodam Achille, ſuo quondam familiari, hoſpitio excipitur: qui cùm ob vini penuriam, quæ eo præſertim anno Oppidum occupauerat; vix parùm vappæ, quæ ad fæcem declinabat, in dolio reliquum haberet; aliundè ſibi vinum comparare voluit. Cui Bernardinus: Ne vinum, inquit, ab aliis quæras: dolia tua abundè nobis vinum effundent. At Achilles: Acidũm iam vinum eſt, ait, ac fæculentum: Quid tum? (ait Bernardinus) Dominus bonum, ac ſapidum reddet: ad dolium perge. Protinus ad dolium itum eſt: quod cùm antea nonniſi turbidum, ac fæculentum vinum redderet, tunc hauſtum, tam ſplendidum, ac generoſum apparuit; vt hoſpes ſe nunquam, aut mollius, aut ſuauius guſtaſſe fateretur. Illud verò maiori admiratione dignum: nam cùm dolium iam ferè exhauſtum vix vinum effunderet; id deinceps duorum menſium ſpatio, non modò toti Familiæ; verùm & pleriſque pauperibus, qui ad Achillis pietatem confugiebant, abundè vinum miniſtrauit.

*Defuncti Animã ex Dei reuelatione ſaluam affirmat.*

*Vinum in dolio multiolicat.*

XXXVII. Hinc ad Neapolitanæ Prouinciæ adminiſtrationem vocatus; dum in eo munere verſatur; accidit, vt per Oppidum Montis Herculis aliquando iter faciens, à pia quadam muliere domo exciperetur: à qua cùm oleum ad lucernæ ignem fouendum peteret; reſpondet illa: Nihil quidem ſibi tunc olei in vaſe ſupereſſe: attamen quamprimùm prouiſum iri. Cui Bernardinus: Quid opus eſt, inquit, oleum aliunde quærere? Vas oleum habet, ſi diligenter inſpicias. Illa, vt Viro Dei morem gereret; protinus ad Vas pergens, illud oleo, Deo Serui ſui verba miraculo confirmante, plenum recipit: cùm tamen in eo antea, ne gutta quidem relicta fuiſſet.

*Oleum à Deo impetrat.*

XXXVIII. Hæc porrò, quæ Vir Dei Bernardinus diuina virtute præſtabat: cùm eximiam ipſius ſanctimoniam, ac præclara apud Deum merita prædicarent, vbique fama notiſſimum reddebant. Quo fiebat, vt plerique variis corporis languoribus correpti, ad eum quotidie ventitarent: qui ab eo ſigno Crucis muniti curabantur. Inter hos Nicolaus Gaddius Florentinus S. R. E. Cardinalis connumeratur: qui tam graui in dextera tibia vlcere laborabat: vt cùm ad ipſius curationem fruſtrà Phyſici, ac Chirurgi vniuerſa artis remedia contuliſſent: ſpe incolumitatis abiecta, Florentia Romam proficiſceretur: quo in itinere Virum Dei Bernardinum cum ſocio ſibi obuium habet. Procul is cùm Capucinos Fratres videret; lecticam, qua vehebatur, iubet conſiſtere; accitúmq; Bernardinũ, quem tametſi nedũ ex virtute agnitũ haberet, aſpectu tamẽ venerandũ contuẽs, his affatur verbis: Pater mi, iãdudũ vlcere peſſimo in tibia grauiſſimè affligor; cui curãdo nec Medicæ, nec Chirurgicæ artis

*Cardinalem Gaddium ab vlcere curat.*

remedia



remedia, fruſtrà hactenus adhibita, ſat eſſe potuerunt: Porrò cùm primùm mihi inſperatò occurriſti; noua incolumitatis ſpes animo ſuboriri cœpit; ſi tamen morboſam tibiam Signo Crucis conſignaueris. Cui Bernardinus: Falleris, Illuſtriſſime, ad hominem peccatorem diuertiſti; qui cùm ſibi nequam ſit, quo pacto tibi bonus eſſe poterit? At Cardinalis: omnes, inquit, peccatores ſumus, Deique gratia indigemus; verùm vtcunque ſit: cùm ſingulari ſemper Capucinorum Religionem amore proſecutus fuerim; hanc mihi humanitatem debes: confeſtimque faſciolas, quibus tibia circumligata erat, explicari, atque vlcus detegi iubet. Bernardinus igitur, cùm Cardinalis fidem haud vulgarem agnouiſſet: poſitis genibus, Deum aliquantiſper orat; tum Crucis Signum manu ſuper vlcus formans: Deus, ait, Illuſtriſſime, in cuius fide, te ſanari poſtulas; ſecundùm fidem tuam tibi præſtet. Vix hæc Vir Dei Verba protulerat, cùm putredinis fonte exſiccato, mox incolumis abſque vlcere; perinde ac ſi nullo vnquam morbo affecta fuiſſet, tibia apparet: protinuſque Vir Dei inde abſcedens, Cardinalem re obſtupeſcentem, ac diuinam in eo virtutem admirantem relinquit.

XXXIX. Inerat huius ſancti Viri animo, incredibilis quædam erga afflictos compaſſio: qua fiebat, vt ipſius viſcera aliorum calamitatibus, ac miſeriis liqueſcerent. Quapropter, cùm Mulieri cuidam Viduæ, quæ Medici quondam Oppidi Montis Bodij vxor fuerat, vnicus tantùm filius eſſet; qui graui morbo correptus, in extremum tandem vitæ diſcrimen venerat: Mater nimia mentis triſtitia abſorpta, ad Virum Dei accedit, illiuſque opem fuſis lachrymis poſtulat: Cui Vir ſanctus: quid homo peccator, ait, opis filio tuo præſtare poteſt? Veni (aiebat illa) & manum tuam ſuper puerum imponens, illum ſigno Crucis conſigna, vt viuat. Cumque id frequentiùs cum lachrymis repeteret; Vir Dei pietatis viſcera haud continere potuit. Viduam ſequitur; ad puerum venit; orat: ſigno Crucis moribundum benedicit. Quid plura? ferè mortuum è mortis faucibus eruit, & incolumẽ parenti reſtituit.

*Puerum moribundum ſigno Crucis incolumitati reſtituit.*

Hæc miraculorum fama, qua Deus Bernardini nomen illuſtrabat, ita in Piceno diffundebatur; vt dum Firmi Generalia Comitia anno 1555. ſub Euſebio Anconitano celebrarentur: Bernardinuſque inter alios illius Capituli Generales Definitores adnumeratus, cum Generali, ac reliquis Patribus, ad totius Religionis negotia pertractanda, in Definitorio ſederet. Nobilis quidam ad Conuentum accedens; languentemque filium in ſinu geſtans, Bernardinum alloqui poſtularet. Quẽ dum Ianitor grauioribus negotiis, quò minùs ad eum venire queat, occupatum excuſat: is ſe nunquam inde receſſurum affirmat; donec à Bernardino Crucis ſignum puero impetrauerit. Ianitor porrò teneriori erga illum charitate ductus, protinus ægrotantem puerum inter vlnas acceptum, ad Bernardinum in Definitorium defert: Patriſque illi deſiderium, ac propoſitum exponit.

XL. Erubuit nuncio Bernardinus, atque ea re grauiter commotus, Ianitorem his verbis increpat: Quid pueros ad me Cruce conſignandos defers? Num ego Apoſtolus ſum, qui Crucis ſignum ægrotis impendam? Cumque apertè puero benedicere recuſaret: Euſebius Generalis, qui probè Viri Dei ſanctitatem nouerat, vt ægrotum puerum benedictione proſequatur, mãdat. Paret ille Generalis præcepto. Porrò vix puero Signum Crucis ab eo impertitum fuit; cùm diuina virtute puer in integram repentè incolumitatem vendicatur: valenſque, ac ſanus patri redditur. Id ſtatim Bernardinus, vt ſuas humilitati partes relinqueret; non ſibi: ſed iubentis præcepto adſcribendum curat.

*Alterum puerum ægrotantem ſigno Crucis curat.*

XLI. Veruntamen quò profundiùs is ſeipſum deiicere, & ſanctimoniæ lucem ſub modio occultare ſtudebat; eò illam Deus Opt. Max. ſuper candelabrum, vt cunctis manifeſta fieret, altiùs collocabat. Neque enim in his tantummodò, quos Vir Dei vel ſigno Crucis, vel manuum contactu proſequebatur; diuina virtus elucebat: ſed ea quoque, quæ ipſius aliquando vſui inſeruiiſſent, diuinam ſibi operationem vendicabant: quemadmodum ſubiecto exemplo patefiet.

Cùm

XLII. Cùm enim ob aſſiduum Orationis ſtudiũ, Vir Dei pleraſq; diei, ac noctis horas orationi dare ſolitus eſſet: tam frequentem ob id capitis dolorem contraxerat; vt linea Vitta, qua Frontẽ comprimeret, ſæpè vti compelleretur. Accidit verò aliquando; vt æſtiuo tempore, Tiferno Metaurenſi digreſſus, ad Petræ rubeæ Conuentum proficiſceretur: quo in itinere, dum ſub agreſtis cuiuſdam domus vmbra, meridiano tempore, aliquantiſper quieſcit; Vittam ſudore madidam, aprico quodã loco Soli exponit: quam ſimulatque domus illius hera, cui Bernardini ſanctitas haud ignota erat, conſpexit: ea ſibi occultè ſubrepta, mox alteram illius loco ſupponit: prioremque inter ea, quæ ſibi pretioſiora erant, reponit: neque eam ſua fides, aut Viri ſanctitas fefellit: tot enim illius Vittæ contactu miracula deinceps patrata fuêre: vt quotquot in eo Oppido capitis dolore cruciabantur, ea ſibi adhibita ſanarentur. Quamobrem, cùm poſt ſancti Viri obitum, Fratres, tot miraculorum fama commoti, eam ſibi à muliere reddi poſtularent; id nulla ratione ab ea aſſequi vnquam potuerunt; quæ cùm Vittam melioris theſauri loco apud ſe haberet; omnium potiùs bonorum ſuorum iacturam pati, quàm ea priuari, ſibi delegiſſet.

*Vitta, qua ſibi frontem alligat, plurima patrantur Miracula.*

XLIII. Illud verò haud minori admiratione dignum fuit, quod in hoc rerum mirabilium ordine Fratri Bernardo Auximenſi contigit: Qui cùm adhuc annum Probationis ageret, grauique capitis dolore angeretur: fortè ad Foroſempronij Conuentum, vbi tunc Bernardinus erat, aliquando cum aliis aduentat. Solebat Bernardinus, qualibet die ſub veſperum, hortationis ſermonem Fratribus in Refectorio collectis proponere: quem dum Bernardus deuotè audit: Viri ſanctimonia, quæ iam omnibus perſpecta erat, permotus, id ſibi in animum iuducit. Quôd ſi Saliua, quæ ex illius ore effluebat, caput ſibi inungeret, ab eo capitis cruciatu liberandus eſſet. Quamobrem illius ſputa obſeruare cœpit: ac cæteris abeuntibus, cùm is ſolus ex induſtria in Refectorio remanſiſſet; Bernardini ſputo, quod humi infixum obſeruauerat, ſibi caput inungens; omnem prorſus capitis languorem à ſe protinus effugatum ſenſit.

*Bernardini ſputum Nouitium à Capitis langore liberat.*

XLIV. At neque id prætereundam eſt, quod ad B. huius Viri ſanctimoniam comprobandam, in quodam Camerinenſis Agri Oppido, diuina planè virtute actum eſt. In eo etenim dum Vir Dei ad Populum ſermonem habet: Anus quædam mulier, tam frequenti, ac moleſta tuſſione in Templo perſonabat: vt cæteros, quò minùs Dei Verbum audire poſſent, impediret. Eam Bernardinus, cùm ſemel, atque iterum, donec Concio abſolueretur, ſecedere admonuiſſet: illa Serui Dei monita contemnens, neque loco moueri, neque à tuſſi abſtinere curat. Dum verò ita pertinax in ſententia perſtat. En hoc ipſo tempore Deus flagitium vlciſcitur. Nam ore illi vſque ad aures prodigioſè contorto, tam omnibus turpis ac deformis apparuit; vt murmure exorto, diuinum vniuerſi in ea iudicium intuerentur. Bernardinus verò abſoluta Concione, vbi Anum pertinaciæ reprehendit; toto ſpectante populo, ſigno Crucis ſuper eam formato, os ſuo loco reſtituit.

*Anus ob pertinaciam à Deo caſtigata, à Bernardino curatur.*

XLV. Conſenuerat Vir Dei: cumque tot apud Deum meritis, ac virtutibus valeret; vt de ipſius benignitate omnia ſibi polliceri poſſet: ſibi tamen à Dei iudiciis maximè metuebat: tamque grauiter hoc metu diſcruciabatur; vt perinde ac ſi æternæ dãnationis reus eſſet, quotidie ad Deum lachrymas funderet: Dominus verò vt fidelem Seruum ſuum conſolaretur, aliquãdo illi inter Filatranum, ac Æliam Ricinam nouam, quam Maceratam appellant, iter facienti apparet; extremumque illi ſuæ peregrinationis diem, à quo non longè aberat, reuelat. Cui Bernardinus: Domine inquit, miſer ego peccator ſum, ac ſeruus nequam: ex quo enim me ad hoc ſacrum Religionis domicilium tam benignè vocaſti; in eo tam negligenter, atque oſcitanter conuerſatus ſum: tot agenda prætermiſi, totque non agenda cõmiſi: vt iuſtiſſimo id æquitatis tuæ iudicio exigente; quod nulla prorſus culpa effugere poteſt: iuſtè mihi formidandum ſit, ne ſeuerma à te damnationis ſententiam accipiam. Ad quem Chriſtus placido vultu: Cur hi, inquit, te metus excruciant, Bernardine? Nõne ſedulò, ac fideliter mihi inſeruiiſti? plurimoſque pro me labores exantlaſti?

*Diuinis iudiciis exterritus, à Chriſto conſortatur.*





Cur horum me immemorem eſſe tibi perſuades? Age, vſque in finem labora: mecum enim quàm primùm eris: omniumque mercedem accipies. His Chriſti verbis Bernardinus animo ſubleuatus, cùm Maceratã appuliſſet: haud multò poſt in morbum incidit; ex quo quandoquidem, hinc ſe migraturum intellexerat: generalem omnium peccatorum Confeſſionem, ab incunabulis exorſam, inſtituit: qua multo cum lachrymarum imbre abſoluta, cùm diuino ſacræ Euchariſtiæ Sacramento refectus fuiſſet: pridie quàm ex hac luce migraret, in mentis exceſſum raptus: Chriſtum iudicem in throno ſedentem, multaque Angelorum, & Sanctorum turba circumſeptum intuetur; qui cùm eum ad iudicium compelleret: Mox Vir quidam horribilis, coram Iudice ſtans, librum legere cœpit: in quo vniuerſa illius peccata, iam olim ab adoleſcentia commiſſa, continebantur. His abſolutis, cùm Iudex ſeueros ad Bernardinum oculos contorquere videretur: protinus adſtantium Angelorum, ac Sanctorum multitudo acclamare cœpit: Gratia. Gratia. Gratia. Quorum voce Iudex, turbato vultu in ſerenum commutato; benignum ſe Bernardino protinus oſtendit, eumque inter cæleſtes incolas adnumerat. Bernardinus verò ad ſe poſt exceſſum rediens, iam de cæleſti præmio certus, inter Dei laudes lætus, Maceratæ Deo animam reddit: ac fælicioribus Superum agminibus infertur.

*Ante mortem in exceſſum rapitur, & ſuæ ſalutis certior fit.*

*Macerata extremum diem claudit.*

XLVI. Poſt huius ſancti Viri obitum, cùm Nobilis quædam Mulier, quæ præſens illius funeri aderat, ſtrophiolo defuncti corpus attigiſſet: eò plurima deinceps miracula, in eos præſertim, qui capitis dolore, ac vertigine laborarent: Bernardini nomine inuocato, ad Dei gloriam patrata ſunt.

*Bernardini Strophiolo miracula patrãtur.*

XLVII. Hoc denique anno Pius 4. Pontifex Maximus, quinto Idus Decembris de Eccleſia optimè meritus, Mundo, ac Pontificatui valedixit, illis ante mortem Simeonis verbis prolatis. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.*

*Luc. 2. Pius 4. ex humanis excedit.*



*Pius V. Pontifex creatur*

I. HVIC Anno, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, fauſta præbet auſpicia, noua Pij V. Pont. creatio, qui à Deo tanquam Aaron, ad Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula, præter ſuam, & omnium expectationem vocatus, ſeptimo Idus Ianuarij, more Maiorum ſacra Thiara in Vaticano coronatur. Hunc ex ſacra Dominicanorum Familia aſſumptum, non Pontificatum ambientem, non Cardinalium ſuffragia aucupantem; non vltrò ad honores currentem; ſed honores ipſos fugientem, ac de ſola virtute cogitantem, ſupremus tandem honos ſecutus eſt. Quapropter cùm nec Purpura, nec Infula in eo quicquam mutauerint; idem illi poſt adeptum Pontificatus culmen vitæ cultus fuit, eademque morum diſciplina: neque aliud priuata virtus noui in eo aſſecuta videtur, quàm vt ad ſupremum honoris faſtigium euecta, ac velut lucerna ſuper candelabrum collocata, longiùs in Eccleſia coruſcaret. Idcircò in hoc ſui Pontificatus initio: cùm animum ad Concilij Tridentini obſeruantiam, tanquam morum Reformationi accommodatiſſimam appuliſſet; literas ad vniuerſos Chriſtiani Orbis Antiſtites ſcribit: quibus illos vehementer ad Concilij Tridentini decreta cuſtodienda hortatur. Neque id fruſtra: tanta enim ex hoc Tridentino Concilio, vbique morum Reformatio inſtaurata fuit: vt vbicunque id receptum eſt, Eccleſiæ facies refloruiſſe videretur. Contra verò, ſi quæ Orbis Chriſtiani Regio, ab ipſius decretis diſſentire viſa; mox tot malis, totque calamitatibus affecta eſt, vt etiamnum perpetuis hæreſum turbinibus agitetur.

*Huius Pontificis virtutes attinguntur.*

II. At quandoquidem nonnulla, ac duo potiſſimùm, circa eiuſdem Concilij decreta, dubia inter Capucinos Fratres emergebant. Primùm quidem, ex ſeſſ. 25. cap. 6. eiuſdem Concilij, in quo de Superiorum electione agitur. Dubitatum eſt, An Guardiani, qui ex antiqua Ordinis forma à Prouinciali, & Definitoribus tantùm, in Definitorio eligebantur; noua hac Concilij Conſtitutione à toto Capitulo eligi deberent. Alterum quoque, ex Seſſ. 22. cap. 4. in quo ſtatuitur: vt qui in Minori, quàm Subdiaconatus Ordine conſtituti ſunt, vocem in Capitulis non habeant. Dubium exortum fuit: Num qui in Laïcorum numero apud nos recenſentur, aut Minoribus tantùm Ordinibus initiati ſunt; iuxta antiqua Priuilegia, voce in Capitulis gaudeant. Idcircò Euſebius Anconitanus, qui hoc tempore, Procuratorio munere, apud Romanam Curiam fungebatur: cùm de his nouum Pontificem conſuluiſſet, ab eo gemina reſcripta tulit; quibus primùm antiquam Ordinis conſuetudinem, in Guardianorum electione olim receptam approbat; tum Laïcos, Clericoſque in Minoribus conſtitutos, iuxta Religionis Priuilegia, voce in Capitulis legitimè frui poſſe confirmat: non obſtante ſacri Concilij Tridentini decreto. Quæ reſcripta in Romano Archiuio etiamnum diligentiſſimè aſſeruantur.

*Dubia quædam ad Pontificem referuntur.*

III. Turcæ hoc anno, cùm inſtructa Claſſe Apuliæ littora circumuagantes, pleraſque Vrbes deprædati eſſent: inter alias Serram Capreolam, cæde, ac incendio deuaſtát. Quo tempore, cùm Capucinorum Monaſterio incenſo, ex his quamplurimi in Eccleſiam irruerent; variaſque Sanctorum Imagines demolirentur. Sceleſtus quidam, deuotiſſimum, ac toti Populo venerandum, quoddam Beatæ Virginis ſimulacrum diſtricto enſe aggreſſus, illud in fruſta diſſecare conabatur. At Deus Opt. Max. tam ſacrilegum ſcelus inultum non tulit. Vix enim nefarius ille ſacram Deiparæ ta-







tuam, vi è loco ſuo diuulſam, humi proſtrauerat: cùm repentè, Deo vlciſcente, viribus deſtitutus, vita ſimul defunctus fuit. Quod cùm cæteris terrorem intuliſſet; inde abſcedentes integrum ſimulacrum reliquerunt. Conuentu deinde inſtaurato, illa B. Virginis Imago in Eccleſia collocata, tot deinceps miraculis corruſcare cœpit; vt innumeræ ferè in ea tabellæ appenſæ, copioſiſſima in Regionis illius incolas, Deiparæ beneficia collata teſtentur.

*Turca B. Virginis ſimulacrum inuadens morte mulctatur.*

IV. Ex Vmbriæ Prouincia, hoc anno, non abſque ſanctimoniæ fama, ad Deum migrat, Frater Pacificus Faneſtris, Sacerdos; qui cùm ſub Tertij Ordinis Sancti Franciſci habitu aliquandiu Franciſco à Cartoceto, de quo plura diximus anno 1525. ſuam operam exhibuiſſet: eo ex humanis ſublato, ad Minorum Obſeruantium Familiam primùm, præclaris illius vitæ exemplis permotus, ſe contulit: vbi primis illis virtutum rudimentis, quæ ex Franciſci diſciplina hauſerat, perfecta religioſæ vitæ ornamenta ſuperaddens; in ea tam dignè verſatus fuit: vt cùm ſemel, in Cathedrali Fani Eccleſia, Sacris Myſteriis incumberet; in extaſim raptus, humi prolaberetur: Porrò ij, qui præſentes aderant, cùm eum ſincope, ac animi deliquio correptum crederent, efferendum curant. At id fruſtrà. Tam enim diuina virtute grauis euaſerat, vt nulla vi ex eo loco dimoueri poſſet. At paulò poſt ab exceſſu rediens, cùm eorum, quæ à Deo illi tunc demonſtrata fuerant, terrore perculſus fuiſſet: ſtatim ad Capucinos tranſuolat.

*F. PACIFICI FANESTRIS, Vita & Geſta.*

*Viſione perterritus ad Capucinos migrat.*

V. Viderat quippe, Deo oſtendente, vt idem poſt hæc haud abſque lachrymis affirmabat; maximam hominum, mulierúmque turbam, velut pluuiæ guttas, ad Inferna deſcendere; pauciſſimóſque in æthera ſuſtolli: plurimos etiam ex Minoribus, ac cæterorum Religioſorum Ordinibus, qui Regulari obſeruãtiæ minimè ſtuduerãt; in Tartara mergi. Quamobrem, cùm id velut Cæleſte Dei oraculum accepiſſet; quo ad perfectam Regulæ obſeruantiam ſeipſum trãsferret; protinus ad Capucinos aufugit; inter quos eam vitæ rationem inſtituit, quæ vniuerſos in ſui admirationem compelleret. Crebra enim panis, & aquæ ieiunia, parciſſimus ſomnus prolixiores vigiliæ, carnis macerationes, auſteriſſimus denique corporis cultus: quem tum ad vitia edomanda, tum etiam ad mentem, ad cæleſtium contemplationem aptandam, ſibi conſciuerat; adeò ipſius carnem exederant: vt extremam ferè illi maciem conciliaſſent. Verùm quò magis caro ieiuniis, atque aſperitatibus conficiebatur; eò lautius mens in Oratione; ac rerum diuinarum meditatione epulabatur, & pingueſcebat: quarum cùm ſtudio ita accenderetur: vt omne, & ſedens, & ſtans, & ambulans, ac negotia gerens, tempus Orationi daret. Hinc perinde ac ſi tota illius in Cælo conuerſatio eſſet, eò ſemper oculis ſpectabat, quò mens fixa cogitatione ferebatur.

*Ipſius virtutes attinguntur.*

VI. Quamobrem pius Dominus, qui ardentiori ſuorum charitate maximè delectatur; feruentiora hæc Pacifici ſtudia, cœleſtium reuelationum dono proſequebatur. Etenim cùm Eugubij aliquando Guardianus eſſet: in ipſa Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis ſolemnitate; dum poſt Matutinas horas in Eccleſia attentiùs orat: Immaculatam Virginem, maximam ex ſe Cæleſtium odorum fragrantiam effundentem, è Cælo dilabi conſpicit: quo tempore Sacriſta, qui vt Altaria, ob diei ſolemnitatem, decentius exornaret, ante alios conſurrexerat: cùm Eccleſiam ingreſſus, eam inſolito, ac ſuauiſſimo odore fragrantem perciperet; eo maximè admirabatur: atque vnde tanta illa odoris ſuauitas emanaret, ignorans, Pacificum orantem adit: ab eoque tantæ ſuaueolentiæ cauſam ſciſcitatur. Cui Pacificus: Ne mirêre, ait, Non eſt hic aromatũ, ac timiamatis, quæ apud nos oriuntur, mortalis odor: è Cælo hæc aromata prodiêre. Veruntamen digito labellum compeſce, & audita contine: Nuper huc Cælorum Regina deſcendit: cumq; pleráque ad ſuam ipſius dignitatem ſpectantia, quæ antea ignoraueram, indignum Myſteria docuiſſet; illud inter alia explicauit. Se in primo ſuæ Conceptionis articulo, ab omni prorſus originalis peccati labe, Dei gratia, immunem fuiſſe: Cuius rei teſtimonium eſt, hæc ſuauiſſima odoris fragrantia. Vitam denique cùm Sanctus hic Vir, ad extremos vſque canos

*B. Virgo Pacifico ſe ab originali peccato immunem affirmat*

magna cum ſanctimoniæ laude perduxiſſet, eam quoq; Sanctorum fine concluſit.

*F. VICTORIS Bergomenſis, Vita & Geſta.*

VII. Poſt hunc, ex Mediolanenſi Prouincia, hoc anno, ad Superos (vti piè credimus) concedit Frater Victor Bergomas, Laïcus, Vir Regularis obſeruantiæ ſplendore, ac omnium virtutum genere ornatiſſimus: qui cùm orationi, ac rerum Cæleſtium contemplationi potiſſimùm ſtuderet; ſæpè viſus eſt, ex conſortio ſermonis Dei, Cæleſti luce inter orandum circumfuſus. Huius tam ſingularis fuit erga inimicos dilectio; vt cùm Virum quendam in ſæculo, qui capitali odio ſuos proſequebatur, ſibi infenſiſſimum hoſtem haberet: pro eo lachrymas apud Deum fundere nunquam deſtiterit; donec eundem diuina clementia è Diaboli faucibus ereptum, ad Capucinorum Religionem compelleret: quem etiam, poſt hæc, extremo conflictu cum morte colluctantem, tam ardenti dilectione proſecutus eſt; vt Deum his verbis ex vehementiori charitate hauſtis, deprecatus fuerit: Domine, pro antiqua inimicitia, quam olim hic mecum geſſit, ac pro tot illatis perſecutionibus, precor, vt ſingulare aliquod gratiæ donum morienti rependas. Dominus verò eidem in oratione apparens, tam gratam eam ſibi orationem fuiſſe declarauit; vt morienti Fratri ob id culpas omnes condonauerit; atque in æternam illum ſalutem receperit. Quaproptér defuncti illius Fratris anima, cùm Victori poſt mortem apparuiſſet; gratias illi, pro oblatis ad Deum pro ſe precibus, immenſas retulit. Verùm cùm hæc ipſa Fratris defuncti anima Purgatoriis pœnis detineretur; ſimul cum alia Victori oranti apparet: atque hæc quidem ignẽ in ſinu geſtare, illa verò in luto, ad medium vſque corpus, ſepulta videbatur. Cumque ſimul animæ colloquentes; illa hanc his verbis compellaret: En adeſt, quid moramur, quò minùs illius opem apud Deum flagitemus: reſpondet iſta: Iam nullo alio opus eſt, noſtra ipſi præſentia innotuit: ſat eſt. Opus proculdubio præſtabit: ac ſimul ſtatim ex ipſius ſe aſpectu ſubtrahunt. Is verò, cùm ærumnoſum earum animarum ſtatum eſſe, ex eorum verbis, & facto didiciſſet; tandiu pro iis Deo orationes obtulit; donec à pœnis ſolutas, liberè ad Cælos euolaſſe intelligeret.

*Inter orandũ Cæleſti luce circumfuſus cernitur.*

*Pro inimico orans à Domino commendatur.*

*Defunctorũ animæ ab eo ſuffragia quærunt.*

VIII. At verò cùm Dei Seruus Inimicos ex animo diligeret, cunctoſque ſibi amicos haberet; proprium duntaxat corpus acri odio proſequebatur, & cum eo irreconciliabiles inimicitias gerebat: hinc cùm neceſſarius ſomnus vrgeret, haud aliud, quàm nudæ tabulæ, ligno capiti ſuppoſito, illi lectum ſternebant. Reliqua omnia, quibus durè illud exciperet, lecto reſpondebant. Aſſiduo verò orationis ſtudio, eam ſibi mentis abſtractionem comparauerat; vt vix inter homines eſſe, ac verſari videretur. Hinc plurimæ illi à Dæmone inſidiæ tendebantur. Semel Satan cùm ſe illi, ſub Phyſici ſpecie, veſte villoſa viridis coloris amictus, ſpectandum præbuiſſet; hæc ad eum fatur. Quid agis miſer? Cur tot fruſtrà labores exantlas? Neque enim, quam tibi præſtituis, gloriam, vlla vi aut labore aſſequi vnquam poteris: cùm te Damnatorum turba expectet, cui diuino iam pridem Decreto copularis. Cui Victor. Id fortè (inquit) perſuaderes; Peſſime Dæmon, niſi te iamdudum fallentiſſimum hoſtem, ac mẽdacij Patrem agnoſcerem. Sed quis te, ô nequiſſimè, hæc ignorantem docuit? Quis cæleſte hoc tibi conſilium, quod inter abſcondita Dei arcana latet, Dei inimico aperuit? Hæc talaris Phiſici veſtis, qua dolos contegis, ac mendacia pro veritate propinas: te Medicum potiùs, licet animarum interfectorem, quàm diuinorum conſiliorum Angelum oſtendit: Quid igitur, ô Tartarea Cornix, furtiuis te cæleſtium pennis exornas? ac diuinæ Sapientiæ interpretem oſtentas? At eſto: Damnandus ſim, atque è vitæ libro delendus: quandoquidem Deum meum mortuus haud laudare potero, ſaltem quandiu ſuperſtes ſum, meipſum ad Dei laudes prouocabo: ſtatimque aſſumpto flagello, diutiùs in Dominicæ Paſſionis memoriam ſe verberibus cædere, ac diuinas laudes illis Prophetæ verbis decantare cœpit: *Lauda, anima mea, Dominum: Laudabo Dominum in vita mea; pſallam Deo meo quandiu fuero.* Dæmon verò acriùs ab eo flagellatus, mox illis vocibus aufugit.

*Dæmonem, illum damnatum aſſerentem expellit.*

Hunc



*Prophetiæ dono præcellit.*

IX. Hunc Dei Seruum, Prophetiæ donũm, quo futura prædiceret, à Deo cõſecutum fuiſſe, nõnulla, quæ ſequuntur, exempla demõſtrant. Virginem quandam, Catharinam nomine, vanis, ac ſuperfluis capitis ornamentis luxuriantem, Baretij (quod eſt Agri Mediolanenſis Oppidum non ignobile) aliquando obuiam habuit: quam cùm ſeueriùs reprehendiſſet, fore tandem prædixit; vt breui illis cum Mundo abiectis, virginitatem ſuam Domino voueret. Huius conſilij necdum illa cogitationem, eo tempore, animo conceperat: at paulò poſt; cùm Vir Dei Virginum Congregationem in eodem Oppido, ſub titulo S. Vrſulæ fundandam curaſſet: vehementiùs illa à Domino vocata; vbi propriam domum, ac ſuas omnes opes, ad Collegij conſtructionem contulit, ſeipſam quoque inter primas, in eo Collegio, Deo viuentem hoſtiam immolauit.

*Puella cœlibatum prænunciat.*

X. Aliud quoque huius rei teſtimonium fuit, olim memoriæ traditum. Cùm enim Vir Dei, in Conuentu Baretij, ſupremum iam ſpiritum ageret: corporis viribus, quibus deſtitutus erat, repentè inſtauratis, confeſtim Nuncium ad Paulum Vicecomitem, illuſtriſſimum Virum, ac plurimùm de Religione benemeritum, mittit. Eumque, quaſi de grauiſſimis rebus cum eo ante obitum illi agendum ſit; quam primùm ad ſe venire curat. Erat Paulus Victori familiaris; qui cùm Nuncium accepiſſet, feſtinus ad Victorem conuolat. Cui Victor: Accerſiui, inquit, te, Paule, vt & Domini clementiam, & Beati Patris Franciſci opem tibi propitiam aperiam. Iam æterni interitus in Dei iudicio ſentent iam tuleras: neque vlla tibi, ob patrata ſcelera, ſalutis ſpes apud Deum reliqua erat: at Beati Patris Franciſci merita, quem ſingulari ſemper deuotione proſecutus es, copioſæque in Capucinorum Religionem eleemoſynæ, abs te effuſæ, pro te ad Deum clamarunt; ab eoque pœnitentiæ ſpatium tibi impetrarunt: quare ne differ illa, atque illa peccata (quorum ſpeciem, numerum, & indiuidua tunc illi adamuſſim recenſuit) Sacerdoti quamprimùm integrè confiteri: ne tibi Dei ira, ac vindicta pœnitentiæ tempus intercipiat. Tum ei totum illius vitæ curſum ante oculos poſuit; arcanáque tot illi delicta patefecit, vt exterritus ille confeſtim ad Sacerdotem confugerit: integrámque peccatorum ſuorum confeſſionem præſtiterit. Vix autem hæc Victor, quæ diuinitus acceperat, Paulo declarauit; cùm extemplò iterum viribus omnibus exhauſtus, atque in placidum ſoporem reſolutus, Deo animam reddidit.

*Occulta peccata Nobili detegit, & ad pœnitentiam prouocat.*

*Baretij diem extremum obit.*

*F. IACOBI à Nurſia, Vita, & geſta.*

XI. Supremum quoque diem hoc anno, Aeſij, in Picenti Prouincia, obiit Frater Iacobus à Nurſia, Laïcus, eximiæ puritatis, ſimplicitatis, ac obedientiæ Vir: qui tametſi necdum ſextum in Religione annum attigiſſet, virtute tamen quamplurimos expleuerat. Ipſius charitas, ac ſimplicitas in eo potiſſimùm enituit. Quòd cùm Fratri Cornelio Vrbinati, Aeſij ægrotanti, Iacobus ſolita ægrotis obſequia præſtaret, ad Iacobum Cornelius: Cernis, ait, Iacobe, qua ciborum inappetentia laborem: vellem, vt auiculam arte aliqua in nemore apprehenderes, ac mihi in cibum parares. Cui Iacobus: Promptiſſimè, ait, id præſtabo, Pater: confeſtimque ad nemus pergens, cùm nec decipulam, nec tendiculam haberet, qua aues caperet, coram lignea Cruce, quæ in arboris trunco erecta erat, genuflectens, Dominum orare cœpit; vt de ſuæ liberalitatis penu auiculam ægroto prouideret. Nec dum ab oratione ſurrexerat Iacobus, cùm repentè auem volantem, atque in infimo arboris ramo quieſcentem cernit. Nititur Iacobus Auem apprehendere: ſed cùm altiùs ille arboris ramus emineret, quàm is manu auem attingere poſſet: ſaxa quædam grandia per nemus diſperſa congregat; alterum alteri imponit; ſtrepitus edit, qui volucrem ad fugam compellere poſſet: expectat tamen auis, ac ramo incubat; donec eam Iacobus manu apprehendens ad ægrotum deferat. Aderat tunc cum ægroto Hieronymus à Pædona, eiuſdem Conuentus Guardianus; qui auem nullo morbo, aut impedimento affectam videns, quò minus euolare poſſet: rem diuinæ virtuti tribuit, quæ Iacobi charitatem, ac ſimplicitatem commẽdare voluit. Verũ ne Iacobi

*Auiculam ægrotanti ſua oratione impetrat.*



animus

animus diuino facto intumeſceret, acriter illum obiurgat, pœnitentiámque quaſi pro delicto iniungit, quòd auem nulla impetrata Superioris facultate cœperit. Hæc quippe antiqua apud nos conſuetudo viget, vt ad effugandum vanæ gloriæ, ac complacentiæ vitium, quo facilè, Iuniorum præſertim mens, exulcerari poteſt; atque ad maiorem virtutis profectum prouocandum, ea quoque quæ ab iis rectè fiunt, grauiori cenſura perſtringantur.

*Obitum ſuũ prædicit.*

XII. Poſtremò, cùm ad vltimam vitæ periodum perueniſſet: prandij tempus erat; cùm Iacobus Guardianum cum reliquis in Refectorio diſcumbentem, velut extremum vale dicturus per Fratrem cuſtodem accerſit: Guardianus verò, cùm necdum de illius morte metueret, ſe ſtatim à refectione iturum, reſpondet: at ille remiſſo nuntio: Breue, inquit, tempus eſt, vrget Dominus, nec refectionis finem expectabit. Confeſtim intermiſſo prandio, Guardianus cum reliquis ad ægrotum ſe confert; quem cùm humi iacentem, in eaque extremum ſpiritum reddere peroptantem conſpexiſſet, in lectum referri iubet; ab eoque, quid quærat, expoſtulat. Cui Iacobus: Nunquam, ait, abſque Superioris mei benedictione iter ſuſcepi: nunc porrò cùm ſupremum iter ad Deum aggreſſurus ſim, tuam, Pater, benedictionem ſupplex efflagito. Cui Guardianus: Nondum, inquit, profectionis tempus eſt, nec te Dei vox ad iter compellit, longior adhuc tibi vita ſupereſt. At Iacobus: Breuiſſimus, ait, mihi halitus eſt. Deique vocem me vocantem audio: quæſo, Pater, ne me tua benedictione fruſtres. Tum ſe in genua erigens, optatam à Guardiano benedictionem accipit: moxque totus animo, ac vultu exhilaratus exclamat: O Virgo beatiſſima, ô Virgo Virginum feliciſſima, opportuna veniſti: En adeſt; en adeſt inclyta Cælorum Regina, ad æterna me præmia vocans. His in verbis Iacobus à Deo, hominibúſque benedictus, ſpiritum ad Dominum profecturum exhalat.

*B. Virginem in morte videt.*

XIII. Ad horum numerum accedit hoc ipſo anno, ex Neapolitana Prouincia, Frater Bartholomæus Gallus, Sacerdos: qui aliquandiu in ea Magiſtri Nouitiorum munere functus, quamplurimos Religioni perfectos Regulæ cultores, ſua virtute, conſilio, ac exemplo peperit. Vir enim fuit profundiſſimæ humilitatis, ac perpetuæ orationis; cuius ſingularem apud Deum ſanctimoniam, perfectiſſima Regulæ obſeruantia, vitaque præclaris virtutibus exornata teſtantur; quam etiam Deus præclaro poſt mortem teſtimonio declarare voluit. Cùm enim in Conuentu Beneuenti, in quo is inter viuos agere deſiit; ſepulchrum nondum effoſſum fuiſſet; defuncti corpus humi ſub aquæ benedictæ pila conditum fuit. Sed poſt annum extructo ſepulchro, dum illius oſſa in illud inferenda quæruntur, integrum illius corpus, ac tam incorruptum à Fratribus reperitur; perinde ac ſi ea die ab humanis deceſſiſſet. Tam ſuauis præterea ex eo odor effundi cœpit; vt facilè perſpici poſſet, diuina hæc illius ſanctitatis, ac regnantis apud Deum ſpiritus argumenta eſſe.

*Fr. Bartholomæus Gallus Sanctimonia clarus.*

*Poſt mortem ſuauem odorem efflat.*

XIV. His quintus hoc anno ſuccedit, ex Bononienſi Prouincia, Frater Laurentius à Funiano Concionator: qui tum prudentia, tum vitæ ſanctimonia inſignis, per aliquot annos in Bononienſi Prouincia, Vicarij Prouincialis munus exercuit: de quo illuſtre illud veri Paſtoris teſtimonium refertur. Cùm enim quidam illius Prouinciæ Frater, tam mala apud Fratres fama laboraret; vt eum Conuentuum Superiores, velut cæterorum peſtem reſpuerent: nulluſque ob Viri improbitatem iam eſſet, qui inter ſuæ Familiæ Fratres illum adnumeratum vellet. Hunc Laurentius accitum ita alloquitur: Fili, eò animi tui improbitas excreuit; vt nullis hactenus, neque ſuauibus, neque aſperis vnquam adduci potueris, quò deprauatos mores, quibus te ipſum, ac Religionem contaminas, corrigeres; aut vitam in meliùs commutares: En te omnes tanquam Religionis luem fugiunt; nec iam domus vlla, aut Superior eſt, qui vitia tua, ac ſordidæ vitæ cõuerſationem ferre queat: quod te ſaltem pudore ſuffundere, atq; à malo reuocare deberet. Quid? Num & ego tui curam agere renuam? Aut inter quiſquilias abijciam? At mea

*FR. LAVRENTII à Funiano, Vita, & Geſta.*

*Præclarum Paſtoris exẽplum præbet.*





(tametſi morboſa) pecus es, ac meæ fidei commiſſa: te igitur, cùm te omnes abijciunt, mihi aſſumam, ac velut languidam ouem meis humeris imponam. Nullus te Conuentus capiet, mecum eris; & quæcunque per loca perrexero; tu quoque mecum perges. Hoc pacto cùm eum inter Socios adnumeraſſet; tantùm illi hortationibus, ac ſuis vitæ exemplis profuit: vt breui illum ad meliorem frugem perduxerit: præclarúmque Superioribus exemplum reliquerit, qua prudentia languidas interdum ſui gregis oues curare debeant. At verò cùm non ſolùm prudentiæ, ſed & cæterarum virtutum in eõ exempla nitereпt. Illud tamen inſigne præ cæteris caſtimoniæ teſtimonium effulſit.

XV. Cùm enim Foroliuij, in Cathedrali illius Vrbis Eccleſia, Dei Verbum, quadrageſimali tempore diſſeminaret: acriúſque in effœminatos, ac venereis addictos, quibus eâ Vrbs maximè eo tempore contaminabatur; pro ſuggeſtu inueheretur: nonnulli Iuuenes, quibus illud vitium commune, ac familiare erat; Virum experiri; & num quæ verbis inſectabatur, reuera exhorreret, probare ſtatuunt. Quamobrem, ſuadente luxuriæ Patre, inter ſe condicunt; vt impudicum ſcortum clàm in ipſius cubiculum nocturno tempore immittant: ingenſque illi pretium, modò eum ad turpia alliciat, pollicentur. Studiis vacabat Laurentius: cùm nocte petulans, ac impudica mulier, clam cubiculum ingreſſa, hominem variis artibus ad turpia pellicit. At caſtitatis amator, vt & inhoneſtæ mulieris impudicitiam cohiberet, & carnis ſenſum in ſeipſo extingueret: nequicquam loco motus, digito flammæ, quæ in lucerna ardebat, admoto, tandiu in ea immotum tenuit; donec digiti carne defluente, mulier aſpectu horreſceret, ac factum admirata, compunctáque diſcederet. Quod cùm illa iis, qui rei exitum expectabant, retuliſſet; animo confuſi, Viri virtutem vel inuiti commendarunt. Res verò confeſtim per totam Vrbem diffuſa, ſolidam illi apud omnes laudem comparat, dum non verboſam, ſed operoſam Viro virtutem, ac ſanctimoniam ineſſe facto conſpiciunt.

*Eximium illius caſtitatis exemplũ enarratur.*

XVI. Denique cùm vitam præclariſſimis virtutibus ornatam, magna cum ſanctimoniæ fama, vſque ad ſenectutem perduxiſſet: nonnulláque viuens miracula diuina virtute edidiſſet; Bononiæ corruptibile corporis indumentum depoſuit, vt incorruptum acciperet. Ipſius verò obitus fama per Vrbem diſperſa, mox plurima populorum turba ad eum venerandum confluxit; tamque ingens apud omnes percrebuit illius ſanctitatis opinio: vt cùm Tunicam, qua tegebatur, quiſque præſcinderet, vt ex ea ſibi particulam vendicaret: Altera bis, ac ter eum indui opus fuerit. Eo itaque ſepulto, plurimi illius apud Deum merita implorantes, varias morborum curationes accipiunt: quarum illud non obſcurum teſtimonium fuit: Quòd plerique claudi, ac neruis attracti, ipſius ſuffragio curati, alares ferulas ad ipſius ſepulchrum attulêre. Inter alios verò, quidam ex Campanatiorum eiuſdem Vrbis Familia; qui inteſtinis defluentibus hernia laborabat: cùm Laurentij iam defuncti opem ſibi ad incolumitatem deprecatus eſſet; mox tuniculis conſolidatis, integram à Deo ſanitatem conſecutus eſt. Denique cùm is poſt obitum Fr. Iuliano Funianenſi Sacerdoti apparuiſſet; æterna ſe à Deo corona donatum affirmat: tametſi ob quaſdam B. Virginis Icones, quas dum Vicarij Prouincialis munere fungeretur, fieri iuſſerat; nonnihil in morte moleſtiæ paſſus fuiſſet.

*Bononiæ ad Deum migrat.*

*Pleræq; poſt mortem Miracula edit.*

XVII. Sextus poſt hos, Frater Petrus à Ciuitate Ducali, Vrbe Samnitum, Concionator, mortalis vitæ in Romana Prouincia curſum, haud ſine multarum virtutum ſplẽdore conficit. Hic ex Canonico Cathedralis Eccleſiæ eiuſdem Vrbis, vel vt aliis placet, ex Min. Obſeruantiũ Familia, ad Capucinorũ Cõgregationẽ à Deo vocatus, maximis in ea virtutibus floruit. Abſtinẽtia, vigiliis, ſolitudine, corporis maceratione, ac oratione planè illuſtris fuit: plurima quoq; cum prudentia, ac cõſilio prçcelleret; Ordinis aliquãdo Procurator, ac Romanę Prouincię ſæpè Prouincialis Vicarius

*F. PETRI à Ciuitate Ducali, Vita & Geſta.*

electus, eam præclarè, ac magno cum Regularis obſeruantiæ incremento adminiſtrauit. Nouitiorum identidem curæ, ac Magiſterio per aliquot annos Præfectus; plurimis, ad perfectam ſpiritualis vitæ Regulam, quam verbis, ac ſanctioris vitæ exemplis Tyronum animis inſtillabat; vberiori tum illius Prouinciæ, tum Religionis vtilitate, Dux fuit. Neque id immeritò. Nihil enim in ipſius moribus indecorum, nihil reprehenſibile erat; ſed ita grauia, ita compoſita, ita moderata omnia conſpiciebantur: vt ad omnem virtutis modum, ac rationem factus videretur.

*A Deo multis Corporis afflictionibus probatur.*

Hunc tandem Deus Opt. Max. vt ſibi acceptum eſſe oſtenderet, per omnia tentatum probat; & quaſi domeſtico Martyrio coronatum, ex hac luce euocare voluit: tot enim corporis incommodis poſt hæc afflictatus fuit; vt vndique illi tumores in membris exurgerent; putredinis fontes aperirentur; & corpus fiſtulis vndique erumpentibus ſcateret: quæ omnia cùm incredibili animi patientia, & conſtantia toleraret; haud tamen ab his corporis auſteritatibus, quas incolumis, ac beneualens exercere conſueuerat, animum vnquam auocare voluit. Quotidiana enim ieiunia, & B. P. Franciſci Quadrageſimas; eaſque, vt plurimùm, præterquàm panis, & aquæ, rerum omnium abſtinentia pingues; perinde ac ſi incolumis eſſet, tam ſeuera lege obſeruabat; vt cùm Noſocomij Præfectus, ſerotinam comeſtionem, ad virium imbecillitatem inſtaurandam, illi neceſſariam eſſe perſuaderet: nunquam tamen adduci potuerit; vt ad qualemcunque virium reſtitutionem, conſueta ieiunia infringeret. Quamobrem haud leuis, tunc inter Fratres dubitatio oritur, Num Petrus eo ieiunio rectè vti poſſet; ex quo illius ſalutis detrimentum emergeret. Aderat Romæ eo tempore Bernardinus Aſtenſis, Generalis Ordinis apud Romanam Curiam Procurator; quem Noſocomij Præfectus de hac re diligentiùs conſulit. Is verò, re accuratiùs apud ſe diſcuſſa, reſpondet; Petrum nullatenus ad eam refectionem inuitum compelli debere; ea præſertim ratione: quòd iampridem huiuſmodi ieiunio aſſueto, ob illius conſuetudinem, quæ pro natura inoleuerat, veſpertina illa comeſtio potiùs obfutura, quàm profutura eſſet. At neque (ait) ea illi abſtinentia nocet, quam non ad vitæ, aut incolumitatis diminutionem, ſed ad carnis mortificationem, præſertim ex Dei amore profectam, inſtituit. Etenim nonnullus in ieiuniis, ac aliis carnis afflictionibus exceſſus; cùm ex diuina charitate potiſſimùm manat: tametſi corporis incolumitatem minuat, ac vitam breuiorem præſtet; haud propterea damnandus eſt: cùm B. P. Franciſcum, alioſque quamplurimos, præſtantiſſimæ vitæ homines, corporis incolumitatem, ob vitæ auſteritates, contempſiſſe certum ſit: quæ Angelici Doctoris, ac multorum aliorum doctrina eſt, vbique paſſim recepta. Hic denique, cùm triginta annorum curriculum, in Religione, magna cum vitæ auſteritate, ac ſanctimoniæ fama, indefeſſa virtute, legitimè conſummaſſet: Romæ defunctus eſt, multis in vita, & poſt mortem miraculis clarus: quorum cùm diſtincta, ac certa apud noſtra M. S. probatio non habeatur; ea hoc loco minimè commemoranda duxi. XVIII.

*Ipſius inter grauia Corporis incommoda auſteritas.*

*De Corporis auſteritatibus doctrina explicatur.*

D. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 1. Caiet. ibid.

## *FR. HIERONYMI A FOROLIVIO,*
### *Vita, & Geſta.*

*F. Hieronymus à Foroliuio à puero ſanctitatis præludia praefert.*

XIX. Septimum tandem, inter Priores, locum ſub huius anni finem ſibi vendicat, Frater Hieronymus à Foroliuio, Sacerdos, Bononienſis Prouinciæ, ex nobili Tarellorum Familia ortus. Hunc ex matris vtero ſegregatum, & in partem ſortis Sanctorum, ſecundùm propoſitum à Deo vocatū fuiſſe; præclara Sanctitatis præludia, quæ in ipſa ineūte ætate præfulſerūt, facilè declarāt. Tanta enim, à teneris annis, rerum cæleſtium cupiditate teneri cœpit; vt quæ puerorū ſunt, faſtidiēs; nihil præterquàm diuina appetere videretur. Puerulus, alterius Nicolai inſtar, ter in hebdomada; quarta nimirum, & Sexta feria, Sabbatho adiuncto, tam arcta abſti-





nentiæ lege ſibi ieiunandum præſtituit; vt ſæpè præter panem, & aquam nihil iis diebus ſibi ad victum adhiberet. Cumque necdum caro blanditias, ac illecebras perſuaderet; ipſa carnis ſemina nondum exorta, ne pullularent, abſtinentia præfocabat. Gratioſus puer, vix quartum, aut quintum annum attigerat; cùm Beatiſſimæ Virginis deuotionem tam altè ſibi animo inſculpſit; vt ad eam velut ad matris gremium tener adhuc ſuſpiraret: cunctaque illius feſtorum peruigilia, in ea ætate, quæ adhuc ieiunia neſcit, perpetuo panis, & aquæ ieiunio conſecraret. Denique cùm vultu decorus, aſpectu mitis, facie verecundus, innataque oculorum modeſtia præditus eſſet, tantus in eo elucebat puritatis, ac innocentiæ ſplendor; vt nihil eo amabilius, nihil dulcius, gratioſius nihil eo quicquam ſpectari poſſet; ita vt Angelicam potiùs, quàm hominis ſpeciem præſeferret.

*Puer ter in Hebdomada ieiunat.*

*Erga B. Virginē deuotione afficitur.*

XX. Adoleſcente verò ætate, cum ea ſimul & pietas adoleſcebat. Literariis namque ſtudijs à patre addictus, incredibile eſt; quanta morum grauitate gymnaſium adiret, quàm ingenuè, quàm circumſpectè, quàm honeſtè, cum aliis condiſcipulis conuerſaretur. Vana, ac ludicra abiiciens, nihil niſi ſenile pertractabat. Cùm poſt literaria ſtudia, ad ludos, vel ſpectacula à commilitonibus prouocaretur; lepidè reſpondere ſolebat. Me iſtic expectate, donec redeam: tum domum pergens, occluſo cubiculo, flagellis corpus cædebat; & necdum Sacerdos, ſeipſum Deo Sacrificium pro iis offerebat; ne quid fortè, in diuini nominis iniuriam, ab iis in puerilibus huiuſmodis illecebris patraretur. Altari ſibi in cubiculo erecto, quod piis vndique Imaginibus ornauerat; ante illud diurnas, nocturnaſque preces cum lachrymis fundens, nihilo magis, quàm oratione, & cæleſtium contemplatione delectari videbatur: hinc frequenter, ac deuotè ad Sacramenta accedens, magis in dies mentem ad vberiora Dei dona percipienda diſponebat. Felix profectò pueritia; quæ tot ſupernorum donorum benedictione præuenta, Hieronymi agrum, velut voluntaria, ac cæleſti pluuia irrigatum, Domino parauerat: At felicior adoleſcentia fuit, quæ diuino ſemine grauida, talem, ac tam fertilem Domino virtutum ſegentem peperit; quæ in plenam aliquando meſſem, in cæleſte horreum reponendam, excreſceret.

*Pro condiſcipulis ſeipſum flagris cædit*

XXI. At his non contentus dilectus Deo, & hominibus adoleſcens; quaſi iam diuina futuræ vocationis ſemina, quæ necdum cogitatione complecti poterat, altè animo præiacta ſentiret: mollia omnia refugiens, duris tantùm, & aſperis delectari cœpit. Nocte etenim cùm ad quietem ſecederet; vbi conſueta à famulis obſequia acceperat; clauſo cubiculi oſtio, lintea, ac laneas culcitras lecto ſubtrahens; ſolaque ſtraminea culcitra contentus, in ea abſque linteis recubabat. Id verò, cùm captata omnium abſentia, tam cautè (Domino conſilia adminiſtrante) præſtaret; vt nullus id hominum aduerteret: mane ſiquidem diluculo conſurgens, lectum, vt priùs, lanea culcitra, ac linteis ſternens, nemini facti ſuſpicionem ingerebat. Accidit tamen, vt aduena aliquando, patris neceſſarius, ab eo hoſpitio exceptus, ad Hieronymi cubiculum dormiturus accederet: quem cùm Hieronymus ſomno ſepultum exiſtimaret; intempeſta nocte ſurgens, lintea abiicit, laneam è lecto culcitram auellit; ac flagello, vt ſolebat, corpuſculum cædit: quod cùm abſque ſtrepitu ab eo præſtari non poſſet; eo aduena excitatus, facilè quid ab Hieronymo fieret, animaduertēs, manè Patrem omnium certiorem reddit: cui cùm hæc diuiniora Filij ſtudia, ob id minùs grata eſſent; quòd ea quædam religioſæ vitæ præſagia eſſent; qua illum ſibi eripiendum metuebat: Idcircò vt ab iis ipſius animum reuocaret; protinùs illi proprio in cubiculo ſterni iubet. At pius Adoleſcens, tempus, ſpiritus quadam ſagacitate obſeruans, quo pater ſe ſopori dediſſet, mollia cuncta è lectulo abiiciebat. Tanto enim, iam ab eo tempore, Chriſti Crucem amore proſequebatur; vt corpuſculum inedia, flagris, ac duris crucifigere pro ſummis deliciis haberet. Id cùm Pater aliquando ſtrepitu expergefactus aduerteret, Hieronymum aſperè obiurgabat. Patri Hieronymus inter cæteros liberos, ob id potiſſimùm chariſſimus erat;

*E ſtrato mollia omnia ſubtrahit.*

quòd illum ingenio præſtantem, ac præclariſſimis naturæ donis ornatum cerneret; ex quo ſummam in eo illuſtrandi generis ſpem collocauerat: quare cùm hæc in adoleſcente religioſi animi ſigna conſpiceret, quæ illum aliquando Mundo ereptum, ad Sacra compellerent; ea ille moleſtè ferebat. Hinc vt illius mentem à diuinorum occupatione auocaret, ac Mundanis rebus afficeret, holoſericis, ac pretioſis veſtibus indutum in publicum prodire iubet. Sæpè etiam in agreſtem, atque amœnam domum, quam ſibi in Colle extra Vrbem ædificauerat, miſſum, venationi operam dare, ac feras inſectari mandat.

*Pater Hieronymum à diuinis rebus auocare nititur.*

Paternis iuſſis obtemperat Hieronymus: in Villam pergit, feras inſequitur: ſed cùm ab his ipſius mens, vtpotè ad diuiniora euocata, diſſuta eſſet: inde fiebat, vt is neque eorum cupiditate teneri, neque vllam ex his voluptatem capere valeret: quapropter cùm ſemel lepores inſequens, Venatores ob venaticæ prædæ fugam, impiè in diuini nominis blaſphemias erumpentes audiſſet; horreſcens animo pius adoleſcens protinus cane venatico, ac venatione relicta, Foroliuium redit; ac re Patri narrata, ab eo ſummis precibus impetrat; ne deinceps ad venationem compellatur. Cæterùm incredibilis Adoleſcenti inerat ad omnium artium diſciplinam capeſcendam facilitas: Cùm enim præſtantiori ingenio præditus eſſet; tantùm in humanioribus, ac Philoſophicis ſtudiis, breui tempore profecit; vt cùm quartumdecimum tantùm annum attigiſſet, de iis aptè diſſerere, ac diſceptare valeret. Cuncti adoleſcentis ingenium, ac pietatem admirabantur; ac velut prodigio ſtupentes, in eo quicquam humano præſtantiùs intuebantur: adeò vt Minorum Obſeruantium Generalis Miniſter, qui Monelia nuncupabatur, cùm adoleſcentis ingenium ſubodoraſſet, eumque in Academia diſputantem audiiſſet: tanta illum, ob ingenij præſtantiam, & excellentis animi vim, amore complexus fuerit: vt protinus illum inter primos ſuæ Religionis Patres, euecturum polliceretur; ſi in Minorum Obſeruantium Ordinem conſcribi vellet. Cui Hieronymus vrbanè. Hæc tuorum me, Pater, promiſſorum magnitudo terret. Neque enim is ſum, qui tam graue honoris pondus ſiue animo capere, ſiue humeris ferre queam. At his quoque maximè reluctatur animus: qui neque honorum gradibus mouetur, neque vlla hactenus Dei vocatione ad Obſeruantium Religionem compellitur. XXII.

*Hieronymus audita blaſphemia à venatione aufugit.*

*Ingenio præſtat.*

Egregius itaque Adoleſcens, cùm præclariſſimis hiſce, tum naturæ, tum gratiæ donis commendatiſſimus, ad quintum, vel ſextumdecimum ætatis annum perueniſſet: neque tutum ſibi cum ſæculi deliciis, ac voluptatibus; quas velut Chriſtianæ, honeſtæque vitæ peſtes, hactenus ſummo ſtudio deuitauerat, domicilium eſſe exiſtimaret: in eum ſe Religionis ſtatum transferre cogitat; in quo perpetua Crucis mortificatio, vniuerſas carnis, ac Mundi cupiditates pelleret; Chriſtúmque illi propiùs imitandum præberet. Hoc ſecum inito conſilio, cùm ſemel in Capucinos Fratres; qui non pridem Foroliuij extra Vrbem Monaſterium extruxerant, oculos conieciſſet: protinus, Deo igniculos excitante, in eius iuſtituti formam ita animo exarſit: vt nulla vitæ aſperitate, nullo veſtium rigore, nulla pedum nuditate, nullo tandem auſteritatum genere; quæ illi à Fratribus obijciebantur; à concepto mentis propoſito deterreri vnquam potuerit. Enimuerò Fratres, vt Adoleſcentis animum tentent, in dies illi aſperiora proponunt, perpetuo carnis martyrio exterrent, acriora Tartarei hoſtis bella, impetus, tentationes aperiũt; arduum, ac difficile opus extollunt, necdum ætati tolerabile: ſæpè etiam poſtulantem reijciũt, pellunt, increpant, vt illius conſtantiam probent. At verò cùm tot modis probatum, ſemper conſtantiorem offenderent; Prouincialis tandem Vicarius eum in Nouitiorum numerum adſcribit. Hieronymus verò, cùm Patrem, quem ſæpe propoſiti ſui aduerſarium probauerat, ſibi aſperiorem, ac infenſiorem timeret; à Prouinciali impetrat, vt eo inconſulto, longiùs à Foroliuij Vrbe, ad probationis annum agendum, deſtinetur. Fauentiam itaque profectus, ibi Religionis tyrocinium admirabili virtute inſtituit. Interea Pater, vbi Hieronymum, vbique diligentiſſimè XXIII.

*Ad Capucinos tranſuolat.*

*Hieronymi Pater Capucinos acriter proſequitur.*





conquiſitum, ad Capucinos declinaſſe audit; haud facilè verbis declarari poteſt, quàm rem acerbè tulerit, quantoque in Capucinos odio protinus efferbuerit. Inſaniebat præ furore Vir illuſtris: minaſque in Capucinos iactans, tanto in eos iracundiæ æſtu concitabatur; vt cùm eo tempore in Franciſcum à Funiano, Ordinis Concionatorem, fortè incidiſſet, multis eum iniuriis affectum, colapho etiam aggreſſus fuerit.

XXIV. Hieronymus igitur Capucinorum gremio exceptus, mox velut Domini hortulus, tot cœpit virtutibus florere; vt vndique diuinos humilitatis, obedientiæ, paupertatis ſuiipſius contempus, propriæ abnegationis, patientiæ, charitatis, ac cæterarum virtutum ex ſe odores efflaret. Vita auſteriſſimus erat: Nam priori trium dierum ieiunio, quod à puero inſtituerat; quotidianam ferè abſtinentiam addidit: quàm cilicio, flagellis, vigiliis, atque aliis auſterioris vitæ aſperitatibus inſuauiorem reddebat. Rudi quoque, ac ſola tunica contentus, inter brumæ algores, vehementiores diuinæ charitatis flammas, quibus caleſieret; haud alio præterquam aſſiduæ orationis, ac perpetuæ cuiuſdam in Deum adſpirationis flatu, in animo excitabat. Honeſtatis, ac pudicitiæ tam integer ſemper cuſtos fuit; vt virginitatem, quam in Religionis ingreſſu cum pudore comitem habuit, puram, ac illibatam, vſque ad mortem ſeruauerit. Nihil tandem eo conſpiciebatur honeſtius, nihil humilius, purius nihil, ac Angelis ſimilius: ita vt cæleſtem potiùs quàm humanam quandam vitæ rationem, inter homines agere videretur. Quanquam verò elegantiori forma, ac mira oris, ac vultus dignitate à natura præditus eſſet: Religionis tamen habitus, cum virtute coniunctus, eã illi venuſtatem, ac ſplendorem comparauerat; vt cùm interdum per Vrbem incederet; certatim omnes illum intueri cuperent. In eo tamen honeſtiſſimus Iuuenis, tam modeſtè, ac tanta ſenſuum mortificatione ſeipſum gerebat; vt luminibus in terram defixis, nullius vnquam faciem intueretur. Expleto itaque annuæ probationis tempore, cùm Hieronymus inter Ordinis profeſſos adnumeratus eſſet; maiora, ac præſtantiora virtutum ſtudia auſpicatus, nihil operis, aut laboris prætermittebat; quo ſe Minoris Capucini nomine dignum præſtaret. Rerum omnium altiſſimam pauperiem; quam amantiſſimam Chriſti ſponſam, ac Religionis gemmam eſſe non ignorabat; tam ardenti ſibi amore copulauit, vt præter Chriſtum nihil ſibi habendum putaret: vniuerſaque ita perfectè contemneret; vt ea ipſa, ſine quibus hominum vita ſtare, ac honeſtè duci non poteſt; grauia illi, ac onerosa viderentur. Nouerat ſiquidem terrena omnia animi compedes eſſe, quibus alligatur; hominemque à rerum plurimarum curis ſolutum, quo paucioribus in hoc Mundo vtitur, eò propriùs ad Angelorum vitam accedere: quo fiebat, vt iuxta Apoſtoli conſilium, in Religionis palæſtra; in qua certo aduersùs ſpirituales nequitias agone contenditur, ab omnibus, quibus honeſtè poterat, abſtineret. Obedientia verò, qua, quod in homine liberum, ac herile eſt, homini Dei cauſa ſubiicitur; ita Hieronymo amica erat: vt nihil illi magis, quàm cæteris parere iucundum eſſet. Legem ipſius obedientia neſciebat: terminis non arctabatur; nec contenta profeſſionis anguſtiis, largiori voluntate in charitatis latitudinem ferebatur: qua ita cunctis ſibi obtemperandum perſuaſerat; quaſi omnes ſibi Superiores haberet; vt Apoſtoli conſilium impleret, monentis, Subiectos nos eſſe oportere omni humanæ creaturæ propter Deum. Hinc perfecta quædam ex eo in omnes, ac præſertim infirmos, charitas erumpebat; quæ in cuncta cæterarum virtutum facta dilatabatur.

*Hieronymi inter Capucinos virtutes deſcribuntur.*

*Perpetuus fuit virginitatis cuſtos.*

*Omnium virtutum ſtudia amplectitur.*

*1. Pet. 2.*

XXV. Interea Hieronymi pater, qui Thomas vocabatur, ob Religioſam Filij profeſſionem, necdum animo pacatus, adhuc in Capucinos inſaniebat. Quamobrem Hieronymus impetrata à Prouinciali Vicario facultate, & benedictione; poſt tertium à profeſſione annum, vt patris iram placaret; Foroliuium profectus, ad paternam domum ſe confert: patremque in cubiculo ſcribentem intrepidus adit; ac humilibus verbis ſalutat. Cui pater: Quis es tu? Hieronymus verò. An non, pater,

*Hieronymi erga Patrem humilitas, & patientia.*

Hieronymum filium tuum agnoſcis? At protinus ille: Mentiris, inquit; Non te filium, ſed Diabolum habeo, Religioſo habitu contectum: ſtatimq; in furias actus, tam ingentem illi alapam impingit, vt eum humi impetu ruere compulerit. At Hieronymus nihil ea re commotus; mox ſe erigens ad Patris ſe pedes proiicit; ipſoſque cùm lachrymis exoſculans. Pater mi (ait) cur tantoperè exſcandeſcis? Si Põtifex ad ſua me honoraria obſequia vocaſſet; an nõ ſummo te honore affectũ exiſtimares; atque inde maximam voluptatem caperes? Iam verò cùm ſummus Pontifex Dominus noſter, è Cælo inter ſuos me familiares indignum cooptare voluit: quid eſt, quòd eo tantoperè ſtomacharis; ac te ignominia affectum putas? Quieſce tandem Pater, ac mecum Deo gratias age; qui me ex humili, & abiecta hominum Sæcularium conditione, in hunc Religionis locum euexit, quo nobilior, aut præſtantior nullus excogitari poteſt. His verbis, ac filij humilitate patris animus ita commotus fuit; vt ſedata prorſus ira, atque in tenerum amorem commutata, in filij oſcula, & amplexus rueret; illatæque contumeliæ ab eo veniã poſtulans: tanto deinceps, Deo ipſius mentem in meliorem commutante, filium, ac Religionem amore proſecutus fuerit; vt præteritam omninò maculam ampliori beneuolentiæ, ac bonorum fœnore aboleuerit. Ea quippe eſt veræ humilitatis vis, vt ipſos quoque ſuperbos, & incompoſitos animos emolliat.

*Patrem ſua humilitate placat, & Capucinis beneuolum præſtat.*

Poſthæc Hieronymus, Sacerdos inunctus; atque ad concionandi officium, poſt XXVI.
ſacrarum Literarum ſtudia aſſumptus; tanta vtrumque munus dignitate obire ſtudet, vt & ſacrorum Myſteriorum oblationem, vix vnquam abſque lachrymis perageret; & Apoſtolicum Prædicationis munus tanta ſermonis ſuauitate, & charitate adminiſtraret: vt vbere in ſemper ex eo fructum Domino referret. Maioremque proculdubio, ac abundantiorem in futurum ſibi ex eximia illius pietate, ac ſanctimonia bonorum ſegetem homines pollicerentur: niſi breui nobis ſublatum ſuprema dies Cælo purum reddidiſſet: Vix enim octauum in Religione annum attigerat; cùm aduerſa valetudine Foroliuij corripitur: qua cùm biennio afflictatus fuiſſet; tot in ea virtutum, ac præſertim patientiæ exemplis effulſit: vt cùm præter Dei laudes, nihil ex illius ore efflueret; vniuerſos ſua virtute ad ſalutis profectum inſtrueret.

*In morbum diutinum incidit.*

At verò, cùm Capucinorum Conuentus, tam longè ab Vrbe diſtaret, vt ſæpè XXVII.
neceſſaria Medicorum præſentia frui minimè poſſet: Thomas Pater, cuius animum filij cura anxiè ſollicitabat; à Prouinciali Vicario obtinet, vt filius apud ſe in Vrbe curandus tranſmigret. Id verò cùm Hieronymo, qui à propinquorum, ac domeſticorum maximè familiaritate abhorrebat, minùs gratum eſſet. Superiore tandem iubente, in domum quandam eiuſdem vrbis Hoſpitalem, in qua vtriuſque ſexus Orphani, pueri, ac puellæ diſtinctis Aediculis alebantur, ſe confert. Huic Hoſpitali Virgo quædam, Catharina nomine, iam ætate grauis, ac virtute omnibus nota præſidebat: quæ cùm ab initio Deo virginitatem vouiſſet, ſedulò ſpirituali profectui, ac charitatis operibus cum aliis in ea Domo vacabat. In hac itaque Domo, quæ virginitatis hoſpitium erat: Hieronymus Virgo, Virginibus contubernio iunctus, ſponſo illi comparari poterat; qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Etenim cùm duorum menſium ſpatio, inter hæc candida Virginitatis lilia æger decubaſſet; declinante tandem vitæ vmbra, eum inter lilia degentem ipſe quoque vitalis lucis occaſus inuenit.

*In Hoſpitalẽ domum Foroliuium defertur.*

Dum igitur in hac hoſpitali Domo ægrotus decumbit, atque à Fr. Angelo Fer- XXVIII.
rarienſi neceſſaria illi obſequia præſtantur. Hoc tempore, tam illuſtria ſanctimoniæ ſigna ab illo erumpebant; vt quamplurimi Vrbis Ciues, ac Nobiles ipſius ſanctitatis fama ducti, quotidie ad eum ventitarent, ac plerique adoleſcentes, ad ſuauem virtutum illius odorem currerent. Inter alios verò, adoleſcens quidam Ciolenſis, Petrus nomine, ad ipſum acceſſit, quem quum primùm Hieronymus intuitus eſt; mox ad eum: Petre, inquit, noſter eris: Age viriliter, vt te diuina

*Adoleſcenti Religionis ingreſſum prænunciat.*

vocatione



vocatione dignum præſtes. Hoc futuræ illius vocationis vaticinium, quam à Deo duntaxat reuelante didicerat, haud longè poſt, rei ipſius veritas ſecuta eſt. Cùm enim is, ne de Religone quidem hactenus cogitaſſet, exiguo poſt ſancti Viri obitum tempore elapſo, è ſæculi naufragio ad Religionis ſe portum recipit.

XXIX. Ingraueſcente porrò morbo; ac Viro Dei ad vitæ occaſum properante; octauo ante ipſius obitum die, dum is ad dilectiſſimi Domini occurſum animum parat, ac æſtuantibus deſideriis ad illius amplexum anhelat: En beatiſſima Cælorum Regina, clariſſima vndique luce circumfuſa, vigilanti apparet, eumquè cæleſtibus verbis ad æternæ beatitudinis præmia allicit: mortis diem, ac horam, quæ Dominica poſt die, ad veſpertinum Angelicæ Salutationis ſignum, futura erat, prænunciat; ac cæleſte illi Regnum pollicetur. Cui Hieronymus, vberioribus lachrymis perfuſus: Vnde hoc mihi, ait, ò inclyta Cælorum Regina? vnde hoc? vt Mater Domini mei, ac Domina mea, ad me miſerum veniat? Quid ego vnquam tale promerui, quo cæleſtis mihi beatitudinis corona debeatur? Hæc immenſæ, ac ineffabilis Dei mei, ac tuæ benignitatis argumenta ſunt, quæ indignum ſubleuant, ac cæleſtibus bonis accumulant. Benedictus igitur Deus, qui ex incomparabili pietatis ſuæ theſauro, inopes ditat, immeritoſque donis ſuis coronat. Et benedictum nomen Filij eius, qui facit nobiſcum miſericordiam ſuam. Benedicta tu quoque, ò omnium hominum beatiſſima, quæ ſeruulum tuum, tametſi indignum, tam cæleſti conſolatione reples. Tum verò ſeipſum ad diuinas laudes Prophetæ verbis pervrgens, addit: Iam ergo, *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui ſanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de in-*
XXX. *teritu vitam tuam: Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.*

*B. Virgo ægrotanti apparet, ac diẽ obitus prædicit.*

Pſal. 102.

Dum hæc Hieronymus cum B. Virgine, in diuinas laudes erumpens, colloquitur: Catharina, quæ ægrotantis oſtium obſeruabat; cùm neminem cubiculum ingreſſum eſſe ſciret; Alterum cum ægroto colloquentem audiens, rem plurimùm admirabatur: quapropter extemplò cubiculum ingreſſa, ſolum Hieronymum lecto iacentem, & adhuc lachrymantem offendit; qui, ad Catharinam conuerſus, ait: Ignoſcat tibi Deus, ò Catharina; ſummas enim mihi delicias tuo aduentu ſubripuiſti. Cui Catharina: Quid eſt, inquit, Pater mi, quod meus tibi aduentus abripuit? Ne mirere, tecum colloquentem audieram, cuius veſtigia ingredientis ignorarem; id me prorſus ad ingreſſum compulit: cum verò alterum tecum confabulantem non videam, planè diuinum aliquod myſterium ſuſpicor: Oro, Pater, ne cæleſte arcanum, ac ereptas tibi delicias ſubticeas. His Hieronymus: Benedictus Deus, inquit, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui indignum ſeruulum ſuum non reſpuit: ſed conſolatus eſt conſolatione ſua ſancta, per Beatiſſimam Matrem Domini mei Ieſu Chriſti. Scito, ò Catharina, hîc modò glorioſiſſimam Cælorum Reginam, diuinis ſplendoribus irradiatam adfuiſſe; ſuoque aſpectu tam cæleſtes animo delicias, ac voluptates inſtillaſſe; vt iam dolorum omnium oblitus, mihi non inter humana, ſed inter cæleſtia verſari videar. Porrò inter alia conſolationis verba, quibus miſerum proſequi dignata eſt; hæc fuerunt: quod octaua dies, ſub Angelicæ Salutationis ſignum, quod hora veſpertina dabitur; me hinc ereptum, Altiſſimo Creatori reddet. An non mihi ob tam felicia nuncia læ-
XXXI. tandum diuinaque benignitas, ac clementia ſupremis laudibus extollenda eſt?

*Catharinæ B. Virginis verba, ac ſermonẽ aperit.*

Feliciſſimo igitur hoc nuncio diuinitus à Virgine accepto; planè incredibile eſt, quot Hieronymus lachrymarum imbribus præteritas vitæ maculas elueret; vt ſe purum Deo exhiberet: quantiſque diuinæ charitatis incendiis, ſe in illum diem pararet. Cùm verò haud paternæ charitatis oblitus, totus ad patris ſalutem inhiaret; eo ad ſe accerſito, ab ipſo humillimè poſtulat; vt quoniam ſuprema ſibi inſtat dies, teſtamentum ſibi, quoad Capucino Fratri fas eſt, eo annuente, condere liceat: cui cùm Pater ex animo conſenſiſſet; cunctaque, quæ ab eo diſpo-

*Teſtamentum in morte condit, quo Patris ſaluti conſulit.*

ſita forent,

ſita forent, ſe integrè præſtiturum cum lachrymis ſpopondiſſet: his verbis teſtamentum eſt exorſus. Pater mi. Cui nulla mortalium bonorum poſſeſſio eſt; huic, de quo inter homines teſtetur, nihil planè relictum eſt: Summo Dei Opt. Max. hoc beneficio debeo: quòd terrenis bonis omnibus expoliatum, maturè me ad hũc altiſſimæ Paupertatis ſtatum adduxit, ex quo à rebus omnibus liber, ad ipſum redeo, qui æternam ſe Electis ſuis poſſeſſionem pollicetur. Si quæ bona mihi ſunt, quæ, Deo præſertim opitulante, velut in arcu, & gladio meo, vi tuli de manu inimicorum, qui nullo nunquam tempore hominis vitam infeſtant: his Patrem honorare quis vetat? Quapropter Pater mi, vniuerſa, quæ mihi Dominus ex immenſa ſua liberalitate dedit. Ieiunia, rerum paupertatem, vigilias, flagellationes, peregrinationes, carnis macerationes, corporis labores, atque alia incommoda Dei cauſa perpeſſa: ſanctæ obedientiæ merita, lachrymas; demùm quicquid bonorum, Dei gratia opitulante, à me hactenus geſtum fuit; quantulumcunque illud ſit, animæ tuæ dono, lego; atque omni meliori titulo, ſiue donationis inter viuos, ſiue cauſa mortis, ſiue teſtamenti, tibi in legitimam poſſeſſionem trado: Deúmque omnipotentem precor; vt ſupremam hanc donationem meam ratam habeat, tibique è Cælo communicatam confirmet. E regione à te peto, Pater, vt omnium, quæ peritura ſunt, obliuiſcens; ac domus adminiſtratione (quoad fieri poteſt) in liberos natu maiores, quos Familiæ regendæ aptos noſti, reiecta; ab omni cura ſolutus ad ea, quæ potiora ſunt, æternamque animæ ſalutem attingunt, animum intendas. Bis vel ſaltem ſemel in menſe ſanctiſſimis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis mentem expurges; corrobores, atque aduersùs Diaboli tentationes munias. Horas Canonicas Romano ritu Deo quotidie perſoluas; vt diuinam benedictionem è Cælo obtineas: Deiparam Virginem ſingulari mentis pietate, ac Religione proſequaris, rogo: inde enim & Virginis patrocinium, innumeráque tibi à Deo bona fluent. Denique Virginem hanc Catharinam Deo deuotiſſimam, quæ tam ſollicitè mihi in omnibus miniſtrauit; ſi ex hac domo emigrare contigerit, vt tuam in domum recipias, eíque neceſſaria adminiſtres, etiam atque etiam rogo. Hæc omnia Thomas, cùm velut ſacra ſe inuiolatè obſeruaturum promiſiſſet; ea quoque poſt filij obitum integrè præſtitit.

XXXII. Adfuit tandem ſupremus dies, quo hinc Seruo Dei feliciter emigrandum erat: qui cùm patri, ac Fratribus iam manifeſtus eſſet, plerique è Monaſterio Fratres iam ad ægrotum conuenerant. Pater quoque cum tota liberorum Familia præſens aderat; cùm callidus ille, ac tartareus Serpens; qui Electorum calcaneo inſidiatur, ſummumque vitæ exitum expectat; vt velut Leo rugiens quærat, quem deuoret; trina Seruum Dei tentatione adoritur. Primùm namque illi perſuadere nitebatur. Cæleſte regnum non Chriſti, ſed ſuum eſſe; ac proinde ſi eo frui vellet, illud ab eo peteret; eumque remuneratorem agnoſceret. At illum Hieronymus mox velut impudentem reijciens, Angelicum illud occinere cœpit: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro Regnum*; His verbis primo conflictu Dæmon effugatus, iterum bellum inſtaurat; ac ſecundam tentationem inſtruens, falsò illum dixiſſe autumat; quod ea die moriturus ſit, ac Regnum Cæleſte conſecuturus; cùm biennio adhuc ſuperſtes eſſe debeat. Cui Hieronymus: Mendax es, inquit, ac mendacij Pater: qui enim me hinc hodie deceſſurum, ac Regno Cæleſti donandum dixit; falli, aut fallere nullo modo poteſt. Abi, apage ſceleſte: non mea, ſed Dei verba ſunt Cælo, terráque ſolidiora, quibus is Fidem perhibens, ait: *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* His iterum Satan confractus; poſtremò tandem librum quendam, quem Hieronymus ab alio mutuò acceperat? illi in memoriam reuocat, quem Domino ſuo haud reſtitutum eſſe accuſat: At Hieronymus, cui id è memoria exciderat; librũ ſtatim Domino reddendum curat, tentantémq; Dæmonẽ tertiò expellit.

*Dæmon Hieronymum trina tentatione inuadens, ſuperatur.*

Apoc. 5.

Matth. 24.

Pulſo



XXXIII Pulſo igitur tentatore, cùm Dei Seruus integris ſenſibus ad vitæ finẽ properaret: pater, qui à filij morientis latere non recedebat, his eum verbis compellat. Fili, ſi te Deus ad Cæleſte beatitudinis Regnum adduxerit, aliquod nobis tuæ coronæ in morte teſtimonium præbe. Cui cùm Hieronymus annuiſſet; paruo poſt tempore elapſo, dum primum Angelicæ Salutationis Signum datur, fidelis Dei Seruus in eam Prophetæ vocem erumpens: *Laudate Dominum de Cælis*; totoque illo Pſalmo integrè decantato, cùm ad ea verba peruenit: *Omnis Spiritus laudet Dominum*, felicem Deo ſpiritum reddidit. Quo tempore dexteram ad Chriſti Crucifixi Imaginem, quæ illi à dextris pendebat, extendens; ac cæteris digitis contractis, indicem tantùm explicans, quo dextrum vulnus Saluatoris indicabat; illud patri, ac reliquis, ſuæ ſalutis, atque adepti Regni teſtimonium reliquit: quaſi illud inſinuare voluerit: in Chriſto ſe ſalutem, ac Regnum aſſecutum eſſe; in quo eſt ſalus vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati, & liberati ſumus. Id pater, Fratres, ac plerique alij, qui præſentes aderant, cùm factum vidiſſent; omnes tenerioribus lachrymis perfuſi, in lætas mox voces prorumpunt; exclamantes: Deo gratias, Deo gratias, ac Seruo ſuo gloria.

Pſal. 150.

*Suæ ſalutis ſignum Patri promiſſũ in morte exhibet.*

XXXIV. Poſthæc Sancti Viri corpus, ad Capucinorum Conuentum delatum, ſummo honore tumulatur. Quo tempore Deus illius merita, ac ſanctimoniam miraculis teſtatam eſſe voluit. Quædam enim Adriani Bici, nobilis Viri, famula, quæ cancro in vbere laborabat; cùm tam multa de Hieronymi ſanctitate audiiſſet; ad Capucinorum Eccleſiam venit; quo tempore illi Sacra funera à Fratribus perſoluebantur; & cum reliqua populi turba, quæ eò ad Sancti Viri corpus venerandum confluxerat, ad feretrum accedens; dexteram defuncti manum apprehendit, ipſiuſque merita ſibi propitia inuocans, illam morboſo vberi admouet: non diu diuina virtus Mulieris curationem diſtulit: vix enim Mulier Sancti Viri manum vberi applicuit; cùm repentè ſe ab incurabili morbo liberam ſentit. Altera quoque eodem modo, atque eodem tempore, ab vberum tumore curata fuit. Tertia tandem, quæ diu graui vlcere afflictata fuerat; cùm aqua, qua ipſius corpus poſt mortem ablutum fuerat, vlcus lauiſſet; ab eo ſtatim morbo curata, maximas Deo, ac ſancto Viro laudes perſoluit.

*Mulier cancro laborans corporis illius contactu ſanatur.*

*Altera ab vberum tumore liberatur.*

XXXV. Poſt Viri Dei obitum, cùm illius corpus quinque, vel ſex annos tumulatum iacuiſſet; accidit, vt in idem ſepulchrum alterius Fratris defuncti cadauer inferri deberet: quamobrem aperto ore ſepulchri, Hieronymi corpus tam integrum, ac incorruptum conſpicitur; vt eo die in ſepulchro conditum videretur. Quæ omnia cùm Viri ſanctimoniam non obſcurè commendent; tum maximè Dei gloriam augent, qui in Fide, & iuſtitia ipſius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne: breuiq; labore conſumatum tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ. Totus enim illius vitæ curſus vix ad vigeſimum nonum annum peruenit.

*Hieronymi Corpus poſt ſex annos integrum conſpicitur.*

XXXVI Aliorum quoque illuſtrium Virorum, qui in Religione hoc tempore ſanctimonia floruêre, apud varias Ordinis Prouincias, viget memoria. In Neapolitana Prouincia, clara adhuc Auguſtini Galli Concionatoris, Viri præſtantiſſimi, fama viuit ſuperſtes: qui, cùm admirabili prudentia, ac vitæ auſteritate pleroſque annos eã Prouinciam moderatus fuiſſet; Caietæ tandem præclarum vitæ curſum abſoluit. Aegidius Tarentinus Laïcus, apud Salentinos, clarum ſanctitatis nomen adeptus, Tarenti hoc anno mortales exuuias deponit. Sauinus Firmanus Clericus, genere nobiliſſimus, poſt nonnullos in Piceni Prouincia annos, omni cum iuſtitia, & ſanctitate exactos; Maceratæ diem extremum obiit: cuius oſſa poſt mortem ſplendeſcere, ac ſuauiſſimum odorem efflare, certis teſtimoniis probatum fuit. In eadem quoque Prouincia Aegidius ab Aquis Porretanis, Laïcus, cæleſtis ſapientię dono clarus: qua fiebat, vt quanquam literas ignoraret; profundos nihilominus Scripturæ ſenſus attingeret; Prophetico quoque Spiritu à Deo præditus, Maceratæ poſt Sauinum ſancto fine quieſcit. His in eadem Prouincia ſuccedit, hoc anno, Deodatus à

Auguſtinus Gallus.
Aegidius Tarentinus.
Sauinus Firmanus.
Aegidius ab aquis Porretanis.
Deodatus à Ripa Tranſona.
Iulianus à Deſio.
Angelus Tiphernas Viri omnes virtute pręclari.

Ripa Tranſona Sacerdos, oratione, & charitate eximius. Et Iulianus à Deſio Caſtello, Ducum Vrbinatum ditioni ſubiecto, Laïcus; qui vita, ac nonnullis miraculis claruit. Ethruriæ denique Prouincia Angelum Tiphernatem, Laïcum, magnæ orationis, humilitatis, & paupertatis Virum, æternæ memoriæ commendat; ac inter perfectos huius tempeſtatis Regulæ cultores collocat.

XXXVII. Atque hi quidem, & alij, quos hic annus virtute, ac ſanctimonia nobis illuſtres commemorat; cùm diuinam benignitatem commendent; animumque ad cæleſtium præmiorum ſpem erigant: alij tamen, quos hic annus propriæ vocationis oblitos; vitam pleriſque vitijs contaminatam, vel infauſto, vel incerto fine concluſiſſe proponit; Dei è regione ſeueritatem attollunt; atque humanas mentes diuinorum Iudiciorum auſteritate exterrent: vt qui in Religionis ſtadio currunt; non pigri, non oſcitantes, non retrò aſpicientes; ſed legitimè ad brauium feſtinent: cùm ex Apoſtolo ſciant, Neminem coronandum, niſi qui legitimè certauerit.

*F. Eleemoſynarius inobediens in morte damnatur.*

XXXVIII. Primus igitur in horum numero fuit, quidam Romanæ Prouinciæ Frater, cuius nomen conſultò prætermitto: qui in Conuentu Paleſtinæ, in quo tunc Fr. Ruffinus Cyrneus, Guardiani munere fungebatur, Eleemoſynarij officium exercebat. Hic cùm Vir prudens, & grauis alioqui omnibus videretur; eo tamen maximè vitio laborabat; quòd vix vnquam vllo iniuncto ſibi à Guardiano obedientiæ operi acquieſceret: ita vt cùm Guardianus quicquam illi, quod ei minùs gratum eſſet, vel in Vrbe, vel in Conuentu agendum præciperet; ſemper ab eo aliqua ratione diſſentiret; vel in aliud tempus illud reiiciendum contenderet: Demùm ita fixè propriæ mentis ſententiæ inhærebat; vt quæ illi ex Obedientia à Superiore imponebantur, ab iis ſemper aliquo ſibi quæſito colore declinaret. Huic tandem poſt hæc accidit, vt in grauem corporis languorem inciderit: ex quo cùm Guardianus ſupremum illi vitæ periculum imminere intelligeret: ſuauibus verbis Ægrotum admonet, vt Pœnitentiæ Sacramento animum abluat; cæteriſque, vti fieri ſolet, ſe ad vitæ finem diſponat. Cui Eleemoſynarius, Sacramentis, inquit, mihi non eſt opus. Cur id? ait Guardianus. Iuſto (inquit ille) Dei Iudicio damnatus ſum; eò quòd obedientiæ nunquam iugo colla ſubmiſerim: ſed Superiorum iuſſis, meam ſemper ſententiam, ac placitum prætulerim. Monet Guardianus, necdùm illi pœnitentiæ tempus effluxiſſe: ac dummodò eum facti pœniteat, culpam Sacramento deleat, ac diuinam Miſericordiam imploret, cæleſtem illi indulgentiam pollicetur. Inſtabant quoque reliqui Fratres, vt hominem in diuinæ clementiæ ſpem erigerent. At fruſtrà: Neque enim vllam ab eo pœnitentiæ vocem extorquere valent: Cùm ea tantùm vox illi ad mortem vſque ſuprema eſſet: qua ſe Iuſto Dei Iudicio condemnatum aſſerebat: atque hoc pacto impœnitens, ac inexpiatus hinc migrans ad horrendum Dei viuentis Tribunal iudicandus accedit.

*Frater ob nimiam carnis curam Apoſtata efficitur.*

XXXIX. Alter quoque Fr. Ambroſius à Butunto, Laïcus, Bononienſis Prouinciæ, qui carnis cura adeò oblectabatur, vt in omnem ſe ingluuiem, ac ventris curam præcipitem daret: faciemque, quod monſtruoſiſſimum erat, mulierum inſtar, ſibi fuco illiniret: eò tandem ob hæc vitia dilapſus eſt; vt Religionis, quæ huiuſmodi monſtra non alit, iugo excuſſo: in militum ſe numerum adſcriberet. Contigit verò, vt rixa excitata, dum cum altero milite digladiatur; diuino planè Iudicio factum fuerit: vt tota illi faciei ſuperficies, frons, naſus, labra, mentum, quæ fuco linierat, vnico gladij ictu præſcinderetur: eoque vulnere tam deformis euaſerit, vt cùm ad Religionis gremium remeare contenderet; à Prouinciali Vicario, ob monſtruoſam vultus deformitatem, reiectus fuerit; ac tanquam Religione indignus, miſeram in ſæculo vitam exegerit.

XL. Poſtremus denique, Frater Ioannes Firmanus, Sacerdos Picentis Prouinciæ fuit; qui cùm valens, ac ſanus, varias Concionatorum, ac aliorum Fratrum perſonas, quò cæteros ad riſum prouocaret, hiſtrionicè ageret; ac plerumque etiam





*Sacerdoti horrenda in morte accidunt.*

de iis obmurmurans, qui ad Guardianatus, ac cæteras Religionis dignitates præ ſe aſſumebantur; abſentes verborum aculeis inuaderet: horrenda in morte, quæ illi hoc anno Vrbini contigit, ſigna edidit. Morbo enim acuto correptus: Confeſſionis, ac pœnitentiæ loco, eaſdem voces, quas in aliorum Fratrum deriſum, ſanus effuderat, moriens quoque exhibebat: nunc vnius, nunc alterius perſonam fingens: atque hunc iiſdem verbis, quibus ſolebat, ſubſannans; illum proſcindens. Pauebant Fratres: neque alias ab eo, præterquàm inſanas huiuſmodi voces extorquere poterant. Dæmon verò eodem tempore, forma illi horribili apparens, ad tam ingentes illum clamores, ac rugitus compulit; vt qui aſtabant Fratres, iis maximè exterrefierent: Denique eo Dæmonis aſpectu, tantus illum metus, ac pauor inuaſit; vt os, quo tot hiſtrionica, ac obmurmuratoria verba protulerat; illi vſque ad aures monſtruoſè protractum fuerit. Veruntamen toto eo tẽpore, ac tam ardentes à Fratribus, qui præſentes aderãt, ad Deum pro eo preces fuſæ ſunt: vt is tandem ſibi redditus, pœnitentia, ac lachrymis præteritæ vitæ maculas deleuerit; ac bono (vt putatur) fine in Domino obdormierit.

*S. Antonij Vlyſſiponenſis Reſponſorio, fur obcæcatur, ac furtũ reſtituitur.*

XLI. Hoc Anno, S. Antonij Vlyſſiponenſis virtus, ſacro ipſius Reſponſorio inuocata, in Furem quendam præclarè enituit. Cùm enim in Conuentu Velitrenſi Romanæ Prouinciæ, Fratres Mulos quoſdam mutuò à beneuolis Viris accepiſſent; quibus fimum, ad horti culturam, ſibi deferendum curabant: inter hos egregius quidam Mulus erat; quem cùm Viro cuidam peregrino, ac ignoto, bona fide ducendum commiſiſſent; is opportunitatem nactus, Mulum, quem Domino ſuo reddendum acceperat, ſuffuratur; & cum eo Romam versùs iter arripit; vnde in Ethruriam proficiſci cogitauerat. Iam ſecunda dies elapſa fuerat, cùm Muli Dominus eundem repetiturus, ad Monaſterium accedit. Mirantur Fratres, qui pridie redditum mulum hero ſuo arbitrabantur: ac tunc primum à Viro ſubreptum agnoſcunt. Cumque quid illis agendum eſſet, ignorarent: commune illis conſilium fuit, ad Deum in oratione confugere, ac Sancti Antonij Reſponſorium: illius vnà omnes ſuffragium implorantes, recitare: Mirabile dictu! Vix perſoluto Reſponſorio, Vir, qui Mulum ſubripuerat, cùm Viterbum perueniſſet: eadem hora repentè oculorum lumine priuatur; Muluſque tametſi ſtimulis agitatus, vlteriùs progredi recuſat. Quamobrem Fur in ſeipſum reuerſus, ac delictum agnoſcens; cùm illud, haud abſque lachrymis coram Deo deploraſſet; Mulumque reſtituere promiſiſſet; luci reſtitutus, Velitras ad Monaſteriũ remeat: ac veniam poſcens Mulum Fratribus reſtituit: qui actis Deo, ac Sancto Antonio ex animo gratiis, Mulũ Domino ſuo reddunt.

*Nouitij obedientia à Deo Miraculo illuſtratur.*

XLII. Hoc itidem anno in Conuentu Aletij, qui Rudiorum appellatur, Nouitius quidam Laïcus, ſimplicitate, & obedientia præſtans; dum fabas ad Fratrum refectionem igni coquendas curat: fortè accidit, vt olla fabis referta, nimio vel calore, vel vetuſtate diſſoluta, in duas partes diſcinderetur; fabæque turris inſtar in medio integræ conſiſterent. Nouitius verò cùm mente confuſus, quid agendum eſſet, ignoraret; ſtatim ad Fratrem Modeſtum à Nuce, tunc Nouitiorum Magiſtrum, qui in Eccleſia orabat, confugit; eique, quid Ollæ acciderit, narrat. At Modeſtus, vt Nouitij Obedientiam experiretur. Feſtina, inquit, vtramque ollæ partem coniunge; aquamque in ollam infunde, quæ fabis coquendis ſufficiat. Pergit Nouitius dicto obediens, Magiſtri præceptum implet: ambaſque ollæ partes eodem loco connectit; quæ ſtatim ita inter ſe agglutinatæ fuerunt; vt prioris fractionis ne ſignũ quidem relinquerent: aquam infundit, fabæque ad perfectam coctionem pertingunt. Idque Nouitij obedientia meruit; vt quod humana virtus aſſequi nunquam potuiſſet, Dei potentia repararet. Id alij quoque Magiſtri, qui pietate eximius fuit, ſanctimoniæ adſcribendum volunt. Verùm id vel à Nouitij obedientia, vel à Magiſtri iubentis ſanctitate, vel ab vtroque profectum fuerit; vtrobique Dei ſe gloria extollit, quam nos hiſce Annalibus illuſtrandam ſuſcepimus.

XLIII. Per id quoque tempus, Vir quidã Tertij Ordinis S. Franciſci, in Oppido Farneſij,

Religionem eximia beneuolentia proſequebatur: qui cùm Regione plurima vini penuria laborante, vltrò vini dolium ſeorſim, ad Capucinorum vſum repoſuiſſet: id ipſis, cùm vino egerent, erogabat. Iam vindemiæ tempus vrgebat; cùm Tertiarius, vt dolium ad noua vina pararet, Fratres frequentiùs cum lagenis ad illud accedere compellit. Dolium lagenæ frequentant; at quò ſæpiùs è dolio vinum hauritur, eò vberiùs ex eo fluit. Iam tædebat Tertiarium, nunquam vino dolium exhauriri; quare omnes Fratrum lagenas, ac domus vaſa, ac præterea cadum vino implet; vt dolium exhauriat: nec tamen vinum in dolio minuitur. Ea is vini copia pertæſus, cùm calce dolij fundum, vnde vinum defluebat, perrupiſſet; nihil non modò vini in dolio reperit: verùm dolij poſtes ita aridas, ac ſiccas conſpicit; perinde ac ſi iamdiu vino caruiſſent. Eo porrò miraculo, velut diuino teſtimonio: homini perſpectum fuit: vinum, quo priùs dolium impleuerat, in eo iamdudum defeciſſe: quod verò deinceps è dolio fluebat; non è dolio, ſed è Cælo illi ſubinde miniſtrari; vt diuinam liberalitatem pro erogata eleemoſyna experiretur.

*Tertiario Ordinis Benefactori vinum Miraculo in dolio multiplicatur.*

Huic aliud tandem accedat, quod in Mediolanenſi Prouincia contigit. Cùm XLIV.
enim Fr. Cyprianus Mediolanenſis, Conuentus Melpenſis Eleemoſynarius; Gorgonciolam, Mediolanenſis Diœceſis Oppidum, profectus eſſet; vt à Cæſare Pagnano, nobili Viro, qui plurima Ordinem pietate complectebatur, vinum quæreret: lagena ſub dolio, vnde vinum fluebat, collocatur. Iam vinum ferè ad dolij fæces vſque peruenerat, guttatimque ab Epiſtomio ſtillabat: quod cùm Cyprianus cerneret, Cæſari ait: Sat eſt, Cæſar, ne vltra dolium vexa. Cui Cæſar, haud ita erit, inquit, Pater: Sine pauliſper: Nam etſi parùm in dolio vini ſuperſit, dabit tamen ſanctus Pater Franciſcus, vt illud ad lagenam implendam ſufficiat.

*Ordinis Benefactor vinum erogans auctum in dolio accipit.*

Hanc Cæſaris haud vulgarem in Deum fidem, effuſamque in Chriſti pauperes XLV.
charitatem, Deus ampliori miraculo commendare voluit. Etenim, lagena impleta, cæleſti B. P. Franciſci dono factum eſt; vt in dolio vinum ita multiplicaretur; vt trium menſium ſpatio, abundè toti Familiæ ſufficeret: in eoque vim Dei promiſſum obtinuit, olim per os Sapientis affirmantis. *Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.*

Prou. 11. 21.





I. HVIVS Anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſeptimi lux, Generalibus Comitiis, quæ hoc anno Romæ celebrata ſunt, fores aperit; octauumque Capucinorum Ordini Generalem donat. Tertiumdecimum hoc generale Capitulū fuit; in quo F. Marius à Foroſarzinio, Generalis omniū ferè Electorum ſuffragiis electus, Religionem moderandā ſuſcipit. Hic ex Auguſtinianorum Familia ad Capucinorum gremium tranſlatus, plurimam in Religione, ſua prudentia, grauitate, ac vitæ integritate ſibi exiſtimationem comparauerat: quo fit, vt Bononienſis Prouinciæ ſæpè Prouincialis electus, ſummo conſilio eam Prouinciam, iam antea aliquot annis adminiſtraſſet. Ea quoque morum ſuauitate, atque in agendo dexteritate præditus erat: vt & omnium ſibi beneuolentiam conciliaret; illamque in caſtigandis ſceleribus mediocritatem teneret, quæ criminum reos ad melioris ferè ſemper vitæ frugem prouocaret.

*Tertiumdecimum Capitulum Generale celebratur.*

*Marius à Foroſarzinio Generalis eligitur.*

II. Procuratorium munus, in hoc Capitulo, F. Bonauenturæ Rhegienſi Calabro, qui tunc Picentem Prouinciam moderabatur, commiſſum fuit: cùm verò F. Euangeliſta à Canobio, qui proximè Generalis officio defunctus fuerat; in publico Patrū cōſeſſu, velut rationi conſentaneū propoſuiſſet: vt Generalis Ordinis Procurator, in Comitiis Generalib⁹, vtraq;, & actiua, & paſſiua voce, abſq; noua electione gauderet: inde cōmuni cōſilio decretū fuit; vt qui hacten⁹ noua electione indiguerat, qua in Generalibus Comitiis, ſua quoq; cū cæteris Electoribus ſuffragia ferret; deinceps inter futuri Capituli Generalis Electores, abſque vlla electione cenſeretur. Quamobrē id quoq; ſtatutū fuit: vt Procuratoris electio, quæ priùs à ſolo Generali, abſq; vlla ſolēnitate præſtabatur: deinceps à Generali, atque à Definitorib⁹ Generalis Capituli, per ſecretum ſcrutinium fieret. At quandoquidem ſuperiori decreto Regula aduerſari videbatur; quæ Miniſtris tantùm, & Cuſtodibus; non Procuratori, Generalis Vicarij electionem committit: Marius Generalis, nonnullis Patribus, nimirum Euangeliſta à Canobio, Honorio à Monte-granario, Ioanne Maria Hiſpano, & Bernardino Piſano ad Pontificem deſtinatis, Decreti confirmationem, ac diſpenſationem à Sede Apoſtolica refert; cuius virtute deinceps Ordinis Procuratores perpetui Generalis Capituli Electores declarati fuêre. Huius Apoſtolicæ confirmationis, ſeu diſpenſationis fidem, ab iiſdem Patribus, qui ad Pontificem miſſi fuerant, obfirmatam, Religioniſque ſigillo munitam, Marius Generalis in cunctas Ordinis Prouincias tranſmiſit, his verbis conceptam.

*De Ordinis Procuratore nonnulla ſtatuuntur, & à Pontifice quæruntur.*

III. *EGO F. Marius de Foroſarzinio, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Vicarius Generalis (licèt indignus) facio fidem omnibus præſentes literas inſpecturis, quatenus R. P. F. Euangeliſta de Canobio, immediatus in officio Generalatus Prædeceſſor meus, propoſuit in Capitulo noſtro Generali ab ipſo conuocato, & Romæ celebrato, anno 1567. vtrum Procurator Curiæ Romanæ pro tempore exiſtens, deberet habere vocē in Capitulis Generalibus; quemadmodū habent per regulā Miniſtri, & Cuſtodes; ſicut iam à Fratribus noſtris dictis de Obſeruātia conſtitutum fuerat, in eorum Generali Capitulo, celebrato 1543. in Prouincia S. Ludouici: & facto ſcrutinio per vota ſecreta; Capitulum noſtrum acceptauit, & innouauit prædictam Conſtitutionem: vt Procurator Curiæ haberet vocem actiuā, & paſſiuā in Capitulis*

*Procurator Generalis Ordinis, Apoſtolica diſpenſatione inter Electores Capituli Generalis recenſetur.*

*Generalibus. Poſtquam autem ego in prædicto Capitulo eſſem ad Generalatum electus, volui, pro firmiori dictæ Conſtitutionis robore, petere confirmationem ipſius à ſanctiſſimo D.N. Papa Pio V. Et ideò ad illam humiliter petendam miſi prædictum P. F. Euangeliſtam, vnà cum R. P. F. Honorio de Monte-granario Definitore prædicti noſtri Capituli, P. F. Ioanne Maria Hiſpano Prædicatore, & Fratre Bernardino Piſano Laïco. Qui P. F. Euangeliſta propoſuit ſuæ Beatitudini Conſtitutionem prædictam, & à Fratribus de Obſeruantia factam, & à noſtro Capitulo acceptatam, & innouatam eſſe: non obſtante, quòd Regula noſtra non dicat, talem Procuratorem debere eſſe vocalem in Capitulis, vt ſupra. Humiliterque poſtulauit à ſanctitate ſua Confirmationem ipſius Conſtitutionis, quam Dominus Papa benignè confirmauit, & ſubiunxit: valdè conueniens eſſe, vt talis Vir; ſcilicet, Procurator Curiæ habeat vocem in Generali Capitulo. Et hæc confirmatio facta fuit die primo Iunij Anni prædicti; videlicet 1567. in Palatio S. Petri in Camera propria Domini Papæ, præſentibus, & audientibus prænominatis Fratribus, in cuius fidem ſe ſubſcripſerunt. Et ego ſigillum officij noſtri appoſui. Datum Romæ die 17. Iulij 1567.*

*Ego Fr. Marius, qui ſupra manu propria.*
*Ego Fr. Euangeliſta, qui ſupra manu propria confirmo.*
*Ego Fr. Honorius de Monte-Granario, qui ſupra manu propria.*
*Ego Fr. Ioannes Maria Hiſpanus Prædicator confirmo omnia, & ſingula ita eſſe conceſſa, me præſente, vt ſupra notatum eſt, manu propria.*
*Ego Fr. Bernardinus Piſanus Laïcus confirmo manu propria.*

*Locus Sigilli.*

*Statuta Capituli Generalis.*

IN hoc quoque Capitulo, quanam Procurator Generalis, auctoritate in Ordine fruatur, explicatum fuit: quæ deinde Generalis Commiſſarij dignitate aucta, eã poteſtatem aſſecuta eſt, quæ Generalis præſertim arbitrio inſideat. Pleraque alia hoc quoque tempore conſtituta ſunt. In his primùm, vt in Prouincialibus Capitulis, Guardianorum electio à Prouinciali Vicario, & à Definitoribus Prouincialis Capituli, per ſcrutinium ſecretum fiat: in quo Prouincialis vno tantùm vocis ſuffragio gaudeat. Sed quoniam ea, non Electio iuxta Concilij Tridentini decreta; ſed Prouiſio ita ab initio in Ordine inſtituta cenſeri debet: hinc etiam declaratum fuit; vt ante Guardianorum Prouiſionem, quinam ab ea Prouiſione excludendi ſint; inter Prouincialem, ac Definitores conſilia communicari queant. IV.

Secundò. Vt in Generalibus Comitiis, in quibus ſex Definitores creantur, tres, qui in præterito Capitulo Definitores electi fuerant, ab officio vacent; ita vt tres noui ſemper eligantur. Nec tamen lex Electoribus præſcribitur; vt plures quoque his tribus, ſi id illis expedire viſum fuerit, ab officio arceant. Quod etiam reſpectiuè in Prouincialibus Capitulis obſeruari voluerunt: cùm enim in his quatuor tantùm Capituli Definitores eligantur; duos tantùm prioris Capituli Definitores, in futuris Comitiis, ſubſiſtere poſſe decreuerunt. V.

Tertiò. Vt in Sicula Prouincia, quæ tantæ amplitudinis erat, vt ab vno Prouinciali Vicario, bis in anno, iuxta Generalium Conſtitutionum præſcripta minimè viſitari poſſet: Cuſtodes in ſuis Cuſtodiis, abſente Prouinciali, ius viſitationis, & Vicariam illius auctoritatem obtinerent. VI.





VII. Quartò. Exorta, inter Lucanam, & Neapolitanam Prouinciam, de quibuſdam Monaſteriis controuerſia, ſic terminata fuit: vt Monaſteria Cauæ, & S. Seuerini, Neapolitanæ Prouinciæ cederent. Sed quoniam Nicolai 4. Pont. Bulla ſtatutum fuerat; ne vlla in Ordine Prouinciarum, aut Locorum, etiam ſub melioris boni prætextu diſtractio fieret: Cardinalis Amulius, qui ob Vrbinatis Protectoris abſentiã, vices Protectoris agebat; facultatem Generalibus, ac Definitoribus, pro tempore exiſtentibus, à Pontifice obtinet: vt liberè exiguas Prouincias aliis per modum Cuſtodiæ vnire, ac quæuis loca in alias Prouincias transferre queant. Cuius conceſſionis fidem idem Cardinalis Amulius, his verbis teſtatam reliquit.

*De vnione Prouinciarũ, & tranſlatione Locorum Apoſtolica cõceſſio.*

VIII. *MARCVS ANTONIVS miſeratione diuina tit. S. Marcelli S.R.E. Preſbyter Cardinalis Amulius, & Congregationis Fratrum Capucinorum nuncupatorum pro Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. Cardinali Urbinaten. Vice Protector. Uniuerſis, & ſingulis præſentes noſtras inſpecturis, audituris, ſeu quoquo modo earum notitiam habituris, fidem indubiam facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter heſterno die, qui fuit quintus Iulij 1567. Sanctiſſimus D. N. Pius diuina Prouidentia Papa V. ad ſupplicationem Miniſtri Generalis, & Definitorum Congregationis præfatæ, Nobis petentibus, ac præſentibus, viuæ vocis oraculo facultatem conceſſit Miniſtro Generali, & Definitoribus eiuſdem Congregationis pro tẽpore futuris, eorum Prouincias exiguas, ob maiorem commoditatem, aliis Prouinciis in modum Cuſtodiæ annectendi, & vniendi. Et præterea, vt pauca Monaſteria, quæ alicubi poſſident, aliis amplioribus Prouinciis vnire poſſint. Non obſtante Bulla Nicolai fel. record. Papæ 4. in contrarium expreſsè faciente: idque ita fuiſſe, & auribus noſtris audiuiſſe aſſerimus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes exinde manu noſtra ſubſcriptas fieri, & per Secretarium noſtrum ſubſcribi, ac ſigillo, quo in talibus vtimur, appenſione, iuſſimus roborari. Datum Romæ in Ædibus noſtris die 6. Iulij 1567.*

*Marcus Antonius Cardinalis Amulius* *Locus Sigilli*

*Aurelius Sauignanus Secretar.*

*Fratres in Candiam proficiſcuntur.*

IX. Quintò. Vt nonnulli in Cretenſem Inſulã Fratres deſtinarentur, qui in ea Religionem propagarent: atque hoc eodem tempore primus in eam Inſulam Generalis Commiſſarius mittitur, F. Ignatius ab Apiro, de quo fuſior in poſterum mentio fiet. Poſtremò in hoc Capitulo decretum fuit, vt Generalia ſtudia in Romano Conuentu inſtituerentur; quibus Hieronymus Piſtorienſis, Vir præclarus, atque apprimè doctus, Lector præficitur.

*Minores Diſcalceati ad Capucinorũ obedientiam anhelant.*

X. Hoc quoque tempore, Fratres Minores Regionis Hiſpaniæ, qui Diſcalceati nũcupantur, ad Capitulum accedentes; à Patribus ſummis precibus petunt; vt ſub Generalis Vicarij Capucinorum obedientia recipiantur: quibus cùm id reſponſum fuiſſet: ſine Pontificis auctoritate, & Hiſpani Regis conſenſu, id fieri non poſſe. Res deinceps apud illos extincta fuit.

*Tranſitus à Capucinis ad Minimos, & è conuerſo interdicitur.*

XI. Edita fuit hoc anno à Pontifice Bulla, quæ incipit. *Sedis Apoſtolicæ ſolertia.* Qua tranſitus à Minorum Capucinorum Religione, ad Minimorum Ordinem, & è conuerſo, ea præſertim ratione interdicitur: quòd mutuis huiuſmodi tranſmigrationibus, pleræque in vtroque Ordine, perturbationes orirentur. Quæ Bulla in Calce huius voluminis cum aliis apponitur.

Solutis itaque Comitiis: cùm Marius Generalis viſitatione inſtituta, in Thuſciæ Prouinciam veniſſet: Federicus Montiſ-acuti Comes nobiliſſimus, qui ex antiqui illius Alberti ſtirpe progenitus, cui B. Pater Franciſcus, iam Chriſti caracteribus inſignitus, in ſui amoris teſtimonium, habitum ſuum dono dederat; Ataui pietatem imitabatur; obnixè ab eo petit, vt in ſua Montis-acuti ditione, Monaſterium ſuis ædificari permittat. Porrò Federicus hic, inde potiſſimùm ad huius Conuentus ædificationem inflammabatur: quòd cùm Albertus Pater, alter ab antiquo, ſemel in Monte feras inſequeretur; geminos, in quadam altiori rupe, Minores Fratres, Capucinorum more indutos, ſedentes conſpexit; qui, eo ſalutato, paulò poſt ex omnium oculis euanuerunt. Hos cùm B. Franciſcum, ac B. Antonium eſſe cuncti ſibi perſuaſum haberent, qui ſedem ſibi eo in loco collocandam vellent: hinc ad Conuentus ædificationem ſummo ſtudio ferebatur. Re igitur Mario Generali à Federico enarrata, is protinus ædificationi annuit; & Prouinciæ Patribus licèt reluctantibus; quibus, & infœcunda tellus, & tenuè nimis Oppidulum, ad neceſſariam rerum mendicationem videbatur; prima in eo loco Conuentus fundamenta iaciuntur.

*Montis acuti Conuentus fundatur.*

XII. At neque id abſque diuino conſilio, & grata Dei voluntate factum eſſe, admirabilis illius deinde prouidentia declarauit. Cùm enim locus ſterilis eſſet; magnaque aquæ, ac calcis penuria Cœmentarij laborarent: ſcrobs ingens calce plena, in ipſo ædificationis loco, dum tellus foderetur, apparet: in cuius medio Crux ex auricalco fabrefacta eminebat. Porrò cùm apud illius Regionis Incolas, nulla huius ſcrobis, aut calcis memoria extaret: & quiſnam illius auctor fuerit, cunctis penitus obſcurum eſſet: id vniuerſi diuinæ Prouidentiæ miraculo factum adſcripsêre. Accedat, quòd eodem tempore; dum non longè ab ea ſcrobe, ingens quoddam ſaxum, quod Conuentus ædificationem impediebat, pluribus adnitentibus loco amoueretur, inde protinus aquæ fons ebulliit, qui tamdiu aquam Cœmentariis effudit: quoad Conuentus perfectam ſtructuræ metam attingeret. Poſtremò, vt hanc loci ædificationem, à diuino beneplacito profectam eſſe cunctis innoteſceret: ædificatione peracta, dum à Tornabono, Biturgienſi Epiſcopo, Eccleſia ritu conſueto conſecratur: lucida quædam ſuper Eccleſiam, è Cælo flamma deſcendere, à quamplurimis viſa eſt; tot radiis coruſcans; vt ſuo lucis fulgore ipſum Solis ſplendorem minuere videretur. Hæc autem, cùm nihil præterquam diuinam in eum locum benignitatem teſtarentur: tum maximè ſingularem ab iis morum ſanctimoniam, ac virtutum lucem expoſcere videntur, qui ea loci ſanctitate fruuntur.

*Dei in hac Conuentus fundatione Prouidentia.*

*In Eccleſiæ conſecratione ingens è Cælo ſplendor emicat.*

XIII. Illud verò hîc prætereundum non eſt; quod copioſo teſte probatum, ac fama vbique loquente, apud omnes iamdiu perſpectum eſt: ſingulare nimirum illud B. P. Franciſci, in hanc Comitum Mōtiſ-acuti Familiam, iam à multis annis, beneuolētiæ teſtimonium; quod Alberto Comiti olim ab eodem benignè promiſſum fuiſſe ferunt: quotidiano ferè miraculo comprobatum, etiamnum integrum vigere. Vt ſcilicet, quoties ex ea Comitum Familia, quemquam hinc emigrare contingit; tertio ante illius obitum die, ardentes faces, è Monte Aluerniæ erumpentes, tanquam futuri funeris prænunciæ, ſuper Montiſ-acuti Caſtro altiùs eminere cōſpiciantur: quò vniuerſi illius Familiæ homines, velut ſigno admonentur, eorum alicui hinc citiùs emigrandum eſſe; quò dignè ſe ad mortalis huius vitæ occaſum diſponant. Quod iam huius Familiæ Viris, tam certum, ac familiare eſt: vt cùm primùm ignei illi globuli, in faculæ modum, in monte apparent; communi inter eos lege ſancitum ſit: vt quicunque in Caſtro degunt, cuncti ad Sacramenta, tanquam morituri accedant: qui verò inde longiùs abſunt, quantociùs per literas certiores fiant; vt ij quoque maturè rebus ſuis proſpicere valeant.

*Singulare B. P. Franciſci in Comitum Montis acuti Familiam beneficium.*

XIV. Illud quoque non minori admiratione dignum ferunt: quòd tandiù accenſæ illæ faces, altiùs Caſtro eminentes apparent; quoad ab aliquo conſpectæ, iis qui in Caſtro ſunt, manifeſtæ fiant: ne fruſtra cæleſte iis beneficium collatum eſſe videretur. At neque idem omnibus triduum, ante obitum à facibus præſcribitur:

nam



nam iis quidem, qui in Caſtro ſunt, ipſe luminum aſpectus triduum mortis indicit; aliis verò, qui longiùs abſunt, non antea triduum incipit, quàm luminum notitiam per litteras, aut nuntium acceperint. Hoc planè tam ſingulare, à B. Franciſco, in Illuſtriſſimam hanc Comitum Familiam collatum Priuilegium; quò temporalem eorum beneficentiam; & in Minorum Ordinem pietatem, ac beneuolentiam, velut cæleſti dono compenſare voluit; quàm paterno is pios Ordinis Benefactores amore, ac pietate complectatur, haud obſcurè demonſtrat.

XV. Cæterùm, res planè inſolita, hoc tempore, in Piceni Prouincia accidit. Puella namque, quæ ex Parentum leuitate, ac imprudentia, ſub virili habitu vſque ad vigeſimum ſecundum annum proceſſerat; ab omnibuſque Vir habebatur: feruentiori ſpiritu ducta, cùm ſe Deo conſecrare, atque inter Viros pœnitentiam agere decreuiſſet; ad Prouincialem Capucinorum Vicarium pergit, ab eoque ſummis precibus Religioni adſcribi poſtulat: qui cùm eam Virum crederet, ac mediocri literatura imbutam offenderet: inter Clericos Nouitios, ſub Ioannis nomine adnumeratam, in Aeſinum Conuentum deſtinat. Erat in eo Conuentu Nouitiorum Magiſter Fr. Hieronymus à Pedona, Vir omnium virtutum genere ornatiſſimus; ſub cuius diſciplina, cùm Ioannes, Vir ab omnibus creditus, maximè in virtutibus proficeret: contigit, vt poſt ſecundùm menſem aduerſa valetudine afflictari cœperit. Hoc tempore nouum à Pontifice edictum emerſerat, quo ſub Excommunicationis pœna, cunctis mulieribus cauebatur; ne Monachorum, aut Regularium Virorum Clauſtra ingrederentur: quod cùm Ioanni Fœminæ innotuiſſet, eo maximè angebatur: dominumque aſſiduè precabatur, ne eam vita comite è Monaſterio expelli pateretur. Annuit votis benigniſſimus Dominus. Ingraueſcente enim morbo, ad extremum tandem vitæ finem deuenit: quo tempore Ioannes Magiſtro accerſito; eidem ſe Fœminam eſſe declarat: vt ſi quam Eccleſiæ cenſuram ob Monaſterij ingreſſum contraxiſſet; ab ea ante obitum abſolueretur. Res Magiſtro noua viſa eſt. At verò cùm eò euaſiſſet; vt breuiſſimum illi vitæ ſpatium supereſſet; ea à cenſuris abſoluta, rem ſilentio tegit. Paulò poſt Ioannes Fœmina ex hac luce deuotiſſimè migrat; quam (ne factum vlli innoteſceret) illotam in feretro collocari iubet: & poſt conſueta officia illi perſoluta; Fratrum Sepulchro recondit. Res verò non antea, quàm poſt obitum manifeſtata, cunctos ad Dei laudes celebrandas compulit; qui ſexum fragilem etiam ad Virorum coronas vocat.

*Fœmina virili habitu inter Capucinorum Nouitios cooptatur*

*Fœmina in morte agnoſcitur, & cum Fratribus ſepelitur.*

XVI. Hoc anno, quo tempore in Piceni Prouincia Prouinciale Capitulum celebrandum erat, Dei virtus, ac liberalitas erga nobiliſſimam Fœminam, in Capucinos beneficentia inſignem, enituit. Hæc Panta Bulliona Mulier illuſtris fuit; quæ cùm Capucinorum Ordinem maxima beneuolentia, atque eleemoſynarum copia proſequeretur: Prouincialia Comitia, in Conuentu Montis veteris; qui à Turris Caſtello, quod ſuæ ditioni ſubdebatur, haud longè aberat; à Patribus celebrari, atque vniuerſa, quæ congregatis ad victum neceſſaria eſſent, ab ea ſola miniſtrari poſtulat. Annuunt illuſtris Mulieris pietati Prouinciæ Patres: Illa verò, vt neceſſariam panis annonam, quæ Capituli duntaxat Patribus ſufficiat, opportunè prouideat; ſirum, ſeu ſcrobem quendam exiguum, iuxta Regionis morem, tritico plenum, ſeorſim parandum curat. Verùm cùm maior ad ea Comitia, tam Sæcularium virorum; qui ad Religionis amplexum adſpirabant; quàm aduenarum Fratrum multitudo, quàm ſibi perſuaſerat, conueniſſet: quandoquidem vnicus tantùm Sirus, & frumenta in eo condita, cunctis ad panem ſat eſſe non poterant. Iubet pia Mulier, alium quoque ſirum adiungi: quo & prioris tenuitati, & tantæ hominum multitudini ſatisfiat. At verò Deus Opt. Max. illuſtrem Mulieris pietatem illuſtriori miraculo commendare voluit. Diuina namque virtute factum eſt; vt prior ille ſirus, qui planè exiguus erat: non modò neceſſaria ad panem frumenta miniſtraret: ſed & tantam, peractis Comitiis, tritici copiam pepererit; vt ſolus toti poſthæc Pantæ Familiæ, quæ copioſa erat, vſque ad anni finem triticum

*Panta Bulliona Fœmina illuſtris, & in Ordinem beneuola.*

*Triticum illi diuina virtute multiplicatur.*

miniſtra

miniſtrauerit:neque id ſolùm: nam tot tritici menſuræ inde erutæ,ac pauperibus diſtributæ fuerunt; vt hæ totum frumentorum pondus, quæ ſiro immiſſa fuerant, proculdubio æquarent. Ex quo id omnibus perſpectum fuit: nunquam homines meliùs fœnerari, quàm cùm pauperibus tribuunt: veramque reipſa Domini ſententiam probari, cùm ait: *Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereſfluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

*Luc. 6.*

## F. FRANCISCI A SORIANO, *Vita, & Geſta.*

*Franciſcus à Soriano Prædicator illuſtris.*

XVIII. DVm hæc in Piceni Prouincia diuina virtute patrantur; Fr. Franciſcus à Soriano, Diœceſis Viterbienſis Oppido, in Romano Conuentu humana deſerẽs, ad æterna euocatur. Hic inter priſcos illos Patres, qui primo illo Religionis æuo, virtute, ac Prædicationis dono claruêre, tam inſignis præluxit: vt præclariſſimum ſua tempeſtate ſibi nomen in Chriſtiano Orbe comparauerit. Adoleſcens, cùm ingenio floreret; in Minorum Obſeruantium militiam adſcriptus, pleroſque in ea annos, magna cum virtutum, ac ingenij laude exegit: Concionatorq; inſtitutus, cùm celebre Capucinorum nomen audiret; quorum vita vniuerſos ad ſui admirationem compelleret; ardentiori Regularis obſeruantiæ ſtudio accenſus, ad Religionem ſe contulit, anno 1534. in qua cùm frequenter capitis dolore cruciaretur; communem tantùm cæteris abſtinentiam, vigilias, ac cæteras corporis macerationes proſequitur. Atque eo factum eſt, vt cùm minùs corporis auſteritati, ob infirmam capitis valetudinem vacare poſſet; ad maiora virtutum ſtudia, quæ potiora ſunt, animum intenderet. Quapropter Horas Canonicas ſumma deuotione, atque attentione, quaſi diuinam præſens Maieſtatem intueretur, ſtans, perſoluebat. Orationis quoque, ac rerum diuinarum contemplationis ſtudio ita afficiebatur; vt ob ſtudium literarium, aut Prædicationis munus, nunquam orandi tempora in Religione ſtatuta prætermitteret. Paupertate, obedientia, humilitate, ſui contemptu, ac totius Regularis obſeruantiæ cultu, haud mediocriter floruit. Denique eam vitæ normam ſibi perpetuò ſequendam præſtituit, quæ neque auſteritate excederet, neque ab ea nullo vnquam tempore exorbitaret.

*Ex Obſeruantium Familia ad Capucinos accedit.*

*Diuina charitate flagrat.*

XIX. Quod verò in eo præcipuum, ac ſingulare virtutis teſtimonium effulſit; flagrantiſſima quædam charitas fuit; qua tum in Dei gloriam, tum in animarum vtilitatẽ, tanto ſtudio ferebatur; vt alterius Machabæi inſtar, pro Dei honore, atque animarum ſalute, aduerſùs humanæ ſalutis hoſtes decertans; diuini Verbi gladium tãta vehementia in peccatores, ac ſceleſtos vibraret; ac vitiorum monſtra confoderet; vt ingentes vbique de animarum hoſte proſtrato triumphos referret. Non hic Vrbes, non magna Oppida, non Nobilium turmas, non populorum frequentiam; aut ampla auditoria ſuis prædicationibus quærebat: ſed cùm in diuinam tantùm gloriam, ac hominum ſalutem intenderet: Chriſtumque Vicos, ac Oppida in Euangelio percurrentem legeret: Villas potiùs, ac Oppidula ſibi ad prædicandum eligebat. In hiſq; non in ſublimibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in ſpiritu, ac virtute Dei Chriſtum Crucifixum prædicans; copioſiſſimam inde animarum ſegetem metebat. Tam denique ea ſimplicium hominum conuerſione oblectabatur; vt per quatuordecim circiter annos, ab Oppidulis recedere, ac Vrbes adire recuſauerit: idque dicere ſolitus erat. In Oppidulis faciliùs, ac maiori cum fructu, quàm in Vrbibus Dei Verbum prædicari: ob id maximè, quòd Dei ſemen minùs ſpinarum, quæ Dei Verbum ſuffocant, ac ſine fructu efficiunt, in Oppidis, quàm in Vrbibus offenderet.

*Ipſius humilitas declaratur.*

XX. At verò, cùm tam ſingularem illi in prædicando gratiam, à Deo collatam eſſe, Patres animaduerterent: Lucernam, quæ ſub modio humiliter hactenus latuerat; vt lucem in omnes diffunderet, ſuper candelabrum ſtatuunt: ac inuitum ad Vrbes rapiunt. Haud multa Franciſcus rerum intelligentia præditus erat; ea præſertim

ratione



ratione: quòd ob capitis morbum, quo affligtabatur, à maioribus literarum ſtudiis iam ab exordio abſtinuiſſet: ea tamen ingenij facilitate, ac fertilitate præſtabat; cui & Deus è Cælo lucem miniſtrabat, vt de ſũmis quibuſq;, ac difficillibus cùm Philoſophiæ, tum Theologiæ quæſtionib⁹, quas didicerat, inter concionandũ tam aptè diſſereret; vt cunctis doctiſſimus, ac eruditiſſimus videretur. Pendebant ex illius ore Populi, tantaque ex ipſius ſermonibus cuncti voluptate afficiebantur; vt cùm eum ad tertiam vſque horam prædicantem audirent, haud vllo tamen tædio afficerentur. Vox illi quaſi tonitruum, ac rugitus Leonis erat, qua ita impios terrebat; vt qui ſemel Prædicantis vocem audiiſſent, nequaquam ſibi in vitiis vltra permanendum eſſe putarent. Nulli ſua reprehenſione parcens, neque vllius Potentis vultum extimeſcens, vniuerſos Apoſtolico correptionis gladio aggrediebatur: tantoque in vitiis reprehendendis Dei Spiritu agebatur; vt cùm plerunque in acriores, Deo agitante, increpationes erumperet; quas nedum cogitatione conceperat; cùm de iis poſthæc mentio apud eum fieret, eas penitus ignoraret: quæ cùm ad vberiorem ſemper fructum animos prouocarent haud obſcurum ſanè argumentum erat, illas non ab humano, ſed à diuino planè Spiritu profectas eſſe. Tanta denique, ac tam mira ipſius verbis à Deo Opt. Max. vis indita erat; vt vbicunque is Dei Verbum diſſeminaret: inde odia, ac inimicitias aufugere, fœnora exulare, malè parta reſtitui, adulteras, ac concubinas pelli, Confeſſiones generales inſtitui, mores corrigi, Vrbeſque ad virtutem renouari conſpicerentur. Huius rei innumera, ex Romana, ac Neapolitana Vrbe, ac præterea Florentia, Ferraria, Peruſia, & ex variis Italiæ Vrbibus; in quibus Viri huius prædicatio audita fuit: exempla afferri poſſent; præſertim ex Panormitana, ac cæteris Siciliæ Vrbibus; in quibus per triennium prædicans, corruptiſſimos hominum mores, inſitaque animis vitia, ita ſua prædicatione ſtrauit, obtruncauit, auulſit; vt Inſulam totam ad virtutes, melioriſque vitæ ſtatum adduxerit: Porrò vnicum tantùm ex innumeris lubet exemplum proferre; quod illi apud Siculos accidit.

*Vis illius ſermonibus à Deo indita.*

*Acriter vitia reprehendit.*

XXI. Abbas quidam inter Siculos, cuius conſultò nomen reticeo, opulentiſſimus erat: adeò tamen in omne vitium, ac præſertim libidinem præceps; vt Concubinam, ex qua liberos ſuſceperat, in omnium oculis alere, ac ſummo totius Populi ſcandalo, ſecum ſub eodem tecto retinere non erubeſceret. Porrò cùm tam ingens vbique Franciſci fama diffuſa eſſet; vt illum cuncti, velut cæleſte quoddam prodigium, ſuſpicerent. Quanquam Abbas (vt iis plerunque contingit, qui ſe vitiis ingurgitant) diuina faſtidiens, vix vnquam vllis Concionatorum ſermonibus adeſſet; Franciſci tamen fama, & quadam animi curioſitate ductus, ſemel ad eum audiendum accedit. Abbas Franciſco prorſus tum facie, tum nomine ignotus erat: neque vlla turpis illius vitæ macula, eatenus eidem præſignificata fuerat; cùm Franciſcus diuino, (vt creditur) Spiritu illuſtratus, vniuerſa Abbatis vitia inter concionandum enumerare, ac tam acriter, ac ſeuerè in ea inuehi cœpit: vt Abbati videretur (quod deinde dicere ſæpè ſolitus erat) ſe diuino Iudicio adſtare; & niſi à vitiis maturè reſipiſceret, mox ad æterna ſupplicia à Deo rapiendum fore. Quamobrem tam ingenti Vir ille pauore correptus fuit: vt velut lapis, tam immobilis conſiſteret; vt aliis, abſoluta concione diſcedentibus, is necdum loco dimoueretur. Inde tandem abſcedens, animum tam perfectè, Franciſco ipſo ſuadente, ad Deum conuertit; vt Concubina è domo eiecta, ac liberis varia in loca diſpertitis, Eccleſiaſtico Viro dignam deinde vitam inſtituerit. Orationẽ Quadraginta horarũ, iam à Ioſepho Fernẽſi inſtitutam, mirum in modum illuſtrauit; ac ſermonibus auxit: in eaque tanta in animis conciliandis Dei gratia excelluit; vt ea abſoluta, nulla in Vrbe odia, nullæque inimicitiæ ſupereſſent.

*Abbatis cuiuſdam exemplum refertur.*

*Franciſci in prædicando vis, & efficacia.*

XXII. Planè incredibile eſt, quot hic peccatorum labe reſolutos, ac lethifera contagione reſperſos, ad animæ incolumitatem reduxerit: quotque impiorum animas, viuẽte iam in corpore defunctas, delictorumq; mole obrutas, ac ſepultas, diuina Verbi prædicatione, ad vitam reuocauerit; atque è vitiorum ſepulchro excitatas, rediui-

uas

uas Chriſto reddiderit. Tanta inter prædicandum diuini Spiritus luce perfundebatur; vt non rarò quoque futura prædiceret. Teramni, quæ Siciliæ Vrbs eſt, Vir quidam præpotens erat, qui tot opes fœnore coaceruauerat, vt Vrbis illius ditiſſimus haberetur. Hunc ſæpè Vir Dei fruſtrà admonuerat; vt fœnore reſtituto ſeipſum à Diaboli faucibus eriperet, ac vitam in meliùs commutaret: quod cùm ille præſtare negligeret; is tandem pro ſuggeſtu ad eum, ſub Epulonis diuitis nomine, ſermonem conuertens; vbi illi proprias vſuras, inopum expilationem, auaritiam, crudelitatem in pauperes, atque alia huius generis delicta exprobrauit: diuinum illi Iudicium ſub Epulonis nomine, comminatur his verbis: Audi; crudelis, quid de te Deus è Cælo decreuerit. Iudicium ſedit, & libri tui aperti ſunt: conteret te Deus velociter ſpiritu oris ſui, teque repentè intercipiet vltima dies, quæ adhuc multa de vſuris cogitantem, ad Orcum rapiet: idque tam inſperatò, vt neque tibi diuini Nominis inuocandi ſpatium detur. Haud fruſtrà id à Viro Dei dictum fuit: nam poſtridie cùm Diues in Pomario cum amicis deambularet; fulgur è nubecula erumpens, eum ſolùm inter cæteros percuſſum interficit; ac velut ligni ſtipitem cõflagrat. Iterum cùm Foroliuij prædicaret: alteri Fœneratori, qui pauperum ſanguine ſibi diuitias auxerat, proximum in futura nocte interitũ prænunciat: illa ſæpè Euãgelij verba eidem inculcans: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Quod illi in ipſo noctis profundo, pituitæ fluxu præfocato, accidit. Ex quo id omnibus innotuit; Dei Virum non ſola diuini Verbi comminatione; ſed Prophetico quoque Spiritu, repentinum hominis interitum præmonſtraſſe.

*Diuiti Fœneratori repentinam mortem prænunciat.*

*Alteri Fœneratori interitum eadem nocte futurũ prædicit.* Luc. 12.

XXIII. Hinc tot ad eum audiendum turbæ vndique confluebant; vt integra plerunque Oppida, vbicunque Virum Dei prædicare nouerant; ad eum turmatim feſtinarent. Tanta quoque, ob communem ſanctimoniæ opinionem, in eum populi deuotione flagrabant; vt qui ægrotos, vel à Dæmone obſeſſos habebant; in viis, ac Compitis, per quæ is tranſiturus erat, collocarent: quos ille cùm ſigno Crucis benediceret; cunctos ferè incolumes dimittebat. Accidit aliquando, vt cùm illius aduentum, Vrbis cuiuſdam populus, in campeſtri quadam Eccleſia, vbi illi obuiam proceſſerat, expectaret. Mulier quædam à Dæmone obſeſſa cum cæteris in Eccleſiæ limine conſideret: quæ, ſimulatque Franciſcum venientem, ac propiùs accedentem conſpicit; mox nefarius Spiritus exclamat. En hoſtem, en noſtrum omnium Aduerſarium: Quid hîc moror? ò dura neceſſitas! Cumque illius præſentiam ferre non poſſet; ſtatim mulierem diſcerpens inde aufugit, eamq; ab obſeſſione liberã relinquit.

*Ægrotos ſigno Crucis tranſiens, curat.*

*Dæmon eo accedente, ab obſeſſa Muliere aufugit.*

XXIV. Ex *Sicilia, Generalis Vicarij* præcepto, Neapolim ad Dei Verbum prædicandum vocatus, cùm nauigationem ſecundis ventis, ac trãquillo mari proſperè inchoaſſet: en repentè in freto Siculo tempeſtate, Dæmonum opera, qui ipſius iter impedire conabantur, concitata; nauis in certum, & apertum naufragium ruebat: cùm Franciſcus ſpem omnem vitæ ſibi ademptam videns, ad Deum confugit: eumque his verbis deprecatur: Deus Omnipotens, cuius imperio mare, & venti obediunt: ſi ex te orta eſt tempeſtas, manetque tibi alta mente repoſitum, vt nunc vaſto hoc gurgite demergar; ſupremaque mihi immineat dies, non reluctor: fiat, Domine, voluntas tua: ſuſcipe tantummodò Seruum tuum in pace. Veruntamen tot hîc pereuntes animas tua benignitate ſerua? vt laudent opera tua, & mirabilia tua in profundo: ſin populo tuo adhuc ſum neceſſarius, Tartareorumq; hoſtium inuidia, procella hæc concitata eſt: tu aëreis poteſtatibus impera, procellam cohibe, ne nos demergat tempeſtas aquæ, neque nos profundum abſorbeat; Adhuc hæc orãs Franciſcus ad Deum verba effundebat, cùm repentè vnda vento iactata, è mari erumpens, eũ è naui raptum in ſalo ſedentem collocat; nihilq; incommodi paſſum; ſed Deo laudes canentem, fluctus, quaſi vehiculum ſubſtrati, ſuauiter ad litus exultantem perducunt. Dum verò de Socio ſollicitus, quid de eo factum ſit, ignorat: En illum procul pallio inuolutum, perinde ac ſi aridus quidam truncus eſſet, à fluctibus ad litus deferri cernit. At nec Viri Dei preces, quas pro cæteris quoq; nauigantibus fuderat,

*Diuino Miraculo è naufragio liberatur*

*Sua oratione nauigantes à naufragio liberat.*





apud Deum irritæ fuerunt: etenim Nauicula, qua vehebantur, cùm fluctibus, in momento abſorpta fuiſſet; mox ſuper vndas reſiliens, cum omnibus ſalua ad litus peruenit. Quodque haud minori admiratione dignum fuit. Pera, quæ libros, ac ſcripta Franciſci continebat, cum à fluctibus diu circumagitata fuiſſet; ad litus tandem delata, nullaque ex parte aqua madefacta apparuit.

XXV. Franciſcus itaque, diuina virtute, à tanto periculo liber, Neapolim venit: qua in Vrbe, quæ ad pietatem prona eſt, tam ingenti animarum lucro Dei Verbum diſſeminat; vt nouus illius Vrbis Apoſtolus putaretur. Hinc in Vmbriam profectus; cùm in turpem quorundam vitam, ac corruptos mores acriùs inueheretur; illi venenum clam in vino offerunt: à quo tamen diuina virtute ſeruatur. Veruntamen cùm Deus Serui ſui patientiam probare, ac cunctis manifeſtam eſſe vellet: tot ab iis, qui ipſius liberiores obiurgationes ferre non poterant; ac præſertim ab Eccleſiaſticis Viris, in eum querimoniæ, ac calumniæ parantur; vt velut maledicus, ac contumelioſus ad Eccleſiaſticum Tribunal delatus: Dæmone potiſſimùm agente, qui illius prædicatione, innumeras propè ſibi animas ſubripi indignè ferebat: à Verbi prædicatione aliquandiu abſtinere iubeatur. Patientiſſimè Vir Dei, cùm crimen abſtergere negligeret; honoriſque, ac dignitatis loco duceret; illatam ſibi ignominiam ſuſtinet. Interea Deus Seruum ſuum, quem mali tolerantia apud homines premebat, è Cælo conſolatur: quantùmque apud eum ipſius merita valerent, declarat.

*A Veneno diuina virtute ſeruatur.*

*Quorundam calumniis à prædicatione ſuſpenditur.*

XXVI. Hoc enim tempore accidit: vt in Prouincia Romana, ægrotus quidam Frater, qui ad vitæ exitũ properabat; ab eo ſupplex petierit, vt circa Nonam Horam; quo tẽpore ſibi ex hac luce emigrandũ eſſe, diuina reuelatione acceperat, Deo Sacrum Miſſæ Sacrificium pro eo offerret: id enim ſibi à Deo reuelatum eſſe ſignificauerat ſe Purgatorij pœnis tandiu detinendum eſſe, quoad vnicum Miſſæ Sacrificium abſolueretur. Cui cùm Franciſcus promptè annuiſſet. Ipſa Nona Hora, qua ægrotus ex hac vita decedit, Miſſæ Sacrificium inchoat; & ad finem vſque perducit. Vix is Sacerdotales veſtes exuerat; & de more, Deo gratias agens, pro defuncti anima preces, ac lachrymas offerebat: cùm Defuncti vocem ſe vocantem audit: Franciſce, Franciſce. Cui Franciſcus: Quis es tu, quem me vocantem audio? Sum (inquit ille) Defuncti Fratris anima, pro qua Sacrum Miſſæ Sacrificium obtuliſti. Heu, Pater mi, quàm longè hanc Miſſam produxiſti? Cui Franciſcus: Quid ais, inquit, vix media poſt obitum tuum hora elapſa fuit. At illa: Tam longa, ait, hæc mihi mora viſa fuit; vt annum mihi in pœnis præteriiſſe viderer: iamque inde, niſi poſt diuturnum tempus, emergere planè deſperaueram. Iam, Deo, ac tibi gratias ago: nunc enim à pœnis ſoluta, in Cælum conſcendo. Pax tibi. His dictis euanuit.

*Pro Defuncti Anima Miſſam celebrat, eaque à Purgatorio liberatur.*

XXVII. Haud diu Franciſcus à prædicatione abſtinuit: nam illius innocentia perſpecta, paulò poſt Pontificis decreto ad prædicationem redit. Cùm igitur Oropiti, quæ Vrbs eſt in Ethruria, prædicationi incumberet. Ciuis quidam, qui cum alio grauem ſimultatem gerebat, ſæpè à Franciſco admonitus, nulla ratione ad pacem cum illo conciliandam adduci poterat. Huic Vir Dei ſemel ad ſe accerſito, pluribus verbis perſuadere cœpit; vt animum cum Deo, atque aduerſario componeret. Cui cùm ille pertinaciſſimè obſiſteret, ad eum Franciſcus: Cur, amice, tam contentioſè cum Deo in maximum animæ tuæ diſpendium, agis? Certè velis, nolis, ſimultatem depones. Cui ille in ſcelere pertinacior; cùm nunquam ſe cum hoſte concordiam initurum contenderet, pluribuſque verbis cum Viro Dei altercaretur. Tum Franciſcus: Heu, miſer, inquit: An non Satanam in te irrumpentem cernis? Cuius imperio cùm animam ſubiugaueris, etiam corpus ſuæ poteſtati ſubijciet? Vix hæc ore protulerat: cùm Dæmon in eum inſiliens, tam acerbè miſerum diuexare cœpit: vt iam ſibi à Dæmone præfocandus videretur. Clamabat infelix: En ſuffocor: En ſuffocor: atque eo œſtro exagitatus,

*In odio pertinax à Dæmone corripitur.*

Iam inde miſer aufugerat, Dæmonem iuſto Dei Iudicio ſe diuexantem ferens. Cumque immenſis clamoribus totum vicinium oppleret, vniuerſi ad illius opem accurrunt: Veruntamen cùm nihil aduersùs Dæmonem, qui illius iugulum petierat, ſua ope proficerent. Eò Vir Dei feſtinat: qui cùm hominem Crucis ſignaculo conſignaſſet, Dæmonem compeſcuit, atque ad fugam cõpulit. Ille verò graui periculo exterritus, & meliorem mentem ſortitus, mox ad Franciſci pedes prolabitur; præteritæ obſtinationis veniam petit; pacem cum hoſte componit, vitamque in meliorem frugem commutat.

*A Franciſco Crucis Signo liberatur.*

XXVIII. Inde Franciſcus Peruſiam veniens, Mulierem quandam in ea Vrbe alterius odio flagrantem offendit: quã cùm ſæpè, vt odiũ deponeret, aduerſarióque reconciliaretur, admonuiſſet; nullis ea ipſius mõitis acquieſcebat; quin potiùs eo audito odium augebat. Interea Franciſcus, in publicis concionibus, in eorum pertinaciam inuehitur, qui in odiis computreſcunt, perpetuaſque inimicitias fouent. His Mulier tot admonitionibus pertæſa; Prædicatorem adire, atque in eum furias deſpumare cogitat. Quod cùm diuina reuelatione, Franciſco innotuiſſet; cùm primùm illa ad hoſpitij limen appellit, is ex hoſpitio egrediẽs, ac velut diuino Spiritu correptus, exclamat. Vbinam eſt diabolica illa fœmina, pacis inimica? Quid Dæmon expectas? Cur quod tuum eſt, non tollis. Vix hæc verba protulerat; cùm tranquillo aëre, tam vehemens ventorum tempeſtas oriri cœpit; vt tota Vrbs ea ſubuertenda crederetur. Eo prodigio Mulier exterrita; cùm Dei Serui minas impleri, ac Dæmonum præda fieri extimeſceret: mox coram illo procidens, ad omnem ſe cum aduerſario pacis modum componit. Hoc pacto, dum alios verbis ſuauibus attrahit, alios exitio terret; vniuerſos ad pœnitentiam prouocat.

*Mulierem in odio obſtinatam prodigio ad pacẽ compellit.*

XXIX. Cùm itaque plurimos iam ætatis annos, Vir Dei, in Dominica Vinea putanda, purganda, excolenda, illuſtranda conſumptis, iam ſeptuageſimum annum attigiſſet: Deus ipſius vitæ finem, F. Bernardino Calabro, qui eo tempore illi Socius erat, hac viſione aperire voluit. Orans namque Bernardinus, Franciſcum ſecurim manu geſtantem ſibi conſpicere videbatur; qui cuiuſdam arboris præcelſæ ramos, ab infimis incipiens, omnes præſcindere conabatur: cumque iam plurimos ramos obtruncaſſet, tandem ad arboris faſtigium peruenit: in quo ramis ferè omnibus præſciſſis, velut à labore vacans ſedebat. Huius porrò viſionis ſenſum cùm Bernardinus ignoraret, eidem ſignificatum fuit. Franciſcum iam ad ſuarum prædicationum, ac laborum finem pertigiſſe: breuique ab eo vitæ curſum conſumandum fore. Arbor enim Electorum plantam demonſtrat; Franciſci in ramis præſcindendis, atque arbore expolianda labor, ipſum Miniſterij opus, ac prædicationis officium; quod ad conſummationem Sanctorum, is à Deo peragendum ſuſceperat: quo cùm ſtrenuè, ad extremam vſque vitæ lineam, functus eſſet: iam opere exantlato; & labori quies, & operi merces, & corona debebatur. Quamobrem cùm à Romano Conuentu Neapolim versùs; qua in Vrbe Dei Verbum prædicaturus erat; extremam profectionem pararet: feliciùs illi iter à Deo ad aſtra decernitur, quieſque illi à prædicatione indicitur. Diutina namque Romæ infirmitate probatus; cùm in ea ſummam ſemper patientiam, cum ſingulari pietate coniunctam exhibuiſſet: Sacris tandem omnibus in eum peractis, poſt labores coronandus ad Deum conſcendit, atque in Romano Conuentu ſepelitur.

*Franciſci Obitus diuinitus Socio oſtenditur.*

*Romæ ex humanis excedit.*

XXX. Poſt hunc, in Piceni Prouincia, virtute, ac ſanctimonia floret, Fr. Bonauentura Picens, Laïcus. Vir humilitate ad miraculum inſignis; obedientiæ, ac paupertatis cuſtos ſtudioſiſſimus; honeſtatis cum primis amator, abſtinentia clarus, charitateque tantoperè flagrans, vt nullis ab ea laboribus abſterreri poſſet: vniuerſa enim charitatis officia, quæ in Monaſterio, vel infirmis, vel beneualentibus præſtantur, tam auidè amplectebatur; vt omnia ſolus agere contenderet. Orationi verò ita deditus erat; vt cùm nullum vnquam orandi tempus incaſſum præterlabi pateretur, nullum orationi intempeſtiuum putaret. Hinc ad tantam

*F. BONAVENVVRÆ Picentis, Vita, & geſta.*

*Inſignes illius virtutes, ac pleraque Miracula narrantur.*





cæleſtis vitæ perfectionem conſcendit; vt plurima ſigno Crucis Miracula patraſſe feratur. Mortuum quoque ſuſcitaſſe certo teſtimonio probatum eſt: cùm enim Camerini, Eleemoſynarij onus ſuſtineret; accidit: vt cuiuſdam Mulieris infans diutino morbo laborans, tandem interiret: quem dum Mater ad funera parat; En Bonauentura, panem de more emendicans, domus oſtium pulſat. Reuiuiſcit Matris animus, iam ob filij mortem dolore proſtratus; cumque Bonauenturæ ſanctitatem non ignoraret, protinus illum in domum vocat, mortúumque filium oſtendens, multis eum lachrymis rogat, vt eum luci reſtituat. Recuſat Vir Dei, ac peccatorem ſe exclamans, Matris preces vi omni reijcere ſtudet. At illa, ampliùs vrget, humi proſternitur, illius pedes amplectitur; atque vt puero vitam reddat, ſummis precibus obteſtatur. His Bonauentura commotus, tandem in genua procidens, diuinam pro Puero clementiam exorat: cúmque aliquandiu in oratione perſtitiſſet: inde ſurgens Puerum ſigno Crucis benedicit, ac in nomine Ieſu apprehenſum ad vitam reuocat. Id Mater cùm pleriſque ſub iuramento affirmaſſet: Puer quoque qui Carolus vocabatur, cùm elabentibus annis, Vrbis Canonicus eſſet, factum paſſim narrabat, quod à Matre didicerat. Poſtremò magna ſanctimoniæ laude clarus, Firmi, in Conuentu S. Sauini, rebus humanis valedicit.

*Mortuum puerum ſuis precibus ad vitam reuocat.*

XIXXI. Tertius quoque ex Prouincia Calabriæ, hoc anno, ad Regnum euolat, Fr. Bernardus Catacienſis, Clericus, qui tametſi breue in Religione tempus conſumpſerit: in eo tamen tot ſibi Cæleſtes virtutum diuitias congeſſit; vt in iuuenili ætate plenam Regularis perfectionis metam attigiſſe videretur. Tam enim ob cõtinuum orationis ſtudium; cui diu noctúque pluribus horis vacabat, animo ab humanis rebus abalienatus erat: vt mente ſemper excedere videretur. Porrò hoc aſſiduo orandi ſtudio eam mentis puritatem adeptus erat; vt cæleſte quoddam vitæ genus, atque Angelico ſimillimum, in terris coleret: nihil otioſum, nihil ſcurrile ex illius ore audiebatur: in verbis parcus, in ſolitudine frequens, ad obedientiæ opera impiger, ad humilitatis officia velox, ad ieiunia, & vigilias ardens, ad rerum penuriam, & corporis incommoda ferenda alacer: demùm ad omnem ſenſuum mortificationem cõpoſitus, iugi ſtudio elaborabat, vt ad Deum, rerum omnium metam, fixam ſemper mentis aciem intenderet: Cæleſti hac vitæ conuerſatione, ac ſedulo virtutum ſtudio, cùm biennium in Religione expleuiſſet; purum Deus ab his corporeis tenebris, ad Angelorùm lucem, ac conſortium transferre voluit. Quapropter cùm in Conuentu Ruſciani, in ſupremum morbum incidiſſet: ſub extremo vitæ diſcrimine inſolita quædam lætitiæ ſigna vultu prodere videbatur; quæ cùm Guardiano relata fuiſſent; is ad ægrotum accedens, eidem in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit; vt ſi quid diuinum conſpexiſſet, aut diuinitus illi reuelatum fuiſſet, protinus aperiret. Cui Bernardus confeſtim: Huc ter, inquit, ad me, Beatiſſima Cælorum Regina, cæleſti ſplendore amicta venit; his me verbis ad cæleſte Regnum prouocans: Veni, dilecte Fili: veni, nihil dubites; te enim cæleſtis Regni poſſeſſio manet. Hæc cùm dixiſſet, vix paululùm ſuſtinuit; cùm inter Guardiani, ac Magiſtri ſui manus animam efflauit.

*F. BERNARDI Catacienſis, Vita & Geſta.*

*Præclaris virtutibus emicat.*

*In morte B. Virginem cõſpicit, eum ad cæleſte regnum vocantem.*

XXXII. Bernardo verò quædam Soror Tertij Ordinis erat, nomine Lucretia, quæ Deo in ſanctitate, ac iuſtitia ſedulò ſeruiebat. Huic Bernardus in eadem ſui obitus hora oranti apparet, Alba, & pluuiali pretioſo amictus: qui inter duos grauiſſimos Viros, dignitate præſtantes, medius incedere videbatur. Cui Soror: Annon, Bernarde, ait, inter Capucinos eras? Quomodo te nunc alia, ac tam pretioſa veſte amictum inter Prælatos cerno? Num Capucinos deſeruiſti? At illi Bernardus: Ne mirêre, inquit, chariſſima Soror: Non Capucinos deſero; ſed ab iis iam iam in Cælos conſcendo. Hic, quem ad dexteram meam incedentem vides, Beatiſſimus Petrus eſt, Apoſtolorum Princeps: alter, qui læuam tenet, Sanctus Franciſcus eſt, Minorum omnium Patriarcha. His dictis, confeſtim ex illius oculis euaſit. Ea verò cùm viſum Fratribus retuliſſet; temporique tempus collatum

*Sorori Tertiariæ apparet in Cælũ migrans.*

fuiſſet; reipſa perſpectum fuit, hoc ipſo temporis momento, quó hæc Sorori demonſtrata fuerant, felicem illam Bernardi animam humana deſeruiſſe; atque inter Angelorum Choros collocatam fuiſſe.

*Antonius à Potentia Vir egregius.*

XXXIII Alij quoque hoc tempore, Viri maximis virtutibus prædita effulsêre; quorum memoria, cùm apud varia Prouinciarum monumenta celebretur; haud æquum eſt, eos abſque honore præteriri. Lucaniæ Prouincia Antonium Potentinum Laïcum, magnæ orationis, atque admirabilis abſtinentiæ Virum commemorat: cui cùm ieiunia familiaria, ac quotidiana eſſent; eò tamen illum ſpiritus ardor, ac vehementia aliquando impulit; vt Quadrageſimale vnius anni ieiunium ſub vnius tantum puſilli ficuum, quantum manus capere poteſt, eſca tranſigeret. Id cùm non humanæ, ſed diuinæ prorſus virtuti tribuendum ſit; hinc quanta intus in animo diuini ſpiritus pinguedine aleretur, perſpicuum fit. Vitam hic demùm ſanctimonia vberem, & cum laude peractam, fine quoque feliciori concludit.

*Angelus à Caſtellaneta Sacerdos, Vir illuſtris.*

Prouincia S. Nicolai Angelum à Caſtellaneta, à quo per aliquot annos, magna cum Regularis obſeruantiæ vtilitate ſanctè adminiſtrata fuit; prudentiæ, & integritatis commendat: cuius etiam virtus in diutinæ infirmitatis languore, admirabili cum patientia tolerato, ita enituit; vt præclara poſteris virtutis exempla imitanda reliquerit. Probatus denique, cùm obitus ſui horam, Deo reuelante, didiciſſet; ac Fratribus prædixiſſet; Meſſapiæ repromiſſam vitæ coronam accepit.

*Vincentius Caſſanenſis Sacerdos virtutibus clarus.*

In Rhegij quoq; Prouincia apud Calabros, F. Vincentij Caſſanenſis Sacerdotis, Viri Dei, virtutum fama adhuc viget poſt funera ſuperſtes: qui cùm vitam Euangelico Viro dignam, ſumma integritate, ac pietate vſque ad mortem traduxiſſet; in morte Ieſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, S. P. Franciſci, S. Catharinæ, & S. Claræ præſentia dignatus, cum his lætus ad cæleſtem Patriam conceſſit.

*Aegidius Syracuſanus, & Seraphinus Panormitanus ſanctimonia commendantur.*

Sicula itidem Prouincia fœtus ſuos illuſtres, Seraphinum videlicet Panormitanum, Clericum; & Aegidium Siracuſanum Laïcum, admirandos profert. Quorum prior, quanta vitæ apud Deum ſanctimonia effulſerit, diuino teſtimonio declaratum fuit. Cùm enim trigeſimo ſecundo abhinc anno, nimirum anno 1599. illius corpus è tumulo, in quo extra Eccleſiã iacuerat, in nouum Sepulchrum, quod in Eccleſiæ Sacello eo tempore extructum fuit, tranſlatum fuiſſet. Illud non modò integrum, ac nulla ex parte corruptum; verùm & facie, ac carne rubicunda, hærentibuſque tenaciter capillis, qualia viuentium corpora eſſe ſolent, ſumma omnium admiratione repertum fuit. Alter verò multa apud Noſtros ſui nominis, ac virtutis fama relicta, Trainæ è viuis exceſſit.

*Angeli diuinas laudes in Choro concinunt.*

XXXIV Quædam alia, hoc anno, paſſim memoranda acciderunt, quæ ſilentio tegi haud fert huius temporis Hiſtoria: Nam in Bononienſi Prouincia, Laïcus quidã, eximiæ puritatis, ac orationis Vir: cùm in Mutili Conuẽtu, poſt Matutinas Horas, ad Orationem ſurgeret; voces ſuauiſſimas, velut canentium, in Choro ſibi audire videbatur: quapropter ad Chorum pergens, cùm ad illius fores acceſſiſſet; plurimam inde lucem, ac ſplendorem erumpere conſpicit; tamque ſuaues Angelorum concentus in eo perſonari percipit, vt penè in mentis exceſſum raperetur. Sed cùm aperto Chori oſtio, canentes intueri cuperet; mox ſplendore euaneſcente, cuncta ſiluêre; neque vllus in Choro prorſus apparuit: Vt qui Chori Religioni addictos, inter inertes, ac ignauos relegant: hanc Angelis ac Beatis, quos in Choro pſallentes audiunt, ſaltem contumeliæ maculam non inurant: ſed potiùs Chori Religionem ad Angelorum Religionem reuocent.

XXXV. Petræ Honorij, quam etiam Bertinorum appellant, quæ Vrbs Aemiliæ eſt: hoc anno cùm tam copioſa è Cælo nix cecidiſſet; vt Fratres è Conuentu, qui longiùs ab Vrbe diſtat, ad eam accedere; panémque ſibi eleemoſyna mendicare non poſſent: vitæ neceſſariis deficientibus, ad orationem confugiunt; atque à Domino, cui extremam rerũ paupertatẽ deuouerant, annonam poſcunt.

*Diuina erga Fratres Prouidentia panditur.*

Eo tẽpore vox, per Bertinori Vrbem, è Cælo audita fuit, clamantis. Capucini Fratres fame pereunt: qua Vrbis Ciues permoti, mox panem, ac cætera vitæ neceſſaria, niue prærupta, ad Conuen-





tum mittenda curant: quibus Fratrum Familia, velut cæleſti munere recreata, ad Dei laudes celebrandas excitatur.

*Clericus pro tuenda caſtitate à Mulieribus trucidatur.*

Poſtremò in ipſa Venetiarum Vrbe hoc anno Clericus quidam aſpectu decorus, ac honeſtate venuſtior; qui cum eleemoſynario panem pro Fratrum Familia oſtiatim mẽdicabat: cùm ſeorſim à Socio cuiuſdã domus fores pulſaret, ac eleemoſynam peteret: geminę mulieres, quę ſimul inhabitabãt, turpi illius amore exardeſcenes; quaſi eleemoſynam elargiri vellent, intus aduocant: ac cubiculi oſtia claudentes, illum ad turpia pelliciunt. Horret caſti iuuenis animus Mulierum impudicitiam: cumque inſanæ Veneris cupiditati, qua vtraque flagrabat, ſtrenuè reluctaretur: hæ, gladiis arreptis, illi necem minantur, niſi in turpem copulam conſentiat. At ille diuina virtute conſtantior, neci caſtitatem præferens, Mulierum impudentiam reijcit: quæ tandem amoris repulſam paſſæ, eò furoris euadunt; vt eum cultris aggredientes, adgeniculatum, ac manus ad Cælum tendentem crudeliter enecauerint. Extinctum porrò, vt perpetratum ſcelus celarent, ſub domus gradibus ſepeliunt. Id cùm ex illis altera, facti pœnitens, poſt aliquot menſes elapſos, Patri cuidam Ignatio, Societatis IESV, qui illi à confeſſionibus erat, reuelaſſet: is illud Capucinis in hæc verba retulit: Scio, Patres mei, Vos quid de Clerico veſtro actum ſit, hactenus ignorare: at illud vobis ſolatium ſit: eum velut integræ caſtitatis Martyrem, pro ea mortem ſubiiſſe: remque totam, iis tantùm ſilentio præteritis, quæ ad Sacramenti ſigillum ſpectant, vti exarata eſt, enarrauit.



*Religio falſo rumore perturbatur.*

I. RELIGIONEM ſereno Cælo, ac tranquillis rebus fruentem, Annus hic milleſimus quingenteſimus ſexageſimus octauus, quadam nubium caligine aſpergit: falſo etenim rumore diſſeminato, quòd Summus Pontifex Minorum omnium Ordines in vnicum Religionis corpus vniri, ac compaginari decreuiſſet; plurima apud Capucinos rerum perturbatio oritur: qui cum antiquas, ac ſedatas iam olim procellas, iterum in Reformationem commoueri, ac recrudeſcere extimeſcerent: Qui Romæ aderant, mox Marium Generalem per literas certiorem faciunt. Marius quoque, qui Siciliam viſitando peragrabat; magnis cogitationum fluctibus æſtuans, vt Religionis incolumitati proſpiceret; viſitatione intermiſſa, ſtatim Romam aduolat: ſtudiumque omne, ac laborem confert, vt Pontificis animum, ac conſilium exploret. Erat tunc ob Cardinalis Carpenſis mortem, quæ anno 1564. contigit, Capucinorum Protector Cardinalis Vrbinas, à S. Carolo Borromæo, qui Conuentualibus, ac Obſeruantibus ſua protectione præerat, diſtinctus: qui cùm ab Vrbe abeſſet, Marius Generalis Amulium Cardinalem, qui Viceprotectoris munus gerebat, & cum eo Farneſium, Cribellium, Sirletum, atque alios Cardinales, qui Capucinorum rebus fauebant, opportunè conſulit: qui cùm ſe rei ignaros præberent, is tandem, vt ſe à metu liberet, Pontificem adire deliberat: cui vbi rumorem, de nouo Minorum omnium vnionis conſilio, vbique commeantem, aperuit; eidem antiquam Religionis libertatem, hactenus ex priorum Pontificum benignitate, à Minorum Obſeruantium iugo immunem; vnde totius Regularis obſeruantiæ ſumma pendet, impenſiùs commendat. Pontifex verò, cui nihil vnquam huiuſmodi in mentem venerat, æquo animo eſſe iubet: Neque enim vllo ſe huiuſmodi ſtudio teneri, ait: cùm in id tantùm animum intenderet; quo pacto, Minorum Conuentualium Reformationi conſulere valeret; quos propterea ad Minorum Obſeruantium Familiam compellendos cogitabat. Quod verò ad Capucinos ſpectat, nihil in iis non modò immutandum fore pollicetur: quin etiam id apud ſe ſtabile, ac fixum ſtatuit, illorum ita incolumitati, ac ſtabilitati incumbere, ac Religionis radices tam altè plantare; vt nullo vnquam deinceps perſequentium flatu euelli, aut mutari queant.

*Pij V. Pontificis ſingularis erga nos beneuolentia.*

II. Hoc Pontificis reſponſo, atque illius animo multis ſingularis beneuolentiæ verbis declarato; Generalis, ac totius Religionis ſpiritus, falsò illo rumore conſternatus, reuixit: faciléque perſpectum fuit; rumorem ex aliorum potiùs odio, ac æmulatione, quàm ex vlla veri periculi ratione exortum fuiſſe. Quapropter omni rerum perturbatione ſublata, ac pace animis reſtituta; Deo Opt. Max. gratiæ redditæ. Pontifex quoque, vt propenſiorem in Capucinos animum oſtenderet; cùm Hieronymi Piſtorienſis, qui Generalis Lectoris in Romano Conuentu munus præclarè agebat; ſummam eruditionem, atque in Theologicis diſciplinis præſtantiam, fama didiciſſet; eum ſibi Theologum eligit: cuius maximè conſilio, in rebus arduis definiendis, deinceps eſt vſus.

*Hieronymus Piſtorienſis Theologus Pontificis eligitur.*

## F. FANCISCI MACERATENSIS, Vita, & Geſta.

III. INterea hoc anno, poſt dura carnis, ac Dæmonum bella, & diuturnos Religioſæ militiæ labores, plerique milites in Religione emeriti, à Deo cæleſte ſtipendium

accipiunt:





accipiunt: Inter quos primus eſt Fr. Franciſcus ab Ælia Ricina noua, ſeu Macerata, Laïcus. Hic agricolis parentibus natus; cùm agros aratro, ac ligone ſcinderet; ad meliorem animi culturam, in ipſa adoleſcente ætate, à Domino vocatus, ad Minorum Obſeruantium Ordinem ſe contulit: in quo cùm per aliquot annos, vitam piè, ac religiosè duxiſſet; tunc primùm illuceſcente Capucinorum Reformatione, ac Regularis obſeruantiæ radios longé, latèque diffundente, inter primos, anno 1528. ad Capucinos euolat; atque à Ludouico Foroſempròniano Reformationi aſſociatus, in Picenum tranſmittitur.

*Ex obſeruantibus ad Capucinos migrat.*

IV. Summa in hoc Viro ſimplicitas, atque ad omnia virtutum genera tam ardens ſtudiū enitebat; vt cùm admiranda illa priſcorum Anachoretarum ieiunia, ſilentia, ſolitudines, carnis macerationes, atque alia præclara geſta ab aliis audiret: (neque enim is vllas omninò literas nouerat) mox tanta ad ea imitanda cupiditate accenderetur; vt plerumque nulla Superioris expectata licentia, ad nemora, ac ſolitudines ſe conferret: vbi herbis, ac fructibus tantùm victitans, dies, nocteſque in orationibus, vigiliis, cilicio, atque aliis carnis macerationibus diu tranſigebat. Id cùm ex maxima illius ſimplicitate flueret; facilè Superiores facto annuebant. At verò, cùm ſemel à ſolitudine ad Conuentum rediens, à Superiore obiurgaretur; quòd tam leuiter, præter obedientiam, extra Monaſterij clauſtra pergeret: mox ante illius pedes proſtratus: Heu, Pater mi, inquit; Num facinus aliquod admiſi? aut illicitum perpetraui? Si ita eſt; magnum profectò ſupplicium promerui. At ſcelus planè ignorabam. Illud enim mihi velut certum perſuaſum erat, ad ea me præſtanda teneri, quæ & præſtantiora, & magis virtute digna eſſent. Audiui Paulum, Antonium, Hilarionem, priſcoſque illos Anachoretas, Eremos incoluiſſe; à cibis diu abſtinuiſſe, humi cubaſſe, longas vigilias duxiſſe, orationibus vacaſſe; hæc mihi ad imitandum propoſita eſſe exiſtimaui. Quod ſi (vt dicis) hæc mihi facienda non erant; certè ſcelus commiſi: ac dignus ſum, qui ſeueriùs puniar. Hæc tanta humilitate, ac ſimplicitate proferebat; vt nemo in eo, præter ſimplicis animi teſtimonium, ardenſque ad omnem virtutis profectum ſtudium, quicquam aliud agnoſceret. Quamobrem hæc vbi veræ Religioni, atque obedientiæ legi aduerſari animaduertit; ab his deinceps abſtinuit.

*Quædam ab eo ex ſimplicitate acta referuntur.*

V. Alterum quoque ipſius ſimplicitatis argumentum fuit: Quòd, cùm inter prima illa Reformationis primordia, ac turbulentum rerum ſtatum, Aduerſariorum opera, falſus plerunque rumor in vulgus diffunderetur, Capucinos Apoſtatas, & Excommunicatos eſſe: eo fiebat, vt Franciſcus, qui omnia ex ſimplicitate credebat; nullumque in Orbe mendacium eſſe ſuſpicabatur; iterum ad Obſeruantes remearet. Cumque ab iis falſum illum rumorem eſſe intelligeret; multoſque paſſim ex Obſeruantium Familia ad Capucinos migrare cerneret: ipſe quoque cum iis rurſus ad Capucinos redibat. Quod cùm ſæpiùs ex nimia credulitate præſtitiſſet: accidit, vt, cùm ad Obſeruantes aliquando remeaſſet; à quodam Minorum Obſeruantium Guardiano, tot Religionis mutationibus pertæſo, in carcerem detruſus, quadragenum dierum numerum in eo expleuerit: ex quo tandem cùm liber euaſiſſet; iterum ad Capucinos repedauit: à quibus tametſi frequens ea conſilij mutatio, non mentis leuitati, ſed ſimplicitati adſcriberetur: veruntamē cùm ea ſimplicitas Religioni noceret, nonniſi difficilè, ac ſummis precibus rogati in ipſius tandem receptionem conſensêre. Quanquam verò hæc ſimplicis potiùs, quàm inconſtantis animi inditia eſſent; minùs tamen ſimplicitatem cum prudentia coniunctam iudicabant. Quare poſt hæc, vbi maior illi à Deo animo lux indita fuit, mentis imprudentiam exuens, immota ſe animi conſtantia, in Capucinorum Religione, ſtabilem præſtitit.

*Summa ipſius ſimplicitatis argumentum.*

VI. Ea igitur; quæ huic ſimplicitati ineſſe poterat, labe expurgata; admirabile propemodùm erat huius Viri vitæ genus. Nam quod ad corporis auſteritates ſpectat: rudiorem, ac abiectiſſimum ſemper ſibi habitum eligens; eum panni, ac ſacci præ-

*Admirabilis ipſius Vita & auſteritas indicantur.*

ſegminibus, quæ proijciebantur; non aliis reſarcire ſolitus erat: eoque ſolo contentus, aſperum præterea ſub eo cilicium geſtabat; quo carnem longiùs à delitiis abſtraheret, ac velut ſtimulis, diu, noctúque ad Dominicæ Crucis amplexum compelleret. Toto anni tempore cùm nudis pedibus abſq; ſandaliis incederet, niuémq; glaciémq; aſperrimo tempore calcaret: hinc frequenter ſub pedum plantis rimas, ac vulnera patiebatur; vnde viuus ſæpè ſanguis effluebat: quæ tamen is adeò nihilipendebat; quaſi nullo eorum ſenſus dolore afficeretur, vixque ad eum illa pertinere viderentur: Præterea tam ſeuera corpus flagellatione caſtigabat, vt cùm ſe ſibi haud ſufficere exiſtimaret: alterius validam manum ad flagellationem ſibi adhibendam curaret: verberibus haud ſecus mouebatur, quàm ſi ligneum, aut marmoreum corpus percutienti offerret. Vnica illi in die refectio ſemper familiaris fuit; quam ſæpè panis & aquæ ieiunio, iis præſertim diebus, qui vel Domini, vel Deiparæ Virginis peruigiliis, vel Sextis feriis Sacri eſſent, oppiparam reddebat. B. P. Franciſci ieiunia, quæ quinque Quadrageſimis diſtincta ſunt, tam arcta ieiunij lege, quoad vixit, coluit: vt ea vel violare; vel aliis, quàm Quadrageſimalibus cibis in iis vti, piaculum duceret. At neque hæc ad ſenſus cupiditates edomandas, & dura pro Chriſto toleranda ſibi ſat eſſe exiſtimabat: Tam enim ſibi in cibo, ac potu auarus erat, vt nec famem vnquam pelleret; neque aquam, quantùm ad ſitim extinguendam ſatis eſſet, bibere auderet.

*Mira ipſius Abſtinentia aperitur.*

Huic exterioris hominis mortificationi, internæ quoque animi virtutes intimè copulabantur. Humilitas enim, quæ prima virtutum, cæteris fundamentum præſtat; tam altas in Viro Dei radices egerat: vt cùm tot corporis auſteritates pro Deo ſubiret; vniuerſaque, ad quæ ſe humana virtus extendere poterat, impiger exantlaret: nihil tamen ſe vnquam præſtitiſſe, ac velut inutilem Seruum Deo ſemper, ac ſibi defuiſſe exiſtimaret. Idque tam illi animo fixum, ac perſuaſum erat: vt quoſlibet tam ſæculares, quàm Religioſos homines, ſe meliores eſſe proculdubio exiſtimaret. Honeſtatis tam integer Cuſtos fuit: vt demiſſis ſemper oculis incedens, nullam prorſus Mulierem facie agnoſceret: Hinc cùm Vrbinatum Duciſſa, quæ Viro Dei familiariſſima erat, eum demiſſis ſemper ad terram oculis loquentem cerneret; his eum aliquando verbis compellat. Quid eſt, Franciſce, quod aſpectum meum, quaſi tibi inimica eſſem; horreſcere videris? Num tibi incognita ſum? aut mecum aliquam ſimultatem geris? Cur ad me oculos non attollis? Cui Franciſcus? Quænam, Soror mea, ait, iſthæc cupiditas eſt, quæ animum tuum ſollicitat; vt ad te ſpectandam oculos attollam? cur id à me poſtulas, quod mihi plurimùm obeſſe, tibi autem nec minimùm prodeſſe poteſt? Virginem pudor, Religioſum oculorum cuſtodia declarat: Pleroſque liber oculus deprædatus eſt; nulli vnquam demiſſus ſcandalum peperit: quapropter ſine me; dum te Mulierem alloquor, terram potiùs, quàm faciem tuam ſpectare: illa enim animum ad mortis memoriam reuocat; hæc cogitationem ſæpè à bono, atque à recto hominis fine auocat. Quamobrem vt purum animum ſeruaret, tutiúſque pretioſiſſimum caſtitatis theſaurum cuſtodiret; Mulierum omnium aſpectum, & conſortia fugiens, rarò cum iis colloquebatur. VII.

*Quàm diligens honeſtatis cuſtos eſſet, exemplo declaratur.*

Sanctam Ruſticitatem, ac innatum animo candorem, quem ab incunabulis tulerat, toto vitæ ſuæ curriculo ita retinuit; vt tam Guidobaldum Vrbinatem Ducem, & Victoriam Farneſiam Duciſſam, qui illius plurimùm conuerſatione, & colloquio delectabantur; quàm illuſtriſſimos alios quoſcunque Viros, ac Fœminas, Fratrum, duntaxat, ac Sororum nomine nuncuparet. VIII.

*Sancta illius Ruſticitas.*

Tanta verò erga afflictos animi teneritudine, ac compaſſione commouebatur; vt nunquam eorum anguſtias, ac tribulationes perciperet; quin copioſas cum iis lachrymas funderet: eadem quoque in ægrotos charitate ferebatur, quibus tam auidè inſeruiebat; vt in eorum obſequiis noctes plerunque inſomnes traduceret. Quapropter à Ludouico Foroſemproniano, inter ipſa Ordinis initia, ad Hoſpitalem Domum IX.

*Ipſius erga afflictos charitas.*

lem Domum



lem Domum S. Iacobi Incurabilium deſtinatus; per aliquot annorum ſpatia, tanta ſollicitudine, ac diligentia Infirmis miniſtrauit; tamque ardenter pio illi operi incubuit: vt ab omnibus paſſim ægrotorum Mater, ac nutrix appellaretur.

IX. At neque minor ipſius in pauperes charitas fuit: quorum, vt inopiam ſubleuaret, non ſemel iis neceſſariam domus annonam diſtribuit: cuius rei vnicum hîc lubet exemplum ex multis referre. Dum Maceratæ Conuentus ædificaretur; ac plerique Cæmentarij vltrò operam ædificationi præſtarent, quibus Fratres vitæ neceſſaria, ex quotidiana mendicatione miniſtrabant: eo tempore Franciſcus Eleemoſynarij in eo Conuentu onus ſuſtinebat: qui cùm ſemel cum eleemoſyna ex Vrbe ad Conuentum rediret, accidit: vt plerique pauperes ab eo eleemoſynam peterent: (eo namque anno, ob terræ ſterilitatem, fames totam regionem occupauerat,) quam cùm ille ex innata pietate, denegare nunquam ſoleret: reliquis in pauperes erogatis, vix triginta panes in mantica ſupererant; quibus cùm, dum ad Monaſterium pergit, triginta Viros aduenas Theutonicos in via iacentes, ac fame penè enecatos offendit: quibus cùm panem in paropſide intriuiſſet; bucellaſque vino intinctas in eorum ora immiſiſſet; refocillatos in vitam inſtaurauit; eiſque reliquos triginta panes diſpertitus eſt, ita vt abſque pane Domum redierit: Porrò tam Fratres, quàm Cæmentarij panem eſurientes expectabant; quorum cùm Guardianus ſpem fruſtratam cerneret, eum grauiter obiurgat: moxque Fratres alios ad panem mendicandum mittere parat. Cui Franciſcus: Quæſo, Pater, (ait) priùs ad arcam panariam mitte, & num ibi panis adſit, explora. At Guardianus: Quid arcam, inquit, commemoras? Iam diligentiſſimè ante hac explorata fuit, in qua nec vnicum quidem panis fruſtulum offendas. Suſtine pauliſper, Pater, ſi lubet (ſubdit Franciſcus) fortè ibi panem inuenies, ſi meliùs exploraueris. Redit Guardianus ad arcam panariam, quam candido, ac recenti pane è Cælo miniſtrato, plenam reperit: qui cùm apertum Dei Miraculum agnouiſſet; Viri pietatem, ac ſanctitatem admirans, omnem illi deinceps eleemoſynæ pauperibus elargiendæ, poteſtatem contulit.

*Mendicationis panem Pauperibus diſtribuit.*

*Ipſius oratione Panis è Cælo Fratribus datur.*

X. Eo Miraculo à Fabris Cæmentariis per Vrbem diuulgato, mox tanta in populo de Franciſci ſanctimonia fama percrebuit; vt ad eorum, qui ad eum confluebant, frequentiam declinandam, inde abſcedere compulſus fuerit. Quapropter Vrbinum profectus, cùm in ea Vrbe Quæſtuarium quoque opus exerceret: Nobilis quædam Mulier, Duciſſæ Vrbinatis pediſſequa, quæ iamdudum ſanguinis fluxu laborans, multa fruſtrà in Medicos erogauerat; cùm ſe impenſiùs Franciſci orationibus commendaſſet: Vir Dei diuturna illius infirmitate permotus, panem è ſacculo hauſtum eidem porrigit, dicens: Panis hic, panis eſt Domini, qui ob Ieſu Chriſti amorem datur: Accipe, comede, & in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanaberis. Vix illa panẽ guſtauit; cùm ſanguinis fontem ſtetiſſe, perfectèque ſe corpore ſanatam eſſe ſenſit. Atque eo factum eſt, vt Duciſſa, quæ plurima erga Virum Dei deuotione afficiebatur; quoties is ad eam pro eleemoſyna accederet, ab eo panem peteret; quo deinde in menſa, fruſtulis inter filios diſpertitis, veſcebatur.

*Mendicationis pane fluxu ſanguinis laborantem ſanat.*

XI. Poſt hanc altera quoque Mulier Illuſtris, Metolæ Comitiſſa, quæ ad Medicorum deſperationem ægrotabat: Virum Dei, panem aliquando in Vrbe mendicantem, miſſo nuncio, ad ſe accerſit. Cui Vir Dei: Mihi, inquit, panis ex obedientia quærendus eſt; ad eamque mihi, per otium proficiſci non licet: Veruntamen hoc panis fruſtulum ad ipſam defer; eoque in nomine Domini Ieſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis, nec non B. Patris noſtri Franciſci veſcatur, quorum ope conualeſcet? protinuſque panis fruſtulum è mantica hauſtum, nuncio ægrotæ deferendum tribuit: quod cùm ægra deguſtaſſet, illicò morbus deferbuit, ac breui incolumis euaſit.

*Panis fruſtulo ad mortem ægrotantem curat.*

XII. Hoc pacto, cùm Serui ſui ſanctitatem Deus vbique ſignis manifeſtaret; is è regione, tam ſe omni Dei gratia indignum iudicabat; vt ingentem æternæ damnationis

tionis

*Aeternæ dānationis metu percellitur.*

tionis metum in animo conciperet: atque inde omnium ſe pedibus proſternens, cunctorum orationibus ſe adiuuandum commendaret. Hunc porrò gehennæ ſubeundæ timorem, ex quibuſdam Domini reuelationibus, ac viſionibus contraxerat: Eo namque tempore, quo peſtilentia in Piceno graſſabatur; dum quadam die ſolitarius oraret, quamplurimas Religioſorum animas, ex variis Ordinibus in Tartarum demergi; vixque ex tanta multitudine tres in Cælum ſubuectas fuiſſe, Deo reuelante, conſpexit. Rurſum quoque cùm peſtis alia deſæuiret; innumeras, tum ſæcularium, tum Regularium defunctorum turmas, eodem modo ad Inferos dilabi; ex quibus, ne vna quidem, Cælum conſcenderet, aut in ſalutem vendicaretur, cùm Deo monſtrante, contuitus eſſet; inde ingentem diuinorum Iudiciorum timorem ſibi in animo conciliauerat, quo indeſinenter afflictabatur. Hoc pacto Deus Opt. Max. Serui ſui ſpiritum, ne ob cæleſtium donorum copiam extolleretur, velut pondere quodam deprimebat.

*Aſſiduæ illius in Oratione lachrymæ.*

XIII. Inter hæc, Orationis, ac diuinæ contemplationis ſtudium, Seruo Dei tam frequens erat: vt maiorem diei, ac noctis partem in oratione inſumeret, eamque ſemper copioſis fletibus irrigaret. Quapropter cùm ſemel ægroti curam gereret; reſque ipſa poſtularet, vt is in ægroti cubiculo quieſceret; noctem ferè totam in oratione duxit: quam cùm tot lachrymoſis gemitibus proſequeretur, vt ægroti ſomnum impediret; æger ab eo petere compulſus eſt, vt ab iis ſe paululùm temperaret. Cui Franciſcus: Frater, ait, id libenter agerem, ſi poſſem; at me tam multa ad lachrymas compellunt, vt ab iis haud quaquam abſtinere queam. Verùm hinc tantiſper recedam, vt & tu ſomno potiaris. Porrò ex hac lachrymarum aſſiduitate, tam facilem ad fletum viam oculis ſtrauerat, vt cùm vbique ſemper oraret, nunquam ferè à lachrymis abſtineret. Hac de cauſa tam Fratrum, quàm ſæcularium hominum colloquia, quoad fieri poterat, ſtudioſè deuitans, ſolus cum Deo vt plurimùm agebat.

*Ipſius erga diuinā Religio.*

XIV. Maxima in hoc Viro, tametſi olim Agricola, morum compoſitio, ac pietas elucebant: ita vt facies, vox, aſpectus, inceſſus, corporis geſtus, cuncta denique in eo humilitatem, ac deuotionem præſeferrent; quorum vel aſpectus duntaxat vniuerſos ad pietatem ædificabat. Tanta quoque, erga diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, reuerentia afficiebatur; vt ſi quando illi per Eccleſiam, aut Chorum pergendum eſſet; nunquam terga Sacramento verteret: ſed aut per illius latera incederet, aut verſa ad Altare facie retrocederet. Regulæ verba tanta veneratione proſequi ſolebat; vt cùm ſæpè ab aliquo Sacerdote, ex ea Capitulum ſibi legi peteret, illud genuflexus, ac iunctis manibus, velut Dei oraculum audiret. Cùm igitur Vir Sanctus, ob Vigilias, atque alias corporis macerationes, quibus ſe aſſiduè afflictabat, quandam neruorum ægritudinem contraxiſſet, cui curandæ pharmaca, atque alia Phyſicæ artis remedia, haud ſatis eſſe videbantur: Medicorum, ac Prouincialis Vicarij præcepto compellitur, ad Porettanas ſe aquas conferre: vbi à Nobili quadam Muliere hoſpitio exceptus, cùm Veſpere iam in ſuum ſe cubiculum receppiſſet; extincto lumine, more ſolito orationi vacabat: cùm Nobilis illa domus hera, caſu ante illius cubiculi fores iter faciens, ingentem ex eo lucem per oſtij rimas erumpentem cernit. Stupet illa, quæ priùs extinctum lumen nouerat: magiſque admirationem auget, cùm propiùs ad fores accedens, alterum cum Franciſco colloquentem audit. Quamobrem per oſtij rimulas aſpiciens, igneum, ac velut Solarem globum ſuper Viri Dei caput eminere animaduertit; atque ex verborum tenore, cùm neminem præter Franciſcum cerneret, Virginem Deiparam cum eo colloquentem colligit: ex quo deuota Mulier tantam animo voluptatem concepit; vt vberem hoſpitij ſui mercedem, vel eo ſe aſſecutam eſſe exiſtimaret; quòd Beatiſſimam Cælorum Reginam, Franciſci cauſa, ſuo quoque hoſpitio excepiſſet: magiſque ſe Viro Dei, ob Virginem ad ſuæ domus hoſpitium attractam; quam eum ſibi propter hoſpitalitatem perſolutam, debere prædicaret.

*Noctu orans cum B. Virgine colloquitur.*

Dum his



XV. Dum his Franciſcus balneis vtitur. Guidobaldus Vrbinatum Dux, ob ſummam ſuam in Virum Dei beneuolentiam, Aulicum quendam ſibi familiarem eò deſtinat; qui vniuerſa illi neceſſaria miniſtret; ſeque de illius incolumitate paſſim certiorem faciat. Is itaque cùm ſemel ad Virum Dei, in ſuo cubiculo orantem acceſſiſſet; in extaſim raptum, atque altiùs è terra ſubuectum; flammamque ipſius capiti inſidētem cōſpicit: cuius aſpectu Vir ita exterritus fuit; vt inde ſtatim abſcedens, nullis Franciſci ſocium, quem in itinere obuium habuit, præ timore verbis affari poſſet. Medicus itidem, qui illius tunc curationi incumbebat; cùm alio quoque tempore, inopinatò Viri Dei cubiculum ingreſſus eſſet, Virginem Deiparam cum eo colloquentem offendit; quæ extemplò eo ingrediente euanuit.

*Orans in extaſim rapitur, & altiùs è ſolo eleuatur.*

XVI. At verò nec minori admiratione dignum fuit, quod Viro Dei Corinalti contigit. Ibi enim cùm Nobilis quidam, Ordini cumprimis deuotus, ac familiaris, frequenter ad Fratres accederet: accidit; vt aliquando meridiano tempore, dum Fratres orationi vacant, Monaſterium ingrederetur; dumque per nemoris vias ſolus deambulat; ex inſperato Franciſcum, qui in nemore orabat, ante ſe in aëra ſublatum, ac vertice altiores arboris ramos contingentem ſpectat: cuius aſpectu perterritus, cùm inde pedem retraxiſſet, rem Guardiano admirabundus narrat: qui cùm huiuſmodi raptus Viro Dei haud inſolitos eſſe non ignoraret, plura quoque illius facta apud eum non obſcurè commendat.

*In nemore orans ſupra arbores eleuatur.*

XVII. Poſt hæc contigit, vt Frater extremo morbo laborans, atque à Phyſico certæ neci adiudicatus, illius ſe precibus commendaret: quem cùm Vir Dei intuitus eſſet: Ne time, inquit, Frater, non hæc tibi ad mortem infirmitas erit; longior enim tibi vita ſupereſt. Cui Æger: Pro anima, ait, non pro corpore rogo: certa enim mihi, teſte Medico, cras imminet mors. At Franciſcus: Viues, Frater, ac breui conualeſces: at duriora, & acerbiora te corporis incommoda manent. Cuncta illi adamuſſim, vt Vir Dei prædixerat, contigêre: breui namque incolumitati reſtitutus, grauioribus deinde guttæ arteticæ doloribus diſcruciari cœpit.

*Ægroto Fratri Moribundo incolumitatem, ac futura incommoda prænunciat.*

XVIII. Eximio hoc Prophetiæ dono Dei Seruum à Deo illuſtratum fuiſſe, præter hæc, alia quoque exempla declarant. Cùm enim Mulierem quandam alloquens, quæ necdum ſe fœtum in vtero concepiſſe nouerat; eam maſculum filium parituram eſſe prædiceret. Negabat illa vllum ſe in vtero fœtum continere. Cui Vir Dei; Id, inquit, ſuo tempore perſpicies: Verùm Filio Ioſephi nomen impone, vt viuat. Peperit ſuo tempore mulier, maſculumque Ioſephi nomine cohoneſtat.

*Mulieri prolam maſculem futuram prædicit.*

XIX. His profuſæ benignitatis ſuæ donis, cùm ſæpè Deus fidelem Seruum ſuum accumularet; eidemque altiora ſapientiæ ſuæ arcana ſignis, ac reuelationibus manifeſtaret: ne eum reuelationum, ac cæleſtium donorum magnitudo extolleret; illi à Deo Angelus Satanæ datur, qui graui eum tentatione aggrediatur. Satan enim accepta à Deo poteſtate, tantam illi in quorundam verborum Orationis Dominicæ pronunciatione, difficultatem excitat: vt nulla ratione, vi, aut ſtudio adhibitis, ea verba: *Adueniat Regnum tuum*, tum etiam illa: *Et ne nos inducas in tentationem*, proferre valeret: quæ res in ſummas illum animi anguſtias, ea potiſſimùm ratione adigebat; quòd cùm Laïcorum Officium ex certo Orationum Dominicalium numero compactum ſit; ad quas integrè recitandas ex Regulæ præſcripto tenentur: eò maximè cruciabatur; quòd binas in iis clauſulas, quæ ad Officij integritatem ſpectant, prætermittere cogeretur. Hinc ſæpiſſimè Franciſcus in oratione lachrymas fundēs, Dominum in timis animi gemitibus obſecrabat; vt nequam ille Spiritus, qui linguam à Dei laudibus abſtrahebat, à ſe tandem abſcederet. At id fruſtrà; Dominus enim, qui ad probationem, & coronam illi Satanam dederat; eaque tentatione illum ad maiores virtutum profectus prouocare decreuerat; haud Tentatorem expellere voluit; gratiam tamen ad vincendum tribuit. Omnia Fratres in eum charitatis officia præſtabant, quibus illum ab eo linguæ impedimento liberarent; curamque omnem, ac ſollicitudinem conferebant; vt ver-

*Dæmonis tētatione quadam Dominicæ Orationis verba proferre non poteſt.*

borum

borum illorum plenam prolationem aſſequeretur:alij cum eo Orationem Dominicalem recitabant,alij verba, ac verborum ſyllabas,ac tandem ipſas illi literas diſtinctè pronunciandas proponebant,ac velut ori inferebãt. Is verò cùm liberè cętera proferret;vbi ad præfata Dominicæ Orationis verba deueniebat, cũ primùm ea pronunciare tentaret; tam immaniter animo torquebatur,vt dentibus ſtrideret,rugitus ederet, ore deſpumaret; ac in Prothæi modum in mille ſe formas mutaret. Animus quidem,qui liber erat,integrum verborum ſenſum retinebat:at lingua vi Dæmonis impedita ab iis abſtinere cogebatur.Deus autem,qui animi potiùs,quàm linguæ vocibus delectatur,Satanæ linguam ad Serui ſui probationem permiſerat: ſibi verò animum à linguæ impedimento alienum ſeruauerat.

XX. Veruntamen cùm Dæmone obſiſtente,nulla vi,ac diligentia verborum illorum pronunciationem Franciſcus aſſequi valeret: reſque ex Regulæ præcepto penderet, in qua ſolus ſummus Pontifex ſuapte poteſtate diſpenſare poteſt;ea ad Paulum 4.ſummum Pontificem delata fuit:qui Franciſco coram ſe accerſito, cùm præſens Diabolicum linguæ vinculum agnouiſſet, illum de poteſtatis plenitudine à verborum illorum prolatione,eiuſque obligatione abſoluit. Eo tamẽ haud Franciſci animus quieſcebat; qui cùm orationem ſuam velut indignam, à Deo repelli arbitraretur; omnium ſe pedibus ſubſternebat,luce ſe indignum exiſtimabat, maximum ſe omnium peccatorẽ prædicabat;ac quaſi cibo,ac potu indignus eſſet,vix iis ad naturæ neceſſitatem vti audebat: nullum denique lachrymis finem imponens, vitam in dolore,ac ſummis anguſtiis ducebat. At benigniſſimus Dominus, qui illius carnem linguæ compede aggrauauerat, animum mœroribus confectum conſolabatur; maximiſque è Cælo donis cumulabat. Nam hoc tempore tot cœpit ſignis, ac miraculis corruſcare;vt omnem propè numerum excederent: ex quibus cùm multa temporum iniuria, ac Scriptorum negligentia perierint; vix paucorum memoria eſt ſuperſtes, quæ hîc referre lubet.

*A Pontifice ab eorũ verborum prolatione diſpenſatur.*

XXI. Poſt hæc enim Maceratam miſſus, vbi ipſius Sanctimonia iam cunctis perſpecta erat;cùm à Nobili quadam Matrona, quæ iamdudum Paralyſi laborans in lecto iacebat, domum accerſitus fuiſſet; eò Guardiano præcipiente accedit? Cui illa: Ego te accerſiui,Franciſce,vt rem à te poſtularem,quam abs te mihi denegari nolo. Spem enim illa certam animo conceperat,vt ſi à Viro Dei Signo Crucis benediceretur, protinus à diutino morbo liberanda eſſet. Cùm verò illius humilitatem non ignoraret,quæ facilè ad huiuſmodi ſigna ac benedictiones præſtandas,non pertraheretur; eum propterea promiſſionis vinculo obſtringendum cenſet. At Franciſcus,qui erga ægrotos mira pietate afficiebatur:Dummodò,ait, iuſtum ſit, quod poſtulas, ac diuinæ Maieſtati gratum, meæque poteſtati relictum; cur tibi denegandum erit? Tunc ægrotans: Nihil aliud,mi Franciſce, peto, quàm quòd me Signo Crucis manu tua conſignes. Cui Franciſcus:Nec rectum,ait,nec honeſtum eſt, quod poſtulas: neque enim ego, aut Sacerdos, aut Sanctus ſum; ſed miſer peccator,quem magis peccata ſua deflere, quàm benedicere decet. Cumque id prorſus renueret;tot cœpit ægra cum eo precibus agere; vt Vir Dei earum importunitate victus, tandem adgeniculans,eam Signo Crucis proſecutus fuerit: ſtatimque abſcedens vix ad domus gradus peruenerat; cùm ægrota à paralyſi liberata, integra incolumitate potitur.

*Paraliticam Nobilem Signo Crucis ſanat.*

XXII. Rurſus cùm ex eodem Maceratenſi Conuentu ad Vrbem pergeret, in Mulierem quandam vtroque lumine orbatam incidit:quæ cùm ab itineris duce Franciſcum adeſſe intelligeret,ab eo poſtulat; vt illi oculorum lumen à Deo impetret.Cui Franciſcus.Tu potiùs Deum obſecra,vt illud mihi eripiat:hoſte enim carerem,quocum mihi ad mortem vſque pugnandum eſt.At cæca Mulier impenſiùs Virum Dei pro oculorum luce rogitabat,ab eoque ſaltem Crucis Signum efflagitabat. Diu reſtitit Franciſcus:ſed cùm ea in lachrymas effluereт,atque inſtanter Signũ Crucis ab eo peteret;illud tandẽ Vir Dei rogãti pręſtat:quo protinus lux illi integra redditur.

*Mulieri cæca Signo Crucis lumen reſtituit.*

In eadem



In eadem Vrbe,cùm Aegrotum quendam hominem inuiſeret, Iuuenem in eadem domo iamdiu hydropiſi laborantem, ac lecto decubantem offendit: quem dum verbis conſolatur; hydropicus Franciſci manu apprehenſa, eaque ſibi ſuper pectus collocata, rogat; vt Crucis ſigno ſibi benedicat. Conſentit Franciſcus; vixque ſignum Crucis ſuper eo formauerat; cùm is repentè à morbo conualuit: qui cùm ſe tanti beneficij Deo gratum exhibere vellet, redditam ſibi incolumitatem,ſimulque ſeipſum Deo,paulò poſt in Capucinorum Ordine conſecrat.

*Hydropicum Crucis ſigno incolumitati reſtituit.*

XXIII. Hinc deinde Filatranum profectus, Mulierem, quæ iamdiu febri laborauerat, neque vllo Phyſicorum remedio ab ea liberari potuerat, ſigno Crucis obſignatam priſtinæ repentè ſanitati reſtituit. Plurima huiuſmodi miracula ab eo patrata referuntur, quæ cùm ſcripto minimè excepta fuerint, horum temporum memoriam effugiunt. Illud tamen haud ſilentio prætereundum eſt; quod Piſauri accidiſſe certa fide probatum fuit. Ibi enim cùm Mulier, quæ tenerum infantem, quem ſecum lecto decumbentem tenebat, dormiens nocte ſuffocaſſet; Coniugis iram verita, ad Virum Dei confugit, qui multorum tunc miraculorum fama vbique illuſtris erat: mortuumque infantem panno inuoluens,ſummo mane ad Conuentum defert: vbi multis lachrymis flebilem infantis caſum narrans, Virum Dei deprecatur, vt eum luci reſtituat. Cui Franciſcus: Nunquid, inquit, ego ſum Deus, qui vitam, ac lucem mortuis reddam? Peccator ego ſum miſerrimus; ne hoc à me petas Mulier. At illa maiores in fletus erumpens, clamabat: Serue Dei, ſi vis, id potes à Deo precibus impetrare: res in manu tua eſt, teſtis mihi eſt Deus, ſi hinc à pedibus tuis receſſero, donec viuum mihi infantem reddideris. Flebat Vir Dei Mulieris lachrymas cernens: innata ſiquidem pietas, ac commiſeratio illius viſcera torquebat, Mulieremque verbis conſolari conabatur: ſed cùm nullam ea conſolationem admitteret;nullaque ratione quieſcere; aut ab eo diuelli poſſet; tandem in genua procidens,Deum pro puero rogat. Mox Serui ſui precibus adfuit diuina virtus: adhuc enim Franciſcus orabat; cùm defunctus infans membra mouere, ac matris vbera rediuiuus quærere cœpit. Matrem obteſtatur Franciſcus, ne factum alicui prodat: at illa cùm rem Prouinciali Vicario,atque aliis pleriſque narraſſet, hinc clarior Viri Dei ſanctitas, atque illius apud Deum merita effulsêre.

*Mortuum infantem ad vitam reuocat.*

XXIV. Denique cùm Victoria Farneſia, Vrbinatum Duciſſa, Viro Dei deuotiſſima, cancro in manu laboraret: cunctaque ad illius curationem Phyſici, ac Chirurgi remedia ſua fruſtrà contuliſſent;Franciſco ad ſe accerſito, morbum illi ſuis precibus curandum offert; qui ter Crucis ſigno manui adhibito, eam in priſtinam ſanitatem vendicat.

*Vrbinatum Duciſſam ſigno Crucis à cãcro liberat.*

XXV. His, atque aliis dum Seruum ſuum Deus miraculis illuſtraret:Guardianus quidam,cuius mentem,quædam tum inuidię,tum ſuperbiæ tabes corruperat:cùm humilem,ac deſpectum Virum tot ſignis coruſcare, ſeque eo Dei dono carere animaduerteret:liuido Seruum Dei oculo intueri,vitam carpere,verbis laceſſere, cũctaque illius dicta,& facta atro carbone notare; demùm apertè inſectari cœpit: quæ omnia Vir Dei tam humiliter,ac patienter ſuſtinet;vt etiam obiectas ſibi culpas augeret. Ea quoque Guardianus ſuperbia intumuerat; vt cùm patrandorum miraculorum cupiditate flagraret,huiuſmodi à Deo donum in Oratione peteret; quod nonnullis innotuit,qui eum ita Deum in Oratione rogantem audiêre; Domine vel vnicum, ac perexiguum tantùm mihi miraculum dona. Signum quærebat ſuperbus. At illud ſolum ſuperbiæ ſuæ ſignum accepit, quod poſt exiguum tempus à Religione excidit.

*A Guardiano calumniis impetitur.*

*Guardianus Miraculorũ patrandorum auidus à Religione excedit.*

XXVI. Cùm igitur humilis Dei Seru9,tot miraculis clarus,Piſauri tandẽ ſupremo morbo correptus,vitæ finem ſibi imminere intelligeret; vt ſummã in morte animi humilitatem teſtatam relinqueret; vbi ſe ad Domini occurſum digna Sacramentorũ expiatione præparauit: cùm populorum affluentia ſe poſt obitum honorandum

extimeſceret; à Deo poſtulat, vt nullo in morte populi honore, ſed communi tantùm aliorum ſepultura fruatur: cuius votis cùm Deus annueret; toto illo tempore, quo corpus inhumandum erat, tam copioſum è Cælo imbrem emiſit; vt omnem populorum turbis viam, ad Defuncti funus adeundum, intercluſerit. Obiit Vir ſanctus poſt ſeptuageſimum ſuæ ætatis annum: Piſaurique ſepultus, inde cæleſtes euaſit ad auras, feliciorem apud Deum vitam conſecutus.

*Piſauri diem extremum claudit.*

*F. PAVLINI Piſtorienſis Vita, & geſta.*

Plerique alij, poſt Franciſcum, hoc anno à Deo laborum præmia adipiſcuntur. XXVII. Primus Fr. Paulinus Piſtorienſis Sacerdos, ex Camaldulenſi Capucinus, Vir fuit omni virtutum genere ornatus; inter humiles humillimus, tamque ſui contemptu gaudens, vt contumelias pro ſummis honoribus haberet; neque alio præterquàm ſui deſpicientia delectari videretur. A carnibus, ac vino perpetuò abſtinuit, panis, ac fructuum vnica in die refectione contentus. In eo planè admirabilis, quòd naturã ad tam breuem ſomnũ contraxit; vt vnica illi tantũ noctis hora ad quietem ſufficeret; reliquas verò in oratione Domini, ac diuinarum rerum contemplatione conſumeret. Ciuem quendam Aretinum, Neſtorem Albergotum nomine, qui Chironio vlcere propè genitalia laborabat; indicta illi certa eleemoſynæ menſura, pauperibus diſtribuenda, ſuis precibus à morbo liberat. Supremum denique vitæ finem, in Monaſterio S. Seueri, in Thuſcia, ſanctimoniæ fama celebris, imponit.

*Vitæ illius ſanctimonia exaratur, ac Miraculum narratur.*

*F. AMATDEI de Anteniato Vita, & geſta.*

Poſt hunc Fr. Amadeus de Anteniato, Agri Cremonenſis Oppido, Sacerdos, XXVIII. plurimis virtutibus claruit. Hic ex Amadeorum Congregatione ad Capucinorum Ordinem tranſlatus, ſummam vitæ auſteritatem coluit; ſeuerus ſenſuum cuſtos; abſtinentia, paupertate, charitate præclarus; Chorique cum primis ſtudioſiſſimus, Regularis obſeruantiæ cultor integerrimus extitit. Qui cùm ob cæleſtis vitæ inſtitutum, plurimis à Deo donis cumulatus fuiſſet; Inter alia Prophetię Spiritu exornatus fuit. Abbati enim cuidam Bergomati proſperum cauſæ exitum prænunciat: multa quoque alia futura prædicit; quæ ſuo tempore contigêre. Prolem maſculinam Nobili cuidam Viro ſua oratione à Deò impetrat. Prudentia, & conſilio præſtans, Mediolanenſem Prouinciam aliquot annis ſapienter moderatus eſt. Denique cùm obitus ſui diem prædixiſſet; Bergomi iura ſuprema neci perſoluit: Religionemque ſuaui virtutum odore reſperſam deſerens, ad beatam cæleſtium Religionem conſcendit.

*Prophetiæ Spiritu à Deo cohoneſtatur.*

*F. ANTONII Lochienſis Vita, & geſta.*

F. Antonius de Lochio, Piceni Oppido, Laïcus, inter eos adnumeratur, qui ex Cõ- XXIX. uentualium Reformatione, Ioannis Faneſtris ſermonibus permotus, ſimul cum Vbertino & Bernardino à Monte-Vlmi ad Capucinorum Ordinẽ migrarunt. Vir fuit obedientiæ potiſſimùm virtute illuſtris; ac tanta abſtinentia præditus, vt cùm ſæpè nihil præter panem, & aquam ad victum adhiberet; plerunque etiam integros dies abſque cibo, & potu tranſigeret. Humilitati, paupertati, orationique tantoperè ſtuduit; vt inter perfectiores Regularis obſeruantiæ cultores, ſua tẽpeſtate haberetur. Deiparã Virginem ſingulari ſemper Religione ac pietate proſecutus eſt: cuius dum Coronã perſoluit, multa à Dæmone patitur. Demùm cùm ſanctimoniæ apud omnes nomen adeptus eſſet, in Conuentu Montis-Vlmi Deo depoſitum reddit.

*F. PACIFICI à Foroſempronio Vitæ, & geſta.*

Fr. Franciſcus à Foroſempronio Sacerdos, ante Religionis ingreſſum, in Sacra Lauretana Æde, Magiſtri Cæremoniarum officio functus, atque alijs honoribus, ac muneribus apud pleroſque Epiſcopos auctus: omnia cum ſuiipſius deſpectu, atque altiſſima Ordinis paupertate commutauit. Plurimis, dum inter ſæculi delicias degeret, corporis incommodis affectus; beneualentem inter Religionis incommoda, corporis ſtatum aſſecutus eſt. Vir fuit paupertatis amantiſſimus, Orationis cumprimis amicus, cui diu noctuque multis horis vacabat: atque adeò in pauperes pius ac liberalis, vt cùm alia eleemoſyna non ſuppeteret, victus portionem, quæ illi in menſa obtingebat, cum pauperibus diuideret. Veruntamen ea præſertim virtute, quæ Deo gratiſſima eſt, quæque homines ad Dei filiorum numerum euehit,

*Plurimæ ipſius virtutes referuntur.*





nempe inimicorum dilectione, ita excelluit; vt cùm frater ipſius germanus à nefariis quibuſdam Viris interemptus eſſet: iis non modò chariſſimi Fratris necem vltrò condonauerit: verùm & pro eorum vita, apud Guidobaldum Vrbinatum Ducem; cui is chariſſimus, ac familiariſſimus erat, interceſſerit. Tam graui, paulò ante obitum, Dæmonum tentatione examinatus fuit; vt per integrum menſem viſibilis illi Dæmon apparens, eum ad Inferos damnatum eſſe affirmaret; parataſque illi in Inferno pœnas oſtenderet: tamque aſſidua ac frequens hæc tentatio erat, vt nullo vnquam temporis momento intermitteretur, aut ab eo recederet: nulla oratio, nullæ lachrymæ, nulla denique Fratrum conſolatio animi dolorem leniebant, aut tentationem minuebant; qua tandem factũ eſt, vt præ ingenti ſpiritus mœrore, vix illi pellis oſſibus adhæreret. Ea porrò poſt menſem tentatione ſublata, cùm in Cõuentum Montis Veteris ſeceſſiſſet; tanquam argentum igne examinatum, purus in Cælum conceſſit: multa ſibi apud homines ſanctimoniæ fama comparata.

*Dæmonis tentatione ante mortem probatur.*

XXX. Frater Angelus à Ferno Concionator, Ioſephi germanus, ſimul cum eo ex Obſeruantium Familia ad Capucinos ſe contulit. Huius tantus fuit in Dei Verbo diſſeminãdo ardor; vt ingẽtes vbique in hominum mentibus motus ad pœnitentiam cieret. Mediolani prædicans, vnico ſermone duodecim adoleſcentes compulit, vt domo, parentibus, ac ſuis omnibus relictis, Capucinorum ſe Religioni conſecrarent. Quamplurimas quoque eo tempore meretrices, è Dæmonum faucibus ereptas, Chriſto ſponſo reddidit. Nouariæ, ac Bergomi cùm Dei Verbum proponeret; illarũ Vrbium calamitatẽ, quæ deinde ſecuta eſt, Prophetico Spiritu prænũciat: Chorearũ ductori, qui feſtiua die choreas inſtituerat; neq; ab eo correptus vlla ratione ab eis abſtinere voluit, diuinã vltionem prædicit: quæ non multò poſt illum comprehendit; quum ex alto cadens ſibi crura confregit, pœnaque delicto proportionata mulctatus, claudus toto vitæ ſuæ curriculo inceſſit. Neque id immeritò. Æquum enim erat, vt qui tibias ad profanum chorearum vſum parabat: earum quoque ope ad naturæ vſum deſtitueretur: & qui tibiis malè vſus fuerat, tibias amitteret. Vir fuit ſingulari prudentia præditus: quo factum eſt, vt à S. Carolo tunc Cardinali, ac Mediolanenſis Sedis Archiepiſcopo, quarundam Eccleſiarum; quæ ſuæ Diœceſis erant, Viſitator inſtitutus fuerit: quo in munere tam præclarè ſe geſſit, vt ſanctus Cardinalis frequenter illius opera vteretur. Denique cùm tam aſſiduè, ac fideliter in Dei Verbo laboraſſet; vt illius ſermones ad triginta mille excreuiſſent: quibus plurima, ac ferè innumera animarum lucra Deo retulerat; in Cõuẽtu Cardani poſtremũ laborib⁹ finẽ imponit; Deũq; omniũ mercedẽ accipit.

*F. ANGELI à Ferno vita, & geſta.*

*Pleraque Prophetia Spiritu futura prænunciat.*

*A S. Carolo Viſitator Eccleſiarum inſtituitur.*

XXXI. Per id tempus Fr. Antonius à Spinatiola, Venuſinæ Diœceſis Oppido, Sacerdos, vitam cum morte commutat. Vir fuit humilitate, & charitate potiſſimùm præſtãs: orationi, ac diuinarum rerũ cõtemplationi maximè addictus; atque adeò à rerum terrenarum, ac propinquorum amore, ſemotus; vt cùm ab eo germanus eius frater, qui paupertate preſſus tres nubiles filias matrimonio collocare non poterat, opem ad eas collocandas poſtulaſſet. Eidem Antonius: Quid germane à paupere ſubſidiũ poſtulas? Num mihi auri, & argenti pondera ſunt, qui ſummam rerum omniũ inopiam profiteor? Iam deſine à me temporale auxilium expectare: Chriſti vox eſt: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Verũtamen, quod meum eſt, ex animo tribuam. Mox ſe in oratione proſternens, Dominum rogat: non vt puellas honeſtis Viris matrimonio collocet; ſed vt illas ſibi iuxta voluntatis ſuæ placitum coniungat. Cúmque Antonius hac in oratione perſtaret: Deus ita Serui ſui orationem exaudit, ac puellarum vtilitati prouidet; vt omnes hinc lethali morbo ereptas, ad ſe quamprimùm euocauerit, ac feliciori coniugio ſibi in Cælo copulauerit. Meritis hic tandem, ac virtutibus onuſtus, ex hac luce, ad puriorem migrat.

*F. ANTONII à Spinatiola vita, & geſta.*

Matth. 8.

*Quam propinquis gratiam præſtiterit, indicatur.*

XXXII. Poſt hos Fr. Vincentius Platienſis Siculus, Laïcus, vitæ integritate, Regulari Obſeruantia, atque omnium virtutum diſciplina floruit: qui cùm plurimos annos in ſumma humilitate, ſui contemptu, & aſſiduo orationis ſtudio, in quo plurima

*F. VINCENTII Platiẽſis, Vita, & geſta*

à Deo dono acceperat, conſumpſiſſet; tandem in morbum incidit; quo tempore cùm F. Angelicum Platiæ Guardianum, qui eodem in loco diem extremum obierat, ad ſepulchrum deferri cerneret: Perge felix, inquit, ò Pater, breui te ſequar: Octauus enim dies me tibi filium, ac comitem reddet. Porrò cùm octauus adueniſſet dies; cœpit Antonius Dæmonum tentationibus agitari, qui horribiles illi formas obiicientes, eum perterrere conabantur: at ille vtraque manu oculos claudens, clamabat: Abite maligni: abite Tartarei prædones: nihil in me per Dei Miſericordiam deprædandum inuenietis. Cumq; per vnius horæ ſpatium cum Dæmonibus pugnaſſet: Beatiſſimam Virginem, ſua præſentia Dæmones expellentem contuetur: Quare omnium tandem victor, & exultans, luminibus in Cælum erectis, ait. Summas tibi, ò beatiſſima Virgo gratias habeo, quæ me à truculento hoſte vendicatũ, ad Regnum Filij tui immeritum vocas: atque his dictis, victorem Deo ſpiritũ reddit.

*Poſt Dæmonis tentationes B. Virginem in morte videt.*

XXXIII. F. Pacificus Luganenſis, Mediolanenſis Prouinciæ Concionator, hoc anno ex huius vitæ carcere emigrat. Vir omnium virtutum ſplendore illuſtris: cuius tam admirabilis abſtinentia fuit; vt in ipſo Prædicationis labore ſæpè victui panem, ac cætera ſubtrahens, fabis tantùm aqua madefactis, & aqua contentus, his totam Quadrageſimam duceret. Plerunque etiam communibus cum aliis cibis vtens, ita gulæ cupiditatem frænabat; vt cùm ſenſus appetitus cibo excitatus exardeſceret, irritatuſque ad eſcas inhiaret; protinus iis ſe abſtineret: Quo in abſtinentiæ genere, acriorem ſe ſenſus luctam ſuſtinere ſæpè affirmabat, quàm ſi ab exordio omni ſe cibo continuiſſet, aut viliores ſibi eſcas adſciuiſſet. Ardens Regularis Obſeruantiæ, ac præſertim altiſſimæ Paupertatis Zelator, ac cuſtos fuit: quapropter Syluestrum illum, qui Porcariæ, ſeu Aquæſpartæ Eccleſiam, præter Paupertatis legem, iterum ædificandam contendebat, ſapienter admonuit; vt à cœpto deſiſteret; ne in violatæ paupertatis crimen impingeret: cuius dum conſilio Sylueſter minùs animum intendit, horrendo hinc fine tollitur: vti anno 1540. fuſiùs explicatum fuit. Orationem, ac rerum diuinarum contemplationem, (quod ſummum priſcorum Patrum ſemper ſtudium fuit.) tam ardenti animo proſequebatur; vt diuinis vbique flammis exuſtus videretur: atque eo factum eſt; vt cùm aliquando in Conuentu Bigorij ſolus oraret, Oppidani flammam ex Eccleſiæ tecto euolare conſpexerint: qui cùm Monaſterium conflagrari putarent, accurrunt quamplurimi; nullaque flamma in Monaſterio reperta, ſolum Pacificum in Eccleſia, cæleſti igne flagrantem offendunt. Hic tandem, poſt diutinam prolixi morbi probationem, ſanctimoniæ fama apud omnes clarus, Bigorij extremum vitæ diem conficit: nonnulliſque poſt mortem miraculis emicat; quibus Deus, & anteactæ vitæ ſanctimoniam, & cæleſtem poſthæc gloriam, eidem collatam confirmat.

*F. PACIFICI Luganẽſis vita, & geſta.*

*Ipſo orante flamma ex Eccleſiæ tecto erumpens cernitur.*

XXXIV. Fr. Bernardinus Vrbinas, Clericus, breui tempore multam virtutum ſegetem meſſuit. Nam cùm mente puriſſimus eſſet, humilitatis, manſuetudinis, obedientiæ, charitatiſque ſtudioſiſſimus; gratiſſimum aſſiduæ orationis Deo Sacrificium offerebat: quo fit, vt pleraque, Dei dona obtineret, quæ mundis corde, ac humilibus à Deo diſpertiri ſolent: præcipuè verò ſingulari, in B. Virginem, & B. P. Franciſcũ deuotione ferebatur. In his cùm vſque ad vigeſimum ſextum ſuæ ætatis annum, Religionis verò quintum, Deo in ſanctitate famulatus eſſet; Scapitiani (quod Piceni Oppidum eſt) haud longè Senogallia diſtans, ſupremum ægrotare cœpit: quo tẽpore anima Deo dignè præparata: antequam ſpiritum Deo redderet, B. Virginem, ac B. P. Franciſcum ſibi occurrentes conſpicit: qui ſuauibus eum verbis conſolantes, ad cæleſtem patriam inuitant. Id ille cùm animo exultans Fratribus renunciaſſet: paulò poſt cum iis iter ad Cælum arripit.

*F. BERNARDINI Vrbinatis, vita & geſta.*

XXXV. Hos haud longè ſecutus eſt, Fr. Iulianus Camerinenſis, Clericus, animi humilitate, ac obedientia præclarus: cuius inter alias, ea quoque virtus narratur: quòd tanta ſui ipſius contemptus, duraque omnia pro Chriſto tolerandi, ſiti, ac cupiditate æſtuaret; vt ſæpiſſimè cauſas fingeret, quò à Superiore increpationibus,

*F. IVLIANI Camerinenſis Vita & geſta.*





ac pœnitentiis afficeretur: tam enim ſui deſpicientia gaudebat, tantamque in Cruce Domini ſibi voluptatem vendicabat; vt cùm alios à Superiore pœnis plecti conſpiceret, his ſe comitem adiungi poſtularet. Cumque plurimis aliis virtutibus floreret, quæ ſummam in eo Clericalis ſtatus præſtantiam commendabant: florem hunc Deus Mundo quidem immaturum (vix enim vigeſimum primum, aut ſecundum annum attigerat) Cælo autem aptum, in æthera tranſtulit. Cuius præter vitam, magna cum Regularis obſeruantiæ laude peractam, illud teſtimonium fuit; quòd in ipſa obitus hora, quæ illi in Conuentu Amendolæ contigit; Deiparam Virginem ſibi occurentem videns, exclamare cœpit: O Fratres: En Virginem beatiſſimam: iam aſſurgite, ac illam dignis honoribus excipite. Quibus in verbis dilectus Deo, & hominibus, in Virginis complexu animam reddit. Idem prorſus, & alteri Nouitio Vrbinati hoc tempore in Anconæ Conuentu accidit; qui cùm in maxima mentis puritate nonnullis Deo in Religione menſibus famulatus eſſet, necdũ Probationis annũ expleuerat; cùm ad vitæ finem appropinquans, Matrẽ Virginem ſibi aduersùs tentantes Dæmones auxiliantem videt: cuius cùm illi aſpectu effugati eſſent. Nouitius B. Virginem adeſſe clamans, his in verbis vitæ curſum abſoluit.

*B. Virginis aſpectu in morte donatur.*

XXXVI Fr. Modeſtus Foroliuienſis, Clericus & ipſe Nouitius; hoc anno vitæ curſum, auſpicato in Religione initum, feliciter ante exactum Probationis annum complet: qui ob præclaras animi virtutes Deo, ac Superis charus, cùm extremum ſpiritum ageret; glorioſiſſimæ Cælorum Reginæ aſpectu dignatur, quæ illum ad virtutum præmia allicit. De quo illud quoque refertur; quòd mulieri cuidam hydropicæ, quæ ipſius merita inuocans, ſuper illius corpus poſt mortem corruit; mox incolumitatem à Deo impetrauerit.

*F. MODESTVS FOROLIVIENSIS virtute, ac Miraculo clarus.*

XXXVII. Superſunt nobis poſtremò, Pandulphi cuiuſdam à S. Cyrillo, ouium paſtoris, qui hoc anno ad Religionem acceſſit; in eaque hoc eodem anno mortalem cum immortali vitam commutat; geſta obiter exaranda: quæ ſanè eò admirabiliora ſunt, quò in iis magis ſuauis Dei tum prouidentia, tum benignitas elucent. Hic in Thuſciæ Prouincia, tametſi inter Vrbis Piſtorienſis Montes natus, enutritus, atque educatus fuerit: nihil tamen in moribus durum, difficile, aut agreſte, ab ipſa, aut loci, aut parentum conditione hauſit. Ouium ab adoleſcentia curæ addictus, in eo munere tantam à Deo gratiam conſecutus eſt: vt inter pecudes, & Montium rubeta, maximas ſibi virtutes comparauerit: ac primùm quidem eam, quæ Angelis cognata eſt; quæque primam, ac diuinam hominis natiuitatem comitatur: Virginitatem ſcilicet, ita illibatam inter Paſtorum otia ſeruauit; vt poſt triginta tres ætatis annos, à quibus ipſius vita cõmenſurata fuit; eandem, quã à Deo acceperat, Deo reddiderit. Animum, quem rebus omnibus humanis, ac ſeipſo maiorẽ, ac ſuperiorẽ à Deo ſortitus fuerat; mirum profectò eſt, quomodò ſub paſtoritio ſago; quod cũ paupertati affine ſit, vt plurimùm auaritiã ſectari ſolet: ita ab omni rerũ cupiditate liberum gereret; vt animos, ac pecuniã quaſi lutum ſperneret: imò tam longè ab iis abhorreret, vt nec eos attractare vellet: quo ſanè ſe iã ad eorũ Apoſtolicorũ hominum numerum à Deo vocatũ declarabat; qui nũmos, pecuniã, opes, omnia denique arbitrantur, vt ſtercora. Atq; hæc quidẽ, quæ à cõmuni hominũ vſu, ac cõſuetudine diſiũcta ſũt: quæq; Euãgelicũ, ac perfectũ hominẽ oſtẽdũt; Pãdulphus eò præclariùs proſequebatur; quò cũ vitæ ſtatum, ac cõditionẽ ſortit⁹ erat, qui omni duce, ac præceptore careret; à quo ad hæc prẽſtãtiſſima virtutũ genera amplexãda inſtrueretur.

*PANDVLPHI NOVITII Vita, & geſta.*

*Virginitatem perpetuam colit.*

*A nummis inter Paſtores abhorret.*

XXXVIII At verò cùm ſeipſo, nedum Mundo adhuc maior eſſet; parùm illi videbatur, quæ mortalia, ac peritura, quævè terris concreta ſunt, velut abiecta contemnere: niſi cum iis ſeipſum etiàm Dei cauſa deſpiceret; & carnis, ſenſuumque petulantiam mortificationis fræno cohiberet. Tanta enim abſtinentia corpus affligebat: vt cùm parciſſimo ſemper cibo vteretur; toto quadriennij ſpatio, ſolo pane, & aqua cõtentus, vitam duxerit. Quæ verò ex quotidiana cura, & labore ſibi lucra comparabat; iis ſibi duntaxat repoſitis, quæ ad vitã tuendã neceſſaria eſſent, cuncta in pauperes

*Admirabilis illius in ſæculo abſtinentia.*

*Pleræque ipſius virtutes enarrantur.*

erogare ſolitus erat. Cæterùm quum primùm ſolidiorem ætatem nactus, ad Iuuentam peruenit; ardentiori dura quæque pro Chriſto tolerandi cupiditate ductus, Induſium, quo eouſque vſus fuerat, abiicit: vilique, ac hiſpido ſago corpus cœpit contegere: atque vt ſecretum Dominicæ Paſſionis memoriale ſecum vbique circumferret, nodoſum funem, diu noctuque ad lumbos præcinctum gerere. Hoc auſterioris vitæ genus, quod is nemine, præterquam Deo Doctore, didicerat; præclarum animi ſtatum, virtutibus renitentem indicabat: quo fiebat; vt dum oues in paſcuis verſabantur; is vel in Montis cacumine, vel inter nemora oraret, atque inter cæleſtes Angelorum delicias verſaretur. Singularem erga Virginem Deiparam, inter ipſa adoleſcentiæ primordia, deuotionem animo pepererat. Quapropter quotidie vitæ ipſius Coronam, tanta pietate, ac religione perſoluebat; vt cùm nulla illi, aut lignea, aut alterius materiæ corona ſuppeteret; funiculum tot nodis diſtinctum haberet, quot ad integros Coronæ annos indicandos ſufficerent. Cõſocios Paſtores, ſæpè à peccatis abſtinere, in Cælum aſpicere, & quæ ibi diligentibus Deum parata ſunt, animo recolere admonebat. Eam demùm ſibi apud Paſtores, ac Regionis illius Incolas famam ſibi comparauerat; vt vniuerſi illius pietatem, ac probitatem ſuſpicerent.

In hoc cæleſtis vitæ genere, cũ Pandulphus tres ſupra triginta ætatis ſuæ annos XXXIX.
exegiſſet, accidit; vt aliquãdo mare adnauigãs, geminos in nauicula Fratres Capucinos offenderet: qui, cùm antea illi nomine, ac Religione ignoti eſſent; ad eos accedens, ab iis illorum vitæ inſtitutum diſcit. Quid plura? Qui illum è Mundi ſinu abſtrahere, atque è Sæculari, in Seraphici gregis caulam transferre decreuerat. Deus Opt. Max. mox tam ardentes in Pandulphi animo igniculos excitat; illiuſq; ſtudium tam vehementer ad huiuſmodi vitæ amplexum accendit: vt protinus ab iis Religionis habitum poſtulauerit: qui cùm Viri integritatem, ac ſimplicitatem animaduerterent, cùm primùm ad litus applicuêre, illum ad Prouincialem Thuſciæ Vicarium, cum literis mittunt: qui cùm Pandulphi mores, ac cæleſtem vitam, inter Paſtores tranſactam, perſpectam habuiſſet; eum in Religionis ſinum recipit; atque in Montiſpolitiani Conuentum, in quo Nouitiorum probatio agebatur, obedientialibus literis inſtructum, deſtinat.

*In Capucinorum numeris recipitur.*

Pergit exultans Pandulphus, & quaſi theſaurum in agro abſconditum, aut margaritã inter quiſquilias iacentem reperiiſſet, vbi Montempolitianũ peruenit, mox XL.
ad Conuentum feſtinat; obedientiales literas oſtendit, cæterorumque Nouitiorum numero cooptatur: ſed dum iuxta Ordinis Statuta, nonnullos inter Nouitios dies, abſque habitu tranſigit; en repentina febre corripitur; quæ cùm in dies ingraueſceret, is tandem ad ſupremum vitæ diſcrimen rapitur. Quo tempore ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis expiatus, dum illi funera parantur, in mentis exceſſum extollitur; in quo cùm diu omni ſenſu, ac motu carens perſtitiſſet; inde tãdem poſt duas & ampliùs horas ad ſeipſum rediens; protinus animo, ac vultu exhilaratus his verbis exclamat: O Patres, ò Patres, huc, quæſo, accedite; feſtinate omnes, mira prorſus audituri. Nuper Angelus Domini, me per anguſtiſſimum Pontem, in Purgatorium locum duxit; vbi Animas diris, ac variis pœnarum generibus purgari conſpexi: quæ cùm à viuis opem poſtularent, clamantes, atque eiulantes audiui: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* Hinc ad Damnatorum Tartarum ab Angelo ductus, innumeras ibi animas tot, tantiſque ſuppliciis, ac tormentis miſerè exagitatas intuebar; vt cùm omnem propè modum, & cogitationem excederent; in his illæ nihil præter odia, ac furias in Deum deſpumarent. Hoc pœnarum aſpectu cùm nimis exterritus eſſem, inde Angelus me ad Cælum ſuſtulit, ac ſupremo rerum Conditori obtulit: qui cùm me benignè amplexatus eſſet, oſculo in fronte excepit, atque his adſtantes Angelos verbis affatus eſt. An nõ agnoſcitis, quòd hæc mea illa ouis ſit, quæ in ſyluis ac Mõtibus meas iugiter laudes decantabat: ac ſua pauperibus meis diſpertiens, me intimo cordis affectu com-

*In morbum incidit, & in extaſim rapitur.*

Iob. 19.

*Viſio Purgatorij, Inferni, ac cæleſtis gloriæ illi oſtenditur.*





plectebatur. Tanta ego inter hæc voluptate fruebar: vt vniuerſorum, quæ priùs horrenda videram, oblitus; nihil præter magna illa, ac mirabilia, quæ meis ſe ibi obtutibus offerebant, cogitarem. O ô Fratres, quàm magna eſt illa Domus Dei, quàm præclara, quàm pulchra, quàm opulenta: Portæ illius ex auro puriſſimo fabrefactæ, inſculptam, ſibi quæque Crucem, ex pretioſiſſimis gemmis compactam, in fronte gerit. O quàm lucidi, quàm cæleſtes illius incolæ ſunt. Illic Chriſtus ſupremo loco ſedet, Angelorum turba ſeptus: illic Maria Virgo, & Mater, velut Cælorum Regina, à dextris illius aſſidet: ibi S. Ioſeph, ibi S. Ioannes Baptiſta, ibi Apoſtoli Sole clariùs emicant. Nullus erat meæ voluptati finis, aut modus; cùm mihi ab Angelo ad Corpus reditus indicitur. Flebam, torquebar, cruciabar magnoperè; quòd tot cæleſtibus deliciis relictis, iterum ad ima detruderer. At Angelus ad me. Ne fleueris, inquit, exigua erit mora, velox ad te redibo: ſeptima enim noctis hora, huc te his perpetuò bonis fruiturum reducam. Hæc cùm Fratres audirent, Dominum laudabant; quod pauperculo magnificentiſſimas gloriæ ſuæ diuitias aperuiſſet. At ille cùm vſque ad ſeptimam noctis horam Dei laudes decantaſſet; ea pulſante finem miſeriis imponens, ad cæleſtes delicias, Angelo ductore, euolat.

*Sanctè in Domino obdormit.*

XLI. Plures hìc adnecti poſſent Viri vita, ac moribus ornatiſſimi; quos Religionis Monumenta inter illuſtres, ac perfectos collocant: ſed cùm eorum, quæ ab his præclarè geſta ſunt, vix tenuis ad nos memoria perlata fuerit: hos tantummodò indicare viſum fuit; ne qui Deo viuunt, velut mortui ſempiterni nobis intereant. In Prouincia S. Nicolai Franciſcus Racalenſis Sacerdos; magnus Regularis obſeruantiæ cultor, die ſui obitus prænunciato, ex corporis domicilio purus emigrat. Atque in eadem Prouincia Antonius à Puſiniano, ſanctimonia apud omnes clarus, in Conuentu Rudienſi, mortalem cum immortali vita commutat. Duo quoque in Bononienſi Prouincia, hoc anno, Viri virtute illuſtres corporeis nexibus abſoluuntur. Prior Thomas Norcienſis, diuini Verbi Concionator ardentiſſimus. Poſterior Ioannes Baptiſta à Cherio Sacerdos: qui cùm ſeipſos bonorum operum exempla, in doctrina, in integritate, atque in omni iuſtitia præbuiſſent; ille Placentiæ, hic Cæſenæ iuſtitiæ coronam ferunt.

*F. Franciſcus Racalenſis.*
*F. Antonius Puſinianẽſis.*
*F. Thomas Norcienſis.*
*F. Io. Baptiſta à Cherio, Viri virtute, ac Sanctimonia illuſtres.*



I. MARIO Generali Religionis Orbem feliciter peragrante, Annus hic Milleſimus quingēteſimus ſexageſimus nonus varios rerum ſucceſſus parit: aliis quidem triſtes, quos extrema dies in carne ſeminaſſe, ac de carne corruptionem meſſuiſſe reperit: aliis verò lætos, qui cùm in benedictionibus ſeuerint, ac ſpiritu facta carnis mortificauerint, de ſpiritu tandem benedictionem, & vitam æternam meruē. Primum quidem in hoc anni veſtibulo, triſtes quorundam exitus nobis ſeſe aſpectandi offerunt. Dum enim Marius Generalis Picentem Prouinciam viſitatione perluſtrat; octo ex Minorum Obſeruantium Familia, Viri virtute, ac prudentia graues, illum adeunt; ab eoque in Religionis gremium ſumma humilitate recipi poſtulant: cauſam cùm ab his Generalis exquireret, quæ tot numero ſimul ad Capucinos conuolare compelleret. Reſpondent illi, horribili eos caſu, qui eorum Guardiano acciderat, permotos; quò ſibi ipſis meliùs conſulerent, in eam diuinitus deliberationem veniſſe: factum verò ita eueniſſe ferunt.

*Octo ex Obſeruantium Familia caſu quodam perterriti, ad Capucinos migrant.*

II. Præerat (inquiunt) in Conuentu Montiſprandoni, quod Agri Aſculani Oppidum eſt, in quo vnà omnes cohabitabamus, Guardianus quidam; cuius nomen ob Viri honorem reticemus: qui excuſſo nuper Capucinorum iugo ad noſtrum Minorum Obſeruantium Ordinem tranſmigrauerat. Hic cùm propriæ vocationis oblitus, in omne Regularis inobſeruantiæ barathrum præcipitem ſe daret: in id ſtudium omne conferebat; vt flabella Pauonacea, curioſaque ſignacula ſerico, auroque contexta conſtrueret; aliaque huiuſmodi, quo pollebat ingenio, conficeret; ex quibus haud exiguam ſibi clam nummorum ſummam comparauerat. His dum miſer totus inſiſtit, tam grauem ex ſe fœtorem exhalare; tamque vultu horribilis, & ad prodigium vſque deformis, Fratribus apparere cœpit; vt ab eo Fratres vniuerſi declinarent. Rei ille cauſam ignorabat: quam cùm ab amico Fratre tandem didiciſſet: eo pudore ſuffuſus eſt; vt protinus ſe in Cellam receperit. Vix tamen Cellam ingreſſus fuerat: cùm Diabolus ſub Aeluri cuiuſdam miræ magnitudinis ſpecie, eundē aggreditur; illiuſque guttur vngulis perfodiens, ac cōprimēs, miſerū ſuffocabat. Stridebat Guardianus, ingenteſque ore clamores, ac velut boatus edebat; cùm mox cuncti ad voces accurrimus: miſerandumq; Guardiani ſpectaculū cernimus, qui capite deorſum è lecto pendente, inter horribilis Aeluri vngulas animam exhalabat. Nitebamur nos miſero opem ferre; Guardianumq;, ex Aeluri vnguibus eripere. At Aelurus, eo tempore, tam ardentem, ac ferocem oculorum, velut flammas ſcintillantium, aſpectum in nos contorquere viſus eſt; vt ingenti pauore vniuerſos concuſſerit. Guardianus verò diuina virtute compulſus: Sinite, inquit, fruſtrà, ac importunè miſero auxiliari; non cum Fele, ſed cum Dæmone vobis res eſt: quid cum Deo contenditis? Hæc Dei Omnipotentis iudicia ſunt, quæ me iuſtiſſimè premunt. Huc me ſcelera mea, vitaque omni turpitudinis labe conſperſa: Huc peſſumdata paupertas: Huc rerum concupiſcentiæ fræna laxata: Huc tandem ſpreta Regularis obſeruantiæ norma, infelicem compulēre. Diſcite vos, meo ſaltem exemplo, à ſupremis hiſce vos malis eripere. Heu miſer, en ad Tartara rapior! Vix hæc Guardianus affatus fuerat; cùm à Dæmone præfocatus, horrendo ſtridore animam efflat. Cuncti miſerando ſpectaculo adfuimus: communemque cauſam agi non ignoramus. Quamobrem cunctos etiam nos à periculo ſubducere æquum eſt; regularemque ibi obſeruantiam quærere, vbi perfecta,

*Guardiani cuiuſdam damnati exemplū narratur.*

ac tuta





ac tuta inueniri poſſit. His auditis Generalis; cùm diuina eos vocatione ad Religionem compelli intelligeret, vniuerſos Religionis habitu donat.

III. Poſthæc Marius in Siciliam profectus, cùm illius Prouinciæ, quæ ab vnico adhuc Prouinciali Vicario adminiſtrabatur, viſitationi vacaret; pleroſque Siculos Iuuenes ad Religionis ſinum recipit, atque in Picentem Prouinciam probandos tranſmittit: qui dum ſub F. Ambroſij Cæſenatis, Viri præclari educatione, Probationis annum, ſingulari omnium virtutum profectu tranſigunt: inuidus Satan, ac iracundia fremens, quandoquidem tot virtutum incrementa ferre non poterat; variis illos inſidiis, ac moleſtiis oppetit: ita vt nonnullis etiam viſibilis appareret: quos nonnunquam pollicitationibus, interdum minis, vt à ſuſcepta Religione deſciſcerent, ſedulò prouocabat. Alios quoque tam importunè ad diſceſſum compellebat; vt ſæcularia ipſorum indumenta ad eos è Sicilia deferret, quò faciliùs ad ſuos remearent: at illi fortium Tyronum inſtar, ſtrenuè aduersùs Diabolum decertantes; Magiſtri præſertim hortationibus, atque orationibus freti, ex hoſte triumphum reuexerunt. Porrò hi vix voluntario profeſſionis iugo colla ſubdiderunt; cùm Diabolica illa tentatione ab eis penitus ſublata, gratam deinceps illi, ac tranquillam Domino ſeruitutem exhibuēre.

*Dæmon Nouitios variis modis infeſtat.*

IV. Per id tempus, infauſta planè cuidam Sacerdoti, in Picenti Prouincia, res contigit; qui cùm Breuiarium alteri clam ſuffuratus eſſet, furtum ſilentio celabat. Conqueritur, qui Breuiarium furto ſibi ſublatum videt, remque ad Guardianum defert. Res noua, atque eatenus inaudita omnibus viſa eſt. Quapropter Guardianus ſcelus verbis exaggerans, cùm delicti Auctorem ignoraret, ſæpè Fratres publicè admonet, & ad Breuiarij reſtitutionem prouocat: At verò cùm nihil admonitionibus proficeret, formale tandem obedientiæ præceptum fulminat; quo furem ad reſtitutionem compellat. At ille ſcelus ſceleri, ac furto inobedientiam addens, in vtroque delicto pertinax perſiſtit. Iam dies ad Veſperum declinabat: cùm abſoluto Completorio, Sacriſta Eccleſiæ fores pro veſpertina oratione obfirmaturus erat: Porrò ecce Dæmon, nigris veſtibus indutus, quaſi Monachi formam gereret, in ipſo Eccleſiæ veſtibulo apparet: qui Sacriſtam his verbis alloquitur: Pater mi, ne fores occludas: Rem habeo in hac Eccleſia, quam repetam. Protinus Sacriſta ad Guardianum pergit; eiuſque, quem Monachum putabat, verba refert. Guardianus verò ad Monachum accedens: Quid, inquit, Pater, hîc tibi rei eſt? Nihil enim (vt arbitror) abs te accepimus, quod tibi modò repetendum ſit. Cui Dæmon: Haud fruſtrà, ait, rem meam quæro, quæ apud tuos eſt. Verùm, vt id oculis tuis perſpicias. Huc omnes Fratres tuos coge: vt eū qui rē meam detinet, agnoſcā. Mox Guardianus, accitis Fratribus, ſingulos illi explorandos offert; quos cùm Monachus reſpuiſſet; poſtremò furem adhuc omnibus ignotum offert, qui ſubreptum Breuiarium ſecum in Manica geſtabat. Extemplò Monachus: En hîc rem meam agnoſco; ſtatimque ſe Dæmonem prodens, miſerum furem pedibus apprehendit; atque ex omnium oculis ſublatum, ſecum rapit: atque eodem tempore eidem coram omnibus, in vtriuſque ſceleris teſtimonium, Breuiarium decidit: vt quænam illius damnationis cauſa eſſet; quavè Deus ſeueritate huiuſmodi flagitia plecteret, vniuerſis ſignificaretur.

*Frater alteri Breuiarium ſubripiens, à Dæmone rapitur.*

V. Altero quoque, tametſi mitiori vindictæ genere, hoc eodem tempore, Deus teſtatum eſſe voluit, quàm ſibi nugæ, ac inania verba diſpliceant; quibus plerunque tempus vanè, & abſque fructu à nonnullis conteritur. Solent Fratres hyemali tempore, cùm rigidiora frigora vigent, ſtatis horis ad communem ignem accedere: quo tempore ab omnibus pia pro Defunctis ſuffragia perſoluuntur. Cùm igitur in Conuentu Romano Religioſus quidam, vitæ alioqui non improbandæ, poſt decantata ſuffragia, nugis, ac ſcurrilibus verbis interdum apud ignem vacaret; accidit, vt in ipſa hyeme; morbo correptus, ex humanis exceſſerit. Poſt obitum, vix illi funus in Eccleſia exolutum fuerat; cùm Fratres ad communem cale-

*Fratris Anima in Fratrū camino Purgatorij pœnas luit.*

factionem

factionem accedentes, ſtrepitum, velut alicuius parietem percutientis, in ſummo camini vertice percipiunt: qui eò magis percrebreſcebat, quò maior ſub eo flamma excitabatur. Cúmque id ſæpe contingeret; arbitrabantur Fratres, id Spiritus alicuius improbi arte fieri, qua Fratres à calefactione abſterreret: quapropter Guardianus indicto ieiunio, ſpiritum inde exorciſmo expellere parat. Verùm cùm necdum ſtrepitu ceſſante, in eo fruſtrà ſe laborare cerneret: animæ alicuius Defuncti, ſuffragia poſtulantis ſignum eſſe ſuſpicatus, eam in Dei nomine compellat; & quæ ſit, & quid ab ipſis poſcat, exquirit. Protinus illa præcepto obediens; ſe Fratris N, qui nuper defunctus erat, animam eſſe indicat: quā ob frequentes nugas, atque otioſa verba, quæ apud ignem viuens in corpore effuderat: id ſupplicij à Deo, Purgatorij loco, tuliſſe ſignificat; vt ad octauum vſque diem fumo, qui per vaporarium aſcendebat, cruciaretur: Id verò ab iis exquirere, vt Miſſarùm, ac precum pro ea Deo ſuffragia offerant. His auditis Guardianus, poſtera die à cunctis Sacerdotibus Miſſæ Sacrificium, pro illius animæ liberatione immolari, ac preces ab omnibus Deo offerri præcepit. Hæc cùm Defuncto Fratres, omni pietate, charitatis officia præſtitiſſent; iterum ad ignem conuenientes, Defuncti animam his eos vocibus alloquentem audiunt: Benè ſit vobis, Fratres: Dominuſque pro charitate, quam mihi præſtitiſtis, digna vobis rettibuat; etenim modò à pœnis libera, exultans Cælum conſcendo. His ſeuerioribus Dei Iudiciis preſſis, Viri virtute præſtantes ſuccedunt: quos diuina benignitas præmiis, ac coronis exornat.

*Fratrum ſuffragiis liberatur.*

## F. HONORII A MONTE-GRANARIO, *Vita, & Geſta.*

VI. IN his primus eſt F. Honorius à Montegranario, Vir vtique omni hominum memoria dignus: qui Bononię mortali vitæ colophonem imponens, ad meliorem, feliciorem que concedit: cuius geſta; quandoquidem cum gloria ita coniuncta ſunt, vt ex ea præclaram nominis celebritatem adeptus fuerit; paulò fuſiùs à nobis explicanda erunt. Hic in Montiſgranarij Oppido, quod in Piceno notiſſimum eſt, opulentis parentibus ortus, iuuentutis florem in vanis hominum conuerſationibus ſectandis, ac præſertim odiis, ac ſimultatibus enutriendis; quibus plus æquo efferueſcebat, ferè totum conſumpſit: poſt quæ cùm militiæ nomina dediſſet, in Caroli V. Imperatoris caſtris aduersùs Turcas in Hungaria militauit. Eo bello confecto, cùm animæ, corporiſq; pericula, quæ euſque euaſerat, ſecum prudens perpenderet; ſæcularis militiæ cingulo abiecto, tutiùs Deo militare cogitat: tranſactæque ætatis iacturam durioribus pœnitentiæ operibus reſarcire ſtatuit. Quapropter cùm in Capucinorum Religionem animum intendiſſet; eamque ſibi, Deo afflante, amplexandam conſtituiſſet; in Ethruriæ Prouinciam ſe confert: in qua à Raphaële Volaterrano, qui eo tempore Prouincialis Vicarij munere fungebatur; in Capucinorum Familiam cooptatur. Sunt, qui priùs Minorum Conuentualium Ordini adſcriptum, ex eoque ad Capucinos acceſſiſſe velint. Cuique ſua veritas eſto. Qui id aſſerunt, nonnullam Honorium, apud Conuētuales Philoſophicarum, ac Theologicarum rerum peritiam adeptum fuiſſe autumant: quo fit, vt minùs inter Capucinos in iis addiſcendis laborauerit.

*F. Honorius à Monte-Granario Vir clariſſimus.*

*In ſæculo varias ſimultates gerit.*

*Inter Capucinos adſcribitur.*

VII. Honorius igitur, cùm primùm ſe à ſæculi tēpeſtatibus ereptū, tuta in Religionis ſtatione cōſidentē vidit; anteactæ vitæ maculas alta mēte reuoluere, ac tot lachrymis proſequi cœpit: vt totum ferè Probationis annū, in fletibus, ac præteritorū ſcelerū mœrore conſūpſerit. Dolebat Vir, diuina luce perfuſus, tot antea in Deū à ſe patrata flagitia, mœrebat: animùm tot quondam odiis, ac ſimultatibus diſſectum, nullam cum Deo vnquam pacem habuiſſe: lugebat denique florentem ætatem

*Præteritæ ætatis crimina deflet.*





Mundi eatenus illecebris, & prauis cupiditatibus contaminatam: abſque fructu effluxiſſe: atque inde ad ſeueriores de ſeipſo pœnas ſumendas fortiùs animabatur: quibus & animi labes deleret, & temporis iacturam abundantiùs compenſaret. Quamobrem tanto exinde cœpit in ſeipſum odio exardeſcere; tamque ſeuerè carnem ac ſenſus, tamquam veterum vitiorum ſeminaria, caſtigare: vt inter niuis algores, vix membra vetuſto, & obſoleto habitu operiret; nudis pedibus communia quoque Sandalia denegaret; corpus aſperrimo cilicio tegeret: atque vt domeſticum hoſtem extremo bello attereret, ferreum cingulum, acutis clauorum acumibus conſertum, perpetuò circa lumbos gereret: quod laneo panno, ne id vlli innoteſceret, cōtegebat. At neque eam membris, cùm neceſſarius ſomnus premeret; quietem indulgere ſolitus erat, quæ ſenſus recrearet: tam enim ſomni auarus erat, vt eum ad quartam duntaxat, non ampliùs noctis horam produceret; reliquas verò in ſacris vigiliis, & oratione expenderet: atque vt omnem carni in ea quiete voluptatem ſubtraheret; nudam duntaxat ſibi tabulam ſubſternebat; quam nocte tantummodò, vt intuentium oculos falleret, ſuper ſtraminea culcitra, quæ illi cum cæteris communis erat, collocare ſtudebat.

*Corpus variis caſtigationibus afficit.*

VIII. Quandiu validior ætas aptas corpori vires miniſtrauit: vnica tantùm in die refectione, eaque parca contentus fuit: vbi verò conſenuit, ſacras inedias olim B. P. Franciſco conſuetas legitimo ſempiterno coluit. Præter hæc quoque Sabbatha omnia, ac feſtorum B. Virginis, quam ſummo ſemper honore, ac deuotione proſecutus eſt, Peruigilia panis, & aquæ ieiunio conſecrauit. Quam ieiuniorum rationem, nulla vnquam, aut itineris defatigatio, aut ſtudiorum labor, aut Prædicationis officium, aut ſenilis ætatis imbecillitas, intercepit.

*Abſtinentia corpus extenuat.*

IX. His generoſus miles, familiarem hoſtem armis adorſus, depugnabat; non quaſi aërem verberans: ſed ſeueriori diſciplina corpus caſtigans, illud in ſpiritus ſeruitutem redigebat: vt præteriti temporis iacturam, anteactæque vitæ annos, pluribus in vanitatibus conſumptos, omni ſtudio, ac diligentia reſarciret. Cæterùm ne vnquam arma ad pugnandum deeſſent, aut ſpiritus ad victoriam tepeſceret; orationem ſibi, velut perpetuam quandam ſpiritus officinam, præſtruxerat; ex qua ignita contra aduerſarium tela conflaret. Huic tam ardenter, ac ſollicitè incumbere videbatur; vt nec minimam quidem temporis particulam, quæ neceſſariis naturæ, obedientiæ, aut charitatis operibus ſuperflueret, abſque ea elabi ſineret. Hæc diu, noctuque indiuidua ſemper illi comes erat; neque loca, aut tempora ad orandum idonea expectabat: iugis enim mentis recollectio, ac ſedulus animi in Deum aſcenſus, loca omnia, ac tempora illi orationi apta præſtabat. Inter hæc tamē ſtatuta communis orationis tempora, tam ſtudioſè obſeruare ſolitus erat; vt vel nunquam intermitteret; vel ſi ob Vicarij Prouincialis officium, quo ſæpè variis in Prouinciis functus fuit, ea nonnunquam intermittere cogeretur; aliis temporibus compenſaret; ac velut dilata repeteret. Nouerat enim Vir ſanctus, orationem, quæ communi lege ſancita eſt; abſque labe prætermitti non poſſe: cumque omnium ſit, maiorem apud Deum vim, ac robur nanciſci: Eadem quoque, ac maiori ſollicitudine, Chori Religionem proſequebatur: cuius tantoperè ſtudioſus erat, quod niſi graui infirmitate præpeditus eſſet; in eo diurnis, nocturniſque horis perſoluendis, cum reliquis nullo nunquam tēpore conueniret. Quòd ſi interdum, dum Vicarius Prouincialis eſſet; ad Monaſterij alicuius viſitationem, eo tempore, eum appellere contingeret, quo diuina officia in Choro decantarentur: cæteris omnibus prætermiſſis, rectà in Chorum contendebat; diuinaſque cum cæteris laudes perſoluebat.

*Orationi ſtudioſiſſimè vacat.*

*Chori Religionem magno ſtudio proſequitur.*

X. Neque enim ignorabat, Vir diuino cum primis lumine perfuſus, tam cæleſtem, ac Deo gratā eſſe Chori religionem; vt cùm Angelicam illam Beatarum mentium hymnodiam, qua Deum Opt. Max. in Cælo regnantem laudant, æmuletur: ita Religioſæ multitudini propria, & cognata ſit; quòd poſt diuina votorum vincula, quibus Religio omnis ſubſiſtit, ac velut ſuis membris compingitur, nihil ea

*Chori Religio Angelorū Religionem imitatur.*

præſtantiùs inueniri poſſit. *Hæc enim* ( vt Iuſtinus ait ) *excitat cum voluptate quadam animum ad flagrans eius, quod carmine celebratur, deſiderium. Affectiones, & concupiſcentias carnis ſedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non eſt, ſuggeſtione oborientes amolitur. Mentem ad fructificationem diuinorum bonorũ rigat. Pietatis decertatores generoſos, & fortes per conſtantiam in rebus aduerſis efficit. Omnium rerum, quæ in vita triſtes, ac luctuoſæ accidunt, pijs adfert medicinam* &c. *Verbum namque Dei eſt, & id quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipſo celebratur, Dæmones fugat, atque depellit. Et in rebus denique omnibus, quæ piis eueniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Eccleſiaſtica perficitur.* Chori religio non ignauorum, non inertiũ, non ineptorum eſt, vt nonnulli putant; ſed diuinorũ planè hominum, quales Athanaſij, Baſilij, Cyrilli, Chryſoſtomi, Cypriani, Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, Dominici, Franciſci, atque alij quamplurimi fuêre: quibus illud ſemper perſuaſum fuit. Pſalmodiam inter præſtantiſſima Eccleſiæ munera cenſeri: Cyrillo primùm Hieroſolymitano teſte, qui Choriſtas, tanquam Angelorum imitatores extollit, his verbis. *Sciunt hoc ſtudioſi Eccleſiæ Pſalmiſtæ, qui Angelicos imitantes exercitus, ſemper Deum laudibus celebrant.* Quis antiquos illos Leuitas, diuina ſapientia à Salomone, ad Dei laudes concinendas paratos, ineptos nuncupet? cùm Pſalmos Dauid per manus ſuas in Templo canerent? Quis tot Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Pontifices, Patriarchas, Epiſcopos, Canonicos, Presbyteros, Monachos, qui quotidianæ Pſalmodiæ in Choro vacant, velut inertes, ac præſtantioribus miniſteriis minùs aptos ſuggillet? Cùm ſimul grauiſſima quæque Eccleſiæ munera obirent: Baſilium audiant, quàm meliùs, aptiúſque de Chori pſalmodia ſentiat. *Vox* (inquit) *eſt Eccleſiæ Pſalmus, hic dies feſtos illuſtriores reddit, ac perfundit gaudio, cùm triſtitiam alioquin operetur; ſed quæ ſecundùm Deum eſt: è corde enim lapideo ciet lachrymas. Pſalmus, opus eſt Angelorum, cæleſtis illius Reipub. in commune propoſita functio, ſpirituale thymiama. O inuentum ſanè quàm admirabile, ac ſapiens, Doctoris, qui excogitauit; quo pacto vna, eademque opera ipſi melicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ ſalutarem condiſceremus.*

Iuſtin. Mar. q. 107.

*Chori Religio non inertium aut ignauorũ, ſed perfectorum.*

Cyrill. Hieroſol. cathec. 17.

Baſil. proœm. in Pſalm.

XI. Eam certè hæreticam Vvicleuſi vocem fuiſſe nouimus: quòd qui Matutinas, & alias Horas Eccleſiæ in Choro celebrãt, meliùs, & Eccleſiæ vtiliùs, & Deo placẽtiùs poſſent tẽpus ſuum expendere, & ad vtilitatem Eccleſiæ militare: quã Sacroſancta ſemper anathematizauit Eccleſia. Chori Religionem nunquã non Hæretici perſecuti ſunt; qui eam inter Antichriſti notas retulêre. Eos verò, qui Chorum idcircò in Eccleſia introductũ eſſe ſentiunt, vt inepti ad alia miniſteria ſpiritualia in eo occuparẽtur; abſit, vt inter hæreticos relegẽ, quos honeſtiſſimos poti⁹, ac Religioſiſſimos, nedum Catholicos Viros eſſe iudico. Veruntamen hi ſeriò animaduertãt, ne dũ ineptos tãtum ad Chorũ vocãt, Chori Religionẽ, quæ (teſte Iſidoro) perfectorũ ſemper fuit, queq; ad præſtantiorẽ Dei cultũ ſpectat: & cũ ea antiquã Eccleſiæ traditionem plus æquo peſſumdẽt. Satiùs verò fuerit, ſi ſpiritualia vitæ actiuæ opera, ita cum Eccleſiaſtica Chori inſtitutione, quæ ad vitã contẽplatiuàm pertinet, cõiungant: vt ex iis perfectiſſimũ quoddã Religionis corpus coaleſcere exiſtimẽt: Choriq; Religionem, ſi genus virtutis ſpectandũ ſit, ita præcellere agnoſcant; vt Religio ſine Choro maximo ſuo ornamẽto careat; gratiſſimaq; illa Deo hoſtia orbata ſit, quã Vates cõmemorat, dicẽs: *Circuiui, & immolaui in Tabernaculo eius hoſtiã vociferationis.* De qua ita ſcribit Hilarius: *Audiat orantis populi conſiſtens quis extra Eccleſiã vocem; ſpectet celebres Hymnorũ ſonitus, & inter diuinorum quoq; Sacramentorũ officia, reſponſionem deuotæ Cõfeſſionis accipiat. Neceſſe eſt terreri omnẽ aduerſantẽ, & bellari aduersùs Diabolũ, vinq; reſurrectionis fide mortẽ, tali exultantis vocis noſtræ (vt dictum eſt) iubilo. Sciat hoc Deo placitum eſſe, hoc ſpei noſtræ teſtimonium; publicas, victriceſque exultationis noſtræ voces perſonare: quarum Propheta non negligens eſt, loco alio memorans; Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis. Et ne inanem iubilationis huius doctrinam, atque obſeruantiam crederemus, alibi proteſtatur: Beatus populus, qui ſcit iubilationem.* De his pluribus ſcribit D. Antonius Caracciolus, Vir doctus & pius, Ordinis Clericorum Regular. in ſuo Apologetico: & alij huius tempeſtatis Scriptores.

Vvicleuſ. de 4. ſectis Nouell. c. 6.

*Chori Religionem Hæretici inſectantur.*

Magdeburg. cent. 6. c. 10.

Iſid. l. 1. de offic.

*Religio ſine Choro imperfecta.*

Pſalm. 26.

Hilar. in Pſalm. 65.

*Pſalmodia Chori Hoſtia vociferationis, ſeu Iubilationis aſſeritur.*

Quamobrem



XII. Quamobrem haud mirum videri debet: quòd Honorius noſter, eã Chori, cuius dignitatem animo diuinitùs hauſerat, cupiditate teneretur; vt quæ corpori neceſſaria erant, ſibi ſponte ſubtraheret; quò cæleſtibus communis pſalmodiæ deliciis frueretur. Etenim reipſa probauerat, quod Sanctus Laurentius Iuſtinianus de illa pridem ſcripſerat: nimirum pſalmodiam eſſe quandam Dei ad hominem; atque hominis ad Deum, dulcem, lætam, ac familiarem allocutionem, quæ immenſas in ſe continet delectationes.

*S. Laur. Iuſtin. de diſcipli. & perf. Monaſt. conuerſ. c. 17.*

XIII. Cùm igitur Regularis obſeruantiæ zelo, morum grauitate, & conſilio, prudẽtiáq; plurimùm præcelleret: ad Venetos cũ Raphaële Volaterrano, cuius ſupra memini, Venetæ Prouinciæ Viſitatore profectus; primũ Patauij, deinde Venetiarũ Guardianus, poſtremò totius Venetæ Prouinciæ Vicarius Prouincialis eligitur: quo in munere, tam eximiũ omnium pręclariſſimarũ virtutum, quæ perfectũ Religioſi Gregis Paſtorẽ comitari debent, ſpecimen edidit; tamq; in conſiliis prudẽs, in humanis miſericors, in deterrendo vehemens, in conſolãdo humanus; tam æquus in iudicando, tam in ignoſcẽdo clemens: tã deniq; ad omnem virtutem, atq; animi moderationẽ compoſitus fuit; vt non niſi ad aliorum vtilitatem natus videretur. Quo fit, vt præter ouium incolumitatem, ſalutem, commodum; ac diuinæ, Seraphicæq; legis obſeruantiam, nihil omninò ſpectare, aut animo verſare videretur. Atq; eo factum eſt; vt cùm eximia Viri virtus vbique ferè perſpecta eſſet; bis in Ethruriæ Prouincia Vicarij Prouincialis officio, maxima cum laude, functus fuerit: ac demùm Bononienſem Prouinciam, non minoris Regularis obſeruantiæ fructu, adminiſtrauerit.

*Honorius Variis in Prouinciis Prouincialis eligitur.*

XIV. Paupertatis cùm ſeueriſſimus cuſtos eſſet; hanc Euangelicam Margaritam ſubditis, non tam verbis, quàm exemplo commendare, & cuſtodiendam tradere ſolitus erat. Quapropter cùm ſemel Regulæ codicem, quem iam ferè vetuſtate conſumptum ſecum gerebat, laneo panno operiret: Laïcus quidam Frater ad eum: Quid Pater, inquit, vix hærentem ſibi Regulam conſuis? Non hæc Prouinciali Viro digna Regula eſt: Iube, vt noua tibi quæratur. Cui Honorius: Fili, hæc mihi Regula, licèt exeſa ſatis eſt, ac paupertati ſufficit: qui meliorem optat, Regulam ipſam, ac conſcientiam conſulat. Vultu quidem Honorius rigidus erat, & moribus grauis, quò ſanè non exiguum ſibi apud ſubditos ſeueri nomen comparabat: at ſermone adeò comis, & affabilis, vt omnium ſibi amorem conciliaret. Conſtitutiones, & antiquas Ordinis conſuetudines acerrimè propugnabat: atque adeò totius ſe nouitatis, quam Regularis relaxationis ianuam appellare ſolitus erat; hoſtem exhibebat; vt nihil omninò, vel in Conuentuum ædificatione, vel in domeſtica re, aut Eccleſiæ ſuppellectile nouum, vel ab antiqua paupertate diſſentaneum ferre poſſet. Neque tamen interea, dum illi per otium liceret, à prædicationis munere vacabat: ſed vt faciliùs cæteros Prædicatores à magnarum Vrbium appetitu reuocaret; ipſe ſibi humiliora ad prædicandum loca eligens, inde vberes animarum fructus referebat.

*Paupertatẽ Maximo zelo proſequitur.*

*Nihil in Religione innouandum docet.*

XV. Tantæ hic Vir humilitatis fuit; vt cùm ſemel Nouanæ, Piceni Oppido, Verbum Dei diſſeminaret: vbi pleriſque, ob inimicitias, quas olim in in eo Oppido geſſerat, ſcandali anſam præbuerat; eorum publicè pro ſuggeſtu veniam à populo poſtulauerit: quæ res adeò populum commouit, vt vniuerſos ad pœnitentiæ lachrymas prouocauerit. Neque eo contentus; eos quoque priuatim, quos odiis inſectatus fuerat, domi conueniens, humillimis verbis placauit.

*Vera humilitatis indicia prodit.*

Dum publico Vicarij Prouincialis munere fungeretur: tanta ſuauitate, ac charitatis impulſu, Fratres ad rerum diuinarum complexum hortabatur; vt omnium animos ad Dei amorem pertraheret. Semel cùm Bononiæ de Cæleſti gloria ſermonem Fratribus proponeret; tam ingenti illius luce, ac voluptate à Deo perfuſus fuit; vt in ipſo Orationis fluxu in extaſim raptus, diu verba interceperit.

*Sermocinans in extaſim rapitur.*

XVI. In Corſicæ Prouinciam, Generalis Viſitator, ab Euangeliſta Generali miſſus, dum in illius Prouinciæ cultura ſtudioſè laborat: res planè infauſta cuidam

Sacerdoti contigit; qua Deus Optimus Maximus cunctis perſpectum eſſe voluit, qua pœna inobedientes, ac propriæ ceruicis Religioſos plecteret. Hic cùm omnium opinione Vir bonus, ac honeſtus haberetur, in morbum incidit; quò per quindecim dierum ſpatium prægrauatus, ad extremam tandem vitæ metam peruenit: quo tempore cùm de Pœnitentiæ Sacramento ſuſcipiendo, cum eo ageretur; haud ſibi opus eſſe reſpondet: quandoquidem iam à Deo condemnatus eſſet. Nouum & incredibile id Fratribus videbatur, qui hominem honeſtè hactenus vitam traduxiſſe conſpexerant: idque potiùs phreneſi, ac morbi vi, quæ illum ad amentiam compelleret, tribuendum cenſebant: ſed cùm ex cæteris ipſius ſermonibus, nec delirare hominem, neque inſania (vt putabant) correptum; ſed ſaniori mente præditum eſſe animaduerterent; id Dæmonum tentationi adſcribere maluerunt. Quare Guardianus multis eidem verbis perſuadere cœpit, vt huiuſmodi Satanæ tentationi obſiſteret; ac de ſumma Dei clementia, ac benignitate ſperaret. At quò pluribus Guardianus, eum à propoſita propriæ damnationis opinione reuocare conabatur, eò magis ægrotus ſe à Deo condemnatum eſſe affirmabat. Stupebat Guardianus; qui hominis anteactam vitam, haud ita improbam fuiſſe iudicabat, vt tam apertum Dei Iudicium ſubiret. Quamobrem his eum tandem verbis compellat. Frater, ſi de damnatione agitur, Dei Iudicium haud iniuſtum eſſe poteſt, neque vllum abſque culpa condemnat: iam ediſſere nobis, quænam tuæ damnationis cauſa ſit, aut quæ eam culpa præceſſerit? Neque enim præteritæ vitæ tuæ facies, iis ſceleribus turpis aliquando nobis viſa fuit, quæ te in hoc deſperationis barathrum adigere debeat.

*Fratris Inobedientis, ac proprietarij damnatio exaratur.*

XVIII. His ægrotus: Obedientia ſæpè contempta, inquit, propria voluntas, ac proprietatis ſcelus, iuſtæ meæ damnationis cauſæ ſunt: hæc me ad tartara rapiunt: neq; enim Superioribus meis vnquam ex animo parui. Quanquam enim apertè eorum præcepto minimè reluctarer; tot nihilominùs diuerticula conſtruebam, cùm aliqua meo ſenſui repugnantia præciperent; totque cauillos parabam, quibus meipſum ab ea obedientiæ lege eximerem; vt nunquam, præterquam in iis, quæ voluntati meæ cōſentanea erant, meis Superioribus paruerim. Videbar quidem honeſtis meipſum rationibus obtegere; ne Præpoſitorum meorum voluntati obtemperarem: at certè, neque veræ, neque honeſtæ excuſationes erant, ſed à proprio duntaxat ſenſu confictæ; vt propriæ voluntati, in quam totus iuraueram, ſatisfacerem. Atque hoc quidem primum damnationis meæ caput eſt. Alterum verò eſt proprietatis vitium: quo irretitus, plurima aliis munuſcula largiebar, viciſſimque ab aliis, abſq; vlla Superiorum licentia, accipiebam: idque magis ſcelus auxit; quòd eam mihi rerum tum dandarum, tum accipiendarum facultatem à Superioribus denegandam fore exiſtimarem: ex quo earum mihi ſemper proprietas animo inhærebat: neque huius me vnquam, tam ſæpè patrati ſceleris pœnituit, aut illud pœnitentiæ Sacramento abſterſi: cùm ea dandi, & accipiendi voluptate carere extimeſcerem. Porrò in horum teſtimonium, adhuc ſub puluillo meo canabis faſciculus abſconditus latet; quem te inſcio, Pater, in Vrbe quæſiui: vt filo ex eo compacto, panni præſegmina quædā tunicæ cōſuerem; quæ velut inutilia, ne apponerē, feriò tu ipſe admonueras.

*Cauſæ damnationis referuntur.*

XIX. At his auditis Guardianus: Ne paueas, inquit, animum reſume: leuia hæc ſunt, quæ pœnitentia facilè abſtergi poſſunt. Ad Sacramentum confuge, ac certo certiùs à Deo miſericordiam accipies. Cui Aegrotus: Falleris, Pater; haud hæc leuia Deus iudicat, qui iuſtum aduersùm me ob hæc iudicium exercet: Iacta eſt alea: fruſtrà ad pœnitentiam prouocas; cùm nulla mihi poſt Dei iudicium ſalus reliqua eſſe poſſit. Cùm verò adhuc pluribus Guardianus verbis ægrotum ad pœnitentiam hortaretur; is ad omnia ſurdus, hinc tandem impœnitens migrat, ac deplorando fine vitam concludit: vt hinc, Dei iudicia timere diſcant; qui vel ſuis Præpoſitis ſæpè reluctantur, eorumque præcepta quacunque ratione, aut colore quæſito ſubterfugiunt: vel Diabolico conſilio perſuaſi, ſtatutas paupertatis leges infringunt.





XX. Igitur Honorius poſt viſitationem è Corſica ſoluens, in Ethruriam redit: cùmque iam ætas ingraueſceret, (ſeptuageſimum enim iam ætatis annum agebat) animi tamen virtute refloreſcente, conſuetas corporis macerationes, vigilias, ieiunia, orationum ſtudia, quæ ab initio inſtituerat, nequicquam minuebat: quibus dum ſollicitè incumbit, iterum Bononienſis Prouinciæ Vicarij Prouincialis eligitur. Eo in munere cùm annum expleſſet: qua die è Bononienſi Conuentu Imolam proficiſcitur, pleuritide in itinere correptus, Bononiam redit. Hoc tempore cùm Phyſicus, externa illi remedia applicaturus, ferreum cingulum, quod circa renes geſtabat, animaduertiſſet; protinus exclamare cœpit: Heu, Pater, cur te ipſum occidis? Sine, ſine (inquit Honorius) non me, ſed aduerſarium occido: At cùm Medici iuſſio vrgeret, tandem cingulum exuere cogitur. Interea morbo ingraueſcente, Vir Dei, optimi Paſtoris inſtar, non tam acuti morbi dolore, quàm ouium, quas præſentia ſua fouere non poterat, mœrore afflictabatur: quapropter cùm nocte quadam, ob intermiſſam viſitationem, quam gregi neceſſariam eſſe cenſebat, ſolito vehementiùs angeretur: Dei vocem ita ſe alloquentem audit. Honori, mihi oues curandas relinque; tu te ad viam vniuerſæ carnis peragendam para: hæc enim te ægritudo tuo principio reddet. Hac Dei voce, Vir Dei ſui finis admonitus; vbi plurimas cum lachrymis Deo Opt. Max. gratias egit, ſanctis ſe Eccleſiæ Sacramentis deuotiſſimè communit. Tū Fratribus omnibus, qui aderant, conuocatis; cùm eos ad perfectum Regulæ cultum, ad charitatem, cæteraſque Euangelicæ vitæ virtutes adhortatus fuiſſet; poſtrema hæc illius verba fuêre: Filioli mei; En hodie viam ingredior vniuerſæ terræ, ſenio iam, ac laboribus confectus. Hæc me dies in hac vitæ peregrinatione gradientem ſemper anteceſſit: hæc animo nunquam non infixa fuit; hæc mecum conſenuit; hæc ſegnem, ac pigritantem ad labores prouocauit; hæc currenti ſtimulos addidit; hæc mecum ad metam cucurrit; hæc tandem hodie terminum curſui præſcribet: quo fit, vt non noua, neque ignota, ſed antiqua, & amica hæc mihi dies ſemper fuerit. Hanc vobis, Filioli, ante oculos pono: hanc comitem adiungo, hanc tanquam veſtræ peregrinationis ducem, omnibus, quibus poſſum verbis commendo. Hæc enim ſi vobiſcum fuerit, non otioſos, non ignauos, non pigros, in diuinæ, ac Seraphicæ legis mandatis percurrendis eſſe patietur; neque in Religionis Vinea inutiles ſtatuet. Id vobis maneat alta mente repoſitum, breue, ac momentaneum eſſe vitæ noſtræ tempus; cui nunquam peritura temporum æternitas ſuccedit. Magnam mercedem, Fratres, exiguus labor antecedit; paruumque laborem magna merces ſequetur. Quid ergo vos labor deterret, quem clariſſima tandem dies æterno præmio coronandos ſeruat. Viriliter agite, Filij. Corona legitimè certantium, & laborantium eſt: at labor, ac certamen coronam parient: Breuis quidem labor, ac leue certamen erit: verùm corona cæleſtis, ac immortalis manet. Hæc cùm dixiſſet, Filiis omnibus, qui circumſtantes Patris obitum lugebant, ac collachrymabantur; in Dei nomine benedixit: mox animum ad Dei occurſum, ardentioribus charitatis ſtimulis prouocans, paulò poſt ſancto fine in Domino quieſcit.

*Honorius Bononienſis Prouinciæ Prouincialis eligitur.*

*Circulum ferreum Medici præcepto exuit.*

*Diuinam vocem audit mortem illi futuram reuelantem.*

*Fratres ad pietatem hortatur.*

*Bononiæ diē extremum claudit.*

XXI. Eadem porrò hora, qua Sancti Viri Anima è corpore ſoluta, ex hac luce deceſſit: Frater Ioachimus à Cianciano, Thuſciæ Prouinciæ Sacerdos; dum in Eccleſia Montiſpolitiani orationi vacat: En Eccleſiæ fores pateſieri, copioſamque Fratrum Minorū Capucinorum ſupplicationem, Eccleſiam ingredi animaduertit: qui cùm bini incederent, ante Altare Euchariſtiæ procumbentes, inde Chorum penetrant, Horum in Ordine poſtremo Honorium videt, qui inter B. P. Franciſcum, & Sanctum Antonium medius, ac ſplendidus incedebat. Re ille plurimùm admiratus, ab eorum vno ſciſcitatur: Vndenam tot Fratres ſimul conueniant; quidvè illa ſupplicatio præſeferat? Cui ille: Nos, inquit, Capucini ſumus, è Cælo venientes, quibus à Deo id officij iniunctum eſt; vt Honorium, quem inter B. P. Franciſcum & Sanctum Antonium refulgentem conſpicis, ad Cæleſte Regnum comitemur:

*Ipſius gloria Sacerdoti in viſione demōſtratur.*

Quibus dictis, tota illa Beatorum Fratrum ſupplicatio cæleſtes auras repetit: Porrò necdum in Thuſciæ Prouincia Honorij mors eouſque innotuerat. Quapropter paucis elapſis diebus, cùm de illius obitu eò nuncium allatum fuiſſet; eadem hora Honorium cæleſti illo agmine ſtipatum apparuiſſe, tunc Fratri perſpectum fuit; in qua Vir Sanctus, è terreno carcere ad æternam patriam emigrauerat.

XXII. Poſt Sancti Viri obitum; vt illuſtrior illius gloria, ac præclara apud Deum merita cunctis perſpicua fierent. Medici, qui ipſius curationi vacauerat, vxor, quæ Laura appellabatur; tam graui paralyſi laborabat, vt tota dextri lateris parte membrorum vſu destituta, dextri quoque oculi lumine careret, nullaque ſeipſam ratione mouere poſſet: Huic varia Coniux, de aliorum quoque Medicorum conſilio fruſtrà remedia contulerat, quæ audita Honorij morte, cuius illa ſanctitatem ſæpe ex ipſius Coniugis verbis acceperat; maximamque recuperandæ incolumitatis in eo ſpem repoſitam habebat: à Marito poſtulat, vt Sancti Viri ſepulchrum ſibi adire liceat. Recuſabat Phyſicus, qui talem in vxore ægritudinis ſtatum deprehendebat; vt abſque vitæ periculo eò deferri non poſſet: præſertim cùm fœtum in vtero geſtaret; ſed cùm illa eò maximè preces multiplicaret; quòd à Coniuge ipſo intellexerat, Honorium morti proximum, cuius ille ſuffragiis ægrotantem vxorem commendauerat, pro ea ſe rogaturum ſpopondiſſe: atque inde certam ſibi animo, de conſequenda valetudine, fiduciam peperiſſet, votis tandem Coniugis acquieſcit; quadrigamque parari iubet, qua ea ad Capucinorum Eccleſiam vehatur. Ibant equi, natura alioqui manſuetiſſimi, quadrigam vectantes: cùm Satan, qui nunquam non Sanctorum gloriæ inuidet; ne Aegrotans cœptum iter, ex quo amplior Deo, ac Seruo ſuo gloria acceſſura erat, proſequi valeret; repentè equos terret: tamque præter modum perturbat, vt ij quadrigam in diuerſa rapientes, in altam foueam cum ægrotante, ac alijs, qui eam comitabantur, præcipitem egerint. Turbat Medicum, qui præſens aderat, haud mediocriter vxoris caſus, quem illo quadrigæ lapſu membris contuſam, ac ſemimortuam eſſe exiſtimabat: at illa, cum cæteris, Deo protegente illæſa ſeruatur. Quamobrem Phyſicus Satanæ artem agnoſcens diuina virtute deluſam, ſummas Deo grates refert; vxoremque famulorum brachiis, deinceps ad Eccleſiam baiulari iubet.

*Medici vxor paralyſi laborans ad Honorij Sepulchrum ſe deferri poſtulat.*

*Dæmon fruſtrà ægræ iter impedire conatur.*

XXIII. Aegra igitur ad Sancti Viri ſepulchrum delata, ſola ibi permanere poſcit. Interea Medico, ac cæteris extra Eccleſiam, ſalubriori aëre fruentibus: illa Sepulchri pulueres deoſculari, & lachrymis, ac fletibus rigare, ſanctique Viri promiſſa repetere, ac ipſius ſuffragia implorare cœpit: cumque diu in huiuſmodi oratione perſtaret; leui ſomno correpta, Honorium ſibi adſtare conſpicit, qui his eam verbis alloquitur: Surge, Mulier, Deo gratias age: Fides enim tua iam te incolumem reddidit: ſcabellúmque, cui innitebatur, pede expulſo, mox euanuit. Aegra verò ſibi reddita, cùm ſe prorſus ab ægritudine liberam, atque oculi lumine donatam cerneret; per ſe ad Euchariſtiæ Sacramentum gradiens, lachrymarum imbre perfuſa, ibi Deo gratias agebat: cùm protinus adoleſcens, qui in Eccleſia cum Agrotante remanſerat; re obſtupefactus, ad Medicum, ac cæteros præcurrens exclamat: Venite: En Dei miraculum: accurrite: Nam Laura Domina mea ſana eſt. Illa adoleſcentis voce mox vniuerſi commoti, feſtinè ad Eccleſiam pergunt; ægram ante Altare genuflexam, membrorũ omnium vſu, quo antea carebat, perfectè fruentem; atque oculi lumine recepto, clarè omnia intuentem reperiunt. Narrat illa Beati Viri viſum, verba, figuramque, quam nunquam viderat, diſtinctè, atque adamuſſim delineat. Stupent vniuerſi: moxque in Dei, ac Sancti ſui laudes omnes ora ſoluunt; ac voces extollunt. Eò ſtatim Fratres conueniunt: euidenſque miraculum, diuina virtute patratum cernentes, Hymnum, *Te Deum laudamus* Deo perſonant. Actis igitur Deo gratiis; cùm Medicus alteram quadrigam, qua Coniux domũ veheretur, parandã iuberet, (prior enim illa caſus colliſione perfracta fuerat) Recuſat

*Ægra ab Honorio illi apparente curatur.*

*Aegra pedeſter domum redit.*





vxor, quæ totum illius itineris ſpatium, in diuini muneris teſtimonium, ſuis pedibus conficere voluit. Fœtum verò, quem illa in vtero geſtabat, cuius haud leuiter, ob quadrigæ lapſum, abortus timebatur, cùm ſuo tempore proſperè enixa eſſet; Honorium, in tanti beneficij memoriam appellat.

XXIV. Extemplò miraculum tanto per Vrbem rumore diffamatum fuit; vt Cardinalis Paleottus, qui Bononienſem Eccleſiam eo tempore moderabatur; & cum eo Hæreticæ quoque prauitatis Inquiſitor, eo certa Fide, ac teſtium probatione comperto; Sancti huius Viri vitæ proceſſum, pro ipſius Canonizatione, inſtituere cogitarent: idque reipſa præſtitiſſent, niſi Fratres rem pro conſueta humilitate ægrè ferentes, ac reluctantes, eos à propoſito reuocaſſent. Attamen ea Sanctum Virum deuotione, ac pietate vterque proſecutus eſt; vt ſæpiùs Capucinorum Eccleſiam adirent: atque in eo Sacello, in quo ipſius corpus tumulatum iacebat, Sacra facerent.

*Fratres Beatificationis proceſſui reluctantur.*

*Cardinalis Paleotti, & Inquiſitoris erga Honoriũ pietas.*

XXV. Altera quoque eiuſdem Vrbis Mulier, quæ Cardialgia diu laborauerat; cùm huius miraculi famam percepiſſet; B. Viri ſibi ad incolumitatem merita implorat; cuius tandem ſuffragio ab eo morbo liberatur. Quapropter cùm illa quandam pecuniæ ſummam Fratribus attuliſſet; vt eam in Sacram Eccleſiæ ſuppellectilem expenderent: ij reiecta pecunia, Mulierem potiùs ad Dei laudes prouocant.

*Mulier ægrotãs ipſius meritis à morbo liberatur.*

XXVI. His & alij quamplures accedunt, quibus Sancti huius Viri merita profuêre. Fr. Bonauentura Bononienſis, noſtri Ordinis Sacerdos, cùm matrem dentium dolore, iam per ſex menſium ſpatium, immaniter cruciatam cerneret: prolato huius Sancti Viri dente, quem ob ſingularem, qua in ipſum deuotionẽ, ferebatur ſecum gerebat: dum eo languentis matris dentes contingit, ac Beati Viri ſuffragium ad eius curationem expoſcit: mox effugato dolore, tam perfectè à morbo ſanatur, vt nunquam deinceps eo diuexata fuerit.

*Pleriſq; ægrotis incolumitatem è Cælo largitur.*

XXVII. Tertiaria quædam, nomine Monica, tam graui capitis dolore cruciabatur; vt omni incolumitatis ſpe abiecta, breui interitum expectaret: quo tempore à Capucinis ſibi huius Sancti Viri Caput, magnis precibus, ad ſe deferri poſtulat: quod cùm ſub ipſius puluillo, cui languidum caput inhærebat, collocatum eſſet: breui è lethali morbo, Dei virtute, ac Sancti Viri ope conualuit.

XXVIII. Fr. Benedictus Rhegienſis Capucinus Sacerdos, cùm alterum huius Sancti Viri pedem, è tumulo erutum, ſibi ob Sancti Viri memoriam in Cella reconditum repoſuiſſet: tanta repentè odoris fragrantia per totum Monaſterium effuſa eſt; vt cùm ea vniuerſi obſtupeſcerent, cauſamque diligentiùs exquirerent; metuens Benedictus, ne factum aliis innoteſceret, iterum pedem ad ſepulchrum refert: factumque deinde Superiori declarat. Plurima quoque de fune, quo Beatus hic Vir præcingebatur; quæ Arimini à noſtris religioſè cuſtoditur; non obſcura narrantur: qua Dæmones in inſeſſis corporibus torqueri, ac flagellari tradunt. Hoc modo Honorius, honorabilis planè Vir, dum in ſanctitate, & iuſtitia Dominum glorificat, is quoque gloria & honore à Deo coronatur: vt illa Dei vox obtineat dicentis. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum.*

*Ipſius pes è tumulo erutus magnam odoris fragrãtiã effundit.*

1. Reg. 2.

XXIX. Porrò hoc eodem tempore in Lucaniæ Prouincia, Frater Franciſcus à Matteola, Vrbe Lucaniæ, Laïcus, temporalis vitæ ſpatium peragit: cuius vita cæteris totius perfectionis norma fuit. Paupertate enim, humilitate, ſuiipſius deſpectu, abſtinentia adeò inter alios inſignis effulſit: vt rerum penuriam, corporis incommoda, probra, illatas contumelias, non tam æquo animo tolerare, quàm nec ſentire videretur. Obedientiæ verò virtute tam illuſtris fuit, vt ipſius obedientia diuino miraculo illuſtrari digna fuerit: Cùm enim in Conuentu Latertiæ Eleemoſynarij munus obiret, maximaque vini penuria totam Regionem occuparet: dum binas is vini lagenas ad mendicationem parat, Guardianus iocosè his eum verbis compellat: Caue Franciſce, ne vacuas lagenas domum referas: Omne ille ſtudium, ac ſollicitudinem confert, vt vinum à Ciuibus emendicet: ſed cùm tanta eſſet

*F. FRANCISCI à Matteola, Vita, & Geſta.*

*Claris virtutibus floret.*

vini penuria; vt vix illuſtriores Vrbis Familiæ arcta, ac neceſſaria illius prouiſione potirentur; abſque vino domum redire cogitur. Interea recolit ille Superioris verba, quibus ſibi præceptum fuerat; nè cum lagenis vacuis domum rediret: quibus cùm prorſus ſatisfacere vellet; lagenas ex fonte, qui eodem in itinere limpidiſſimus occurrit, aqua implet; iiſque onuſtus domum redit. Vix de more à Guardiano benedici poſtulat, cùm ab eo Guardianus percunctatur; num plenas lagenas domum tulerit: mox ille: Plenas, inquit; Pater. Paruo poſt tempore elapſo, cùm Guardianus vtramque lagenam; quam vappa, aut acidò vino plenam arbitrabatur, guſtu explorare vellet; optimum, ac generoſum vtraque vinum effudit: quare ille obſtupeſcens, à Franciſco ſciſcitatur, vndenam tali vino lagenas impleuerit: at ille ſimpliciſſimè: ex fonte, inquit, qui in via ſe offert: neque enim vini quicquam à Ciuibus mendicatione comparare potui, quo lagenas implerem; tuum verò cùm præceptum vrgeret, ne lagenas domum vacuas referrem; vt iuſſioni parerem, aqua impleui: (nedum enim Franciſcus aquam in vinum à Deo mutatam fuiſſe nouerat) Diuinum tunc primùm Guardianus miraculum agnoſcens, illud ſimpliciſſimæ Franciſci obedientiæ tribuendum cenſuit: quæ tantum apud Deum pondus, ac meritum ſibi vendicauit; vt ob eam Deus Opt. Max. rerum ordinem inuerteret, & aquam in vina mutaret. Multis quoque aliis virtutibus claruit; quibus non exiguam ſibi apud omnes ſanctimoniæ famam comparauit. Singulari quoque animi prudentia, ac obſeruantiæ Regularis zelo, cùm à Deo præditus eſſet; Guardiani munere plerunque in ea Prouincia functus, ſancto denique fine, in Conuentu Latertiæ, vitæ curſum abſoluit.

*Ipſius Obedientia aqua in vinum cōmutatur.*

*Sanctimonia clarus Latertiæ obit.*

XXX. Nec minori virtutum, ac ſanctitatis ſplendore, hoc ipſo anno, mortalis vitæ curſum, in Piceni Prouincia, conficit, Fr. Angelus à Tipherno Metaurenſi, Sacerdos: qui inter primos naſcentis Reformationis Fratres, vndecimus cenſetur. Hic cùm in Minorum Obſeruantium Ordine, ad perfectum Regulæ cultum anhelaret, anno 1528. cum aliis ad Capucinos migrauit; atque eorum temporum calamitatem, tam immobili mentis conſtantia pertulit; vt cùm plurimi, qui ex Obſeruantium Familia venerant, acri illa tempeſtate iactati, ad priſtinum Ordinem redirent: is inter tot naufragia, ac procellarum vortices, conſtans, ac ſtabilis in Religionis Cymba, in finem vſque ita perſeuerauerit; vt reliquos etiam verbo, & exemplo in ſuſcepta Reformatione confirmauerit. Tot Vir hic in aureo illò ſæculo, quod vndique ſanctimoniæ luce coruſcabat, virtutibus enituit; vt planè difficillimum ſit, vniuerſas recenſere. Humilitas namque, quæ omnium virtutum in eo ſibi fundamentum vendicauerat, hominem vſque adeò ad ima deprimebat; vt viliſſima quæque Conuentus miniſteria obire; Coquinæ aquam, ligna, cæteraque miniſtrare; Eccleſiæ, Refectorij, Coquinæ, Dormitorij pauimenta verrere; collectas quiſquilias aſportare; immundas aliorum veſtes abluere; ægrotis inſeruire, omnibus obſequi; omnia denique omnibus fieri, ſummum illius ſtudium eſſet. Obedientia quoque humilitatis comes, eum tam perfectè ſuis Superioribus vltrò ſubiectum præſtabat; vt eorum verbum, nedum præceptum haud expectaret: ſed animo Superioris voluntatem anteuertens, quod in obedientia præſtantiſſimum eſt, aſſecutus eſſe videretur: nimirum, quod dicto citiùs pareret. Senſus omnes ita temperantiæ fræno cohibere didicerat; vt nullam non tam iis voluptatem indulgeret; quàm omnes ab iis, voluptates, quæ cum virtute coniunctæ non eſſent, perfectæ abnegationis ſarculo reſecaret: Nam quod ad corporis curam attinet, in victu tam parcus fuit; vt non modò omni ſæpiſſimè, præterquam panis, & aquæ cibo; verùm & ſaturitate ſeipſum abſtineret. Somno verò ſic vtebatur; vt non voluptati, aut oblectationi; ſed orationi, ac neceſſariis tantùm obedientiæ miniſteriis inſeruiret. Ita quoq; aduersùs rigidos Hyemis algores ſeipsū munierat; vt ſi minùs, quàm vnica, ac viliſſima tunica vti potuiſſet; id ſibi ad carnem domandam, protinùs elegiſſet. Linguam verò nō ſolùm à malis, ſed & à bonis; ne ex his in mala difflueret,

*F. ANGELI à Tipherno Metaurenſi Vita, & Geſta.*

*Varia illius virtutes enumerantur.*

coërcebat,



coërcebat: quo fit, vt ad ſolitudinem fugiens rarò cum Fratribus colloqueretur. Oculos quoque ne ad vana conſpicienda declinarent, ea cuſtódiæ lege conſtringebat; vt nullius vnquam, præſertim Mulieris, vultum intueretur. Denique tanta in eo temperantiæ virtus elucebat; vt qui Virum abſtinentem, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, verecundum, ac ſumma animi pace, ac tranquillitate fruentem; demùm Angelicum ſibi propoſitum vellet, Angelum intueri ſat eſſet.

XXXI. Porrò inter has animi virtutes, præſtantiſſima quædam in eo fulgebat mentis ſimplicitas; qua nihil vnquam in vllo mali, aut vitij ſuſpicari poſſe videbatur: ita enim cuncta candido, ac ſimplici oculo intuebatur; vt in ipſis quoque malis bonum ſpectaret: atque hinc eam cordis puritatem aſſecutus fuerat; vt cùm ad Pœnitentiæ Sacramentum accederet, nihil in eo Sacerdos plerunque culpæ animaduerteret, quod Sacramentali abſolutione expiandum eſſet. Quamobrem haud mirandum eſt, quòd cum maximis hiſce virtutibus, ac potiſſimùm tam ſingulari hac mentis munditie, altiſſima quoque rerum cæleſtium contemplatio coniuncta eſſet: Deus enim, qui puro corde delectatur, hominem tam præſtanti virtute ornatum, ad tam diuinas altiſſimæ contemplationis delitias euexerat; vt quoties exuberantem illam Filij Dei charitatem, qua ſe in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, in ſupremi amoris teſtimonium concluſerat, attentiùs in oratione perpenderet: toties ferè æſtuantiſſimo charitatis incendio agitatus, atque in aëra ſublatus; ab extremis Eccleſiæ foribus, ad Sacroſanctum Euchariſtiæ Altare, fulguris inſtar raperetur. Neque id ſemel, aut iterum; ſed frequenter illi accidiſſe, Fratres, qui eius rei ſpectatores fuêre, certa fide teſtantur. Poſtremò cùm plurimos, vſque ad grauiorem ſenectam, annos in omni candore, ac ſanctitate fideliſſimè Domino famulatus eſſet; paratam ſibi tandem in morte vitæ coronam accepit.

*Mira illius animi puritas, ac ſimplicitas.*

*In aëra orās ſubleuatur, atque ad Altare rapidiſſimè fertur.*

XXXII. Ex Etruriæ Prouincia, hoc ipſo anno, Fr. Ioanninus Florentinus, Laïcus, ad Cæleſte præmium euocatur: qui cùm eam animi moderationem adeptus eſſet; vt eum nemo vnquam iratum, nemo turbatum, aut mente commotum viderit: ac præterea humilitate, charitate, paupertate, Regulari obſeruantia, ac cæteris virtutibus ita præditus eſſet; vt perfectam, ac numeris omnibus abſolutam veri Fratris Minoris imaginem præſeferret; meritis clarus, ac B. Virginis in morte præſentia, & aſpectu dignatus, feliciter diem extremum, in Conuentu Montis Varchij exegit.

*F. IOANNINI Florentini, Vita & Geſta.*

XXXIII. Hoc tempore Nouitius quidam è Corinalto, Piceni Oppido, qui Arſenius appellabatur, nedum probationis anno expleto, ex humanis ſublatus fuit: qui cùm vitam in Sæculo, magna cum puritate, & honeſtate, vſque ad decimum octauum annum actam, pluribus in Nouitiatu virtutibus auxiſſet; vitæ filo morte interciſo, antequam ad Superos migraret; S. Ioannem Baptiſtam, ſæpe in extrema ægritudine ſibi apparentem, & ad meliora prouocantem vidit. Denique in mortis articulo pleroſque Sanctos, quos is proprio nomine appellabat, ſibi adſtantes, & ad præmia allicientes conſpicit; quibuſcum ad ſuperna conſcendiſſe creditur.

*Nouitius pleroſque in morte Sanctos ſibi adſtantes cernit.*

XXXIV. Alter quoque ex Picenti Prouincia, Fr. Laurentius à Sarnano, Oppido Piceni, Laïcus, terrenis hoc anno vinculis exuitur. Tam admirabili, ac ferè prodigioſa hic patientia præcelluit; vt dura quæque, aut verba, aut probra, quæ illi interdum ad probationem fiebant; tam læto, ac ſereno animo acciperet: vt ea ſemper riſu exciperet: neque iis magis moueri videretur, quàm ſi omnis iracundiæ ſenſu careret. Hac igitur, atque aliis cùm Regularis diſciplinæ virtutibus floreret: Sarnani ad extremam vitæ lineam peruenit: quo tempore glorioſiſſima Cælorum Regina, illi benignè apparente, dum eo lætus aſpectu exclamat, ò Mater, ô Mater mea Maria, ſic clamans expirat. Corpus verò, ac veſtes, poſt ipſius obitum, tam ſuaui odoris fragrantia reſperſæ fuerunt: vt certatim Fratres habitus ipſius fruſtula ſibi præſcinderent, vt ea apud ſe deuotè retinerent.

*F. LAVRENTII à Sarnano, Vita & Geſta.*

*Ipſius veſtes poſt mortem ſuaui odore flagrant.*

XXXV. Gemini præterea, hoc tempore, ex Romana Prouincia Sacerdotes, è corporeo

 carcere

*F. IOANNES VITERBIENSIS, ET F. NICOLAVS AB ANTIO NOVO virtutibus illuſtres.*

carcere ſoluti, cæleſtis patriæ munera læti ſubeunt. Primus eſt Fr. Ioannes Viterbienſis: qui cùm ſæpè aliàs, tum etiam eo tempore, quo hinc migrat, Prouincialis Vicarij munere in Romana Prouincia fungebatur. Alter Fr. Nicolaus ab Antio Nouo Guardianus Tiburtini Conuentus. Hi cùm virtute illuſtres, maximiſque in rebus probatiſſimi plurimùm in Regularis obſeruantiæ cultu laboraſſent; magnamque apud Fratres ſanctimoniæ laudem conſecuti eſſent; Romæ vna die, parique ſanctimoniæ fama vitæ finem imponunt: quo tempore ambo Fratri Tholomæo, Seni annoſo, qui Tiburi ægrotus iacebat; glorioſi, ac plurima luce circumfuſi apparentes, has ſimul voces effundunt: Vale Tholomæe, iam vnà Cælum conſcendimus.

*F. IOANNES ANDREAS, ET F. MATTHÆVS VENETI ad coronas pergunt.*

Alij quoque duo hoc anno in Veneta Prouincia; nempe Fr. Ioannes Andreas, XXXVI
& Fr. Matthæus, Veneti, ad beatarum animarum (vt credimus) domicilium concedunt; quorum vitam virtutibus plenam, mors pretioſa ſecuta eſt. Prior enim Apoſtolos Petrum, & Paulum, alios quoque Sanctos ſibi in morte obuiantes conſpicit. Alter cum Beata Virgine colloquens, inter Hymnos, & diuinas laudes, animam exhalat.

*Euſebius Anconitanus Capucinorũ Generalis, Vir illuſtris.*

## F. EVSEBII ANCONITANI V. GENERALIS, *Vita, & Geſta, ex vetuſtis M. S. deprompta.*

POſtremum tandem Piceni Prouincia, hoc anno, florem hominibus ſuauiſſimè XXXVII
olentem, Deo verò gratiſſimum, Cælo dedit, Fr. Euſebium Anconitanum, de quo plura diximus anno 1553. quum Generalis electus, Religionem præclarè adminiſtraret: hic verò nonnulla alia, quæ ad totius ipſius vitæ ordinem, & miracula ſpectant, ſubiicienda ſunt. Fuit Euſebius Anconæ, ex nobiliſſima Fardinorum ſtirpe progenitus; quæ multis à Federico, & Ludouico Imperatoribus; tum etiam à Caliſto III. & à Senenſi Republica, quandiu ea integra ſtetit, titulis, ac honoribus olim honeſtata fuit: Adoleſcens, cùm ad ſeptimum ſupra decimum annum perueniſſet; quo tempore variarum cupiditatum æſtu ætas incaleſcens, vitijs obnoxia eſſe ſolet; temporali generis nobilitate neglecta, ac Mundi illecebris nobiliori animo calcatis, diuinam ſibi in Minorum Obſeruantium Ordine ſeruitutem elegit: vbi cùm virtutibus primùm, tum literariis ſtudiis operam daret, eam pro ingenij excellentia, in Theologica facultate, ac concionandi munere, laudem conſecutus eſt; vt illuſtris ſuæ tempeſtatis Concionator euaderet. Cùm verò Regularem diſciplinam in Ordine magna ex parte collapſam videret; neque vlla Reformationis, ſæpè apud ſuos tẽtatæ, illi ſpes affulgeret: tandem inito cum Ioanne Faneſtri conſilio; quemadmodum anno 1534. explicatum fuit: quo tempore Ludouicus à Foroſempronio ad Religionis gubernacula ſedebat; cum eo, ac cæteris ad Capucinos conuolat.

*Nobiliſſimis ortus natalibus.*

*Ex Obſeruãtium Familia ad Capucinos aduolat.*

Magna in hoc Viro, ac mirifica ab exordio fuit vitæ probitas, morum diſciplina, ac ſenſuum mortificatio: quibus cùm Regularis diſciplinæ zelus, Seraphicæ paupertatis cupiditas, honeſtatis cultus, humilitatis contentio, abſtinentiæ rigor, voluptatum omnium fuga, corporis auſteritas; quædam in rebus omnibus moderatio, aſſiduæ, ac nunquam intermiſſæ orationis ſtudium accederet: hæc ipſius vitam, velut cæleſtem quandam Imaginem, tot virtutum coloribus depictam exornarunt; vt diuinum quoddam virtutis ſimulacrum à Deo in Orbe depoſitum videretur: ex quo quiſque, quod ſibi imitandum eſſet, decerpere valeret. Nemo facilè illius ſtudium explicare queat; quo labentem, diuexatam, ac propè depoſitam Religionem, afflictiſſimis illis temporibus iuuit, ſubleuauit, ſuffulſit. Nemo curas, ſollicitudines, labores enarret; quos in ſummis illis tempeſtatibus tam opportunè in eam contulit: vt in miſeræ ſpem, ac ſolatium à Deo datus videretur. Quapropter haud

*Cæleſtibus virtutibus exornatur.*





vlli mirum videri debet; quod Deus lucernam, tot virtutum fulgoribus coruſcantem, ſuper candelabro conſtituere; eumque exorienti Religioni Generalem, ac Paſtorem dare, diuina planè Sapientia decerneret: vt cæleſtium virtutum ſplendor, ex eo emicans, Seraphicam hanc Religionis domum ſuo fulgore illuſtraret.

XXXVIII Etenim, qui Viri huius geſta haud leuiter percurrunt; poſterioraque ipſius erga Religionem ſtudia, dum Generalis fuit, diligentiùs explorant; haud profectò ignorant: quantum is, ad puſillum hunc gregem adminiſtrandum, à Deo lucem hauſerit; quot præclariſſimarum virtutum exemplis eidem non modò præluxerit: verùm & animos, ad maxima quæque Seraphicæ perfectionis ſtudia accenderit: ita vt de eo illud Euangelicum meritò enunciari poſſit: *Ipſe erat lucerna ardens, & lucens.* Tanta enim ipſius, in rebus longè ante tum præuidendis, tum præcauendis lux, atque conſilium fuit; tam ingens in deliberando prudentia; tam admirabilis in agendo celeritas; tam ſingularis in aduerſis ferendis animi conſtantia, & magnitudo; tam cæleſtis doctrina; tam ſuauis eloquẽtia; tanta ad perſuadendum vis; tam facilis ad alliciendum natura; tanta denique, ac tam cæleſtis indita animo virtus: vt cùm perfectam, numeriſque omnibus abſolutam Doctoris, ac Paſtoris in ſeipſo formam præſeferret; poſt Bernardinum Aſtenſem, & Franciſcum Aeſinum, is fuerit; qui res Capucinorum non tam ab interitu vendicauit, quàm ſua virtute, atque auctoritate plurimùm auctas illuſtrauit.

*Ipſius dum Generalis fuit, in Religionem ſtudia exarantur.*

XXXIX At quandoquidem de pleriſque huius Viri virtutibus, præclaraque ipſius adminiſtratione fuſiùs anno 1553. actum eſt: ſupereſt, vt nonnulla hîc tantùm, quæ ad reliquam illius vitæ partem, ac miracula ſpectant, recenſeamus. Tam mira erat in Euſebio mentis humilitas: vt cùm oblatos quoſcunque honores, ac dignitates pro viribus effugeret; ſæpè ſe alium eſſe ſimularet. Nam quo tempore Foroliuij, Generalia Comitia à Thoma Tiphernate celebrata fuêre: Electorum penè omnium animi in Euſebij electionem ferebantur; cuius antea adminiſtrationem Religioni vtiliſſimam fuiſſe probauerant: quod cùm is ſignis quibuſdam haud leuiter ſuſpicaretur: vt eos à propoſita electione reuocaret, ſtatim baculo aſſumpto, Monaſterium circuire, & quaſi lumbagine laboraret, gemitus paſſim edere cœpit. Id cùm Electores ſibi tanquam certum perſuaderent; ab illius, quaſi languentis, electione abſtinuerunt. Abſoluta porrò electione, & Euangeliſta à Canobio ad Generalatus officium aſſumpto; cùm Euſebius baculo proiecto, rectus, ac ſanus incederet; quorſum is ſe ægrum ſimularet, tunc primùm cunctis innotuit: Quare cùm plerique deinde ſecum conquererentur, quòd ea arte Comitia deluſiſſet; ſubridens reſpondit; magis ſibi fictam ægritudinem, quàm ſanorum vota profuiſſe.

*Vt Generalatus dignitatẽ fugiat, ægrum ſe ſimulat.*

X L. Alio quoque conſilio vſus eſt; vt maiorem in Eccleſia dignitatem ſubterfugeret. Cùm enim, dum Generalis eſſet, tanta Euſebij apud Paulum IV. Pontificem eſſet virtutis, ac prudentiæ exiſtimatio; vt Pontifex cùm nonnullis, de eo ad Cardinalatus honorem aſſumendo, verba feciſſet: id cùm primùm Euſebius agnouit; confeſtim ſub viſitationis prætextu, ad Siculos fugit; vt ſe à Pontificis oculis, ac memoria ſubtraheret; atque hoc pacto ipſius conſilium interciperet: quod illi planè ad votum contigit: Nam Paulo IV. paulò poſt ex humanis ſublato, liber is à periculo euaſit. Singularis ipſius, in rebus adminiſtrandis prudentia, hoc exemplo perſpecta fuit. Nam cùm Frater quidam Laïcus, Coquinæ Præfectus; Vir auſterioris vitæ, aduenas Fratres, ex itinere feſſos, tam tenui charitate exciperet; vt præter panem, vinum, ac crudum acetarium, nihil illis in menſa apponeret: Id Euſebio Generali renunciatum fuit: qui vt hominem, ab indiſcreta illa auſteritatis lege ſibi præſtituta, proprio periculo reuocaret; & ad neceſſariam charitatis virtutem compelleret; illius ſe opera egere fingit; eumque ad remotiora quædam Prouinciæ loca literas perferre iubet: ad Guardianos interea ſcribit, ne itineranti aliud, præter panem, vinum, ac crudum acetarium apponant. Iter Laïcus aggreditur:

*A Cardinalatus honore ad Siculos fugiens declinat.*

*Coquinæ præfectũ ab indiſcretæ auſteritate ſua prudentia reuocat.*

cúmque pleraque Prouinciæ Monaſteria illi percurrenda eſſent; quocunque pergeret, vbi ſe tenui illa charitate, qua ipſe alios excipere ſolebat, exceptum cernit. Quid ille? ægrè fert, queritur, obmurmurat, feſſis tam exiguam refectionem miniſtrari, charitatem extinctam, clamat. Tandem ad Euſebium redit: à quo interrogatus, quali in via charitate à Fratribus affectus fuiſſet: is protinus in querelas erumpit: quæ ſibi vbique appoſita fuerint, narrat: Fratreſque iugulatæ charitatis accuſat. Cui Euſebius: Miror, inquit, profectò, quo pacto tam exilis tibi charitas miniſtrata fuerit, quæ aliis tam copioſa eſſe ſolet: Vide Fili, ne hoc Dei Iudicium ſit; atque eadem te Deus menſura, qua alios metiris, remetiri voluerit. Audio enim, te aduenis Fratribus, longo itinere defatigatis, præter hæc, quæ tibi appoſita fuêre, nihil ad refectionem parare. Quid cæteros omiſſæ charitatis ſuggillas? cùm teipſum in primis accuſare debeas? quòd ſi ab aliis tibi charitatem expoſcis; cur eam tu prior, qua aduenas, ac defatigatos Fratres proſequi debes, iis abundantiùs non exhibes? Vitium igitur, quod in aliis perſequebatur; cùm Laïcus in ſeipſo tunc primùm agnouiſſet; correxit: atque ab ea indiſcretionis plaga Euſebij prudentia curatus fuit.

XLI. Verùm quòd ad ſingulares hominis virtutes attinet: plurima ſanctus hic Vir erga Defunctorum animas, quæ purgatorijs pœnis detinentur, pietate commouebatur: pro quibus cùm frequenter Domino preces, atque incruentum Miſſæ Sacrificium offerret: eò factum eſt, vt cùm Romanum Conuentum aliquando adminiſtraret, ſemel in Cella occluſus, orationi vacabat: quo tempore Cellulæ fores pulſari audit. Is Fratrem eſſe ratus, more Fratribus conſueto, reſpondet: *Aue Maria*; nemine verò ingrediente; bis, ter, Cellæ oſtium pulſatur. Cui Euſebius: Ingredere, inquit, qui pulſas. Mox Fratris cuiuſdam vmbra Cellam ingreditur: cuius aſpectu cùm nonnihil Euſebij mens turbaretur: Vmbra illi: Ne paueas, ait, Ego enim ſum Fratris N. iam defuncti anima: quæ, non multis abhinc annis, pœnas purgatorias, ob inania verba, tam ſæpè à me effuſa luo; ſuffragiiſque iuuari expoſco: quo dicto ſtatim ea leues diffugit in vmbras. Confeſtim Euſebius, publicas pro illius animæ liberatione preces, ac Miſſæ Sacrificia Deo offerri præcipit: quibus tandem ea pœnarum remiſſionem conſecuta eſt.

*Fratris Defuncti anima ab eo ſuffragia petit.*

XLII. Tanta quoque in Deum charitate ferebatur: vt cùm publica ſcelera, quæ in diuini Nominis iniuriam plerunque patrantur, ferre non poſſet: Deum interdum vehementiùs rogaret; vt facinoroſos homines pœna aliqua temporali mulctaret, quò à flagitiis abſtinerent. Id hoc exemplo manifeſtum fuit. Olim mos erat, apud pleraſque Vrbes receptus; vt nudæ Chriſti Crucifixi ſtatuæ, lineis induſiis; aut veſtibus induerentur: qua re homines ampliorem erga Deum religionis cultum teſtabantur. Quandam ipſe Chriſti Crucifixi ſtatuam lino tenuiſſimo aliquando operuerat? quam cùm fur quidam noctu ſubripuiſſet: alteram addidit: cúmque & hanc fur ſecundò abſtuliſſet; Euſebius, vultu ad Chriſtum conuerſo, his eum verbis alloqui cœpit. Quid iam, ò bone Ieſu, de impijs, ac ſceleſtis conquereris, quòd ſcelera augeant? An non nimia tua benignitas, ac manſuetudo in cauſa eſt? Niſi enim tam bonus, ac clemens eſſes, haud certè hoc tibi damnum contingeret. Quæſo, Domine, ſi aliquod iræ ſignũ in facinoroſos homines oſtenderes, annon ij à ſceleribus abſtinerent? Cùm primò fur tibi induſium ſubripuit; ſi is manum, tua virtute, à brachio diuulſam, ac induſio appenſam ſenſiſſet, num tibi ſecundam furatus eſſet? Haud profectò: iam id tuo damno adſcribe: quandoquidem illius tu tibi, nimia tua clementia, cauſa es. Eò quippe charitatis æſtu ferebatur; vt & Domini iniuriam propulſari, & ſceleſtos ſuppliciis ad Deum compellit, optaret.

*Diuini honoris, & animarum zeld exemplo oſtẽdit.*

XLIII. Quàm arcta verò temperantiæ lege gulæ cupiditatem cohiberet; præter quotidianas inedias, quas vt plurimùm colebat; id quoque inter alia oſtendit: Cùm enim Religionis viſitationi incumbens, ad Conuentum quendam acceſſiſſet. Coquinæ Præfectus, in gemina paropſyde, quam illi, ac Socio madefacti panis para-





uerat, pro olei cõdimento imprudenter acetum infundit. Eam cùm primùm ſocius pultem guſtauit; Euſebium erroris admonet. Cui ille: Comede, Frater, inquit, ſi eſuris; ſi gulæ non ſapit, neceſſitati ſapiat; cui cibus omnis, tametſi inſipidus ſapere debet; totamque ipſe pultem, haud ſecus, quàm ſi ſapidiſſima fuiſſet exedit.

*Præclaro exẽplo gulæ cupiditatem cohibet.*

XLIV. Porrò cæteras huius Viri virtutes, ac præclara animi ornamenta, haud facilè quiſquam, vel ingenio aſſequi, vel ſermone comprehendere queat quibus cùm cumulatiſſimè exornatus eſſet, cæleſtes vndique ſanctimoniæ odores efflabat: ac velut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij compacta, omnigenam virtutum ſuaueolentiam, in Religionis Orbe diffundebat. Quamobrem, ne tam prælucens ſanctitatis gemma altè humo ſepulta lateret; haud mirum, quòd eam Deus Opt. Max. Orbi perſpicuam reddere, ac cæleſtibus miraculorum fulgoribus, cunctis illuſtrem eſſe voluerit. Cùm enim Vir Dei Oropiti, quæ Vrbs eſt Ethruriæ, Romanæ Prouinciæ ſubiecta, ſemel Dei Verbum diſſeminaret; tanta in hominum opinione de illius ſanctimonia fama percrebuerat; vt mulier quædam, quæ tametſi ſæpè liberos enixa eſſet; lacte tamen ſemper caruerat, quo fœtum aleret; id ſibi in animum induceret: quòd ſi veſtis ipſius fimbriam contingeret, lac illi ad filios alendos abundè à Deo miniſtraretur. Hac ſpe, ac fiducia freta, cùm ſemel è ſuggeſtu deſcenderet, retrò ad illum accedens, illius veſtem contigit, filaque nonnulla ex ea pendentia præſcindens, ea ſibi in ſinu inter vbera repoſuit. Quid plura? Tanta mox lactis copia illi ex vberibus effluit; vt ad exteriorem vſque veſtis ſuperficiem humor exundaret, ac deinceps lacte vbera abundarent: quo proculdubio perſpectum fuit; haud inanem eam, de Euſebij ſanctitate, opinionem animo concepiſſe.

*Pleriſque Miraculis ſplendet.*

*Mulier ipſius veſtis fimbriam attingens lacte abundat.*

XLV. Hac in Vrbe, cùm nobilis quædam fœmina, diu inter partus anguſtias, ac dolores concluſa, fœtum in lucem edere non poſſet; famulo ad Monaſterium miſſo, Fratrum apud Deum ſuffragia poſtulat: Ianitor verò, cui plus honeſtatis, quàm vrbanitatis inerat; nuncio reſpondet: Nihil Fratribus cum parturientibus commune eſſe. Reuertebatur nuncius, eo reſponſo indignabundus; cùm Euſebius ex Vrbe rediens, eum ſibi obuium habet, ab eoque Ianitoris reſponſum diſcit: Cui is ſolutum, quo præcingebatur, funem è veſtigio tradens: Fer, inquit, hunc Dominæ tuæ funem, vt eo ſeipſam præcingat; quinquieſque orationem Dominicam cum Angelica ſalutatione, in Domini vulnerum memoriam, perſoluat; tum ſalua maſculum pariet. Pergit famulus, Heræ funem defert, Patriſque mandatum expoſcit: Paret illa, fune vterum præcingit, orationes recitat: vixque vltimam compleuerat, cùm maſculus fœtus abſque periculo erumpit; Deoque ac Sancto Viro gratiæ perſoluuntur.

*Ipſius Cingulo Mulier à partus dolore liberatur.*

XLVI. Eodem ferè tempore, ũm eo prædicante, ingens Cælo tempeſtas orta eſſet; populus horribili grandine perterritus, quiſque ad ſua remeare cogitabat: cùm Vir Dei ad populum. Ne paueas, inquit, Dæmonis opus eſt; vt Dei Verbum impediat: iam ſtabit procella. Semelque omnibus oratione Dominica, & Angelica ſalutatione indicta, omne è Cælo nubilum abſceſſit.

*Ortam Cælo tempeſtatem Oratione ſedat.*

XLVII. Cùm itaque Sanctus hic Vir Deo fideliſſimè famularetur, ſingulari quadam Deus illum cura, ac benignitate proſequebatur. Qua factum eſt, vt cùm in Anconę Conuentu aliquando ægrotaret, maximaque omnium ciborum inappetentia laborans, vix quicquam guſtare valeret: qui infirmorum curæ Præfectus erat, animo diſcruciabatur: Dominumque rogabat; vt ad Serui ſui ſolatium cibum, quo ille veſci poſſet, prouideret. Hac cogitatione hortum ingreſſus, Coturnicem inter olera volitantem animaduertit: ad quàm cùm propiùs acceſſiſſet, ea perinde ac ſi apprehendentis manum expectaret, humi incubat. Apprehenſam igitur Coquinæ Præfectus, cùm vndique ſanam, neque vllo vulnere ſauciam deprehenderet; Seruo ſuo ægrotanti à Domino præparatam fuiſſe, certiſſimè ſibi perſuadet. Quapropter omni diligentia aſſatam, ægrotanti his verbis apponit: Iam, Pater, ſume cibum,

*Ægrotanti Coturnix, diuina prouidentia miniſtratur.*

quem Deus opportunè ex ſua tibi liberalitate miniſtrat.Porrò ea guſtata,Euſebius, tam facilè à morbo conualuit, vt auiculam non ad voluptatem, ſed ad Serui ſui medicinam,ac incolumitatem à Deo paratam fuiſſe,manifeſtum fuerit. Cæterùm inter plurima Dei dona,quibus is à Deo abundè inſtructus fuerat,præclarum in eo Prophetiæ donum effulſit: quo illuſtratus pleraque paſſim futura prædixit, quæ prænunciatum rei exitum deinde ſortita ſunt: Inter hæc illud narratur, quòd eo Vmbriæ Prouinciam luſtrante,cùm Fr. Iacobus à Maiano,Spoletani Ducatus Oppido,ad eum inſpiciendus acceſſiſſet; illum Euſebius attentiùs intuitus, ait:O Fili, quales tibi anguſtiæ,ac pericula imminent: verùm ne animum deſponde;certa viriliter, omnium namque tandem victor eris. Id verò illi adamuſſim, vti ab Euſebio prædictum fuerat,contigit: Nam poſt aliquot annos, Iacobus hic, à Dæmone poſſeſſus,quamplurimos ab eo cruciatus, ac tentationes pertulit; quas cùm fortiter, ac patienter tuliſſet, illæ triumphum,ac vitæ ei tandem coronam peperêre.

*Fratri cuidã futuras anguſtias, ac tentationes prænunciat.*

XLVIII. Quo tempore Euſebius Anconæ Guardianus erat, accidit:vt duo alterius Prouinciæ Fratres, eò ad quoſdam ſibi propinquos inuiſendos appellerent: qui cùm abſolutis negotiis diſceſſuri eſſent; iis à propinquis cupedia quædam, ac eſcæ delicatiores mittuntur; quas illi haud Coquinæ Præfecto, vti in Religione mos eſt, diſtribuendas tradunt: ſed ſeorſim ſibi in Cella reponunt, vt iis poſt cænam clam cum amicis veſci queant.Res alioqui inſueta, ac diſſolutionis plena erat,quæ nullam virtutis ſpeciem præſeferret: præſertim cùm nulla tunc animi remiſſionibus facultas daretur. Conueniunt ad clandeſtinam comeſſationem nonnulli Aduenarum amici, ab iis ad Cellam vocati.Ibi rident, ibi edunt, ibi ludunt, ibi in potus & cachinnos ſeſe effundunt. Dum ita omni Religioſæ temperantiæ lege peſſundata diſſoluuntur: En repentè tanto impetu Monaſterium concutitur, tantoque fragore contremiſcit; vt funditus diruendum crederetur.Fratres verò, qui ad comeſſationem conuenerant, pauore exanimati, huc atque illuc,velut amentes fugiunt: nec tamen ab aliis,quàm ab iis illa terræmotus tempeſtas auditur: vt eo ſaltem addiſcant, qui huiuſmodi diſſolutiones haud magni pendunt; horribiliorem iis à Deo iræ tempeſtatem imminere.

*Fratres clandeſtinæ comeſſationi vacãtes terrore concutiuntur.*

XLIX. Conſenuerat Euſebius, octuageſimumque ferè annum agebat; cùm ſenilis, & occidua ætas, laboribus iuſtè parcendum perſuadebat. At qui ſapientem docentem audierat. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* Neque ætati, neque laboribus parcens; Scapetianum, quod Oppidum eſt, Senogalliæ propinquum, vt ibi Verbum Dei diſſeminaret, hoc tempore proficiſcebatur: At Deus Opt. Max. qui ipſius laboribus finem imponere,ac laborantem ſuprema æternæ retributionis mercede proſequi decreuerat;Seruo ſuo in eo itinere apparens reuelat, extremum iam tandem illi imminere diem; in quo mortalis huius vitæ curſum abſoluat: hocque ipſo tempore acuta febre corripitur. Haud ſanè referri poteſt; quanta animi voluptate, cæleſte illud nuncium Euſebius acceperit: corpus prægrauabat languor, at animum ingens lætitia ſubleuabat: tantaque exultatione reliquum illud iter confecit; vt ſæpè Fratri Anſelmo Anconitano, qui tunc illi Socius erat, velut gaudio ſuperfuſus diceret.O Anſelme, Deo gratias, Deo gratias. Iam ad laborum finem perueni; Iam metam haud procul aſpicio: Breue mihi vitæ curriculum ſupereſt. Citò conteretur laqueus, quum liber, ac mortis legibus ſolutus in aliud æuum vendicabor.

Eccleſiaſtic. 11.

*Dies obitus illi à Deo in itinere reuelatur.*

L. Igitur cum Scapetianum perueniſſet: quum primum in Conuentus limen pedem intulit. Hic requies mea (inquit) in ſæculum ſæculi. Mox totus iis quæ ad Animæ curam ſpectant,animo incumbens; cætera omnia negligere videbatur. Ingraueſcebat quotidie morbus, extremumque diem illi proximum indicabat;quum Vir Sanctus cunctos Familiæ Fratres, poſt Euchariſtiæ Sacramentum magna cum lachrymarum effuſione ſuſceptum, conuocans; eos ad perfectam Regulæ obſeruãtiam paternis verbis adhortatur. Poſtremò hinc diſceſſurus ab omnibus veniam

*Magna humilitatis & charitatis ſigna in morte exhibet.*





petit, præſenteſque Fratres obteſtatur: vt ad abſentes ſcribant: Euſebium moribundum omnibus ſe pedibus ſubſternere; à cunctiſque veniam poſtulare: ſi quo modo, dum Generalis fuit, aliquem verbo, aut facto contriſtaſſet. Tum verò pedes, manuſque in Crucis modum componens, in illis verbis, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, Deo ſpiritum reddit. Statim verò poſt ipſius obitum: in eximiæ illius ſanctitatis teſtimonium, Cella tam cæleſti odore, ex ipſius corpore emanante,perfuſa fuit; vt non mortui domicilium, ſed deliciarum locus omnibus videretur; Dei Majeſtatem cuncti,in cæleſtem illum odorem currentes, laudabant; præſtantiſſimamque Viri ſanctimoniam,Cælo teſte probatam, impenſiùs commendabant. Tandem Beati Viri corpus magno honore à Fratribus ſepelitur, Oppidanis ferè omnibus ad funus confluentibus.

*Scapetiani diem vltimũ claudit.*

LI. Secundo poſt ipſius deceſſum anno:cùm Sepulchrum in quo conditus iacuerat, apertum fuiſſet; habitu iam putredine conſumpto, illius corpus tam integrum, & incorruptum reperitur; vt eo die tumulatum videretur; taleque vſque ad nonum annum permanſit: vt vel hoc cæleſti teſtimonio, felicem animam immarceſcibili apud Deum gloria frui probaretur.

*Ipſius Corpus ad nonum vſque annum integrum ſeruatur.*

LII. Poſtremus denique hoc anno, in Creta Inſula, floret Fratris Ignatij Apirenſis Sacerdotis, & Concionatoris memoria: qui à Mario Generali in Cretam,quæ Cãdia hodie nuncupatur, ſub Commiſſarij Generalis titulo miſſus; vt in ea Inſula Religionem propagaret: illuſtria ibi clarioris virtutis, ac ſanctimoniæ teſtimonia præbuit. Vir ingenio admirabilis fuit; Nam quum primùm ad Religionem acceſſit; cùm literas vix à limine ſalutaſſet;nihilque, aut parùm è ſtudiorum fontibus hauſiſſet: tam facilè omnium penè ingenuarum Artium peritiam aſſecutus eſt, vt quæ vel à Græcis,vel à noſtris in omni ferè diſciplinarum genere tradita ſunt, vniuerſa teneret:Græcam Linguam tanta ingenij felicitate adeptus eſt;vt non modò Græcorum Libros interpretaretur:verùm etiam Græcè Dei Verbum diſſeminaret: Hebræi quoque idiomatis haud ignarus fuit. At verò, quod caput eſt, æqua ingenio reſpondebat virtus, qua adeò inter cæteros præſtabat; vt quotidiana,ac perpetua ieiunia ſeruaret:paupertatem ſummo ſtudio coleret,humilitate ſe cunctis ſubiiceret: nulla vnquam vilia officia ſubterfugeret; charitate mirum in modum excelleret; Orationi verò tam aſſiduè, ac ſollicitè vacaret; vt nullum illi tempus abſque oratione,aut ſacrarum literarum ſtudiis interflueret.

*F. IGNATII ab Apiro Vita, & geſta.*

*Præclaris virtutibus fulget.*

LIII. In Cretam Inſulam miſſus, in ea tot præclaris Euangelicæ vitæ exemplis eluxit; tantaque omnium vtilitate Dei Verbum diſſeminauit;vt quinque in ea Inſula Monaſteria ædificauerit; quæ tamen,& temporum neceſſitas, & longioris itineris diſtantia,aliæque grauiores cauſæ,haud multo poſt tempore, deſerere compulerunt. Mira planè ſunt charitatis officia,quæ Ignatius in ea Inſula, præſertim erga ægrotantes tunc milites præſtitit:quibus in Canea; haud ignobili Inſulæ illius Vrbe,non ſolùm cibos miniſtrabat:verùm & Xenodochium, in quo ægrotantes curarentur, iis ædificandum curauit.Denique cùm & diuini Verbi prædicatione, ac cæleſtis vitæ inſtitutione totam ferè Inſulam,quæ tribus potiſſimùm Vrbibus conſtat: nimirum Candia,vnde Inſula nomen accepit: Canea,& Ritima, ad pietatem perduxiſſet;atque inde Cretenſis Apoſtoli ſibi apud eos nomen comparaſſet: Caneæ mortale corpus deponit. Poſt obitum verò tot cœpit miraculis coruſcare, vt ob eorum numerum,& magnitudinem, maximamque populi venerationem, tres ante ipſius ſepulchrum diu lampades accenſæ pependerint. Sed cùm horum memoriam temporum obliuio abſorpſerit: ab eorum hîc narratione abſtinemus.

*In Cretam Inſulam mittitur.*

*Poſt obitum miraculis emicat.*

LIV. His & alij duo Viri ſanctimonia illuſtres adiungi poſſent,nimirum ex Piceni Prouincia Fr. Simon Monticulenſis;& ex Prouincia S. Nicolai Fr.Pacificus Materenſis,vterque Laïcus; quorum vita maximis virtutibus ornata prædicatur: ſed cùm temporum obliuio eorum geſta deleuerit,eos hîc tantùm indicare libuit.

F. Simon Monticulẽſis F. Pacificus Materenſis, Viri virtute illuſtres.

LV. Nonnulla hoc anno paſſim memoranda accidunt. In Vmbriæ Prouincia, Frater quidam, religioſi hominis perfectionem in multarum coronarum, ac

*Luc. 10.*

Pſalmorum recitatione collocans; ita à communibus domus laboribus, & obſequiis vacabat; vt etiã reliquos honeſtè laborantes, velut rebus inutilibus occupatos argueret; illis Domini verbis malè vtens; *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima; porrò vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partẽ elegit.* Atque ita fiebat, vt dum Fratres conſueto labore, in horto terram foderent; is pallio amictus, per horti vias, Coronas obmurmurans deambularet: dum alij, ſcopis domum verrent; is per clauſtra grauis, quaſi qui diuinioribus rebus occuparetur, incederet. Huic dum hic otio vacat, grauem in morbum incidit, à quo in extremum tandem vitæ diſcrimen rapitur: quo tempore; dum illi à Fratribus funera parantur, repentè in ſpiritu ad Dei Iudicium ſe rapi conſpicit. Sedet Iudex, illiuſque opera ad examen vocat. Mox Pſalmi, & Coronæ in medium prodeunt: quas Iudex confeſtim iis partim, qui pro eo panem emendicauerant; aliis quoque, qui illi cibos parauerant: aliis pæterea, qui in effodienda tellure inſudauerant; aliis item, qui domum ſcopis mundauerant; diſpertiri iubet: denique omnibus illius bonis, inter eos, qui communibus domus obſequijs vacauerant, à Domino diuiſis; cùm nihil illi bonorum prorſus ſupereſſet quo ſe inter Dei Operarios collocaret, atque à Iudicis ſententia tueretur; ſummo in diſcrimine verſabatur: ne communem à Iudice cum otioſis, ac pigris ſententiam ſuſtineret. At immenſa Dei benignitas Iudicium prorogat; atque vt preteritum otium operum abundantia compenſet, vitæ ſpatium largitur. Ille igitur proprio periculo ſapientior, cùm à morbo conualuiſſet; tam ſtudioſè ſe omnibus domus obſequiis mancipare cœpit; vt quæ omnium erant, ſolus ipſe perficere contenderet. Hinc in Religione vecordes addiſcant: communia Religioſæ domus miniſteria, quæ cuique incumbunt, inter neceſſaria vitæ opera connumerari; meritoque inter otioſos à Deo computari, qui iis contemptis, ad priuata ſe ſpiritus exercitia, præter obedientiam, conferunt.

*Frater à conſueto ſe labore ſubtrahens Dei Iudicio terretur.*

Poſt hæc in Conuentu Ticinenſi, olim Genuenſis Prouinciæ, Fr. Honoratus LVI.
Gallus, Sacerdos leuiter ægrotabat: cùm fune, quo præcingebatur, ſibi ablato; fœmoralibuſq; detractis, quò cõmodiùs quieſceret; alterius vocẽ ſe vocantẽ audit, inclamantemque Honorate, Honorate, huc velox adeſto: qui cùm à Fratre aliquo ſe vocari exiſtimaret; feſtinus, inquit, venio: Interea cingulum, ac fœmoralia repetit: Vrgebat vox, vt ociùs pergeret. Cui Honoratus: En, inquit, feſtino; Cingulum tantùm ac, fœmoralia ſumo. At Satan ſe actutum prodens: Heus, inquit, delicatule Frater: niſi cingulum, ac fœmoralia accepiſſes; me profectò doctore didiciſſes, quàm turpe ſit, his Fratrem Minorem abſque neceſſitate carere.

*Ægrotus Cingulum & ſæmoralia deſerens à Dæmone terretur.*

Ciuitas Ducalis Vrbs eſt Aprutij; in qua cùm inter alios Religionis beneuolos LVII.
quidam Ioannes Feſta, Vir in Ciuitate honeſtus, ac deuotus, album vinum ad Sanctum Miſſæ Sacrificium peragendum Fratribus miniſtraret: accidit; vt exhauſto dolio Eleemoſynarius ad eum pro Miſſæ vino accederet: Cui Ioannes cùm dolium vino vacuum eſſe reſponderet; ad eum Eleemoſynarius: Vade, inquit, in Deo confide; ter Orationem Dominicalem, ac toties Angelicam Salutationem recita; tum dolium tibi, ac nobis vinum dabit. Pergit Vir fide plenus, Orationes recitat; vinum è Cælo datum haurit: quod non ſolùm ad Miſſæ lagenam; ſed etiam toti Familiæ, ac Miſſæ Sacrificio, vſque ad tertium annum abundè ſufficit.

*Ordinis Benefactori, vinum ad Miſſæ Sacrificiũ miniſtranti, vinum vſque ad tertium annum à Deo multiplicatur.*

Poſtremò in Oppido Caſſani, Conſentinæ Prouinciæ, egregium hoc anno faci- LVIII.
nus ab eiuſdem Cõuentus Eleemoſynario patratur: qui cùm à Nobili quadam Muliere, quæ graue aliquod cum eo negotium ſe habere ſimulabat, domum accerſitus fuiſſet: illa Fratrem in domus penetralia ductũ, verbis ad turpia pellicit. Re prorſus inopinata miratur Eleemoſynarius, qui Matronã honeſtiſſimã arbitrabatur. At Dæmonis immũdiſſimi opus agnoſcẽs, quũ primũ breui Oratione Dei ſibi opẽ efflagitauit, Mulierẽ ad meliora his verbis hortatur: Soror chariſſima, nõ tua quæ honeſtiſſima es; ſed ſpurciſſimi Demonis hæc verba ſunt, quæ teipsã ad indigna cõpellũt: at ſi

*Egregiũ Eleemoſynarij pro caſtitate tuẽda facinus.*

consilio



conſilio meo acquieueris, modum doceo; quo turpiſſimum Dæmonem expellas, triumphum de Tentatore reuehas, tutamque honeſtatem tuam ſerues. Protinuſque ferreum flagellum catenulis compactum è manica proferens, eidem obtulit, dicens: Accipe Soror: quoties te hic immundus Spiritus tentauerit, egregiè teipſam flagella: hoc enim flagello & ipſe Dæmon dirè flagellatus abſcedet. Porrò tantam Deus Opt. Max. his Eleemoſynarij verbis vim contulit: vt Mulier libidinis flamma eo flagelli aſpectu ſedata, conſilio acquieuerit; flagellum acceperit, eoque tentantem ſæpè Dæmonem expulerit: donec integrum de Satana triumphum referret.



ANNVS CHRISTI. PII V. MAXIMIL. II. IMP. RELIG. CAPVC.
1570. 5. 7. 46.

*Decimum quartum Generale Capitulum celebratur.*

I. NOVA hic Annus, Milleſimus quingenteſimus ſupra ſeptuageſimum, ſub Mario Generali, generalia Comitia parit, quæ Romæ coacta, ac ducentorum penè Patrum conſeſſu celebrata, Marij Generalis confirmationem Religioni attulêre. Decimum quartum hoc Capitulum Generale fuit: in quo Fr. Hieronymus à Monte-Florum, ad Procuratoris Generalis Officium aſſumptus, in eo tam præclarè ſe geſſit; vt quædam ſua virtute futuræ Generalatus dignitati, quæ illum deinde ſecuta eſt, fundamenta iecerit. Pleraque etiam in eo ſtatuta ſunt, quibus Religio longè latèque iam propagata, meliùs, ſapientiúſque adminiſtrari poſſet. Generalia quoque ſtudia, iuxta prioris Capituli decreta, in Genuenſi Vrbe erecta ſunt: quibus Hieronymus Piſtorienſis, Vir omni eruditione clarus præficitur: At ſummus Pontifex Pius V. cui ſingularis huius Viri virtus, ac prudentia iam perſpecta erat; cùm in grauioribus negotiis eius conſilio vteretur; Roma abeſſe non eſt paſſus. Quare altero in ipſius locum ſubrogato, Hieronymus ſuam Pontifici, ſub Apoſtolici Theologi titulo operam præſtat.

*Marius Generalis Vicarius eligitur.*

II. Maxima huius Pontificis conſilia, quæ diu illius ſub pectore latuerant, & cum eo conſenuerant, hoc anno in totius Chriſtianæ Religionis gloriam, atque vtilitatem prodita ſunt. Cùm enim Turcam infenſiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem expugnare, atque ab antiquo Orientis Imperio deturbare cogitaſſet; cunctos Chriſtianos Principes, ac potiſſimùm Hiſpanum Regem, ac Venetam Rempublicam in hoc conſilium, hoc anno, ad ſacrum fœdus vocat: cuius cùm Deus Opt. Max. votis annueret; res optatum quidem exitum ſortita eſt, ac fœdus percuſſum: integer tamen belli apparatus in ſequentem annum reiicitur. Pontifex verò, cùm inſtruendæ Claſſi Religioſos Viros adhibere decreuiſſet; qui & Sacramenta militibus miniſtrarent, eoſque fortiter pro Fide dimicare, animaſque pro Chriſto fundere hortarentur: in hoc munus Capucinos eligit: Hieronymumque Piſtorienſem, quem velut cæterorum caput, eò deſtinare cogitauerat; hoc anno in Cretam Inſulam, vbi iam Venetæ Reipublicæ Claſſis parabatur; cum Anſelmo à Petra-Molaria, Viro grauiſſimo mittit: vt anno ſequenti, cum integra Claſſe, quæ ex aliis Chriſtianorũ Principum triremibus inſtruenda erat, triginta illi Fratribus adiunctis, prodiret. At qui res ſumma ſapientia, ac impenetrabili conſilio adminiſtrat, Deus Opt. Max. Cretæ hoc anno Hieronymi vitæ finem imponit; quemadmodum inferiùs in eius vitæ compendio exarabimus.

*Pius V. Pont. Max. Chriſtianos Principes ad ſacrum fœdus vocat.*

*F. Hieronymus Piſtorienſis in Cãdiam proficiſcitur.*

III. Dum hæc Romæ geruntur: S. Carolus Borromæus, S.R.E. Cardinalis, & Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtes; cùm Capucinorum Religionem virtutibus, ac præclaris vitæ exemplis, inter populos florere, ſecum perpenderet: maximè gregis ſui vtilitati proſpectum iri perſuadet: ſi in nonnullis ſuæ Mediolanenſis Diœceſis Oppidis, iis Monaſteria extruantur. Quapropter ſummo ſtudio curat; vt primum Canobij, quod antiquum eſt Borromæorum Familiæ Oppidum, Monaſterium conſtruatur: eo præſertim conſilio: quòd cùm Oppidum illud Heluetiorum Regionibus finitimum ſit, quæ Hæreſum, vt plurimùm, contagio laborant; ex his quandoque errorum venena in eum populum ſerperẽt: quibus effugandis, plurimùm Fratrum Capucinorum vitam, ac ſollicitudinem, valere intellexerat. Alterum quoque Oronæ, quæ illius tunc ditioni ſubiecta erat. Tertium Cardani. Quartum denique Porleciæ ædificandum ſtudet. Huius ſancti Antiſtitis tanta fuit ſemper erga Noſtros beneuolentia; vt non modò in grauiſſimis Mediolanenſis Eccleſiæ calamitatibus, eorum opera vteretur: verùm & in Diœceſis viſitatione, ad eorum ſæpè familiariter

*S. Carolus Borromæus nonnullos Capucinorum Conuentus fundat.*





ANNVS CHRISTI. PII. V. MAXIMIL. II. IMP. RELIG. CAPVC.
1570. 5. 7. 46.

Monaſteria diuerteret: ipſorumque ſimplicitate, ac paupertate ſummoperè delectaretur; vti ſuis aptè locis adnotabitur.

IV. Pleraque hoc anno, benigniſſima Dei Majeſtas, erga Noſtros diuinæ Prouidentiæ ſigna edidit. Nam in Genuenſi Prouincia, cùm Fr. Andreas Taurinenſis, Vir multis virtutibus inſignis: quo tempore ingens fames totam ferè Italiam inuaſerat, cum aliis è Capitulo, quod Genuæ celebratum fuerat, in Pedemontanam Regionẽ rediret; paucos ij panes; quibus in via veſcerentur, ſecum detulerant: quum nonnullos in eo itinere egenos offendunt: qui cùm fame ita confecti eſſent, vt animam propè exhalare viderentur: iis vniuerſos panes, quos ſibi repoſuerant, iubet diſtribui. Paulò poſt, cùm fame vrgente, nihil & ipſi, quo veſcerentur, haberent: En peregrina Mulier, velut è longinquo veniens, illis extemplò apparet; quæ tot iis candidiſſimos panes, quot numero erant, è pera profert. Stupebant Fratres; ab inope, vt videbatur, Muliere; tot, ac tales panes offerri; dumque inter ſe de Muliere, ac panibus colloquuntur; terga vertentes; vt debitas mulieri gratias agant, Mulierem nullo loco conſpiciunt: tuncque primùm Dei Prouidentiam ſuauiter ſibi adeſſe animaduertunt; qui panes, quos egenis diſtribuerant, illis è Cælo redditos compenſauit.

*Fratres panes Pauperibus diſtribuentes totidẽ à Deo recipiunt.*

V. Aliud quoque in Mediolanenſi Prouincia, illuſtre diuinæ Prouidentiæ teſtimonium effulſit. Accidit enim in Conuentu Herbæ, dum in eo Fr. Tobias Mediolanenſis, Vir inſigni virtute præditus, Guardiani officio fungeretur; vt Frater quidam repẽtino morbo correptus, Medici quãprimùm præſẽtia indigeret: confeſtim Guardianus ipſe ad Oppidũ feſtin⁹ accedit. Medicũ accerſit: dumq; ad Monaſteriũ, quod longiùs ab Oppido diſtat, ſimul pergunt: En Vulpis, quæ gallinam in ore geſtabat, ante ipſos præteriens, illam ad Guardiani pedes proiicit, atque inde velox aufugit. Porrò Phyſicus, qui inſolitum illud vulpis factum admiratur, ad Guardianum ait; En, Pater, quàm ſollicita eſt Dei erga ægrotantem Fratrem Prouidentia. Si illud eſt morbi ſymptoma, quale, tu verbis deſcribis; profectò hæc illi gallina neceſſaria erat. Denique ad Monaſterium appellunt. Medicus verò morbo explorato, cùm illum ex cordis deliquio, ob inediam contracto, ægrotare perciperet; gallinam opportunè à Vulpe, Dei miraculo miniſtratam ſtupet. Verùm, cùm ad illius vires refocillandas, ouum ſtatim ægroto miniſtrari præciperet; nullum in Conuentu ouum reperiebatur: cùm gallina à Coquinæ Præfecto exenterata; ouum, quod à Vulpe in nido præuenta, parere minimè potuerat; tunc opportunè ad ægroti ſolatium dedit: qua re ita Medicus obſtupuit, vt diuinũ vbiq; miraculũ per Oppidũ diffunderet.

*Præclarum diuinæ Prouidentiæ in Ægrotum Fratrem teſtimonium.*

VI. Tertium his quoque accedit, quod in Conuentu Bigorij Mediolanenſis Prouinciæ, qui longè ab Oppido diſtat, hoc anno contigit. Nam cùm tam alta è Cælo nix cecidiſſet: vt abſque vitæ periculo Fratres ad Oppidum pergere, panemque, ac cætera neceſſaria emendicare non poſſent; omni prorſus vitæ alimento carebant: quare ad Dominum confugientes, ab eo opem expectabant; cùm cuiuſdam Bernardi, Viri in Oppido primarij, ac deuoti Deus clementiſſimus pietatem excitat, qui cùm geminos Aſellos omnibus vitæ neceſſariis onuſtos, quos ad Capucinorum Conuẽtum mittere decreuerat, paraſſet; iis ante domus fores relictis, dum quædam alia facturus domum regreditur: Aſelli nullo, præterquam Deo Ductore, iter ad Conuentum arripiunt: rectaque ad Conuentus fores per niuem contendunt: quas dum occluſas offendunt, tãdiu capitib⁹ domus oſtiũ impetunt donec ſtrepitu percepto, Ianitor ad fores accederet: qui cùm Aſellos abſq; duce eò appuliſſe cerneret: mox eius rei Guardianum certiorem reddit. Confluunt ad ianuam Fratres; vndique circumſpiciunt: cúmque nullum Aſellorum ductorem animaduertant, rem diuina virtute actam ſuſpiciunt. Interea Bernardus negotio peracto domo egreſſus; cùm Aſellos vndequaque quæſitos minimè inueniret; miſſis, qui Aſinos quærerent, ipſe nonnullis ſecum in Caniſtro eſculentis aſſumptis, ad Conuentũ pergit: quò cùm Aſellos præceſſiſſe, & à Fratribus iam exoneratos eſſe conſpiceret: factum miratur; diuinamque in Fratres munificentiam, tanto miraculo proditam, vnà cum tota Fratrum Familia, ſummis laudibus extollit.

*Alterum diuinæ Prouidentiæ miraculum narratur.*

VII. Poſt hæc cæleſtis Prouidentiæ opera, in Conuentu Mediolanenſi, terrificum Fratris cuiuſdam Proprietarij exemplum ſucceſſit; quo Deus ſuam in malos ſeueritatem manifeſtam eſſe voluit. Frater quidam Iuniperus à Como, Laïcus, qui priùs Euangeliſtæ à Canobio Generalis Socius fuerat; multa ſibi vana, ac ſuperflua accumulauerat; quæ partim apud propinquos, inſcio Superiore; partim ſibi abſque Superioris facultate retinuerat. Contigit verò, vt in grauem hic morbum incideret; ex quo cùm ſe breui conſanandum ſperaret: illum nec facti pœnituit; nec earum rerum, quas ſibi, præter Superioris licentiam, vendicauerat; in mortis periculo ſe poſſeſſione abdicauit, aut illas Superiori aperuit. Inualeſcente porrò morbo, ad extremam tandem vitæ metam peruenit: quo tempore magnam Murium, ac Porcorum multitudinem, in ſe irruentem ſpectans, altiùs ad Fratres clamabat: An non videtis, Fratres, quot me mures, ac porci circumſtant, vt dentibus dilanient? Expellite Mures: heu, expellite Porcos. Fratres verò, qui illius curam agebant; cùm nec Mures, nec ſues viderẽt; lectum aqua benedicta aſpergunt; illumq; vt ad diuinã opem confugiat, ſeriis verbis prouocant: At ille fortiùs inclamat. Pellite Mures: Pellite Porcos. Fratres verò hinc ſiniſtrum quidpiam haud fruſtrà de Viro ſuſpicãtes, impenſiùs pro eo Dominum rogabant; quum Aegrotus ab eo mentis terrore paululùm quieſcens, mox hilarem vultum oſtendit; lætuſque ita Fratres affatur. En iam Muribus, ac Porcis expulſis, Angelos cum coronis video. At breuis, & fallax hæc lætitia fuit. Vix enim hæc dixerat: quum ea voluptate in ſummum luctum cõmutata, ſtatim miſer exclamat. Heu, heu, harum nulla ad me ſpectat Corona: quo dicto ſtatim miſeram efflauit animam. Mox verò tam peſtilens odor ex eo diffundi cœpit; vt nullum putre cadauer, nulla fœtens latrina, tetro illius odori comparari poſſet: ita vt cùm illum iam nemo præ ſumma oliditate ferre poſſet: Cuncta, quæ illius erant, è feneſtra proiicerentur: iſque Proprietarius agnitus, haud alia, quàm Aſini ſepultura donatus fuerit Porrò Cella, in qua hic lucem deſeruit, tam tetro poſthæc odore perfuſa fuit: vt nulli ob intolerabilem loci fœtorem, niſi poſt longum tempus, ſe habitabilem præbuerit. Tam quippe turpe Proprietatis vitium malè apud Deum olere ſolet; vt mirum planè non ſit: ſi apud Religioſos homines, ea nulla peſtilentior lues cenſeri debeat.

*Frater ob Proprietatis crimen damnatur.*

*Illius corpus poſt obitum fœtentiſſimũ.*

VIII. Antiqua, ac Religioni coæua, eſt apud Noſtros conſuetudo, ſtatuto ſancita: vt ter ſaltem in hebdomada, publica, ac communis, in Dominicæ Paſſionis memoriam, à Fratribus in Eccleſia flagellatio fiat: quæ quàm diuinis oculis ſit grata, hic annus cæleſti teſtimonio declarat. Etenim cùm Fr. Euſebius à Tarento, Vir egregius, Hidrunti Dei Verbum Quadrageſimali tempore diſſeminaret; quo tempore is cum ſocio nocturnæ flagellationi vacabat: accenſæ tedæ, velut ignei globuli, è Concionatoris domicilio, ſurſum ferri à populo conſpiciebantur: quæ res cùm omnes in admirationem extolleret; Nobilis quædam Mulier, Perſia nomine, Ordinis deuotiſſima, curioſiùs ab Euſebio inquirere cœpit: quid ea noctis hora, ſuo in cubiculo, cum ſocio operis præſtet. Cui Euſebius ſimpliciſſimè: Ea inquit, communis eſt noſtræ flagellationis hora, cui vno ex conſenſu vacamus. Intellexit tunc pia Mulier, pœnalem illam Dominicæ Paſſionis memoriam, velut ardentem flammam ad Deum euolare. Alter quoque eiuſdem Hidruntinæ Prouinciæ Concionator, Grauinæ prædicans, communémque cum pleriſque Sæcularibus Viris, in Eccleſia, flagellationem exercens; dum eum Pſalmi quinquageſimi verſum feruentiùs decantat: *Cor mundum crea in me Deus*, &c. ex ſanctiſſimæ Euchariſtiæ tabernaculo, flamma erumpere, atque in eum rapidiſſimè ferri conſpicitur: quæ cæleſte illi donum collatum declararet.

*Fratrum flagellatio Deo grata miraculo oſtenditur.*

IX. Cæterùm in Genuenſi Prouincia, hoc anno, Frater Gabriel à Iaueno, corruptibilem corporis ſarcinam in Conuentu Montiſcalerij, qui S. Brigittæ nuncupabatur, magna cum ſanctimoniæ fama deponit. Hic in Minorum Conuentualium Familia conſcriptus; quo tempore Frater Thomas Illiricus, nouam eo in Ordine

*F. GABRIELIS à Iaueno Vita, & geſta.*





Reformationem excitat, ad eam ſtudioſè ſe confert: at Thoma ex humanis ſublato, cùm ea Reformatio dilapſa eſſet; ad Familiam rediens, præclarè ſe in pietatis operibus, ac præſertim Defunctorum miſericordiis exercebat: pro quibus cùm quotidiana Deo ſacrificia, atque orationum ſuffragia offerret; ab iis viciſſim adiuuari, & ad tutioris vitæ ſtatum pertrahi meruit: Dum enim in Eccleſia aliquãdo Defunctorum Officium perſoluit; Ægyptia quædam adoleſcentula, forma pulcherrima; quæ nulli vnquam antea viſa fuerat; Eccleſiam ingreditur. Hæc Gabrielem proprio nomine ſalutans, ait: Saluet te Deus, Gabriel. Miratur is ſe à peregrina Muliere nomine tenus ſalutari. At illa: Nimium credulus ac ſimplex es, Gabriel: Te tui Magiſtri decipiunt; cùm nihil tibi ad Regulæ obſeruantiam deeſſe perſuadent. Meliùs & tutiùs rebus tuis conſule: & ſi ſecurus hinc optas diſcedere, ibi Regulæ obſeruantiam quære, vbi ea perfectior inueniri poteſt. Confeſtim his dictis abſceſſit. Subſtitit Gabriel: repentinaque hac ignotæ adoleſcentulæ voce ac admonitione obſtupefactus, ſeipſum ingreditur; vitæ ſuæ rationem, ac ſtatum diligentiùs perpendit; verba repetit, haudq; inane id ſibi ab adoleſcentula dictum; ſed à Deo potiùs profectum exiſtimat. Neque id fruſtrà. Aegyptia namque illa (vt creditur) Defuncti anima erat, à Deo miſſa, vt illi pro Defunctis oranti dux eſſet; quò ad rectam ſalutis vitam capeſcendam inſtrueretur. Id cùm ſibi in animum Gabriel induxiſſet; monitis parere feſtinat; ſecumque inito conſilio, anno 1540. ad Capucinos accedit.

*Pro Defunctis orans, à Defuncti Anima ſuæ ſalutis admonetur.*

*A Conuentualibus ad Capucinos migrat.*

X. Plurimo hic virtutum ſplendore inter Capucinos emicuit: tantaque Regularis obſeruantiæ luce, tanta humilitate, tanta abſtinentia, tanta vitæ auſteritate, tanto orationis ſtudio, tanta denique vitæ perfectione inter alios enituit: vt cæleſte quoddam vitæ genus inter homines referret. In rerum cæleſtium contemplationẽ, cùm ſæpè è ſenſibus excederet, diuina illi arcana pandebantur. Hinc cùm aliquando in oratione defixus, cæleſtibus intenderet; in extaſim raptus, ab Angelo vſque ad cæleſtis illius Ciuitatis Portam ducitur: vnde felicia illa Paradiſi gaudia, ac beata Angelorum tripudia aſpectare poterat; quorum cùm ſumma ille voluptate afficeretur; obnixè ab Angelo petit, vt ſibi in eam Ciuitatem ingredi liceat. At Angelus: Pauliſper ſuſtine, inquit, necdum peregrinationis tuæ tempus abſolutum eſt: aliquandiu etiamnum tibi elaborandum, antequam ad nos venias: Opus perfice: Cõſummato enim labore, & Cælum ingredi, & communi nobiſcum gloria potiri tibi dabitur. Cumque plurimos poſt hæc annos, magna cum virtutum laude, in Religione traduxiſſet; in Montiſcalerij Conuentu, vitæ lineam pari ſanctitate concludens; Angelicum tandem promiſſum aſſequitur.

*Cæleſtis Patriæ diuina viſione potitur.*

XI. Franciſcus à Canobio, hoc quoque anno, in Mediolanenſi Conuentu S. Victoris. rebus humanis valedicit: qui cùm ex Minorum Obſeruantium Familia, in qua per duodeuiginti annorum ſpatia honeſtè conuerſatus fuerat; Regularis obſeruantiæ ſtudio incenſus, ad Capucinorum Religionem migraſſet: multam in ea virtutum laudem conſecutus eſt. Hic fuit, qui Epiſtola ad Ioſephum à Ferno conſcripta, id diuina virtute aſſecutus eſt: vt quatuor cum eo illuſtres Viros Religioni pepererit. Honeſtatis propugnator acerrimus fuit, tamque ſeuerus ſenſuum cuſtos; vt per triginta annorum curricula, quæ in Religione exegit; nullius vnquam mulieris faciem conſpexerit. Abſtinentiam vſque ad extremum ſenium ita rigidam coluit; vt cùm validioribus annis, crebris, præter communia, ieiuniis carnẽ extenuaret: octogenarius, præter communis mẽſæ dapes, alias omnes reſpueret. Cæterùm vix animo excogitari poteſt, quàm incredibili Horas Canonicas, ac ſacroſancta Altaris Myſteria, mentis pietate, ac Religione proſequeretur. Cùm enim in his Dei maximè præſentiã ſpectaret: nullus planè cultus, nullus honor, nulla Religio, nulla deniq; Religionis pietas ſibi ſat eſſe arbitrabatur, quibus præſentẽ Dei Maieſtatẽ coleret. Hinc alios quoq; ſuo tũ exẽplo, tum etiã cæleſtis cuiuſdã viſionis narratione, ad perfectã rerum tam diuinarũ Religionẽ prouocabat. Viſum autẽ his verbis referre ſolebat.

*F. FRANCISCI à Canobio, Vita, & geſta.*

*Plurimis in Religione virtutibus emicat.*

*Fratres ad perfectiorem Dei cultum exemplo prouocat.*

XII. Duo in Mediolanenſi Diœceſi Sæculares Sacerdotes erant, arcto inter ſe neceſſitudinis vinculo coniuncti; quorum cùm alter vita defunctus eſſet, viuenti apparuit, eique inter alia ſalutis monita illud commendat: vt diuinum Officium, ac ſacra Altaris Myſteria, ſumma cum veneratione ſibi peragenda curet; hæc verba ſubdens: Scito Frater, inter eos, qui Deo in Eccleſia hoc tempore famulantur; Capucinos eſſe, qui Deo gratiſſima laudis, & Euchariſtiæ ſacrificia offerunt: quapropter ab iis diſce, quo pacto tibi diuina perſoluenda ſint: his dictis euanuit. Hinc Franciſcus cæteros ad pietatem erudiens addebat: Fratres mei, haud dubium, quin ſuos ſibi perfectos cultores Deus vbique vendicet, qui grata illi munera conferũt: at cùm nos Deus Opt. Max. elegerit; vt extremis hiſce Orbis temporibus, velut ſal terræ, hominum mentes rerum cæleſtium ſapore condiamus: Si ſal infatuatum fuerit; quomodò eo cætera ſalientur? Si nos, à quibus, velut à Salis petra, cæteri Sacerdotes pietatem, atque in diuinis rebus Religionem lambere debent; diuinas laudes, quibus Angelorum Chori præſentes adſunt; curſim velut canes venatici, & abſque veræ pietatis ſenſu perſoluerimus: ſi tremenda ſacroſanctæ Miſſæ Sacramenta, quæ ſummam à nobis Religionem expoſcunt, præcipitanter, & abſque vlla religione celebrauerimus; quo pacto cæteris ad pietatem, ac rerum diuinarum venerationem duces eſſe poterimus? Hic igitur cùm triginta annos magna cum ſanctimoniæ laude, in Religione expleuiſſet; ante annum tempore ſui obitus prænunciato, in Mediolanenſi Conuentu ſancti Victoris, vitam cum morte commutat, apud Deum perpetuò victurus. Cuius rei illuſtre illud Deus poſt mortem teſtimonium reddidit: quòd cùm necdum extructo ſepulchro, illius Corpus in Cæmeterio ſub dio humatum fuiſſet; poſt aliquod temporis curriculum, candidiſſimum, ac pulcherrimum ex eo lilium ortum fuit; cuius radicem cùm Fratres diligentiùs exploraſſent, eam ex ipſius ore pullulaſſe cernunt.

*Poſt illius obitum pulcherrimum liliũ ex illius ore pullulat.*

*F. IOANNIS à Nicoſia, Vita, & geſta*

XIII. Fr. Ioannes à Nicoſia, Meſſanenſis Prouinciæ, Laïcus, in Conuentu Traianopôlis, felicem hoc anno vitæ curſum peregit. Hic Hortulani quamplurimos annos munere functus; dum hortum excolit, animi hortulum haud incultum relinquit; tot enim illum virtutum plantis exornauit, ac cæleſti ſupernorum donorum pluuia irrigante, ad tam vberes fructus prouocauit; vt ei Propheticum illud occini queat: *Et erit anima eius quaſi hortus irriguus, & quaſi hortus voluptatis terra coram eo.* Gulæ etenim vepribus, qui animam præfocant, & ſpiritus fructum impediunt, abſtinentia euulſis; quotidianis, ac perpetuis ieiuniis carnem exercebat: flagellationibus arabat, laborum ligone fodiebat, luxuriantes ſenſus mortificationum ſarculo putabat. Paupertatem, Obedientiam, patientiam, humilitatem, rerum omnium, ac ſui contemptum, ac cætera virtutum ſemina copioſiſſima iaciebat. Nocturnis vigiliis ad fructum prouocabat, orationibus fouebat, lachrymarum pluuia augebat, incaleſcenteque diuinæ charitatis æſtu ad maturitatem compellebat. Deniq; tam diligens huius Dominici hortuli cultor fuit; vt nullum vnquam à virtutum labore illi tempus vacuum fuerit; donec perfectam omnium metam attingeret.

Hierem. 31. Ioël. 2.

*Multis virtutibus eſt illuſtris.*

*Biduano Ieiunio, ac oratione obſeſſam à Dæmone liberat.*

XIV. Huius Viri ſanctimoniam Deus Opt. Max, facto aliquando manifeſtam eſſe voluit. Nam cùm Mulier quædam à Dæmone inſeſſa, ad Conuentum perducta eſſet; eamque ob Fratrum Orationes, Dæmon vehementiùs ſolito torqueret: Ioannes tanta ob ipſius cruciatus erga illam miſeratione commotus fuit; vt ſe in ſpeluncam abdiderit; ibique biduum abſque cibo perſeuerans, Dominum pro ipſius liberatione deprecaretur. Intereà Dæmon rugitus edere, exclamareque, ſe Ioannis precibus exuri: At biduo expleto, cùm Dæmon Ioannis orationem vlteriùs ferre non poſſet; è corpore erumpens, Mulierem liberam relinquit. Ioannes verò, poſt aliquot annos, magno ſanctitatis odore apud omnes relicto, ſanctè in Domino obdormit.

*F. NICOLAI è Quinque-frondibus, Vita, & geſta*

XV. Frater Nicolaus ex Oppido Quinque-frondium, Laïcus, Rheginæ Prouinciæ, Vir fuit omni virtutum genere ornatiſſimus; tamque ſingulari ſimplicitatis,

atque



atque obedientiæ virtute præditus: vt cùm Mileti Conuentus Guardianus, vt ipſius obedientiæ periculum faceret, eidem præcepiſſet; vt fici ramum, fermè aridum, in horto plantaret; ac quotidiano labore irrigaret: id abſque vlla cunctatione præſtiterit. Porrò haud abſimile huic ab eo factum accidit; quod de antiquo illo Anachoreta apud Caſſianum legitur: tanta enim fuit huius obedientiæ apud Deum vis; vt aridus ferè ramus, ſimplici obedientia excultus, in arborem excreuerit: fructuſque vberrimos protulerit, qui deinceps à Fratribus obedientiæ fructus appellari ſolebant.

*Aridum lignum rigans ex obedientia ad fructum prouocat.*

XVI. Hic orationi, ac rerum diuinarum contemplationi ita animum dicauerat; vt ſæpè integras in ea noctes inſumeret. Semel cùm Dominicæ Paſſionis meditationi intentus, ſententiam à Pilato aduersùs Dominum latam, vehementiùs deploraret: eidem repentè Pilatus atris veſtibus indutus; atque vndique nigerrimis, ac horrendis coruis circumſeptus apparet. Cuius cùm primo aſpectu Nicolaus horruiſſet, ad eum inquit: Quis es tu? Cui Pilatus: Ego ſum, ait, Pilatus, Chriſti Iudex, ac condemnator. Mox ad eum Nicolaus: Heu, miſer, cur tam iniuſtam contra Dominum meum ſententiam aliquando ferre auſus es? Cui ille: Id non ſpontè, ſed timore perculſus, præſtiti: His dictis volucre citiùs, cum coruis, nigris ſe condidit vmbris.

*Chriſti Paſſionem meditans, variis viſionibus fruitur.*

XVII. Iterum, cùm Dominum, ſublatam in humeros Crucem ad Caluariæ Montem ferentem, multis lachrymis deſleret; en Chriſtus in eadem forma Crucem baiulans, eidem ſe aſpectandũ præbet: quo aſpectu ita illius anima Chriſti amore liquefacta fuit; vt in perennes deinde, ex ſola illius memoria, lachrymas diffunderetur. Tanta denique Sanctus hic Vir, in Chriſtũ Dominum charitate feruebat; vt cùm aliquando ante Euchariſtiæ Sacramentum oraret, Chriſtus ſub pueri ſpecie ſecum in Altari colloqui; ac plurima illi beneuolentiæ ſigna exhibere viſus fuerit. Hæc procul dubio diuina tenerioris dilectionis teſtimonia erant, quibus Deus Opt. Max. Serui ſui ſpiritum, charitate flagrantem proſequebatur. Is verò cùm in ſimplicitate ſua, multis annis Domino famulatus eſſet; bonũ aduersùs ſpiritus hoſtes, (quibuſcũ ſtrenuè ad extremũ vſque ſpiritũ depugnauit) certamẽ certaſſet; fidelis Domino fuiſſet; curſũ tandẽ vitæ feliciter conſumaſſet; hoc anno à Domino iuſtitię Coronã accipit.

*Chriſtus ſub pueri ſpecie cum eo in Altari colloquitur.*

*F. LVDOVICI A MONTE S. SAVINI Vita, & Geſta.*

XVIII Eandem quoque Coronam, in Ethruriæ Prouincia, ex Dei munere, qui dona ſua in nobis coronat, conſecutus eſt, F. Ludouicus à Monte Sancti Sauini, Laïcus: qui cùm incredibili erga omnes, præſertim ægrotos, charitate flagraret: hanc à Deo gratiam ſibi comparauerat; vt pleroſque infirmos, dum quinquies Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam, ante Euchariſtiæ Sacramentum, brachiis in Crucis modum protenſis, recitat, ab ægritudine liberaret. Hoc pacto cùm in Conuentu Montiſpolitiani, duorum illi Fratrum ægrotantium cura à Guardiano demandata fuiſſet; nuncius ad eum venit, qui germanum Fratrem, in Montis S. Sauini Oppido, tam graui morbo laborantem nunciaret; vt ſi eo viuo frui vellet, ad illum quantociùs properaret: Lubenter Ludouicus ſuprema germano Fratri iura perſoluiſſet: ſed cùm geminorum ægrotantium cura, & Guardiani obedientia præpediretur; vt vtriſque ſatisfaceret, ad familiare remedium confugit; quinquies conſuetas Orationes ante Sacramentum pro germano exoluit, quibus eum à morte, & à morbo liberat; tum verò eaſdem etiam pro ſuis ægrotantibus recitat, quos pari modo ad incolumitatem reuocat.

*Oratione pleroſque Ægrotos à morte liberat.*

XIX. Non minori cùm hic erga pauperes charitate æſtuaret; accidit in eodem Montiſpolitiani Conuentu; vt tota Regione fame occupata, multi ad Monaſterium pauperes cõfluerẽt, quibus is copioſè eleemoſynas elargiebatur. Cũ verò quodã manè, tot ad eum pauperes cõueniſſent; vt iis totũ panẽ, qui Familiæ repoſitus erat, præter quædã fruſtula, erogaſſet: legumina Ludouicus Familiæ in cibũ parat, paniſque fruſtula, quæ pauperibus ſuperfuerant, in menſa apponit. Res Fratribus parùm prudens, & diſcreta viſa eſt: quare Guardianum adeuntes rem narrant: is verò

*Profuſa illius in pauperes pietas.*

accerſitum

accerſitum Ludouicum nimiæ diſpenſationis arguit ; correptionémque in Refectorij Capitulum differt. Prandij iam hora inſtante, Ludouicus ad omnem correctionem paratus , iam Refectorium ingreſſus fuerat ; cùm repentè ianuæ tintinnabulum auditur: eò Ludouicus feſtinat; Adoleſcentulúmque forma pulcherrimum præ foribus reperit,qui tot calidas panis placentas Ludouico profert, quot Fratres in Familia numerabantur;confeſtimque ſe ex illius oculis eripit.Pergit Ludouicus ouans, placentiſque onuſtus Refectori um ingreditur: tum ſuam cuique aſſignans, ait:En,Patres,quales pauperum eleemoſyna placentas peperit. Mirantur vniuerſi, diuinamque erga ſe liberalitatem agnoſcentes , iniuſtum de Ludouico iudicium reuocant;maiorique erga pauperes charitate accenduntur. Quàm verò huius ſancti Viri charitas Deo gratá fuerit , cunctis poſt illius ex hac vita deceſſum,perſpectum fuit : nam poſt multos ab ipſius obitu annos , cùm reliqua ipſius caro exeſa, ac in cinerem reſoluta eſſet; dextera ipſius manus, qua eleemoſynas erogabat,tam incorrupta reperta eſt,vt ea viuentis eſſe videretur. Ceſſit è vita, Vir ſanctus,plurimo poſt ſe virtutum,ac ſanctimoniæ odore apud omnes relicto.

*Tot Placentas ab Angelo accipit, quot Fratres in menſa diſcumbunt.*

XX. Fr.Modeſtus Placentinus , Clericus,Prouinciæ Bononienſis , hoc anno, maturè ſeminum fructus colligit, quæ exiguo temporis ſpatio altè ſibi in animo plantauerat. Cùm enim vix tres in Religione annos attigiſſet : in his tanta animi puritate, mentis ſimplicitate , obedientia, paupertate , atque omnium virtutum ſplendore cluxit;vt hinc emigraturus exclamare cœperit : ô Fratres,quàm ſplendidam Crucem,pretioſam,ornatam, radiis emicantem cerno; quæ viam ad Cælum monſtrat: quibus in verbis , Crucis diſcipulus , animam exhalat, præeuntémque ad Cælum Crucem ducem ſequitur.

*F. MODESTI Placentini, vita,& geſta.*

*Splendidam Crucem in morte cernit.*

## *F. HIERONYMI PISTORIENSIS, Vita , & Geſta.*

XXI. POSTREMVS tandem his accedit , hoc anno , Fr. Hieronymus à Piſtorio , Vir hac tempeſtate, prudentia, doctrina, morum integritate, ac Prædicatione illuſtris. Hic in ipſo Iuuentutis flore Coniugi copulatus ; cùm illa, necdum ab eo domum ducta , ſuprema neci iura exoluiſſet ; perfectiori ſe Deo Religionis vinculo religare parat : Minorumque Obſeruantium Ordinem ingreſſus , multarum in eo virtutum fundamenta iecit. Tenui adhuc literarum peritia inſtructus erat:cùm primis Ordinibus initiandus ad examen accedens,ob ignorantiam ab Examinatoribus repellitur.Quam ob repulſam,eo pudore ſuffuſus eſt ; vt ab eo tempore,ſeriò literarum ſtudiis animum intẽdere decreuerit:hac animi deliberatione fretus;cùm ſe totum primùm humanioribus, deinde Philoſophicis , ac Theologicis diſciplinis dediſſet:tãtam in iis ingenij laudem aſſecutus eſt; vt inſignis ſua tempeſtate Theologiæ Profeſſor,illuſtriſque diuini Verbi Prædicator euaſerit.Ita ſæpè paſſa repulſa non ſpem aufert,ſed ſollicitudinem adfert,& virtutem acuit.His cùm & vitæ integritatem,& orationis ſtudium coniungeret;clarum apud omnes ſibi nomen, exiſtimationemq; comparauit.Inter hæc collabentem apud ſuos Regularis Obſeruantię diſciplinam animo perpendens,propriæq; ſalutis diſcrimen,quod illi ob inobſeruãtiam impendebat,alta ſæpè mente repetens ; ſeipſum tandem è naufragio eripere, atq; in tutam Capucinorum ſtationem recipere cogitat. Hoc conſilio ab Aemiliæ Prouincia,cum F.Nicolao à Litiano Socio diſcedens,cùm in Mugelli nemoris Cõuentum appuliſſet,ibi F. Antonium Montepolitianum,diuini Verbi Præconem reperit:qui cùm ab eo itineris cauſam popoſciſſet ; eam illi eſſe ſecretò expoſuit , vt Regulæ obſeruantiam , & cum ea tutiorem ſalutis ſtatum ſibi apud Capucinos quæreret.Quæ res cùm primùm Antonio parùm honeſta viſa eſſet;mox exclamat : Hieronyme deliras ? quid hoc tibi conſilij eſt ? Cui Hieronymus : Vtinam omnes

*Hieronymus Piſtorienſis , vita , & doctrina clarus*

*Mortua Coniuge ad Obſeruantes tranſuolat.*





mecum delirent:à Deo hoc mihi conſilium eſt : tuque ſi ſapis , hoc tibi conſilium eliges. Riſit ille tunc : ſed cùm rem deinde apud ſe prudentiùs examinaſſet; in eandem quoque ipſe deliberationem,Patre luminum inſpirante , conſpirat ; ſimulque cum Hieronymo in Ethruriam venit.

XXII. Thuſciæ Prouinciam eo tempore Honorius à Monte-granario , cuius ſuperiori anno geſta enarrauimus , cæleſti planè ſapientia moderabatur : quem cùm Hieronymus cum Antonio adiiſſet ; communeque mentis propoſitum aperuiſſent:is Viros in Obſeruantium Ordine doctrina, & auſteritate inſignes agnoſcens ; vt eorum animos probet , his eos verbis affatur : Si ſolum, ac ſyncerum, Patres mei,Regulæ obſeruandæ ſtudium , vobis ad Capucinorum Reformationem dux eſt,recta vobis ſanè ad ſalutem via ſternitur ; nec difficile vobis erit rem propoſitam , vel apud Deum, vel apud nos aſſequi. At verò ſi alia vobis animo cupiditas ineſt : ſatiùs vobis eſt à propoſito abſtinere , quàm mentem nunquam implenda cupiditate labefactare. Cui Hieronymus : Si noſtra , inquit , Pater; tibi obſcura, ac ſuſpecta mens, ac ſynceritas eſt : eam tibi experimento inſpicere liceat : iubeque nos perpetuò Coquinæ, ac viliſſimis domus obſequiis mancipari ; vt nihil nobis in animo tumidum , ac vitioſum verſari agnoſcas. Hieronymus itaque cum aliis ab Honorio receptus , & Capucinorum numero adiunctus,haud aliud illi mentis propoſitum illuxiſſe ; quàm vt perfectum ſe Seraphicæ Regulæ cultorem præberet,reipſa declarauit.Omnium namque cùm ſe humillimum exhiberet , infirmorum maximè cura delectabatur ; quibus tam incredibili ſollicitudine inſeruiebat ; vt neceſſaria ſæpè prædicationis ſtudia intermitteret , quò eorum obſequiis vacare poſſet. Charitati abſtinentiam,& quotidiana ieiunia aſſocians , vnica tantùm in die refectione , quoad inter Capucinos vixit,contentus fuit ; quò faciliùs animum orationi , ac rerum diuinarum contemplationi;cui pluribus diei , ac noctis horis incumbere conſueuerat, aptiorem redderet.

*Inter Capucinos cum aliis adſcribitur.*

*Pia illius animi ſtudia exarantur.*

XXIII. Inter illuſtriores ſuæ tempeſtatis diuini Verbi Præcones connumeratus , tanto ſpiritus ardore , ac diuinæ charitatis æſtu, Dei Verbum diſſeminabat ; vt admirabiles vbique populorum , ac potiſſimùm proſtitutarum meretricum,quarum ſedulò reductioni ſtudebat , conuerſiones ederet. Florentiæ dum Verbum Dei prædicat , Marietam quandam , piam Fœminam , ex Nobiliſſima Gondorum Familia exortam excitat ; vt Monaſterium , ſiue Hoſpitalem Pietatis Domum ſuis opibus extrueret: in qua pauperes etiamnum Puellæ aluntur , quæ omni rerum ſubſidio deſtitutæ , ob inopiam , ſæpè pudicitiam proſtituunt.

*Meretricum conuerſioni inſudat.*

XXIV. Id Viro familiare erat , quo tempore prædicationi vacabat ; vt vſque ad quintam noctis horam vigilias obſeruaret ; quas partim in ſacrarum literarum ſtudia, partim in orationem , ac diuinarum rerum contemplationem diſtribuere ſolitus erat : quibus cùm quotidianam ſemper flagellationem adderet ; quò diuinam miſericordiam faciliùs ad impiorum ſalutem attraheret ; vberiùs ſemper animarum lucra augebat. Generalis Prælectoris munere,diu Romæ , aliiſque in Italiæ Vrbibus functus , cùm Vir omni doctrina , ac virtute ornatiſſimus eſſet ; plurimos Religioni Viros , eruditione claros peperit. Seraphici Doctoris ſancti Bonauenturæ,quem ob notam ſanctimoniam,ac inſignem eruditionem , ſummo ſemper ſtudio proſecutus eſt , doctrinam ita ſuſpiciebat:vt ipſius libros iam apud homines ſeneſcentes, ac ferè vetuſtate conſumptos, iterum in lucem reuocari,prælo mandari , atque ab interitu vendicari curauerit:quos deinde Sixtus V. Pontifex,animo,doctrina,ac dignitate maximus;rurſum ampliori folio excuſſos,copioſiùs illuſtrauit.Schola apud Minores Conuentuales erecta : in qua tam Seraphici Patris , & Eccleſiæ Doctoris doctrina , cunctis admiranda , ex inſtituto explicaretur.

*Inſignis S. Bonauenturæ ſectator.*

XXV. Quo tempore Generale Concilium Tridenti celebratur:is à Thoma Tiphernate Generali,ob ſingularem eruditionem , cum aliis delectus , ad Concilium proficiſcitur : in quo grauiter pro Religionis habitu decertat ; nonnulloſque ad Concilij Patres ſermones habet.

*In Tridentino Concilio ſermones ad Patres habet.*

XXVI. Cæterùm cum admirabili huius Viri doctrina, atque eruditione, morum grauitas, ac ſingularis quædam animi prudentia, ſummaque vitæ integritas coniuncta erat: qua factum eſt, vt ſummis in Religionis rebus ipſius conſilia expeterentur: quare inter Generales Ordinis Definitores ſæpè adnumeratus, Ethruſcam, Neapolitanam, aliaſque Prouincias moderandas ſuſcepit: quo in munere tot humilitatis, ac charitatis exemplis enituit: vt cùm brumali tempore, Socio præ frigore tali diſrumperentur; cùm primùm ad Conuentum appulerant, tandiu neceſſaria charitatis obſequia ſibi præſtari differret; donec pedum rimas, quas Socius ex frigore contraxerat, propria manu curaret. Denique cùm tam celebris eſſet huius Viri Fama; tanta apud homines auctoritas, & exiſtimatio; tanta vitæ probitas, tanta rerum omnium cognitio, tamque inſignis prudentia, omniũ penè rerum vſu, exercitatiſſima: Pius V. Pontifex ſummus, Viri ſtudio allectus, eum ſibi Theologum deligit, illiuſque in rebus Eccleſiæ grauiſſimis, opera, & conſilio ſæpè vſus, cùm ſummam Viri prudentiam, ac grauitatem perſpexiſſet, in Cardinalium numerum adſcribere decernit: quod cùm Hieronymus ab eodem Pontifice didiciſſet; tot is Pontificem rationibus à propoſito deterret: vt ſapiens Pontifex ipſius conſtantiam, atque honoris contemptum admiratus, precibus quidem acquieuerit: veruntamen alterum, eo honore dignum, quem in eius locum ſubrogaret; illi proferendum iniunxerit. Recuſat Hieronymus: reique grauitatem Pontifici exponens, ab ea ſe Viri nominatione excuſat. Verùm poſt iterata à Pontifice præcepta, is tandem Iulium Sanctorium, Nobilem Caſertanum S. Seuerinæ Archiepiſcopum, eidem eligendũ proponit: qui ab eodẽ Pontifice, hoc anno, in tertia Cardinaliũ creatione, ad Cardinalatũ aſſumpt⁹; ſacrarũ literarũ eruditione, innocẽtiſſimę vitę laude, inſigniq; Religionis ardore, Sacrũ Purpuratorũ Patrũ Senatũ plurimũ illuſtrauit: de quo alibi fuſiùs agẽdũ erit.

*Theologus à Pio V. Pontifice ſibi eligitur.*

*Cardinalis dignitatẽ recuſat.*

XXVII. Poſt hæc Pontifex, cùm fœdere inter Chriſtianos Principes inito, militum copias in Turcam pararet: Hieronymum, cuius ei Fidei, ac Religionis ardor perſpectus erat; adiuncto illi Anſelmo à Petra-Molaria Socio, atque aliis duodetriginta Capucinis Fratribus, qui trigeſimum numerũ implerent, in Cretam Inſulam præmittit; vbi breui tota Chriſtianorum Claſſis colligenda erat: vt pro Fide certantibus, omni charitatis officio adeſſent; iiſque animos ad Fidei hoſtes debellandos adderent. Hieronymus igitur, dum ſe ieiunio, Oratione, lachrymis ad profectionem parat: Beatiſſima Virgo, cuius ille plurimùm Religione afficiebatur, Oranti adeſt; cumque breui hinc emigraturum eſſe præmonet: quod iis, quum primùm è Portu Liburni ſoluit, Anſelmo Socio, his verbis aperit. Anſelme Frater, hæc me haud vltra litora conſpicient: citò enim aduenict extrema dies, quæ me hinc ereptum, mortalibus eximat rebus. Tandem Apoſtolica benedictione inſtructus, iter aggreditur: ac Venetias cum Anſelmo, Ioſepho à Santa Agatha, & Ludouico Belga proficiſcitur: aliis interea Sociis Pontificiæ Claſſis diſceſſum præſtolantibus, quæ ſub Marci Antonij Columnæ imperio, ac moderatione, ſequenti anno 1571. è Portu ſolutura erat. Eo in itinere Hieronymus, cùm ſemel cum Socio à recta via aberraſſet; noctuque per nemorum deuia incedentes, quò pergerent: ignorarent; diuinæ ſe protectioni commendant, ac Deiparæ Virginis, Sanctique Ioſephi, ac Pueri Ieſu ſibi præſidium implorant: vix ab Oratione ſurgunt, cùm procul lumen aſpiciunt; quò iter dirigentes, cùm eò perueniſſent, humile domicilium reperiunt: in eoquè Senem hominem cum Muliere, ac puero degentem cõſpiciunt; qui cùm eos humaniſſimè hoſpitio excepiſſent; cibo refocillant, paratumque ad quietem locum iis deſignant. Suauiſſimo ij tota nocte ſomno potiti, cum manè euigilaſſent; amœno ſe in prato, cui recta via coniuncta erat, collocatos cernunt: totamque ſyluam perluſtrantes, cùm nullum domicilij veſtigium deprehenderent; Anſelmo Hieronymus ait: Quid fruſtrà domicilium quærimus? Anſelme: cęleſtes hoſpites, cæleſte domicilium ſecutum eſt. Hæc ſanctiſſimi Ioſephi, hæc Virginis Deiparæ; hæc tandem Pueri Ieſu, quos veſpertino tẽpore minimè agnouimus, diuina planè in nos munificentia fuit. Hi hoſpites noſtri fuêre, quibus maximæ, quæ à nobis concipi valent, ex animo gratiæ agendæ ſunt: mox vtrique genuflectentes Hymnum, *Te Deum laudamus*, piè perſoluunt, ac cæleſtibus hoſpitibus gratias agunt. Igitur cùm Venetiis ſoluentes in Cretam Inſulam perueniſſent; Venetam Claſſem, quæ Regni illius litora, aduersùs Turcarum incurſiones tuetur, graui peſtilentia laborantem offendunt: Quapropter Hieronymus cum cæteris totum ſe ægrotantium obſequiis mancipat; exæſtuantéque Dei charitate, metum omnem longè ab animo propulſante, vitæ omnes pericula contemnunt; maximumque ſibi lucrum fore arbitrantur: ſi pro iis vitam profundant, pro quibus Chriſtus ipſe in Cruce proſcriptus animam tradidit. Quare hoc charitatis ſpiritu impulſi, laborantes ope, opera, miniſterio, Sacramentorum adminiſtratione, monitis, adhortationibus, atque omnibus Chriſtianæ charitatis officiis proſequuntur: morientibus adſtant, hincq; proficiſcẽtes animas, piis Deo precibus cõmendant; mortuos in humeros tollunt, lauant, ſepeliunt. Hæc dum Hieronymus ardẽtiſſimo charitatis æſtu cũ cæteris præſtat; eodem quoq; ipſe morbo correptus, poſt breuem languorem, morte ſublatus, ſeptuagenario maior, præclarè pro charitate à Domino Martyrium, & coronam conſequitur. Poſt eum & Ioſephus à ſancta Agatha, & Ludouicus Belga, peſte abſumpti, plenã operis à Deo mercedẽ accipiũt.

*A Pio V. Pontifice in Cretam Inſulam mittitur.*

*A B. Virgine ſui obitus præmonetur.*

*A Via cum Socio aberrãs cæleſti Hoſpitio noctu excipitur.*





*Cum ſociis peſte laborãtibus miniſtrat.*

*In eo charitatis officio vita defungitur.*

XXVIII. Poſt Hieronymi obitum, cùm Fr. Baſilius Cremonenſis, qui illius quondam diſcipulus, & auditor fuerat; multis à Deo precibus, ac lachrymis poſtulaſſet: vt quid de Magiſtri ſalute actum eſſet, ſibi innoteſceret: dum priuatim diuino officio incumbit, adſtantem ſibi Hieronymum cernit: moxque illum de ſuo alterius vitæ ſtatu interrogat. Reſpõdet Hieronymus: ſe ex Dei miſericordia ſalutem adeptum, beata Sanctorum ſorte frui. Amplius Baſilius. Quid eſt, Pater (inquit) quòd toties fruſtrà, dum viueres, te Generalem Vicarium expectauimus? Dei (inquit Hieronymus) in me miſericordia fuit: nam ſi ad Generalatus officium perueniſſem, fortè è propria ſalute excidiſſem; atque his dictis abſceſſit.

*Diuina poſt mortem gloria potitur.*

Nonnullis, poſt huius ſancti Viri obitum, annis elapſis, cùm Iulius Sanctorius, Cardinalis S. Seuerinæ, Ordinis Protector creatus eſſet, ob ſingularem in eum beneuolentiam, & grati animi teſtimonium, Anſelmo à Petramolaria in Cretam miſſo, ipſius Oſſa Caſertam transferenda curat: qui loco ſepulturæ effoſſo, cùm Hieronymi corpus integrum, ac incorruptum euſque diuina virtute ſeruatum reperiiſſet, Caſertam ſecum defert: Cardinalis verò, tumulo illi extructo, in Capucinorum Eccleſia ſepeliendum curat.

*Hieronymi Oſſa Caſertam transferuntur.*

XXIX. Quædam opera Vir hic illuſtris, ſummo ingenio exarata, compoſuit; quæ adhuc viuens euulgauit. In his ſunt Tractatus in Formalitates Scoti Doctoris ſubtilis: & Liber Sermonum, in quo acutè de variis Chriſtianæ Fidei myſteriis, ac præſertim de Prædeſtinatione diſſerit. Huius Viri, tanquam ſua ætate illuſtris, meminit Rodulphus Toſſinianenſis in ſua Hiſtoria Seraphica lib. 3. Cùm tamen illuſtrior, in beatæ æternitatis ſinu, (vt piæ credimus) perpetuæ lucis vſura fruatur.

Rodulph. Toſſin. Hiſt. Seraph. li. 3. fol. 320.

XXX. Pleroſq; alios, hic annus, Viros nominis celebritate præclaros, Cælo peperit, quos varia Prouinciarum Monumenta, ac præſertim Sicula Prouincia cõmemorat. Horum tamen cùm tempus, rerũ edax, ac inuidioſa vetuſtas præclarè geſta cõſumpſerit; vixq; eorum ad nos famam tranſmiſerit: horũ quoq; perfunctoriè memoria nobis ab interitu vendicãda eſt. Inter hos primus eſt Fr. Valẽtinus Drepanẽſis, Laicus, Vir in Sicula Prouincia inter alios humilitate, ac Seraphica paupertate celebratiſſimus: qui cũ viuẽs paupertatẽ ſummoperè dilexiſſet; ne in morte ab ea diuelleretur, pauperrimũ Caſtroboni Cõuentũ, totius Prouinciæ pauperrimũ, à Deo impetrat, vt in eo carnis exuuias deponat: Vbi cuiuſdã infirmi Fratris curã agẽs, cùm ex diuina reuelatione ſuum, atq; Ægroti illius obitũ accepiſſet ſupremũ diem; eidem prænuncians, cũ eo in Domino obdormit. Sebaſtianus Agriciẽſis Sacerdos, & Cõcionator; vbi multos docendo, ac faciendo, annos in Religione, magna cũ ſanctimoniæ laude

F. Valentinus Drepanenſis Vir illuſtris.

F. Sebaſtianus Agriciẽſis Virtutibus clarus.

exegit; præſignificato ſui obitus die; qui in Purificationis B.Mariæ Virginis feſto futurus erat, Agricij carnis ſarcinam deponit. Alter quoque diuini Verbi Præco Fr.Ioannes Iarratanenſis,qui totam Siculam Prouinciam, (quo tempore nōdum in tres diſſecta erat) prudentiſſimè, maximoque Regularis obſeruantiæ zelo moderatus fuerat,ſui obitus diem Fratribus his verbis prædixit: Me olim dies S. Ioannis in lucem editum excepit, idem me ſacro Baptiſmi lauacro ab originali peccato lauit, lotumque Ioannem appellauit; Mihi congratulamini Fratres,ſi idem quoque dies, B.Ioanni Sacer,hinc ereptum, meo me principio reddet. Hac porrò, qua prædixerat,die poſt huius vitæ labores,Siracuſis ad præmia euolat. Alij quoque Fratres,hoc anno,apud eiuſdem Siculæ Prouinciæ Monumenta celebrantur,quos probata virtus,ac ſanctimonia Cælo dignos præſtitit. Hi ſunt Angelicus, Stephanus, & Sylueſter Bocherienſes, omnes Sacerdotio inuncti; qui cùm cæleſtem inter homines vitam vno ſpiritu auſpicati fuiſſent, vno quoque anno ad cæleſtes Sedes euaſerunt.

*F. IOANNES IARRATANENSIS vitæ ſanctimonia inſignis.*

*F. Angelicus. F. Stephanus. F. Sylueſter. Bocherienſes virtute præclari.*



FELIX,



I. FELIX, & Fauſtus hic nobis Annus Milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus primus elucet, multiplici clarus triumpho. Etenim hoc anno & Chriſtianorum Claſſis, reuecta de Turca, infenſiſſimo Fidei hoſte, victoria, ouans vbique Dei laudes perſonat; & plerique Religionis Athletæ, Carne, ac Dæmone Dei virtute proſtratis, glorioſiùs tandem hoc anno in Cælo coronantur. Hæc verò, quo ordine, quaue ratione geſta fuerint, luculentiùs explicandum. Cum Pius V. Pont. Max. ſuperiori anno, Chriſtianos Principes Sacris noui fœderis vinculis conſtrictos, ad Sacrum bellum prouocaſſet; quò Barbari,ac communis hoſtis, qui fauſtis rerum ſucceſſibus inſolentior, Chriſtiano nomini inſultabat, ſuperbiam cohiberet: is quoque Pontificia Claſſe inſtructa, cui Marcum Antonium Columnam præficit; cùm bellum, quod Dei cauſa ſuſcipiendum erat, ſanctè, ac religioſè adminiſtrari vellet: à Mario Ordinis Generali Vicario certum Fratrum numerum, qui trigeſimum non excederet, Superiori anno popoſcerat: qui ſub Hieronymo Piſtorienſi, res diuinas in Pontificia Claſſe curarent; militéſque ad Sacram pugnam accenderent. At Hieronymo, ac aliis nonnullis, vti Superiori anno dictum eſt, è viuis ſublatis; Pontifex, Mario iterum accerſito, præſtitutum Fratrum numerum, ſub altero capite renouari mandat: qui conſilio cum Patribus habito, Anſelmum à Petramolaria, qui poſt Hieronymi obitum, Creta Romam reuerſus fuerat; electis triginta Fratribus præficiendum Pontifici proponit. Pontifex verò cum Anſelmi electionem probaſſet; ipſum, ac cæteros electos Fratres ampliſſimis Priuilegiis, ac facultatibus inſtructos, hoc Diplomate proſequitur.

*F. Anſelmus à Petramolaria, cum aliis ad Claſſem à Pont. deſtinatur.*

*Pius V. Fratres ad Claſſem deſtinatos priuilegiis proſequitur.*

# PIVS PAPA V.

Ad futuram Rei Memoriam.

II. *CVM dilectus Filius, Vicarius Generalis Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, mandato noſtro, Dilectum etiam Filium Anſelmum de Petramolaria, & aliquot alios ex Fratribus eiuſdem Ordinis elegerit, mittendos ad Claſſem Chriſtianorum, quæ contra Infideles paratur; vt ibi Sacra miniſtrare, ægrotantium curam gerere, omnes monitis, & exemplis ad Dei timorem, & amorem accendere; militéſque ad viriliter pro Chriſti Fide dimicandum animare ſtudeant: & eundem Anſelmum dictis Fratribus in Guardianum præfecerit, cum poteſtate alium ſibi ſubſtituendi, & alios ex ipſis Fratribus Capucinis Socios ſecum aſſumendi, ſeu deligendi. Nos, vt ipſe Anſelmus, & Fratres ea, ad quæ mittuntur, meliùs exequi, & adimplere poſſint; ſpeciales, & infraſcriptas facultates, & priuilegia eis impertienda eſſe cenſentes; motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, eidem Anſelmo Guardiano, eiuſque ſucceſſoribus, ac ſociis aſſignatis, & aſſignandis præfatis: Quod omnium, & ſingulorum de Claſſe præfata, tam in Mari, quàm*

*alibi conſtitutorum, confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, & cenſuris Eccleſiaſticis, & caſibus quomodolibet reſeruatis, etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta, contentis; in foro conſcientiæ tantùm, iniuncta ſalutari pœnitentia abſoluere: nec non eorum vota quæcunque, Caſtitatis, & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus de præfata Claſſe Chriſtiana, ſeu de copiis, & exercitu contra Turcas, & Infideles pugnaturis, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare: necnon Miſſas ſuper Altare Portatili in loco clauſo, & à ventis tuto in terra cum reuerentia, & honore celebrare: omnibus verò, & ſingulis Fidelibus de Claſſe, & Copiis præfatis; vt ſibi aliquem tam ex dictis Fratribus, quàm alium Sacerdotem approbatum eligere, qui poſſit eorum Confeſſiones audire; eoſque ab omnibus peccatis, exceſſibus, delictis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, etiam vt præmittitur, reſeruatis abſoluere. Præterea vt pleniùs ægrotantibus Fratres præfati ſatisfacere poſſint, vt ipſi Fratres (ſi opus fuerit pro ipſorum ægrotantium neceſſitatibus) in Claſſe, & alibi eleemoſynas petere, per Syndicum tamen, ſeu Procuratorem aliquem à Commiſſario Apoſtolico aſſignandum, ſeu deputandum recipiendas, & in infirmorum neceſſitatibus expendendas; ita quòd ipſi Fratres, nec eleemoſynas huiuſmodi recipiant, nec adminiſtrent; niſi quatenus eorum Regula permittit, & per Procuratorem præfatum fuerit eis mandatum, ſiue conceſſum. Quodque Fratres præfati, quandocunque ventum fuerit ad arma contra Infideles, ſiue in mari, ſiue in terra, quilibet eorum in ea Triremi, vel in ea acie, ſeu agmine, cui aſſignatus fuerit; Fidelibus, & pugnantibus, nomine noſtro, benedictionem impendere reſpectiuè poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus; & poteſtatem. Inſuper omnibus, & ſingulis Fidelibus de Claſſe, & copiis prædictis, videlicet qui gratis militauerint, pro prima vice, qua confeſſi, & contriti ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem: qui verò ſtipendiati fuerint, & eandem Sacratiſſimam Euchariſtiam (vt præfertur) prima vice ſumpſerint, decem annorum, & totidem Quadragenarum indulgentiam: omnibus autem, & ſingulis ſtipendiatis, & non ſtipendiatis, & aliis perſonis dictæ Claſſis, aliis vicibus confeſſis, & contritis, ac communicatis quinque annorum, & totidem Quadragenarum indulgentiam; & in articulo mortis conſtitutis, atque in præfata expeditione, vel pugna, ſeu prœliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque indulgentiam, quam iidem Fratres à nobis conceſſam eſſe prænunciare, et prædicare poſſint. Item omnibus, qui Miſſæ, vel Sermonibus, ſeu Concionibus præfatorum Fratrum, aut orationibus, matutinis, ac veſpertinis oris habendis, prout à præfatis Fratribus fuerit ordinatum, deuotè interfuerint; indulgentiam quadraginta dierum de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum, eius auctoritate confiſi, per eaſdem præſentes concedimus, et elargimur. Ne autem Fratres prædicti, dum aliis præeſſe ſtudent, ſibi detrimentum faciant, aliiſque minùs proſint, eis mandamus; vt in omnibus propriam Regulam obſeruent, nec non Vicario Generali in omnibus, et ſingulis, quæ ab eo illis ordinata, et præcepta fuerint, pareant, et humiliter*





*obediant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X. Martij 1571. Pontificatus noſtri Anno 6.*

*Anſelmus à Petramolaria Socios inſtruit.*

III. Vir erat Anſelmus omni virtutum genere ornatus, Fidei zelo exæſtuans, ac Martyrij in primis cupidiſſimus: quo fit; vt cùm hanc ſibi eo fruendi opportunitatem, à Deo oblatam eſſe arbitraretur; ardentiſſimo animo opus aggreſſus, in id totus intenderet; vt ſe tanto Dei munere dignum exhiberet: quapropter toto eo temporis ſpatio, quo Romæ, dum Claſſis pararetur, commoratus eſt; arctis ſe ieiuniis affligens, diuinam aſſidua Oratione opem expoſcebat. Cúmque ſe puſillæ Cohortis Ducem conſtitutum agnoſceret; quæ ſui muneris erant, diligentiſſimè præſtabat: ſocioſque, qua Religione Sacramenta adminiſtrare, qua prudentia errantes corrigere, quo ſtudio Confeſſionibus inſiſtere, quibus verbis milites ad pugnam animare, quomodo cum omnibus conuerſari deberent; vt maiora animarum lucra referre poſſent, inſtruebat: cunctos denique ad Fidei zelum, vitamque pro Chriſto profundendam hortabatur. Iam verò, inſtructa Claſſe, & ad nauigationem parata, cùm Socios varias in Triremes diuiſiſſet, propria cuique munera diſpertitur: Orationum tempora præſcribit, alia quoque præcepta cuique peculiariter, in ipſo conflictus die obſeruanda, tradit; quibus illos ad futura belli diſcrimina præmunit.

*Fratres Capucini per Triremes diſpertiti cunctos ad pietatem inſtruunt.*

IV. His igitur vniuerſi præceptis inſtructi, atque Apoſtolica benedictione muniti, qua illos Pōtifex Roma diſcedētes proſecutus eſt; Triremes ingrediuntur, atque è Portu ſoluunt: Quiſque ſuam aut ligneam, aut æneam Chriſti Crucifixi Imaginem à Pontifice benedictam, atque Indulgentia donatam, ſecum geſtat: quam militum animis imprimere, eaque magis, quàm ferro Dei hoſtes terrere, ac debellare parat. Pergit auſpicatò Pontificia Claſſis, pietate, ferroque armata: dumque Auſtro proſperè flante, Meſſanam versùs adnauigat, vbi Ioannes Auſtriacus naturalis Caroli V. Imperatoris filius, copiis omnibus præfectus, Claſſem vniuerſam colligit: ſuas quique Fratres Triremes Sacris diſciplinis imbuunt; preces quotidianas inſtituunt; quibus tum manè, tum veſperè communi Religione incumbere debeant: ſæpè ad Milites Sermones habent, quibus vitia, ac blaſphemias compeſcunt; animos ad pietatem parant; vnumquemque ad expianda animi ſcelera prouocant: qua ratione diuinam ſibi quiſque opem vendicare, quibus potiſſimùm armis hoſtes profligare valeat, opportunè docent: nihilque ab iis officij prætermittitur, quo militum copias, diuinis potiſſimùm armis inſtructas, ad Victoriam parent.

V. Auſtriacus igitur è Sicilia ſoluens, Menſe Septembri, Naupactum Achaiæ Vrbem, vulgò Lepanto, quæ haud procul ab Actio Promontorio diſtat, ſecundis ventis adnauigat: vbi ex oppoſito Alis Baſſa, qui in Sinu Corinthiaco Nauales Turcarum copias continebat, Claſſem educit; atque in Chriſtianorum conſpectum ſiſtit. Iamque vtrinque acies, ad ſemiplenæ lunæ formam explicatæ, ad pugnam paratæ erant; cùm omnibus Chriſtianis Militibus, iam diuino Pœnitentiæ Sacramento expiatis, ac pro Fide decertantibus, Capucini Fratres Pontificis nomine plenariam omnium peccatorum indulgentiam prædicant: cunctos erecto Crucis trophæo ad dimicandum excitant; iiſque, qui pro Religione, pro Fide, pro Deo denique ſtrenuè decertauerint, Chriſti opem pollicentur; neque vlla ratione dubitandum perſuadent, quin is & pugnantibus patrocinari, & Victores ſuſcipere, ac ſuauiter amplecti; ac tandem in eo conflictu generoſè pro Fide occumbentes, æternis præmiis coronare velit.

*Capucini Fratres Plenariam Indulgentiam, ante pugnam Naualē prædicant.*

VI. Tandem pugnæ ſigno dato: cùm iam magno animo prælium iniretur, ac elato belli clamore, tubarum ſonitu, grauioriſque tormenti eiaculatione, armis potiùs, quàm conſiliis opus eſſet: alij eminentiori ſe Puppis loco collocant; Chri-

*Capucinorū officia, dum pugna committitur.*

ſtique Crucifixi Imaginem efferentes, Noſtros ad victoriam animant. Fuit, qui Triremis corbe conſcenſa, dum pugna committitur, velut triumphi prænuncius, Victoriam magnis vocibus acclamaret: in quem cùm mille ab hoſtibus ſagittæ emitterentur; à nulla tamen vnquam lædi potuerit. Alij vulneratis opem ferunt; alij morientes piis officiis proſequuntur. Anſelmus cùm Triremem ſuam vndique ab Infidelium Triremibus obſeſſam, iam ab Aduerſariis occupari: hoſtémque magna noſtrorum ſtrage, ad malum vſque victorem perueniſſe conſpiceret: Chriſti Crucifixi Imagine, qua eouſque pugnauerat, tantiſper dimiſſa; Fidei zelo, alterius Matathiæ inſtar accenſus, Romphæam vtraque manu apprehendit, ac tanta vi in hoſtes irruit; vt ex iis ſeptem interfectis, cæteros è Trireme deturbauerit. Cuius rei cùm eum deinde conſcientia pungeret; Romamque rediens, rem Pontifici narraſſet, vt ab eo irregularitatis diſpenſationem acciperet: ſubridens Pontifex: Cur, inquit, te benefacti conſcientia exagitat? Laudem, non diſpenſationem mereris, ac benedictum dimiſit.

*Anſelmus Triremem ab Hoſtibus liberat.*

VII. Interea, cùm, Deo præſertim auxiliante, qui in ipſo pugnæ initio ventum, qui noſtris ſiniſter erat, ſecundum ſpirare iuſſit; à quo Bombardarum, atque æneorum tormentorum, quæ laxabantur, fumus in hoſtium oculos ferebatur: res tam feliciter geſta eſſet, tamque inſignis de Infideli hoſte victoria reportata; vt trium horarum ſpatio, quo ſumma contentione vtrinque pugnatum eſt: Turcarum pluſquam viginti quinque millia cæſa fuerint; in quibus Alis Baſſa glande tranſfixus, ac capite truncatus fuit: capta hoſtium quatuor millia, Chriſtiani captiui libertate donati quindecim millia; Triremes, quæ in Chriſtianorum poteſtatem venerunt; præter eas, quas vnda, & ignis abſorpſit, numero centum ſupra octoginta. Denique cùm tam miſeram Ottomanica ſtirps, qualem haud vnquam pertulerit, cladem hoc anno paſſa fuiſſet; Anſelmus cum Sociis Romam reuertitur.

*Inſignis victoria à Chriſtianis de Turca reportatur.*

VIII. Cæterùm inter eos, qui cum Anſelmo ad Nauale bellum profecti fuerant, vnus Picenæ Prouinciæ Concionator fuit; qui ſagittæ vulnere in tibia ſauciatus; cùm illud nullo vnquam remedio curari potuiſſet, poſt biennium tandem eo vulnere è viuis ſublatus, Deo animam conſecrat. Alter verò Lucas Faneſtris, identidem Concionator; dum re confecta, Romam versùs adnauigat; Nobili cuidam Romano morienti extrema pietatis officia perſoluit: quo tempore res planè terroris plena accidit: Is enim cùm vita omnium opinione defunctus eſſet; poſt aliquot horarum ſpatium, maximo omnium terrore, ad viuos rediens, Lucam accerſit: eumque his verbis affatur. Lucas Pater, iam nunc ex Inferis Dei virtute redeo; quæ apud eos erga me geſta ſunt, tibi è veſtigio narraturus. Cùm primùm anima mea è corpore ſoluta, tremendum Dei Iudicium ſubiit; protinus tot ſcelerū inexpiatorum turmæ miſerum inuaſerunt; vt iis obſtrictus diuino Iudicio mox in tartara detruſus fuerim: vbi vxorem, quam Romæ incolumem reliqueram, inter flammas ſtridentem offendi: vxoris vocem agnoſco, neque ſatis cauſam admiror: moxque ab ea damnationis cauſam ſciſcitor: at illa: Audi, inquit, ô Coniux. Cùm primùm tu ex Vrbe diſcedens, ad Nauale Bellum profectus es, N. nobilis Vir, qui ſe diu mei amore captum dicebat; tanta improbitate, totque donis animum expugnauit, vt ferè inuitam ad turpem concubitum pertraxerit. Huius me ſceleris mox tantoperè pœnituit; vt inde in lethalem morbum inciderim. Verùm cùm illius pudore ſuffuſa, illud Sacerdoti pandere erubeſcerem: eo ſcelere necdum Sacramento expiato, extrema me dies intercepit; ac Tartaro adiudicauit. Hæc illa. Porrò eadem cùm me ſententia premeret; immenſa me Dei clementia ad viuos reuocauit; vt delicta mea Pœnitentiæ Sacramento abſtergens, eorum abs te abſolutione fruar. Moxque integra peccatorum ſuorum confeſſione Lucæ facta, ac domus ſuæ rebus ritè diſpoſitis; meliùs ac feliciùs, quàm antea, in pace quieuit. Lucas verò Romam profectus, cùm Adulterum, quem nomine agnouerat, diligenter

*Defunctus ab Inferis excitatus poſt peccatorum confeſſionem iterū obdormit.*

*Mulier ob peccatum in confeſſum damnatur.*





genter conquiſitum reperiiſſet; damnatæque Mulieris illi factum narraſſet: proprium is quoque ſcelus agnoſcens, Adulteræ caſu ad meliora prouocatus; illud pœnitentia, ac Sacramento deleuit: Deique Iudicia altiùs perpendenda reliquit: qui quos ſceleribus obſtrictos reperit, damnat; eos verò, qui ad pœnitentiam reſurgunt, ſua benignitate abſoluit.

IX. Accidit hoc anno, in Conuentu Serræ Capreolæ, Prouinciæ Sancti Angeli; vt Laïcus quidam Nouitius, grauiter de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia à Dæmone tentaretur: eoque magis tentatio ingraueſcebat; quò eam ille ſilentio tegere, ac Magiſtro aperire non audebat. Ingemiſcebat Nouitius, cùm ſe in varias incredulitatis cogitationes inuitum rapi animaduerteret: cumque Satanæ id opus eſſe agnoſceret: haud tamen à Satana ſeipſum explicare poterat: ferox enim hoſtis cum eo cominus pugnare, vimque animo ſua ſuggeſtione inferre videbatur. Pugnabat fortis Athleta, nec fortiſſimo licèt aduerſario cedebat: ſupplices autem palmas cum lachrymis ad Deum tendens, ab eo in hoc Fidei certamine opem, ad hoſtem debellandum expoſcebat. Diu cùm huius tentationis impetum inuictus ſuſtuliſſet: Deus Opt. Max. qui fidelis eſt, nec quemquam patitur ſupra id, quod poteſt, tentari: Nouitium tandem ab hoc Diabolicæ tentationis conflictu hac ratione liberat. Solemni enim die Corporis Chriſti, dum nocte Matutinis horis peractis, Hymnus *Te Deum laudamus*, in Choro decantaretur, is ante Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare procumbens, adhuc ſub tentationis pondere ingemiſcens, ad Deum clamabat: quum è Sacri Tabernaculi oſtio puerulum, immenſa luce circumfuſum, erumpentem cernit; qui ſupra Altare incedens, Eccleſiam ſuo fulgore illuſtrabat: Mox Nouitius humi proſtratus, ac lachrymis perfuſus exclamat: Dominus meus, & Deus meus; puerum adorat: tandiuque ea pueri præſentia fruitur: quoad Choro verſiculum illum decantante: *Te ergo, quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti:* is cum aliis ſeipſum proſterneret, ac humo deoſculata Chriſtum adoraret: quo facto puerulus ad Tabernaculi oſtiolum rediit; omnemque tentationis nebulam, ſuo præſentiæ ſplendore, ab Nouitij animo excuſſit.

*Nouitius à Dæmone tentatus à Chriſto miraculosè liberatur.*

*Sacra Euchariſtiæ veritas miraculo comprobatur.*

X. Interea plerique hoc anno, qui militiæ noſtræ nomina dedêre; poſt dura Religionis certamina, vitæ corona donantur. Inter quos primus fuit Frater Otto à Sancto Germano, Regni Neapolitani Oppido, Sacerdos. Hic cùm ab ipſo Religionis exordio, ad Capucinoram Ordinem acceſſiſſet; vſque ad Ochini lapſum, tam præclaris virtutum exemplis inter alios effulſit; vt nouum Religioni Sydus ortum eſſe videretur. Atra verò illa tempeſtate conuulſus, tanquam alter Lucifer è Cælo cadens, à Religione dilapſus, diu effrænem inter quoſdam alterius Ordinis alumnos vitam duxit. At benigniſſimi Patris luminum, qui illum iam olim à ſæculi tenebris eruerat, mente ipſius Cæleſti fulgore illuſtrata, iterum ad Religionis ſinum, vnde exciderat, reuocatur. Rurſum igitur, tametſi difficillimè, inter Capucinos connumeratus, atque in Mediolanenſem Prouinciam miſſus; ibi prioris lápſus labem, tanto virtutum ſplendore, ac poſterioris vitæ ſanctitate deterſit: vt caſus illi non ad ruinam; ſed ad ampliorem bonorum cumulum obtigiſſe videretur. Tam enim ex eo tempore, præteritorum ſcelerum pœnitentia tangi, & anteactæ vitæ mœrore afſici cœpit: vt diu noctuque inter perpetuos lachrymarum imbres verſaretur: quapropter carni, quæ illum ad vitia, ac illecebras pertraxerat, bellum irreconciliabile indicit; abſtinentia extenuat; quotidianis panis, & aquæ ieiuniis, per integra quadragenorum dierum ſpatia protractis caſtigat: quæ ſæpè, vt pœnam augeat, pane ſubtracto, ad ſola legumina madefacta extra ſaturitatem contrahit: diris flagellis conterit; nocturnis vigiliis exſiccat; laboribus conficit: denique cùm rectam corporis ſeruitutem, certam animi libertatem eſſe

*F. OTTONIS à S. Germano. Vita, & Geſta.*

*A Religione labitur, ac pluribus vitiis irretitur.*

agnoſceret; tam ſeuera ſenſus omnes lege, ac diſciplina coërcet, vt plenam carnis victoriam aſſecutus eſſe videretur.

*Difficilior poſt lapſum ad virtutem reditus.*

XI. Illud certè Vir prudens fateri ſolebat, difficiliùs illi poſt caſum, virtutis iter extitiſſe. Deguſtatis enim malè iucundis voluptatibus, cùm vix diuelli ab his animus poſſit, ſegnior ad virtutem efficitur: faciliùs verò recta ſequitur, cùm earũ necdum venenatam ſuauitatem attigit. Maximum verò ad hanc ſuiipſius victoriam comparandam, illi ab oratione, cui pluribus diei ac noctis horis vacabat, ſubſidium effluxiſſe affirmabat. Quæ enim naturæ vitio, quoties illud pro natura inoleuit, difficilia; aut etiam impoſſibilia videntur: lachrymoſa oratione facilè comparari dicebat. *Hoc enim* (teſte Iſidoro) *eſt remedium eius, qui vitiorum tentamentis æſtuat: vt quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem ſubdat, quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit.*

Iſid. de Sum. bon. l. 3. c. 8.

*A Dæmone variis modis infeſtatur.*

XII. Præclarum hunc Ottonis de carne triumphum, cùm Dæmon, qui antiqua cum eo fœdera iunxerat, moleſtiſſimè ferret; acriora in illum bella parat: ſæpè enim in muliebri forma apparens, illum ad turpia alliciebat: interdum ſodalium, quos apud ſæculum reliquerat, ſpeciem obiiciens; illum ad priores illecebras prouocabat. Matris etiam quandoque effigiem aſſumens, eum ad domus propriæ commoda curanda ſollicitabat: quæ cùm Dæmonum ſpectra, ac præſtigias eſſe agnoſceret; Crucis ſigno obiecto, diſpergebat. Nocte quadam in Conuentu Herbæ, dum in Eccleſia Deum attentiùs orat; Dæmon, vt ipſum ab oratione exturbet, Fratris cuiuſdam nuper Defuncti cadauer, quod honeſto loco, vſque ad ſepulturæ tempus, in Dormitorio collocatum fuerat; aſſumit, eoque contectus Eccleſiam ingreditur: Otto verò cùm Deo illuſtrante illud Dæmonis opus eſſe didiciſſet; Diabolo in Dei nomine imperat, vt Defuncti corpus, ad præſtigias aſſumptum, nulla mora interpoſita deſerat: qui cõfeſtim præcepto obtemperans, Corpus exanime relinquit; is verò eo in humeros ſublato, atque in proprium locum reſtituto; ad Orationem redit; Deoque Conditori de profligato inſidiatore grates perſoluit. Poſtremò cum Anſelmo de Petramolaria, ad Bellum Nauale profectus, cùm in ea expeditione eximia charitatis, patientiæ, pietatis, ac religionis cunctis exempla reliquiſſet; morbo correptus vitam ſancto fine concluſit. Poſt mortem verò Mediolani cuidam Fratri apparet, à quo cùm de proprio alterius vitæ ſtatu interrogaretur: reſpondit, ſe ex Dei clementia ſalutem eſſe conſecutum; at diſtrictiſſimam rerum, præſertim quæ ad paupertatem pertinent, rationem ab eo exactam fuiſſe: ita vt etiam candelulæ, quæ apud loca communia fruſtrà interdum conſumitur, in Dei Iudicio, ratio ſeuera exigatur.

*Ad Bellum Nauale pergens ibi in Domino obdormit. Viſio de illius gloria explicatur.*

*F. IGNATII de Valle Duplici vita, & geſta.*

XIII. Per id tempus Fr. Ignatius de Valle Duplici, Sacerdos Bononienſis Prouinciæ: qui ex nobiliſſima Comitum eiuſdem Oppidi ſtirpe progenitus, inculpatam, ac virtutibus plenam in ſæculo vitam duxerat: ferreáque catena, quam perpetuò circa lumbos geſtabat, carnis petulantiam in ſæculo domans, integros quandoque dies in oratione tranſegerat. Cùm è ſæculo ad Religionem migraſſet, vitam priori pietate auſpicatam, tot virtutibus illuſtrauit: vt totius humilitatis, honeſtatis, manſuetudinis, obedientiæ, Regularis diſciplinæ, omniumq; virtutum ſeſe exemplar præbuerit. Orationis cum primis ſtudioſiſſimus fuit: cuius adeò cupiditate tenebatur, vt hominum familiaritatem fugiens, ſemper ſolitudines, orationi aptas, quæreret. Hic dum Bononienſe Monaſterium Guardianus adminiſtrat, ob ſingularem vitæ ſanctimoniam, ad Pontificiam Claſſem cum Conſtantino Mutilenſi, ac cæteris ſub Anſelmo vocatur; vbi cùm præclara omnibus pietatis, ac charitatis teſtimonia reliquiſſet: rediens parta victoria, variiſque in eo itinere ærumnis, & incommodis affectus, in Apuliæ Prouincia in morbum incidit; vbi charitatis, ac obedientiæ Martyrio feliciter conſumato, ærumnis finem imponit.

*Nobiliſſimis ortus Natalibus virtute Nobilior fuit.*

*F. IOANNIS BAPTISTAE de Caſtro S. Petri vita, & geſta.*

XIV. Hoc ipſo anno Fr. Ioannes Baptiſta de Caſtro S. Petri, Clericus Bononienſis Prouinciæ, extremum Foroliuij diem claudit. Hic tam inſigni mentis pu-

ritate,



ritate, humilitate, morum diſciplina, ſenſuum mortificatione, orationis aſſiduitate, ac totius Regularis obſeruantiæ luce in Religione, exiguo licèt temporis ſpatio, effulſit: vt Angelicam; ac planè cæleſtem inter homines vitam ageret: tantamque apud Deum ſanctimoniæ laudem adeptus fuerit; vt in ipſa ſui obitus hora, Dæmon, qui Mulierem quandam textricem obſidebat, repentè exclamare cœperit: Heu, heu mortuus eſt Vir Sanctus, Ioannes Baptiſta: cælum modò glorioſus conſcendit, iam hinc mihi emigrandum eſt; hac mea me ille Sede pellit; quo tempore inſeſſam Mulierem diſcerpens, ac ſemimortuam relinquens; ex ea protinus aufugit.

*FR. MASSAEI GENVENSIS Vita & Geſta.*

XV. Inter eos, qui cum Anſelmo de Petramolaria, in bellica illa Pij V. Pontificis expeditione, ad Nauale Bellum proceſsêre, vnus fuit Fr. Maſſæus Genuenſis, Laïcus Picentis Prouinciæ; quem Anſelmus inter alios ſibi Socium elegerat. Hic cum inter prima Religionis initia Capucinorum militiæ nomina dediſſet; tanto virtutum fulgore, ac vitæ auſteritate inter cæteros emicabat; vt annum totum in quadragenas inedias diſpertitum, in ſola panis, & aquæ refectione tranſigeret: haud tamen interea à quotidiano labore vacabat: quo cùm corpus defatigaret; non aliam ſibi præterquam orationis quietem quærebat: ex qua maiores ſibi ad carnem, cognataque illi vitia, frigore, nuditate, flagellis, vigiliis, atque aliis caſtigationibus edomanda, vires quotidie augeri ſentiebat. Hinc plures Dæmonum infeſtationes paſſus, quibus illum ab hac perfecta virtutis via deterrere conabantur; eam animi conſtantiam à Deo aſſecutus fuerat; vt Dæmoni ipſi illuderet, illique ignauiam, ac imbecillitatem exprobraret.

*A Dæmone infeſtatus eidem ignauiã exprobrat.*

XVI. Sæpè, ob notam vitæ ſanctimoniam, Nouitiorum curæ præficitur: quo munere, dum in Conuentu Camerini aliquando fungitur: Nouitius quidam, ſub virtutis amplioris prætextu, vitium, ac Dæmonem in animo fouebat: cùm enim is Nouitios, prima noctis hora, ſua cum benedictione ad quietem dimitteret: ex his vnus, qui & deuotione, & orandi ſtudio, cæteris antecellere videbatur; ſegniùs Magiſtri præcepto obtemperans, diutiùs orationi vacabat. Hic ſemel, atque iterum à Magiſtro admonitus; ne quid præter Obedientiam ageret: cùm ſemel cæteris recedentibus diutiùs in Eccleſia oraret; Magiſtri præcepto ad quietem compellitur. In Cellam pergit Nouitius ſecum obmurmurans; nec Magiſtri, illi quietem imperantis, præcepto obedit: ſed rerum diuinarum contemplationi, iuxta proprij animi placitum, incumbens; haud fallacem à Dæmone voluptatem ſibi animo inditam agnoſcit. Dum itaque proprio animi placito, ac voluptati, potiùs quàm Magiſtro obtemperat. En Diabolus ex inſidiis erumpit; & qui incautum idcirco, ſub lucis, ac virtutis ſpecie fefellerat, vt tanquam leo rugiens deceptum deuoraret; protinus in Nouitium inſiliens, ita illius fauces conſtringit; vt penè ſuffocare videretur. Eo in periculo Nouitius clamorem altiùs attollens, Magiſtri opem implorat, quum protinus Magiſter accurrens, vix ab eofuſis orationibus Dæmonem compeſcit. Inobedientiæ crimen tunc Nouitius agnoſcit: diſcitque Deo obedientiam magis, quàm orationis ſacrificium placere: eamque non Deo, ſed Dæmoni orationem offerri; quam ſpreta obedientiæ lege, animus propria voluntate luxurians, ſe Deo conſecrate putat. Is tandem cùm quadraginta, & amplius annos, magna cum virtutum laude in Religione exegiſſet; hoc anno morte interceptus, Mundo ærumnarum pleno valedicit.

*Nouitius præter obedientiam orationi vacans ferè à Dæmone ſuffocatur.*

*F. FRANCISCI A MONTEPOLICIANO, Vita & Geſta.*

XVII. Non minori virtutum, ac ſanctitatis ſplendore, Fr. Franciſcus à Montepolitiano, Concionator, Ethruriæ Prouinciam illuſtrat: qui ex nobili Buratorum Familia ortus, Marcelli II. Pont. (vt ferunt) conſanguineus fuit. Hic cupidiſſimus omnium virtutum ſectator, caſtitatis præſertim candorem, tam illibatum ſeruare ſtuduit; vt non modò mulierum omnium colloquia, familiaritates, aſpectum ſtudioſiſſimè deuitaret: verùm, vt omnem prorſus memoriam ab animo deleret, eas neque nominari, neque de iis ſermonem inſtitui vlla ratione

ferre

ferre poſſet. A Superiorum,atque alterius cuiuſlibet perſonæ murmuratione,adeò abhorrebat; vt cum primùm eam ſubodoraret; protinus vel altero Sermone interciperet; vel ab eo ſe confeſtim hominum conſortio remoueret. Regularis diſciplinæ obſeruantiſſimus, paupertatem perpetuò ſibi coniugio deſponſaſſe videbatur; ita vt nullo magis, quàm rerum penuria delectaretur. Dei Verbum tanto ſpiritus ardore,tamque ingenti diuinæ ſapientiæ luce diſſeminabat;vt inter prędicandum futura aliquando prædiceret. In huius rei argumentum,dum Piſis prædicat, Franciſco Marzocho Pharmacopolæ, qui cùm ad Medicorum vſque deſperationem ægrotaret, ſe illius precibus commendauerat; futuram incolumitatem prænunciat, eamque ſua oratione reſtituit: atque eodem modo pleroſque ægrotos, impetrata illis diuinitùs ſanitate, à morbo liberat. Poſtremo cùm in Senarum Vrbe, ipſo Aduentus tempore Dei Verbum miniſtraret; mortalem vitam, quam in omni iuſtitia, & ſanctitate duxerat: hoc anno cum immortali commutat. Pallium illius cùm poſt mortem in ſuorum propinquorum poteſtatem veniſſet; eo plurimi ægrotantes diuina virtute curati, corporis incolumitatem acceperunt.

*Pleraque futura Prophetico ſpiritu prædicit.*

*Pleroſque Aegrotos ſua Oratione curat.*

XVIII Neapolitana Prouincia, velut fructifera vitis, ſuos quoque botros hoc anno, Cælo ſuauiſſimos profert. In his primus eſt Fr. Bernardinus à Lauro Clericus; qui cùm in eximia, ac ſingulari quadam morum probitate, vitæ innocentia, animi candore, carnis odio, ſui ipſius abnegatione, paupertatis amore, humilitatis diſciplina, Regularis obſeruantiæ cultu, atque omnium virtutum ſtudio, præclarum cæleſtis vitæ tyrocinium poſuiſſet: in Conuentu Apicis immatura morte corripitur: quo fit, vt non virtus vitæ, ſed vita illius virtuti defuerit: breuique in Palæſtra exercitatus, Palæſtræ coronam in morte tulerit. Etenim in ipſo mortis agone, cùm iam luctæ finem imponere deberet; in mentis exceſſum raptus, ingentem Fratrum Capucinorum ſupplicationem, ſplendidis veſtibus ornatam, ante ſe gradientem conſpicit: qui cùm è terris in Cælum conſcenderent, ſuum quique Ordinem, vel priorem, vel poſteriorem ſibi præſtitutum ſeruabant. Poſtremus tãdem inter duos, S. Patriarcha Franciſcus incedens, manu librum apertum geſtabat: quem Bernardinus diligentiùs inſpiciens, cùm in eo ſuum ipſius nomen exaratum vidiſſet; eodem tempore ad ſenſus rediens, rem exhilaratus Fratribus narrat; moxque cum his ad Cæleſtes Sedes laureandus conſcendit.

*F. BERNARDINI A LAVRO, Vita, & Geſta.*

*In extaſim ante obitum rapitur, ac pie in Domino obdormit.*

XIX. Alter quoque Fr. Andreas Calaber à Crotone, Vrbe Magnæ Græciæ, Laïcus, multarum virtutum laude, in eadem Prouincia inſignis floret. Hic cùm otium omne ignoraret, diem labori, noctis minimam ſomno, maximam orationi, ac diuinarum rerum meditationi, partem dare ſolitus erat. Habitu pauper, charitate in omnes diues erat. Cúmque nihil illi iucundius eſſet, quàm Superioribus, ac cunctis parere, id non parum moleſtè ferebat; ſi quando Superior humaniori voce vſus, non iubendo; ſed rogando eum ad agenda prouocaret: Eo enim obedientiæ vim minui, ac meritum obtundi ſapienter aiebat. Ex quo facilè perſpici poterat, veram eum obedientiæ virtutem, ac mentis humilitatem aſſecutum eſſe. Tanta Sacerdotes reuerentia, ac veneratione proſequebatur, vt plenum S. Franciſci ſpiritum adeptus videretur: etenim cum iis conſedere, aut eorum ſe colloquiis immiſcere, aut illos operto capite alloqui, piaculum arbitrabatur; cùm id dicere ſolitus eſſet: Sacerdotes nobiliſſimos Altiſſimi Seruos eſſe, quibus aliquid obſequij impendere, magni beneficij loco habendum ſit. Hoc obedientiæ, ac humilitatis ſenſu, cùm annis, ac virtutibus canus, Neapoli in Conuentu S. Euphebij in ſupremum morbum incidiſſet; virtutes, quas ſibi ad vitæ ornamentum adſciuerat, eaſdem ſibi ad mortis coronam vendicat. Cùm enim adhuc ſenſibus integris exiſtens, longiùs à mortis articulo abeſſe crederetur; Guardianum accerſiri curat, ab eoque benedictionem abeundi expoſcit. Cui Guardianus ſubridens. Quonam, inquit, tibi abeundum eſt? (neque enim de ipſius adhuc obitu cogitabatur.) At Andreas, cùm vitæ occaſum ſibi imminere diuinitus accepiſſet, impenſiùs ab eo benedictio-

*FR. ANDREÆ à Crotone. Vita, & Geſta.*

*Sacerdotes ſumma veneratione proſequitur.*

*Superioris Obedientiam ad moriendũ expoſcit.*





nem efflagitans; Magnum mihi iter, aiebat, modò peragendum eſt. Poſtremò Guardianus, vt illius votis ſatisfaceret: Eia, inquit, Dei, ac mea benedictione munitus, felix perge. Andreas verò cùm Guardiani funem, qua præcinctus erat, manibus arripuiſſet: *Benedicite*, inquit, *Pater*, *Benedicite*: hiſque in verbis, humana deſerens, cæleſte iter aggreditur; ſuperaſque euadit ad auras.

*Sui Obitus diuinitus admonetur.*

XX Tertius tandem his ſuccedit Fr. Bonauentura Cremonenſis Sacerdos, qui cùm Amadeorum Familiam cum Capucinorum Congregatione, inter ipſa initia commutaſſet; in ea Angelorum potiùs, quàm hominum vitam coluit. Etenim ab omnium conſortio, ac familiaritate ſemotus, tam rerum diuinarum ſtudio oblectabatur; vt cum Apoſtolo perpetuam ſibi in Cælo conuerſationem delegiſſe videretur. Hinc ægrè ad ipſa naturæ neceſſaria, ſine quibus hominum vita ſtare non poteſt, ac velut vi quadam trahebatur: quare haud mirum; ſi quotidiana ieiunia tam arcta abſtinentiæ lege ſibi obſeruanda proponeret; vt ſæpiſſimè panis, & aquæ refectione concluderet; Carnem aſperrimo cilicio domaret; ac ſomni parcus, longas in oratione vigilias duceret. Religionis procellam, quæ Ochini tempeſtate concitata fuit; tam conſtanti animo pertulit; vt multos ſua virtute, & exemplo vacillantes à lapſu vendicauerit, & in Religionis amplexu cõtinuerit. Eo tempore, cùm in Conuentu Foroliuij, aſſiduas ad Deum pro Religione preces, ac lachrymas funderet; Virginis Deiparæ aſpectu, ac conſolatione fruitur: quemadmodum anno 1543. fuſiùs exarauimus. Plures quoque alias à Deo viſiones, ac reuelationes accepit, quibus ipſius apud Deum ſanctitas, non obſcurè declarata fuit. Sæpè in eodem Conuentu dum in nemore orat; ab Angelo, in quandam Montis, qui Vrbi coniunctus eſt, Eccleſiam ductus, ibi Petri Apoſtoli, ac B. P. Franciſci colloquio potitur: à quibus pleraque etiam euentura diſcit: quæ cùm alto ſilentio tegeret, vix ea Guardiano aperiebat. Illud quoque inter alia Guardiano narrauit; quòd ab Apoſtolorum Principe, ſacrum Altaris Myſterium in ea Montis Eccleſia, eo ſpectante, ad finem vſque celebratum fuerit. E Bononienſi Prouincia Neapolim à Mario Generali miſſus, vt Monialium S. Mariæ in Hieruſalem curæ incumberet; poſt aliquot huius adminiſtrationis annos, hoc anno, ſupremo morbo ſublatus, in Conuentu S. Euphebij, carnis onere depoſito, ad meliora conſcendit.

*F. BONAVENTVRÆ CREMONENSIS, Vita & geſta.*

*Sæpe B. Virginis & Apoſtolorum præſentia fruitur.*

*B. Petrum Apoſtolum ſacra facientem ſpectat.*

XXI. At neque ſuis caret floribus S. Angeli Prouincia; quam cùm Fr. Leo Genuenſis, Sacerdos, ſuauiſſimo virtutum odore, triginta annorum ſpatio reſperſiſſet: hoc anno, velut ſuauiſſimum thimiama, ex quamplurimis cæleſtium virtutum odoribus compoſitum, in Cælum fertur. Hic ad diuinæ ſeruitutis libertatem à Deo vocatus; cùm per aliquot annos, in Monte Gargano, magna cum auſteritate, ac confluentium ædificatione, vitam Eremiticam duxiſſet; liberioris illius vitæ pericula ſeriùs animo perpendens, Deo intus afflante, de Religionis alicuius ingreſſu ſecum cogitare cœpit: veruntamen cùm Dæmonis fallentis inſidias metueret, aſſiduis ſe ieiuniis, ac orationibus exercens, à Deo conſilium, ac certum diuinæ voluntatis teſtimonium poſtulabat. Id cùm diu, ac multis precibus poſtulaſſet; tandem Virgo Deipara, cuius ille in ea deliberatione, ſibi opem, ac ſuffragium implorauerat; oranti apparens, Religionis, velut perfectioris, ac tutioris ſtatus illi amplexum perſuadet. Veretur adhuc timidus Leo, occultáſque Diaboli fraudes, ac illuſiones pertimeſcẽs; cuius eam ſæpè artem eſſe agnouerat, vt ſub incerta amplioris boni vmbra, certi poſſeſſionem auferat: preces, ac lachrymas multiplicat, diuinámque ſibi lucem expoſcit, cui falſum ſubeſſe nequeat; quaque in rectam diuini beneplaciti viam ducatur. Rurſus igitur Virgo Beatiſſima illius ſe conſpectui exhibens, hominem confirmat; primumque illud à Deo conſilium fuiſſe comprobat. Nihil poſt hæc cunctatur Leo: ſed Virginis ſermone confirmatus, Capucinorum inſtitutum, ex diuina inſpiratione, ſibi amplectendum deligit; atque in Conuentu S. Ioannis Montis rotundi, Seraphicæ Minorum militiæ inſigniis munitur.

*F. LEONIS GENVENSIS Vita, & Geſta.*

*Ex Eremita Capucinus efficitur.*

*A B. Virgine de Religionis ingreſſu inſtruitur.*

XXII. Poſt Religionis ingreſſum, quot cœperit virtutibus florere; quamque admira-

*Plurimæ in eo virtutes elucent.*

bile vitæ genus inter homines inſtituerit;haud ſanè facilè eſt referre. Prioris enim vitæ libertatem tanto obedientiæ ſtudio religabat: vt cùm nihil ea iucundiùs reperiri poſſe diceret; ipſa quoque,quæ aut difficilia,aut impoſſibilia videntur,cum voluptate fieri affirmaret. Nemo eo humilior,nemo honeſtior , temperantior nullus: etenim illius mens,tam ab omni cupiditate aliena, tam moderata, tam ad omnem virtutem compoſita erat ; vt nulla re prorſus , præterquam boni cupiditate , afficeretur.

*Admirabilis illius abſtinentia.*

Nemo facilè illius abſtinentiam verbis perſtringat;qua non modò ſibi omnia,vt XXIII.
plurimùm,obſoniorum genera ſubtrahebat,ſola ſibi panis,& aquæ refectione relicta : verùm & ipſum vitæ hominis fundamentum, biduana, ac triduana cibi omnis inedia,ac ſubtractione auellebat. Nemo carnis martyria referat:Quam vt in ſpiritus ſeruitutem redigeret , ciliciis , diris flagellationibus, præter communes, ſomni parcitate, vigiliis , nuditate,frigoris perpeſſione , atque aliis corporis incommodis ſpontè aſſumptis,affligebat. Nemo altiſſimæ Paupertatis ſtudium.Nemo Regularis obſeruantiæ zelum. Nemo animum ad cæleſtia contemplanda raptum,totumq; è Cælo pendentem. Nemo noctes in oratione inſomnes. Nemo lachrymas. Nemo incenſa mentis ſuſpiria narrare queat : quæ c æleſtem hunc planè hominem indicabant. Triginta igitur cùm hic annos tot virtutibus exornaſſet ; Religionémque eximia hac vitæ ſanctimonia illuſtraſſet , in Conuentu Manfredoniæ , ſupremam vitæ periodum ſanctiſſimè claudit : Vrbe tota ad ipſius funera, ob ipſius ſanctitatis famam,confluente.

*Sanctimonia clarus è viuis excedit.*

*F. MARTINI RHEGINI vita & geſta.*

Poſtremus hoc anno mortalibus rebus eximitur,Fr.Martinus Rheginus,Laicus, XXIV.
Rheginæ Prouinciæ : qui abſtinentia,paupertate, ſilentio,vitæ auſteritate,ſenſuum mortificatione,atque oratione clarus:cùm quadrageſimum,vno minus,in Religione annum attigiſſet; ſui obitus die ex diuina reuelatione accepto, ac prænunciato, in Conuentu Rhegij,ſingulari cum ſanctimoniæ fama,vinculis carnis abſoluitur. Cui Deus Opt.Max. poſt mortem teſtimonium præbuit , carne ipſius ad niuis candorem, & infantilem teneritudinem , ac tractabilitatem reuocata; vt ea cùm prior vitæ innocentia,tum poſterioris vitæ gloria probaretur.





*Pius V. Pont. moritur , & Gregor. XIII. ſuccedit.*

I. FLEBILIS hic annus Milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus, incredibili omnium mœrore, Pium V. Pontificem Max. Pontificum gloriam , ſedis Apoſtolicæ decus, virtutum omnium columen , Infidelium terrorem, ſanctæque,ac Catholicæ Eccleſiæ delicias , magna etiamnum animo cogitantem,maximo totius Chriſtianæ Reipublicæ damno Kal. Maij nobis eripit : maioremque Chriſtiano Orbi luctum attuliſſet,niſi breui temporis mora interpoſita , Grogorium XIII. egregium ſanè Pontificem , ac rerum geſtarum memoria clarum,in ipſa Pentecoſtes die, diuino planè afflatu reddidiſſet.

*Siciniani Conuentus Deo ſignis conteſtante ædificatur.*

II. Interea Capucinorum familia , in Neapolitano Regno , magis in dies propagabatur; Quare cùm in Lucaniæ Prouincia,maior Conuentuum numerus experetetur,qui exuberantem Fratrum excreſcentium familiam caperent; hoc anno,in Siciniani Oppido , Diœceſis Caputaquenſis , quæ Archiepiſcopatui Salernitano ſubeſt ; Cœnobij illius fundamenta , non abſque certo diuinæ Prouidentiæ teſtimonio,iaciuntur. Cùm enim Ioannes Antonius Maffeus , prædium , in quo Monaſterium extruendum erat; quod ampliori pretio oblato , ab eo ſummis precibus expetebatur , vendere recuſaret : in eaque animi ſententia pertinaciùs perſiſteret: Noctu in ſomnis B.P.Franciſcum è Cælo dilabentem ſpectat ; qui ſeueriori illum oculo contuens, in Agrum Conuentus ædificationi deſignatum ducit:vbi dum his illum durioribus verbis compellat. Tune fratribus meis prædium hoc vendere renuis ? Fune,qua præcinctus erat,tandiu illi verbera, ac plagas infligit:donec ille veniam à B.Patre poſtulans , præ dolore exclamaret. Da veniam , Pater,da veniam. Iam prædium ſibi Fratres accipiant. Non amplius pugno,haud abnuo: Qua pollicitatione accepta B. P. à verbere ceſſat. Is verò ſibi è ſomno redditus,cum vibices, ac verberum ſigna in membris geſtaret : Fratribus ſummo manè accitis,nulla pretij mentione facta,vltrò illis prædium donat : atque animo mutatus,plurima deinceps Capucinorum Religionem beneuolentia , ac veneratione proſequitur. Dæmon verò bonorum omnium hoſtis , cùm Religione,propagari , Monaſteriúmque eo in Oppido fundari, moleſtiſſimè ferret : qua die Crux ſolemniter erigenda, Eccleſiæque fundamenta iactanda erant ; ingentes è Cælo terrores parabat, quibus homines deterreret ; atque à cœpto deſiſtere cogeret: Cùm impium illud Dæmonis conſilium , Fr.Bernardino Lauricenſi, diuini Verbi Præconi , Viróque ſanctimonia claro , diuinitùs reuelatur:qui ſermone habito populum præmonet , ne vllatenus Diabolicis terroribus moueatur:futurum enim, aiebat; vt Diabolus,ea die, imbres,tonitrua,fulgura,grandinem,ingentémque in Cælo tempeſtatem cieret,vt diuinum opus interturbaret : quæ tamen diuina virtute breui diſpergenda forent. Quæ cùm adamuſſim ( vti prædixerat ) accidiſſent;populus maiori ad Conuentus fundationem ſtudio incenditur.

*Dæmon Conuentus ædificationem impedire tentat.*

*F. Ruffinus Libunatenſis, & Frater Antonius à Lacunigro ſanctimonia, ac miraculo inſignes.*

III. Illud quoque admirabile diuinæ benignitatis teſtimonium , in hac Conuentus ædificatione,declaratum fuit.Cùm enim Monaſterij ædificandi cura F.Ruffino Libunatenſi,& F. Antonio à Lacunigro,piis,ac melioris nominis Sacerdotibus,iã ætate prouectis,à Patribus demandata eſſet:magna fabricatorum , ac Mercenariorum turba ſpontè ad opus cõuenerat ; quibus Ioannes Maffeus,Oppidi illius Sacerdos, vitę neceſſaria miniſtrabat.Hoc tẽpore accidit;vt prãdij hora aliquãdo interpellãte,

*Vinum Operariis è Cælo exorant.*

*Acidum vinum ſua, Oratione in generoſum conuertunt.*

vinum, quod tribus cadis, ac totidem grandioribus lagenis aſſeruari conſueuerat; iis nedum ex obliuione impletis, operariis deeſſet. Quod vbi Ioannes animaduertit; cadóſque, ac lagenas vino vacuas reperit; domum rediens, protinus vinum afferendum parabat; cùm Ruffino, & Antonio, ex Oppido redeuntibus occurrit; quibus cùm is vini defectum aperuiſſet: haud ita eſt, (aiunt illi,) adhuc vinum in cadis, ac lagenis ad potum ſupereſt: quibus cùm Ioannes vinum reuera deeſſe affirmaret: Ne vini ſollicitus eſto (aiunt) nobiſcum redi: cúmque cados, ac lagenas, Ioanne præſente explorаſſent, ea vino plena reperiunt: quod cùm is, à ſola Dei virtute profectum cerneret; ardentiori ſtudio, quàm antea, cœpto operi incumbit. Aliud quoque diuinæ virtutis, ac benignitatis teſtimonium, idem Ioannes, paulô ante id tempus, ſibi accidiſſe narrabat. Etenim cùm iidem Fratres ad eum ab initio diuertiſſent; vt meliori eos vino exciperet, dolium, quod longè antea mero generoſo replendum curauerat, in hoſpitum aduentu explorat: quod vbi præter ſpem acidum, atque in vappam degeneraſſe offendit; ea re plurimùm contriſtabatur: Cùm ij cauſa triſtitiæ explorata, ſeorſim per dimidium horæ ſpatium, ad Orationem ſecedunt, tum ad Ioannem redeuntes, Quid (inquiunt) ob vinum turbaris? Iube vinum hauriri: Quod mox optimum, ac ſuauiſſimum ab omnibus deguſtatur; atque vt diuina benignitas illuſtriori miraculo probaretur; quod vix vſque ad ſemeſtre ſufficere ſolebat, biennio toti familiæ fuit ſatis.

*Matrona Romana de Filiæ Beatitudine viſio narratur.*

*Reuelatio de Capucinorū in Cælis gloria panditur.*

*B. Capucinorum triumphus indicatur.*

IV. Id quoque ſilentio prætereundum non eſt, quod hoc tempore in Romana Vrbe contigit: In qua cùm nobiliſſima quædam Matrona, quæ in omnem pietatem propenſa, in Capucinorum Eccleſia, aſſiduis orationibus vacabat, liberis careret: puellam egregiis moribus, ac virtutibus ornatam, ſibi in filiam adoptat: quam & vitia fugere, & innocentiam animo fouere; puráſque ad Deum manus attollere docet. Cùm vero præcipua in B. P. Franciſcum pietate, ac Religione ferueret; haud alia ipſam, præterquam humili, ac cinericia veſte vti iubet. His Matris monitis inſtructa, dum Virgo deuota in omni Religione, ac virtutum genere excreſcit: quo fiebat, vt plurimùm à Matre diligeretur: accidit, vt poſt biennium morte ſublata ad Beatarum Animarum domicilium conceſſerit. Quamobrem Mater eo mœrore correpta fuit; vt perpetuis lachrymis filiæ mortē lugeret: neque vlla dolorem conſolatione lenire poſſet. Nonnullis verò elapſis diebus; dum quadam nocte mater, ob filiæ luctum, lachrymas fundit: En illi filia, ſplendidiſſimis, ac pretioſiſſimis veſtibus induta apparet: quæ matrem ita affari cœpit. Quid me Mater, velut mortuam luges? Quid ploras? Iam lachrymas abſterge: ego enim apud Cæleſtem Sponſum viuo. Mater verò repentino illo aſpectu obſtupeſcens. Quænam es tu (ait) quæ hæc effaris? An non me agnoſcis? (inquit illa,) Filia tua ſum; quam tanto mœrore defunctam proſequeris. At Mater: Crederem, inquit, niſi te aliis, ac pretioſioribus veſtibus indutam cernerem: mea ſiquidem filia humilibus, ac cinericiis induebatur. Cui illa: Ne mireris, ait, Hæc enim candida veſtis auro texta, ac ſtellis ornata, qua me indutam cernis; pro vili, ac cinericia illa, atque ob animi puritatem, quam viuēs ſeruaui, mihi à Deo data fuit: alteram verò, quam ſub candida, purpuream gero; ſponſi mei mihi merita contexuerunt. Mater verò, quæ Capucinorum Religionem ſummo affectu proſequebatur; vbi filiam cæleſtibus Sedibus donatam intellexit, protinus ad eam. Amabo dic Filia, inquit, Adſúntne in Cælo Capucini Fratres? qualíve apud Deum gloria fruuntur? Cui illa. O ô Mater: tam copioſa, ac glorioſa in Cælo ſunt Capucinorū caſtra; tantóq; apud Deum honorę fruuntur: vt velut amātiſſimi ab eo in ſinu geſtentur: atq; ego, quæ inter Cœlicolas connumeror, vix eorū gloriam effari queam. Nuper ex his tres ex proximo N. Conuentu è viuis exceſsêre, quorum nomina ſunt, F. N. F. N. F. N. (Conuentus, & Frarū nomina indicās) quos tam ingēti triumpho Cælum excepit: vt cùm nōnulli iam illius dies elapſi fuerint; adhuc tamen Empireum eorum laudibus perſonet, ac diu poſt hæc adhuc perſonaturum ſit. Vidiſtin, Mater, M. Antonium Columnam, Victorē è Turcarum prælio





*Defunctorum corpora ſumma honeſtate pertractāda.*

redeuntem, quàm incredibili omnium lætitia Vrbs Romana nuper triumphantem exceperit: hæc planè vilia, ac ludicra ſunt, ſi trium illorum triumpho comparētur. Hæc cùm illa dixiſſet, ſtatim ad Superos rediit. Matrona verò, Conuentu, ac Fratrum nominibus diligenter adnotatis; vt rem certiùs agnoſceret, familiarem quendam ſibi fideliſſimum, ad Conuentum deſtinat; qui rem diligentiùs exploret. Hic cùm à Guardiano de defunctis Fratribus, quæ ſibi iuſſa erant, percunctatus fuiſſet; ab eo accipit. Tres eodem ferè tempore, probos quidem, ſed communis ſanctimoniæ Fratres, ex humanis exceſſiſſe; quibus data nomina reſpondebant. Ex his vnus, dum illius corpus poſt obitum, vti mos eſt, minùs tamen obſeruata honeſtatis lege, à Fratribus lauaretur: admirabili quidem, ſed obſeruando exemplo, verenda, quæ nuda erant, Manibus contexit; quamque viuens honeſtatem coluerat, eam quoque defunctus ſibi tueri voluit: vt eo omnibus perſpectum fieret; Defūctorum corpora ſumma cum Religione, ac honeſtate, perinde ac ſi viuerent, eſſe tractanda: maximéque piorum defunctorum animas offendi, quum non obſeruata honeſtatis Regula, graue illud Chriſtianæ pietatis opus ipſis perſoluitur.

## F. BONAVENTVRÆ REGIENSIS, *Vita, & Geſta.*

*F. Bonauentura Regienſis vita, & miraculis clarus.*

*Ipſius vita omnibus virtutibus ornata deſcribitur.*

V. HOc anno Piceni Prouincia, velut fœcunda Paradiſi arbor, tres inter alios, Cælo dignos, fructus profert. Ex his primus fuit F. Bonauentura Regienſis: qui cùm in Minorum Conuentualium Ordine ſacris initiatus, prima virtutum ſemina ieciſſet; ad Capucinos tranſlatus, ea tam ſollicitè excoluit; vt ad perfectum cæleſtis vitæ, ac diſciplinæ fructum prouocauerit. Hic etenim vitæ probitate, quæ prima ad virtutem via eſt; quippe quæ omne ab animo vitium expellit, hominémque prauis cupiditatibus exuit; cùm tam integram, indicto in ipſo Religionis ingreſſu vitiis omnibus prælio, aſſecutus eſſet; vt non modò à vitio, ſed etiam ab omni vitij ſpecie abhorreret: eámque vitæ innocentiam adeptus videretur, quæ ad Angelicam propè accederet: in ea ita omnium virtutum ædificium poſuit; vt nunquam ſe, quod in virtute perfectum eſt, attigiſſe crederet: Fundamentum enim veræ virtutis humilitatem eſſe nouerat; quæ non quid actum, ſed quid agendum ſit; nec quid ſibi adſit, ſed quid deſit, ſpectat. Sciebat hoc tempus militiæ eſſe, non triumphi; neque virtutem ita poſſeſſam haberi; vt in ea animus torpeat: præſertim cùm nihil tam profectui contrarium ſit, quàm profectus opinio; qua quis ea agere negligit, quæ peregiſſe ſe putat. Idcircò Apoſtolico conſilio fretus. Quæ retrò ſunt obliuiſcens ad vlteriora quotidie, ac maiora virtutum ſtudia ſe extendebat.

VI. Eam in cibo, ac potu temperantiam ſeruabat; quæ ab arctiori abſtinentiæ lege, quæ tunc omnibus ferè in Religione communis erat, non abhorrens; omnem ab animo voluptatem, atque à corpore ſaturitatem excluderet: quam etiam in cunctis, tam expetendis, quàm fugiendis ita ſibi præſtituerat; vt cùm nullius prorſus rei, quæ ſub aſpectum cadit, cupiditate, aut poſſeſſione teneretur; animum ab omni perturbatione ſemotum gereret. Seraphicam quoque paupertatem, quæ quò perfectior eſt, eò magis hominem rebus omnibus exuit, tam arcto neceſſitudinis vinculo ſibi confœderatam habebat; vt in rerum penuria ac egeſtate maximam ſibi gloriam, ac voluptatem quæreret. Carnem verò, quæ cùm Deo, ac virtutibus inimica ſit, perpetuam cum vitiis ſocietatem iungit; tam ſeuera inediarum, vigiliarum, verberum, frigoris, nuditatiſque lege, ac diſciplina ſibi præſtituta coërcebat; vt iuxta Pauli conſilium, eam cum vitiis, ac inſanis cupiditatibus crucifigeret. Hinc ſpiritus in oratione, quam vbique tam indiuiduam ſibi comitem, ac familiarem adiunxerat: vt abſque ea neque ſtare, neque

viuere ſe poſſe exiſtimaret; velut è pondere emerſus, liberior ad Deum euolabat.

VII. Magno huic virtutum cumulo, feruens quidam charitatis zelus accedebat; quo ad prædicationis officium vocatus, omnes in eo curas, ac cogitationes defixerat; vt Euangelici canis inſtar, Domini gregem ſollicitè cuſtodiret: ouéſque à caulis errantes, ſuo latratu ad gregem compelleret. Vrbes, ac Caſtella feruido prædicationis ſpiritu percurrens, alios pellicit, alios terret, alios firmat, alios ex Orci faucibus eripit: quærit in compitis, quærit in carceribus, quærit in Xenodochiis: nunc in publica luce, & hominum frequentia concionatur; nunc pagos, & ſolitudines luſtrat, vt miſeram aliquam ouiculam errantem ſuis ipſe humeris ad gregem referat: cunctos lucrari, cunctos ſaluos facere; pro cunctis Mundo, & hominibus anathema eſſe optat: cunctos denique Cælo inferre, & ad Chriſti amplexum pertrahere poſſe expetit.

*Feruentiſſimè Dei Verbum diſſeminat.*

VIII. Scientiam illi potiùs diuinitus infuſam, quàm humano ſtudio ab eo acquiſitam, Bernardini Monſulmenſis teſtimonio, creditum fuit. Hinc tanta illi in dicendo à Deo vis inerat; vt ignis inſtar, hominum mentes adureret; & impiorum corda, velut diuini Verbi malleo contrita, ad ingentes pœnitentiæ fletus, ac lachrymas compelleret. Quamobrem ſæpè fiebat; vt præ audientium gemitu, & lachrymoſis clamoribus, qui ex ingenti peccatorum luctu, ac pœnitudine erumpebant; vix ipſius vox, inter prædicandum exaudiri poſſet. Ea verò Virtus eidem à Deo collata, in odiis, ac ſimultatibus effugandis, pacéque inter diſſidentes componenda, potiſſimùm enitebat. Ælia Ricina noua, quæ vulgò Macerata nuncupatur, tota odiis, ac factionibus diſciſſa erat: quæ cùm nulla vnquam illuſtriſſimorum Virorum opera, aut labore ſedari potuiſſent, Ciuium ſanguine, ac cladibus redundabat: quum Vir Dei, Quadrageſimalem ibi, in Dei Verbo diſſeminando, laborem impendens; poſt diuturnas preces, ac lachrymas, quas ante Prædicationis exordium ſemper Deo effundere conſueuerat, id diuina virtute aſſecutus eſt: vt ſublatis odiis, ac diſſenſionibus longè pulſis; ante ſacrum Dominicæ Reſurrectionis diem; editis publicæ concordiæ legibus, totam Vrbem in pace componeret: cuius pacis ſtatuta in hodiernum vſque diem; inter Vrbis monumenta leguntur. Hoc modo & in Oppido Sentini noui, & in Firmana Vrbe, cunctas inimicitias ſuſtulit, quibus antea ad deuaſtationem vſque diuexabantur; & ad communem concordiam, atque animorum conſenſionem compulit.

*Summa ipſi in dicẽdo vis à Deo indita.*

IX. Vir erat Firmi in Piceno, ex nobiliori illius Vrbis familia ortus; opibus potẽs, ac dignitate Sacerdos: moribus tamen ab ea dignitate tam longè diſcrepans; vt publico totius Vrbis ſcandalo, nec Sacris incumberet, nec diuina myſteria celebraret; nec tandem conſueto Eccleſiaſticorum Virorum habitu incederet. At neque is vlla vi, aut ratione, propter generis potentiam, adduci poterat; vt mores corrigeret, honeſtámque Clericorum vitam amplecteretur. Hunc ſæpè fruſtrà admonitum, Vir Dei, ſemel Concione abſoluta è ſuggeſtu vocat; atque in Dei nomine ad ſe venire imperat: cui cum paratum Biretum, quod Ordinis Clericalis inſigne eſt, impoſuiſſet; Clericalique illum veſte induiſſet: (Mirabile dictu!) Vir quaſi ex lupo agnus, ita diuina virtute mutatus eſt; vt Viro Dei obtemperans, ſumma omnium admiratione, honeſtiſſimam exinde in Clericali habitu vitam duxerit. Hæc cùm ex diuina potiùs, quàm humana virtute proficiſcerentur; Viri ſanctitatem, velut diuino teſtimonio probatam, prædicabant.

*Clericum ſcandaloſum diuina Virtute mutat, & ad meliorem frugem prouocat.*

X. Hac in Vrbe Virorum Sodalitatem, quæ Nigrorum appellatur, inſtituit; cui & leges, ac formam præſcripſit; quæ mirum in modum aucta, pleraque pietatis opera exercet; illuſtrioréſque Vrbis Viros complectitur. Alias quoque alibi Confraternitates erigit: quibus homines ad pietatem compellit. Quadraginta itidem Horarum Orationem, iam à Ioſepho Fernenſi inſtitutam, plurimùm ſua prædicatione illuſtrat.

XI. Hoc tẽpore, cùm multę Italię Vrbes, ob bella paſſim graſſantia, Hæreſũ erroribus

labeſa



labefactatæ eſſent: Vir Dei Bonauentura, totus zelo Fidei exæſtuans, omnem in iis abſtergendis operam nauabat: Quapropter cùm Mondulphi, quod Vrbinatis Status Oppidum eſt, acriùs in hæreſes inueheretur; venenum illi ab Heretico clam in vino propinatum fuit: à quo tamen diuina virtute ſeruatur. Hac etiam de cauſa, dum Auximi Hæreticos exagitat; quidam Legiſperitus hæreſi infectus; cùm Catholicam veritatem ferre non poſſet, publicè cœpit Viri Dei famam proſcindere, quaſi hæreſes ipſe prædicaret: at Virum repentè diuina vindicta præoccupat: etenim dum adhuc in Virum Dei debacchatur; is abſque vllius inimicitia noctu telis confoſſus, vitam cum ſanguine fundit: vt à Sacrorum hominum iniuriis, ac calumniis abſtinere diſcant, qui facilè in eos ora ſoluunt.

*Pro Catholica Fide aduerſus Hæreticos laborat.*

XII. Nonnulla hic Vir Dei, dum prædicat, Prophetico Spiritu futura prænunciat: ex quibus, quàm copioſè ipſius mens diuina luce perfuſa eſſet, exploratum fuit. Inter hæc illud enarratur, quod cùm in Oppido S. Agathæ Dei Verbum diſſeminaret; magnáque in eo flagitia perpetrari cerneret; ingens illis à Deo paratum flagellum præſignificat, niſi diuinam in eos iram concitatam, pœnitentia placandam curent: His cùm Oppidani minùs verbis intenderent; ſeueram Dei in ſe, paulò poſt, vindictam experiuntur. Tellus enim vaſto hiatu aperta, pleraſque Oppidi domos, ac prædia abſorbuit. Narnienſem quoque agrum annua grando, ac tempeſtas tam dirè vaſtabat; vt Regionem ferè ad ſolitudinem redigeret: quum Vir Dei Narniæ Dei Verbum prædicans, Quadraginta Horarum orationem iis amplectendam ſuadet; certámque illis à Deo opem pollicetur. Mox publico Vrbis conſenſu, Quadraginta Horarum Oratio indicta, tanto per omnes Vrbis Eccleſias pietatis ſenſu, ac Religione celebrata fuit; vt vndique vicinorum Oppidorum, ac Pagorum ad eam Populi confluerent: accedentibuſque Viri Dei ſermonibus, maxima in omnibus ad pœnitentiam commotio fieret: cæteris verò Oppidis ad Orationem ſponte confluentibus; cùm tria tantùm Oppida eò conuenire recuſaſſent. Totus quidem eo anno, Narnienſis Ager à tempeſtate liber, ſuis copioſè bonis potitus eſt: ſola tria illa Oppida, qua Orationi adeſſe contempſerant, dira grandine, ac tempeſtate conuulſa, impietatis ſuæ pœnas luunt. Veruntamen hæc quoq; diuina hac diſciplina erudita, cùm poſterioribus annis ad Orationem, quæ quotannis in Vrbe inſtituebatur, conueniſſent: communem quoque ipſa cum aliis Dei miſerationem, à tempeſtate immunia, commeruêre.

*Prophetico Spiritu futura prædicit.*

*Quadraginta Horarum Oratio Agros à tempeſtate liberat.*

XIII. Vir hic cùm prudentia, ac conſilio plurimùm præſtaret; Procuratoris Generalis in Romana Curia officium exercuit: ſæpeque Vicarij Prouincialis munus in Piceni Prouincia, magno cum Regularis obſeruantiæ incremento obiit: quo in munere cùm ſemel Vrbini, piis quibuſdam negotiis vacaret; impurus ille Satan, qui tot Viri virtutibus inuidebat, vt vniuerſas ſimul proſterneret, fortiſſimo illius caſtitatem ariete aggreditur. Mulier enim in ea Ciuitate nobilis, tametſi clam impudica, vix ſanctum Virum ante ſuam ipſius domum trãſeuntem aſpicit; cùm libidinis à Dæmone flamma accenſa, ſub cuiuſdam pietatis ſpecie illum in domum accerſit: & quaſi grauiora cum eo negotia pertractanda haberet, nihil mali ſuſpicantem in ſecretum cubiculum ducit: protinúſque in turpes amplexus ruens, Virum honeſtiſſimum, ac grauiſſimum ad peccatum pellicit. Obſtupuit primo aſpectu Bonauentura: cumque impudicam pellicem verbis à ſe remouere non poſſet; ferrea diſciplina, quam ſecum ſemper gerebat, explicata, mulierem aggreditur: quam tot multiplicatis per os, faciem, ac genas verberibus adoritur: donec nouo hoc exorciſmo, turpe hoc Dæmoniorum genus à muliere expelleret. Neque id fruſtrà: hoc enim adiurationis genere libidinis Dæmone effugato; ac mulieris impudentia propulſata; Vir Dei, honeſtatis trophæo de ſordido Dæmone reuecto, victor à muliere diſceſſit.

*Procurator Generalis in Romana Curia creatur.*

*In mulierem pudica libidinis Dæmonem compeſcit.*

XIV. Accidit verò poſt hęc; vt dũ in Conuẽtu Fani Guardiani munere fungitur: Fratrũ in nemore aliquando cõfeſſiones audiret. Vniuerſi iã ad Sacramentũ acceſſerãt: nec

*Fratrũ damnatorum animæ à Pœnitentiæ Sacramẽto aufugiunt.*

vllus audiendus ſupererat; cùm is geminos Fratres, per alteram nemoris viam, ad ſe venientes cernit: qui cùm ad eum propiùs acceſſiſſent, inquiunt: Nunquid & noſtras, Pater, ſcelerum Confeſſiones audire lubet? Quos cùm Vir Dei diligentiùs intuitus, iam defunctos eſſe agnoſceret, reſpondet: Lubet profectò; ſi vos abſolutionis Sacramentum iuuare poteſt. At ij protinus exclamantes: Heu, heu, dixerunt. Iam tempus abſolutionis præteriit, aufugit, euolauit; denſáſque per nemoris vias ſeſe in fugam dedêre.

Denique Vir Dei cùm triginta, & octo annos ſumma cum virtutum, ac ſanctimoniæ laude in Religione exegiſſet; Scapetianum proficiſcebatur: quum per Senogalliam iter faciens, ibi in morbum incidit: ex quo cùm ſe à Domino celeriùs vocari agnoſceret: deuotiſſima Sacramentorum expiatione mentem ad Domini occurſum præparat; cæleſtibus deſideriis inflammat; ac ſanctimonia clarus, ex huius miſeræ vitæ incolatu digreditur. Senogalliæ necdum eo tempore Monaſterium Capucinis extructum fuerat: quamobrem Senogallienſes Ciues, nota Viri ſanctitate commoti, ſolemnis funeris pompam decernunt; Defunctúmque Corpus, toto Senogallienſi Clero, ac Regularium Ordinibus ad funus confluentibus, Scapetianum, quod trium circiter milliarium ſpatio à Senogallia diſtat; magna totius populi veneratione, qui Viri Dei certatim Corpus oſculabatur, deferendum curant. Obiit Vir Sanctus fermè ſexagenarius: cuius corpus, ſexto poſt ipſius obitum anno, integrum, ac incorruptum repertum fuit: vt cuncti animam perpetuò incorruptionis munere fruentem intelligerent. XV.

*Sanctimonia clarus Scapetiani ex hac luce migrat.*

*F. PETRI VRBINATIS vita, & geſta.*

Poſt hunc ſecundus ſuccedit, in Piceni Prouincia, Fr. Petrus Vrbinas, Clericus: qui cùm vix ad quartum Religionis annum perueniſſet, hectica febre correptus, ægritudinis illius dolores, ac moleſtias patientiſſimo animo tulit: totque virtutum teſtimonia edidit; vt Fratres illius vitam, ac conuerſationem, velut Angelicam ſuſpicerent. Cùm itaque iam ad vitæ occaſum feſtinaret; tam multiplici, ac horribili à Dæmone tẽtatione mox exagitari cœpit; vt miſerandos ſtridores, ac gemitus ederet. Primam namque illi Satan, de tota Chriſtiana Fide, tentationem mouet: ſuadetque, quæcunque de futura, aut Beatorum, aut damnatorum vita dicuntur, aut credenda proponuntur; vana omninò ſomnia, ac ludicra eſſe; nihilque hominis poſt mortem ſupereſſe ſuggerit: cúmque tentationem adſtantibus Fratribus aperiret; ij pluribus eum rationibus aduersùs Dæmonem armant, multiſque eum apud Deum precibus iuuant. Hac porrò tẽtatione effugata: alteram Satan de diuinæ Miſericordiæ deſperatione excitat: nullamque ei ob præteritorum ſcelerum magnitudinem, quam illi animo importunè ingerit, clementiam à Deo ſperandam eſſe affirmat. Hæc cùm maiorem in ægrotantis animo anguſtiam pareret; occurrunt Fratres, ac Chriſti Sanguinem, Paſſiones, dolores, mortémque pro peccatoribus perpeſſam; ſacrarum quoque literarum teſtimonia obiicientes, ipſius animam aduersùs tentationem communiunt. Tertiò tandem numeroſæ Dæmonum turbæ, velut agmine facto in eum irruunt; omnique tentationum genere illum aggredientes, proſternere, atque à Deo auellere conantur. Stridebat, fremebat, ac miſerè eiulabat ægrotus, tot tentationibus vallatus; cumque ſummis ſe anguſtiis circumſeptum cerneret, ad Fratres clamabat: ferte opem, Fratres, ferte opem: En hi me Dracones degluriunt. Fratres verò dum omnes genuflexi, B. Virginis Litanias decantant, atque ad ipſius præſidium confugiunt: En protinus Virginis præſentia, Tartaream illam Dæmonum turbam effugat; tantáque in Petri vultu ſerenitas elucere cœpit; vt in eo Fratres velut Angelici vultus ſplendorem intuerentur. Mirabantur omnes, ac animi fulgorem, è facie ægrotantis reuerberantem conſpicabantur; cùm is mox ſuauiter exclamat: O, ô, fratres, quàm glorioſa Domina, quàm ſpecioſa Mulier, tota Sole amicta ad nos venit: Eia, Fratres, aſſurgite: date locum tot Virginum Choris, quæ Dei Matrem ſequuntur. En adſunt: tantámque, hæc dicens, voluptatem vultu, ac ver- XVI.

*Magnas in Morte à Dæmone tentationes patitur.*

*B. Virgo apparens Dæmones tentatores fugat.*





bis præſeferebat; vt iam nemo de B. Virginis Deiparæ, ac cæleſtium præſentia dubitaret: quo fit, vt omnes in genua procumbentes, lachrymas præ lætitia funderent; atque oculos in ægrotantis vultum intenderent: qui cùm faciem ad dexteram lecti partem deflexiſſet: En, ait, Beatus Pater Franciſcus, qui me ad Cæli delicias vocat: en ipſum teneo: hiſque in verbis ſuauiter in B. Patris ſinu animam efflat.

*A B. P. Frãciſco ad cæleſtes delicias vocatur.*

XVII. Tertium quoque, eadem Piceni Prouincia, ſuauiſſimum Deo, hoc anno fructum obtulit, Fratrem Ioannem Baptiſtam Eſculanum, Clericum: qui necdum ſecundum in Religione annũ renatus, tantam animi puritatem, vitę integritatẽ, morum præſtantiam, ac virtutum omnium excellentiam breui illo tempore aſſecutus eſt: vt in ipſa obitus hora, Beatiſſimam Dei Matrem, eum ad æterna præmia allicientem conſpexerit. Fructus quidẽ præcox, qui plenam ætatis maturitatem, necdum apud homines adeptus fuerat. At maturus Deo; quum eam, quam nondum contigerat, ætatem ſua virtute ſuperauit; maturuſque ad præmia acceſſit.

*F. IO. BAPTISTÆ Eſculani Vita, & Geſta.*

XVIII. Ex Genuenſi Prouincia, Regulari obſeruantia, ac multa virtutum ſegete diues, hoc anno ad Superos euolat, F. Petrus Ponceueranus, Laïcus: cui ante obitum B. Pater Franciſcus, pauperum conſolator apparet, eumque ad cæleſtia anhelantem, ad Coronam prouocat.

*F. Petrus Ponceueranus memoria clarus.*

F. Ioannes Sorianus, Sacerdos, hoc quoque tempore, ex Romana Prouincia ad cæleſtes Sedes euocatur. Huic ſæpè Virgo Virginum, in Oratione apparuiſſe dicitur: quæ dum ad dura omnia pro Deo toleranda, cæleſtibus illum verbis hortatur; futuram ac diuturnam illi ægritudinem prænunciat; qua purgatus, Cælum tandem conſcendere debeat. Putrido itaque vlcere percuſſus, ex quo tam fœtida ſanies effluebat; vt vix illius quiſquam fœtorem ferre poſſet; cùm admirabili patientia illius dolores, ac moleſtias, multorum menſium ſpatio, perpeſſus fuiſſet; tandem purgatus, ac probatus, inter cæleſtes riſus animam reddit; pro vlcere æternum gloriæ pondus, pro fœtore ſuauiſſimos cæleſtis Patriæ odores, ac voluptates laturus.

*F. Ioannes Sorianus Sãctitate conſpicuus.*

XIX. Rhegij quoque Prouincia, ſuos hoc anno groſſos parturit. In his prior emergit Fr. Hieronymus Rheginus, Sacerdos: qui in eadem Prouincia Vicarij Prouincialis Officio functus, plurimam in Regulari obſeruantia tuenda, atque augenda operam nauauit; Religionemque miris virtutibus illuſtrauit. Prophetiæ Spiritu clarus, pleraque fututa prædixit. F. Matthæo à S. Martino in Romanam Vrbem profectionem, ab eo necdum excogitatam; variaque, quæ ibi incommoda paſſurus erat, prænunciauit; quæ illi adamuſſim contigerunt. Cùm Nicaſtrum ad Dei Verbum diſſeminandum cum Socio pergeret; eidem eam extremam fore ſuæ prædicationis metam, diuinitus reuelat: idemque populo, dum prædicat, pro ſuggeſtu confirmat. Paulò poſt, cùm in ſupremum morbum incidiſſet; Eccleſiæ Sacramentis ſumma deuotione ſuſceptis, Nicaſtri mortalis corporis exuuias deponit: cuius corpus, in ipſius ſanctitatis teſtimonium, tam candidum, molle, ac tractabile poſt mortem euaſit; vt tenera pueri caro eſſe videretur: quæ nouam in Cælo ſe natiuitatem aſſequutum fuiſſe declararet.

*F. HIERONYMI Rhegini Vita, & geſta.*

XX. Poſterior verò, hoc ipſo anno, dignus Deo fructus erumpit, F. Angelus à S. Martino, Thurij noui Pago. Hic dum puer cum aliis coætaneis in cuiuſdam Oppidani Agro colluderet, ſeueriores Viri cuiuſdam minas extimeſcens, cùm ab eo fugeret, in altum ſe præcipitiũ imprudens donat: à quo tamen B. Virginis illi apparentis ope, ac præſentia liberatur: quapropter vix ad ſextum decimũ annum peruenit: cùm cæleſtis haud immemor beneficij, diuinis ſe obſequiis mancipat; erumpenteque in Calabria Capucinorũ Reformatione, primus inter Sęculares homines à Ludouico Rhegino, Calabræ Reformationis Apoſtolo, in Capucinorum militiam cooptatur. Primæuas hic illas perſecutionum procellas, quibus antiqui illi Calabriæ Patres tam immaniter iactati fuêre; cùm intrepida & incredibili animi, con-

*F. ANGELI à S. Martino Vita, & geſta.*

ſtantia toleraſſet; tam ingentia in omni virtutum genere incrementa dedit: vt illum velut quoddam totius Religioſæ perfectionis prodigium, atque exemplar vniuerſi ſuſpicerent; atque in eum animos intenderent. Theologica poſt hæc diſciplina imbutus, ad diuini Verbi prædicationem vocatur: quo in munere, cùm perfectioris vitæ exempla cum Dei verbo coniungeret; atque Euangelicam prædicationem cum Apoſtolico cæleſtis conuerſationis ſpiritu maritaret, ita præcelluit; vt propè innumerabiles Chriſto Filios genuerit. Hinc enim tanta illius verbis, ad hominum animos immutandos, & à vitiis deterrendos, vis diuinitus indita erat: vt Propheticum illud, cæleſti ſibi dono collatum, enunciare poſſet, *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis? & quaſi malleus conterens petram?* Eccleſiarum ſpacia ſæpe ob confluentes populorum turbas, prædicanti nimis anguſta erant: quo fit, vt nonnunquam, vel in plateis, vel in agris Dei Verbum proponeret. Caulonæ, quæ Vrbs eſt Magnæ Greciæ, cùm Dei Verbum diſſeminaret; Eccleſiáque innumeram populi multitudinem, ad prædicationem vndique confluentem, non caperet; in agro prædicare cogitur. Æſtiuum tunc tempus erat: Soliſque radiis aperto aëre exæſtuantibus, populus calore exurebatur; cùm Angelus nubecula, quæ procul diſtabat, conſpecta: breui Deum oratione ita precatur. Rex Cælorum Deus; tu olim Filios Iſraël, per deſerta incedentès, nube per diem, ne ſolis ardoribus adurerentur, protexiſti: haud te ſanè, etiamnum tua potentia deſeruit, aut clementia effugit: An non populum hunc, quem ad diuinum Verbum huc audiendum adduxiſti, his Solis ardoribus iam propè aduſtum cernis? Impera, obſecro; vt nubes illa, quam procul in Occidente aſpicimus, huc feſtina accurrat; Solis radios temperet; ſuumque nobis opportunè vmbraculum præſtet; donec Verbi tui prædicatio abſoluatur. Mira quidem, at vera refero: vix has Vir Dei toto audiente populo, Deo preces obtulerat: cùm nubecula illa repentino motu ab Occidente recedens, Soli occurrit; ac velut tentorium in aëre expandens, ſolares radios coërcet; tandiuque populum obumbrat, quoad peracto ſermone, populus miraculo obſtupefactus, diuinamque benignitatem commendans, abſcederet. Hoc modo cùm Vir Sanctus Deum ſuæ prædicationis teſtem haberet; eo fiebat: vt mirabiles in hominum animis pœnitentiæ fœtus ederet.

*Feruentiſſimus diuini Verbi Prædicator.*

Hierem. 23.

*Nubem, ad Solis ardorē temperandū, à Deo impetrat.*

Id Dæmon hominum hoſtis, ac perpetuus diuinæ gloriæ perduellis, cùm moleſtiſſimè ferret; omnibus, quibus poterat, viis Viri Dei prædicationem impedire conabatur: quamobrem dum aliquando, in ſua S. Martini patria, Dei Verbum in agro extra Oppidum diſſeminat; Satan ingentem Cælo tempeſtatem parat, quò populum, iam vndique ad audiendum Dei Verbum collectum, à propoſito exterreat. Animaduertit Vir Sanctus, diuino lumine perfuſus, iniqui Satanæ conſilium; vniuerſoſque, qui iam fugam parabant, immotos, atque imperterritos ſtare iubet: mox ad nubes conuerſus, in eas Crucis ſignum vibrat; cuius virtute, illis quatuor in partes, iuxta Crucis figuram, quam formauerat, diſperſis; tota illa tempeſtas, à Diabolo excitata, diſſoluta fuit. XXI.

*Nubiū tempeſtatem ſigno Crucis diſſoluit.*

Hoc in loco accidit; vt dum in fraterna domo cum germano Fratre colloquitur; Viri Dei Socius, qui plurima virtutum luce apud Deum emicabat; in ſecretum cubiculum ad orandum ſecederet: quò cùm Fratris vxor acceſſiſſet, illum in extaſim raptum, ac toto corpore è terra ſublatum cernit: quo aſpectu mulier perterrita, cùm feſtina ad Virum Dei cucurriſſet, eique factum narraſſet. Sile (inquit Angelus) is cum Deo totus eſt; ne delicias eius perturba. Neque enim id, ea præſertim Religionis tempeſtate, quæ ſanctis vndique Viris ſcatebat; nouum, aut inſuetum erat: quo fit, vt multorum, qui cæleſtibus huiuſmodi Dei donis fruebantur, nulla ſcripto memoria exarata fuerit. XXII.

*Ipſius ſocius orans in aëra rapitur.*

Poſtremò hic Dei ſeruus, cùm præclariſſimis vitæ perfectioris exemplis Calabriæ Prouinciam, & cum ea Religionem, ac Dei Eccleſiam clariùs illuſtraſſet: Euangelicáque prædicatione fœcundam præſtitiſſet: præſignificata, quam diui- XXIII.





nitus acceperat, ſui obitus hora, Meliti in morbum incidit; morbique, qui diutinus fuit, doloribus, ac moleſtiis patientiſſimè toleratis, ac optimè animo diſpoſitus; cùm iam inſtante morte, Dæmonem humani generis hoſtem videret; eidem his verbis inſultare cœpit. Ad frænum Satan, ad frænum: Tuus hic locus non eſt. Tum verò ſublatis in Cælum oculis, cùm Deo de collatis beneficiis, ac præſertim de vita in Religione tranſacta, gratias egiſſet, eique illis Chriſti verbis, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum,* animam commendaſſet, in Conuentu Meliti, ex hac lugubri vita decedit, meliorem in Cælo conſecutus. Poſt ipſius obitum Fr. quidam Timothæus à Galatro, noctu Orationi vacabat: quum in mentis exceſſum raptus, Angelum cæleſti luce efflulgentem, in ſuprema Sancti Sanctorum parte, altiùs eminere conſpicit; quem cùm his verbis compellaſſet: Heus Angele, quid eſt, quòd tam excelſo loco ſtas? Reſpondet Angelus: in cæleſti patria inter Angelos ſedeo.

*Dæmonem in morte expellit.*

*Ipſius gloria Fratri reuelatur.*

XXIV. Sicula Prouincia ſuos quoque hoc anno illuſtres Cælo fœtus dedit: inter quos primus fuit, Fr. Alexander Catanenſis, Clericus: flos vtique Religionis recens, ac pullulans: qui licèt nondum toto ſuo ſplendore ex gemmis, ac vaginis emerſiſſet; ſed partim quidem iam enituiſſet, partim verò in lucem emerſurus ſperaretur: qua tamen ſui parte reſplenduit, tot ex ſe virtutum ſplendores edidit; vt ſeipſum, iuueneſcentemque adhuc ætatē ſuperaret. Tantæ enim ſanctitatis fuit; vt humilitate, ſui contēptu, vitæ auſteritate, paupertate, obedientia, Orationis ſtudio longè alios antecelleret. Tanta honeſtate præditus; vt nec ipſe vllius vnquam Mulieris, poſt Religionis ingreſſum, aſpectū viderit: nec ipſius faciē vlla vnquam Mulier intueri potuerit. Quapropter Tertiariarum Miniſtra, eximię ſanctitatis Mulier, Agurij cùm ſummoperè Alexandri aſpectu frui cuperet; id nunquam, niſi poſt ipſius obitum, aſſequi potuit. Cùm enim in eodem Aguriano Conuentu honeſtiſſimus Iuuenis, poſt nonnullos moleſtæ ægritudinis dies, quam patientiſſimo animo tulit, ſancto fine quieuiſſet: qua hora ipſius anima à corpore ſoluta fuit; Miniſtræ noctu oranti ſplendida, ac glorioſa apparuit, his eam verbis compellans. Miniſtra: En ego hac hora Cælum conſcendo, ſi faciem meam intueri cupis, primo mane ad Eccleſiam perge: quò cùm illa diluculò conceſſiſſet; Alexandri defuncti corpus iam in Eccleſiam delatum ... endit. Interrogat illa, qua hora Alexander è viuis exceſſit; eamque prorſus eſſe deprehendit; in qua ille ſibi oranti glorioſus apparuerat. Huius ſanctitatem plurimis poſt ipſius mortem miraculis Deus teſtatam eſſe voluit. Etenim ipſius Coronæ contactu, plerique variis morbis laborantes, à Deo incolumitatem adepti fuêre.

*F. ALEXANDRI Catanenſis Vita, & geſta.*

*Eximia ipſius honeſtas ac cætera virtutes enarrantur.*

*Ipſius gloria poſt mortem Tertiariæ reuelatur.*

XXV. Nec minori in eadem Prouincia ſanctitate floruit, Fr. Iuo Meſſanenſis, Sacerdos; cuius vita planè admirabilis fuit. Tam enim ſeuera diſciplinæ lege, carnem ab omni ſenſus voluptate cohibebat; vt inter ipſos hyemis algores, nullo vnquam præterquam veteri, atque obſoleto habitu, eoque ſimplici abſque tunica vſus fuerit: quo corpus potiùs obtegere, quàm à frigore tueri videbatur. Horridum cilicium, ex pilis ſuillis, ad medium abraſis, diu noctuque geſtans, ſub eo cingulum ferreum in tyrocneſtis modum perforatum, acutiſque acuminibus ad lumbos admotis gerebat. Tabula illi pro ſtrato, ac lignum ſubereum pro puluinari, cùm fatigata membra quiete recreare vellet; vſque ad mortem perpetua fuêre: quo tempore, non extento corpore; ſed ſedens duntaxat, breuiſſimos ducebat ſomnos. Etenim poſt trium, vel ad ſummum quatuor horarum quietem ſurgens, reliquam noctis partem in Oratione, ac diuinis laudibus diſpenſabat. Incredibili corpus abſtinentia, quoad vixit, extenuauit: cùm enim toto anni tempore ieiunaret, ſæpiſſiméque nihil præter panem, & aquam ſibi ad victum adhiberet; tres cuiuſlibet hebdomadæ dies omni cibo vacuos ducere ſolebat. Quanquam verò tam arcta ſemper ieiunia coleret; arctiora tamen erant, quæ in Beati Archangeli Michaëlis honorem, quem is præcipua deuotione proſequebatur; quotannis celebrare ſolitus erat.

*F. IVONIS Meſſanenſis Vita, & geſta.*

*Admirabilis vitæ ipſius auſteritas.*

XXVI.

*Archangeli Michaëlis ſæpè colloquio fruitur.*

Huius Archangeli tam familiariter colloquio potitum ferunt: vt cum eo ſæpenumerò, quaſi amicus cum amico, ſermones conferret: à quo etiam plurima, quæ futura erant, didiciſſe compertum fuit. XXVI. Quo tempore Melita Inſula Turcarum obſidione premebatur, (id verò fuit anno 1565.) aſſiduas Iuo pro ea ad Deum preces, ac lachrymas fundebat: ſuóque Archangelo interceſſore apud Deum conſtituto, eundem ſedula oratione pulſabat: cùm eidem Michael Archangelus, fulgentibus vndique armis præcinctus apparens, breui Inſulam ab hoſtium obſidione liberandam pollicetur, his verbis: Iuo, æquo animo eſto: Melita, poſt aliquot obſidionis menſes, à Barbarorum furore liberabitur. Veritatem exitus probauit: nam obſidio à Turca menſe Iunij inchoata, poſt paucos menſes, menſe Nouembri anni 1566. ſoluta fuit.

*Melitæ obſeſſæ liberatio illi à S. Michaële reuelatur.*

XXVII. Iuonis pater, nonnullis antea annis corpore exceſſerat: de cuius cùm is ſalute ſollicitus eſſet; impenſiùs Archangelum rogat; vt quid de patris ſalute actum ſit, ſibi ex ſua benignitate innoteſcat: mox illi Archangelus è Cælo adeſt: qui patris animam, poſt viginti, & vnius diei purgationem, in Cælum receptam affirmat. Mira ſunt, quæ Sanctus hic Vir, cæleſtis Archangeli interceſſione, à Deo munera tulit. Extremis ſuæ vitæ temporibus, dum in Archangeli ſui honorem, Quadrageſimale (vti ſolebat) ieiunium arctiſſimè obſeruaret: præteritorum criminum à Deo, multo lachrymarum imbre, veniam poſtulans, pro ea Michaelem interceſſorem interpellat. Cui Archangelus Lucidiſſimus apparens, ait: Solue metu animum, Iuo: iam enim à Deo plenam peccatorum indulgentiam conſecutus es. Quo nuntio tanta in animo voluptate perfundi cœpit, vt nihil deinceps, præterquam Dei laudes decantaret.

*Patris defuncti ſalutem à B. Michaële diſcit.*

XXVIII. Cæterùm quanti apud Deum ponderis ſancti huius Viri merita eſſent, eo ſanè exploratum fuit: quòd Nobilis quidam, benè de Religione meritus, cùm inter viuos agere deſiiſſet; Iuo quotidiana pro ipſius anima Deo ſacrificia, ac lachrymas offerebat. Dum itaque aliquando attentiùs, ante ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Altare, pro ea Dominum oraret: En defuncti anima ſeſe illi viſibilem præbet, hiſque eum vocibus affatur: Iuo, magnus è Cælo tibi Dominus retribuat: maximas ego quoque gratias perſoluo: quandoquidem precum tuarum ſuffragio, à Purgatorij pœnis liber, iam Cælum conſcendo.

*Defuncti animam ſuis precibus à Purgatoria pœna liberat.*

XXIX. At neque illud minùs huic argumento deſeruit: quòd mulier quædam, Mariana Cottignola nomine, Dei Viro deuota, quæ plurimos cum coniuge annos abſq; liberis tranſegerat; ex quo quotidianas à Viro moleſtias patiebatur: cùm obnixè ab Iuone peteret; vt ſuis ipſe precibus illi à Deo prolem impetraret. Iuo vbi diuinæ eam potiùs voluntati ſe ſubdere, ac patienter omnia ſuſtinere perſuaſit; ad eam tandem ait: Mariana, quandoquidem tanta te prolis cupiditas tenet; bono animo eſto: breui ex Dei benignitate maſculum paries. Credit mulier: cúmque vix elapſo menſe fœtum in vtero concepiſſet, maſculum tandem ſuo tempore parit.

*Mulieri ſterili prolem à Deo impetrat.*

X X X. Cùm igitur hic Dei ſeruus, plurimos, magna cum vitæ ſanctimonia, in Religione annos exegiſſet; ad vitæ finem appropinquans, ab Archangelo Michaele obitus ſui diem poſtremum accipit: quem cùm digna ac ſingulari animi pietate complexus eſſet, tandem in Conuentu Meſſanæ res mortales deſerit; vt ad immortalium poſſeſſionem concederet. Poſt huius ſancti Viri obitum, ſuauiſſimus ex illius ſepulchro, multo tempore odor emanauit: vigeſimo verò poſt hæc anno, cùm illius ſepulchrum apertum eſſet; integrum, atque vndique incorruptum ipſius corpus repertum, quanta viuentis ſanctitas fuerit; qualique apud Deum defunctus gloria perfrueretur, non obſcurè declarauit.

*Corpus ipſius poſt mortem ſuauiſſime olet.*

F. SEBA



## F. SEBASTIANI A GRATTERIO, Vita, & Geſta.

*F. Sebaſtianus à Gratterio, ſanctimonia, & Miraculis præclarus.*

XXXI. Tertius ex Siciliæ Prouincia, hoc anno, ad cæleſtes Sedes euehitur, Fr. Sebaſtianus à Gratterio, Sacerdos, Vir ſanctimonia, & miraculis illuſtris. Hic ex Minorum Ordine, qui de Obſeruantia nuncupantur, inter ipſa Religionis primordia ad Capucinos accedens; numero octauus fuit, ex iis, qui Siculæ Prouinciæ nomina dedêre. Admirabilis in eo fuit vitæ rigor, incredibiliſque in ſeipſum ſeueritas: quo fiebat, vt non modò, quæ honeſtæ voluptatis ſunt, corpori denegaret; verùm & quæ neceſſaria videntur, naturæ ſubtraheret. A carnibus enim, præterquam in Paſchatis, Pentecoſtes, ac Natalis Domini diebus, ob Sacrorum illorum dierum lætitiam, tametſi perpetuò abſtineret; ac quotidianis inediis, iiſque vt plurimùm, ad ſolum panem, & aquam contractis vacaret: hæc tamen ſibi ad carnis macerationem haud ſufficere putabat; niſi integros quoque tres hebdomadæ dies, nullo cibi eſu tranſigeret. Cumque hac corpus inedia affligeret; carnem tam dira ſingulis noctibus flagellatione cædebat; vt totum circum circa flagellationis locum ſanguine conſpergeret: Sacro tamen Veneris die, ob Dominicæ Paſſionis memoriam, familiari flagello alterum ſingulare addere ſolitus erat, ex ſpinoſis mali granati virgis confectum: quo tam ſeuerè ſeipſum excarnificabat; vt dorſi cute diſrupta, perpetuam ferè in ſcapulis plagam gereret.

*Admirabilis vitæ illius auſteritas, ac carnis macerationes deſcribuntur.*

XXXII. Nihil hac flagellatione Satanæ moleſtiùs erat; qua cùm ipſe acriùs flagellaretur; odium in eam conceptum aliquando hoc facto declarauit: Semel enim peracta flagellatione, cùm Sebaſtianus habitum, quem exuerat, nullibi reperiret: Satanæ artem eſſe ſuſpicatus, face accenſa, omnes Eccleſiæ angulos, ac ſecreta fruſtrà rimabat; cùm fortè oculos altiùs attollens, eum à Dæmone in excelſam Eccleſiæ trabem delatum cernit. Inuidus ſiquidem Satan, cùm Virum Dei alia ratione à flagellatione prohibere non poſſet; hac ſaltem arte deludere, atque ab ea abſterrere nititur.

*Satan illius flagellationẽ conatur impedire.*

XXXIII. At neque his carnis afflictationibus ardens Sebaſtiani ſpiritus contentus erat: vt enim omnem corpori in dormiendo, quæ honeſtè illi indulgeri poterat, voluptatem ſubtraheret: non ſtramen, neque fœnum; ſed nudas tantùm tabulas ſibi ſubſternens, lignumque capiti ſupponens, ita ſedens quieſcebat; vt ad meditationem potiùs, quàm ad quietem compoſitus videretur. Hoc modo cùm parciſſimo ſomno vteretur, longas in Oratione, quæ vbique etiam illi familiaris erat, vigilias ducebat: in qua tanto in Deum charitatis æſtu ferebatur; vt plerunque in mentis exceſſus raperetur. Glorioſiſſimam Cælorum Reginam, præcipua Religione, ita ab initio colere inſtituit; vt quoties illi per Eccleſiaſticas leges liceret; Sacra ſemper ad ipſius honorem faceret. Sexta verò feria, Miſſam de Paſſione Domini, tanto pietatis ſenſu celebrare ſolitus erat; vt copioſos in ea ſemper lachrymarum imbres effunderet. Hinc contigit aliquando, vt illius celebrationi incumbens, cùm ad eam Miſſæ partem perueniſſet; in qua ter Agnus Dei inuocatur: Chriſtus Dominus purpura indutus, ſpinis Coronatus, Ferrea catena à collo pendente, manibuſque poſt terga reuinctis, totus ſanguine conſperſus, illi in Hoſtia appareret: eo planè modo, quo eum Pilatus ad Populi olim conſpectum produxerat, cùm diceret: *Ecce Homo.* Quo aſpectu, tam ingenti dolore mens ipſius protinus liquefacta fuit; vt in immenſos ſingultus, ac lachrymas erumpens, verba vberiùs proferre non poſſet; donec Hoſtia ad propriam accidentium formam redeunte, flebile illud Domini ſpectaculum ab eo receſſit: atque inde factum eſt, vt nunquam deinceps Sacra celebraret, quin ab ipſius oculis copioſa lachrymarum flumina erumperent.

*B. Virginem ſumma pietate colit.*

*Chriſtus illi celebranti in Hoſtia apparet.*

XXXIV. Plerumque etiam Beatiſſimæ Virginis, ac B. Patris Franciſci aſpectu, ac collo-

quio

*B. Virginis, & B.P.Frãciſci viſione potitur.*

quio potitus eſt;quò feruens ipſius ſpiritus magis in dies ad Dei charitatem accendebatur. Gibilmannæ cùm aliquando grauiſſimè ægrotans, ardentiſſimo febris calore exæſtuaret;fontis,qui propè B.Virginis ædem defluebat,aquam peroptabat. Hyemis tunc tempus erat : Regioquè circumquaquè niue obſeſſa, viam fratribus intercluſerat, qua ad fontem pergere, ex eoque aquam haurire poſſent : veruntamen haud Viro Dei, quæ afflictorum conſolatrix eſt, Deipara defuit; quæ ægrotanti ſeruulo ſuo apparens, vas illi aquæ cæleſtis propinat; quam dum ſitibundus ebibit, mox incolumis è lectulo ſurgit; ſuæque liberatricis benignitatem piis laudibus,ac gratiarum actionibus proſequitur.

*Hoſtium iacula impedit, ne ſuos feriant.*

XXXV. Poſt hæc accidit;vt per Fretum Siculum nauigans, nauis, qua vehebatur,in Piratas incideret : qui cùm vndique nauigantes ſagittis inuaderent; Vir Dei ſe ex oppoſito in hoſtium conſpectu collocans, iacula,quò minùs cæteros ferirent, prohibebat : cumque tot in eum ſagittæ eiaculatæ eſſent, vt nulla amplius hoſtibus ſupereſſet; cunctæ ad ipſius pedes cadentes,nullum neque ſibi, neque aliis vulnus intulêre:quo factum eſt, vt Piratæ præda tandem deſperata abirent. Porrò qui in naui erant, B. P. Franciſcum ante Virum Dei ſtantem, ac hoſtium ſagittas pallio excipientem,conſpiciebant:ex quo maximas Deo,ac eorum liberatori gratias reddidêre.

*Futurã Caſtroboni peſtẽ prænunciat.*

XXXVI Prophetico ſpiritu clarus, multa, quæ in Dei conſilio latebant, prædixit. In his fuit maxima quædam hominum ſtrages,quæ peſtifero morbo graſſante,Caſtroboni deinde ſecuta eſt. Cùm Gibilmanæ Guardianus, Nouitiorum educationi incumberet;Nouitium quendam incolumem,ac beneualentem intuitus,eum ad Noſocomium mittit;ſtatimque illi peccatorum confeſſionem indicit; Sacro Viatico refici iubet : atque etiamnum incolumi, tertium diem ſupremum fore nunciat. Ridebant Fratres Senis imperium; cùm Nouitium optimè valentem, ac robuſtum cernerent : at dictorum veritatem paulo poſt rei exitus confirmat : tertia enim dies Nouitium è medio tollit. Marchioniſſa Caſtroboni aliquod de patre, iamdiu abſente,nuncium optabat;quæ cùm Sebaſtiano,inter colloquendum hoc mentis deſiderium aperuiſſet; eidem Vir Dei non tam nuncium,quàm patris aduentum breui futurum pollicetur:quo illa vix biduo elapſo potita fuit.

*Nouitio beneualẽti poſt triduũ mortem annunciat.*

XXXVII. Multa Vir Sanctus tum viuens, tum defunctus miracula edidit : quæ cùm ex veterum Siculæ Prouinciæ Patrum potiſſimùm memoria penderent : iis vita defunctis,cum his ea quoque maxima ex parte interiére: ita vt vix pauca ad nos ſalua peruenerint. Inter hæc illud enumeratur. Quòd dum Caſtroboni Capucinorum Conuentus extrueretur; vixque Fratres aliquas domus officinas tegulis operuiſſent.Inſanus quidam mentis furore correptus,muro conſcenſo,tegulas comminuebat; ingentéſque clamores, ac ſtrepitus edens, in tectum præ inſania deſæuiebat; Cùm Vir Dei cum aliis familiæ Fratribus eò accurrens, mente captum domus tectum deuaſtantem cernit : quem cum proprio nomine vocatum ad ſe accedere iuſſiſſet; is Patris vocem audiens, confeſtim è tecto deſcendit; atque ad illius ſe pedes proſternit. Cui Sebaſtianus : Cur,ait,Fili mi, pauperum domum deſtruis? Num ad hæc te amentia compellit? Verùm iam mentem accipe, vt à cœpto deſiſtas : dextráque illius capiti impoſita, integra, ac ſana illi mens reſtituta fuit.

*Inſanum ſigno Crucis ad mentem reuocat.*

XXXVIII Aliud quoque illuſtre miraculum ab eo patratum narratur. Cùm enim Vir quidam,qui tam graui oculorum morbo laborabat; vt eorum penè vſu careret,ad Virum Dei veniſſet; ab eoque vt ſignum illi Crucis impertiret, multis precibus poſtularet. Vir ſanctus quaſi cum eo colludens,ait: Quid tibi oculorum incolumitatem petis? Annon ſani tibi oculi ſunt? Vbinam plagæ? Vbi tumores? vbi rubedo? quæ colliriis indigeant, in iis ſeſe offerunt? Cui laborans: Intus,inquit,ô Pater,cauſa eſt: externa florent, interna languent :claros oculos cernis; at hi te ipſum præſentem intueri nequeunt. Haud ita erit, inquit Vir Sanctus : tua te opinio fallet:

*Cæco oculorum lumen reſtituit.*





neque enim tam claris oculis cæcitas diutiùs ineſſe poterit. Interea, dum hæc diceret, frontem illius quaſi feſtiuus vna manu comprimens, altera Signum Crucis oculis impendit : quo facto cùm cæcitas repentè ab eo fugata eſſet, is ſtatim exclamare cœpit : Deo immortali gratiæ, qui mihi oculorum lumen reſtituit. En Pater, omnia integrè cerno. Cui Sebaſtianus : Sapienter agis, cùm integrè omnia ad Deum refers : itaque Deum collauda.

XXXIX Magna in hoc Sancto Viro erga Deum fiducia; mira quoque in eo Orationis virtus elucebat; qua vniuerſa à Deo impetrare ſe poſſe confideret : Id exemplo manifeſtum fuit:nam in Gibilmannæ Conuentu,quem is aliquãdo moderatus fuit; cùm in Sacro Dominicę Reſurrectionis die,nihil Fratribus obſonij ſuppeteret,quo Familia in tam Solemni die recreari poſſet : Vir Dei oculis ad Deum ſublatis, ad diuinæ benignitatis penum confugit:moxque magna Palumborum multitudo altiùs in aëra euolare conſpicitur:qui vbi ſupra Conuentus clauſtra volatu peruenêre : En repentè ferox quidam Accipiter à tergo erumpens,eos inſequitur:totque ab eo interfecti inter Monaſterij Clauſtra cadunt, quot in ea Familia Fratres eo tempore numerabantur. Res planè admiratione digna fuit : quæ vniuerſos, qui huic læto ſpectaculo præſentes aderant, ad Dei benignitatem, ſummis laudibus efferendam, prouocauit. Hoc pacto Fratres, velut Dei conuiuæ,corpus, animumque cæleſti dono recrearunt. Hoc ipſo in Conuentu, eodem Guardiano,accidit; vt ob niuis copiam, quæ viam mendicationi obſtruxerat, Familia omnibus vitæ tuendæ neceſſariis careret:at Sebaſtiano ad Deum precibus clamante, ſporta pane candido, ac recenti plena, in ipſo Eccleſiæ limine reperitur; nullo penitus hominis veſtigio, cuius opera ea delata fuiſſet, in niue deprehenſo.

*Fratribus in Die Paſchatis à Deo obſonium impetrat.*

*Panem Familiæ ſuis precibus à Deo exorat.*

XL. His itaque, Vir Dei, tot diuinis teſtimoniis confirmatus; cùm diutiùs, quaſi Balſamum fragrans, cæleſtium virtutum odorem in Religione ſpiraſſet : ac velut lilium ſuauè olens, intra Siculos hortos iucundiſſimè redoleuiſſet : tandem, in Conuentu Caſtroboni, aduerſa valetudine affligatur; qua ingraueſcente, cùm languor ſupremum illi diem indiceret : eo tempore tam verbis, ac vultu iucundus apparere, totque Deo laudes occinere cœpit; vt mortem non tanquam vltimum terribilium horrere; ſed tanquam ad immortalem vitam, viam expetere videretur : Hinc ea ſæpè Apoſtoli verba ore repetebat, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Denique cùm ſic inter mortales verſatus eſſet, vt beata immortalitate omnium conſenſu digniſſimus eſſet : Fratribus omnibus ſupremo vale dicto, ex huius corporis domicilio migrat, ſempiternam in Cælo vitam acturus. Cuius rei teſtis fuit Frater quidam, qui in Corſicæ Prouincia, quo tempore is Caſtroboni è viuis exceſſit;Sebaſtiani animam inter Beatorum Choros in Cælum ferri conſpexit : Porrò vix Sebaſtianus humana deſeruit, cùm lues, quæ eouſque Caſtrobonum occupauerat, abſceſſit; ac velut Sancti huius Viri morte, defuncta eſt. Caro verò ipſius poſt mortem tam mollis, ac tractabilis euaſit; vt infantilem teneritudinem præſeferret. Cùm autem maxima apud omnes, de Sebaſtiani ſanctitate, opinio percrebuiſſet; vix illius ad Deum tranſitus fama in Vrbe audita fuit; cùm turbæ ad Defuncti corpus confluentes, illius habitum, capillos, barbam, vngues ſumma deuotione præſcindunt : tantoque impetu in corpus ruunt; vt vix illud Fratres è turbarum manibus eripere, nevè in fruſta diſcerperent, prohibere potuerint. Neque id fruſtrà : plurimi enim ægrotantes, qui has Sancti Viri reliquias contigerant; illius apud Deum merita implorantes, membrorum ſanitatem conſequuntur : Deo ſignis, ac virtutibus Serui ſui ſanctitatem, ad ampliorem ſui gloriam, conteſtante.

*Vultus Hilaritatem in morte demonſtrat.*

*Ipſius gloria Fratri orãti reuelatur.*

*Poſt mortem Miraculis emicat.*

XLI. Quartus his,in eadem Prouincia, accedit, Fr. Paulus à Francauilla, Sacerdos: qui ex diuturno corporis languóre, vnde plerique animi tædium, ac ſpiritualium exercitationum remiſſionẽ contrahunt;maiorem animo virtutem cõparauit:ita vt

*F. PAVLI à Frãcauilla Vita, & geſta.*

virtus illi ex infirmitate progenita,in ea ad perfectũ excreuerit.Diutina enim paralyſi laborans,tam cæleſtem,in morbi illius moleſto languore, vitæ rationem inſtituit; vt infirmitas ad virtutem, non ad languorem illi data videretur. Abſtinentiam infirmus tam admirabilem coluit; vt vniuerſa Sancti Franciſci ieiunia, quæ inuiolabili lege obſeruabat; ſæpiſſimè in pane, & aqua celebraret. Paupertas, tam ſtudioſum illum vilium rerum ſectatorem effecerat; vt cùm membra paralyſi diſſoluta foueri opporteret; is non alio præterquam rudi panno, ac vetere ſemper obtegeret. Chorum, quem pedibus adire non poterat, ligneis fulcris ſubalaribus ſubnixus, diu noctuque frequens petebat. Id cùm Satanas moleſtiſſimè ferret; ad maiorem illius patientiæ probationem, & laboris Coronam, ſæpè illum è gradibus deiicit,vt à Choro abſterreat. At Paulus diuina virtute confirmatus, de inuido hoſte trophæa refert. Orationi præterea tantoperè animum aſſueuerat: vt vel in Eccleſia, vel in Cella perpetuò oraret. In Oratione verò tot lachrymarum imbres fundere ſolitus erat; vt lachrymarum alueos in genis geſtaret.

*Infirmitate diuturna à Deo probatur.*

XLII. Nonnulla viuus Miracula edidit. Nam in Platienſi Vrbe, puer quidam trium annorum, qui tam grauiter ſtrumis laborabat; vt ab iis penè guttur corroſum gereret: à patre ad Paulum perducitur; qui cùm ter puerum Signo Crucis benedixiſſet; ab eo morbo, qui incurabilis cenſeri ſolet, tam perfectè conualuit; vt nec morbi cicatrix eidem in carne relicta fuerit. In eodem Oppido, pauperculus quidam iumentum amiſerat;cuius opera, ac vectatione ſe, ac familiolam ſuam ſuſtentabat. Hic cùm toto integro menſe, equum diligentiſſimè conquiſitum, inuenire nunquam potuiſſet: ſpe omni deſtitutus ad Paulum venit, eique ſummas animi ſui anguſtias indicat: qui erga eum miſeratione commotus: Vade, inquit, æquo animo eſto; Deus Opt. Max. equum tibi,tuæque familiæ reſtituet. Cui ille: Serue Dei, miſerere, quæſo, paupertatis, ac inopiæ meæ. Subiecit Paulus: Antequam craſtina illuceſcat dies, equo tuo potieris. Abiit ille noua ſpe plenus: Paulus verò Dominum rogans, id ſua Oratione aſſequitur: vt cùm primùm die illuceſcente pauperculus è domo ſua pedem efferret;equum ante domus fores ſaxo alligatum conſpexerit. Diutino huius ſancti Viri languori, cùm Siculæ Prouinciæ Patres aliquod remedium quærerent: Panormum illum deferri iubent;vt in ea Vrbe, quæ medicorum copia,ac præſtantia floret, diuturnus morbus abſcederet; languenſque meliorem ſibi corporis ſtatum compararet. Verùm is poſt tertium ibi exactum menſem, die ſui obitus ante prænunciato,ſancto fine, vitæ periodum claudit,ac ærumnis finem imponit.

*Nonnulla Miracula edit.*

XLIII. In Prouincia Conſentiæ, F. Auguſtini à Dipiniano Laïci, Viri ob præclaras virtutes hoc tempore illuſtris, memoria celebratur: de quo illud inter alia refertur; quod cùm Acirim, quod Brutiorum Oppidum eſt, ad lanas mendicandas ex Superioris mandato ſe contuliſſet; acutiſſima ibi febre correptus, à pia muliere cum Socio hoſpitio excipitur; à quo cùm illa curioſiùs: Num Fratres induſio vterentur, inquireret: manumquè audaciùs,quàm par eſt, intra Auguſtini manicam immiſiſſet; ea confeſtim diuina virtute aruit. Eo caſu mulier tremefacta, cùm manus ariditatem amariſſimè fleret;vehementerque curioſitatis delictum ingemiſcens, ab Auguſtino veniam,opemque poſtularet: is vbi mulierem nimiæ curioſitatis corripuit;manum aridam Signo Crucis priſtinæ incolumitati reſtituit, ac demùm hoc anno in pace quieuit.

*F. AVGVSTINI Dipinianenſis Vita, & geſta.*

XLIV. Floret itidem in Prouincia Sancti Angeli, Fratris Bernardini ab Aſculo, Vrbe Apuliæ Dauniæ, ad Appennini Montis radices ſita, Laïci, ſancti Viri memoria: qui cùm, ex Superiorum licentia, diu ſolitariam in nemore Conuentus Sancti Ioannis Rotundi, vitam duxiſſet: eamque animi puritatem adeptus eſſet; vt auiculæ circa ipſum volitantes, cibum ex illius manibus acciperent;& cum eo velut cum amico colluderent; Germanũ Fratrẽ, qui altero brachio attractus

*F. BERNARDINI Aſculani Vita, & geſta.*

ad eum



ad eum inuiſendum acceſſerat; ſolo manus contactu curat: dieque ſui obitus prænunciato, hoc anno ſancto fine occumbens, meliorem apud Deum vitam nanciſcitur.

XLV. Poſtremò in Bononienſi Prouincia, F. Felicis à Carauaſio, Clerici vita, morſque commendantur. Vita etenim virtutibus plena haud diſſimilem exitum ſortita eſt. Vir magnæ humilitatis fuit,ſui ipſius contemptu inſignis: quamobrem à Preſbyteratus Ordine, eo quòd ſe tanto munere indignum exiſtimaret, ſpontè abſtinere voluit. Nec minor in eo fuit dura quæque pro Chriſto tolerandi ardor, ac cupiditas; qua fiebat,vt omni corpus ſuum ſeueritate caſtigaret: ac tam auidè cunctas patiendi anſas arriperet; vt vniuerſa corporis incommoda pro ſummis deliciis haberet, atque in ſola Chriſti Domini Cruce voluptatem caperet. Orationi, ac rerum diuinarum contemplationi ita addictus fuit, vt ſæpè integras in ea noctes conſumeret; ac præſertim in peruigiliis Feſtorum B. Virginis, quam præcipua Religione venerabatur: cuius etiam præſentia, ac colloquio ſæpè potitum fuiſſe ferunt. Obiit in Conuentu Parmæ, multa virtutis, ac ſanctimoniæ fama clarus.

*F. FELICIS à Carauaſio Vita, & geſta.*

XLVI. His alii quoque accedunt Viri virtutum genere præſtantiſſimi, quorum cum morte gloria emori non poteſt. Horum,tametſi temporum inuidia nobis olim præclarè acta rapuerit, haud tamen eorũ memoriã ita delere potuit; quin fama, inter Ordinis Monumenta, è funeribus clarior emerſerit. In his primus Auguſtinus Pactenſis Sacerdos è Sicula Prouincia erumpit, ſanctitate conſpicuus: qui, cùm eam vitæ auſteritatem, quæ cum ſumma abſtinentia coniuncta eſt, perpetuò vſque ad mortem coluiſſet; ea ſibi ad diuinarum rerum contemplationem (cui totus vacabat) gradum parauit: donec, quod ex parte eſt, euacuato, ac ænigmatum ſpeculo clara Dei viſione abſterſo, hinc emigrãs, vt creditur, Domini gloriam, reuelata tandem facie, eſt ſpeculatus. Cui in Vmbriæ S. Franciſci Prouincia Fr. Alexander Interamneenſis Sacerdos ſucceſſit: Vir humilitate ſublimis,ac præſertim obedientia clarus; quam cùm toto vitæ ſuæ curſu ſummo ſtudio complexus eſſet;ab ea nec in morte ſeparari voluit. Nam quo tempore rebus humanis valedicere parabat; ne ignotam alterius vitæ viam abſque obedientia auſpicaretur: ad Guardianum, qui præſens aderat, conuerſus, capite inclinato, ait; *Benedicite, Pater*: moxque expirans, obedientiam viæ ducem in Cælum accepit. Tertius denique Michaëlangelus Florentinus, Concionator, in Ethruriæ Prouincia magnis laudibus celebratur. Vir hic primarius, grauis, auſteritate, ac prudentia illuſtris; cùm eam Prouinciam magno conſilio adminiſtraſſet; ac inter Ochinianas procellas in Venetam Prouinciam Generalis Commiſſarius deſtinatus, pro Religione in publico Senatus conſeſſu peroraſſet; multorumque animos Ochini lapſu perculſos, qui in Capucinorum eiectionem conſpirauerant, ſua Oratione in melius conſilium mutaſſet; multis piè pro Religione laboribus functus, Senis de præſidio, ſtationeque huius vitæ iuſſu Dei omnipotentis decedit.

F. Auguſtinus Pactẽſis Sacerdos. F. Alexander Interamneenſis Sacerdos. F. Michaël Angelus Florẽtinus, Cõcionator: *Viri omnes virtute pręclari commendantur.*

XLVII. Inter huius anni memorabilia, illud refertur; quòd cùm Fr. Andreas Siculus, qui nobiliſſima ortus familia, atque inter regni Barones nuncupatus, multo ſe hominum ſanguine in ſæculo fœdauerat; ſcelerum pœnitentia ductus, ad Capucinorum ſe Ordinem in Neapolitana Prouincia contuliſſet; Clericorumque numero in Conuentu S. Euphebij adſcriptus eſſet: dum Nouitius res Sacras Altaris munda manu contingit; cunctas ſanguine cruentatas relinquit: quod cùm Patribus innotuiſſet, anteactamque Nouitij vitam didiciſſent; è Sacro Altaris miniſterio, & Clericorum Ordine amotum, ad Laïcorum vitam transtulerunt. Eo quippe cæleſti prodigio declaratum fuit, rerum Sacrarum contactu indignum eſſe, qui manus, animumque tot hominum cæde contaminaſſet. Quibus is quoque hoc cæleſti ſigno admonitus ſpontè annuit: qui ſanctè, & religioſè poſthæc in Religione conuerſatus; ſi minùs Sacris Eccleſiæ rebus, magis ſaltem diuinis ſe Cælorum ſedibus dignum præbuit.

*F. Andreas Siculus ob hominum cædes Miraculo ab Altari arcetur.*

ANNVS CHRISTI 1572. PII. V. 7. GREG. XIII. 1. MAXIMIL. II. IMP. 9. REL. CAP. 48.

Gemini hoc anno, ac ſtrenui Athletæ è Sæculo erumpentes, Religionis palæſtram ingrediuntur: nimirum Fr. Marcellus Trifluminenſis, & Ioſephus à Leoniſſa, quorum trophæis illuſtrata Capucinorum Religio, ſua quoque Illuſtratoribus encomia reponet, anno 1601. & 1602. XLII.







ANNVS CHRISTI 1573. GREG. XIII. 2. MAXIMIL. II. IMPER. 10. RELIG. CAPVC. 49.

I. MILLESIMVS quingenteſimus ſeptuageſimus tertius, qui ſequitur Annus, quintum ſuprà decimum nobis Generale Capitulum præſtat; nonnullos iam emeritos Religionis Milites ad præmia tranſmittit; ac quædam memoria digna, quæ ad ampliorem diuini Nominis, & Religionis ſplendorem conferunt, perpendenda offert. Marius igitur Generalis, cùm alterum ſui muneris triennium, magna cum prudentiæ, atque integritatis laude peregiſſet; hoc anno, qui primus fuit Pontificatus Gregorij XIII. in Vrbe Ancona, Generalia Comitia indicit; in quibus Frater Vincentius à Monte-Vlmi, Piceni Oppido, omnium penè Electorum conſenſu, ad Generalatus Officium aſſumitur. Hic ob eximiam prudentiam, ac Regularis obſeruantiæ zelum, cùm in Vmbriæ Prouincia ſæpè Vicarij Prouincialis munere functus eſſet: in Apuliam miſſus, eam quoque Prouinciam nonnullis annis ſanctè adminiſtrauit. Iterumque ad Vmbriæ Prouinciam regendam; ſummo omnium ſtudio reuocatus; dum illius adminiſtrationi incumbit, Generalis Vicarius eligitur: quo in munere, cùm magnam ſibi laudem compararet, maioraque in dies Religioni virtutum incrementa polliceretur; anno à ſua electione vix expleto, maximo omnium mœrore, immatura nobis morte eripitur.

*Decimum quintum Generale Capitulum celebratur.*

*Vincentius à Monte-Vlmi Vicarius Generalis eligitur.*

II. In his porrò Comitiis à Patribus nonnulla ſtatuta fuêre. Primum, vt Sicula Prouincia, quæ tot Conuentuum numero, ac Fratrum multitudine excreuerat; vt vnius tantùm Prouincialis labore, rectè adminiſtrari non poſſet; in tres Prouincias, iuxta Cuſtodiarum numerum: nimirum in Meſſanenſem, Panormitanam, ac Syracuſanam diſſecaretur. Cùm verò è regione, S. Angeli Prouincia Fratrum penuria laboraret; tribus hiſce Prouinciis permiſſum fuit, vt eidem neceſſarium Fratrum numerum miniſtrarent. Hæc verò Prouinciarum diuiſio, ob Vincentij Generalis mortem, hoc anno intercepta, ſequenti tantùm anno 1574. ſub F. Hieronymo Tiphernate Generali Commiſſario, in Prouinciali Capitulo, quod in Vrbe Meſſana celebratum eſt, peracta fuit. Alterum, vt ad Religionem ſatiùs per Orbem propagandam, bini Fratres in Galliam mitterentur: qui Regionem tantummodò, Gallorumque animos, num ad Religionem propenderent, diligentiùs explorarent. Id verò huius Capituli Patres potiſſimùm ad hoc conſilium permouit; Quòd Beatum Patrem Franciſcum, ab ipſo Minorum Ordinis initio, gentis huius ad pietatem procliuis, ita ſollicitum fuiſſe nō ignorarent: vt aliis ſociis in alias Orbis partes diſpertitis; ipſe Galliæ oras ſua præſentia illuſtrandas ſuſcepiſſet: Religionemque ipſius B. Patris teſtimonio, eo conſilio a Deo inſtitutam intelligerent, vt non vnius Italiæ anguſtiis circumſcriberetur; ſed vt totum Orbem longè latéque diffuſa complecteretur. Quamobrem ex Mediolanenſi Prouincia, Fr. Dionyſius Mediolanenſis, Concionator, & Fr. Remigius Laudenſis, Laïcus, electi fuêre; qui in hoc opus incumberent: Viri vtique probati, atque omnium virtutum genere ornati; quibus & in agendo prudentia, & illuſtriorum Galliæ luminum; nimirum S. Dionyſij, & S. Remigij, qui gemini illius Regni oculi cenſentur, nomina opitulabantur.

*Nonnullæ huius Capituli ſtatuta referuntur.*

*Duo Fratres in Galliam deſtinantur.*

III. Hi igitur Vincentij Generalis Vicarij benedictione muniti; Deo ductore, hoc anno in Galliam iter aſſumunt; Lutetiamque Pariſiorum, quæ totius illius Regni Regia eſt, poſt multa itineris incommoda, perueniunt. Eſt Lutetia Pariſiorum

*Lutetia Pariſiorum Gallicani Regni Regia.*

Galliæ Vrbs ampliſſima, Regum Chriſtianiſſimorum ſedes, fertilis ſolo, ſalubris aëre, arboribus nemoroſa; referta commerciis, populorúmque Emporium; Senatu quidem auguſtiſſimo inſignis; ſed ſtudiorum vniuerſitate illuſtrior: gemina quoque Doctorum Nauarricorum, & Sorbonicorum facultate illuſtriſſima, docentibus, ac diſcentibus grata patens. Hac in Vrbe à Carolo Lotharinga S. R. E. Cardinali excepti, exiguo hoſpitio donantur, in loco qui Piquepus appellatur. Tunc Regni habenas moderabatur Carolus nonus, Princeps Religione, ac Fidei ardore toti Orbi conſpicuus. Huius enim Regis pietate, & in Catholicam Religionem ſtudio factum eſt: vt toto ferè Galliarum Regno die, qui S. Bartholomæo ſacer erat, dato poſt primam noctis vigiliam ſigno, vniuerſi penè Hæretici à Catholicis extincti fuerint: quò faciliùs Regnum ab Hæreſum tabe expurgaretur.

*Caroli noni Regis erga Fidem Catholicam ardor.*

Huius Mater Catharina Medicea, mulier ad omnem pietatem prona, cùm diligentiùs Capucicorum vitam, ac inſtitutum exploraſſet; Regi filio ſuadet, vt à Gregorio XIII. Pont. Max. Capucinos in Galliam mitti, Religionemque in Regno ſtabiliri per litteras poſtulet: atque id quidem opportunè: priùs enim, Generali Minorum Obſeruantium Miniſtro agente, Paulus Tertius ſummus Pontifex, Diplomate, quod incipit: *Dilectis filiis, &c.* edito anno 1537. die V. Ianuar. cauerat: ne Capucinorum Religio ad Vltramontanas ſe partes conferret; nevè in iis Monaſteria ædificaret; aut Familias decerneret.

*Carolus Nonus Rex Capucinos à Pōtifice expoſcit.*

Gregorius verò Regiis literis acceptis, cùm Regis pietati, in re planè honeſtiſſima ſatisfacere vellet, motu proprio, edito anno 1575. de quo eodem anno agendum erit, priori illo Pauli Decreto è medio ſublato; Capucinis, vt in Galliam ſe conferant, facultatem impertitur. Alij id Gregorij Pontificis zelo, ac pietati tribuunt: qui cùm Galliam hæreſibus exagitari, ac ſummo in Fidei periculo verſari cerneret: illius Regni Catholicas meliùs in Fide confirmandos; Hæreticoſque celeriùs diſſipandos cenſuerit; ſi Capucinos, quorum vita plurimùm ad Fidei, morumque ædificationem confert, eò tranſmittere curaret.

IV. Dum igitur hi præclaris virtutum exemplis, Religioni propagandæ apud Gallos locum parant; alij apud Italos iam ſatæ Religionis laboribus functi, partam in Cælo mercedem aſſequuntur. Atque inter hos primus eſt Fr. Ioannes à Terra noua, Calabriæ Oppido, Concionator; qui ob exiguam corporis ſtaturam, Ioannellus communi nomine appellatus fuit.

*F. IOANNIS à Terra noua Vita, & geſta*

Hic cùm Ludouicum Rheginum, ac Bernardinum Georgium, primos Calabriæ Patres, ac Reformatores; quo tempore è Minorum Obſeruantium Familia ad Capucinos acceſſerunt, ſecutus eſſet, ſæuas illas naſcentis Reformationis perſecutiones tam inuicto animo ſuſtinuit; vt cùm plerunque, quibus animus ad eas perferendas defecerat, ad Obſeruantes redirent: is eò magis in Religionis arreptæ propoſito confirmaretur: ac velut Cedrus in Libano plantata, quò maioribus perſecutionum flatibus quatiebatur; eò profundiùs in virtute radlces ageret. Hoc itaque modo ipſius mens aduerſis probata, in tantam virtutum propaginem excreuit: vt cunctis Regularis diſciplinæ, atque Euangelicæ perfectionis norma eſſet: nihil eo pauperius, nihil humilius, honeſtius nihil, nihil denique magis ad omnem virtutum formam compoſitum erat. Et quod aliis magnum ſæpenumerò videtur, vt ſcilicet poſt carnis vitia reſipiſcant: ab iiſque animum compeſcentes abſtineant, quæ maiori olim cupiditate perſecuti fuerant: is velut minimum ducens, Virginitatem ipſam, quam à Matris vtero acceperat, quæque hominem Angelis cognatum præſtat: diuino munere perpetuò illibatam ſeruauit.

*Virginitatem perpetuò coluit.*

Neque id mirum, vt enim pretioſum theſaurum, quem in vaſe fictili gerebat, tutiùs à Prædonibus cuſtodiret, Mulierum omnium, ac cæterorum hominum, quoad fieri poterat, colloquia fugiens, ſtudioſiſſimè à periculis cauere, purumque ſe ab hoc ſæculo cuſtodire curabat. Itaque ſanctus hic Vir, Deo magis, quàm hominibus ſic viuere didicerat: vt ſolitaria ſemper loca, orationis amica, quærens, ea ſacris Hymnis conſecraret; atque vt plurimùm lachrymis, ac gemitibus compleret. Sacra faciens tot lachrymarum imbribus af-





fluebat; vt his Altare interdum, pallamque ſacram conſpergeret; Nonnunquam etiam tam mente excedebat; vt ſacra Myſteria niſi poſt diuturnum tempus, proſequi non valeret. Feruido hoc ſpiritu imbutus, cùm ad Dei Verbum diſſeminandum accederet; tanta populos virtute commouebat, vt cunctos in pœnitentiæ lachrymas, ac ſingultus propelleret, neque vllus tam fero, ac ferreo animo præditus eſſet; qui eo audito, ſibi à vitiis abſtinendum eſſe non ſtatueret. Quo tempore nonnullæ Italiæ Vrbes Hæreſis venenum hauſerant, tam acerrimus Catholicæ Fidei propugnator fuit; vt Hæreticos verbo, ac ſcripto palàm exagitaret: ex quo à ſacra Illuſtriſſimorũ Inquiſitorũ Congregatione egregias ſæpè laudes cōſecutus eſt.

*Catholicam Fidem acerrimè propugnat*

V. Familiarem illum Prophetiæ Spiritum à Deo aſſecutum eſſe, pleraque exempla teſtantur. Ochini lapſum longè antequam eueniret, diuino Spiritu prænoſcens, Religionis procellas, quæ inde excitandæ erant, non ſemel Fratribus prædixit. Donatæ Caraffæ, Mulieri Illuſtriſſimæ, ac nulli pietate ſecundæ; quæ filiã, necdum nubilem, illius precibus commendauerat, futura illius connubia, nedum cogitata prænunciat; quæ deinde cum Buteræ Principe, vti prædixerat, contracta ſunt. Donatam verò ipſam B. P. Franciſco, ſub Tertij Ordinis habitu aliquando conſecrãdam fore præmonet.

*Prophetiæ dono à Deo potitur.*

Terræ nouæ, quæ illius Patria erat, deuaſtationem, quæ Proſcriptorum poſtea deprædatione, ſub Nino Martino, & Conſaluo Marino, ſecuta eſt; diu ante prænouit; atq; è ſuggeſtu prædicauit. Viu⁹ tot miraculis claruit, vt amplior eorum Catalogus confici poſſet; niſi antiqua illa Patrum humilitas, quæ ab huiuſmodi memoriis, velut à faſtu abhorrebat: ab iis abſtinendum ſanxiſſet. Illud tantùm, velut ex incendio ereptum, cæteris famæ conſecratis, ad nos integrum peruenit; quod de Agatio quodam Calceario, Fratribus domeſtico narratur; qui cùm laterali dolore Galatri grauiſſimè laboraret: is eum ante ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Altare ductum, vbi ſemel Dominicam Orationem, & Angelicam ſalutationem recitare iuſsit, Signo Crucis ad priſtinam corporis valetudinem reuocauit.

*Pleriſque miraculis emicat.*

VI. Annis denique ac virtutibus plenus; cùm ſeptuageſimum annum ageret; in Cōuentu Galatri febre correptus, cùm diuina reuelatione ſui tranſitus horam agnouiſſet: ſacris omnibus in eum peractis myſteriis, in ipſo extremo ſpiritu cum morte conflictans; Crucem, quam ſemper amauerat, quæque ex oppoſito lectuli pendebat, cùm impetu quodam ſpiritus amplexurus, è lecto ſurrexiſſet, mox corpore elanguens, ſpiritus ad Crucis triumphatorem euolat: atque eodem tempore, vndique luce circumfuſus, cuidam Fratri oranti apparet: cui cæleſtia ſe à Deo præmia aſſecutum fuiſſe ſignificat.

VII. Secundus poſt hunc, in Piceni Prouincia, celeriùs vitæ brauium comprehendit F. Paulus à Pedona, Firmani Agri Oppido, Clericus: qui cùm necdum tertium in Religionis ſtadio annum cucurriſſet: tam perfectè Euangelicæ & Seraphicæ perfectionis metam, quam alij vix longo multorum annorum curriculo aſſequuntur, breui curſu attigit: eamque mentis puritatem, quæ ex plurimarum virtutum coniugio oritur, exiguo tēpore adeptus eſt, vt cùm huius mortalis vitæ curſum in Aeſino Conuentu abſolueret: innumeras Beatorum Innocentium animas ſibi occurrentes conſpexerit: quapropter Fratres, qui lecto circumfuſi adſtabant, rogare cœpit: vt tot cæleſtibus pueris locum darent.

*F. PAVLI à Pedona Vita, & geſta.*

*B. Innocentiũ Caſtra in morte videt.*

Id cùm F. Hieronymus à Monte ſancto Laïcus audiret: quandoquidem delirantis verba eſſe exiſtimabat, riſum extulit. At Paulus: Tune, inquit, Sthephane rides? qui plangentis tibi officium potiùs aſſumere deberes: mater enim tibi non pridem defuncta eſt, breuique illius nuncium accipies. Id Paulus præterquam ex Dei reuelatione agnoſcere non poterat, cùm Montisſancti Oppidũ ab Aeſina Vrbe viginti duo milliaria diſtet, neque vllus Mulieris obitum; cuius fama necdum Æſim peruenerat, ægrotãti renunciare potuiſſet. Vix autem vnius horæ tempore elapſo, Stephani germanus ad Conuentũ appulit, qui funeſtum illi de matris obitu nuncium affert.

*Pleræque futura prædicit*

Eodem quoque tempore Paulus cùm diuino Spiritu accepiſſet, Petrum quendam Firmanum, qui poſtea Fr. Apollonius appellatus fuit; eò ad probationis annum auſpicandum contendere, id ad-

*B. Virginem in morte videt.*

ſtantibus Fratribus indicans: Eia Patres (inquit) Fratri noſtro Petro locum parate; iam enim præ foribus ſtat: ſtatimque Petrus ianuam pulſat. Poſtremò cùm iam animam ageret, lætus exclamare cœpit: O, ò, Fratres, quàm glorioſam; O, ô, quàm lucidam Dominam cerno: tum paulò poſt ipſa ſacra Deipara duce, ad puriſſimum lucis fontem euolat.

*F. PROSPERI à S. Angelo Vita, & geſta.*

VIII. Tertius in eadem quoque Piceni Prouincia virtutibus, ac Regulàri obſeruantia floruit, Fr. Proſper à S. Angelo, Piſauri Oppido, Laïcus; qui cùm in Minorum Obſeruantium Ordine Eleemoſynarij munere fungeretur, miſerando cuiuſdam Fratris ſpectaculo perterritus, ad Capucinos confugit. Res ita geſta fuit. Dum is, in quodam Obſeruantium Conuentu, Quæſtuarium munus exerceret: contigit aliquando; vt magna tritici penuria totam Vrbem occupante, Guardianus ſub formali ſanctæ obedientiæ præcepto caueret; ne quiſquam panem è Refectorio in aliorum eſum extraheret. Hoc edito præcepto, Laïcus quidam Frater, dum per nemus deambulat: Dæmonem, qui Leonis inſtar circuit, quærens, quem deuoret, B. Virginis ſpeciem referentem ſibi obuium habet: quem cùm imprudens veneratus eſſet: ille panem ab eo ſibi clam deferri poſtulat; tum cuncta illi, quæ exoptaret, pro mercede redditurum ſpondet; dummodò rem ſilentio tegat. Credit Frater corde leuis, ac proprio iudicio deceptus: Refectorium cum cæteris veſperè cœnaturus ingreditur: poſitum ſibi in menſa panem, dum ſe manducare ſimulat; in manica abſcondit: & ſpreto Superioris præcepto, panem è Refectorio acceptum ad Dæmonem, ſub fallaci B. Virginis ſpecie latentem defert. Dæmon verò, vt panem accepit, cæleſtē protinus Deiparæ formā exutus, Tartaream detegit: Fratremque pedibus arreptum miſerè eiulantem, ac ſuppetias petentem, extra nemus raptat. Longiùs Sylua à Domo diſtabat: quo fit, vt illius voces Fratrum nullus exaudire poſſet. Inter hæc Proſper, qui ex Vrbe redibat; cùm miſeri eiulatum procul perciperet; ad voces accurrit: at horrendum raptantis Dæmonis ſpectaculum cernens, eo perterritus, propiùs accedere non audet; ſed ociùs ad Conuentum euolans, Guardiano rem omnem narrat: qui mox Crucem parari, Fratreſque in ſupplicationis modum diſponi iubet: ipſe verò ſtola atque aſperſorio armatus, feſtinus ad locum properat. Iam Dæmon miſerum, longiùs à Conuentu raptando pertraxerat; cùm triumphali Crucis ligno apparente, Guardianoque in Dei nomine præcipiente, Dæmon prædam deſerere cogitur. At quanquam viſibilem tunc ille formam ſubtraheret; inuiſibili tamen adhuc virtute cum Fratribus pugnabat; qui miſerum ab illius poteſtate liberare nitebantur. Diu, multumque cum Dæmone decertatum eſt; qui Fratrem ob inobedientiam ſuæ poteſtati traditum aſſerebat: quartaque iam noctis hora inſtabat, cùm Fratres præceptis, ac exorciſmis Dæmonem compeſcere: Dæmon contrà contumacia, ac potentia pugnare haud deſiſtebat. Res omninò plena pauoris erat. Tandem ad Eccleſiam ventum eſt: vbi cùm Guardianus re cognita, Fratrem inobedientiæ crimine irretitum, ac pœnitentem à culpa abſoluiſſet: Dæmon inde aufugere compellitur.

*Cuiuſdam Fratris caſu perterritus ad Capucinos migrat.*

*Frater inobediens à Dæmone raptatur.*

*Pœnitentiæ Sacramento Dæmon expellitur.*

IX. Proſper verò cùm ſecum altiùs philophari cœpiſſet; atque ex vnius inobedientiæ culpa, tam ſeuerè à Deo caſtigata; quid in cæteris Regularis Obſeruantiæ maculis, ac delictis extimeſcendum eſſet, ſapientiùs colligeret; mox ſibi à periculo cauendum, & ad Capucinorum Religionem, velut ad Regularis obſeruantiæ aſylum, ſibi confugiendum ſtatuit. In ea porrò conſcriptus, tantum, in quolibet virtutum genere, ac præſertim obedientia profecit; vt nunquam Superioris præceptum, vbi ipſius voluntatem ſubolfaceret, expectaret; ſed facto ſemper anteuerteret. Humilitate, paupertate, patientia fuit inſignis: quamplurimas quoque à Dæmone, qui longas ipſius in oratione vigilias extimeſcebat; inſidias, ac infeſtationes perpeſſus victor tandem euaſit; vitamque in Anconæ Conuentu, magna cum ſanctimoniæ laude, ſeptuagenario maior concluſit.

*F. ANTONII Aletini Vita, & geſta*

X. Quartus in Hidruntina Prouincia, hoc anno è laboribus ad requiem migrat, Fr.

Antonius



Antonius Aletinus, Laïcus: qui cùm adhuc in ſæculo verſaretur, eum Euangelicæ perfectionis gradum conſcenderat; vt hoſti, germani Fratris ſui, quem vnicè diligebat, interfectori, non ſolùm necē condonauerit; ſed eundem è cæde reuertentem etiam oſculo exceperit; pecuniaque elargita ad fugam compulerit. Quo ſanè tam egregio facto, id à Domino promeruit; vt ſæculo maior ad perfectorum ſtatum conſcenderit; Seraphicaque Capucinorum Religione dignus fuerit. In Religione charitate, quam erga inimicos priùs oſtenderat, in pauperum dilectionem commutata, eos tanto amore, ac pietate proſequebatur; vt neceſſaria ſibi ſæpiſſimè cibaria ſubtraheret, vt iis Chriſti pauperes abundantiùs aleret. Abſtinentia tam eximia fuit; vt à carnibus, ac piſcibus perpetuò abſtinens, vixque olera pani adiungens; totum ferè vitæ tempus in ieiuniis, ac quadrageſimalibus inediis, ad extremum vſque ſenium conſumpſerit. Vir fuit ſummus paupertatis, honeſtatis, humilitatis, ac totius obſeruantiæ Regularis amator; tamque orationis cupidus, vt in ea maiorem noctis, ac diei partem impenderet. Hic igitur, dum ad perfectiſſimam omnium virtutum metam ſtudet conſcendere; dignamque Seraphico Viro ſollicitè, ad extremum vſque ſpiritum, vitam ducit. In Conuentu Caſtaneæ, tanquam Domini Seruus, bonus, ac fidelis, ad eiuſdem gaudia vocatur.

*Plurima ipſius virtutes enarrantur.*

## F. VINCENTII A FLAVIANO, *Vita, & Geſta.*

*Fr. Vincentius à Flauiano ſanctimonia, ac miraculis illuſtris.*

XI. POſtremus tandem, ac velut præclara quædam Religionis gemma, è Tuſciæ Prouincia, hoc anno, ad Beatorum agmina erumpit, Fr. Vincentius à Flauiano, Florentini Agri Oppido: cuius cùm tam admirabilis vita fuerit, vt inter illuſtriores meritò collocari poſſit; æquum ſanè eſt, vt in ea explicanda paulò diligentiùs incumbamus.

*Ab infantia Deum timet.*

*Puerulus noctu ſurgit, ac preces recitat*

XII. Flauianum, ſeu Flauinianum, haud ignobile Ethruriæ Oppidulum eſt, ad Tyberim in finibus Faliſcorum declinans; in quod Mariottus quidam, ex Manoſſorum ſtirpe, quæ Florentiæ olim honeſta erat; cùm vigentibus in Vrbe diſſidiis, ſe cum tota Familia contuliſſet; ibi duodecim ex Vxore liberos procreat; inter quos Vincentius natu minimus maior virtute fuit. Erat Mariottus Faber calcearius, vir ad pietatem pronus, qui cum Religioſiſſimis Ordinis Obſeruantium Patribus, qui in eo Oppido Conuentu fruebantur, domeſticus eſſet; ab iis Conuentus Procurator, ſeu Sindicus creatus, res eorum ſummo ſtudio, ac pietate curabat. Quapropter id ex Dei benignitate conſecutus eſt; vt ex tot ipſius liberis, vnum ſibi Deus Opt. Max. perfectum Seraphicæ legis cultorem, ac S. Patris Imitatorem eligeret: quem ab ipſa infantia, in benedictionibus dulcedinis præuentum, cæleſtibus donis cumularet. Hic Vincentius fuit: qui ab incunabulis, perinde ac ſi cum materno lacte, cæleſtem quandam pietatem, ac rerum diuinarum Religionem ſuxiſſet: ita Deum timere didicit; vt non modò ab iis, quæ in puerili ætate mala videri poterant, ſummoperè caueret: verùm etiam, dum mater, in cuius ſinu puerulus quieſcebat, profundiùs dormiret; nocte ab illius ſe ſenſim latere ſubtrahens, è lecto deſcenderet; ac humi genuflexus eas, quas à matre didicerat, deuotè precationes recitaret. Samuëlem adhuc puerum olim à Domino vocatum; & quæ Heli Sacerdoti euentura eſſent, noctu præmonitum ex ſacris paginis nouimus; quod futuram aliquando Samuëlis excellentiam indicaret: haud ſecus de Vincentio ſentiendum, qui Samuële adhuc ætate tenerior; cùm necdum ſextum annum ageret, nocte quadam, dum quieſcit, à Domino vocatur; eiuſque non modò voce, ac præſentia fruitur: verum & ab eo præmonetur; quandam Chriſti Crucifixi Statuam, quę in Minorum Obſeruantium Eccleſia, altiori loco pendebat, caſui proximam

eſſe.

*Chriſtus puerulo apparet, & imaginis caſū indcat.*

eſſe. Pius tunc Puerulus matrem, ad cuius latus iacebat, anxiè è ſomno excitatis, ait: Mater, heu mater, citò ad Patrum Eccleſiam pergamus; nam Domini Imago ruit. Cui Mater: Sile,inquit,fili,& dormi. At is poſt exiguū temporis ſpatium, iterum maiori animi anguſtia, ad id matrem ſollicitat: Cui rurſus mater; Quid ſomnias, inquit, quieſce. Cumque paruo tempore elapſo, tertiò adhuc matrem compelleret; illaque ſilentium indiceret: flens tandem puerulus è ſtrato ſurgit, ſoloque induſio contectus, ad Minorum Eccleſiam anxius pergit, oſtiique tintinnabulum pulſat. Miratur Ianitor pueruli,quē vultu agnoſcebat, ferè nudi intempeſtiuum aduentum, cauſamque ſciſcitatur: Cui Vincentius, citò Patres ad Eccleſiam accurrite,& Domino cadenti ferte opem: ruit enim Crucifixi Imago,quæ in Eccleſia eſt. Tantum puerulus animo æſtum, ſollicitudinemque præfeferebat, vt plerique Fratres illius vocem audientes, è ſtratis ſurrexerint, atque in Eccleſiam conuenientes, antiquam Crucifixi Statuam, quæ ante Chorum pendebat, ita è Cruce diſiunctam conſpexerint; vt vix vno clauo, vnaque manu Cruci hæreret. Stupent vniuerſi, moxque à puerulo vnde id didicerit, exquirunt: Quibus puerulus. Dormiebam, inquit, cùm Dominus hic Ieſus, qui in hac Cruce pendet, in ſomno apparens, his me verbis compellat: Surge velociter, Vincenti, atque ad Fratrum Eccleſiam feſtina: ruit enim Imago mea, niſi citiùs è lapſu vendicetur, atque huc propterea cucurri.

*Nocte Eccleſiam petit, fratreſque de caſu Imaginis monet.*

XIII. Hinc magis Fratres admirabantur, talia diuinæ familiaritatis ſigna, ac futuræ ſanctitatis præludia,in puero præcedere; atque eo maximè, quòd puerulum animaduerterent, ſæpè aliorum puerorū agmen colligere, ac Litanias concinentes, ſecum in varias Oppidi Eccleſias ducere: interdum etiam Olea conſcenſa, collectæ puerorum turbæ Domini timorem, parentum reuerentiam, Eccleſiarumque venerationem prædicare. Sæpiùs etiam, dum noctu Matutinæ Horæ, in Eccleſia ab ipſis decantarentur, puerum ante præfatam Crucifixi Imaginem, genuflexum orare; tandiuque in oratione perſiſtere deprehendebant, donec Matutinæ ab iis Horæ abſoluerentur. Inuidebat Satan immaturæ tenelli adhuc pueri pietati; Quapropter vt eum ab oratione exterreret. Cùm Matutinarum Horarum tempore aliquando ante Crucifixum oraret: Vmbræ quaſi ad eum ſe inclinantis ſpeciem ipſius obtutibus offert: qua exterrefactus puer, cùm altiùs clamorem extuliſſet; à Fratribus domum reductus, haud propterea à conſueta oratione deſiſtere voluit. Agebat ſenem moribus Vincentius, annis puer, atque ita ab omni puerili leuitate, ac laſciuia abhorrebat; vt alios quoque pueros ab iis, verbis, ac pietatis exemplis compeſceret: ex quo ante annos in via Domini ſibi,aliiſque Magiſter euaſerat.

*Puerulus cæteris pueris prædicat atque orationi inſiſtit.*

*Dæmon illum vmbræ ſimulacro exterret.*

XIV. Porrò ætate in eo adoleſcente, cùm ea pietas,& in pauperes miſeratio adoleſcebant. Vix enim primas literas hauſit; cùm B. Virginis Officium quotidie perſoluens, orationi,ac diuinarum rerum meditationi frequentiùs, ac diutiùs vacabat: tunc primùm ſecreta petere, ſolitudines quærere, vigiliis, atque orationi incumbere, parciùs refici, carnem flagellis cædere, nodorum funiculum circa lumbos geſtare,oculis cuſtodiam adhibere; omneſque ſenſus cupiditates coërcere, aſſiduum Vincentij ſtudium erat. Tantus enim honeſtatis amor, maturè ipſius mentem occupare cœpit; vt ab eo tempore conſtanter apud ſe decreuerit, Dei adiuuante gratia, nullas carnis illecebras, aut Venereas cupiditates, ne procul quidem admittere; ſed pretioſiſſimum Virginitatis theſaurum, ad finem vſque illibatum cuſtodire. Quamobrem titillantes ſenſus ſeuera ſæpe flagellatione caſtigans,crebris ieiuniis frænabat: quibus tandem id ex Dei gratia (quòd is circa vitæ finem haud obſcurè teſtatus eſt) conſecutus fuit: vt purum ſemper ab omni Venerea labe corpus,animumque ſeruauerit.

*Adoleſcens carnē macerat, & honeſtati ſtudet.*

XV. Porrò ea,quæ Electorum virtus propria eſt: tenera ſcilicet quædam erga pauperes compaſſio, ita animum eius affecerat; vt ſæpe è patris menſa ſurgens, cibaria

qua



quæ ſibi parata erant, tam ſagaciter, ad egenos deferret; vt nullus id prorſus animaduerteret. Iam enim diuina intus vnctione docente didicerat, ab omni hypocriſi, ac inani gloria ſibi eſſe cauendum: eleemoſynamque non palàm oſtentandam, ſed in ſinu pauperis abſcondendam eſſe, vt à Deo mercedem accipiat. Verùm cùm in pauperes plerunque liberalior eſſet, quàm ſtatus, ac domus conditio ferret: contigit aliquando; vt vinum, quod totius anni curriculo Familiæ ſufficere debuerat; vnius, aut alterius menſis ſpatio, in pauperum vſum ab eo diſtributum deficeret: quod cùm Fratribus, qui dolia vino vacua offenderant, compertum eſſet; ij Vincentium, velut rei familiaris dilapidatorem, apud patrem accuſant; vt qui vinum, quod in annum Familiæ repoſitum fuerat, vno menſe diſſipaſſet. Haud negat Vincentius,ſe vinū in pauperes erogaſſe: at plurimùm etiamnū in doliis ſupereſſe affirmat. Cui Fratres: Cuncta nos,inquiūt,dolia virga explorauimus; atque in iis vinum vix ad mēſem vſque reliquum eſſe deprehendimus. Pater verò cùm rem certiùs agnoſcere vellet; in cellam ipſe vinariam deſcendit; dolia explorat, cunctáque vino ad os vſque plena eſſe comperit. Pauêre omnes miraculo: Pater verò diuino hoc teſtimonio admonitus, Vincentio omnem tum vini, tum alterius domeſticæ rei, pauperibus erogandæ, facultatem facit. Hac facultate accepta; tanta erat Vincentij in pauperes liberalitas; vt non modò iis panem, & vinum tribueret: ſed mantilia etiam, ac lagenas, quibus res deferebantur, egenis relinqueret: nec tamen vllam res familiaris iacturam patiebatur. Calceos præterea, quorum conſuendorum arti Pater cum filiis vacabat, cùm ſæpè egenis diſtribueret: eo Fratres obmurmurabant; quibus Vincentius: Demus, aiebat, pauperi,qui mihi neceſſarij eſſent. Ita egregius adoleſcens, præclara in virtutibus altioris ædificij, quod in perfectam aliquando ſanctimoniam conſurgeret, fundamenta iaciebat.

*Cibos ſibi in menſa ſubtrahit,& pauperibus diſtribuit.*

*Vinum ſua oratione in doliis multiplicat.*

XVI. Decimum quartum iam Vincentius annum attigerat; cùm diuino eum ſpiritu ad præſtantiora vocante, apud ſe de ſæculo fugiendo, Minorumque Obſeruantium Religione amplectenda conſilium init: vbi verò deliberationem conſilium peperit, Religionis habitum à Patribus poſtulat: qui cùm Adoleſcentem tenella adhuc ætate præditum cernerent; diem protelant, lunaſque cauſantur laconicas. Interea pius Adoleſcens ſedula ſe oratione exercens, frequenter ad Fratrum Eccleſiam pergebat: in qua,cùm poſt hæc aliquando ante conſuetam Crucifixi Imaginem attentiùs oraret; illa brachia è Cruce ſoluens, quaſi illum amplexari vellet, ad ipſum extendit; quo in aſpectu tanta Vincentij mens amoris teneritudine affecta fuit; vt in altiorem oris gemitum erumperet: quo à Fratribus percepto, cùm ij ſiniſtrum aliquid illi accidiſſe ſuſpicarentur; ſtatim accurrunt; at gemitus cauſa perſpecta,cùm tam præclara, diuinæ vocationis in Adoleſcente teſtimonia agnoſcerent; haud vltra Religionis illi diem producendum, aut moras texendas cenſuerunt. Quamobrem rem ad Patrem deferunt; diuinamque Adoleſcentis vocationem, haud aſpernandam illi fore perſuadent. Qui tandem filium ſua benedictione firmatum, alterius Abrahæ inſtar, Deo in Venerabili Minorum Obſeruantium Religione Sacrificium offert.

*Chriſti Crucifixi Statua oranti ſe inclinat.*

XVII. Nondum decimum quintum annum Vincentius expleuerat; cùm inter Seraphicos Franciſcanæ militiæ Tyrones adſcriptus, maiora aduersùs carnem certamina parat, ieiunia multiplicat, flagella auget, ſenſus ſeueriori diſciplina cohibet, longiores in oratione vigilias ducit, totque virtutibus emicat; vt cuncti in eum, tanquam in cæleſte quoddam Euangelicæ perfectionis ſydus, ac prodigium oculos coniicerent. Hac virtutum luce,ad Sacerdotium,poſt vigeſimum quartum annum promotus: dignitatem Angelis venerandam, ita cum Angelica vita coniungit: vt quos cæleſti vitæ puritate imitabatur, miniſterij dignitate antecelleret: dignitatemqiſe Angelica præſtantiorem,Angelica planè conuerſatione illuſtraret.

*Ad Obſeruātium Ordinē accedit.*

XVIII Verùm id non parùm Vincentij animum angebat; quòd Regularem obſeruan-

tiam

*Ad Capucinorum Reformationem migrat.*

tiam nonnihil in Ordine à B.P.Franciſci inſtituto deflexiſſe conſpiceret; cumque Reformationem ſæpè à Superioribus promiſſam,diu fruſtrà expectaſſet;erumpente hoc tempore Fratrum Capucinorum Reformatione, is cum Bernardino Aſtenſi, Ioanne à Fano,ac cæteris anno 1534. ad eam ſe confert: atque à Ludouico Foroſemproniano, primùm in Piceni Prouinciam miſſus, indeque ad Romanam reuocatus,in Conuentu Scandriliæ collocatur; denique cùm maximo ſolitudinis ſtudio teneretur; à Bernardino Aſtenſi Generali, ad Montis Caſalis. Monaſterium, in Vmbriæ Prouinciam deſtinatur. Quàm præclarum is in hoc Conuentu, qui longè ab hominum ſocietate remotus eſt, nouumque cæleſtis vitæ tyrocinium inſtituerit; perinde ac ſi hoc primùm tempore,diuino ſe obſequio mancipare cœpiſſet; haud facilè referri poteſt: hìc enim tanta vitæ auſteritate, cæteris animi virtutibus viam ſternere cœpit; vt non humano,aut carneo;ſed vel lapideo, aut marmoreo corpore præditus videretur. Panis, & aquæ ieiunia toto ferè anni tempore illi familiaria erant: quæ in ſeptem Quadrageſimales inedias: iuxta S. Patris noſtri Quadrageſimarum numerum,diſpertita, totum ferè annum abſorbebant. Feruentiori quoque ſpiritu ductus,aliquando ad dimidiati duntaxat panis menſuram, interdum ad quatuordecim fabarum numerum in die ieiunium contraxit. Nonnullos verò ſacræ Hebdomadæ dies, qui Dominicæ Paſſioni conſecrantur,abſque vllo omninò cibo quotannis tranſigebat.Diebus autem ſolemnibus, Natalis Domini,Paſchatis,& Pentecoſtes, aliiſque perpaucis:qui inter hæc Quadrageſimalia Ieiunia intercedebant:communibus cibis vtebatur. Hoc pacto ſacram Epiphaniæ Quadrageſimam, à maiori Quadrageſima, hancque à ſubſequenti Spiritus ſancti Quadrageſimali inedia: cæteraſque hoc modo inter ſe diebus quibuſdam,quibus à Ieiunio vacabat, diſtinguens: nonnullam corpori, à continuata illa ieiuniorum ſerie,requiem præbere ſolitus erat.Verùm tamen cùm hac dicrum interpolatione, nimium adhuc corpori indulgere ſibi videretur:hoc interſtitio ſublato, octo integros annos,abſque vlla ieiunij interpunctione,panis,& aquæ abſtinentiæ cõſecrat.

*Admirabilis vitæ ipſius auſteritas enarratur.*

*Mira Dei Serui abſtinentia.*

XIX. Incredibilis huius Viri animo inſita erat pro Domino patiendi cupiditas:quem nec corporis imbecillitas,nec ægritudo,nec itineris labor,nec ætas ſenio confecta, ſedare vnquam potuit: quanquam enim decrepita iam ætate, extremum illum ieiunij rigorem moderaretur: ab eo tamen nunquam abſceſſit.Ieiunio,cilicij aſperitas,& quotidiana vſque ad ſanguinem flagellatio accedebant. Tabula humi ſtrata, toto vitæ ſuæ curriculo, ei lectum ita miniſtrauit; vt vix neceſſarium oculis ſomnum,trium,vel quatuor ad ſummum horarum ſpatio indulgeret. Demùm ita in omnia,vel leuiſſima corporis commoda coniuraſſe videbatur: vt cùm nunquam ſoleis vſus,nudipes inter niues & glacies incederet; vix tamen vnquam propiùs ad ignem viſus ſit accedere. Paupertatem,quam ſibi ſponſam elegerat, tanto ſtudio complectebatur; vt habitum,quem in Religionis ingreſſu accepit,variis præſegminibus reſarcitum,nunquam ad ſextumdecimum vſque annum mutauerit.Neque enim tam interpola,egregius Chriſti diſcipulus,ac verus Seraphici Patris filius veſte erubeſcebat;ſed quò pauperior,ac vilior conſpiciebatur;eò ſe glorioſiorẽ exiſtimans, vilitatem pro gloria, paupertatem pro ſummis diuitiis computabat. Cæterùm cùm tam dirè corpus tractaret; vt propè incredibile videretur,hominem inter tot carnis martyria, ſuperſtitem eſſe poſſe: à nonnullis tamen aliquando interrogatus:cur tanta ſeueritate corpus affligeret, reſpondit: Dei charitas, quæ in Vnigeniti ſui morte, ac Paſſione, nobis explicata fuit: tam erga nos immenſa, ac ineffabilis eſt: vt vnumquemque ad maiora, quæ exhiberi poſſunt, gratitudinis ſigna præſtanda compellat. Porrò Filij Dei Paſſiones haud melius, quàm noſtrarum paſſionum gratitudine compenſari poſſunt: quo fit,vt qui Deo grati eſſe, ac diuinæ Paſſionis memoriam in ſeipſis circumferre volunt; omnem pro Chriſto Crucem ſubire, ac dira ſupplicia perferre, ſummo ſtudio expetere debeant: quibus ad perfectam ãnimi gratitudinem accedant. Nondum, inquit, pro Chriſto

*Corporis macerationes referuntur.*

*Dominicæ Paſſionis meditatio illi patiendi deſiderium parit*





ſanguinem fudimus;nondum inter carnificum manus vitam dedimus; quàm ille, nece omniũ acerbiſſima,pro nobis profudit. Annon hæc nobis toto animo optanda eſſent: ea verò cùm necdum aſſecuti ſimus;cur graue nobis videri debet,ſi interea carnem cum Chriſto voluntariis afflictionibus crucifigamus? Annon Chriſtus pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius? Gal. 5. Hæc perfectiſſima huius Viri ſtudia erant:Hi ardentioris charitatis ſtimuli,quibus priſci illi quoque Religionis Patres, quos olim ſumma auſteritate vitam duxiſſe legimus; ſeipſos ad ſummas quaſque carnis macerationes prouocabant. Atque hæc quidem, quæ ad exteriorem ſancti huius Viri vitæ faciem ſpectant, vniuerſos illius tempeſtatis Fratres, in eam animi admirationem rapiebant: vt cùm prima illa Religionis ætas, auſteriſſimos vndique homines, ac perfectos Crucis diſcipulos progigneret; neminem tamen Vincentio auſteriorem eſſe iudicarent.

XX. Quod verò ad interna animi ſtudia attinet: licèt permultæ, atque ſplendidæ virtutes in eo coruſcarent; præcipuè tamen effulgebat quædam animi demiſſio, qua ſe omni humanæ creaturæ propter Deum ſubiiciebat. Nihil gratius,nihil illi iucundius erat, quàm vniuerſis ſubeſſe, ac velut Dominis inſeruire:támque humilia de ſeipſo ſentire ſolitus erat; vt cùm ſe maximum omnium peccatorem eſſe exiſtimaret; vt omnem ſuperbiæ,& arrogantiæ motum ante ortum iugularet; ac velut Tartareos paruulos, humilitatis ſaxo allideret;palàm proprias vel leuiſſimas culpas detegeret. Nihil vnquam ſuo labori, nihil induſtriæ, in iis præſertim, quæ ad ſpiritualem virtutum profectum pertinent:ſed omnia ita diuinæ virtuti, ac benignitati tribuere ſolebat; vt cùm nihil ſibi præter lapſus, ac peccata adſcriberet; ſi quæ bona, aut perfecta præſtaret, ea à Deo proficiſci conſtantiſſimè crederet.

XXI. Hinc maximæ illæ Chriſtianæ perfectionis virtutes, in Viro Dei exoriebantur, nimirum lucida quædam ſui-ipſius cognitio, quam è Cælo delapſam rectè antiquitas credidit;tametſi eam Dæmonum oraculis tribuerit;cùm in Delphico Templo olim inſculptum reliquit:*Noſce te ipſum*.Ex qua potiſſimùm veræ iuſtitiæ fundamentum pendet. Hinc odium, atque abnegatio ſui, quæ hominem Dei ad omnium virtutum certamen prouocabat.Hinc propriæ virtutis diffidentia,qua ad potiora Dei dona capeſcenda diſponebatur. Hinc certa, ac perfecta quædam in Deum fiducia, qua libero in Deum acceſſu ferebatur. Hinc mentis pax, ac tranquillitas, quæ illum tam in triſtibus, quàm in lætis rerum ſucceſſibus, quietum, pacatúmque reddebat. Hinc animi ſimplicitas, qua omnia candidè interpretari, nullúmque in vllo malum ſuſpicari poſſe videbatur. Hinc cæca quædam obedientia, quæ illum abſque cauſæ examine, aut ſuperioris diſtinctione ad opus iniunctum propellebat. Hinc denique perpetuus quidam diuinæ præſentiæ intuitus: quò fiebat; vt in omnibus tum verbis, tum actibus circumſpectus, à quacunque,vel leuiſſimi animi labe abhorreret; nihílque præter Dei gloriam quæreret.

*Interna illius virtutes recenſentur.*

*Virtutum illius compendioſè ſeries deſcribitur.*

XXII. His Oratio, ac perpetua quædam animi in Deum ſuſpenſio, cognata erat: qua intus ſemper ſecum habitans, mentis cubiculum; ne per exteriores haſce res euagaretur, diligentiſſimè occludebat. Hinc ſolitaria ſemper loca quærens, rarò cum Fratribus, vix vnquam cum ſæcularibus Viris colloquebatur; & ſi aliquando neceſſitas loqui compelleret, breui reſponſo longam confabulationem iugulabat. Nihil ſibi, præter ſimplicem quandam rerum præſentium neceſſitatem, vſúmque abſque vlla cordis appoſitione vendicans; cuncta velut prætereuntia, nulláque ratione ad ſe ſpectantia intuebatur. Omnémque quarumlibet rerum, ſiue triſtium, ſiue lætarum euentum in Deum proiiciens, abſque multiplicitate permanebat; quaſi qui mundo maior, ac rebus omnibus, quæ in proſpectu cadunt, ſuperior eſſet. Tribus ante Matutinum officium horis

è tabula ſurgens, orationi vacabat : totidémque poſt peractum Miſſæ ſacrificium ad nemus ſecedens, in rerum diuinarum meditatione inſumebat : reliqua verò diei pars,quæ vel obedientia; cùm ſubditus eſſet, vel charitate non occupabatur; tota Pſalmodiæ, ac diuini amoris per creaturas exercitationi deſeruiebat. Nouerat enim Vir prudens, Mundum ingens quoddam volumen eſſe; in quo quot res conſpiciendæ ſe offerunt, tot diuini caracteres leguntur; qui æternam Dei ſapientiam,bonitatem,charitatémque multis verbis commendant; nóſque ad ipſius dilectionem prouocant. Quo fit, vt dum in variis rerum generibus, obiectáque multarum creaturarum ſpecie, profuſiſſima Dei in humanum genus collata beneficia expenderet, latiſſimum diuinæ charitatis campum excoleret; ardentéſque in animo mutui amoris flammas excitaret. Porrò in hac diuini amoris exercitatione, tam ingenti cæleſtis luminis radio perfundebatur; vt ſæpè in extaſim raptus, è ſenſibus excedere viſus fuerit. Dum in Cella aliquando oraret; Clericus quidam ad ipſum accedens, ſpiritu in Cælum raptum, corporéque, quatuor è terra palmis, in ſublime elatum conſpicit: quo aſpectu cùm tremefactus abiiſſet; rem Fratribus nunciat. Hac diuinæ charitatis flamma incenſus, cùm totus diuinis laudibus inhiaret; Horas Canonicas tanta deuotione in Choro perſoluebat; vt in iis decantandis ſupplices ſemper palmas in Cælum tenderet. Quandiu in eo ætas valida fuit, ſtans ſemper, ac nulli prorſus rei innixus Pſalmos recitauit : cùm verò iam ſenio confecto genua defluerent, genuflexus diuinis laudibus vacabat. At mirum planè erat; qua religione, quantáque lachrymarum copia, diuina Miſſæ myſteria perageret; præſertim cùm de Paſſione, vel de Domini Natiuitate, ſacra faceret. Qua nocte Eccleſia Domini Natalis memoriam celebrat, tam copioſos lachrymarum imbres ex oculis fundere ſolebat; vt ea nocte, à Sacris Miſſæ myſteriis,interdum abſtinere cogeretur.

*In rerum diuinarū contemplatione aſſiduus.*

*Sapè in mētis exceſſum rapitur.*

*Diuini amoris flamma exæſtuat.*

Tanta Sanctus hic Vir cæleſtium rerum voluptate tenebatur; vt quo- XXIII.
ties eo præſente de diuinis rebus ſermo inſtitueretur; vel extra ſenſus raptus immobilis permaneret; vel acutas aliquas voces præ ſuauitate ederet : dein ſaltillos daret : demùm diuini amoris tractum perſentiens, in Cellam fugeret; vbi inter cæleſtes diuinæ charitatis flammas, totus in Deum ſurſum agebatur.

Contigit aliquando; vt Fr. Ioannes à Fano, in Picenum proficiſcens, per Mon- XXIV.
tis Caſalis Conuentum tranſiret : quo tempore à Fratribus rogatus, ſermonem in Refectorio inſtituit : in quo cùm de diuino amore ageret, eo Vincentius tantoperè cœpit incaleſcere; vt cùm cæleſtis flammæ vim ferre non poſſet; protinus in clamores erumpens, è Refectorio egredi compelleretur. Idem prorſus illi, Fr. Bernardino Aſtenſi prædicante accidit: ex quo id omnibus perſpicuum fuit; non vulgari hunc Virum Dei diuini amoris incendio intus æſtuaſſe.

Hæc porrò diuini amoris fax, quæ altè huius Viri Dei pectori infixa, XXV.
dies, noctéſque nouis cæleſtium ignium alimentis ſuccreſcebat; cùm inter cordis illius anguſtias occludi non poſſet, in aliorum quoque ſe tam latè charitatem diffundebat; vt cùm lingua, ac prædicatione, ad quam minimè à Deo vocatus fuerat, aliis prodeſſe non poſſet; ſilentio, atque oratione iuuaret. Vix enim credibile eſt; quot iis impiis, facinoroſis, atque à via Dei aberrantibus, diuinæ clementiæ lucem ſua oratione promeruerit : quotque verbo à vitiorum ſepulchro ad gratiæ vitam reuocauerit. Nouerat Vir Dei, pleroſque non tam corpore, quàm animo ægrotos, maiori peccatorum mobo laborāre; quibus cùm opitulari cuperet, modum excogitauit; quo & Dei opus perageret, & propriam nominis gloriam occultaret. Iuniperi ligna, quibus Montis Caſalis ſylua abundabat, præciſa;

*Ex lignis Iuniperinis oleum excitat, quo ægrotos Dei virtute curat.*





atque in fruſta comminuta, ſubiecto igne extillare; hauſtóque ex iis liquore ægrotantes vngere, ac ſigno Crucis conſignare cœpit: qui cùm eo incolumitatem adipiſcerentur,confluebant vndique variis morbis ægrotantes; quos cùm Vir Sanctus, abſque vllo morbi diſcrimine,cunctos Iuniperi liquore vngeret;ac Crucis ſigno benediceret,iis incolumitatem pollicebatur;dummodo pœnitētiæ Sacramento peccata delerent, ab iiſque deinceps angue peius abſtinerent : cumque hac conditione accepta, omnes ferè conualeſcerent; mirus erat ad Virum Dei ægrotantium concurſus; quos tamen oratione potiùs, quàm vnctione curari certum erat. Quæ enim erat Iuniperini illius liquoris virtus; vt cunctis,abſque diſcrimine, ac plerunque inter ſe pugnantibus morbis applicata, vniuerſis mederetur; niſi altera è Cælo virtus adfuiſſet, quæ morbis medelam afferret? Hæc porrò Crucis Chriſti Virtus erat,cuius Spinoſum Iuniperi lignum,ab eo delectum,ſimulachrum gerebat. At verò id Vincentij charitas operabatur:vt dum multorum corpora diuina virtute ſanat,grauiores ab animo ægritudines pelleret.

XXV. Cùm itaque Vir Dei, pleroſque annos in Conuentu Montis Caſalis exegiſſet; inde in Ethruriam miſſus, in Conuentu Montiſpolitiani Nouitiorum Magiſter creatur : quo in munere tam admirabili vitæ ſanctitate enituit, vt iam nemo aut Fratrum, aut ſæcularium de illius ſanctimonia dubitaret. Hoc in loco mirabile quiddam illi præter omnium expectationem accidit. Prænouerat is prophetico Spiritu,quo præditus erat, futuram quandam calamitatē Thuſciæ impendere;quę deinde innumera hominum clade, excitato Senarum bello ſecuta eſt; quam etiam diuina hac viſione acceperat. Oranti enim ſibi aliquando videbatur, ingentem quandam tempeſtatem Cælo oriri,ex eaque ſanguinem pluere;tellurémque cruore madidam, ſanguineos riuos effundere : quo ſtatim myſterio edoctus eſt, Dei iram quibuſdam Thuſciæ populis imminere:quare diuino œſtro agitatus, ac prophetico planè Spiritu correptus; cùm facultatem à Guardiano accepiſſet; expoliato habitu, ac ſolis ſibi lineis fœmoralibus relictis, grauem ſibi Crucem humeris imponit;alteráque ſeipſum manu flagellans,hoc modo pleráque Oppida, & pagos toto integro die peragrat; Ionæ inſtar exclamans; ò Viri pœnitentiam agite; citò enim veniet ira Dei. Erat tunc Vincentius iam ætate grauis; quo fit, vt cùm hoc modo ieiunus,grauique illo Crucis pondere, atque itinere feſſus, ſub meridiem inter Montes iaceret; ac præ cordis deliquio viribus deficeret: en ſtatim ſplendidam Mulierem, quam Beatiſſimam Cælorum Reginam eſſe agnoſcit, ſibi adeſſe conſpicit; quæ panis buccella in ipſius os immiſſa; tantoperè illius vires, animúmque recreauit; vt reliquum diei iter eodem modo validiùs expediret. Porrò ad Conuentum reuerſus, cùm Fratres ea re, quam Religioſum Virūm haud decere exiſtimabant,indignati,ab eo quærerent: cur id facinus præſtitiſſet. Ignoſcite,Fratres, (inquit) non meum, ſed ſuperni cuiuſdam Numinis impellentis conſilium fuit.

*Nudus, ac Cruce onuſtus futuram calamitatem prædicat.*

*A B. Virgine in via reficitur.*

XXVI. Eò ſimplicitatis, Vir hic Sanctus, ob aſſiduam cum Deo familiaritatem deuenerat : vt nihil vnquam non modò mali ſuſpicaretur; at nec ab aliis relatum crederet. Quapropter cùm ei de Principe quodam ſæculares homines narrarent,quòd ſubiectum populum immoderatis exactionibus,atque extorſionibus oneraret; id illi nunquam perſuadere potuerunt; quin etiam eos ab ea credulitate auertere conabatur. Tot huius Viri Virtutes, cùm Satan ab eo ſæpiſſimè deuictus; nullo internæ ſuggeſtionis, aut tentationis impetu proſternere valeret; externis ſpectris aggreditur : ac variis rerum ſimulachris ſaltem fatigare nititur. Hiſque Virum Dei, præſertim orationi vacantem, tam acriter oppugnat; vt frequenter cum eo cominus certamen inire videretur. At Vincentius, diuina virtute ſuperior, ita de Diabolo triumphare didicerat; vt non modò vniuerſos illius impetus contemneret; verùm & turpem illi ignauiam exprobraret.

*A Satana diuerſimodè infeſtatur.*

*Cum auibus colludit.*

XXVIII Denique tam inſignis huius Viri ſanctitas euaſerat; vt eam non homines tantummodò, ſed etiam aues, ac bruta venerarentur: Neque enim volucres ab eo, tanquam ab alieno, quemadmodum ab iis fieri ſolet, cauebant: quin potiùs tanquam familiari colludebant. Dùm Cortonæ, degit, Auiculam quandam in nemore offendit, quæ confractis tibiis iacebat; cuius ille miſeratione ductus, cùm tibias calamis adhibitis ſuffulſiſſet; ſuóque Iuniperino oleo vnxiſſet, tandem incolumem reddidit; Auiculámque priſtina libertate donauit. At illa ab horto, ac nemore non recedens, cùm primùm Vincentium in his Deo pſallentem animaduerteret, velut beneficij memor; circa eum volitans, ac dulces vocum modulos perſonans, ipſum vbique comitabatur: quo cùm Viri Dei ſpiritus non parùm recrearetur, eò magis ad Deum laudandum accendebatur. Contigit etiam, vt cum F. Romulo à Vitena, tunc Nouitio, aliquando Piſtorium proficiſceretur; quo in itinere dum ad Agricolæ cuiuſdam domum accedunt; eos quum primùm moloſſi canes, ruris cuſtodes, procul aſpexêre; mox vno impetu in eos ruunt: quos cùm Romulus ſaxis oppetere, longiúſque expellere pararet; prohibet Vincentius: Non enim (ait) cum beluis, quaſi cum hoſtibus nobis pugnandum eſt; ſed cum eis amicitia ineunda: mox Crucis ſigno illis obiecto, eos manſuetos, ac amicos reddit.

*Crucis ſigno moleſtos canes manſuetos reddit.*

XXIX. Ipſa quoque inanimata, quæ ſenſu carent: quaſi Viri ſanctitatem agnoſcerent, ipſius imperio parebant. Dum enim aliquando cum F. Angelo Piſciota, Sacerdote, è veteri Piſtorij Conuentu ad nouum tranſmigrantes, Fluuium Vmbronem, qui interfluit, tranſuadarent: necdum ad medium fluminis peruenerant; cùm Fr. Angelus ingentem aquarum inundationem, quæ ob frequentes pluuias magno impetu è montibus defluebant, haud longè proſpiciens, ad Vincentium clamat: Cito, Pater, pedem retrahamus. Quid ita? Vincentius ait. An non vides (inquit) ingruentem aquarum procellam, quæ impetu ruit, ac vadum præoccupare feſtinat? quam niſi retrocedendo declinauerimus, procul dubio nos ſuo impetu rapiet, atque aquis inuoluet? Ne (ait Vincentius) extimeſcas; tantùm in Domino confide: nihil nobis aquæ iſtæ nocebunt: tum ad tumentes vndas conuerſus, Crucis illis ſignum obiicit; mox rapidi fluctus ſtant; & qui ſaxa, arboréſque vi, impetúque ſuo ſecum rapiebant, tandiu immobiles perſiſtunt: quoad ipſi fluuio traiecto, aduerſam ripam contingerent.

*Aquarũ procellam ſigno Crucis ſiſtit.*

XXX. Denique ipſa quoque Dei Maieſtas, quæ vniuſcuiuſque vitam, ac merita metitur; vt eximiam Serui ſui ſanctimoniam declararet; eum prophetiæ Spiritu, ac miraculorum gloria haud ſemel illuſtrat. Germano enim fratri, qui nepotum Columbarium iniuſtè occupauerat, præproperam mortem prædicit; quæ paruo poſt tempore illũ è medio abſtulit. Antiquam illam Chriſti Crucifixi Imaginem, quam puer à lapſu, Deo reuelante, vendicauerat; cùm in maximam populorum venerationem futuram prænunciaſſet; rem exitus probauit: nam tot deinde apud eam, Deo operante, miracula patrata ſunt; vt vndique populi ad ipſius venerationem confluerent. Plura quoque alia diuino ſpiritu afflatus futura prædixit: quæ eo planè modo, quo ab ipſo prænunciata fuerant, contigêre. Præter hæc Fr. Hieronymus Senenſis Sacerdos, graui in tibia vlcere in Senarum Conuentu ægrotabat; cùm Vincentium rogat; vt aliquam illi curationem impendat: at Vincentius crure detecto, cùm vlcus deoſculatus eſſet, ac labiis compreſſiſſet, priſtinæ hominem illicò ſanitati reſtituit. Alterum quoque Fratrem, qui diu acriori in altero poplite dolore laborauerat, ſigno Crucis ab ea ægritudine liberat.

*Multa Prophetiæ ſpiritu futura prænunciat.*

*Oſculo vlcus ſanat.*

XXXI. At illud mirabile, ac paucis conceſſum, illi hoc tempore accidit: Vir quidam à Flauiano, Nardus nomine, Vincentio conterraneus, inter Gallos Aquitanos, in ſumma rerum egeſtate verſabatur; qui neceſſitate aliquando compulſus indignum facinus aggredi cogitat: hominem enim, qui in publico Reorum patibulo, eo die ſuſpendio vitam finierat; noctu è Cruce depoſitum exenterare parat; vt ex illius adipe, quem ſibi reponendum ſtatuebat, aliquam ſibi ad victum pecu-





niam compararet. Ei dum ſceleri intempeſta nocte parat incumbere; En duo Capucini Fratres, ea via illi iter facientes apparent: qui cùm eum iam ſcalam conſcendiſſe cernerent; ab eo, quid operis moliri velit, inquirunt: Is verò cùm mentis propoſitum, à ſumma victus neceſſitate profectum, ſimúlque & gentem, ac patriam declaraſſet: is, qui ex Capucinis ſenior videbatur, vbi hominem ſceleris arguit, ait: An non me municipem, ac propinquum tuum agnoſcis? Ego Vincentius à Flauiano ſum: citò nobiſcum perge; eumque ad Conuentum adductum, trium dierum ſpatio cibis refocillat: quarta verò die, is qui ſe Vincentium dicebat; duodecim illi panibus oblatis, eum in patriam remittit, his verbis: Vade, & in patriam reuertere: hi panes te non deficient, donec Flauianum peruenias. Vir conſilio acquieſcens, Flauianum, ea panis annona nunquam interea deficiente, rediit.

*Nardo cuidã abſens miraculo ſubuenit.*

XXXII. Porrò cùm id certum ſit; nec Vincentium in Aquitaniam vnquam profectum, nec Capucinorum Conuentus, vſque ad annum 1582. in Aquitania extructos fuiſſe: reliquum eſt, vt diuina id tantùm virtute actum eſſe cenſendum ſit: vt ſcilicèt, vel Angelus Vincentij formam aſſumpſerit; vel Vincentius eò in ſpiritu adductus fuerit; vt Nardo conſanguineo ſuccurreret: totáque illa Conuentus moles tantummodò apparens, nihil præterquam diuinæ benignitatis teſtimonium eſſet, quo Vincentij orationes, ac merita proſequebatur.

XXXIII. Appropinquante verò tempore, quo Deus Opt. Max. finem Vincentij laboribus, atque illius peregrinationi metam ſtatuere decreuerat; is extremo patriam ſuam beneficio accumulaturus, vt ei illud accommodari poſſet: *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Septuagenarius Flauianum ſe confert. Tam inteſtina Flauiani inter Oppidanos odia vigebant, vt in factionès diuiſi, in mutuas quotidie cædes exardeſcerent: tamque diuturna erant; vt cùm trigeſimum iam annum attingerent; nulla tamen adhuc ratione inter ſe conciliari poſſent: cùm eò Vincentius profectus partim ſua prudentia, & conſilio; potiſſimùm verò orationis frequentia, id tandem, Deo præſtante, aſſecutus eſt; vt lite omni ſedata, ac ſublatis odiis, Oppidum in pace compoſuerit. Hoc tempore, cùm Fratribus, ac propinquis valedicens, ij impenſiùs illius ſe orationibus commendarent: teneriori charitate vniuerſos amplectẽs, quaſi extremum vale dicturus, his eos verbis affatur: Pax vobis, chariſſimi: hanc, quã Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis ante finẽ vitæ reliquit; quæ Dei, & proximi dilectionem complectitur; ſupremam quoque vobis pacem commendo. Ego enim iam delibor, & haud procul immutationis meæ tempus abeſt. At ne exterreamini: Vos enim ita in viſceribus meis gero; vt & viuus, & mortuus, veſtri ſemper, in orationibus meis, memor ſim futurus. Hæc pleno charitatis affectu à Sancto Viro in diſceſſu prolata, haud irrita fuêre: poſt hæc enim ferè vniuerſi, quibus hæc dicta fuerant; in extremo vitæ agone, Vincentium iam defunctum ſibi adſtare, atque eis opem ferre conſpexerunt.

*Flauianenſiũ odia componit.*

*Obitũ ſuum propinquis prædicit, ac ſuum illis poſt mortem præſidiũ pollicetur.*

XXXIV Inde itaque Piſtorium rediens, haud multò pòſt in febrim incidit: ex qua cùm ſupremum diem ſibi imminere animaduerteret: qui anteactæ vitæ curſum, eouſq; tanta ſanctitate proſecutus fuerat, vt Apoſtolicum illud effari poſſet. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui:* Pari quoque pietate vitæ finem concluſit: nam B. P. Franciſci ſpiritum imitatus, moriens humi collocari voluit; atque inter hymnos, ac diuinas laudes exultantem Deo ſpiritum reddens, repoſitam ſibi gloriæ coronam conſequitur. Corpus eius in ſepulchro conditum, diu incorruptum permanſit: tametſi inter aquas, quæ in ſepulchrum defluebant, nataret; ex quo ſuauis odor multo tempore emanauit.

*Ipſius corpus diu poſt mortem incorruptũ manet.*

XXXV. Aliorum quoque, quorum facta vel temporũ iniuria, vel Scriptorum incuria abſumpſit, memoria, apud Ordinis Monumenta adhuc viuit ſuperſtes: quã ſilentio extinguere, rationi, ac pietati minùs conſentaneũ duxi. Horũ in numero primus eſt, F. Anſelmus Panormitanus Sacerdos, & Cõcionator, qui Siculã Prouinciã, ſex annorũ ſpatio, tãta prudẽtia, ac ſãctitate adminiſtrauit; vt in ea Euãgelici, ac perfecti Paſtoris

F. Anſelmus Panormitanus.

F. Andreas Tudertinus, ſanctimoniæ laude illuſtres.

nomen ſibi comparauerit : cunctis virtutum norma fuit;Regularem obſeruantiam tam integram ſeruauit,ac ſuo exemplo auxit;vt in eo B.P. Franciſci Spiritus reuixiſſe videretur. Demùm piis laboribus confectus,octogenarius Fatis cedit. Quem in Bononienſi Prouincia ſequitur F.Andreas Tudertinus,qui cùm ſui obitus diem diuina Reuelatione accepiſſet,ac Fratribus retuliſſet; magno ſanctimoniæ odore apud omnes relicto,Ferrariæ diem extremum clauſit.

Duo hoc anno memoranda ſe offerunt. Primum. Cùm in Vrbe Monopolitana, XXXVI
Prouinciæ ſancti Nicolai, hoc anno, quidam Fr.Hilarius à Cannis,& cum eo nonnulli ab Ordine excidiſſent; tantum ex eorum Apoſtaſia Vrbi ſcandalum exortum eſt : vt vndique in Capucinos conuicia iactarentur; iique propè omnibus inuiſi,vix in Vrbe apparere auderent. Diuinam Fratres quotidie clementiam deprecabantur; Duce, & Auctore præſertim F. Auguſtino à Meſapia, tunc illius Conuentus Guardiano : qui cùm Vir ſanctus,ac perfectus eſſet;à Deo aſſiduè poſtulabat;vt tantum ab Vrbe ſcandalum remoueret. Contigit ergo;vt quidam Fratrum Æmulus, qui in eos acriùs conuiciis inuehebatur, aliquando ad Capucinorum Eccleſiam accederet; quam cùm primùm ingreſſus eſt, Capucinum Fratrem ante Sacrum Euchariſtiæ Altare orantem, tam altè è terra ſublatum videt; vt capite Presbyterij fornicem contingeret, tótque vndique radiis affulgentem, vt totam Eccleſiam illuſtraret. Quo cùm aſpectu terrefactus eſſet, protinus in Vrbem feſtinans,mutato conſilio melioribus eam clamoribus complet. Sanctúmque in Capucinorum Eccleſia orantem, vbique his verbis prædicat : Properate ad cæleſte ſpectaculum, ò Ciues. Venite, alterúmque ſanctum Franciſcum videte in Capucinorum Eccleſia orantem:cunctáque, quæ præſens aſpexerat,manifeſtans;ita plebem, quæ eum priùs in Capucinos debacchantem audierat, ſuis verbis commouit; vt turbæ certatim ad Eccleſiam confluentes,Sanctum videre poſtularent. At ij cùm neminem inter eos Sanctum, ſed omnes peccatores eſſe affirmarent, tanta populi in Fratres deuotio reflorere cœpit; vt cùm omnes Sanctos eſſe exiſtimarent, prior ab omnium opinione macula penitus abſterſa fuerit. Cùm igitur quis ille Capucinus eſſet,Fratribus ignotum eſſet:alij id B.P.Franciſco tribuere viſi ſunt;qui ſuo aſpectu, ſiniſtram à populo opinionem de Fratribus conceptam, delere voluerit: alij eum Auguſtinum fuiſſe ſuſpicati ſunt; cuius ſanctitas haud illis obſcura erat. At verò vtcumque res fuerit, opportunè ex ſumma Dei clementia, Fratrum ſcandalo proſpectum fuit.

*Vrbis ſcandalum Dei miraculo tollitur.*

Alterum quoque diuinæ liberalitatis teſtimonium, hoc anno, in Mediolanenſi XXXVII.
Prouincia enituit. Nam cùm hyemis tempore Albiati, quod inſubriæ Oppidum eſt, in Mediolanenſi Agro haud ignobile; tam multa è Cælo nix delapſa eſſet, vt Fratres à mendicatione prohiberentur:iam ij omnia,quæ in Conuentu erant,eſculenta conſumpſerant; cùm Leander quidam Trentinus, qui ſingulari Capucinos deuotione proſequebatur,noctu vocem ita ſe alloquentem audit:Leander,panem Capucinis para. Cúmque ille vocem, cuius auctorem ignorabat, primùm parui penderet; ea iterum altiùs idipſum perſonare cœpit. Quamobrem tunc Ancilla excitata,atque auditæ vocis myſterio narrato, panem confici iubet:confectúmque cùm iumēto impoſuiſſet,eam Panis annonam ad Capucinos mittit; eò planè tempore,quo inſtante prandio, nulla illis,ob ciborum inopiam,prandendi ſpes reliqua erat. Panem illi Deo gratias agentes accipiunt; qui nunquam pauperum ſuorum obliuiſcitur. Leander verò cùm extremam Fratrum egeſtatem percepiſſet; diuinam illam fuiſſe vocem agnoſcens, quæ eum ad Fratrum inopiam ſubleuandam impulerat; maximas & ipſe Deo gratias perſoluit; qui ſua ad diuinum opus peragendum opera vſus fuerat: diligentiórque, ac liberalior in Chriſti pauperes euaſit.

*Dei prouidentia miraculosè Fratribus ſuccurritur.*

Hoc denique anno, dum in Conuentu Aſtenſi, tunc Genuenſis Prouinciæ, F. XXXVIII
Ioannes Baptiſta Saonenſis, Vir virtute præclarus,Guardiani munus adminiſtrat:

F. Ioannes Baptiſta Saonenſis Virtute clarus.





Dei Opt. Max. in eos, qui, quo tempore diuinæ laudes perſoluendæ ſunt,ad Chorum negligentiùs accedunt; ſeueritas oſtenditur. Accidit enim hoc tempore; vt quidam haud ignotæ probitatis Sacerdos,poſt nonnullos ægritudinis dies, ſuprema tandem neci iura exolueret; cùm iam triduò poſt illius obitum elapſo,Guardianus, vt ventris onus deponat, noctu ad loca communia ſe confert. Vix ille ad opus naturæ ſederat, cùm ibi mœſtam, velut dolentis, ac gementis vocem aurem percipit. Admiratur Guardianus, qui neminem ibi præſentem intuebatur. Quamobrem Fratris alicuius Spiritum eſſe ſuſpicatus illum in Dei nomine adiurat : vt cuiuſnam ſit, quorſumvè eò venerit, aperiat. Cui ille : Ne mirere,inquit, Pater : Ego ſum Fratris N. anima,quæ triduo hinc è corpore exceſſit. Huc me inexpiata culpa, ac iuſta Dei omnipotentis Iudicia adduxêre. Cùm enim, dum in Religione verſarer; dato Horarum Canonicarum ſigno, Chorus mihi ociùs adeundus eſſet; in hæc me loca,præter neceſſitatem, vſu quodam corrupto conferebam : quo fiebat, vt ſæpiſſimè, iam inchoatis Horis, tardiùs ad diuinas laudes conuenirem : nec me facti vnquam pœnituit, aut delictum,quod leuiſſimum exiſtimabam, vera pœnitentia deleui. Idcircò in has me Dei Iuſtitia Sedes, quouis ferro candenti ardentiores compulit; vt dignas ſcelere pœnas luam. Tu verò, Pater, mei miſerere : iubeque à Fratribus mihi auxilia opportuna præſtari. Hæc cùm F. Ioannes Baptiſta in Fratrum conſeſſu retuliſſet; communia quidem ſuffragia pro Defuncti anima Deo oblata fuêre : quibus ea à pœna tandem libera emerſit: at maior cuique hinc diſciplina comparata : quàm magni Chori Religio ab omnibus æſtimanda ſit; cùm illius negligentiam Deus (æquus rerum omnium æſtimator) tam ſeuera pœna proſequatur.

*Negligentiùs ad Chorum conueniens diuino Iudicio poſt mortem punitur.*



ANNVS CHRISTI. GREG. XIII. MAXIMIL. II. IMP. RELIG. CAPVC.
1574. 3. 11. 50.

*Vincentius à Monte-Vlmi Generalis ex humanis excedit.*

I. LVGET hic Annus, Milleſimus quingenteſimus quartus, immaturum Vincentij à Monte-Vlmi Generalis vitæ occaſum; cuius in Congregatione adminiſtranda iam ſpectata virtus, ac prudentia, plurimam in omnium animis vberioris profectus, atque vtilitatis, quæ ad Religionem illuſtrandam conferrent, ſpem pepererat. Virum hunc planè illuſtrem natura nobis oſtendiſſe potiùs, quàm dediſſe viſa eſt: cuius vita perpetua fuit vitiorum cenſura, norma morum, ac clariſſimarum virtutum imago. Erat quoque illi ingeniũ velox, pectus ſapiẽtię, ac virtutis ferax; mens ea fortitudine imbuta, quæ neque rerũ aſperitatibus terreretur, neque aduerſis frãgeretur, neque vlla cupiditate à recta virtutis via vnquã deflecteret. Contra vitia, otioſorumque hominũ ignauiã ac mollitiem, quibus interdũ Religio labefactari ſolet; pro virtute, pro Regulari obſeruãtia, pro Religionis candore ita eluctatus eſt: vt in eo quid improbi timerent, quid venerarentur boni, quid vniuerſi diligerent, inuenirent. Pugnauit ille, vicit, ſpolia in Cælum præmiſit; quæ nimis feſtinatò ipſę ſecutus eſt. Vir fuit diuino conſilio Religioni datus; qui licèt vitæ integritate, morum præſtantia, ac virtutum excellentia diu ſibi vixerit: nobis tamen immaturus obiit; & eius quidem memoriam poſterior ætas ita ſuſpectura eſt; vt nunquam de tanti Viri ſapientia, fide, Religione, conſtantia, & aſſidua in propaganda Religionis gloria, laboribus conticeſcat.

*Ipſius laudes exarantur.*

*F. Hieronymus à Monteflorum Religionem adminiſtrat.*

II. Hic igitur, cùm ad Siculæ Prouinciæ viſitationem acceſſiſſet; in Conuentu Meſſanæ morbo correptus, ea die ad patrios cineres rediit, qua ſancta Dei Eccleſia, cinere capiti impoſito hominem ſuæ mortalitatis, illis verbis admonere ſolet: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Huius obitu, Frater Hieronymus à Monteflorum, qui primum inter Generalis Capituli Definitores, locum ſortitus fuerat, iuxta Ordinis Conſtitutiones, Religionis gubernacula ſuſcipit. Cùm verò hoc anno Generalia Comitia conuocanda eſſent; meliùs Patribus viſum eſt, ea in ſequentem annum, qui Iubilæus erat, reiicere: vt & is Sacro anno honos ſeruaretur; & qui ad Generalia Comitia conuenirent, Sacrorum quoque temporum beneficio in Romana Vrbe potirentur.

*Sicula Prouincia in tres Prouincias diuiditur.*

III. Hieronymus itaque vices Generalis agens, Hieronymum Tiphernatem Generalem Commiſſarium creat, atque in Siculam Prouinciam deſtinat: qui Capitulo Meſſanæ coacto, Siciliæ Prouinciam, quæ hactenus integra, ac indiuiſa fuerat; in tres Prouincias, Meſſanenſem ſcilicèt, Panormitanam, & Syracuſanam, tribus in eodem Capitulo Prouincialibus creatis, diſpertitur.

*Ob Prodigiũ Conuentus Caſalis Piſtorum in Mediolanenſi Prouincia ædificatur.*

IV. Prima, hoc anno, in Oppido Caſalis Piſtorum, Mediolanenſis Prouinciæ, iuxta quandam B. Virginis Ædem, Conuentus fundamenta iaciuntur: cuius ea potiſſimùm fundationis cauſa fertur: quòd præcedentibus annis ſæpè noctu, cùm necdum ibi Capucinorum nomen audiretur; ſplendida quædam Fratrum Capucinorũ ſupplicatio ab Oppidanis conſpiceretur; qui eam Sacræ Deiparæ ÆdemHymnis, ac Pſalmis venerabantur: Hoc illi prodigio commoti, cùm illud Beatiſſimæ Virginis placitum eſſe ſibi velut perſuaſum haberent; vt à Capucinorum Religione, eo in loco, honor illi impenderetur: locum, ac Ædem Capucinis, in qua Monaſterium, & Eccleſiam conſtruerent, hoc anno aſſignant. Dum verò hoc ædificium Domino paratur, plurimi viui lapides variis paupertatis, obedientiæ, caſtitatis, tolerantiæ,

ac tenta





ac tentationum tunſionibus, ac preſſuris in Religione expoliti, in cæleſtis Ciuitatis ædificationem transferuntur.

*F. ALEXII à Petra rubea vita & gloria.*

V. Inter hos primus eſt F. Alexius à Petra rubea, Laïcus, Picentis Prouinciæ: qui humili loco natus, cùm omnibus abiectis, nudus ferè ad Religionem profugiſſet; tantùm obedientia, ſimplicitate, humilitate, patientia, oratione, ac præſertim mentis puritate, & candore profecit; vt ſummas ſibi virtutum diuitias omnium opinione comparauerit: ſed quoniam teſte Apoſtolo: Virtus in infirmitate probatur, ac perficitur; hic poſt octauum Religionis annum, longa, ac moleſta ægritudine à Deo probatur: in qua cùm ſummam ſemper patientiam, omni virtute plenam, exhibuiſſet; tandem in Conuentu Foroſempronij orans, ad perennem vitæ fontem euolat, ac patientiæ coronam aſſequitur: cuius gloria poſt ipſius mortem, hoc modo, reuelata fuit. Mulier quædã, cuiuſdam Ruricolæ vxor, Alexio nota, cùm ob graues, quas à Marito anguſtias patiebatur; à quo frequentiſſimè iniuriis, ac verberibus afficiebatur; ad ſummam deſperationem adacta, laqueo vitæ finem imponere decreuiſſet; extra Foroſempronij Oppidum, impium quod ſtatuerat, cõſilium exequutura properabat: cùm Alexium, qui iam ex humanis exceſſerat, ſibi in via obuium habet: à quo interrogata, quonam tam feſtina pergeret: illa, quæ necdum Alexium obiiſſe cognouerat; haud nefarium inferendæ ſibi necis illi propoſitum celat: ſed cauſam in Cõiugis iras, ac furias, quas vlterius tolerare nequeat, integram reiicit. Alexius verò vbi eam atrocioris conſilij grauiter increpauit, ad tolerantiam hortatur; monétque ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione ſpem, atque æternum gloriæ pondus exoriri. Tum ſubdit: Suſtine, Soror: patienter age: Quanta putas, & ego in Religione perpeſſus ſum? quot frigora? quot nuditates? quot carnis caſtigationes? quot fratrũ increpationes? quot morbos? quot flagella mihi iniuncta pertuli? quæ tamen patienti animo, Deo opitulante, ſuſtinui: iam verò, cùm me è vita excedente, hæc finem habuerint; ſi noſſe optas, quoſnam patientia fructus pepererit; gloriam intuere, quam mihi tolerati pro Chriſto labores, atque anguſtiæ contulêre: tum ſinum expandens, inde emicantes vndique gloriæ radios effundit: mulierémque cæleſti conſolatione plenam relinquens, mox ad cæleſtes Sedes conſcendit. Mulier verò, mente in meliùs commutata, cùm feſtina ad Capucinorum Conuentum properaſſet; Alexij gloriam F. Alphonſo Lupo narrat: qui cùm biennio ante ex Obſeruantium Ordine ad Capucinos migraſſet, eo tempore in Foroſempronij Conuentu moras trahebat: atque inde cuncti Alexium, Beatorum conſortio additum, agnoſcunt.

*Alexij gloria poſt mortem mulieri oſtẽditur.*

*F. BALDI à Callio vita & geſta.*

VI. Secundus fuit, F. Baldus à Callio, Vmbriæ Vrbe, Ducis Vrbinatum ditioni ſubiecta, Picentis Prouinciæ Sacerdos: qui in ea Prouincia, Vicarij Prouincialis munere, ſæpè magna cum prudentiæ laude functus, plurimis eam virtutibus illuſtrauit. Hic cùm paucos in Religione adhuc annos renatus, iniqua in Conuentu Petrerubeæ valetudine affligaretur; ex qua ſe proculdubio hinc deceſſurum putaret; clara luce, & palàm Angelum forma præſtantiſſimum cellam introëuntem, manuque libram geſtantem: poſt eum quoque Dæmonem vultu teterrimum ingredientem cernit. Quem Angelus his verbis compellat: Dei (inquit) imperio edictum eſt, ò Satan, vt fratris huius merita, ac demerita ponderentur. Iam ergo, ſi quę habes contra Virum, ſcelera continuò exere. Statímque Dæmon multis peccatorum ſchedulis prolatis, propinquam ſibi ſtateræ lancem onerat: in altera quoque Angelus Viri merita, ac virtutum opera collocat: æqua & meritorum, & demeritorum menſura erat: atque æquata libra, haud magis ad Viri ſalutem, quàm ad damnationem pendebat. Penè metu exanimabatur ægrotus: ne in eum Iudicis ſententia ſæuiret, ac propterea Deum ſecum precibus ſollicitabat. Interea diuina è Cælo vox auditur. Datur longior huic homini vita; vt bonorum operum cumulum augeat, ac malorum diminuat. Statimque viſione ab ipſius oculis ſublata, Baldus ad animum redit: qui proprio periculo admonitus, cùm ex infirmitate, diuina virtute conua-

*Ipſius opera ab Angelo librantur.*

luiſſet;

luiſſet,ita deinceps vitam compoſuit:vt cùm omnium virtutum ſplendore cæteris præluceret, totius Regularis diſciplinæ formam in ſeipſo gereret: quo ſanè ita bonorum cumulum auxit; vt ſua vitæ ſanctimonia, non modò ſalutis; verùm & amplioris gloriæ ſpem, in morte, omnium animis inditam reliquerit.

*F. ANGELI Saonenſis Vita, & geſta.*

VII. Tertius ex Genuenſi Prouincia, lapis à Deo electus, fuit Fr. Angelus Saonenſis Clericus, Vir non tam nomine, quàm vultu, ac vita planè Angelicus: qui cùm duos tantummodò à profeſſione annos, in Religione ſumma vitæ ſimplicitate, ac puritate expleuiſſet; Dertonæ ad mortem ægrotans, variis Dæmonum tentationibus tundi, ac premi cœpit; vt dignus, ac probatus ad cæleſtem ædificationem lapis fieret: quibuſcum tamen ſtrenuè dimicans, has interdum voces effundere audiebatur. Quid iniqui contenditis? haud vincetis: veſtra enim iniquitas mihi cedet ad Coronam. Cùm verò iam extremum ſpiritum agentem Fratres hortarentur; ne ingruentes Dæmonum impetus extimeſceret: læta voce, quæ illi ſuprema fuit, reſpondit. Quid eſt, chariſſimi, quòd mihi pertimeſcendum ſit? cùm Dominum meum Ieſum Chriſtum, Sanctiſſimamque ipſius Matrem, ac B. P. Franciſcum, hîc præſentes cernam, qui me in ſuum ſinum recipiunt? ſtatimque poſt hæc verba, Deo Spiritum reddit: dignus planè, qui in morte beato eorum ſinu exciperetur, quos viuens perfectè imitari ſtuduerat.

*Chriſtum, B. Virginem, & B. P. Franciſcũ in morte ſibi obuiãtes cernit.*

*F. SERAPHINI Saonenſis Vita, & geſta.*

VIII. Quartus his ex eadem Genuenſi Prouincia, accedit, Fr. Seraphinus Saonenſis Sacerdos: qui cùm ob ſingularem mentis prudentiam, pluribus in eadem Prouincia Guardiani, Definitoris, & Prouincialis Vicarij dignitatibus functus eſſet: præclariſſimis quoque vitæ exemplis poſteris omnibus præluxit. Regularis enim obſeruantiæ tam ſtudioſus cultor fuit; vt ad B. P. Pranciſci mentem, in quinto Regulæ capitulo expreſſam, reipſa implendam; qua præſcribitur, vt Fratres manuum labori incumbant; ac de mercede laboris, quæ corpori neceſſaria ſunt, recipere valeant; libros compingere didicerit, ſuamque operam Bibliopolis locans, ab iis Eleemoſyna Libros Fratribus neceſſarios acciperet. Hic cùm inculpatam vitam, maximiſque virtutibus ornatam plurimis annis duxiſſet; à B. Virgine, quam ſingulari Religione ſemper coluit, tandem reuelationem accipit: ea die illum corporis nexibus ſoluendum, quo ea glorioſo, ac rediuiuo corpore in Cælum aſſumpta fuit. Eo nuncio Seraphinus quamplurimùm gauiſus, cùm illud Fratribus retuliſſet; eadem quoque die, in Conuentu S. Barnabæ, carnis ſarcina depoſita, ſanctimonia clarus, ad Deum migrat. Cuius caput poſt ſexdecim Sepulchri annos, integra cute, capillis, Corona conſtans reperitur: vt Spiritum Cæli triumpho potitum, carniſque ac Diaboli victorem, apud Superos coronatum oſtenderet.

*Reg. c. 5.*

*Diem obitus à B. Virgine addiſcit.*

*F. PAVLI Ferrarienſis Vita, & geſta.*

IX. Quintus poſt hos ſuccedit Fr. Paulus Ferrarienſis, Bononienſis Prouinciæ, Sacerdos, prudentia, ac virtute clarus: qui cùm primùm ad Religionem acceſſit, id à Domino multis precibus petiit, atque aſſecutus eſt; vt totidem annos in pœnitentia, ac lachrymis, Deo in Religione famularetur; quot Dei filius in hac mortali vita pro hominum ſalute conſumpſerat. Guardiani ſæpè officio functus, Regularis obſeruantiæ accerrimus propugnator fuit. Vir maxima integritate, ac vitæ innocentia præditus: cuius illud ſummum, ac iucundiſſimum ſtudium eſſe videbatur; Orationi, ac diuinarum rerum contemplationi vacare. Hic cùm Foroliuij aliquando Guardiani munus obiret; Sacerdos quidam, Baſilius nomine, tertiana febre laborabat; quem cùm, febris acceſſu imminente, Paulus iam in lecto iacentem, ac febrem præſtolantem offendiſſet: Baſili (inquit) quid febrem expectas? tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipio; vt cùm primùm febris acceſſerit, nullum ei locum præbeas, antequam ad me pro benedictione acceſſeris. Mirabile dictu! febris quaſi Pauli conſpectum metueret, ad Baſilium accedere verita fuit: atque eum penitus deſeruit. Bononiæ tandem Guardianus, magna cum virtutum laude, ac Sanctimoniæ fama, vita excedit: cuius corpus cùm poſt multos ſepulturæ menſes incorruptum repertum fuiſſet: pedes è reliquo corpore

*Febrem Obedientiæ præcepto fugat.*

abſciſſi,



abſciſſi, atque à Fratribus in capſula repoſiti, diu ſuauiſſimum odorem efflarunt.

X. Sexti, in eadem Bononienſi Prouincia, adhuc floret memoria F. Ludouici Parmenſis, Clerici: qui dum adhuc Nouitius eſſet; matri reditum illi ad ſæculum vehementer perſuadenti, conſtantiſſimè obſtitit: Hinc cùm præclara virtutum, ac præſertim humilitatis, & obedientiæ, in Religione fundamenta iecißet; ſexto poſt profeſſionem menſe, morte ſublatus; in obitu Ieſum Chriſtum Dei Filium, ante Patrem ſtantem, ac pro eo vulnerum ſanguinem eidem offerentem conſpicit: quo ex conſpectu, lætus ad felicium animarum domicilium migrat.

*F. LVDOVICVS Parmenſis fama virtutum præclarus.*

XI. Septimus quoque ex Rhegienſi Prouincia ſe offert, Fr. Franciſcus à S. Martino, Sacerdos: qui inter priſcos illos Patres cõnumeratur, qui vnà cum Ludouico Rhegino ann. 1532. ex Obſeruantium Familia ad Capucinos migrarunt. Vir hic totus ad Regularem obſeruantiam, atque omnium virtutum ſtudium compoſitus fuit. Pietate verò, ac Religione erga B. Virginem eximius. Quapropter plurimis in vita ſignis, & miraculis claruit. Quotquot enim ægroti illius ſanctimoniæ fama cõmoti ad eũ accedebãt, Crucis ſigno illis impertito, eos diuina virtute curabat. Poſtremò, cùm diem obitus longè ante diuina reuelatione acceptum præſignificaſſet; iuſtorum morte ſublatus, in Domini ſinum, poſt labores coronandus, euolauit.

*F. FRANCISCI à S. Martino, vita & geſta.*

XII. Octauum S. Nicolai Prouincia profert, F. Franciſcum à S. Petro, Sacerdotem, ac Concionatorem; qui multarum virtutum ſplendore illuſtris, Sacrum Dei Verbum, quod ardenter, ac magna cum audientium vtilitate diſſeminabat; cognata operum luce exornãs, maiora, quàm aliis verbo exararet, facto exantlabat. Ea ſiquidem virtute præditus erat; vt, iuxta Apoſtoli conſilium, quicquam eorum loqui non auderet, quæ priùs Chriſtus per eum non effeciſſet. Hinc quamplurimos Chriſto Filios, tam verbo, quàm exemplo genuit: quos tamen priùs oratione pepererat, qua ſuam ſemper prædicationem fouebat. Oratione, ac rerum diuinarum contemplatione (vt cæteras illius virtutes prætercam) tantùm præcelluit, vt, ſæpè in ea mẽte excedens, corpore ſurſum in aëra efferretur: atq; inter mortales degẽs, cum Deo magis, quàm cum hominibus verſaretur. Hinc tanta in ipſius moribus honeſtas, in verbis grauitas, in animo manſuetudo, in vita innocentia conſpiciebantur; vt, nihil in eo Adæ criminis relictum eſſe videretur. Denique cùm, ſapientiſſimi negotiatoris inſtar, multos operum, ac virtutum theſauros in Cælum præmiſiſſet; eos & ipſe hoc anno, Brunduſij ex humanis excedens, inſecutus eſt.

*F. FRANCISCI à S. Petro, vita & geſta.*

*Sæpè mente excedit, & ſurſum in aëra fertur.*

XIII. Nonus è Siculis hoc anno erumpit, Fr. Ludouicus Netinus, Sacerdos Syracuſaſanæ Prouinciæ; Hic eam Prouinciam (necdum in plures diſpertitam) multis annis magna prudentia adminiſtrauit. Vir maxima humilitate, maxima integritate, maxima auſteritate, maxima oratione, maxima tandem virtute, maximus fuit: omni ſæculorum memoria dignus, Deo, ac hominibus gratus; atque omnium opinione inter illuſtres Religionis Viros recenſendus: cui cùm virtus ſemper in actione eſſet; nihil in eo otioſum erat: ſemper ſolus, nunquam tamen ſolus: cùm enim illius mens circa diuina iugiter eſſet occupata; nunquam minùs ſolus erat, quàm cum ſolus eſſet. Nihil is inerti, ac otioſo homine fœdius, ac ſepulchro ſimilius exiſtimabat: idcircò operoſum mentis otium; quo ſæpè maiora, ac præſtantiora aguntur, cum manuum labore coniungens, cùm per otium liceret, cilicia texebat; quibus & ſeipſum ad corporis exercitationem excitaret, & alios ad ampliora virtutum ſtudia amplectenda prouocaret. Carnis petulantiam vehementiori labore potiùs, quàm ſolo animi ſtudio retundi, ac coërceri non tam verbo, quam facto docebat. Hinc ſæpè cùm à Prouincialis Vicarij munere vacaret; membra ligone exercere, ac cætera domus obſequia, quæ laborioſiora erant, ingenti ſtudio præſtare conſueuerat. His dum virtutum operibus impiger incumbit; Syracuſæ laboribus finem imponens, in beatam quietem concedit.

*F. LVDOVICI Netini, vita & geſta.*

*Plurimis virtutibus floret.*

F. GER

## *F. GERVASII HYRMINIENSIS.*
## *Vita, & Geſta.*

*F. Geruaſius Epidaurenſis vita, & Miraculis illuſtris.*

DEcimus tandem pretioſus, electus, probatus, ab eadem Sicula Prouincia, in Cæleſtem ædificationem lapis tranſmittitur, Frater Geruaſius ab Hyrminio, Oppido Siciliæ, quod vulgò *Raguſa* nuncupatur, Laïcus: cuius vita maximis virtutibus exornata, clariſſimiſque à Deo miraculis illuſtrata fuit. Vir hic non illuſtria, aut magnifica ſui ortus cunabula ſibi apud homines vendicat; neque velut ingens quidam lapis ex altiſſima rupe exciſus, præclara, antiquáve ſui generis ſtemmata profert: quin potiùs exigui illius lapidis inſtar, qui abſque manibus apud Danielem abſciſſus legitur, cùm non niſi humilia, atque obſcura natalia præſeferat: Hinc admirabilior apparet, quòd in eam ſanctimoniæ magnitudinem excreuit; vt tanquam Mons magnus, vniuerſum Seraphicæ Religionis Orbem, ſua virtute compleuerit. Hic igitur, Patre Auguſtino, ac Matre Roſa de Venenatis, qui Ruri humilē quidē, ſed honeſtā vitam ducebāt, progenitus; Ioānis in Baptiſmo non modò nomē, & appellationē, ſed & nominis rem ſortitus eſt. Tanta enim Dei gratia ab ipſa ineunte ætate affluere cœpit; vt puero nihil iucūdiùs eſſe videretur, quā Eccleſias deuotè venerari, Sacris intereſſe, preces fundere; primaq; illa pietatis rudimēta, quæ Dei clemētia abūdè tenello animo inſtillauerat; ac velut in pingui agello ſeuerat, excolere. XIV.

Adoleſcente porrò ætate: cū & rerum diuinarum cognitio, ac ſata in animo pietas, cū ea adoleſcerent; corpus inedia macerare, ne ſatur in animum inſurgeret: ſæpenumero flagellis vſq; ad ſanguinē cædere, ne inſoleſceret: quotidianis laboribus, quos in agri cultura impendebat, defatigare, ne torpeſceret: demùm ita mēſtruis, annuiſque ieiuniis extenuare ſolebat, quò leuiùs ſpiritus ad diuina aſſurgeret: vt cū à Matre illi ad cænā cibi pararentur; is, ne ipſius abſtinētia cæteris manifeſta fieret; lepidè reſponderet, ſe apud alios oppiparè cænaſſe. His verò non contentus egregius Adoleſcens; poſt breuem ſomnū, è ſtrato intempeſta nocte ſurgens, ad quandā B. Virginis Aedem, de Monte nuncupatā (quæ inde trium milliariū ſpatio aberat) ſolus pergebat: vbi reliquū noctis tempus in oratione inſumens, mane illuceſcente, ad quotidianam agri culturam redibat. His virtutū prẹludiis, cū Ioannes ad vigeſimum plus, minuſve annum perueniſſet; parentibus, agris, omnibuſque pro Chriſto derelictis, Domini diſcipulatum, rerum omnium, ac ſuiipſius renunciatione, apud Capucinos comparat; nouumque Geruaſij nomen ſortitur. XV.

*A puero ſanctitatis futuræ præludia præfert.*

*Præclarum vitæ, ac virtutum tyrocinium inſtituit.*

Geruaſius itaq; cùm primū à Sæculi pelago, ad fidā Religionis ſtationem ratem compulit; ac voluntariis ſeipſum vinculis Deo religauit: tam firmum, ſtabilēq; Deo perfectiſſimè inſeruiendi animi propoſitum arripuit; vt mox contra omnia vitiorū caſtra ſtrenuè dimicandum, cunctaſq; virtutes ſibi animo proſequēdas præſtituerit. Hinc primò omniū immortale ſibi bellum inferre parat: omneſque vitiorum radices, ac cupiditates; quæ velut corruptæ naturæ genimina, in animo oriuntur; vel praua conſuetudine inuectæ ebulliunt, perſequi, obtruncare, trucidare aggreditur. Didicerat enim, Deo intus docente, Mundum, & Cacodæmonem, haud aliis nos copiis, quàm nobis-ipſis oppugnare; ac proinde, qui vniuerſos hoſtes vnà (vt aiūt) manu debellare cupit, primò in ſeipſum aciem dirigere debere: Quamobrem talem ſe in Religionis palęſtra ſtatuit; quaſi, qui cum vniuerſis hoſtibus, qui in homine aduersùs hominem militant, manum conſerere, ac ſeipſum vſque ad veteris hominis interitū perſequi debeat. Carnem is primùm, quæ omnium vitiorum fomes eſt, ac perpetua ſpiritus aduerſaria, variis præliis exagitat. Aſperrimo cilicio, quo nunquam non contegebatur, affligtat: perpetua pedum nuditate, quæ abiectis ſandaliis, cunctis anni temporibus cōmmunis eſſet, perſequitur: panis, & aquæ inedia, cùm ter in hebdomada, perpetuo fœdere recepta, corpus extenuaret; aliis quoq; B. P. Franciſci ieiuniis, ac Quadrageſimis mactat. Tanta quoq; ſomni ſubtractione, ac vigiliarū diuturnitate conficit; vt duas quieti tantūmodò horas indulgeret: cæteras vel labori, vel orationi daret. Mollia itidem omnia reſpuēs, nudas tātùm tabulas, abſque XVI.

*Vita illius auſteritas deſcribitur.*





culcitra, aut paleis ſibi ad quietē ſubſternit. Denique cū irreconciliabile cū carne, pro ſpiritu bellū gereret; nouos ſemper modos, nouaque belli ſtratagemata, quibus inſolētem hoſtē attereret, ſtudioſè quærit: hocque pacto cùm ad ſeniū vſque dimicaſſet; haud ſecus tamen, quā ſi tunc primùm ad bellū procederet, pugnā inſtaurat.

XVII. Atque hæc quidem, quæ ad exterioris hominis mortem ſpectant, velut quædam præludia ſternit, quibus carnis vitia debellet. Alterum tamen aduersùs hoſtium phalanges, quæ contra interiorem hominem militant; ſerius ac grauius bellum inſtruit. Perpetua enim virtutum conflictatione, contra animi vitia dimicat. Superbiam humilitate, ac profunda ſuiipſius deiectione; qua ſe omniū pedibus ſubiiciebat, ita proſternit; vt neminem ſe deteriorem, neminem iniquiorem, ſceleratiorem nullum eſſe exiſtimaret. Phylautiam, ac inordinatum ſuiipſius amorem; vnde vniuerſa vitiorum ſeges in animo oritur; proprio ſui odio, ac abnegatione ita interimit; vt ſeipſum quaſi alterum Amalech perſequēs; cupiditatèſque omnes obtruncans, nihil in his viuum relinqueret. Rerum quarumcunque temporalium cupiditatem, altiſſima ſpiritus paupertate, ac omnium rerum contemptu: quem ſibi ante omnia amplectendum ſtatuerat, tam perfecte ab animo expellit; vt rerum tantùm penuria ſe diuitem putaret. Omnem propriæ voluntatis, ac complacentiæ motum, qua animus ad ſua magis, quàm aliorum placita ſequenda propendit; tam radicitus obedientiæ virtute auellere: atque omnē animi ſenſum Superioris imperio ſubiicere curat: vt nihil dulcius, nihilque illi iucundius eſſet, quàm infectum opus propter obedientiam relinquere. Quo fit, vt Deus haud abſimili, ac fortè illuſtriori Miraculo, perfectam huius Viri obedientiam comprobare voluerit; quàm quod de Monacho illo olim monumentis traditum eſt: qui cùm literam, O, efformaret, audita Abbatis voce imperfectam reliquit: quā deinde Angelica manu abſolutam conſpexit. Fuit Geruaſius horti culturæ addictus: quo in munere, dum ſemel hortum irrigat; aquamque per ſulcos, ac ſemina ducere parat; à Guardiano vocatus, ſtatim ad vocem accurrit: ligoneque, quo aquā ducebat, in aquæductu dimiſſo, imperfectum opus deſerit. Porrò aqua, quæ impetu fluebat; cùm nullum moderatorem haberet, qui vias, ac diuerticula labentibus riuulis pararet; facilè plātas, ac ſemina deuaſtaſſet: at prompta Viri obedientia id apud Deum aſſecuta eſt; vt fluens aqua, Deo imperante, ſteterit; redeuntemque poſt aliquod temporis ſpatium, Geruaſium expectans, vltra præſcriptum à ligone terminum minimè exundauerit: donec is rediens viam aquæ ad irrigationem aperiret. Id profectò, cùm ex ſola, ac mira Dei virtute fieri potuerit: quàm Geruaſij obedientia Deo grata fuerit, apertè declarat.

*Pro virtutibus cōtra vitia dimicat.*

*Ipſius Obedientiæ illuſtri Miraculo à Deo cōmendatur.*

XVIII. Omnem is præterea humanæ laudis appetitum, atque inanem gloriam, quæ tineę inſtar, pręclariora queq; bona corrodit, atque altricē ſui animā perdit; ita ad cineres vſque extinxit: vt inſatiabile quoddam proprij deſpectus, quo in omniū oculis abiectus videri optabat, in animo deſideriū aleret. Inde accidit; vt, cùm ob notā iam ipſius, in Panormitana Vrbe, apud omnes ſanctitatē, plurimi quotidie; vt ab eo orationū ſuffragia peterēt, ad illū ventitarēt: amplioriq; ob quędā ab illo in ea Vrbe patrata miracula, eum honore proſequerentur, ſeſe priùs abſcōdere: tum inde tandē; vt eum honorē fugeret, abſcedere, ac Syracuſas migrare compulſus fuerit. Cuiuſlibet licèt exigui tēporis iacturā ita magnipēdebat; vt cùm nihil in eo vnquā à mentis, vel corporis labore vacaret; ipſas quoq; tēporis partes, quæ neceſſario ſomno, ac vitæ alimēto dātur, velut otioſas ſibi ſubripere conaretur: dū alterā ad quotidianū ferè ieiuniū, alterā ad duarum tantū horarū ſomni ſpatiū cōtrahit. Etenim facto docebat, quod olim à Sapiētiori dictū fertur. Quædā tēpora nobis eripi, quædā ſubduci, alia effluere. Eripi quidem, ac velut vi quadam auferri iis, qui cùm omne tempus auarè colligant, ac ſeruent: ab iis ſomnus, cibus, ac potus nonnihil quaſi violenter extorquent. Aliis verò ſubduci, & clam velut inſidioſè ſubripi: qui id ſibi, vel ab amicorū colloquiis, vel ab inutilibus occupationibus, rapi patiuntur. Aliis tandem effluere, qui cùm otio, ac ignauia torpeant, omne illis tempus abſque fructu elabitur. Cumq; inter hos hoc diſcrimen ſit; quòd prima tēporis iactura iis, qui in naturæ neceſſariis

*Populi honores fugit.*

Senec. l. 6. Epiſt.

*Temporis Iactura quam magnificiēda.*

occupantur,quodammodò venialis eſt:aliis verò,qui inutiles ſibi occupationes, ac ſollicitudines accerſunt,ita culpabilis eſt;vt cùm bonis,ac melioribus tempus ſubripiant, vitam magno labore,abſque fructu tranſigant. Poſtremis denique,qui vel otio,ac inertia marcent; vel quod magis deplorandum eſt, totum vitæ tempus in flagitiis,ac ſceleribus conſumunt;turpiſſima hæc temporis iactura eſt.Hi enim cùm nullum tempori pretium ponant;nihilque diem æſtiment;ſed ventri,ac ſomno dediti, improbè, ac ſine pietate viuant:omne illis turpiſſimè tempus elabitur: quorum viuendi tempus quis vitam exiſtimet?cùm illud potiùs turpitudinis, quam vitæ curſum appellare liceat,cui nihil vitæ in morte ſuperſit.

XIX. Geruaſius verò cùm tempus,quod inter humana pretioſiſſimum habetur,ab omni vel leui iactura vendicare vellet; omnes ſic horas complectebatur: vt nullam perire,nullam elabi,nullam ſibi ſubduci pateretur;quòd ſi aliquas ſibi vel à ſomno, vel à calefactione eripi neceſſitas ipſa compelleret,has velut deperditas lugebat.

*Minimæ quæque animi maculæ fugiendæ.*

XX. Minimas quaſque animi maculas,ac labes in ſeipſo perſequi, ac trucidare ſolitus erat;ne in vitium erumperent: dicebat enim exilia eſſe vitiorum principia,quæ niſi in ortu ipſo ſuccidantur, facilè excreſcunt: ſenſimque ad grauiora pertrahi, qui leuibus obſiſtere negligit,ſentiebat.At neque hæc leuiorum lapſuum fugiendorum illi tantùm cauſa erat: ſed ea maximè,quòd voluntarias animi labes, licèt minimas, Deo diſplicere,ac ſpiritualem mentis profectum impedire intelligeret. Delicatus enim (aiebat) ac zelotypus eſt Dei amor,nec alium ſecum riualem amorem patitur. Anguſta quoque eſt cordis ara, quæ Deum ſimul, & creaturam diſpertito amore adeſſe non fert. Quanquam enim ſpontaneæ peccatorum maculæ quæ leues,ac veniales ſunt,Deum ab animo non expellant: attamen velut muſcæ morientes odoris ſuauitatem perdunt,mentem maculant,Spiritũ ſanctũ contriſtãt; omnemque quandiu in animo viuunt, ſpiritualis profectus ſpem homini adimunt.

*Quàm voluntariæ maculæ ſpiritualẽ profectum impediant.*

XXI. Poſtremò ſedulò contra Accidiam; ac negligentiam; quæ omnes animi vires depopulari,ac tyrones præſertim proſternere ſolet,depugnabat: quapropter indefeſsè ſuiipſius cuſtodiæ inuigilans,nouis ſemper ſeipsũ vel corporis,vel animi exercitationibus ad diuinum amorem prouocabat:& quæ retrò ſunt,obliuiſcens,ad vlteriora virtutum opera ſeſe impiger extendebat.Planè incredibile eſt,quantam hic interioris hominis curam ageret; quàm purum ab omnibus rerum humanarum imaginibus,tranquillumque animum ſeruare:quo ſtudio Deum vbique præſentem habere, atque in rebus omnibus contemplari:quàm aſſiduè verba omnia, facta, intentiones,conſilia ſua perpendere, ac in Deum ſimpliciter referre: quàm ſollicitè voluntatem ſuam ſemper abnegatam cum Dei volũtate,in lætis,& triſtibus,in dulcibus,&amaris,in habẽdis,& carendis coniungere;cunctas illi cordis ſollicitudines committere; ac de manu illius nudè vniuerſa accipere:qua diligentia Deo ſemper æſtuanti amore adhærere;ſpirituque in eum ſeipſum transferre ſtuderet.Hinc oratione,ac cæleſtium contemplatione adeò oblectabatur; vt in ea totum ferè noctis tempus inſumeret:perennique animi in Deum aſcenſione, vbique ſemper oraret.

*Dæmon illum ab oratione exturbare conatur.*

XXII. Ardebat Satan in Virum Dei odio planè implacabili: viaſque omnes, ac modos tentans, quibus eum ab oratione auocaret quandoque, ſtrepitus edebat; interdumque varias illi formas obiiciebat.Neque his contentus oranti nonnunquam colaphos impingit; cùm è Cella ad orationem proficiſcitur,è gradibus deiicit; variiſque illum machinis aggreditur;vt ab oratione,qua is maximè cruciabatur,auellat.Die quadam dum Fratres in Panormitano Conuentu,communi orationi meridiano tempore incumbunt;is Dæmonem conſpicit, qui vas in manu geſtans, ſub nigri Aethiopis ſpecie,liquorem quendam Fratribus cocleari propinabat: quẽ qui hauſerant,mox in ſomnũ reſoluebantur. Porrò cùm ad ipſum Satan cum liquore acceſſiſſet, reiicit ille Dæmonem:at eo preſſiùs vrgente,dum is caput deflectit, ac longiùs à tergo declinat,retrolabitur.Eo ſtrepitu Fratres commoti;cùm ab eo Guardianus lapſus cauſam inquireret: narrat ille factum; vt eo cuncti ſibi magis à Dæmone cauerent. Alio quoque tempore dum cum aliis orat; Dæmonem,

*Dæmonem variis modis Fratribus inſidiantem cernit.*





ſub Aethiopis forma, per Fratres diſcurrentem cernit: qui dum aliquorum oculos manu contingit, illis ſomnum conciliat: aliorum ora aperiens ad oſcitandum prouocat: aliorum demùm quum humeris manum imponit, ad ſedendum compellit.Has Dæmonis artes, cùm Dei Seruus Fratribus perſpectas faceret: contra Satanam prudentiores, atque in oratione ardentiores, ac diligentiores præſtabat.

XXIII Fremebat dirus Satan, & cùm eum è medio ſublatum vellet: ſemel dum noctu cum aliis communi flagellationi inſiſtit; flagello illi è manibus erepto, ex ea laqueum componit; quo Geruaſij collo iniecto, eum perimere nitebatur: At Dei Seruo exclamante, cùm Fratres ad clamorem accurrerent; Satan fugere compellitur. Aliàs itidem in Conuentu Caſtronoui, dum Fratres veſpertinæ orationi vacant, Dæmon ianuæ tintinnabulum pulſat:mox Guardianus Geruaſiũ ad ianuam deſtinat: qui cùm fores aperuiſſet, Dæmonem conſueta Aethiopis forma præditum,in ipſo limine offendit: qui Seruum Dei arreptum tam dirè fuſtibus cædit; ac tot verberibus afficit, vt ſemiuiuum reliquerit:quem cùm Fratres humi iacentem reperiiſſent, in humeros ſublatum in cellam deferunt. At is nec quicquam, ob tot Dæmonum infeſtationes,quæ ad ampliorem coronam illi à Domino permittebantur, animo fractus, haud haſtam abijcit: ſed in dies fortior euadens, quotidiana de diro hoſte,ſua patientia trophæa refert. Atque hæc quidem, cùm maximi odij teſtimonia eſſent, quo Dæmon Dei Seruum proſequebatur; proculdubio virtutum quoque illius præſtantiam, ac ſingularem vitæ ſanctimoniam demonſtrabant; quæ Satanam cruciabat, ac Dei gloriam clariùs illuſtrabat.Porrò inter hæc Dæmonum prælia,haud illi cæleſtes conſolationes deerant:nam ſæpe hoc tempore Beatiſſimæ Virginis,interdum B.P.Franciſci, atque aliorum Sanctorum aſpectu, ac præſentia in oratione fruitur. Aegrotabat aliquando Vir Dei; cùm Fratres crebra illi viſitationis officia impendentes,morbi illi vim diminuere curabant: quibus Geruaſius: Plurimùm, (inquit) Fratres mei, mihi charitatis impenditis: at maiora certè mihi ſolatia ſubripitis; quæ mihi aliunde contingunt: Eo namque tempore frequentiùs, tum Sacræ Deiparæ, tum B.Franciſci conſpectu dignatus, cæleſtibus eorum conſolationibus potiebatur.

*A Dæmone dirè cæditur.*

*B. Virginis, & B.P.Franciſci viſione fruitur.*

XXIV. Nihil Viro Dei iucundiùs erat,quàm in aliorum ſe ſe vtilitatem effundere:cunctiſque verbo,aut opere prodeſſe.Quapropter die quadam cum Socio iter faciens, cùm in Virum quendam Patrem familias incidiſſet; qui cùm ob ſummam anni illius ſterilitatem,quo familiam aleret, non haberet: è domo aufugiens, quò tenderet, ignorabat. Hunc Vir Dei verbis conſolari, atque illi ſuadere cœpit; vt ſuam omnem in Deo ſpem collocaret,qui cùm aues Cæli paſcat,nullum in ſe ſperantem vnquam reiicit. Dum hæc illi Dei Seruus perſuadet, Vir ille facem ardentem, ex Geruaſij ore prodeuntem intuebatur; qua ipſius mentem accenderet.Interea cum longo itinere defatigati, ac ieiunio extenuati, ad quædam deſerta loca, longè ab hominum habitatione remota perueniſſent;nihilque,quò veſcerentur,ac languentes vires refocillarent,illis ſuppeteret:En extemplò Vir Senex,laceris veſtibus contectus,iis inter eas ſolitudines apparet; qui grandiorem illis panis placentã offerẽs, ait:Vos (vt cerno)iter feſſos reddidit:Eia placentã iſtã accipite,ac vires inſtaurate: ſtatimq; ab eorum oculis elapſus,ſæcularem Virũ ſtupore, ac extaſi plenũ reliquit: qui tandem ſanis Geruaſij conſiliis acquieſcens;cùm Viri Dei monita, diuino miraculo cõprobata cerneret; domum reuerſus, in Dei benignitate ſperare didicit.

*Fax accenſa ex illius ore prodire conſpicitur.*

XXV. Percrebuerat tum apud Fratres, tum apud ſæculares homines, Geruaſij ſanctitatis rumor:cunctique diuinam in eo virtutem ſignis,ac miraculis coruſcãtem ſuſpiciebant:quo fiebat,vt plerique ad eum ægroti confluerent,qui ſigno Crucis ab eo curabãtur:plurimis etiam Vir Dei prophetico ſpiritu occulta, ac futura aperiebat; ex quibus nõnulla exempla referre lubet.Vincentius à Campo,nobilis Panormitanus,cùm de Viri Dei conſilio, bina iuga bouum emiſſet; ij poſt quatriduum è ſtabulo fugientes, nullo loco reperiri poterant: Quare is ad Geruaſium rediens,

*Aegrotos quamplurimos ſigno Crucis ſanat.*

boum illi fugam, & iacturam narrat; illiuſque opem apud Deum efflagitat. Cui Geruaſius: Cras, inquit, huc ad me reuertere. Nocte orans, cùm ex diuina reuelatione, quonam boues aufugerint, accepiſſet; mane redeunti Vincentio locum inter quoſdam Montes indigitat; in quo boues deliteſcunt; neque inanc illius dictum fuit; famuli enim eò à Vincentio miſſi, boues reperiunt.

*Prophetico Spiritu pleraque futura prædicit.*

XXVI. Cuiuſdam quoque Nobilis Fœminæ Panormitanæ filius, Meſſanam Panormo adnauigaturus erat: quem Mater Geruaſij precibus eò impenſiùs commendat, quòd Mare Piratarum incurſione infeſtari intelligeret. Cui Vir Dei: Ne metuas (inquit) tuus abſque periculo ibit, redibitque filius. Res autem abſque admiratione, ac Dei virtute haud peracta fuit: cùm enim quinque eodem tempore nauigia è Portu Panormitano ſoluerent; Meſſanamque adnauigarent: omnia in Turcarum manus incidêre: ſolum huius nauigium ab hoc periculo fuit immunis.

*Paſſeris garritus quid portendat, re occulta declarat.*

XXVII. His accedit, quòd cùm ſemel in Conuentu Panormitano, per hortum cum pleriſque Fratribus deambulans, Paſſerculum quendam aduolantem, ac plus ſolito garrientem cerneret: Protinus ad eos: Videtis, inquit, qua diligentia, ac ſollicitudine Paſſerculus ille ad cæteros aduolat: id ſanè haud fruſtrà: eo enim garritu, ac volatu ſociis indicat copioſa, tritici grana humi effuſa eſſe, quæ Mullio in via ab hinc non longè diſperſit: eoſque ad illa comedenda; velut ad conuiuium conuocat. Haud facilè id Fratres credebant: donec ex his nonnulli paſſerem auolantem ſequentes, ſparſa in via grana reperiunt; collectoſque ad conuiuium paſſeres, ſumma admiratione conſpiciunt.

*Tonſillis laborantem Signo Crucis curat*

XXVIII. At clariora, quibus diuina virtute affulgebat, miracula ipſius vbiq; ſanctitatem peruulgabãt, ex quibus nõnulla duntaxat explicãda erunt. Panormi nobilis quædã mulier, tonſillis diu, grauiterque laborauerat; cùm temporis opportunitatem nacta, quo Geruaſius ad eam pro panis mendicatione accederet; ab eo obnixè poſtulat; vt ſigno Crucis ſibi guttur conſignet: ſignum præſtat Vir Dei: quo omnẽ ſtatim ab ea, diuina virtute, faucium tumorem, ac morbum ſuſtulit. Ea verò poſthæc, quoad vita illi ſuperſtes fuit; in tanti beneficij memoriam, quotannis tantùm monaſterio panni tribuit, qui ad vnius Fratris habitum conficiendum ſufficeret.

*Putri vlcere affectum ſigno Crucis ſanat.*

XXIX. In eadem Vrbe Vincentius à Campo, nobilis Panormitanus, cuius ſupra memini, cùm purulento, ac ſanioſo vlcere affectum crus ferè putridum geſtaret; Geruaſium aliquando ſummis precibus compulit, vt ſigno Crucis crus computreſcens conſignaret: Haud diſtulit Dei Seruus: cúmque optatam cruri benedictionem tribuiſſet; mox diuina virtus adfuit, quæ morbo protinus expulſo, crus in priſtinam incolumitatem vendicauit. Idem cùm Panormi febre grauiter ægrotaret; Geruaſij pallium, cuius antea virtutem expertus fuerat, à Guardiano impetrat: quod cùm lecto, in quo iacebat, impoſuiſſet, confeſtim è morbo conualuit.

*Principem lethaliter ſauciatum ſigno Crucis à vulnere curat.*

XXX. At illud illuſtrius adhuc miraculum, quod per totam Panormi Vrbem euulgatum fuit. Dum enim Dux Turij noui, in Catadromo, imaginario prælio haſta decertaret: caſu accidit; vt lethali haſtæ ictu vulneratus, incertam vitæ ſuæ ſpem Phyſicis relinqueret, Quamobrem Geruaſius ad eum accedens, vbi in lecto iacentem conſpexit: lætis vocibus exclamare cœpit: Surſum corda, Princeps, ſurſum corda, æquo animo eſto: hoc tibi vulnus non ad corporis mortem, ſed ad animi vitam erit. Tum propiùs ad ipſum accedens, vulnus manu contrectat, ac ſigno Crucis benedicens, ait: Deo gratias age, cui ſumma ex benignitate complacuit tibi vitam, atque incolumitatem reddere; ſtatimque ab eo diſceſſit. Vix Principis domum Vir Dei egreſſus fuerat; cùm Dei virtute, & vulnus conſolidatum, & priſtina ſalus ægroto reſtituta fuit.

XXXI. Nec minori admiratione dignum fuit, quod in eadem Vrbe contigit: in qua cùm Vir quidam nobilis, è Piſingorum Familia, ad Medicorum deſperationem ægrotaret; iamque funeri neceſſaria pararentur, Geruaſij miraculorum fama commotus, eundem per internuncium domum acceſſit; qui cùm eò à Guardiano miſſus, ægrotantis domum ingreſſus fuiſſet; ibi eiulantem familiam,

omneſque



*Moribundũ ſigno Crucis ad incolumitatem reuocat.*

omneſque triſtitia oppreſſos; ægrotum, quaſi iam corpore defunctus eſſet; lugentes offendit: quos Vir Dei verbis conſolatus, ait: Quid viuum tanquam mortuum lugetis? An non Deus potens eſt ex mortuis viuos facere? Quantò magis viuos ſeruare? lachrymis parcite; vnàque omnes mecum genuflexi, quinquies Orationem Dominicam; atque Angelicam ſalutationem perſoluite; vt diuinam ægrotanti opem imploremus. Oratione abſoluta, cùm Vir ſanctus ad ægrotantem acceſſiſſet, Signo Crucis illi ſub ſtomachi ore impreſſo, ait: Signo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt ipſius virtute, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & B.P. noſtri Frãciſci meritis ſaneris. Vix hæc Geruaſius protulerat; cùm ægrotans matulam poſtutat, ingentique lotij copia effuſa, ſtatim à morbo liber, integrè ſe incolumitati redditum ſentit. Altera quoque nobilis Mulier Panormitana, quæ iam pluribus diebus, diris partus doloribus, magno cum vitæ diſcrimine cruciabatur; cùm Viri Dei virtutem, Fama vbique circumuolante, percepiſſet: ad ſe vocatum rogat, vt in eam pallium ſuum extendat; quo ſe à partus doloribus liberandam ſperat. Recuſabat Geruaſius, nihil ſibi virtutis adſcribens: at cùm illa preces, ac gemitus augeret; tandem votis acquieſcens, vix pallium ſuper eam extendit; cùm lætas ſub auras fœtum extulit. Sub idem tempus, alteram quoque Rhedarij cuiuſdam vxorem, quæ iiſdem partus anguſtiis diu preſſa fuerat; ceræ benedictæ particula ad eam miſſa, à partus periculo liberat.

*Mulierem à partus doloribus extenſo ſuper eam pallio liberat.*

XXXII. At illud omnium illuſtriſſimum fuit, quod in ipſo Portæ, Panormitanæ Vrbis, veſtibulo, plurimis ſpectantibus, ita contigiſſe narratur. Virum quendam indigenam, Vrbis Incolæ, mortuum in agro offenderant; quem iumento impoſitum in Ciuitatem deferunt: hi cùm ad Vrbis portam, quæ noua appellatur, cum Defuncti corpore perueniſſent; cuncti ad funeſtum Viri ſpectaculum confluunt; repentinumque hominis interitum commiſerabantur. Contigit autem, vt Geruaſius eo tempore, cum Socio, è Conuentu in Vrbem proficiſceretur: qui concurrentem turbam cernens, quid noui acciderit, ſciſcitatur: ſtatimque illi de mortuo homine in agro inuento renunciatur: ad quem cùm Vir Dei propiùs acceſſiſſet, inquit: Ne hominem velut mortuum lugete: haud mortuus eſt; ferte illum in domum ſuam, ac protinus viuet. Cunctis iam Viri Dei ſanctitas, ſimulque mentis humilitas perſpecta erat; qua omnem ſanctimoniæ oſtentationem, ac populi honorem fugere conſueuerat: quamobrem dicto eius fidem adhibentes, quamplurimi defuncti hominis corpus domum vſque comitantur: quod cùm lecto impoſuiſſent, mox eum, qui mortuus erat, oſcitare, ac rediuiuum lucis vſura perfrui cernunt: quod cùm vniuerſi Geruaſij orationi adſcriberent, diuinam virtutem in Viro elucentem ſummis laudibus efferunt.

*Mortuum hominem ad vitam reuocat.*

*Syracuſis diẽ extremum claudit.*

XXXIII Cùm itaque tam celebris, apud Panormitanos eſſet huius Sancti Viri fama; vt adhuc ſuperſtitem Sanctum prædicare haud vererentur: qui ob inſculptam ſibi animo humilitatem ab honoribus, ac populi exiſtimatione, velut à peſte ſummoperè abhorrebat; impetrata à Superiore facultate, clam inde abſcedens, Syracuſam proficiſcitur: vbi cùm aliquot annos pari virtutis, ac ſanctimoniæ laude exegiſſet; agone tandem feliciter conſumato, ad cæleſtem coronam peruenit: ac velut electiſſimus lapis, è Religionis cauerna exciſus, multiſque tentationibus, ac laboribus probatus, in Cæleſtis Hieruſalem ædificium transfertur. Optimus profectò, ac impiger horti cultor, qui animi ſui hortulum tanta diligentia excoluit; vt dignam labore mercedem à Deo acceperit: Quod hac viſione declaratum fuit. Etenim in ipſa ſui obitus hora, Frater longè abſens, multas cæleſtium turmas, atque inter eas Geruaſium glorioſa veſte indutum, hoc Ordine cõſpicit. Præcedebat glorioſa quædam Angelorum, ac Beatorum Capucinorum ſupplicatio, quæ ſuauiſſimos cõcentus edens, atque exultans, è terris Cælum verſus tẽdebat. Horum poſtremus erat Geruaſius: qui aureum ligonem, velut clariſſimæ nobilitatis inſigne, & laborum trophæũ, in humeris geſtans, cæleſtem hoc honore Vrbem triumphans ingreditur.

*In ipſa obitus hora Fratri abſenti glorioſus apparet.*

Ex quo id facilè perſpicuum fit: non generis Nobilitatem: non opum ſuperbiam, non ingenium, non mundi huius ſapientiam: ſed vitam in iuſtitia & ſanctitate peractam, apud Deum ſibi gloriam comparare: ſæpiſſimèque pauperum ligones, in Regno Dei, Regum ſceptris, honore, ac triumphi gloria anteferri.

*Poſt mortem varia edit miracula.*

XXXIV Poſt huius ſancti Viri obitum, Vir quidam Syracuſanus, olim Viro Dei familiaris, cui membranulis inguinæ confractis, inteſtina defluebant: cùm ad ipſius Sepulchrũ orans, eius apud Deũ ſuffragia imploraret; illicò incolumitatẽ impetrat. Mulier prętereà à Dæmone infeſſa, vbi ipſius ſepulchri pulueres contigit; à Dæmonis poteſtate liberata, diuinas Deo laudes exoluit. Altera quoque quæ quartana febre laborabat, Viri Dei ope ad eius ſepulchrum inuocata, confeſtim à febre curatur. Demùm tot in vita, ac poſt mortem miraculis floruit; vt nobilis quædam, ac primaria Panormitanæ Vrbis Matrona aſſereret; ſibi tot Miracula à Viro Dei patrata perſpecta eſſe: vt ſi de ipſius canonizatione apud Romanam Curiam ageretur, his plura neceſſaria non eſſent: ſed cùm de iis diligentiùs indagandis nulla tunc Fratribus cura eſſet; ea nobis ſimul cum ea Matrona periêre.

XXXV. Nonnulla hoc anno haud ſilentio tegenda accidêre. Primùm Lori, quod eſt Oppidum in Piceno, Tiberia quædam, Capucinorum Fratrum deuotiſſima; qualibet hebdomada, lagenam Eleemoſynario vino implere conſueuerat. Accidit verò hoc anno, vt vineis grandine cæſis, ac deuaſtatis; magna in tota Regione vini penuria eſſet: quam ob rem, nec quod ſibi ac domui ſufficeret, in dolio vini repoſuerat. Huic filia erat, Aloyſia nomine, quæ cùm pari Capucinorum Ordinem deuotione proſequeretur: vtrique ea animo pietas inerat; vt ſibi potiùs à vino abſtinendum, quàm ſolitam vini lagenam Fratribus denegandam ſtatuerent. Duo adhuc menſes vſque ad vindemiæ tempus ſupererant: cùm dolium continuo hauſtu exinanitum, vix vinum ex epiſtomio reddebat: adeſt cum lagena Eleemoſynarius; mox Aloyſia ad dolium pergit; at vinum in tenuiſſimi fili modum effluens, cùm lagenæ implendæ non ſufficeret. Hinc illa animo angitur, ac pietate torquetur; neque enim vacuam Eleemoſynario lagenam reddere, illi animus erat: Hinc pietas lachrymas prouocat; lachrymæ animum accendunt, vocemque ex intimo pectore extorquent: qua, velut igniculo ita in B. Franciſcum fertur: ò Beate Pater, an non hi ſunt Filij tui, quos cæleſti charitate diligis? Cur iis vinum minuitur? Quare mihi hæc in eos pietas denegatur? Quæſo Pater, tantùm ex hoc dolio vini fluat, quo filiorum tuorum lagenam implere queam. O mira pietatis, ac fiduciæ virtus! Tanta repentè ex dolio vini vis erumpere cœpit; vt per vnius paſſus diſtantiam ſeſe effunderet: tamque in dolio diuina virtute excreuit; vt non ſolùm vſque ad vindemiæ tempus Familiæ, ac Fratribus ſufficeret: verùm inſtante vindemia; vt eò illuſtrius miraculum emicaret; cùm dolium ad nouum vinum parandum eſſet, tantum in eo vini reliquum fuit; vt eo omnes Fratrum lagenæ, cunctaque Domus vaſa replerentur.

*Virgo Capucinis deuota vini multiplicationem à Deo impetrat.*

XXXVI Aliud quoque diuinæ liberalitatis teſtimonium hoc anno in Fratres enituit. Nã Violæ, quæ Lucaniæ Oppidum eſt: hoc anno tam alta, ac copioſa è Cælo nix venit; vt Capucinorum Conuentus, qui inter Montes ſitus, integrum milliare ab Oppido diſtat, niue penè obrutus eſſet: quamobrem cùm Fratres omnem ſibi ad victus mendicationem viam obſtructam cernerent; pane ac leguminibus omnibus conſumptis: dum pium Dominum aſſiduis precibus pulſant; ab eoque tantummodò ſubſidium expectant: en Monaſterij fores pulſari audiunt. Res cunctis noua viſa fuit; aperiuntur fores, mulusque pane, vino, rebuſque aliis vitæ neceſſariis onuſtus in veſtibulo, nullo ductore conſpicitur; cuius nec vlla in niue veſtigia apparent. Stupent omnes, ac diuini Numinis prouidentiam admirantes, mulum exonerant. Dumque Dei clementiam, ac benignitatem ſummis laudibus efferunt, mulus ex ex omnium oculis euaneſcit.

*Diuina Prouidentia miracul. Capucinis ſubuenitur.*

XXXVII. Per idem tempus, in Bononienſi Prouincia, dum Fr. Pius Bononienſis, Sacerdos, cũ Socio è Iulia Fidentia Parmam; proficiſcitur geminos propè cuiuſdã Ruſtici do-





mũ Moloſſos offenduntqui rabiem horrendo latratu oſtentãtes, quaſi ipſos diſcerpturi eſſent, feſtinato curſu in eos feruntur. Ad repentinum belluarum occurſum, cùm ſocius animo elangueſceret: Pius, qui eo tempore B. Virginis horas perſoluebat; cùm nullum aliud ſibi in eo periculo præſidium relictum eſſet; oculis in Cælum ſublatis, Moloſſos genuflexus expectat: iiſque appropinquantibus B. Virginis horarum codicem opponit. Protinus Moloſſi immobiles ſubſiſtunt; ſilent latratus; fixamque tantùm in Pium oculorum aciem conuertunt: cumque diu hoc pacto immobiles perſtitiſſent; tum velut diuina virtute acti, abrepto retrorſum curſu, illæſos deſerunt.

*Codex Horarum B. Virginis Moloſſos compeſcit.*

XXXVIII Campienſem Agrum, in Aprutina Prouincia, quotannis grando ita depopulabatur; vt omnem ferè ante meſſem, ac vindemiam, frugum, ac ſeminum vſuram Incolis præriperet: quibus Fr. Petronius à Cannaria, noſtri Ordinis Sacerdos, perſuadet; vt Domini Cruce in eminentiori illius territorij parte erecta, ad illius præſidium confugiant, qui in Cruce de Tartareis poteſtatibus triumphauit. Res pia, ac honeſta omnibus viſa eſt: quamobrem Crux ſolemni Epiſcopi benedictione conſecrata, celebri totius Cleri, ac populorum concurſu, in Monte Arnano erigitur, ac pia ab omnibus deuotione colitur: moxque grandinis tempeſtas, Crucis aſpectu, à toto Agro fugatur.

*Crucis erectione Grando ab Agris effugatur.*

*Iubilæus Annus aperitur, Romaque noua Comitia celebrantur.*

I. LÆTVS hic Annus Milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus quintus, dum Orbi exultationem, captiuis, ac iugo Diaboli oppreſſis indulgentiam, cæleſtemque animo ægrotantibus medelam noua Iubilæi luce prædicat: noua quoque Religioni Comitia, noui Generalis electionem; nouam denique ſobolem, ac propagationem annunciat. Etenim Vicarius Meſſanenſis Prouinciæ, in qua Vincentium Generalem diem obire contigerat, hoc anno iuxta Pauli III. Conſtitutionem; duorum proximorum Prouincialium Vicariorum conſilio, & conſenſu explorato, Generalia Comitia Romæ circa Feſtum Pentecoſtes conuocat: in hiſque dùm noui Generalis electio, ſub Fr. Hieronymo à Monteflorum; cui ob Vincentij Generalis mortem, Commiſſarij Generalis munus obtigerat, ac ſextumdecimum Generale Capitulum paratur: Cardinalis Vrbinas Ordinis Protector, cùm facilem aliquorum dictis fidem adhibuiſſet, qui Schiſmata inter Electores graſſari falsò illi perſuaſerant; Fr. Marium à Foroſarzinio, qui ante Vincentium Generalatus officio functus fuerat: ad Comitia deſtinat; vt futuræ Generalis electioni præſideat. Noua, ac prorſus inſolita Electoribus res viſa eſt; quæ nulli rerum veritati innixa, Religionis ſplendorem, ac ſimplicitatem denigraret. Quapropter Hieronymus, re communi conſilio diſcuſſa, grauiſſimos ad Cardinalem Patres deſtinat: qui ſummam Electorum concordiam, ab omni prorſus diſſidij ſuſpicione vacuam, ſignificarent. Hi igitur cùm falſam ab Cardinalis animo Schiſmatis opinionem abſterſiſſent, illum à propoſito reuocant: neque ab his diſſentaneus rerum exitus fuit: nam cùm libera Comitia fierent, ſummo omnium Electorum conſenſu Fr. Hieronymus à Monte-florum, qui in priori Capitulo, primi Definitoris locum obtinuerat. Vir omnium ſæculorum memoria dignus; vti ipſius geſta, ſuo loco exaranda, declarabunt, Generalis Vicarius eligitur.

*F. Hieronymus à Monte florũ Vicarius Generalis eligitur.*

II. Quædam ab hoc Capitulo haud ſilentio prætereunda, ſtatuta prodiêre. In his, vt Generales Ordinis Conſtitutiones, quæ primùm anno 1552. Venetiis, ſub Euſebio Anconitano excuſſæ fuerant, ſacris Tridentini Concilij Canonibus, ac Pontificus nonnullis decretis auctæ, iterum prælo datæ, in lucem ederentur. Aprutiæ quoque Prouincia, quæ circa annum 1553. à Matthæo de Leoniſſa, Viro ſanctimonia illuſtri; extructo Aquilæ Monaſterio, fundata, ad hunc vſque annum Romanæ Prouinciæ coniuncta fuerat: Capituli Generalis decreto ab ea diſiuncta, ſub F. Laurentio à Montepolitiano Generali Commiſſario, hoc anno Aprutinæ Prouinciæ nomen accipit: atque eodem tempore in Ciuitate Pennæ, ac Terami Monaſteria fundantur.

*Quædã huius Capituli ſtatuta referuntur.*

III. Interea Dionyſius Mediolanenſis cum Remigio, iam ante annum in Galliam miſſus; cùm Francorum gentem ad pietatem, ac religionem propenſam; ac præſertim Carolum Regem, & Catharinam Matrem, nouæ huius Religionis, (cuius plurimùm ſimplicitate, ac vitæ ratione delectabantur) cupiditate incenſos offenderet: iam ſuperiori anno, ad Hieronymum à Monteflorum, Generalem tunc Commiſſarium ſcripſerat: Maximam Religioni in ampliſſimo illo Regno, meſſem à Domino parari; Populoſque ad Religionem procliues operarios expetere; qui Chriſtianum agrum excolant, atque ad vberiorem fructum prouocent. Quapropter cùm eodem tempore; à Carolo Rege literæ ad Pontificem conſcriberetur;







quibus Capucinos in Galliam tranſmitti, ibique eis Monaſteria ædificari poſtulabatur: Gregorius XIII. qui Fidei, ac Religionis propagandæ ſtudio nulli ſecundus fuit: in huius anni exordio, Diploma edidit, quo ſublata Pauli III. Pontif. Conſtitutione, qua Capucinis cautum fuerat: ne Religionem apud Vltramontanos propagarent; liberam iis facultatem tribuit, vt vbique terrarum Religionem extendere, ac Monaſteria ædificare valeant. Diplomatis hoc tranſumptum legitur.

*Gregorij XIII Pontificis Diplomate, Capucini in Galliam pergunt.*

*IN NOMINE ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Nouerint vniuerſi, & ſinguli, hoc præſens publicum tranſumptum inſpecturi, quòd Nos Alexander Riarius, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Camerarius, nec non Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, ſententiarum quoque, & cenſurarum in eadem Romana Curia, & extra latarum, ac quarumcunque literarum Apoſtolicarum vniuerſalis, ac merus executor, habuimus, vidimus, ac diligenter inſpeximus Religionis Ordinis Fratrum Minorum Congregationis Capucinorum nuncupatorum, dudum in Italia ſalubriter inſtitutæ, literas Apoſtolicas conceſſionis, & indulti per prælibatum S.D.N. Gregorium 13. conceſſas, & ſub Plumbo, vt moris eſt, expeditas; ſanas quidem, & omnimoda ſuſpicione carentes: quarum quidem literarum Apoſtolicarum tenor talis eſt: videlicet;*

# GREGORIVS EPISCOPVS.
## Seruus ſeruoruum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

*EX noſtri Paſtoralis officij debito ad ea libenter attendimus, per quæ ſingularum Religionum propagationi conſulatur: maximè verò quæ alicubi ex ſpeciali populorum deuotione optantur. Cùm Itaque Religio Ordinis Fratrum Minorum Congregationis Capucinorum nuncupatæ, dudum in Italia ſalubriter inſtituta, nunc etiam in partibus Galliarum, & ſignanter in alma Ciuitate Pariſienſi inſtitui cœpta, ad finem perduci deſideretur: ſed quia aliàs fel. record. Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter, ex certis tunc expreſſis cauſis, in virtute ſanctæ Obedienriæ, & ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna. Dilectis filiis Vicario Generali, & Fratribus dictorum Ordinis, & Congregationis motu proprio præcepit; ne donec à ſe in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis, quod in Vrbe celebrandum erat, aliud ſuper eo determinatum foret, ſeſe vltrà Montes transferre, aut loca de nouo acceptare auderent: ipſi Vicarius, & Fratres, etſi hoc præceptum dicti Prædeceſſoris obitu creditum ſit expiraſſe; veriti tamen crimen tranſgreſſionis, nihil omninò contra illud, abſque dictæ Sedis permiſſione, auſi ſint huc vſque attrectare. Nos Religionis ampliandę ſtudio, prohibitionem prædictam, ac quicquid à dicto Prędeceſſore eius cauſa decretum eſt, auctoritate pręſentium abrogamus; ac Vicarium, & Fratres prędictos contra illa in integrum reſtituimus. Quin etiam illis ad Gallias, & cęteras omnes Orbis*

*partes liberè tranſeundi, & ibidem Domos, Loca, Cuſtodias, & Prouincias iuxta eorum Ordinem, fundandi, & inſtituendi licentiam tribuimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Quia verò difficile eſſet, præſentes quocunque illis opus erit, perferri. Volumus, vt illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abrogationis, reſtitutionis, tributionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit. indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.*

*Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1575. Prid. Non. Maij, Pontificatus noſtri Anno quarto. Cæſar Glorierius. M. Datarius. A. de Alexiis. Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium. Quibus quidem literis diligenter inſpectis, ad requiſitionem R.P.F. Hieronymi de Monte-florū Commiſſarij Generalis Religionis, per Notarium publicum infraſcriptum, ipſas exemplari mandauimus, & tranſumi, & in publicam formam redigi; decernen. & volen. vt huic præſenti Tranſumpto publico, ſiue exemplo plena fides deinceps adhibeatur vbilibet in locis omnibus, & ſingulis, quibus fuerit opportunum, ipſumque Tranſumptum fidem faciat, & illi ſtetur, ac ſi originales ipſe litteræ apparerent. Quibus omnibus, & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam interpoſuimus, & decretum. Datum Romæ in Aedibus noſtris, ſub anno à Natiuitate Domini M. D. L. XXV. Indictione 3. die verò 3. Menſis Iunij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, Domini Gregorij diuina Prouidentia 13. Anno 4. præſentibus ibidem DD. Antonio Guidotto, & Pompeio Valerio Connotariis teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula habitis, vocatis atque rogatis.*

*Gratis vbique Alex. Au.*

*Et quia ego Fabr. Gall. Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius de præmiſſis rogatus fui: ideò præſens Inſtrumentum manu aliena ſcriptum ſubſcripſi requiſitus.*

*Locus Signi Notarij*

*Locus ſigilli pendentis.*

*F. Pacificus à S. Geruaſio cum aliis in Galliam deſtinatur.*

IV. Quamobrem Hieronymus Generalis, hoc tempore Fratrem Pacificum à Sancto Geruaſio, Brixienſem, Virum prudentem, ac multis virtutibus illuſtrem Generalem Commiſſarium creat: ac plena Fratres, quacunque etiam dignitate præditos, vndique ſibi ex Prouinciis eligendi poteſtate donatum, in Galliam mittit. Ex quo admirabilis planè in Religione adminiſtranda Dei Prouidentia nobis perpendenda ſe offert. Nam in primo totius Religionis ortu; cùm Beatus Pater noſter Franciſcus Minorum Ordinem apud Gallos propagare decreuiſſet: quandoquidem ab Vgolino Cardinali prohibitus, id per ſe præſtare non potuit, Fr.

Pacificum



Pacificum Socium ad id opus peragendum eligit, quem mox in Galliam deſtinat: quemadmodum ex Chronic. tom. 1. l. 1. capit. 62. & apud Luc. Vuading. Annal. Anno 1216. numer. 2. pag. 165. & Annal. 1217. num. 1. pag. 173. cunctis perſpicuum eſt. Iam verò qua ratione, aut conſilio factum ſit; vt quum primum de Capucinorum Religione in Galliæ Regno propaganda, haud alius, quàm alter Pacificus, nomine ac vitæ ſanctimonia priori conſimilis, eligatur; qui nouæ Reformationis ſemina in ampliſſimo Regno iaciat, ac præclaris virtutibus excolat: cùm id humana Noſtrorum prudentia non pepererit: haud profectò aliundè, prætерquam ex ſuperna Dei Prouidentia effluxiſſe arbitramur: vt hinc nouæ huius Religionis Patres, non alio, quàm antiquo B. P. N. Franciſci ſpiritu ductos fuiſſe exploratum eſſet: miraque inter primam Ordinis natiuitatem, & poſtremam ipſius Reformationem harmonia probaretur.

*Chron. Ord. t. 1. l. 1. c. 62.*

*Luc. Vvading. Annal. ann. 1216. n. 2. & ann. 1217. n. 1.*

V. Erat igitur Vir hic nomine, atque animo Pacificus, ac mitiſſimus, laborum patiens, ac rerum tolerantia inſignis; de quo plura inferiùs dicturi ſumus. Hic decem ſibi adiunctis ſociis, quorum nomina ſunt, Fr. Hieronymus à Mediolano, Guardianus Conuentus Mediolanenſis, Clemens à Neapoli Guardianus Aretij in Thuſcia, Antonius Piſanus, Franciſcus à Briga Prouinciæ Genuenſis, Ludouicus Belga, Leander Venetus, vniuerſi Concionatores, Petrus à Campis Sacerdos: quibus duo quoque Laïci Fratres cum Ludouico Gallo Clerico adiuncti fuêre; Hi cùm iter in Galliam per Alpium iuga ſuſcepiſſent; planè incredibile eſt, quanta eo in itinere grex ille puſillus incommoda pertulerit. Nam cùm ea habitus forma, his adhuc populis ignota eſſet: ab iis paſſim Incolæ, velut à nefariis, & proſcriptis hominibus ſibi cauebant: neque erat, qui eos vel hoſpitio colligere, vel iis ad victum neceſſaria miniſtrare vellet. Quo fit, vt ſæpiſſimè in agris, vel ſpeluncis pernoctarent; nec præterquam aliqua hordeacei, vel fabacei panis fruſtula; quibus necdum ad ſaturitatem veſcebantur, quicquam ab indigenis acciperent. Cùm etiam quidam ſcenicos, alij hiſtriones; non pauci Errones, ac Manticularios eos arbitrarentur; eo fiebat; vt qui iis interdum petulantiores erant, ſæpè illos per Caputij acumen arreptos, eos hâc illacque diſtraherent: quæ illi ſumma patientia tolerantes, has procul dubiò Dæmonum artes eſſe agnoſcebant; quibus eos à propoſito deterrere conabantur: atque inde maiores, ad dura pro Domino toleranda, è Cælo animos accipiebant. At verò neque æquum eſt cenſere, hæc abſque ſummo Dei conſilio fieri: hos enim quaſi lapides viuos variis laborum, atque ærumnarum ſcalpris inciſos, Dei ſapientia, ad nouam Religionis apud Gallos ædificationem parabat; quæ in vaſtam aliquando Prouinciarum molem excreſceret. Hoc pacto cùm Lutetiam Pariſiorum perueniſſent: Dionyſium cum ſocio, adhuc in hoſpitio, ſeu potiùs tuguriolo, illis in Pago Piquepus, quod non longè Pariſiis diſtat, aſſignato, degentem offendunt: quòd cùm tam exiguum, & anguſtum eſſet, vt vniuerſos capere non poſſet: Pacificus Catharinam Reginam, quæ ob Caroli Regis filij obitum; qui ſuperiori anno 1574. è viuis exceſſerat; Regni gubernacula, vſque ad Henrici 3. in Regno ſucceſſoris, è Polonia aduentum ſuſceperat; adire decernit. Iam eodem, quo Rex anno, Carolus Cardinalis Lotharingius diem fatalem compleuerat; cuius ope, ac beneuolentia eouſque Fratres ſuffulti fuerant! quo fit, vt non ſine maximo labore Pacificus acceſſum ſibi ad Reginam comparauerit. Pacificus igitur ſumma patientia, ac labore, Reginæ tandem conſpectum adeptus; Diplomate explicato, indultam ſibi à Pontifice facultatem, eiuſdem zelum, ſimulque Religionis ſtudia in Gallicani Regni commodum, atque vtilitatem propenſa narrat; propagandæ Religionis munus ſibi à Generali demandatum explicat; ſuumque ac ſuorum omnium laborem, ac ſollicitudinem, ad totius Regni beneficium offert: denique ab ea humillimè locum propè Regiam Pariſiorum Vrbem poſtulat; in quo primi totius Regni Conuentus fundamenta iaciantur. Regina Patrum aduentu plurimùm gauiſa, omni eos humanitate excipit; locum ædificationi aptum promittit; ſuumque illis vbique patrociniū pollicetur. Verùm

*Mira inter Minor. Ord. ortum, & Reformationis natiuitatem harmonia declaratur.*

*F. Pacificus cum Sociis pleraque in itinere incōmoda fert.*

*Pacificus Reginam adit, ac Monaſterium Pariſiis impetrat.*

cùm

*Catharinæ Mediceæ Reginæ in Capucinos beneuolentia.*

cùm eo tempore, Henricus Rex Regni ſucceſſor, è Polonia in Galliam rediret; Catharina mater, vt Regi filio occurrat, re infecta Lugdunum proficiſcitur: ac breui temporis interuallo cum Rege Lutetiam reuerſa; Pacificum, ac reliquos Patres Hērico filio oblatos, apud eum verbis plurimùm commendat: mox de Regis conſenſu amplam domum nonnullis hortis inſtructam, quæ olim illuſtris cuiuſdam Viri, qui Tirmolia appellabatur, poſſeſſio fuerat, tunc verò ad Regias manus peruenerat, propè eam Vrbis partem, quam Laterarias nūcupant; in ſuburbio S. Honorati, Pacifico ad Conuentum extruendum aſſignat: Antonio Maria Saluiato: tunc Apoſtolico apud Regem Nuncio, & Ioanne Franciſco Mauroceno, Venetæ Reipublicæ Oratore, in id interea haud intēpeſtiua ſua ſtudia conferentibus: quorum ſanè Virorum is fuit in Religionem ardor; vt omnibus, quibus poſſent, officiis noſtros vbique complecterentur.

*Henrici III. Regis in Capucinos pietas ac liberalitas.*

Porrò Catharinæ Reginæ erga nos pietas vſque adeò enituit; vt cùm prima Ec- VI.
cleſiæ fundamenta iacerentur; ea nobiliſſimæ Blancæ Francorum, atque alterius Nauarrorum Reginæ, plurimorumque Regni Ducum, ac Baronum comitatu ſtipata; quibus & Apoſtolicus Nuncius, & Venetus Orator acceſſêre: ſolemni primarij lapidis collocationi præſens eſſe, Eccleſiamque B. Catharinæ, cuius ea nomine fruebatur, dedicari voluerit. Henrici quoque Regis in noſtros, haud vulgaris liberalitas emicuit: qui egregia aureorum ſumma, quam ex proprio ærario hauſerat, conſtituta; ædificationem regio munere inchoauit. Neque verò his Catharina Regina contenta; cùm ad Religionis propagationem ardentiori ſtudio accenderetur; Pacifico ſuadet: vt miſſis Lugdunum Fratribus, in ea Vrbe, quæ totius Galliæ Emporium eſt, ſuis Domicilium inſtituat: vt inde ſe in alias quoque Galliæ plagas diffundere valeant; quibus & ipſa ſuam vbique operam pollicetur. Id cùm Pacificus iam apud ſe cogitaſſet; Reginæ conſilio plurimùm commendato, diuinam apud ſe prouidentiam ſuſpiciebat; quæ tam ſollicitè Religionis propagationi inuigilaret. Quapropter cùm occaſionē premendā nō ignoraret: F. Hieronymū Mediolanensē, Virū prudentem, ac induſtrium in hoc opus eligit; quem Catharina Regina, literis ad Vrbis Proceres conſcriptis; quarum hic tenor eſt, proſequitur.

*Hieronymus Mediolanenſis Lugdunū à Pacifico deſtinatur.*

DILECTIS NOSTRIS, AC FIDELIBVS VRBIS Lugdunenſis Conſulibus ſalutem.

*CVM Religioſi Patres Ordinis S. Franciſci, qui Capucini nuncupantur, ad augendam diuini nominis gloriam, domicilium in noſtra Lugduni Vrbe expetant; in qua iuxta Ordinis ſui leges, ac ſtatuta viuant. Nos, qui ob præclaram, ac ſanctam eorum vitam, eos maximè veneramur, ac tenero amore complectimur: id vobis ſignificare voluimus, vt ſimulatque has noſtras acceperitis; aptum, ac commodum illis in aliqua Vrbis parte locum aſſignetis, in quo Monaſterium ædificare queant; eorumque perſonas, ac cuncta ad eos ſpectantia, non ſolùm ob ſpectatam, ac ſanctam eorum vitæ rationem; ſed etiam ob noſtram in eos deuotionem, ac beneuolentiam, tanquam à nobis maximè cōmendatos, curetis. Pariſiis ſept. Kal. Maij. 1575.*

*Signum*

*Catharina.*

His itaque literis munitus, Hieronymus Lugdunum versùs iter ſuſcipit: quo cùm non antea peruenerit, quàm Annus 1576. eluceſceret: hinc de eo, ac Lugdunenſis Prouinciæ fundatione, anno tantùm ſequenti nobis agendum erit.





VII. Intereà verò Hieronymus Generalis, ſolutis Comitiis, cùm viſitatione ab Apuliæ Prouincia inſtituta; Sipontum, ſeu Manfredoniam veniſſet: ibi iuuenem quendam, Camillum nomine, offendit: qui cùm vſque ad vigeſimum quintum annum, militiæ operam dediſſet; profligatóque in ludis patrimonio, ad ſummam rerum egeſtatem deueniſſet: hunc ſine domicilio vagantem Fratres hoſpitio collegerant; eiuſque opera ad Conuentus ædificationem, quæ tunc peragebatur, eouſque vſi fuerant. Hic igitur pia Fratrum conuerſatione, ac crebris eorum admonitionibus, ad meliorem vitæ frugem conuerſus: Deo potiſſimùm operante, qui ex tenebris iubet lucem ſplendeſcere; tunc primùm ſalutis ſpiritum concipit; & anteactæ vitæ rationem tam perfectè animo deteſtatur; vt nullum mentis mœroribus, nullum lachrymis, nullum ieiuniis, atque aliis corporis caſtigationibus, quibus præteritas animi labes expiaret, finem imponeret. Quapropter, ab eo tempore, tam ardenti Religionis amplectendæ ſtudio teneri cœpit; vt cùm primùm Hieronymus Generalis ad Conuentum appulit, ad illius pedes prouolutus, ab eo ſummis precibus in Religionis gremium ſuſcipi poſtulauerit. Piæ eiuſmodi petitioni ſuffragabantur illius Familiæ Fratres; quibus Camilli pietas, ardénſque ad omnes virtutes ſtudium haud ignota erant. Quamobrem Generalis; tum Iuuenis ſupplicationibus, quæ incenſum deuotione animum præferebant; tum etiam tot Patrum teſtimoniis permotus, eum in Clericorum numerum adſcribit; Triuentúmque ad conſuetam anni probationem deſtinat. Dum igitur temporali militia abiecta, nouus Chriſti miles, ſeuerioris vitæ tyrocinium inſtituit; atque in omni virtutum genere, ac præſertim humilitate ſeipſum exercet: cuius ſtudio Clericatus honori renuncians, in Laïcorum numerum cooptari voluit: plaga quædam, quæ in ſuprema dextri pedis parte illi antehac orta fuerat, iterum refricatur: atque adeò recrudeſcit; vt cùm nullo prorſus remedio curari poſſet, magno ipſius Camilli; ac totius Familiæ dolore, ab Ordine, poſt duos plus minúſve menſes, dimiſſus fuerit. At quandoquidem Camillus, nimia ob id mentis triſtitia abſorberi videbatur: Ioannes Maria à Tiſſa, qui Prouincialis Vicarij tunc in ea Prouincia munus gerebat: ac deinde ob eximiam illius virtutem, ac prudentiam ad ſupremam Generalatus dignitatem conſcendit: Iuuenem verbis conſolatur; & ſi plagam ſanari contingat, rurſus illum ad Religionis ſinum recipiendum pollicetur.

*Camillus de Lellis re omni ſua diſſipata ad ſummā egeſtatem redigitur.*

*Capucinorū Religioni Nouitius adſcribitur.*

*Ob plagā ab Ordine dimittitur.*

VIII. Hunc Deus Opt. Max. quandoquidem ad pij Ordinis fundamentum, æterna ſua ſapientia, vocandum decreuerat; velut electum lapidem priùs egeſtatis, laborum, ærumnarum tunſionibus probat: tum verò à terrena militia, atque à ſæculi calamitatibus abſtractum, ad Capucinorum familiam compellit; vt ab ea virtutum ſemina legeret, ac purioris vitæ inſtitutionem ſibi vendicaret. Camillus itaque hac pollicitatione à Capucinis dimiſſus, Romam proficiſcitur: vbi in Hoſpitali S. Iacobi Incurabilium Domo, Ægrotorum ſe obſequiis conſecrat: ac tandiu pio eiuſmodi labori incumbit; quoad pedis plaga curata, iterum ad Capucinos ſibi remeandum ſtatueret. Erat tunc Ioannes Maria à Tiſſa apud Romanam Curiam Ordinis Procurator: ad quem cùm Camillus, curata iam plaga, acceſſiſſet; ac promiſſum illi ad memoriam reuocaſſet: is illum rurſus Religionis habitu donatum, In Aprutij Prouinciam mittit; vbi in Conuentu Tallequitij, iterum magna animi voluptate, anni probationem aggreditur; eamque vſque ad quartum menſem integra corporis valetudine, ac virtutum profectu producit. At immutabilis Deus, qui Camillum ab vtero matris ſegregauerat, ac in opus ſuum delegerat; pedis plagam iterum renouari, atque adeò cancri inſtar putreſcere, & ſerpere permittit: vt cùm ea propemodùm incurabilis videretur, iterum ab Ordine dimiſſus, id diuino conſilio aſſecutus fuerit; vt Clericorum Regularium, qui Miniſtri Infirmorum nuncupantur, inclytus Auctor, ac inſtitutor fieret: admirandúm-

*In Hoſpitali S. Iacobi incurabilium domo Miniſtrat.*

*Iterum plaga ſanata ad Capucinos ſe confert, iterumque dimittitur.*

*Ordinis Cler. Reg. qui Infirmis Miniſtrāt, fundator efficitur.*

*Eccleſ. 43.*

que illlud Dei Vas eſſe agnoſceretur, de quo Sapiens. *Vas admirabile, opus Excelſi.* Huius vitam, ac geſta præclarè deſcripſit Sanctius Cicatellus, olim eiuſdem Ordinis Generalis.

IX. Verùm, ~~vt ad~~ Pacificum redeam: is Lutetiæ Pariſiorum iactis: (vt dictum eſt) Eccleſiæ fundamentis; dum ardentiſſimo ſtudio cum Sociis, ad Conuentus ædificationem incumbit; quotidianoſque in ea labores vnà omnes impigrè exantlant: admirabilem planè, ac Seraphica Religione dignam vitæ rationem inſtituunt. Etenim inter ædificationis labores, tanta vitæ auſteritate, ac virtutum diſciplina cœptum opus proſequuntur; vt ſumma cum rerum penuria, vix res ad vitam neceſſarias admitterent. Hîc enim ſæpiſſimè viderè erat; poſt labores ex his pleroſque, qui robuſtiores erant, panè ſolo, & aqua famem, ac ſitim extinguere; alios pani ſolos fructus adhibere. Et ſi qui debiliores erant, iuſculum addere: omnes verò à lautioribus cibis abſtinere. Hîc nudæ tabulæ, vel matta duntaxat humi ſtrata, corpori laboribus feſſo lectum miniſtrabant. Hîc noui Religionis Propagatores, cùm ſe Seraphicæ domus Architectos, ampliſſimo Regno datos agnoſcerent; ſapientiſſimè in profunda ſui ipſorum deſpicientia, humilitate, ac vitæ auſteritate fundamenta ponunt. Corpus quotidianis flagellis cædunt; ciliciis domant, ieiuniis extenuant, frigore, ac nuditate caſtigant, carnem cum vitiis crucifigunt. Huic, ædificij molem, fundamento ſuperſtruentes: primùm rerum omnium contemptum; tum altiſſimæ paupertatis cupiditatem, ſuauiſſimum obedientiæ iugum, ſuauè olentem caſtitatis odorem, ardentiorem erga omnes Charitatem; perfectamque diuinæ, ac Seraphicæ legis iuſtitiam tam perfectè ædificant; atque aſſiduo Orationis ſtudio, iugique rerum Diuinarum contemplatione ſtabiliunt, ac velut mœnibus muniunt; ne aliquando hoſtium direptionibus pateant: vt iucundum atque admirabile Deo, Angelis, atque hominibus, ſpectaculum exhiberent. Hi denique, dum prolixas noctu in Oratione vigilias ducunt, dum pias ante Deum lâchrymas fundunt, dum pro aliis ſeipſos Deo hoſtias immolant, ac ſacrificant: his defatigatos animos recreant, ac maiores inde ad diuinum opus exantlandum vires ſibi augeri ſentiunt.

*Pacifici, & aliorum vitæ auſteritas indicatur.*

*Eorum vita virtutibus plena.*

X. Quanquam verò tanta abſtinentia, ac rerum auſteritate vitam ducerent: Poſt hæc tamen tam hilari vultu, & alacres apparebant; quaſi oppiparè conuiuantes vitam in deliciis tranſigerent. Enimuerò hæc in perfectis hiſce Dei Seruis vera ſpiritualis vitæ voluptas operabatur: qua fiebat, vt cùm inter tot vitæ aſperitates, ingenuam quandam animi, ac vultus alacritatem oſtenderent; maximæ his populis, qui animi plurimùm ingenuitate delectantur, admirationi eſſent: nec materialem domum tantummodò: ſed & omnium virtutum ſtructura, ſpirituales cunctorum animos ædificarent.

XI. Interea Pacificus, præteritis incommodis affectus, tum etiam aſſiduis laboribus, ac ſenio conſumptus, in morbum incidit: quo ingraueſcente, ante huius anni finem, haud abſque ſingularis ſanctimoniæ fama, ac maximo omnium mœrore morte nobis eripitur; Franciſco à Briga ſibi interea in eo munere ſuffecto. Nonnulla de hoc præclaro Viro hîc commemorare lubet, ne abſque honore ipſius memoria elabatur.

*Pacificus Lutetiæ diē extremū claudit.*

## *F. PACIFICI A S. GERVASIO.*
## *Vita, & Geſta.*

*E S. Georgij in Alga Cænobio ad Capucinos euolat.*

XII. VIr hic Venerabilis, cùm in Cœnobio S. Georgij in Alga, apud Venetos Ordinis illius profeſſus, vſque ad vigeſimum quartum annū, magna cum virtutū laude vitam duxiſſet: Patre luminum illuſtrāte, ad Capucinorum Ordinē ſe confert; in

quo cùm



quo cùm vir animo præſtans, ac prudentia clarus eſſet: ſæpè Vicarij Prouincialis, in Veneta Prouincia munere functus; Generalis quoque Commiſſarij in Apulia, in Creta Inſula, ac tandem in Gallia onus ſuſtinet. Virtutibus quoque, ac præſertim abſtinentia, adeò fuit illuſtris; vt cùm arctiſſima panis, & aquæ ieiunia ter in hebdomada, cunctaſque B. Patris Franciſci Quadrageſimales inedias inuiolabiliter ſeruaret: multis denique corpus caſtigationibus, atque auſteritatibus affligeret; vultu tamen ſemper iucundo conſpiceretur. Longas in oratione vigilias ducere ſolitus erat; in quibus raptus ſæpè, ac extaſes patiebatur. Diuini honoris zelo æſtuans, cùm aliquando Vtini, quæ Vrbs Carnorum eſt, Venetæ Reipublicæ ſubiecta, ſacra Myſteria celebraret; nobiles quoſdam reprehendit; qui cùm altiùs inter ſe in Eccleſia colloquerentur; Sacrorum Myſteriorum attentionem impediebant; ea illis Chriſti verba obiiciens: *Domus mea Domus orationis eſt*, non colloquiorū, aut negotiorū eſt. Hanc Patris increpationem, cùm aliis æquo animo accipientibus, ex his alter nimis ægrè tuliſſet, eidem verbis comminari cœpit. At Deus Opt. Max. qui iuſtum ſuis Sacerdotibus honorem, ac obedientiam vult impendi; contumeliam Sacerdoti illatam, haud inultam elabi ſinit: Vix enim ille domum reuerſus, repentino morbo corripitur; ex quo poſt horam animam exhalat.

*Plurima in Religione prudentia, ac virtute emicat.*

*In eum contumelioſus repentina morte à Deo mulctatur.*

XIII. Illud verò ipſius illuſtre factum narratur. Nam in Galliam cum ſociis proficiſcens, cùm Aurelianum perueniſſet; à Catholico Viro hoſpitio exceptus; dùm aliquas ibi moras trahit, eò Hæreticus quidam accedit: qui cùm veram Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentiam, in Euchariſtiæ Sacramento pertinaciter negaret: Pacificus contrà diuinis Scripturarum, ac Patrum teſtimoniis id illi perſuadere nitebatur. Ille verò in Hæreſi pertinax: Tam verum eſt, inquit, Chriſti Corpus, & Sanguinem verè in Sacramento adeſſe: quàm verùm eſt, illud arboris faſtigium (quercum altam manu indicans) ſolum contingere. Cui Pacificus; Quid? ait: Si illud arboris culmen ſeſe ad imum demittat, num teipſum ſub huius Myſterij fide captiuum dedes? Id profectò (inquit Hæreticus) qui id fieri haud poſſe exiſtimabat. Pacificus verò mox in genua procidens, Deum breui oratione precatur: poſt quam ſurgens quercui in Dei nomine imperat. Vt in diuinæ huius veritatis teſtimonium, ſummum faſtigium ad imum vſque ſolum declinet. Res diuina prorſus, atque admirabilis tunc viſa fuit: nam vix verba Pacificus protulerat; cùm protinùs quercùs procera, atque annoſa, dicto obediens, ſupremum apicem, ſpectante Hæretico, ad ima deflectit: ac Catholicum dogma ſua obedientia confirmat: quo ille prodigio commotus, ſtatim ad Catholicam Fidem accedit. Denique Vir hic multis clarus virtutibus, ac piis pro Religione egregiè laboribus perfunctus; cùm magnam apud omnes ſanctimoniæ exiſtimationem ſibi comparaſſet: Pariſiis ad laborum præmia euolat: cuius corpus cùm ob confluentis Populi multitudinem, quæ ad illud venerandum acceſſerat, biduo inſepultum permanſiſſet: tertio denique die, in Eccleſia S. Germani, magno totius Vrbis honore conditum fuit.

*Cum Hæretico de veritate ſacræ Euchariſtiæ diſputat.*

*Catholicam veritatē miraculo confirmat.*

XIV. Floruit hoc ipſo tempore, in Piceni Prouincia, Fr. Ioannes Baptiſta ab Apiro: Sacerdos multarum virtutum ſplendore illuſtris: abſtinentiáque adeò inſignis, vt cùm nullo vnquam tempore, cibo famem, ac potu ſitim expelleret; perpetuum illi eſſet cum inedia bellum. Somni parciſſimus, plurimas noctu præſertim in oratione horas inſumere ſolitus erat. De rebus diuinis tam mira ſuauitate colloquebatur; vt cunctos ad virtutem, vi quadam verbis ſuis à Deo indita, alliceret: quo fiebat, vt nullus illum vel ſemel colloquentem audiſſet; quin illius iterum audiendi ſtudio afficeretur. Hinc mœſtos, ægrotantes, & calamitate aliqua oppreſſos ita conſolabatur; vt ab iis omne triſtitiæ, ac tribulationis pondus auferret: tam mitis, ac manſuetus fuiſſe legitur; vt iram prorſus neſcire videretur. Denique cùm in maxima paupertate, humilitate, charitate, ac perfecta Regulæ obſeruantia vitam vſque ad ſexa-

*F. IOANNIS BAPTISTÆ ab Apiro, vita & geſta.*

*Multis virtutum ornamentis illuſtris.*

geſimum annum traduxiſſet; in Conuentu Mentolæ, quæ Piceni Oppidum eſt, iuxta primos Appennini colles ſitum, hoc anno in ſupremum languorem decidit. Cùm verò inſtante mortis articulo, plurimos Dæmones Cellam ingreſſos conſpiceret; ad beatiſſimam Virginem conuerſus, illius opem implorat; quæ protinùs apparens ſua præſentia Dæmones fugat: ac velut Sol obiectas nebulas diſiicit. Porrò Virgine Deipara conſpecta Ioannes Baptiſta mox exclamat: Opportunè, ò Virgo Beatiſſima, opportunè, huc aduenisti: iam cedunt Tartarea Monſtra: iam nubila omnia diffugiunt. O quàm lucida, ò quam pulchra, ac formoſa es Cælorum Regina! Statimque in mentis exceſſum raptus; cùm in eo per aliquod temporis ſpatium quieuiſſet; ad ſenſus rediens, Guardiano inquit: Quàm grandia Pater, quàm alta, quàm admirabilia ſunt, quæ veris Fratribus Minoribus in Cælo repoſita ſunt! O ſi illa tibi effari poſſem, quanta tibi animo voluptas accederet. At alterius linguæ hæc vox eſt; neque ea hîc proloqui licet. Benedicite Pater: quibus in verbis extremum Deo ſpiritum reddidit; maiora, ac pulchriora in Dei Regno conſpecturus.

*B. Virginis in morte præſentia fruitur, ac magna de Paradiſi gloria prædicat.*

*F. PHILIPPI à Monte veteri Vita, & geſta.*

XV. In eadem Prouincia, Fratris Philippi à Monte-Veteri Laici, celebris eſt memoria: qui cùm purus è ſæculo ad Religionem acceſſiſſet, in ea verus Iſraëlita abſque dolo perſeuerauit: tanta ſimplicitate, ac puritate præditus; vt nihil vnquàm mali ſuſpicari poſſet. Obedientia, humilitate, paupertate, ac præſertim charitate erga pauperes ita enituit; vt quæ ſibi in menſa obtingebant, piſcium, aut carnium obſonia, iucundiùs egenis erogaret, quàm ſibi retineret: quibus cùm aliud tribuendum non ſuppeteret; ne vacui recederent, oléra, ac cæteras horti fruges largiebatur. Atque adeò hac in pauperes pietate afficiebatur; vt cùm aliquando oblatam ſibi à nobili quadam fœmina panis eleemoſinam, petenti pauperi, ea præſente, tribuiſſet: illa Philippum increpans, ait: Haud tibi eleemoſynam largior, vt eam in alienos conferas; ſed vt tibi, ac tuis ſerues. Ob hæc Mulieris verba, cùm Philippus ad illius domum deinceps pro eleemoſyna non accederet. Admirabatur Mulier: ſemelque huius rei apud illum conqueſta, ab eo cauſam ſciſcitatur. Cui Philippus: Cur, inquit à te non caueam; quæ ne pauperibus eleemoſynam tribuam, præcepto caues? Mihi ſanè cùm eam aliis pauperibus eleemoſynam erogare non liceat, quam tu ipſa erogandam prohibes, ſatiùs ab eleemoſyna tua abſtinendum cenſui, quam hac lege conſtringi. Hæc vbi nobilis fœmina audiuit; Viri pietatem admirans: Iam, inquit, ſecurus ad eleemoſynam redi, eamque vti libuerit, diſtribue.

*Mira in pauperes charitate afficitur.*

*Diuino amore exæſtuans, multa à Dæmone patitur.*

XVI. Plurimæ hic orationis, multarumque lachrymarum Vir fuit: atque adeò diuini amoris igne exæſtuans; vt cùm internum charitatis impetum ferre non poſſet; ſæpe per Eccleſiam, fulguris inſtar, diſcurrere viſus fuerit. Perpetuam omnium opinione virginitatem coluit. Multa quoque à Dæmonibus perpeſſum ferunt: quæ ſua patientia, ac oratione ſuperauit.

*Fratribus in ſumma rerũ penuria Miraculo diuino proſpicitur.*

XVII. Cùm in Conuentu Croſichij, qui Vrbino mille quingentos paſſus diſtat, demoraretur: accidit, vt ob magnam niuis copiam, quæ è Cælo delapſa fuerat, nulla Fratribus ad mendicationem via pateret; vti alibi ſæpè contigerat: omnique Fratres victus ratione deſtituti; à Dei prouidentia penderent: Dum igitur hac in anguſtia verſantur Philippus in Eccleſiam oraturus ſecedit; quo orante Monaſterij fores pulſantur, caniſtrumque pane refertum in ipſo oſtij limine reperitur: cuius cùm neminem latorem, neque latoris alicuius in niue veſtigia animaduerterent, procul dubio cæleſte munus agnoſcunt; debitaſque Deo gratias rependunt. Denique cùm Quadraginta annos magna cum vitæ puritate, ac ſanctitatis laude, in Religione Domino deſeruiſſet; Anconæ lethifera ægritudine correptus, paulò ante obitum Beatiſſimæ Virginis præſentia, ac colloquio potitur: tum placidè in Domino quieſcit.

*In morte B. Virginis præſentia potitur.*

XVIII. Viri huius ſanctitatem Deus illuſtri poſt mortem teſtimonio declarare voluit: Nam poſt quintum decimum ab ipſius obitu annum; cùm ipſius ſepulchrum





apertum fuiſſet; Philippi corpus non modo integrum, atque incorruptum conſpicitur: verum etiam, in ſepulchro, brachiis in Crucis modum ante pectus cancellatis, oculiſque in Cælum ſublatis; eo planè modo, quo viuens orare conſueuerat, ſtare cernitur: ita vt qui defunctus erat, parum à viuo differre videretur. Gratum illud, ac iucundum, etſi admirabile, omnibus ſpectaculum erat: quo & ſingularis Viri ſanctitas perſpecta fuit; fratréſque ad Dei virtutem, & clementiam ſummis laudibus extollendam excitauit; qui hominis iam in Cælo regnantis oratione, ac oblata pro nobis, eo ſigno, ſupplicatione ſe delectari ſignificabat.

*Poſt quintũ decimũ annum, integrũ ipſius corpus in modum orantis reperitur.*

*F. GRATI Septempedani, vita & geſta.*

XIX. Tertius quoque, in eadem Prouincia, non minori virtute, ac ſanctimoniæ fama eluxit Fr. Gratus Septempedanus, Picentis Prouinciæ Sacerdos: qui inter primos connumeratus, qui ad Reformationem acceſsêre; graues illas Religionis tempeſtates, ex Ochini lapſu excitatas, tam æquo animo ſuſtulit; vt inde fortior, ac conſtantior euaderet: Altiſſimæ paupertatis, ac Regularis obſeruantiæ viam tam inoffenſo pede cucurrit; vt aliis etiam ad maximas virtutes ſibi comparandas, dux, & exemplar fuerit. Orationis, quæ perfectorum cibus eſt, cùm ſtudioſiſſimus eſſet: id ſancti Danielis Prophetæ, quem ſingulari deuotione ſemper coluit, ope, ac interceſſione tuliſſe dicitur: vt claram Scripturarũ intelligentiam conſequeretur: quem etiam ſæpè oranti apparuiſſe traditur. Demùm cùm non modò annorum numero, ſed magis virtutibus conſenuiſſet; hoc anno in Conuentu Æſij ad virtutum præmia conſcendit.

*A S. Daniele Propheta ſcripturarũ intelligẽtiam aſſequitur.*

## FR. FRANCISCI SACCENSIS,
### *Vita, & Geſta.*

*F. FRANCISCVS Saccenſis vita, ac miraculis illuſtris.*

XX. HIs accedit, hoc ipſo Anno Fr. Franciſcus Saccenſis, Prouinciæ Panormitanæ Sacerdos, & Concionator: Vir omnium virtutum laude celebris, qui cùm in Minorum Obſeruantium familia, Theologicis ſtudiis operam dediſſet; apprimèque in Scoti doctrina verſatus eſſet: ex quo eruditiſſimi inter eos ſibi nomen comparauerat; ad Capucinos migrans, humilitatem, ac ſimplicitatem ita doctrinæ prætulit; vt vix vnquam niſi cùm prædicationis officio fungeretur, latina verba proferret. Admirabilis fuit huius Viri vita; atque in iis præſertim, quæ ad ciborum abſtinentiam ſpectant, propè incredibilis. Etenim certa teſtium fide, ac publica deinde omnium fama probatum eſt; tantæ hominem abſtinentiæ extitiſſe: vt bis tantum in hebdomada, nimirum quinta Feria, ac Dominica die cibum ſumeret: reliquos verò dies abſque vllo prorſus alimento præteriret. Porrò dierum illorum refectio, non alio quàm panis, & aquæ cibo ab eo peragebatur: quam viuendi rationem non vno, vel altero anno, ſed triginta annorum ſpatio coluit. Sacram verò Hebdomadam, quæ ſolemne Domini Paſcha præcedit, abſque vllo cibo tranſigere conſueuerat: præterquam in die Iouis Sancti, in quo propter Dei ſolemnitatem duabus, vel tribus, non ampliùs panis buccellis veſcebatur. Interdum etiam à Dominica Paſſionis, vſque ad Reſurrectionem Domini: inter quas quindecim dierum ſpatium interfluit, ita à cibo abſtinuit: vt trinam tantùm toto eo tempore panis, & aquæ refectionem admitteret. Neque ab hoc abſtinentiæ genere eum Quadrageſimalis prædicationis labores deterrebant; tametſi in iis abſtinentiæ dies nonnihil moderaretur. Præter hæc etiam aliquando contigit: vt orationis, cuius is amantiſſimus erat, ſtudio allectus; decem integros dies abſque cibo duxerit. Atque hæc quidem cùm ſine Dei virtute fieri poſſe nemo dubitet; in his quid cuique admirandum, quid imitandum ſit, proponitur. Abſtinentiæ enim virtus, cùm meliorem, & ad cæleſtia aptiorem hominem reddat, cuique procul dubio

*Admirabilis ipſius abſtinentia enarratur.*

*Decem integros dies abſque cibo & potu ducit.*

imitanda eſt:at virtutis exceſſus,non ita.Is namque cùm Deum Auctorem,& Ductorem expectare debeat; temerè, & abſque præuio Dei lumine, minimè à nobis amplectendus eſt: ſed potiùs admirandus, atque omni veneratione in aliis ſuſpiciendus;donec aliud diuinum in nobis numen decernat.

*Septem quotidie flagellationes ſibi adhibet.*

XXI. Tam rigidus in ſui corporis caſtigatione Vir hic fuit: vt ſeptem quotidie iuxta horarum Canonicarum numerum carnis flagellationes exerceret: at Feria ſexta, quam Dominicæ flagellationis memoriæ conſecrare ſolebat, ſpinoſis malorum granatorum ramis durè ſeipſum cædebat: quo tempore tam copioſus ex eo ſanguis effluebat, vt ampla cruoris ſigna, ab eo in Eccleſiæ pauimento relicta, abſtergi opus eſſet;ne homines in horrorem inducerent.Cúmque ab eo Fratres quærerent: quo pacto tot flagellis caro conciſa ſubſiſtere valeret; id reſpondere ſolitus erat: haud tantum ſibi doloris flagellationes adferre, quantum ex pœnarum Chriſti meditatione illi in animo oriebatur. Neque his contentus,vt Chriſti mortificationem iugiter ferret; tria ſibi aſperrima cilicia contexuerat:ex quibus duo terga vſque ad fœmora tegebant,alterum ante pectus vſque ad vmbilicum pendebat: quibus cùm diu noctúque vteretur, perpetuum Chriſto carnis ſuæ martyrium offerebat. Breui, arcto, ac ferè ſemper lacero habitu vtens,quem multis præſegminibus reſarciebat; quàm rerum paupertate,atque aſperitate oblectaretur, non obſcurè ſignificabat.

*Aſperrimis Ciliciis contegitur.*

XXII. At neque his interior mentis ſtatus abſimilis erat: qui cùm per animi virtutes in corpore eluceat;nihil in eo,præter probum,honeſtum,graue, moderatum; Demum præter virtute dignum ſpectandum obiiciebat. Humilitas tam profunda in eo fundamenta iecerat;vt à ſeipſo potius,quàm à vili ſui-ipſius cognitione,ac contemptu auelli poſſe videretur: Patientia, manſuetudo,modeſtia,benignitas,honeſtas, moderatio, charitas; & ſi quæ aliæ virtutes ſunt, quæ perfectum hominem exornant;ita in hoc Viro emicabant:vt non fruſtra apud vniuerſos, non modò Panormitanæ Prouinciæ,verùm etiam Religionis Fratres, haud vulgaris ſanctimoniæ ſibi nomen comparaſſet. B.Virginis cumprimis deuotiſſimus;ſemper,cùm liceret, Sacra in ipſius honorem, Sabbatho præſertim die,facere conſueuerat: cuius etiam præſentia ſæpè potitum fuiſſe, antiqua Monumenta teſtantur. Quàm prolixas in oratione vigilias duceret;quantis orationis locum lachrymis aſpergeret;quámque ſollicitè mentis candori, ac perpetuæ cuidam cum Deo vnioni ſtuderet; haud facilè explicari poteſt. Hinc tanta ſilentium cuſtodia obſeruabat; vt nunquam, aut raró cum fratribus conuerſaretur;ſed ſolitaria ſemper loca quærens, cum Deo habitaret. Cùm verò interdiu aliquando animum remittere vellet:cum F.Vito Epidaurenſi laïco, perſpectæ virtutis Viro, in nemus, vel hortum ſecedens; cum eo Angelicam ſalutationem,in duas partes diſſectam,alternatis vocibus recitabat.

*Internæ ipſius Animi virtutes recenſentur.*

*Dei Verbum ardētiſſimè, & cum fructu diſſeminat.*

XXIII. Præter hæc diuina charitate exæſtuans,miro ſpiritus ardore Dei Verbum diſſeminabat: quo in munere tantopere excellebat: vt cùm ob confluentes turbas,Eccleſia multitudinem quandoque capere non poſſet;ſæpè in plateis prædicare compelleretur. At quandoquidem is Dei Verbum non fabulis,non hiſtoriis, non difficillimis Theologorum quæſtionibus; quæ vel aures demulcerent, vel curioſos ad nouam rerum cognitionem excitarent,illitum; non Rhetorum floſculis ornatum, non lenociniis comptum; ſed nudum, ſimplex, Euangelicum, Dei virtute imbutum, Apoſtoli inſtar pro ſuggeſtu proponebat: inde fiebat; vt Deum plerumque ſuorum dictorum teſtem haberet. Cùm aliquando Bocherij, quod eſt Siracuſanæ Prouinciæ Oppidum, Dei Verbum prædicaret: Duo ſibi demonſtranda præſcripſerat:Primum. Quanta illi animæ lux,& pulchritudo ineſſet, quæ Deum inhabitantem haberet: Alterum, quanta è cōuerſo Animæ illius deformitas,ac turpitudo ſit, quum primùm à Dei gratia deſeritur. Cúmque id variis rationibus explicaret; inter alias hac ſimilitudine vſus eſt. Pendebat in medio Eccleſiæ, magna quædam lampas ardens, quæ ante omnium oculos poſita, à toto populo conſpici poterat:





In hanc cùm Franciſcus oculos defixiſſet,ait: Diſcite,chariſſimi,quænam ſint animæ tenebrę;quamq; miſer hominis ſtatus,cùm Dei gratia deſtituitur:haud ſanè ab eo diſſimilis eſt,qui huius lampadis eſſe contingeret, ſi à lumine mox deſereretur; in qua præterquam tenebræ, ac fœtens odor, nihil ſpectaretur. Vix hæc dixerat; cùm lampas in omnium oculis extincta, nihil præter fumum, ac tetrum odorem exhalare cœpit; qui mox per totam Eccleſiam diuina virtute ita diffunditur, vt vix à populo audiente tolerari poſſet.Dein verò alteram partem exagitans. Diſcite iterum (inquit) quid homo per contritionem, & Pœnitentiæ Sacramentum acquirat; id planè,quod hæc lampas ſibi vendicaret: ſi extinctum lumen reciperet. Statímque lampas Angelico miniſterio accenſa, ſolito lucentiùs ardere;ac radios per cuncta Eccleſiæ loca fulgurare conſpicitur. Id populus cùm prodigij,perterritus,aſpectaſſet; tam ardenter ad pœnitentiam commoueri cœpit; vt cuncti ad Sacramenta properarent: quò ſpirituales tenebras depellere, ac cæleſtem animæ ſplendorem conſequi valerent.

*Lampadis miraculo populum ad pœnitentiam prouocat.*

XXIV. Hoc ipſo in Oppido, cùm aliàs pro ſuggeſtu in eos inueheretur: qui ſub ſpe veniæ peccantes, Dei miſericordiam ſibi vltrò, ac temerè pollicentur. Stabat in totius populi proſpectu, quædam grandior Chriſti Crucifixi ſtatua, eminentiori loco, (vti olim,atque etiamnum in Eccleſiis videri ſolet) ante Sacræ Euchariſtiæ Altare, collocata: ad quam cùm Vir Dei oculos erexiſſet, ait: Caue tibi, peccator, à cæleſti Dei viuentis ira: nam Chriſti manus, quas ibi in Cruce confixas cernis: niſi Deum pœnitentia placaueris; è Cruce ſolutæ, clauos deſerent: ac pro clauis gladium apprehendent.Dictu horrendum! Vix hæc Dei Seruus protulerat: cùm illa Chriſti Crucifixi ſtatua,dextram manum magno ſtrepitu è Cruce diuulſam: quaſi tunc ea vindictam de impiis ſumptura eſſet,in altum effert.Quo tempore cùm populus rei aſpectu perterritus, miſericordiam à Deo magnis gemitibus poſtularet; rurſus manus, in clementiæ ſignum, ad clauum rediit. Porrò diuinum huiuſmodi ſpectaculum ita vniuerſos terruit; vt eo plerique commoti ad Religiones aufugerint: Virgines quoque quamplurimæ ad Clauſtra euolarint: eoque factum eſt; vt plurima noſtris Monaſteria in Siciliæ Regno ædificarentur. His itaque, atque aliis rebus diuina virtute geſtis, tantam ſibi Franciſcus apud Siculos ſanctitatis famam parauerat: vt iam nefas eſſet apud eos, quenquam de ipſius ſanctimonia dubitare.

*Altero Crucifixi miraculo peccatores exterret.*

XXV. His quoque miracula quamplurima, publica fama probata,acceſsêre: quorum memoria, ob conſcribentium penuriam, maiori ex parte obliterata Hiſtoriam effugit. In his quædam fœmina ex Saccæ Oppido fuit; quæ phreneſi ſæpiſſimè laborans, cùm ad Virum Dei veniſſet, atque ab eo Crucis ſigno conſignari poſtulaſſet: vix ille ſignum Crucis adhibuit; cùm phreneſi recedente, mulier perpetua, vſque ad mortem, mentis incolumitate potita eſt. Ibidem poſt prædicationem ſemel ex Oppido abſcedens; cùm vndique Cælum nubibus obductum imbres plurimos pararet:à Socio admonitus,vt iter in aliud tempus differrent,reſpōdit: Cur, Frater,tam modica in Deum fiducia frueris? Pergamus, ne time, nos imbres non attingent. Inde igitur profecti,cùm tota die iter facerent;Regio tota circumcirca, cadentibus è cælo imbribus,irrigabatur; quum eos,ne quidem pluuiæ gutta,inter imbres incedentes,attigit. Accidit aliquando, vt dum Miſſæ Sacrificio incumbit; caſu Vito Hyrminienſi, qui tunc altari miniſtrabat, Vitreæ vini, & aquæ ampullæ è manibus elaberentur,in ſolúmque impingentes comminuerentur. Id quum primùm Franciſcus animaduertit: Vite,ait,ne animo concidas; vrceorum fruſta collige:potens enim eſt Deus illa iterum integra inſtaurare. Quod cùm Vitus eodem tempore præſtitiſſet;extemplò ampullæ integræ, vino, & aqua plenæ in ipſius manibus apparuêre. Haud dubium,quin Vitus hic, Vir notæ ſanctitatis extiterit:quo fit,vt antiqua quædam M.S. miraculum Viti ſanctimoniæ adſcribere non dubitēt: at ſua Vito miracula non deſunt:de quibus anno 1582. in quo ipſius geſta enarra-

*Plurima viuens patrat miracula.*

*Imbres oratione à ſe, & à ſocio expellit.*

*Confractos vrceolos ſigno Crucis inſtaurat.*

buntur, mentio fiet. Hoc verò Franciſci potiùs merito, ac ſanctitati cum aliis M.S. adſcribendum puto. Plurima quoque prudentia, ac conſilio præcelluit: quo factum eſt, vt ſæpè in Sicula Prouincia, dum adhuc integra maneret; Guardiani, ac Definitoris officio, magna cum laude, functus fuerit. Poſtremò cum iam ſeptuagenarius Panormi ægrotans, extremum ſibi diem adeſſe intelligeret; in ipſa obitus ſui hora, nudum in terra ſe deponi popoſcit: tum vt Chriſti, & B.P. Franciſci veſtigia propiùs inſequeretur: tum etiam, vt velocior in Cælum abiret; dum nulla ſe in mundo rerum cupiditate teneri declarat. Hoc modo depoſitis corporis exuuis, liber, ac purus ad cæleſtes auras concedit.

*Panormi diē extremum obit.*

XXV. Tulit hoc quoque anno, in Genuenſi Prouincia, præclaram iuſtitiæ coronam, inter alios Fr. Ioannes Baptiſta Saonenſis Sacerdos: Vir in ea Prouincia dignitatibus clarus, ac Regularis obſeruantiæ, atque omnium virtutum laude celebris: maxima verò patiētia inſignis; quam in diuturna annorum paralyſi inuictam exhibuit. Huius ſanctitati tributum fuit; vt dum in Conuentu Genuenſi S. Barnabæ Guardiani officio fungitur, egentibus diuino miraculo prouiſum fuerit. Cùm enim circa Domini Natalis diem; via, qua à Conuentu ad Vrbem itur, quæ decliuis eſt, tam horribili gelu conſtricta eſſet; vt Eleemoſynario prorſus imperuia fieret, qua ad mendicationem pergeret: Conuentus familia in ipſo Sacro Natalis die omni victus annona carere cogebatur: quum in ipſo peruigilij veſpere, quo tempore magis omnia gelu rigebant; Vox præ Monaſterij foribus auditur, clamātis, Patres, ô Patres: quam cùm Ianitor percepiſſet; Egeni alicuius eſſe ſuſpicatus, qui ob Cæli inclementiam frigore enecaretur, ſtatim ad fores accurrit; vbi hominem aſpectu decorum, pane, vino, carnibus, aliiſque ad vitæ vſum neceſſariis onuſtum offendit: quem cùm rebus omnibus exoneratum, in aduenarum hoſpitium introduxiſſet; debitáque illi charitatis officia perſoluiſſet: manę vbique diligentiſſimè conquiſitum, nullibi reperit; neq; vlla Viri fama, aut notitia haberi potuit: ex quo Angelum illum à Deo, ob id miſſum fuiſſe omnibus perſuaſum fuit; ne tam ſolemnem diem, qui ex cæleſti Dominicæ Natiuitatis dono, cunctis lætitiæ cauſa ſuggeritur; quique omnibus lętus eſſe ſolet: Fratres abſque victu cum triſtitia tranſigerent; quamobrem profuſas diuinæ liberalitati grates perſoluunt.

*F. IOANNES BAPTISTA Saonēſis vita, & geſta.*

*Fratribus de Annona diuino miraculo prouidetur.*

XXVI. Paulò ante hoc tempus, illud quoque ſingulare diuinæ, tum benignitatis, tum virtutis teſtimonium, erga Fratres in hoc ipſo Cōuentu eluxerat. Mulier quædam, quæ infenſiſſimum ſibi Virum patiebatur; ingenti odio percita, Artocreas parauerat, in quo, vt Virum perimeret, clam venenum miſcuerat: quod cùm è publico clibano domum ad Coniugem miſiſſet; ille veneni neſcius, intactum confeſtim ad Capucinos mittit: quod cùm prandij tempore, ante menſæ benedictionem allatum eſſet; illud ſimul cum aliis cibis benedictum, & fratribus diſpertitum, nulli prorſus damnum intulit. Mulier verò poſt hæc domum rediens; cùm Artocreas à Viro ad Capucinos miſſum intelligeret; alio colore quæſito, ſtatim ad Conuentum euolat: totáque pallens, ac dolore ſaucia, à Ianitore percunctatur: Num Fratres miſſum ad eos Artocreas guſtauerint; Cui ille: Nihil profectò (inquit) vnquam, aut melius, aut ſuauius omnibus viſum. Deus tibi optima quæque retribuat. At protinus mulier magno eiulatu flere; atque exclamare cœpit. Heu miſeram me: heu terque quaterque infœlicem: quæ tot Sanctos Patres peremi. Quænam tanto flagitio pœna digna eſſe poteſt? O Pater, iam de his actum eſt, qui Artocreas deguſtarunt: illud enim totum atro veneno imbutum fuit: Has illa lachrymans, ac ſummo dolore affecta, voces effundebat: Cùm Ianitor re ad Guardianum delata; cunctiſque Fratribus exploratis, id ne minimùm quidem vlli nocuiſſe compertum fuit. Res porrò diuinæ virtuti, ac communi benedictioni, quæ in menſa adhiberi ſolet; qua vis omnis à veneno expulſa fuerit, adſcripta fuit. Hic tandem diutina prolixi languoris patientia probatus, in eodem S. Barnabæ Conuentu, magno ſanctitatis odore poſt ſe relicto ad immortalem vitam conceſſit.

*Menſæ benedictione veneni vis ab Artocreate expellitur.*





XXVIII. Alter quoque in eadem Prouincia, generis nobilitate, at nobiliori virtutum proſapia effulſit, Fr. Thomas Taurinenſis, Pedemontanus: qui ex equeſtri S. Ioannis Hieroſolymitani Ordine, Capucinorum militiæ, ac Ordini adſcriptus; tantùm humilitate, patientia, ac totius Regularis Obſeruantiæ ſtudio præcelluit; quantùm in tuenda Melita Inſula, cùm à Turcis obſideretur, priùs armis inualuerat. Plurima corporis, ac præſertim capitis incommoda, ac languores tulit: in quibus maxima illius patientia, præclaras illi apud Deum coronas parauit: quas poſt longam diutini languoris probationem, tandem hoc anno conſecutus eſt. Cuius rei id euidens teſtimonium fuit: quòd in ipſa ſui obitus hora, ſuauiſſimus Auium concentus, præter morem, in Cellæ ſuæ tecto auditur: quo cæleſtis Angelorum lætitia ſignificata fuit; qui cùm ſolutam è corpore Animam in Cælum comitarentur, cæleſtem illam melodiam edebant. Obiit Vir Sanctus in Taurinenſi Sanctæ Mariæ in Agris Conuentu, magna ſui apud omnes nominis fama relicta.

*F. THOMÆ Taurinenſis, vita & geſta.*

*Suauiſſimus Auium concentus in ipſius obitu auditur.*

XXIX. Poſt hunc tertius quoque, in eadem Genuenſi Prouincia, hoc anno ad Coronam vocatur, Fr. Ioannes Baptiſta è Foſſano, nota Pedemontani Principatus Vrbe, Clericus: Hic cùm in ſæculo publici Tabellionis munere fungeretur; illius artis periculis perterritus, facultatibus ſuis in pauperum vſum, Domui Hoſpitali illius Vrbis erogatis, pauperem Capucinorum vitam amplexus eſt: in qua tanta cum virtutum laude per aliquot annos, verſatus fuit; vt humilitate, obedientia, paupertate, honeſtate, deuotione, charitate; & ſi quod aliud eſt Religioſi hominis ornamentum, eo ſe perfectè inſtructum oſtenderet: ita vt in nouo adhuc Religionis palæſtrita, militis veterani, ac iam rude donati robur, ac virtutes ſuſpicere liceret. Necdum enim ad Sacerdotij Ordinem peruenerat; quum quarto, vel quinto anno duntaxat in Religione exacto, in Conuentu Vigueriæ graui morbo afflictari cœpit: quo tempore Viri ſanctimoniam hoc modo Deus teſtatam eſſe voluit. Nam cùm Infirmorum Præfectus aliquando ad ipſius Cellam, in qua tunc abſque lumine iacebat, matutinæ horæ tempore acceſſiſſet; erumpentem inde ſplendorem animaduertens, mirabatur; vndenam ea illi lux affulgeret, quem abſque lumine eſſe exploratum haberet? Quapropter Cellam ingreſſus, lucidiſſimum Ieſu nomen radiis vndique fulgentibus coruſcans, in pariete ſupra ægrotantis caput elucere cōſpicit: quod cùm paulò poſt euanuerit; id non humana arte factum, ſed diuino planè opere elaboratum intellexit; vt Aegrotantis ſanctimonia cæleſti illo teſtimonio probata, eidem manifeſta fieret. Hic cùm diutinæ ægritudinis tædium, ac dolores tanta patiētia tuliſſet; vt inter corporis languores, nullum ſibi maius ſolatium adeſſe exiſtimaret; quàm in diuinas ſeſe laudes effundere: è vita tandem excedens, pro breui carnis dolore, cæleſtes, ac perpetuas animi voluptates conſequitur. Huius Viri caput, poſt tertium, vel quartum ab ipſius morte annum, integrum, cute, ac capillis hærentibus conſpectum fuit: quod eum beata immortalitate donatum aſſereret.

*F. IOANNIS BAPTISTÆ Foſſanenſis, vita & geſta.*

*Lucidiſſimū Ieſu nomen ſupra ipſius caput emicat.*

*Ipſius caput poſt tertium ab obitu annum incorruptum.*

XXX. Cæterùm quid illi Infirmorum Præfecto, qui Ioannem Baptiſtam in ægritudine curauerat; poſt hæc acciderit, haud importunum erit referre: Is cùm paulò pòſt, in Bononienſi Prouincia, in qua conſcriptus erat, diem extremum obiiſſet; decimo quinto poſt obitum die, cuidam illius Prouincię Concionatori; cui ſe (ſi Dei voluntas accederet) ad eum poſt mortem rediturum, ac de futuro ſui ſtatu certiorem facturum ſpoponderat, glorioſus apparet: à quo de ſui ſtatus conditione interrogatus, his verbis reſpondet: Ego quidem ex Dei miſericordia iam æterna beatitudine fruor: at quindecim horum dierum ſpatio, qui inter hunc, & obitus mei diem interfluxêre; crudeles pœnas, ac ſupplicia ſuſtuli. Itane? (ait Concionator) Num difficilis tibi fuit ad ſalutem aditus? Difficillimus quidem (inquit) imo & periculo plenus. Niſi enim charitas, quam ægrotantibus exhibui, mihi in Dei Iudicio opitulata fuiſſet; magno in diſcrimine ſalus mea verſabatur. Iterùm verò cùm ab eo Concionator quæreret: vbinam, & quo pœnarum genere præteritæ vitæ culpas eluiſſet: Scito, (ait) me in obſcura quadam valle, inter Ethruriæ montes ſita, ſub quadam

*Infirmorum Præfectus quali Purgatorij pœna poſt mortem afflictus fuerit, narratur.*

rupe, diuino Iudicio relegatum fuiſſe: ex qua cùm gelidiſſimæ indeſinenter aquæ in me defluerent; earum gelu ita acerbè affličtabar; vt nulla neque diu, neque noctu quies membris frigore rigentibus daretur. Porrò quid de me (ait Concionator) mihi poſt hæc expectandum ſit, quæſo ne ſubticeas. Magna (inquit ille) te pericula manent; niſi, quam cœpiſti, prædicandi rationem, in meliorem commutes: atque eam, quam hactenus ſectatus es, in dicendo elegantiam, & curioſitatem abiiciens, verbis ſimplicibus Chriſtum Crucifixum prædices: ſtatimque his dictis abſceſſit.

*F. BONAVENTVRÆ à Raticina, vita & geſta.*

XXXI. In Rhegienſi Prouincia, Vir præclarus hoc anno terreni corporis compage ſoluta, ad immortales Spiritus contendit. Fr. Bonauentura à Raticina Thurij Oppido, Laïcus: qui cùm ex Obſeruantium Ordine, in quo per quadriennium Generalis Miniſtri Socius fuerat, haud multò poſt Ludouicum Rheginum, ac cæteros; prima illa iam tempeſtate ſedata, ad Capucinorum Reformationem cum Ludouico Fratre acceſſiſſet; in ea tot virtutum ſplendore eluxit, vt Vas quoddam auri ſolidum, omni lapide pretioſo ornatum, cũctis videretur. Carnis enim ſenſus, ab ipſo Religionis ingreſſu, tanto diſciplinæ rigore coercere cœpit; vt præter Quadrageſimalia B. P. Franciſci Ieiunia, quæ præſtituta ſibi lege, inuiolabiliter obſeruabat; tres quoque cuiuſlibet hebdomadę dies arctæ inediæ conſecraret: in veſte paupertatem rigidiſſimam coleret; plurimas quoque alias carnis afflictiones præter cõſuetas adderet. Humilitate quoque, ac ſui contemptu, quæ propriæ ſunt Laïcalis ſtatus virtutes, ita gaudebat: vt non externam tantùm harum faciem, ac apparentiam indueret; ſed interiora virtutis attingens, ita ſeipſum omnibus ſubiiceret; ita ſe omnium ſeruum profiteretur; ita viliſſima quæq; domus officia ex animo præſtaret; vt non vtilis, ac frugi, ſed vilis, ac inutilis à cunctis haberi expeteret. Hinc in eo quædam mentis puritas, & in cunctis actibus venuſtas pullulabat, qua omnium ad ſe animos alliciebat. Puritatem honeſtatis pudor ſequebatur, qui in ipſius vultu, ac verbis elucens, tanto ipſius conuerſationem virtutis ſplendore exornabat; vt Angelicæ ſimillimam redderet. Hinc vt otioſæ conuerſationis, quæ pleraque vitia parere ſolet, incommoda euitaret: cum Deo multum, cum hominibus minimum colloquendum ſibi ab initio præſtituerat. Quapropter ſilentij, ac ſolitudinis amicus, remota, ac ſolitaria ſemper ſibi ad orandum loca ſeligebat. Obedientiæ quidem, ac charitatis opera, cùm popinę officio incumberet, orationi præferebat; cùm illa iuxta Domini voluntatem præſtanda, hanc pro opportunitate non omittendam eſſe, non ignoraret: at verò ea tempus auaritia proſequebatur: vt nec minimam ipſius partem fruſtrà elabi fineret: ſed quæ domus, ac Infirmorum obſequiis hora ſupererat, ea protinus diuinarum rerum contemplationi dabatur; tametſi nullum ipſi tempus ab oratione vacaret: ſed inter ipſa domus officia, & coquinæ miniſteria, ſuſpenſum ſemper in Deum animum gereret. Quod quàm diuinæ Maieſtati gratum eſſet, illuſtri miraculo declaratum fuit.

*Vita ipſius auſteritas, & virtutes deſcribuntur.*

XXXII. Etenim cùm die quadam ſolemni, in Coquina, circa Marthæ miniſterium eo tempore occuparetur; quo eleuationis Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſignum, in Cõuentuali Miſſa dabatur. Vir Sanctus, totus diuina charitate in animo flagrans, cùm Sacramentali Domini ſui præſentia frui ſummoperè exoptaret: Mox ab ea Popinæ parte, quæ Altare reſpiciebat, genuflectens; Dominum, quem oculis intueri nõ poterat, ardentiſſima adoratione proſequitur: At Deus clementiſſimus, qui pauperum ſuorum deſideria exaudit: haud Bonauenturæ votis defuit. Nam repentè interiecti parietes, qui ſacri Altaris illi aſpectum intercipiebant, diuina virtute aperiuntur: Sancta illi Myſteria patefiunt: iſque Sacerdotem Domini Corpus, & Sanguinem; haud ſecus, quàm ſi præſens in Eccleſia eſſet, attollentẽ cernit: Cúmque Dominum præſentem adoraſſet, exæſtuantiſque animi ſtudio ſatisfeciſſet: iterum diſiuncti parietes ad priſtina remeant: ac Dei Seruum diuino hoc munere tam magnificè affectum, ad ampliores Dei laudes prouocant. Porrò hæc non modò hominis vbique

*Illuſtri Miraculo ſanctiſſima Euchariſtia Religio comprobatur.*





orantis, ſed etiam diuino amore flagrantis: præſertim in eum, qui præ charitate nimia ſemetipſum exinaniuit; ac ſub panis, & vini accidentibus ſe nobis manducandum præbuit, teſtimonia fuêre. Quapropter incredibile eſt; quanta animi fame, ac cupiditate, ad Sacroſanctum illud edulium accederet: quantáque mentis humilitate, Sacerdotibus Sacra illa Myſteria celebrantibus, inſeruiret. Ex hoc animi ardore, quo in Deum flagrabat, incenſa quædam Martyrij cupiditas eidem in animo ebulliit: qua factum eſt, vt Caroli V. Claſſe in Aphricam adnauigante, is facultate à Generali Vicario impetrata, eò cũ Claſſe profectus fuerit. Qua in nauigatione, tãto charitatis ſtudio ægrotãtes milites curabat; vt ipſius hortationibus pleriq; tum corporis, tum animæ ſalutem conſequerẽtur: vnde ſummam ſibi ſanctimoniæ laudem apud omnes comparauit. At Deo Opt. Max. ſecus pro ſua voluntate vitæ illius habenas moderante, ex Aphrica in Calabriam redit: Infirmorúmque curæ Præfectus, in eam omni ſtudio, ac charitate incumbit. Nihil Vir hic præclarus præter Deum in animo geſtans, cunctas in eum animi ſui cogitationes proiecerat: quo fiebat, vt minùs ea, quæ ad corporis, aut vitæ neceſſitatem ſpectant, curaret: Audierat enim à Propheta dictum. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Hinc factum eſt; vt cùm aliquando in Conuentu panis ad Fratrum refectionem defeciſſet: illum non ſollicitè apud homines quærere: ſed ad Dei penum confugere maluerit: ſupplicationéque Deo oblata, tantùm in arca panaria panis diuino munere allatum inuenerit; quantùm ei Fratrum refectioni ſufficeret; quoad alius conſueta mendicatione quæreretur.

*Martyrij cupidus in Aphricam proficiſcitur.*

*Oratione à Deo panem pro familia miraculo impetrat.*

Pſal. 54.

XXXIII Plurimas Sanctum hunc Virum à Deo Reuelationes, ac cæleſtes Viſiones accepiſſe: plura quoque prophetico Spiritu futura Fratribus prædixiſſe, certæ memoriæ traditum eſt; quorum exempla ſcripto aliquo excepta deſiderantur. Id tamen certa fide exploratum eſt; eum obitus ſui diem, diuina reuelatione, longè antequam adueniret, præſciuiſſe. Quamobrem, impetrata à Prouinciali facultate, Turium profectus; nonnulla, quæ inter Nepotes ibi diſſidia vertebantur, compoſuit: ac non multò poſt tempore ſupremo morbo correptus; cùm ad penultimum vſque vitæ ſuæ diem, Sacris Miſſæ Myſteriis in Eccleſia intereſſe voluiſſet: pridie quàm hinc excederet: Guardiano accerſito, his illum Verbis affatur. Iam ſupremus, ò Pater, imminet dies, qui mihi vitæ curriculum intercipiat. Summas, Deo meo gratias ago, qui me ab infantia, ad hunc vſque diem, ab omni venerea labe purum, & integrum ſeruauit: talémque à ſæculo migrare donat, qualem me olim ſæculum ex matris vtero egredientem accepit; vale Pater, meique ad Altare Domini memor eſto. His dictis, cùm animum ad diuina beneficia ſecum recolenda collegiſſet; inter diuinas laudes, quaſi ſomno conſopitus; octogenarius, hoc anno, in Domino placidiſſimè obdormit. Statim verò, in nitidiſſimæ illius virginitatis, ſimúlque ſanctitatis teſtimonium; caro ipſius, poſt animæ diſſolutionem, tam candida, mollis, ac tenera omnibus apparere cœpit; perinde ac ſi viui infantis eſſet: ſuauiſſimúmque ex ſe odorem ſpirans, per octo integros dies, locum, Eccleſiámque ea fragrantia compleuit. Poſt aliquot annos, cùm Fratres ipſius caput honorificè conditum, in Choro ſeruaſſent; eandem quoque ad hodiernum vſque diem odoris fragrantiam efflat: vt qui bonus Chriſti odor viuens fuerat, ſuauiſſimè etiam poſt mortem apud homines oleret: vt eos ad virtutum ſuarum odorem attraheret.

*Obitũ ſuum diuina Reuelatione præſcit.*

*Perpetuam virginitatẽ colit.*

*Caro ipſius poſt mortem mollis odorẽ ſuauem ſpirat.*

*FR. ALPHONSI SVESSANI, vita & geſta.*

XXXIV In Neapolitana Prouincia, celebris eſt memoria F. Alphonſi Sueſſani, Sacerdotis: qui cùm Canonicus eſſet Sueſſanæ Eccleſiæ; atque ob id potiſſimùm Epiſcopo charus; quòd eius opera, & conſilio, in Epiſcopatus adminiſtratione vteretur: iam ætate prouectus, ad Capucinorum Ordinem acceſſit. Vir fuit prudentia, ac conſilio clarus, præclaraque vitæ integritate, ac virtute inſignis. Quapropter, etſi officio Concionator non eſſet: ſæpè tamen in Neapolitana Prouincia, Vicarij Prouincialis officio functus, nonnunquam etiam in Generalibus Comitiis Definitoris munus obiit: quo in munere, cùm in Generali Capitulo Neapoli coacto, anno 1558. ver-

*Generalatus dignitatem fugit.*

ſaretur, audiens Electores in ſui ipſius electionẽ propendere; tam efficaci ſermone (erat enim primus Generalis Capituli Definitor) ſeipſum ob imperitiam à Generalatus Officio excuſauit; vt eorum animos à ſui-ipſius electione reuocauerit. Pleroſquę annos, magna cum ſanctimoniæ laude, Monaſterium Capucinarum S. Mariæ in Hieruſalem, Neapolitanæ Vrbis, adminiſtrauit. Vir auſteriſſimus fuit; haud vulgari orationis ſpiritu prædítus: cuius illud inter alia teſtimonium refertur: Quod cùm S. Euphebij Guardianus eſſet: Frater Antonius à Cephalodio, qui tunc Nouitius, in eo Conuentu, annum Probationis agebat; Diabolica tẽtatione victus, ad ſæculum repedare conſtituerat; ita vt nullis Magiſtri monitis adduci poſſet, vt animum à propoſito diſceſſu reuocaret: iamque ad Cellam veſtiariam, per dormitorium contendebat; vt exuto Religionis habitu ſæculares veſtes repeteret; cùm Alphonſum Guardianum obuium habet: qui Nouitium à Dæmone tentatum animaduertens, eum ante ſe genuflectere iubet; orationem Dominicam, atque Angelicam Salutationem ſemel illi recitandam indicit: atque eodem tempore Crucis ſigno illum in fronte munit: quo cùm Dæmonem effugaſſet, mox Antonius à tentatione liber, ſeipſum Religioni reſtituit; atque in vocatione dignè perſeuerans, haud aſpernandæ virtutis Concionator euaſit. Alphonſus verò, vbi plurimos in ſanctis Religioſæ vitæ operibus annos conſumpſit; ad Deum liberaliſſimum omnium Retributorem hoc anno euolauit.

*Nouitium ſigno Crucis à tentatione liberat.*

*F. BERNARDINI à Latertia, vita & geſta.*

XXXVI Clara itidem poſt mortem, in Hidruntina Prouincia, F. Bernardini à Latertia viget memoria: cuius vita quantis virtutibus reſperſa fuerit, cæleſti teſtimonio poſt mortem declaratum fuit. Cùm enim illius corpus in Conuentu Latertiæ conditum fuiſſet; quinto poſt illius obitum anno integrum, nullaq; ex parte corruptum, necnon odoriferum repertum fuit: quodque admirationem auxit; in ipſius pectore gratus quidam liquor aurei coloris, ac ſuauè olens apparuit: cuius tanta fragrantia erat, vt ſuauiſſimos quoſque aromatum odores ſuperaret.

*F. PAVLI ab Arenaria, vita & geſta.*

XXXVII. Floruit circa hoc idem tempus in Prouincia Romana Fr. Paulus ab Arenaria Latij Caſtello, Sacerdos. Vir abſtinentia celebris: qui tres ferè annos tam arcto ſe ieiunio obſtrinxit; vt in die ſemel tot duntaxat fabis madefactis veſceretur, quot vtraque manu complecti poterat. Huic, dum Scandriliæ Guardianus eſſet, diuinitus reuelatum fuit; Coruos quoſdam, qui inobedientem Fratrem infeſtabant, Dæmones eſſe; cuius rei hiſtoriam anno 1559. quo tempore id contigit, fusè proſecuti ſumus. Denique hoc anno meritis, ac virtutibus clarus, res mortales deſerit.

## *F. RVFFINI A S. VRSO,*
## *Vita, & Geſta.*

*F. RVFFINVS à S. Vrſo, vita & Miraculis clarus.*

XXXVIII POſtremus hoc Anno, ex Veneta Prouincia, ad Superos migrat, Fr. Ruffinus à S. Vrſo, Vicentinæ Diœceſis Oppido, Sacerdos. Vir tot virtutum, quaſi gemmarum varietate emicans; vt quaſi arcus inter nebulas gloriæ hac tempeſtate effulſerit; & ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij compacta, Religionem ſuauiſſimo omnium virtutum, ac ſanctimoniæ odore compleuerit. Hic cùm primùm B. P. Franciſci Regulam, ceu Apoſtolicæ perfectionis normam in Capucinorum Ordine complexus eſt: ita in ea verſari cœpit; vt non vna, vel altera virtute contentus, ad omnium virtutum arcem ſibi conſcendendum ſtatueret: Franciſciq; Patris veſtigia ſibi perfectè ſectanda proponeret: quare à vitiorum mortificatione, quę prima eſt ad virtutem via, primùm ſpiritualis vitæ tyrocinium exorſus: Gulæ appetitũ, qui innumera vitiorum agmina ad animi perniciem armat; tanto abſtinentiæ fræno edomandum aggreditur; vt quotidianis ferè ieiuniis, quibus vix aliud vnquàm, præterquàm

*Vitæ auſteritas ac plurimæ ipſius virtutes referuntur.*





panis, quantum ad neceſſitatem, non ad ſaturitatem ſatis eſſet, & aquæ potum adhibebat, carnem caſtigaret: & ſi aliquando communibus cibis veſceretur; his ita parcè, ac cum virtute vteretur, vt ab iis ſemper cum carnis victoria recederet. Somni quoque, quem alij meliorem humanæ vitæ partem, is verò voluptatis illecebram appellare ſolebat; tam ſibi auarus fuit; vt eum cùm vix vnquam ad tertiam horam produceret; ſæpè etiam ſe obdormiiſſe ſuſpicaretur potiùs, quàm ſentiret. Nec mirum: cùm meliori ipſius mens ſopore teneretur, qui ex rerum diuinarum contemplatione in animo oritur: cuius tanto ſtudio afficiebatur, vt maiorem ſemper noctis partem; interdum etiam integras noctes in ea conſumeret. Neque id fruſtrà; cùm ex ea, velut ex Turre Dauid, ac cæleſti quadam panoplia, arma ad Tartareos hoſtes debellandos; & carnis, animique vitia proſternenda abundè ſibi vendicaret. Hinc enim profunda cordis humilitas; hinc altiſſimæ paupertatis ſtudium; hinc perfecta ſui abnegatio; hinc pudicitiæ præſidium; hinc Dei, ac proximi charitas; hinc iræ moderatio; hinc inuidiæ profligatio; hinc ſuperbiæ interitus; hinc cunctorum malorum ſubuerſio, & virtutum omnium progreſſus, & incrementum ſibi adminiſtrabantur. Neque enim Chryſoſtomum docentem ignorabat. Vitam piam, ac Dei cultu dignam, miris modis ab oratione conciliari: conciliatam augeri; & ceu theſaurum animo recondi. His gradibus cùm ad virtutum culmen aſcendiſſet: eo factum eſt; vt qui antea in Religionis palæſtra Tyro, ac diſcipulus fuerat; dein perfectus Magiſter euaderet: eius enim perſpecta virtute, Venetæ Prouinciæ Patres Nouitiorum illi educandorum curam concredunt.

*Chriſoſt. lib. 1. de orand. Deum.*

*Nouitiorum Magiſter inſtituitur.*

XXXIX Duo eſſe Præceptoris officia, qui diſcipulorum animos potiſſimùm, in Religione virtutibus excolendos ſuſcipit; nimirum à vitiis reuocare, & ad virtutem compellere; ex Auguſtino didicerat: ex quibus primum ad correptionem, alterum ad morum inſtructionem ſpectat: atque illud quidem nonnulla ſeueritate peragendum eſſe; ſine qua vix, aut rarò vitia, quæ diu in animo pullularunt, euelli, ac corrigi valent; omnium ferè Sapientum vocem eſſe nouerat: Nam quemadmodum morbi interdum amarulentis potionibus, ac pharmacis potiùs ſanantur, quam ſi dulciora adhibeas: ſic vitioſa hominum vita acerbiore caſtigatione, quàm leniore faciliùs emendatur. Teſte enim Bernardo: *Inſolentia morum iugo diſciplina domanda eſt; quovſque duris, ac diuinis ſeniorum attrita legibus humilietur, & ſanetur ceruicoſa voluntas; bonumque in ſe naturæ, quod ſuperbiendo amiſerat, obediendo recipiat.* Hoc verò lenitate potiùs, ac benignitate perficiendum eſſe conſtat. Præſtat enim, vt ſpirituales Magiſtri eos, quos ſibi commendatos accipiunt, haud aliter, quàm filios omni cura, ac amore proſequantur: atque iis ita ſpiritualis vitæ præcepta inſtillent; vt eorum animos non tam præcipiendo, quàm ſuadendo ad virtutem alliciant: ac velut Aquila pullos ſuos ad volandum prouocans, ſuper eos præclarioribus vitæ exemplis, quaſi volatu ferantur.

*Auguſt. l. 1. de mor. Ecc.*

*S. Bernard. ſup. Cant.*

XL. His veri, ac perfecti Magiſtri muneribus, Ruffinus tam copioſè inſtructus fuit; vt admirabili Dei opificio, ad huiuſmodi Nouitiorum magiſterium perfectè formatus, ac ſcalptus eſſe videretur. Cùm enim Columnæ illius igneæ inſtar, quæ Iſraëliticum populum præcedebat, antè virtutum luce, quàm doctrina diſcipulis præiret: nihilque aliis in moribus præcipiendum exiſtimaret, quod prior ipſe facto non præſtaret. Gemina hæc Præceptoris officia tã perfectè obibat; vt & vitia liberè increparét; nec tamen diſciplinæ rigor mãſuetudinẽ (vt Gregorius monet) nec mãſuetudo rigorem expelleret; ſed ex vtriſque tertium quoddam temperamentum efficeret; quo nec multa aſperitate correpti exulcerarẽtur, nec nimia benignitate ſoluerentur. Cæterùm in his, quæ ad inſtructionẽ pertinẽt: tanta erat huius Viri lenitas, & manſuetudo: tanta, ac tam cæleſtis in dicendo gratia, & facundia: vt occulta quadam vi, Nouitiorum animos, ad virtutum ſtudia ſeriò capeſcenda alliceret: Obedientiam, non quæ corpore tenus dictis exhibetur; ſed ex perfecta voluntatis abnegatione manat, à Diſcipulis exigebat. Paupertatem non eam tantummodò,

*Perfectam Nouitiis ſpiritualis vitæ diſciplinam tradit.*

quæ neceſſariis contenta ſuperflua abiicit, patientérque incommoda ſuffert: ſed quæ ex animo penuria gaudet, Nouitios proſequi docebat. Humilitatem quoque non eam duntaxat, qua omnibus ſubeſſe: ſed qua viles à cunctis reputari velint, ab iis exquirere ſolebat. Denique quæ in virtutibus optima, ac præſtantiſſima ſunt, ea Diſcipulis amplectenda proponebat: quo fit, vt pleroſque ſua Diſciplina illuſtres Religioni Viros progenuerit.

XLI. Huic planè admirabili Diſciplinæ modo, cæleſte quoddam Dei donum accedebat; quo occultiſſima conſilia, atque internas cogitationes, quas Nouitij animo agitabant, diuina virtute rimabatur. Dum Veronæ Nouitiorũ curæ incumberet: duo inter ſe Nouitij condixerant; vt ſequenti nocte è Monaſterio aufugerent: quorum cùm is conſilia (Deo reuelante) percepiſſet; vtroque ad ſe vocato; occultas, quas animo verſauerant, illis cogitationes aperit; condictam fugam manifeſtat, eoſque verbis ſuauibus monet, ne Diaboli tentationi pareant; ſed potiùs viriliter obſiſtant: qua admonitione id aſſecutus eſt; vt Nouitij ea rerum declaratione, quæ diuinitus tantùm à Magiſtro haberi potuerat, perterriti, ac illius ſermonibus confirmati, conſilium mutauerint: Diabolique tentatione deuicta, in Religione ſtabiles permanſerint. Alio quoque tempore contigit, vt Fr. Ioannes Vicentinus, dum ſub illius diſciplina annum probationis ageret; graui tentatione percitus, iam ad ſæculum remeare cogitaret: qua cùm iam per octo dies exagitatus fuiſſet, planè de victoria deſperauerat: cùm octauo die Ruffinus Magiſter ad ipſius Cellam accedens, ter ipſum interrogat; num à Religione velit abſcedere: Cui cùm Nouitius ſemper negando reſpondiſſet. Tum Magiſter ſubridens, ait: Ne animum deſpondeas, Fili: certa viriliter, ac Signo Crucis in ipſius fronte impreſſo; cùm eum deoſculatus eſſet, protinus tentatore effugato, à tentatione liberum præſtat.

*Occultas Nouitiorum cõſilia percipit.*

*Nouitium Signo Crucis à tẽtatione liberat.*

XLII. Cùm verò alter ex Nouitiis, iam diſceſſum à Religione ſecum tantummodò decreuiſſet; id Ruffinum diuinitùs non latuit: qui propterea congregatis Nouitiis, dum omnes in ſuſcepta Religionis vocatione confirmat, hæc addit: Scio, Filij, inter vos, qui hîc adeſtis, vnum eſſe, qui ex vobis non eſt: ſi enim ex vobis eſſet, permaneret vtique vobiſcum: ſed poſt biduum à nobis diceſſurus eſt; cuius tandem extrema luctus occupabit. Hæc cùm dixiſſet: Nouitium illum clam ad ſe vocat, verbiſque paternis monet; vt ſi minùs Religioni, ſaltem Deo viuere curet: graue enim, ſi ſecus præſtet, illi Dei Iudicium comminatur. At Nouitius, cùm neutris Patris monitis paruiſſet; poſtridie ad ſæculum redit, ac facinoroſis hominibus iunctus, cum iis poſt aliquod tempus extremo ſupplicio plectitur.

*Nouitio ab Ordine diſcedenti infauſtum exitum prædicit.*

XLIII. Alia quoque quamplurima prophetico Spiritu futura prædicens, vberem cæleſtium donorum copiam ſibi adeſſe demonſtrabat. Quædam enim nobilis Mulier Veronenſis, Lauinia nomine, cùm multos cum Coniuge abſque prole annos traduxiſſet; iam propè de ſuſcipienda ſobole deſperauerat: cui aliquando Ruffinus: Lauinia, inquit, num prolem optas? Cui illa: Cur prolem optarem; cùm illius ſpem iam ex animo abiecerim? At Ruffinus: Ne animum diſpondeas, inquit: ſi Deo te voto obſtrinxeris; Oleum te ad Sacræ Euchariſtiæ lucem fouendam, quoad vixeris, adminiſtraturam; maſculam procul dubio prolem ſuſcipies. Credit Mulier Viro Dei, vouet, oleum miniſtrat: mox eodem anno maſculum parit: pluresque poſt hunc maſculos fœtus enititur. Nouitio quoque qui graui tentatione premebatur, cùm dixiſſet; Ito, Fili: ſemel Antiphonam, *Salue Regina*, in Deiparæ Virginis honorem recita; liberque à tentatione eris. Abit ille; Antiphonam perſoluit, ſtatimque omnis ab eo tentatio fugatur.

*Mulieri ſterili prolem maſculã, ſub conditione, pollicetur.*

XLIV. At quoniam verus, & genuinus Dei ſpiritus, rerũ aduerſarũ patientia probatur, haud Viro Dei hæc probato defuit. Nobilis enim quædã Mulier, quæ filium ſuum, ad Capucinorum inſtitutũ migraſſe, moleſtiſſimè ferebat; cùm ad Ruffinũ accedẽs, magnis vocibus quereretur, Filiũ ſibi ab eo ſubreptum fuiſſe. Hanc Vir Dei verbis placare conabatur: at illa acriùs ira incaleſcens eũ cõpreſſa palma pugno oppetijt:

*Ipſius patiẽtia variis modis probatur.*





nihil tamen Ruffinus ea cõtumelia accepta commotior eandem placidè monet, arguit, increpat, ſuadet; vt Deum ob patratum crimen ſibi infenſum placet; ne in horrendum ipſius viuentis Iudicium incidat: tanta denique cum ea charitate agit: vt Mulier admirabili illius patientia, ac verbis commota; facti pœnitens ab eo abſceſſerit. Falſis quoque calumniis aliquando ab æmulis apud Superiores pulſatus, ab iis variis modis probata illius patientia fuit: quam tamen is integram ſemper, ac inuictam inter quæcunque aduerſa ſeruauit.

XLV. Cùm multas ſanctus hic Vir in oratione horas diu, noctuque inſumeret; in ea quoque cæleſtes raptus, ac extaſes frequentiſſimè paſſum M.S. commemorant. Eum aliquando Sacriſta, in Conuentu Veronenſi, cùm ſæpiùs extra ſe raptum cerneret; num adhuc ſenſibus inhæreret, periculum facturus; illum manibus trahit, concutit, atque in diuerſa rapit. At is, haud ſecus, quàm ſi lapidea quædam ſtatua eſſet, omni prorſus ſenſu carere videbatur. Idem quoque haud raró in aëra toto corpore ſuſpenſus conſpicitur. Vt quàm vehemens, ſpiritus illius in Deum tendentis, impetus eſſet, cæteris innoteſceret. Hinc F. Camillus quidam Venetus, eiuſdem Patris Nouitius: cùm tot de Magiſtro admiranda audiret, quæ inter Nouitios diſſeminabantur: eorum cupiditate ductus, curioſiùs Magiſtri facta explorare; & num rumori reſpondeant, inueſtigare ſibi in animo ſtatuit: Quapropter noctu, poſt Matutinas Horas ſe intra Chori ſedilia abſcondens, in Orantis actus inuigilat. Paululùm cùm temporis effluxiſſet, Ruffinum in extaſim raptum, atque altiùs è ſolo diuina virtute ſublatum cernit: quo aſpectu tantoperè expauit; vt feſtinatò in Cellam ſe receperit. Ruffinus verò rem diuinitus agnoſcens: Camillum, ac cæteros admonet; ne ipſius facta de cætero curioſiùs inquirant: omnibus enim Vir humillimus, quibus poterat modis, Dei dona ſibi collata aliis celare ſtudebat. Alter quoque Nouitius, Leander nomine, Venetus, qui in eodem Conuentu Æditui munere fungebatur: cùm tertiò ad ipſius Cellam acceſſiſſet; vt iuxta ipſius præſcriptum, illum ad Sacra celebranda vocaret, animo ſemper excedentẽ offendit: elabente verò iam Sacrorum faciendorum tempore, cùm eum ab extaſi reuocari opus eſſet; ingentem is in Cella ſtrepitum edit: quo ille tandẽ ad ſeipſum rediens: Heu, inquit, quàm citò tempus elabitur: cùm tamen totum illud Matutinum tempus, illi ſub eo raptu effluxiſſet. Hoc modo longa horarum ſpatia, illi ſæpè inter cæleſtes raptus effluebant. His & Daniel Venetus, eiuſdem Patris Nouitius accedat: qui cùm frequenter eum in extaſim raptum, atque ante Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare, in aëra ſublatum cerneret: id cæteris Nouitiis renuncians, haud leues ſibi, atque aliis ſtimulos addebat; quò Patris ſibi veſtigia ſequenda proponerent.

*Sæpè in extaſim rapitur, & in aëra eleuatur.*

*Nouitius eũ in Eccleſia altiùs in aëra ſublatũ cernit.*

XLVI. Porrò hæc Dei dona, quæ Ruffino tam cumulatè collata erant, cùm ferè neminem laterent; ea maximè Auguſtino Valerio, Veronenſi Epiſcopo, Viro præclariſſimo, manifeſta erant; qui cùm ſæpè Monaſterium peteret; vt Ruffini, cuius Sanctitatem non ignorabat, colloquio frueretur: rectà ad ipſius Cellam contendere ſolebat; quem ſi ab oratione vacantem offenderet; diuturnas cum eo moras trahens, piis illius ſermonibus plurimùm oblectabatur: quòd ſi aperto oſtio, vti ſæpè contingebat, eum mente excedentem, iter Superos verſari animaduerteret: clauſo oſtio recedens, hæc eximius Antiſtes dicere ſolitus erat. Haud fas eſſe cùm Deo agentem, ad homines reuocari. Neque hæc in Monaſterio tantummodò quieſcenti accidere ſolebant: ſed & dum iter faceret; tanta rerum cæleſtium attentione tenebatur; vt pertranſeuntes, vt plurimùm non aduerteret: interdum verò tam ſe inſenſibilem præberet; vt non viuens homo; ſed hominis tantùm ſimulacrum moueri videretur: plerunque tandem, perinde ac ſi lapideus eſſet, abſque vllo ſenſu, ac motu in via immobilis ſubſiſtebat. Sæpè Sanctus hic Vir Diſcipulos, quo pacto orandũ eſſet, erudiẽs aiebat. Deus, Filij, cor mũdũ in oratione quęrit: mundũ, inquã, nõ ſolùm ab impuris, ac ſordidis cogitationibus, quę animũ labefactãt; ſed etiã à rerũ humanarũ imaginibus, ac phãtaſijs; que mentẽ aliò diſtrahũt,

*Auguſtini Valerij Veronenſis Epiſcopi de Ruffino teſtimonium.*

*Iter faciens ſæpè mente excedit.*

neque in Deo quieſcere ſinunt. Mihi quidem haud vnius horæ tempus ſat eſt, quò perfectè mentem ad meipſum recolligam; volitantéſque rerum imagines ab animo abſtergam: verùm, vt quis id perfectè aſſequi valeat: ei neceſſe eſt animum ab omni prorſus rerum creatarum amore exuere. Nam ſi ab his, quæ nullo amore complectimur, difficilè mentem in oratione explicamus: quantò difficiliùs erit ab iis animum expedire, quibus aliquo cum amore inhæremus? Hæc enim velut animi compedes, mentem alligant: ne ſurſum in Deum liberè ferri queat.

*De cordis recollectione diſciplinam Nouitiis tradit.*

XLVII. Interdum verò Incipientes inſtruens; quo pacto in oratione animum colligere, collectumque in Deum transferre deberent, dicebat: Audite, Filij, cùm primùm ad orandum acceditis: vobis perinde, ac corpore ſolutis, è terreſtri hac habitatione exeundum eſt; ac cæleſtis quædam, inter Angelos, vobis domus animo ædificanda: in qua plures manſiones, loco, ac dignitate diſpertitæ ſint. In nobiliori, atque ampliori ſanctiſſima Deipara collocetur; in altera S. Patriarca Franciſcus; in altera S. Antonius Vlyſſiponenſis; ac cæteri, qui præcipua deuotione à nobis coluntur, Sancti reponantur: eminentiùs extra omnem locum Chriſti Domini noſtri humanitas; eminentiſſimè Trinitas Beata nulla manſione circumſcribenda. Tum verò per Sanctorum manſiones incedentes; cuique preces, ac ſupplicationes à vobis porrigendæ erunt; animi anguſtiæ explicandæ; tentationum laquei, virtutum ſtudia, cæleſtium donorum appetitus fidenter aperiendi: vt ij pro vobis rogatores apud Deum exiſtant: nec priùs dimittendi, quàm diuina vobis munera impetrauerint. His, atque aliis mentis exercitationibus, animi vires ad Deum in oratione colligendas monebat.

*De perfecto orandi modo Nouitios inſtruit.*

XLVIII. Præter hæc eorum quoque animis inſtillabat; vt incruentum Miſſæ Sacrificium, præcipua quadam mentis religione proſequerentur: quo tantorum myſteriorum, in quibus diuiniſſima, ac ineffabilia planè rerum altiſſimarum Sacramenta continentur, participes eſſe poſſent. Cùm enim in eo eundem illum Chriſtum contineri, & incruentè immolari doceret; qui in Ara Crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit: qui ad Miſſæ Sacrificium accedunt, eos non ſolam Domini Paſſionis, ac mortis, velut abſentis memoriam recolere: ſed præſenti præſentes adeſſe admonebat. Conſiderate (aiebat) quales ante tanti Domini majeſtatem vos eſſe oporteat: quàm pios, quàm venerabundos, quàm pauentes: menſa Regalis eſt appoſita; Angeli *menſæ miniſtrant; ipſe* Rex adeſt; tremenda conficiuntur Myſteria; Dei Filius incruentè immolatur; noſque oſcitantes adſtabimus? Quapropter diuino huic Sacrificio ſiue adſtantes, ſiue miniſterium exhibentes; vt ſpirituali ſemper affectu communicarent, monebat.

*Incruenti Sacrificij Religionem Nouitiorum mentibus inſtillat.*

XLIX. Is verò tanta diuina hæc Myſteria veneratione proſequebatur; vt ad ea nunquã, niſi poſt integram orationis horam accederet: in qua rerum altiſſimarum, quæ in iis latent, contemplatione mirum in modum accendebatur: quo ſanè fiebat, vt nunquam abſque magna lachrymarum copia, iis celebrandis incumberet: plerunque etiam, cùm ſacrum Domini Corpus populo ſpectandum attolleret; vultum Solis inſtar emicantem præſeferret. Porrò ſacris Myſteriis peractis, tanto illius mens amoris impetu in Deum ferebatur; vt humana excedens, per aliquot horarum ſpatia, ſolo ſpiritu, in diuinarum rerum contemplatione verſaretur.

*In ſacra Euchariſtiæ eleuatione, vultum Solis inſtar præſefert*

L. Poſt hæc diuini amoris incendia: ardebat quoque in Ruffini pectore, tam ingens erga omnes, præſertim miſeros charitas; vt aliena peccata, haud ſecùs, quàm ſi ab eo perpetrata eſſent, defleret. Miſerorum ærumnis tanta pietare commouebatur; vt verè miſerorum ſe Patrem oſtenderet: quos pro ea, qua præſtabat, eloquij ſuauitate: tam mirificè conſolabatur: vt qui priùs animum graui aliqua aduerſitate ſauciatum gerebant; eo audito moleſtiam omnem deponerent: diuinæq; ſe volũtati lubenter cõmitterent. In Veronenſi Vrbe, nobilem quendam ex Morandorũ Familia, tam ingẽs ob vnici filij mortem mœror occupauerat; vt is velut rerum deſperatione obrutus cõſolationẽ omnẽ abiiceret; neq; vllus ipſius dolorẽ quacũq; ratione lenire poſſet: ad hunc cùm Vir Dei acceſſiſſet; tam cæleſti eloquentia caſus illius

*Mira ipſius erga afflictos charitas exẽplo declaratur.*





tolerantiam, ex diuinæ Sapientiæ, ac conſilij arcanis eidem perſuadere cœpit; vt non modò è graui illo mœrore hominem liberauerit; verùm etiam omnem illi ab animo moleſtiam ſuſtulerit; eumque ad grauiora pro Chriſto toleranda parauerit. Is verò cùm interrogaretur, quo pacto tam facilè Viri Dei conſiliis acquieuiſſet: reſpondit; talem ipſius verbis, dum loqueretur, tunc vim inditam fuiſſe: vt quodlibet ipſius dictum, diuinum quoddam iaculum ſibi eſſe videretur; quod illius præcordia penetrans, eum ad cæleſtium amorẽ accenderet. Hac cæleſti facundia, geminas quoque adoleſcentulas; quæ in eadem Vrbe auro onuſtæ, ac crine retorto, magno veſtium luxu incedebant, eò compulit; vt nulla interpoſita mora, auri, veſtiumque vanitatem abiicientes; Deo virginitatem conſecrauerint. Planè admiranda ſunt, quæ Dei virtus per Serui ſui charitatem operabatur. Ægrotabat Veronæ paupercula quædam Mulier; quàm cùm Vir Dei præſens hoc anno viſitaſſet; poſtulat illa ab eo Signo Crucis conſignari: quod cùm is omni pietate præſtitiſſet; illicò à morbo libera, & incolumis è lecto ſurrexit. Alter quoque in eadem Veronẽſi Vrbe Pictor, Ruffino familiaris, graui morbo laborabat: qui cùm Sancti Viri præſentiam expeteret, is negotio præpeditus, cùm ad eum minimè accedere valeret. F. Danielem cum ligneo Roſario, è quo parua Crux lignea pendebat, ad Ægrotum mittit; iubetque, vt ea Cruce ægrotantem ſignet: pergit Daniel: acceptaque à Ruffino Cruce ægrotantem in Dei nomine conſignat. Quid plura? Qui grauiter ægrotabat, protinus è morbo conualeſcens ſoſpes fit, & incolumis.

*Ægrotantem Signo Crucis ſanat.*

LI. Poſtremò cùm vitæ finem ſibi inſtare intelligeret; quatuor à Deo poſtulaſſe fertur. Primùm: vt ad anni Sancti Iubilæum conſequendum, Romam ſibi per obedientiam proficiſci liceret. Secundum: vt ſanctæ Mariæ Angelorum indulgentia præſens Aſſiſij frueretur. Tertiũ: vt in die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis extremum diem ſuum obiret. Quartum: vt in Prouincia S. Franciſci grauem corporis ſui ſarcinam deponeret: quæ omnia à Deo benigniſſimè impetrat. Etenim hoc anno, qui Iubilæus à Gregorio 13. Pont. Max. declaratus fuit; cùm à Hieronymo Generali facultatem obtinuiſſet; Romam profectus, ibi Vrbis Eccleſiis deuotiſſimè viſitatis Sacro Iubileo potitus eſt. Inde Aſſiſium pergens; quo tempore magno populorum concurſu, Indulgentiæ dies in Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum celebratur; præſens ſanctam illam Beatæ Virginis Ædem, quæ Ordinis Minorum exordium fuit, ſumma pietate veneratur; cæleſtique benedictione adepta, hinc ad B. P. Franciſci Eccleſiam ſe confert: vbi cùm tres integras noctes in oratione, ac contemplatione Domini tranſegiſſet; Peruſiam profectus, qua die Virginis Deiparæ Spiritus, corpore in ſocietatis collegium aſſumpto, Cælos conſcendit; eadem Ruffinus corruptibili corporis indumento depoſito, hoc anno piè poſt eam in Cælum anima aſſumptus creditur.

*Quadã ante mortem à Deo obtinet.*

*Peruſiæ piè in Domino obdormit.*

LII. At verò neque eorum memoriã decet ſilentio præteriri, quorũ tametſi præclarè geſta ad nos nõ peruenerint; virtutum tamen fama ſuper æthera noti, etiã nunc in Religione viuunt. Inter hos primus eſt Fr. Benedictus Galeratenſis, Sacerdos, qui in Mediolanẽſi Prouincia, Euãgelica perfectione clarus, maioribus ſua virtute prælu-xit, ac poſteris clariſſima cęleſtis vitæ exẽpla imitãda reliquit; conſentaneamq; vitę in Cõuentu Cardani dormitionẽ accepit. Hũc in Sicula Prouincia hoc quoq; anno ſecutus eſt Fr. Ioſephus Drepanẽſis Laicus; cuius vita, tot tamq; præclaris virtutum ornamẽtis contexta fuit; vt ampliſſima illi in Religione gloriæ monumenta conſtituta ſint. Hic (quæ Dei in rudes, ac ſimplices homines benignitas eſſe ſolet) oratione, ac rerũ diuinarum contemplatione ita præcelluit: vt totus ipſius vitæ decurſus, perpetuus quidam orãtis animi ſopor eſſe videretur. Cæleſtium rerũ ſopori intentum, cùm mortis ſomnus occupaſſet; rerum æternarum; non quidem per ſpeculum in enigmate, ſed facie ad facien. ſpectatorem præſtitit. Poſtremus denique inter illuſtres huius tempeſtatis Viros enumeratur, Fr. Iulius à Caſali Piſtorum, Mediolanenſis Prouinciæ Sacerdos: Cuius tam præclara vitæ ſanctitas fuit; vt

F. Benedictus Galeratenſis virtutibus eximius.

F. Ioſephus Drepanenſis Oratione, ac contemplatione inſignis.

F. Iulius à Caſali Piſtorum ſuauem poſt mortẽ odorem efflat.

cùm ad ipſius, adhuc viuentis, virtutum odorem vndique homines fluerent, ad eum quoque vita functum, Populorum turbæ concurrerent. Nec fruſtrà: qui enim Chriſti bonus odor viuens vbique fuerat, is tam ſuauem è membris poſt mortem odorem cœpit effundere; vt iam nemo inter cæleſtes cooptatum eſſe dubitaret, quem diuino teſtimonio probatum eſſe agnoſceret.

Pleraque hoc anno memoranda commendantur. Primum in Prouincia S. Nicolai: cùm Monopolitani Monaſterij ædificatio nondum abſoluta eſſet, accidit: vt Turcicus Pirata cuiuſdam ductu, qui Chriſtiana Fide abnegata in Mahometi Sectam prolapſus fuerat; noctu ad litus degrediens, à quo haud longè Monaſterium diſtat, rectà eò ad prædam contenderet. Dumque per occultam viam pergunt: en Matutinæ Horæ ſignum Campanæ ſonitu à Fratribus datur: quo Pirata perterritus, cùm illud Vrbi Signum datum eſſe ſuſpicaretur, quo Ciues ad arma concurrerent; pedem retrahere cogitabat: verùm ab Apoſtata illo certior factus, illud non militare, ſed diuinarum laudum familiare illis ſignum eſſe; vltra ad Monaſterium pergunt: Eccleſiamque ingreſſi, Fratres diuinas laudes decantantes audiunt. Quærit Pirata ab Apoſtata, quænam illa omnium vox eſſet, quidvè tunc canendo agerent: reſpondit ille; Deum magnum eo tempore, hiſque vocibus ab iis laudari: Sinamus (ait Pirata) vt Deum magnum laudent: nefas enim eſt, eos Deum laudantes turbare: cùm verò laudare deſierint, redeuntes captiuos detinebimus. Interea longiùs à Monaſterio progreſſi, quaſdam hominum Sæcularium ædes inuadunt; ex quibus pleroſque captiuos ducunt. Eodem itinere cùm ad Eccleſiam regreſſi, flagellantium ſe Fratrum ſtrepitum audirent; ait ad Apoſtatam Pirata: Quid hic ſtrepitus indicat? Cui ille: Nunc hi Religioſi Viri pro hominum ſe ſceleribus flagellant: vt Deum magnum iratum placent. Tunc Pirata: Boni profectò homines ſunt iſti; qui Deum laudant, & pro hominibus ſeipſos cruciant: abeamus: haud enim fas eſt illos attingere. Sic ipſos quoque infideles homines prædationibus, ac rapinis intentos; ſancta, ac benè compoſita Dei Religio, ad ſui admirationem, & commendationem rapit. LIII.

*Pirata Turca qua ratione à Conuen. depradatione abſtinuerit.*

Cremæ hoc anno, magno illius Vrbis concurſu, Noſtrorum Conuentus fundamenta iaciuntur: quo tempore Ioannes Iacobus, Franciſci Zogni, & Eliſabetæ filius, puer quinque annorum, ita ad mortem ægrotabat; vt ſpem Medici illius ſalutis abieciſſent: cúmque iam in extremo vitæ halitu conſtitutus, ſermonis facultate careret, adſtantẽ Matrem ita alloqui cœpit. Mater, Capucinis benefaciendũ eſt. Idque ſæpiùs repetens, ſumma omnes admiratione affecit. Mater verò cùm id, velut miraculum, ac diuinæ voluntatis conſilium duceret; quo filio incolumitatem conferre decreuerat: re cum Marito communicata, Campanam Eccleſiæ Capucinorum conflandam decernunt. Mox qui Animam agebat, præter Medicorum, & omnium ſpem, in ſpem ſalutis aſſurgit, ac breui incolumitatem conſequitur. LIV.

*Puer moribũdus erogata in Capucinos eleemoſyna conualeſcit.*

Roſciani, quæ Vrbs eſt magnæ Græciæ in Calabria citeriori, hoc anno cùm tam copioſa nix è Cælo decidiſſet; vt Conuentus Familia, quæ longè ab Vrbe habitabat, neque ad Vrbem accedere, neque aliunde ſibi victum quærere poſſet: iam triduo maxima rerum penuria angebatur. At qui pauperum ſibi derelictorum curam gerit, Deus benigniſſimus; quam homines erogate non poterant, annonam è Cælo miniſtrar. Dum enim Fratres diuinæ orationi inſiſtunt, Monaſterij fores pulſari audiunt; prægrandemque panis adhuc calidi, ac recentis ſportam, in in ipſo oſtij limine, nullo latore, neque vllis deprehenſis alicuius in niue veſtigiis inſpiciunt: quo cum debita Deo gratiarum actione veſcuntur. LV.

*Singularis Dei in Fratres Prouidẽtia.*

Cataci denique in Prouincia Rhegienſi, dum Fratres conſuetæ vini mendicationi in Vrbe incumbunt; lagenam à nobili quadam, ac pia Matrona vino implendã relinquunt: quam peracta mendicatione ſibi repetendam proponunt. Lagenam Matrona ancillæ tradit; quæ cùm in cellam vinariam profecta, lagenam ſub dolio defluente collocaſſet; aliud negotium peractura diſcedit. Interea illi lagena LVI.

*Matrona in Capucinos pietas diuino Miraculo cõmendatur.*





è memoria excidit: nec niſi poſt duarum horarum ſpatia illi in mentem redit. Propè exanimatur Ancilla; quæ dolium, vino effluxo, totum exinanitum arbitrabatur: quare volucre citiùs ad cellam vinariam euolat: vbi impleta lagena, vinum diuina virtute ſtetiſſe conſpicit. Mox ad Heram feſtinans, miraculum narrat: quæ facto admirabunda, cùm debitas diuinæ benignitati grates rependiſſet; eò ad pietatem pronior, ac in pauperes liberalior deinceps euaſit.



I. CHRISTI Redemptoris Annus Milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus ſextus emicat: in quo, Pacifico à S. Geruaſio è viuis ſublato, de nouo Generali Commiſſario in Gallias tráſmittendo, apud Hieronymum Generalem agitur: idoneuſque tanto muneri Vir eligitur Fr. Matthias Salodienſis, Brixianus, Mediolanenſis tunc Prouinciæ Vicarius, ac Generalis Capituli Definitor. Vir, inquam, ſi quis alius, ingenio, doctrina, ac prudentia illuſtris: de quo plura in ſecundo Annalium Tomo, Anno 1611. nobis exaranda erunt. Interea dum hic Gallicam profectionem parat, Fr. Hieronymus Mediolanenſis, qui circa ſuperioris Anni finem, Lutetia Pariſiorum diſceſſerat: poſt multas itineris moleſtias, Lugdunum peruenit.

*Fr. Matthias Salodienſis Cõmiſſarius Generalis creatur, & in Galliam mittitur.*

II. Eſt Lugdunum Seguſianorum Vrbs magna, & ampla: in Gallia Celtica, à Minutio Planco (vt ferunt) circa annum 711. condita, quam Arar; vulgò autem *Segona*, Rodanuſque Amnes, diuerſis ex Alpibus decurrentes alluunt: de quibus Silius Italicus lib. 13. apud Lypſium ita ſcribit:

*Lypſius ad Senec. Ep. 91*

*Aggeribus Caput Alpinis, & Rupe niuali*
*Proſilit in Celtas, ingentemque extrahit Amnem*
*Spumanti Rodanus proſcindens gurgite campos;*
*Ac properè in Pontum lato ruit inclytus alueo:*
*Auget opes ſtanti ſimilis, tacitóque liquore*
*Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis*
*Cunctantem immergit Pelago, raptumque per arua*
*Ferre vetat patrium vicina ad litora nomen.*

*Vrbis Lugdunenſis deſcriptio.*

Huius Vrbis Eccleſia primatum inter Galliæ Eccleſias gerit: vt teſtis eſt Gregorius 7. quam propterea Innocentius 4. titulis nobilitatis inſignem, Fidei puritate pollentem, pacis vnione concordem, rerum affluentia locupletem, ſitu loci communem, & habilem vniuerſis appellat, apud Bzouium. Huc itaque quum primùm Hieronymus appulit; à Pompeio Porro Mediolanenſi, Viro opulentiſſimo, tunc in ea Vrbe Trapezita, humaniſſimè domo excipitur: quo cum de erigendo in ea Vrbe Conuentu conſilium communicat. Laudat Porrus conſilium: ſuamque omnem in ea re illi operam pollicetur. Nihil cunctatur Hieronymus: ſed iuxta Conſtitutionum Generalium præſcriptum, ad Petrum de Eſpinac ſe confert, qui ex Prioratu S. Ramberti, ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum vocatus, anno 1574. tunc Sedem illam plurima humanarum, ac diuinarum literarum peritia, parique pietate illuſtrabat: ab eoque facilè Conuentus in ea Vrbe ædificationem impetrat. Lugdunenſis Prouinciæ clauum eo tempore moderabatur Mandelotius; Vir haud vulgari prudentia, ac pietate ornatus; atque Henrico 3. Regi potiſſimùm charus; qui nobis plurimùm ſua auctoritate contulit. Vrbis quoque Conſules, acceptis

Greg. 7. lib. 6 Epiſt. 36.

Bzouius A. C. 1251.

*F. Hieronymus Mediolanenſis Lugdunum appellit.*

*Archiepiſcopus Lugdunenſis, & Vrbis Gubernator Noſtris fauent.*

Catharinæ





Catharinæ Reginæ literis, ſe Noſtris humaniſſimi exhibuêre: quo fit, vt Deo cœptis annuẽte, vniuerſa proſperè, circa Religionis in ea Vrbe propagationem euenirent. Interea Diues quidam illius Vrbis Negotiator, Ioannetus de Lechis nomine, Patria Mediolanenſis, qui ſæpè in Lugdunenſi Vrbe, grauiſſimum Conſulis Munus, conſilio, & prudentia clarus, adminiſtrauerat: cùm frequenter cum Hieronymo colloqueretur; tantam ex ipſius ſermone, ac familiaritate erga Capucinorum Ordinem pietatem, ac beneuolentiam animo hauſit: vt exinde Conuentus ædificationem ope, ac opera ardentiùs proſequeretur: Religioniſque res haud ſecus quàm proprias curaret. Denique cùm eò huius Viri pietas euaſiſſet; vt poſt huius Conuentus ædificationem, rem omnem ſuam in aliorum quoque Conuentuum propagationem inſumeret: id tandem præmij loco à Deo conſecutus eſt; vt ferè ſexagenarius, vxore ad ſanctimoniales aduolante, ſeipſum Deo in Capucinorum Ordine conſecrauerit; in eoque admirabili vitæ, ac virtutum exemplo diem extremum, poſt tertium annum, obierit. Huic duo quoque alij inſignes in ea Vrbe Menſarij acceſsêre: Philippus Iacominus Florentia oriundus, & Ioannes Baptiſta Brunus Pedemontanus, è Monte-regali: cuius Familia cùm apud Allobroges, Ducis Sabaudiæ ditioni ſubiectos, in N. Bruno Præſidiali dignitate floruerit; etiãnum in Ioſepho Filio, qui omni prudentia, ac virtute ornatiſſimus adhuc viuit, & viget ſuperſtes, ſingulari pietate, atque in Religionem deuotione refloreſcit. Ab his cùm locus ad Monaſterij ædificationem aptus, proprio ære paratus eſſet: hoc anno totius Vrbis applauſu Crux erecta, ac prima Conuentus, ac Prouinciæ Lugdunenſis fundamenta iacta ſunt.

*Ioannetus de Lechis erga Capucinos afficitur, ac Religionem ingreditur.*

*Philippus Iacominus, & Baptiſta Brunus Conuentus ædificationem promouent.*

III. Interea Matthias Salodienſis, nouus Galliæ Generalis Commiſſarius, nonnullis ſibi ſociis adiunctis: inter quos fuêre F. Nicolaus, & Saluator, ambo Tiphernates; Hyppolitus Bergomas, Thomas Taurinenſis; alter ab illo, quem anno ſuperiori commemorauimus; vniuerſi Concionatores; Fr. Angelus à Como, & Maurus à Lauda Pompeia vterque Laïcus; cùm in Galliam proficiſcens Auguſtam Taurinorum perueniſſet; cum Emanuële Philiberto Sabaudiæ Regulo maturè, atque opportunè agit; vt Camberij, quod amplum eſt in Sabaudia Oppidum, vnde Senatus toti Sabaudiæ iura dicit: ipſius auctoritate, ac permiſſu Conuentus extruatur: quo Fratres, qui in Galliam tranſmittuntur, Alpiumque iuga conſcendunt: poſt aſperrimos itineris labores, ac moleſtias recreari; faciliúſque in Lugdunenſem Prouinciam penetrare valeant. Porrò Emanuël Philibertus, qui vt nulli pietate ſecundus, ita ſingulari quadam Noſtros beneuolentia complectebatur: cùm Capucinorum Religionem, in Sabaudia propagandam ſibi antea in animo ſtatuiſſet: hanc ſibi occaſionem diuinitus oblatam eſſe exiſtimans, vtraque illam manu arripit: Matthiæque non modò Camberij, verum & Aneburgi, quod Oppidum eſt, ad ipſas Montis radices, trans Alpes ſitum: nec non in Maurianenſi Vrbe, Monaſteria extruenda ſuadet. Annuit pij Ducis ſtudiis Matthias, qui hæc ad commodiorem viam ad Gallicas Prouincias ſternendam neceſſaria eſſe non ignorabat: Quamobrem Dux, expeditis ad Petrum Lambertum, tunc Maurianenſem Epiſcopum, literis, ardentiùs rogat; vt in id omne ſtudium, ac ſollicitudinem conferat; quò Capucinorum Religio tribus hiſce locis potiri queat. Matthias igitur Ducis huius pietatem plurimùm apud ſe commendans: cùm ab eo digreſſus Maurianam perueniſſet: Epiſcopum haud ſegniter pro Conuentuum illorum, qui Ducis literis illi commendati fuerant, fundatione laborantem offendit. At verò cùm Aneburgi Oppidum, tam tenuè, ac exiguum; Regioque circumcirca tam ſterilis eſſet: vt Conuentus Familia nulla ratione ab eo ali, ac ſuſtentari poſſet: Matthias de Epiſcopi conſilio, qui ſumma integritate, ac beneuolentia res Capucinorum agebat: ab huius Conuentus ædificatione ſibi abſtinendum ducit. Quapropter re ad Maurianenſis, & Camberienſis Monaſterij fundationem contracta; vix pium opus in Maurianenſi Vrbe euulgatum fuit: cùm protinus tot, Dæmonum opera, ex ad

*Matthias Cõmiſſarius cũ Emanuële Philiberto Sabaudiæ Duce agit.*

*Emanuël Philibertus pietate clarus, & in Capucĩnos beneuolus.*

uerſo

uerſo impugnatores humanis, ac politicis rationibus decertantes emersêre; quorum mens non tam vitio, quàm errore corrupta erat; vt cùm nonniſi ſumma vi, ac violentia à cœpto deterreri poſſent: Matthias ab eo potiùs per aliquot annos abſtinere; quàm violenter, ac præter communem populi conſenſum, ac diuini operis naturam, aliquid agere decreuerit.

*Ducis Aſſenſu ac literis Cãberienſis Conuentus fundatur.*

IV. Camberij verò etſi nonnulla à principio, quum primùm de illius Monaſterij fundatione agi cœpit, tempeſtas orta fuit; quæ illius ædificationem ſubruere velle videbatur: Duce tamen Emanuële Philiberto ardentiori, ac commendatiori ſtylo ad Senatum reſcribente; ſedata tempeſtas; aptuſque Monaſterio locus aſſignatus; Crux collocatã, primaque Conuentus ædificatio hoc anno inchoata: quæ breui deinde ob ſingularem populi illius in Noſtros pietatem, conſummata fuit. Hinc Matthias Lugdunum profectus, Hieronymum impigrè in Conuentus illius ædificatione operam nauantem offendit: cuius quum primùm virtutem, ac prudentiam perſpectam habuit; primum illum eiuſdem Conuentus Guardianum inſtituit. Accidit verò hoc ipſo tempore; vt nobilis, ac præpotens quidam Vir Auinionenſis, qui Petrus à S. Sixto appellabatur; audita Capucinorum fama, quæ vbique de eorum vitæ ſanctimonia inualuerat: eos in Auinionenſi Vrbe ſummoperè expeteret: quapropter datis ad Matthiam Generalem Commiſſarium literis, ab eo Fratres expoſtulat; qui Vrbem inuiſant, locumque Monaſterio aptum eligant: quod ſe proprio ære ædificaturum ſpondet.

*Petrus à S. Sixto Capucinos Auinionẽ aduocat.*

V. Eſt Auenio celebris Tranſalpinæ Galliæ Vrbs, Venaiſſini Comitatus præcipua, ſitu, mœniis, ædificiis pulcherrima. Rodano alluitur, cuius adhuc Pontem trium, & viginti fornicum longitudine extenſum; haud tamen integrum oſtendit: quæ cùm plurimùm ventis quatiatur, ſine vento venenoſa aſſeritur: hæc à Clemente VI. pretio empta Romanæ ditioni acquiritur: quam etiam plurium Romanorum Pontificum poſtea Sedes exornauit.

VI. Matthias igitur acceptis Petri litteris: cùm viam Religionis propagationi à Deo aperiri intelligeret: nihil ſibi cunctandum; ſed quò Deus vocat, opportunè ſequendum exiſtimat: veruntamen id magnoperè illius animum ſollicitat; quòd Auenionenſe iter, propter Hæreticorum tunc interiacentium odia in Religionem concepta, periculoſum agnoſceret. Plurima illi conſilia in mentem veniunt, quibus periculum euitari poſſe cenſet: ſed cùm iis quoque nonniſi difficillimè ſe vti poſſe cerneret: rem diuinæ Prouidentiæ, ac benignitati, qua Religionis propagationem ſummo conſilio diſponi, ac gubernari conſpiciebat; potiùs committendam, quàm humano conſilio peragendam fore ſtatuit. Quamobrem Hieronymũ: cuius ſingularem in agendo prudentiam, atque animi virtutem iam experimento didicerat; ad hoc opus deſtinat. Lugduno iter per Rodanum Auenionem versùs celerrimè conficitur: quo fit, vt Nauiculæ ſæpiſſimè mercibus onuſtæ eò adnauigent. Breui tunc, à Rodani fluminis ripa, nonnullæ nauiculæ ſoluendæ erant; quæ cùm Sali Lugdunum vehendo inſeruirent, mercibus vacuæ Auenionem adnauigabant. Harum vnam cùm Hieronymus conſcendiſſet, intrepidè iter per flumen aggreditur: non Hæreticos, non vitæ pericula metuit; ſed diuina prorſus ope confiſus, atque obedientiæ galea, atque armis contectus, ſecurus inter Fidei hoſtes viam auſpicatur. Nauicularius verò cùm primùm ſe ad Hæreticorum loca accedere animaduertit; periculum præcauens, Hieronymum, ac Socium admonet; ne ſeſe vltrò Hæreticis conſpiciendos offerant: ſed cùm in Nauicula locus eſſet tabulis vndique obſtructus, in eum illos ſe recipere iubet; donec ab iis Hæretici, qui Nauiculas perluſtraturi erant, peracta viſitatione abſcederent. Paret Hieronymus: Interea Nauiculis ad ripam appulſis, aduolant Hæretici: qui cùm Capucinorum aduentum, Hæreticorum Lugdunenſium literis didiciſſent; armati, ac furentes nauiculam ingrediuntur; cuncta diligentiſſimè perluſtrant, quærunt, rimantur: tabulas tandem, quibus Hieronymus cum Socio obtegebatur, è loco

*Mediolanẽſis Auinionem proficiſcitur.* (*Hieronymus*)

*Hæretici diuina virtute obcæcantur.*

amouent



amouent; diuellunt, locum patefaciunt: Nec tamen, Deo illorum oculos ſua virtute obcæcante, illos intueri valent: ſæpè locum repetunt, colluſtrant, ac defixa acie, atque auidis luminibus, abſque lumine tamen conſpiciunt. Cernebat quidem præſens Hieronymus adſtantes Hæreticos, cùm ipſi præſentem Hieronymum intueri non poſſent. Dei namq; miraculo fiebat; vt quemadmodum mente, ita oculis obtenebrati; quos præſentes habebant, videre minimè poſſent. Hoc pacto periculo diuina virtute declinato, Auenionem appulêre. Nauta verò cùm eo miraculo obſtupefactus, rem in Vrbe diſſeminaſſet; populum magis ad Religionis deuotionem accendit: eoque factum eſt; vt Petrus, qui Capucinos ad Vrbem vocauerat, ardentiùs propoſitam animo deliberationem proſequeretur.

VII. Petrus igitur Hieronymi aduentu plurimùm gauiſus, eum cum Socio tecto, ac menſa hilari animo accipit; benignéque, ac liberaliter excipit: protinuſque cum eo de Conuentus fundatione agit: at Hieronymus, rem ab Vrbis Antiſtite, iuxta Eccleſiaſticas, ac Religionis leges auſpicandam, affirmat. Auenionenſem tunc Sedem moderabatur Georgius Arminiacus S. R. E. Cardinalis, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus, haud obſcuri nominis, ac pietatis Antiſtes: Cuius cùm Hieronymus Petro comite conſpectum adiiſſet; ab eo poſtulat, vt Conuentum in Auinionenſi Vrbe ſibi ſua auctoritate ædificare liceat. Cardinali primùm res difficilis viſa eſt; tum propter nouæ Religionis acceſſum, quem Vrbi grauem fore ſuſpicabatur: tum etiam, quòd ob ſummam rerum omnium inopiam, quam Capucini ex Regula profitentur; vitæ neceſſaria mendicando ſibi comparare poſſe diffideret. At Hieronymus à Dei Prouidentia exorſus: quæ à primæua Ordinis inſtitutione, erga veros, ac legitimos Regulæ cultores, nullo nunquam tempore enituit; prudentiſſimis rationibus; atque ipſo rerum vſu, ac experimento demonſtrat; nihil ipſis, quoad ea, quæ ad vitæ rationem pertinent, prorſus pertimeſcendum eſſe. Cæterùm quàm ab ipſa Religionis natura, & conditione abſit; vt eorum ad Vrbes acceſſu Ciuium opes diminuantur; quin etiam à Deo mirificè augeantur, præclara rerum narratione luculentiſſimè oſtendit.

*Hieronymus ab Arminiaco Cardinali Cõuẽtus ſedẽ impetrat.*

VIII. His cùm rationibus pius Cardinalis acquieſceret; illud tantummodò ipſius animum ſollicitabat: quo pacto, qui rebus omnibus carebant, nulloque temporali ſubſidio fruebantur; nouam Domum, nouamq; Eccleſiam ædificare poſſent. Hanc Petrus mox dubitationem ſoluens, ait: Cardinalis Illuſtriſſime: ſi quæ ad ſupremam Præſulis auctoritatem ſpectant, abſoluta ſunt; iam meæ partes incipiunt: Me auſpice, Patres iſti, hanc in Vrbem venêre: eoſque ego haud ſecus quàm liberos excepi: annon æquum eſt, vt etiam me Parente abſque domo non ſint: meum erit, illis Monaſterium, & Eccleſiam, te annuente, ac benedicente, parare. Id cùm Cardinalis audiſſet: chariſſimè Petrum amplexatus, propoſitum maximè commendat; pium opus laudat; ampliſſimaque Hieronymo ædificandi facultate collata, humaniſſimis illum verbis dimittit.

IX. Hieronymus itaque accepta à Cardinali poteſtate; quis in Vrbe aptior, ac commodior, ad Conuentus fundationem locus ſit, cum Petro diligenter explorat. Erat Petro Hortus prægrandis, in extrema Vrbis parte, quæ vicus Fr. Prædicatorum appellatur: haud longè à S. Agricolæ Baſilica diſſitus. Hunc Petrus Hieronymo ad Conuentus ædificationem, velut opportunum, offert: quem cùm Hieronymus ſitu ſolitarium, Cælo, ſoloque ſalubrem animaduerteret: haud ægrè commendans, primum in eo pedem ſiſtit: nullaq; mora interpoſita, prima ibi Monaſterij fundamẽta, tota Vrbe confluẽte collocat: quæ aliquãdo etiam prima S. Ludouici Prouinciæ, quum primùm ea à Lugdunenſi Prouincia diſſecta fuit, incunabula præbuêre. Statim verò Ædificium, Petri ære, quod copioſè ab eo miniſtrabatur, à ſolo excitatur: ac breui temporis ſpatio, ob ſummam Hieronymi diligentiam, ac Petri liberalitatem, vix anno expleto commodam Fratribus habitationem præſtat.

*Auinioni Cõuentus fundatur.*

X. Interea Matthias Generalis Commiſſarius, dum cæteri Lugdunenſis Conuẽtus

ædifica

ædificationi ſtudent; hoc anno Lugduni Dei Verbum maxima Vrbis ædificatione, atque vtilitate diſſeminat. Nam cùm is inter magni nominis Prædicatores, qui ſua tempeſtate floruerunt, haud immeritò adnumeraretur; eo factum eſt, vt quamplurimi illius Vrbis Iuuenes, atque adoleſcentes; quorum Deus animos ad Euangelicæ, ac Seraphicæ vitæ perfectionem accenderat; ad Ordinem accederent: quibus tum Lugdunenſis, tum Camberienſis Conuentus Familiæ propagari cœperunt. Poſt hæc Matthias Lutetiam Pariſiorum verſùs iter aggreditur: quò quum primùm peruenit: Meudonenſem Conuentum, Ludouico Guiſio è Lotharingia S. R. E. Cardinali, poſt Caroli mortem à Gregorio XIII. Pontifice creato, poſtulante; domumque, ac prædia ad Conuentus ædificationem adminiſtrante, hoc anno fundat; cui Fr. Iulianum à Mediolano Guardianum præficit. Tum Catharinæ Reginæ fauore ab Henrico Rege obtinet: vt Capucinorum Religio in naturalem, ac legitimam Regni filiam cooptaretur; atque immediatè ſub Regiæ protectionis tutela collocaretur. Quod ſanè quamplurimis nouum, ac mirabile viſum fuit: cùm id Religio vix in Regno adoleſcens adepta eſſet; quod plerique iam prouecti, ac ſeneſcentes in eo Ordines necdum aſſequi potuerant. At ea ſingularis Dei Prouidentia fuit: vt ea facilè Regno coaleſceret; cuius ſemine illud aliquando ad priſtinum Fidei ſplendorem, atque auctam pietatem refloreſceret. Huius Regij Diplomatis Exemplar, in Regeſto Bullarum, quod in huius Voluminis calce appoſitum eſt, licet conſpicere; ex Gallico Idiomate, quo editum fuit, à nobis Latinitate donatum. Eodem quoque tempore, Petrus de Gondy, Epiſcopus Pariſienſis, Religionis propagationem, quam paulo ante oppugnauerat, in Pariſienſi Diœceſi, Epiſcopali Diplomate proſequitur.

*Matthias Lutet'ä profectus, Meudonenſem Cōuentum ædificat.*

*Capucinorũ Religio ius naturalitatis in Gallia Regio Diplomate aſſequitur.*

XI. Verùm neq; abſque admirabili Dei ſapientia factum eſt: vt hoc eodem anno, quo Capucinorum Religio in Gallia propagari cœpit; Hiſpania quoq; miro quodã modo in eiuſdẽ amplexũ cõſpirauerit. Neq; enim aut Hieronymus Generalis aut Religionis Patres adhuc ſibi in animũ induxerant, Ordinẽ in Hiſpanas oras diffundere: cùm ſatis ſuperq; illis videretur, in ampliſſimo Galliæ Regno, prima Religionis ſemina depoſuiſſe: ac tenuis adhuc Religio, impar humeris onus ſuſtinere non poſſet; donec Gallicum virgultum, ſuccedentibus annis, in arborem excreſcens, germina, ac ſarculos ad ampliorem Ordinis propagationem ſuppeditaret. At Deus Opt. Max. qui ineffabili ſapientia, vtriuſque Regni habenas moderabatur: vt Regna fide, ac pietate coniunctiſſima, arctiori Seraphicæ Religionis vinculo copularet; quò ſimul ardentiori ad virtutem ſtimulo prouocarentur: pium quendam, licèt exigui nominis Virum, Vrbis Barcinonenſis Pharmacopolam, nomine Michaëlem Quirolium excitat: qui audita Capucinorum fama, quæ ex Itala Regione, eouſque de eorum ſanctitate diffundebatur; cum Vrbis Conſulibus agit; vt Religionem, quæ virtutum ſplendore, ac Regularis obſeruantiæ luce vbique fulgebat; in Vrbem vocarent. Erat hic Michaël Vir bonus, ac pius, inſignique animi probitate præditus: quo fit, vt cùm facilè ipſius conſilio Vrbis Conſules acquieſcerent; ij Epiſtolam hoc anno ad Hieronymum Generalem huius tenoris conſcripſerint.

*Capucini in Hiſpaniam ab Vrbe Barcinonenſi vocantur.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
Hieronymo à Monte-florum, Generali Ordinis Capucinorum
glorioſi Patris Sancti Franciſci, Vrbis Barcinonæ
Conſiliarij S. D.

*Barcinonenſium Conſulũ ad Generalẽ Epiſtola.*

*REVERENDISSIME in Chriſto Pater: Michaël Quirolius, huiuſce noſtræ Vrbis Pharmacopola plurima de Religionis veſtræ gloria, & ſanctimonia ad nos retulit. Nos quoque ex multorum litteris, & ſermone percepimus: quãta*

apud



*apud vos vitæ auſteritas; ac Regularis obſeruantia vigeat; qua veſtri Ordinis Religioſi vbicunque inter populos diſſeminantur, ob præclara vitæ exempla, ac diuini Verbi prædicationem, maxima in Chriſtianum populum beneficia conferunt. Quapropter & ſi noſtra hæc Vrbs (Dei gratia) pleriſque Religioſorum Ordinum Monaſteriis abundet: in quibus Viri vita, ac doctrina præſtantes nobis ſua virtute prælucent: attamen magnoperè expetimus, vt intra huius Vrbis terminos, veſtri quoq; Ordinis Monaſterium extruatur. Eapropter curabimus; vt domus quædam, & Eccleſia B. Matronæ dicata, quæ iuxta Vrbis mœnia, ad Iouis Montis radices ſita, antiquo Patronatus iure ad Vrbem ſpectat, vobis in habitationem cedat: quam cùm antehac Barcinonenſis Ciuitas Patribus Societatis Ieſu commendaſſet; ij haud pridem, ob alias eorum Societatis domos, quibus tum in Vrbe, tum extra Vrbem fruuntur, eidem reſignarunt. Id P. V. non obſcurè manifeſtum fiet: ex Ordinarij Concilij, quod hac de cauſa congregatum fuit, decreto; quod hac Epiſtola vobis ſignificamus. Quamobrem P. V. obnixè rogamus, vt animosè in hoc tam pium facinus aſſurgat; manúmque ſancto operi admoueat: ex quo diuino nomini honorem, Vrbi vtilitatem, communémque Ciuibus lætitiam acceſſura ſperamus. Huc P. V. aliquot ex ſuis deſtinare poterit, quos meliores, atque huic negotio aptiores iudicauerit. Quod enim ad nos ſpectat, nullis nos officiis deerimus, quibus ſuſceptum negotium, ex animi ſententia, Deo benè iuuante conficiatur. Valeat P. V. diu incolumis, quam Deus ſua gratia confirmet. Datum Barcinonæ ſexto Idus Iun. 1576.*

XII. GENERALIS autem his acceptis literis, cùm grauiter, ac maturè in hoc ſibi negotio procedendum eſſe iudicaret: præſertim, cùm pleraque in ea deliberatione ſeſe offerrent, quæ temporis magis, quàm mentis conſilium expoſcerent; rem ad Generale Capitulum differendam ſenſit: vt multorum conſiliis librata, quid in ea agendum eſſet, maiori prudentia deliberaretur; atque eo factum eſt; vt ante annum 1578. de Hiſpana Religionis propagatione nihil omnino actum fuerit.

*Hiſpana Propagatio ad Generale vſque Capitulum differtur.*

XIII. Mediolanum interea, ac nonnulla illius Oppida, hoc tempore immanis, ac dira lues depopulabatur: quæ in Vrbe præſertim populis copioſa, horrendum in modum in dies excreſcens, tot voracis flammæ inſtar, per diem homines depaſcebatur; vt aliis morbi vaſtitatem aufugientibus, aliis peſtilentia abſumptis, Vrbs penè hominibus orbari videretur. Horrebant Vrbis proceres, miſero illo Ciuitatis aſpectu: cúmque quid in tanta rerum calamitate conſilij caperent, ignorarent: iis cæleſti planè ſapientia occurrit S. Carolus Borromæus, S. R. E. Cardinalis, ac Vrbis illius Antiſtes; qui tam miſeranda populi ſui clade commotus; primum quidem opportuna illis conſilia miniſtrat; quibus morbi ſerpentis principia obtruncare, Vrbémque à contagio ſeruare queant. At cùm in morbo diuini aliquid ineſſe Sanctus contemplaretur Antiſtes; cui tollendo humana conſilia, atque antidota haud ſufficerent: nullîſque luem remediis extingui; ſed potiùs latiùs deſæuire, ac in peius proficere animaduerteret: Deum in primis lachrymis ac ſupplicationibus placandum curat; in quo is planè admirandis pij, ac veri Paſtoris exemplis, cunctis præluxit. Tum verò in id præcipuè animum intendit; vt tam ex Eccleſiaſticis, quàm ex Religioſis viris non paucos ſeligeret; qui pia morbo laborantibus officia exhiberent: quique non corporum tantummodò, ſed animarum quoque potiſſimùm morbis mederentur.

*Dira lues Mediolanenſem Vrbem, & agrum inuadit.*

*S. Caroli Borromæi pro vrbe ſollicitudo.*

XXIV. Capucinorum Ordinem Vir Sanctus, quemadmodum alibi diximus, ſingulari

*S. Carolus Capucinos ad laborantiũ obſequia vocat.*

quadam beneuolentia complectebatur: quorum cùm ardentem in piis huiuſmodi laboribus ſuſcipiendis animum, iam ipſa rerum experientia exploratum haberet, maximam in iis pij operis exantlandi ſpem collocauerat. Quapropter F. Franciſco ab Aquis Bormiis, tunc Prouinciæ Mediolanenſis Vicario, & Iacobo Mediolanenſi Vrbis Guardiano ad ſe vocatis; Apoſtolica auctoritate, qua tanquam Legatus à latere fruebatur, mandat; vt epiſtolis per totam Mediolanenſem Prouinciam exaratis, omni ſtudio Fratres ad pium laborem excitent: eos verò, qui ſpontè ad Chriſtianum opus animũ intendere voluerint; quoſq; ij tanto muneri idoneos eſſe probauerint, nulla interpoſita mora in Vrbem cogant; vt maturè eorum opera vti poſſit. Paret Franciſcus Cardinalis mandato: miſſiſque per vniuerſum Prouinciæ Orbem literis, Fratres ad Chriſtianum opus prouocat: At vix in Fratrum Conuẽtibus Epiſtolæ leguntur: cùm Vniuerſi ferè, certatim ad pium opus anhelant: ſummúmq; quiſque lucrum ſibi accedere exiſtimat, ſi pro Chriſto, & laborantium charitate animam ponat: Hinc cùm tanta ſeſe ſpontè offerẽtium multitudo eſſet; vt & Monaſteria Sacris Miniſtris deſtituerentur, numerúſque modum, ac neceſſitatem excederet: ex his duodecim tantummodò, qui aptiores viſi ſunt, tam ex Presbyteris, quàm etiam ex Clericis, ac Laïcis primùm ſelecti fuêre: quibus alij quoque aliis morbo ſublatis deinde ſucceſsêre. Horũ nomina ſunt Fr. Philippus Mediolanenſis Sacerdos: qui à Cardinali cæteris præfectus, quandiu ſuperſtes fuit, totum huius negotij pondus ſuis humeris ſuſtinuit: Alexander Mediolanẽſis, Iacobus Volaterranus, Apollonius, & Sigiſmundus Brixiani: hi omnes Sacerdotio inſigniti, ac ex his plerique Concionatores. Ex Clericis, Marcus Mantuanus: ex Laïcis, Andreas à Valle Sabij, Matthæus à Corano, Raynerius Mediolanẽſis, Marcus à Cotio, Ianuarius à Druculo, & Theodorus Laudenſis. His ſucceſsêre Fr. Paulus Salodienſis, Chryſoſtomus à Vigueria, Pius, & Auguſtinus Mediolanenſes, Athanaſius Brixianus Sacerdotes, Fr. Modeſtus à Magenta, & Gilbertus Brixianus Clerici, Fr. Hieronymus Bruſates, & Sabinus Cremonenſis Laïci.

*Fratres ad pium opus electi enumerantur.*

*Varia in loca à S. Carolo deſtinantur.*

XV. Horum numero, ac vehementiori Charitatis æſtu, cùm Sanctus Antiſtes plurimùm animo lætatus fuiſſet: alios quidem ad certa Diœceſis Oppida, quæ peſtis inuaſerat, mittendos curat. Victoriam primùm, quod Oppidum eſt, inter Laudam Pompeiam, & Marignanum, Alexandrum Mediolanenſem cum Theodoro Laudenſi deſtinat: Modœtiam verò Apollonium Brixianum cum Hieronymo Bruſate: alios verò in varia Vrbis loca diſpertitur. In Hoſpitali quidem Domo S. Dionyſij in Vrbe, Fr. Sigiſmundum Brixianum Concionatorem, Matthæum à Corano, Maſſæum à Cotio, & Ianuarium Drucolenſem collocat. Extra Vrbem verò in amplo Xenodochio, quod vulgato nomine Lazaretum appellatur; quò vniuerſi peſte affecti ducebantur; Philippus Mediolanẽſis omnium Pater ſtatuitur. Cui Socij adiunguntur Iacobus Volaterranus, Marcus Mantuanus, & Andreas de Valle Sabij.

*F. PAVLVS Salodienſis Hoſpitali Lazaretti Domui præficitur.*

XVI. Hi igitur, dum contemptis omnibus mortalis vitæ periculis, impigrè, ac ſtrenuè ſuo quique labori incumbunt: primus Philippus poſt menſem peſtifero morbo ſauciatus, Deo animam conſecrat: Cuius mox loco, & auctoritati ſuccedit Paulus Salodienſis Concionator; Vir charitatis ardore, & animi magnitudine inſignis: cui cùm ob ſingularẽ prudentiam tota ampliſſimę illius domus Lazareti, quę mille circiter Viros ad miniſteria deſtinatos cõplectebatur; cura commiſſa eſſet: eidẽ quoq; à S. Carolo, & à Senatu, quibus eximia Viri virtus perſpecta erat, tota ſpiritualis, ac tẽporalis poteſtas, citra pœnam ſanguinis in ea rerũ calamitate cõcredita fuit: vt ſi quid vitij aut ſceleris in eo Xenodochio ſerperet; protinus opportunè obtrũcaretur.

Interea Fratres ad miniſterium miſſi, alacri animo, atque immenſo quodam charitatis æſtu incenſi, pium opus exantlant: cúmque nullis diu noctúq; laboribus parcerent, neque vlla mortis pericula timerẽt; atra peſte infectos, ſedulò inuiſunt, iis lectos ſternunt, cibos adminiſtrant, obſequia præſtant; nullóq; metu, vbi id neceſſitas poſtularet, eorum membra contrectant. Charitas enim quæ non ſua, ſed Chriſtum





*Fratrum in eo Miniſterio charitas, ac ſollicitudo.*

quærit, omnem ab iis mortis formidinem procul expellit: eorum quoque mœrores blandè, ac beneuolè ſolantur: Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis Sacramenta intrepidè miniſtrant: nullis tandem morientibus officiis deſunt, quibus vel corpora, vel animę ſubleuari poſſent. Defunctos verò non fugere, non abhorrere; ſed Chriſtiana, ac Fraterna pietate proſequi: ora obturare, oculos occludere, funebri linteo inuoluere, decenter ornare, humeris geſtare, ac debita omnibus funera perſoluere, communi inter eos lege ſancitum erat. Quibus in officiis cùm nonnulli ex Fratribus hilari animo ex humanis deceſſiſſent: alij iis mortem inuidentes; non illos, ſed ſeipſos mœrore proſequebantur; quòd necdum cum iis vitam pro Fratrum charitate profundere digni eſſent. Magnam enim à Deo ſe mercedem aſſequi arbitrabantur; ſi quam à Deo acceperant, pro eo vitam contemnerent.

*Pauli prudentia ac Virtus commendatur.*

XVII. Paulus verò cùm tam prudenter, accuratéque totius Domus adminiſtrationi vacaret; vt in ea nihil inordinatum, confuſum nihil, nihil non benè diſpoſitum conſpiceretur. In id verò potiſſimùm animo incumbebat: ne quid turpe, aut vitioſum, quod ſæpenumerò, his præſertim temporibus, accidere ſolet; è ſacra Domo erumperet: quo diuini nominis gloria, domúſque illius honeſtas in diſcrimen vocaretur. Porrò hoc tempore contigit: vt Meretrix quædam, in Vrbe famoſa, eò propter contagioſi morbi ſuſpicionem duceretur: quæ cùm maiorem animo, quàm corpore peſtilentiam gereret; nullo neque ſæuientis morbi periculo exterrefacta; nec vllo propriæ ſalutis ſtimulo commota, diem penè totum in cubiculi ſui feneſtra tranſigebat; qua euntes, & redeuntes proſpectans, pleroſque ad laſciuiam pertrahebat: plurima quoque Amaſiorum turba eò conueniens, honeſtiſſimam domum labefactare videbatur. Quamobrem Paulus, cùm mulierem ſemel ac iterum correptam, à cœpto haud deſiliẽtem cerneret; feneſtram muro occludi iubet. Rem illa tam acerbè tulit; vt Virum quendam Mercenarium, qui Orientali Portæ præfectus fuerat, muneribus corruptum eò impulerit; vt ad Vrbis Proceres, qui Hoſpitali illi Domo præerant, Paulum calumnioſè detulerit; quaſi meretricem illam ad turpia allexerit: cuius cùm illa impudicitiæ obſiſteret; eum ob repulſæ paſſæ vindictam, feneſtram muro occludi imperaſſet. Res eo veritatis colore ab homine corrupto depicta fuit; vt Proceres leuiùs fidem dicto adhibentes, mox facinus ad S. Carolum referrent. At S. Antiſtes diuturna rerum experientia prudentior; cùm primùm Proceribus perſuaſiſſet; haud facilè accuſatori credendum eſſe, donec perſpecta veritas eſſet: quò rem certiùs agnoſceret, Paulum accerſit; obiectámque accuſationem verbis grauiſſimis ſignificat. Paulus verò accuſatione audita: vbi primùm ante Sanctum Antiſtitem genuflectens, Deo gratias egit; quòd eum cæleſti hoc dono cohoneſtauerit; vt crimen pro benefacto retulerit: ſuæque conſcientiæ ac dicendorum Deum teſtem inuocauit; cuncta candidè narrat, quæ illi cum Meretrice acciderant; cauſámque aperit, cur feneſtram occludi iuſſerit: tum verò à S. Carolo poſtulat, vt re diligẽtiſſimè explorata; ſi quod in eo crimen offenderet, illud acerbiſſimè puniret. Haud alio Sanctiſſimo Præſuli teſte opus fuit, quo Pauli illi innocentia perſuaderetur; ſyncera enim illa animi effuſio, ac obteſtatio à graui, & Religioſo homine profecta; vitáq; omni hactenus cũ honeſtate anteacta, omnem veritati fidem aſtruebant. At Deus Opt. Max. qui non ad ruinam, ſed ad probationem eam Paulo tẽtationem permiſerat; ne vlla vnquam turpis huius criminis macula Pauli gloriam labefactaret; celeri in accuſatores vindicta irruit: Vix enim accuſatio ad S. Præſulis aures peruenerat: neque vlla adhuc criminis inquiſitio inſtituta fuerat; cùm Vir à Meretrice corruptus, repentè peſtilẽcia corripitur: corporiſque, ac conſcientiæ vulnere prægrauatus, gemitus edit; ac perditè exclamat, ſe iuſto Dei Iudicio inuolui; meritáſque propterea pœnas luere, quòd Paulum falſi criminis accuſaſſet. Id cùm frequenter multis præſentibus inculcaret; res tandem ad S. Antiſtitem delata fuit; qui ſpontaneam dictorum retractationem ab Accuſatore oblatam, ab Archiepiſcopalis Curiæ Actuario, ſecundùm iuris

*Paulus falſi criminis apud S. Carolũ accuſatur.*

*Paulus ſe apud S. Carolum de falſo crimine purgat.*

*Diuina in Accuſatorem vltio deſæuit, quæ calumniam detegit.*

ordinem excipi;ac publico ſcripto mandari iubet: quam etiam paulò poſt Meretrix,diuino Iudicio perterrita,ſpontè obtulit.

Hoc itaque pacto, cùm diuina planè virtute, Pauli famæ conſultum fuiſſet: XVIII. Paulus ipſe, ac cæteri, quibus laborantium cura incumbebat; ardentiùs ad pium opus accendebantur:Paulique prudentia fiebat, vt Domus res magna cum honeſtate,& ægrotantium vtilitate peragerentur: donec Dei ira,tanta populorum clade,miteſcente; ſæua lues,poſt vigeſimum tandem menſem ceſſaret. Eodem quoque tempore alij ex Capucinis Fratribus Brixiæ, ac finitimis Oppidis, quibus ſæuus morbus graſſabatur, haud minori charitatis æſtu peſte laborantibus miniſtrabant. Quo in munere Mediolani decem ex Noſtris; alij quoque in Brixienſi Agro peſtilentia abſumpti, ſpontaneo ſe charitatis Martyrio Domino immolarunt: qui in eorum Martyrum numerò referri poſſunt, qui tempore Valeriani Imperatoris Romæ peſte laborantibus obſequia impendentes, pro Chriſto animas dederunt; de quibus ita legitur in Martyrologio Romano ſub die 28. Februar. *Romæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæuiſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſimè mortem oppetiêre: quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit.*

*Plerique ex Capucinis in laborantium Miniſterio piè occumbunt.*

*In laborantium Miniſterio defuncti Martyribus comparandi.*

Sub huius anni finem, Romæ, Monaſterium Monialium S.Claræ primæ, & arctioris Regulæ, quæ vulgò *Capucinæ* nuncupantur; quod ſuperiori anno, Ioannæ Aragoniæ, Aſcanij quondam Columnæ Talequitij Ducis vxoris opibus, ac pietate extructum;ac ſub inuocatione Sanctiſſimi Corporis Chriſti fundatum fuerat,quatuor è Neapolitano Monaſterio S.Mariæ in Ieruſalem Monialibus, eò Apoſtolica auctoritate tranſlatis, quarum nomina ſunt; Tranquilla Paſchalis Sueſſana, Hippolita de Afflictis, Agnes à Carinula, & Ioanna Baratucia Iulij Sanctorij Cardinalis S. Seuerinæ Conſobrina; quæ reliquas Virgines educarent, & ſub Tranquilla Abbatiſſa, ad Regularis diſciplinæ formam componerent,à Sanctiſs. Domino PP. Gregorio XIII. ſub arcto Obedientiæ præcepto,Capucinorum curæ, atque adminiſtrationi ſubiicitur. Bulla ob id hoc anno edita, cuius hæc ſunt verba: XIX.

*Capucinarũ Romanæ Vrbis Monaſterium fundatur.*

# GREGORIVS XIII.
## Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei.
## Ad perpetuam rei memoriam.

*Apoſtolicum Diploma quo Capucinis Monialium Capucinarũ adminiſtratio iniungitur.*

*PASTORALIS officij cura,quæ in Dei Eccleſia,meritis quamuis inſufficientibus ex Dei diſpoſitione fungimur; nos excitat,& inducit;vt ſedula cogitatione, & ardenti ſtudio adnitamur, quò omnipotentis Dei gloria, & Monaſteria Monialium, ac pia loca vbique gentium, & locorum, præſertim in Alma Vrbe noſtra Religionis, ac virtutum omnium domicilio,propria cum animarum ſalute conſtruantur: piaque fidelium vota in his, quæ Religionis propagationem, diuinique cultus augmentum reſpiciunt, vt optatum ſortiantur effectum, promoueamus, & adiuuemus. Nuper ſiquidem dilecti Filij confratres Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Crucifixi de Vrbe canonicè inſtitutæ pro augmento diuini cultus in eadem Vrbe, oblata ſibi opportunitate; quòd dilecta in Chriſto Filia Nobilis Mulier Ioanna Aragonia, relicta quondam Aſcanij Columnæ, Tagliacotij Ducis, prædium cum Domibus, in Monte Quirinali ſitis, pro inibi*





*conſtruendo Monaſterium Monialium, liberaliter donauerat: Monaſterium Corporis Chriſti nuncupandum Ordinis S.Claræ,indens prædio,& Domibus,in quo Sanctimoniales præcipuæ obſeruantiæ, & ſanctitatis in altiſſima paupertate,& arctiſſima clauſura, iuxta Regulam primam eiuſdem S.Claræ,& laudabiles aliquas Conſtitutiones degerent;ac ſub cura Fratrum Minorum de Obſeruantia Capucinorum nuncupatorum, Ieſu Chriſto Sponſo, qui eſt ſpecioſus forma,præ Filiis hominum,famularentur; nobis ſcientibus,ac collaudantibus ædificare cœperunt: quo propè iam completo, quatuor Moniales paucis ante menſibus, auctoritate Literarum noſtrarum,de Monaſterio S.Mariæ in Hieruſalem Neapolitan. dicti Ordinis S.Claræ eductæ,ac in locum futuri Monaſterij Corporis Chriſti tranſlatæ, & concluſæ: deinde nonnullæ Virgines ſæculum relinquentes in eodem introductæ, & collocatæ ſunt. His igitur ita peractis, animaduertentes præcipuum hoc, & inſigne pietatis monumentum in eadem Vrbe noſtris temporibus Dei beneficio inſtitutum fuiſſe:eidem in primis gratias agendas duximus, quo adiutore, & Auctore bona cuncta Ordinem ſuſcipiunt, conſeruantur, & perficiuntur,atque in dies augentur. Cupientéſque fideles ſingulos in Dei timore cogitationes omnes ſuas defixas habere; ac huic, & ſingulis pietatis operibus conſeruandis,augendis,& promouendis fore addictos: Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra matura deliberatione prædicta omnia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus,& confirmamus; ſupplemúſque omnes, & ſingulos, tam iuris,quàm facti defectus,ſi qui interuenerint; in eiſdem. Et nihilominus in Ædibus piis vnum Monaſterium Monialium ſub dicta inuocatione Corporis Chriſti, & ipſius Ordinis S.Claræ pro vſu, & habitatione perpetuis vnius Abbatiſſæ, & Monialium eiuſdem Ordinis, quæ inibi ſub Regulari obſeruantia, & perpetua clauſura Deo famulentur, cum Eccleſia, Campanili, Campanis humilibus, Dormitorio, Clauſtro, Refectorio, Hortis, Hortaliciis, & aliis officinis neceſſariis, & ad eiuſdem vſum, & formam iam conſtructis, & impoſterum conſtruendis, eadem auctoritate in perpetuum ſine alicuius præiudicio erigimus, & inſtituimus: Dilectis in Chriſto Filiabus eiuſdem Monaſterij Corporis Chriſti Monialibus iam in illud introductis, ac in poſterum inibi introducendis, in virtute S.Obedientiæ diſtrictè præcipientes; vt Regulam primam S.Claræ,eam ſcilicet,quam B. Chriſti Confeſſor Franciſcus tradidit, & fel.record. Innocentius Papa Quartus Prædeceſſor noſter approbauit, ac Conſtitutiones in prædicto Monaſterio Sanctæ Mariæ ſeruari ſolitas, omni qua decet reuerentia, in huiuſmodi Monaſterio Corporis Chriſti excipiant, & pro Regis æterni gloria obſeruent,ac ab aliis obſeruari faciant: vt iuxta præſcriptam ab eiſdem Conſtitutionibus formam, in eodem Monaſterio Corporis Chriſti eædem Moniales viuere debeant. Idémque Monaſterium Corporis Chriſti Fratribus Capucinis prædictis ſubijcimus; necnon eiſdem Fratribus, vt Monaſterium Corporis Chriſti prædictum ſub eorum cura recipiant, vt quæ ad illud in ſpiritualibus proſperè in via Domini dirigendum pertinent, expedire iudicauerint, omni ſtudio, ac diligentia adhibitis,faciant,& exequantur, omninò diſtrictè mandamus: ac illud ſub B.Petri, & Apoſtolicæ Sedis immediata protectione ſuſcipimus, & ab omni iuriſdictione, inuiſitatione, correctione,& poteſtate noſtri in eadem Vrbe Vicarij in*

*ſpiritualibus generalis, & illius officialium quorùmcunque, præterquam in his caſibus, in quibus Epiſcopi, & Locorum Ordinarij, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati; auctoritate decretorum Concilij Tridentini in Monaſteriis quantumuis exemptis iuriſdictionem, vel poteſtatem exercere poſſunt, aut debent, penitus eximimus, & liberamus: ac prorſus exemptum, ac liberum, dictis caſibus exceptis ſtatuimus eidem Monaſterio Corporis Chriſti, illiúſque Abbatiſſæ, & Monialibus. Quod omnibus, ac ſingulis Priuilegiis, ac prærogatiuis, immunitatibus, gratiis, libertatibus, fauoribus, indultis, ac indulgentiis, peccatorúmque remiſſionibus, conceſſionibus, & gratiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia Monaſteria Monialium eiuſdem Ordinis, illorúmque Abbatiſſæ, & Moniales de iure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; his quæ primæ Regulæ S. Claræ, & Conſtitutionibus antedictis, ac decretis eiuſdem Concilij Tridentini aduerſantur, exceptis, auctoritate, & tenore præſentis indulgemus: Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quocunque, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Ven. Fratri noſtro Epiſcopo Oſtienſi, & dilectis Filiis S. R. E. Camerario, & cauſarum curæ Cameræ Apoſtolicæ Generali, Auditori per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictæ Abbatiſſæ, & Monialium, aut Fratrum Capucinorum prædictorum, & aliorum, quos ipſæ literæ concernunt, vel alicuius eorum ſuper hoc fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcunque firmiter obſeruari: ac illos, quos eædem noſtræ literę concernunt, illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes eos, vel eorum aliquem per ſupradictos, vel alios quoſcunque deſuper quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, & reaggrauando; ſententiáſque, cenſuras, & pœnas huiuſmodi incurriſſe declarando, inuocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinibus, necnon Ordinum, & Monaſterij S. Mariæ prædictorum, à quo dictæ Moniales tranſlatæ fuerunt, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, & Monaſteriis, ac Vicario noſtro præſentis, ſub quibuſcunque tenoribus, ac cum quibuſuis clauſulis irritantibus, ac aliis decretis conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas idem importantes mentio, aut quæuis alia expreſſio habenda eſſet, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcunque aut ſi aliquibus communiter, ac diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici,*





*ſuſpendi, vel excommunicari non poſſit per literas Apoſtolicas, non faciendo expreſſa, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentione. Cæterum cùm ex prædicta prima Regula S. Claræ eiſdem Monialibus aliquam poſſeſſionem, vel proprietatem vllo modo recipere, vel habere, aut aliquid in communi ſibi appropriare non liceat. Nos vehementer optantes, prædictas Moniales Archiconfraternitati, illiuſque Gubernatoribus, Guardianis, & Confratribus prædictis non mediocriter eſſe cōmendatas, eoſdem Fratres, quo poſſumus cordis affectu, in Domino cohortamur, vt temporalium eiuſdem Monaſterij neceſſitatum rationem habentes, fabricæ dicti Monaſterij vbicunque ſe occaſio obtulerit, conſulant, ac illarum inſtantibus neceſſitatibus prouidendi, illiſque ſubueniendi ſpecialem curam gerant, atque ſuſcipiant. Quod cùm fecerint, ſtatutum habeant, ſe copioſum ab ipſo Redemptore noſtro retributionis præmium feliciter adepturos. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, præcepti, ſubiectionis, mandati, ſuſceptionis, exemptionis, liberationis, ſtatuti, indulti, decreti, derogationis, & cohortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorū Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1576. Menſe Nouembr. Pontificatus noſtri Anno quinto.*

*M. Datarius.*

*Cæſar Glorierius.*

*Regiſtrata apud Cæſarem Secretar.*

XX. Hoc quoque tempore, apud Cirneos, in Oppido Caſinchæ Marianenſis Diœceſis, populo poſtulante, ac Ioanne Baptiſta Centurione, eiuſdem Vrbis Epiſcopo annuente: noui Conuentus fundamenta iaciuntur, ſub titulo S. Mariæ de Gratiis: cùm alium S. Catharinæ dicatum, qui olim extructus fuerat, ob plurimas tum loci, tum aëris incommoda, Noſtri paulò antè deſeruiſſent. Huic porrò noui Conuentus fundationi, illuſtre è Cælo teſtimonium datur. Erat enim Menſis Decembris tempus; cùm toto illius Oppidi populo, ad Crucis erectionem confluente: arbor quædam Caſtanea procera, loco proxima, in quo Crux plantanda erat; quæ vel Crucem ſibi adhærentem ſuſceperat, vel è regione Crucis ſteterat; ſumma omnium admiratione, inter Brumæ algores reuireſcens; folia, ac flores repentè germinare viſa eſt: quæ res ita præſentis populi animos commouit; vt cuncti miraculum acclamantes, Deum magnis vocibus laudarent; diuinúmque refloreſcentis aliquando inter eos pietatis, velut præſagium ſuſpicerent.

*Conuentus S. Mariæ Gratiarum in Corſica Inſula excitatur.*

XXI. Verùm vt à communi Ordinis hiſtoria, parumper ad ſingularia Fratrum geſta, narrationem deflectamus; Annus hic multorum Fratrum coronis illuſtris prodit: primúſque inter eos, qui depoſitis mortalitatis exuuiis, meritis, ac virtute clari ad Immortales aſcendunt; ſeſe offert, F. Thomas Tifernas, Vir omnium virtutum laude cumulatiſſimus: qui inter noſtri Ordinis Generales Sextus adnumeratus, in eo velut clariſſimum lumen effulſit: de quo tametſi plura, quæ ad ipſius prudentiam, ac Religionis adminiſtrationem ſpectant, anno 1558. & ſequentibus diximus: hîc tamen nonnulla, quæ ipſius vitæ ſeriem, ac virtutes attingunt, colligenda ſunt; ne qui nobis ſua virtute, ac morum ſanctimonia præluxit, ſuo apud nos honore fruſtretur.

## F. THOMÆ TIFERNATIS SEXTI CAPVCINORVM *Generalis, Vita & Geſta.*

*F. Thomas Tifernas Vir inter Capucinos illuſtris.*

XXII. Thomas, Tiferni, quæ Vmbriæ Vrbs eſt, ad Tyberim ſita: vnde Tifernus Tyberinus dictus à Metaurenſi diſcernitur: honeſtis parentibus natus, ab ineunte ætate humanas literas didicit: quibus haud mediocriter imbutus, cùm nobiles quoſdam pueros, ex Vitelliorum Familia, quæ Tiferni præcipua eſt, educandos ſuſcepiſſet; hinc ad Sacros Ordines, & Clericorum vitam, magna cum virtutum laude, ſe contulit. Ad Sacerdotium promotus: cùm primum ibi incruentum Deo Sacrificium offerre cuperet: vbi cruenta Chriſti Saluatoris morte, olim Deo immolatum fuerat; Sacra Hieroſolymorum loca ſibi adeunda, ac veneranda ſtatuit. Iter aggreſſus Hieroſolymam peruenit: ſacra Loca ſumma pietate veneratur: diuinum opus, quod mente pepererat, peragit: Indeque pietate, ac virtutibus locupletior, in Italiam rediens; cùm iam quadrageſimum ſecundum annum ageret, Clericalem vitam cum Capucinorum Religione commutat, anno 1542. quo tempore tanta illius moribus grauitas, ac ſuauitas; tam admirabilis vitæ innocentia; tantaque ac tam incredibilis animo integritas, ac virtutum ſplendor elucere cœpit: vt qui illius vitæ normam, ac Diſciplinam ſpectabant, cæleſtem planè, ac ſumma laude dignam iudicarent. Etenim Angelicum illud præceptum breui oratione comprehenſum, illiſque verbis Arſenio præſcriptum: *Fuge. Tace. Quieſce.* à prima ſui tyrocinij inſtitutione, tam arcta lege ſibi obſeruandum præſtituit: vt omnium primùm conſortia, ac familiaritates fugiens, ſemper ſolitudines quæreret; vt Deum ſe intus alloquentem audiret. Nouerat enim cæleſtem Sponſum animi in primis, tum corporis ſolitudine maximè delectari: & pleraſque humanæ conuerſationis ſtudium, ac rerum ſæcularium ſtrepitum, ſpirituales animo delitias præripere; quæ ſola mentis, ac corporis ſolitudine comparari poſſunt: Vate præſertim Domini verbis atteſtante: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Indeque potiſſimùm mentis pacem, & quietem pendere; quum ab hominum, ac rerum omnium perturbatione ſoluta, in abſcondito faciei Domini diuinæ contemplationi vacat. Cæterùm linguam tam arcta ſilentij lege frænabat; vt ne in mala, aut vana deflueret, etiam à bonis ſileret; vixque ea, quæ neceſſaria erant, loqui compelleret. Neque enim ignorabat Vir prudens, in multiloquio non deeſſe peccatum: eum verò qui mentis puritati ſtudet, à lingua illi cum primis cauendum; ac propterea, qui labia ſua moderabatur, à Sapiente prudentiſſimum iudicari. Denique ita ſibi ab omnium rerum humanarum curis, ac cupiditatibus quieſcendum propoſuerat: vt occultum quoddam, ac tranquillum apud ſe diuerticulum conſtruxiſſet; in quo ab omni rerum præſentium amore, humanorumque accidentium ſollicitudine liber animus in Deo, vnico ſui cordis bono conquieſceret. Sciebat enim humanam mentem quandiu multis, ac diuerſis cogitationibus diſtenditur, ſemper multúmque laborare: tunc verò à ſuperuacaneo illo, moleſtoque labore liberari; quum multis omiſſis, vnum illud cogitat; quod cùm neceſſarium, ac diuinum ſit, in eo ſolo animus ociatur, ac quieſcit. Idcircò ſummum illius ſtudium erat, orationi vacare; animumque à terrenis omnibus ſuſpenſum, ad Deum collectum gerere.

*Ad Capucinos quadragenarius euolat.*

*Plurima ipſius virtutes referuntur.*

*Oſe. 2.*

*Pax menti vnde potiſſimũ oriatur.*

*Prou. 10.*

XXIII. Summa in hoc Viro paupertas, ſumma Regularis Diſciplinæ obſeruantia, ſumma denique ad omnium virtutum ſtudia cupiditas elucebat: quo factum eſt, vt cùm tot in homine virtutes florerent; celerrimè ad Guardianatus, ac Prouincialatus dignitates, quæ huiuſmodi virtutes expetunt, euectus fuerit: quas cùm ſumma animi prudentia adminiſtraret; haud ſanè mirum, quòd ſummas virtutes, ſumma quoque in Religione dignitas ſequuta fuerit. In Generalatus Officio, immortalem ſibi laudis Coronam, Religionis zelo, Regularis obſeruantiæ ſtudio, æquitate, temperantia, induſtria, odio improbitatis, bonorum amore, incredibili in omnes humanitate, beneuolentia, fide comparauit.

*Ob præclaras virtutes ad Generalatus dignitatem vocatur.*

Cumque



XXIV. Cúmque humilitatis virtutem, velut Minorum propriam, præ reliquis in Religione eluceſcere optaret; plerunque Fratres admonebat; vt ab omni præſertim ſuperbiæ vitio cauerent; quo interdum vitiis excuſationes texuntur: ex quo vitia ipſa augentur, ſceleraque ſceleribus adduntur. Quapropter id iis maximè perſuadebat, vt ſiquando in externa quædam animi vitia prolaberentur; Ea ſponte humili ſui ipſorum accuſatione in Refectorio proſequerentur; Ea enim (aiebat) & ſuperbiæ ſpiritus confunditur, & quicquid Dæmon multo labore, à Fratribus ſibi in Monaſterio comparauerat; totum in Refectorio propria, ac humili Fratrum accuſatione deperdit.

*Proprij defectus in Refectorio palam accuſandi.*

XXV. Aliud quoque grauiſſimum ſpiritualis vitæ præceptum tradere ſolitus erat: Ne, ſcilicet, quiſquam nimium ſuæ prudentiæ fidat; nec graue aut arduum quicquam, abſque Superioris obedientia opus aggrediatur: ſæpè enim fieri dicebat; vt Dæmon Religioſum hominem, qui ſibi ipſi ſapiens, ac prudens eſſe videtur; quique tenaciùs ſuæ ſētētiæ inhæret; ad ardua quædam ac ſingularia ſpiritus opera pelliciat, quæ ipſius naturæ vires excellere videntur; non alio planè conſilio, quàm vt miſerum, ſuomet ſpiritu tumidum, ac inflatum, ad ſuperbiæ præcipitium impellat. Hinc ſæpè narrare ſolebat, quod illi Fulginij, dum Generalis eſſet, acciderat. Erat in eo Conuentu Frater quidam Laïcus. Vir ad omnem vitæ auſteritatem compoſitus; abſtinentia tam ſingulari; vt panis, & aquæ ieiunia illi familiaria, ac penè quotidiana eſſent: nudis pedibus abſque ſandaliis incedebat, cilicio induebatur, cuncta ferè domus onera ſolus portabat: cúmque Eleemoſynarij, Hortulanique munera exerceret; tot ſolus labores exantlabat, quot vix alij omnes ſimul præſtare potuiſſent: atque inter hæc vultu ſemper obeſo, ac rubicundo conſpiciebatur. Admirabantur Fratres; ſimulque hominis laboribus, quibus nulla quies dari videbatur, compatiebantur: Guardianus quoque ipſe; cùm hæc vel naturæ vires excedere, vel iis hominem breui proſternendum eſſe cenſeret; vt labores corporiſque auſteritates quadam rerum moderatione temperaret, eidem perſuadebat. Cui Laïcus: nullis ſe laboribus, aut auſteritatibus prægrauari reſpondens, in his propria duntaxat voluntate perſiſtebat. Cùm igitur Thomas Generalis eò, Conuentum viſitaturus, aduentaſſet: mira Fratres Generali de Viro referunt, auſteritates narrant, labores exaggerant, hominem commendant. Auſcultat prudens Generalis, ſecumque animo omnia verſat: Tum Laïcum Fratrem accerſit; ab eoque vitæ ordinem diſcit; opus, animumque apud ſe examinat: cumque eum ad vitæ moderationem ſuauiùs alliceret, in propoſito fixum, ac tenacem offendit: neque aliud ab eo extorquet; præterquam nullum omninò ſibi in his laborem, ſed potiùs iucunditatem adeſſe. Hæret animo Generalis: neque enim quicquam aliud in ipſius vita reprehendi poterat: extremum tamen rei experimentum parat. Propria (vti fieri ſolet) Fratrum accuſatione, viſitatio in Refectorio abſoluenda erat: cùm Laïcum Fratrem, ſeipſum accuſantem, Generalis his verbis affatur. Fili mi: Hactenus tot corporis auſteritates, ac labores, proprio duntaxat animi ſtudio, atque arbitrio præſtitiſti. Iam verò, vt tibi à Deo pro opere gratia accedat; obedientiæ tibi meritum confero: atque hæc eadem, quæ præſtas, vt grata Deo obedientia perficias, ex obedientia tibi peragenda impono. Mirabile dictu! Vix hæc Generalis dicta effuderat; cùm Laïcus ille repentino animi deliquio corripitur; humique prolabitur: macreſcit facies, paleſcũt ora, nigreſcit vultus, lingua obmuteſcit, totuſque viribus exhauſtus, ac ferè exanimis in Noſocomium Fratrum manibus aſportatur. Satan enim; cuius ſpiritu in tot ieiuniis, ac laboribus fouebatur, obedientia effugatus; cùm hominem deſeruiſſet, eum illi corporis ſtatum reliquit; quem indiſcreta carnis maceratio tot eidem annis conciliauerat: quo fit, vt ad inediam, ac virium imbecillitatem inſtaurandam; plurima deinde illi corporis cura opus fuerit. Eo cùm ille prudentior euaſiſſet; nihil proprio arbitrio auſpice, in Religione aggrediendum eſſe didicit.

*Sine præuia Obedientia nihil ſubdito auſpicãdum, Exemplo declaratur.*

*Hortulanus propria duntaxat voluntate abſtinẽtias, ac labores exantlat.*

*Thomæ Generalis in Hortulano curãdo prudẽtia.*

*Obedientia Hortulano impoſita Dæmonum artes detegit.*

Huic

XXVI. Huic non minori ſanè admiratione dignum factum accedit: quod is: plerunque referre ſolitus erat, vt maximam Obedientiæ vim Fratribus explicaret. Dum enim idem Peruſiæ Guardiani Officio fungebatur; accidit: vt quidam illius Conuentus Frater in ægrotis viſitandis, negligentiùs ſe haberet: eamque ſuæ negligentiæ excuſationem obtexeret; quòd eo aliis officiis occupato, multi ægrotos inuiſerent, ac neceſſaria illis miniſtrarent. Poſt hæc contigit; vt idem Frater morbo correptus ægrotare cœperit: cui dum Fratres pium viſitationis munus perſoluere cupiunt; vix ad Cellæ limen perueniunt; cùm occulta quadã vi ab ingreſſu prohibentur. Id cùm omnibus, qui eò accedebant, contingeret: Thomam adeunt; rémque illi prodigioſam narrant. At is cùm primùm Fratris ægrotantis vitium, quod apud omnes innotuerat, ab iis didicit: diuinam proculdubio in eo vindictam agnoſcit; iuſtéque illi, ob id potiſſimùm, Fratrum viſitationem à Deo denegari animaduertit; quòd is dum incolumis eſſet, ægrotis viſitationem impendere negligeret. Eandem quippe menſuram ægrotus à Deo accipiebat, quam ipſe cæteros ægrotos proſecutus fuerat. Quamobrem Fratres omnes ad ſe vocatos his verbis alloquitur. Filioli, ne terreamini: diuinum eſt, quod in hoc homine agitur: vt in omnium diſciplinam, ac eruditionem cedat. Iuſtè quidem Deus veſtram charitatem, ægroto Fratri denegandam cenſet: cùm ea ille ſe, ob eandem aliis denegatam, indignum præbuerit: veruntamen, quod charitati hactenus dediſtis; iam obedientiæ reddite: ægrotúmque deinceps ex obedientia inuiſite: qui enim charitatem indigno fieri recuſat, obedientiam à digno profectam, non reſpuet. Igitur cùm Fratres ex obedientiæ merito ad ægrotum acceſſiſſent; viam nullo cælesti repagulo intercluſam inueniunt. Fratrum enim obedientia, diuina in Fratrem ira placata fuit. Atque inde, quanta obedientiæ vis inſita eſſet, non obſcurè omnibus perſpectum.

*Frater Ægrotos non inuiſens a Deo punitur.*

*Admirabilis Thomæ Generalis prudentia.*

XXVII. Vir hic tam profundæ humilitatis fuit: vt cùm ad honores non niſi inuitus raperetur; diuino ſæpè teſtimonio opus eſſet, vt ad dignitates accederet: nam præter ea, quæ de ſecunda illius ad Generalatus officium Electione, anno 1561. ſuperiùs cõmemorata ſunt; ad quam illi perſuadendã Domini voce opus fuit. Id aliquando Peruſiæ contigit. Cùm enim ſæpè in ſua S. Franciſci Prouincia, Prouincialis Vicarij officio functus eſſet: in Prouinciali Capitulo, quod aliquando Peruſiæ celebratum fuit; iterum ad Prouincialis Vicarij munus eligitur: quod cùm is conſtanter recuſaret; neque vllis precibus ad ſuæ electionis conſenſum flecti poſſet: hærebant animo Electores: quum in ſupremo Refectorij tecto ardens quædam flamma eo tempore conſpicitur: quæ illius Electionem à Spiritu Sancto profectam oſtenderet: quare Thomas Electioni tandem aſſentire, Prouincialiſque onus ſubire cogitur.

*Thomæ ad dignitates electio diuino Miraculo cõprobatur.*

XXVIII. Præter hæc, tam ſingulari ſanctiſſimam Deiparam cultu, ac veneratione proſequebatur; vt quolibet die, ante diuina Altaris Myſteria, velut legitimo ſempiterno, Sacram illi Coronam perſolueret. Contigit autem aliquando; vt propter multiplicem negotiorum copiam, quæ ipſius animum diſtraxerant; ea Sacrarum precum oblatio eidem è mente elaberetur: quo factum eſt, vt ea nedum perſoluta, ad prandium vnà cum aliis accederet. At vix Refectorium ingreſſus, protinus ſe debitum Virgini penſum haud exoluiſſe reminiſcitur: Quamobrem mox, dimiſſo prandio, in Syluam ſecedit; vbi dum conſuetæ orationi, omni cum pietate vacat: Sacerdos quidam, qui eum præter morem è Refectorio egreſſum; diuque moras in Sylua trahentem obſeruat: quid ageret, exploraturus, ad Syluam ſe confert: indéque eminus proſpectans, Thomam orantem, ac Beatiſſimam Virginem ante illum ſtantem cernit; quæ cùm plurima illi amoris ſigna oſtenderet; magnoperè ſe illius oratione oblectari indicabat. Porrò eiuſdem Virginis ſuffragio, id quoque Thomas aſſecutus eſt: vt quo tẽpore Generalis munere fungebatur, è graui quodam periculo ſeruatus, eã ſibi ſollicitè patrocinatã agnouerit. Dum enim is Genuenſem Prouinciam viſitans, Pedemontanos Conuentus, qui in Gallia Subalpina iacent, eo tempore perluſtraret; quo furente Bellona, Regionéque à Gallis maiori ex parte occupata,

*Sacram B. Virgini Coronã perſoluenti B. Virgo adſtare cernitur.*

Hæretici



Hæretici paſſim diſſeminati in Religioſos quoſque deſæuiebant: contigit, vt è Caſtello quodam cum Sociis digreſſus, in quo à Minoribus Conuentualibus hoſpitio benignè exceptus fuerat; cùm viam ignorarẽt: horridum quendam Virum, ac vultu turpiſſimum, in ipſo viæ initio offenderent; à quo dum rectum iter exquirunt, toruo is illos oculo contuens, reſpondet. Quid vltra viam quæritis? Me ſequimini. Ego viam præmonſtrabo: tum ſilentio ante eos viam carpens, per deuios quoſdam, ac inſolitos illos calles ducit; ab iis longè alienos, quos ij voce tenus à Minoribus Conuentualibus diſcedẽtes acceperant. Horruerant iam primo illo Viri aſpectu, Thomæ, ac Sociorum animi: porrò nouus illos nunc timor inuadit, ne infidum viæ ducem ſortiti fuerint. Hinc cùm Ductoris fidem ſuſpectam habere cœpiſſent, vltra pedem efferre verebantur; cum perhorridus ille. Quid formidatis? inquit, Me ducem tutò ſequimini. Sequuntur illi haud abſque metu; cùm inconditum hominem, vultu, ac verbis aſperum cernerẽt, qui iure illis ſuſpectus eſſe poſſet: Magiſq; animo ſuſpicio augebatur; Cùm per loca imperuia, Vallibus ac nemoribus obſita, ſe ab eo duci conſpicerent. Quare Thomas ſæpè B. Virginis ſibi, ſociiſque opem, ac ſuffragium implorabat. Id cùm horridus ille moleſtiſſimè ferret; frequẽter obmurmurans, horrendum in modum illos compellãs aiebat: Agite, agite: Venite poſt me. Poſtremò cùm ad Pontem quendam, qui iter interſecabat, perueniſſent; is viam manu indigitans, truci illis aſpectu, inquit: Hæc via eſt, Põtem permeate. Vix Thomas cum ſociis Pontem pertranſierant; cùm honeſtum quẽdam Virum illac, equo iter facientem, ſibi obuium habent; qui eorum occurſum plurimùm admirans, ab iis vnde veniant, ſiſcitatur. Cui vbi illi locum indicarunt: Benè, profectò ait, vobiſcum actum eſt: neque alio, præterquam Dei numine, per hoc iter diuertiſtis: nam ſi trita, ac communis via Vobis greſſum præbuiſſet; nemo ſanè vos ab Hæreticorum furore, qui eam obſident; vniuerſóſque per eam tranſeuntes trucidant, eripere potuiſſet. Porrò tunc primùm cognouit Thomas, maximum illud Dei in eos, B. Virginis ſuffragio, beneficium collatum fuiſſe: atque eò maius, quò Angelum Satanæ, ſub Viri illius perhorridi ſpecie, ad eorum obſequium coëgit; ſummáſque Deo Opt. Max. omnes gratias agentes, iter proſequuntur.

*B. Virginis ope vitæ periculum cum Sociis effugit.*

XXX. Mentem, Vir hic præclarus, ita cum Deo aſſidua oratione coniunctam gerebat; vt neque multiplicia Religionis negotia, neque rerum agendarũ turba, neque longa viſitationis itinera, ab eo animum, aut mentis intuitum diuellerent. Dum Religionis inſpectioni Generalis inſiſteret, præibant aliquãdo Socij; dum is ab iis lõgiùs abſens; in via diuinæ contemplationi vacat: Inter hos, Frater quidam Patritius cùm exploraturus, num Generalis lõgiùs abeſſet, faciem à tergo vertiſſet; Thomæ caput fulgentibus vndique radiis circumfuſum cernens, tunc quidem ſiluit: deinde verò, cùm ab eo familiariter quid in via contemplaretur, exquireret: Totus (inquit) in Beatiſſimæ Virginis excellentia, tum admiranda, tum laudanda, animo verſabar: Ex quo facilè addiſcimus: eos qui rerum cæleſtium, ac præſertim Sacræ Deiparæ, contemplatione delectantur; cum ea diuinam è Cælo lucem haurire.

*B. Virginis excellentiam in via contẽplans, lucis radios è capite emittit.*

XXXI. Cæterùm quanta ipſius apud Deum orationis vis, & efficacia fuerit: ex nonnullis exemplis lubet colligere. Cùm in Piceni Prouincia, illuſtris quædam Matrona, ex Bullionorum familia eſſet; cuius Filiam non pridem nuptui traditam, Maleficus Dæmonis arte ita ligauerat; vt nec matrimonij vſu frui, nec cum viro cohabitare valeret. Hanc Thomas, tunc Generalis officioſè inuiſens, cùm eam ſupremo ob id mœrore affectam offenderet; blandè conſolatus, meliorem ipſius animum in ſpem erigit: tum pro ea ad Deum preces fundens, diabolica vincula, nulla præterquam ſuæ orationis virtute diſſoluit.

*Mulierem à Dæmonis vinculo ſua Oratione ſoluit.*

Anno quoque 1560. cùm per B. Virginis Ædes, quæ Primanæ nuncupantur, iter faceret; in cuiuſdam Thadæi, qui ſibi familiaris erat, domum trans Fabronem fluuium diuertit: vbi ſiti exæſtuans, ab eo vini poculum poſcit: Cui Thadæus: Deus, inquit, aliundè tibi prouideat, Pater mi: nihil vini in dolio reliquum eſt: heri pror-

ſus

*Vinum à Deo impetrat, & in Dolio multiplicat.*

ſus exinanitum fuit: Ito (inquit Thomas) ſat vini in dolio erit, quo ſitim extinguam. Quid fruſtrà cogis? inquit ille: Ibo quidem, quia id iubes; at vinum non feram. Pergit Thadeus: tantùmque vini in dolio iam exhauſto, diuina virtute reperit; vt ad tertium vſque mēſem, totius illius familiæ vſui ſatis fuerit: quo ſanè Deus Serui ſui merita, ac ſanctimoniam conteſtari voluit. Pleraque etiam alia ab eo Miracula patrata narrantur: quæ Ordinis M. S. ſola ad nos fama integra tranſmittunt.

XXXI. Tandem cùm iam ætate grauis, (ſeptuageſimum enim ſupra octauum annum agebat,) vitæ finem ſibi imminere intelligeret; aſſiduis in Eccleſia orationibus vacabat: nihilque in victu, ac veſtitu ſingulare; aut à priori auſteritate diſſentaneum admittens, communem cæterorum vitam mordicùs proſequebatur: Cùm in Conuentu Ciuitatis Plebis ſupremùm ægrotare cœpit: quo tempore animum ad cæleſtia intendens, nihil præter diuinas laudes ore præſeferre audiebatur. In his cùm ad extremam vſque vitæ periodum perſtitiſſet: vbi Fratres, qui aderant, ad ſe vocatos ſaluberrimis documentis, ad Seraphicæ Regulæ obſeruantiam, ac diuinam charitatem adhortatus fuit: meritis ac virtutibus in Religione clarus, ad Deum concedit, præclaramque ab eo laborum Coronam accipit. Cuius id præter alia teſtimonium fuit: Nam poſt ipſius obitum, cùm Petrus Paulus, & Catharina Coniuges Tifernatēs; ad S. Mariæ Angelorum Ædē, Aſſiſium indulgentię cauſa proficiſci cogitaſſent; accidit: vt quo tempore iter ſuſcepturi erant, quædam eorum filia grauem in morbum incideret; quamobrem cùm à propoſita peregrinatione impediri ægrè ferrent; recolit Vir, apud ſe Thomæ baculum, quo is in itineribus vti ſolebat, ſeruari: quem cùm ob opinionem de illius ſanctitate conceptam, multa ſpe fretus tuliſſet; filiæ ægrotanti admouet: eodemque in Dei, ac Thomæ nomine, eam in modum Crucis ſignat. Quo facto protinus ita ægra cōualeſcere cæpit; vt altera die, vnà cū parentibus, iter Aſſiſiū versùs ſuſceperit. Deo hoc pacto B. Viri merita, ac Coronā illuſtrāte.

*Piè in Domino obdormit.*

*Ægrotans ipſius baculi contactu repentè ſanatur.*

XXXII. Eadem quoque Corona potiuntur, hoc anno, in Veneta S. Antonij Prouincia, Fr. Damianus Bergomas Sacerdos, & Fr. Ioannes Gallus Laïcus. Quorū prior, cùm vitam omni Diſciplina, ac virtute ornatam in Religione traduxiſſet; in graui huius anni peſtilentia, quæ non modò Mediolanum; verùm & pleraſque Italiæ Vrbes, ac præſertim Patauium inuaſit, in Conuentu Patauij peſtifero morbo ſauciatus: cùm iam omnium opinione mortuus haberetur; poſt diuturnū mentis exceſſum, ad ſeipſum rediens; totus animo exultare, ac dulciſſimos ore cātus edere; diuinaſq; laudes perſonare cœpit. Poſt hęc à Fratribus interrogatus, quonā ipſius Spiritus toto eo tēpore peragratus eſſet? reſpondit: O, ò Fratres, nū me loquētem intelligetis? Spiritus nuper ſuperas euaſit ad auras: vbi cantus, vbi melos, vbi Angelorū tripudia, vbi Sanctorum gaudia, vbi victoriæ, vbi palmæ, vbi dulcis præteritorum memoria, vbi ſumma, ac ſuprema abſque fine fœlicitas, piis quibuſque ſeruātur. O ò Fratres, quàm iucundæ illic habitationes ſunt! quanta domus illius pulchritudo! quàm illuſtris gloria! plurimos ibi Confratres noſtros conſpexi; qui paucis ab hinc diebus, poſt miniſteria peſte laborantibus exhibita, peſte abſumpti ad præmia euolarūt. O quali nunc illi gloria fruūtur! Gaudeamus, Fratres, animas pro Fratribus fūdere, magna meritorū prēmia laturi: En me cęleſtes Fratres expectāt; breue me vobis tēpus reddidit, vt hæc vobis referrem: craſtina enim dies, hac eadem hora, mortali hac vita interceptum me Cælo reſtituet; vbi immortalis mihi promiſſa quies: Nec res aliena dicto fuit: nam altera luce, eadem, quam prædixerat, hora; ad lucis fontem euolauit.

*F. DAMIANI Bergomatis Vita, & geſta.*

*Ante mortem cæleſtis gloriæ viſione potitur.*

XXXIII. Poſterior verò tam admirabili vitæ auſteritate, ad extremam vſque ſenectutem, inter cæteros eluxit: vt cū perpetuò ſe carnibus, piſcibus, ac lautioribus huiuſmodi cibis, præterquā in die Reſurrectionis Domini, abſtineret; ſæpiſſimè quoque arctiſſimas, ſolius panis, & aquæ inedias celebraret: Inter hæc ſiquando cōuiuare vellet: Braſſicarū folia, quæ ab aliis proiiciebantur, colligens; ea ſibi, abſque vllo Olei cōdimento parabat. In his verò ne guſtus luxuriaret; ea non Cocleari, aut rudicula, ſed titione ab igne accepto, miſcere ſolebat. Locum ſibi ſub tegulis ad quietē elegerat: in quo abſque ceruicali, ac lodice; interdum etiam ſub dio, iacebat; quò Cælum contemplari poſſet. Lodicem ſibi ex viliſſimis panni præſegminibus, quæ à Fratribus proiiciebantur, compoſuerat; qua brumali tantùm tempore vtebatur. Raro ad ignem viſus eſt accedere: quòd ſi aliquando in ſummis Hiemis algoribus, frigus depellere vellet; diſperſa per hortum, aut nemus lignuncula, quibus ignem excitaret, colligebat. His cùm cætera omnia auſteriſſima reſponderent: haud minùs illi ad cæteras animi virtutes ſtudium inerat: Charitate enim, præſertim erga pauperes, humilitate, obedientia eximius fuit: quibus dum virtutibus ſtudet; peſtilentia, quam is futuram diuina reuelatione prædixerat; in Conuentu Patauij ex humanis tollitur; cùm maximam ſibi apud omnes, ante mortem, ſanctimoniæ exiſtimationem comparaſſet.

*F. IOANNIS Galli Vita, & geſta.*



*Vir auſteritate inſignis.*

XXXIV. Alij quoque duo, ex Piceni Prouincia, poſt varios in Domini Vinea exantlatos labores, hoc anno ad mercedem vocantur. Hi ſunt Fr. Marinus à S. Victoria Piceni Oppido, & Hieronymus à Pedona, vterque Sacerdos, & Cōcionator. Prior ex Min. Conuentualium Ordine ad Capucinos migrans; velut hortulus Domini, tot Euangelicæ perfectionis floribus exornatus fuit; vt omnium in ſeipſo odoramenta virtutum collegiſſe videretur. Hinc ſæpè ad totius Prouinciæ gubernacula vocatus; tanta animi prudentia, Paupertatis zelo, Regularis obſeruantiæ diſciplina, vitæ auſteritate, orationis ſtudio, manſuetudine, charitate, beneuolentia, fide, Religioſum Gregem adminiſtrauit: vt velut fœcunda Mater, plurima Prouinciam illam virtutum prole fœcundauerit. Hunc Ordinis Monumenta miraculis clarum celebrāt; ex quibus illud tantùm memoriæ traditum eſt: quod Ioannem Baptiſtam Anconitanum, ex Noſtris Sacerdotem, membris attractum, viuens ſigno Crucis priſtinæ ſanitati reſtituit. Obiit in Oppido S. Geneſij ſeptuagenarius, virtute, ac ſanctimoniæ fama, apud omnes celebris.

*F. MARINI à S. Victoria, Vita, & geſta.*

*Viuens miraculis coruſcat*

## F. HIERONYMI A PEDONA, Vita, & geſta.

XXXV. ALTER F. Hieronymus à Pedona ſignis, ac miraculis à Deo probatus, illuſtre ſibi ſanctitatis, in eadem Prouincia, teſtimonium vendicat: Hic cùm in Minorum Obſeruantium Familia, prima virtutum fundamenta ieciſſet; ad Capucinorum Religionem iam ætate prouectus ſe contulit: in qua tanta ſenſuum mortificatione, oris cuſtodia, ſuipſius contemptu, honoris fuga, humilitate, paupertate, abſtinentia, vitæ auſteritate, orationis ſtudio; charitate demùm vitam inſtituit: vt nihil illi ad cæleſtem quandam perfecti hominis formam deeſſe videretur. Honeſtatis, ac pudicitiæ tam ſeuerus exactor fuit; vt per quatuordecim annorum curricula, nullius vnquam, aut Viri, aut Mulieris vultum conſpexerit. Orationem verò tam ardenti ſtudio proſecutus eſt; vt cùm in ea maiorem diei, ac noctis partem inſumeret, cum oculis fœdus pepigiſſe videretur; vt ij plus lachrymarum darent, quàm ſomni caperent. Eam verò in dormiendo corporis compoſitionem ſeruabat; vt nunquam iacens; ne totus obdormiret; ſed ſedens, capite parieti, vel manui innixo, ſomnum conciliaret: itavt orans potiùs, quàm dormiens videretur. Cùm Vir prudens, ac ſapiens eſſet: ſæpè Nouitiorum curam egit, eo præſertim tempore; quo Iuuencula illa, de qua anno 1567. egimus, ſub Viri habitu, ad Religionem acceſſit. Huius quoque tempeſtate geminæ Moniales Profeſſæ, cùm volitante Capucinorum fama, ardentiori Euangelicæ perfectionis ſtudio flagrarent; ex quodā Faneſtris Vrbis Monaſterio erūpentes, ſub virili habitu, ad Marchiæ Prouincialem accedunt; ab eoq; in Religionis ſinum recipi poſtulant; quæ cùm ab eo de genere, ac ſtatu interrogarentur: reſpondēt ſe honorarios Imperatoris Ephebos eſſe, qui Aulæ pericula fugiētes, rerum humanarum vanitate contēpta, è Germania in Italiam eo conſilio venerint; vt in Capucinorum Religione humanum cum diuino famulatum

*F. Hieronymus a Pedona ſanctimonia illuſtris.*

*Quamplurimis virtutibus nitet.*

famulatum mutarent. Has cùm Prouincialis Vicarius Viros eſſe crederet; animoſque ad Religioſam Diſciplinam anhelantes cerneret; in Nouitiorum numerum cooptatas, Vrbinum, ad Croſichij Conuentum, ſub Hieronymi Diſciplina, educandas deſtinat: vbi dum in Laïcorum numero, immenſo mentis ardore, Regulari Diſciplinæ incumbunt; contigit: vt ex his altera, dum Sacerdoti in Sacro Miſſæ Sacrificio miniſtrat; à Nobili quadam Matrona obſeruaretur: quæ cùm in ea genuflexiones, ac quoſdam actus fœmineos animaduerteret; fœminam eſſe coniiciens, eius rei Hieronymum admonet: ſtupet ille; nec ſibi id in animum inducere poteſt. Cui Matrona. Nemo (inquit) Hieronyme, fœminas meliùs, quam fœminæ norunt: neque fœminas latêre poſſunt, quæ Viris interdum obſcura ſunt: pleraque in eo Nouitio muliebria obſeruo; quæ cùm nulla ratione ad Viros pertineant, fœminam illam proculdubio produnt.

*Geminæ Moniales ſub virili habitu ad Capucinos accedunt; & inter Nouitios adſcribuntur.*

XXXVI Hæc Matronæ verba, cùm non parua, Hieronymi animum, ſuſpicione pulſare cœpiſſent: Nouitium vocat; amploque verborum circuitu vſus; allatiſque Euphroſinæ, Smaragdi, & aliarum mulierum exemplis, quæ ſub virili habitu olim fœmineum ſexum contexerunt: in quibus ſola animi voluntas, non res commendatur; ſummum rei periculum exponit: Eccleſiaſticas inſuper leges, ac cenſuras declarat; quibus hoc tempore id agentes innodantur: denique quaſi iam exploratum haberet, eam fœminam eſſe, ac ſub Viri habitu latere, animum commendat: at factum damnat; facilè tamen condonandum; dummodò rem, vt eſt, candidè aperiat. Illa primùm negare, tum tremere, tandem fateri cœpit: ſe cum Socia Faneſtris cuiuſdam Monaſterij Moniales eſſe profeſſas: quæ haud alio conſilio, ad Capucinorum Ordinem acceſsêre, quàm vt perfectiùs Deo ancillarentur. Hoc comperto; Hieronymus omne illi rei ſilentium indicit; Cellaque occluſam manere iubet: alteramque ad ſe quamprimùm accerſit; quæ cùm eatenus grauiori cuidam labori incubuiſſet; ad Hieronymi vocem ſtatim accurrens, quum primùm ad eum acceſſit; alterius quem fingebat, oblita: naturaque ad os reſiliente: Heu, Pater, inquit quàm ſum defatigata. Riſit Hieronymus, atque ad eam conuerſus: Iam, ait, ante interrogationem reſpondiſti: & quod quærebam, antequam quærerem, aperuiſti. Tu igitur fœmina es, quæ tuis te verbis fœminam prodis. Obmutuit illa, erubuit: cùmque quid reſponderet, ignoraret: Quid cupis latere? (ait Hieronymus) aut cur quæ Monialis es: Monachum te eſſe ſimulas? Iam te ex conſocia fœminam agnoui. Quòd cùm illa negare non auderet; delicti venia illis à Faneſtri Epiſcopo, ob facti innocẽtiã, facilè impetrata; vtráque ſub Nouitiorũ habitu ſuo Monaſterio reſtituit.

*Hieronymi prudẽtia deteguntur, ac Monaſterio reſtituuntur.*

Patientia, atque aduerſarum rerũ tolerantia; qua Electi ſæpenumerò à Deo probari ſolent; præclarus hic Dei Seruus, tã inſigni præfulſit: vt cũ grauioris cuiuſdam criminis, apud Prouincialẽ Vicariũ, falsò aliquando arceſſitus fuiſſet: Non ſeipſum defendere, non crimen delere, non obiecta refellere, non Accuſatorem coarguere: ſed Rei potius pœna plecti voluerit; donec ſole clarior ipſius vitæ candor, ac innocentia erũperet: quo tempore nulla non modò in Accuſatorem, ira, aut odio cõmotus fuit: verũ & pro eo trium menſium ſpatio, preces ac lachrymas ad Deum fudit.

*Ipſius patientia à Deo calumnia probatur.*

XXXVII. Viri huius ſanctitatem, Deus multis ſignis teſtatam eſſe voluit. Dum enim è Conuentu Montisfilatrani, vnà aliquando cum F. Vincentio Portiano, ac aliis Maceratam, æſtiuo tempore proficiſceretur: Socij pallium, quo Hieronymus iam ſenex grauabatur; vt itineris illi laborem leniant, ex illius humeris ſublatũ, ſecum ferũt. Dum igitur Hieronymus abſq; pallio in via ſocios antecedit: En repentè Aër nubibus obtenebrari, ac multus è Cęlo imber cœpit effluere: quo tẽpore, qui Hieronymi pallium deferebat, ad eum protinus feſtinat. At cùm Hieronymus tam longè ab iis diuulſus eſſet; vt neq; ad eum pertingere, neque vllis eũ vocibus properantẽ diſtinere poſſet: magnoperè ob ſenis, quẽ totũ imbre perfuſũ arbitrabatur, incõmodum afflictabatur. At is diuina virtute meliùs, quã pallio cõtectus, ſine imbre pręcedebat. Verùm id mirabilius acceſſit: quòd cùm ad Fluuiũ, qui viam intercidebat, ita aquis

*Inter imbres ſine imbre iter facit.*





tumidum, vt nonniſi difficilè tranſuadari poſſet, perueniſſet: Crucis ſigno ſibi exhibito, liberè ſuper vndas incedit: totumque Fluuium ſicco pede traiicit. Socij itaque vbi Maceratam, multo imbre madefacti, peruenêre: Hieronymum reperiunt, cuius habitum ne gutta quidem aquæ contigerat; nec Sandalia lutum vel minimùm ſordidauerat.

XXXVIII Idipſum illi iterum contigit; cùm Montem-granarium, quo loco Capitulum celebrandum erat, cum aliis tenderet: Pluuia namque in itinere exorta, cùm cæteri imbre perfuſi immadeſcerent; is ſolus inter medios imbres ab iis immunis incedit: Percontabantur reliqui, quo pacto eum imber non attigiſſet: quibus is lepidè reſpondet: ſe inter cadentes pluuiæ guttas medium, ac proinde intactum inceſſiſſe. Rurſus quoque cùm Macerata Montem-Vlmum proficiſceretur; fluuium, qui viã interſecat, ſuper vndas gradiens, ſicco pede pertranſit.

*Fluuium bis ſicco pede ſuper vndas gradiens pertranſit.*

XXXIX Aderat Viro Dei diuina virtus, haud in his duntaxat, quæ ad eum ſigillatim ſpectarent; ſed in iis quoque, quæ in aliorum commodum & vtilitatem cederent. Dum enim in Conuentu Montis-vlmi Guardiani poteſtate fruitur; Dominicus quidam illi familiaris, Angina, quæ ob Epiphoram, ac copioſiorem humoris fluxum, illi fauces occupauerat, periculosè laborabat: quum ſupplex Virum Dei rogat, vt Crucis illi ſignũ exhibeat: ſignum is præſtat; ac poſtridie liber à morbo conualeſcit. Præter hæc Nobilis quidam Aeſinus, ex Saluinorum proſapia; qui cùm multis opibus afflueret, liberis carebat, quos bonorum hæredes relinqueret: obnixè aliquando ab Hieronymo poſtulat, vt fœminam ſaltem filiam illi à Domino ſuis precibus impetret: Quid plura? Deum ille rogat, ac prolem impetrat. Etenim haud multo poſt tempore elapſo, vxor filiam parit, quæ bonorum ipſius hæres fuit.

*Virum Angina laborantẽ ſigno Crucis ſanat.*

*Nobili prolem ſua oratione impetrat.*

X L. Cæterùm, vt Dei Seruum, perfectam cæleſtium donorum copiam à Deo aſſecutum fuiſſe, nemo ignoraret: Præter hæc quoque Prophetiæ Spiritu, quo futura prænoſceret, tam abundè à Deo illuſtratus fuit; vt nihil illius notitiam ſubterfugere videretur. Huius rei vnicum lubet duntaxat exemplum proferre. Cornelia quædã Ioannis Tarquini vxor, diutino languore in lecto tenebatur; quam cùm Vir Dei frequentiùs inuiſeret, & ad morbi moleſtias patienter ferendas hortaretur: ad eam poſtremò accedens, Cornelia (inquit) iam Nauis ad portum appulit; iam mercibus exoneranda eſt: cura, vt tuta in ſtatione quieſcat. Intelligit mox ægra, ſupremum ſibi vitæ finem adeſſe. Quanquam verò haud ſolito deteriùs ſe haberet: attamen cùm plenam Viri Dei dictis fidem adhiberet; Domus ſuæ rebus diſpoſitis, haud ſecùs, quàm ſi ex hac luce emigratura eſſet, ſanctis ſe Eccleſiæ Sacramentis communit. Neque id fruſtrà. Quinto enim poſthæc die ex humanis deceſſit.

*Pleraque futura predicit*

X L I. Diuina præter hæc Vir Dei ſapientia præditus, internas hominum cogitationes, ac cordis abſtruſa penetrabat: quod vel hoc exemplo manifeſtum fuit. Frater quidam noſtri Ordinis Profeſſus, ſæpiùs Generalem peccatorum ſuorum Confeſſionem apud Sacerdotem iterauerat: in quem cùm aliquando Vir Dei incidiſſet: Frater mi, (inquit) totiès admiſſa crimina Sacerdoti aperuiſti; nec tamen illud vnquam peccatum N. (quod illi diſertè explicat) pandiſti: Ito; illud quoque confitere: hinc enim hæc tibi conſcientiæ perturbatio oritur. Obſtupuit Frater: antiquumque facinus à ſe admiſſum, quod illi è mente exciderat, agnoſcens; ad Confeſſionem, & pœnitentiam reuocat.

*Mentis arcana, ac peccata detegit.*

X L I I. Denique cùm quadrageſimum in Religione annum, maxima cum vitæ ſanctimonia exegiſſet; in Faneſtri Conuentu, ſeptuagenario maior, temporalis vitæ ſpatium peregit, æuo apud Deum immortali fruiturus: Cuius rei, præter vitam omni cum virtutum laude tranſactam, ac miraculis probatam; illud poſt mortem teſtimonium fuit: quòd pulchrior poſt obitum, quàm cùm viueret, cunctis apparuit. Gibbuſq; quem à tergo ſedendo dormiens contraxerat, poſt mortem euaneſcens; rectam corporis formam intuendam reliquit. Illud quoque haud aſpernandum argumentum fuit: quòd cùm iam poſt ſecundum menſem, illius corpus in ſepulchro

*Fani diem extremũ claudit.*

iacuiſſet,cæteris putredine abſumptis,illud tam incorruptum viſum fuit; perinde ac ſi eo die recens tumulatum eſſet.

F. Sylueſter Vtinẽſis Vir præclarus.

XLIII. In Prouincia Mediolanenſi, floret F. Syluestri Vtinenſis Concionatoris memoria;qui poſt multos virtutum odores, quibus vitam ſuam maxima cum integritate tranſactam reſperſit: Bugellæ,quæ amplum eſt Inſubriæ Oppidum, hoc anno viam ad immortales Cæli delicias carpit: quod diuino planè teſtimonio declaratũ fuit. Nã cùm illius corpus octauum in ſepulchro annum expleſſet;præter Naturæ leges ita integrũ ac incorruptũ viſũ fuit,quaſi ea ipſa die ex humanis exceſſiſſet.

F. Petrus à Meſſapia sãctimonia illuſtris.

XLIV. Hidruntina quoque Prouincia, F. Petri à Meſſapia, Sacerdotis, nomen ac memoriam hoc anno celebrat: cuius tanta fuit vitæ ſanctitas, ac virtutum fragrantia;vt in morte ipſum quoque corpus,Cellam,loculum,tumulum molliſſimo odore,ad octauum vſque diem compleuerit.

*F. ANGELI Ferranẽſis Vita, & geſta.*

XLV. His è Thuſciæ Prouincia accedit F. Angelus à Ferraria, Sacerdos, qui ob præclaram vitæ ſanctimoniam, illuſtre ſibi apud omnes nomen hoc tempore comparauit. Hic abſtinentia,ſui ipſius odio,vitæ auſteritate, ac ſeueriſſima, Regularis obſeruantiæ diſciplina inſignis; diu Magiſtri Nouitiorum munus exercuit:in quo maximè illius prudentia,feruentiſſima charitas, aſſiduum orationis ſtudium, præclariſſimaque omnium virtutum exempla eluxêre. Quanta huius Viri apud Deum merita extiterint,plerìſque argumentis declaratum fuit:Ac primò quidem F.Ioannem Baptiſtam à Cintiano, Nouitium,plerunque à grauiſſimis Diaboli tentationibus, ſigno duntaxat Crucis illi in fronte impreſſo,liberat. Cumque grauis oculi Epiphora eidem Nouitio cæcitatem minaretur;indicto illi tantummodò aquæ benedictæ lauacro, humorem fluentem cohibet; Nouitiumque incolumem præſtat. Fabianus puer,cùm Montepolitiani ex alto dilapſus, caput in arcam colliſiſſet: quo ex vulnere, præfracto capite moriturus credebatur: eo Angelus à Matre accerſitus,pro puero orat; eique abſque alia vulneris curatione à Deo ſanitatem ſuis precibus impetrat. Eadem quoque in Vrbe,Cinthia Ceruina Nobilis fœmina, grauiter ægrotabat; quum Angeli ſuffragia implorans, eo orante incolumitatem recipit. Hoc pacto etiam Piſtorij Agricolam, qui morbo acerbè diſcruciabatur, ſua oratione ad perfectam corporis valetudinem reuocat.

*Nouitiũ Signo Crucis ſæpè à Diaboli tẽtationibus liberat.*

*Puerum ad mortem ſauciũ ſuis precibus incolumen reddit.*

XLVI. Atque vt his tandem finem imponam:dum in antiquo Piſtorij Conuentu,is Nouitiorum curam ſuſtinet:Catharina quædam duorum Capucinorum Fratrum mater, acuta febre ad mortem laborabat; cùm Angelo accito ſe illius precibus obnixè commendat: Pollicetur ille,ſe cum Nouitiis ſuis Deum rogaturum.Porrò ea nocte,in qua Angelus cum Nouitiis pro ægra Deo preces fundebat, S. Pater Franciſcus Catharinæ apparet; ac precantium merito ægrotanti ſanitatem reſtituit. Prophetico etiã Spiritu nonnulla prædixiſſe traditur; quæ vti prænũciauerat,ſuo tempore acciderunt.In his trium Adoleſcentum conuerſio recenſetur: quos cùm ad Capucinorũ Religionem acceſſuros præſignificaſſet; haud multò poſt rem exitus, iis ad Religionem conuolantibus,comprobauit. Senis tandem, immortali ſui memoria relicta obiit;annis,ac virtutibus grauis.

*Pleroſque ægrotos ſua oratione curat.*

*Prophetico Spiritu à Deo donatur.*

XLVII. Rhegienſis quoque Prouincia,Petrum à Seminaria,Sacerdotem,Virum virtutibus, ac ſanctimonia illuſtrem commemorat: qui cùm in Minorum Obſeruantium Ordine Nouitius eſſet: quo tempore Ludouicus Rheginus, ac priſci alij Calabræ Reformationis Patres,ab iis ad carceres quærebantur;aſpera illorum vita commotus ad Capucinos migrauit;graueſque illas eorum temporum perſecutionum procellas cum eis ſuſtulit; quemadmodum à nobis fusè anno 1532. explicatum fuit. Multis,ac præclaris hic virtutibus in Religione enituit;quibus ita ſe omnibus admirabilem præbuit;vt in eo quiſque perfectum Religioſæ Diſciplinæ,ac Regularis Obſeruantiæ exemplar ſuſpiceret.Oratione præſertim,ac cæleſtium rerum cõtemplatione fuit illuſtris:qua fiebat,vt magis inter Cælites, quàm inter homines commorari;& ad diuinam potius cõtemplationem, quàm ad rerum humanarum vſum,

*F. PETRI à Seminaria Vita,&geſta.*

*Virtutibus quãplurimis coruſcat.*





ac commercium natus eſſe videretur. Nec tamen in humanis rebus cõſilio, ac prudentia caruit:Hinc ſæpè Guardianus, Nouitiorũ Magiſter, ac Prouinciæ Definitor creatus fuit.Huius Viri ſanctitas pleriſque Miraculis à Deo probata fertur:cũ enim ob conceptam de ipſius ſanctimonia opinionem,multi ad eum ægroti confluerent; cunctos ferè, Signo Crucis adhibito,diuina virtute curabat.Denique cùm in Conuentu Seminariæ,à Deo ſui obitus commonefactus fuiſſet:Mottam Philocaſtri;vbi chariſſimi quondam illius Præceptoris,Ludouici Rhegini oſſa aſſeruabantur, proficiſci voluit:vt ibi ſimul cum Patre quieſceret;ab eoque corpore non diſiungeretur, à quo primùm cæleſtis vitæ ſpiritum hauſerat.

*Pleroſque ægrotos Signo Crucis ſanat.*

XLVIII. Mottam igitur cùm perueniſſet:Fr.quidã Stephanus à Mileto,Concionator,qui breui eum ex hac luce diſceſſurum acceperat;cùm ex eo Conuentu in alium migraturus,ob ſingularem,quam de ipſius ſanctimonia opinionem animo conceperat,ab eo cõſpicilia peteret.Ei Petrus.Vade,inquit,Fili,quò te Obedientia vocat:opportunè huc in obitu meo redibis;& quæ optas,conſpicilia eo tempore accipies.Poſt hæc Petrus in morbũ incidit:atque obitus ſui die Fratribus prænunciato, cùm animum in eam diem omni pietate Domino præparaſſet;quam ſibi tot laboribus,ac virtutibus conſtruxerat,Coronam tandem in morte accipit.Quo tempore Stephanus aduentans,extremam ab eo benedictionẽ,ac conſpicilia cõſecutus eſt.Mors Viro Dei, neque vultus candorem, neque colorem, aut venuſtatem; qua viuus, ac ſuperſtes fruebatur,abſtulit:ſed pulchriorem,ac venuſtiorem potiùs reddidit:ita vt non mortuus,ſed dormiens omnibus videretur. At nec mortuus, ſed dormiens cenſendus eſt;qui ad cæleſtem lucem euigilans, beatam corporis reſurrectionem præſtolatur.

*Extremum diem cũ pietate obit.*

XLIX. Poſtrema tandem, Meſſanenſis Prouincia,hoc anno ſuos illuſtres Viros,æternaque memoria dignos profert.Inter hos primus eſt Fr.Blaſius de Hali,Sacerdos,Vir omnium virtutũ ornamentis præclarus,ac præſertim charitate celebris:cuius dum æſtu flagrat,à Superiore obtinet;vt eum peſte laborantiũ miniſterio conſecret:quo in munere,dum ægrotantes ſumma diligentia curat;omnique pietatis officio, abſque vllo contagij metu proſequitur; is quoque contracto morbo ægrotis coniunctus,pro iis animam fundit. Iam verò cùm vltimum vitæ finem ſibi inſtare intelligeret;in genua ſe erigens, animámque Deo conditori cõmendans:quaſi,qui Deum oraret,& adoraret, eidẽ genuflexus animã reddit. Poſt obitum verò cùm eundem Corporis ſtatum,per octo circiter horas,vſque ad funera retinuiſſet: multis poſt funera Miraculis emicuit;quæ ſolo ipſius capitis cõtactu diuina virtute patrata fuêre.

*FRATRIS BLASII de Hali Vita,& geſta.*

L. Eodem quoque modo,alter Fr.Valerianus à Caſtro bono,Sacerdos;qui in eadem Prouincia diu Nouitiorum curam egerat;multiſq; virtutibus clarus,propè cæleſtem inter homines vitam duxerat:dum Meſſanæ,peſte ægrotantium curæ,ac miniſterio omni ſtudio incũbit;morbo affectus, tam ardẽti animo pro Chriſto mortem oppetit;vt in extremo vitæ ſpiritu è ſtrato exiliens,atque humi genuflectens,inter lignei Crucifixi amplexus,Deo gratias agens,animam exhalauerit: quo tempore, cùm B. P.Franciſcum ſibi apparentem,viámque ad Cælum carpentem conſpiceret, exclamare cœpit:Me, Pater,expecta: En venio.Quibus in verbis, ſoluta è corpore anima, B.Patrem viæ ducem ſecuta eſt.

*F. VALERIANI à Caſtrobono Vita,&geſta*

LI. Tertius quoq; poſt hos hinc euolat F.Sebaſtianus Engienſis, Sacerdos: qui cùm vitæ integritate,ac morum ſanctimonia apud omnes celebris,quamplurimos de Inferorũ hoſte proſtrato triumphos retuliſſet;illius ita in ſe iras,ac odia concitauit; vt grauiſſimis eum in morte tẽtationibus inuaſerit:quibus tamen, cùm eo viriliter reluctante,noua tantùm ille trophæa parauerit,ac victorias auxerit:Poſt Tentationũ prælia,Beatiſſimam Cælorum Reginam, luce vndique circumfuſam, eum ad præmia allicientem intuetur: quam, cùm ſumma verborum, ac totius corporis exultatione, velut præſentem,Fratribus indigitaſſet: cum ea ad Superna concedit.

*F. SEBASTIANI Engienſis Vita & geſta.*

LII. Quartus ſequitur Fr. Felix Meſſanenſis, Clericus ex nobili Marullorum ſtirpe progenitus. Hic, cùm ab ipſa ineunte ætate præclara pietatis, ac futuræ ſanctitatis ſigna edidiſſet: Vix duodeuiginti annos natus, à Deo ad Capucinorum

*F. FELICIS Meſſanenſis Vita,&geſta.*

*Ipſius in Religione amplexanda cõſtantia commendatur.*

Religionem vocatur. At Patre, qui Felicem inter ſummas ſuas delicias habebat; vocationi modis omnibus obſiſtente; ac quæcunque optaret, ſub iureiurando vltrò promittente; dummodò animum à Religionis propoſito reuocaret: pius, ac lepidus adoleſcens ita Patrem affatur. Quando Pater ita iubes: num filium à patris imperio diſſidentem eſſe decet? En iuſſis obtempero. Veruntamen vnum duntaxat à te peto; quod ſi integrum dederis, iam à cœptis deſiſto. Cui Pater, mirum in modum filij deliberatione exhilaratus: Quid rem, inquit, in longas protrahis moras? peto, & accipies. At Felix: Cælum, inquit, non aliud peto: Cælum da: & me habeto. Verùm illi Pater: Cælum, ait, in Dei poteſtate eſt: Cur à me, quod meum non eſt, poſtulas? Cui Felix: Sine igitur, pater, inquit, vt illud à Deo in Religione quæram, qui ſolus dare poteſt. Denique cùm admirabili animi conſtantia, vniuerſa carnis, ac ſanguinis impedimenta calcaſſet; tandem à paternæ domus deliciis erumpens, matris quoque blanditiis deuictis, ad Crucis vexillum, Capucinorumque Ordinem euolat.

*Prophetiæ Spiritu à Deo honeſtatur.*

LIII. Porrò admirabilis fuit ea vitæ ratio, quam deinceps in Religione inſtituit. Mira mentis humilitas, mira patientia, mira morum diſciplina, mira vitæ auſteritas, mira orationis cupiditas; à qua diu, noctúque vix diuelli poterat. Pleraque his virtutibus Dei dona, ac præſertim futurorum præſcientiam aſſecutus eſt. Cùm enim ob communem famam, quæ de illius ſanctitate euulgabatur: ſæpè à Carolo Vintimillia, Naſi comite inuiſeretur: is eum frequentiùs admonebat; vt odiis, ac diſſidiis, quæ cum ſuis Naſenſibus nutriebat, ſedatis; ſubiecti populi amorem ſibi beneficiis conciliaret. Sed cùm is repetita ſæpè monita contemneret; priſtináque odia, ac ſimultates proſequeretur: Vir Dei illi tandem futurum prædicit; vt Naſenſes ab illius ſe propediem iugo, ac imperio ſubducerent; lugubriſque ipſe è viuis decederet: quod haud multò poſt eidem contigit; ipſo ob perpetratam cædem in exilium pulſo; in quo inter luctus & ærumnas animam fudit. Denique cùm in Conuentu Naſi in ſupremum languorem incidiſſet; Polidorus Medicus, qui iam biennio quartana febre moleſtiſſima affligebatur: cùm Viri ſanctitatem plurimi faceret, ab eo poſtulat; vt cùm primùm ad Dominum migrauerit, ab eo ſibi corporis incolumitatẽ impetret. Pollicetur ille: ſi tamen diuina ſibi luce frui datũ fuerit. Interea, cùm vitæ fine appropinquãte, iam neceſſitati cõcederet: En Beatiſſimã Cælorũ Reginam aduentantẽ cõſpiciens; dum adſtantes Fratres ad illius reuerentiam, ac venerationem prouocat, Felix ad feliciores Cæli delicias migrat. Secũdo poſt ipſius obitũ die, Polidorus Phyſicus à quartana febre, ſãcti Viri merito liber, vt ſuo interceſſori pro lato beneficio, gratias reddat è Mirſi Oppido, quod Naſo quatuor plus minuſvè millia paſſus diſtat; ad Felicis ſepulchrum nudis pedibus accedit, ac vota perſoluit. Felicis igitur corpore tumulato, protinus ex ipſius ſepulchro, tam ſuauis odor effundi cœpit: vt vniuerſa Orbis aromata ibi collecta eſſe viderentur. Ea verò odorum fragrãtia, cùm non eo duntaxat tempore, quo corpus tumulatum fuit: ſed diu quoque poſt illud ſeſe ex ſepulchro diffunderet: Fratres permouit, vt aperto Sepulchro Felicis corpus explorarent: quod integrum ex omni parte, & incorruptum reperiunt. Aetate quidem iuuenis obiit Felix: cùm vigeſimum ſecundum annum non excederet: at virtute grandæuus ad immortalem fælicitatem acceſſit.

*Polidoro Medico poſt mortem febris curationem impetrat.*

*Suauis ex illius corpore odor diffunditur.*

LIV. His poſtremi, ex eadem Prouincia, hoc anno ſuccedunt, F. Egidius à Mola, F. Iulianus ab Ameſtrata, & F. Paul⁹ ab Herbita Nicoſia, ſeu Laïci: qui cũ charitate pręcellerent, peſte laborantibus in Engij Oppido miniſtrantes, vitam pro charitate profundere maluerunt, quam abſque pio illo charitatis officio, longioris vitæ vſura frui.

*F. ÆGIDII à Mola, Vita & geſta.*

LV. Primus quidem Aegidius, dum præclariſſimis charitatis exemplis, in eo miniſterio cæteris prælucet: nonnulla eo tempore miracula patraſſe fertur: Hic cùm adhuc incolumis obitum ſuum breui futurum prædixiſſet; triduò antequam ex hac luce migraret, cum nonnullis Vrbis Proceribus, ad quandam S. Petri Martyris





Aedem, quæ parùm ab Oppido diſtat, accedens; foueam, quæ hominem capere poſſet; extra Aedem à poſteriori illius parte effodit: his illos verbis obteſtans. Cùm hinc emigrauero, vos me hoc loco conditote,: paulò poſt peſtilentia abreptus, tertia die humana deſerit, eoque loco, vti iuſſerat, ſepelitur. Quamplurimis hic deinde anno Domini 1625. miraculis coruſcauit, quæ fusè eo anno enarranda erunt.

*F. IVLIANI ab Ameſtrata Vita & geſta.*

LVI. Iulianus verò ab Ameſtrata Laïcus, vitæ probitate, & charitatis ardore, inſignis fuit: qui eodem Oppido ſæua peſtilentia oppreſſo, cùm diuina charitate inflãmatus, ſpontè ſe laborantium miniſterio, ſimul cum Aegidio, & Paulo obtuliſſet; facultate à Superiore impetrata, tanta ſollicitudine, tamque ardenti ſtudio pio muneri incumbit; vt dum multos ſua diligentia è ſupremo funere, plures verò ex Orci faucibus, piis monitis, ac hortationibus eripit; ſummam apud omnes ſanctimoniæ laudem conſequeretur. Inter hæc pietatis officia tam ardenter ſpiritu in Deum ferebatur; vt cùm aliquando in Eccleſia Spiritus ſancti, eiuſdem Oppidi oraret: toto populo ſpectante, in extaſim raptus, ac toto corpore in aëra ſubleuatus fuerit. Denique mortem pro laboris mercede conſecutus, priùs graues Dæmonum luctas, ac tentationes paſſus; dein Chriſti præſentia recreatus, mortalem cum immortali vita commutat: quos tertius quoque Paulus eodem peſtilentiæ morbo ſublatus ſecutus eſt; cuius nulla, præterquam pij huiuſce miniſterij, ac obitus memoria extat.

*In extaſim toto ſpectante populo rapitur.*

*Dæmones ob Nouitiorum egreſſum à Religione exultant.*

LVII. Succedunt hoc anno quædam memoratu digna. In Prouincia S. Angeli, Fr. Lucas Sacerdos, & Victorius Laicus, ambo Lucerienſes, qui Conuentum S. Ioannis Rotundi inhabitabant: dum veſpere ex eleemoſyna redeunt, per Syluam commeantes, duorum Dæmonum, ſe viciſſim interrogantium, voces audiunt: quorum alter ab altero quærit, quid in ea die lucri feciſſet. Cui alter: Haud ſanè abſque fructu è Capucinorum Conuentu redeo: binos enim Nouitios ad ſæculum redire cõpuli. Stupẽt illi, qui manè Nouitios omnes in propoſito ſtabiles reliquerãt: at vix ad Conuentum peruenêre; cùm ex his geminos, qui aratro nuper manum admouerant, retrò aſpexiſſe reperiunt. Ex quo id omnibus perſpectum fuit, Dæmones id maximi lucri loco ducere; cùm à meliori bono, ac diuinæ ſeruitutis obſequio, quod ſemel amplexati fuerant, homines reuocant. Hinc quàm periculoſum ſit, eos, qui Deo vocante virtutis iter aliquando in Religione aggreſſi fuerant, ab eo ſpreta vocatione recedere; hoc anno multis exemplis declaratum fuit. Nam in eadem Prouincia, Nouitius quidam à Manfredonia, nobili genere natus; cùm admirabili mentis feruore, in die S. Bonauenturæ ad Capucinorum habitum acceſſiſſet: haud multò poſt diabolica tentatione tepeſcens, nullis Patrum conſiliis, atque admonitionibus retineri potuit; quin ſacra veſte depoſita ad ſæculares exuuias rediret. At Dei clementia; quæ illum ad meliora bona vocauerat, cùm ſe ab eo contemptam cerneret, ſeueriùs in eum animaduertit: Nam elapſo anno, eadem prorſus S. Bonauenturæ die, in qua Religionis habitum ſuſceperat, inter multos, qui cum eo aduersùs priuatos hoſtes congrediebantur; ſolus glande transfixus, miſer abſque Sacramentis occubuit.

*Dei in Nouitios à Religionis vocatione deſciſcentes vindicta exemplis aperitur.*

LVIII. Poſt hunc, Nouitius quidam Grauinenſis, qui ab Aegyptiaca Mundi ſeruitute, diuina pietate liberatus, ad libertatem filiorum Dei, in Religionis ſinum vocatus fuerat: cùm diuinæ vocationis tædio affectus, inde erumpens, ad Aegypti tenebras rediiſſet: haud diu diuina illum vindicta tulit: nam exiguo tempore elapſo; cùm verborum lite exorta, iuuenem ſibi infenſum occidiſſet: à Satellitio comprehenſus, extremo in Crucem actus ſupplicio affectus fuit.

LIX. Alter quoque è Mandario Salentinorum Oppido, honeſtiſſima familia progenitus, ad Religionis gremium, Deo vocante, aduolauerat: cùm mater filij vocationis impatiens, omnia clamoribus turbat; ac velut rabie furens, Fratres filij ſui raptores, ac prædones inclamat. Nihil eam à concepto furore reuocat; non Dei cultus, au-

*Seuera Dei in Nouitium à Religione reſilientem vltio narratur.*

Religio;non diuina vocatio,non filij vtilitas, non Fratrum humilitas, non conſilia, non monita,non diuinorum iudiciorum terror;quin etiam cùm in eã mentis amẽtiam erumperet;vt filium potiùs Cruci appenſum, quàm Capucinum cernere ſibi imprecata fuerit.Id tandem,Deo haud iniuſtè vlciſcente,aſſecuta eſt: vt Nouitius Dei vocatione abiecta,ſe iterum ſæculo conſignauerit. At verò cùm ſpretum diuinæ vocationis donum nulli vnquam profuerit; eò hominem adegit; vt in omne mox flagitiorum genus ſe præcipitem dederit: tamque omni Dei timore animum exuerit:vt cùm à Fr. Vincentio Vritano Capucino,ob effrenis vitæ licentiam, corriperetur,eum bombardæ ictu oppetierit. Veruntamen necdum ab reiecto Religionis habitu annus prætericrat; quũ ob grauiſſimum ſcelus,cuius apud Iudicem ſuſpicione laborabat, comprehenſus; torturæ exponitur, crimen fatetur: atque eadem die,qua ſacrum Religionis habitum exuerat,ſuſpendio necatur; membratimque deinde poſt Crucis ſupplicium diſcerpitur: vt Dei Iudicia formidare diſcant, qui diuino lumini rebelles, cæleſtem vocationem deſerunt.

LX.

*Vinum Capucinis denegãs vini effuſione ac corruptione bis à Deo caſtigatur.*

Petelıæ hoc anno,quidam Donatus Antonius,Vir ſæcularis, cùm Fratri Dominico à Latertia Eleemoſynario,vinum ſub ementita quadam excuſatione denegaſſet;vix poſt ipſius diſceſſum,ad dolium vino plenum accedit,quũ vinum in fæcem coagulatum reperit. Eidem quoque poſt bimeſtre contigit;vt cùm eidem Eleemoſynario,vinum ab eo poſtulanti reſpondiſſet,nihil ſibi in dolio vini reliquum eſſe: dolium vino plenum mox abruptis circulis,quibus conſtringebatur,merum in pauimento effuderit.

LXI.

*Dei in Fratres niue obſeſſos prouidẽtia miraculo enitet.*

Emicuit hoc quoque anno in Baneariæ Conuẽtu, Romanæ Prouinciæ erga Fratres ſollicita,tametſi familiaris Dei prouidentia:nam cùm ob magnam niuis copiã, quæ è nubibus exciderat,viæ omnes ad victus mendicationem,Conuentus familiæ, quæ longiùs ab Vrbe aberat,obſtructæ eſſent;maxima illa in rerum penuria verſabatur:quũ ſub Solis occaſum oſtij tintinnabulum pulſatur;Iuueniſq; in Monaſterij limine apparet,panis candidiſſimi,ac recentis caniſtro onuſtus: à quo cùm Ianitor quæreret;vndenam ea illis eleemoſyna erumperet;quiſvè illius Auctor eſſet:ille nihil ipſis vlteriùs inquirendum eſſe ait; ſed cum diuina gratiarum actione ea illis fruendum. Inſtat Ianitor,rogat,cogit;vt quandoquidem iam dies in veſperum declinabat:nixque etiamnum è Cælo cadebat;hoſpitium in Conuentu caperet; recuſat ille:Dumque Ianitor ad Dionyſium Spoletanum,tunc abſente Guardiano,Cõuentus Vicarium pergit:Iuuenis euaneſcit,neque illius in niue, aut venientis, aut redeuntis veſtigia cernuntur: quo fit, vt Angelum diuini muneris latorem agnoſcentes,Deo largitori ſummas gratias perſoluerint.

LXII.

*Dæmon Cruce Horologio affixa ab eo fugatur.*

Quædam quoque Dæmonis ars,quæ Dei cultum apud nos interturbaret,hoc anno deprehenſa,ac depulſa fuit.Solent Capucinorum Sacriſtæ,rotatum Horologium ſub Veſperum,ad Matutinas Horas componere:vt cadentibus certa mediæ noctis hora æquipondiis,Fratres ad diuinas laudes perſoluendas excitent. Dæmon verò, qui nihil æquè, ac diuinas laudes, atque eas præſertim, quæ ea noctis hora Deo concinuntur, odio proſequitur:hoc anno in Conuentu Firmano,Sacriſtæ ſollicitudinem deludebat:ita vt vix ille Horologium compoſuiſſet;cùm Dæmon diſſolutis æquilibriis,Horologium perturbans; illud ad Matutinas vſque Horas procedere haud ſinebat.Id Cacodæmon cùm ſæpiùs præſtitiſſet;tandem Sacriſta Crucem ex cerato filo compactam,ea Horologij parte affigit;qua elato Rotæ maioris retinaculo,Horologium diſſoluitur.Dæmon igitur cùm ad Horologium accederet;quũ primùm obuiam ſibi Crucem offendit, Horologium quidem deinceps attingere non eſt auſus; ſed amentis inſtar,ſeſe in cachinnum effundens, abſceſſit.

LXIII.

Cæterùm, quàm Deus Capucinos Fratres, in pauperes liberales eſſe velit, illuſtri exemplo hoc anno explicatum fuit. Cùm enim Matelicam, ac circumiacentem Regionem, hoc tempore, tam ingens annonæ penuria occupaſſet; vt pauperes paſſim fame interirent; Matelicæ Guardianus adeò in pauperes liberalis





*Capucinos quã in Pauperes liberales eſſe oporteat, exemplo declaratur.*

erat; vt nullum penitus abſque eleemoſyna à Conuentu abire permitteret: quo tempore, tametſi qui Matelicæ opulentiores erant, ob frugum inopiam Familiæ ſumptus contraherent;omnia tamen apud Capucinos abundabant:ita vt pars Oppidi non ſolùm Conuentus Familiæ; ſed etiam aduenis, ac pauperibus ad mendicationem abundè ſufficeret. Accidit verò:vt Guardiano ad Prouincialia Comitia profecto, qui in Conuentu Vicarius præſidebat; humana quadam prudentia ductus; quò Oppidanis penuria oppreſſis Fratres minùs graues fierent,pauperibus eleemoſynam diminueret: neque,vti fieri ſolebat, eorum inopiã ſubleuaret: mox tam breuis, ac parca Fratribus ab Oppidanis eleemoſyna erogari cœpit;vt diligentiſſima totius Oppidi mendicatio vix familiæ ſatis eſſet: Aduenis verò Fratribus eò aduentantibus aliundè victum comparari opus eſſet. Admirabantur Fratres, tam repentina rerum mutatione; cùm nouus Guardianus in Conuentu ſuccedens, qui non minori,quàm prior in pauperes charitate ferebatur: cùm primùm eam à Fratribus rerum differentiam accepit;mox diuinæ liberalitati confiſus,priorem pauperum eleemoſynam inſtauratam auget: ſibique, ac familiæ potiùs, quàm pauperibus minuendam ſtatuit. Vix id Guardianus communi Fratrum conſenſu decreuerat: cùm tertia poſthæc hora elapſa; Vir omnibus ignotus, pane onuſtus ad Monaſterium accedens, eum Fratribus conſignat: neque vnde, aut à quo ea eleemoſyna erumperet, ab eo vlla vnquam ratione agnoſci potuit;id cùm Ianitori diligentiùs ab illo percunctanti:cùm id tantùm reſponderet. Sat eſt,Fratres:Deo gratias agite, ac diuina benedictione fruimini: Vix ille abſceſſerat; cùm alter æquè ignotus Vir, carnium pondus, librarum circiter quatuordecim deferens, apparet: cuius cùm nec vlli facies eatenus nota eſſet; is quoque nec nomen, nec eleemoſynæ auctorem declarat. Tertius tandem,paruo tempore elapſo, caſeo oneratus conſpicitur; qui eodem modo interrogatus, cùm eodem, quo priores, reſponſo Fratres exciperet:cæleſtes proculdubio Nuncios,diuinæ munificentiæ latores eſſe ſibi perſuaſerunt: atque id magis eos in ſententia confirmauit; quòd vniuerſa repentè à priori ſtatu mutata; tanta rerum abundantia in Conuentu affluere cœperunt; vt cùm Eleemoſynarius mediam tantùm Oppidi partem mendicatione percurreret; ea ſatis ſuperque ad familiam, aduenas, Chriſtique pauperes alendos ſufficeret: nec in tanta Oppidi penuria, Fratres, diuinæ liberalitatis munere, penuriam ſentirent.

*Diuinæ liberalitatis in Eleemoſynã pauperibus largientes teſtimonium exeritur.*

LXIV.

*Frater nugis vacans, poſt mortem quali pœna à Deo affectus fuerit.*

Poſtremò:quàm ſollicitè à nugis,ac vaniloquiis;quæ præter animi vulnera,irreparabilia quoque temporis damna adferre ſolent; iis potiſſimùm abſtinendum ſit, qui tempus omne ſimul cum animo Deo conſecrarunt; illuſtri exemplo Deus hoc anno perſpectum eſſe voluit.F. Angelus Theutonicus, Bononienſis Prouinciæ Sacerdos,neruorum quodam languore detinebatur: cui Medicorum conſilio indictum fuit,vt ad Aponi fontes:vbi ad Euganeos colles,propè Patauium,aquæ calidæ variis morbis medendis aptæ,& à Claudiano Elegiaco carmine laudatæ cuſtodiuntur,ſe conferret. Eò igitur cùm Angelus F. Antonio Bononienſi Laïco comite cõceſſiſſet:abſoluto fontium lauacro, accidit; vt dira lues Patauium inuaderet: quo tempore cùm Antonius vltrò ſe peſte laborantium miniſteriis obtuliſſet: Angelus quidem altero ſibi ſocio adiuncto, Bononiam reuertitur: Antonius verò cùm incredibili charitate,ac ſollicitudine ægrotantibus per aliquod tempus miniſtraſſet; is quoque peſtilentia correptus, inter ea pietatis miniſteria vita excedit. Erat Antoninus hic, Vir lepidus, ac facetus; cui cùm verba naturæ quadam fœcunditate affluerent;inter vaniloquia ſæpè fruſtrà tempus conterebat.Hic igitur quintodecimo poſt obitum die, Angelo apparet:qui cùm illum de alterius vitæ ſtatu interrogaret,atque ab eo ſingillatim quæreret; Annon qui vltrò mortem pro Fratrũ charitate oppetierat,ſtatim cæleſti Sede potitus fuiſſet:his ille verbis reſpõdet:Scito Angele,diſtrictiſſima Dei Iudicia eſſe;lõgiuſq; quàm hominum opinio ferat,formidabiliora.Ego quidẽ,ob exãtlatos pro Chriſti charitate labores,ex Dei clemẽtia æterna ſalute fruor. Veruntamen quoniã mea ſæpè garrulitate,Fratres à ſerioribus

auocatos, vanis ſermonibus, ac ſcurrilitatibus detinui, ne feſtinè ad Horas Canonicas conuenirent: grauiſſimæ huic me hactenus pœnæ Dei Iudicium addixit; vt totum illud iter, quod Patauio Veronam vſque diſtenditur; quod quinquaginta millia paſſus continet; quotidie ſuper ardentes prunas nudis pedibus conficerem. Iam verò pœna abſoluta diuino munere ad Superos conſcendo: protinuſque ex oculis abſceſſit. Porrò id ſibi diſciplinæ loco accuratiùs reponant; qui nugis, ac vaniloquentiæ facilè intendunt: quámque ſeuera in eos manus Dei futura ſit, addiſcant. Denique veriſſimum illud eſſe ſibi perſuadeant, quòd de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines ſuper terram, reddituri ſint rationem in die Iudicij.

Matth. 12.

*Maximilianus Imp. Rodulpho 2. ſuccedente ex humanis migrat.*

Hoc anno die 12. Octobr. Ratiſbonæ, in Bauaria, Maximilianus ſecundus Imperator, poſt tertiumdecimum ſui Imperij annum, diem extremum obit. Cui in Imperio ſuccedit Rodulphus huius nominis ſecundus. LXV.







I. SAEVVS peſtilentiæ morbus, qui ſuperiori anno Mediolanum, Brixiam, Patauium, ac pleraſque Italiæ Vrbes inuaſerat; eodem quoque tempore Venetias penè in ſolitudinem redegerat: quapropter hoc anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Aloyſius Mocenicus, Vrbis Princeps; vbi vniuerſâ humanæ prudẽtiæ conſilia, ac remedia, ad morbi vim depellendam, fruſtrà adhiberi cõſpexit: religioſiùs diuinam opem implorandam, Deumque muneribus placandum cenſet. Quamobrem cunctis Vrbis Senatoribus in Eccleſia S. Marci congregatis, graui oratione perſuadet; vt ad diuini Numinis iram demulcendam, religioſa ad Deum Redemptorem vota conuertant: Vrbique cadenti pia ſupplicatione, ac communis voti oblatione, ſuppetias ferant. Annuunt omnes; moxque Dux ipſe publicum ex Senatuſconſulto de Templo Chriſto Redemptori ædificando, votum expreſſis verbis concipit: quod in publicis illius Senatus tabulis, ac monumentis his verbis exaratum habetur.

*Venetiarum Vrbs graui peſtilentia afficitur.*

II. *Ex his, quæ tam in ſacris Literis, quàm rerum humanarum hiſtoriis memoriæ tradita ſunt, facilè cunctis exploratum eſſe poteſt: diuini furoris flagella, quæ publicè in populos ſæuiunt; vix vnquam, præterquàm publica pœnitentia, ac humilitatis exhibitione depelli. Quamobrem cùm Dei iram, graui hoc pœnitentiæ flagello aduersùs nos concitatam, luce clariùs ſpectemus: ſanè æquum eſt: vt præter ea, quæ ad morbum effugandum, in Vrbe hactenus ſumma prudentia ſtatuta ſunt: publicæ orationes, ac ſupplicationes inſtituantur: quibus diuina ab omnibus clementia exoretur. Idcircò Sereniſſimus noſter cum vniuerſo Magiſtratu ac Conſilio diebus Iouis, Veneris, ac Sabbathi in Eccleſia S. Marci ſimul conuenient: vbi ſacro Miſſæ myſterio celebrato ſupplicatio fiet: in qua ſanctiſſimum Domini Corpus per Vrbem circumferetur. Sabbatho verò ſupplicatione peracta, Sereniſſimus Princeps publico totius Reipublicæ nomine, votum emittat: quo Templum, ſub Chriſti Redemptoris titulo, ædificandum Deo ſpondeat: vt eò faciliùs Vrbem ſua pietate à peſtilentia liberet. Qua die verò Vrbs à contagio liberata fuerit, quotannis Sereniſſimus Princeps, ac Senatus, Templum illud Chriſto Redemptori dicatum, omni pietate adeunto: ac in perpetuam tanti beneficij memoriam præſentes venerantor.*

*Publicum de Templo Chriſto Redemptori ædificando votum à Senatu emittitur.*

III. Auri pondus, quod huius Templi ædificationi tunc præſcriptum fuit; Aureorum decem millia ſummam non exceſſit: quanquam propter effuſam Reip. in res diuinas liberalitatem, deinde ad centum millia aureorum pondus propè excreuerit. Quanta porrò, & quàm Deo grata huius voti religio fuerit, id planè declarauit: vix enim publicum hoc à Principe votum conceptum fuit; cùm lues in Vrbe paulatim cœpit miteſcere: Templi autem voto per Vrbis Religioſos euulgato; cùm ex his plerique ſibi illius miniſterium committi, ſubmiſſis deprecatoribus contenderent. Senatus, qui maiori pietate, ac propenſiori rerum diuinarum cura, Templum adminiſtrari optabat; cùm in Capucinos animum intendiſſet; iis Templi adminiſtrationem conferre cogitat: quare duobus ad eos Senatoribus deſtinatis, illorum conſenſum expoſtulat. Præſidebat tunc in Venetiarum Conuentu Fr. Gregorius Venetus, Vir Regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimus; qui cùm vaſtam aliquam ædificij magnitudinem extimeſceret, quæ Ordinis paupertatem ex-

*Capucinis à Senatu Templi ædificandi adminiſtratio decernitur*

cederet; principiò quidem recuſare cœpit. At verò cùm propoſitam Eccleſiam, haud ampliori forma, ac ædificij ſplendore, quàm Capucinorum ſtatus ferret, ædificandam audiret; ipſius tandem adminiſtrationi, Prouinciali Vicario annuente, conſentit.

Cùm itaque Eccleſiæ ædificandæ locus, propè Capucinorum Conuentum, à Senatu electus fuiſſet: ſtata huius anni die, nempe tertia Menſis Maij, qua Feſtum Inuentionis S. Crucis celebratur: Aloyſio Mocenico Venetorum Duce, ac Ioanne Taruiſano Patriarcha; vnà cum toto Clero, Senatu, ac Populo ſolemni pompa conuenientibus, primarius Eccleſiæ lapis in fundamentis iacitur, in quo hæc verba inſculpta habentur. IV.

*Prima Templi Redemptoris fundamēta iaciuntur*

*Ex pio ſolemni voto Reip. ad arcenda fulgura diræ peſtis, Redemptori Deo ſanctè dicatum: Gregorio XIII. Pont. Maximo, Venetiarum Duce Aloyſio Mocenico, & Ioanne Taruiſano Patriarcha* 1577. V.

Mirabile dictu! Vix huius Eccleſiæ fundamēta iacta fuêre: cùm peſtis, quæ tametſi poſt votū paululū deferbuiſſe videretur, eovſq; ingēti hominū clade in Vrbe graſſata fuerat: tam repentè extincta fuit; vt nec vllū illius veſtigiū deinceps ſuperfuerit.

Panormitana Vrbs, hoc quoque anno, cùm peſtilentia grauiter affecta eſſet; Virorum, qui peſte laborantibus miniſtrarent, ſolatio deſtituta, ad Capucinos confugit. Panormitanam Prouinciam tunc moderabatur Fr. Paulus à Thermis Himeris; qui Fratres ad pium opus excitat: cúmque iis ſanctæ Obedientiæ meritum contuliſſet, qui vltrò huius charitatis obſequiis ſeipſos conſecrare vellent: tres illius Conuentus Fratres pietate inſignes, nimirum Bernardus Panormitanus, Hieronymus Zarenſis Sacerdotes, & Benedictus Panormitanus Clericus, pio ſe operi accingunt; ſtudiúmque omne, curam, ac ſollicitudinem, in Ægrotantium miniſterium conferunt: tamque impenſa illis charitate inſeruiunt, aſſiſtunt, cibos, ac Sacramenta miniſtrant; & quæ corporis, & animæ ſunt, metu omni poſtpoſito curant; vt poſt aliquot menſium labores, vterque Sacerdos in eo miniſterio peſtilentia ſublatus, voluntaria pro Chriſti, ac Fratrum charitate morte occubuerit. VI.

F. Bernardus Panormitanus Sacerdos & F. Hieronymus Zarēſis Sacerdos, peſte laborātibus miniſtrantes occumbunt.

Pretioſa itidē hoc anno duorum Fratrū mors cōmemoratur: qui cùm impetrata ab Hieronymo Generali facultate, atque Apoſtolica licentia, ad ſacra ſe Hieroſolymorum loca veneranda contuliſſent; atque adorato Domini Sepulchro, ac pia veneratione reddita, redirent: vix è Hieroſolymitana Vrbe egreſſi, in Turcas quoſdam incidunt; qui cùm Chriſtianam Fidem conuiciis oppeterent, ij contrà pro ea pugnarent; ab iis primùm fuſtibus cæſi, deinde telis confixi, pro fide vitam profundunt. Horum martyrio cùm Chriſtianus quidam captiuus præſens adfuiſſet; illud Guardiano Minorum Obſeruantium, qui Hieroſolymitanum Monaſterium incolunt, eadem die narrat: qui cùm eorum corpora inde ſublata, ad Monaſterium aſportanda curaſſet; eoſque Generalis obedientia, atque Apoſtolica licentia munitos offendiſſet; honorificè tumulat: Hieronymumque Generalem per literas certiorem facit: quæ cùm publicè in Romani Conuentus Refectorio lectæ fuiſſent, Fratres impulêre; vt Hymno, *Te Deum laudamus*, communi voce decantato, Dei Majeſtatem ob eorum triumphum laudarent. Horum nomina, quæ Scriptorum negligentia apud nos perierunt, in Cælis ſcripta eſſe haud dubitamus. VII.

*Duo Capucini Fratres Ierosolymæ pro Fide obtruncantur.*

Geminum, hoc tempore, ſuauiſſimi odoris florem, Neapolitana Prouincia in Cælum tranſmittit. Primus eſt Fr. Ioannes Illyricus Concionator: qui cùm operum luce, ac præclariſſimis vitæ exemplis, totius Regularis diſciplinæ exemplar præſeferret; plurimas quoque ſua prædicatione Ieſu Chriſto animas peperit. Hic in Clericorum adhuc Ordinem relatus, cuiuſdam Concionatoris noſtri aliquando ſocius fuit: qui cùm in quodam Oppido, haud longè à Neapolitana Vrbe, Dei Verbum Quadrageſimali tempore diſſeminaret: apud quoſdam Regulares, quorū VIII.

*F. IOANNIS Illirici, Vita, & geſta.*





Ordinem conſultò reticendum cenſeo, hoſpitabatur. Porrò in eo Conuentu Vir erat, illius Eccleſiæ Sacriſta; heluo, ac ventri deditus: qui cùm Ioannis ieiunia, atque auſteritatem derideret; oblatis carnibus, eum frequenter, vt ieiunium ſolueret, verbis ſollicitabat. At Ioannes hominem ſuauiter increpans, ſæpè illum ad Eccleſiæ, & Regularis obſeruantiæ leges reuocabat. Ridebat ille, qui omnem ex animo Dei metum excuſſerat: quin etiam cùm ſemel Ioannes, ad veſpertinum potum, nuces Concionatori ſuo deferret: is elixam gallinam oſtendēs, quam ſibi ad Cœnam parauerat, his eum verbis ludificat: Heus, bone Vir, hæ meæ nuces ſunt, quibus veſcor. At verò Dei Maieſtas Viri petulantia, nedum ingluuie, ac voracitate læſa; haud riſit, aut luſit: quin etiam ob id grauiùs in eum animaduertit. Necdum enim quadrageſimale ieiunium abſolutum erat; cùm nocte quadam, dum clam conſuetis ventris delitiis, cubiculo incluſus incumbit; horrendus ex ipſius Cella ſtrepitus auditur. Protinus eò Fratres accurrunt; víque aperto Cubiculi oſtio, miſerum Sacriſtam, Mantili, quo vtebatur, ita à Dæmone præfocatum cernunt: vt alterum is Mantilis caput ex ore, alterum ab ano emitteret: quod dum Fratres inde educere tentant; ſimul cum Mantili viſcera, eidem tenaciùs inhærentia, extrahunt; vt diuina in eum pœna graſſata ſpectaretur: dum venter pro eſcis, quas effuſa edacitate vorauerat, inteſtina reddidit. Id ſæpè Ioannes commemorare ſolitus erat; vt ſi quos Gulæ vitium delectaret, hoc illos exemplo abſterreret. Haud vulgari Ioannes prudentia præditus erat: hinc ſæpè Guardiani Officio functus; Monialium itidem S. Mariæ in Hieruſalem diu adminiſtrationem geſſit: quo in munere potiſſimùm illius charitas, ac virtus enituit. Sacrum enim illud Virginum Collegium, quod ob ſpectatam ſanctimoniam, toti Vrbi venerandum eſt, tam ſanctè adminiſtraſſe legitur; vt plurimùm illud virtutibus auxerit, ac Regularis obſeruantiæ luce illuſtrauerit. Hic Sanctum Ioannem Baptiſtam, Domini præcurſorem, præcipua quadam mentis pietate proſequebatur: à quo & ſui obitus horam; atque eam prorſus quam optauerat, diem accepit. A Deo ſiquidem multis precibus poſtulauerat: vt dies, qui B. Ioannis Natiuitate eſt Sacer, is quoque ſibi vltimus eſſet; extremámque vitæ ſuæ metam imponeret. Quapropter cùm ad vitæ finem properans, Monialem quandam grauiſſimè ægrotantem, Sacro Oleo inunxiſſet; eandem his verbis conſolatur. Ne timeas Soror, longior adhuc tibi reſtat via: me enim præcedere oportet, te ſequi. Tum verò ad Conuentum rediens ægrotare cœpit: quo tempore à Fratribus exquirit, quot vſque ad S. Ioannis Baptiſtæ Feſtum dies ſuperſint: cui cùm Fratres, tres tantummodò eſſe reſponderent: is manus ſupplices ad Cælum tendens, Deóque ex animo gratias agens; ait: Congaudete mecum Fratres, Breue enim mihi iter ſupereſt: illa me dies hinc ereptum, meæ origini reſtituet. Porrò ipſo S. Ioannis Natiuitatis die, cùm Sacra Euchariſtia refectus, Sacróque Oleo inunctus, ad Domini ſe occurſum paraſſet: dum veſpertinas horas Clericis adiuuantibus recitat: vix ad B. Virginis Canticum, *Magnificat* peruenit; cùm Dominum magnificans, & cum Angelis ſummam ipſius Maieſtatem perpetuò magnificaturus, ex hac luce migrat; paruóque tempore elapſo, Monialis poſt ipſum mortali vita defungitur.

*Plurimis Virtutibus commendatur.*

*Sacriſtā cuiuſdam Ordinis infauſtus caſus narratur.*

*Gulæ vitiū quàm fugiēdum exemplo oſtenditur.*

*Sui obitus certum diem à Domino impetrat.*

IX. Alter fuit Fr. Franciſcus Abellinenſis, Clericus: qui cùm ſingulari vitæ puritate, Regulari diſciplina, ac potiſſimùm obedientia; annos, quos in Religione duxerat, exornaſſet; obedientiam quoque in morte ad Deum ducem ſibi vendicat. E ſæculo namque migraturus, cùm à Guardiano benedictionem poſtulaſſet; vt ex obedientia extremum illud iter perageret: cunctante Guardiano, obedientiſſimus ille: E corporis, inquit, Pater, ergaſtulo non egrediar; donec tua benedictione, ac obedientia meum exitum munieris. Benedictione verò tandem illi à Guardiano impertita; dum in Religioſum, ac conſuetum *Benedicite*, linguam ſoluit; ſoluta à corpore anima ad Deum iter carpit.

*F. FRANCISCI Abellinēſis, Vita, & geſta.*

X. Meſſanenſis Prouincia, ſuum quoque hoc anno lilium profert, F. Clementem à Bocherio, Laïcum: qui morum integritate, ſimplicitate, ſui ipſius contemptu, pau-

*F. CLEMENTIS à Bocherio, Vita, & geſta.*

pertatis amore,ac plurimis aliis virtutibus,ita fuit illuſtris;vt ſeipſum gratum Deo, Angelis,hominibúſque ſpectaculum exhiberet. Honeſtate verò adeò fuit inſignis, vt cùm animum , corpúſque ab omni venerea labe purum ad Religionem attuliſſet:eundem perpetuo virginitatis candore,ad mortem vſque illibatum ſeruauerit: quod Fratri Ruffimo à Rometa diuinitus ſignificatũ fuit:qui Clementem aliquando in Oratione defixum ſpectans , eundem clariſſima circa lumbos luce circumfuſum conſpexit. Hic tandem poſt plurimos virtutum annos , quibus Meſſanenſem Prouinciam bono ſanctimoniæ odore reſperſit, ad meliorem cæleſtium vitam,virtutum præmia laturus,concedit.

*F. COSMÆ à Martina, Vita, & geſta.*

XI. Per idem tempus,Hidruntina Prouincia emeritum militem ad ſuperos, poſt victoriam coronandum,tranſmittit, F.Coſmam à Martina,Sacerdotem:qui cùm diu Nouitiorum curæ,& educationi præfuiſſet; tótque ſibi virtutes,ac Dei dona comparaſſet;vt ipſius vita cęteris totius Regularis perfectionis Magiſtra eſſet:tam acres cum Dæmone ex perpetuis de eo victoriis reuectis,inimicitias cõtraxit:vt in extremo ipſo vitæ calcaneo, Dæmon omnes in eum vires exeruerit:tótq; tentationibus iam ad vitæ exitũ properantem aggreſſus fuerit;vt adhuc conflictantem opprimere videretur. Mira profectò,ac iucũda res erat:Hominẽ iam extremũ ſpiritum agentẽ,tam ſtrenuè cum Dæmone verbis, animóq; dimicantẽ audire; vt ſuperbũ etiam hoſtem cõtemneret.Sed cùm inclyta Cælorum Regina apparens,Dæmonũ turmas ſua præſentia effugaſſet:Coſmas paululũ à conflictu reſpirans,ad eam cõuerſus,ait. Vbi eras,ò bona Virgo,vbi eras,cùm in me tot Dæmonũ acies irruerent:quem eum Beatiſſima Virgo cæleſtibus Verbis conſolata eſſet : paulò poſt facie ad Crucifixi Imaginem conuerſa, ad ſupremũ vitæ Auctorem,poſt certamẽ laureandus aſcẽdit.

*Beatiſſimam Virginem in morte ſibi auxiliantem intuetur.*

*F. IOANNIS Andreæ à Rodigio, Vita, & geſta.*

XII. Floruit hoc quoque tempore,in Veneta S.Antonij Prouincia,F.Ioãnes Andreas à Rhodigio,Sacerdos.Vir integerrimus,grauis,prudens,moderatus,támque Angelica morum honeſtate,& venuſtate præditus; vt cæleſtem potius, quàm cõmunem hominum inter Fratres vitam referret:cui & veneranda facięs,vultus comis,ac deuotione plenus ; oculus demiſſus,recta corporis ſtatura, inceſſus humilis,ſenſus ad omnem mortificationem cõpoſiti accedebant:ita vt ex ſolo aſpectu,vnumquemq; ad virtutem alliceret. Tanta denique,ac tam præclara omniũ virtutum laus,à primis Religionis annis, ex hoc Viro cœpit erumpere; vt vix nonum in Religione annum attingeret , cùm à Prouinciæ Patribus ad Nouitiorum educationem vocatur: quo in munere tam incredibili benignitate,manſuetudine, patientia, charitate,ſtudio,ac ſollicitudine enituit;vt non modò ſummam ex eo apud omnes laudem conſecutus fuerit:verùm etiam plurimam optimorum Virorum Religioni prolem genuerit,atque efformauerit.

*Summis virtutibus ornatus Nouitiorum curæ præficitur.*

XIII. Nouitios,vt purę orationi,ex qua omniũ virtutũ ſeges oritur,poſt obediẽtiæ opera,ſtuderent,cumprimis docebat.Semel verò cùm iis de raptu,extaſi,ac cæteris Dei donis, quæ ex oratione fluunt;ac Dæmonũ fraudibus in his cauẽdis,nõnulla expoſuiſſet:accidit,vt Nouitius quidã,qui ardẽtiùs quàm par eſt,ad hæc Dei dona inhiabat;quo tẽpore cæteri ad Magiſtri lectionẽ cõueniebãt;is ſolus in Eccleſia orationi intentus remaneret: quẽ quum primùm Magiſter cum reliquis minimè adeſſe cõſpexit;vbi nam ſit,percunctatur:cunctis verò ignorãtibus,Magiſter oculis pauliſper in Cælum ſublatis:cùm diuina reuelatione,quid circa Nouitiũ ageretur,accepiſſet. Citò (inquit) ad Fratrẽ noſtrũ feſtinemus:à Dæmone enim illuſus cùm inter Hoſtis inſidias verſetur,inter diuinos cõplexus ſe quieſcere arbitratur. Cúmq; ad Eccleſiã perueniſſet,Nouitium in extaſim raptum,nec humanas voces percipientẽ reperit: quẽ cùm Magiſter in ſinũ ſuũ accepiſſet,mox ille ad ſenſus rediẽs : Heu,inquit,cur meas mihi delitias ſubripitis?Sinite,Sinite,vt in Domini mei ſinu obdormiam:Magiſter verò indicta cæteris oratione, Nouitio,inquit : Ne Fili, ne te lethifero ſopori cõmittas.Falleris:non te Chriſtus Dominus:ſed Dæmon in ſinu habet.Cúmq; ille haud Magiſtri verbis acquieſceret;inuitum iubet in Cellam deferri: vbi illũ de ex-

*Nouitium à Dæmone illuſum diuina reuelatione agnoſcit.*

taſi,



taſi,& iis,quæ in ea ſibi demonſtrata fuerant,interrogat.Nouitius vero Chriſtũ ſibi apparuiſſe narrat;qui alterum Nouitium,qui paulò antea ab Ordine deſciuerat , à Dæmone ad ſæculum pulſum,digito demonſtrans.Vade,inquit, fili, Fratrem tuum qui periit,ad vitam reuoca;& captiuũ à Dæmonis imperio libera:ne egredi timeas, ego enim tecum ero:cùm verò Fratrem tuum lucratus fueris,ſpoliis opimis onuſtus ad Religionem redibis. An non Chriſto,(ait Nouitius) obtemperandũ eſt?nunquid non cuique mandauit Deus de proximo ſuo? Quodnam Fratre pretioſius lucrum excogitari poteſt?Cui Magiſter : Acquieſce,inquit,Fili,conſiliis meis:Hæ ſunt Satanæ artes, quibus te à Religionis gremio abſtrahere conatur : vt ſemel auulſum, velut omni ope;ac Religionis præſidio deſtitutum,perdat.Te Deus ad Religionem, hoc tempore,non ad aliorũ conuerſionem vocat:te priùs , deinde alios cura:Alterum à lapſu ſubleuare ſtudes?Annon hoc callidi hoſtis ſtratagema agnoſcis;vt teipſum eodem,ac maiori caſu inuoluat?Te Chriſtus a ſæculo ad Religionẽ, non à Religione ad ſæculũ vocat.Dæmon eſt,qui tibi ſæculũ perſuadet.Mihi crede,fili:Neq; hoc Dei conſiliũ eſt:neq; tu lapsũ Fratrẽ lucraberis:ſed cũ illo potiùs teipsũ perdes.

XIV. Veruntamen, cùm Nouitius à Dæmone perſuaſus,his minimè dictis acquieſceret,fugam nocte per tecti tegulas meditatur:quod Magiſtrum diuinitùs inſtructum non latuit:quamobrem tertia noctis hora,qua ille ſeipſum per tegulas ſubmittebat; tribus ſecum Fratribus aſſumptis,Nouitio occurrit;eumque diuinæ vindictæ comminatione à propoſito abſterret. Interea reliquis pro eo orantibus , cùm Nouitius Diabolicam tandem fraudem agnouiſſet; in diutinam mox ægritudinem incidit:ex qua cùm conualeſcere non poſſet, Conuentus conſultò ad ſuos remeare cogitur. Flebat profuſis lachrymis Nouitius,diuina iam virtute confirmatus:neque ſe à Religionis ſinu auelli ferebat:cuius Magiſter lachrymas miſeratus,cùm pro illo Deum rogaſſet:Vade,inquit,fili; bono animo eſto:Dabit Deus,vt mors te neque extra Religionis ſinum,neque extra ipſius habitum intercipiat:quod ita planè poſt hæc contigit.Cùm enim Patauium,necdum habitum Nouitiorum exutus , ad ſuos miſſus fuiſſet:qua die ad Conuentum appulit , tam morbo grauari cœpit;vt tertio poſt illius aduentum die, in eo Conuentu,profeſſione in morte emiſſa, vita exceſſerit.

*Nouitio futura prædicit.*

XV. Neque ex hoc Nouitio duntaxat:ſed ex aliis quoque,quorũ occultas cogitationes,atq; animi conſilia peruadebat; familiares illi Dei Reuelationes fuiſſe , perſpectũ fuit.Dum enim ſemel ante ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum oraret;diuinitus illi reuelatum fuit;duos ex Nouitiis eo tempore fugam capeſſere:quamobrem altero ſibi Fratre adiuncto,ad eos feſtinans , vnum quidem iam euaſiſſe comperit; alterũ verò verbis ſuauibus admonitum, in arrepto Religionis propoſito cõfirmat.

*Nouitiorũ occulta conſilia diuina virtute penetrat.*

XVI. Vir erat altiſſima contemplatione præditus;in qua ſæpè extaſes,& raptus patiebatur : Hinc factum eſt aliquando ; vt eo tempore , quo Nouitij ad Confeſſionem peccatorum accedere ſolent;is in Cella orans in tam profunda mentis extaſi verſaretur : vt Nouitius,qui Animum Sacramento expiaturus, ad eum ſe contulerat; vix multo ſtrepitu in Cella excitato,ac longa veſtis attractione , illum ad ſenſus reuocare potuerit.Cæleſtibus itaque hiſce Dei donis,ac virtutibus exornatum , cùm Ioannes ad quadrageſimum vſque annum vitam produxiſſet;in Vincentino Conuentu,ſanctimonia clarus,hoc anno vitæ curriculum abſoluit.

XVII. His accedit Panormitana Prouincia,quę pleroſq; hoc quoq; anno,Viros illuſtres Cælo gignit.Horũ primus eſt,Fr.Pacificus Calaber,Laïcus,cuius ſpectata vitæ ſanctimonia pluribus à Deo ſignis declarata fuit. Nam Mulier quædã in Vrbe Caſtri Veterani,quæ ſanguinis fluxum patiebatur;cùm funem,quo Pacificus præcingebatur,ab eo ſummis precibus impetraſſet:vix eo ſibi lumbos præcingit;cùm ſanguinis fontẽ ſibi ſtatim exſiccatum ſenſit.Hic cùm inſtante Capitulo , quod in eadẽ Vrbe celebrandum erat ; à Guillielmo Monteleone , Regij patrimonij curatore , vinum poſtulaſſet: is nulla præter acidi vini dolia,ſibi in cella vinaria ſupereſſe reſpondet: Veruntamen,vt vini dolium ſibi aliundè quærat, ſuadet; quod ipſe proprio ære ſe

*F. PACIFICI Calabri Vita, & geſta.*

 emptūrum

emptúrum pollicetur. At Pacificus:Mihi,inquit,vino,non pecunia opus eſt,ad do-
lia pergamus,quæſo.Cúmque ſimul in cellam vinariam veniſſent;primum,quod il-
*Spectata Vrbe ſanctimonia, ac miraculis floret.*
li ſe obtulit,dolium ſibi reponens.Hoc Guillielme,ait,B.P.Franciſco dolium eroga;
quòd ſi acidum vinum fuerit, is illud ſuaue efficiet : Iam illud Gullielmus acidum
guſtauerat : at quum primùm id in eleemoſynam B.Franciſco ab eo conſecratum
fuit : protinus in optimum,ac generoſum mutatur: cæteris in vappam degeneratis.
Quod is Pacifici ſanctitati deinceps adſcribere haud veritus fuit.
Obiit Sanctus Vir, in eodem Caſtri Veterani Conuentu, communi apud omnes XVIII.
ſanctimoniæ fama celebris. Cui Deus etiam poſt ipſius obitum teſtimonium tulit.
Nobilis enim quædam eiuſdem Vrbis Mulier,Laura Gambacurta nomine,quę iam
plurimos cum Coniuge abſque prole annos tranſegerat;cùm Sancti Viri tunicam,
ſummo ſtudio quæſitam,à Fratribus accepiſſet:cùm primùm eam induit, protinus
vim ad procreandos liberos,diuina virtute aſſecuta fuit.

*F. VITI A MONTE, Vita & Geſta.*
Secundus eſt Fr.Vitus à Monte,Laicus,Vir ſanctimoniæ fama illuſtris:cuius tam XIX.
ardẽs ac aſſiduum orationis ſtudiũ fuit,vt eo maximè Dæmones cruciarẽtur.Qua-
propter ab his variis modis infeſtabatur:ſed cùm bella ab iis tẽtata ipſius victoriam
augerent;multas quoque illi in morte coronas peperêre.Sui obitus diem diuinitus
ſibi reuelatũ Tertiario cuidam moribundo aperuit:cui extremũ ſpiritum agẽti,cùm
adhuc ipſe incolumis eſſet: Vade,inquit,Frater:præcede,te ego ante quartum diem
ſequar. Itaque cùm ſe diuinis Sacramentis,ac deuotiſſimo mentis affectu in ſupre-
mum diem paraſſet:tertia die repẽtino morbo correptus, cùm Panormitanam Pro-
uinciam,ſuaui virtutum odore compleuiſſet;morti tandem penſum exoluit.

*FR. ARCHANGELI Panormitani,Vita & Geſta.*
Tertius eſt Fr. Archangelus Panormitanus , Concionator, qui ex illuſtri Vrbis XX.
familia,quæ Caprona nuncupatur, progenitus:cùm ſe Deo in Capucinorum Ordi-
ne perpetuò deuouiſſet;tam conſtanter in promiſſo perſtitit : vt cùm Pater id ægrè
ferens,complures Theologos collegiſſet,qui ob ætatis defectum eo illum voto non
obſtringi pluribus illi perſuaderent : Ille iis præſentibus, oculis in Cælum ſublatis.
Ego (inquit) Deo omnipotenti voueo , me in Capucinorum Religione ad mortem
vſque ei famulaturum.Iam verò ad eos cõuerſus:Si primum votum infirmum fuit,
hoc firmum, ac validum eſto:quo ſanè omnem priorem dubitationem ſuſtulit,ſta-
biléque animi ſui propoſitum declarauit.
Hoc pacto Capucinorũ numero adſcriptus , tam admirabiles in omni virtutum XXI.
genere profectus edidit : vt quas alij nonniſi difficilè, ac diuturno tempore, impro-
bóque labore ſibi comparare valent:is in ipſo ſui tyrocinij exordio, virtutes conſe-
*Ardenter Dei Verbum [illegible].*
cutus videretur. Ad Sacrarum literarum primùm ſtudia promotus,ac dein ad Con-
cionatoris officium vocatus;planè incredibile eſt,quàm ardenter Dei Verbum diſ-
ſeminaret;qualéſque in hominum animis ad pœnitentiam,pietatémque motus ex-
citaret : verba,quæ ex ſuggeſtu proferebat,ignea quædam iacula,ac fulmina vide-
bantur; quæ audientium corda adeò inflammabant ; vt iis omninò obaudiendum
ducerent,quæ ab eo vel ad publicam, vel ad priuatam cuiuſque correptionem, ac
commodum,amplectenda proponebantur.
Cùm Drepani Dei Verbũ prædicaret:tres ibi Sodalitates inſtituit. Primam,quæ XXII.
ægrotantibus in Domo Hoſpitali,ſpirituália in morte ſuffragia perſolueret. Secun-
dam,quę Mons Pietatis nuncupata,pauperũ inopiam ſubleuaret.Tertiam tandem,
quæ in carcere detẽtis neceſſaria miniſtraret. Porrò his qualibet die octaua indictũ
erat;vt ad Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ Sacramenta accederẽt:quater in hebdomada
carnis flagellationi incũberent:Quadraginta Horarum ſæpè orationem celebrarẽt;
atq; alia huiuſmodi pietatis opera præſtarẽt: fœminis quoq; nobilioribus perſuaſit;
*Ipſius Prædicationis vis & efficacia indicatur.*
vt Hoſpitalem Domũ ad Aegrotorum cõualeſcentium ſolatium conſtruerent:Mi-
ra ſunt,quæ Vir hic cæleſti prorſus eloquentia in ea Vrbe perſuaſit, egit, confecit:
quæ eouſque ipſius prædicatione commota fuit,vt plerique adoleſcentes ad Reli-
giones conuolarent; Virgines non paucæ ſuam Deo Virginitatem in Monaſteriis

conſe



conſecrarent : tantaque,per aliquot annorum ſpatia,Virorum,ac Mulierum ad Sa-
cramenta frequentia eſſet;vt Vrbs Religioſæ potiùs, quàm ſæcularis Reipublicæ
formam præſeferret.
XXIII. Tanto is animarum zelo feruebat ; vt qua die Dei Verbum non diſſeminaſſet,
eam prorſus; ſibi periiſſe putaret : in prædicatione verò vitia , ac ſcelera , vbicun-
que ea offenderet; tam liberè , abſque vllo prorſus metu , reprehendebat ; vt nec
potẽtis,nec magnatis vllius vultum formidaret; ita vt Siciliæ Proregem,Regnique
Iudices,ac Conſiliarios aliquãdo tã aſperè increparet;vt qui præſentes aderant,in-
crepatione expaueſcerent : quam tamen illi ob notam Viri ſanctimoniam,æqui bo-
nique conſuluêre. Neque tamen ob aſſiduum prædicationis laborem , communis
vnquam orationis,ac Chori ſtudium prætermiſit:cui tam ſtudioſè vacabat;vt con-
ſueto mediæ noctis tempore,perpetuò cum cæteris ad Matutinas Horas , ſtatutaſ-
que orationes conueniret. Plerunque etiam, cùm Guardianus eſſet, ( quo munere
ſæpè in ea Prouincia functus fuit ) vt ſibi vileſceret, cæteriſque humilitatis exem-
*Humilitatis ipſius exemplum exaratur.*
plum exhiberet ; ſingulis Sabbathi diebus, cum Eleemoſynario ad Vrbis mendica-
tionem pergens , panem propriis humeris ad Conuentum deferret. Fuit aliquan-
do,qui Viro Dei mulum, ad panis onus vectandum,offerret : Cui lepidè Archan-
gelus:Tuus,inquit,tibi mulus eſto. Ego non mulo,ſed mihi huius laboris meritum
volo. Nobilem mulierem , quæ ſemel eum ad turpia ſollicitare eſt auſa ; tam acri
reprehenſione excepit ; vt ad pœnitentiam compulerit. Hinc nullo vnquam tem-
pore ſolus cum ſola abſque Socio colloquebatur.
XXIV. Tantæ in pauperes charitatis fuit;vt nihil vnquam vlli denegaret, quod pro Dei
amore ab eo quæreretur. Contigit aliquando,vt cùm Alcamo Drepanum,ieiunio-
rum tempore, profecturus eſſet ; Socius ſex ſibi panes, pro vtriuſque refectione in
via peragenda reponeret : ( ingens enim tunc fames Regionem inuaſerat ) qua fie-
*Ipſius in pauperes liberalitas à Deo compenſatur.*
bat , vt panis difficilè inueniri poſſet : Vix viæ aliquantulum confecerant; cùm ge-
minos pauperes ſibi obuios habent, qui ab iis eleemoſynam quærunt : quibus Ar-
chãgelus duos panes erogari iubet.Paululũ cùm in via proceſſiſſent, duos quoque
alios pauperes offendunt, fame extenuatos:quorũ Archangelus miſeratus, duobus
itidẽ panibus donat. Longiùs verò cùm progreſſi fuiſſent;en duo alij pauperes pro-
pè fame enecati, ſe offerunt,panem ab ipſis mendicantes:tunc Archangelus ad So-
cium conuerſus:quid cunctamur(inquit.)En hi fame pereunt; ſi eos non paſcimus,
occidimus;reliquos iis panes tribue.Nos Dei prouidẽtia nutriet.Reluctabatur non
nihil Socius,eo quòd nulla iis in ea via panis mendicandi ſpes eſſet : Cui Archan-
gelus : Ne diffidas,ait,Frater,in Deum tantummodò cogitatum iacta:ipſe nos enu-
triet.Panibus itaque exonerati, cùm leuiores iter proſequerentur;incaleſcente iam
die , & ipſi fame affligtari cœperunt:At Deus Opt.Max. qui priores pauperes,pau-
perum eleemoſynis ſubleuauerat ; voluntarios Chriſti pauperes , ſuæ prouidentiæ
commiſſos,haud deſerit : dum enim fame,atque itinere languentes lentiùs proce-
dunt:En repentè à piis quibuſdam Viris vocantur; qui tunc primùm autæ cuidam
menſæ accumbere parabant. Eò vocati Fratres accedunt : menſam ſplendidè pa-
ratam cernunt;ac tum diuinæ prouidentiæ conuiuium admirantur. Fame igitur ci-
bo expulſa,ac refocillatis viribus,cùm iter proſequi vellent;ex iis alter ſex grãdio-
res panes iis offerens,ait:Patres,hos panes accipite:neque enim in hac via alij vobis
miniſtrari poterunt.Tunc Archangelus ad Socium conuerſus:Quid(inquit)Frater
iam de diuina prouidentia ſentis ? Etiamnum de ea diffides ? Vides,quàm liberalis
Deus erga nos fuerit : cui haud ſatis fuit,quòd Conuiuiũ nobis abſque ſollicitudi-
ne parauerit;verùm & meliores,ac craſſiores,quàm quos dedimus,panes reddit.
XXV. Fraternæ quoque charitatis ardore tam incenſus erat:vt ſi quando Frater quiſ-
*Effuſa in omnes illius charitas deſcribitur.*
piam habitu,aut fœmoralibus indigeret;quæ ex veſtiario,ob inopiam ſibi vendica-
re non poſſet:is ſæpè proprium habitũ,ac fœmoralia exueret , ac in veſtiario repo-
neret;vt iis Frater abſque vllo pudore vti poſſet:ipſeque ſibi lacera aliũde parabat.

 Nullos

Nullos pro aliorum ſalute,aut vtilitate,labores ſubire vnquam renuit: meliorémque proximorum vitam,quàm ſuam exiſtimans,omnia ſe illis debere putabat;pro quibus Dei Filius vitam cum ſanguine fudit:atque hinc totum ſe in aliorum commodũ effundere optabat. Poſtremò cùm tam ingenti Dei amore flagraret,vt vultu ſemper,atque animo in Cælum ſublato,præſentem vbique Deum contemplari videretur.Hoc virtutum curſu,ad vltimam vitæ metam peruenit;ac cæleſte tandem à Domino brauium adipiſcitur.

*F. ARCHANGELI à Sacca, vita, & geſta.*

XXVI. Alter quoque Fr. Archangelus à Sacca, Clericus, hoc anno à corporis ſeruitute liberatur. Hic cùm in maxima animi puritate,ſimplicitate, humilitate, obedientia, ſilentio,aſſiduóque orationis ſtudio,vitam in Religione duxiſſet;ſingulare quoque ſuæ honeſtatis teſtimonium, poſteris imitandum, reliquit. Dum enim cum Eleemoſynario aliquando conſuetæ mendicationi vacaret; à fœmina quadam vocatus in domum introducitur:quæ vbi oſtium occluſit;Iuuenem ad turpia pellicit. Subſtitit pauliſper pudicus Clericus,inſperato rei occurſu exterritus;tum conſilio pro temporis anguſtia ſecum inito; cùm alteram quoque cum ea mulierem,eadem cupiditate laborantem cerneret: protinus ſe illi conſenſurum ſimulat: verùm ab ea poſtulat, vt Socium ſibi appellare liceat:quo & alteri comiti fœminæ fiat ſatis: ne verò fugam ſuſpicentur,manticam pane plenam ſe illis relicturum pollicetur. Annuunt illæ:Archangelus verò dimiſſus,cùm primùm ſe ab iis liberum conſpicit; ex publica via altiori voce manticam repetit: quam cùm illæ negare non auderent, manticam reddunt; Victórque Archangelus præclarum de Dæmone proſtrato,ex fuga, trophæum refert. Hic tandem cùm eadem vitæ innocentia, clariſſimiſque virtutum exemplis, quintum in Religione annum expleuiſſet, breui labore ampliorem gloriæ coronam eſt conſecutus.

*Ipſius caſtitas illuſtri exẽplo commendatur.*

*F. LVDOVICI Agrigentini, vita, & geſta.*

XXVII. His quintus ex eadem Panormitana Prouincia accedit, Fr.Ludouicus Agrigentinus,Sacerdos,Vir abſtinentia ſingularis, altiſſimæ paupertatis amator,ac Regularis diſciplinæ cum primis obſeruantiſſimus: qui cùm plurimos annos tanta cum ſanctimoniæ laude in Religione traduxiſſet; vt cunctos ad ſui admirationem, ac imitationem prouocaſſet:prænunciato ſui obitus die,quem ob perfectam diuinę,ac Seraphicæ legis obſeruantiam à Deo ſibi reuelari meruerat; Agrigenti humanæ vitæ curſum abſoluit.

*F. SEBASTIANI Vibonẽſis, vita, & geſta.*

XXVIII. Sexti quoque Fratris in eadem Prouincia memoria celebratur: nempè F.Sebaſtiani Vibonenſis,Laïci: qui cùm vitæ auſteritate, abſtinentia, ac plurimis virtutibus præcelleret; charitate potiſſimùm celebris fuit: qua incenſus cùm peſte laborantibus omni ſtudio, ac diligentia miniſtraret; peſtilentia & ipſe correptus, in eo charitatis miniſterio Deo corpus,animámque grato ſacrificio immolat.

*F. HIERONYMI à Paradiſonio, vita & geſta.*

XXIX. In Rhegienſi Prouincia, adhuc floret memoria F.Hieronymi à Paradiſonio,Sacerdotis:qui ſuaui virtutum odore eam Prouinciam compleuit: Is cùm pura,& aſſidua oratione diuinam familiaritatem aſſecutus eſſet; reuelatam ſibi à Deo ſui obitus diem,longè antea quàm contingeret,Fratribus prædixit:ſanctoque tandem fine quieuit: cuius quàm pretioſa mors fuerit,cæleſti teſtimonio manifeſtum fuit. Nam pleraque in eius funere lumina in Eccleſia apparuêre; quæ cùm à nemine eò allata eſſent. Angelorum miniſterio addita fuiſſe cunctis exploratum fuit: vt copioſius iis ipſius ſanctitas illuſtraretur.

*F. PAVLI ab Alcamo, vita, & geſta.*

XXX. Demùm ex Syracuſana Prouincia,hoc anno,flos quidam nouus emergit; nimirùm Fr. Paulus ab Alcamo, Nouitius: qui cùm necdum ex gemma, ac Nouitiatus vaginis erupiſſet; in ipſa probationis gemma emarceſcens, quis illius odor futurus eſſet;ſi ad perfectum ortum,atque incrementum perueniſſet; ipſa ſui fragrantia licèt imperfecta declarauit. Etenim cùm ad eam vitæ innocentiam,ac mentis ſplendorẽ pertigiſſet; vt diuina reuelatione mortis ſuæ diem,ac horam didiciſſet; quam in ipſo Aſſumptionis Deiparæ die explendam impetrauerat:eo die appropinquante ægrotare cœpit;ſanctiſſimiſq; Eccleſiæ Sacramentis ſumma deuotione ſuſceptis;





cùm extremæ tantummodò Vnctionis Sacramentum, illi miniſtrandum ſupereſſet;in ipſo B.Virginis Feſto, inſtanter ſibi miniſtrari poſtulat. Reluctabatur Magiſter;eo quòd nulla propinquæ mortis adhuc in eo ſigna conſpicerentur: At vrget Nouitius:vitæ tempus ſibi vltra meridiem haud prorogãdum fore affirmans. Tandem acquieſcit Magiſter;inungitur Nouitius; præſcriptaque meridiei hora, B.Virgo vndique Sole amicta ægrotanti apparet,qui animo exultans exclamat: En Virgo Deipara,Fratres,en Cælorum Regina venit:genuflectamus cuncti,debitúmque illi honorem perſoluamus.Hæc dum diceret:is in ſtrato genuflectens,paulatimque defluens,in ipſo Deiparæ conſpectu,in mortis ſomnum,ac quietem reſoluitur.

*Ægrotanti B. Virgo Sole amicta apparet.*

XXXI. Pleraque hoc anno haud ſilentio prætereunda acciderunt. Lilybei,quæ Vrbs eſt Panormitanæ Prouinciæ, Mulier quædam à nefario Spiritu inſeſſa erat: cuius cùm propinqui Fratrum orationibus liberationem commendaſſent: Guardianus noctu conſuetam Fratrum flagellationem,quinquieſque poſt eam Orationem Dominicalem,ac Salutationem Angelicam,Fratribus indictam,Deo pro inſeſſæ incolumitate offert: quo tempore Dæmon in poſſeſſo corpore exclamare cœpit: Heu me,heu me, egredi compellor: flagella me torquent; Capucinorum orationes me expellunt.Cúmque id ſæpiùs repetens,inſeſſam miſerè agitaret;ex ea tandem Cacodæmon erumpens,liberam relinquit.

*Cõmuni Fratrum flagellatione inſeſſa à Spiritu liberatur.*

XXXII. Hoc tempore Vincentius à Thermis Himeris, Sacerdos, & Bonauentura Lucanus,Laïcus;melioris notæ Viri,Inyco digreſſi Maxomillum proficiſcebantur: quæ Oppida arduus quidam,ac difficilis Montium aſcenſus intercidit:cúmque eo tempore vterque Quadrageſimale S. Michaëlis Ieiunium obſeruaret; nihil,quo in via reficerentur,ſecum tulerant. Iam verò ad medium Montis aſcenſum peruenerant, cùm,aſpero itinere defatigati,ac viribus penè exhauſti languebant. At benigna Dei prouidentia factum eſt;vt craſſioris formę panis inſperatò illis in via appareret:quo refecti adeò viribus inſtaurati ſunt, vt reliquum iter facilè, ac iucundè peregerint. Duo quoque alij Fratres, cùm in eodem Montis aſcenſu viribus penè defeciſſent; ad diuinæ prouidentiæ penum confugientes, Fici arborem haud longè prominentem animaduertunt; ad cuius radices fons pellucidus erumpebat. Eò cùm Fratres acceſſiſſent; quædam ibi panis nautici fruſtula reperiunt; quæ guſtantes tam grati ſaporis offendunt; vt tam ſapidum nunquam panem ſe guſtaſſe recolerent: hinc viribus confirmatis, cùm Maxomillum perueniſſent;rem Rogerio Meſſanenſi hoſpiti narrant;qui cùm ſæpè illud iter faceret: Erratis,inquit,Patres:neque enim eo in itinere vlla vnquam fici arbor: aut fons ſcaturiens viſus fuit: Ea proculdubio Dei in vos benignitas, ac prouidentia enituit: quod eò magis deinde perſpectum fuit: nam cùm iidem Fratres idipſum aliis, qui eadem via profecturi erant, narraſſent: eiſque locum fici,ac fontis adnotaſſent: ij diu quæſitum fontem,ac fici arborem,nullo loco apparentes reperiunt.

*Fratribus in via lãguentibus Deus miraculo ſubuenit.*

XXXIII. Hoc quoque tempore,Prædicator quidam Romanæ Prouinciæ, qui Mediolanum proficiſcebatur; cùm in Conuentu Parmenſi ad mortem ægrotaret, in extremo vitæ conflictu à Dæmone tam grauiter moleſtari cœpit: vt cùm ſe Dæmon inter Crucifixi Imaginem, & ægrotum collocaret: cùm primùm Fratres ægroto Crucem deoſculandam præberent:is in Dæmonem conſpuens,Crucifixi imaginem exhorrere videretur. Horrebant impio, vt videbatur, facto circumfuſi Fratres;aſſiduaſque pro ægrotante, quem magno in ſalutis diſcrimine verſari crederent, ad Deum preces fundebant: quum ex his alter fortè percunctatur: Num Aegrotus Regulæ libellum, vti Fratribus mos eſt, apud ſe geſtet: Re confeſtim explorata: Cùm nullus apud Aegrotum Regulæ Codex reperiretur, is protinus affertur, atque inter Aegroti Manus collocatur. Vix autem Regula in Aegrotantis Manu apparuit;cùm mox ab eo Dæmon aufugit. Aeger vero ad priſtinam mẽtis quietem rediens,Deo gratias impenſiùs agit; Diabolique tentationem declarat:qui Domini præſentiam illi, ſua interpoſita,intercipiebat; tum Regulæ virtutem aperiens, ea

*Regula Codice Dæmon ab Aegrotãte fugatur.*

factum fuiſſe affirmat;vt quum primùm ea ſibi allata fuit,ad ipſius aſpectum Satanas quaſi exterritus aufugerit. Neque id ſanè fruſtra: is enim proculdubio Minoribus Fratribus liber vitæ, ac gladius ſpiritus eſt; quo Tartareus hoſtis ab iis in morte proſternitur,qui perfectæ illius obſeruantiæ,dum viuerent,inſudarunt.

*Nouitij à Religione deſciſcentes infauſto fine tolluntur.*

Sub id tempus, Quintius quidam à Francauilla,Vir nobilis:cùm hoc anno Capucinorum habitum ſuſcepiſſet;à Patre,atque à Fratre multis perſuaſus,à Dei tandem vocatione reſiliit. Id quàm Deo diſplicuerit, communis Dei in eum vindicta declarauit. Vix enim habitu dimiſſo ad ſæculum rediit;cùm lite de bonorum poſſeſſione cū patre exorta; paulò poſt patris canitiem cum dolore ad ſepulchrum deducit: Frater, qui eum ad Religionis abortum compulerat, poſt patris obitum, Neapoli miſerè trucidatur.Demum ipſe Quintius qui inter Dei ſeruos,Dei vocatione contempta,viuere recuſauerat:haud lōgè poſt hæc ignominioſè peremptus, ac membratim diſcerptus,auium,ac belluarum fit pręda.Idem ferè cuidam Iuueni Meſapienſi hoc quoque tempore contigit: qui cùm ad vndecimum vſque probationis menſem perueniſſet;Diaboli tentatione victus,inſtitutum vitę iter deſeruit. Hic ſæculo redditus, cùm in omne ſe flagitij genus proieciſſet:laqueo peremptus, infelici exitu vitæ curſum abrupit. XXXIV

*Satanas de Apoſtatarū crimine exultat.*

Hoc anno itidem Sarnani duo profeſſi Fratres: quibus cæleſte Religionis Manna,poſt ſolemnium votorum vincula,nauſeam,ac ſtomachum prouocauerat; cùm ſæcularium voluptatum allia ac cepas, quæ ex Mundi huius Aegypto exeuntes, atque ad Dei ſeruitutem accedentes, aliquando exhorruerant; iterum ad cupiditatem reuocaſſent:hoc anno ex condicto ad ſæculum remeant: quo tempore buccinæ clangor,à Satana editus,in Conuentu auditur;quaſi qui milites ſuos ad vexillum vocaret. Eò Fratres perterriti,cùm Satanæ myſterium ignorarent; paulò poſt, Apoſtatas ad Diaboli Caſtra migraſſe animaduertunt. XXXV.

*Capucinis eleemoſynam largientes à Grādine ſeruantur.*

Agros Caſtelli Plebis,quod Vrbinatus Ducatus Oppidum eſt, quotannis grando ita deuaſtabat; vt ſegetes,ac fruges omnes depaſceret: quibus Incolæ damnis permoti;cùm eò Tiferni Metaurēſis Guardianus,cui propè eſt Caſtellum,aliquando Fratres ad mendicationem deſtinaret; his illis copioſiori eleemoſyna erogata; ab iis, vt ad impendentem anni calamitatem declinandam, Oratio ad Deum fiat, obnixè poſtulant.Guardianus verò eorum tum charitate,tum beneficio obſtrictus; ſingulares familiæ pro iis preces indicit;omniſque eo anno ab iis grando abſcedit: quod cùm Oppidani erogatæ Capucinis eleemoſynæ adſcriberent:oblata quotannis Fratribus eleemoſyna, liberos deinceps à grandinis tempeſtate agros acceperunt. Hoc pacto benigna,ac liberalis Dei prouidentia, quæ veros Regulæ cultores nunquam deſerit,neceſſariam ſuis annonam miniſtrabat. XXXVI.

*Alexandri Farneſii Parmæ Principis pietas narratur.*

Hoc tēpore Alexander Farneſius,Parmæ Princeps, poſt Ioannis Auſtriaci mortem,cum proregia poteſtate in Belgio dominabatur: quum Hæretici Hollandēſes auxiliaribus Anglorum copiis aucti, quibus ad quadraginta, plus minúſve millia peditum,& multorum millium Equitum Cataphractorum numerum excreuerant, nonnullas Belgij Vrbes inuaſerant: quorum vt impetum Farneſius reprimeret; quas potuit, pro tempore militum copias collegit. Verùm cùm militum numero multò hoſtibus inferior eſſet: ſuadebant Duces; ne pugnam tam impari exercitu committeret:ne fortè res in extremum diſcrimen adduceret: At qui gloriæ aſſuetus erat, maiorémque in Dei præſidio, quàm in Militum armatorum numero, ac multitudine victoriæ ſpem collocauerat. Abſit,inquit,vt hæc ignauiæ nobis macula inuratur. Dei cauſa eſt,quam armis tuemur:necnon ipſa iuſtitia comes. Quid formidandum? pro Fide, pro Religione, pro patria nobis dimicandum eſt: non fugiendum.His dictis,ipſe exercitum luſtrat,militum Ordines diſponit,atq; ad conflictum parat. Verùm antequam cum hoſte congrediatur;antè Capucinos Fratres, quos annuente Pontifice,perpetuos ſibi Comites adhibebat; genuflectens,ſumma pietate ſe benedici poſtulat: atque ab iis arma ſua, exercitúmque omnem eadem XXXVII.

benedi



benedictione communiri poſcit:tum ſe,ſuoque exercitu eorum precibus commendato; diuina potiùs,quàm hominum virtute confiſus,pugnæ ſignum dari imperat. Porrò iis orantibus tam feliciter cum hoſte congreſſum eſt:vt pleriſque Hæreticorum hoſtium millibus cæſis,reliqui ad fugam compulſi fuerint.

Cæterùm magni huius Ducis, de quo plura in ipſius obitu, dicturi ſumus,tanta pietas fuit; vt cùm ſummam in rebus bellicis laudem, ac fortunam aſſecutus eſſe videretur: in his non tam Regij,quàm Chriſtiani,ac Catholici nominis propagandi ſtudio duceretur. Quo ſanè factum eſt,vt tot de hoſtibus trophæa reportauerit;totque Vrbes,ac populos deuicerit;vt ipſius nomen inter maximorum Heroum nomina meritò recenſeatur.

*Phyſicus Tuſculani Conuentus ædificationē impediens à Deo punitur.*

*Erga Capucinos beneuolus euadit.*

XXXVII. Cum Tuſculi, in Prouincia Romana, hoc anno Capucinorum Conuentus extruendus eſſet: Petrus Antonius Contuſius, Phyſicus, ipſius maximè fundationi obſiſtebat;tamque pugnaciter pio operi aduerſabatur;vt nullum non lapidem moueret, quo Fratres à propoſita ædificatione exturbaret. Dum igitur conceptum mentis conſilium,omnibus quibus poteſt,officiis proſequitur; accidit:vt equo Romam verſùs iter faciens,paululùm ab Oppido digreſſus eſſet: cùm equus,qui ſuaptè natura mitis,ac placidus erat; repentino quodam terrore correptus,per agros, ac deuia ſeſe in fugam dedit; ac præcipiti curſu ita ferri cœpit; vt cùm eum nulla vi,aut arte Phyſicus retinere valeret; vt ſe ab eo periculo liberaret, ſeſe ex equo deiiceret. Veruntamen pede intra ſtapedem concluſo, miſer ab equo ferociente per agros raptabatur: quum accurrentibus vndique Agricolis,ac opem ferentibus, equus tandem ſiſtitur; Medicúſque poſt longioris temporis raptationem ſemiuiuus in Oppidum reportatur. Id ille, cùm oblatrante conſcientia, diuinæ vltionis Iudicio tribueret; quo Deus,ob iniquum illud animi ſui in Capucinos conſilium, ab eo pœnam exigere voluerat:mox eum facti tantopere pœnitet;vt animo in melius mutato, Deo ſe Capucinorum Eccleſiam ædificaturum, eoſque piis omnibus officiis proſecuturum ſpoponderit,ſi priſtinam incolumitatem recipiat:atque vt ſe priorem maleuolentiæ labem ab animo penitus exterſiſſe declaret; Capucinis,qui aderant,accerſitis:ab iis veniam poſtulat,omnémque iis opem, ac operam in Conuentus ædificatione pollicitus,eorum preces ſibi in ſuffragium poſcit. Quid plura? Cæleſtis ille Pater,qui ſcelere offenſus, facilè hominum pœnitentia placatur; breuiſſimo tempore priſtinam illi,præter omnium ſpem, incolumitatem reddit. Virque adeò in Fratres pietate, ac beneuolentia inflammatur; vt ex hoſte, Ordinis amicus, ac propugnator euaderet: atque inter Religionis Filios adſcriptus, præcipua,quoad vixit,Capucinorum Ordinem pietate proſecutus fuerit.

*Cinereus B. P. Franciſci habitus à Deo miraculo commendatur.*

XXXVIII. Hoc quoque anno Franciſcani habitus cinereus color, qui mētis humilitatem, ac pœnitentiam indicat; cæleſti teſtimonio hoc tempore à Deo commendatur: Nam Octauius Fiſcardus, Vir nobilis,ac illuſtris, qui inter Ordinis Filios conſcriptus, ſingulari Fratres deuotione proſequebatur; cùm hoc anno Vicentiæ, peſtilentiæ morbo, qui in ea Vrbe graſſabatur, correptus ad vitæ exitum properaret; B. P. Eranciſci opem implorare cœpit: qui noctu illi inter duos Capucinos Fratres ſplendidus apparens, his eum verbis alloquitur: Octaui, ne mortem reformida; meo enim ſuffragio viues, ac breui ſoſpes eris; dummodò ad tertium vſque annum, cinereis meis veſtibus induaris: meúmque Ordinem pia deuotione proſequaris. His dictis,cùm repentè illi ex oculis ſublatus fuiſſet, Aegrotus breui conualeſcit;ac cineream veſtem indutus,B.Patris iuſſui obtemperat.

XXXIX. Poſtremò cùm hoc anno, in Conuentu Veronæ, plerique Fratres variis morbis ægrotarent: eo tempore Vrbs maxima vini vetuſti, quo à morbo conualeſcentes vti ſolent,penuria laborabat: quapropter cùm Eleemoſynarius eò maximè ex Medici conſilio ad Aegrotantium ſolatium indigeret: vix in tota Vrbe, præter Nobilem quendam Virum, ex Vilmercatorum familia erat,qui huiuſmodi vinum elargiri poſſet.Erubeſcebat Eleemoſynarius,eo quòd ſæpè ad Nobilis illius domum pro

eiuſdem

*Vinum Capucinis eroganti in Dolio miraculosè multiplicatur.*

eiuſdem vini mendicatione eatenus acceſſiſſet: verùm pia ægrotantium neceſſitate compulſus, Nobilem adit; Ægrotorum neceſſitatem exponit, vinum poſtulat; qui mox iubet lagenam Eleemoſynario impleri. Monet herum famulus, Dolium inferiùs perterebrandum fore, cum è ſuperiori foramine vinum ampliùs non reddat. Annuit herus: at Eleemoſynarius: Haud, inquit, noua perforatione opus erit; vinum enim ſuperius foramen reddet. Obluctabatur famulus, qui ſæpè vinum hauſerat. At Eleemoſynarius: Ad dolium, inquit, ſimul pergamus: cúmque ad dolium perueniſſent; ſuperiori foramine aperto: En mox vinum ex eo toto impetu fluit, perinde ac ſi ex dolio nunquam vinum hauſtum fuiſſet: vt eo & erogantis charitas, & petentis fides, ac ſanctimonia oſtenderētur. Id verò diuinum planè miraculum auxit; quòd cùm vinum illud ægrotis deinde, qui non modò è Capucinorum Conuentu, verùm ex tota Vrbe ad illud confluebant, haud denegaretur; multo deinceps tempore, ex eodem dolij foramine emanauit. Miraculum in Vrbe perſpicuum fuit, fama ipſa vbiquè diſſeminatum.







*Decimumſeptimum Generale Capitulum Romæ celebratur.*

I. POST Triennalem ſuſcepti muneris laborem, ſingulari cū laude, ac magna totius Religionis vtilitate peractum, Hieronymus Generalis, hoc anno noua in Romana Vrbe Comitia inſtituit; quæ decimi ſeptimi Generalis Capituli locū, nomenque in Religione ſibi vendicant: In his Hieronymus iterum ad Generalatus labores, communibus omnium Electorum calculis vocatur. Neque id immeritò: etenim Vir erat plurimarum virtutum dignitate illuſtris; ab omni proſus cupiditate alienus, grauis, prudens, ſeuerus, ac præſertim æquitatis amans; quem non amicitia, non dignitas, non eloquentia, non affinitas, aut humanum aliquod vinculum, quo ſæpè, præſtantes alioquin Viri, alligari ſolent: ſed tantùm ſpectata virtus ad quemquam alliciebat. Denique Religionem tanto conſilio, ac prudentia adminiſtrauerat; vt cùm nihil, quod ad Paſtoris munus perfectè obeundum ſpectat, prætermiſiſſet; Religionem quāplurimùm numero, ac virtute amplificaſſet: de quo plura adhuc in ſecundo Annaliū Volumine, anno, quo is ex humanis exceſſit, conſcripturi ſumus. In his Comitiis ad Procuratoriū munus eligitur Fr. Iannes Maria à Tiſſa Siculus. Vir omni prudentia, ac rerum experientia ornatiſſimus: qui Hieronymo deinde in Generalatus munere ſucceſſit.

*F. Hieronymus à Mōteflorum Generalis confirmatur.*

II. Inter alia verò; quæ in hoc Capitulo Patrum conſilio decreta ſunt; id primū fuit: vt duo in Galliam Generales Cōmiſſarij deſtinarentur; qui Generalis Vicarij vices obeuntes, in ea vſque ad futurum Generale Capitulum fixi, ac ſtabiles permanerēt. Cùm enim geminæ iam Prouinciæ multa locorū diſtantia inter ſe diſſitæ, fundatæ eſſent; Pariſienſis nimirum, ac Lugdunenſis; quæ ab vno tantummodò haud rectè adminiſtrari poterant: neque in his tot Conuentuū familiæ adhuc inſtitutæ eſſent; quæ ad Prouincias, ſub diſtincto Prouinciali Vicario, conſtituēdas ſufficerent: hinc in Pariſienſem Prouinciam Anſelmus à Petramolaria, in Lugdunenſem verò Hieronymus Mediolanenſis, qui eam Prouinciam fundauerat; cum Generalis Commiſſarij poteſtate, ab Hieronymo à Monteflorum Generali miſſi fuēre. Hi cùm in Galliam perueniſſent: quædam hoc anno, in ſua quique Prouincia, Monaſteria, ac Fratrum familias propagarunt. Anſelmus Cadomenſe, ac Rhodumnenſe Monaſterium fundat: Hieronymus quoque in Maſſilienſi Vrbe, quæ in Gallia Narbonenſi, propè oſtia Rhodani Amnis, à Phœnicibus olim Sedechiæ Regis tempore, condita fertur. Portu, & Emporio celebri; hoc anno Conuentui locum parat: Sacramque Ædiculam ſanctæ Marthæ dicatam, Vrbis dono habitandam ſuſcipit: tum ſubſequenti anno, Catharinæ Mediceæ Reginæ liberalitate, locum ad Conuentus ædificationem aptum accipit; primaque Monaſterij fundamenta iacit: quæ eiuſdem Reginæ, & Caroli Borbonij S. R. E. Cardinalis præſentia illuſtrata fuēre.

*Duo Cōmiſſarij Generales in Galliam deſtinantur.*

III. Præterea in hoc Generali Capitulo, Barcinonenſis Vrbis Epiſtola ab Hieronymo Generali Patribus lecta fuit: vbi de Religione in Hiſpanias propaganda, diu inter Patres actum fuit; ac tandem communi conſilio deliberatum, vt tertius quoque Generalis Commiſſarius Barcinonam mitteretur; qui nonnullis Fratribus ſibi copulatis, in Regno Catholica Fide, ac Religione florentiſſimo, Religionem diſſeminarent. Ad hoc itaque Commiſſarij munus Fr. Archangelus Alarconius Sacerdos, genere Hiſpanus, ac ſtirpe nobiliſſimus eligitur: qui cùm tunc in Neapolitana Prouincia Magiſtri Nouitiorum officio fungeretur; quinque ex ea Prouincia Fratribus ſibi adſcitis, quorum nomina ſunt, Fr. Matthæus ab Acci Sacerdos, Seraphinus, & Raphaël Neapolitani Clerici, Laïci verò Pacificus Genuenſis,

*F. Archangelus Alarconius Barcinonam Commiſſarius Generalis mittitur.*

& Cherubinus à Neapoli, cum his Barcinonam proficiſcitur.

IV. Eſt Barcino, Tarraconenſis Prouinciæ Vrbs, in litore Maris Mediterranei, ab Hercule (vt ferunt) condita: omnium pulcherrima, ædificiis, plateis, vicis, turribus exornata; rerum omnium copia fertilis, equitibus nobilis, bonarum artium diſciplinis exculta, Mercatorum commerciis diues: campis, hortis, & arborum fructibus vberrima; quæ Epiſcopali Sede, ac multorum Martyrum, qui in ea paſſi ſunt, ſanguine potiſſimùm eſt illuſtris. In hanc cùm primùm Vrbem, Archangelus cum ſociis nauigio appulit; à Quirolio Pharmacopola, de quo ſuperiùs anno 1576. mentionem fecimus, excipitur: atque hinc primùm ad Vrbis Epiſcopum, Dimam Loris, Virum doctrina, ac virtute celebrem accedit: cui ſui aduentus cauſam humillimè exponens, ab eo, Conuentus in ea Vrbe ædificandi; facultatem poſtulat. Dimas verò Epiſcopus, cùm plurimùm pietate excelleret, Viros humaniſſimè recipit; omnémque opem, atque auctoritatem ad Religionis dignitatem augendam ſe vltrò collaturum pollicetur. Interea Vrbis Cõſules à Quirolio commonefacti, Nobilem Virum, vnà cum Guardiano Conuentus Nominis Ieſu; qui Minorum Obſeruantium eſt, ad eos deſtinant; qui eos honorificè exceptos, in eodem Conuentu, qui extra Vrbis muros iacet; donec aliud cõmuni conſilio ſtatutũ fuerit, hoſpitio honeſtant. Hoc in Patrum Obſeruãtium Conuentu, dum Archangelum cum ſuis Guardianus omnibus humanitatis officiis proſequitur; Archãgelus, qui perpetua, ac nũquam diruenda huius Prouinciæ, atque adeò Hiſpanæ propagationis, in ſolidiori petra fundamenta ponere optabat: ea à Beatiſſima Deipara, quam Religionis Parentem, ac Columnam eſſe haud ignorabat; auſpicanda cenſet: Quapropter, antequam de Domo Barcinoni fundanda, quicquam cum Vrbis Conſulibus agat; ad B. Virginis Ædem, toto Orbe celebrem; quæ in Monte, quem Serratum vocant, extructa eſt, profectionem cum Sociis aggreditur: vt ab ea noua illius Prouinciæ fundatio vim, ac robur ſortiatur; in qua omnis ædificatio conſtructa creſcit, atque in maiora ſemper incrementa exurgit.

*Ab Vrbis Cõſulibus benignè excipitur.*

V. Domus hæc Deiparæ, quæ Barcinona viginti circiter millia paſſus diſtat; in ſublimi Monte ſita eſt, altiſſimis rupibus adhærens: quæ haud ſecùs, quàm ſi Serra diſſectæ forent; prominentia acumina, forma à cæteris Montium rupibus, qui illis coniuncti ſunt, diſtincta, longè intuentium oculis aſpectanda offerunt. Aſcenſum per amœniſſimam vallem facilem habet; atque ob crebra, ac ingentia, quę ibi à Virgine miracula patrantur; non ſolùm ab Hiſpaniæ populis; ſed etiam ab exteris gentibus, ac peregrinis eò confluẽtibus, ſumma deuotione colitur. Hæc ſub Monachorum Caſſinenſium cura tanta prudentia, ac pietate adminiſtratur; vt cùm per triduum aduentantes quoſque peregrinos alat: Dei maximè, ac Virginis Prouidentia fit; vt Domus redditus, licèt tenuiſſimi, ac fortè nulli, ſola offerentium pietate, ad illud pietatis opus ſufficiant. Inter altiora illius loca, Montiúmque iuga, Aediculæ conſpiciuntur: in quibus Eremitæ, Viri Religioſiſſimi, cum auibus Cæli ludentes, vitam omni ſanctitate plenam ducunt.

*Sacrã B. Virginis Montis Serrati domũ veneratur.*

VI. Huc itaque cùm Archangelus cum Sociis perueniſſet: triduum ibi in ieiunio, oratione, ac lachrymis conſumunt; ac nouæ Prouinciæ, propagationiſq; incunabula B. Virgini obnixè commendantes, poſthæc Barcinonem redeunt: vbi, conſilio inito, Vrbis Conſules, Sanctæ Matronæ Eccleſiam, ac Conuentum; qui propè Vrbis mœnia, loco tamen inſalubri, iampridem ædificatus fuerat; Archangelo, ac ſuis inhabitandum decernunt. Verùm cùm Minores de Obſeruantia nuncupati, qui eam Eccleſiam adminiſtrandam ſuſceperant; ab ea nonnullis de cauſis diſceſſum procraſtinarent: Vrbis Epiſcopus, qui incerta hac Fratrum ſtatione afflictabatur; iis Aedem quandam Sacram S. Geruaſio dicatam, quæ duobus fermè milliaribus ab Vrbe diſtat, pro tempore incolendam tradit. Archangelus itaque cum ſuis, à Fratrum Obſeruantium Conuentu digreſſi, dum ſolitariam hanc Sancti Geruaſij Aedem incolunt: pleroſque ex Obſeruantibus, qui ad Religionis ſinum hoc tempore cõfluunt,

*S. Geruaſij Aedem cum ſociis inhabitat, & pleriſque ex Obſeruantibus Religioni adhibit.*





ſuorum numero adſcribit: atque hi præſertim fuêre, Fr. Ioſeph ex illuſtri Rocabertorum familia, Concionator inſignis, qui vigeſimum tertium annum in Obſeruantium Ordine attigerat: F. Ludouicus Romæus à Ceruaria, F. Antonius Mochiales, ac F. Hieronymus Foreſtus. Hi omnes melioris nominis Concionatores: quibus & quatuor alij acceſsêre, qui cæteris coniuncti, cùm ad quartumdecimum vſque numerum breui tempore excreuiſſent; in ea Aedicula, perinde ac ſi in Monaſterio eſſent, diuina officia deuotiſſimè perſoluebant: ſacra Miſſarum Myſteria ſumma cum religione celebrabant, conſuetiſque orationum horis vacantes, iis quoque tertiam addebant: quò copioſiùs diuinam, in noua illa Religionis propagatione, ſibi opem, ac benignitatem compararent: qui mos inde per omnes Hiſpaniæ Prouincias, quæ ſucceſſu temporum fundatæ fuerunt, diffuſus, perpetuæ ſibi legis vim apud illas vendicauit. Hîc Sandaliis abiectis, nudis omnes pedibus incedere, ſolaſque ſibi tabulas ad quietem ſternere cœperunt. Hîc cùm ieiuniis frequenter incumberent, quo tempore bina in die refectione vtebantur; eorum refectio parùm à ieiunij rigore, atque auſteritate aberat. Vix enim vnquam carnibus veſcebantur, ſolo leguminum, aut herbarum pulmento contenti, quibus nonnunquam fructus addebant. Denique in hac ſolitudine vitam tanta cum auſteritate, ab omni rerum humanarum cura ſemoti, ducere viſi ſunt; vt eò confluentes maximam ad mentis admirationem, & ædificationem prouocarentur: Auctore præſertim, & hortatore Archangelo, qui cæteros aſperioris vitæ exemplis anteïbat.

*Archangeli ac Sociorum vitæ auſteritas deſcribitur.*

VI. Interea cùm Obſeruantiæ Patres, S. Matronæ Domum eo tempore deſeruiſſent; noua Capucinorum familia, Vrbe præſertim poſtulante, ad eam migrat. Locus (vti diximus) adeò inſalubris erat, vt cùm primùm eam Domum Fratres inhabitandam ſuſcepêre; vniuerſis morbo correptis, vix vnus Raphaël Neapolitanus, diuino munere incolumis ſupereſſet, qui cæteris ægrotis miniſtraret. Porrò quatuor in ea Domo, inter ægritudinis languores menſibus tranſactis: quo tempore, qui morbo prægrauati fuerant, vix conualeſcere cœperant; cùm Archangelus locum minùs Fratrum habitationi idoneum iudicaret: Dei cum primis Prouidentia factum eſt; vt Vir quidam Nobilis, qui Ioannes Torre vocabatur; Aediculam quandam S. Eulaliæ Virgini, & Martyri dicatam; quæ trium milliarium ſpatio ab Vrbe abeſt, Archangelo offerret. Hanc ille Aedem, quæ olim S. Eulaliæ Domus fuiſſe fertur, penè dirutam inſtaurauerat: domunculáque propè eam conſtructa, in ea Sacerdotem, qui ſacroſancta illi Miſſæ myſteria quotidie celebraret, propriis facultatibus alebat. Hanc cùm Archangelus, ſub Monte, inter nemora, ſalubriori loco iacentem, ac viuo fonte irrigatam, Fratrum domicilio aptam cerneret; dono protinus aſſenſit; eo maximè, quòd S. Eulaliam præcipuam Barcinonenſis Vrbis Patronam; eamque illius olim domicilium fuiſſe, antiqua traditione accepiſſet. Quamobrem re cum Vrbis Conſulibus communicata, priorem S. Matronæ Domum, velut Fratrum familiæ nimis, ob aëris inſalubritatem incommodam, iis annuentibus deſerunt: Conuentumque, atque Eccleſiam pauperum more, quæ S. Eulaliæ dicata ipſius nomen atque appellationem retinuit, ibi ædificandum curant.

*Ad S. Matronã, hinc ad S. Eulaliam migrant.*

VIII. Interea ex Minoribus Obſeruantibus, qui ad Religionem acceſſerãt, F. Ludouic⁹ Romæus cùm ad quartũ vſq; menſem ægrotaſſet, in Conuentu S. Eulaliæ vitã cum morte commutat: alij verò nonnulli, aſpera Capucinorum vita exterriti, ad ſuos redeunt: atque inter alios F. Antonius Mochiales, cùm ad ſuos Obſeruantes remeaſſet; id deinde affirmare ſolebat, eos, qui Capucinorum vitam amplectuntur, breui aut in Angelos, aut in puluerem conuerti. Poſthæc verò, cùm ob nimiam S. Eulaliæ ab Vrbe diſtantiam; Barcinonenſis Vrbs, quæ Fratrum ſtudio tenebatur, eorũ præſentia ac conuerſatione rarò frui poſſet: Conſules ab Archangelo poſtulant, vt cum eo alterum quoq; ſibi propè Vrbẽ locũ eligat, in quo ipſi ſe Monaſteriũ ædificaturos pollicentur. Id cũ Archãgelus Vrbi in nos beneuolẽtiſſimæ haud denegãdũ cenſeret: ſitu in dextera Vrbis parte, propè Fratrum Obſeruantium Eccleſiam,

*Mõtiſ Caluariæ Conuẽtus Barcinonæ ædificatur.*

quæ ſanctiſſimo Nomini Ieſu dicata eſt, ſibi electo; in eo alterius Monaſterij, quod Montis Caluariæ titulo nuncupatum fuit, magno totius Vrbis applauſu fundamenta iacit.

IX. Dum hæc Barcinonæ geruntur, Marchio S. Crucis, Generalis Neapolitanarum Triremium Præfectus; Vxore, quæ Ordinis deuotiſſima erat, ſuadente; dum aliquas Romæ moras trahit, à Gregorio 13. Pontifice impetrat; vt in Hiſpaniam profecturus, nõnullos ſecum Capucinos Fratres ſibi vehere liceat; qui in Oppido Viſi, quod in Regno Caſtellæ antiquo iuris titulo poſſidebat, Ordinis Monaſterium extruat. Annuit poſtulatis Pontifex: ſtatimque tres ab Hieronymo Generali, ad id munus Fratres deputantur: nimirum F. Ioannes Alarconius, Archangeli Germanus: F. Bernardinus Aragonenſis, vterque Sacerdos; & Fr. Ioannes Baptiſta Aletinus, Laicus. Hi cùm tertio, vel quarto poſt Archangeli, & aliorum aduentum menſe, cum Marchione Barcinonem appuliſſent: Regio conſenſu explorato, à Regiis Miniſtris, qui nouæ Religionis fundationi reluctabantur,, repulſam patiuntur; quare tandiu Monaſterij huius fundatio dilata fuit; quoad Rege tandem, ac Conſilio annuente, Fratribus in Caſtellæ Regnum aditus pateficeret.

X. Primis itaque Barcinonenſis Prouinciæ: ac proinde Hiſpanæ propagationis, hoc pacto iactis ſeminibus; quæ in ampliorem deinde, elabentibus annis, Deo incrementum dante, Prouinciarum, ac Conuentuum ſegetem excreuerunt. Ad res Venetas redeo: quas ſuperiori Anno, peſtilentia, pio Ducis, Senatuſque voto ſublata, tranquilliori ſtatu fruentes, indicaueram. Templum igitur, cuius iam ſuperiori anno fundamenta iacta fuerant; dum Princeps, Senatuſque ex voti religione Deo Redemptori ædificant; illudque longè maiori ædificij magnitudine, architecturæque magnificentia, ac pretioſitate, quàm ea, quam voto præſcripſerant, exornant. Capucini Fratres: quorum paupertati, ac ſimplicitati, magnifica illa Eccleſiæ ſtructura minùs congruere videbatur; cùm ea altiſſimæ paupertatis, quam ex Regula profitentur, leges minui, ac labefactari cernerent; apud Senatores agunt; vt Eccleſia tanta magnificentia conſtructa, quam ſalua Regularis obſeruantiæ lege ſibi accipere nequeunt, aliis Vrbis Religioſis adminiſtranda tradatur. At Senatus, qui Capucinos ex Senatuſconſulto ad huius Eccleſiæ adminiſtrationem elegerat; vt omnem ab iis violatæ Regulæ metum propulſaret, Diploma hoc anno à Pontifice impetrat: quo Capucini Fratres Apoſtolica auctoritate diſpenſantur; vt abſque vllo temeratæ paupertatis timore, Templum illud Deo Redemptori dicatum, tametſi magnificentiùs extructum, adminiſtrare valeant: Diplomatis copia ex Apographo hauſta hæc eſt:

*Capucini Eccleſiæ Redemptoris, ob nimiam magnificentiam, adminiſtrationem recuſant*

# GREGORIVS PAPA XIII.

*DILECTI Filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis, quòd vos pro liberatione peſtis, quæ iſtam veſtram Ciuitatem multos per menſes vehementer vexauit, vnam Eccleſiam ſub inuocatione S. Saluatoris ædificare vouiſtis; quæ quidem propè Monaſterium Fratrum Capucinorum eiuſdem Ciuitatis iam concedente Domino ſatis ampla, & magnifica conſtructa fuit: deſideratiſque, vt dicti Fratres Capucini Miſſas, & alia diuina Officia in eadem Eccleſia S. Saluatoris celebrare valeant, quod ipſi Fratres facere contenti ſunt, ſi ad id noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia, & facultas ſibi ſuffragetur. Quare nobis humiliter ſupplicari curaſtis, vt ſuper his opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur votis veſtris præſertim, quæ ex Religionis deuotione prodire conſpicimus, paternè annuere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus*





*plicationibus inclinati, Vobis, vt dictis Fratribus Capucinis eandem Eccleſiam S. Saluatoris, ad effectum, vt ipſi ibi Miſſas, & alia diuina Officia celebrare poſſint, dare, & concedere; iidemq; Fratres illam ad effectum præmiſſum cum benedictione noſtra recipere, & habere valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus; & facultatem impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; ac quibuſuis dictorum Fratrum ſtatutis, & Conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis illis quomodolibet conceſſis, & confirmatis. Quibus omnibus illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die x. Ianuar. 1578. Pontificatus noſtri anno 7.*

*Cæſar Glorierius.*

XI. Hoc Pontificis Diplomate, ſedata Fratrum conſcientia, Templique ædificatione abſoluta, marmorea tabula eminentiùs ſuper Eccleſiæ fores in interiori illius facie affixa fuit, in qua hic titulus inſcriptus legitur:

CHRISTO REDEMPTORI CIVITATE GRAVI
Peſtilentia liberata, Senatus ex voto. MD. LXXVII.

## *F. VRBANI A MANFREDONIA, Vita, & geſta.*

XII. CÆterùm plerique hoc anno, qui in Religionis palæſtra, magna cum laude, pro virtutibus hactenus decertauerant, incorruptam pro labore coronam accipiunt. Inter hos primus eſt F. Vrbanus à Manfredonia, Concionator; qui cùm Nobili genere natus, in ſæculo Clericalem vitam aſſumpſiſſet; ac Sacerdotio inunctus ſæpè admiranda B. P. Franciſci geſta perlegeret, iis aliquãdo permotus fuit; vt ſacra ipſius loca, quæ tum in Mõte Aluernæ, tum Aſſiſij aſpectanda ſe offerunt, piè inuiſeret; ac præſens veneraretur. Quamobrem eò cum nonnullis ſociis profectus, cùm deuotiſſimè vniuerſa perluſtraſſet; id pro labore præmij à B. Franciſco conſecutus fuit; vt illum B. Pater ſæculo ereptum, perpetuum ſibi in Capucinorum Ordine filium aſſumeret. Hic itaq; ſimulatq; in Seraphici Patris ſinu exceptus fuit; legitimi filij inſtar, Beatiſſimi Patris veſtigiis inſiſtere, ac ſummo ſtudio perfectas ſibi illius virtutes comparare contendit. Paupertatem S. Patris Sponſam, quæ veros eidem filios generat, tam ſibi arcto fœdere copulauit; vt nihil eum magis, quàm rerum neceſſitas, ac penuria in vtendis delectaret: quo fit, vt non modò à ſuperfluis, ſed etiam plerunque, ob ſummum paupertatis amorem, à neceſſariis abſtineret. Pauper habitus, & obſoletus, quo obtegeretur; pauperior funis, quo præcingeretur; paupertima Cella, rebus omnibus vacua, illi pro ſummis deliciis erant: quibus & potior ſpiritus paupertas, rerumque omnium contemptus coniunctus fuit. Humilitatem B. Patris amicam, tanto neceſſitudinis vinculo complectebatur: vt non modò ab honoribus, atque ab his omnibus, quæ humanam gloriam ſapiunt, abhorreret: verùm & contemptibiliora ſemper Domus obſequia ſibi eligens, in his, quæ vilem apud cæteros illi exiſtimationem pararent, maximam ſuam laudem collocaſſe videretur. Eo fiebat, vt cùm plurimùm inde cæleſtis ſapientiæ, & cõſilij hauſiſſet, inuitus ſemper ad honores raperetur. Verùm cùm ea honorum natura, & conditio ſit; vt inſequentes

F. Vrbanus à Manfredonia, Concionator, virtute ac ſanctimonia illuſtris.

*Ipſius præclaræ virtutes enarrantur.*

quentes fugiant,contrà fugientes inſequantur:quò magis honores, ac dignitates, fugiebat,eò maiori contentione ad ampliores gradus prouocabatur.Perſpecta enim ipſius conſilij magnitudine,primò quidem ad Guardianatus,deinde ad Prouincialatus Officia,in ſua S. Angeli Prouincia vocatus : hinc Generalis Commiſſarius in Bononienſem Prouinciam mittitur:poſtremò in Capitulo Generali ad Definitorij muneris gradum aſſumitur. Porrò in his Prælationis honoribus non ſuperbia turgere ,non præſidentia extolli,non auſterè Fratribus dominari conſpiciebatur : ſed tanta in eo fulgebat humilitas;vt in iis quoque,quæ ad morum correptionem ſpectant;in quibus ſæpè ſeueritas demonſtrari ſolet , manſuetudinem ita cum ſeueritate coniungeret;vt nunquam abſque humilitate,& charitate,iuxta B. Patris Franciſci placita , ſubditos corrigeret.

*Inuitus ad honores rapitur.*

XIII. Prædicationis munus , quum primùm ad id vocatus fuit , tanto charitatis æſtu adminiſtrare cœpit ; vt cùm confluentis populi multitudini plerunque Eccleſiarum amplitudo non ſufficeret : ſæpenumerò in plateis Dei Verbum diſſeminare compelleretur.Non humana,non vana,non fucata Viri huius eloquentia erat;quæ aures duntaxat mulceret,atque ad animum non pertingeret:ſed cùm in Spiritu,ac virtute Dei,Chriſtum Crucifixum prædicaret; ignea illius verba adeò audientium corda inflammabant;vt ea facilè ad pœnitentiam , ac virtutum amorem accenderent.Neque id mirum.Verbi namque prædicationem,tam admirandis vitæ exẽplis illuſtrabat;vt cùm loquax,ac verboſa ipſiusvita eſſet,vitalia illi⁹ quoq;verba eſſent, quæ populis vitam,ac ſpiritum adminiſtrarent.Orationi namq; eo tempore,diu,noctuq; vacans;cùm ſomnus vrgeret,lectum ſola illi teges ſternebat.Cibo tam parco, ac pauperum more veſci ſolitus erat;vt piſcibus,ac lautioribus edulijs,à frugali mẽſa expulſis,ſola legumina,aut herbæ in ea locum obtinerent;ſola denique cùm tunc Chriſti charitate paſci videretur:eo fiebat , vt totum ſe ad lites dirimendas , paces componendas, auerſoſque animos inter ſe conciliandos effunderet.

*Prædicatione perfectis virtutum exemplis animat.*

XIV. Dum in Oppido Campibaſſi,Dei aliquando Verbum populo proponeret , tam ingens populi turba ad prædicationem confluxit;vt cùm omnes Eccleſia capere nõ poſſet,ſuggeſtus illi extra Eccleſiam ſub Cælo erectus fuerit:quo tempore Satanæ opera,& inuidia tanta tonitruorum,fulgurum, imbriũ tempeſtas Cælo oriri cœpit; vt vniuerſa corruere viderentur.Mox tumultu in populo exorto; quiſq; ad ſua confugere parabat:cùm Vrbanus Diabolicum illud opus agnoſcens,ſtare vnumquemque iubet;oculiſq; in Cælum ſublatis,cùm breui Deum oratione precatus eſſet , vt Tartaream illam tempeſtatem à populo auerteret ; adſtantem populum admonet, ne imbrem timeat.De Paſſione Domini tunc illi ſermo inſtituendus erat,quẽ cùm ad tertiam,& quartam vſque horam produxiſſet : imbre interim,toto eo tempore, è Cælo cadente,diuino planè miraculo factum eſt ; vt Deo Serui ſui preces exaudiente , ne gutta quidem audientes attigerit. Eo miraculo tam ingens populi ad pœnitentiam commotio erupit:vt qui odia,ac ſimultates gerebant , iis depoſitis inter ſe confeſtim pacem , ac concordiam inirent.

*Procellam à Dæmone commotam oratione diſſoluit.*

XV. Iterum cùm Tutici,Oppido Apuliæ Dauniæ primario,Quadrageſimali tempore Dei Verbum prædicaret : pleraſq; publicas Meretrices,atque inter eas præcipuã quandam,quæ plurimas hominum animas peremerat,& ad Orcum pertraxerat;ad Chriſtum Sponſum conuertẽs,ad meliorem vitæ frugem perduxit. Mira ſunt, quæ in aliis quoque Oppidis,ac Vrbibus Vir hic præclarus,ſua prædicatione,ac morum ſanctimonia exantlauit.

*Meretrices ad Chriſtum conuertit.*

XVI. Verus hic Crucis Chriſti Diſcipulus,nulla re magis , quàm Crucis, ac Paſſionis Chriſti meditatione oblectabatur:quam cùm tam aſſiduè animo reuolueret, ac lachrymis proſequeretur:vt ea velut cæleſti ac quotidiana dape ſpiritum ſaginaret : eo fiebat,vt ſacrum Miſſæ myſterium,quod viuum ipſius ſimulacrum eſt,tanto mẽtis ardore conficeret:vt ſæpè cæleſtes Angeli,dum is ſacrificium offerret;ſub Auium ſpecie circa ipſum volitare,ac humeris inſidere viſi fuerint.Hinc admirabilis ipſius orationis vis,qua etiam admirabiliora ipſa diuinæ Omnipotentiæ ſigna impetrare

*Dum ſacra Myſteria celebrat, Angeli ſub Auium ſpecie circa illum volitãt*

poſſet



poſſet,præter ea,quæ ſuperiùs enarrata ſunt ; hoc quoque exemplo manifeſta fuit. Prouincialis Vicarij is aliquando in S.Franciſci Prouincia munere fungebatur;quo tempore Monaſterium Collis-Pepi inſtaurandum curauit:Cùm igitur plerique ſæculares Operarij vltrò ædificationi miniſtrarent,qui Fratrum eleemoſynis alebantur:contigit aliquandò,vt Eleemoſynarij incuria panis Operariis deeſſet.Iam prandij hora interpellabat;nec niſi exigua quædam panis fruſtula in Domo ſupererant, quæ vix vni,aut alteri Operario ſufficerent:Id cùm Viro Dei renunciatum fuiſſet; iubet ille fruſta illa panis Operariis apponi,protinuſque ad Orationem ſecedit:quo tempore,Operariis diſcumbentibus panes inuiſibili cuiuſdam manu, tam abundè adminiſtrabantur;vt cùm omnes è menſa ſaturi receſſiſſent ; copioſiora illis poſt refectionem,quàm quæ ante eam appoſita fuerant, panis fruſta ſuperfuerint:atque ita Viro Dei orante factum eſt,vt panis,qui vix vni,aut alteri ſufficere poterat,multis diuina virtute ſuperflueret.

*Panem Operariis ſua Oratione multiplicat.*

XVII. Poſtremò in S.Angeli Prouincia Vicarius Prouincialis electus ; tanta auſteritate Prouinciæ luſtrationem inſtituit;vt præter Panẽ , & Allia , nihil ad vitæ alimoniam admitteret.Hac in viſitatione cùm ad Serræ Capreolæ Conuentum perueniſſet;ibi Dei Seruus languore corripitur : ex quo vitæ finem ſibi adeſſe cognoſcens , totum ſe ad viam Domino,in extremo illo aduentu,parandam confert;cõſuetis ſe Eccleſiæ Sacramentis munit;ardentioribuſq; diuinæ charitatis flãmmis animum accendit. Interea Satan,qui ab eo toties in vita profligatus, extremo illius calcaneo inſidias parabat;iras euomens,ac furias in Virum Dei deſpumans; noua illi in hoc vitæ exitu bella inſtaurat,ac tentationes parat,quibus illum (ſi fieri poſſit) deiiciat:quapropter iam morituro obiicit:eum, neque vera , neque Catholica vnquam populis prædicaſſe : Acris illa tentationis vis,morbique acerbitas , Virum Dei pleno mẽtis imperio,haud frui ſinebant:quamobrem hac Satanæ tentatione maximè cõmotus, iubet omnia ſuarũ Prædicationũ ſcripta ad ſe adferrri, tædãq; accendi:tum lachrymis perfuſus ,Deum ita tota præſente familia precatur. Deus vniuerſorum cognitor,ac cordium ſcrutator,cuius oculis omnia nuda,& aperta ſunt:quiſnam mearum Prædicationum finis,ac ſcopus extiterit,quidvè populis prædicauerim , ſolus noſti : Noſti,inquam,me præter Nominis tui gloriam,Fidem,præcepta,cõſilia:iuxta S.Romanæ Eccleſiæ doctrinam,nihil vnquam mihi prædicandum præſtituiſſe:iam verò ſi in hiſce meis ſermonibus,quicquam aduersùs S.R.E.Fidem,Conciliorum decreta,ac Pontificum placita,me ignorante,irrepſit;ardeat,obſecro, comburatur,atque in fauillas euolet;illiuſque cineres ventus rapiat,ac diſpergat.Neque enim fas eſt, ſoſpes,ac incolume ſupereſſe,quod à vera,ac Catholica Fide diſſentaneum eſt:Cui me meaq; omnia ſemper ſubiecta eſſe volui.His dictis,facẽ ſcriptis admoueri;diuq; illis ſuppoſitam permanere iubet:at illa cùm folia lamberet,haud tamen,vi comburendi ſibi penitus à Dei virtute ſublata,ea inflammat. Bis, ter , Vir Dei idipſum repeti imperat:at integra ſemper ſcripta ab igne redeunt : quod cùm ille obortis lachrymis conſpexiſſet, Deo gratias agens, extremum quoq; hunc de Satana triumphum refert;tum paulò poſt lætus hinc ad Coronam euolat. Cuius Corpus poſt tertium ſepulturæ annum integrum , ac incorruptum cernitur.

*Grauiter à Dæmone tentatur.*

*Suorum ſermonum ſcripta diuina virtute ab igne illæſa ſeruantur.*

XVIII. Hoc quoque anno,in Piceni Prouincia,F. Gratia Septempedanus,Clericus,poſt breue ſtadij curriculum,ad vitæ brauium pertingit.Vix enim octauum poſt ſolemnem votorum profeſſionem,diem attigerat;cùm vitam ſumma cum puritate,ac integritate tranſactam,beata mors ſubſecuta eſt:quæ poſt ipſius obitum cunctis hac ratione innotuit.Vix enim octauus poſt ipſius mortem dies effluxerat ; quum is F. Antonio à Campo Rotundo,qui dum ægrotaret,ſollicitam illius curam egerat;glorioſus,ac candidiſſima veſte indutus apparet;cui etiam ob perſoluta charitatis officia,plurimas hilari vultu gratias refert:quem cùm Antonius interrogaſſet , quomodò in altero vitæ ſtatu ſe haberet,reſpondet ille : Benè,Antoni;benè,ac optimè ex Dei clementia , atque his dictis , illi ex oculis eripitur.

*F. GRATIÆ Septẽpedani Vita,& geſta*

 Eodem

Eodem tempore in Meſſanenſi Prouincia F. Aegidius Luppienſis, Concionator, qui pleroſque annos Meſſanenſem Prouinciam, magna prudentia, ac integritate adminiſtrauerat; multiſque in ea laboribus perfunctus fuerat, in Conuentu Meſſanæ ad Coronam peruenit. Vir integerrimus fuit, Regularis obſeruantiæ cultor, ac propugnator acerrimus; rerumque diuinarum contemplatione adeò inſignis, vt illud inter cætera de eo referatur: quòd aliquando in Oppido Caſtroboni, vbi is diuini Verbi prædicationi inſudabat; cùm quolibet mane, duas ſaltem horas ante ſtudium, in oratione inſumere ſoleret: à F. Antonio à Caſtrobono ſocio, qui certa hora lumen illi ante ſtudium deferre conſueuerat, clariſſima in ipſius cubiculo lux coruſcare conſpecta fuerit: qua ille obſtupeſcens, cùm alterum Fratrem, Ambroſium à Nicoſia nomine, ad lucis illius ſpectaculum aduocaſſet; diuina aliqua viſione eo tempore Aegidium potitum fuiſſe, certa ſibi opinione perſuaſêre. Obiit Meſſanæ, magna poſt ſe ſanctimoniæ fama relicta. XIX.

*F. ÆGIDII Luppienſis, Vita, & geſta*

Alter quoque ex eadem Prouincia, F. Franciſcus à Chio, Græcus, Laïcus plurima hoc tempore virtute eluxit. Hic cùm in Conuentu Nicoſiæ adhuc annum probationis ageret, Religionis partim auſteritate exterrefactus, partim verò Satanæ perſuaſione ſeductus; quaſi minùs Capucinorum Religio Virgini Deiparæ, quam maxima is Religione proſequebatur, grata eſſet, grauiſſimas à Dæmone tentationes ferebat; quibus eum à Religionis ſinu auellere nitebatur. At is ad B. Virginem confugiens, ſæpè ante quandam ipſius imaginem orans, ipſius opem, ac præſidium implorabat. Accidit verò, vt dum hoc modo cum Dæmone confligatur; radices aliquando in horto colligeret: quo tempore Beatiſſima Virgo, ſub formoſiſſimæ cuiuſdam mulieris ſpecie, Nouitio apparet: cuius cùm ille idcircò aſpectum refugeret, quòd communem illam fœminam eſſe exiſtimaret; ab ea declinans ad defluentem aquæ riuum diuertit; vt in eo radices purgaret: quem Virgo ſecuta ex altera riuuli parte illius ſe conſpectui obiicit, his illum verbis compellans: Quænam te, Franciſce, cogitationes moleſtant? Aut Religionis meæ Hortulum cur horreſcis? Satage, elabora, vt in hac te dignum operarium præſtes; nec dubita, quin hæc mihi Religio inter cæteras dilecta ſit. Hæc cùm dixiſſet, illa ex oculis euanuit. Porrò Franciſcus à tentatione liber viſionem ſtatim Vitali à Nicoſia, Magiſtro narrat: qui cùm Vir prudens, ac ſanctus eſſet; rem cum Deo oratione pertractandam cenſet. Quapropter attentiùs orans, Virginem Beatiſſimam idcircò Nouitio apparuiſſe diuinitus accipit; vt inter Satanæ tentationes, ipſius animus in Religionis propoſito cõfirmaretur. Hic itaq; cùm plurimis deinde vitam virtutibus excoluiſſet; ac ſtrenui Operarij inſtar in hoc Virginis hortulo, vſq; ad ſupremum vitæ occaſum, fidelem laborem impendiſſet; in Conuentu Meſſanæ hoc anno cæleſtem pro labore mercedem accipit. XX.

*F. FRANCISCI à Chio Vita, & geſta*

*B. Virgo apparens, eum à tentatione liberat.*

Ex Syracuſana quoq; Prouincia, per id tempus, F. Petrus Enneus, Laïcus, ad parata ſibi præmia euolat. Hic omnium opinione, inter perfectiores illius ætatis Viros, qui eam Prouinciam ſua virtute, ac ſanctimonia illuſtrarunt, hoc tempore habitus fuit. Cui etiam Euangeliſta Canobius Generalis, calculos ſuos deferens; hunc velut totius Religioſæ diſciplinæ exemplar, ac nemini virtute ſecundum, aliis ſæpè commendare ſolebat. Obedientia enim, paupertate, Regularis obſeruantiæ ſtudio, abſtinentia, oratione, maximè inter alios effulſit. Otium velut animi peſtem fugiens, interdiu, vel labori, vel orationi vacabat: nunquam tempus vanis in rebus, aut ſermonibus conterere viſus eſt; ſed in eloquio parcus, ſi quando eum loqui contingeret, nullos præterquam de diuinis rebus ſermones miſcebat. Corpus à deliciis omnibus abſtrahens, ieiuniis, vigiliis, flagellis, atque aliis macerationibus aſperrimè caſtigare conſueuerat. Dumq; ſic curreret, non quaſi in incertum; ſicque pugnaret, non quaſi aërem verberans; ſed corpus ſuum caſtigaret, & in ſeruitutem ſpiritus redigeret: iuſtitiæ tandem coronam ſibi repoſitam conſequitur. Duobus poſt ipſius obitum annis elapſis, cùm F. Antonino Enneo Sacerdoti, qui illi à Confeſſio- XXI.

*F. PETRI Ennei, Vita, & geſta.*

*Plurimis virtutibus floret*





nibus fuerat, in ſomno apparuiſſet; ab eo interrogatur, quonam in ſtatu ipſius res ſe haberent? Cui ille: Optimè inquit, mihi eſt ex Dei gratia, ac benignitate: fruor enim ineffabilibus bonis, quæ præparauit Deus diligentibus eum. Veruntamẽ Fratres admone: vt ſibi in præcipuis Domini, ac Sanctorum ſolemnitatibus à Dæmone caueant: is enim eo præſertim tempore, circuit, quærens, quem deuoret: omnẽq; lapidem mouet, quo Fratrũ animos perturbet, atq; à dierũ illorũ Religione auocet.

*Glorioſus Sacerdoti poſt mortem apparet.*

XXII. His ex Rhegienſi Prouincia accedit hoc anno, F. Franciſcus à S. Petro, Oppido Diœceſis Melitenſis, Sacerdos: qui cùm vitam in Religione tot virtutibus plenam duxiſſet; vt haud inanem ſanctimoniæ ſibi apud omnes famam comparaſſet: quum primùm ad extremum vitæ agonem peruenit, maximo timore percelli, atque animo turbari cœpit: quo tandem poſt aliquod temporis ſpatium in vultus ſerenitatem, atque animi tranquillitatem mutato: cùm ab eo Guardianus quæreret, vnde illi prior ille terror exortus fuiſſet. Reſpondit: Diſce Pater, maiorem, ac ſeueriorem, quàm ſibi homines perſuadeant, eſſe diuini Iudicij diſtrictionem. Tot à me præteritorum factorum ratio, quorum nequidem aculeus animum pupugerat; tamque ſeuerè in Dei Iudicio exacta fuit, quòd niſi immenſa Dei miſericordia miſero ſuccurriſſet; planè de me actum fuiſſet. Viuo autem ex Dei clementia, qui me in Electorum numerum conſcripſit, ac beatæ vitæ æternitate donandum promiſit. His dictis animam efflans, ad Superos euaſit.

*F. FRANCISCI à S. Petro Vita, & geſta.*

## *F. IOACHINI A LEVANTO, Vita, & geſta.*

XXIII. POſtremus tandem, in Genuenſi Prouincia, Fr. Ioachimus à Leuanto, Liguriæ Oppido, Laicus, mortalis vitæ agone feliciter conſummato, immortalis hoc anno coronam percipit: cuius vita cunctis virtutum forma, ac diſciplina fuit. Admirabilis enim huius Viri auſteritas erat; qua carnem, ac ſenſus caſtigans, ac ſub ſpiritus imperio redigens, animum ad æternorum contemplationem transferebat. Viliſſimo, ac breui habitu, qui ad medias vſque tibias proflueret, perpetuò contentus, inter brumalia frigora, glacialeſq; Boreæ flatus, nunquam, aut raro membra, tametſi frigore rigentia, calefaciebat: ſuperuacaneum ducens, delicias in externa ignis calefactione quærere, quã natura ipſa ad ſufficientiã, licèt parciùs, adminiſtrat; eumque nimis delicatum militem eſſe dicebat, qui quo tempore cum hoſte confligendum eſt, frigore terreatur; aut ignẽ ad membra calefaciẽda quærat: Generoſus quippe miles nec frigora, nec glacies metuit. Ita quoq; qui aduersùs carnẽ, ac ſenſus militãt, hoſtẽ potiùs frigore oppugnare; quàm calefactione fouere debent. Hæc tametſi ad ſeueriorem eorum temporum diſciplinam tuendam moneret: haud tamen ſobriam in aliis calefactionem damnabat, qua robur, ac calor animo ad pugnandum augetur.

*F. Ioachimus à Leuanto, ſanctimonia illuſtris.*

*Admiranda illius auſteritas refertur.*

XXIV. At his non contentus, inſolentem hoſtem duris flagellis, ac verberibus per ſingulas noctes, ne ſuperbiret, atterebat: atque hinc ſæpè accidit; vt cùm Dæmon fortiora ſibi arma, carnalia nimirum ad bellandum ſubripi videret; in eum fremens, variis ſe figuris illi conſpiciendum obiiceret; ſtrepituſque in Eccleſia ederet, vt eum ab inſtituta carnis flagellatione auocaret. At bonus Chriſti miles, qui Tartarei hoſtis artes, iam longo palæſtræ vſu, atq; exercitatione nouerat: his interdum vocibus Dæmoni ignauiam exprobrabat; Tu Dæmon ſtrepitum edis, ego quoque ſtrepitum edam: iam contendamus inter nos, quis maiori ſtrepitu perſonet; num tu inuiſibili rerum motu, an ego viſibili flagello: tum validiùs carnem flagello cædens, confuſum Dæmonem expellebat. His quotidiana ieiunia addens, quæ toto anni tempore obſeruabat, arctiori tamen abſtinentiæ lege ſacras inedias, quas B. Pater noſter Franciſcus obſeruare ſolitus erat, ſibi celebrandas præſcripſerat.

Quamobrem cùm Vigueriæ Guardianus eſſet, (quo ſæpè munere, licèt Laïcus; ob ſingularem prudentiam fungebatur) cum tota familia condixit; vt Epiphaniæ Quadrageſima, quæ vulgato nomine, *Benedicta*, nuncupatur: ab iis in ſolo pane, & aqua ieiunaretur.

XXV. Hinc feruentiorem ſpiritum nactus, inſomnes aliquando in oratione noctes ducere ſolitus erat: quo tempore variis modis à Dæmone, qui diuerſas illi rerum formas obiiciebat, infeſtabatur. Quandoque enim in ſoricis modum per lampadis funiculum, qui in Eccleſia pendet, deſcendens; lampadem extinguebat: interdum verò, quaſi mortuus infans, ab Eccleſiæ culmine ante ipſius oculos dilapſus, eum ab oratione auertere conabatur. At his Ioachimus haud quaquam permotus, immotũ ab oratione ſpiritum haud diſtrahebat; quinetiam ſæpenumerò Satanæ inſultans: Quid agis furcifer? (aiebat) quid in caſſum niteris? tuæ iam notæ ſunt artes: tibi quidem multa nocendi cupiditas, at infirma potentia: iniqua voluntas, at poteſtas nulla. His dum vocibus inimico inſultat, is ſtridens, ac tremens aufugere compellitur.

*Variis modis à Dæmone infeſtatur.*

XXVI. Inter hæc tãto diuini amoris æſtu agitabatur: vt cùm ſolitarius eſſet, crebris Cælum ſuſpiriis pulſaret, nemora gemitibus impleret; tamque inflammato vultu conſpiceretur; vt Seraphicum intus animum gerere, proculdubio declararet. Plerunque etiam accidit, vt in Refectorio cum cæteris diſcumbens; dum piam aliquam aut ex Stimulo diuini amoris S. Bonauenturæ, aut Pharetra Lanſpergij lectionẽ audiret, tam mirè animo afficeretur; vt in mentis exceſſum raptus, dum panis buccellam in ore geſtat, in eo immobilis triduò aliquando abſque ſenſu permaneret: quo tempore in Cellam à Fratribus delatus; cùm inde ad ſe rediret, totus vultu accenſus; quaſi qui ex incendio erumperet, videbatur. Hinc charitate ſeipſum in alios diffundens, herbas quaſdam ſimplices colligebat, quibus morbis incurabilibus medebatur: quos tamen diuina potiùs, quàm humana virtute curari, ex ipſa morborum qualitate, & herbarum vi facilè agnoſci poterat. Porrò in ea morborum curatione id ſibi propoſitum erat; vt præcipuos ex animo morbos depelleret: neque enim cuiquam vnquam ſuas curationes exhibebat, cui priùs Pœnitentiæ Sacramentum non indixiſſet. Hoc pacto, cùm in Connentu S. Brigittæ Montiſcalerij, quod præclarum eſt Galliæ Subalpinæ Oppidum, Guardianus eſſet: Tibaldum quendam Agricolam, qui à lumbis vſque ad infimos pedes, diu membrorum vſu caruerat; cuique plurima fruſtrà medicamenta adhibita fuerant, maxima cum Medicorum admiratione ſanat: priùs illi, ac toti familiæ peccatorum confeſſione, ac ſacræ Euchariſtiæ cõmunione indicta: quem potiùs oratione, quàm herbis ſanatum, idem Ioachimus Fratri Anſelmo Genuenſi faſſus aliquando fuit: qui cùm ſemel cũ eo agens, eam plurimùm curationem commendaſſet. Reſpondet Ioachimus: O Anſelme, non herba, neque cataplaſma; ſed lachrymæ, & orationes Tibaldum curarũt.

*In extaſim raptus triduò in ea perſeuerat.*

*Herbas ad morborum curationem adhibet, vt diuinam virtutem celet.*

XXVII. Eodem modo in Taurinenſi Conuentu, F. Aegidium Picentem Laïcum, graui apoſtemate, mulieremque vlcere peſſimo in vbere laborantes incolumitati reſtituit. In Aſtenſi Conuentu, Mulieris cuiuſdam filium, qui alteram tibiam diſtortam, alteram adeò tumidam, & ex oppoſita parte deflexam gerebat, vt nullis Medicorũ remediis curari poſſet; matri ſanaturum pollicetur: dũmodò Æger, & cum eo tota domus familia ad Pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ Sacramenta accedant: id cùm omnes præſtitiſſent, dum is herbas applicat, Deumq; pro Aegri incolumitate orat; eidem a Deo ſanitatem impetrat. In eodem quoque Conuentu, germanus Medici Frater, in genitalibus partibus tam graui morbo affligebatur; vt Medicorũ conſilio, ac iudicio morbus incurabilis cenſeretur: At Ioachimus Medico: Ne de curatione deſperes, inquit, omnes peccatorum confeſſione conſcientias expiẽt, ac ſacra ſe cõmunione reficiãt; potẽs eſt Deus Aegro ſanitatem reddere. Protinus cùm Aeger, ac tota familia, Viro Dei paruiſſent; herbarũ is medicamenta adhibet, orationiſq; cum iis lachrymas miſcet, & breui tempore priſtinam Aegrotus ſalutem recuperat. Anum denique mulierem, quæ ſurditatem morbo, aut ſenectute contraxerat, eo-

*Plerosque Ægros diuina virtute incolumitati reſtituit.*

dem



dem modo animi illi curatione mandata, ſepa vino infuſa, à ſurditate liberat. Hoc itaque modo, qui humanam herbarum virtutem, proculdubio excedebat; quamplurimos Ægrotorum animos, ac corpora curans, tutum ſe ab inanis gloriæ telis, ac illæſum ſeruabat.

XXVIII. Hoc igitur fraternæ charitatis ſpiritu inflammatus, cùm grauis Peſtilentia Ticini Vrbem, vbi is tunc vitam agebat, inuaſiſſet: à Superioribus obtinet, vt ſimul cum aliis nonnullis eiuſdem Conuentus Fratribus, peſte laborantibus miniſtret: quo in miniſterio cùm reliqui omnes, piè in Domino occubuiſſent: is ſolus diuina potiùs, quàm humana virtute, poſt ea pietatis officia, omni diligentia, & charitate exhibita, ſuperſtes euadit. Mirus in hoc Viro erat Paupertatis amor: cuius tanta cupiditate flagrabat; vt cùm ex Vrbe à mendicatione rediret; lignuncula quæ illi paſſim in via diſperſa occurrebant, ſollicitè colligeret, ne perirent; mutatoriáque fœmoralia non linea vitta (vti fieri ſolet) ſed ſparto ad lumbos religaret. Denique quę extrema auaritiæ vitia eſſe ſolent: ea illi altiſſimæ paupertatis cupiditas ad ſummum virtutis apicem conferebat.

*Peſte laborantibus omni charitate miniſtrat.*

XXIX. Viri huius ſanctitatem, Deus illuſtri cæleſtis Prouidentiæ exemplo declarare voluit. Cùm enim anno 1569. in Cõuentu Montiſcalerij, qui S. Brigittæ appellabatur, Guardiani munus adminiſtraret, accidit: vt copioſiſſima nix è Cælo delapſa, cunctos Fratribus ad quotidiani victus mendicationẽ aditus præcluderet. Vix quinque exigui panes, quales in Pedemontana Regione cõfici ſolent; ac pauca legumina in Monaſterio ad totius Familiæ victũ ſupererant: quibus conſumptis, nulla humani ſubſidij ſpes Fratribus reliqua erat: neque enim è Monaſterio, quod ſecũdum milliariũ ab Oppido diſtabat, via vllo modo ad illud aperiri poterat; cùm nix altitudine hominis ſtaturam excederet. Quapropter Ioachimus, collectos in Refectorio Fratres verbis hortatur, ne animũ deſpondeant; neve de diuinæ benignitatis prouidẽtia deſperẽt: ſed potiùs in diuinæ prouidentiæ ſpẽ animũ erigant, quæ ſibi derelictos pauperes alit. Alia quoq; diuinæ liberalitatis exẽpla profert, quibus eorũ animos ita in Dei fiducia confirmat: vt vniuerſi planè in Deo cõfidentes, ſimul ad orationem acceſſerint: Ioachimus verò, cui tot ouium paſcendarum cura cõmiſſa erat, impenſiùs pro iis Dominũ rogat, à quo certã ſibi, ac ſuis Dei miſericordiã expectat.

*Illuſtre diuinæ erga Fratres Prouidẽtiæ teſtimonium, Miraculo proditũ.*

XXX. Erat in Montiſcalerij Oppido Vir nobilis, Ioffredus nomine, Caburreti Dominus; cui Coniux, quæ nuper deceſſerat, anniculum puerum adhuc lactentem reliquerat: Hunc Pater cùm vnicum haberet, aliquod illi à Nutrice incommodum metuens, noctu illi in proprio lecto ſterni iuſſerat. Accidit verò, vt qua nocte Fratres, omni humana ope diſtituti, abſque intermiſſione Deum orabant: Infans, qui inter faſcias colligatus, in Patris lecto iacebat, nonnullos vagitus ederet: quibus à ſomno Pater excitatus, dum eum demulcere, ac ſedare ſtudet; is clara, atque articulata voce: Pater, inquit, Pater: Cui Pater noua voce obſtupefactus, ait: Quid vis, fili? Tum is ſubdit. Cur de Capucinis noſtris S. Brigittæ non cogitas, qui pane, & omni humano victu carent, tantaque nix è Cælo venit, vt illum ſibi mendicare non poſſint? Eo nuncio, ac libera Infantis loquela mirum in modum obſtupeſcens, Pater, multa ſecum animo verſabat. Primùm, quo pacto Infans vnius anni, qui necdum primas, ac imperfectas voces eloqui didicerat, tam clarè verba proferret. Deinde quis illum Capucinos, quis S. Brigittam, quis niuem è Cælo delapſam, quis mendicationem, quis vias mendicationi occluſas, quis Capucinorum neceſſitatem, ac victus penuriam tam diſertè docuiſſet: vniuerſa hæc animo tractabat, mẽtéque videbatur excedere, ac in ſtuporem conuerti: cùm tandem ſibi redditus ab Infante quærit, quis hæc ſibi reuelauerit. At Infans ad priſtinam Infantium ignorantiam rediens, nec Patri reſpondit; nec vllum rationis, necdum ſuperiorum dictorum deinceps ſenſum prætulit. Id cùm Ioffredus altè animo perpenderet, totque in vnũ Dei Miracula congeſta cerneret; haud ſegniter diuinis ſibi monitis parendum eſſe cenſuit. Quamobrem die vix elu-

*Vnius anni Infans pro Capucinorũ neceſſitate Patrẽ interpellat.*

ceſcente:

ceſcente;Equum cataphractarium pane, vino, caſeo, ac aliis vitæ neceſſariis onuſtum, famulum iubet conſcendere;& ad S.Brigittæ Conuentum feſtinare. Admiratur famulus Heri imperium;atque ob niuis altitudinem ſe eò pertingere poſſe deſperat. Cui Ioffredus:Ne timeas,inquit:Qui enim Fratrum mihi neceſſitatem aperuit;is tibi viam ad Conuentum ſternet,ac tutum perducet. Acquieſcit tandem ille mandato; Equum onuſtum conſcendit,iterque ad Monaſterium carpit.Currit gradatim Equus;niuem,quæ mollis,ac tenera erat, haud ſecus quàm puluerem ſolidum,ac conſtantem calcat: tandem ad Conuentum peruenit: cuius fores cùm niue obſtructas offenderet; ex equo deſcendit, niuem perfringit, ac tintinnabulum pulſat. Stupent Fratres, qui tunc orationi vacabant, ad tintinnabuli ſonitum. Aperitur ianua;Equuſque Conuentus foribus altior apparet. Niue tamen effoſſa,panis, ac reliqua annona ex alto à famulo demittitur:qui cùm à Fratribus interrogaretur, quo pacto is cum equo eò appellere potuiſſet:Quid verbis opus eſt: (inquit) Angelus Domini,& me, & equum huc properantem adduxit. Ioachimus verò cum vniuerſa Fratrum familia Deo impenſiùs gratias agens, Hymnum, *Te Deũ laudamus* haud ſine lachrymis decantat. Famulus verò eodem itinere domum rediens, cùm nunquam palmo profundiùs pedem in niue infixiſſet; omnia Ioffredo refert: qui Dei miracula agnoſcens,in his ſupremum eorum Auctorem glorificat.

*Equus annona onuſtus altam niuem, velut ſolidũ puluerem calcat.*

XXXI. Poſthæc in Vmbriæ Prouinciam miſſus;in ea per aliquot annos Guardiani munus exercuit:in quo parem prudentiæ,ac ſanctimoniæ laudem conſecutus eſt. In hac Prouincia cùm in Monaſterio Bettonæ aliquando Guardiani munere fungeretur:proxima ante Quadrageſimale Ieiunium die,nihil prorſus obſonij Fratrum familiæ erat,quo ante Ieiunium recrearetur:at liberaliſſimus Deus, qui honeſtis etiã Fratrum recreationibus;quæ ad vitium non tendunt, proculdubio delectatur; illos abſque obſonio,illius diei cœnam celebrare non eſt paſſus:ſed qui Corui famulatu,Eliæ carnes olim miniſtrauerat;Felis quoque miniſterio, vt ſuos carnibus paſceret,vſus fuit.Iam dies ad veſperum declinabat;cùm Fratribus omni obſonio deſtitutis,domeſticus Aelurus ad Ioachimum Guardianum, quaſi feſtiuus accedit: crebriſque eum præter morem vocibus interpellat;atque vti poterat,nunc eundo, nunc redeundo, vt eum præeuntem ſequatur,prouocat.Stupet Guardianus nouas beſtiolæ voces,inſolitumque agendi modum,myſterio haud carere ſibi perſuadet: Quapropter Felem ſequitur; qui viam ante Ioachimum carpens, eum ad lignile ducit:vbi vngulis terram fodiens,Turdorum illic multitudinem, quam is ſibi ex præda parauerat, ſepultam oſtendit. Extemplò Ioachimus Dei Prouidentiam admirari cœpit: augetque admirationem; cùm Turdos recenſens, tot numero eſſe comperit, quot in Familia Fratres numerabantur: quare Ioachimus Familia in Refectorium conuocata,Turdos oſtendit; oppiparumq; diuinæ Prouidentiæ conuiuium, iis paratum ſermone extollit; cunctoſque ad diuinæ laudis præconia efferenda prouocat.

*Felis miniſterio Deus obſonium Fratribus parat.*

XXXII. Hic denique tam inſignis humilitatis ſectator fuit; vt cùm eam proprio neglectu,vilique ſuipſius exiſtimatione,in ſeipſo perfectè referret;eam quoq; in cæteris, ac potiſſimùm in Verbi Dei Concionatoribus coruſcantem optaret: quapropter cùm ſemel Theologiæ candidatos,animoſiùs inter ſe diſceptantes audiret: his bellè ſeſe immiſcens, ab eis percontatur: Quidnam Theologia eſſet? Cui cùm illi iuxta Theologorum ſententiam reſpondiſſent:Is lepidè: Profectò,(inquit)necdum quid Theologia ſit,didiciſtis:Theologia enim eſt humilis de rebus diuinis ſermocinatio:quare,qui humilitatem cum Dei ſermocinatione non coniungit,ad Theologiæ notitiam nondum ſe perueniſſe putet.Denique ex Vmbria iterum in Genuenſẽ Prouinciam rediens,cùm iam ſenex,ac ſeptuagenarius eſſet;in Aſtenſi Conuentu morbis variis, ac diuturnis affictari cœpit: quo tempore, cùm linguam ob febris ardorem, ferè combuſtam gereret; ad Deum conuerſus, aiebat: Benè omnia facis, Domine; linguam caſtigas, quæ in tua laude pigra fuit.

*Lepidum ipſius ad Theologiæ candidatos dictum*





Tum maiori charitatis flamma ſuccenſus; non tantùm linguam, Domine: ſed & os,& caput,ac totum denique corpus combure;vt totus puniatur; qui totus in tui obſequio negligens fuit. Tum verò morbo ingraueſcente,cùm ſupremum vitæ occaſum ſibi imminere animaduerteret: Pſalmum illum recitans: *Verba mea auribus percipe, Domine;intellige clamorem meum.* Poſt omnia in eo Eccleſiæ myſteria completa,è mortali ad immortalem vitam migrat: venuſtioremque poſt mortem, quàm cùm viuus eſſet, vultus formam oſtendit.

*Pſalm. 5.*
*Aſtæ vitum cum morte cõmutat.*

XXXIII. Duo hoc anno inter alia memoranda accidêre. In his primum eſt: Dominicus quidam Battaglinus,Vir pius, in Oppido Portiani Romanæ Prouinciæ, exiguum vini albi dolium Fratribus,ad Miſſæ miniſterium,quotannis parabat:ex quo etiam ægrotis,qui in Oppido erant,vinum,quoad illis opus erat,omni charitate miniſtrabat.Porrò hoc anno contigit;vt cùm vinum ab eo Fratribus pro Miſſæ Sacrificio, atque ægrotis,toto anni tempore copioſiùs ſubminiſtratum fuiſſet; ſub menſis tandem Auguſti finem, id quoque finem in dolio acciperet: quo tempore cùm Eleemoſynarius vinum ad Miſſæ miniſterium ab ancilla poſceret:Reſpondit illa; dolium prorſus exhauſtum eſſe. Quod cùm Dominicus audiret: Ito,inquit Ancillæ, tantum adhuc vini reliquum erit, quo Miſſæ lagenam impleas. Cui Ancilla:Nullo pacto,ait,dolium enim diligentiſſimè exploraui,atque in pedes erexi:Ibo tamen vt iuſſis tuis obtemperem. Igitur cùm Ancilla in Cellam vinariam deſcendiſſet, dolium explorat;illudque vſque ad os vino plenum, immò ſupereffluens cernit: qua re obſtupefacta, protinus ad Herum currens exclamat; dolium vino plenum eſſe. Pia namque eleemoſyna in Domini Altare,& in Ægrotos effuſa, abundantiorem è Cælo vinum accipere meruit.

*Vinum quod Altaris ſacro myſterio inſeruit,in dolio multiplicatur.*

XXXIV Alterum Siciniani accidit: Cùm enim Ioannes Antonius Maffæus,de quo alibi egimus,ampliorem quandam panis eleemoſynam aliquando Fratribus erogaſſet: vxor ad arcam panariam reuerſa, eorumdem panum multitudinem,in ea haud diminutam offendit: qua re obſtupefacta,cùm id diuina tantùm virtute factum intelligeret: id non obſcurè perſpectum habuit, eleemoſynam opes non minuere, ſed potiùs augere.

*Panis Fratribus à Benefactore erogatus in Panaria non minuitur.*

XXXV. Hoc anno Iulius Feltrius de Ruuere Cardinalis Vrbinas, qui multa fide, ac pietate,Protectoris munus hactenus erga Capucinos geſſerat,tertio Nonas Septembr. diem extremum obit;cui in eo munere ſuccedit, Iulius Sanctorius S. R. E. Cardinalis S.Seuerinæ nuncupatus:cuius eximia in Ordinem beneuolentia, ac humanitas,perpetuam illi apud Noſtros grati animi memoriam comparauit.

*Cardinalis Vrbinas Ordinis Protector ad Deum migrat.*

✠ ANNVS CHRISTI. GREG. XIII. RODVLPH. II. IMP. REL. CAPVC. ✠
1579. 8. 3. 55.

I. NOVVS hic Annus Milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus nonus, nouos rerum parit euentus; noua Chriſto militantium certamina ſpectanda profert, nouos tandem poſt certaminis labores Milites coronat. Hieronymus Generalis hoc anno, dum Siculas Prouincias viſitádo peragrat, ad Ætnam Montem peruenit. Eſt Ætna Siciliæ Mons, Catanæ proximus, de quo multa tradunt Plinius, Strabo, Solinus, & alij veteres, nocturnis mirus incendiis. Huius Crater per ſtadiorum viginti ambitum ſe diffundit: Fauilla, atque interdum flamma Taurominum, & Catanam vſque peruenit: fragor verò vſque ad Maionem, & gemellos colles auditur, vt tradit Plinius. Ab ea parte, qua Eurus, & Aphricus flant, ſpeluncas habet ſulphuris plenas, & vſque ad mare deductas; quæ dum in ſe fluctus recipiunt, ventum creant; qui agitatus ignem gignit ex ſulphure: quo fit, vt inde, quæ videntur, incendia erumpant; atque his tantùm ventis flantibus, is arenas, flammarùmque globos eructet.

*Plin. l. 2. c. 103. lib. 3. c. 8. Strab. lib. 6. Solin. lib. 12.*

*Ætna Mons deſcribitur.*

II. Huc igitur cùm Hieronymus cum Sociis appuliſſet: prodigioſi Montis fama commotus, ex quo nonnulli os Inferni patefieri exiſtimant; rem adhuc cunctis incertam explorare ſtatuit. Quapropter non curioſo, vt reipſa innotuit: ſed pio duntaxat ſtudio ductus, Montem conſcendit; aſcenſuque licet perdifficili, ad cacumen pertingit; vnde Mons diurno tempore fumum; nocturno ignem euomit: atque inde introſpectãs horridã quandã voraginẽ, ac Montis hiatum cernit; ex quo cùm tres validiſſimos, quaſi æneí tormenti ictus tunc primùm emiſſos percepiſſet; poſt hos ecce ante illum crebri flammarum globi, de barathro aſcendentes, rurſumque in idem relabentes apparent: vnde mixti hominum, mulierumque ploratus, ac ciulatus; quaſi quos dira vis tormentorum exagitet, aut incendia exurant, inter præaltas illas voragines perſonantes audiuntur: qui pietatem ſimul, ac terrorem illi animo incuterent. Intuebatur diligentiùs Hieronymus: num inter ea flammarum volumina, quæ modò alta petebãt, modò in ima barathri relabebãtur, hominũ animas animaduerteret; quæ illo quaſi tempeſtatis impetu iactarentur: at cùm præter gemitus, ac ploratus, nihil ſe illius oculis conſpiciendum obiiceret; id quidem illi velut certum fuit, in iis animas diuino Iudicio, ac virtute cruciari: num verò ibi temporali pœna à ſceleribus purgentur; vel perpetua Inferorum ſupplicia luant, penitus incertum.

*F. Hieronymus Generalis Ætnã mõtẽ conſcendit.*

III. Hinc (ſi paulisper digredi licet) Hæreticorum noſtrorum commenta, velut palpabili argumento eluduntur; dum & ignem, & flammas, quibus animæ poſt mortem cruciantur, metaphoricas tantùm, ac figuratas, non veras eſſe volunt: Catholicoſque Doctores ineptos, ac ridiculos Sophiſtas appellant; qui de Inferni ignis natura, & qualitate ſubtiliter diſſerunt: cùm potiùs ipſi deridendi, ſeu magis commiſerandi ſint; qui cùm diuina Scripturarum Oracula, quæ apud Numerorum, Deuteronomij, Iob, Pſalmorum, Eccleſiaſtici, Iſaiæ, Matthæi, Marci, Lucæ, Apocalypſis volumina frequentiſſima ſunt. Ac præterea ſanctiſſimos, & antiquos Patres, Irenæum, Baſilium, vtrumque Cirillum, Gregorium Niſſenum, Ioannem Chryſoſtomum, Cyprianum, Auguſtinum, Proſperum, Gregorium, atque omnium ſæculorum fidem ignorent: quæ damnatorum animas veris, tametſi miris modis ab Inferno igne cruciari docet; iã propè ad Atheiſmũ accedunt, impiũque illud canũt.

*Ioan. Calu. in cap. 30. Eſa.*

*In Hæreticos digreſſio.*

*Num 16, 31. Deut. 32. 22. Iob. 10. 20. Pſalm. 10. 6. Eccleſ 7 19. Iſa. 5. 14. & 35. 11. Matth. 3. 10. & 25. 41. Marc.*

Cerberus,



✠ ANNVS CHRISTI GREG. XIII. RODVLPH. II. IMP. REL. CAPVC. ✠
1579. 8. 3. 55.

*Cerberus, & Furiæ iam verò & lucis egenus*
*Tartarus horrificos eructans faucibus æſtus,*
*Hæc neque ſunt vſquam, nec poſſunt eſſe profectò.*

*9. 43. Apoc. 14. 9. & 19. 20. Iren. l. 5. c. 27. Baſil. orat. de fut. Iud. Cyril. Hieroſ. cathec. 18. Cyr. Alex. orat. de exit. ani. Greg Nyſſ. orat. Catechet. c. 40. Chryſ. ep. 5. ad Theod. lapſ. Cypr. ſerm. de Aſcẽſ. Chriſti. Auguſt. de Ciuit. Dei. li. 21. c. 2. 7 9. 10. Proſp. lib. de Vit. Contempl. c. 12. Greg. l. 9. Moral. ca. 46.*

*Lucret. lib. 3. de Natura.*

Sed quoniam inſtitutæ hiſtoriæ ratio non fert, vt in Hæreticos inuehamur; ad Hieronymũ Generalem redeo: qui poſthæc cùm peragrata Sicilia in Vmbriæ Prouinciam veniſſet; Spoleto quadam die Fulginium cum Sociis proficiſcebatur; cùm Socij longo, limoſóque itinere feſſi, ac ieiunio confecti, elangueſcebãt: nitebatur iis Hieronymus animum afferre; atque, vt reliquum iter fortiter proſequerentur, hortari: at id fruſtra; cùm enim his præ inædia animus, ac vires deficerent; iter proſequi, ac pedem vlteriùs efferre non poterant: locus deſertus erat, atque ab hominum habitationibus remotus, ex quo humani aliquid ſubſidij ij ſibi ſperare poſſent. Quapropter Hieronymus ad Deum, egenorum penum, oratione confugiens, ab eo opem expectat. Nec fruſtra: nã vix abſoluta oratione, cùm tres numero eſſent; tres quoq; è Cælo ante eos panes delabuntur: ex quibus cùm quiſque bucellam guſtaſſet; id ſibi roboris acceſſiſſe ſentiunt; perinde ac ſi oppiparè ea die refecti eſſent. Vir enim Hieronymus erat, multa virtute præditus, atque apud Deum oratione potẽs; quemadmodũ fusè in ipſius vita proſequemur. Quod alio quoq; teſtimonio confirmatum fuit: nam cùm æſtiuo tẽpore è Peruſino Conuentu cum Sociis digreſſus, Aſſiſium pergeret, ſiti omnes æſtuabant: quo tempore Hieronymus, colloquio cum Sociis de B. Virgine inſtituto, eo ſitis ardorẽ extinguere conabatur. Vix paululùm poſt hæc in via proceſſerant; cùm in ea domunculam offendunt, ex qua Matronam quandam grauem prodire cernũt; quæ Offam panis vino dilutam in Leſſidi poculo geſtans, Hieronymo offert: duæ quoq; eam pediſſequæ ſequebantur; quæ geminos calices eodem modo inſtructos, Sociis præbẽt; illos Matrona his verbis cõpellante; Recreamini, Patres, exiguúmq; potum ſumite: ſcio enim, quòd ſiti æſtuatis. Hieronymus verò cùm factũ admirans, altiùs animo ageretur; Matronam fixè cõtemplabatur; in qua diuinum quid elucere ſibi videbatur: Neque eum opinio fefellit: cùm enim poſthæc, actis Matronæ gratiis, pedetentim viam proſequerentur; ſæpeq; oculos Hieronymus ad Matronam cõuerteret: vix eam cum pediſſequis domũ rediiſſe animaduertit; quum Domũ, Matronã, ac Pediſſequas, inde omnes euanuiſſe cernũt; nec vlla eo in loco deinceps domus veſtigia agnoſcunt. Facto vniuerſi obſtupuêre: at Hieronymo deinde oranti diuinitus reuelatum fuit; ſingularem illam Deiparę in eos munificentiã fuiſſe; eò quòd pios inter ſe eo tẽpore, de illa ſermones miſcerent.

*Hieronymus Panes è Cælo Sociis impetrat.*

*B Virgo ſub Matronæ forma Offa vinaria Hieronymum ac Socios in via excipit.*

Interea Religionis Ager, fœcunda illuſtrium Virorum, hoc anno, ſegete ditatur.

IV. Atque inter prima illius germina, Fr. Angelus à Canobio, Sacerdos, Prouinciæ Picentis enumeratur: qui cùm à ſuſceptæ Religionis exordio, ad extremam vſque ſenectutem, æqua virtutis, ac ſanctimoniæ laude vixiſſet; præclara illius à Deo viuẽs, moriẽnſque teſtimonia accepit. Dum enim in Conuentu Maceratæ, tum propter frequenter orationis lachrymas, tum etiam ob longioris æui ſenium, oculorum lumine penè orbatus, à ſacro Miſſæ Sacrificio abſtineret: Hũc Fr. Bartholomæus Cæſenas, Vir prudentia, ac virtute clarus; qui in eo Conuentu Guardiani officium gerebat: haud abſque diuini numinis nutu, aliquando interrogat: Cur Sacrorum myſteriorum celebrationi non inſiſtat? Cui Angelus, ſe iamdiu oculorũ cæcitate præpediri ait. At Guardianus: Quid oculorum, inquit, mihi cæcitatem obiectas? Tua nobis Miſſa opus eſt: Feſtina; Sacroq; Miniſterio ex obedientia incumbe. Mirabile dictu! Obedientia cœco viſum teſtituit: Nõ hæſitat Angelus, non cunctatur, nõ cæcitatem cogitat: opus naturæ impoſſibile, abſque vlla mentis dubitatione adoritur. Intelligebat enim Vir Sanctus, Obedientiam rerum Ordini ſubiectam non eſſe: ſed omnia naturæ iura tranſcendere. Porrò vt illud ſolius obedientiæ opus eſſe cunctis perſpicuum eſſet: Pergit Angelus familiari cæcitate obrutus, ſacris veſtibus induitur, ad Altare Sacra facturus accedit: Vix autem Altare contingit, ac Miſſæ Sacrificiũ inchoat; quum clarè omnia cõſpicit, ac tandiu ab eo cæcitas fugatur; quoad peracto Miſſę Sacrificio is ex Altari abſcedit; mox verò ad priſtinã cęcitatem relabitur.

*F. ANGELI à Canobio, Vita, & geſta.*

*Mira ipſius obedientia Miraculo commẽdatur.*

Hoc modo, cùm per octo dierum curricula, rem diuinam feciſſet; octaua tandem poſt Sacra peracta, graui corporis languore corripitur: quo tempore, obitus ſui diē, ac horam, quā Deo reuelante didicerat, Fratribus prænunciat; ac vitæ curſum, quem virtute duce auſpicatò inierat; eadem cōſumante, hoc anno feliciter peragit.

*Dum illi funera perſoluuntur, in Feretro, ſedēs conſpicitur.*

Res verò planè prodigioſa, illius poſt mortem viſa fuit: Etenim cùm ob eius ſanctitatis famam, plurima hominum turba ad funera acceſſiſſet: dum Fratrum corona feretro circumfuſa, illi ſuprema perſoluit: qui priùs in feretro iacebat; & membra mouere, & in eo ſedere cernitur: alteraque manu caput ſuſtulciens, velut qui obdormiret, aut cæleſti quodam ſopore quieſcens, diuina meditaretur; tam ſuauem ex ſe odoris fragrantiam efflare cœpit; vt plebs rei nouitate commota, in maximos clamores, ac Dei laudes protinus erumperet. Eo namque cunctis perſpectum fuit: eum non inter mortuos ſempiternos, ſed inter viuentes à Deo connumeratum fuiſſe, qui in Regione viuorum æternas Sedes accepêre; atque in beatiſſimo illo Dei regno, imperturbataquiete, ac pace fruuntur. V.

## *F. FRANCISCI A FVNIANO,*
### *Vita, & Geſta.*

*F. Franciſcus à Funiano Concionator opere & ſermone illuſtris.*

IN Bononienſi Prouincia, vtroque & prædicationis, & præclarioris vitæ titulo, illuſtriſſimus fuit, Frater Franciſcus à Funiano, Concionator: qui è ſæculi naufragio, in ipſo adoleſcentiæ flore, ad fidam Religionis ſtationem vocatus; cùm Fauentiam ad Nouitiatus probationem perrexiſſet; id Raphaël, germanus ipſius Frater, moleſtiſſimè ferens; Fauentiam proficiſcitur: vt Fratrem modis omnibus à Religionis propoſito reuocatum, domum ſecum reducat: At Capucinorum Eccleſiam ingreſſus: vix in quandam Crucifixi Imaginem, quæ in ea pendebat, oculos coniicit; cùm protinus ſibi viſcera, animumque ita diuina virtute commoueri ſenſit; vt totus in gemitus, ac lachrymas diſſolueretur; ac præteriti iam conſilij oblitus; Fratri contrà, vt in arrepto propoſito ſtabilis permaneret, omni pietate perſuaſerit. His quippe repagulis, Franciſci conuerſionis exordia, Deus Opt. Max. munire voluit; nè vllis hominum machinis conuulſa aliquādo dilaberetur. VI.

*Perpetuus Virginitatis cuſtos aſſeritur.*

Communis omnium ſententia fuit, purum eum ab omni carnis inquinamēto, virginemque è ſæculo emerſiſſe: tantus enim pudoris, ac honeſtatis candor in ipſius facie, ac moribus elucebat; vt illius animū ab huiuſmodi labe, longè ſemper alienū fuiſſe demōſtraret. Ipſius verò vita tot, tantiſque virtutibus exornata fuit: vt cùm nihil in ea, aut vitij, aut incompoſitæ actionis reprehēdi poſſet; contra verò plurima eſſent, quę alios ad ſui imitationem prouocarent, cunctis veræ Diſciplinæ norma videri poſſet.

Hoc virtutum, ac ſanctioris vitæ apparatu, cùm ad Philoſophica, ac Theologica ſtudia Superiorum iuſſu acceſſiſſet; in his ob præclaram ingenij vim, ſummumque virtutis ſtudium, eam præſtantiam aſſecutus eſt; vt celeberrimus omnium, qui ſua tempeſtate florebant, Prædicator haberetur. Mira ſunt, quæ de cæleſti potiùs, quàm humana huius Viri eloquentia narrantur. VII.

*Inter concionandum ſenſibus excedit, & morienti Fratri aſſiſtit.*

Bononiæ cùm in prægrandi S. Petronij Eccleſia, anno 1575. Dei Verbum diſſeminaret, tanta populi multitudo ad eum audiendum confluebat; vt vix Templum illud auguſtiſſimū, ad turbarum multitudinem capiendam ſufficeret. Eò tempore accidit; vt dum ſemel pro Concione apud Populum agit; in medio ſermone, velut qui animo excedit, tandiu mutus, ac immobilis conſiſteret; quoad quarta vnius horæ parte elapſa, ad ſe rediens; manuque ſuggeſtum pulſans, in hæc verba erumperet. Deo agamus gratias, chariſſimi: Iam Laurentius Frater liber ad ſuperiora euolat. Ne me tacentē ægrè tuleritis: Nam Frater Fratri ſuprema, quæ optaueram, obſequia perſolui: tum reliquum Concionis abſoluit. His auditis, plerique Nobiles Viri, eodem temporis momento, per famulos rem, num vera eſſet, explorant. Inter alios Balthaſar Campegius fuit: qui expedito ad Conuentum vernaculo, ab eo, antequam Concio abſolueretur,





rem prorſus ita eſſe; Laurentiúmque eo tempore ex humanis exceſſiſſe audit.

VIII. Inualuerat eo tempore Bononiæ, apud Nobiles fœminas, quidam veſtium caudatarum abuſus: ita vt quę nobiliores eſſent, lōgiorem veſtis caudam à tergo raptarēt. In hunc veſtium luxum, qui cultus moderationem excedēbat, cùm Franciſcus acerrimè inueheretur: id tandem aſſecutus eſt; vt quamplurimæ illuſtriores fœminæ ab eo abſtinerent; ſensímque in diſſuetudinem abiret.

*Veſtium Syrmata Bononiæ inuecta tollit.*

Porrò hoc tempore Nobilis quædam mulier, ex Vſellanorū familia, quæ poſteriorem illam Laciniam necdùm abiecerat; cùm prolis ſterilitate laboraret, ad Virum Dei accedit; cúmque ſummis precibus rogat, vt aliquam illi à Deo ſua oratione prolem impetret. Cui mox Franciſcus. Fruſtrà rogas, ô Mulier, quamdiu laxè fluens illa veſtis cauda à tergo tibi humi ſerpit. Syrma obtrunca; tum maſculum paries. Credit illa: Viri Dei conſilio acquieſcit: Syrmate ſe abſtinet: tum intra anni ſpatium, quemadmodū Dei Seruus illi pollicitus fuerat, prole maſcula potitur. Tantam Vir hîc præclarus, dum ad populum verba faceret, ad animos ad pœnitentiam emolliendos, vim à Deo ſibi inditam acceperat; vt hac in Vrbe, dum in Metropolitana S. Petri Eccleſia, Dei Verbum diſſeminaret; quamplurimas ad honeſtæ vitæ rationē Meretrices perduxerit: quas cùm erectum hoc vno nomine, in eadem Eccleſia, Tabularum, in ſumma populi affluentia conſcendere: atque inde poſtulata publicè à cūctis venia, præteritas turpis vitæ maculas, & ſcandala eluere iuſſiſſet; ea res ita populum ad lachrymas, ac pietatem commouit; vt omnes honeſto loco collocatæ fuerint.

*Meretrices ad meliorem vitæ frugem conuertit.*

Cūcta huius ſancti Viri verba, quaſi fulmina videbantur; quæ audientium animos ſimul & terrerēt, & incenderent: nec mirū; cùm enim ea ex ardenti diuinæ charitatis officina, ac prolixæ orationis ſtudio; cui etiam aſpera corporis flagellatio accedebat, velut ex incendio, prodirent: tanquam deſolatorij Carbones, omnes impietatum Machinas diuina virtute proſternebant.

IX. Poſthæc Venetias profectus; vt in Eccleſia S. Apoſtoli Dei Verbum prædicaret: ſimulac mulieres, nudato ſub mammas pectore, parùm honeſtè ad Eccleſiam conuenire animaduertit: mox in turpem illius Vrbis vſum, tam cæleſti eloquentia inuehi, tantumque eum in odium cœpit inducere: vt poſtridie nulla, niſi velato pectore, Eccleſiæ limen ingredi viſa fuerit.

*Venetiis turpem mulierū abuſum obtruncat.*

Tam enim mixto ex ſuaui, & acri dicendi genere præditus erat; vt animos, nec nimia aſperitate auerteret, nec orationis luxu, aut mollitie demulceret: ſed cæleſti quadam ſpiritus vehementia; cui & lenitas, & acrimonia famulabantur, omnium ad ſe voluntates attraheret, ac quodammodò compelleret. Hoc quoq; modo, cùm Arimini Dei Verbum diſſeminaret, Vrbis Proceres commouit; vt mulierum veſtes, ac ornamēta, quæ omnem in ea Vrbe modum, excedebant, Pragmatica ſanctione proſequerentur; qua modum muliebri mundo decernerēt; ne pompis, ac ſuperfluo cultu, domos, ac familias exhaurirent.

*S. Antonij Vlyſſip. in Tabernariū animaduerſio.*

Sacellū, quod S. Antonio Vlyſſiponenſi, in admirandi illius facti memoriam, in eadem Vrbe extructum fuerat: quo is Hęreticum, Dominici Corporis, & ſanguinis veritatem in Euchariſtiæ Sacramento cōuellentem, Mulæ adoratione conuicit; iam penè dirutum inſtaurauit: Sodalitiúmque Linofactorum (Lino quippe Vrbs illa abundat) qui illius curam gererēt, inſtituit. Quo verò tempore Sacellum inſtaurabatur. Hoſpes quidam Meritorius, qui propè illud domum extruxerat; cùm ea Sacelli inſtauratione domus ſibi lucem diminui ægrè ferret: noctu murum diruere aggreſſus, vix illū vecte attigit; quū protinus diuina virtute proſtratus, humi prolabitur; viribúſq; omnibus deſtitutus, ibi tādiu iacet; quoad ſceleris pœnitens, à Deo impij facinoris veniā poſtularet. Aliud quoq; Sacellū iuxta mare, in ea rupe, è qua S. Antonius, olim magnam illam piſcium multitudinem Dei Verbo proſequutus eſt, extruxit: quod nouo Nautarum Sodalitio inſtituto curandum commiſit. Denique tanta apud omnes de Franciſci ſanctitate opinio percrebuerat; vt in publico illius Sodalitij Vexillo, Nautæ per aliquod tempus, illius effigiem depictam circumferrēt; At eo deinde mutato, aliud S. Antonij illius loco ſucceſſit.

X. Interea graui inedia hanc ipſam Vrbem occupante, cùm pauperes in Vicis, paſſim fame languentes iacerent: eos Vir Dei, ex intimis viſceribus commiſeratus, ingẽti Cruce in humeros ſublata; qua Domini Paſſionem, ac charitatem in morte declaratam referret; per Vrbis Vicos incedens, exclamare cœpit: O Ciues, ò Ciues, Chriſto pauperi ſuccurrite, qui fame perit. Ab iiſque hoc ſpectaculo tantum grani, hordei, fabarum, atque aliorũ leguminum eleemoſyna accepit; vt iis quotidie pauperes aleret: quibus dum ſub quadam Vrbis porticu collectis, propriis manibus cibos miniſtrat: accidit hoc tempore, vt ſaccus fabarius illi ex elemoſyna ſupereſſet: quamobrem à quodam Viro Agricola agri partem impetrat; in qua fabas ad pauperum victum ſeminat. Porrò ſeminatæ fabæ, cùm mirum in modum copia, ac magnitudine excreuiſſent: tum Franciſcus in publico ſuggeſtu vniuerſos admonet; fabarium illud in pauperum alimoniam cedere, ac proinde pauperibus iis liberè veſci licere. Mox pauperum multitudo ad fabas confluit; cunctique fabas ad ſaturitatem comedunt; ſecum tollunt, caniſtros, ac fiſcellas nullo vetante implent, domum aſportant, ſæpè fabarium repetunt; nec tamen fabas diminuunt: donec nouæ agris fruges ſuccederent, quæ anni egeſtatem tollerent. Cæterùm neque Agricolæ pietati, qui agrum ad pauperum alimoniam accommodauerat, diuina liberalitas defuit: tot enim poſt plures fabarij vindemias, fabæ in agro reliquæ fuêre: vt ſpem omnem agri ſuperarent: neque Agricola tot ſe ex agro fabas vnquam collegiſſe affirmaret. Hoc quippe Deus, velut cæleſti teſtimonio, cunctis perſpicuum eſſe voluit, quam grata illi hæc erga pauperes charitas fuiſſet.

*Ipſius in Pauperes charitas exẽplo declaratur.*

*Fabas pro Pauperibus ſeminat, quæ à Deo multiplicantur.*

XI. Hoc ipſo ad pauperes alendos fabarum remedio, anno quoque 1570. quo tempore Foroliuium magna frugum egeſtas occupauerat; dũ in eadem Vrbe Dei Verbũ diſſeminat, vſum, noſtra M. S. tradunt: ibi enim & fabis ſeminatis, & diuina virtute, inſtar priorum, multiplicatis, pauperes vſque ad nouam ſegetem alit; atque è mortis faucibus hac charitate eripit. Id verò in hac Foroliuij Vrbe illi ſingulare fuit: quòd cùm is pane per Vrbem in pauperum vſum emendicato, duos Saccos impleuiſſet; pauperibuſque, qui tercenteſimum numerũ excedebant, in Eccleſia congregatis, geminos cuique panes manu ſua diſtribueret: id ſua apud Deũ charitate meruit; vt qui vel tertiæ parti haud ſufficere poſſe credebantur; diuina adeò virtute aucti fuerint; vt ſua cuique panum portione diſpertita, ſaccus etiamnum pane plenus ſuperfluerit. Atque, vt Dei in eo luculentiùs virtus, ac liberalitas eluceret; paucis ex iis, qui ſuperfuerant, panibus ſibi in manica repoſitis, cùm inde per Vrbem incedens, nulli pauperum panem denegaret; tot ſibi in manica panes, hoc tempore, quot ſubleuandę pauperum neceſſitati neceſſarij eſſent, à Deo multiplicatos ſenſit. Denique, vt paruulorum, per id tempus ſuſtentationi proſpiceret: collecta puerorum egenorum turba, eos per ſingulas diuitũ domos alendos diſpertitur: atque hoc pacto, & egenorum neceſſitati, & diuitum ſaluti, æqua charitate conſulebat. Hoc ipſo charitatis impulſu, Vir Dei, cùm rurſus Arimini diuini Verbi ſemina iaceret; Iudæo cuidã, qui perfidia abnegata, Chriſtianam Fidem amplexatus fuerat, vitæ neceſſaria adminiſtrat. Hunc enim dum pro Concione, fideliũ pietati impenſiùs commendat, eo charitatis æſtu impellitur; vt pallium, quo tegebatur, è ſuggeſtu proiecerit; primuſq; Neophito in eleemoſynã erogauerit. Quo facto audiẽtium animos ita ad pietatem cõmouit; vt copioſa ad illius ſuſtentationẽ æra protinus effuderint.

*Panem pauperibus ſua oratione multiplicat.*

XII. Arimino Parmam anno 1567. ea in Vrbe Dei Verbum diſſeminaturus, proficiſcitur: quo tempore multa imbrium copia, Parma fluuius, qui Vrbi nomen dedit, ita excreuit; vt vndas ad Pontem vſque attolleret: Inde cùm illius ruinam, atque Vrbis ſubmerſionẽ vniuerſi formidarent. Vir Dei, ad mediũ Pontẽ intrepidus accedẽs, manũ in vndas tumentes extendens, ac Signo Crucis benedicẽs, cùm in eas cerã à Pontifice benedictã, quæ vulgò Agnus Dei nuncupatur, immiſiſſet, ceſſit repentè aquarum tumor, atque in priſtinũ mox alueum ſe fluminis vndæ continuêre.

*Parmam fluuium exundantem Signo Crucis, ac cera benedicta coercet.*

Singulari ſanctus hic Vir patientia præditus erat: cuius illud illuſtre teſtimo-





nium fuit; Nam Mutili, peruulgato Æmiliæ Oppido, cùm à nefario quodam Viro publicè colapho oppetitus fuiſſet; nullam non modò vindictæ cupiditatem in animo ſenſit; aut vllam mentis turbationem ſigno prodidit: quin etiam Euangelicus Vir, iuxta Chriſti conſilium, mox alteram illi genam obtulit. Tam denique feruido Dei Spiritu, Sanctus hic Chriſti Seruus, ſurſum agebatur: vt ſæpè extaſes, ac cæleſtes raptus, inter ipſas hominum conuerſationes & colloquia pateretur: quorum cùm primùm impetus, ac delitias perſentiebat, protinus in ſolitarium locum ſecedebat: ne Dei dona, quæ ſtudioſè celari debent, aliis manifeſta fierent. Id tamen illi Foroliuij aliquando contigit: vt dum per Vrbem incedens in Deum animum intenderet: diuinam actionem perſentiſcens, mox in Familiaris cuiuſdam domum ſe proripiens, in ſecretum ſe cubiculum cõferret: quò cùm paulò poſt Familiaris ille, quid ageret, exploraturus, acceſſiſſet: Virum Dei in mentis exceſſum raptum, ac toto corpore è terra ſubleuatum cernit. Tot igitur meritis, ac virtutibus clarus, cùm Franciſcus plurimos pro Eccleſiæ ædificatione, tum prædicando, tum operando, piè labores exantlaſſet; laborum tandem mercedem, ac fidelis Operarij præmia, hoc anno, à Domino conſequitur: virtute apud omnes, ac ſanctimonia clarus.

*Sæpe extaſes & raptus patitur.*

XIII. Alter quoque è Bononienſi Prouincia, Fr. Paulus Bercellenſis, Sacerdos, hoc anno immortalem à Deo ſtolam accipit. Hic vitiorum hoſtis acerrimus fuit: quæ priùs in ſeipſo, dura carnis, ac ſenſuum caſtigatione; cui vſque ad veteris hominis interitum incubuit: deinde in Nouitiis, quos diu educandos ſuſcepit, ſeuera Diſciplina proſecutus eſt. Duplicem vitæ normam Nouitiis amplectendam proponebat. Vnam, quam ex illius verbis, ac ſpirituali diſciplina addiſcerent: Alteram verò, quam ex præclaris ipſius virtutum exemplis haurirent. Omnium namque virtutum exemplar ita in ſeipſo præferebat; vt Magiſtri vita diſcipulis virtutis magiſterium eſſet. Vir ſingularis prudentiæ fuit, diuino Spiritu illuſtratus; quo Nouitiorum ſpiritus diſcernere; ac quemque iuxta proprias, ſiue ad vitium, ſiue ad virtutem propenſiones regere, ac moderari nouerat. Plurimus in oratione cum Deo erat, nocte potiſſimùm; in qua longas in rerum diuinarum contemplatione vigilias ducere ſolitus erat: Quapropter cùm ab omnibus Vir ſanctus haberetur, haud ſanctitati ipſius cæleſte teſtimonium defuit. Cùm enim Fr. Euangeliſta à Maraddo Nouitius tertiana febre laboraret; aliquando in Magiſtrum incidit, à quo de corporis ſtatu interrogatus: reſpondet ille, eatenus ſe cum febre diſceptaſſe. Cui Paulus: Ecquiſnam, ait, victoriam tulit? Vicit illa (inquit Nouitius; iacentemque, ac proſtratum me hactenus oppreſſit: ita ne ignauus Athleta es (ſubdit Magiſter) vt imbelli febri ſuccumbas? Vis, vt tibi ſuppetias feram? Cui Nouitius: Vt lubet, Pater. Iam ergo febris (inquit) Dei imperio cedat, atque ab ea deinceps liber eſto; Cruciſque ſigno munitum dimittit. Paruit febris; Magiſtrique imperio victa diſcedens, Nouitium deinceps liberum reliquit. Denique cùm multos B. P. Frãciſco filios, ac veros Regulæ cultores peperiſſet: dum Bononienſem Conuentum Guardianus moderatur, ad Cæleſtium, terreſtriumque Moderatorem, ſanctimonia clarus, concedit.

*F. PAVLI Bercellenſis Vita, & geſta.*

*Virtutum ſplẽdore illuſtris aſſeritur.*

*Signo Crucis febrẽ à Nouitio fugat.*

XIV. Poſt hunc, in Piceni Prouincia, Fr. Onuphrius Bononienſis, Laïcus ad Dominum migrat: qui cùm plurima ſingularis ſanctimoniæ teſtimonia, vitæ integritate, morum innocentia, ac omnium virtutũ pręſtantia exhibuiſſet: eadem quoque Deus Opt. Max. miraculorum maieſtate illuſtrauit: Nam Hieronymam quandam mulierem Maceratenſem, grauiſſima hidropiſi laborantem, quæ, illius ſanctitatis fama commota, ab eo Signo Crucis conſignari poſtulauerat: eo adhibito, tam perfectæ incolumitati reſtituit; vt ſigno peracto, qua cunctas corporis partes oppetiit, morbus protinus aufugeret. Alterum quoque in eadem Vrbe, Franciſcum Ricium, Peditum Ducem, qui morbo articulari afflictabatur; inter ipſos podagræ dolores Signo Crucis munitum, ab inſanabili morbo liberat. Hic tandem cùm vitæ curſum in perfecto Regulæ cultu, ac ſummis virtutibus cõfeciſſet. Maceratæ hoc anno à Deo virtutis præmium, gloriam accipit.

*F. ONVPHRII Bononienſis, Vita & geſta.*

*F. AMBROSII Locrenſis, Vita, & geſta.*

XV. In Conſentina Prouincia, adhuc floret memoria F. Ambroſij Locrenſis Laïci. Huius multiplex virtus fuit, vitaque præclaris ſanctimoniæ exemplis exornata: cùm enim ad ſenſus perfectè edomandos, perpetuò carnibus, ac vino ſe abſtinens, plurimis quoque aliis carnem macerationibus afflixiſſet; animúmque melioribus virtutibus imbuiſſet; tandem à Domino vocatus: dum cum morte conflictatur, vultu hilari, ac ſerena facie, vocem repentè attollit, exclamans: O ſummum bonum meum! ô pulchrum bonum meum! Tum breui tempore elapſo, quaſi elanguens: Heu, ait, mihi dexteram porrige. Ab eo cùm Guardianus percõtaretur; quid ea verba præſeferrẽt: Ne mirere, inquit, Video enim hinc Arborem ſpecioſiſſimam vſque ad Cælum aſſurgere; cuius truncus, ac rami ſunt aurei; Flores, ac fructus pulcherrimi: at quod omnem pulchritudinem ſuperat: in eius faſtigio Vir glorioſiſſimus, ac maieſtate plenus ſedet; qui omne cordis bonum, ac delicias complectitur: Ad hunc ego ſuſpiro, ad hunc clamo: O bonum meum! ô deliciæ meæ; porrige manum, vt ſplendidam arborem conſcendam; apprehendam fructus eius, & per eam ad te veniam. Hæc cùm dixiſſet, vix quartam horæ partem ſuſtinuit; cùm ad Dominum, in ſupremo aureæ, ac Seraphicæ Religionis apice ſedentem, (id enim arboris illius ſimulacro ſignificabatur) ac præmia victoribus largientem conſcendit, in Conuentu Caſſani; vbi etiamnum illius ſanctimoniæ memoria floret.

*In morte cæleſti viſione fruitur.*

*F. PAVLI Catanenſis, Vita, & geſta.*

XVI. Fr. Paulus Catanenſis, Laïcus Prouinciæ Syracuſanæ, inter feruentiſſimos Regulæ cultores, ac ſanctitate illuſtres in ea Prouincia celebratur. Huic à Domino Fr. Baſilij, qui ad Chriſtianos captiuos redimendos, Algerium profectus fuerat, mors reuelata fuit; ac purgatoria quædam pœna illi à Deo poſt mortem inflicta: quam etiam Fratribus retulit, vt pro eo Deo ſuffragia offerrent. Illud quoque ſingulare à Deo donum acceperat; vt intimas ſæpè hominum cogitationes penetraret: quod hoc, inter alia, exemplo manifeſtum fuit. Erat Catanæ nobilis quidam Vir, Paulo familiaris, qui quum primùm prauum aliquod cõſilium, ac deliberationem in animo verſaret, ſtatim à Paulo reprehendebatur; qui totius illi ſui conſilij ſeriem, occultúmque animi propoſitũ, quod ſolus animo conceperat; perinde ac ſi mentem illius inſpexiſſet, aperiebat. Contraque, ſi quæ optima conſilia animo ſuccederẽt; ea velut ſibi perſpecta illi commendabat: id ſæpè Nobilis ipſe teſtatus fuit, qui ob id maximè à ſceleribus cauebat; quòd ea Paulo haud ignota eſſe intelligeret. Sæpè orans in mentis exceſſum rapitur. Semel verò cùm extaſi correptus, in ea diu velut exanimis perſtitiſſet; deinde ad ſenſus rediens, exclamare cœpit: Heu Fratres, heu, quàm dura, quámque formidabilia Dei Iudicia ſunt, iis repoſita, qui cæleſti vocatione neglecta, ſegniùs Regulari obſeruantiæ incumbunt. Cúmque de iis diligentiùs interrogaretur: Sat eſt (inquit) Fratres, Sat eſt: ea mihi effari non licet. Neque vlteriùs verbum protulit: ſed vſque adeò attonitus videbatur; vt poſt hæc diuturno tempore, quaſi continuò mente excederet. Denique cùm vſque ad canos, vitam magna cum ſanctimoniæ laude perduxiſſet: hinc meritis clarus, Catanæ, ad beatas (vti credimus) Sedes migrauit.

*Intimas hominum cogitationes diuina virtute penetrat.*

*Orans in mẽtis exceſſum rapitur.*

*F. HIERONYMI Panormitani, Vita, & geſta.*

XVII. Clara eſt in Panormitana Prouincia, F. Hieronymi Panormitani Sacerdotis memoria: qui ex Minorum Diſcalceatorum Ordine ad Capucinos tranſlatus, omni ſcientiarum genere, doctrina, ac eruditione fuit inſignis: Lectoris in ea Prouincia diu, ac præclarè munus exercuit: quem ſæpè dicere ſolitum ferunt, ſe plus olei, quàm vini conſumpſiſſe. Definitoris quoque Generalis, & Commiſſarij itidem Generalis munere functus; maiorem, quàm ab iis acceperit, ſplendorem dignitatibus contulit. Vitæ enim integritate, morum ſanctimonia, ac Regularis diſciplinæ luce adeò illuſtris fuit; vt ipſius poſt obitum gloria non vulgaris, cuidam Fratri à Deo reuelata fuerit.

*F. FRANCISCI Luppienſis, Vita, & geſta.*

XVIII. In Lucaniæ Prouincia, F. Franciſci Luppienſis Sacerdotis memoria, in compoſitione odoris, apud omnes ſuauiſſimè olet. Huius conſilium, prudentia, ac Regularis diſciplinæ zelus, cunctis manifeſtus fuit: at animi virtus apud Deum clarior, qua





illuſtriſſimis vitæ exemplis poſteris præluxit. Quo fit, vt eam Prouinciam magna cum Regularis obſeruantiæ vtilitate, & incremento diu adminiſtrauerit. Vitæ auſteritate inter ſuſcepti muneris curas ita præcelluit; vt S. Franciſci Quadrageſimas, ac inedias obſeruans, Cilicium ex bouinis pilis abraſis confectum; aſperrimum vſque ad mortem deferret: quod interdum cum ferrea lorica commutans, carnem variis modis vexabat: nudis tabulis, quoad vixit, ad quietem pro ſtrato ſemper eſt vſus. Honeſtatis tam acerrimus propugnator fuit, vt ad carnis tentationem ſuperandam, qua eum Tartareus aliquando hoſtis inuaſerat; vſque ad duodecimum diem nunquam cubans, ſed abſque ſomno ſtans perſeuerauerit. Huius ſanctitati adſcriptum eſt; vt puella quædam à Dæmone inſeſſa, quæ ad Cõuentum Potentię, in quo tunc is Guardianus erat, perducta fuerat: Fratribus pro ea orantibus à Dæmone liberata fuerit. Grauiſſima ægritudine oppreſſus, per quatuor menſium ſpatia, ob morbi ſæuitiem, nunquam in lecto recubuit: ſed ſcabello innixus, diu noctúque in eo ſedens quieſcebat: quo tempore nec minima quidem lamentationis, aut querimoniæ, ex illius ore vox audita fuit. Diutino itaque huius ægritudinis languore à Deo probatus, morte tandem ad feliciora contendit: cuius poſt obitum in certum ſanctimoniæ ſignum, membra adeò mollia, ac tractabilia apparuêre, vt non defuncti, ſed viuentis eſſe viderentur.

*Carnis tentationẽ ſomni ſubtractione vincit.*

*F. ANTONII Monopolitani, Vita, & geſta.*

XIX. Huic ſuccedit hoc anno Fr. Antonius Monopolitanus, Sacerdos, Prouinciæ S. Nicolai: qui abſtinentia, paupertate, patientia, ac rerum aduerſarum tolerantia fuit celebris. Guardiani Officio cùm ſæpè fungeretur, in eo tanta Regularis obſeruantiæ diſciplina familiam adminiſtrabat, totque præclaris vitæ exemplis cæteros antecedebat; vt plurimam apud omnes ſibi ſanctimoniæ exiſtimationem comparauerit. Prophetiæ illum dono præditum fuiſſe, quo futura prædiceret, hoc inter alia exemplo perſpicuum fuit. In Oppido Caſtaniæ, Nobilis quidam, Antonio familiaris; vxoris, quæ grauiſſimè ægrotabat, periculo affligebatur: quem dum Antonius verbis conſolatur, ait: ne te vxoris periculum angat, haud illa morietur, ſed ex liberis tuis alter breui hinc morte tolletur. Necdum ex ipſius Filiis quiſquam morbo, aut languore aliquo tenebatur; cùm vxoris ægritudine paululùm miteſcente, vnus ex liberis morbo corripitur: tum ea ab infirmitate cõualeſcente, Filius ægrotans, vita defungitur. Pater verò cùm curioſiùs poſt hæc ab eo quæreret; num defunctus Filius æternam ſalutem conſecutus eſſet; ab Antonio his verbis corripitur. Ne temerè diuinorum Iudiciorum arcana; quę diuina ſibi ſapientia reſeruauit, inueſtigato: tuum eſt pro illius anima preces, ac ſuffragia Deo offerre: animam verò Deo charam, quis apud Deum periiſſe ſibi perſuadeat?

*Prophetiæ Spiritu cõmendatur.*

XX. Quantis hic Vir apud Deum meritis valeret, vel hoc ſaltem argumẽto demonſtratum fuit. Nam cùm per idem Caſtaniæ Oppidum aliquando incederet, contigit, vt validos cuiuſdam mulieris clamores audiret: huius rei cauſam ſciſcitatus, intelligit: mulierem iam diu partus doloribus cruciari, nec vllo remedio ab iis liberari poſſe. Illius Antonius miſeratione ductus funem, quo præcinctus erat, ad eam protinus mittit: quo cùm mulier incincta fuiſſet, confeſtim ſalua Filium peperit. Is tandem, vt propinquorum, atque aliorum qui illius ſanctimoniam venerabantur, frequentiam declinaret; in Prouinciam S. Angeli cum Superiorum obedientia profectus, in Conuentu Tutici carnis vinculis abſoluitur. Melioris, ac felicioris æui libertatem omnium opinione conſequutus.

*Cingulo ſuo mulierem à partus dolore liberat.*

*Antonellus Liternenſis Vir pius, ac Ordinis Benefactor.*

XXI. Hoc ipſo anno, Antonellus quidam Liternenſis, Vir ad Miraculum pius, qui Capucinorum in eodem Oppido, res, ac Monaſterij ædificationem ſumma pietate curabat: in pij laboris mercedem orans, à Deo reuelationem accipit; ſe octauo die è miſero vitæ huius incolatu digreſſurum. Quamobrem feſtinus ad Conuentum accedens, Fratribus valedicit; eorúmque ſuffragia in octauum diem poſtulans: quo ex hoc ſæculo ſe illis migraturum indicat, hæc addit verba: Patres mei dilectiſſimi, Antonellum veſtrum vltrà non videbitis: ego enim iam delibor, tempúſque reſo-

*Diem obitus à Deo ſibi reuelatum accipit.*

lutionis meæ inſtat: at lætus morior, quandoquidem, quod optaueram, aſſecutus ſum;atque huius Conuentus ædificationem abſolutam cerno. Ego in Domini mei occurſum propero; ne fortè imparatum inueniat: vos mihi hinc abeunti prece veſtra, ac Sacrificio viam ſternite,ac munite. Omnes valete. Hæc cùm dixiſſet,in domum redit,ac necdum morbo laborans, Sanctis ſe Eccleſiæ Sacramentis deuotiſſimè ad Domini aduentum parans,paulò poſt in morbum incidit:ex quo die octaua, extremum (vti illi reuelatum fuerat) vitæ diem conficit: quem meritò inter S. P. Franciſci Filios recenſemus,cùm plenam filiorum mercedem à Deo acceperit.

*F. BARTHOLOMÆI à Luciniano, Vita,& geſta.*

Fr.Bartholomæus à Luciniano, Concionator Mediolanenſis Prouinciæ, Vir fuit omni doctrina, & eruditione clarus; qui cùm priùs inter Minores Conuentuales, publici in Ticinenſi Vniuerſitate, Lectoris munus præclarè obiiſſet; perfectioris obſeruantiæ ſtudio ad Capucinos migrans,poſt aliquod tempus, in Mediolanenſi Prouincia Lector Generalis inſtituitur: Cuius in eo munere tanta fuit mentis humilitas,ac ſui-ipſius abiectio; vt poſt lectionem viliſſima quæque domus obſequia præſtaret, ligna ad coquinæ vſum deferret, aquam hauriret, pauimenta verreret, vaſa ablueret,infirmis miniſtraret,excrementa aſportaret,maculas mundaret: hiſque adeò oblectabatur, vt nonniſi ægrè ab humilibus hiſce miniſteriis diuelli poſſet. XXII.

*Vita, & Doctrina clarus.*

Quo factum eſt,vt cùm doctrinam non voce tantummodò,ſed etiam facto traderet,atque exemplo illuſtraret;quamplurimos diuini Verbi præcones doctrina,ac virtute præſtantes Religioni pepererit. Hic cùm Regularis obſeruantiæ cuſtos,ac zelator feruentiſſimus eſſet; ſingulis Dominicis, ac feſtiuis diebus, publicè Regulam exponens, pleraque difficilia explicabat; vt faciliorem, Laïcis præſertim Fratribus, illius obſeruantiam præſtaret. Orationis, ac rerum diuinarum contemplationis tanto ſtudio tenebatur; vt omnem in ea animi ſui voluptatem collocaſſe videretur. Hinc tam copioſè cæleſtium munerum affluentia fruebatur: vt nonnunquam, dum oraret, candida columba circa eum volitare viſa fuerit; quæ nunc vni, nunc alteri ipſius humero incubans; eo ſignificare videbatur, diuini Spiritus dona in ipſo abundè requieſcere. Mediolani tandem, vitam ſumma cum virtutum laude tranſactam,cum morte commutat.

*F. GREGORII Genuēſis, Vita, & geſta.*

Poſtremus denique hoc anno,in Genuenſi Prouincia, Fr.Gregorius Genuenſis, Laïcus,vitam pluribus virtutibus illuſtrem, pretioſa morte exornat. XXIII. Summus hic paupertatis,ac humilitatis amator, nulla re magis, quàm ſui contemptu, atque abiectione gaudere videbatur. Abſtinentia ferè quotidiana,vigiliis, flagellis carnem macerãs,ſeueriſſima ſenſus ſuos diſciplina perpetuò rexit: Tam mirè affabilis erat; tantáque eloquij ſuauitate præſtabat; vt nemo ad eum aliqua anguſtia preſſus, accederet, qui illius verbis recreatus,vel ab eo ſe tribulationis pondere ſubleuatum, vel ad aduerſa æquanimiter perferenda, animo vires ſibi auctas non experiretur.

*Ipſius auſteritas, & in loquẽdo ſuauitas commendatur.*

Accidit aliquando,vt nobilis quædam Matrona Genuenſis ex Sixtorum Familia, ita mortis memoria terreretur; vt ne quidem de ea ſibi mentionem fieri, aut illius nomen audire ſuſtineret. Hæc cum aliquando in grauem morbum incidiſſet; nullus erat,qui de mortis memoria, aut animæ præparatione ne verbum quidem effutire auderet: cùm ad eam accedit Gregorius; tantaque ſermonis ſuauitate,de vitæ huius ærumnis, de ſæculi labentis fluxu, de cæleſtis patriæ æternitate, & Paradiſi gaudiis eloqui cœpit; vt mente ipſius protinus immutata,tam ardens in ea mortis deſiderium excitauerit; quo Cæli felicitate tandem frui poſſet; vt nihil illi deinde iucundius eſſet,quàm de morte agere. At neque huius Viri erga omnes,ac præſertim Sæculares homines, Charitas ſilentio prætereunda eſt; qua fiebat, vt cùm in Genuenſi Conuentu Eleemoſynarius eſſet:ſi quis aliquo animi dolore,aut triſtitia affectus,illius ſe precibus commendaſſet; ſimulatque à mendicatione ad Conuentum redierat,in Eccleſiam pro eo oraturus ſecederet:neque oratione cõtentus, flagellationem quoque poſt orationem adderet. Porrò in hoc orationis ſtudio tam vehemens erat; vt non modò ſæpe animo, ac ſenſibus ſuprà humana raptus exce-





*Obitũ ſuum longè antè prædicit.*

deret:verùm etiam frequenter corpore in aëra attolleretur. Obitum ſuum longè ante,quàm accideret, prænuncians;corpus ſuum non in communi Fratrum ſepulchro condendum, ſed in extraneam ſepulturam raptandum fore prædixit: quod hoc deinde modo contigit. Cùm enim hoc anno peſtilentiæ morbus in Genuenſi Vrbe ita graſſaretur; vt multos quotidie lues abſque Sacramentorum, ac neceſſariarum rerum adminiſtratione abſumeret:Gregorius cum aliis Cõuentus Genuenſis Fratribus, ſeſe pio operi addixit: quo in miniſterio, cùm is in Hoſpitali Domo, quæ Lazaretum nuncupatur; extra Vrbem diem ſuum obiiſſet:fune illius pedibus poſt mortem alligato,ad ſepulturam(vti prædixerat)à veſpillionibus raptatur; dum interim Anima Angelorum manibus in Cælum deuecta, Deo Coronatori offertur.

*Peſte laborãtibus miniſtrans piè occumbit.*

XXIV. His accedant, quæ hoc anno memoratu digna acciderunt. In Bononienſi Prouincia,Fr.Petrus Paludanus ita podagra affectus erat; vt perpetuò in lecto iaceret: quem cùm frequenter Fratres inuiſerent; vanos,ac ridiculos apud eum plerunque ſermones miſcebant:ita vt confabulationis potiùs, quàm piæ viſitationis locus eſſe videretur. Poſt aliquot annos Petrus morti debitum exoluit: cuius cùm alterius vitæ ſtatum F.Bernardinus Sacerdos, eiuſdem gentilis,noſſe optaret; Deum idcircò multis precibus pulſat: Dum itaque in oratione diutiùs perſtat. En illi Petrus, propria forma præditus,apparet. Mox Bernardinus, ab eo, quonam apud Deum, vitæ ſtatu fruatur, ſtudioſè quærit: Cui ille: ſe ex Dei quidem miſericordia ſalutem æternam conſecutum aperit: at acerbas in Purgatorio, ob inanium verborum colloquia,quæ ab aliis in Cella fieri cõſenſerat,eatenus pœnas luiſſe affirmat. Hinc ſeriùs vnicuique apud ſe colligendum reliquit: Si qui in vanas aliorum tantùm confabulationes conſentiunt, tam aſpera à Deo pœna plectuntur; qualia ij, qui auidè ſcurrilitatibus,ac vaniloquentiis incumbunt,ſupplicia ſint laturi. Iis verò, qui in obmurmurationes, ac obtrectationes erumpunt, quid pœnarum expectandum ſit,ex his ipſi iudicent.

*F. PETRVS Paludanus ob inania aliorũ verba pœnas in Purgatorio luit.*

XXV. Accidit quoque hoc tempore; vt in eadem Bononienſi Prouincia, Fr.Auguſtinus à Maraddo Sacerdos, qui ægrè infirmis obſequia præſtabat,fatalem diem impleret: qui F.Paulo Ferrarienſi Sacerdoti,poſt mortem apparens,ſignificat: ſe id à Deo iuſti ſupplicij tuliſſe:vt per mẽſem in Fratrum ſepulchro incluſus, ſupremum illum putridorum corporum fœtorem ſuſtineret: eámque ob id à Deo illi pœnam inflictam fuiſſe, quòd viuens infirmorum ſcaphia, ac matulas mundare exhorruiſſet. Tam enim ſeuerè Deus,à nobis præſertim,infirmorum curam exigit;vt ſcelere non vacet,qui in his curandis negligentior,aut delicatior exiſtit.

*Frater ægrè infirmos viſitans poſt mortẽ pœnas in ſepulchro luit.*

XXVI. Verùm cùm mitior pœna huic irrogata fuerit, qui in infirmorum obſequiis ſe negligentiùs habuerat: Alteri profectò grauiſſima à Deo inflicta fuit; qui cùm ex officio ægrotos curãdos ſuſcepiſſet, eorum charitati,quæ tantoperè à B.P.N.Franciſco in Regula commendatur, haud mediocriter deerat. In Peruſino namque Conuentu quidam Noſocomij Præfectus,contempta charitatis lege,quæ apud Capucinos ſancita eſt;vt æquè infirmis omnibus miniſteria,ac obſequia præſtentur: ſi qui interdum Superiores,aut Guardiani,aut Definitores, aut amici ægrotarent; & ad Noſocomium accederent; iis omni cura diu noctúque inuigilabat: ne quid eorum miniſterio,aut curationi deeſſet:cæteros verò gregarios Fratres ægrotantes,ex quibus nihil commodi, aut honoris expectare poterat; tam iniqua charitatis lege excipiebat, vt nec illis neceſſaria adminiſtraret: quo fit, vt vndique ab ægrotis in eum querimoniæ erumperent:quibus tamen eò minus Superiores credebant; quò illum in ſui-ipſorum obſequiis ſollicitiorem videntes, eo planè modo, & aliorum curæ inſiſtere exiſtimabant. Cùm verò diuinum tempus aduenit,quo exurgeret in iudicium Deus, ægrotauit & ipſe Noſocomij Præfectus: ac morbo ingraueſcente iam ad extremum vitæ finem accedebat: quum Guardianus Præfectum hortatur, vt peccata ſua confeſſione eluat: ſpe ille futuræ confeſſionis Guardianum alebat,

*Frater Noſocomij Præfectus æqua officia infirmis non reddens à Deo cõdemnatur.*

inducíáſque quotidie quærens, confeſſionem in dies procraſtinabat. At cùm Guardianus, certò vitæ periculo expoſito, illum ad Pœnitentiæ Sacramentum compelleret: tandem reſpondet Præfectus: Quid me, Pater, ad peccatorum confeſſionem prouocas, quæ nihil mihi prodeſſe valeat? Iam pœnitendi tempus elapſum, ſera nimis pœnitentia eſt; iam de mea ſalute actum. Hæc primùm Guardianus mentis delirio adſcripſit: at cùm ex animo verba illum proferre animaduerteret; Præfectum multis verbis hortatur, vt in diuinæ clementiæ ſpem animum erigat; nullúmque tam graue animi malum eſſe perſuadet, quod pœnitentia non curetur. His Præfectus: Noli, inquit, in caſſum eniti, iam Dei Iudicio condemnatus ſum, eò quòd erga ægrotos æqua charitatis officia non præſtiterim. Cùm enim Maioribus, ac Superioribus omni diligentia, ac ſtudio, eo tantummodò conſilio inſeruirem; vt ab iis propria commoda, ac fauores quærerem. Contrà in Minores tam ſæuus, ac crudelis fui; vt iis nequidem neceſſaria miniſtrarem, quapropter in Tartara mergor. His dictis crudelem efflauit animam: tantuſque protinus ex eo fœtor effundi cœpit; vt planè cunctis intolerabilis eſſet; vixque poſt octauum diem ab eo Conuentus liberari potuerit.

*Aqua, qua Fratrũ pedes lauantur, Grex aſperſus, à peſte curatur.*

XXVII. At ne malus vnius odor, communem tunc Fratrum ſanctimoniam inficeret; hoc ipſo anno, in Panormitana Prouincia, cùm in agro Caſtroboni, Paſtoris cuiuſdam pecora lethali quodam morbo ferè omnia interirent: is ad Fratres accedens, à Guardiano poſtulat; vt aliquos ad gregem Fratres deſtinet, qui Gregem in nomine Domini benedicant. Erat tunc in eo Conuentu Guardianus, Fr. Hieronymus Inycenſis, Vir eximia virtute præditus, ac diuino Spiritu clarus: qui aquam, qua nuper aduenarum Fratrum pedes lauerant, in vrna collectam Fratribus tribuit, vt ea gregem morbo infectum aſpergant. Pergunt Fratres, aqua gregem aſpergunt, ſtatímque morbus à pecore aufugit; grexque ea aqua aſperſus, diuina virtute à peſte curatur. Neque id vlli mirum videri debet, quod ea, quę Dei Seruis ad charitatis, & humilitatis officium obſecuta ſunt, Brutis etiam ad incolumitatem conferãt. Cùm enim homo cunctis animantibus melior, ac præſtantior ſit: ſi quæ illi ad cæleſtem, ac beatam vitam conducunt, quid magnum eſt; quòd eadem Brutis materialem etiam vitam Miniſtrent?

XXVIII. Cæterùm, cùm antiqua apud Capucinos conſuetudo vigeat; vt ad perfectiorem altiſſimæ paupertatis obſeruantiam, Fratrúmque animos ab omni rerum ſuperfluarum cupiditate exuendos; Prouinciales Miniſtri, in Conuentuum viſitatione, vniuerſa, quæ ad Fratrum vſum pertinent, diligenter perluſtrent; ac ſuperuacanea tollant. Contigit hoc anno, in Piceni Prouincia: vt Frater quidam, qui nonnulla apud ſe ſuperflua repoſuerat; cùm Prouinciali Vicario ad viſitationem accedente, illa ſibi auferri metueret, clam ab eo abſcondita celaret; ex quo in proprietatis crimen impegerat. Porrò hoc ipſo tempore, deuotus eiuſdem familiæ Frater; dum noctu orat, in mentis extaſim raptus; Proprietarium Fratrem, in Inferno, alto quodam in patibulo ſuſpenſum cernit: è cuius pedibus ſuperflua illa, quos Superiori in inſpectione occultauerat, velut ſuæ necis argumenta pendebant. Quo ille viſu perterritus, Fratrem adit; qualémque eum apud Inferos conſpexerit, refert: mox Proprietarius Frater delictum agnoſcit, fatetur, deplorat: ſuperfluíſque omnibus exciſis, ac Superiori conſignatis, latam mortis æternæ ſententiam, vita in melius commutata, effugit.

*Proprietatis ſcelus qua pœna in Inferno puniatur, exemplo declaratur.*

*Frater panẽ pauperi denegans durũ, ac ferreum offendit.*

XXIX. Accidit poſt hæc, in Romana Prouincia, vt Fr. Bartholomæus ab Aquis Taurinis, cum Socio è Romana Vrbe, ad Conuentum Ereti proficiſcens, Pontificium (vt vocant) panem, recentem ſecum ferret: quem cùm pauperi, qui ab eo in via eleemoſynam petierat, dare recuſaſſet: quum primùm ad Conuentum appulit, eoque veſci voluit; tam durum, perinde ac ſi ferreus eſſet, offendit: ita vt neque malleo, aut ſecuri ſcindi valeret. Res quidem inſolens fuit, haud tamen à ratione diſſentanea. Hoc enim cæleſti teſtimonio declaratum fuit, ferreum animum, quo panis





Chriſto in paupere denegatus fuerat, nonniſi ferreum panem decere: fruſtráque ex eo, quod pauperum eleemoſynæ ſubtrahitur, vitæ emolumenta expectari; cùm illud Deus omni virtute expoliet, atque ad omne commodum ſterile reddat.

XXX. Hoc anno, Camerinenſi Agro, ac vineis potiſſimùm grandine cæſis, maxima in Vrbe vini penuria erat: quo tempore, cùm Fratres plurima vini egeſtate affligerentur; Porphirius quidam erga Ordinem beneuolus, dolium quoddam, vino acido plenum; cùm aliud non haberet, opportunè Fratribus offert. Cui Eleemoſynarius: quandoquidem (inquit) hæc tibi pietas animo ineſt; Dolium ſerua: Quum aliunde vinum nobis non fuerit, ad dolium tuum confugiemus. Cùm itaque Fratrum neceſſitas ad dolium compelleret: accedit cum lagenis Eleemoſynarius; vinum è dolio hauritur; mox quod acidum erat, ſuaue, ac optimum guſtatur. Quod cùm Porphirius aperto diuinæ prouidentiæ miraculo tribueret, quo Fratrum neceſſitati proſpectum eſſe vellet: Fratribus ſeruari; neque ex eo quicquam à familia deguſtari voluit.

*Vinum acidum eleemoſyna erogatum, ſuaue efficitur.*

XXXI. Poſtremò, qua mentis, ac corporis compoſitione orationi vacandum; quovè ſtudio in ea à ſomnolentia cauendum ſit, hoc anno terribili exemplo manifeſtum fuit. Nam in Conuentu S. Iacobi, tunc Mediolanenſis Prouinciæ, qui propè Oppidum Coloniorum Agri Brixienſis, in colle eminet; Sacerdos quidam tam oſcitanter in communi oratione ſe gerere ſolebat: vt, quo tempore cæteri feruentiùs rerum diuinarum contemplationi, ac lachrymis vacabant: is in Chori angulum ſecedens, inter Chori ſubſellia, placidè in vtramque aurem obdormiret: eum quidem aliquando facti conſcientia pupugerat; verùm cùm illud paruipenderet, ac minùs quàm par eſt, æſtimaret; vitium corrigere neglexit. Quapropter dum ſemel communis orationis tempore, conſueto molliùs ſopori indulget; repentè è ſomno excitatus, B. P. Franciſcum aſpectu terribilem, oculóſque velut ignis flammas gerentem, ſibi adſtantem cernit: qui latum gladium dextra manu geſtans, ſiniſtra Sacerdotis caputium arripit, illudque ab habitu diſſuere aggreditur: quo planè ſignificare voluit, Seraphico habitu indignum eſſe, qui quo tempore cum hoſte in oratione dimicandum eſt, ſomno, ac inertia ſtertit. Iam B. Pater medium Caputium diſſuerat: quum tremefactus Sacerdos, à Patre delicti veniam poſtulat, ac lachrymis obrutus, B. Virginis ſibi opem exorat, ac culpæ emendationem pollicetur. Eo Sacerdotis promiſſo placatus B. P. Franciſcus, abſcedens, eum metu ferè exanimatum relinquit: qui eodem temporis momento, ad Pœnitentiæ Sacramentum accedens, delictum confeſſione delet: tremendámque B. Patris viſionem referens, caputium, quod ab habitu ſemidiſſutum erat; iterum conſuendum curat. Denique proprio periculo edoctus, ita à delicto reſipuit; vt feruentiſſimus inde apud Deum Orator euaſerit: adeóque poſthæc orans, interdum incaleſcere videretur; vt velut ex diuini amoris incendio flagrans, Seraphicum propemodùm aſpectum præſeferret. Enimuero id ſæpè Deus in homine præſtare ſolet; vt quem metu caſtigat, amore ad ſe prouocet: ſuggátque mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.

*Frater Orationis communis tempore obdormiens horrenda viſione terretur.*

I. POSTREMVS hic noſtræ ſalutis, milleſimus quingenteſimus octuageſimus Annus, atq; inſtitutæ Religionis quinquageſimus ſextus, primo huic noſtrorum Annalium Volumini extremum colophonem imponit: quē fauſtis multorum, qui de pelago ad litus, de exilio ad Patriam, de carcere ad regnū, de certamine ad triumphum; de variis tandem huius vitæ ærumnis, ac laboribus, ad beatiſſimum illud Domini gaudium, æternumque felicitatis domicilium perueniunt, auſpiciis abſoluimus. Annus eſt rerum copia, & vbertate refertus, multaque, ac cæleſti prole fœcundus; tametſi triſte illi exordium præbeat lues quædam ſæuiſſima, quæ Lutetiam Pariſiorum, Vrbem populorū feraciſſimam, tanto furore inuadit; vt trium, vel quatuor menſium ſpatio ſexaginta circiter hominum millia extinxerit: Erat tunc Pariſienſis Conuentus Guardianus, & Cuſtos Fr. Petrus à Campis Ambianenſis: qui cùm ob Miniſtrorum penuriam, quamplurimos peſte laborantes hinc abſque Sacramentis decedere, nullíſque ſpiritualibus ſuffragiis adiuuari cerneret; quinque ex eodem Conuentu ſecum Sociis accitis, quos feruentior charitatis æſtus vrgebat, eorum ſe obſequiis conſecrat: Sociiſque in diuerſa loca diſpertitis, quò pluribus opitularentur; abſque vlla mortis formidine, ſanctum, ac Chriſtiana pietate, Seraphicáq; Religione dignum opus aggreditur: in quo cùm plerique ex noſtris, ſuperioribus annis, variis in Italiæ Vrbibus, ſumma cum Religionis gloria vitam profudiſſent: hi quoque Maiorū gloriam æmulantes, haud minori ſtudio religioſum, ac velut hæreditarium opus proſequuntur; Galliámque voluntario occaſu conſecrant. Dum enim cūcta ad ægrotantium ſalutem ſtudia conferunt, nullaque in eos charitatis officia prætermittūt; ex iis quatuor peſtifero morbo corripiuntur: quorum cùm ſalus deſperata eſſet, duo quidem in ſuſcepto miniſterio feliciter occumbunt; alij quò maiori fiducia laborantibus miniſtrarent, à Deo ſeruantur: qui cùm vſque ad morbi finem pio labori incubuiſſent; tandem ceſſata peſtilentia, gloria, ac meritis onuſti ad Conuentum redeunt: quibus ſanè haud minor triumphus debetur, quàm iis, qui in miniſterio fortiter ceciderūt: cùm non animus his charitatis martyrio defuerit: ſed martyrij potiùs ſpem diuturnior vita deluſerit. Religioſiſſimi Patres Societatis Ieſu, non aſpernendā quoque hoc tempore, in ægrotantes operam contulêre: ex quibus nonnulli pio operi inſudantes, magna charitatis laude, vitam cum morte commutarunt.

*Peſtis ſæuiſſima Lutetiā Pariſiorū incendit.*

*Capucini Fratres Ægrotantibus Miniſtrantes piè occumbunt.*

II. Inter eos verò, quos fœlix vitæ occaſus, piis hiſce Ægrotantiū obſequiis occupatos offendit: Frater Andreas Burgundus, Sacerdos fuit; eximiæ virtutis, ac pietatis vir: de quo id inter alia refertur. Quod cùm aliquando ſacra faciens, prolationē auguſti ac diuini carminis, quo caro Chriſti efficitur, abſoluiſſet: necdū Sacramentum, vti fieri ſolet, à populo adorandū extulerat: quum Secretorum tabella, quæ in inferiori Altaris gradu è regione collocata erat, caſu delapſa, ſacrificiū panem mediū ſecat. Hæret animo Andreas; & quid facto opus ſit, haud illi, in ea temporis anguſtia, mēti occurrit. Hinc enim Plebis ſcandalū metuebat, ſi confractam hoſtiam publicè adorandā proferret: nec minoris periculi, ſi ab ea efferenda abſtineret, rē eſſe ſentiebat. Quamobrē in biuio poſitus, Superiorē mox accerſitū, quid in ea re ſibi agēdum ſit, cōſulit: qui ſtatim iubet, vt diſiūctas Panis Euchariſtici partes, rurſus inter ſe copulatas, populo adorādas proferat. Paret cōfeſtim Andreas: Iā verò, vt quantū illius Obediētia ponderis apud Deum ſibi vēdicaret, cūctis perſpectū eſſet; vix pars parti accedit; quum diuina virtute, mox diſſectæ Sacræ Hoſtiæ partes, tam perfectè inter

*F. ANDREAS Burgundus Sacerdos vir eximius.*

*Sacra Hoſtia confracta diuino Miraculo inſtauratur.*





ſe coniunguntur: vt nullum in Sacro Pane prioris fractionis ſignum relictū fuerit.

III. Pariſienſem Prouinciam, hoc tempore, ſub Commiſſarij Generalis titulo, moderabatur F. Anſelmus à Petra Molaria: qui cum hoc anno Prouincialia Comitia Lutetiæ conuocaſſet: in his F. Franciſcus à Briga, primus huius Prouinciȩ Prouincialis Vicarius eligitur: qui ſub huius anni finem Romam ad Generalia Comitia, quæ ſequenti anno celebranda erant, profectus; Fratrem Bernardum Auximenſem, ſibi Prouincialem Commiſſarium ſubſtituit.

IV. Interea apud Calabros in Oppido S. Catharinæ, quod ad Rhegienſem Prouinciam ſpectat; prima Capucinorum Cōuentus, tanta Oppidanorum pietate, hoc anno fundamenta iaciūtur; vt cum ad illius ædificationem fornax calcaria inſtruenda eſſet, paucis admodum in Oppido relictis, vniuerſi ad lapides confluerent: quos dum pars propriis humeris ad fornacem comportat: pars verò iumentorum opera vehendos curat. Quàm hæc hominum pietas, ac Conuentus ædificatio Deo grata fuerint, pluribus tunc ſignis diuinitus demonſtratum fuit. Accidit enim, vt Aſellus lapidibus onuſtus, per difficiles quaſdā loci anguſtias permeans; cui ex altera parte ingens, ac horrendum præcipitium imminebat, greſſu ceſpitans, ex alto illo præcipitio rueret: quem cùm Virorum, ac Mulierum turba cadentem conſpiceret; protinus vna omnes voce exclamant: O Sancte Franciſce Aſinum adiuua. Nec intempeſtiua Aſello ea vota fuêre. Cùm enim vſque ad ima præcipitij, aſinus graui illo pondere onuſtus ruiſſet; atque ob acuta ſaxa è rupe prominentia, in quȩ cadēs impingebat; in fruſta concidendus, ac diſſecandus omnibus videretur: is tamen ad imum dilapſus, Deo, ac Beato Franciſco ſeruante, nullum non modo è caſu detrimentum ſentit: verùm nec lapidum pondere diſſipato, iiſdem onuſtus ſtatim ſe in pedes erigit: maximáque omnium admiratione, qui viſo miraculo, Deo, ac B. Franciſco laudes occinere cœperunt; altera via iter, nullo duce, ad Monaſterium carpit. Idem quoque alteri iumento contigit; quod cùm ligna ad ædificij opus deferret; ex eodem præcipitio ruens, incolumis à B. Franciſco ſeruatur.

*S. Catharinæ apud Calabros Conuentus extruitur.*

*Illius ædificatio miraculis illuſtratur.*

V. Alter quoque Cōuentus hoc anno, Iuliæ Fidentiæ, in Bononienſi Prouincia ædificatur; vbi ſingularis, ac eximia cuiuſdam Fratris charitas enituit. Dum enim Fr. Ioachimus Parmenſis Ædificij Architectus, Eccleſiæ tecto, quod tunc conſtruebatur, conſcenſo; pede lapſus, ex ſupremo culmine rueret: id Fr. Franciſcus Imolenſis animaduertens; cùm nullo alio illum modo à nece vendicare poſſet, ſtatim accurrens, cadenti humeros ſupponit: eoque factum eſt; vt ambo in terram ruentes, Deo opitulante, vterque à caſu incolumis reſurgeret.

*Eximia cuiuſdam Fratris charitas explicatur.*

VI. At neque id ſilentio prætereundum eſt, quod de Bigorij Conuentu hoc anno memoriæ traditum eſt. Eſt Bigorium Vallis Luganenſis Oppidum, Heluetiorum Reipub. ſubiectum: cuius incolæ multa, tum ſimplicitate, tum pietate præſtāt. Haud longè ab hoc Oppido, Capucinorum Conuentus in Monte extructus conſpicitur; in cuius ædificatione id mirabile accidit. Cùm enim circumiacentia Oppida, quorum quæquè ſibi propiùs Monaſterium ædificari optabant, de Conuentus ſitu inter ſe contenderent: in id tandem vno conſenſu conſpirant; vt ad cuiuſdam Montis, qui inter ea medius eminebat, radices conſtrueretur. Iam itaque calce in lacu eo cōſilio rarefacta, vt Conuentus fundamenta iacerentur; En magna Hirundinum copia lacum circumuolat; quæ roſtrum in calcem impingentes, in collis faſtigium euolant: calcíſq; ſigno circulum in Monte formantes, Conuentus locū deſignant: quod cum ſemel, atque iterum præſtitiſſent, eo tandem ſigno Fratres, & incolȩ permoti; cùm illud diuinæ voluntatis conſilium eſſe perciperent; Cōuentum in Monte eo loco, qui ab Hirundinibus calce præſignatus fuerat, ædificāt. At neque id fruſtra. Fuit enim hic Conuentus ferè ſemper perfectiſſimorum Virorum habitatione illuſtris: hocque anno potiſſimùm, in eo Electiſſimorum hominum familia, tam cæleſtem, ac Seraphica Religione dignam vitam agebat: vt cùm homines eſſent, humanamque naturam circumferrent, homine quicquam maius præſeferrent, quo ad

*Bigorij Conuentus, Dei miraculo, ab Hirundinibus deſignatur.*

Angelorum propiùs, quàm ad hominum vitam accederent. Omnibus enim vna mens,atque animus aderat;non modò ea,quæ ad corporis delicias ſpectant,procul abiicere:verùm ad eas arctioris neceſſitatis anguſtias,ac prima veluti vitæ elemẽta, corporis conditionem contrahere;ſine quibus hominum vita,neque eſſe,neq; ſubſiſtere vllo modo poſſet.Etenim in frigida Regione,vnica non modò tunica,eaque hiſpida,brumali tempore vti,inter eos condictum erat; quæ corpus potiùs obtegeret,quàm foueret: ſed alij ſub tunica cilicia geſtabant,alij habitus ex equinis pilis lana cõmixtis;intúſque abraſis compactos gerebant:nullúſque erat, qui inter hyemis frigora;quæ ob niuium copiam,ac Boreales flatus,in ea præſertim Regione ſæuiſſima eſſe ſolent;ad ignem accederet;aut flamma frigus expelleret. Frigebat caminus,igne nullo vnquam tempore ardens;quo aut membra frigore rigentia calefaceret;aut edulia coqueret.Neque enim,præterquam in ſolemnioribus anni feſtis; Natalis ſcilicet Domini,Paſchatis, ac huiuſmodi, carnium eſus apud eos vſu receptus erat:cùm interea plerique à pane;alij à vino abſtinerent;alij ſolo pane,& aqua contenti,multos hebdomadæ dies abſque obſonio ducerent. Totum Aduentus ieiunium,hoc anno,ab iis ſolo caſtanearum eſu,communi lege ſancitum fuit. Denique id cunctis legitimum erat;vt omnia Sãctorum peruigilia,quatuor temporum, ac ſextarum Feriarum ieiunia,panis,& aquæ abſtinentia cõſecrarentur. Vix ſemel in menſe panem in Oppido mendicare conſueuerant:cùm caſtaneis,vt plurimùm, ac aliis fructibus veſcerentur.Si quod aliud præterea ex Oppido edulium iis, à piis Viris miſſum eſſet;illud humanis verbis recuſabant.

*Bigorij Conuentus ſanctitas celebratur.*

VII. Atque hæc quidẽ,quæ ad Corporis auſteritatem ſpectãt,velut ſpiritus præludia præcedebant.Tanta enim inter eos humilitas;tanta animi ſubmiſſio,tantúmq; proprij contẽptus ſtudium vigebat;vt quiſq; alterius ſe ſeruum eſſe putaret;eiq; velut Domino obſequeretur:quiſq; alterũ honore præueniret;nihílque aliud paſſim,pręterquam humilitatis cõtentiones,quibus quiſq; alteri, non alterum ſibi,obſequi,ac inſeruire ſtudebat;in Cõuentu audirentur.Verùm charitatis feruor,quo res diuinas proſequebãtur,propemodũ incredibilis erat:quo fiebat,vt rariſſimè è domo exeuntes,tam feruidè,ac frequẽter orationi, ac rerũ cæleſtium cõtemplationi incũberẽt; vt nullo vnquam diei, ac noctis tẽpore Eccleſia Oratore vacaret; longáſq; noctu in oratione vigilias ducerent:Nemo poſt Matutinas Horas ad ſomnum redibat;nemo oſcitans,ſomnolentus nemo ante Deum ſtabat:ſed eo vehemẽtiùs quiſq; in Deum ferebatur,quò inter nocturnas tenebras,ac ſilẽtia, maiori ſpiritus quiete perfruebatur. Horas Canonicas moroſè,ac deuotiſſimè perſoluere, Sacra quoq; Altaris myſteria tanta religione peragere illis ſtudium erat;vt non niſi poſt longum orationis tempus,qua diuinæ in ſe charitatis incẽdium excitarent, ad Sacroſanctum miniſterium accederent.Denique tam cæleſtis,atque admiranda ab his vitæ ratio inſtituta erat:vt haud fruſtra,Montẽ hunc à Domino electum fuiſſe plurimi exiſtimauerint: in quo tot Viri illuſtres,ac virtute præſtantes,velut Cedri ex Libano altiſſimè conſurgerent:ad quem illa Vatis benedictio iure ſpectaret: *Benedicat tibi Dominus,pulchritudo iuſtitiæ,mons ſanctus.* At neque hoc anno tãtummodò;ſed pluribus ſibi ſuccedentibus annis, eadẽ in hoc Conuentu ſanctitas germinauit:ita vt huius Cõuentus ſolitudini illud Iſaiæ occini poſſet. *Lætabitur deſerta,& inuia,& exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium:germinans germinabit,& exultabit lætabũda,& laudans.Gloria Libani data eſt ei,decor Carmeli,& Saron.* Quanquã enim cõmunis totius Religionis ſtatus,hactenus diuina benignitate,tã integra Regulari diſciplina,ac ſanctitate floreat; vt parũ ab huius Conuẽtus ſanctimonia diſtet: atque vnaquæq; Ordinis Prouincia, velut ſplẽdida quædã Cæli pars,ſuo ſyderũ fulgore,ac illuſtriũ Virorum perfectione gaudeat:inſignem tamen huius Cõuentus præſtantiã cõmemorare libuit: vt ex eo, qui legunt,cæterorũ quoque vitã,ac perfectionẽ addiſcant. At quemadmodũ Stella à Stella differt in claritate:ita omniũ quidem cõmunem virtutem eſſe; virtutis autẽ ſplendore alium alio clariorem,alium alio præſtantiorem exiſtere perſpectũ ſit.

*Admirabilis Fratrũ vita cõmendatur.*

Ierem. 31.

Iſai. 35.

Quod



Quod facilè ex pleriſque illuſtrioribus Viris, qui in variis Ordinis Prouincijs, virtute,ac ſanctitate hoc anno floruêre,colligi poteſt.

## F. ANTONII CINCIANENSIS, *Vita, & Geſta.*

VIII. EX his primus hoc anno ſe offert, Fr. Antonius Cincianenſis,Laïcus,Prouinciæ Ethruſcæ alumnus. Hic tametſi Vir rudis,ac illiteratus,ea tamen à natura prudentia præditus erat; vt conſilio plurimùm valeret: quo factum eſt, vt ſæpe Guardiani, ac Definitoris in eadem Prouincia,præclarè munus obierit: Nouitiorum quoque multo tempore curam egerit: quo in munere,tot virtutum exemplis omnibus præluxit; vt eum cuncti, velut paupertatis,humilitatis, abſtinentiæ, auſteritatis, ſilentij, mortificationis, ac totius Regularis diſciplinæ, ac perfectioris vitæ normam ſuſpicerent. Vir erat orationis, ac diuinarum rerum meditationis tantopere ſtudioſus; vt quamquam nullo vnquam tempore ab oratione vacare videretur; nocte tamen potiſſimùm prolixas in ea vigilias duceret. Hinc mira ſe ſe efferebat illius orationis virtus;cuius illud aliquando argumentum fuit: cùm enim Fr. Marianus à Cinciano Nouitius, quo tempore Antonius Magiſtri officio fungebatur; ob quandam aurium ægritudinem, qua à Diuino officio impediebatur, ad ſæculum redire cogitaret: re cum Magiſtro communicata:cum Antonius, ad peccatorum Confeſſionem,tum Communionem iubet accedere:Interea Deum pro illo Antonius rogat:protinuſque aurium infirmitas abſcedit; Nouitiuſque in Religione deinceps incolumis perſeuerat. Nihil is Oratione homini pretioſius, nihil Religioni vtilius eſſe dicebat.Hinc cùm à Fratre quodam interrogaretur,quandiu Capucinorum Religio integra,ac ſartatecta permanſura eſſet: Reſpondit,Religionem tandiu incolumen futuram,quamdiu Orationis ſtudiũ in ea ſoſpes eſſet: ruinæ verò tunc proximam fore,cùm Orationis ſpiritus in ea inſtitutus elanguerit. Quamobrem ſæcularium hominum,ac Fratrum familiaritates fugiens;quibus orationis calorem tepeſcere,ac vim hebetari ſentiebat; ſolitudinem orationi amicam quærere ſolitus erat: in qua ſæpe ſingultus, ac lachrymas fundens, illius mens diuinæ charitatis æſtu colliquefieri videbatur. Satanas verò cùm eo nihil magis iniquè ferret; Dei virum variis modis,atque interdum illata vi laceſſebat; vt ab oratione auocaret:frequenter enim de manu illius Coronam,quam in Beatiſſimæ Virginis honorẽ quotidie recitare ſolitus erat,auellens; diuerſa ſæpè eum in loca propellebat, ac innumeris propè modis infeſtabat. Is verò cùm per patientiam ſibi ad propoſitum certamen currendum:meliùſque, ac faciliùs ſuperbum hoſtem, quàm humilitate ſuperari non poſſe intelligeret;vniuerſos Satanæ inſultus patientiſſimè ferens, hoc pacto de Tartareo hoſte triumphum referebat. Veruntamen quàm ſollicitè ab iis, qui diuina cumulatiùs dona acceperunt, ab omni immoderata carnis cura; ac leui licèt exceſſu, cauendum ſit: hoc exemplo manifeſtum fiet.

*F. Antonius Cincianenſis, vir memoria dignus.*

*Nouitiũ ſua Oratione ab aurium morbo liberat.*

*Oratio Religionem ſuſtinet.*

*Varias à Dæmone infeſtationes patiẽter ſuffert.*

IX. Solebat Antonius ſæpiſſimè,arcta panis, & aquæ ieiunia obſeruare:& ſi quando vino vteretur, illud multa aqua diluere: At cùm aliquando poſt morbum conualeſcens,imbecilles Corporis vires inſtaurare cuperet.Calicẽ mero plenum aliquando hauſit: ex quo aliquam ſenſus oblectationem cœpit: Porrò eodem tempore illi Dæmon apparens;quaſi ſenſus delitias admiſiſſet,factum cachinno proſecutus eſt: vt eo oſtenderet:perfectis Viris,in ipſa quoque ægritudine, delitias cauendas eſſe: neque à labe vacare, quicquid ſenſui magis,quàm neceſſitati,inter ipſas quoque infirmitatis moleſtias,indulgetur.Pleraque Antonius à Deo,in veræ ſanctitatis argumentum,præclara dona acceperat:atque illud in primis, quod ſæpe occulta, velut præſentia intueretur. Quo factum eſt, vt dum Generale Capitulum Neapoli, ſub Ochino congregatum celebraretur; is Cortonæ, (qua in familia conſcriptus erat,)maximas Dæmonum turmas conſpiceret; qui Tartareo Conuentu coacto

*A perfectis viris, minima etiã corporis delicia cauendæ.*

de Religione diſſipanda, inter ſe mutua conſilia agitabant: Cuius rei cùm Generalis Capituli Patres per literas certiores reddidiſſet; eos, vt à Satanæ fraudibus cauerent, opportunè monet. Res quidem tunc cunctis obſcura fuit: ſed cùm ſtatim poſt ea Comitia, Ochinus ſibi, ac pleriſque à Fide lapſum conſciuiſſet, tunc primùm Dæmonum in Religionem conſilia agnita.

Rurſus cùm Senis eſſet; Dæmonem ſemel nocturno tempore, quo poſt Matutinas Horas communi orationi vacatur; Fratres ſingulos ſomno oppreſſos, ab oratione expellentem cernebat: quos vbi ab Eccleſia auulſit, tum lampadem, quæ ante ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ardebat, extinxit. Ex quo id planè perſpicuum fuit: nihil magis Satanam expetere, quàm vt Religioſum hominem ab oratione auertat: inde enim & illud facilè aſſequitur; vt omnem deinceps in eo Dei cultum, ac venerationem extinguat, atque in omne ſcelus præcipitem ferat. Hinc quoq; Prophetiæ Spiritu præditus, F. Michaëlem Angelum Sacerdotem, adhuc incolumem, ac beneualentem monet, vt quā primùm peccata ſua generali confeſſione deleat; purumq; ſe in extremum diem paret; quem breui illi futurum eſſe prænũciat: cuius cùm ille dictis fidem adhiberet, conſilio acquieſcit; vixq; confeſſionẽ abſoluit, cùm morbo correptus, poſt aliquot dies res humanas deſerit. Hic poſt obitum Antonio apparens, ſe quidem ex Dei miſericordia ſalutem aſſecutum fuiſſe aſſeuerat: attamen quàm districta, ac ſeuera poſt mortem iudicia ſint, narrat. X.

*Dæmon orantibus ſomnum excitat, & ab Eccleſia expellit.*

*Fratri incolumi proximam mortem prænunciat.*

At quandoquidem Deus Opt. Max. illuſtriores Seruos ſuos tentationibus probare ſolet. Hinc cùm Antonium plurimis cæleſtibus donis exornaſſet: eum haud abſque tentatione, qua illius virtutem, velut igne examinatam perficeret, eſſe voluit: quamobrem illum falſa criminis cuiuſdam ſuſpicione pulſari permittit; cuius cùm ne odor quidem animum illius attigiſſet, diu tamen iniuſti criminis ignominiam inabſterſam, patienter ſibi tolerandam proponit. Graue crimen erat; cuius iampridem Antonius infamiam æquo animo tolerauerat. Verùm cùm ex eo ſcandalum inter Fratres ſuboriri, diuinumque honorem in diſcrimen vocari cerneret: criminis maculam tandem, non humano, ſed diuino teſtimonio abſtergere parat. Brumæ tempus erat; quum Fratribus, vt frigus depellerent, ignem circumſtantibus, inter eos de Antonij crimine murmur agitari cœpit: Antonius verò, cùm oblatam ſibi temporis opportunitatem cenſeret; quo ſcandalum à familia auerteret; vtramque manum ad ignem extendens, eas prunis ardentibus implet: tum ad Fratres conuerſus, ait: Ecquodnam, Fratres, hoc ſcandalum eſt, quod mei cauſa, veſtrum animum pulſat? Si verum eſt ſcelus, quod mihi obiectum fuit; ac reuera à me patratum: æquum profectò eſt, vt hæ me prunæ, tanquam ſceleris vindices torreant; crimenque à me patratum fuiſſe, cunctis aperiant. At verò ſi falſum, ac impoſitum crimen eſt; planè diuina virtute fiet; vt manus prunarum, nec ardorem, nec calorem ſentiant. Cumque per quartam horæ partem prunas ardentes manibus continuiſſet; cunctis factum admirantibus, nullum non modò ab iis dolorem, aut ardorem contrahere viſus eſt: ſed illæ potiùs inter manus, abſque vlla earũ læſione extinctæ, certã illius innocentiæ fidem, ac teſtimoniũ reddidêre. Poſthæc cùm iam ſenio confectus, in Senarum Conuentu grauiori morbo correptus eſſet: oranſq; à Deo ſalutis ſuæ certitudinem accepiſſet; die obitus prædicto, hoc anno; qui illi feliciſſimus fuit, in beatæ æternitatis ſinum euolauit. XI.

*Falſi criminis accuſatus calumniam patienter fert.*

*Crimen diuino miraculo abſtergit.*

*Sui obitus die prædicto Senis mortale corpus deponit.*

Alij præterea in Hidruntina Prouincia, hoc quoque anno, ſanctimonia florent: Inter hos primus eſt Frater Bernardinus à Murciano Laïcus, qui integer vitæ, ſceleriſque purus, maxima in ſimplicitate, ac ſanctitate vitam duxit. Hic cilicio, abſtinentia, laboribus carnem macerans; dum aſſidua oratione, rerumque cæleſtium contemplatione ſpiritum ſaginat; longo, ac moleſto ægritudinis languore à Deo probatur; in quo illius maximè patientia, ac virtus enituit: neque enim patienter tantummodò; ſed & ſingulari animi alacritate, illius dolores, ac cruciatus ferens, in iis delicias quærere videbatur. Quamobrem cùm ad vitæ XII.

*F. BERNARDI à Murciano, Vita, & geſta.*

finem



finem accederet: ipſius dolores Deus cæleſti conſolatione delinire, ac compenſare voluit: etenim quo tempore, cæteri cum morte colluctantes, variis mentis, ac corporis mœroribus angi ſolent; is quaſi inter cæleſtes delicias verſaretur, exultare, atque occinere cœpit: ſermonemque ad F. Marcum Aletinum, qui adſtabat, conuertens: O Marce, inquit: ſi ſcires quàm pulchra, quàm magna, quàm cæleſtia ſunt, quæ meis oculis cerno; mecum profectò exultares. Video namque glorioſiſſimam Deiparam, video Angelos, video cæleſtes magnificentias, video ineffabilia bona; quæ omnem ſenſum, ac eloquium ſuperant. Tum de ſanctiſſimæ Trinitatis arcano, ac rebus diuinis tam altè cœpit diſſerere; vt iam cunctis perſpicuum eſſet, eam rerum ſcientiam, ab eo, non humano labore comparatam, ſed diuinitus illi inditam fuiſſe. Atque ita Bernardinus Angelici Oloris inſtar, inter cantus, ac diuinas laudes ſuauiſſimè ſpiritum exhalat. Cæterùm vt cunctis innoteſceret; animam illam in Beatorum Spirituũ conſeſſum receptam fuiſſe: tantam odoris fragrantiam ſtatim corpus ipſius poſt mortem efflare cœpit; vt eo Cella, ac parietes redundarent. Ita nempè Deus eos, qui vitæ puritate, ac laborum tolerantia, diuinam hîc maieſtatem glorificant; rerum etiã ordine immutato, poſt mortẽ ampliori honore proſequitur.

*In morte cæleſtiũ viſione potitur.*

*Poſt mortem Corpus ipſius ſuauiſſime olet.*

XIII. Secundus eſt Fr. Auguſtinus à Latertia Laïcus, qui cùm iugo Domini ab adoleſcentia ſibi vltrò accerſito, Seraphicum Religionis agrum excolendum ſuſcepiſſet: in eo vſque ad vitæ veſperum inſudans; tanta morum honeſtate, abſtinentiæ rigore, vitæ innocentia, Regularis obſeruantiæ Diſciplina, ac perpetuæ orationis ſtudio præcelluit; vt optimi Operarij nomen, plurimamque ſibi apud omnes ſanctimoniæ famam comparauerit. Hic igitur cùm abſolutis Religioſæ, ac Seraphicæ culturæ laboribus, ad mortalis huius lucis occaſum perueniſſet; quam relaturus erat, mercedem in extremo ipſo vitæ crepuſculo, diuina illi viſione declaratam, prægustauit. Nocte enim, quæ diem obitus præceſſit, dum in lectulo ſuo oraret: Beatorum Capucinorum multitudinem, tanquam in ſupplicatione diſpoſitam, vigilans intuetur: quam & Beatiſſima Virgo, ac B. P. Franciſcus ſua præſentia illuſtrabant: hæc cùm ante ipſum graderetur, atque inde in Cælum tenderet, Fr. Sylueſter Tarentinus, qui paulò ante diem ſuum obierat, atque inter eos locum ſortitus fuerat; ad eum accedens, ait: Bono animo eſto, Auguſtine, cras ab huius vitæ ærumnis euolabis, ac nobiſcum aſcendes: huc enim propterea venimus, vt te cum honore recipiamus. Quod cùm Ægrotus F. Lactantio Maſſafrenſi, qui illi à confeſſionibus erat, retuliſſet: poſtride carnis vinculis exolutus ad Superos abiit.

*F. AVGVSTINI à Latertia Vita, & geſta.*

*Ante mortem gloriæ ſuæ certitudinem diuinitus accipit.*

XIV. Tertius eſt Fr. Iacobus Aletinus, Sacerdos, & Concionator; qui ob præclara virtutum ornamenta, quibus abundè cumulatus fuit; meritò inter illuſtres huius tempeſtatis Viros recenſetur. Hic prudentia, & conſilio clarus, verùm vitæ probitate, morum integritate, ac Regularis obſeruantiæ zelo clarior; ſæpè in ea Prouincia Vicarij Prouincialis munus egregiè adminiſtrauit: cuius tanta fuit vitæ ſanctimonia, vt prophetico à Deo Spiritu mirificè illuſtratus fuerit: quod eo vel exemplo perſpicuum fuit. Nam Tarenti cùm in quendam Clericum nuper profeſſum, cuius nomen haud ignotum reticeo, oculos deflexiſſet; eum non diuino, ſed humano ad Religionem ſpiritu ductum, quò facilius literarum ſtudiis incumberet, ſtatim agnoſcit: atque illum quidem magnum in Eccleſia Dei Concionatorem futurum prædixit: veruntamen Tollendum caſu, quò grauiore ruat: Ordinem namque deſerturum, atque in peiora animæ damna ruiturum affirmat: Quæ omnia miſero adamuſſim (vti ab eo prædictum fuerat) contigêre: cùm enim Prædicator inſignis euaſiſſet, tandem ab Ordine excidit: alteramque Religionem petens, in ea proprietarius obiit. Iacobus verò, cùm ad extremum vſque ſenium, vitam maximis virtutibus exornatam duxiſſet; magno tandem ſanctimoniæ nomine apud omnes relicto, diem nouiſſimum claudit

*F. IACOBI Aletini Vita, & geſta.*

*Prophetico ſpiritu quædam futura prænunciat.*

*F. Anselmi Aletini Vita, & geſta.*

XV. Alter quoque Anſelmus Aletinus Clericus, qui vix Votorum profeſſione emiſſa, hectica febre laborare cœpit; cùm vitæ puritate, ſimplicitate, obedientia, ac Regularis obſeruantiæ, quam altè animo imbiberat, zelo præcelleret: Induſium, quo Phyſicus illum, ob ægritudinis moleſtias vti ſuadebat, conſtanter recuſat. Quapropter Beatiſſima illi Virgo poſt hæc apparens; pretioſiſſimúmque è Cælo induſium allatum oſtendens, his eum verbis alloquitur: En Anſelme, pro molli induſio, quod propter filij mei amorem reſpuiſti; hoc tibi cæleſte induſium ſeruatur, quod poſt breue tempus, in Cælo coronandus accipies. His ille Deiparæ verbis, ac præſentia recreatus, cùm ægritudinis moleſtias, ad extremam vſque vitæ lineam, alacri animo tuliſſet; lætus tandem ad Virginis promiſſa euolat.

*F. Gregorii Gallipolitani Vita, & geſta.*

XVI. Quintus ex eadem Hidruntina Prouincia ſe offert, F. Gregorius Gallipolitanus, Clericus; in quo occultiſſima diuinæ Sapientiæ, ac benignitatis arcana conſpiciũtur. Hic enim cùm & morũ improbitate, & effræni viuẽdi licentia, non parùm à communi vitæ ratione, ac humilitate; quæ Clericorum præſertim apud nos propria eſſe ſolet, abhorreret: à Prouinciali Vicario correptus, atque ad meliora prouocatus, tantùm ea correptione profecit; vt animo prorſus commutato, aliam vitæ rationem, tot, tantiſque virtutibus ornatam inſtituerit; vt prioris omnino maculam deleret. Tam enim humilitate, obedientia, modeſtia, ſenſuum mortificatione, manſuetudine, ac cæteris animi virtutibus cœpit excellere; tam arcta paupertatis lege ſeipſum obſtringere; tam ſeuera panis, & aquæ ieiunia ferè quotidiana exercere; tot flagellis, ac macerationibus carnem caſtigare; tamque ardenti animi ſtudio, orationi, ac rebus diuinis incumbere: vt iam non prior Gregorius, ſed eo ſepulto, alter, ac melior pro eo ſurrexiſſe videretur.

*Ipſius cõuerſio poſt Vitia cõmendatur.*

*Paupertas ante omnia ſectanda, vt quis B. P. Frãciſco placeat.*

XVII. Porrò inter has noui hominis metamorphoſes, cùm Gregorius ſemel in oratione defixus, Deum, ac B. Patrem Franciſcum deprecaretur; vt qua via illi ad perfectam Regulæ obſeruantiam gradiendum eſſet, oſtenderent. B. P. Franciſcus eidem habitu lacero amictus, Crucémque in manu geſtans, apparet, his eum verbis compellans: Gregori, Fili, ſi Deo, ac mihi placere optas, paupertatem ante omnia ſectare: eamque & interiùs, & exteriùs ſerua. Quo audito tanta deinceps is paupertatis cupiditate flagrare cœpit; vt nihil magis, quàm altiſſimas paupertatis diuitias appeteret: ita vt in ea ſummas animi ſui voluptates collocaſſe videretur. Hic demùm vitæ curſu Hidrunti confecto, rebus pauper, virtutibus diues, hoc anno in Cælum migrat, Beatorum Pauperum conſortio copulandus.

*F. Hieronymi à Butunto Vita, & geſta.*

Sextus tandem huius Prouinciæ flos, hoc anno, è Conuentu Aletij erumpit, F. Hieronymus à Butunto Sacerdos: cuius virtutum odor ab ipſo ſæcularis vitæ ſtatu diffundi cœpit. Dum enim adhuc in ſæculo verſaretur, Medicam artem tanta pietate profitebatur; vt egenos nullo non modò pretio curaret, verùm etiam iis ad pharmaca, & neceſſaria ſibi edulia comparanda, pecuniam erogaret. Hic igitur, cùm in Neapolitana Vrbe, Medicinæ ſtudiis, cum aliis eiuſdem patriæ municipibus, communi contubernio vacaret: id inter eos condictum erat; vt ſingulis diebus vniuerſi, vno eorum excepto, qui domi cuſtos remaneret, ſacro Miſſæ Myſterio intereſſent. Dum igitur quodam mane, quo illi domus cuſtodia contigerat; in proxima Eccleſia, in qua ſacra Miſſæ Myſteria celebrabantur, ſignum ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eleuationem dari percipit; mox ſecum his verbis conqueri cœpit: Heu, cur mihi ſoli hoc mane, diuina Chriſti Domini præſentia frui non licet? cúmque ſumma adorandæ Euchariſtiæ cupiditate flagraret, mox in genua procidens, Sacrum Domini Corpus abſens adorat: quo tempore, interiectos omnes parietes aperiri, diuinamque Euchariſtiam à Sacerdote eleuari conſpicit: qua eleuatione peracta, protinus vniuerſi ad priſtina loca redeunt.

*Magnis in ſæculo virtutibus, ac Dei donis illuſtratur.*

*Bis abſens Euchariſtiã adorãs illius diuino Miraculo, viſione potitur.*

XVIII. Rurſus Butunti, cùm Sacrum auditurus, ad Capucinorum Eccleſiam tardiuſculè aliquando acceſſiſſet, omnia Miſſarum Myſteria peracta reperiens, ea re vehemẽter





indoluit. Quapropter poſt preces ad Deum effuſas cùm rediret: audit in Vrbe campanæ ſignum pulſari, quo Sacramentum in Miſſa à Sacerdote attolli ſignificabatur: protinus ille in genua corruens, abſens Domini Corpus veneratur: quo tempore celebrans Sacerdos illi in aëre apparet, qui Domini Corpus ſub panis accidentibus, quemadmodum in Miſſa fieri ſolet, illi adorandum offert; cúmque eodem modo Sanguinis quoque Calicem à Sacerdote eleuatum adoraſſet; euaneſcens viſio hominem adeò corde compunctum, ac noua pietate imbutum reliquit; vt mox ſæculum deſerere, Deóque famulari cogitauerit. Verùm cùm in eo adhuc animus hæſitaret, diuinæque vocationis ignarus, Deum ex animo rogaret; vt quænam potior, ſæculi ne, an Religionis illi via foret, ſigno aliquo demonſtraret: Moyſis protinus à Deo ſignum accipit. Nam repentè dextram manum ſibi lepra albeſcentem cernit; quæ poſt aliquod temporis ſpatium, abſque vlla hominis opera, ad priſtinam incolumitatem rediit. Eo ſigno intellexit Vir prudens, Domino præſertim mentem illuſtrante, vtriuſque & ſæculi, & Religionis ſibi ſtatum inſinuari. Etenim cùm leproſa manus, Sæculi, innato vitiorum morbo, velut lepra laborantis conditionem indicaret; Ioanne atteſtante: *Mundus totus in maligno poſitus eſt: quoniam omne, quod eſt in Mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ:* cunctas voluptates, quæ ex illius dextra emanant; lepra conſperſas, ac lethalis morbi veneno infectas didicit: ac propterea ſæculi ſtatum leproſa manu rectè ſignificari agnouit. Contrà Religionis ſtatum dextræ incolumi ſimilem, tunc primùm eſſe animaduertit; qui cùm virtutibus ſcateat, quibus animus à vitiorum morbo curatur; integras tantùm, ac perfectas voluptates habet; quæ ex Dei dextra, velut ex Torrente fluunt; iuxta illud Dauidicum: *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.*

*Diuino miraculo ad Religionem prouocatur.*

*Ioan. ep. 1. c. 5. & 2.*

XX Cùm itaque Hieronymus iam diuinæ vocationis certus eſſet, haud diem procraſtinat: ſed quò Deus vocat, protinus ſibi eundum ſtatuit: nulláque interpoſita mora, ſe Capucinorum iugo ſubiicit. Hic igitur inter Seraphicos Chriſti milites relatus, non vacuum nomen gerere, aut aërem pugnando verberare: ſed Apoſtolicum conſilium ſecutus, carnem diris verberibus caſtigare cœpit; ne in ſpiritum inſoleſceret; ieiuniis extenuare; ne contumacem experiretur: frigore, ac nuditate afflictare; ne inter commoda deflueret: duris, ac aſperis mactare; ne ſub mollibus elangueſceret. Denique ne in incertum, ac fruſtrà curreret, ſæpè leproſam nequam huius ſæculi manum, ex qua liber euaſerat, altè animo repetebat; quo ſe ad maiores ſemper virtutum profectus prouocaret. Rerum paupertatem, ac penuriam adeò diligebat, vt ſuperflua omnia reſecans; nihil præter ea, quæ à Regula præſcribuntur, ſuo vſui ex Superiorum licentia vendicaret. Oratio illi frequens, & aſſidua erat: ita vt plures diei, ac noctis horas in ea inſumens, eam vt plurimùm lachrymarum imbribus perfunderet. Hinc aſſidua hac rerum cæleſtium contemplatione, eam mentis in Deum ſuſpenſionem ſibi comparauerat; vt cùm diuinos Pſalmos in Choro cum cæteris decantaret, ab humanis prorſus abſtractus, & cæleſtibus Angelorum Choris inſertus, videretur. Sacroſancta Miſſæ Myſteria tanta mentis pietate, ac religione celebrare ſolitus erat; vt nunquam ſine lachrymarum effuſione, iis incumberet: quo fit, vt ſæpè Beatiſſimæ Virginis præſentia inter ea potitus fuerit: pluraque à Deo, ob ſingularem ipſius in hæc ſacra Myſteria reuerẽtiam, ac deuotionem dona acceperit. Eluxit inter nos Hieronymus, plurima apud omnes virtutum laude, ac ſanctimonia clarus: relictáque ſui nominis apud mortales gloria, Aletij hoc anno, ad Immortales conſcendit; immortalem gloriam conſecutus.

*Capucinorũ Ordinem ingreditur.*

*Multarum virtutum laude cõmẽdatur.*

*F. Ioannis Baptistæ Ferrarienſis, Vita, & geſta*

XXI. Florent quoque hoc anno, in Bononienſi Prouincia, Viri virtute præclari; quorum memoria cùm apud homines in benedictione ſit, eam ſilentio deleri virtus ipſa, quæ æterna eſt, nullo modò patitur. Inter hos primus eſt, Fr. Ioannes Baptiſta Ferrarienſis Clericus; qui à puero illecebris huius vitæ contemptis, quædam in ipſa

pueritia, religioſæ mentis teſtimonia prælibauit: ætate verò adoleſcente, cùm ſextumdecimum annum attigiſſet; Deo illum, velut alterum Abraham, intus vocante: Exi de cognatione tua, & de Domo Patris tui: ſic Deo obtemperandum putauit; vt protinus Patre, Matre, ac paterna Domo relicta, ad Capucinorum ſe Familiam tranſtulerit. Porrò cum eo in Religione creuit & virtus; nihil enim eo humilius, nihil honeſtius; nihil magis ad omnem obedientiam compoſitum erat. Quaſi columba ſimpliciſſimus, adeò hac virtute excellebat, vt duplicitatē ne quidē agnoſceret: nihil niſi cādidū in animo gereret; cūcta crederet, cūcta ſano oculo intueretur: atque ita ſibi parendum eſſe putaret; vt non mentem tantummodò, ſed etiam verba ipſa, quæ interdum à Superiore metaphoricè proferuntur, ſpectanda eſſe cenſeret. Pulcher facie, at animo pulchrior, tantam in moribus honeſtatem, ac venuſtatem præferebat; vt Angeli potiùs, quàm hominis ſpeciem referret. Tot demùm, tantiſque virtutibus emicabat; vt Dæmon illi maximè inuidens, dum ſemel in Cella ſacrorum Librorum lectioni incumberet; ignem maximum in ea accenderit: quod vbi Ioannes Baptiſta illud Dæmonis opus eſſe cognouit; ſtatim in genua procumbens diuinam opem implorat, orationeque Tartaream illam flammam extinguit.

*Simplicitate, & animi puritate præcellit.*

*Ignem illi à Dæmone in Cella accenſum ſua oratione extinguit.*

XXII. Sed quoniam placita erat Deo anima illius: ne quando malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio ipſius ſimplicitatem euerteret: maturiùs illam Deus Opt. Max. ex huius vitæ periculis euocat: vix enim ad ſecundum Religionis annum peruenit; cùm in Conuentu Mutinæ, graui morbo diſcruciari cœpit: qua in ægritudine ea tantùm illius vox audiebatur: Veni Domine, & noli tardare. Cùm verò, morbo naturam ſupergrediente, extremum vitæ exitum expectaret; veſperarum tempus aduenerat, cùm Guardianus ad Ægrotum conuerſus ait: Ioannes Baptiſta, iam horæ veſpertinæ inſtant; En tibi tintinnabulum: ſi ante abſolutas Veſperas te Dominus ad cæleſtia vocauerit, tintinnabulum pulſa; vt huc ſtatim accurrens, te mea benedictione proſequar. His annuit Aegrotus: vix autem inchoantur Veſperæ; cùm tintinnabuli ſonitus auditur: mox Guardianus ad Aegrotum feſtinans, cùm primùm ad eum peruenit; illum Ioannes Baptiſta ita affatur: En, Pater, vt iuſſiſti, tintinnabulum pulſaui: Iam profectionis tempus eſt, hora interpellat, in Cælum abeo: *Benedicite*: flexoque versùs Guardianum capite, eodem tempore illud ad ſupremam quietem inclinat; eademque ſimplicitatis virtus, quæ viuentem comitata fuerat, morienti quoque ad Cælum aditum ape-

*Multa cum pietate, ac ſimplicitate in Domino quieſcit.*

XXIII. Hunc non longè ſecutus eſt F. Ioannes Foroliuienſis, Sacerdos, qui diu in ea Prouincia Nouitiorum inſtitutioni vacauit. Hic perfectiſſimus fuit Regulæ cultor; non legis auditor tantùm, ſed factor operis: neque alios tantummodò verbis erudiens, ſed illuſtriſſimis vitæ exemplis confirmans. Verè Nouitiorum Pater, ac Magiſter fuit: qui Religionis plantulas è ſæculo erumpentes, non modò ſua doctrina, ac eruditione excoleret; verùm etiam cæleſti ſuarum virtutum rore irrigaret; & ad incrementum compelleret. Plurima de huius Viri ſanctimonia, apud omnes fuit exiſtimatio, de qua tamen pauca propter Scriptorum inopiam narrantur: inter alia verò, pleraſque à Deo Reuelationes accepiſſe, velut certum aſſeritur: cuius illud argumentum fuit; quòd eo ad mortem in Fauentiæ hoſpitio ægrotante: cùm iam iam Deo ſpiritum redditurus eſſet, adſtantibus Fratribus, ait: Citò, Fratres mei, ad Conuentum feſtinate: nam N. Nouitius (illum ex nomine indicans) iterum ad ſæculum redire cogitat: ſatagite, vt illi opem adferatis; quod cùm res ipſa probaſſet: his dictis, magna ſui nominis fama apud Fratres relicta, hanc lucis vſuram reddidit.

*F. IOANNIS à Foroliuio, Vita, & geſta*

*Prophetiæ ſpiritu præcellit.*

XXIV. Tertij quoque memoria in eadem Bononienſi Prouincia celebratur: nimirum F. Alexandri à Butrio, Sacerdotis, qui cùm in ſæculo, quaſi extra ſæculum religioſam vitam duceret; in Religione in carne præter carnem viuens, plurimas à Deo virtutum Coronas conſecutus eſt. Hic Marij à Foroſarzinio, olim totius Or-

*F. ALEXANDRI à Butrio, Vita, & geſta.*





dinis Generalis, Nouitius fuit: qui cùm in eo vultus elegantiam, morum ſuauitatem, ſenſuum mortificationem, mentis prudentiam, actuum moderationem, animumque ad omnem virtutem compoſitum contemplaretur; de eo dicere ſolebat: quod de S. Bonauentura Alexāder Alenſis olim dixiſſe fertur; nimirum quòd Adā in homine illo haud peccaſſe videretur. Is dum adhuc probationis annum agit, cùm in Eccleſia cum cæteris oraret; Marius Magiſter lucidiſſimam coronam ſuper ipſius caput, è Cælo aliquando deſcendentem conſpexit. Quapropter cùm abſoluta oratione, ab eo Marius percontaretur: quid in ea oratione diuinum meditatus eſſet: Reſpondit: Heu, Pater, tot prauæ cogitationes orationis tempore animum inuaſerunt; vt omnem diuinarum rerum meditationem ab eo exulare coegerint; quò diligentiùs iis intenderem, & contra eas in acie ſtarem. Tunc agnouit Marius, haud aliundè, quàm ex malarum illarum cogitationum victoria, cæleſtem illam Alexandro Coronam emanaſſe: eamque deuicti certaminis præmium fuiſſe.

*In oratione dum tentationem Dæmonū ſuperat, è Cælo illi Corona defertur.*

XXV. Abſoluto verò Probationis anno; cùm Cæſenæ ſub Conſtantini Mutilenſis, Viri ſanctimonia illuſtris, diſciplina militaret: communi quadam die orationi cum cæteris in Eccleſia vacabat: quo tempore Conſtantinus in eum oculos coniiciens, tres ſucceſſiuè Coronas, ſuper ipſius caput è Cælo dilabi cernebat: quarum cùm ille Myſterium ignoraret, ab eo poſt orationem ſciſcitatur, quænā illius in oratione meditatio fuerit: cui Alexāder, Sterilis, inquit, Pater: mihi in hac oratione meditatio fuit: tres enim aduersùm me Satanas, eaſq; grauiſſimas tentationes mouit; quæ cùm animum perturbarent, cum à meditationis quiete reuocarunt; atque eo factum eſt, vt totum mihi hoc orationis curriculum, perpetuus mihi cum Tartareo hoſte conflictus fuerit. Intellexit igitur Conſtantinus, tria illa diſtincta aduersùs Dæmonis tentationes certamina, quibus ſuperbum hoſtem proſtrauit; tres illi cæleſtes Coronas peperiſſe: vt hinc qui vel à Diabolo tentantur, vel ab eo varias cogitationum moleſtias perferunt; animum augeant, fortiùſque cum Dæmone colluctari diſcant: cùm tot ſibi cæleſtes coronas parēt, quot de Tentatore victorias referūt.

*Tres è Cælo ſibi Coronas comparat.*

XXVI. Poſthæc cùm Fauentiæ degens, ſemel in Eccleſia oraret: Stygius ille Faber, qui prunas ardere facit, tam ardentes libidinis faces in Alexandri carne ſuccendit; vt quanquam ſtrenuus Chriſti miles cum hoſte fortiter decertaret; vndique tamen ſibi à Superis ſuppetias quæreret; quò familiarē hoſtem debellaret. Verùm vbi multorum opem implorauit, demùm ad Beatiſſimam Virginem conuerſus: Tuum eſt, inquit, ô Virginum Mater, & Cuſtos, tuos ſeruare: hoſtes tui ſunt, qui agmine facto in me irruunt: Adeſto, Virgo, celereſque mihi contra hoſtes tuos ſuppetias fer: vt nomen tuum per ſæcula laudem. Has cùm preces ad Virginem Deiparam ardentiùs effudiſſet: mox tentationis flamma ea oratione, velut effuſis aquis extincta, de Tentatore victor euaſit. Magiſter verò, qui procul decertantem intuebatur: B. Virginem auream coronam, è Cælo ſuo pugili deferentem videt; quod & aliquando aliis narrauit.

*Carnis tentationem ſuperans à B. Virgine Corona donatur.*

XXVII. Tanta denique, apud Fratres, de Alexandri ſanctitate exiſtimatio percrebuerat: vt cùm interdum Superiorum iuſſu ad aliquem ſe Conuentum conferret; certatim Fratres, non manus (vti fieri ſolet) ſed illius pedes oſculari contenderent. Sed quoniam, (vt teſtatur Sapiens) *Vaſa Figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis*, atque eos, quos Deus ad vitæ coronam prædeſtinat, tentatione probat: hinc Deus Alexandrum, grauis cuiuſdam calumniæ, quæ illi aliquando apud Superiores inuſta fuit, tribulatione premi permiſit: vt illius virtus tentatione probata, eum ad maiora Cæli præmia pararet. Inuicta animi patientia Alexander eam calumniam, quæ grauis erat, accepit, tulit, ac patientiſſimo animo tolerauit; donec ipſius tandem innocentia perſpecta, cunctis clarior ipſius ſanctitas enituit. Porrò ea tentatione conſummata; cùm Veruchij, vbi tunc Conuentus extruebatur, ædificationi præſideret: in ſupremum languorem incidit: ex quo quum

Eccleſ. 17.

*Grauem calumniam patienter ſuffert.*

primùm ſe à Domino vocari cognouit, humi deponi, extremumque vitæ ſpiritum, ſtrenui Athletæ inſtar, in palæſtræ arena exhalare voluit; vt inde certaminum coronas, quas ſibi viuens comparauerat, poſt extremum victoriæ triumphum referret.

XXVIII. Pleroſque etiam S. Franciſci Prouincia, illuſtres, hoc anno, Viros profert; in quorum numero primus eſt F. Illuminatus à Nurſia, Laïcus eximiæ ſanctitatis, & ſimplicitatis Vir: quæ inde cunctis facilè innotuit: quòd ſæpè cum auibus Cæli ludere viſus eſt; quę cùm hominē planè cæleſtem agnoſcerēt, ipſius iuſſis diuino nutu obtemperabant. Die quadam, cùm in Ciuitate Plebis conſueto Eleemoſynarij officio incumbens, Ciuis cuiuſdam domum ingreſſus eſſet; Gallum ſibi obuium habet; à quo cùm domus familiares propterea cauendum eſſe admonerent, quòd roſtro homines inuaderet: Quid (inquit) Gallum hunc tam terribilem mihi effingitis? Nequaquam tam ferox, ac immanſuetus eſt. Tum protinus Gallum ad ſe vocat, qui in illius ſtatim humerum aduolans, quaſi domeſtica auis eſſet, ſingularia illi familiaritatis ſigna oſtendere cœpit. Rurſus cùm Ægrotans Syllano Caſciam proficiſceretur; volucrem quandam volantem cernens, ait: Heus Auis ſoror: oro te, vt ad me venias, ac languentem conſoleris: ſimulque iter hoc conficiamus. Mox dicto citiùs auis in ipſius ſinum aduolans, ac garriens; nunquam toto eo itineris ſpatio ab eo diuelli voluit; vt Viro Dei ea, quæ poterat, ſolatia præſtaret. Hoc quoque modo, cùm in Conuentu Meuaniæ horti curam gereret: ſæpiſſimè inter culturæ labores, volucres ad ſe vocans, velut amicas excipiebat; quæ ſuper ipſius humeros, brachia, caput volitantes, cum eo familiariter, velut amico colludebant. Hæc cùm Dei Virum maxima tum mentis puritate, tum ſimplicitate præditum indicarēt; haud vulgarem proculdubio ipſius ſanctitatem cōmendabant. Maxima ſanctus hic Vir erga omnes, præſertim verò erga Defunctorū animas, charitate flagrabat; quo fiebat: vt pro iis quotidianum, centum Orationum Dominicalium, ac totidem Salutationum Angelicarum ſuffragium Deo deuotiſſimè perſolueret. Prophetiæ quoque eum Spiritu claruiſſe, id inter alia declarauit: Nam cùm in Agro Citernenſi mulieri, cui filius interfectus fuerat, nulla ratione perſuadere poſſet; vt iniuriam interfectori condonaret, odiumque in eum conceptum deponeret; diuino tandē Spiritu percitus: Audi, Mulier, inquit, & expaueſce: quandoquidem inimico, qui à te pacem exquirit, Dei cauſa ignoſcere recuſas. Nec tibi profectò Deus ipſe parcet: Aſellus enim tuus hic (ducebat tunc illa fortè manu Aſellum) quem nunc mitem experiris, tibi ferox, ac fatalis erit: teque celeriùs, quàm tu tibi auxiliari queas, ſuis pedibus conteret, ac è medio tollet. Res non multò poſt infauſtum, quem prædixerat, exitum ſortita eſt: Nam cùm Mulier Aſino inſidens, in vineam proficiſceretur: Aſellus in Dominam præter morem, & expectationem ferociens, eam dentibus inuadit; dilacerat, atque humi deiectam tandiu pedibus conterit, donec ea crudelem animam ageret: Deo ita pœnam compenſante; vt mite animal immitis animi ſcelus vlciſceretur. Tandem is poſt complures annos: magna cum pietatis, ac virtutis laude tranſactos, hoc anno piorum præmia ex humanis migrans adipiſcitur.

*F. ILLVMINATI à Nurſia Vita, & geſta.*

*Ob eximiam puritatē cum Auibus Cæli ludit.*

*Prophetiæ ſpiritu mulieri necem infauſtā prænunciat.*

XXIX. Fratris quoque Bartholomæi à Marciano, Laïci, in eadem Prouincia, animi candor, ac ſimplicitas, etiamnum apud omnes commendatur: quæ tum ex naturæ dono illi à Deo indita, tum ſedula virtutū exercitatione ab eo comparata, in eo tātoperè elucebat; vt primum innocentiæ ſtatum aſſecutus videretur: quo fiebat, vt vix in horto appareret, quum Aues circa illū volitantes, familiariter cum eo verſabantur: quas ille proprio nomine appellans, nunc vni, nunc alteri colludebat; paniſque micis, quas è menſa ſecum ferebat; quaſi filias paſcebat. Hic quoque hoc anno, purus ad puriſſimos æternitatis fontes peruenit.

*F. BARTHOLOMÆI à Marciano Vita, & geſta.*

XXX. F. Pacificus à Spoleto, Sacerdos, eiuſdem Prouinciæ, Vir omni pretioſo virtutum lapide ornatus: dum in Conuentu Tiferni Guardiani officio fungitur, hoc

*F. PACIFICI à Spoleto Vita, & geſta.*





anno, ab omnibus huius ſæculi curis exoluitur, beatámque quietem conſequitur. Huius vita perpetua quædam mortis meditatio fuit; quo viam ſibi ad beatam æternitatem parauit: dumque ſupremum quotidie ſibi putat illuxiſſe diem; quotidianis virtutibus inuigilans, æternæ vitæ, quæ honeſtam mortem conſecuta eſt, in obitu, ex Domini præſentia, vſuram accipit. Dum enim extremo morbo prægrauatus cum morte colluctatur, Chriſtum Dominum, ac B. Virginem, copioſáque Beatorum agmina, ſe ad præmia, allicientium cōſpiciens: his adſtantes verbis alloqui cœpit. O quàm bonum, & quàm iucundum eſt, Fratres, corpore diſſolui, & eſſe cum Chriſto! Quid me adhuc carnis repagula tenent? En me Dominus, ac Virgo Deipara ad præmia expectant; Sanctique exitum meum præſtolantur. Iam valete. Hiſque in verbis, felicem animam efflat, æterna gloria coronandam.

XXXI. Alter quoque F. Humilis à Spoleto, Laïcus eiuſdem Prouinciæ, in Conuentu Porcariæ, hoc anno carnis ſarcinam deponit. Huius obedientia, abſtinentia, auſteritas, charitas, ſimplicitas, ac Regularis obſeruantiæ cultus tam admirabilis fuit; vt Deum teſtem habere meruerit. Cùm enim in his, pleroſque Religionis annos, magna vitæ ſanctimonia duxiſſet: ſub mortalis vitæ finem, F. Bernardo à Spoleto Sacerdoti, qui illius confeſſiones audiebat, ſecretò reuelat: ſe per octo integros annos; quoties in Miſſa Sacrum Domini Corpus ſpectandum attollebatur, Dominum his verbis rogaſſe: Domine Ieſu Chriſte, meis quæſo propitius eſto peccatis, vt te ſemper laudare queam cum Angelis beatis. Ex his cùm priores quatuor anni elapſi eſſent: reliquis poſterioribus annis, hanc ſemper Domini vocem, toties è Sacramento ſibi reſpondentem, audiuiſſe affirmat: En ego propitius ero tuis peccatis; meque ſemper laudabis cum Angelis beatis.

*F. HVMILIS à Spoleto, Vita, & geſta.*

XXXII. F. Stephani Fulginatis hoc tempore ſingularis virtus enituit: qui cùm in Obſeruantium Ordine, Prouinciæ S. Franciſci Miniſter eſſet; eo dignitatis honore, ob perfectam Regulæ Obſeruantiam, contempto; ſigilliſque ad Definitorium cum Sociis remiſſis, ingloriam ſibi apud Capucinos vitam eligit. Vir hic, quum primum ad Religionem acceſſit; tametſi tam prouectæ ætatis eſſet, vt ad ſenium accederet; ſeueram tamen anni probationem ſubire; atque omni humilitate, ac ſui-ipſius abiectione peragere voluit. Noua porrò Votorum profeſſione emiſſa, nouum quoque ac cæleſte vitæ genus inſtituit: Obedientia, abſtinentia, vitæ auſteritate, carnis maceratione nulli ſecundus erat: humilitate maximus, viliſſima quæque domus obſequia præſtare haud verebatur. Cúmque ſe ad perfectam Regularis obſeruantiæ diſciplinam addiſcendam, non ad honores captandos, ad Capucinos emigraſſe diceret; oblatos gradus, ac dignitates recuſat: ac demum, cùm aliquot annos, ſumma cum vitæ integritate, ſui-ipſius contemptu, ac perfecto omnium virtutum exemplo, in Religione conſumpſiſſet; Sempiternos in morte apud Deum honores conſequitur.

*F. STEPHANI Fulginatis, Vita, & geſta.*

XXXIII. Illuſtris in eadem Prouincia eſt F. Thadæi à Monte Petriolo, Sacerdotis memoria: qui toto vitæ ſuæ curriculo auſteriſſimus Regulæ cultor, paupertatis exemplar, atque Euangelicæ perfectionis integer emulator fuit. Hic indefeſſo animo, diuinorum conſiliorum, ac Seraphici profectus viam percurrens, eò ſanctitatis peruenit: vt ipſa quoque animantia rationis expertia, perfectum in eo diuinæ ſimilitudinis ſignaculum agnoſcerent. Nam in Conuentu Panicali, ſæpe in ſyluam ſecedens, cùm in ea diutiùs oraſſet; ad eum omnigenæ aues accedebant, & cum eo familiariter conuerſantes, ab eo cibum velut à Parente ſibi emendicabant. Cúmque in hoc cæleſtium virtutum ſtadio, vſque ad vitæ finem legitimè cucurriſſet; hoc anno, perſeuerantiæ tandem coronam tulit; ac cæleſtis patrię brauium conſecutus eſt.

*F. THADÆI à Monte Petriolo, Vita, & geſta.*

## *F. LEONIS CATANENSIS, Vita, & Geſta.*

XXXIV

E Meſſanenſi Prouincia, clarum itidem, hoc anno, Religionis ſydus emicat, Fr. Leo Catanenſis, Laïcus, cuius vita tanto ſanctimoniæ ſplendore, totque clariſſimis à Deo Miraculis illuſtrata fuit: vt quam Deus Opt. Max. ad ampliorem ſui nominis gloriam, & Chriſtianæ Reip. commodum, in Religionis candelabro, quò pluribus ad virtutem illuceat, ſtatuere voluit; ea nulla ratione ſub modio occultari, aut ſilentio à nobis præteriri debeat. Hic igitur, quum primùm Seraphicæ Religionis militiæ, apud Capucinos nomina dedit; tam multiplicia virtutum ornamenta, velut armorum Panopliam, ſibi accumulare ſtuduit: tamque alta cæleſtis ædificij fundamenta iecit; vt quaſi altera Turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis; mille heroïcarum virtutum clypei ex eo penderent, omniſque fortium pugilum armatura in eo collecta conſpiceretur. Ex eo namque in primis erumpere videbatur perfecta Humilitas, quæ ipſius animum vſque ad ima deprimeret; ac omnium pedibus ſubiiceret: ſimplex Obedientia, quæ perfectam illi abnegationem pareret: altiſſima Paupertas, quæ animum ad cæleſtia celerem, ac expeditum redderet: candidiſſima Honeſtas, ac pudicitia; quæ eum illi pudorem, ac morum venuſtatem conciliaret, quæ ab eo omnem turpitudinis labem, ac labis ſuſpicionem longè propulſaret: indita quoque quædam vultui, ac moribus modeſtia, ac manſuetudo inerat: qua fiebat, vt immoderatos illos iræ, aut alterius cupiditatis impetus, velut frœno domitos, ac religatos haberet. Poſtremò (vt cætera virtutum tela præteream, quibus Leo hic fortiſſimus, ſeipſum ab exordio aduerſùs vitiorum phalanges armauerat) potiſſimùm in eo elucebat feruentiſſimum quoddam Orationis ſtudium, ac frequentia: qua ſe Leonis inſtar, Tartareorum hoſtium copiis formidabilem reddebat. In hanc cum diu noctuque, tota animi vi intenderet; plerunque fiebat: vt in mentis exceſſum raptus, vi extatici feruoris, ſæpe etiam corpore in aëra extolleretur.

*F. Leo Catanenſis Vir Sanctimonia ac Miraculis inſignis.*

*Quamplurimis virtutibus coruſcat.*

XXXV.

Orabat aliquando Vir Sanctus in Eccleſia ante auroram, dum in Conuentu Tyracenſi moras trahit: quo tempore Frater Criſpinus Nouitius, ad eum accedens, Leonem magno ſplendore emicantem, ſex è terra cubitis elatum conſpicit: quo aſpectu is adeò exterrefactus fuit; vt ferè exanimis in Cellam rediret; remque ad Magiſtrum referret. At neque id Leoni nouum, aut inſolitum erat: Etenim cùm in eodem Conuentu, vnà cum Fratre Andrea Catanenſi Laïco, haud ſanè minoris ſanctitatis Viro, noctu oraret: quidam Agricola, cuius domus haud longè à Conuentu aberat; ſæpe noctu ſplendiſſimum quendam lucis globum, velut Solis iubar, ſe ſe ex Eccleſiæ culmine efferentem conſpiciebat: quod cùm factum admiraretur, propiùs aliquando ad Conuentum accedens, duo clariſſima lumina, ſe ſe ex Eccleſia in Cælum vſque attollentia cèrnit. Rem adhuc magis admirans, Conuentus tintinnabulum pulſat: hora erat antelucana: cùm is vt Fratribus notus, ac familiaris erat; nulla nocturni illius gemini ſplendoris mentione Ianitori facta, iter cum Ianitore ad Eccleſiam carpit. Vix autem Eccleſiam ingreſſi, Leonem, & Andream ante SacroSanctæ Euchariſtiæ Altare orantes, mente in Deum abſorptos, ac corpore in ſublime elatos intuentur: ac tunc primùm is, quid duo illa lumina in Cælum ſe ſe efferentia præſeferrent, eo aſpectu didicit: Ex quo id quoque cunctis innotuit: eos velut Cæleſtia quædam lumina coruſcare, qui vitiorum tenebris depulſis, gloriam Domini ſpeculantes, præ charitatis æſtu, in diuinam imaginem transformantur: ac de charitate in charitatem, tanquam à Domini ſpiritu, ad ſupremum diuini numinis ſplendorem, qui in hac vita attingi poteſt, ducti; vnum cum Deo, qui ſuprema hominum, & Angelorum lux eſt, efficiuntur.

*In oratione mẽte excedit, ac toto corpore in aëra eſfertur.*

*Eo orante lumina ſupra Eccleſiã conſpiciuntur.*

*Ante ſacram Euchariſtiã in aëra ſubleuatur.*





XXXVI Hos orationis æſtus, quibus Leo magis in dies accendebatur, cùm Dæmon ferre non poſſet; ſæpè ſtrepitus, ac fragores in Eccleſia ciebat; vt eum ab oratione exterreret: at qui Satanæ artes, ac inſidias nouerat, iis haud quaquam mouebatur; præſertim cùm eum velut canem catenis innexum, latrare quidem poſſe, mordere autem non poſſe, perſpicuum haberet. Quare cùm eo ſemel ante Sacramentum orante, Dæmon Eccleſiæ tectum conuellere videretur: Clericus Sacriſta periculum pertimeſcens, in fugam ſe dedere parabat: quem ille manu arripiens; Quid formidas, inquit. En Deus pro nobis ſtat: vanæ ſunt iſtæ Dæmonum artes, ne abſcedito. Tanta enim erat Leoni in Deum fiducia, vt ad nullum Satanæ paueret occurſum.

*Dæmon ſtrepitum edit, vt Leonem ab Oratione auocet.*

XXXVII. Huius Viri Sanctitatem admirabantur Fratres: neque enim is hominem, ſed Angelum inter homines referebat: quo fit, vt ad eum, velut ad cæleſte quoddam ſignum, ac diuinorum conſiliorum oraculum, ſæpè homines confugerent. In Conuentu Catanæ, Clericus quidam, Cyprianus nomine, paulò antè obierat; qui cùm diu lento quodam morbo laboraſſet, à communi Clericorum diſciplina; quæ ſeuerior apud noſtros eſſe ſolet, nonnihil dilapſus fuerat: inſolitas apud eos delicias morbo quærens, qui delicias, peiorem morbo ægritudinem eſſe ſentiunt: quo fit, vt plerique dubiam ipſius ſalutem haberent. Suſpicionem auxit, quòd is poſt mortem aliis Clericis, ſub horrenda quadam vultus ſpecie, apparuiſſe diceretur: qua exterriti, ambiguam de illius ſalute ſpem conceperant. Incerta itaque cùm omnibus res eſſet: F. Saluator Meſſanenſis, qui tunc Catanæ Monaſterio præerat; Leonem, cuius haud illi ignota ſanctitas erat, accerſit: eique ſub obedientiæ merito præcipit, vt rei veritatem à Deo oratione exquirat. Humilitas quidem in eo reluctabatur, indignum ſe Dei reuelatione obteſtans: at cùm Guardiani præceptum vrgeret; ad orationem ſe confert: in eaque triduò perſeuerans, tandem à Deipara Virgine, quam ſingulari religione proſequebatur, ſibi in oratione apparente, audit. Cyprianum magno quidem in damnationis diſcrimine verſatum fuiſſe: verùm ob ſingularem illius erga eam deuotionem, ſalutem conſecutum. Quod cùm is Guardiano retuliſſet; noua Guardiano dubitatio ſuborta eſt; num ea Leonis apparitio à Deo, vel à Dæmone emanaret: cúmque in ea animo non parùm hæſitaret: En Cyprianus defunctus nocte Guardiano vigilanti apparens, his eum verbis affatur: Animum, ò Pater, dubitatione exue: Viſio Leonis vera, ac diuina, non diabolica fuit: nam B. Virginis merito ſalutem conſecutus, purgatorias ex Dei miſericordia pœnas luo, poſt quas Deo placato Cælum conſcendam: Iube, quæſo, vt mihi ſuffragia à Fratribus ex charitate impendantur, quò inde celeriùs euolem. Guardianus igitur iam de Cypriani ſalute certus, rem lætus ad familiam defert: quæ ob felicem rei ſucceſſum ſummoperè exultans, ſummas omnes Deo gratias referunt; impenſiúſque pro Fratris anima orationes, ac ſacrificia offerunt.

*De Clerici ſalute à Deo reuelationem accipit.*

*Guardianus de Leonis reuelatione dubitans, à Defũcti anima confirmatur.*

XXXVIII. Accidit quoque hoc tempore; vt dum Leo Catanæ degit, Fr. Dominicus Rhodienſis Sacerdos, cui vita omni virtutum genere inſtructa fuerat, extremum vitæ diem morte conficeret: cuius animam, is ſub candidæ columbæ ſpecie, rectà nubes penetrantem, atque in Cælum euolantem conſpexit.

*Sacerdotis Animam in Cælum ferri cernit.*

XXXIX. Interea tanta de Leonis ſanctitate, præſertim Tyraceni, apud ſæculares homines opinio percrebuerat: vt cùm Eleemoſynarij munus per Vrbem obiret; certatim omnes ad eum contenderent; furtimque ex ipſius pallio panni fruſta præſcinderent. Neque id fruſtrà: tot enim ſignis Deus illius ſanctimoniam teſtabatur; vt ſolo Crucis ſigno, quamplurimos à variis ægritudinibus curaret: Ipſius tamen virtus in eos præſertim, qui capitis languore corripiebantur, enitebat; quos velut Mater amplexans, ac ſigno Crucis benedicens, à morbo liberos dimittebat.

*Ægrotos ſigno Crucis curat.*

XL. Poſt hæc, cùm Deus Opt. Max. iam ipſius vitæ curriculo metam ſtatuere

decreuiſſet, Catanæ in ſupremum corporis languorem incidit: quo tempore, cùm Infirmorum Præfectus, circa noctis medium (vti mos eſt) ad ipſius viſitationem accederet; vix ad ipſius Cellam peruenit; quum ſplendorem inde erumpere, cumque quaſi cum altero contenderet, verbis altercantem percipit. Rem demiratus Præfectus, more impatiens, Cellam aperit; lumenque extẽplò euaneſcere animaduertit: at quandoquidẽ neminem cum Leone adeſſe cernit; ab eo protinus quærit, quocũ paulò antea verbis diſceptaret; quidvè prior ille luminis ſplendor præſeferret. Cui Leo: Venit, inquit, ad me priùs impia, ac nigra Dæmonum turba; multas, ac graues mihi accuſationes obiiciens, vt me in deſperationis barathrum impelleret: antiqua ij crimina, iam pœnitentia abſterſa, tam pertinaciter inculcabant; vt cùm os opprimerent, nec locum defenſioni darent; ad Beatiſſimæ Virginis præſidium refugere compulſus fuerim: quæ illico fulgentiſſima luce circumfuſa apparens, Tartareas illas Dæmonum nebulas diſiecit, ſummaque animum conſolatione affecit: atque hæc illa prior verborum altercatio, tum poſterior luminis ſplendor fuit; quæ hoc tempore contigêre. Verùm tu prudenter caue, ne me ſuperſtite hæc cuiquam reueles. Poſt hæc mentem ad ſuperiora colligens: qui vitam omni cum Iuſtitia, & ſanctitate vſque ad canos traduxerat, Iuſtorum ſomno conſopitus, Domini hæreditatem Iuſtis promiſſam accipit.

*B. Virgo apparens Dæmonũ nebulas diſpergit.*

*F. BONAVENTVRÆ Panormitani tani, Vita, & Geſta.*

Piceni Prouincia, ſuos quoque hoc anno, Viros ſanctitate florentes exerit; Primum Fr. Bonauenturam Panormitanum, Sacerdotem, quem illius Prouinciæ monumenta, Virum eximiæ patientiæ, auſteritatis, atque innocentiſſimæ vitæ extitiſſe ferunt. Vulnus graue in dextro latere illi in morte inuentum fuit, quod cùm multis annis occultum geſtaſſet; ne c vlli vnquam hominum manifeſtum eſſe voluiſſet: hinc facilè cunctis perſuaſum fuit, illud eum à Deo precibus impetraſſe: vt Chriſti Domini vulnerum memoriam, ac dolorem in carne ſentiret. Diu hectica febre in Conuentu Montisgranarij afflictatus, nunquam adduci potuit; vt laneam culcitram ſibi in lecto ſubſterni pateretur: ſed inter graues illius morbi moleſtias, communem Ordinis auſteritatem ſeruans, tandem in eodem Conuentu ad vitæ finem peruenit. Quo tempore mentis exceſſum paſſus; cùm in eo per quartam horæ partem, velut exanimis perſtitiſſet; tum ad ſe rediens, Fratribus circumfuſis ait. Ante Dei Tribunal ſto: Fratres, ſollicitè quæſo pro me ad Deum preces fundite: Tum rurſus mente excedens, dum Fratres obſecrationibus incumbunt, iterum ad ſe rediens, inquit. Grauiter à Dæmone accuſor, atque oppugnor: Ne me veſtris, Fratres, precum ſuffragiis exuite: Tertióque è ſenſibus excedit. Pauebant Fratres, ac rei exitum ſuſpenſi expectabant: interea Deum ardentiùs pro Ægrotantis victoria rogabant; quum poſt aliquod temporis ſpatium, Bonauentura ſibi redditus, hilarem ad Fratres vultum conuertens, ait. Iam gratias Deo agite, Fratres. Nam Dæmone pulſo, diuinum pro me Iudicium ſtat. Poſt hæc cùm ab eo Fratres quærerent: Quaſnam Dæmon aduersùs eum accuſationes congereret; reſpondit: Tria mihi in Dei Iudicio Satan crimina obiecit. Primúm quòd abſque Superioris licentia, duo cuidam familiari ſtrophiola dederim: ex quo me proprietatis ſcelere irretitum obtendebat. Secundum: quanquam literarum ſtudia (Theologicis quippe tunc ſtudiis vacabat) eo animo ſuſciperem; vt ea ad Dei gloriam, & animarum ſalutem transferrem: ad ea tamen humano quoque appetitu, ac cupiditate ferebar. Poſtremum tandem accuſationis caput erat, quòd is nonnulla conſilia in his, quæ ad conſcientiam ſpectant, cuidam Fratri Dominico, qui tunc præſens aderat, imprudenter adminiſtraſſet: quapropter ad illum conuerſus, ait; Dominice, non meo, ſed meliori in rebus tuis conſilio vtere. Poſt hæc dicta, cùm in ſilentio ſpiritum collegiſſet, paulò poſt corporis exuuiis depoſitis, placidè Domino ſpiritum reddit. XLI.

*In Morte ad Dei Iudiciũ rapitur.*

*Salutis ſententiam fert.*

*F. BERNARDINI Eugubini Vita, & geſta.*

Hunc in eadem Prouincia ſecutus eſt, Frater Bernardinus Eugubinus Laïcus, XLII.



Vir omnium opinione præſtantiſſimus, atque antiquæ Religionis exemplar; cuius ſpectata virtus non ſolùm vitæ, quandiu mortalem inter nos duxit; ſed ipſi quoque morti ſplendorem, ac dignitatem contulit. Hic cùm in Conuentu Mentolæ ad mortem ægrotaret, atque ab omni cibi appetitu abhorreret; accidit: vt præſente Guardiano cibi illi miniſtrarentur, qui ad Ægrotum conuerſus, ait: Bernardine, carnes illas comede: ne tantillum quidem ex his ſuperſit. Id Guardianus non præcipiens; ſed vt ægrotum ad edendum alliceret, abundantiùs dixerat. Bernardinus verò, qui verbo tenùs ſibi obediendum eſſe perſuaſerat, quanquam omnem ſibi vim ſubtuliſſet: haud tamen integrè toto illo carnium obſonio veſci potuit. Exiguo poſt tempore elapſo: en Satanas illi palàm viſibilis apparet, eumque à Deo ob id damnatum eſſe affirmat; quòd Guardiani præceptum de integro eſu carnium implere contempſerit. Bernardinus contrà, voluntatem haud præcepto defuiſſe: ſed ſenſum ægritudine oppreſſum reſiliiſſe reſpondet. At Satana præceptum Superioris inculcante; inter maximas animi anguſtias Bernardinus verſabatur; cùm Guardianus re intellecta: quæ illi mens fuerit, declarat: omnémque ab eo violati præcepti ſuſpicionem aufert: quo cùm Satan deuictus aufugiſſet, protinus Cælorum Regina ſeſe illi ſpectanda offert; qua præſente Bernardinus exclamare cœpit: O benedicta; ò præ omnibus ſpecioſa; ò miſerorum Mater, quàm opportunè veniſti! Poſthæc ſacro Dominici corporis Viatico refectus, cùm iam animam ageret; Fratribus ipſius Animam (vti fieri ſolet) Deo commendantibus; Litaniæ pro moriente decantabantur; quibus is ad ſingula ſenſibus integris reſpondens, ad finem vſque peruenerat; cùm repentè Dominum ad ſe venientem conſpiciens, mox è ſtrato ſurgit; atque in ipſius occurſum feſtinare curat. Id verò cùm Fratres prohiberent: Quid me detinetis? inquit; Sinite, vt in Domini mei occurſum pergam. Annon illum huc ingredientem conſpicitis? Quo dicto, cùm nullum prorſus morientis ſignum ederet, viuis eripitur, atque ad Dominum, æternum victurus, migrat.

*Dæmonis tẽtatione pulſatus à Superiore liberatur.*

*B. Virginis præſentia in morte fruitur.*

*Obuiã Chriſto ire feſtinat.*

XLIII. Tertius poſt hos Picentem Prouinciam illuſtrat, Fr. Arſenius Bergomas, Clericus, qui cùm perpetuam erga Beatiſſimam Virginem deuotionem animo aluiſſet; eámque in moribus compoſitionem, in obedientia ſimplicitatem, in honeſtate candorem, in paupertate auſteritatem, in ſenſibus mortificationem, atque in toto Religioſæ vitæ curſu Regularem diſciplinam vſque adeò integram ſeruaſſet; vt omnium exiſtimatione Vir perfectus, atque eximius haberetur: in morte quoque Iuſtorum præmium tulit: Nam cùm in Conuentu Montis-Vlmi, in extrema ægritudine, ſupremum iam mundo vale dicturus, cum Diabolo tentatore colluctaretur; repentè exultans exclamat: Abite; abite, illuſores: En Virgo Virginum, quæ vos ſua præſentia expellit. Tum ad Virginem, quæ illi glorioſa apparuerat, conuerſus: Iam, inquit, Felix adeſto, ò Sacra Deipara: vnicum vitæ meæ poſt Deum Refugium: Iam mihi ſat eſt, quòd te præſentem cerno, te igitur fruar, te ſequar, nec à te vnquam in æternum diuellar. Inter hæc verba, dum adhuc riſum ore præſeferret, deuotam animam efflat: atque in eius ſinum tranſmittit, vbi lætitia illi ſempiterna futura ſit: nec ipſius riſus vnquam dolore miſceatur.

*F. ARSENII Bergomenſis, vita, & geſta.*

*B. Virginem in morte cernens, expirat.*

XLIV. Nonnullos identidem Rhegienſis Prouincia, Viros virtute glorioſos, hoc anno commemorat: atque inter hos F. Petrum de Quarteriis, Sacerdotem; qui in eadem Prouincia Prouincialis Vicarij munere ſæpè functus, magnam ex eo laudem conſecutus eſt. Omnia in hoc Viro eſſe videbantur, quæ aut natura, aut rerum experientia, aut virtus hominibus largiri ſolet. Vis ingenij, prudentia, conſilium, moderatio, æquitatis amor, improbitatis odium, Religionis ſtudium, Regularis diſciplinæ ardor; & quicquid virtuti affine, & conſanguineum eſt, ſua quæque præclara in eum dona contulerant: quo fiebat; vt cùm omni pietate, ac virtute ornatiſſimus eſſet; magnam, pia, ac præclara ſua adminiſtratione, huius

*F. PETRI de Quarteriis, Vita, & geſta.*

*Regularis diſciplinæ propugnator aſſeritur.*

huius Prouinciæ rebus lucem attulerit. Regularis diſciplinæ accerrimus propugnator fuit: quam vſque adeò ſartam tectam ſeruauit, vt ſeuerioris in ea tuenda nomen ſibi compararuerit. Orationem ſibi ad Prouinciæ adminiſtrationem aſſiduam adhibuit; quam poſt Matutinas Horas, vigiliis vſque ad primam protractis, perpetuò coluit. Charitate eximius erat: qua factum eſt, vt cùm aliquando pauperes quoſdam in via obuios habuiſſet, qui ab eo vini potum efflagitarunt: is cucurbitulam vino plenam iis obtulerit: qui cùm ad ſitis extinctionem bibiſſent, vinum tamen nequicquam in cucurbitula imminutum, charitatis in eo plenitudinem declarauit. Hic tandem cùm multis piè laboribus perfunctus fuiſſet; obitus ſui tempore Fratribus prædicto, Caſſani corruptibilis carnis ſarcina depoſita, immortali ſtola exornatur.

*Ipſius charitas miraculo commendatur.*

*F. FRANCISCI à Caſtroueteri, Vita, & geſta.*

XLV. Poſt hunc alios quoque duos eadem Prouincia ad cæleſtes Coronas tranſmiſit: nimirum F. Franciſcum à Caſtroueteri, Sacerdotem, & F. Humilem à Paterno, Clericum: gemina virginitatis lilia, duoque clariſſima candelabra ante Dominum lucentia. Prior enim à teneris annis in timore Domini à matre, quæ Tertiaria erat, educatus; ac iugo diuinæ legis aſſuetus, tanta puritate vitam duxit; vt cùm circa decimum ſeptimum ſuæ ætatis annum, è ſæculo ad Capucinorum Religionem migraſſet; Magiſter, qui generalem ipſius peccatorum confeſſionem audierat, ſola in eo venialia peccata, eaque leuia offendiſſe teſtaretur. Porrò hanc vitæ innocentiam, quam inter ſæculi naufragia incolumem ſeruauerat; in portu, poſt ſuſceptam Religionem ita ſartam tectam conſeruauit; tótque præterea virtutibus auxit, vt præclarum totius Regularis diſciplinæ exemplar apud omnes præſeferret.

*F. HVMILIS à Paterno, Vita, & geſta.*

XLVI. Humilis autem veræ humilitatis nomen, ac rem ſortitus, cùm paucos adhuc in Religione annos natus, tam cæleſtem, ac virtutibus illuſtrem in Clericatu vitam ageret; vt parùm ab Angelicæ vitæ ratione, ac puritate abeſſe putaretur. Turani, quò etiam prior Franciſcus, poſt ſuſceptum Sacerdotij munus, hoc anno tranſmiſſus fuerat; in morbum incidit: nec multò poſt Franciſcus eodem morbo correptus ægrotare cœpit: cúmque morbo ingraueſcente vterque pari curſu ad vitæ finem properaret: nec minori pietate vterque ſe diuina Sacramentorum ſuſceptione ad vitæ exitum muniiſſet; prior Humilis ad extremam vitæ metam appropinquans, repentè è ſtrato ſurgit, ac in genua procumbens, adſtantibus Fratribus, ait: Eia, Fratres, genua ante Beatiſſimam Cælorum Reginam, quæ luce, ac gloria circumſepta venit; mecum flectite. En adeſt glorioſiſſima; en adeſt Virgo Dei mater. Necdum verba compleuerat, cùm purus ille ſpiritus in puriſſimæ Virginis ſinum euolat. Eodem tempore ſupremùm laborabat Franciſcus, cùm & ipſe repentè exclamare cœpit. Expecta, Expecta, Humilis Frater, expecta, vt ſimul aſſociati pergamus. Cúmque hæc dicens in genua ſurrexiſſet, mox ad Crucifixi Imaginem manus extendens, inter Domini amplexus occubuit.

*B. Virginem luce circumfuſam in morte videt.*

## F. IOSEPHI A CORLEONE, *Vita, & Geſta.*

*F. Ioſephus à Corleone, vita, ac miraculis illuſtris.*

XLVII. IN Panormitana Prouincia, hoc quoque anno, gemmæ inſtar emicat Fr. Ioſephus à Corleone, Laïcus, Vir virtute, ac ſanctitate celebris; qui à ſuæ conuerſionis exordio, tam admirandum vitæ genus inſtituit; vt cùm ſupremum Euangelicæ, ac Seraphicæ perfectionis verticem ſibi attingendum præſtituiſſet; ab eo tempore, virtutum aſcenſiones ſibi in animo diſpoſuerit; vt dum de virtute in virtutem, quaſi quibuſdam gradibus aſcendit; tutiùs, ac faciliùs ad apicem





pertingeret; vbi tandem videtur Deus Deorum in Sion. Primam itaque aſcenſionem in iis virtutibus conſtituendam curauit; quibus ea impedimenta tolluntur; quæ animum, vt plurimùm à virtute auocant, & ad vitia impellunt. Sicut enim in rudibus agris; priuſquàm ſerere incipias, euulſis ſentibus, ſtirpiumque radicibus amputatis, arua purgantur: ſic hæ homini virtutes primùm amplectendæ ſunt, quibus animi vitia reſecantur, ac purgantur; vt amplior deinde in eo virtus ſeri poſſit. Neque enim virtus in nobis ſtatim abſoluta naſcitur: ſed tunc primùm aſciſcitur, cùm improbitati renunciatur: eodemque ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia conciliatur. Hoc pacto Ioſephus, vt animum ab omnibus, potiſſimùm verò ab iis vitiis expurgaret, quæ aliorum ſeminaria eſſe ſolent. Abſtinentiam primùm, ac temperantiam à cibo, ac potu ſibi tam ſeueram indixit; vt non modò corpus, quotidiani fermè ieiunij penuria affligeret, atque in B. P. Franciſci Quadrageſimis, quas perpetua lege ſibi obſeruandas ſancierat, nihil omninò præter panem rei coctæ admitteret: verùm etiam à vino, & à carnibus, velut legitimo ſempiterno abſtineret. Quanquam enim cibi, ac potus abſtinentiam ita ſuſcipiendam eſſe intelligeret, vt ea non caro, ſed carnis vitia extinguenda eſſent: haud tamen Vir prudens ignorabat, ſe laqueum ſuum ſecum geſtare, ac inimicum circumferre: quem niſi inedia, ac dura annonæ egeſtate premat, facilè inſolentem ſentiat, ac ſuperbum.

*Admirabiles illius virtutes deſcribuntur.*

At cùm ad domeſticum hoſtem edomandum, cibi tantùm inediam haud ſat eſſe arbitraretur: diris eum flagellis quotidie vſque ad ſanguinem cædens, cilicioque aſperrimo caſtigans, vix nudas illi tabulas, ligno capiti ſuppoſito, ad ſomnum indulgebat: quem tamen ad tam breue temporis ſpatium contrahere ſolitus erat; vt cum oculis fœdus pepigiſſe videretur, ne ij tertiam horam excederent. Denique tam ſeuera Euangelici odij, ac ſimultatis lege in proprium corpus deſæuiebat; vt vix vllam vnquam illi requiem tribueret: die laboribus, nocte vigiliis, ac oratione illud exercens. Nunquam, niſi in menſa ſedere viſus eſt. Hoc modo, dum carnis vitia abſtinentia, ac ſummis vitæ auſteritatibus perſequitur; primam in corde ſuo virtutum aſcenſionem parat; ex qua viam ſibi, ad maiores virtutum profectus, ac excellentiores aſcenſiones ſternit.

*Eximia illius vitæ auſteritas exaratur.*

XLVIII. Enimuerò hinc præſtantiores illi in animo virtutes oriebantur; quæ non modò vitia effugarent, ſed etiam cæleſtem quandam lucem animo conferrent. Hinc altiſſimè aſcendebat Humilitas; quæ cùm ad viliſſimum illum ſuipſius exiſtimationem abiiceret, ad excelſa virtutis faſtigia vocabat. Hinc ſimplex ſeſe illius efferebat Obedientia, quæ Superioris mandatum procraſtinare neſciens; cùm illius adhuc in ore verbum verſaretur, ſtatim aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi parabat: & ſe totũ intus colligebat, vt tot[9] iuſſum imperantis peragerer. Hinc eminens erumpebat Paupertas, quæ quò magis rebus, ac rerũ cupiditate inopẽ efficeret, eo animo ditiorem, & ad cæleſtia expeditiorem præſtabat: cúmque illi oſtia appetitus clauderet, cum Ioue de felicitate contendentem reddebat. Hinc roſea pullulabat Caſtitas, quæ cùm eum in carne præter carnem viuentem oſtenderet: Angelis ſimillimum, & ad diuina contemplanda, magis idoneum præſtabat: cui tamen ne citò labaſceret, comites ieiunium, ac ſenſuum cuſtodiam adhibebat. Hinc benigna, ac pacata quædam Manſuetudo emanabat, quæ illius animum ita ad omnem moderationem compoſuerat: vt haud ſecùs, quàm ſuprema quædam aëris regio, ab omni prorſus mutatione, ac peregrina rerum impreſſione immunis; tranquillam ab ira, ac perturbatione mentem ſeruaret. Hinc denique altiſſima illius ſeſe attollebat Oratio, ac rerum diuinarum contemplatio: quæ hominem à terrenis abſtractum, vſque adeò ad cæleſtes delicias vehebat: vt ſæpiùs mente excedens extra ſeipſum ageretur.

*Plurimis animi virtutibus exornatur.*

XLIX. In Conuentu Vibonæ, cùm tam multa de Ioſepho præclara, inter Fratres euul-

*In Oratione mente ſæpe excedit.*

garentur: Frater Ioſephus à Vibona laïcus, qui in eodem Conuentu ſimul commorabatur; ſemel apud ſe ſtatuit, ea præſertim, quæ noctu ab eo agebantur, explorare. Cúmque prima noctis hora eum Eccleſiam adeuntem, atque ante auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum genuflectentem obſeruaſſet; cum eo ſimul ad orationem accedens, illius orationis finem expectabat. At ille ſimulatque ante Altare genua flexit: in mentis exceſſum raptus, faciéque in Cælum ſublata, immobilis tota nocte tandiu eodem in loco permanſit; quoad luce exorta, Primæ horæ ſignum pulſaretur. Lachrymæ tam illi familiares erant; vt iuges illi tum in oratione, tum in ſacra Euchariſtiæ communione, qua quotidie reficiebatur, ex oculis fluerent: quo fit, vt cùm ex ingenti lachrymarum copia, quàm ſæpe effundere ſolebat, oculorum morbum contraxiſſet; in Agrigentino Conuentu, aliquando illi in Eccleſia oranti Beatiſſima Virgo apparuerit; eique poſt familiare colloquium, quo ille in oratione ſæpè frui ſolebat; phialam cæleſti quodam liquore plenam obtulerit, vt eo ſibi oculos inungens à morbo curaretur. Oculorum itaque languore diuina virtute effugato, Ioſephus cùm ſe ad maiores, ac illuſtriores quotidie virtutum aſcenſus prouocaret: abundantiora quoque in dies à Deo dona accipiebat, quibus ad perfectam illius charitatem conſcenderet; quæ ſupremus eſt omnium virtutum apex; ad quam toto animi impetu, velut ad totius perfectionis vinculum, extremamque aſcenſionum ſuarum metam contendebat.

*Phialam à B. Virgine accipit, qua ab oculorum morbo curatur.*

XLVII. Tam ardentes, hic Dei Seruus, ex aſſidua diuinarum rerum contemplatione, velut ex perpetuo conſortio ſermonis Dei, in ſe diuini amoris flammas excitauerat; vt cùm hæ in anguſto pectoris ſinu contineri minimè poſſent, in voces, & cantus plerunque ſe diffunderent. Vibonæ, poſt Matutinas Horas, ſæpè auditus fuit diuinas laudes in Eccleſia canere; tantóque interdum mentis ardore agi; vt cùm in nemore oraret, arbores, ac truncos ob amoris vehementiam amplexaretur. Hac quoque charitate, amantiſſimè in quoſcunque, ac præſertim in ægrotos ferebatur: quorum cura ita delectari viſus eſt: vt in eorum miniſterio totus colliqueſcere videretur. Nihil illi iucundius erat, quàm eorum ſcaphia, ac matulas expurgare, vlcera curare, ac viliſſima quæque iis obſequia præſtare. Pauperes velut filios, & chariſſima Domini pignora amplectebatur; nec vllos ab eleemoſyna immunes è conuentu abire vnquam patiebatur: quin etiam eorum aduentum diuino ſpiritu prænoſcens, iis cibos parabat. Cùm Vibonæ Popinæ officio incumberet, ſimulque Ianitoris officio fungeretur: pauperis cuiuſdam aduentum præcognoſcens, ſimulac Conuentus tintinnabulum pulſatum fuit, Leonardo diſcipulo, ait: Leonarde, feſtina, ſume cibos: pauper enim Gela venit, qui penè fame confectus eſt; atque is eſt, qui tintinnabulum pulſat. Paret confeſtim Leonardus: cúmque cibos ad ianuam attuliſſet, pauperem Gelanum, penè fame enecatum, in ianua offendit, quem cibo refocillat. Alterius quoque pauperis ſiti æſtuantis, cùm aduentum diuina reuelatione anteuerteret; eidem Leonardo ait: Citò, Leonarde, ſume tibi vini lagenam, ſtatimque ad ianuam te confer: ibi enim pauper, qui Gela ad nos appellit, penè ſiti aridus, te præ foribus expectat. Pleraque huiuſmodi cùm prophetico ſpiritu futura prædiceret; præclariſſima Dei dona ſibi collata eſſe teſtabatur.

*Diuini amoris æſtu feruet.*

*Prophetiæ dono clarus pleraque prædicit.*

XLVIII. At illuſtriſſimum illud factum ſilentio haud prætereundum eſt, quod in Agrigentino Conuentu accidit: ex quo quanta illius Orationis vis eſſet, quantoque apud Deum merito valeret, non obſcurè perſpectum fuit. Hortulani munus, Vir Dei, eo in Conuentu ſibi impoſitum agebat: vbi cùm ob aſſiduum Orationis ſtudium, cui potiſſimùm vacabat, hortus herbis, ac frugibus deſtitutus, minùs quæ neceſſaria erant, Fratribus miniſtraret: eum Guardianus aliquando in Refectorij Capitulo reprehendit; quòd plus Orationi, quàm præſcripto muneri tribuens, minùs familiæ ſatisfaceret. Cui Dei Seruus: Ne vereare,

*Hortus ipſius Oratione repente herbis, ac frugibus abundat.*





Pater, inquit, citò hortus herbis, ac fructibus implebitur: cúmque noctu ad orandum in Eccleſiam ſeceſſiſſet: res planè admiranda accidit: Nam mane illuceſcente, hortus tot herbis, radicibus, frugibus redundare viſus eſt; vt vix prior ille eſſe agnoſceretur: Fratres verò factum admirati, quàm potens, ac fœcunda illius oratio eſſet, præclaro experimento didicêre. Id altero quoque exemplo manifeſtum fuit. Cùm enim in Caſtri veterani Conuentu, aliquando Vir Dei febre laboraret; Purificationis Deiparæ feſtum imminebat: in quo cùm is ad Sacram Synaxim accedere ſummoperè optaret; Beatiſſimam Deiparam multis lachrymis rogat, vt tantiſper febris ardorem compeſcat, donec diuina illi refectione frui liceat. Nocte igitur, quæ diem feſtum præcedebat, puriſſima Virgo Ioſepho apparet, candidiſſimis veſtibus amicta, corruſcantique vndique lumine circumfuſa: quæ cùm Ioſephum conſolata fuiſſet, aquam illi è phiala, quam manu gerebat, guſtandam præbet: quam vbi Ioſephus ebibit, mox febris ardore ſedato, à morbo conualeſcit: cæleſti pane reficitur; ſummaſque ſuæ Benefactrici grates refert.

*Febricitans à B. Virgine curatur,*

XLIX. His itaque, ac plurimis alijs Dei donis, quibus ſanctus hic Vir abundè cumulatus fuerat, cùm eam apud omnes ſibi exiſtimationem conciliaſſet; vt à cunctis Sanctus prædicaretur. Agrigenti anginæ morbo correptus, breuiſſimo tempore ad ſupremum vitæ occaſum perducitur. Quo tempore glorioſa Cælorum Regina, multis Sanctorum agminibus ſtipata, morienti apparens, pleraque alterius vitæ arcana illi aperit; quibus Ioſephi ſpiritus, velut inebriatus exclamare cœpit: Vnde hæc mihi, ò Domina mea? Vnde tanta benignitas? Vnde indigno Seruulo tanta rerum diuinarum fœcunditas? Sat eſt, ò Beatiſſima, ſat eſt; iam me in ſinum tuum recipe. His dictis ſupremum effudit halitum. Cúmque poſt obitum aſperrimo cilicio contectus apparuiſſet: facto pium illius dictum expleuit, qui olim dixit. Pœnitentem Virum haud decere, niſi in cinere, ac cilicio emori.

*A B. Virgine in morte Cæleſtia arcana addiſcit.*

L. Poſtremò Neapolitana Prouincia, ſuum hoc anno Fratrẽ Michaëlem à Neapoli Sacerdotem, ac Concionatorem celebrat; Virum virtute conſpicuum, ac ſanctitate illuſtrem: quod illius mors, eximia quadam Dei viſione nobilitata, ac meliori fine conſummata declarauit. Erat hic Vir excellenti ingenij magnitudine, præclara eruditione, atque doctrina; & propter egregias animi dotes, concionandi officio clarus: quo fit, vt cùm inter illuſtriores Ordinis Prædicatores recenſeretur; hoc anno Camerinum, Hieronymi Generalis iuſſu, ſe ad prædicandum contulerit. Quadrageſimalis prædicationis necdum curſum abſoluerat, quum graui morbo interceptus, priùs ad extremam vitæ, quàm prædicationis metam peruenit. Hoc porrò tempore, quod illi vſque ad mortem breue fuit; cùm ſe totum ad cæleſtia contemplanda contuliſſet: qua hora moriturus credebatur, repentè in extaſim, ac mẽtis exceſſum extollitur: in quo mira de tribus animarũ, manſionibus Purgatorio, Inferno, & Cœlorum Regno illi myſteria explicantur. Stupebant Fratres lecto circumfuſi, hominem adhuc viuentem, abſque ſenſu immobilem intuentes; qui cùm per aliquot horarum ſpatia, velut inſenſibilis perſtitiſſet; tandem ad ſe rediens, imoque ex pectore ſuſpirium ducens, ſtupidus tacebat: quum Bartholomæus Cæſenas, Vir omni memoria dignus, qui eo tempore Camerini Conuentum moderabatur; ſub ſanctæ Obedientiæ merito eidem præcipit; vt quæ ſibi in eo raptu à Deo oſtenſa fuerant, ad Fratrum ædificationem aperiret.

*F. MICHAELIS à Neapoli Vita, & geſta.*

*Illuſtri viſione in morte potitur.*

LI. Tunc Michael: Plurima, Fratres, inquit, ſupra ſenſum oſtenſa ſunt mihi: quæ mortalis homo effari nullo modo poteſt. Multa de Purgatorijs pœnis; multa de Inferorum ſuppliciis; multa, ac ineffabilia de Paradiſi gaudiis mentis oculis, Deo reuelante, perſpexi; quæ nulla cogitatione, neque vllius exiſtimatione comprehendi queant. Vidi damnatorum animas turmatim ad Inferos dilabi, haud ſecus, quàm brumali tempore nix; aut æſtiuo grandinis grumuli è Cælo cadere conſpiciuntur. Vidi flumina flammis liqueſcentia; vidi ſtagna ignis, & ſulphuris;

*Inferorum quanta ſint pœna.*

miſeraſque damnatorum animas in his, quaſi impetu quodam horribili tempeſtatis iactari. Vbi Dracones venena euomentes, vbi Serpentes; vbi Reguli diris morſibus miſerorum pectora lacerantes; vbi Vermis, qui non moritur, & ignis, qui non extinguitur; vbi ij flammarum atroci aduſtione comburuntur, & ad rediuiua incendia iterum, qui aduſti ſunt, reparantur: vbi lethale frigus, & glacies indeficiens; vbi fames peſſima, & ſitis immenſa; vbi ſæua peſtis, & depaſcens lues; vbi denſiſſimæ tenebræ, & æterna obſcuritatis nox; vbi væh ſine fine; vbi luctus, & gemitus abſque intermiſſione audiuntur: dum innumeris tormentis ſibi mutuò ſuccedentibus, nunquam non puniendi traduntur. Denique nullum flumen ingenij, nulla dicendi vis eò attingere poteſt: vt ingentes illas damnatorum pœnas, ne animo quidem, aut cogitatione conſequi valeat. Inter hæc ſuppliciorum genera perpetuò voluuntur infeliciſſimi: quique tamen pro peccatorum ſuorum modo, ſiue mitiùs, ſiue vehementiùs pœnam luentes.

LII. Parùm ab his Purgatoriæ pœnæ, quoad cruciatum diſtant. Eos enim, qui digna plagis geſſerunt; variis, diſtincto tamen loco pœnis affici: alioſque per vada, feruentibus flammarum globis horrenda, tranſire conſpexi: alios inter voraces flammas ſemiſepultos torreri: alios in frigoris infeſtiſſimi lacus demergi, ac pluribus ſibi ſuccedentibus ſuppliciis, iuxta delictorum menſuram, torqueri. Illud verò inter hos, ac priores diſcrimen eſt: quòd hi non ſolùm loco, verùm & pœnarum diuturnitate ab illis ſecernuntur: illis enim pœna nunquam terminanda eſt; his finem tandem accipiet. Hi quoque in ſpe futuræ gloriæ inter ſupplicia reſpirant: illi ſpe omni ſalutis abiecta, inter deſperationis profunda verſantur. Poſtremò hi Angelos interdum conſolatores habent: illi Dæmones abſque vlla prorſus conſolatione ſempiternos tortores patiuntur. Veruntamen, quod lachrymis maximè proſequendum eſt, cùm tot in Tartarum hominum animas ruere cernerem: vix vna, aut altera toto hoc tempore ad Purgatoriam pœnam tranſmiſſa fuit.

*Purgatoriæ pœnæ acerbitas.*

LIII. Hinc cùm ad Beatam Angelorum Regionem perductus fuiſſem: cæleſtem quandam Ciuitatem conſpexi; conſpicuam, lucidam, auro, & gemmis ornatam; in qua innumeri Angelorum Chori, ac Sanctorum Miriades, velut parta victoria exultabant. Illic cantus, illic lætitia; ibi gaudium, & pax: omnia ſerenitas, & tranquillitas: omnia dies, & ſplendor inocciduus; omnia incorruptibilis gloria occupabat. Vndique pendebant trophæa; vndique victorum laudes perſonabant; vndique ouantium, ac iubilantium voces audiebantur. Tantáque Ciuitas illa ſuo ſinu bona complectebatur; vt ſi millies quotidie mors, ac acerbiſſima tormenta perferenda eſſent; vt quis ea bona conſequeretur: illorum necdum iuſtum pretium attingeret. Denique, ſi quis vniuerſas huius Mundi delicias, voluptates, pompas, diuitias; & quicquid ſub Sole excogitari poteſt, præclarum, ingens, pretioſum huius Ciuitatis gloriæ conferat: ſanè multò minùs erit, quàm ſi vnica aquæ gutta cum immenſo Oceano comparetur. Hic beatiſſimum Patriarcham Franciſcum inter primos triumphantem: hic plurimos conſocios, ac commilitones noſtros, cum eo æterna gloria fruentes; hic fulgentiſſimas Coronas iis pro cinere, ac cilicio redditas, vidi: quæ idcircò Fratres, Deus vobis innoteſcere voluit; vt horum diſciplina diſcatis; quo ſtudio, quavè ſollicitudine vobis, in Religionis, ac virtutum profectu incedendum ſit. Ego enim ad noſtros, qui præceſſerunt, abeo: veſtraque precum ſuffragia mihi in hac hora adeſſe depoſco. Cúmque membra velut moriturus compoſuiſſet; hinc paulò poſt ſuauiter ad Dominum migrat.

*Paradiſi gaudia quàm ingentia.*

LIV. Huic tandem volumini finem imponunt memoranda quædam, quæ hoc anno

acciderunt.



acciderunt. In Conuentu Montis-Herculis Neapolitanæ Prouinciæ, Frater Laurentius Cauenſis, Clericus, cùm in ſupremo vitæ halitu cum Dæmone confligeret; inter alia illi Dæmon obiicit; quòd non legitimo Minoritani Ordinis Cingulo, ſed prorſus degeneri præcingeretur: nimirum fune ex pilis contexto; quem Beatus Pater Franciſcus, ac Minorum Ordo ab exordio ignorauit; proprium enim Ordinis Cingulum ex cannabaceo fune compactum aſſerit: qua ex accuſatione, cùm Ægrotans alia ratione ſe expurgare non poſſet, ad Guardiani mandatum confugit; quo ſe ad eum funem deferendum compulſum aſſeruit. Quare hoc exemplo permotus Frater Franciſcus à Caſtellone, qui tunc eam Prouinciam moderabatur, lege immota ſanxit; ne illius Prouinciæ Fratres alio, præterquam cannabaceo fune vterentur. Diſcant igitur, qui legitimi Beati Patris Franciſci Habitus cultores haberi volunt, vel Dæmone doctore, quàm à nouo, ac inſolito hoc funis genere cauendum ſit. Cùm enim cannabaceus funis, vtporè viliſſimus, atque à Beato Franciſco inſtitutus, ad veram Minoritani habitus formam ſpectet: qui laneum, aut pilis equinis, aut caprinis contextum ſibi adſciſcunt, non parùm à Beati Patris inſtitutione exorbitant; qui vt Diuus Bonauentura ſcribit, communem funem geſtauit, quo ſacci ligari ſolent: nimirum cannabaceum: vt Cinguli vilitas habitus vilitatem ſequeretur: præſertim cùm Beati Patris mens fuerit, funes Chriſti Domini ſuo cingulo imitari, de quibus Matth. 27. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi.* At certum eſt, hos funes cannabaceos fuiſſe, qui Hieroſolymis paſſim erant venales. Id confirmat Martinus V. in Conſtitutionibus cap. 2. his verbis *Cingulum habeatur corda communis, & rudis, & omnis curioſitas ab ea penitùs abſcindatur.* Ex quo planè conſtat, à Minoritano cingulo non ſolùm funes ex pilis contextos; verùm etiam eos, qui ex filo, vel ex funicularij arte, & induſtria delicati, ac curioſi fiunt, non parùm abhorrere? Quo fit, vt Dæmones corpora obſidentes, qui Minorum habitu torqueri ſolent; huiuſmodi equinis, aut curioſis funibus haud quaquam afficiantur; vt paſſim exploratum eſt. Porrò hæc obiter de legitimo Minorum Cingulo dicta ſint: vt non fruſtrà Laurentium à Dæmone accuſatum fuiſſe perſpicuum ſit, quòd funem ex equorum pilis contextum gereret.

*Dæmon morientem Cinguli, ex pilis contexti, accuſat.*

*Ordinis Cingulum cannabaceũ adſtruitur.*

S. Bonau. in c. 2. Regul.

Spec. Minor. tract. 3.

LV. Hoc tempore Lucas Cauanagus, Nobilis Mediolanenſis, cùm plurima erga Capucinos pietate afficeretur, eos etiam copioſis Eleemoſynis ſubſtentabat. Accidit verò, vt Conuentus Mediolanenſis Eleemoſynarius, hoc anno, ob maiores quaſdam familiæ neceſſitates, ab eo ſingillatim panem poſtularet: cui cùm Ancilla reſpondiſſet, nihil panis, præterquam quod in cœna apponendum eſſet, in domo ſupereſſe. Statim Lucas. Da (inquit) Eleemoſynario, quicquid in domo panis reſidui eſt: nobis alius in cœna parabitur. Paruit Ancilla, nihilque in domo panis relictum fuit. Interea dum Ancillæ, panem aliundè in veſperum parare, è mente excidit; ad cœnam ventum eſt: quo tempore illa animo confuſa, cùm Piſtorem adire nox ipſa prohiberet: ad arcam panariam pergit; in qua panem non tantùm ad cœnam, ſed etiam ad diem poſteram ſupereſſe conſpicit. Quod cùm Lucæ Domino retuliſſet: is diuina liberalitate perſpecta, cùm impenſiùs Domino gratias egiſſet, priſtinam erga Capucinos Fratres pietatem auxit.

*Ordinis Benefactori, panis Fratribus erogatus, è Cælo redditur.*

LVI. Hoc itidem anno contigit: vt duo Capucini Fratres, Larino Triuentum proficiſcerentur; quo tempore cùm aëre ingenti imbrium, ac ventorum tempeſtate concitato, vndique tonitrua, ac fulgura coruſcarent: ij nemus ſub Veſperum ingreſſi, quò ſe ab ea procella proriperent, ignorabant. Quapropter ad Beatam Virginem, ac Sanctum Archangelum Michaëlem; quorum ij deuotiſſimi erant; preces ex animo dirigunt: eorùmque in eo vitæ diſcrimi-

*B. Virginis in duos Capucinos Fratres benignitas Miraculo explicatur.*

ne præſi

ne præſidium implorant. Interea denſiſſimis noctis tenebris, circum loca omnia occupantibus, ſola iis fulgura affulgebant: inter quorum coruſcationes proximum ſibi domus parietem animaduertunt. Stupent illi, qui nunquam in ea Sylua domum viderant: moxque greſſum feſtinantes, magnificè cuiuſdam domus oſtium offendunt: quod repalo pulſantes, nobiliſſima, ac decora quædam Mulier illis è feneſtra apparet: quæ ipſorum miſerta, oſtium illis à Sene quodam aperiri iubet: à quo in Aulam ducti, vbi clariſſima illa Mulier, illuſtri Equitum Corona ſtipata ſedebat; ab ea humaniſſimè excipiuntur: quæ mox ignem parari, ac menſam ſterni imperat; vt & imbre madefacti exſiccari, & ex itinere feſſi, cibo refocillari queant.

Mirabantur Fratres Mulieris formam, ac maieſtatem; quæ vltra humanum quicquam præſeferre videbatur. Interrogat illa; vnde, & quonam ex obedientia pergant; quovè pacto in eam Syluam eo ſe tempore condiderint. Cui illi: Nos, inquit, Larino Triuentum, eò à Superioribus miſſi proficiſcimur: verùm cùm Larino ſereno Cælo digreſſi, Triuentum pertingere poſſe ſperaremus; ſæua nos hæc imbrium, & ventorum procella intercepit; ac tandiu in via detinuit; donec noctis tenebræ inter has Syluas occuparent. Cúmque nihil iam nobis humanæ ſpei relictum eſſet; quò tam ſæuæ tempeſtatis furias euaderemus; ad Beatiſſimæ Virginis, ac S. Michaelis, quos ſpeciali veneratione proſequimur, opem confugimus: quorum nos munere proculdubio huc perductos putamus. Quibus Mulier illa: Optimè, inquit, vobis conſultum fuit; horum vos patrociniis committere, eorumque venerationem ex animo amplecti. Neque enim ij ad ſe confugientes reijciunt, aut in anguſtijs deſerunt: hanc vobis pietatem ſemper in animo alite, in eaque veteraſcite, quæ vobis ad iuſtitiam, & ſalutem erit. Hæc cùm dixiſſet, exſiccatos, ac refectos ad quietem dimiſit. Mane verò cùm, die illuceſcente, iter proſequi pararent: Senex, qui ſuperiori veſpere illis oſtium aperuerat, è domo eductos, in rectam viam dirigebat; cùm ij ſupplices ab eo petunt, vt quodnam illuſtris illius fœminæ nomen ſit, declarare velit. Quibus Senex: Benedicite, inquit Deum Cæli, tum Beatiſſimæ Dei Matri gratias agite; quæ hanc in vos beneſicentiam contulit. Mulier enim nobiliſſima, quam vidiſtis, Beatiſſima Virgo, ac Dei Mater eſt: illuſtris illa Equitum Corona, S. Michaëlis Archangeli, & Angelorum eſt agmen, quorum vos patrocinio commendaſtis: Ego Petrus Apoſtolus ſum. Moxque his dictis, ſimul cum tota illa magnifica ædificij mole, ex eorum oculis euanuit. Ij verò diuina hac miſericordia excepti, cùm æquas Deo grates rependiſſent; Deiparam Virginem, Sanctos Angelos, ac Apoſtolos, maiori, quoad vixerunt, veneratione proſecuti ſunt. LVII.

*B. Virginis, ac S. Michaelis deuotio commendatur.*

Interea Magno, inter tot vndoſas Syrtes, ac vadoſas tempeſtates, quibus Religionis Cymba ſæpè fluctuare viſa eſt, equore ſulcato: quum primum hoc Annalium noſtrorum volumen vela contrahit: haud abſque diuino munere contigit; vt eò glorioſiùs in Portu conquieſcat, quò laborioſæ nauigationi, quam ſub cæleſti Deiparæ Virginis ſydere, ac ductu inchoauerat; eiuſdem auſpiciis finem imponit: vt felici illius aura iterum flante, breui ſecundum è Portu ſoluat. Quid iucundius? Quidvè ſuauius mihi vnquam potuit contingere? quam vt primus hic labor in eius ſinum reflueret, vnde patrocinium acceperat? Redeat is, reddatque ſeipſum Deo Opt. Max. ac ſupremæ Triadis Numini, quæ prima ipſius fons, & origo eſt. Ad Chriſti Domini, hominum Redemptoris, pedes humillimè procumbat; de cuius gratiæ plenitudine hæc omnia me accepiſſe fateor. Verùm ad te quoque ò Dulciſſima, ac creaturarum omnium feliciſſima Deipara, is vltrò decurrat; qui te Matrem non ignorat. Tua eſt Minorum Capucinorum Religio, ò Virgo; ac te parente, genita; tuus quoque hic Annalium LVIII.

liber



liber eſto; qui tua hactenus virtute, ac patrocinio fretus, in lucem prodit: quare in tuam quoque illum tutelam aſſere: iiſque qui, te parente, atque obſtetricante, poſteriùs educendi ſunt; vt è Cælo lucem afferas, viam ſternas, atque ad ampliorem diuini nominis gloriam, felicioris illis vitæ æuum compares; etiam atque etiam rogo, ac ſupplex expoſco.

*SVPREMVS DEO OPT. MAX. HONOR, ac Deiparæ Virgini gloria.*




INDEX

# DE VERA HABITVS FORMA, A SERAPHICO B. P. N. FRANCISCO INSTITVTA, DEMONSTRATIONES VNDECIM.

## Ad Vrbanum VIII. Pont. Max.

### *Præfatiuncula.*

ANTIQVA Quæſtio, Pater Beatiſſime, de vera Minoritani Habitus forma, olim ſub Clemente VII. & Paulo III. ſummis Pontificibus inter Minores, qui de Obſeruantia nuncupantur, & Capucinos exorta, atque vltrò citróque agitata, quæ iam ipſa vetuſtate antiquata, ſilentio extincta, ac Pontificum Bullis ſublata; demùm altè ſepulta videbatur, etiamnum hac tempeſtate rediuiua reſurgit; iterumque ad litem, & iudicium compellit; eò ſanè periculoſiùs, quò maiora ſub Religionis titulo ſcandala fouet, ac immortalia inter eos bella parat, quos ſumma potiùs pax, & concordia, quàm diſſidia decent. At quandoquidem ea Bernardi vox eſt, Sanctiſſime Pater, Oportere ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, ac ſcandala emergentia in Regno Dei: atque inde veritatis præſidium peti debere; vbi nullum poſſit veritas ſentire defectum. Hæc enim eſt huius prærogatiua Sedis. Hinc neceſſarium duxi, inſtaurata quæſtione vniuerſa, quæ ad illius ſtatum pertinent, huc iterum ad examen prouocare: antiquam veritatem è tenebris eruere, erutam in lucem vendicare, vendicatam, à calumniis tueri; demùm examinandam, probandam, definiendam Veſtræ Apoſtolicæ Sedi, quæ omnium controuerſiarum Iudex eſt, proponere. Quod nonnullis breuiori-

S. Bernard Epiſt. ad Innoc. Pap.

bus Demonſtrationibus, omni Orationis, aut elegantioris ſermonis fuco prætermiſſo, præſtare aggredior.

## Demonstratio I.

*An B. P. Franciſcus certam, ac determinatam Habitus formam Fratribus Minoribus præſcripſerit.*

QVI Errorem Errore foueri olim aſſeruit, haud profectò malè ſenſit. Cùm enim, teſte Philoſopho, ex quibus conſtamus, iiſdem & nutriamur; haud mirum, quòd Error, qui ex veritatis occaſu, vel ignorantia oritur; & ex mendacio cõnſtat; eo quoque alatur, augeatur, excreſcat, alterumq; ad ſui præſidium, & incolumitatem Errorem quærat. Qui quadrati Caputij formam, à B.P.N. Franciſci Inſtitutione alienam ſibi fingunt; quanquam tam apertè à veritate aberrent, (quod eorum pace dictũ ſit) vt eorum error nulla, aut tergiuerſatione celari, aut ratione honeſtari queat: Attamen, quò propoſitum ſibi ſemel animo errorem confirment; nouum, ac planè intolerabilem ſibi ad præſidium errorem adſciſcunt: quo omnem penè B.P.Franciſci honorem depaſcunt; ac Minoritanæ Religionis gloriam, quæ ex certa ipſius habitus forma, nullo nunquam tempore ſibi ex Orbe vendicauit, in diſcrimen adducunt. I.

Nuper quorundam ſententia ſcripto prodita emerſit: qui nullam vnquam certam, aut determinatam Habitus formam, à B.P.Franciſco Minoribus conſtitutam fuiſſe contendunt: quam idcircò ſibi animo confingunt: vt omnem ſimul tum quadrati, tum rotundi Caputij formam à B. Patris Inſtitutione auellant. Quanquam verò hæc eorum Poſitio aduersùs perpetuum, & conſtantem totius Ordinis, atque orbis conſenſum pugnet. Eam tamen, leuibus quibuſdam præſidiis, ſibi, tum ex Regula, tum ex Ordinis Chronico, tum ex Pontificibus emendicatis: quæ tamen vix ad verum, & genuinum ſenſum reuocata, corruunt; adſtruere conantur. II.

Chron.Ord. l.1.c.8.p.1.

Primum igitur ex Ordinis Chronico, ſibi argumentum colligunt: in quo legitur, B.P.Franciſcum, poſt legitimam portionem, coram Epiſcopo Aſſiſiate, Patri renunciatam; veſteſq; ad nuditatem vſque exutas; arrepta forfice, ex paſtoritio ſago, velut incerto caſu, ac fortuna, habitum ſibi in Crucis formam præſcidiſſe: ex quo id conficiunt: eum ſub incerta deinde forma ſemper habitum geſtaſſe. At quàm frigidum, ac inſulſum hoc argumentum ſit, ex eodem Chronico lubet colligere. Tantùm enim abeſt, vt Chronicorum Auctor, id caſui, atq; fortunæ tribuat: quin potiùs maximo myſterio à B.Franciſco tunc factum fuiſſe narrat: vt ſcilicet ſe ſuoſque, non animo duntaxat; ſed & habitu Cruciformes eſſe debere oſtenderet: Chronicon conſulant, num legitimè ex illius Auctoris dictis, ſuæ Aſſertionis confirmationem ducant: Non igitur caſu, aut fortuna, ſi Auctori illi credendum eſt: ſed diuina potiùs prouidentia factum eſt; vt ſagi Paſtoritij vilitas, Cruciſque figura in eo inſciſſa, perfectam Minoritani Habitus formam deſcriberet. III.

Quòd ſi illius Auctoris ſenſum, ac ſententiam, aliundè ex illius verbis venamur. An non is paſſim, quis B.P.Franciſci conſtans habitus fuerit; qualiſvè formæ, ac vilitatis eſſe debeat, luculenter ſæpenumerò tradit? Perlegant Chron p.1.lib.1.cap.7. quum primùm is Euangelicum Spiritum concipit, ac prima Regulæ, atque Minorum Ordini auſpicia præbet: tum lib.2.cap.19. quum Habitum à B.P. Franciſco inſtitutum deſcribit: ac innumeris propè locis, vbi vel de B. Patris, vel de Minorum habitu agit, iis eum certa ſemper forma determinatum affirmat. Loca tantùm indico; ne longior, quàm inſtituta breuitas fert, demonſtratio excreſcat. IV.

Chron. p.1. l.1.c.7. Lib.2.c.19.

At miror, quo pacto, hinc huius Poſitionis argumentum ſumant; quum nulla adhuc, vel de Regulæ, vel de Minorum Ordinis inſtitutione, mentio fieret: Cùm enim prima tam Habitus, quàm Ordinis Inſtitutio, ab eo duntaxat tempore cen- V.





ſenda ſit; quum Euangelico Spiritu in Miſſa concepto, pecuniam, duas Tunicas, calceos, baculum, & corrigiam abiecit; vnaque Tunica cõtentus, fune lumbos præcinxit: vt idem Auctor obſeruat Chron.p.1.l.1.c.7. certum planè, ac indubitatum eſt; B.P.Franciſcum, necdum eo tempore, Minoritani habitus formam inſtituiſſe. Videant igitur huius Aſſertionis auctores, quam leue, ac futile ſit, quod ad illius præſidium vocant.

Chron. p.1. l.1.c.7.

VI. Altero porrò Argumento, quo Minoritani Habitus formam, ex Superiorum potiſſimùm arbitrio pẽdere affirmant, hanc ipſam Poſitionem aſtruere nituntur. Qui hoc argumento certam Minoritani habitus formam oppugnant, ex duplici fonte illius probationem hauriunt. Primò quidem ex Regulæ Capite ſecundo: vbi B. P. Franciſcus quumprimùm habitum Nouitiis preſcripſit, hæc verba ſubdit. *Niſi eiſdẽ Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur.* Ex quibus id primùm colligunt. Ex Miniſtrorum arbitrio, ac voluntate pẽdere; ſi Nouitiorum habitum in Regula præſcriptum, aut confirmare, aut immutare velint. Tum paulò infrà, cùm in Regula de Profeſſorum habitu agit. *Habeant*, inquit, *vnam Tunicam cum Caputio, & alteram ſine Caputio, qui voluerint habere.* Hinc rurſus inferunt Quòd ſi Profeſſorum voluntati relictum eſt, binas tunicas cum Caputio, vel ſine Caputio gerere. Nihil igitur circa Minorum habitus formam à B.P.Franciſco præſcriptum eſt.

Reg. c.2.

Reg. c.2.

VII. Qui primum huius probationis Caput, vel leuiter examinant: quàm labile, atq; à propoſita probatione alienum ſit, facilè animaduertunt. Cùm enim iis probandũ incumbat. Nullam certam habitus formam, à B.P.Franciſco, in Ordine inſtitutam fuiſſe, ex citatis Regulæ locis, ſuo potiùs ſe pugione iugulant. Nam ſi loca allata ritè perpendantur, ea apertè potiùs contra ipſos pugnant. Quid enim luculẽtiùs, quàm certam ibi habitus formam, tam Nouitiis quàm Profeſſis determinari? En Regulæ verba, quoad Nouitios: *Poſtea concedant eis pannos probationis: videlicet, duas Tunicas ſine Caputio, & Cingulum, & Brachas, & Caparonẽ vſque ad Cingulum.* Quoad Profeſſos verò. *Qui iam promiſerunt Obedientiam, habeant vnicam tunicam cum Caputio, & alteram ſine Caputio.* Ex his perfectam, ac certam Minorum Habitus formam conſtare, nemo iure in dubium reuocet. Quod enim à Nouitiis duæ Tunicæ abſque Caputio, Cingulum, Brachæ, & Caparo vſque ad Cingulum gerantur. Profeſſi vnam tantùm Tunicam cum Caputio, alteramque ſine Caputio geſtent: quibus & Cingulum, & Brachæ addi debent, quæ vtriſq; communia ſunt: Hæc ad eſſentialem Habitus formam ſpectant: quæ in Regula præſcribitur. Quòd ſi ea quæ ſequuntur, adnectas. Nimirum. *Et omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis, & de aliis petiis cum benedictione Dei*: Quid clariùs, quàm his ipſam quoque habitus qualitatem Minoribus præſcribi? Vnde ergo ex his locis colligunt; nullam certam Habitus formam à B.P.Franciſco inſtitutam fuiſſe?

Reg. c.2.

VIII. Verùm quod ex illis Regulæ verbis, quibus de Nouitiorum Habitu agens B.P. Franciſc⁹ ait. *Niſi aliud illis ſecundùm Deum aliquando videatur.* Minorũ Habitus formam, potiſſimùm ex Superiorum arbitrio pendere eliciunt. Miror ſanè qua fronte germanum huius loci ſenſum, noua interpretatione corrumpant Etenim tantum abeſt, vt ex hoc Regulæ teſtimonio, vlla Miniſtris Nouitiorum Habitum pro arbitrio commutandi facultas detur: quòd in eo potiùs omnium veterum Patrum, ac Doctorum Ordinis ſententia conſpirat: illud vel de Profeſſorum duntaxat Habitu intelligendum eſſe, quem B.P.Franciſcus, Nouitiis ante exactum probationis annum, interdum à Superioribus ex cauſa concedi poſſe indulget: quo ſenſu locum interpretantur Vgo, & Bartholomæus Piſanus: vel de Caparone, ob Nouitij Ordinem intrantis reuerentiam, interdum à Superioribus diſpenſando. Quod tunc fieri ſolet, quum Princeps, aut Eccleſiæ Prælatus ad Religionem accedit. Hoc ſenſu locum exponunt Bartholomæus Piſanus in Compilatione, quæ habetur in Fund. triũ Ordinum p.4. & Patres Ordinis, in breui quadam Regulæ declaratione, quæ legitur ibid.p.3. his verbis. *Niſi eiſdem Miniſtris, &c. Solum refertur ad Caparonem immediatè præmiſſum: vt ſcilicet pro reuerentia intrantis Ordinem, poſſint indulgere, quòd probationis Caputium non portet.* Eandem quoque Expoſitionem tradit Petrus

Ioannes, & alij. Denique cùm nemo hactenus, ex hoc loco docuerit: Nouitiorum Habitus formam, in Superiorum arbitrio, ac poteſtate eſſe: Cur hi contra omnium antiquorum Patrum ſcita, ac perpetuum Ordinis conſenſum ſentiunt, Nouitiorum Habitum ex Superiorum arbitrio pendere?

X. At eſto: Demus, quod iure optimo illis denegamus. Nimirum Nouitiorũ habitus formam ex Superiorum arbitrio pendere. Num propterea iis inferre licet, Profeſſorum habitus formam ab iis eodẽ modo dependere? Neq; enim, quod in lege expreſſum non eſt, conceſſum cenſetur: ſed potiùs denegatum. Exerant, amabò, ex Regula, locum, in quo Profeſſorum habitus figura, Superiorũ arbitrio relicta legatur: Quòd ſi nullum huiuſmodi inueniunt: ſciant profectò: æquam omnibus Profeſſis, tam Superioribus, quàm ſubditis legem conſtitutam eſſe; vt præter eam, quæ in Regula præſcripta eſt, nemini Habitus formam mutare liceat. Quum enim ita ſtatuitur. *Qui verò iam promiſerunt Obedientiã, habeant vnicam Tunicã cum Caputio, & alteram ſine Caputio, qui voluerint habere*: Cuinam dubium eſſe poteſt; quin his verbis præcepto æquipollẽs contineatur; quo omnis à præſcripta habitus forma mutatio cuilibet interdicitur? vt explicat Clemens V. Pont. Max. in ipſa Regulæ Declaratione: quæ etiam eſt omnium Patrum Ordinis, doctrina hactenus ab omnibus, nullo diſcrepante recepta.

Clem. Exiui. de verb. ſig.

XI. Hinc quàm arenoſum illud fundamentum ſit, quod huic Poſitioni ſubſternunt, quum aiunt: poſtrema illa verba *Qui habere voluerint*. Idcircò addita eſſe: vt Profeſſis liberum ſit, duabus tunicis, vel cum Caputio, vel ſine Caputio vti, cuique perſpectũ eſſe poteſt. Quis enim hunc huius loci vnquam ſibi ſenſum, aut interpretationẽ effinxit; Patribus, ac Grammaticis ipſis inuiſam, atque omnibus ſæculis inauditam? Equidem communi Patrum omnium expoſitione, cui ipſæ Grãmaticæ leges ſuos calculos ferunt, certum eſt: poſteriora hæc verba, non cum prioribus illis. *Habeant vnicã Tunicam cum Caputio*: ſed cum poſterioribus aliis duntaxat, *& alteram ſine Caputio*, copulanda eſſe: ita vt genuinus Regulæ ſenſus, cõmuni omnium ſententia receptus, atque ipſo vſu confirmatus, ſit: Profeſſis id tantummodò liberum eſſe. Si ſecunda Tunica, quæ ſine Caputio conceditur, vti voluerint, necne? Quapropter, quumprimùm B.P.N. Franciſcus, Habitum Profeſſis præſcribens dixit. *Habeant vnicam Tunicam cum Caputio*, videlicet cum Caputio coniuncta; quod ad præceptum pertinet: tum ex cõſilio, vel libertate ſubdit. *Et alteram ſine Caputio, qui habere voluerint*: ita vt altera tantũ Tunica abſque Caputio, ſub Profeſſorum libertate cadat. Ita locum, nemine prorſus diſcrepante, cuncti Regulæ Expoſitores explanant. D. Bonauentura, Vgo, Piſanus, Brandolinus, Quatuor Magiſtri, &c. Ex quibus non obſcurè conſtat; Hanc Poſitionem, qua contendunt, nihil in Minorum habitu certum, ac determinatum, à B. P. Franciſco in Regula præſcriptum fuiſſe; nihil non modò ſibi ex Regula præſidij vendicare: verùm & cum Regula ipſa apertè pugnare.

XII. Supereſt alterum probationis Caput, quod ex Declarationibus Summorum Pont. ac præſertim Nicolai 3. Clementis V. & Ioannis 22. fruſtrà ſibi coaceruant, examinãdum. At quandoquidem nimis oneroſum, ac moleſtum eſſet, integras huc Bullas, ac Pontificum Reſcripta cogere; quæ vel in ſexto libro Decretalium, vel apud Firmamentum trium Ordinum legi poſſunt. Hîc nobis ſufficiat loca indicare, ac fideliter, quæ ab iis Decreta, aut declarata ſunt, eorum propriis, quoad fieri poterit, verbis referre. Primùm igitur Nicolaus 3. in Cap. *Exiit qui ſeminat.* §. licet. Miniſtris, & Cuſtodibus coniunctim indulget: vt penſatis Fratrum neceſſitatibus, & aliis circumſtantiis, quæ ſecundùm Deum, & Regulam attendendæ videntur; plures, quàm duas, quæ à Regula præſcribuntur, Tunicas Fratribus concedere valeant. Hæc ferè ex illius verbis decerpta. Clemẽs V. præter hæc, iiſdẽ Miniſtris, ac Cuſtodibus, ſeu Guardianis cõcedit: vt de vilitate veſtium, quibus Minores indui debent, iudicare queãt; eorum ſuper hoc conſcientiam onerans; niſi in veſtibus vilitatem ſeruent. Hæc ille Clem. Exiui §. Præterea. Ioannes tandem 22. in Extrau. *Quorundam.* §. *In primis*, & §. *Quocirca.* præterea, quæ à prioribus Pontificibus Miniſtris indulta fuêre: illud quoque addit: Quòd Miniſtri, Cuſtodes, ac Guardiani, determinare, arbitrari, ac præcipere valeant: cuius longitudinis, & latitudinis; craſſitiei, ac ſubtilitatis; atque ſimiliũ accidentium eſſe debeãt, tam Fratrum Habitus, ipſorumq; Caputia, quàm interiores

Cl. Exiit qui ſeminat. §. licet. de verb. ſig. in 6. Firmam 3. Ord p. 4.

Clem. Exiui §. Præterea.

Tunicæ



Tunicæ: quibus hæc poſtrema verba ſubdit, *Maximè, cùm nec expreſsè, vel determinatè in prædicta Minorũ dicatur Regula, vel Declarationibus antedictis: quantæ longitudinis, quãtæ groſſitiei, vel ſubtilitatis; qualis formæ, qualiſvè figuræ, huiuſmodi debeant eſſe veſtes: ſicut nec qualis, quantæque vilitatis eas eſſe oporteat, exprimitur in eadem.* Hæc poſtrema Pontificis verba, quibus maximè huius Poſitionis Auctores innituntur, idcircò apponenda duxi; vt cunctis perſpicuum ſit, omnia nos fideliter referre.

Extra. Quorundam §. in primis, & §. Quocirca. de verb. Sig.

XII. Iam verò, quid ex his Pontificum Declarationibus, hæc Poſitio ſibi auctoritatis vendicet, diligentiùs erit examinandum. Primus Nicolaus, quãdoquidem de numero tantùm Tunicarum, quibus fratres indui poſſunt, eo loco agit, nequicquã Habitus formam attingit: neque vllam Miniſtris ad eam immutandam, facultatem largitur: quemadmodum Sole clariùs locum inſpicienti patet. Secundus quoque Clemens, cùm id tãtùm Superioribus auctoritatis tribuat; vt de veſtiũ vilitate iudicare queãt: nihil prorſus huic Poſitioni confert. Quid igitur Nicolaũ, & Clementem fruſtra vexant? Supereſt Ioannes 22. qui, vbi eadem, quæ prior Clemens, de Habitus vilitate à Superioribus iudicanda, ſtatuerat: refricauit: illis præterea; vt de longitudine, latitudine, groſſitie, aut ſubtilitate; forma, ac figura Habitus, iudicium ferre queant, indulget; præſertim (vt ait Pontifex) cùm de his Regula nihil decernat. Huius Aſſertionis Auctores, cùm nihil ſibi ex cæteris vendicare queant, quo propoſitum confirment: (Neque enim longitudo, aut latitudo; craſſities, aut ſubtilitas; quarum iudicium Superioribus committitur; ad eſſentialem Habitus formam, de qua nobis res eſt; vllo modo ſpectant.) Verba illa. *Qualis formæ, qualiſvè figuræ eſſe debeant*, diligentiùs colligunt: hiſque ſe euincere poſſe arbitrantur, eam Miniſtros, & Cuſtodes à Pontifice poteſtatem tuliſſe: vt de forma Habitus, & Caputij iudicare; eámque pro libito commutare queant. Id verò, quàm à Pontificis mẽte, ac verbis alienum ſit, facilè cuilibet perſpectũ eſſe poterit: Si, quid à Pontifice hac Extrauaganti. *Quorumdã* Minorũ Superioribus conceſſum: quóve illius mens, ac conceſſio ſpectauerit, diligẽtiùs indagetur.

XIII. Quædam hoc tempore, ſub Michaële à Ceſena, Generali totius Ordinis Miniſtro, Fratrum Cõgregatio in Ordine inualuerat; quæ cùm Narbonæ primùm excitata eſſet, ea Narbonenſium appellata fuit. Hi cùm laxiores, ac molliores Habitus, quadratáq; Caputia; quæ etiãnum in toto Ordine vigebant, ampliora, quàm à B.P.N. Franciſco inſtituta fuerant; Cellaria, Granariáque paſſim in Ordine admitti conſpicerent: ad Reformationem anhelantes; haud aſpernando ſanè conſilio, ſi rem prudentiùs auſpicati fuiſſent: rudiores, craſſioréſque Habitus; ac breuiora Caputia, quibus à communi Ordinis familia diſcrepabant, ſibi vendicantes; à Cellariis quoque & Granariis, tanquã ab altiſſima Regulæ paupertate diſſentaneis, abhorrentes; Congregationem à reliquo familiæ Corpore ſeiunctam inſtituerant: quæ eoúſque roboris, atque auctoritatis emerſerat: vt Generalis Miniſtri imperium detrectaret. Hinc igitur cùm ſeditiones, ac tumultus in Ordine concitarentur; Michaël Ceſenas, qui eo tempore Ordinẽ moderabatur, ad Ioannis 22. Pontificis opem confugit: qui Extrauaganti illa Conſtitutione edita, Narbonenſes à cœptis deterret: iiſque ſub Excommunicationis pœna præcipit, vt ſquallidis illis, ſtrictis, curtis, (vt Conſtitutio loquitur) Habitibus, ac breuioribus Caputiis depoſitis; eam Habitus formam, quæ tunc in Ordine cæteris communis erat, ſibi adſciſcant: atque ad Generalis Miniſtri Obedientiam redeant.

XIV. Hinc eos apertè errare manifeſtũ eſt; qui hos Narbonenſes, Fratricellos, aut Fratricellorum hęreſis pollutos exiſtimant. Fratricelli nãque, quorũ Hermanus quidam Italus Auctor fuit; non ex Minorum Ordine prodiêre; tametſi Minorum aliquando ſibi nomen, & appellationem vſurparent: vt ex Conſtitutione Ioannis 22. quæ incipit *Sancta Romana Eccleſia* exploratum eſt: ſed nouam quandam Religionem præſeferentes, ſuos ſibi à Minorum Ordine diſſitos Miniſtros, ac Superiores conſtituerãt.

XV. Pontifex igitur, vt omnem Schiſmatis anſam præſcinderet: néve Narbonenſes, ſub vllo Regularis Obſeruantiæ titulo, auſteriorem illam Habitus, & Caputij formam, tanquam Regulæ magis conſentaneam, defenderent: de poteſtatis plenitudine, Miniſtris, Cuſtodibus, & Guardianis indulget; vt de Habitus, & Caputij longitudine, latitudine, groſſitie, & ſubtilitate, quæ ad accidentalem duntaxat formam pertinent; vti ea in Conſtitutione explicatur, cùm dicitur, *Atque ſimilium accidentium*, iudicare,



& decernere

& decernere valeant:quo ſit,vt forma illa,ſeu figura Habitus,& Caputij,quam Pontifex Miniſtrorum iudicio relinquit, ad longitudinem, ſeu latitudinem; craſſitiem ſeu ſubtilitatem,vel aliam huiuſmodi accidentalem formam, quæ Habitus eſſentialia non attingit, referri debeat. Vnde igitur colligant, ipſam Habitus, aut Caputij, quod quadratum in toto Ordine gerebatur, formam,hac Ioannis 22. Conſtitutione, Minorum Superiorum arbitrio relictam fuiſſe, penitus obſcurum eſt: cùm id à Pontificis mente,ac verbis in Conſtitutione expreſſis alienum ſit:Quod ipſe quoque rei exitus vberiùs confirmat:Neq; enim Quadrati Caputij forma, quæ Ordini communis erat,tunc Narbonenſibus ſublata fuit: ſed iuxta Conſtitutionis præſcriptum, iis tantùm præceptum;vt breuioribus illis Caputiis; & ſtrictis,curtis & inuſitatis Habibus depoſitis, communi, atque vſitato Ordinis Habitu vterentur.

XVI. Hæc quidem,quæ ad verum,ac genuinum huius Extrauagantis ſenſum, ab errore vendicandum ſpectant, prælibare oportuit: ne ex ea quiſquam errandi anſam arripiat. Verùm ſi id huiuſce Aſſertionis Auctoribus demus, quod nullo iis iure debetur: haud tamen propoſitum aſſequuntur. Id enim in hac Ioannis 22. conceſſione haud leuiter perpendendum eſt. Eam non ex Regulæ Declaratione hauſtam; vt ex eadem Conſtitutione exploratum eſt: ſed ex Pontificis duntaxat poteſtate, ac diſpenſatione profectam eſſe: Quo ſit, vt cùm ante Ioannis 22. qui anno Domini 1316. Pontifex creatus fuit,tempora non vigeret: nec vllum in Minorum Ordine eouſque locum habuiſſet:potiſſimum huius Aſſertionis fundamentum ruat; quo adſtruunt. Nihil à B.P.N. Franciſco in Minorum Habitu certum præſcriptum fuiſſe. Siquidem perſpicuum eſt;toto illo tempore ſaltem,quod Ioannem 22. præceſſit; quod centeſimum propè annum attingit; in quo necdum ea Conceſſio emerſerat:nullam Ordinis Superioribus,circa Habitus,& Caputij formam,facultatem factam fuiſſe:ſed omnia iuxta primæuam B.P.Franciſci inſtitutionem, certa quadam Regula, ac ratione eouſque defluxiſſe. Vnde igitur euincunt,Minoritani Habitus formam,arbitrio Superiorum, vſque ad Ioannis 22. tempora, inſediſſe? Quod planè ſufficere debet, vt falſa quoque eorum Aſſertio eſſe agnoſcatur: qua certam Habitus, ac Caputij formam à B.P. Franciſco, nunquam determinatam contendunt.

XVII. Hanc Aſſertionem ipſa quoq; ratio haud leuiter oppugnat. Nam ſi nulla certa,ac determinata Habitus forma à B.P. Franciſco inſtituta eſſet: Quid Minores prohiberet:quo minùs,vel Auguſtinianorum,vel Monachorum,vel aliorũ Ordinũ ſibi Habitus aſſumere valerẽt? Qui enim certę,ac determinatę Habitus formæ minimè alligantur,iis profectò liberum eſt;vt eos in aliorũ Ordinũ;immò & in alias quoque,atq; alias ſubinde Habitus formas, mutare valeant:quod cùm non tam à communi Ordinis praxi;quàm ab ipſa recta Ordinis conſtitutione,ac ratione diſſentaneũ ſit; ipſam quoq; Aſſertionem non tam à veritate, quàm ab ipſa ratione aberrare perſpicuũ eſt.

XVIII. Nemo Eccleſiaſtica lege ſancitum ignorat:vt vnaquæque Religio,Deo Sacra,ſuã Habitus formam,ac diſtinctionem conſtanter retineat, qua ab aliis diſcerni queat. Iã verò,quo pacto Minorum Ordo, primùm ab Innocentio,tũ ab Honorio confirmatus fuerit,ignoro:ſi nullã is certã,ac cõſtantẽ ſibi,à B.P.Frãciſco Fũdatore,Habitus formã vendicaſſet, qua à cæteris Regularium Ordinibus,certo diſcrimine diſtingui poſſet.

(Margin: 2. q. 1. Cap. vidua.)

XIX. Poſtremò,ſi nulla certa Habitus forma,à B.P.Frãciſco Minoribus ab exordio præſtituta fuit:Vndenã hæc Habitus forma,quam Minores Conuentuales,Obſeruantes, Diſcalceati,Reformati,Recollecti,Capucini tã conſtanter gerunt,defendunt,propugnãt,exorſa eſt? Quis Auctor? quis Inſtitutor illius extitit? Si nullus Minoribus certus Habitus ab initio præſcriptus: Quid de Rotundo,& Quadrato Caputio dura etiamnũ lis agitatur? Quid ad B.P.Franciſcũ prouocatur;vt ab eo rei veritas, & antiquitas expromatur? Sileant tot ſummorũ Pontificum Declarationes;ac pręſertim Clementis V. qui vniuerſa,quæ de Minorum Habitu in Regula præſcribũtur,præcepto æquipollere declarat. Deleantur tot Patrum Expoſitiones,quæ circa Minorum Habitus formam verſantur: Obmúteſcant omnia,tum antiquorum,tum Neotericorum Scriptorum monumenta:qui Minorum Habitum, à B.P.Franciſco, certa lege, ac forma comprehenſum,ac determinatũ tradunt. Ex antiquis S.Bonauentura,Bartholomęus Piſanus,Vgo,Petrus Ioannes,Brandolinus,Quatuor Magiſtri,& alij quamplures. Ex

(Margin: Clem. Exiui. §. Præterea.)

(Margin: S.Bonauent. Piſanus Cõf. 2.p.fol.4.)

Neotericis



Neotericis,ac recentioribus:Sedulius,Rodulphus Toſſinianenſis,Ioãnes Rauſſerius, poſtremus Lucas Vvaddinghus, inter Obſeruantes,illuſtris hac noſtra tempeſtate, Annalium Minorum Auctor. Quid hi in omnium adhuc manibus verſantur;ſi nulla Minoribus Habitus forma vnquam conſtituta? Abeant,diſcedant,exulẽt. Hi enim quænam Habitus forma,tam à B. P. Franciſco conſtanter geſtata; tum ab eo Minorum Ordini præſcripta fuerit,diſertiſſimè tradunt:Quòd ſi hæc meritò cunctis abſurda videntur: videant, obſecro, qua ratione hæc eorum Aſſertio cum veritate ſimul conſiſtere valeat.

XX. Poſtremò huius Aſſertionis Auctores in Domino obſecro; vt non ſolum ſibi ab errore: verùm multo magis à B.P.N.Franciſci contumelia caueant. Quis enim, B. Franciſcum (Virum tam ad miraculum Dei Spiritu imbutum, vt Regulam Chriſto ipſo dictante conſcripſerit) vel tam leuem,atque inconſtantem ſibi perſuadeat: vt nunc vna,nunc altera Habitus figura vſus,in varias ſe Habitus formas in Prothei modum olim mutauerit? vel adeò mentis,& conſilij inopem ſibi effingat;vt nec propriũ quidem ſibi, ac ſuo Minorum Ordini Habitum repoſuerit, quo à cæterorum Ordinum turba ſeipſum diſcerneret? Habuit Benedictus,Monachorum Caſſinenſium Pater,ſui Ordinis Habitum:quo ſe,ſuoſque à cæteris Monachorum caſtris ſecerneret: Hunc Baſilius,hunc Auguſtinus,hunc Dominicus,hunc cuncti Ordinum Fundatores habuêre:neque immeritò. Cùm diſtincta Religioſorum caſtra, diſtincta quoque veſtium ſigna depoſcant,quibus inter ſe dignoſci queant. Solus igitur duntaxat Frãciſcus,ampliſſimi Ordinis Auctor:velut diuino conſilio,vnde variæ Ordinum teſſeræ fluunt,deſtitutus: propria,qua Ordinem ſuum contegat, atque à cæteris dignoſcat, veſte priuabitur? Id ſanè cùm haud leues B.P.N.Franciſci gloriæ tenebras effundat: reſque ipſa indignam B.Patri contumeliam inuri clamitet: Annon filiis ſatiùs eſt,ea ſe abſtinere:ne ſe alienos,ac degeneres oſtendant: præſertim cùm ipſa conſtans Habitus forma,quam ſemel aſſumptam, ac inſtitutam,B.Pater nunquam deſeruit:aperta lex in Regula ſancita: perpetuus denique Scriptorum noſtrorum conſenſus: contra eos in acie pugnent. Meliùs igitur nobiſcum, & cum antiqua totius Ordinis ſententia conſpirent, ac ſentiant. Certam, ac determinatam Habitus formam,à Beato Patre noſtro Franciſco olim inſtitutam; ac ſibi, ſuiſque Minoribus præſcriptam fuiſſe.

## DEMONSTRATIO II.

### *An forma Caputij à B.P.N. Franciſco inſtituta, fuerit Rotunda, necne?*

XXI. QVI nullam à B. P.N. Franciſco certam, ac determinatam Habitus formam, Minoribus præſcriptam eſſe ſentiunt:iis conſequenter aſſerendum eſt; Rotundam Caputij formam, quæ ad determinatam Habitus figuram ſpectat, ex B. Patris inſtitutione minimè effluxiſſe. At quandoquidem non omnibus idem ſenſus,ac ſententia ineſt:alij ab aliis diuerſa opinantes cenſent; B. Franciſcũ rotundi Caputij non quidem Auctorem;ſed ex indulgentia approbatorem fuiſſe. Fingunt enim totã Minorum familiam, ipſa B.P.Franciſci tempeſtate;cùm ob laxiorem Caputij amplitudinem,hyeme præſertim,nimio capitis frigore vexaretur:rotunda quædam ſibi Capuntiola,ſeu Almutia,in ipſa laxioris Caputii ora conſuiſſe; quæ caput ab ingruente frigore defenderent. Quo Caputii genere,cùm ipſe B. Pater tunc primùm vti cœpiſſet; quum oculorum morbo laboraret;illud deinceps probaſſe,ac familiare habuiſſe,cæteriſq; ſuo exẽplo præſcripſiſſe,ferunt. Hanc ſententiã ſcripto proditã,ex iis nonnulli,nuper in Neapolitana Vrbe euulgarunt:cuius apud nos exemplar aſſeruatur.

XXII. Hanc certè fabellam, potiùs ex compoſito confictam, quàm ſententiam appellandam eſſe; res omnibus ſæculis ignota, nullo teſte probata, nullo Auctore confirmata,nullis monumentis tradita;nulli tandem rationi innixa:quin etiam ab omnibus rerum Minoritanarum Scriptoribus reprobata,proculdubio euincit. Nã quod de bre-

uiuſculo

niuſculo rotundo Caputio commemorant; cuius Beatum Patrem Franciſcum tunc beneficio potitum fuiſſe volunt; quum illi propter oculorum morbum cauterium inuſtum fuit, falſum prorſus figmentum eſt. Neque enim D. Bonauentura qui ipſius vitam conſcripſit, & cauterij meminit; vllam rotundi Caputioli mentionem facit. Chronicon verò Ordinis, prim. p. lib. 2. c. 41. vbi factum narrat; tantum abeſt; vt rotundum aliquod Caputiolum B. Patri in ea ægritudine tribuat: quòd etiam laxius Caputium illi paratum fuiſſe affirmat; vt oculis lucis fulgorem interciperet. Locus amabò conſulatur: qui omnem à veritate ſuſpicionem abſterget. Vnde igitur illis rotundum Caputium? præterquàm ex animi ſententia; qua illud ſibi abſque Auctore, atque auctoritate confingunt.

III. Hoc igitur animi figmento expulſo: ſi Caputij rotundi, quod à Minoribus Conuẽtualibus, & Obſeruantibus geritur; genus, ac origo quæratur: id planè certum eſt, eam à B. Franciſco petendam non eſſe. Qui enim ad eum ipſius inſtitutionem referendam volunt: illam, vel ex Regulæ præſcripto, vel ex B. Patris vſu, & exemplo; vel ex antiquorum teſtimonio; vel tandem ex priſcis, tum B. P. Franciſci, tum Sociorum Caputiis; aut ſaltem antiquiſſimis Iconibus colligere debent. Primum quidem manifeſtum eſt, omne rotundi Caputij nomen, & appellationem à Minorum Regula exulare, ex quo illius inſtitutio elici queat. Quamquam enim S. Franciſcus ità in Regula decernat: *Habeant duas Tunicas, vnam cum Caputio, & alteram ſine Caputio, qui habere voluerint*: nulla tamen aut rotundi, aut quadrati Caputij formam præſcribit. Illud quoque B. Patris vſum, aut exemplum ignoraſſe; ſummum, ac commune omnium Scriptorum de hac re ſilentiũ prædicat: qui potiùs B. Franciſcum, prioraque illa B. Patris tempora à rotundo Caputio abſtinuiſſe tradunt. Quòd ſi hæc à nobis ſeueriùs dicta exiſtimãt; vnicum ipſi vel antiquum, vel omni exceptione maiorem, Auctorem proferãt, qui rotundum Caputium, ex B. Franciſci exemplo, vel inſtitutione emanaſſe doceat.

IV. Cùm verò antiquis, & neotericis Scriptoribus commune ſit; non tam à Caputii rotundi, cùm de prima Caputii inſtitutione agunt, appellatione abſtinere; quàm ab ea prorſus abhorrere: ſiquidem in id omnes conſpirant, Caputium à B. P. Franciſco inſtitutum, non formà rotundum, ſed quadratum extitiſſe; vt in quarta Demonſtratione fuſiùs explicabimus: nullum profectò à veterum Scriptorum auctoritate præſidium ſibi vendicant.

V. Poſtremò ſi ipſius B. P. Franciſci; ſi Sociorum Caputia, quæ pleriſque in locis religiosè aſſeruantur; ſi vetuſtiſſimas Imagines, primo illo Religionis æuo depictas, explorent: nullum prorſus in his rotundi Caputij veſtigium reperient: vt hinc facilè perſpicuum ſit; rotundum Caputium à B. P. Franciſco nullo vnquam tempore, aut inſtitutum, aut approbatum fuiſſe. Plures, quæ huc vocari poſſent, rationes prætereo; ne eos potiùs impugnare, quàm veritatem tueri videar.

## Demonstratio III.

*An cum Caputio rotundo, B. Franciſcus Lunulam, & Scapulare inſtituerit.*

I. Lvnvlam, & Scapulare; geminas illas panni portiones, tum ante pectus, tum etiam poſt terga, à Caputio pendentes, appello: quæ in vtroq; Minorum Conuẽtualium, & Obſeruantium Ordine, ſimul cum rotũdo Caputio, diuturno vſu, recepta videmus: quarum cùm genus, ac inſtitutionem inquirimus, id tantùm indagare lubet: num eæ ex B. Patris aliquando inſtitutione, aut exemplo prodierint.

II. Qui priorem Caputij rotundi, tanquam à B. Franciſco approbati, eo modo, quo in ſuperiori Demonſtratione explicatum fuit, fabellam narrant: cum ea quoque alteram copulant. Id enim primùm apud ſe ſtatuunt. Ex rotundo Caputio, Lunula, & Scapulari, quoddam quodammodò compoſitum conſurgere, quod ſua materia, & forma diſtinctum docent. Huius compoſiti materiam, Caputiũ rotundũ eſſe volũt: formã verò Lunulã, & Scapulare. Porrò cùm ea ſit materiæ natura, vt illa abſq; forma eſſe nõ poſſit; hãc Caputij rotundi conditionem, eſſe apud ſe diſſerunt, vt illud ſine Lunula, & Scapulari eſſe non poſſit. Atq; inde neceſſariò inferũt: B. Franciſcũ, quum





primùm rotundum Caputium in Ordinem inuectum approbauit; Lunulam ſimul & Scapulare; velut propriam formam, eſſentialiter ab eo dependentem, approbaſſe. Hæc communis eſt horũ Patrũ ratiocinatio, ſcripto apud Neapolitanos euulgata.

III. At quoniam, vt Philoſophis notum eſt; ea eſt formæ præſertim corruptibilis natura, & conditio: vt quemadmodum materia abſque forma; ita & forma à materia ſeparata, per ſe ſubſiſtere nequeat. Si à Lunulæ, & Scapularis forma, rotundi Caputij materiam amoueas: quònam forma illa abire cenſenda eſt? Annon ſimul cum ea Lunulam, & Scapulare profundiùs ruere neceſſe erit? Id planè iis in hac ratiocinatione contingit: Cùm enim in ſuperiori Demonſtratione reiecta illa de B. Franciſco fabula: ad quam ſolam rotundi Caputij inſtitutionem, ſiue approbationem referunt: tum ex Regula, tum etiam ex omnium Auctorum, ac probatæ antiquitatis conſenſu, demonſtratum fuerit; nullam rotundi Caputij inſtitutionem à B. Patre effluxiſſe: eadẽ ſanè ratione, & Lunulæ, & Scapularis inſtitutio, velut B. Franciſco, ac Scriptoribus omnibus ignota, è medio tollitur; ac velut eodem pondere obruta ruit.

IV. Atqui diligentiùs perpendendum eſt, quo poſitionem ſuam præſidio, ac teſtimonio muniant. Bifariam, ex D. Franciſci geſtis id ſe colligere indicãt. Primò, ex Chrõ. p. par. lib. 2. c. 19. vbi S. P. Franciſcus, vt Fratrem Eliam cultioris veſtitus reprehende- Chron. p. 1. Lib. 2. c. 19
ret; ipſius Habitum, quem ille ſibi molliorem, atque ampliorem parauerat: induens; inter alia Caputium ſibi aptaſſe fertur. At ſi Caputium abſque Lunula, & Scapulari, Tunicæ aſſutum fuiſſet; quid in eo (inquiunt) aptandum erat? Planè nihil. At hoc Argumentum Chronicorum Auctor, tam diſertè diluit; vt illos quoque erroris redarguat: dum ait. B. P. Franciſcum Caputij tunc acumen manu erexiſſe. Ibi enim integrè factum exarãs, ita ſcribit. *Habitu ad Cingulum ſubrugato, Caputium erexit*. En quomodò Caputium, abſque Lunula, & Scapulari aptauerit? Quòd ſi Caputium erexit; haud ſanè rotundum Caputium fuit; ſed acuminatum, ac planè huiuſmodi forma præditum; vt erigi in altum poſſet, ac faſtum præſeferre. Videant amabò; an non tutiùs ab hoc teſtimonio abſtinere, quàm illud nobis obiicere potuiſſent? cùm eo validiſſimum eorũ propugnaculum, quo ſe tueri putabant, ad ſolum vſq; proſternatur.

V. Alterum quoque ſuæ poſitioni præſidium, ex alio exemplo quærunt; quod apud S. Bonau. in leg. S. Franc. c. 6.
D. Bonauenturam in Legenda S. Franciſci habetur, cap. 6. & Chron. p. 1. lib. 1. c. 19. Chron. p. 1. l. 1. c. 19.
Exemplum hoc fuit. Cùm Frater quidam in Superiorem contumax fuiſſet, iuſſit Pater ſanctus, Caputium ipſius in ignem proiici: vt illius inobedientia, ac temeritas eo exemplo argueretur. At ſi Caputium (aiunt) ſine Lunula, & Scapulari cum Habitu conſutum fuiſſet: haud commodè in ignem proiici potuiſſet. Quibus aptiùs reſponderi poteſt: Quid ſi incommodè? Num opus illud tam familiare, ac quotidianum erat; vt commodè fieri deberet? Actio ſingularis, ac inſolita fuit, quæ ſingularẽ quoque, & inſolitum rei modum, ac operationem exigeret: At vnde hæc tam callida, ac ſolida argumenta, quibus ſoluendis, ipſa vel contempſiſſe ſufficiat? At Cur potiùs huius rei veritatem, vel ab ipſa Regula, vel ab antiquorũ ſcitis, vel à priſcis Imaginibus, vel tandem ab ipſis B. P Franciſci habitibus: qui ſine Lunula, & Scapulari etiamnum Florentiæ, ac Piſis conſpiciuntur, ſolidiùs non exquirunt? Quamobrem vt Lunulæ, & Scapularis vſum, ex B. Patris Franciſci inſtitutione, minimè effluxiſſe exploratum ſit: id ex quintuplici Capite euincimus.

VI. Primùm ex Regula, quæ cùm Nouitiis, ac Profeſſis, ſuam cuique Habitus formam præſcribat; Nouitiorum primum Habitum his verbis deſcribit. *Poſtea conce-* Reg. c. 2.
*dant eis pannos Probationis; videlicet, duas Tunicas ſine Caputio, & Cingulum, & Brachas, & Caparronem vſque ad Cingulum*. Tum verò de Profeſſorum Habitu agens, ita ſancit: *Et illi, qui iam promiſerunt Obedientiam, habeant vnam Tunicam cum Caputio, & alteram ſine Caputio, qui voluerint eam habere*. Ex quibus B. Patriarchæ verbis id in primis perſpicuum eſt: inter Nouitiorum, & Profeſſorum habitum, id tantùm diſcriminis intereſſe: quòd Nouitiis geminæ Tunicæ abſque Caputio, non tamẽ ſine Caparrone: Profeſſis verò duæ quidem Tunicæ; ſed vna cum Caputio, ſublato Caparrone, aſſignãtur. Caputiũ igitur, quod Nouitiis à Regula interdicitur, ac Profeſſis præſcribitur, illud ſit, neceſſe eſt (vti latiùs in quinta Demonſtratione explicabimus) quod cum Tunica immediatè conſuitur. Id enim ex ipſo verborum ſenſu tam

apertè conſtat; vt ſi quis propoſita verba in alium ſenſum conetur pertrahere: planè & verba, & ſenſum corrumpat.

VII. Quod cùm ita ſit, duplici inde argumento euincimus: Scapulare, ac pectorale illud, quo alij, Capucinis exceptis, Franciſcani vti ſolẽt, à vera præſcripti habitus forma omninò expungenda eſſe. Primum eſt: quòd iis ſemel in Minorum habitu admiſſis; neque vera, ac præſcripta Profeſſorum habitus forma, neque Nouitiorũ habitus à Profeſſorum habitu diſtinctio haberi queat. Cùm enim, quod ad primum attinet; Tunica ſimul cum Caputio coniuncta, propria ſit Profeſſorum habitus forma, à Regula præſcripta: ſi Caputium; quod habitus pars eſt, à Scapulari, & pectorali diſtincta; quod ex ipſa ethimologiæ vi, ad caput tegendum ſpectat; à tunica diſiunctum fuerit: tametſi cum Lunula, & Scapulari conſutum: quo pacto ea tunica cum Caputio, quin potiùs tunica abſque Caputio exiſtimanda erit? Ac proinde ſi quis duas tunicas iuxta Regulæ indulgentiam gerat: quomodò, cùm earum nulli Caputium adhæreat, vnam cum Caputio, & alteram ſine Caputio habere cenſetur? Profectò, vel vtramque cum Caputio; ſi Caputium non coniunctum, ſed contiguum velint: vel quod omninò dicendum eſt; vtramq; abſq; Caputio geſtari opus erit. Verùm quònam tunc Profeſſorum habitus forma abiit; quæ in eo potiſſimùm ſita eſt, vt Tunica cum Caputio; id eſt Caputio coniuncta habeatur.

VIII. Cæterùm, hinc quoque neceſſaria illa inter Profeſſorum, & Nouitiorum habitus, diſtinctio euaneſcit; quam B. Pater in Caputij, ab vtraque tunica, ſeparatione collocat. Caputio namque ab vtroque tam Profeſſorum, quàm Nouitiorum habitu diſſuto; quem tandem locum ſibi illa Beati Patris lex vendicabit? qua ſanxit, vt Nouitij duas tunicas ſine Caputio; Profeſſi verò vnicam tantùm ſine Caputio, alteram cum Caputio gerere debeant? Præterea ſi Scapulare ad Nouitiorum habitum addi contingat: vbinam Caparroni, quod alterum eſt inſigne probationis teſtimonium, locus eſſe poterit? Etenim ridiculum eſt, Caparronis nomine, exiguam illam panni particulam, quæ Scapulari ab iis apponi ſolet, intelligendam eſſe: præſertim cùm ex Regulæ præſcripto, Caparro ab humeris vſque ad Cingulũ fluere debeat. En in quales violati habit⁹ anfract⁹ incidũt, qui Scapulare & Lunulã, cũ Nouitiorũ, & Profeſſorũ habitu coniungũt. Quòd ſi tam Scapulare, quàm Lunulam abiiciant; Caputiumque cum habitu conſuant; iam tuta omnia habent: nihil ſiquidem erit, quod vel in Profeſſorum habitu, iuxta Regulæ præceptum, Caputij cum tunica connexionem impediat, vel à Nouitiorum habitu Caparronem auelat.

IX. Alterum verò huius rei argumentum eſt: quòd B. Pater Franciſcus, dum certam habitus formam, tam Nouitiis, quàm Profeſſis in Regula indicit; nullam prorſus Scapularis, aut Lunulæ mentionem facit: ſed iis alto ſilentio ſepultis, ſolius Caputij quod ad Profeſſos ſpectat, ac Caparronis Nouitiorum tantùm meminerit. Quod ſanè haud leue probationis genus eſſe cenſetur, quo, & ipſi Iuriſperiti quoque vti ſolent: quibus illud dictum familiare eſt; vt quod in lege expreſſum non eſt, pro non conceſſo habeatur. Etenim cùm Monachi, & ij, qui Lunulam, & Scapulare ex inſtitutione gerunt, illa potiſſimùm ex Regula accipiant, vt exploratum eſt. Quidni illud B. Franciſcus ex Regula verbo ſaltem, aut exemplo expreſſiſſet; ſi eo ſuos exornatos voluiſſet.

X. Neque ij ſatis argumentum effugiunt, qui Caputij appellatione ipſum quoque Scapulare, ac Lunulam contineri volunt: ita vt iis Lunula & Scapulare nihil aliud ſit, quàm Caputium vtrumque complectens. Ea enim cùm neque communis, neque genuina vocis interpretatio ſit; commentitia potiùs, & ad fugam aptata eſſe videtur. Quis namque Caputium ad capitis tegumentum; Scapulare verò ad Scapularum ornamentum; vt Lunulam interim prætercam, ſuapte natura, ac inſtitutione referenda non ſentiat? Quòd ſi alius Capitis, alius verò eſt Scapularum ornatus; quomodò ij Caputium, & Scapulare; (niſi quæ ipſa natura diſtincta ſunt, malint confundere) vnum eſſe, ac pro eadem re vſurpari exiſtimant? Scapulare quidem nunquam ſine Caputio eſſe ſolere, ex ipſo vſu perſpicuum eſt: at Caputium à Scapulari diſiungi poſſe; quis ignorat? Quo fit, vt ſi nonnihil huiuſmodi





interpretationi tribuendum ſit; ea potiùs Scapulari, quàm Caputio quadret. Verùm cùm neque Scapulari ſatis germanè accommodari queat: reliquum eſt; vt Scapulari à Nouitiorum, ac Profeſſorum habitu auulſo, eam duntaxat Minorum habitus formam, à B. Franciſco præceptam veram eſſe agnoſcant; quæ hactenus ex Regulæ verbis deſcripta, Lunulam, & Scapulare expellit; Caputiumque cum tunica coniunctum habet.

XI. Hoc ipſum ſecundò ex B. P. Franciſci, ac Sociorum habitibus, & Caputiis; quæ variis in locis aſſeruantur, non obſcurè demonſtratur: quæ nec Lunulam, nec Scapulare coniunctum habent; vt in ſequenti demonſtratione fuſiùs explicabimus. Tertiò id quoque ex antiquiſſimis Imaginibus, & Sculpturis euincitur. Quartò ex quamplurimis B. P. Franciſci apparitionibus; quæ in eadem Demonſtratione referendæ erunt.

XII. Poſtremò id ex omnium ferè antiquorum, ac recentiorum Scriptorum, non tam alto huius rei ſilentio, quàm voce, & conſenſu oſtenditur: qui Lunulam, & Scapulare ex B. Franciſci inſtitutione minimè effluxiſſe tradunt: ex quibus vnum dũtaxat Vvaddingum, ex Obſeruantium familia, eximium Minorum Annalium Auctorem, cæteris in alium locum reiectis, hîc lubet proferre; qui de forma habitus B. Franciſci ita ſcribit. *Forma paterni illius habitus ipſa eſt, quam in ſuo geſtant filij. Manicas habet è cubito ad corpus laxiores, quàm patiantur ſtrictioris obſeruantiæ leges. In eo à communi Minorum obtegumento differt, quod Caputium habeat quadratum, abſque orbiculari illa parte ad pectus pendente: & ſine rotundo, ac pleno illo capitis obuelamento, modò omnibus à Bonauenturæ tempore, vt ſuo loco dicam, conſuetudinario.*

XIII. Ex his facilè perſpici poteſt; quàm labile, ac ruinoſum ſibi fundamentum ſubſternant, qui Lunulam, ac Scapulare à Beati Patris Franciſci inſtitutione manare tradunt: quandoquidem nec vetuſtatem, nec Scriptorum auctoritatem, nec Ordinis Monumenta, nec Pontificum decreta, vt inferiùs demonſtrabimus: nec rationes, nec argumenta, neque exempla, quibus ſtare poſſit, ſibi vendicant. Ad quartam Demonſtrationem venio.

## DEMONSTRATIO IV.

### *An forma Caputij à B. Franciſco inſtituta fuerit Quadrata, aut Pyramidalis, necne?*

I. IAM potiſſimùm controuerſiæ noſtræ ſtatum attingimus; in quo oſtium nobis magnum, & euidens, ad antiquam veritatem elucidandam, apertum eſt: Aduerſarij autem multi. Nec mirum: cùm hanc veritatis conditionem eſſe ex Ambroſio didicerimus: vt eam ferè ſemper odia, ac inimicitiæ comitẽtur. Veritatem in arduo poſitam eſſe nemo ignorat; quam omnes quidem æmulari videntur: Ad eam verò ij tantùm pertingunt, qui iuxta Apoſtolum deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, ac ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones; ſicut modò geniti infantes, rationabiles ſine dolo, veritatis lac concupiſcunt; vt in eo creſcant in ſalutem. Nobis quidem etſi pro veritate decertare glorioſum, nedum honeſtũ ſit: charitatem tamen cum veritate ita coniunctam volumus; vt cùm vera dixerimus; charitas integra, ac ſartatecta ſeruetur: nemo lædatur; neminique veritas odioſa ſit. Quamobrem ita huius Quæſtionis, quam paulò fuſiùs examinandam propoſuimus, Demonſtrationem aggredimur. vt cùm inde veritatis lux effulſerit, ex ea charitas augeatur.

II. Illud ſanè grauiſſimum, tametſi vulgare dictum non ignoro, quo fertur. Monachum non habitu, ſed virtute fieri. Neque nos Quadrati Caputij formam ita propugnandam amplectimur, aut illius tam perditè amore exardeſcimus; vt in ea duntaxat perfectam Fratris Minoris gloriam collocatam cenſeamus.

Virtus enim, ac perfecta Regulæ Obſeruantia, ea planè ſunt, quæ verum, ac glorioſum Minoribus nomen comparant. Quadratum Caputium ſi cum virtute, ac Regulari Obſeruantia coniunctum fuerit; haud dubium, quin perfectum tum ſpiritu, tum habitu Minorem Capucinum præſtet: quod ſi ab iis ſeiunctum, ac virtute vacuum fuerit: mihi ſanè præſtat, eo potiùs, quàm virtute, ac Regulari Obſeruantia; quæ Habitu potiora ſunt, carere. Veruntamen, quandoquidem de vera Habitus forma à B. P. noſtro Franciſco inſtituta, lis agitatur: nemini profectò iniuria irrogatur: cùm non noſtram, ſed B. Patris cauſam agentes; pro illo, ac pro veritate in acie ſtamus.

Huius Demonſtrationis veritas, quandoquidem tam copioſa eſt; vt exuberantis fontis inſtar, in pleroſque teſtimoniorum riuulos ſeſe effundat: ne nos copia confundat, aut obſcuros præſtet; ſi minùs diſtinctè rem proſecuti fuerimus: teſtimonia ſuis quæque claſſibus diſtribuere, ac ſingillatim proponere, neceſſarium duximus. Sex igitur teſtimoniorum Claſſibus, noſtra hæc Demonſtrationis veritas ſtipata procedet. Prima, ex Regulæ verbis. Secunda, ex propriis B. P. Franciſci, & Sociorum Habitibus, & Caputiis. Tertia, ex priſcis Imaginibus, ac ſculpturis. Quarta ex variis apparitionibus B. Franciſci, B. Antonij, & aliorum quadrata Caputia geſtantium. Quinta, ex variis Caputij quadrati miraculis. Sexta tandem, ex antiquorum, & recentiorum Scriptorum teſtimoniis inſtruetur. III.

## PRIMA CLASSIS TESTIMONIORVM,
### *Ex Regula.*

SI expreſſum in B. Franciſci Regula teſtimonium quæratur, quò quadrati, verbotenus, Caputij forma, Fratribus Minoribus tradita præſcribatur; planè nullum reperio. Neque enim B. Pater quadrati, aut rotundi Caputij in litera vnquam meminit; cùm in genere tantùm Caputij meminerit, quum ait: *Habeant vnam Tunicam cum Caputio, & alteram ſine Caputio, qui habere voluerint.* At ſi Regulæ non tam literam, quàm ſpiritum; ac Legiſlatoris, non verba, ſed mentem inquirimus: haud vlli dubium eſſe poteſt; quin is eam Caputij formam in Regula præſcripſerit, quam ante Regulam conſcriptam, cum ſuis iam inſtitutam gerebat. Neque enim, aut diuino Chriſti Spiritui, quo S. Pater agebatur; aut rationi ſatis conſentaneum erat; vt vel nullam, vel omnem ſibi: ac ſuis Caputij formam præſtitueret: ita vt cuique liberum eſſet, nunc rotundis, nunc quadratis; modò oblongis, modò breuioribus Caputiis vti; quibus neque ij à ſeipſis diſcerni poſſent, vt in prima Demonſtratione explicatum fuit. Quamobrem ſi rectè de B. Patris mente iudicandum eſt; ea profectò, non alia fuit: talem in Regula Caputij formam Fratribus Minoribus conſtituere, qualem ipſe cum ſuis ex condicto gerebat. Etenim ſatis B. Patri viſum fuit, dum Regulam conſcriberet; Caputium, abſque vlla formæ expreſſione, Fratribus decernere: quò ea Caputii forma præſcripta eſſe intelligeretur, quam ipſe in toto Ordine inſtituerat: quaque is cum tota Fratrum familia vtebatur. IV.

Reg. c.2.

Quod cùm ita ſit: vbi apertiſſimè demonſtratum fuerit, Caputii formam, qua B. Franciſcus cum ſuis ſemper vſus fuit; quamque in Ordine inſtituit, quadratam, ſeu pyramidalem fuiſſe: id quoque exploratum erit, quadrati Caputij formam ex Regulæ viſceribus, ac præſcripto manare. Id verò poſterioribus teſtimoniorum Claſſibus præſtandum erit. V.

Hoc ipſum, & ex altero Regulæ Capite demonſtrari poſſet, vbi de Caputio cum Habitu coniuncto agitur: quod non niſi de quadrato Caputio aptè intelligi poſſe videtur: ſed quoniam breuitati nobis ſtudere propoſitum eſt, ad ſecundam Claſſem accedo. VI.





## SECVNDA CLASSIS TESTIMONIORVM,
### *Ex propriis B. P. Franciſci, ac Sociorum Caputiis.*

VII. ANtiquitatem fidelem eſſe veritatis depoſitariam, omnium Patrum vox eſt. Qui enim de alicuius rei poſſeſſione contendunt; quum nulla certa ratio haberi poteſt, qua quis illam proprio iure poſſideat; tunc ad vnum antiquitatis ius recurritur; inquiriturque, quis prior illam poſſederit: huic enim rem deberi leges præſcribunt l. 3. c. de ſeruit. & aqua. l. ſi quis diuturno vſu ff. de acquir. poſſeſſ. Hinc Tertullianus de vero & falſo Euangelio cum Marcione diſceptans, antiquitatem, velut potiſſimum veritatis argumentum adfert, ita ſcribens. *Ego meum Euangelium dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis affirmo adulterum, ille meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio ei præſcribens auctoritatem, quod antiquitus reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincitur. In quantum enim falſum corruptio eſt veri: in tantum neceſſe eſt, vt præcedat veritas falſum:* hoc certo, ac demonſtratiuo probationis genere in hac demonſtratione vti decreuimus: vt luculẽtiùs propoſitæ rei veritas eluceſcat. Cùm enim de vera Caputij forma diſceptatio orta ſit: Noſque quadratum à B. P. Franciſco geſtatum, atque inſtitutum aſſeramus: Alij contrà rotundum affirment. Nullius ſanè præterquàm antiquitatis, ad litem hanc dirimendam, ſententia expectanda eſt: vt ei formæ temporis ratio veritatem præſcribat, quæ in priſcis illis B. Patris, ac Sociorum Caputiis, atque antiquiſſimis picturis anteceſſerit. Ab ea enim, quæ prior in Capite præceſſit, proculdubio poſterioris veritas petenda eſt.

Tertul. l. 4. contra Marchion.

VIII. Primum igitur à B. P. Franciſco teſtimoniũ exordiar; quod omnem prorſus exceptionem tollit. Florentiæ namque in Ædibus Saluatoris Fratrum de Obſeruantia, (quæ vulgò omnium Sanctorum nuncupantur) certum B. P. Franciſci habitum aſſeruari: quo Seraphicus Pater tunc indutus erat, quum in Monte Aluerniæ, Sacroſanctis Ieſu Chriſti characteribus, à Deo inſignitus fuit; apud omnes in confeſſo eſt: quem velut pretioſiſſimum Vrbis theſaurum, pluribus ſeris obfirmatum, Ethruriæ Duces diligentiſſimè cuſtodiunt, ac digna veneratione proſequuntur. In eo rudis panni, ac cinerei coloris, Caputium quadratum, ac pyramidale abſque Scapulari, ac Lunula aſſutum licet conſpicere; iis planè ſimillimum, quæ modò Capucini geſtare ſolent: olim quidem longioris pyramidis cuſpidem extendere viſum fuit; (vt iis perſpicuum eſt, qui priùs illud contemplati fuerant) Nunc verò nonnihil à poſteriori parte obtruncatum, breuiorem menſuram præſefert. Verùm vtcumque res ſit, huius habitus, & Caputij formam, fideliter ad nos tranſmiſſam, hîc rudi Imagine adumbratam proponimus: in qua & pyramidalis Caputij forma, abſque Lunula, & Scapulari, expreſſa cernitur.

1

*Habitus S. Franciſci Florentiæ aſſeruatus.*







IX. SEcundus B. P. Franciſci Habitus, cinerei coloris, à priori non abſimilis; Aſſiſij, in Eccleſia S. Franciſci apud Minores Conuentuales conſpicitur: quem illum fuiſſe ferunt, qui Angeli monitu, à deuotiſſima illa Matrona Iacoba à Septem Soliis; quam ob eximiam pietatem, ac ſanctimoniam, B. Pater, non Dominam Iacobam, ſed Fratrem Iacobum appellare ſolitus erat; pro ſancti Patris exequiis paratus, ac Roma Aſſiſium ab ea delatus fuit: in quo neque Scapulare, neque Orbiculare illud pectorale offendas; ſed quadrum, ac pyramidale tantùm Caputium, immediatè cum Habitu coniunctum cernas; cuius hîc figura, ex prototypo exprompta, ſpectanda obiicitur.

2

*Habitus S. Franciſci Aſsiſij in Eccleſia S. Fran. aſſeruatus.*



TErtium quoque B. Franciſci Habitum, nequicquam ab his diſſimilem, cum eiuſdem quadraturę Caputio, quo Capucinorũ Religio vtitur, abſque Lunula, & Scapulari in eadem Vrbe conſpicari licet; qui in Eccleſia S. Claræ ſumma veneratione aſſeruatur; cuius hæc Imago ex Apographo delineata, conſpicienda traditur. X.

*Habitus S. Franciſci Aſſiſij in Eccleſia S. Claræ aſſeruatus.*



QVartus quoq; B. Franciſci Habitus, Piſis, apud Patres Conuentuales illius Vrbis, magna religione in Sacriſtia occluſus cuſtoditur: quem F. Bartholomæus Piſanus Auctor Libri Conformitatum, à Capitulo Generali Aſſiſij celebrato, anno 1390. ob eximij illius Operis præſtantiam, dono accepit: in quo neque Lunula, XI.





neque Scapulare: ſed quadratum, ac pyramidale tantùm Caputium, Tunicæ adſutum cernitur. Cuius cùm B. P. Franciſcus à Neapoli, Generalis Ordinis Capucinorum Definitor: Vir omni exceptione maior, longitudinem Palmo dimenſus eſſet; illud ſuo, quod tunc in capite gerebat, Caputio duobus digitis longius offendit. Cuius propterea figuram, ex eo exemplari depromptam, hîc contemplandam proponimus.

*Habitus S. Franciſci Piſis aſſeruatus.*



XII. HAbitus B. Petri Catanei, qui inter præcipuos B. Patris Franciſci Diſcipulos enumeratur, ſimul cum Caputio Pyramidali abſque Lunula, & Scapulari

Apruſti, ſeu Caſtrouillari, Vrbe Calabriæ, apud Patres Conuentuales magna religione cuſtoditur: tametſi alij B. Petri Picentis potiùs fuiſſe exiſtiment. Cuius hîc figura delineata cernitur.

*Habitus B Petri Catanei Apruſti, in Calabria aſſeruatus.*



XIII. ALium quoque B. Morici, quondam S. P. Franciſci Socij, Habitum, Caputij acumine, & quadratura omninò prioribus conſimilem, apud Minores





Conuentuales Oropiti offendas; quem nonnulli B. Ambroſij Meſſani, qui prima illa S. P. Franciſci tempeſtate ſanctimonia, ac miraculis claruit, extitiſſe ferunt; hoc fideliter ſchemate expreſſum.

*Habitus B. Morici, qui Oropiti aſſeruatur.*



XIV. SImilem omninò Habitum, Caputio quadrato ornatum, in Eccleſia Minorum Obſeruantium Reformatorum, Montis Aluerniæ reperias: quem Beati

Eleutherij ſanɫti Patris Franciſci Diſcipuli fuiſſe tradunt. Cuius formam fideliter hæc Pictura exhibet.

*Habitus B. Eleutherij in Monte Aluerniæ aſſeruatus.*



XV HIs B.P.Franciſci Caputium lubet adnectere:quadrata, ſeu pyramidali figura compactum : quod Romæ in Eccleſia S. Marcelli aſſeruari RR. PP. Chriſtophorus Galganus Senenſis,eiuſdem Eccleſiæ Prior, & Sixtus Branchelius Florētinus,vterq; Ordinis Seruorum B .Mariæ Sacerdos,anno 1604. publica Tabellionis fide nobis teſtatū reliquerunt;ac fideliter delineatum conſignarūt:ex quo citra vllã animi dubitationem,aut erroris ſuſpicionem,omnibus exploratum eſſe poteſt:non aliam fuiſſe olim B. Franciſci habitus formam , aut Caputij figuram, quàm quæ à

toto



toto Capucinorum Ordine hodie circumfertur. Huius figuram ex ipſo prototypo deſumptam hîc delineandam curauimus.

*Caputium S. Franciſci, quod Romæ in Eccleſia S. Marcelli aſſeruatur.*



XXVI. BEati quoque Ruffini , quem adhuc viuentem B. Franciſcus in Sanctorum Albo adſcribere non verebatur ; Caputij memoria extat Aſſiſij, in Aedibus S. Claræ,cuius menſura duobus palmis longiùs extenditur : Figura verò , & acumen nihil prorſus à Capucinorum Caputiis diſcrepat ; vti ſubiecta Imago ex ea deſumpta , quæ ad Nos publica Tabellionis fide firmata,tranſmiſſa fuit , facilè indicat.

*Caputium B. Ruffini, quod in Eccleſia S. Claræ Aſſiſij aſſeruatur*



Poſtremò

XVII. POſtremò, ne Lectores longiori enarratione tædio afficiam: ſi qui ſunt, qui plura huiuſmodi Caputia, quæ à Sociis B. P. Franciſci geſtata fuiſſe, certa traditione apud omnes receptum eſt; eadem planè, quæ nunc Capucinorum eſt, pyramidali forma conſtructa efflagitent; Aſſiſium ad Minores Conuentuales accedant, qui ea in interiori Eccleſiæ ſacrario recondita, diligenter aſſeruant.

XVIII. Atque hæc quidem de B. Patris, ac Sociorum Caputiis teſtimonia allata ſufficiant: quibus ſatis ſuperque probatum eſſe poteſt; ex prima Seraphici Patriarchæ inſtitutione fluere; vt Franciſcani Caputij forma quadrata, ac pyramidalis eſſe debeat; qualis in ipſius, ac Sociorum Caputiis non obſcurè perſpicitur. Veruntamen cùm non illa tantummodò B. Franciſci tempora; ſed totum illud ſæculum, per integram annorum centuriam, eandem formam in Minorum Religione conſpexerit; nonnulla iſtius ætatis teſtimonia huc vocare lubet, vt res integram probationem aſſequatur.

XIX. Inter Viros ſanctimonia claros, qui in Minorum Ordine, primo hoc ſæculo floruerunt, inſignis fuit F. Simon à Colazzone: qui circa annum Domini 1239. tertiodecimo poſt B.P. Franciſci obitum anno, in Spoletana Vrbe ex humanis exceſſit: cuius Reliquiæ, in Eccleſia Patrum Conuentualium eiuſdem Vrbis, Sarcophago clauduntur. Huius Habitus vilis, ac rudis, Caputio quadrato, ac pyramidali abſque Lunula, & Scapulari coniunctus; quænam fuerit antiqui habitus forma, apertè declarat. Cui ſimillimum Hiſpelli, Vmbriæ Oppido, apud Patres Conuentuales, & habitum, ac Caputium duobus non minùs palmis oblongum intueri licet: quod B. Andreæ Hiſpellatis fuiſſe traditur, qui anno 1270. in Religione claruit; quemque miraculorum copia inſignem celebrat Rodulphus Toſſinianenſis in ſua Hiſtoria. Nec diſſimilem, tam Caputij figura, quàm longitudine, reperias in Aede D. Franciſci Montis Ilcini, Prouinciæ Thuſciæ: quo olim B. Philippum à Monte-Ilcino indutum ferunt, anno 1290. quum è viuis exceſſit: Virum vtique tot in vita, ac morte miraculis clarum, vt teſte Rodulpho, Amnem Oricam, vt alter Moyſes, ſuis precibus diuiſerit; & ſuprà arbores ſæpè orando efferri viſus fuerit. His alter quoque B. Rainerij Biturgienſis habitus accedat: qui cùm & panni aſperitate, & cinereo colore, atque eadem prorſus Caputij quadrati forma, à prioribus minimè diſtet; prorſus Capucinorum eſſe videtur: cùm tamen Beatus hic Vir, circa annum Domini 1304. Biturgiæ, vbi etiam ipſius Reliquiæ, & habitus religioſè cuſtodiuntur, ad Cælos euolauerit. Cuius plurima miracula ab eodem Rodulpho referuntur.

Chron. p. 2. l. 1. c. 10.

Rodulph. Toſſin. l. 1. f. 73.

Rodulphus Toſſin. lib. 1. fol. 117.

Rodulphus Toſſin. lib. 1. fol. 118.

XX. Sub hæc tempora B. Conradus Offidanus, anno videlicet 1306. multorum miraculorum teſtimonio illuſtris, mortem cum cæleſti vita commutauit: cuius Caputium in ſacro Aluernæ loco, ad pyramidalem figuram tam adamuſſim compoſitum cernas; vt ſi illud Tunicæ aſſuas, Capucini habitum ad vnguem proculdubio referas. Cæterùm in eodem quoque Aluernæ loco, Caputium B. Ioannis Lauernicolæ, qui admirabili vitæ ſanctitate præditus, ac plurimis à Deo miraculis illuſtratus obiit, anno 1322. ſimili penitus pyramidis figura conſpicuum cernitur. Quibus & pleraque alia, quæ extra Italiæ plagas ſeſe conſpicienda offerunt, hîc adnecti poſſent, (ac præſertim S. Ludouici Tholoſani Epiſcopi, Caroli II. Neapolis, ac Siciliæ Regis filij Caputium, quod Tholoſæ in Eccleſia Patrum de Obſeruantia ſollicitè conſeruatur: cuius forma nihil omninò à communi Capucinorum forma diſcrepat) niſi viderer potiùs legentium animos multitudine obruere velle, quàm ratione, atque argumentis perſuadere.

XXI. Hæc nos antiquæ poſſeſſionis teſtimonia proferimus, quibus quadrati Caputij inſtitutionem à B. Franciſco profectam non obſcurè probamus. Proferant illi (quod tamen abſque contentione dictum ſit) vel vnicum tantùm Caputij teſtimonium; quo oſtendant, rotundum Caputium à B. Franciſco ab exordio inſtitutum fuiſſe: edant originem ſui Caputij: euoluant Ordinem Patrum antiquorum, qui rotundo Caputio aliquando vſi fuerint, ita ab initio decurrentem; vt primus aliquis eius Auctor, ac Inſtitutor demonſtretur: ſed quoniam non ad litem, & contentionem, ſed ad veritatem duntaxat declarandam cauſam agimus, rem acriùs non proſequimur: ſed huic Claſſi finem imponentes, ad tertiam properamus.





## *TERTIA CLASSIS TESTIMONIORVM*

### *Ex antiquis Imaginibus, & Sculpturis B. P. Franciſci, & Sociorum.*

XXII. HActenus ſacros B. Frāciſci, ac reliquorum primæuæ illius ætatis Patrum habitus, & Caputia, tanquam integerrimos antiquæ veritatis teſtes produximus; quibus nulla prorſus exceptio opponi queat. Horum teſtimonia, tametſi ad antiquam quadrati Caputij inſtitutionem demonſtrandam, eam vim, ac robur ſibi vendicent, vt illa nemo iure inficiari poſſit: ſi tamen hæc tacuerint, lapides ipſi, ac parietes clamabunt. Antiquiſſimæ enim parietum picturæ, ac lapidum ſculpturæ; quæ ab ipſo B. Franciſci æuo extantes, à Capucinorum, & ab Obſeruantium ortu longè abfuerunt; linguas ſuas habent, quibus litem dirimant, & controuerſiam omnem expellant. Illud quidem communi prouerbio fertur; quod perperam à nonnullis nobis obiicitur.

*—— Pictoribus, atque Poëtis*
*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

At eam poteſtatem certis quibuſdam terminis occluſam eſſe, idem qui huius dicti Auctor eſt, explicat, dùm ſubdit:

*Sed non, vt placidis coeant immitia, non vt*
*Serpentes auibus geminentur, Tigribus Agni.*

Neque enim Pictoribus licet, B. Franciſcum monaſtica S. Benedicti Cuculla induere: aut Benedictum cinereo habitu amictum, fune præcingere. Neque in rebus præſertim ſacris, ita ludere liberum eſt: vt pro libidine quæcunque voluerint, cōfingant. Antiquæ Imagines, quæ S. Franciſcum pyramidali Caputio indutum referunt, non ex Pictorum voluntate; ſed ex veterum pietate, ac Religione manarunt: quibus id ſtudij inerat, vt B. Patris habitus, ac Caputium, non alia, quàm ea qua afficiebatur; aut quæ eo tempore in Ordine vigebat, forma effigiaretur. Quo fit, vt ſi hæ in dubium reuocarentur, vniuerſæ quoque ſancti Bernardini, B. Ioannis Capiſtrani, B. Iacobi Picentis; immò & Pontificum, & Cardinalium antiquorum Imagines, quæ ſub certo habitu depictæ reperiuntur, in diſcrimen vocari poſſent.

XXIII. Hoc itaque conſtituto: nonnullas B. Franciſci, Sociorum, atque aliorum antiquorum Patrum Imagines, tum pictas, tum ſculptas; ex variis Orbis Regionibus ad nos delatas, & publica fide munitas hîc referendas duximus: vt quænam antiqui Caputij forma fuerit, cunctis exploratum ſit: atque omnis de hac re controuerſia, Eccleſiaſtica tandem auctoritate intereat. Ab ipſa igitur Aſſiſij Vrbe, quæ cùm S. Franciſci ſolum natale fuerit, haud immeritò primas quoque in Minorum Ordine ſemper tulit, rem exordientes: antiquiſſima ſeſe offert S. P. Franciſci Imago, in Eccleſia Monialium S. Claræ, ad pedes Chriſti Crucifixi, qui ſuprà Chorum prominet, genuflexi: & breuem habitum, acuminatumque & oblongum Caputium geſtantis, cui hæc inſcriptio ſubiicitur.

*Domina Benedicta, poſt ſanctam Claram prima Abbatiſſa, me fecit fieri.*

Ad læuam autē Crucifixi, hiſtoria ſacri B. Claræ Hymenei depicta cōſpicitur; quæ à B. Franciſco ſacrum habitum, multis Fratribus circumſtantibus, accipit. Hi omnes vnà

nes vnà cum B. Franciſco Caputium acutum, & oblongum hac inſcriptione gerunt:

*Factæ fuerunt iſtæ, ſub anno Domini* 1283. *indictione X. tempore D. Martini Papæ Quarti,*

XXIV. In Eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris eiuſdem Vrbis, (quam olim Cathedralem fuiſſe ferunt) altera quoque B. Franciſci Imago, à tergo Majoris Altaris, in quadam teſtudine apparet; qui Caputium & acuminatum, & oblongum geſtans, dextra manu ad Cælum extenſa, læua librum apertum oſtendit: in quo hæc verba ſcripta leguntur. Sanctus Franciſcus fecit fieri hanc Tribunam, ſub anno Domini 1216. Imago verò non longè poſt beatùm ipſius obitum, & Canonizationem ibi depicta fuit.

XXV. Cæterùm in Eccleſia S. Franciſci Fratrum Minorum Conuentualium, vbi ſacrum illius Corpus requieſcit; tam multæ, ac frequentes B. Patris, ac Sociorum Imagines, acutum Caputium geſtantes obuiæ fiunt: vt haud facilè enumerari queant. In his quædam S. Patris effigies, in Tabula, quæ in Altari ante gradus conſtructo, quibus ad ſuperiorem Eccleſiam conſcenditur, ſita eſt; Capucino habitu depicta cernitur, qua eiuſdem ſtaturam referri tradunt. Hanc antiquiſſimam eſſe nemo ignorat. Aliæ quoque eiuſdem, & Sociorum ipſius Icones Capucinorum habitu depictæ conſpiciuntur; tum in Fornice, qui ſuprà Majoris Altaris gradus eminet; vnde lampades deſcendunt: tum in Altari Immaculatæ Conceptionis; vbi & B. Patris, & quorumdam Sociorum ipſius Imagines, Capucino planè habitu depictæ cernuntur.

XXVI. At celebris eſt Fratris Eliæ effigies, qui in ſuperiori Æde S. Franciſci, ad pedes cuiuſdam ingentis molis Crucifixi, qui ante Maius Altare altiùs in trabe prominebat; à dextris genuflexus, manibus, atque oculis ad Chriſtum erectis, Caputioq; acuto, ac tam protenſo cernitur; vt acumine ad cingulum pertingat: haud dubium quin ea effigies, ipſo adhuc viuente picta fuerit: cùm ab eo & Templum illud extructum fuiſſe certum ſit; ibique hæc verba legantur: à dextris quidem ipſius: *Frater.* à ſiniſtris: *Elias.* A læua autem Crucifixi: *fecit fieri.* Sub Crucifixi pedibus: *Ieſu Chriſte pie, miſerere precantis Eliæ.* Inferiùs verò Pictoris nomen, & picturæ tempus indicatur his verbis: *Giunta Piſanus de Menſe Octobris* 1236. *Indict.* 9.

XXVII. Mirabile dictu, cùm trabs, cui lignea Crucifixi Imago innnitebatur, tam altè à terra emineret; vt Fratris Eliæ effigies penitus videri non poſſet; Dei prouidentia factum eſt, vt anno 1622. quo tempore Franciſcus Boncompagnius S.R.E. Cardinalis, in ſuperiori huius Ædis Eccleſia, Epiſcopus conſecrandus erat: Architectus, cui apparatus cura, ac munus incumbebat; & trabem diſſecari, & Crucifixi Statuam deponi iuberet; quò ea Fratris Eliæ effigies, ſub Capucinorum habitu depicta, cunctis præter omnium expectationem conſpicua fieret: & quænam antiqua habitus forma, à B. Franciſco inſtituta eſſet, declararet.

XXVIII. Aliæ præterea in hac ſuperiori S. Franciſci Aede, tam B. Franciſci, quàm Fratrum Minorum antiquæ Imagines; pyramidali, ac longiori Caputio depictæ, in parietibus, necnon pleriſque aliis eiuſdem Vrbis partibus videntur: quas idcircò conſultò præterimus, ne volumen ingens conficiant.

XXIX. Tudertum venio antiquam Vmbriæ Vrbem; vbi in Eccleſia S. Fortunati, vetuſtum ſacri Altaris Pallium Damaſcenum, acu pictum intueri licet: in cuius medio B. Virgo Filium in ſinu geſtans conſpicitur; à dextra parte S. Franciſcus tribus Sociis ſtipatus: à læua autem S. Antonius Vlyſſiponenſis, tribus item Fratribus adiunctis, conſpicui ſe offerunt: qui omnes, & habitum, & Caputium acutum, & oblongum, more Capucinorum gerunt. Hoc pallium ante 1471. compactum fuiſſe ex illius Eccleſiæ Indice perſcripto perſpicuum eſt; quod hoc tempore anno primo Pontificatus Sixti 4. conflatum fuit.

XXX. Interamnæ verò, quæ inter Vmbriæ Vrbes, antiquitatis, ac nobilitatis commendatur; quædam Eccleſia ſub titulo S. Pauli, ab Vrbe non ampliùs quàm mille





paſſus diſtans, reperitur: in qua Imago Beatæ Virginis, paruulum in ſinu gerentis, in tabula depicta ſe offert, à cuius dextra parte ſtat ſanctus Franciſcus, ſtigmatibus inſignitus; & Caputio acuto, & oblongo, ac toto habitu Capucino ſimilis. Quæ quàm antiqua ſit, declarat inſcriptio, quæ in angulo tabulæ iacet, his verbis. *Petrus Ranucius Spoletanus pinxit, anno Domini* 1366. *Menſe Septembris.*

XXXI. Iam Fulginium, notam Vmbriæ Vrbem accedo; vnde pleraque huiuſmodi S. Franciſci monumenta panduntur: ex quibus vnum, aut alterum cæteris prætermiſſis, placet referre; atque illud præſertim, quod in Eccleſia S. Franciſci, quæ eſt Fratrum Minorum Conuentualium, omnibus manifeſtum eſſe poteſt. Ibi enim in exteriori Clauſtro, vbi Capitulum celebratur, ac locus Capituli nuncupatur; quædam Chriſti Crucifixi Imago vetuſtiſſima cernitur; quæ à dextris B. Virginem, atque à Virginis tergo Beatum Franciſcum prorſus Capucinorum more indutum: A ſiniſtris verò S. Ioannem Euangeliſtam, ac poſt eum S. Antonium Vlyſſiponenſem, eodem modo, habitu, & acuminato Caputio, abſque Lunula, & Scapulari depictos habet.

XXXII. Idemtidem in quodam illius Eccleſiæ Sacello, quod B. Angelæ Fulginati dicatum eſt; eo quòd in eo illius Reliquiæ conditæ iaceant: A læua parte S. Franciſcus, & Sanctus Antonius Vlyſſiponenſis, in eadem habitus forma, vetuſta planè pictura delineati habentur. Quod etiam confirmat vetuſtiſſima Imago, quæ in Æde S. Catarinæ propè Tribulam, Vmbriæ Oppidum ſita, à tergo Chori aſpectantibus conſpicuam ſe præbet. In ea enim Beatus Franciſcus acuto, atque oblongo Caputio, quale à Capucinis geſtari ſolet, ornatus, ad Crucifixi pedes genibus prouolutus, in pariete depictus apparet; qui antiquam habitus ſui formam cunctis aſpectabilem reddit.

XXXIII Poſt Vmbriæ teſtimonia, quæ cum Patria Sancti Franciſci Prouincia fuerit; ei primas in hoc argumento deferendas cenſui, planè æquum eſt; vt Romanæ Vrbis conſenſum ſecundo loco proferamus: vt inde ſibi verus B. Franciſci habitus atteſtationem vendicet; vnde primam olim ſuæ inſtitutionis confirmationem accepit. Primùm igitur à ſacro Vaticani Palatio teſtimonium auſpicantes, antiquam ſancti Franciſci effigiem in ea Vaticani parte, atque interiori cubiculo, quod Pontificibus ad quietem deſeruire ſolet, in tabella depictam aſſeruari peſpectum eſt, quæ tam apprimè Caputium oblongum, abſque Lunula, & Scapulari; atque adeò Capucinorum habitum expreſſum refert: vt B. Patrem à Capucino Fratre non diſcernas. Cuius antiquitatem declarat inſcriptio eidem appoſita, in qua legitur: *Bonauentura Belingeri de Lucca me pinxit, Anno Domini* 1235. Nono ſcilicet poſt Beati Patris obitum anno.

XXXIV. Haud abſimilem videas, in Æde D. Franciſci Trans-Tiberim, Fratrum Minorum de Obſeruantia domicilio: vbi cum reliqua Eccleſiæ ſupellectile, in Sacriſtia, magna cum religione S. Patris Imago, in Tabella depicta cuſtoditur; ad illius viuum (vt referunt) effigiata; quæ cùm Crucem purpurei coloris vtraque manu ante pectus geſtet; habitum quoque Capucinorum more, quadrato Caputio, abſque Lunula, & Scapulari depictum refert: cui in infima parte Picturæ tempus apponitur, his verbis, *Die* 4. *Octobris* 1226. nimirum vigeſimo poſt ipſius conuerſionem anno; atque eodem die, quo is ex humanis exceſſit. Quo fit, vt ea Imago vel B. Franciſco adhuc viuente, vel eodem die, quo in Cælum euolauit, poſt ipſius obitum delineata fuerit: ex quo, & inſignis illius antiquitas, & vera antiqui habitus forma, non obſcurè demonſtratur.

XXXV. Aliam, viuentè adhuc B. Franciſco, depictam eiuſdem effigiem, Romæ honorificè ſeruant, Nobiliſſimi Igniæ Duces, ex antiquiſſima Sfortiorum ſtirpe progeniti, cum hac temporis inſcriptione: *Anno* 1225. vno videlicet anno ante beatum Patris obitum. Cuius habitus forma, nihil ab ea, quæ Capucinorum nunc communis eſt, diſtat.

XXXVI Porrò cæteris prætermiſſis; quæ in duabus illuſtriſſimis Almæ Vrbis Eccleſiis

tum B. Franciſci, tum S. Antonij Vlyſſiponenſis, atque aliorum Minorum Ordinis Fratrum, depictæ Imagines, ac palàm expoſitæ habentur; cùm tam præclarè probatiſſimam huius rei veritatem teſtentur: Mirum, quo pacto ad noctem rebus clariſſimis effundendam, commenta, coniecturæ, ac conſequentiæ rerum veritati, ac ſimplicitati parùm conſentaneæ vndique quærantur: quas tamen euaneſcere, & in graciles ſpumas abire neceſſe eſt; ſimulatque ipſa rei veritas perſpecta, nebulas omnes diſſoluerit.

XXXVII In prima igitur Eccleſia, quæ eſt S. Mariæ Maioris, in Colle Exquilino, niuis miraculo extructa in ipſa Chori teſtudine, quæ Maiori Altari ſupereminet: quamplures Imagines opere Muſiuo fabrefactæ cernuntur: inter quas, à dextra parte S. Franciſcus ſeſe effert, ſacris Chriſti vulneribus ſignatus; rudi fune præcinctus; Habitu, Caputio quadrato, & vſque ad infimas ſcapulas protenſo; ſandaliis, atque adeò in omnibus Capucinis Fratribus ſimilis; vt qui Capucinum effingere voluerint, non alium ab eo ſibi exemplar proponant. Alterum quoque à læua B. Antonium Vlyſſiponenſem, quem à Patauio nuncupant; in eadem prorſus habitus forma ſtantem licet conſpicere; vtrumque opere tam vetuſto; vt eorum ſtructura trecenteſimum proculdubio annum excedat; vt ex temporis inſcriptione, eo loco ad læuam appoſita, fit perſpicuum; quæ ſic habet: *Anno Domini* 1295. Quas hîc fideliter ex ipſo prototypo delineatas, aſpiciendas propono.

*Imago S. Franciſci in Eccleſia S. Mariæ Maioris.* *Imago S. Antonij in Eccleſia S. Mariæ Maioris.*




XXXVIII ALtera eſt ſancti Ioannis Baptiſtæ Eccleſia, in Monte Cælio ædificata, quæ Lateranenſis Baſilica appellatur: vbi cùm plures Imagines, opere Muſiuo, in ipſo Maioris Sacelli fornice conſtructæ habeantur: inter eas à dextra Saluatoris parte, qui medium fornicis tenet; poſt B. Virginẽ Imago S. Franciſci ante Saluatorẽ, ac B. Virginẽ ſtãtis ſpectatur; qui pyramidale Caputiũ vſq; ad ſcapulas demittens,





Sandaliáque Capucinorum more in nudis pedibus deferens; fune quoque rudiori præcinctus, Capucinorum adamuſſim habitum refert. A læua quoque S. Antonius Vlyſſiponenſis, habitu, Caputio, ſoleis, fune, à S. Franciſco nec quicquam abſimilis; poſt S. Ioannem Baptiſtam ſpectandum ſe ſe offert. His inferiori figurarum ordine, à dextro, ac ſiniſtro latere, duo Fratres Minores, fabrilia inſtrumenta præ manibus geſtantes ſuccedunt; tanquam illius operis Architecti; qui eandem habitus formam, in nullo à Capucinorum habitu diſcrepantem, gerunt. Opus verò ſub Nicolao 4. Pontifice, qui ex Minorum Ordine ad Pontificatum aſſumptus fuit, anno 1288. elaboratum fuiſſe, tempus in extremo Cameræ arcu appoſitum indicat, in quo habetur, Opus illud Nicolai iuſſu factum fuiſſe, anno Domini 1294.

XXXIX Verùm vt non modò homines; ſed & Deum ipſum, pro huius rei veritate, in Acie ſtare omnibus exploratum ſit: Annon res planè admirabilis fuit? quòd cùm Papæ Bonifacij iuſſu, Architectus quidam cum Sociis ad Lateranenſem Baſilicam acceſſiſſet; vt B. Antonij Vlyſſiponenſis effigie ex Abſide, vbi collocata erat, ſublata; D. Gregorij Imaginem ſubſtitueret: vix primo ictu Caputij acumen ferro percuſſit: quum is cum Sociis protinus diuina virtute proſtratus, ac ſemimortuus S. Antonij in ſe vltionem ſenſit. Quo ſanè factum eſt, vt Pontifex eo miraculo perterritus, nihil ampliùs innouari; percuſſioniſque ſignum in Caputio abſque vlla inſtauratione perpetuùm manere voluerit: quo vniuerſi addiſcerent, Dei prouidentia factum eſſe; vt in ea, ac B. Franciſci Imagine vera Minorum habitus, & Caputij forma, quæ futura Orbis tempeſtate dilapſura erat, iis incorrupta ſeruaretur; qui ex ea Ordinis Reformationem aliquando eſſent auſpicaturi.

*Imago S. Franciſci Baſilicæ Lateranenſis.* *Imago S. Antonij Baſilicæ Lateranenſis.*




HÆc porrò tot probata Teſtimonia, quæ hactenus à nobis allata ſunt, quanquam ad huius rei, de qua agimus, veritatem demonſtrandam ſufficiant:

ea tamen nonnullis aliis, ex variis Orbis Regionibus collectis, augenda duxi: vt amplior iis probatio fiat, qui vel maculam in Sole, vel nodum in ſcirpo quærere ſolent.

Oropiti, quæ eſt Ethruriæ Vrbs, Romano Pontifici ſubiecta, in Conuentu Minorum Conuentualium, quem à Fratre Helia, triennio poſt S. Franciſci obitum, extructum ferunt; cui ipſum quoque ædificationis tempus, Anni nimirum 1229. XL.
in eo indicatum ſuffragatur: à læua parte Clauſtri quatuor Imaginum ordines, diſtinctè in pariete depicti, aſpectantibus occurrunt; quos vetuſtiſſimos eſſe, ipſa Imaginum forma pleriſque in partibus corroſa, ac decolorata teſtatur. Primus ordo illud D. Franciſci miraculum refert; quo defunctam mulierem, quæ graui peccato irretita è viuis exceſſerat, ad vitam reuocat. Ibi mulier in feretro ſedens, ac Sacerdoti peccatum aperiens, oculis ſubiicitur: is verò è Cælo delapſus, ſuprà feretrum in nube eminere conſpicitur; habitu, & Caputio pyramidali, & oblongo perquam Capucinis ſimilis; eo excepto, quòd habitum circa lumbos nonnihil ſuccinctum gerit: cuius rei cauſam inferiùs indicabimus. Secundus Ordo, ex Minoribus Fratribus quamplurimos, velut in ſupplicatione cuiuſdam Fratris Minoris, qui in feretro iacet, funus proſequentes complectitur: quem vel B. Mauricum, S. Patris diſcipulum, vel B. Ambroſium Meſſanum, quorum ibi corpora requieſcunt, eſſe communi ſententia apud omnes receptum eſt. Atque hi omnes nudis pedibus incedentes; haud alium, quàm Capucinorum habitum, & Caputij formam præſeferunt.

In tertio verò Imaginum ordine, duo tantummodò Minores Fratres, in eadem XLI.
habitus forma referuntur; qui defunctum Fratrem, ſimili modo indutum, in Sepulchro recondunt. Quartus tandem ordo, Chriſtum Ieſum in Throno ſedentem obiicit; manu ad benedictionem extenſa: cui Beatus Franciſcus aſſiſtens, magnam ſuorum Fratrum multitudinem, coram illo genibus prouolutam digito oſtendit: quorum habitus, Caputia oblonga, abſque Lunula, & Scapulari habitibus aſſuta, Capucinorum habitum adamuſſim oculis ſubiiciunt.

Ethruria quoque ſuos huic veritati calculos defert. Etenim in Conuentu Fra- XLII.
trum Minorum Conuentualium Certimundi, qui non longè à Puppij Oppido Aretinæ Diæceſis, à Nouelli Comitibus circa annum Domini 1262. extructus fuit: S. Franciſci Imago, in tabula non minùs trium cubitorum ſpatio extenſa, depicta cernitur: in qua B. Patriarcha Crucem dextra, librum in læua geſtans; cinereum habitum, rudem, chordam ſimpliciſſimis nodis contractam, Barbam, Caputiumque acutum, & oblongum, quale Capucinorum eſſe ſolet, apertiſſimè profert. Imaginem hanc à Margaritone Pictore depictam ferunt; quem Beato Franciſco contemporaneum, atque Vrbani IV. Pontifici, qui circa annum Domini 1262. Pontificatum geſſit; charum fuiſſe illius temporis hiſtoriæ docent. Huius Imaginis ſimulacrum, quod ad nos publica Tabellionis fide obfirmatum, delatum fuit; hîc exculpendum curauimus, vt antiquam quadrati Caputij veritatem teſtetur.





*Imago Sancti Franciſci Certimundi.*



XLIII. ALia quoque Beati Franciſci effigies, ab eodem Margaritone ad viuum delineata, quæ in Eccleſia ſancti Franciſci Oppidi Fighini ſeruatur, ad nos tranſmiſſa fuit: publica Tabellionis fide probata: quam hîc quoque apponendam duxi: vt quis verus Beati Patris Franciſci Habitus, ac Caputium fuerit; cunctis perſpectum fiat. Hanc à Margaritone olim depictam fuiſſe, teſtatur

ipſius nomen in calce eiuſdem Imaginis inſcriptum, his verbis: *Margaritonus de Aretio me fecit.*




Altera quoque eiuſdem B. P. Franciſci Imago, in Eccleſia Minorum Conuen- XLIV.
tualium, quæ eſt in Oppido Piſciæ, anno 1235. ab eodem Margaritone depicta conſpicitur; quæ ipſius effigiem, ac primæui habitus formam, pyramidali Ca-





putio; abſque Scapulari, atque illa orbiculari parte, quæ ante pectus pendet, donatam exprimit. Cuius hîc exculptum, ac probatum exemplar apponitur.




XLV. IN Vrbe S. Miniati, quædam antiquiſſima B. P. Franciſci Imago, olim apud Minores Conuentuales in Tabula depicta aſſeruabatur, nonnullis circumcirca B. Patris miraculis aucta: quam cùm iidem Patres Conuentuales, cuidam Franciſco Guidio Fabro lignario dono dediſſent; ac cum noua eiuſdem picta Imagine commutaſſent; is in Alexandri Guidicioni Epiſcopi Lucenſis gratiam, eam in Capucinorum poteſtatem tranſtulit; vti publico inſtrumento à Petro Antonio de Melioratis publico Notario, quod apud nos aſſeruatur; apertè conſtat. Hæc Imago nunc apud Capucinos eiuſdem Vrbis habetur, à Margaritone (vt creditur) depicta: quod ex picturæ tum ruſticitate, tum ex anno 1228. quo delineata fuit, qui ſub ea indicatur, facilè colligi poteſt. Porrò tam in B. Patris Franciſci Imagine, quàm in cæteris, quæ circumſtant, omnia Capucinorum habitus formæ reſpon-

dent: quemadmodum ex his hoc loco fideliter exculptis, & ad nos tranſmiſſis perſpici facilè poteſt.

*Imago S. Franciſci in Vrbe S. Miniati.*




ALiæ quoque Piſis, apud Minores Conuentuales, tum B. Franciſci, tum alio- XLVI.
rum Fratrum Minorum Imagines: partim in S. Claræ, partim in Cinquinorũ

Sacellis



Sacellis extant: tam antiquæ, totque annorum curriculis diuturnæ; vt ex his aliæ, vt ex appoſitis notulis conſtat. Anno Domini 1298. aliæ 1320. aliæ 1324. aliæ tandem 1400. depictæ fuerint; quæ acutum, & oblongum Caputium præſeferunt.

XXXVII At illuſtriſſimæ, & copioſiſſimæ nobis ex Florentiæ Vrbe, tum B. P. Franciſci, tum aliorum Fratrum Minorum Imagines erumpunt; quæ in Eccleſia S. Crucis Minorum Conuentualium, ſe ſe conſpiciendas præbent.

XXXVIII. Prima eſt S. Patris Franciſci in Sacello Bardorum, quæ, (vt omnium voce, ac ſententia receptum eſt) olim manu Cimabui Pictoris depicta fuit; qui circa annum Domini 1260. floruit. Cuius hoc exemplar fideliter exculptum, & publica Tabellionis fide probatum ad nos tranſmiſſum fuit.



*Imago S. Franciſci quæ habetur Florentiæ in Sacello Bardorum.*

XXXIX. ALiæ in Sacriſtia eiuſdem Eccleſiæ, ſuo quæque ordine, paſſim Imagines obuiæ fiunt; à Giotto Pictore, qui circa annum Domini 1290. vixit,

in

in pariete depictæ. Prima in ipſo Sacriſtiæ veſtibulo, Martyrium quinque Sanctorum Fratrum Minorum, ac B.P.Franciſcum eminentiùs in aëre ſtantem refert, qui omnes pyramidale, ac oblongum Caputium geſtant.








L. SEcunda pleroſque Fratres Minores, lecto S. P. Franciſci morientis circumfuſos; acuminato Caputio, abſque Lunula, & Scapulari præditos: Angeloſque morientis animam, ſub eadem habitus forma, in Cælum ſubuehentes complectitur, hoc ſchemate.



TErtia, B.P.Franciſcum in aëre pleriſque Fratribus apparentem oſtendit; qui omnes Capucinorum habitum, ac Barbam referunt, vti appoſita figura demonſtrat. LI.



19





LII. QVarta itidem effigies B. Franciſcum cum Socio ante Pontificem ſtantem refert, Capucinorum habitu indutum, hac forma.



20

PLures ibidem adhuc Imagines, ab eodem Giotto Pictore, ante annū 1300. depictæ cernuntur, quæ pyramidalem Caputij formam, olim à B. Patre inſtitutam ac nondum ſuo tempore in Ordine immutatā probāt. Poſtremò in Ciuitate Seneſi quædā Fr. Minoris Imago apud Minores Cōuētuales in Clauſtro habetur integrè

Capucinorum habitum, ac Caputium gerens: cui Picturæ, ac Pictoris annus ſubiicitur, his verbis: *Ambroſius Lorenzetus Pictor Senenſis fecit anno Domini* 1335.

Geminæ quoque in Eccleſia S. Dominici, in Altari, quod Guelforum familiæ eſſe dicitur: Imagines S. Franciſci, & alterius religioſè aſſeruantur: quibus & Caputij quadrati forma, & temporis diuturnitas ſuffragantur; ſub his enim hic titulus inſcriptus legitur. *Opus Ioannis de Senis* 1447.

Quarta tandem in lapide marmoreo, qui in exteriori Eccleſiæ S. Franciſci Vrbis Senenſis facie eminet, Fratris Minoris Imago exculpta conſpicitur: quæ apertè oblongum, ac pyramidale Caputium, abſque Lunula, & Scapulari profert. Ea verò exculpta fuit anno 1298. vt ex antiquiſſimis literis in eodem lapide inſculptis conſtat. Hæc quoniam fideliter delineatæ, & publica Tabellionis fide probatæ ad nos perlatæ fuerunt, lubentiùs contemplandas obiicimus.








LIV. SVa quoque quadrato Caputio ſuffragia fert Venetæ Reip. Ditio; Veronæ enim quæ inclyta eſt illius Status Vrbs; Domus quædam eſt, quæ S. Franciſci Mulierum vulgò nuncupatur: quæ cùm olim Fratrum Minorum Monaſterio deſeruiret; Fratribus aliò transmigrantibus, Orphanorum, & Conuerſarum Domicilium eſſe cœpit. Porrò in illius Domus fronte, S. Franciſci, Chriſti ſtigmata excipientis, ac Socij ipſius Imagines lapidi inſculptæ patent; quæ Capucini habitus, & quadrati Caputij figuram, numeris omnibus abſolutam, tam perfectè referunt; vt nihil luculentiùs, ad integram veri habitus formam agnoſcendam, exoptari queat. Quibus hæc fundatoris, ac temporis inſcriptio ſubiicitur: *Dominus Rainerius Zeno, Poteſtas Veronæ, hanc Eccleſiam fieri fecit, in honorem S. Franciſci anno* 1230. quarto videlicet poſt S. Patris ex hac vita exceſſum anno. Quo tempore, ſimul cum Eccleſia, Ipſæ quoque Imagines exculptæ fuerunt.

LV. His Inſubriæ quoque teſtimonium lubet ſubnectere. In ipſa enim Mediolani Vrbe, quæ amplitudine, & populorum copia eſt illuſtris; quædam B. Franciſci Imago, in Eccleſia S. Franciſci Minorum Conuentualium, marmoreo lapide inſculpta cernitur: quæ cùm Sepulchri os contegat, quod in Sacello familiæ Pyrrorum in eadem Eccleſia effoſſum eſt; apertè eminens Caputium acutum, oblongum demonſtrat; eam verò ante annos ducentos ſculptam, atque ibi appoſitam eſſe, eiuſdem Familiæ Proceres affirmant.

LVI. Cæterùm Neapolitani Regni teſtimonia haud prætereunda ſunt; quæ cùm copioſiora ſint, quàm hîc referri debeant: aliqua indicare magis, quàm recenſere placet. Butunti, quæ eſt Ciuitas Apuliæ: extra Vrbis muros, iacet quædam Abbatialis Eccleſia, ſub titulo S. Leonis Papę primi, Monacis Oliuetanis ſubiecta; in cuius Chori pariete, quamplures Ordinum Fundatores depicti conſpiciuntur: inter quos ſe exhibet S. Franciſcus ſacris ſtigmatibus inſignitus; habitus, & Caputij figura omninò Capucinis ſimilis: atque hanc antiquiſſimam Picturam eſſe, oſtendit quędam inſcriptio literis exarata, ex qua communi fama deducitur, eam tercenteſimum annum excedere.

LVII. His antiquiores ſunt S. Franciſci, ac triginta circiter Fratrum Imagines, quæ Aletij apud Salentinos, in lapideis Coronis, quę in Valuis Eccleſiæ S. Franciſci prominent, inſculptæ habentur: quorum habitus, & Caputia Capucinorum more quadrata, & oblonga; ac temporis inſcriptio, quo ea inciſa fuēre, nimirum Anno Domini 1273. ſedente Gregorio X. Pont. & Carolo I. Andegauenſi, Neapolis, & Siciliæ Rege adhuc regnante; à vera, & antiqua B. Patris forma, at menſura hauſta fuiſſe, demonſtrant.

LVIII. Ex Vrbe Beneuentana exemplar Imaginis B. Patris, quæ ſuprà fores Eccleſiæ S. Franciſci in pariete depicta ſpectatur; ad nos publica Tabellionis fide, ac teſtibus ſignatū, tranſmiſſum fuit: in quo Caputij forma quadrata à B, P. Franciſco inſtituta, perſpicua fit. Communis illius Vrbis fama eſt, eam Imaginem ſimul cum Eccleſia, quæ paulò poſt B. P. Franciſci obitum extructa fuit, depictam fuiſſe. Cuius ſimulacrum hac forma exculptum habetur.




CApuæ, quæ eſt Vrbs Cãpaniæ apud Vulturnũ, geminæ B.P.Franciſci Icones, fama vetuſtiſſimæ, in Ædibus S.Petri, quæ Minoribus Cõuentualib⁹ domiciliũ LIX.





præſtant; à dextro Altaris cornu in pariete depictæ cernuntur: quarum prior B. Franciſcum refert; qui demerſam puellam è profunda fluminis vnda manu extrahit: hoc ſchemate.




ALtera eundẽ B.P.Frãciſcũ auib⁹ prædicantẽ exhibet. Vtraq; verò illũ tã graphicè quadrato & oblõgo Caputio, rudi fune, barba, ac sãdaliis Capucinorũ

more inſtructum oſtendit; vt nequicquam à Capucinorum Ordinis Fratre ſit abſimilis: vti exemplaria publica fide ad nos tranſmiſſa indicant, quæ hîc oculis ſubiicimus.




TEani, quæ altera eſt Campaniæ Vrbs, ſub Capuano Archiepiſcopatu; in antiquiſſima Tabula à tineis ferè abſumpta, quæ in Eccleſia Minorum Conuen- L X.





tualium, S. Franciſco dicata, aſſeruatur: B. Franciſci Imago conſpicua fit; librum læua manu geſtantis, dextera quoque Vulnus oſtendentis: qui Barbam, atque amplioris formæ Caputium, abſque Lunula, & Scapulari, pyramidale geſtat. Ea verò Imago ante ducenteſimum annum ab omnibus depicta creditur. Cuius exemplar publica fide probatum, cùm ad nos tranſmiſſum fuerit, anno 1629. huc referendum curauimus.




LXI. VErùm, quæ in ipſa Regia Vrbe Neapolitana, rerum omnium, ac præſertim pietatis fœcundiſſima, picturæ paſſim obuiæ ſunt; haud leuiorem ſanè iis omnibus, quæ hactenus relatæ fuerunt, huic veritati fidem aſtruunt: ex quibus nonnullas duntaxat, cæteris prætermiſſis, hîc commemorare lubet; quæ in Metropolitanæ Eccleſiæ Sacriſtia paſſim conſpiciuntur: vbi diſtinctis Iconum ordinibus, S. Ludouici Tholoſani Epiſcopi, Caroli Regis filij, hiſtoria exhibetur. Etenim in prima Imaginum ſectione, S. Ludouicum videas; tanquam qui per manus F. Ioannis à Morro Vallis, tunc Generalis totius Ordinis Miniſtri, ſpectantibus Bonifacio VIII. Pont. & Carolo Patre, pluribus quoque Fratribus adſtantibus, Mi-

norum habitum aſſumat : in quo, quemadmodum & in Miniſtri Generalis, ac Fratrum circumſtantium Imaginibus, nihil præter Capucini Habitus; & Caputij quadrati figuram, omni Lunula, & Scapulari ſemoto, relatam cernas.

LXIV. Alia quoque Imaginum ſeries, eodem modo S. Ludouicum refert, pauperibus cibos miniſtrantem : cui & plerique Fratres cum quadratis Caputiis, ſua in eo munere obſequia præſtant.

LXV. Alij denique ordines illum infirmos viſitantem, & conſolantem; alij laborantibus neceſſaria ſuppeditantem; alij vitæ illis verba miniſtrantem, aſpectui ſubiiciunt : in quibus adeò habitu, Caputio, Cingulo, ſoleis, Capucino ſimilem animaduertas; vt ab eo nullatenus differre putes. Hæc omnia, Roberti Regis, ipſius S. Ludouici vterini Fratris, qui circa annum Domini 1309. Regni habenas regendas ſuſcepit; & anno 1342. è viuis excedens dimiſit; iuſſu depictas fuiſſe, communi fide ab omnibus eſt receptum.

LXVI. Celebres quoque ſunt B. P. Franciſci, ac S. Antonij Vlyſſiponenſis Icones, quæ In Fratrum hoſpitio, quod Monaſterio S. Claræ coniunctum eſt; in ipſo Refectorij capite cernuntur : in quibus antiqui habitus formam, Caputium oblongum, abſque Lunula, & Scapularj, rudem chordam, ſoleas eodem modo, intueri licet.

LXVII. At verò ne illas Orbis Regiones, quæ trans-Alpes extra Italiam iacent, tanquam huiuſmodi teſtimoniis vacuas; quibus vera B. Franciſci habitus forma probatur, præterire videamur; ex iis huc nonnulla, & illuſtriora prodeant.

LXVIII. Primum teſtimonium à Regia Pariſiorum Vrbe; quæ cùm amplitudine, ac populorum multitudine ſit illuſtris; antiqua etiamnum Francorum Regum Sedes eſt, auſpicari lubet. Ibi enim in Regia Domo, Sacellum à S. Ludouico Galliæ Rege olim extructum fuit; quod ob ingentem ſanctarum Reliquiarum numerum, ac præſertim ſpineæ Coronæ Saluatoris, quæ in eo aſſeruatur; ſanctum ab omnibus nuncupari ſolet. In eo ſi feneſtram quandam vitream, ab ipſa Sacelli erectione in eo repoſitam contempleris : pleraſque S. Franciſci Imagines conſpicias, quæ cinerei Habitus colore, Caputij acumine longiùs protracto, ac funis, quo præcingũtur, ruditate : Capucinorum Habitum egregiè præſeferunt. Eas verò circa annum Domini 1260. quo tempore Rex ſanctus Regnum moderabatur, depictas fuiſſe, omnibus in confeſſo eſt.

LXIX. Aliæ quoque S. Franciſci, & Sociorum Icones ad Capucinorum formam depictæ in feneſtra vitrea apparent; quæ in Conuentu Fratrum Minorum Conuentualium, territorij Bellouacenſis in Capitulo reperitur : quarum antiquitas, vt ore omnium euulgatur, tercenteſimum, & ampliùs annum attingit.

LXX. In Monaſterio S. Luciani Ordinis S. Benedicti eiuſdem territorij, quidam ingentis molis tumulus marmoreus cernitur : in quo Ioannis Coliti Cardinalis à Martino IV. creati, oſſa clauduntur; qui anno 1292. extremum ibi diem obiit : in eo binos Fratres Minores inſculptos videas, quos à Capucinis nullatenus diſſimiles exiſtimes; horum verò Caputia tam oblonga ſunt, vt ea ad Cingulum vſque demittant.

LXXI. Simillimam alterius Minoris Fratris Imaginem, in Vrbe Stampenſi, quæ inter Lutetiam Pariſiorum, & Aurelianum iacet, nobis Franciſcanorum Clauſtrum profert; ad Capucinorum formam lapidi inſculptam; quam anno Domini 1236. ibi collocatam fuiſſe, ex iiſdem monumentis conſtat.

LXXII. His accedant geminæ ſociorum B. P. Franciſci Imagines, antiquiſſima in tabula depictæ, quæ in Eccleſia Fratrum Minorum Conuentualium Ciuitatis Aquenſis aſſeruantur, vbi etiam ipſorum corpora humata iacent; ad Capucinorum habitus formam tam ad viuum efformatæ, vt Capucinorum eſſe videantur.

LXXIII. Quæ verò in Ciuitate Aptenſi, in ipſo limine Eccleſiæ Fratrum Minorum Conuentualium omnium obtutibus patent, minimè prætereundæ ſunt. Ibi enim ab immemorabili ferè tempore, duæ Fratrum minorum marmoreæ ſtatuæ, quæ alteram Beatiſſimæ Virginis ſtatuam ab vtroque latere cingunt, Eccleſiæ fronti-





ſpicium exornant : quæ tam perfectè Caputium oblongum, ac pyramidale exprimunt; vt nulla id ratione negari poſſit. Quibus ſimillimas, in quodam Clauſtri Sacello eiuſdem Conuentus, in vetuſtiſſima Tabula effigiatas reperias, quæ Virginis Deiparæ Imaginem mediam tenent.

LXXIV. Neque his aut forma, aut temporum diuturnitate, aut Imaginum diſpoſitione cedunt, binæ S. Franciſci, & S. Antonij Vlyſſiponenſis Icones, in Tabula depictæ; quæ Auinioni in Eccleſia Fratrum Minorum Conuentualium, in ipſo S. Franciſci Fano, B. Virginis Imaginem in medio ſtantem circumſtant; quando & illarum picturæ tempus, omnem hominum memoriam effugit; & habitus anguſtia, & Caputij longioris acumen, nihil præter antiquam habitus Franciſcani formam commendant.

LXXV. In Papo Campi Aquoſi, qui in Boïorum Celticorum Agro, haud longè à Boïca Gergobina diſtat, vetus quædam Eccleſia S. Ioſepho ſacra à Minoribus de Obſeruantia incolitur : in qua à læua Altaris parte, duo in Chori pariete ſepulchra eminent. Primum Guidonem quendam de Dampierre S. Iuſti Dinaſten, ibi conditum refert, Anno 1266. quo tempore, quamplurimæ, in arcuata teſtudine, quæ tumulum complectitur, Imagines depictæ fuêre : inter quas plerique Minorum Ordinis Fratres, Defuncti Animam Deo offerentes referuntur : quorum acuminata Caputia, cuiuſnam antiqua illa à B.P.Franciſco inſtituta, formæ fuerint, ſole clariùs demonſtrant. Integram Iconem, ex Apographe fideliter exprompram, ac publico teſtimonio, ſcripto conſignato, confirmatam; hîc ſpectantium oculis obiicimus.



26

LXXIX

ALterum marmoreum, Annam Borboniam Burgundiæ quondam Ducis filij vxorem, in eo, anno 1283. tumulatam, literis in fronte exaratis, proloquitur: cuius anterior facies, diſtinctas columnas in marmore effictas gerit: inter quas nonnulli Minores Fratres opere Anaglypho inſculpti extant: quorum Habitus quadratum Caputium, ac Cingulum rude, antiquæ B. P. Franciſci Inſtitutioni haud obſcurum teſtimonium præbent. Quorum idcircò hîc figuram, æneis tabulis inciſam, ac publica auctoritate confirmatam, apponimus.

27







LXXX.

AT illuſtre nobis Villæ-francæ Oppidum, quod in Bellicocenſi Agro præcipuum eſt; ex Minorum Obſeruantium Eccleſia: quæ ab ipſa B. P. Franciſci tempeſtate anno 1210. prima omnium, apud Gallos extructa aſſeritur; antiquæ inſtitutionis teſtimonium ſuppeditat. Hi namque quædam plani fornicis Camera, à dextro Euangelij latere, haud procul ab Altari exurgit, in qua Eleonoræ à Sabaudia; quæ Thomæ quondam Sabaudiæ Comitis filia, Ludouico Bellijoci Baroni coniugio copulata fuerat, tumulus conſpicitur; Anno 1296. extructus: quo tempore illa, poſt vitam magna cum pietatis laude tranſactam, rebus humanis vale dixit: Huius Eleonoræ, ac tumuli meminerunt, Franciſcus Gonzaga, & Iacobus Fodereus huius tempeſtatis Scriptores, qui de his plura commemorant. Lateritius Tumulus vndique ſtirpis Sabaudæ Gentilitiis reſperſus, morientis effigiem depictam refert: quam plerique Minores Fratres, extrema illi in morte perſoluentes circumſtant, quorum ſi Habitum, ac quadrata Caputia ſpectes, haud ægrè ea à B. P. Franciſci, qui eodem ſæculo floruit, inſtitutione profecta eſſe tibi perſuadeas. Horum effigies fideliſſimè delineatas, eò lubentiùs tabulis inſculptas in lucem proferimus; quod R. P. Delaual Viri clariſſimi, Generalis totius Ordinis de Obſeruantia Definitoris, ac Villæ-Francę Guardiani humilitate, ac beneuolencia horum publica fide confirmatum acceperimus. Diagraphicum opus hoc eſt.



GErgouia quoque illuſtris Auernorum Vrbs, ex antiqua Fratrum Minorum Eccleſia ſua nobis teſtimonia profert: in qua bina Sepulchra conſpicias. Primum, quod in dextro ſacræ huius Ædis pronao, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Altari propinquo, profundiùs in pariete effoſſum ſe exhibet: hac in ſummitate inſcriptione, priſcis literarum caracteribus formata, exornatur. *Hîc iacent Domini de Murol. ſpecialiter Dominus Guillelmus de Murol., bonus miles, qui obiit in prælio de Poictiers, pro vero Domino ſuo. a. Luy. M. CCC.* Porrò in inferiori Sepulchri facie, quæ Altare ſpectat, ſex Fratrum Minorum Imagines eminentis picturæ extant: qui acutum, ac pyramidale Caputium geſtantes, Capucinorum perfectè habitum referunt. Alterum verò, à læua eiuſdem Altaris, lapideum Sepulchrum, è ſolo, quadripedanea altitudine, exurgit; ſtructuræ antiquitate haud illo poſteriùs: in quo Pompa quædam funebris quindecim Fratrum Minorum, inſculpta exhibetur: ex quibus alij ſacras veſtes induti, alij proprio habitu incedentes, acuminata Caputia, abſque Lunula, & Scapulari, à tergo pendentia gerentes, procedunt. Hæ porrò inſculptæ Imagines, quæ perſcripta publicæ auctoritatis fide nobis obfirmatæ fuerunt, cùm Capucinorum Reformationem, duobus integris ſæculis anteceſſerint: quænam antiqua fuerit habitus forma, à B. P. N. Franciſco inſtituta, citra vllam dubitationem indicant. LXXXI

His Belgium ſua quoque ſuffragia addit. Nam Tornaci, quæ eſt Vrbs illuſtris in Belgio, Sede Epiſcopali celebris: in Sacriſtia Conuentus Fratrum Minorum de Obſeruanria, qui vel tempore B. Franciſci, vel non longè poſt id tempus ædificatus fuit; Calix argenteus antiquiſſimæ formæ, ab immemorabili tempore Eccleſiæ illius vſui deſeruiens oſtenditur: qui in exteriori pedis facie, Fratrem Minorem coram Crucifixo genuflexum; alterum quoque ſub pede, coram B. Franciſco in genua procumbentem, exhibet. Vtrumque verò adeò habitu, & Caputio: tum B. Franciſco, tum iis, qui Capucini nuncupantur, conſimilem: vt nihil ad perfectam Capucini Imaginem illis prorſus deeſſe videatur. Cuius Imago probatiſſimis teſtibus munita, ad nos delata fuit, Anno 1612. LXXXII.

Per id tempus, aliarum quoque Imaginum tranſumptum, fideliter ad exemplar delineatum, ac teſtibus probatum, ad nos miſſum fuit; quæ in feneſtra vitrea eiuſdem Eccleſiæ Fratrum Minorum de Obſeruantia, Vrbis Tornacenſis extant; adeò antiquæ, vt ab ipſa Eccleſiæ erectione (quæ propriùs ad quadringenteſimum annum accedit, ea feneſtra in Choro appoſita ab omnibus credatur. In ea porrò hiſtoriam approbationis Seraphicæ Regulæ depictam offendas: in qua Romanus Pontifex Honorius III. in Carhedra ſedens, manuque Bullam approbationis geſtans; & coram ipſo B. Franciſcus, ſimul cum quatuor Sociis genuflexis, graphicè Capucinorum habitu depicti exhibentur. LXXXIII.

His accedant geminæ Fratrum Minorum Imagines, ſeu ſtatuæ, ex ligno fabrefactæ, quæ ex Sacello S. Vedaſti Atrebatenſis depromptæ, ac fideliſſimè delineatæ, ſub id tempus, anno videlicet 1612. teſtibus fide dignis munitæ, ad nos tranſmiſſæ fuerunt. Tam antiquas illas ſtatuas eſſe, quàm ipſum Sacellum, quod vetuſtiſſimum eſt; nonnullis abhinc annorum centuriis extructum; communis eſt omnium fama. Quàm verò omnibus numeris abſolutum Capucinorum habitum, & quadratum Caputium referant, Imagines quæ in ipſo Sacello videri poſſunt, apertè oſtendunt. LXXXIV.

ALtera quoque B. Patris Franciſci effigies, idoneis teſtibus probata ad nos perlata fuit, Anno 1613. quæ in Cœnobio de Iancourt, ſimul cum Imagine Abbatis Balduini conſpicitur; qui Anno Domini 1203. Abbas creatus, Eccleſiam illam à fundamentis erexit: cuius ſucceſſor, qui circa annum Domini 1236. extremum diem clauſit, vtramque Imaginem (vt fama eſt) in ea Eccleſia depingendam curauit. In ea verò S. Franciſci effigie, verà antiqui habitus, & Caputij acuminati forma perpenditur; vt in tranſumpto hîc ad prototypum excuſſo, quilibet facilè intueri poteſti LXXXV.





*Imago S. Francisci in Cœnobio de Iancourt in Flandria aſſeruata.*




LXXXVI. HVic perſimilem B. P. Franciſci effigiem in Vrbe Idomarenſi, Comitatus Flandrienſis, in Eccleſia Sororum Diuitum S. Claræ aſſeruari; quæ ex antiquiſſima illius Eccleſiæ Tabula plurium teſtimonio deſumpta eſt; Exemplar, anno

1612. ad nos tranſmiſſum teſtatur: cuius hîc figuram idcircò referendam curauimus: vt vera Caputij forma, quæ ante Capucinorum ortum B. Franciſco, ac prioribus illius ſæculi Fratribus Minoribus communis fuit, copioſiùs demonſtretur.




LXXXVI EX eadem Vrbe Idomarenſi quædam Fratris Minoris Imago, quæ in Frontiſpicio Eccleſiæ S. Vbertini ſculpta eſt, ad nos Pictoris Chirographo munita





tranſmiſſa fuit: cuius cùm tanta antiquitas ſit, vt illius ſculptura temporis immemorabilis præſcriptionem ſibi vendicet; Caputij tamen figuram pyramidalem, abſque Scapulari, atque anteriori Lunula, qualis Capucinorum eſſe ſolet, præſefert; ac proinde antiquam rei veritatem teſtatur. Quapropter eam hîc, nullatenus ab exemplari immutatam, oculis intuendam proponimus.




LXXXVIII. CÆterùm illuſtris eſt S. Franciſci è celebri Bruxellarum Vrbe, quæ Brabantiæ nobiliſſima eſt, Anno Domini 1612. huc ad nos perlata, quam Reuerendus quidam illius Vrbis Canonicus, de Mol cognominatus, apud Beguinas

Bruxellenſes in quodam vetuſtiſſimo precum libro reperit: cuius hîc excuſſam Iconem ſubiicimus, in qua & anguſti habitus, & Caputij longioris forma; immô & Barba in B. Patre conſpicuè cernitur.

*Imago S. Franciſci Bruxellis aſſeruata.*




AT neque Germania ſuis nobis teſtimoniis deeſt. Etenim Reginopoli, quæ inter liberas Germaniæ Vrbes, diuitiarum copia, ac Imperialibus Comitiis



illuſtris celebratur: extat Eccleſia Saluatoris Minorum Conuentualium, à Fratre Cæſario Spirenſi conſtructa: in cuius medio ſeſe offerunt, duæ S.Franciſci, & S.Ludouici Tholoſani Epiſcopi ſtatuæ, omnium voce vetuſtiſſimæ; quæ antiquum Minorum habitum, oblongum Caputium, chordam, & cætera his conſentanea, tam perſpicuè contemplanda exhibent: vt cunctorum oculos, ac mentes ad ſe alliciãt, ac publicam veri habitus fidem omnibus adſtruant. At neque hæ tantummodò; ſed aliæ quoque Imagines, S.Franciſcum, S. Antonium, & S.Ludouicum referentes, in quadam vitrea eiuſdem Eccleſiæ feneſtra antiquiſſima, omnibus parent: in quibus eadem prorſus habitus, ac Caputij figura, quæ nunc Capucinorum eſt, præclarè conſpicitur.

XC. His tandem poſtrema ſuis calculis ſuccedit Hiſpania: cuius teſtimonia idcircò hactenus differenda duxi; vt quò illuſtriora ſunt, eò tenaciùs animis inhæreant; ac velut cæterorum colophon, huius rei veritatem concludant; finémque controuerſiæ imponant. Primum igitur nobis teſtimonium Barcino, inter Hiſpaniæ Citerioris Vrbes celeberrima; ex quodam ſanctimonialium S.Auguſtini Monaſterio, quod olim Moniales S. Claræ plurimorum annorum ſpatio incoluerant, ingenuum profert. In eo Fanum S.Claræ adhuc integrum ſtat; vbi duo ſepulchra, ſub vnico fornicis arcu concluſa, nonnullas B.Virginis, ac Angelorum Imagines in Arcu depictas exhibent. Porrò in vtroque Arcus latere, bini Fratres Minores genuflexi conſpiciuntur; habitu quidem, atque acuminato Caputio, adeò Capucinis ſimiles; vt nihil inter eos diſcriminis interſit. Pictura verò tam vetuſta, vt ducentorum annorum tempus excedat; vt ex temporis inſcriptione, licet ex parte corroſa, colligitur: qua annus 1326. notatur.

XCI. Eodem planè modo, & in altero S.Ioannis Baptiſtæ Sacello, quod in eadem Eccleſia extructum eſt; aliud ſub arcu buſtum cernitur: in quo antea B.Agnetis, primæ illius Monaſterij Abbatiſſæ, Corpus multis annis iacuerat: in cuius Arcus teſtudine, cùm nonnullæ Sanctorum Icones depictæ ſint; in dextro, ac læuo ipſius pede, duo Fratres Minores inſtar priorum genuflexi, habitu, & acuminato Caputio conſimiles habentur; ante trecenteſimum annum depicti; vt ex Epitaphio liquet, quod in marmoreo lapide ſculptum, ita legitur. *Hîc eſt ſepulta S.Virgo Agnes, quæ huius Monaſterij, per quadraginta & ſeptem annos, & ampliùs prima Abbatiſſa exiſtens; tantò in morte, & poſt glorioſa coruſcauit miraculis, quantò, dum viueret, ſanctitate vitæ, & claritate famæ præfulſit. Obijt autem Anno Dom.* 1280. *Kal.Octob.Feria quarta.*

XCII. Haud minorem huic veritati fidem conciliant, nonnullæ B.P.Franciſci, & aliorum Fratrum Imagines: quæ olim in Oppido Riuipollenſis, quod inter Catalauniæ Oppida adnumeratur, apud Monachos ſancti Benedicti, in Eccleſia S.Mariæ, in Tabula depictæ aſſeruabantur: quæ cùm B.Franciſcum, ac reliquos Fratres acuto, & oblongo Caputio ornatos oſtenderent; antiquiſſimique temporis ſibi diuturnitatem vendicarent. Capucinorum Vicenſis Conuentus Guardianum aliquando impulit; vt antiquum ſimulachrum, à Cœnobij illius Priore, dono in Religionem transferri poſtularet: cui; cùm Prior annueret; donationem publico inſtrumento confirmauit, Quod apud nos incorruptum ſeruatur.

XCIII. Aliud quoque teſtimonium, æque illuſtre, Perpiniani: quæ eſt Aquitaniæ Vrbs, Hiſpanorum ditioni ſubiecta; in Porticu exterioris Conuentus Fratrum Minorum de Obſeruantia proditur: vbi ſepulchrum marmoreum, ſolo iacens, in operculi vmbilico defuncti figuram, more Capucinorum induti; ac circumcirca pleroſque Fratres Minores, Capucinis perſimiles, inſculptos profert; tanta annorum diuturnitate antiquos; vt tertium ab hinc ſæculum præcedant: vt ex illius Defuncti Epitaphio, in eodem lapide exculpto perſpicuum eſt; in quo ita habetur. *Anno* 1312. *ſeptimo Idus Iunij, obijt Frater Hermandalgus Oliua, cuius oſſa poſita ſunt in hoc ſepulchro, quod ordinauit fieri Boneta Mater, Vxor quondam Domini Rodulphi Oliuæ, in ſuo vltimo teſtamento.*

XCIV. At verò Monaſterium ingreſſis, S. Ludouici, & aliorum Fratrum Minorum effigies, nullatenus à Capucinis Habitu, & Caputio diſſimiles, in Clauſtro omnium oculis obiiciuntur, quæ in antiquiſſimi Altaris facie ſunt depictæ.

XCV. Huic porrò tam probatæ veritati, non leue pondus addunt, pleræque Fratrum Minorum Imagines, quæ in Eccleſia Fratrum Minorum de Obſeruantia, in Oppido villæ-Francæ Panadarum, Diœceſis Tarraconenſis, exculptæ cernuntur; cùm enim ibi in Sacello S. Bartholomæi, quidam lapis ſepulchralis marmoreus è latere Altaris erumpat; in quo multorum Fratrum Minorum, velut in ſupplicatione incedentium, ac Defuncti funus proſequentium, imagines inſculptæ ſe offerant; in his nonniſi Capucinorum Habitus, & Caputij longioris, ac pyramidalis forma omnibus contemplanda exhibetur, hoc Epitaphio inſcripto,

*Sectans pro modulo procerum veſtigia, geſtus*
*Hoc iacet in tumulo Bñ Martini Vir honeſtus*
*Qui obijt anno Dom. 1287. Nonis Februarij.*

XCVI. His tandem finem imponant, nonnulla S.P. Franciſci, & aliorum Fratrum ſimulachra; quæ in Oppido Birginij, Diœceſis Orgelitanæ, in Eccleſia Fratrum Min. de Obſeruantia omnium oculis ſunt expoſita. In primis namque in Maioris Altaris Icona; in qua & Chriſtus Dominus, & B. Virgo dextram, ac læuam partem ſibi vendicant: coram illis S. Franciſcus ingeniculans, quaſi aliquid ab illis accepturus, depingitur; tam graphicè, & adamuſſim ad Capucinorum habitum, & formam effigiatus; vt nihil niſi Capucini præſeferat. Alterum quoque eiuſdem S. Patris ſimulachrum ſub organo, in quodam S. Annæ Sacello, in Tabula depictum cernitur; in qua B. Pater, pluribus Fratribus genuflexis Regulam tradit. Cuncti verò Capucinorum habitum, & Caputium gerunt: Harum tandem Iconum antiquitas, communi fama, ad ducenteſimum annum pertingit. Quo fit, vt nulli dubium eſſe poſſit, quin pluribus Annorum luſtris, Capucinorum Reformationem præceſſerint.

Plures adhuc Imagines, ac Sculpturæ his adnecti poſſent: quæ quadrati Caputij formam in Minorum Ordine primam, & antiquiſſimam eſſe demonſtrant, quas breuitatis ſtudio prætermittimus.

## *QVARTA CLASSIS TESTIMONIORVM,*
### *Ex Apparitionibus Beati Franciſci, &c.*

XCVII. QVARTA hæc Claſsis, tam copioſam ad huius rei veritatem tuendam, ac demonſtrandam teſtimoniorum aciem inſtruit; vt ſi vniuerſas B. Franciſci, S. Antonij, ac aliorum Beatorum Fratrum Apparitiones, quæ ſub Capucinorum habitu pleriſque obtigerunt, huc in ordinem legi oporteret; omnem propemodùm numerum excederent. At neque in hoc teſtimoniorum genere, tam certam, ac irrefragabilem huius rei demonſtrationem collocatam cenſemus; quin eoſdē quoq; non ſemel in Min. Conuentualium, & Obſeruantium Habitu fidelibus apparuiſſe arbitremur: præſertim cùm Apparitiones, & miracula, quæ vel à Beato Frãciſco, vel ab aliis Minorum Ordinis Sanctis præſtantur; non in certi, ac determinati habitus atteſtationem; ſed ad Fidei potiùs, ac pietatis, qua à fidelibus inuocantur, approbationem fiant. Hi enim in ea habitus forma fidelibus interdum apparent; in qua ab iis animo, ac pietate concipiuntur. Quo fit, vt hoc argumenti genus, ad veram Caputij formam comprobandam, minùs certum, ac neceſſarium eſſe ſoleat. Attamen, quum ad diuinam habitus, ſeu Caputij approbationem fiunt; haud vlli dubium eſſe poteſt; quin ex iis certa, ac neceſſaria fides exoriatur. Quapropter, ne hoc quoque probationis genus nobis deeſſe videatur; pauca dũtaxat huiuſmodi cæleſtium Apparitionum exempla, hîc indicare potiùs, quàm enarrare lubet.

XCVIII. Atque vt à F. Matthæo de Baſſo exordiamur: illuſtris, atque ad rem demonſtrandam efficax, fuit illa B.P. Franciſci Apparitio: quum is anno 1524. Matthæo de Baſſo, adhuc inter Obſeruãtes cõſcripto, apparẽs; quadrato Caputio inſtructus,





non ſemel ante illum incedere viſus eſt; quemadmodum in hoc primo Annalium Volumine, eodem anno fusè proſequuti ſumus: Hæc enim, cùm ad veri Habitus, & quadrati Caputij formam Orbi reſtituendam, facta fuerit; maximam profectò vim, atque inuictum robur, ad hanc rem demonſtrandam ſibi vendicat. Quapropter haud mirum, quòd ex ea prima Religionis Capucinorum initia prodierint.

LXXXXIX. Huic alia quoque F. Franciſci à Cartoceto, Viri inter Obſeruantes pietate conſpicui, anno 1525. viſio ſuccedit: in qua cùm vera B. Franciſci habitus forma, ad rudem habitum, & Caputium quadratum contracta, diuinitus illi demonſtrata fuerit; quam futura tunc Capucinorum Reformatio geſtatura erat: vti in Annalibus fuſiùs explicatum fuit, irrefragabile huic Demõſtrationi argumentũ miniſtrat.

C. Tertia anno 1572. cuidam ex Maffeorum familia, in Oppido Aquefrigidę contigit; qui cùm agri ſui partem, quæ ad Conuentus Capucinorum ædificationem neceſſaria erat, nullo neque iuſto pretio vendere vellet; noctu dormiens, B. Franciſcum Capucinorum habitum indutum, ſibique ſubiratum conſpicit; qui eum fune, quo præcinctus erat, duriùs flagellatum, ad agri donationem compellit. Quemadmodum eo anno vberiùs exaratum fuit.

CI. Neque abſimile eſt, quod Franciſco Veghæ Mendozæ, Ciuitellæ Arcis Præfecto accidit; qui cùm Capucinorum Conuentus ædificationem impediret; ter à B. Franciſco illi in Capucinorum habitu apparente, obiurgatus: cùm increpationem negligeret, ab eo flagellis cæſus reſipuit. Eodem quoque habitu B. Pater Octauio Gallucio Aquenſi, Ordinis Minorum deuotiſſimo, ægrotanti apparuit: quem cùm verbis conſolatus eſſet, diem illi quoque obitus prædixit.

CII. Dominico ex Comitibus Piozaſchi, Viro planè pio, atque erga B. Franciſcum cùm primis deuotione affecto; B. Pater, Capucino habitu indutus, oranti apparet, ac litis cuiuſdam victoriam pollicetur.

CIII. Dragutius è Caſali Nouo, Conſentini Agri oppido, Capucinorum Conuentus ædificationi præfectus; cùm in ſupremum morbum incidiſſet, Anno 1600. B. Franciſcũ, & B. Antonium Vlyſſiponenſem, Capucino habitu ſibi apparentes conſpiciẽs, exclamare cœpit: En B.P. Franciſcus, en B. Antonius adſtant; Capucinorum me habitu induite: ſic enim iubent ipſi. Cúmque id Propinqui præſtare recuſarent: Quid mihi (inquit) gloriam inuidetis? Cælum cum ipſis non petam, niſi eorum habitum geram: Vix autem habitum indutus, in Domino obdormit.

CIV. Ductor quidã peditum adhuc ſuperſtes, cuius nomẽ conſultò reticeo: cùm apud Ducem Oſſunenſem, Neapolis proregem, atrocioris criminis falsò accuſatus eſſet; capitalem ſententiam propediem expectabat: quo tempore, cùm obnixè B. Franciſco innocentiam ſuam commendaret: Sanctus Pater Capucinorum habitum gerens, & cum eo duodecim Fratres, omnes quadrata Caputia geſtantes, eidem in carcere apparuêre; qui cùm illi liberationem promiſiſſent, eam poſtridie nemine pro eo agente, à Prorege vltrò impetrat.

CV. Denique, vt innumera alia huiuſmodi Apparitionum exempla prætercam: anno 1627. cùm Torrens Bonia, qui per Vallem Oſcellæ apud Inſubres, præceps decurrit; plus ſolito excreſcens, toti Valli, ac præſertim Capucinorum Monaſterio, quod in ea extructum eſt, inundationem minaretur: S. Franciſcus, & S. Antonius, more Capucinorum induti, Torrentis curſum, & irruentium aquarum impetum, velut benedictione coërcentes, in margine à quamplurimis viſi ſunt: qui aquarũ vi ſedata, protinus ex oculis euanuêre. Hæc publica Fide iurata, ac plurimis teſtibus munita, ad nos tranſmiſſa ſunt. Ex quibus nulli non perſpectum eſſe poteſt; quadrati Caputij formam, Beato Franciſco propriam, & antiquiſſimam fuiſſe.

## *QVINTA CLASSIS TESTIMONIORVM,*
### *Ex Miraculis.*

CVI. NEc minorem huic rei fidem aſtruunt, innumera propè Miracula, quę ad veram S. Franciſci habitus formam fidelibus commendandam, varijs Orbis Regio-

nibus, à Deo Opt. Max. edita ſunt: ex quibus pauca hîc duntaxat lubet referre: cæteris in Annales reiectis. Eſis, quæ Vrbs eſt in Apulia Daunia, vulgato nomine Troia nuncupata, anno 1606. Antonius Caracciolus ex Emilio Caracciolo, & Caterina Filomarina progenitus: grauiſſimo morbo laborans, ad extremum tandem cum morte conflictum moribundus deuenerat: cùm à parentibus, precibus B. Franciſco, cuius eximia deuotione afficiebantur, pro filii ſalute oblatis: B. Pater quadratũ Caputium geſtans, & Capucinorum prorſus more indutus, ſub ſolis occaſum morienti apparet; verbis conſolatur, incolumitatemque pollicetur, quam paulò poſt reſumptis viribus aſſequitur.

CVII. Poſteriori anno 1607. Helena, Lelii Pignatelli Nobilis Neapolitani Vxor; cùm Anxani, quæ Vrbs eſt Aprutij, grauiſſima pleuritide correpta, extremum iam ſpiritum ageret; Capucinorum Habitum, quem ab eorum Generali ſibi in morte impetrauerat, ſibi afferri iubet; vt eius ſaltem aſpectu ante mortẽ frueretur. Habitus cum quadrato Caputio allatus fuit; quo cùm moribũda indui poſtulaſſet: vix cum trium horarum ſpatio indutum geſtauit; cùm è morbo conualeſcere cœpit; breuique integram incolumitatem, ad veram B. Franciſci Habitus formam comprobandam, adepta fuit.

CVIII. Eodem ferè tempore quidam noſtri Ordinis Clericus, apud Siculos grauiſſimè ęgrotabat, quem Phyſicus neceſſariò ob morbi curationem Habitum exuere, ac nudum inter lintea iacere compulit. Reluctabatur Clericus, neque vllo Medici conſilio adduci poterat; vt rem in Ordine inſuetam præſtaret: at accedente Guardiani præcepto, Medici conſilio parere cogitur. At vix habitum exuit, & ad lintea acceſſit: quum protinus exclamare cœpit: En vror, en vror, reddite habitum, en vror: cúmque illi habitus redditus fuiſſet; ſtatim ex morbo conualuit: vt hinc & vera B. Franciſci habitus forma commendaretur; atque omnibus perſpectum eſſet, quanta illius apud Deum virtus exiſteret.

XIC. Porrò huius rei probationem, mirum in modum auget, ipſe Dæmonũ terror, quo ad huius habitus aſpectum percelluntur: cuius vnum, aut alterum exemplum, certa fide probatum, proferre haud importunum erit. Genuæ apud Ligures anno 1570. Vir quidam opibus potens, quales illius Vrbis Nobiles eſſe ſolẽt, multas ſibi ex fœnore diuitias coaceruauerat: quas ne reſtituere cogeretur, ita à Sacramentorũ vſu, præſertim pœnitentiæ abſtinebat; vt tamen quotannis à Curato, ſuſcepti Sacramẽti fidem, multo ære ſibi compararet. Hic tandem cùm in ſupremum morbum incidiſſet; nulla vera delictorũ pœnitentia ductus, ab humanis exceſſit. Vxor verò, quæ Capucinis deuotiſſima erat; vt defũcti Cõiugis animæ ſuffragaretur, habitũ à Guardiano Capucinorum, ſummis precibus obtinuit, quo defuncti Corpus induendũ curauit. Cadauere interea in quoddã Clauſtri ſacellum, apud Fratres Minores de Obſeruantia delato: dum in poſteram diem funera (vti decebat) illi ſolemnia parantur; ab iis noctu circa illud excubiæ obſeruabantur. Dũ igitur duo iuxta Cadauer, Fratres noctu vigilant; in ipſo noctis profundo, Defunctus, qui in feretro iacebat, membra mouere, ingentẽque ſtrepitum, quaſi in Fratres inſilire vellet, edere cœpit: quare exterriti illi, celeriùs inde aufugientes, rem Guardiano narrant; qui eò binos alios deſtinat, vt rem certiùs agnoſcat; quibus cùm idem, quod prioribus, accidiſſet. Re certò perſpecta, Guardianus totam Conuentus familiam in Refectorium conuenire iubet. Is verò vno, aut altero Fratre ſecum aſſumpto; ſtola armatus, mortuum in Dei nomine coniurat; vt ſe ad Refectorium præcedentẽ ſequatur. Tum Prior Refectoriũ verſus greſſum dirigit. Horribile dictu. Defunctus è feretro exiliẽs Guardianum ſequitur; ſimulque poſt eum ad Refectorium peruenit; vbi coram Fratrum multitudine iterum coniuratur: vt cur ſtrepitũ edat, quidvè ab eis exquirat, palàm aperiat. Mortuus mox horrenda voce inclamat: Quid me de ſtrepitu interrogas? Interroga cur maiori ſtrepitu non perſonem? En hic me Habitus acriori, quã Auernus flãma adurit. Iam me, Dei Iudicio damnatum, Dæmones ad Tartara rapuiſſent; niſi cum iis hic Habitus pugnaret. Hoc me vos quàm primùm Habitu exuite: tum veſtra pace fruimini. Tunc Guardiano imperante, cùm Defuncti corpus Habitu expoliatũ eſſet: mox Dæmones, omnibus ſpectantibus, arreptum corpus aſportant, & in

Infernum



Infernum ſepeliendum ferunt, intolerabili ibi prorſus fœtore relicto. Rem alta mente perpendens, Senex quidam venerabilis, qui facto præſens fuerat; paulò poſt ad Capucinorum Habitum euolauit, à quo hæc certa fide tradita didicimus.

CX. Neque abſimile eſt, quod apud Siculos accidiſſe, haud minori nobis fide probatum fuit: vbi fœnerator quidam, cùm ad ſupremam vitæ lineam perueniſſet, ſupplex à Capucinis petiit, vt habitu in morte donaretur: quod cùm ab iis impetraſſet, habitus ad Infirmum delatus lecto imponitur. At dum bini Fratres à Guardiano miſſi, in oratione cum Infirmo pernoctant; intempeſta nocte horribilis in eo cubiculo vox cuiuſdam perſonat, dicentis: *Apprehende; Apprehende illum.* Cui alterius vox reſpondebat: *Non poſſum.* His Fratres obſtupefacti; cùm eas Dæmonum voces eſſe intelligerent; Defunctum, ac lectum Aqua benedicta aſpergebant. Rurſus tamen eadem voce altiùs perſtrepente: *Apprehende, apprehende illum.* Altera verò reſpondente: *Non poſſum, quia S. Franciſci Habitum in lecto ſtratum gerit.* Cùm inde Fratres eum Dei Iudicio condemnatum colligerent; remque indignam iudicarent, eum ſacro B. Franciſci Habitu indui, quem æternæ damnationis ſententia premeret; Habitum è lecto tollunt: moxque Defuncti cubiculum fumus, ac ſulphuris fœtor tam dirus occupat: tamque ingens ibi ſtrepitus auditur, vt tota illa domus à fundamentis ruere videretur. Inter hæc duo Dæmones (vt videbatur) ad Defunctum, qui in eo ſtrepitu animam exhalauerat; accedentes, illius corpus in aëra efferunt, ac ſecum aſportant.

CXI. His poſtremò accedat, quod Pragæ, quæ præcipua Boemiæ Vrbs eſt, anno 1605. cuidam Hæretico contigit; qui cùm pyramidale Capucinorum Caputium deridere vellet; habitum ſibi Capucinorum more confingit, & acuminatum Caputium hiſtrionico ludo ſibi in capite componens, eo choræas, inter nuptiarum conuiuia, ducere eſt auſus. At in ſacrilegum velox Dei ira deſæuit: necdum enim ad ſaltationis medium peruenerat; cùm repentina cordis ſyncope correptus, coram omnibus humi dilabitur. At ſceleris pœnitens; cùm nullam, præterquàm ſacrilegam illam ſacri habitus irriſionem, ſui deliquij cauſam agnouiſſet, ab eo vix poſt longum tempus conualeſcere potuit; vt vera B. Franciſci Caputij forma, ac virtus non ſolùm Fidelibus; ſed ipſis quoque Hæreticis innoteſceret. Quamplurima alia conſultò prætereo; ne qui ea lecturi eſſent, tædio afficiantur.

## *SEXTA CLASSIS TESTIMONIORVM,*
### *Ex antiquis, ac recentioribus Scriptoribus.*

CXII. AD poſtremam tandem Teſtimoniorum Claſſem accedo, quæ cùm ex omnium, tum priſcorum, tum recentiorum conſenſu, quæ veritatis vox cenſenda eſt, colligatur; certiſſimam antiquæ veritatis fidem præſtat; & abſque vlla dubitatione oſtendit, quænam priſca fuerit Caputij figura, à B. P. Franciſco ab exordio in Ordine inſtituta. Hi namque, cùm vel propiùs ab Ordinis natiuitate abfuerint; vel Capucinorum ortum longè præceſſerint; vel tandem ex antiqua rei fama, ac traditione, puriorem illius ſenſum hauſerint; velut omni exceptione maiores, incorrupti huius controuerſiæ Iudices eſſe poſſunt. Quapropter hanc Claſſem poſtremo loco legendam duximus: vt velut totius huius Demonſtrationis ſigillum, controuerſiam omnem deleat, ac rei veritatem ſua auctoritate concludat.

CXIII. In his igitur primum locum iure ſibi vendicat Bartholomæus Piſanus, diuerſorum voluminum, tum maximè libri Conformitatum Auctor: qui cùm anno Domini 1380. inter vita, ac doctrina illuſtriores in Minorum Ordine claruerit, omnem prorſus affectati erroris ſuſpicionem abſtergit. Hic quænam vera B. Franciſci habitus forma fuerit declarans, in libro Conformitatum ita de B. Franciſco ſcribit. *A principio Ordinis vſque ad finem tunica, corda, & fœmoralibus diues, in ſola gloriabatur penuria, & egeſtate gaudebat: vnde ſola habituali tunica, nullam aliam interiùs deferendo, fuit contentus. Et hæc erat, vt dicit quinta pars Legendæ, rugoſa, aſpera, & iſpida: veſtis enim horrebat mollitiem, aſperitatem amabat, dicens: Duris, & aſperis*

*Dæmones*

*Dæmones in fugam conuerti; delicatis autem, & mollibus ad tentandum fortiùs animari. Sed Habitus eius qualis fuerit, dicit Legenda antiqua. Ipſe enim à Chriſto edoctus, voluit Habitum ſuum exteriorem Cruci conformem ad literam eſſe: vnde menſuram Habitus quoad longitudinem, & latitudinem, & qualitatem; & quoad vilitatem, & colorem docuit verbo, & exemplo; teſtibus Fratribus Bernardo, Aegidio, & Maſſæo, & aliis Sociis, qui ſe ab eo formam Habitus accepiſſe dicebant, & opere teſtabantur. Quoad materiam docuit, quod eſſet de panno vili, & cinerei, vel pallidi, vel terrei coloris; Chriſti mortificationem repræſentans, & talis groſſiciei, quod corpus foueret, & poſſet Fratri ſano vna Tunica ſufficere, intus & foris repetiata: tantæ longitudinis, quòd ſuccincta, abſque omni colligatione ſuprà Cingulum, terram non tangeret. Longitudo manicarum vſque ad extremitatem digitorum, ita quòd manus operirent, & longitudinem manuum non excederent. Latitudo manicarum eſſet tanta, quòd manus liberè intrare, & exire poſſent. Caputium quadrum, ac tantæ longitudinis, quòd faciem operiret: ita quòd Habitus Crucis formam præſentaret, & omnis humanæ gloriæ, & ornatus contemptum ſua vilitate prædicaret, & Fratrem Minorem Mundo Crucifixum, & mortuum oſtenderet: & eſſet nuditatis operimentum, & neceſſitatis, amatorum paupertatis fomentum: & Profeſſorum humilitatis ſignum: & portationis improperij Crucis Chriſti verum indicium. Et de iſto dicit Regula; quòd habeant vnicam tunicam ſine Caputio, quia ad inſtar tunicæ debeat eſſe ſtrictus, & longus. Hæc in Legenda antiqua.*

CXIV. En præclarum antiqui auctoris teſtimonium, quo quadratum Caputium ab ipſo Ordinis principio, ac proinde ex B. P. Franciſci inſtitutione profectum eſſe, antiquioribus monumentis probat. Illam enim antiquam Legendam, quam hoc loco Auctor commemorat; à tribus B. Franciſci Sociis conſcriptam fuiſſe, communis eſt omnium fama, & conſenſus.

CXV. Huic alterum antiquioris adhuc Patris teſtimonium accedat, videlicet B. Angeli Clareni: qui tempore Cæleſtini V. Pontificis anno 1295. Reformationis Clarenorum Pater fuit. Huius libellus de ſeptem tribulationibus Ordinis M.S. circumfertur; in quo eadem prorſus, & verba, & quæ de quadrato Caputio, modò ex Piſano retulimus, diſtinctè exarata leguntur. Neque id mirum: cùm Piſanus ea ex antiqua Legenda, quæ & Angelo Clareno, & ipſo erat antiquior, in eum locum tranſtulerit; à qua & ſua Clarenum hauſiſſe credendum eſt.

CXVI Quamobrem, vel huius Legendæ, vel priſcorum aliorum Ordinis Scriptorum auctoritate motus, Rodulphus Toſſinianenſis inter Minores Conuentuales non exigui nominis: Vir cum primis ingenuus, dum veram B. Franciſci habitus formam, in ſua Hiſtoria deſcribit, Caputium quadratum inter alia commemorat, his verbis. *Tunica B. Franciſci fuit pallentis, & cinerei coloris, qualem fuiſſe tunicam inconſutilem Chriſti quidam affirmant. Fuit quoque Cruciformis: cuius longitudo terram non attingebat, latitudo verò manicarum ad extremos digitorum articulos perueniebat. Fuit ei veſtis vnica, atque abiecta, & ad pedes defluens: nec turpe ducebat eam ferre, quanquam ei Principes conueniendi forent. Hac vtebatur, ſiue vis frigoris, & hyemis inſtaret, ſiue ardor æſtatis. Caputium quoque quadratum detulit, tantæ quidem longitudinis, quòd faciem operiret: qualem Habitum deferre conſueuerunt agreſtes homines illius Regionis: de quo quidam Vates aptè admodùm, & eleganter cecinit carmine:*

*Franciſcus verò donum lætabile agreſtis*
*Accipit, & forma: quàm primùm inſignit amata,*
*Texta Crucis conſuta dehinc ſimul aptat habenda*
*Tegmina dura ſibi*

*Vnde menſura ſui habitus, latitudinem, longitudinem, qualitatem, deſpectionem, & colorem verbo ſimul, & exemplo docuit, ſicut Socij eius ab eo accepiſſe teſtabantur, quibus perſæpè dicebat.*

*Præterea mollis, pretioſa licentia veſtis*
*Sit procul.*

Quod



CXVII. Quod etiam ante Rodulphum, adnotauerat Sedulius, in vita B. Franciſci, qui in huius rei argumentum, pleróſque Beati Franciſci habitus, & Caputiá, forma planè quadrata ſe vidiſſe teſtatur: ita vt nullus iam dubitationi locus relictus eſſe videatur.

Sedulc. Commend. in vita S. Franc. c. 2.

CXVIII Præclarè quoque Ioannes Rauſſerius Andegauenſis, Ordinis Minorum de Obſeruantia, libro, quem de ſtatu, & origine Seraphici Ordinis S. Franciſci inſcripſit; quæſtionem illam pertractans: Quiſnam Fratrum Minorum Habitus eſſe debeat: vbi multa vltrò, citróque agitauit; tandem citato Sedulio, cuius modò meminimus, rem ita concludit. *Certè liberè fateri oportet, Ordinem à ſuis incunabulis, atque adeò ipſum S. Patriarcham Franciſcum, eo habitu, Caputio, ac indumenti forma vſos fuiſſe; quo nunc Capucini vtuntur (licèt fortè non omninò ſimili) qui habitus, cùm circiter ducentorum annorum ſpatio intermiſſus fuiſſet, poſtremò Clementis ſeptimi auctoritate, anno 1526. fuit reſtitutus.*

Ioan. Rauſſon. de ſtatu & Ord. Min.

CXIX Ingenuam hanc apertæ veritatis confeſſionem, ante Rauſſerium Marcus Vlyſſiponenſis, Chronicorum D. Franciſci Auctor, non ſemel Orbi conſpicuam fecit, Chronic. part. 2. cap. 1. vbi de Templo in honorem Beati Franciſci, à D. Iacoba de ſeptem ſoliis erecto agens, ita ſcribit: *Succeſſu temporis auctum fuit Monaſterium iſtud, in quo nonnullæ Icones cernuntur; Capucinorum habitu ad viuum depictæ, quo Fratres Minores eo tempore vtebantur.* Præterea lib. 5. cap. 21. cùm B. Franciſci Imaginem refert, quæ in Abſide Baſilicæ Lateranenſis opere Muſiuo fabrefacta conſpicitur, ſic habet. *Inter B. Virginis, & S. Petri ſimulacra, collocata eſt Imago S. Franciſci breuior, qui ſacris Stigmatibus ornatus apparet, Caputiumque acuminatum geſtat. Huiuſmodi enim & is viuens detulerat, ac totus Minorum Ordo tunc eo vtebantur.* Idem Chron. 3. par. lib. 9. c. 15. cùm de Capucinorum Reformatione agit, hæc verba habet. *Fr. Matthæus de Baſſo primus fuit, qui his temporibus Caputium acutum deferre cœpit. Hic S. Pater cùm eſſet ſpiritu feruens, & magno erga ſanctam paupertatem zelo flagraret; viſo S. Patris Caputio, aliud ſimile ſibi parauit, & habitum vilem indutus, ſimplex, nudis pedibus incedebat.* Hæc, & pleraque alia ſparſim, hic Auctor de Quadrato S. Patris Caputio ingenuè exarat; quæ hîc commemorari non eſt opus.

Chron. 2. p. l. 2. c. 1.

Lib. 5. c. 21.

Chron. 3. p. lib. 9. c. 15.

CXX. Neque ab his diſſentanea ſunt, quæ ſcribit Alphonſus Ciaconius Dominicanus, de vita, & geſtis Pontificum, in Gregorio X. vbi de D. Bonauentura, qui ab eodem Pontifice in numerum Cardinalium aſſumptus fuerat, ita ſcribit: *Anno 1560. Narbonæ ſecundum Capitulum Generale celebrauit, in quo ſui Ordinis Conſtitutiones reformauit. Ordinis habitum, quo nunc Fratres Minores vtuntur, paululùm commutauit; nam antea Capucinorum more induebantur.* Tametſi in eo non parùm hallucinatus fuerit: quòd D. Bonauenturæ primæui habitus mutationem tribuit, quod infra, haud abſque ratione improbabitur: propoſitam tamen veritatem confirmat. Plures alios Scriptores prætereo, in hanc rei veritatem conſpirantes: duos tamen duntaxat celebres, ex vtraque & Obſeruantium, & Conuentualium familia Auctores huc nobis adferre lubet. Primus eſt R. P. Lucas Vvaddingus Vir religioſiſſimus, atque inter Minores de Obſeruantia omni virtutum, ac bonarum artium laude clarus; qui cùm omnium poſtremus Annales Fratrum Minorum conſcripſerit, inter alia hæc habet: *Illud præ cæteris aduertunt Vincentius Marianus, & Antoninus, non contentum Virum ſanctum primæ Tunicæ Eremiticæ forma; aliam ſibi conſuiſſe valdè contemptibilem & incultam, quam Paſtoritiam dixerat Volaterranus; & Petrus Galleſinius hunc ſequutus; ea duntaxat crediderim ratione (vt etiam adnotauit Ioannes Narq. ſæpiùs citatus) quia Tunica erat rudis, & hiſpida, Caputiumque ad ſcapulas pendebat acuminatum, eo more, quo exterius tegumentum Paſtores ad arcendas Cœli inclementias, capitiſque illud largius, ampliuſque obtegumentum ad veſtem conſutum habent, quo à ſuperueniente nimbo, aut niue defendantur. Quo Habitus genere deinceps per totam vitam vſus eſt Vir Dei, ea ſolùm admiſſa non magna differentia, vt aliquando parumper longiorem, largioremvè, ſecundùm offerentium liberalitatem, vel tenuitatem, pannique menſuram*

Ciac. in Greg. x. fol. 598.

Luc. Vvadding. Ann. t. 1. anno 1207 fol. 36.

portaret

*portaret, & Caputium aliquando magis, vel minùs pyramidale, aut acuminatum adſueret.* Hæc ſanè à docto, & religioſo homine non inuitus accipio; neque enim Caputij menſura vnquam à B. Franciſco lege ita arctata fuit; vt dummodò Caputium quadrum, ac pyramidale ſit, illius acumen vel longiuſculè protrahere, vel breuiùs contrahere nunquam liceret: quod neque apud Capucinos lege vlla ſancitum eſt: tametſi id communi omnium ſenſu receptum ſit; vt Caputium geminorum palmorum longitudinem non excedat; cùm ea longitudo ſufficiat, vt Caputium iuxta Religionis, ac honeſtatis regulam faciem operiat.

CXXI Verùm cùm poſt pauca hæc addit: *Religioſiſsimi Patres Congregationis Capucinorum plus cæteris ad hanc formam accedunt, ſi non excedunt: nec enim tam oblongum, & acuminatum: vt illi ad ſcapulas demittunt; facilè iudicauerim S. Patrem geſtaſſe. Imagines certè antiquæ, quæ ſtatim à S. Franciſci obitu depictæ ſunt, in multis Cænobiis Ethruriæ, & Vmbriæ non valdè prominuiſſe retrò acumen Caputij, apertè probant. Verum eſt in abſidis Eccleſiæ S. Mariæ Maioris, & Lateranenſis demitti ad infimas vſque ſcapulas, in Imaginibus Sanctorum Franciſci, & Antonij opere Muſiuo expreſsis. In Lateranenſi, cura Nicolai 4. In altera verò S. Mariæ eiuſdem, & Iacobi Columnæ Cardinalis ad exitum deductis, anno 1295. Opifice Iacobo Torriti, vt in abſide dextro angulo habetur.*

Idem fol. 37. n. 6.

CXXII. Sententiam quidem ingenuè prolatam, ac omni vitij ſuſpicione vacuam audio: eidem tamen haud facilè aſſentiendum iudico; præſertim cùm nec ipſe adeò certam, ac indubitatam proponat, quin ex oppoſitis ſibi Imaginibus, de ea nonnihil formidandum eſſe ſentiat. Quapropter, vt ipſa rei veritate inſpecta, omnis è medio tandem dubitatio tollatur: id in primis non ægrè accipio, quòd Auctor hic de B. Patris Caputiis opinatur: nimirum ea ſecundùm maiorem vel minorem offerentium liberalitatem, ac panni copiam; interdum longiori, vel breuiori acumine conſtaſſe; quamquam id potiùs rei ipſius indifferentiæ tribuendum eſſe exiſtimauerim: qua fiebat, vt cùm nulla Caputio menſura præſcripta eſſet, aliquando breuius, interdum longius, iuxta panni copiam, ac Sutoris arbitrium euaderet.

CXXIII Cæterùm quod ad communem Caputij menſuram ſpectat, quam prima illa B. Franciſci tempeſtas, atque etiam poſterior ætas complexa fuit; eam non minùs quàm ad duos circiter palmos acceſſiſſe; ac proinde Capucinorum Ordinem, cui hæc menſura communis eſt, Caputiorum modum non excedere; ex B. Franciſci, ac reliquorum Caputiorum menſura, quam in quarta teſtimoniorum Claſſe indicauimus, hactenus demonſtratum eſt: quo fit, vt nulla hîc iure dubitatio oriri queat.

CXXIV. Alter Bonitus Combaſſonius, Ordinis Minorum Conuentualium accedat, qui in Tractatu, quem nuper anno 1628. edidit, ſub hoc titulo: *Vera, & dilucida explicatio præſentis ſtatus totius Seraphicæ Fratrum Minorum Religionis.* Inter alia hæc habet fol. 11. *Capucini verò ſic nuncupati ſunt à Caputio Ordinis antiquo, quod permiſſu Clementis ſeptimi reſumpſerunt. Ipſi enim Regularis Obſeruantiæ, & antiqui habitus vtramq; formam iam deperditam, anno ſalutis 1525. reſtituerunt. Forma verò habitus Sancti Franciſci, & Ordinis Seraphici eſt Caputium longum, & acuminatum, ſeu pyramidatum, tunicæ coloris cinerei abſque Mozeta, vel Scapulari conſutum.* Qui fol. 25. in hanc quoque ſententiam citat Petrum à Campopolito ex Minorum Obſeruantium familia, libro, quem de excellentia, & nobilitate Seraphicæ Religionis conſcripſit, lib. 1. cap. 7.

Bonit. Combaſſon. tract. de ſtat. Rel. Ser. ex impr. Aug. Vindel. Typis Andreæ Apergeri.

CXXV. Hîc tandem antiquorum omnium Hiſtoricorum, qui de priſcorum Ordinum ortu, ac progreſſu ſcripsêre, vnanimis conſenſus accedat: quem ipſa quoque rei experientia ad hodiernum vſque diem comprobat; quo cunctis perſpicuum ſit, quotquot Monachorum Ordines in Eccleſia Dei, Minorum Ordinem anteceſſerunt, omnes quadratis Caputiis vſos fuiſſe: Pachomij, qui circa Conſtautini Magni tempora floruit, Regula Monachis Cucullã diſertis verbis tradit: qua præſertim inter edendum, caput obtegere debeant. Eandem quoque S. Benedictus, qui in quinto ſæculo Orbem illuſtrauit, ſuo Ordini Regula præſcribit. Cucullam verò, quadro, atque acuminato Caputio conſtare; nemo eſt, qui ex ipſa cucullæ for-





ma, qua Monachi Caſſinenſes hactenus vſi ſunt; atque etiamnum vbique terrarum vtuntur, apertè non colligat. Camaldulenſes Monachos, Romualdo Inſtitutore, nono Orbis ſæculo poſt Chriſtum excitatos; ac poſt hos Carthuſienſes, à Brunone circa annum Domini 1086. inſtitutos, quadrũ, & pyramidale Caputium geſtaſſe præſens hæc Orbis tempeſtas non obſcurè declarat: quo etiam B. Dominicum, ac cæteros illius Ordinis Alumnos ab exordio vſos fuiſſe, grauiſſima traditio, nonnullis antiquiſſimis Iconibus, quæ in Hiſpania, atque alibi conſpiciuntur, aſſeuerata confirmat.

CXXVI Quæ cùm ita ſint: Annon inde certo argumento euinci poteſt; B. Franciſcum cùm primùm Minorum Ordinem inſtituit, haud à cæteris Ordinibus abſimilem ſibi Caputij formam eligere voluiſſe? ac proinde quadratum, ac pyramidale Caputium ſuis præſcripſiſſe? Tot igitur Scriptorum voce, ac conſenſu, cùm ſatis ſuperq; probatum fuerit, Habitus à B. P. Franciſco inſtituti formam, Caputio quadrato, ſeu pyramidali, abſque Lunula, & Scapulari conſtare; huic Demonſtrationi finem imponimus, vt alias breuiùs proſequamur.

## Demonstratio V.

### *An Caputium Profeſſorum, debeat eſſe cum Habitu coniunctum.*

I. VERAM Minorum Habitus formam, ex Habitu, & Caputio quadrato coaleſcere; ex his, quæ hactenus à nobis demonſtrata ſunt, cunctis facilè peſpicuũ eſſe poteſt. At verò, num Caputium cum Habitu aſſutum, ac coniunctum eſſe debeat; quamplurimi ſunt, qui non tam in dubium reuocant, quam acerrimè oppugnant. At ſanè hi apertæ veritati bellum inferunt; quam cùm non aliis armis, præterquàm ex Lunulæ, & Scapularis poſitione aggrediantur: quàm hæc ad feriendum tela infirma ſint, quámque inualido prorſus robore aduersùs veritatem, vndequaque vetuſtate, ac ratione armatam, vibrentur; nos ſuperiùs in tertia Demonſtratione non obſcurè euicimus; in qua Lunulam, & Scapulare, à vera B. Franciſci Habitus forma procul amandauimus.

II. Iam verò, vt & quæ in ea Demonſtratione argumentis probata ſunt, luculentiùs pateant; & quæ hîc demonſtranda proponuntur, firmiùs comprobentur; ex quadruplici argumentorum capite; breuiùs tamen, quoad fieri poteſt, rem propoſitam demonſtrare aggredior.

III. Primum argumenti caput ex Regula ducitur, in qua hæc expreſsè verba leguntur. *Et illi, qui promiſerunt Obedientiam, habeant vnam Tunicam cum Caputio, & alteram ſine Caputio.* Tunicam abſque Caputio, eam eſſe nemo non intelligit, quæ nullum ſibi Caputium aſſutum, vel coniunctum habet. Quænam igitur Tunica cum Caputio eſſe cenſenda eſt; præter eam, quæ cum Caputio connectitur? Quòd ſi nulla Tunica ſibi Caputium annexum habeat: an non vtraque ſine Caputio eſſe dicenda eſt? Hæc ſanè adeò clara, ac perſpicua ſunt; vt nec vlla probatione indigeant. Igitur quum B. Pater in Regula præcipit; vt Profeſſi vnam Tunicam cum Caputio habeant, & alteram ſine Caputio, qui voluerint: planè ex ea Tunicarum diſtinctione apertum eſt, Habitum Profeſſorum Caputio aſſutum eſſe debere.

Reg c. 2.

IV. Id ex diſtinctione Habitus Nouitiorum, ab Habitu Profeſſorum, luculentiùs colligitur; de qua B. Pater in Regula ita ſcribit. *Poſtea concedant eis pannos probationis; videlicet, duas Tunicas ſine Caputio, & Cingulum, & Brachas, & Caparronem vſque ad Cingulum.* Ex quibus Regulæ verbis duo perſpicua ſunt. Primum, Nouitios hoc habitus diſcrimine à Profeſſis diſcerni; quòd iis binæ quidem Tunicæ: ſed vtraque ſine Caputio, conceduntur: Profeſſis verò duæ identidem Tunicæ, ſed vna cum Caputio præſcribitur. Alterum eſt, Caparronem, velut probationis inſigne, vſque ad Cingulum defluens, Nouitiis aſſignari, qui Profeſſis poſt vota emiſſa prohibetur. Quærimus igitur. Num Caputium, quod Nouitiis denegatur, ac Profeſſis præſcri-

Ibidem.

bitur, illud eſſe intelligatur, quod cum Tunica immediatè conſuitur, necne? ſi negauerint, omnem profectò Nouitiorum,& Profeſſorum Habitus differentiam, quæ in Regula disertè traditur, è medio tollunt. Neque enim Nouitij alio diſcrimine, à Profeſſis,præterquam Caputij priuatione diſcernuntur;cuius loco Caparronem induunt. Quòd ſi Profeſſi Caputium à Tunica ſeparatum, ac diſſutum gerunt;quomodò Regulæ præcepto ſatisfaciunt; quæ inter duas Tunicas, quas Profeſſis concedit, illud diſcrimen ſtatuit; vt vna cum Caputio eſſe debeat? Rurſum quo pacto vnam Tunicam cum Caputio,alteram ſine Caputio habent;qui vel nullam cum Caputio,vel ambas cum Caputio gerunt? Caputium enim,quod ab vtraque Tunica disiunctum eſt;vel nullius, vel vtriuſque Tunicæ eſſe cenſetur. Cùm verò Caputium ab vtraque Tunica ſeparatum gerant; quònam diſcrimine à Nouitiis diſcernantur, quibus duæ Tunicæ à Caputio ſeparatæ conceduntur, prorſus obſcurum.

Alteram quoque ex Caparrone, qui Nouitiis ad probationis inſigne datur,probationem ducimus. Etenim omnibus exploratum eſt: non omne Caputij genus Nouitiis à Regula interdictum eſſe,(quod ipſe antiquiſſimus Ordinis vſus ab exordio inſtitutus confirmat) ſed illud tantùm,quod cum Tunica coniunctum eſt;Cuius loco B.Pater Nouitiis Caparronem aſſignat:quo nomine Caputium ab Habitu ſeparatum,cum gemina illa panni portione,quæ ex vtraque parte ex humeris pendet,& in orbicularitatem deſinit,appellari voluit; vt apertè conſtat ex Regula, in qua ita ſcribitur. *Poſtea concedant eis pannos Probationis; videlicet, duas Tunicas ſine Caputio:& Cingulum,& Brachas, & Caparronem vſque ad Cingulum.* Iam verò ſi Nouitiis idcircò Caparro conceditur;vt quamuis Caputium ferant,Tunicas tamen abſque Caputio habere dicantur: Annon inde apertiſſimum eſt; eos, qui Caputium cum Lunula,& Scapulari à Tunica diſiunctum ferunt, Tunicam abſque Caputio gerere?ex quo id conſequi opus ſit; eos tantùm iuxta Regulæ præſcriptum, Tunicam cum Caputio gerere, qui Caputium cum Tunica aſſutum ferunt. V.

Secundò id ex B. P.Franciſci,ac Sociorum Caputiis, perſpicua rei veritate demonſtratur; quæ Tunicis abſque Lunula,& Scapulari conſuta, pleriſque in locis conſpiciuntur. Horum cùm in Superiori Demonſtratione fusè à nobis mentio facta fuerit: hîc iterum refricanda non ſunt. Attamen quàm ad id probandum efficax argumentum ſit, candido animo perpendant. VI.

Tertia quoque huius rei Demonſtratio,ab antiquiſſimis B. Franciſci picturis,ac Imaginibus deſumitur: quarũ nulla ante milleſimum,& quadringenteſimũ annũ reperitur; quæ Caputium abſque Lunula, & Scapulari,cum Habitu coniunctum non habeat; vt in ſuperiori Demonſtratione explicatum fuit. VII.

Quarta denique ex concordi Scriptorum ſentẽtia colligitur.Qui enim quadrati Caputii formã ad B.Frãciſci inſtitutionẽ referũt; quos in ſuperiori Demõſtratione nõ paucos retulimus; omnes Caputium cum Habitu,ex antiqua inſtitutione coniunctũ affirmant.Præter hos eſt etiam Vgo in Expoſ. Reg.à Bartholomæo Brandolino citatus; ipſe quoque Brandolinus in hanc ſententiam conſpirat,his verbis, ex Italico tranſlatis: *Nota,quòd Habitus Profeſſorum ab Habitu Nouitiorum,atque à Tunica propriè dicta differt.Primum quoad vnitatem, quia Habitus Profeſſorum debet eſſe vnitus, & aſſutus cum Caputio:ſed Habitus Nouitiorum,ſicut etiam Tunica,ſunt ſine Caputio. Quapropter quemadmodum malè ageret Nouitius,qui Caputium cum Habitu conſutum deferret; ita quoque Profeſſus,ſi Caputium ab Habitu diſſutum gereret.Hæc eſt ſententia Vgonis in hũc locum:eamque elicit ex Regula,quæ dicit;Vnam Tunicam cum Caputio:quia illa dictio,* Cum *vnitatem,& ſimultatem importat.* Hæc Brandolinus. VIII.

Brandol. in c. 2. Reg.

Vgo.in c. 2. Reg.

S. Bonau. in Expoſ. Reg.

Prior Brandolino id docuerat S. Bonauentura, in Expoſit Reg. in c.2.ita ſcribẽs: Dicit ergo ſic. *Et illi, qui promiſerunt Obedientiam, Profeſſi ſcilicet, habeant vnam Tunicam cum Caputio,in qua Habitus intelligitur.* Id igitur ex D.Bonauentura certum eſt, Tunicam cum Caputio ipſum Habitum eſſe:Cùm verò Habitus eſſe non poſſit,niſi Caputio vnitus;alioqui Tunica,non Habitus appellaretur. Reliquum eſt, vt ex D Bonauenturæ ſententia,ad Habitum conſtituendum, Caputium cum Tunica coniunctum eſſe debeat. IX.





X. His tandem accedat Gloſſ.Ioan. Andreæ in Clement. de Regular. c. 2. in quo cùm habitus Nouitiorum, à Profeſſorum habitu diſtinguendus decernatur: ibi apertè tradit, Caputium Nouitiorum,in Ordine Minorum,Tunicæ aſſutum non eſſe;vt eo à Profeſſis diſtinguantur. *Id patet* (inquit) *in Ordine Minorum, vbi noui Nouitij non habent ſutum Caputium.* Ex quo id neceſſario conſequitur; Profeſſorum habitum, vt à Nouitiorum habitu diſtinctum eſſe poſſit; ex ipſa B. Franciſci inſtitutione,aſſutum ſibi Caputium vendicare.

Ioan. Andr. in Clem. de Reg.c.7.

XI. Sed quid tot teſtimoniis,præſertim apud Min. Obſeruãtes opus eſt?cùm ij ſuas Salmaticenſes Conſtitutiones habeant, à Franciſco Gonzaga Generali confectas; rurſúmque à Calatagironenſi confirmatas,quæ hoc ipſum decernunt: pœnámque iis ſtatuunt,qui diſſutum ab Habitu Caputium gerunt?Id igitur apud ipſos ſaltem certum,ac conſtitutum eſto.

Conſtit.Salmatic.

## DEMONSTRATIO VI.

### *An S. Antonius Vlyſſiponenſis, S. Bonauentura, & S. Ludouicus quadratum Caputium geſtauerint.*

I. NOn abs re hæc à nobis mouetur quæſtio:cùm hac tempeſtate non pauci, atq; iidem prorſus, qui quadrati Caputij inſtitutionem à B. Franciſco profectam oppugnant,in eam ſententiam inciderint; vt nec ipſum B.Antonium Vlyſſiponenſem,multò minus S.Bonauenturam,& S.Ludouicum Epiſcopum Tholoſanum,qui illo poſteriores fuêre,pyramidali Caputio vnquam vſos fuiſſe affirment. His ratio communis eſt:B.Franciſcum, ac priora illa Orbis tempora, vſque ad Clementem ſeptimum;quo tempore Capucinorum Religio pullulare cœpit,quadratum,ac pyramidale Caputium neſciuiſſe. At quandoquidem multa,quæ ad hãc quæſtionem ſpectant, in Quarta Demonſtratione à nobis fusè explicata ſunt; vbi pyramidalis Caputij formam,à B.Franciſco inſtitutam fuiſſe oſtendimus: paucis hæc Demonſtratio abſoluenda eſt:Temporum namque Chronologia explicata,quibus hi Sancti Ordinis Patres,olim in Religione floruêre; nobis facilè erit,rei huius veritatem illuſtrare,ac certam oculis aſpectandam proponere.

II. Illud in primis,ex omnium Hiſtoricorum conſenſu,certum eſt, B.Franciſcum, qui anno ſalutis 1182. vitæ huius vſura frui cœpit; poſt vigeſimum quartum ſuæ ætatis annum,anno videlicet 1206. Regulam condidiſſe; atque Ordinem Fratrum Minorum, & Habitus, & quadrati Caputij forma à cæteris Ordinibus diſtinctum fundaſſe, quod Superiùs Demonſtratione Quarta pluribus argumentis comprobauimus:ac demùm anno 1226. mortali hac,cùm immortali vita cõmutata, adoleſcentem Religionem,iam in pleraſque Orbis partes dilatatam, eiuſdem Habitus, & Caputij hæredem reliquiſſe. Porrò illud apud omnes certum eſt: S. Antonium Vlyſſiponenſem, B. P. Franciſco adhuc inter mortales agente, è Conymbricenſi Cœnobio ſacræ Canonicorum Lateranenſium Familiæ,ad Minorum Ordinem migraſſe,anno 1220.ſexto videlicet ante B.Patris obitum anno.Qui cùm vndecim in Religione annos virtute,ac ſanctitate plenos exegiſſet,anno tandem 1231.quinto nimirum,poſt S.Franciſci exceſſum anno,in Cælum conceſſit: atque inter Superos relatus eſt; quo tempore,nullam quadrati Caputij mutationem in ordine accidiſſe,omnium Scriptorum concors eſt ſententia.Quo ſit,vt S.Antonius,nemine prorſus diſcrepante,quadratum Caputium,quoad ſuperſtes fuit,cum aliis geſtauerit.

Chron.Ord. l.1.p.1.c.1.

Chron. p.1. l.2.c.10.

Chron.Ord. p.1.l.5.c.2.

Chron.Ord. p.1.l.5.c.27.

III. Id quoque ex pleriſque antiquiſſimis Iconibus confirmatur, quæ S.Antonium quadrato,ſeu pyramidali Caputio ornatum demonſtrant; quæ tametſi ſuperiùs à nobis commemoratæ fuerint:eas tamen hîc iterum breuiùs collectas refricare, haud ſuperuacaneum erit.Prima eſt Tuderti in Pallio Damaſceno vetuſtiſſimo;Secunda Fulginij, apud Min.Conuentuales in Clauſtro: Tertia ibidem in Sacello B. Angelæ Fulginatis:Quarta in abſide S.Mariæ Maioris Vrbis Romanæ;Quinta in Baſilica Lateranenſi; Sexta Auinioni in Eccleſia Minorum Conuentualium; Septima Reginopoli in Germania,in Eccleſia eorundem Min.Conuentualium; Octaua

Neapoli in Conuentu S.Claræ, vbi Fratres hoſpitantur. Hoc ipſum denique ex omnium ferè Scriptorum conſenſu ingenuè conſtat; qui quadratum Caputium, ex B.P.Franciſci inſtitutione profluxiſſe docent, quos ſuperiùs recenſuimus.

IV. Vnus tamen omnium inſtar, Reuerendiſſimus in Chriſto, Pater Felix à Caſcia, Generalis Ordinis Min. Conuentualium Magiſter, teſtis omni exceptione maior accedat; qui anno 1628. hoc ipſum publica fide, proprio chirographo obſignata, ac ſigillo munita, citra omnem dubitationem teſtatus eſt. Cuius hoc eſt exemplar. Romæ in lucem editum.

V. *Glorioſum D.Antonium Patauinum, eandem habitus formam geſtare, quam Seraphicus Pater noſter Sanctus Franciſcus deferre conſueuerat; licèt cunctis Religionis noſtræ Seraphicæ Hiſtoriarum dogmata profitentibus facilè collluceſcere queat: attamen, quia à nonnullis, in rebus noſtri Ordinis non admodum verſatis, claritas hæc in dubium reuocari poſſet; nos rationibus, cauſis, honeſtíſque fundaminibus adducti, veritatem hanc non imus inficias, & quantum in nobis eſt, vt iuxta noſtrum ſenſum clariùs eluceſcat; prædictum D.Antonium Ordinis noſtri Minorum, eandem habitus formam, qua idem Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus, dum lucis vſura frueretur, vtebatur, geſtaſſe credimus: huiuſce ſiquidem habitus formam arbitramur; Caputium acutum, & ad pyramidalem figuram deſcendens, Tunicaque compaginatum: æquum enim, & conſonum videtur, talem Filium tanti Patris veſtitu conſimili cohoneſtatum fuiſſe, qui eandem prorſus Regulam, & vitæ inſtitutum, vti è fonte manans riuulus, admirabiliter obſeruauit, laudabiliter tranſegit. Et eo vel maximè, quia probatorum Auctorum monumentis apparet; ſublato ex humanis, & ad celſa ſydera euocatis Seraphico Patre S.Franciſco: habitus ſui formam imperturbatam diutina temporis intercapedine perſeueraſſe; & mutationem, ſeu variationem non ſuſtinuiſſe. Quod inſuper perſpicuum eſt (ſi vetuſtioribus picturis eſt adhibenda fides) in Eccleſia Patrum Reformatorum in Vrbe, qui de Obſeruantia nuncupantur, apud D.Franciſci Tranſtyberim: quamplurimi enim ibi conſpiciuntur effigiati Fratres, præaſſerta induti habitus forma. Iconiorum quoque Baſilicarum S.Ioannis in Laterano, & S.Mariæ Majoris, alibíque teſtimonio comprobatur: qualibet enim harum Eccleſiarum in Ara Maiori, Sanctorum Franciſci, & Antonij Patauini continent effigies, muſiuo labore contextas; Caputium acutum, & tunicæ coniunctum geſtantes, cingulo craſſiori circumdatas, & ſandalia in pedibus geſtantes, nominibus propriis, hinc inde Latino idiomate appoſitis. In fidem, &c. Romæ apud SS.duodecim Apoſtolos die 8. Octobris 1628.*

*Fr. Felix Generalis Ordinis Min. Conuentualium.*

*Locus Sigilli.*

VI. Quod verò ad S.Bonauenturam ſpectat: quorundam eſt opinio, eum prioris Caputij formam, quæ quadrata erat, in rotundam commutaſſe; ac præterea Lunulam, & Scapulare addidiſſe. At qui ita ſentiunt, cùm nulla ſolida ratione, aut fundamento moueantur, facilè refelli poſſunt; quod nos in Nona Demonſtratione non obſcurè præſtabimus: in qua perſpicuum fiet; quadrati Caputij in Ordine Minorum, nullam vſque ad 1400. circiter annum, mutationem factam fuiſſe. Quo fit, vt non modò S.Bonauentura, qui anno 1273. ſecundum Trithemium; vel 1274. vt vult Bellarminus, è viuis ereptus eſt: ſed etiam S. Ludouicus, qui 1297. ad Cœlites euolauit, quadratis Caputiis vſi fuerint.

Trithemius Bellarminus.

VII. Equidem imagines, quæ in Bergomenſi Eccleſia S Mariæ Maioris, anno 1347. depictæ, B.P.Franciſcum, S.Antonium, S.Bonauenturam, & S.Ludouicum, quadrato, & oblungo Capucio exornatas referunt; omnem ex animo ſuſpicionem abſtergere debent; quò minùs certò quiſque ſibi perſuadeat, eos haud alia, quàm quadrati Caputij forma vnquam vſos fuiſſe: Tot præterea S.Ludouici Icones, quæ in Neapolitana Vrbe; vti fuſiùs in 4.Demonſtratione explicatum fuit, eundem Pyramidali Caputio vſum manifeſtè indicant: annon præclara nobis teſtimonia ferũt? Verum his prætermiſſis, ipſum S.Ludouici Caputium, quod Tholoſæ aſſeruatur, inſtar omnium ſit: in quo ipſa pyramidalis forma conſpicitur. Quòd ſi S.Ludo-





uicus, qui S.Antonio, & S.Bonauẽtura poſterior fuit, pyramidali Caputio, vt ipſius Caputium, ac Picturæ indicant, vſus fuit: Quis Sanctum Bonauenturam, ac S.Antonium, qui eo priores extitêre, quadrato Caputio caruiſſe exiſtimet? Denique Marci Vlyſſiponenſis, Auctoris Chronicorum Ordinis S. Franciſci, teſtimonium accedat, qui Chron.par.3.lib.9.c.16.ita ſcribit. *Quo tempore B.P. Franciſcus Ordinem Minorum inſtituit, vſus eſt Caputio longiori, & acuminato, quod tunicæ aſſutum gerebat: perſimile quoque poſt eum detulerunt Antonius, & Bonauentura, aliíque quamplurimi; quemadmodum ex eorum habitibus, qui vſque in hodiernum diem conſeruantur, & ex Picturis manifeſtum eſſe poteſt.* Hæc de hac Demonſtratione dicta ſufficiant: ad Septimam pergo.

Chron.Ord. p.3. lib.9. c. 16.

## Demonstratio VII.

### *Quamdiu Caputium Quadratum, ſeu Pyramidale in Ordine floruerit.*

I. Qvadrati Caputij genus, à B.P.Franciſco Minorũ Patre exorſum, ac quãplurimis poſt ipſum annorum luſtris, incolume in Ordine propagatum fuiſſe, hactenus demonſtrauimus: iam verò integra eiuſdem Caputij ætas, vitáque breui inquiſitione indaganda eſt: vt eò faciliùs, quo tempore ipſum intermori contigerit; in Nona Demonſtratione, quæ ad hanc rem pleniùs, ac perfectiùs illuſtrandam, inſtituenda eſt, explicari queat.

II. Perfecta quadrati Caputij ætas, haud alia ratione, præterquam vel ab ipſa Caputiorum, quæ variis in locis religiosè ſeruantur, ætate; vel ab Imaginum ipſius diuturnitate; vel tandem ab hiſtoricorum teſtimonio, à nobis colligi poteſt. Quò enim eos, qui quadratis Caputiis vſi ſunt, longiùs ab Ordinis natiuitate abfuiſſe perſpectum fuerit; aut quadrati Caputij Imagines, diuturniora ſibi à Caputij ortu tempora vendicauerint; eò ſanè prouectiorem illius ætatem fuiſſe, non obſcurè probatum erit. Ex quo tandem; ſi non certum, ſaltem quàm diuturnum illius vitæ tempus fuerit, indubiè licebit colligere.

III. Primam igitur huius rei probationem ab iis exordientes, qui quadrata Caputia geſtarunt; eorúmque memoriam nobis, ipſis Caputiis teſtatam reliquerunt; breuiter huc reuocanda ſunt, quæ in ſecunda Teſtimoniorum Claſſe Quartæ Demonſtrationis, fuſiùs proſequuti ſumus: Vbi à B.Franciſco inchoantes, eorum ſeriem, & Cathalogum texuimus; qui quadrata Caputia, variis Orbis temporibus, ac diſtinctis locis, velut certa antiquæ veritatis monumenta, poſteris conſignarunt. His verò Caputiorum Teſtimoniis hîc conſultò præteritis, quæ B.P.Franciſco, ac Sociis contemporanea, certam nobis illorum temporum fidem commendant: B.Simeonis à Collazzone, qui circa annum Dom. 1239. ex humanis migrauit, quadratum Caputium Spoleti cuſtodiri diximus. Aliud Hiſpelli B. Andreæ Hiſpellenſis, qui anno 1270. etiamnum inter mortales vitam ducebat. Aliud B.Philippi à Monte Ilcino, qui cũ anno Domini 1279. in Cælũ conceſſiſſet, ſexto ſcilicet, vel ſeptimo poſt D.Bonauenturam anno, corporis, & quadrati Caputii exuuias in eodem Montis Ilcini Oppido depoſuit. Aliud quoque B. Raynerii Biturgienſis, qui anno Domini 1304. poſt S.Ludouicum Tholoſanum Epiſcopum, vitam meliorem aſſecutus eſt: quadratum Caputium Biturgiæ aſſeruatum commemorauimus. Poſt hæc duo quoque alia quadrata Caputia: vnum videlicet B. Conradi Offidani, alterum B.Ioannis Lauernicolæ, in Sacro Aluerniæ Monte, religiosè repoſita eſſe admonuimus: ex quibus prior circa annum Domini 1306. Poſterior circa 1322. integra ferè poſt S.Franciſcum annorum centuria, ex hac luce ad puriorem migrarunt.

IV. Huc vſque quadratorum Caputiorum, quæ nobis perſpecta ſunt, integra monumenta peruênere: quæ quadrati Caputii vitam hactenus in toto Ordine incolumem extitiſſe, extra omnem dubitationem affirmant. At verò depictæ Imagines, quæ poſt hæc Orbis tempora, pleriſque in locis conſpiciuntur, procul dubio diuturniorem fuiſſe indicant. Etenim poſt annum 1322. quem poſtremum Caputiorum reliquiis præſcripſimus; quædam Fratris Minoris Imago, quadratum Capu-

tium gerens,Senis apud Minores Conuentuales, in Clauſtro cernitur, quæ Pictoris nomen,ac Picturæ tempus hac inſcriptione præſefert. *Ambroſius Lorenzetus Pictor Senenſis,fecit anno Domini* 1335.Alia quoque minùs antiqua Interamnæ in Eccleſia S.Pauli,non longè ab Vrbe, B.Virginem paruulum Ieſum geſtantem; ac B.Franciſcum Capucino ſimilem,ipſius pedibus adgeniculatum,in tabula profert, hoc Pictoris, & anni titulo. *Petrus Ranucius Spoletanus pinxit,anno Domini* 1366. menſe Septembri. Tres præterea Fratrum Minorum Imagines,Capucinorum habitum geſtantes; Reginopoli, inferioris Bauariæ Vrbe, tribus ſepulchris lapideis; quæ apud Minores Conuentuales,in ipſo Monaſterij Clauſtro, ſolo effoſſa pedibus teruntur, inſculptas reperias. Prioris ſepulchri lapis, ſua inſcriptione annum 1372.indicat: Secundi,annum 1388. Tertii,annum 1390. Quamquam verò his recẽtior,in Senenſi Vrbe,apud Fratres S.Dominici;in Sacello illius Eccleſiæ,quod Guelforum Familiæ eſſe dicitur, Fratris Minoris Imago aſpiciatur, quadratum Caputium præſeferentis;cuius inſcriptio eſt: *Opus Ioannis de Senis* 1447.Integram tamen quadrati Caputii formam,ad 1400. duntaxat circiter annum perueniſſe, haud leues certè rationes mihi perſuadent;quas in Nona Demonſtratione,quæ de Caputii quadrati mutatione inſtituenda eſt,examinandas differimus.

V. Cæterùm perfectam quadrati Caputii ætatem,vſque ad præfatum,plus minuſve annum,prouectam fuiſſe,ipſæ Gullielmi Farinerii Conſtitutiones,quæ anno 1354. in Generali Capitulo Aſſiſij celebrato,editæ fuerunt, non obſcurè confirmant: in quibus cùm eadem prorſus, quæ priùs à S. Bonauentura, circa Caputium ſancita fuerant,renouata habeantur: nihil in quadrati Caputii forma immutatum fuit:ſed longior duntaxat Caputii quadrati menſura contrahitur;vt ex ipſa Conſtitutione patet,qua ita ſancitur.Caputium tali modo fiat,quòd exiſtens in capite,Cingulum vltra duos digitos non excedat. Verùm cùm hæc vberiùs in Nona Demonſtratione pertractanda ſint: hinc tantùm colligere liceat, quadrati Caputii annos (quamquàm de iis certum quicquam ſtatui minimè queat) vſque ad 1400. circiter annum effluxiſſe.

## DEMONSTRATIO VIII.

### *An auctoritate alicuius Pontificis, aut Capituli Generalis,forma Caputij quadrati, aut pyramidalis ſublata fuerit.*

I. QVORVNDAM opinio fuit:quadrati,ſiue pyramidalis Caputij formam, Ioannis XXII.Pontificis Conſtitutione,ne dum ſublatam,verùm & anathemate percuſſam fuiſſe. Cuius rei eam cauſam fuiſſe ferunt:quòd cùm huius Pontificis tempeſtate,opera Ludouici Bauari Imperatoris,qui ab eo excommunicatus fuerat, & ab Imperio depoſitus;ſchiſma in Eccleſia excitatum eſſet, (Petro quodam Corbario,qui Nicolai V.nomen aſſumpſerat, in Petri Sedem Romæ intruſo) in eo Michaël Cæſenas,Minorum Ordinis Generalis Miniſter;ob quoſdam de Chriſti paupertate errores,quibus is tenaciùs adhærebat; iubente Pontifice, ab officio depoſitus, ad Bauarum transfugit: atque illius, ac conſequenter Intruſi partes cum aliis (paucis tamen) Ordinis Fratribus,qui eum ſequuti fuerant,tueri cœpit. Ea re grauiter Pontificem commotum,Conſtitutione, quæ incipit: *Dudum.* Data Auenioni, Anno 1330.eundem Michaëlem Hæreticorum fautorem, manifeſtúmque Hæreticum,ac Schiſmaticum,cum ſuis Aſſeclis declaraſſe ferunt.Ac præterea,cùm Michaël cum Aſſeclis, antiquum,ac cõſuetum Religionis habitum indutus extra Religionẽ vagaretur,præcepiſſe;ac ſub diuini anathematis pœna interdixiſſe;ne quis de cætero quadrato Caputio vteretur: cuius loco rotundum Caputium cum Lunula, & Scapulari toto Ordini præſcripſerit. Hanc ſententiam tradit Franciſcus à Coriolano Capucinus, in ſuo Breuiario Chronologico, anno 1225.& 1228. qui malè in eam,totam Capucinorum Religionem, conſtanti Traditione conſpirare affirmat; cùm vix vnum, aut alterum ei fauentem proferat. Hæc ſententia cùm nullo,aut probatæ veritatis, aut rationis pondere fulciatur, ſeipſa ruit; grauique

Coriolan. Breu. Chronol. ann. 1228. & 1225.

falſi



falſi ſuſpitione laborat. Nam in primis nullam Ioannis XXII. de hac Caputii mutatione Bullam, aut præceptum extare certum eſt:neque apud poſteriores Pontifices, neque apud antiqua Ordinis monumenta,vlla illius memoria vnquàm ſuperſtes fuit; quibus altum,ac perpetuum ſemper fuit de hac re ſilentium. Quòd ſi res ita accidiſſet; an non rei ipſius grauitas id poſtulare videbatur:vt ſcriptis exarata,ſaltẽ inter Ordinis monumenta relata fuiſſet?Equidem non inficior,per extrauag. *Dudum.*quæ habetur apud Eymericũ in Directorio Inquiſitorũ; Excõmunicationem in Michaelẽ,& Aſſeclas,tanquam Hęreticos à Ioanne XXII.latam fuiſſe: quicquam tamen ab eo in quadrato caputio, quod eo tempore Minorum Familiæ commune erat; immutatũ,aut præceptum fuiſſe; hactenus neque ex ea Pontificis Conſtitutione,in qua nulla de Caputio mentio fit; neque apud Sacros Canones; neque apud vllos Hiſtoricos conſtat. Quo fit, vt hæc ſententia nihil prorſus à Ioanne XXII. neque ab alio Pontifice ſolidum hauriat, quo ſeipſam defendat.

Direct. Inquiſit. 2.p.9. 15.& 16.

II. Alij tamen id ex altera eiuſdem Ioannis XXII.Conſtitutione,quæ incipit: *Quorundam exigit,* &c. quæ habetur inter Extrau. cap. 1. de Verb. ſignif. in 6. aſſerere conantur:At neque hi ex ea quicquam ſibi vendicant.Ea enim Conſtitutione Pontifex;vt ex argumento illius capitis, & ex Bullæ contextu, conſtat; quoſdam tantùm Fratres Congregationis Narbonenſis,qui ſub arctioris obſeruantiæ prætextu, ſtrictos habitus,ac breuiora Caputia, quàm Ordinis tunc conſuetudo ferret; pro arbitrio,abſque Pontificis licentia ſibi aſſumentes, ſchiſma in Ordine concitabant; atque à Generalis ſe obedientia abſtrahebant,reprehendit:illoſque ſub Excommunicationis pœna,ab ea Habitus nouitate recedere; totique Ordini ſeipſos conformare;ac demum Generali Miniſtro obedire cogit:Cuius,ac aliorum Ordinis ſuperiorũ arbitrio relinquit de Veſtimentorũ vilitate,ac nõnullis;aliis ad paupertatem ſpectantibus iudicare.Cùm autem eo tempore in toto Ordine Caputij accuminati vſus vigeret:tantùm abeſt; vt ea Conſtitutione Caputij quadrati, ac pyramidalis vſus ſublatus fuerit; quòd illa magis confirmatus fuit;eo duntaxat conſtituto; vt qui vel ſtrictiores Habitus, vel breuiora Caputia quadrata gerebant; ſeipſos ad aliorum formam componerent,qui & laxioribus Habitibus, & longioribus Caputiis quadratis vtebantur. Sic enim in ea Conſtitutione legitur.

De Verb. Signif. in 6. c. 1.

III. *Ideoque omnes, & ſingulos Fratres antedicti Ordinis Minorum, qui ſtrictos,curtos, ac difformes Habitus, ab ipſius Generalis Miniſtri, & aliorum de dicta communitate,Habitu coram nobis, & Fratribus noſtris, & aliis in Romana Curia detulerunt, vel deferunt: monemus, & hortamur in Domino: eis nihilominus in virtute S. Obedientiæ, & ſub Excommunicationis pœna, per Apoſtolica ſcripta mandantes; quatenus ad mandatum ipſius Generalis deponant, quos deferunt, habitus: & aliis iuxta eiuſdem Generalis arbitrium, determinationem, ſiue iudicium (vt ſupra prædicitur) induantur; ipſique Generali in omnibus iſtis, & aliis, & per omnia ſecundùm B. Franciſci Regulam, & prædictas prædeceſſorum noſtrorum Declarationes, Conceſſiones, & Commiſſiones in ipſis Declarationibus comprehenſas, & noſtras contentas in præſentibus humiliter obediant, pareant, & intendant.* Verùm id apertum errorem euincit, quòd hæc Bulla decenniò ante Michaëlis Cæſenatis ſchiſma,eo poſtulante, à Pontifice edita fuit:quo pacto igitur in ipſius odium lata eſſe creditur?

Quorũdam exigit de verbor. ſignif. in 6.

IV. At neque ea opinio rationi,poſterioriq; rerum ſtatui ſatis conſentanea videtur: quamquam enim Frater Michaël Cæſenas, cum nonnullis ſui erroris aſſeclis, ad Ludouici Bauari,ac Antipapæ partes tranſierit: ij tamen pauci admodum fuerunt, ac breui ferè omnes,præter Michaëlem, & paucos, ad Põtificis obedientiã redeuntes,ſchiſmatis maculam abſterſerunt. Quo fit, vt cùm nec diutiùs, nec omnes in ſchiſmate permanſerint:haud credibile ſit, Põtificem tam leuiter Ordinem ad Habitus mutationem compuliſſe. Addo,quòd poſt Michaëlis,& Aſſeclarum ſchiſma, immò & poſt ipſius Põtificis mortem,vigeſimo circiter anno:Generale Capitulum Perpiniani,ſub Gullielmo Farinerio Generali celebratum fuit;anno videlicet 1354. in quo antiqua Ordinis Statuta,olim à S. Bonauentura edita, de Caputij, quod pyramidale fuiſſe conſtat, menſura vltra cingulum longiùs,quàm duobus digitis non extendenda,refricata fuêre; quod planè apertum teſtimonium eſt, nullam à

 Ioanne

Ioanne X X I I. Caputij pyramidalis mutationem factam fuiſſe. Neque enim poſt
Pontificis decretum, aut latam in quadratum Caputium excommunicationem, Fa-
rinerius, aut Generale Capitulum illud Conſtitutione confirmaſſet. Cùm verò hæc
Farinerii Conſtitutio à Martino V. Pontifice, qui poſt 1400. annum Pontificatum
geſſit, confirmata fuerit: id ſanè extremo gladio hanc ſententiam iugulat; ne inco-
lumis, aut ſuperſtes diutius eſſe poſſit.

Huius Farinerii, ſeu potiùs S. Bonauēturæ Conſtitutionis, priùs meminerat huius V.
ſententiæ aſſertor; ex qua pyramidalis Caputii probationem hauſerat: mirum, quòd
hîc in ſeipſum impingat, ac Ioanni X X I I. Caputii pyramidalis internecionem
tribuat, quod poſt Ioannem adhuc incolume aſſeruerat, anno 1228. fol. 361.

Quod ſi poſteriorem rerum ſtatum perpendimus; is faciliùs adhuc animum ab VI.
hac ſententia reuocat: Etenim ex quamplurimis antiquarum Imaginum monu-
mentis perſpectum eſt: quadratum, ſeu acuminatum Caputium, licèt paulò illo an-
tiquo longius, ac laxius, abſque Scapulari multis, poſt huius Pontificis deceſſum,
annorum luſtris, in toto Ordine floruiſſe. Cùm enim Ioannes X X I I. anno 1334.
diem extremum clauſerit; plurimæ Fratrum Minorum Imagines, poſt id tempus
exculptæ, ac depictæ adhuc integræ extant; quæ huiuſmodi Caputium, velut toti
Ordini commune referunt; quas nos in Superiori Demonſtratione, ſuis quibuſque
temporum ſpatiis aſſignatis, proſecuti ſumus.

[Script. Neapol.]

Vnde igitur ita ſcribunt? *Quia Caputium illum antiquum (detur caſus, quod fue-* VII.
*rit acutum) à Fratricellorum hæreſi pollutum, & maxima temeritate ab eius forma alte-*
*ratum fuit; & ideo à Ioanne X X I I. Ordini ſublatum, & Fratricellis in ſignum hæreſis,*
*ſchiſmatis, & Apoſtaſiæ derelictum, antiquatum, & profanatum eſt. Hæc dicimus, & pro-*
*bamus ex Patre Coriolano Capucino in ſuo Breuiario Chronologico: qui etiam refert ſummum*
*Pontificem ſtatuiſſe; vt ſibi obedientes Caputium rotundum geſtarent, relicto oblongo illo, &*
*pyramidali, quo Michaël, & ſequaces vtebantur.*

Cur tam inani ratione freti; in Caputium, quod cùm à Beato Patre inſtitutum VIII.
fuerit; ſanctum, ac venerandum ab omnibus, præſertim à Filiis haberi debet; tam
acerbè inuehuntur; vt illud in Hæreſis, Schiſmatis, & Apoſtaſiæ ſignum derelictum
eſſe affirment? Qua ratione, quod Deo Auctore in Religione inſtitutum, & à S.
Dei Eccleſia approbatum: antiquatum, ac profanatum eſſe ferunt; cùm nullâ id
ſolida, nedum certa ratione euincant? Vbinam apud Pontificum Bullas; aut qua-
dratum Caputium anathemate percuſſum, ſiue antiquatum; aut rotundum lege
aliqua inuectum oſtendunt?

At eſto. Demus olim Michaelis Cæſenatis hæreſi pollutum; demus antiquatum; IX.
demus profanatum: quod ipſa rei veritas apertè oppugnat: num illud hac tempeſta-
te, ab iis tam graui cenſura perſtringi debuit? cùm Clementis Septimi Pontificis au-
ctoritate, & Eccleſiæ Iudicio, Capucinorum Ordini reſtitutum; atque ampla Bulla
conſecratum, ac tot poſterioribus Pontificum Bullis celebratum fuerit? ſi à Capuci-
norum Religionis, illis minimè lubet ſe, calumnia temperare: cur ſaltem S. R. E. non
parcunt; cuius auctoritatem, ac poteſtatem conuellunt? Quis enim profanum, &
antiquatum cenſeat; quod publico S. R. E. decreto, velut ſacrum approbatum
fuit? Rem acriùs non proſequor.

Alii quadrati Caputii mutationem ad Vrbanum Sextum referunt; quem in X.
ſchiſmate Clementis VII. Antipapæ: cùm duo Generales Ordinem diſcinderent,
quadratum Caputium in rotundum; adiunctis Lunula, & Scapulari, mutaſſe ferunt:
quo Fratres Minores ſibi adhærentes, ab aliis, qui Antipapæ parebant, dignoſce-
rentur. Hanc opinionem, quæ incerto Auctore vagatur, refert Coriolanus: quam
etiam ob id maximè refellit; quòd nulla de duobus Generalibus eo tempore electis,
in Chronicis mentio fiat; à quibus ſchiſma in Ordine concitari potuerit. Verun-
tamen huic rationi accedat: quòd hæc opinio nullum Pontificis decretum, nul-
lum Scriptorem, nullum Ordinis monumentum, nullum denique teſtem, quæ
veritatis inſignia ſunt; ſibi vendicat. Quo fit, vt cùm omni prorſus veritatis robo-
re deſtituta ſit, ſeipſa dilabatur.

[Franc. Coriolim. Breu. Chronol. Ibidem.]

Quāquā verò quadratū Caputiū, huius Pōtificis Cōſtitutione ſublatū fuiſſe, velut XI.

leue, ac



leue ac improbatū arbitremur, haud tamen pugnamus, quin circa huius ſchiſmatis
tempora, quæ ad 1408. annum acceſſerunt, quadrati Caputij forma ad interitum
properauerit; quemadmodum in ſequenti Demonſtratione fuſiùs exarabimus.

XII. Illud poſtremò certum ſit: nullam vllius Capituli Generalis Conſtitutionem,
nullumque Ordinis Decretum, vllo vnquam tempore extitiſſe; quo pyramidalis
Caputij forma ſublata, aut in aliam mutata eſſe probetur. Addo, quod nec vlla Pon-
tificis Bulla; aut reſcripto; nec generali Ordinis Conſtitutione, aut decreto vllibi
ſtatutum habetur: vt Caputij rotunda forma ſimul cum Lunula, & Scapulari; quæ
modò communis eſt Minorum Conuentualium, & Obſeruantium Habitus forma,
in Ordinem inueheretur: Conſulant Bullas, ac Pontificia Decreta; euoluant Ordi-
nis monumenta; legant, perlegant antiqua Patrum ſtatuta; quæ rotundum Capu-
tium Lunulam, & Scapulare, vel præceſſerunt, vel comitata ſunt: videant, per-
pendant, proferant, ſi quod habent, quo pyramidali extincta, rotunda Caputii for-
ma cum Lunula, & Scapulari, legitima aliqua auctoritate in Ordine inuecta fuerit.
Quòd ſi nihil in eorum ortu legitimum reperire queunt: ſciant profectò, ea ex il-
lius, quod legitimum fuerat, corruptione emerſiſſe.

## DEMONSTRATIO IX.

### *Quo tempore, & qua ratione forma Caputij quadrati, ſeu pyramidalis in Ordine mutata fuerit.*

I. ANtiquum Religionis Minorum Habitum, quoad Caputii formam, olim im-
mutatum fuiſſe, tot præclara antiquitatis monumenta, ac veterū Scriptorum
teſtimonia, quæ hactenus à nobis allata ſunt, tam ſolidè euincunt: vt nulla ratio-
ne id vel negari, vel de eo dubitari poſſe videatur. At quo tempore, quo Auctore,
quavè ratione ea immutatio acciderit; haud facile eſt abſque dubitatione aſſerere.
Alii enim hanc Habitus, & Caputii mutationem D. Bonauenturæ tribuunt: qui cùm
poſt Ioannem Parmenſem, qui ſpontè ſe à Generalatus officio abdicauit, totius Or-
dinis ſuffragiis Generalis electus fuiſſet, anno Domini 1256. in Generali Capitulo,
quod Narbonæ in Gallia, anno 1260. ab eo celebratum fuit; priorem Habitus, &
Caputii formam in alteram, quæ nunc Minorum Conuentualium, & de Obſeruan-
tia communis eſt, Conſtitutione ab eo commutatam volunt.

II. Hanc ſententiam tuetur ex Recentioribus, quidam haud obſcuri nominis Scri-
ptor, multis mihi nominibus venerandus: qui pro ea nonnullos affert Auctores, ni-
mirum Petrum Galeſinum, Raphaëlem Volaterranum, Alphonſum Ciaconium, &
Hieronymum Corteſium: nititurque hoc ipſum ex Speculo Nouitiorum eiuſdem
S. Bonauenturæ colligere.

III. Alii verò id alia ratione aſtruunt: videlicet, quòd in antiquis Ordinis Monu-
mentis traditum ſit: D. Bonauenturam in eo Capitulo, Conſtitutiones, ac Refor-
mationes circa Habitus, & Caputia Fratrum ſanxiſſe: quod etiam Bartholomæus
Piſanus Auctor Conformitatum affirmat. Ex quo tandem id ſibi perſuaſum ha-
bent; his Cōſtitutionibus antiquam Habitus, & Caputii formam fuiſſe immutatam.

IV. Verùm cùm tam multa ſint, quæ contra hanc ſententiā validiſſimè pugnant, quæ
nulla ratione ſuperari poſſunt; ei planè aſſentire nullo modo poſſumus. Pugnāt enim
tot quadrata Fratrum Caputia; pugnant tot depictæ illorum imagines, quæ longè
poſt S. Bonauenturam in Ordine floruerunt, de quibus ſeptima Demōſtratione egi-
mus: pugnant ipſæ S. Bonauenturæ Conſtitutiones, in Narbonenſibus Comitiis edi-
tæ; quæ priorem quadrati Caputii formam confirmant: pugnant denique eadem S.
Bonauenturæ Statuta, à Guillelmo Farinerio poſt nonageſimum annum refricata;
quę nihil à D. Bonauentura in quadrata Caputii forma mutatum eſſe indicant.

[Form. 3. Ord. par. 1. fol. 33.]

V Quod enim ad Auctores ſpectat, quos Scriptor ille haud ignobilis, pro hac ſen-
tentia profert. Galeſinus non quadratum Caputium mutatū, ſed Cucullam à S. Bo-
nauētura adiectā fuiſſe narrat: quo nomine quid indicare voluerit, planè ignotū eſt.

Cucullus

Cucullus enim genus veſtis eſt, vel nauticum, vel paſtoritium ad arcendas pluuias accommodatum: quòd ſi Cucullam in ea ſignificatione accipiat; magis profectò quadratum Capucium confirmat: hoc enim veſtis genus Caputium quadratum habet. At quomodo Cuculla tunc à S. Bonauentura adiecta fuerit, planè intelligi non poteſt. Cuculla; quæ apud Monachos laxior quædam, ac manicata veſtis eſt; qua diuina officia perſoluentes, vtuntur; minus Galeſini ſenſui reſpondet: cùm eam nullo vnquam tempore apud Minores vſu receptam fuiſſe, exploratum ſit. Supereſt igitur, vt Galeſinus Cucullam in eo ſenſu accipiat, quo apud Caſſianum lib. 1. de habitu Monach. vſurpatur. Cuculla enim apud Caſſianum (vt notant Scholia) capitis indumentū eſt, quo Monachi Ægyptij vtebātur. Sozomenus, lib. 3. cap. 13. de eiſdem Monachis agens. *Caput* (inquit) *integumento, quod Cucullam appellare ſolent, operiebant; quo oſtenderent, ſe vitam proinde ſimplicem, atque ſinceram agere; atque pueros lacte nutritos, quorum caput eiuſmodi thiaris obuoluitur, vt tegatur ſimul & foueatur.* Addit Nicephorus, lib. 9. c. 14. tegmen illud acuminatum fuiſſe. Iam verò ſi hoc Capitis integumentum acuminatum erat, quomodò inde Auctor ille rotundum Caputium ex Galeſino colligat, ignoro. His accedat, quòd Galeſinus non mutatum Caputium, ſed Cucullam Caputio adiectam fuiſſe tradit: quo profectò indicat, nullam tunc Caputio mutationem accidiſſe: ſed aliquid duntaxat præter Caputium additum fuiſſe; quod ille Cucullam, ſeu Almutium appellat; quod Capitis tegumentum eſt à Caputio diſtinctum. At neque id verum eſt: Nam D. Bonauentura Almutia, ſeu rotūda Caputiola, à Cōmuni Ordinis Caputio diſtincta, haud ſanè in Ordinem inuexit; ſed iam inuecta reperit; vt ex ſpeculo Nouitiorū facilè colligitur, vbi ait. *Vnde nec Almutia palàm extra Caputium religiosè portantur.*

Ioan Caſſ. de Hib. Mon. l. 1.
Sozom. l. 3. c. 13.
Nicephor. l. 9, c. 14.
S. Bonauent. in ſpec. Nouit. c. 25.

VII. At Raphaël Volaterranus, Ciaconius, & Corteſius; & ſi qui alij ſunt huius ſententiæ aſſertores, eam ex Piſani verbis hauſiſſe certum eſt: qui in Capitulo Narbonenſi, nonnihil in Minorum habitu à S. Bonauentura ſtatutum fuiſſe affirmat: ex quo ij Caputij quadrati formam mutatam fuiſſe colligunt. Verum hi toto Cælo aberrant: neque enim S. Bonauentura in eo Capitulo Conſtitutiones condidit, quibus priorem habitus, aut Caputij formam mutaret: ſed potiùs dilabenti modum, ac terminum præſcripſit. Cùm enim Fratrum Communitas, ea tempeſtate, ab inſtituta B. Patris auſteritate exorbitans, iam ad habitus mollitiem, ac amplitudinem declinaſſet; Caputia quoque Monachorum more laxiora, ac vaſtiùs à tergo pendentia ſibi adſciſcerent: ea ſanctus Vir, in ipſo ſui Generalatus initio, reformanda curauit. Quare tantum abeſt, vt S. Bonauentura habitus, aut Caputij formam immutauerit; quòd iam inuectæ potiùs tam habitus, quàm Caputij relaxationi, terminum ſtatuit; ne vlteriùs in peius proficeret. VIII.

Enimverò quis tam Sancto Viro, qui dilabentē Ordinis ſtatum, omnibus, quibus potuit, machinis à lapſu vendicauit; atque ad reformationem, quoad fieri potuit, prouocauit; hanc deformationis maculam inurere audeat? vt eo Autore vera Habitus, & Caputij forma, qua potiſſimùm Minorum Ordo exteriùs ſubſiſtit; primùm in Religione periiſſe cenſeatur? Id porrò cùm abſque cauſa fieri, nulla ratio ferat; quis cauſam excogitare queat, qua is priſcam, atque à B. Franciſco inſtitutam Habitus, aut Caputii formam ex Ordine auellere, atque in aliam commutare deberet? Equidem cùm ſine cauſa, ſine certa ratione, ſine legitimo Auctore, demùm ſine teſte hæc dicantur; miror, quo pacto grauiſſimus Auctor in eā ſententiā deſcēderit.

S. Bonau. in ſpec. Nouit. cap. 25.

IX. Quod verò ex nomine Collarii, de quo agit S. Bonauentura in Speculo Nouitiorum, Auctor ille Lunulam colligit: valde meo Iudicio à Bonauēturæ verbis, ac mente alienum eſt: Id enim ex ipſius verbis conſtat, quum ait: *Indecens eſt, ſi coaptatio præter morem Religionis fuerit curioſa: verbi gratia; ſi Caputij collarium quadam in gyro replicatione, iuxta mundanorum conſuetudinem coaptetur, aut curiosè ipſum replicetur Caputium circa genas.* Ex his enim perſpicuum eſt, non Lunulam, quæ à Caputio diſtincta eſt, & ante pectus pendet: ſed ipſam Caputii largioris circa collum replicationem à Sancto Bonauentura Collarium appellari. Cùm enim largius, ac laxius Caputium tunc à Fratribus geri cœpiſſet; Sanctus Vir curioſam illam Caputii in Collo replicationem damnat, quæ ſæcularium Collare præſeferret;

quo non



qua nonnulli iam vti cœperant. Quo ſanè exploratum eſt, hìc potiùs quadrati Caputij, tametſi amplioris, quàm à B. Franciſco inſtitutum fuerit, formam indicari: ea enim complicatio; ſiue ad collum, ſiue ad genas, rotundo Caputio, quo caput arctiùs vndique obuelatur, minimè coaptari poterat. Adde: Si D. Bonauentura Collarium, quod iuxta huius Auctoris ſententiam, eſt quædam panni in gyro replicatio, ante pectus pendens, apertè damnat: quomodò illius Auctor extitiſſe dicitur? Id tandem confirmant Almutia, quæ tunc à Fratribus vſitari cœperant: quæ dum S. Bonauentura extra Caputium palàm deferri, velut irreligioſum carpit; profectò non rotunda, ſed quadrata Caputia, eaque ampliora fuiſſe demonſtrant. Ibidem.

XI. Alij verò hanc Caputij mutationem Ioanni 22. Alij Vrbano VI. adſcribunt, quorum ſententiam meritò in ſuperiori Demonſtratione, velut improbatam, ac rationi minùs conſentaneam reiecimus. Supereſt; vt, quo tempore; quavè ratione ea mutatio accidere potuerit, diligentiùs exquiramus.

X. Antiquam Caputii formam, neque certo tempore, neque repentè totām ſimul immutatam fuiſſe, pluribus argumentis mihi perſuadeo. In his primum argumentum, ex omnium veterum Hiſtoriographorum conſenſu ducitur: qui, nemine prorſus diſcrepante, in arctiſſimo, ac perpetuo huius rei ſilentio ita conſpirant: vt nec ex Hiſtoricis quemquam, aut inter Ordinis monumenta ſcriptum, aut traditionem reperias; quæ, quo tempore, aut quo Auctore, hæc antiqui Caputii mutatio in Ordine primùm inuecta fuerit, apertè doceat. Certè Caputium à priori immutatum fuiſſe, totius Orbis vox eſt; ac res ipſa clamitat: quando verò, aut qua ratione id factum fuerit, ne vnius quidem ſonus auditur. Quòd ſi ea Caputii mutatio certum, ac præfixum in Orbe tempus haberet: quidni certum quoque, vel in Orbe Scriptorem, vel in Ordine monumentum, ſibi vendicaſſet; quo tanti ponderis res ab interitu ſeruaretur.

XI. Aliud verò argumentum, ab ipſa rei veritate hauſtum, id euidentiùs probat. Siquidē experientia ipſa, quæ rerū magiſtra eſt, id omnibus priora tempora, ac temporum periodos inſpectantibus manifeſtè conſtat; Caputium ſua mutationis, ac corruptionis tempora habuiſſe; quibus ſenſim ad integram formæ iacturam conceſſit. Nam vna quidem Orbis tempeſtate: integra, ac ſartatecta manente ſuæ inſtitutionis forma, paulatim in ampliorem menſuram ſe extendit. Altera verò poſterioris Orbis ætate, ſeruata adhuc prioris quadraturæ ratione; Caputium in eam amplitudinem, ac longitudinem emerſit: vt eo capiti impoſito, ipſius latera ad vtrumque humerum ſe extenderent, & acumen Cingulo longiùs ſe protenderet. Cùm verò pannus, quo tunc Caputia fieri cœperunt, ſubtilior, ac exilior eſſet: atque vndique circa collum criſpatus: inde fiebat; vt tubera quædam ex Caputio circa collum prominerent, ex quibus Collaria illa curioſiùs componebantur, quæ à S. Bonauentura (vti explicatum fuit) reprehenduntur. Ea verò, cùm ex Caputii amplitudine paulatim excreſcente, ſub mento fluere cœpiſſent; eò tandem ventum eſt, cùm ea Caputii amplitudo iam faſtidium pareret; ac brumali tempore minùs caput, & collum à frigore tueretur; Collare in Lunulam, Caputium in Scapulare, Almutiumque in rotundum Caputium commutatum fuerit: Fratreſq; prioris quadrati Caputij formam abiecerint. Quō fit, vt quibuſdam velut gradibus (quæ cæterarum quoque rerum conditio eſſe ſolet) Minorum Ordo, ad integram antiqui Caputii corruptionem, & iacturam deſcenderit.

XII. Id verò ne fruſtrà, aut gratis perſuadere videar. Priora illa S. Bonauenturæ tēpora nobis primo loco percurrenda ſunt; quibus Minorum Religio ab inſtituta, tum Regulæ obſeruantia, tū Habitus forma declinare cœperat. Hìc porrò illud velut certū ac fixum ſtatuimus: S. Bonauenturam, qui anno 1256. (vt diximus) prima Ordinis gubernacula regenda ſuſcepit; Religionis ſtatum, quoad Habitus, & Caputii menſuram: nonnihil à priori exorbitantem reperiiſſe: ita vt in Generali Capitulo, quod Narbonæ, quarto poſt anno coactum fuit; Conſtitutiones ediderit, quibus eā Habitus, & Caputii menſurā præſcripſit: vt Habitus amplitudine 18. palmorū latitudinē non excederet: tantæ verò longitudinis eſſet; vt præcinctus, non ampliùs, quàm duorū digitorū menſura, ſupra funis Cingulum complicaretur. Caputia verò longitudine

Cingulum

Memor.Ord tract.1. f.68. Cingulum non excederent. Hanc Conſtitutionem refricauit Guillelmus Farinerius Generalis Miniſter anno 1354. in Capitulo Aſſiſij celebrato. Quo fit, vt iuxta S. Bonauenturæ, & Guillelmi Farinerij Conſtitutionem, hic Fratris Minoris habitus, & Caputium eſſe deberent; quæ ſubiecta pictura demonſtrat: quæ laxiorem illius tempeſtatis, & Habitus, & Caputij formam fuiſſe declarat.




EX quo planè conſtat, eum morem iam ab eo tempore, in Ordine communi Ordinis relaxatione irrepſiſſe: vt Habitus circa lumbos præcincti deferrentur; XIII.

ac tantæ



ac tantæ longitudinis eſſent, vt ſubcincti, complicatione non ſolum Cingulum obtegerent; verùm & longiùs à Cingulo fluerent: & Caputia tam oblonga geſtarentur; vt ipſo etiam Cingulo inferiùs penderent; quæ propterea D. Bonauentura Conſtitutione contrahenda curauit. Hinc facilè perſpicuum fit: cur tot S. Franciſci, S. Antonij, ac S. Ludouici Icones, hoc præſertim tempore depictæ: quorum nos multas ſuperiùs commemorauimus, & Habitum præcinctum, & Caputium vſque ad Cingulum protractum gerant. Hæ ſiquidem, & primum hunc corruptionis gradum indicant; & defluentem Caputij, & Habitus antiqui formam, velut digito demonſtrant.

XIII. Præclarum huius rei ſimulacrum explicant, nonnullæ S. Franciſci Imagines: quæ Eporediæ, quæ Vrbs eſt Galliç Subalpinç, apud Fratres Min. Cōuentuales cernūtur: quarum prima extra Eccleſiæ valuas, in perantiquis quibuſdam Eccleſiæ foribus, muro occluſis, quæ nunc Conuentui adhærent; inter fores, & ſuperiorem fornicem depicta conſpicitur: quæ B. Franciſcum Habitu vili, neglecto, anguſto, rudique indutum; ac præterea Caputio non tam oblongo, vt ad infimas vſque Scapulas defluat: ſed contractiori, quale Capucinorum eſſe ſolet, depictum refert. Aliæ verò in Eccleſia ſparſim conſpiciuntur, laxiori Habitu, ac Caputio vſque ad infimas Scapulas, & ampliùs demiſſo; quæ tamen Caputij acuminati, abſque Scapulari, formam retinent. Inter has quædam alia his antiquior, nec tam ſtricti Habitus, aut breuis Caputij, quàm prima: neque in tam laxam Habitus, & Caputij menſuram diffuſa; quales cæteræ eſſe videbantur; velut media conſiſtere viſa eſt. His tādem aliæ tam B. P. Franciſci, quàm aliorum Sanctorum Ordinis Imagines, Scapulari, ac rotundo Caputio, Conuentualium more, exornatæ ſuccedunt: omnium verò cùm varia propemodum Habitus, & Caputij facies ſit, velut gradibus quibuſdam diſtincta: Quid hæc? præterquàm diuerſos, ac ſuccedentes ſibi rerum ſtatus, ac temporum periodos inſinuant; quibus Minorum Ordo non raptim, aut repentè; ſed pedetentim ab antiqua Habitus, & Caputij forma deflexit?

XIV. Primum itaque corruptionis gradum, in antiquum Ordinis Caputium, ſtatim ferè poſt S. Franciſci tempora, paulatim tamen, irrepſiſſe; exiguus ipſe annorum numerus; qui inter ipſius obitum, & S. Bonauenturæ ad Generalatum aſſumptionem interfluxit; qui vix triginta annorum fuit; mihi facilè perſuadet. Anno ſiquidem 1226. cùm S. Franciſcus corruptibilem corporis ſarcinam depoſuiſſet, S. Bonauentura anno 1256. Generalatus officium aſſumpſit. Porrò etſi huic corruptioni S. Bonauentura verbo, auctoritate, ſanctionibus, ac omnibus, quibus potuit, machinis occurreret, ne iam concitatæ illius vndæ vltrà erumperent: vix tamen id obtinere potuit, vt aliquantiſper quieſcerent. At S. Bonauentura ad Cardinalatum aſſumpto; & vix anno poſt Cardinalatum elapſo, ad Cælos ſublato: intumeſcentibus iterum in Ordine Regularis inobſeruantiæ fluctibus, altera in antiquā Habitus formam procella cōmota eſt; quæ eò Caputium rapuit; vt vix ſalua prioris quadraturæ formā, cætera mollitie, amplitudine ac nimia vbertate luxuriaret. Hunc ſecūdum corruptionis gradum indicant, plereque Fratrum Minorum Imagines, quç in Templo S. Mariæ Ciuitatis Bergomenſis, circa annum 1340. depictç cernuntur: quç licèt quadratum Caputium gerant: illud tamen laxius, & ſub Cingulo pendens; ac præterea in his Habitus ſubcinctus conſpicitur, quemadmodum hîc delineata Imago indicat. Quo planè manifeſtum fit: alteram hanc Habitus, & Caputij procellam, iam eo tempore in Ordine exundaſſe.




GEminæ quoque B. Franciſci Icones, quæ in Vrbe Amalphitana religiosè conſeruantur, hunc ipſum ſecundum corruptionis gradum non obſcurè indicant: in quibus & laxior Habitus, & ad lumbos complicatus: Caputium quoque vberius, & ob panni mollitiem, circa collum pleriſque complicationibus diffuſum; ſalua tamen ipſius quadratura, ac pyramidali forma cernitur: quas hîc oculis ſubiicere placuit, vt rei veritas eo magis perſpecta fiat. XVI.





PRimam in ipſa Metropolitana Eccleſia licet conſpicere, quæ omnium opinione antiquiſſima eſt; ex ipſo originali fideliter delineata, & ad nos tranſmiſſa. Cuius hoc eſt ſimulacrum.



ALtera, quæ in Eccleſia S. Franciſci Minorum Conuentualium aſſeruatur; æquè ſicut prior vetuſtiſſima, ac fideliter ex antiquo exemplari exculpta, hanc formam exhibet. XVIII.

*Imago S. Franciſci in eadem Vrbe Amalphitana.*



VTraque verò Imago, publica fide, ac Teſtimoniis munita, anno 1629. ad nos perlata fuit: quę haud dubiũ quin propoſitæ veritatis teſtimonium confirmet. XIX.





Schiſmatis, & Apoſtaſiæ Fratricellis derelictum eſſet: quam profectò rationem, tanquam graui pondere non carentem, haud tacuiſſent; ſi ea auctoritatis aliquid, aut veritatis ſibi aliquando vendicaſſet.

VI. Poſtremò, quòd abſque eorum conſenſu, quin etiam illis renuẽtibus, Caputium Capucinis reſtitutum fuiſſe dicunt. Id quidem veriſſimum eſt; ſed ad Obſeruãtes, non Conuentuales pertinet; cùm in id Conuentuales conſentirent: at cur neceſſe erat, eorum conſenſum ab Eccleſia expectari? cùm minùs æquè tum Caputio, tum Capucinorum Reformationi aduerſarentur.

VII. Alterum porrò controuerſiæ Caput eſt: quo apertè contendunt, Capucinorum Ordinem, præterquàm ex declaratione Pauli V. Pontificis, non eſſe Ordinem Minorum S. Franciſci. Hæc illorum verba ſunt, publico ſcripto exarata. *Quia* (inquiũt) *Capucinorum Ordo non eſt Ordo Minorum S. Franciſci, niſi ex declaratione Pauli V. Summi Pont. vt legi poteſt in eius Bulla: in qua idem Summus Pontifex proteſtatur, in dubium extitiſſe; an prædicti Fratres ſint verè Fratres Minores, vnde decernit. Quamuis tempore S. Frãciſci inſtituti non fuerint, quia tamẽ profitentur B. Franciſci Regulã, poſſunt, &c.* Quã-quàm hæc RR. PP. Conuentualium, & Obſeruantium tam Familiæ, quàm Reformatorum, quos maximè colimus, atque in Domino amplectimur; communis aſſertio, publicè in Iuditio prolata, tam in Capucinorum Ordinem contumelioſa ſit; vt illum extra S. Patris noſtri Franciſci familiam, ac inſtitutionem expellat; in exilium releget; ac Minorum nomine, & titulo, velut hæreditariis bonis ſpoliet. Attamen contumeliis prætermiſſis, quas facilè condonamus: illud tantum iuſto mœrore proſequimur, quòd in Sacri Concilii Tridentini placita, in Clementis VII. Pauli III. Pauli V. ac poſtremò in Vrbani Pontificis, adhuc viuentis, Bullas videntur inſurgere, ac tela iactare: quo fit, vt pro iis tantùm pugnare, nobis propoſitum ſit.

VIII. Principiò igitur, cùm velut certam, ac probatam aſſertionem ſtatuunt: Capucinorum Ordinem, non eſſe Ordinem Min. Sancti Franciſci: Concilii Tridentini in primis doctrinam, ac conſenſum conuellunt: in quo Capucini, Fratres S. Franciſci diſertis verbis appellantur. Seſſ. 25. c. 3. quũ ibi ita ſcribitur. *Concedit S. Synodus omnibus Monaſteriis, & Domibus, tam Virorum, quàm Mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci Capucinorum, & eorum, qui de Obſeruantia vocantur*, &c. vbi ſub Ordine Sancti Franciſci, æquè tam Capucinos, quàm Obſeruantes comprehendit. Quòd ſi Patres, qui de Obſeruantia vocantur, inter veros, ac legitimos S. Franciſci Filios ſe cenſeri volunt; annon & eadem ratione Capucinorum familia, quæ ſub eodem Concilii Canone perſtringitur, Ordo S. Franciſci appellari debet? aut ſi (quod abſque maxima Concilii iniuria præſtare nequeunt) Capucinos à Minorum S. Franciſci Ordine expellunt: quare eodem modo, & Obſeruantium familiam à Seraphica Religione non auellunt? Cùm enim vtrique, S. Franciſci Fratres, æquè à Concilio nuncupentur: æquo etiam aut honore, aut honoris iactura frui debent. Vnde igitur habent, Capucinorum Ordinem non eſſe Ordinem Minorum, niſi ex declaratione Pauli V? Certè quum Bullæ Pontificum, Clementis VII. & Pauli III. qui Paulum V. diuturno tempore præceſſerunt; apertè Capucinos, Fratres Minores, eorúmque Congregationem Ordinem Fratrũm Minorum appellant: eo planè declarant, eos non ab extrinſeca quadam denominatione, ſeu aggregatione, ac ſimilitudine; ſed ſuapte natura ad Minorum S. Franciſci Ordinem ſpectare. Quod enim ad Paulum V. attinet: Is, quod priùs in dubium, vel potiùs calumniam, apud nonnullos Capucinorum æmulos verſabatur, abſtergit: apertiúſque, quod à Concilio, atque à prioribus Pontificibus traditum erat: declarat: nimirum Capucinos, verè eſſe Fratres Minores S. Franciſci. Quod verò addit: *Quamuis tempore S. Franciſci inſtituti non fuerint.* Cùm iuxta legitimum, ac genuinum Pontificis ſenſum, ad ampliorem rei declarationem appoſitum, intelligere deberent: id peruersè interpretati, Capucinos, ex Põtificis declaratione, à B. P. Franciſco minimè inſtitutos autumant: quod à Põtificis mente prorſus alienũ eſſe cõſtat: is namq; horũ verborũ ſenſus eſt: quòd Capucinorũ Congregatio (quatenus Religionis corpus eſt, à Conuentualiũ, & Obſeruantium corporibus diſtinctum) Cõcil. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.

tempore S.Franciſci inſtituta non fuerit;quemadmodum nec ipſe Patrum Obſeruantium Ordo: qui B. Franciſco poſterior fuit: Sicut enim hi è Conuentualium Ordine,qui primus à B.Franciſco inſtitutus fuit; per Reformationem poſtea, velut rami emersêre: ita & Capucini ex Obſeruantium familia, deinde velut noua Ordinis propago, exordium ſumpſerunt. Nec tamen quiſquam inficiari poteſt: vtrumque tam Obſeruantium,quàm Capucinorum Ordinem à Sancto Franciſco; licèt non tẽpore S.Franciſci,inſtitutũ fuiſſe.Par ſiquidem in vtriſque ratio militat.

IX. Dicant amabò,qui Capucinos à legitima S. P.Franciſci ſobole diſſectos volunt; num vera Ordinis Succeſſio à tempore; vel à legitima ſobolis propagatione cenſenda ſit. Si eam (vt volunt) tantummodò à tempore venantur: omnem profectò non modo Ordinis, ſed etiam Eccleſiæ Succeſſionem è medio tollunt. Vnde enim veros Sacerdotes,veros Epiſcopos,veros Pontifices nunc Eccleſia haberet;ſi eorum Succeſſio à tempore duntaxat;quo primi illi à Chriſto inſtituti ſunt,iudicãda eſſet? An non veri in Eccleſia Sacerdotes,veri Epiſcopi,veri Pontifices periiſſent;ſi temporis tantum ratio veram Succeſſionem præſcriberet? Quis enim eos,qui modò in Eccleſia florent; aut Sacerdotes, aut Epiſcopos,aut Pontifices: ſeu Chriſti tempeſtate extitiſſe; ſeu à Chriſto inſtitutos eſſe cenſeat? cùm tot inter eos, & Chriſtum mortalem, ſæcula interceſſerint. At veram Eccleſiæ Succeſſionem,præſertim,quæ primam illam Chriſti inſtitutionem ſequuta eſt; non ex tempore; ſed ex legitima Ordinatione, quæ ab iis manat, qui legitimam ordinandi poteſtatem nacti ſunt, cenſeri; Catholicæ Fidei dogma,ac doctrina eſt.

X. Hoc pacto,& vera cuiuſque Ordinis Religioſi Succeſſio,ac propagatio accipienda eſt. Neque enim,qui ab ipſo Ordinis Auctore,olim in Religione conſcripti fuerunt; vera tantummodò Ordinis ſoboles putandi ſunt:alioquin ij, qui poſt ipſum ad Ordinem acceſſiſſent,inter ſpurios Ordinis filios relegandi eſſent:atque ita fieret,vt qui ſe modò ſolos,ac legitimos S.Franciſci filios eſſe gloriantur;ſuamet ſententia ſe illegitimos iudicarent. At abſit, vt illos minùs legitimos putemus: cùm enim vera Ordinis ſucceſſio per legitimam propagationem fiat; quotquot ab iis, qui legitima in Ordine poteſtate fruuntur,per Votorum Religionem in Ordine incorporantur;hos inter legitimam S. Franciſci Sobolem omnium calculis computandos cenſemus: tametſi longiùs ab Inſtitutoris tempeſtate abſint. Quapropter, cùm Capucinorum Ordo,legitimam hanc ſucceſſionis lineam,ſibi ab exordio vendicauerit:quum ab iis ſuæ propagationis originem ſumpſit,qui inter B. P.Franciſci filios,Regulæ profeſſione computati,legitima ad Sobolem propagandam auctoritate fulciebantur; abſque calumnia à vera S.Franciſci Sobole expelli non poteſt.

XI. Addo: quòd ſi ex tempore, vera tantùm Succeſſio ſpectanda eſſet:ipſa quoque Ciuilis ſucceſſio,quæ inter homines legitima,ac immota haberi ſolet,ab hominum genere auelleretur. Qui enim vel in temporalium Regnorum,vel in Ciuili cuiuſque ſtirpis ſucceſſione,legitimi ſucceſſores haberi volunt: haud neceſſe eſt, vt ab ipſo generis ſtipite temporis immediatione fluant:ſed vt antiquã Maiorum lineam, nunquam interruptam repetant, ſatis eſſe cunctis perſpicuum eſt;ex quibus ij legitimam originẽ duxerunt:alioquin totũ hominum genus confunderetur: Fruſtraque leges de hæreditatibus legitimè adeũdis ſtatuerẽtur. Quin etiã & ipſa Chriſti ſecundum carnem propago, fruſtra ex Dauidis ſemine ducta ab Euãgeliſtis deſcriberetur: ſi ij duntaxat,qui ex Dauidis ſemine priores,ipſa temporis prioritate, propagati ſunt, intra Dauidis ſtirpem concluderentur. Ita profectò & in Ordinum ſucceſſione fieri exiſtimandum eſt: vt non;qui primæua tantum origine ab eo fluxerunt,qui Ordinis inſtitutor fuit,legitimi Ordinis filij ſucceſſores habeantur:ſed ij quoque inter legitimos iure optimo cenſeantur; qui longa etſi annorũ intercapedine,ab Ordinis Inſtitutore diſſiti:ab eo tamen antiqua,ac nunquam interrupta Religionis,ac profeſſionis linea ſucceſſionẽ habent. Quanquam (ſi verũ fateri licèt) ij veri dũtaxat,ac legitimi S.Franciſci filij habẽdi ſint;qui illius perfectè Regulam obſeruant,ac S.Patris virtutũ veſtigia ſectãtur. Neque enim,teſte Saluatore,ex carnis,& ſanguinis;ſed ex virtutũ proſapia,ſpiritualis,ac Religioſa propago cẽſẽda eſt.

XII. Verùm alio quoq; argumẽto, ex ipſis Põtificiis Cõſtitutionib⁹ hauſto,ſupremum





XX. Excreuit hæc corruptionis procella,his adhuc repagulis concluſa,vſque ad annum 1400. vel vt alij volunt,vſque ad Martinianas Conſtitutiones;quæ editæ fuerunt,anno 1430.apertúmque Caputio naufragium minabatur. Nam etſi intermedio tempore, primùm Michaël Cæſenas Generalis,anno 1317. literis ad Prouinciales Miniſtros miſſis, iterum Sancti Bonauenturæ Conſtitutiones circa Habitus, & Caputij menſuram editas, refricaſſe videatur: cùm tamen rudes, ac neglectos Habitus,necnon breuiora Caputia omni ſtudio perſecutum fuiſſe,donec ea ab Ordine expungeret,ex facto Narbonenſium exploratum ſit; quos auctoritate Ioannis XXII. antequam in ipſius odium incideret,extinxit. Poſt Michaëlem quoque Gullielmus Farinerius, anno 1354. cùm eaſdem Conſtitutiones ſanxiſſet, nihil præterquàm naufragij inducias aſſequutus eſt. Nam poſt Gullielmum, percrebreſcentibus iterum carnis, & ſanguinis procellis; tanta ſenſim antiqui Habitus, & Caputij in totum Ordinem mutatio inuecta eſt: vt Martinianis Conſtitutionibus non obſtantibus, circa annum 1400. vel 1430. prior illa, & antiqua tam Habitus, quàm Caputij forma à B.Franciſco inſtituta, apertè in naufragium ruerit; & quadrati Caputij loco, Scapulare, ac pectoralis Lunula, cum rotundo Caputio coniuncta ſucceſſerit; quemadmodum ex Reginopolitanæ Vrbis figurarum teſtimonio demonſtrari poteſt.

XXI, Nam præter geminas illas D. Franciſci, & D.Ludouici ſtatuas, quas in Eccleſia Fratrum Minorum Conuentualium, Reginopolitanæ Vrbis inferioris Bauariæ, contineri paulò ante enarrauimus:ſi in Clauſtrum Monaſterij,quod Eccleſiæ proximum eſt, pedem efferas: octo non minus ſepulchra ſolo effoſſa offendas; marmoreis operculis obtecta;quæ Fratrum ſepultorum Imagines,non alio,quàm communi tunc Ordinis habitu,& acuminato Caputio,lapidi inſculptas,præſeferunt.

XXII. Primi Sepulchri lapis hanc temporis inſcriptionem gerit. Anno 1311. Secundus. Anno 1316. Tertius. Anno 1321. Hæc quidem tempora Ioannis XXII. Pontificis obitum præcedunt. Verùm S. Bonauenturæ temporibus multò poſteriora ſunt. Quæ verò hîc ſequuntur,longiùs quidem à D.Bonauenturæ, propiùs verò à Ioannis XXII. exceſſu diſtant.

XXIII. Quarti igitur Sepulchri lapis hunc annum indicat, 1335. Quinti,annum 1357. Sexti,annum 1372. Septimi,annum 1388. Octaui,ac poſtremi,annum 1390. Id verò leuiter prætereundum non eſt: quòd cùm poſt hæc ſepulchra, alii quoque Fratrum tumuli eo ordine ſtrati ibi reperiantur; in quibus defuncti Fratres,in lapide inſculpti, rotundum Caputium ſimul cum Scapulari geſtant: iis tamen annus inſcriptus,ab anno 1400.inchoat: ex quo id planè videtur colligi poſſe;antiquã Caputii formam,circa hunc annum 1400.immutatam fuiſſe. Cui & illud planè ſuffragatur,quòd cùm vix vllam ante id tempus,S.Franciſci,aut alterius Fratris Minoris Imaginem,Scapulari ac Lunula donatam conſpicere liceat; quæ poſt eam tempeſtatem vel depictæ, vel inſculptæ reperiuntur; ferè omnes rotundum Caputium, ac Scapulare præſeferunt. Atque hæc de quadrati Caputii mutatione, atque interitu ſatis dicta ſint.

## Demonstratio X.

*An Capucini, quibus Forma Quadrati Caputij à Clemente VII. Canonicè reſtituta fuit, ſint verè Fratres Minores, à B. P. Franciſco inſtituti.*

I. Geminas hæc Demonſtratio,quæ nobis poſtrema eſt,Quæſtiones explicandas complectitur. Prima eſt: An quadrati Caputii forma Canonicè,id eſt,obſeruata iuris regula,à Clemente VII. Pontifice Capucinis reſtituta fuerit. Altera. An Capucini Fratres, inter Fratres Minores à B.Franciſco inſtitutos, recenſeri debeant. Vtrámq; quæſtionem mouent nonnulli recentiores,qui in cauſa ſtatuæ argenteæ,quam Vrbs Neapolitana B. Antonio Vlyſſiponenſi,velut Patrono dicãdam parabat:publico ſcripto,Franciſco Boncompagno, S. R. E. Cardinali,& Archiepiſcopo Neapolitano oblato, contendunt. Primo: Quadratum Caputium, quod à

Ioanne XXII. Pontifice perperam anathemate percuſſum ferunt; nunquam ab Eccleſia Canonicè Ordini Minorum reſtitutum fuiſſe. Eorum ratio eſt. *Nam Canonica reſtitutio* (inquiunt) *ſit per omnium incedentium examinationem, & ei, cui aufertur. At id nunquam factum eſt, immò renuentibus nobis, qui ſumus verum Franciſcanum corpus. Non enim ab Eccleſia Catholica poterat noſtra Religio petere, quod ſemel, tanquam ſignum ſchiſmatis, ei ablatum fuerat.* Iam id illis reſponſum fuit: quadratum Caputium nullo vnquam anathemate percuſſum fuiſſe: id enim tanquam à ratione, ac veritate alienum, piæ aures omnes audire horrent: ſed ſenſim dilapſum fuiſſe, ante hac demonſtrauimus? Illud verò Congregationi Capucinorum; (quæ & ipſa, verus Ordo Minorum Sancti Franciſci cenſenda eſt;) à Clemente 7. Pontifice diuino conſilio reſtitutum, & reſtitutionem à Paulo 3. demum à Tridentino Concilio confirmatam eſſe, res cuncto Orbi perſpicua eſt. Quapropter videant: num Canonicum illud cenſendum ſit; quod ingeminatis Bullis, & publico Generalis Concilij conſenſu, atque auctoritate approbatum eſt. Perpendant, amabò: num æquum aut legitimum ſit, Pontificũ, ac Conciliorũ authoritatẽ, ac decreta in diſcrimen, & examẽ vocare?

II. Rationem audio, ob quam Caputium Canonicè minimè reſtitutum eſſe obtendunt: quia nimirum, Canonica reſtitutio per omnium incedẽtium examinationem; & ei, cui aufertur, fieri debeat: at id nũquam factum eſſe aiunt. Demus interea huic rationi locum, quem tamen illi mox iuſtè denegabimus. Si qua ratione id nunquam factum fuiſſe quærant, ea profectò eſt: quòd Caputium à B. Franciſco inſtitutum, nunquam Eccleſiæ auctoritate ſublatum, anathematizatũ, profanatũ, aut antiquatum fuerit. Vbi enim nulla ob delictum priuatio præceſſit: nulla quoque, ad reſtitutionem, cauſæ examinatio fieri debet. Hinc validum aduersùs eos argumẽtum colligimus, qui primum S. Franciſci Caputium, ab Eccleſia antiquatum fuiſſe tradunt. Nam ſi ſemel Eccleſiæ auctoritate, Caputium à B. Franciſco inſtitutum, Ordini ſublatum fuiſſet; aliqua in Clementis Pontificis Bulla, iuxta antiquum Romanæ Curiæ morem, de eo mentio facta eſſet. Cùm verò illius priuationis, ſeu Anathematis, nulla prorſus in ea memoria fiat: inde exploratum eſt, ea penitus fictitia eſſe, quæ de huiuſmodi Caputij anathemate commemorantur.

III. At eſto: Anathemate illud percuſſum fuerit. Hîc ego horum Patrum fidẽ, ac prudentiam requiro: petóque: num æquũ, aut neceſſariũ eſſe ſentiant: Eccleſiam, quæ ſumma in Terris poteſtate fruitur; in his, quæ ad gratiam, ac munificentiã ſpectant, cauſæ examen, aut aliorum cônſenſum exquirere? An non deterioris ea conditionis eſſet, quàm ſæcularium Principum poteſtas; quibus id iure Principatus acquiritur?

IV. Veruntamen, vt neque id, quod ipſi petunt, iis ab Eccleſia denegatum fuiſſe demonſtremus. Certè olim ſummo iure, ne dicam ſumma B. P. Franciſci iniuria, à Minoribus de Obſeruantia; de Caputio aduersùs Capucinos decertatũ eſt. Quot, obſecro, lites, controuerſiæ, contentiones, tragediæ ab ipſis in ipſo Capucinorũ exordio, ſub Clemente VII. & Paulo III. excitatæ ſunt; vt Caputium quadratũ è medio tollerent? Cùm è regione Capucini, vt è lapſu reſtitutũ tuerentur, haud ſegniter decertarent? Equidem tot examina præceſſerunt; tot cauſæ coram Pontifice dictæ, tot rationes vtrimque diſputatæ fuerunt; vti ex Annalibus conſtat: vt ne vna quidem intacta ſuperfuerit. Quid igitur nullum examen, aut cauſæ diſcuſſionem, apud Apoſtolicam Sedem, præceſſiſſe conqueruntur? Id ipſi (licet priorum immemores) tandem fatentur; cùm addunt: *Immò renuentibus nobis, qui ſumus verum Franciſcanum Corpus.* Non conuentuales Patres, quorũ tunc Capucinorũ Congregatio patrocinio vtebatur: Sed Obſeruantes duntaxat; qui omnem in Capucinos lapidem mouebant, renuiſſe certum eſt. Porrò ſi iis renuentibus, quod veriſſimum eſt, imò aperto Marte pugnantibus, Capucinorum Religioni Caputium reſtitutum fuit: quomodo ea Caputij reſtitutio, abſque omnium incedentium examinatione, cauſæ diſcuſſione, immò contradicentium pugna, facta eſſe affirmatur?

V. Neque illud prętereũdum eſt: quòd cùm in tã acri huius Quęſtionis exagitatione, cauſæ omnes, ac rationes contradicẽdi à Minoribus Obſeruantibus, haud iniquo, vt putamus, conſilio quærerentur: nunquam tamen ab iis Caputio oppoſitum fuit: quòd illud olim anathematizatũ, pollutum, profanatum, atque in ſignum hæreſis,

ſchiſmatis



huic controuerſiæ colophonem imponamus: In primis Leonis X. ſummi Pontificis in hac re irrefragabile iudicium accedat: qui cùm in Bulla, quæ incipit: *Ite, & vos* &c. Min. Obſeruantium Generali Miniſtro, in toto Minorum Ordine, ea duntaxat ratione primatũ contuliſſet; quòd apud illos tantummodò vera, ac legitima Regulæ obſeruantia vigeret. In poſteriori Conſtitutione, quæ incipit: *Licet alias,* &c. Vbi Fratres de Obſeruantia, in publicis actibus loco, ac dignitate, eadem ratione Fratr. Conuentualib⁹ præire decreuit; hãc quæſtionẽ, iam eo tẽpore à Min. Cõuentualib⁹ aduersùs illos excitatam, obtruncat; & Minores de Obſeruantia veros B. Franciſci Filios, & abſque vlla interruptione, à tẽpore editæ Regulæ ab ipſo genitos, declarat his verbis. *Quòdq; ipſi Fratres de Obſeruantia, & Reformati, veri, & indubitati Fratres Ordinis B. Franciſci, & eius Regulæ Obſeruatores ſẽper fuerũt, ac diuina fauẽte gratia ſint futuri, ſine aliqua interruptione, ſeu diuiſione à tempore editæ Regulæ, per B. Franciſcũ vſq; ad præſens, ac ſub ipſius B. Franciſci Regula militauerint; & etiam ad præſens militent: ſicque ab omnibus teneri, & obſeruari, ac dici debere decernimus, ac mandamus.* At quandoquidem in hoc Pontificis Decreto, ac prioribus, quædam nobis perpendenda ſe offerunt, quibus res tota clariùs declaratur: haud importunum erit, in iis explicandis paulò diutiùs immorari.

XIII. Primum igitur eſt. Quo tempore Minores Conuentuales à Regulæ obſeruantia exceſſerant, ſolo Regularis obſeruantiæ intuitu, Fratribus de Obſeruantia Primatum in Ordine, ac potiorem locum, ac dignitatem à Pontifice decreta fuiſſe: ac proinde Ordinis Primatum, ac dignitatem, non ita perſonis datam, vt de Obſeruantia nuncupatos duntaxat conſequeretur: ſed ita à Regulari Obſeruantia pendere: vt ea cadente, ſimul, & Primatus, & dignitas perſonis collata concidant. Ceſſante enim cauſa, ob quam priuilegium datum eſt, ipſum quoque priuilegium ceſſat; atque in eos transferri debet, qui Regulari obſeruantiæ incumbunt: quæ expreſſa huius Pontificis mens fuit, his verbis in ipſo Bullæ initio declarata. *Licèt alias poſtquam ſtatueramus, & ordinaueramus, quòd de cætero perpetuis temporibus, Fratres B. Franciſci, ſub puritate eius Regulæ, & ſub Regulari obſeruantia viuentes, ac Reformati, Miniſtrum: Fratres verò dicti Ordinis, Conuentuales nuncupati, Magiſtrum Generalem habere deberent,* &c. Et infra: *Quòd in Proceſſionibus, & aliis actibus publicis, Fratres Conuentuales Fratribus Regularis Obſeruantiæ Miniſtrum habentibus, locum digniorẽ relinquere tenerẽtur.* Verba enim illa (*perpetuis tẽporibus*) alia quoq; (*ſub puritate eius Regulæ, & ſub Regulari obſeruantia viuentes*) obſeruãda ſunt: quibus apertè inſinuat; ſe Primatũ hunc, ac dignitatem in eos duntaxat conferre, qui vel eo tempore, vel ſucceſſiuè perpetuis tẽporibus, ſub Regulæ puritate, & ſub Regulari obſeruantia viuerent. Neque enim vlli dubium eſt, quin Pontifex, dum hoc priuilegio Ordinem Minorum de Obſeruantia cohoneſtat; in Ordine non perſonas, ſed in perſonis Regularem obſeruantiã intueretur: quæ cauſa fuit, vt Primatus honorem, ac dignitatem, quæ apud Minores Conuentuales euſque inſtituta fuerat, in Minores de Obſeruantia transferret; ac perpetua temporum ſucceſſione in eos transferendum vellet, qui Regulæ puritati ſtuderent: ac Regularem obſeruantiam colerent. Hæc tum ex Pontificis mente, tum ex illius verbis, clariſſimè conſtant.

XIV. Ex quo alterum facilè colligimus: nimirum, verã Fratrũ Minorum ſucceſſionem, de quã diſceptatur; non à perſonis, aut temporum antiquitate, ac prioritate; ſed à Regulæ obſeruantia petendã eſſe: ita vt iis duntaxat, qui Regulæ obſeruatores ſunt, in B. Frãciſci ſemine cenſeãtur; quocunq; ij nomine appellentur, aut tempore exiſtant. Cùm enim Pontifex, Minoribus Conuentualibus, ob Regulæ inobſeruantiã, à Primatus honore, atq; à vera B. P. Frãciſci ſucceſſione exturbatis, ſolos Fratres de Obſeruantia veros, ac indubitatos Fratres Ordinis Beati Franciſci, & ſine aliqua interruptione, ac temporis interpolatione à tempore editæ Regulæ, ſub ipſius B. Franciſci Regula euſque militaſſe declarauerit; atque ita tenendum eſſe decreuerit. An non inde apertiſſimum eſt; ſolam Regularem obſeruantiam, ex Põtificis ſententia, inter veros, & non veros B. P. Franciſci filios, ac ſucceſſores diſcernere? iiſque dũtaxat ius ſucceſſionis tribuere, qui veræ Regulæ obſeruatores exiſterent? Quo ſit, vt cùm de vera, ac legitima B. P. Franciſci ſucceſſione agitur, fruſtrà

temporis

temporis ratio requiratur; cùm ex Pontificis declaratione, qui veri Regulæ cultores ſunt, tametſi tempore poſteriores, ij duntaxat à tempore editæ Regulæ, ad legitimum B. Franciſci ſemen pertinere cenſeantur. Hoc enim pacto ipſe quoque Apoſtolus, de Iſraëlitis diſſerens, ait: *Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij.* Et ad Galatas ſcribens: *Cognoſcite ergo* (inquit) *quia, qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.* Quòd ſi Apoſtolo id de Iſraëlitis dicere licuit: cur id quoque Pontifici de Minoribus ſentire æquum non fuit? eoſque tantummodò B. Franciſci filios decernere; qui B. Franciſci veſtigia, ac virtutes ſectantes, perfectè ipſius Regulam obſeruarent.

Rom. 9. Gal. 4.

XV. Quæ cùm ita ſint; poſtremum iam his conſectaneum expendendum ſupereſt: quod magis ad rem noſtram ſpectat. Pontifex enim dum Minores de Obſeruantia, apud quos tunc Regularis Obſeruantia vigebat; non aliam ob cauſam, præterquam ob ſolam Regulæ obſeruantiam, à tempore dictæ Regulæ inſtitutos, ac ſub B. P. Franciſci Regula militaſſe declarat: quid aliud inſinuat; præterquam temporis rationem ad veram B. Franciſci ſucceſſionem neceſſariam non eſſe? Nec qui priores ad Religionem vocati ſunt; ſed qui in Regulari obſeruantia duntaxat potiores eſſent, ad Minorum Ordinem ſpectare? Et quidem, quod ad Minores de Obſeruantia nuncupatos ſpectat: nulli dubium eſſe poteſt, quin hi Fratribus Conuentualibus, vtpote ab iis exorſi, tempore poſteriores extiterint: quo fit, vt ſi temporis duntaxat ratio exquirenda eſſet, planè intelligi non poſſet; quo pacto ij à tempore editæ Regulæ (vt Pontifex aſſerit) ſub B. Franciſci Regula militaſſent; ac Regulari obſeruantiæ operam dediſſent; cùm enim operatio ſequatur eſſe: quãdoquidem eo tempore Minores Obſeruantes, ex quibus illud Reformatorum corpus compactum fuit, necdum exorti erant; ac pluſquam integro ſæculo, à priori illa editæ Regulæ tempeſtate aberant; quomodò Regulæ obſeruationi incumbere, aut ſub ea militare potuiſſent? Reliquum igitur eſt; vt Pontifex, dum Obſeruantes à tempore editæ Regulæ extitiſſe, ac ſub B. Franciſci Regula militaſſe tradit: non illud tantùm Reformatorum Corpus, Obſeruantium nomine inſignitum; ſed quotquot veri Regulæ Obſeruatores exiſtunt, quocunque ij nomine cenſeantur, & quoquo tempore exiſtant, eo tempore comprehendere voluerit: quos ab omni loco, & tempore abſtractos, primis illis Regulæ cultoribus adiungit, qui tempore editæ Regulæ, in ea obſeruanda ſtrenuam operam nauarunt.

XVI. Quapropter, qui Minores Capucinos, à vera Ordinis Minorum ſucceſſione, ac legitimo B. P. Franciſci ſemine, ea ratione auulſos volunt; quòd hi tempore B. Franciſci inſtituti non fuerint. Caueant ſummoperè, ne in hunc Pontificis lapidem offendant. Siue enim hi in Obſeruantium nuncupatorum, ſiue in Minor. Conuentualium Ordine militent, illius vbique pondere obruuntur. Obſeruantes namque cùm à Minoribus Conuentualibus, poſt integrũ ſæculum progeniti; vt tradit Franciſcus Gonzaga *lib. de Orig. Rel. Franciſcanæ tit. de Orig. Fratrum Capucinorum*, tempore B. Franciſci inſtituti non fuerint; qua ſanè ratione nos à Minorum Ordinis ſucceſſione expellunt, eadem ſeipſos ab ea alienos oſtendunt: ac proprio ſe pugione iugulant: nec tamen interea propoſitum aſſequuntur: cùm non modò poſteriora Pauli Quinti, & Vrbani Octaui, verùm & priora Leonis Decimi decreta conuellant: quemadmodum hactenus demonſtratum fuit. Conuentuales verò non modò Pauli V. & Vrbani VIII. verùm & Leonis decreta venerari; & (vt decet) ſuſpicere debent: qui quũ Minores de Obſeruãtia nuncupatos, tametſi tẽpore B. Frãciſci haud inſtitutos, ob ſolam tamen Regulæ obſeruantiã veros Minores, atq; à tẽpore editæ Regulæ, ſub Minorum Ordine comprehenſos eſſe decernit. Eodẽ quoque decreto & Capucinos proſequitur, apud quos purior adhuc Regulæ obſeruantia viget: teſte ipſo Franciſco Gonzaga, qui illud inter ſuos Obſeruantes, & Capucinos diſcrimen agnoſcit: quôd illi Regulam iuxta Pontificis Declarationes: Capucini verò iuxta literam obſeruant. At ex Ordinis Chronico certum eſt, eam Chriſti Domini mentem verbis expreſſam fuiſſe, vt Regula ad literam obſeruaretur; nec tamen Capucini Pontificum Declarationes, quæ Regulam ab inſtituta paupertate, ac vitæ auſteritate nõ relaxãt, quales ſunt Nicolai 3. & Clemẽtis 5. nullatenus reiiciũt.

Franc. Gonzag. libr. de Orig. Relig. tit. de Orig. Fr. Cap.





XVII. Hinc Leonis X. & Pauli V. Decreta, quæ nonnihil inter ſe diſcrepare videntur, nullo negotio conciliantur: Leo namque, dum in præcitata Conſtitutione declarat, Minores de Obſeruantia nuncupatos, à tempore editæ Regulæ ſub B. Franciſci Regula euſq; militaſſe, temporis rationem ab Ordinis ſucceſſione proſcribit; vt Regularem obſeruantiam ſolam ad ſucceſſionem neceſſariam autumet. Paulus verò in Bulla, quæ incipit: *Eccleſiæ militantis*, &c. vbi Capucinos verè Fratres Minores, ac legitimos B. P. Franciſci Filios aſſeruit, addens; *Quamuis tempore B. Franciſci inſtituti non fuerint*: idem planè quoad ſenſum affirmat. Illud verò tantum explicat, Capucinorum Ordinem, quatenus Corpus inſinuat, ſuo capite, & membris conſtans; à Conuentualium, & Obſeruantium Ordine diſtinctum; tempore B. Franciſci minimè inſtitutum fuiſſe; quod Leo de Minorum Obſeruantium Corpore aſſerere non dubitaſſet, ſi de eo quæſtio orta fuiſſet: verba enim illa: *A tempore editæ Regulæ*: non de Religionis Obſeruantium Corpore, à priori illo Conuentualium diſtincto; ſed de Regulari obſeruantia ab iis inſtituta, intelligenda eſſe, ſuperiùs diximus; quæ ad primæuam illam temporum ſeriem à Pontifice reuocatur: cùm Regula, à B. Franciſco edita, à primis illis Ordinis Patribus perfectè obſeruaretur.

XVIII. Hic igitur cùm Bullæ Pauli V. Pontificis genuinus ſenſus eſſet; vt Capucinos non tempore, ſed vel legitima Ordinis propagatione, vel Regularis obſeruantiæ cultu, veros S. P. Franciſci filios aſſereret; excitata ab iis controuerſia, qui nodum in ſcirpo quærunt, eam Sanctitas Domini Papæ Vrbani VIII. (quem Deus Opt. Max. diu incolumem ſeruet) poſtrema Bulla, quæ incipit: *Saluatoris, & Domini noſtri*, &c. Data anno 1627. die 8. Iunij, pleniſſimè obtruncat. In qua, vbi Pauli V. Pont. & S. R. E. ſenſum de Capucinorum origine retulit, his verbis decernit: *Nos æquum, & rationi conſonum fore cenſentes, vt qui verbo, & exemplo veros ſeſe B. Franciſci Imitatores oſtendunt; tales ab omnibus abſque vlla controuerſia habeantur: attentiúſque conſiderantes, eorundem Fratrum Capucinorum originem, ſeu principium eorum eſſe realiter, & cum effectu computandum à tempore primæuæ, & originalis inſtitutionis Regulæ Seraphicæ: cuius obſeruantiam ipſi Fratres Capucini ſemper, ſine aliqua interruptione continuarunt, &c. Re priùs per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, negotiis Regularium præpoſitos, maturè diſcuſſa: de eorundem Cardinalium conſenſu, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, Fratres Capucinos præfatos fuiſſe, & eſſe, ex vera, ac nunquam interrupta linea; ac veros, ac indubitatos Fratres Ordinis S. Franciſci, & illius Regulæ obſeruatores; ſubque ipſius B. Franciſci Regula militaſſe, & ad præſens quoque militare ſicque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, ac reputari, & iudicari debere; irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimus, & declaramus.* Scrip. Neap.

XIX. Alio tandem argumento à ratione ducto, Capucinorum Ordinem à B. Franciſco minimè inſtitutum fuiſſe probare nituntur. Ita enim ratiocinantur. Capucini ab initio Ordinis inſtituti non fuerunt, vt Paulus V. in Bulla affirmat illis verbis: (*Quamuis ab initio inſtituti non fuerint*) neque in medio Ordinis progreſſu, cùm tempore S. Bernardini non fuerint. Neque in fine, quia ipſi nomen Eremitarum, non Minorum à Pontifice petunt, quod etiam illis conceditur: Vnde ergo Fratrum Minorum nomen ſibi vendicant? At facilè hoc argumentum diluimus. Dicimus enim Capucinos in principio Ordinis à B. Franciſco inſtitutos fuiſſe; cùm is Ordinem Fratrum Minorum fundauit: alioquin neque Ordo Obſeruantium à B. Franciſco inſtitutus cenſeretur: cùm Obſeruantes tempore S. Franciſci inſtituti non fuerint. Addo & Capucinos immediatè à B. P. Franciſco inſtitutos fuiſſe; quum is Minorũ Ordinem fundauit: cùm enim Ordinis fundatio non priora tantùm, ſed & poſteriora, atque vniuerſa Ordinis membra, quæ in qualibet temporis differentia in eo futura ſunt, procul dubio complectatur: qui Ordinem fundat, cuncta Ordinis membra ſibi immediatè copulat: quo fit, vt hac ratione non modò Capucinos; verùm & qui poſt eos in Ordine futuri ſunt; velut à B. Franciſco immediatè inſtituti, ad Minorum Ordinem pertineant. Fuerunt & in medio Ordinis progreſſu. Nam Fr. Matthæus à Baſſio, & Lodouicus Foroſẽpronianus, cum Raphaële fratre, à quibus

Capucinorum Ordo exorſus, Fratres Minores de Obſeruantia, ac conſequenter B. P. Franciſci Filij extiterunt, alioqui ipſi Patres de Obſeruantia veri S. Franciſci Filij minimè dicerentur. Fuerunt tandem in fine Ordinis: nam, tametſi Eremitarum more, lucos, ac ſyluas, ad Habitationem, ac perfectiorem Regulæ obſeruantiam ſibi vendicauerint: Minorum tamen vitam, ac Ordinem non exuerunt: ita vt Fratres de vita Eremitica nuncupati fuerint; quod tum ex Pontificiis Bullis, tum ex Tridentino Concilio, tum ex Minorum Regulæ profeſſione, perſpicuum eſt. Quod enim ad Eremiticum nomen ſpectat; ij non Eremitarum vitam, aut inſtitutum; ſed tantùm habitationem ſibi elegerunt: tum vt longiùs ab hominum conuerſatione remoti; maiori ſtudio, atque animi quiete diuinæ contemplationi, ac Regulæ obſeruationi vacarent: tum etiam; vt B. P. Franciſci conſilium, ac veſtigia ſectarentur; qui (vt ex antiquis Ordinis monumentis conſtat) Monaſteria non in Vrbibus, ſed ab his paulò longiùs conſtruenda ſuadebat; vt in iis Eremi potiùs ſolitudo, quàm Vrbium frequentia eluceret.

## Vltima Demonstratio.

### *An Habitus S. Franciſci, & Minorum qui inter homines habitant, ſordidus, ac nimis vilis ſit cenſendus.*

I. IAM inſtitutum de Habitu Minorum S. Franciſci; ac illius forma opus abſolueram; quum in manus fortè incidit, Liber quidam poſthumus, Moguntiæ impreſſus anno 1613. in quo Auctor de Monachorum ſtatu diſſerens cap. 5. Primùm quærit his verbis: *Poſſint ne Monachi vti Habitu vili, & ſordido; ſicut olim multi Eremitæ vſi fuère: & S. Franciſcus vſus fuit.* Tum verò quæſtioni reſpondens, ſubiungit. *Reſpondeo cum Hieronymo ad Nepotianum. Ornatus, & ſordes* (ait) *pari modo fugienda ſunt: quia alterum delicias; alterum gloriam redolet.*

II. Duo hîc in primis ab Auctore apertè aſſeruntur. Primum, Habitum Minorum S. Franciſci ſordidum iudicandum, atque inter ſordidos referendum eſſe: quod ex titulo Quæſtionis non obſcurè conſtat. Alterum, Habitum Minorum S. Franciſci, ob id, quòd ex Auctoris ſuppoſitione ſordidus eſt; ex Hieronymi ſententia; qui ſordes in Habitu vitandas docet, fugiendum. Hæc ab Auctore diſertis verbis traduntur: quamuis poſteriorem aſſertionem, Habitu S. Franciſci ſilentio obtecto, ſub nomine ſordium duntaxat, exprimendum voluerit.

III. Ego quidem, quod ad priorem Aſſertionem attinet, vt Auctorem, plurimis mihi titulis venerandum, ab hac calumnia liberarem. Sordidi appellationem, ad rei vilis, ac nullius ferè pretij exiſtimationem contrahere cogitaueram: neque enim ignoro, ſæpè quod vile eſt, apud Auctores, ſordidum nuncupari: vnde adagium illud. Sub ſordido palliolo ſæpè latet ſapientia: niſi prima Auctoris reſponſio hanc mihi interpretationem præriperet, qua ita cum Hieronymo reſpondet. Ornatus & ſordes pari modo fugienda ſunt. Qua reſponſione, cùm Auctor ſe de iis ſordibus agere, apertè declaret, quæ cùm turpes ſint, fugiendæ ab Hieronymo aſſeruntur: ac proinde à ſordido illo abſtinendum ſentiat, quod turpe, ac ignobile eſt; & ornatui opponitur: nullum benignæ huic interpretationi locum relinquit. Quid verò de his Hieronymi verbis ſentiendum ſit, quovè ſenſu ab eo prolata fuerint, paulò inferiùs explicabimus.

IV. Sordidum itaque, cùm ex hac Auctoris reſponſione, ex iis ſordibus colligatur; quæ ex Hieronymi ſententia, velut turpes fugiendæ ſunt: hoc nobis argumentum inde ex Auctore conficiendum tradit. Sordes ex Hieronymo in Habitu fugiendæ ſunt. S. Franciſci Habitus ſordidus eſt ex Auctoris ſententia; id eſt, ſordes illas præſefert, quas D. Hieronymus fugiendas docet. Is igitur eſt fugiendus. Huius Argumenti tam minor Propoſitio, quàm Concluſio, tam apertè ſacrum Minorum Ordinem peſſumdant: vt cùm nulla ratione ab iniuria excuſari queant, iuſtè me ad





earum confutationem compulerint. Minor quidem, eo ſenſu, quem ex Auctore explicauimus, accepta; haud leuem Minorum Ordini Contumeliam irrogat: dum Sacrum illius Habitum Sordidum ſupponit: Concluſio verò à temeritate, atque etiam errore non vacat: dum aduersùs Apoſtolicos Canones, qui ſacrum Minorum Habitum, ab Apoſtolica Sede approbatum, ac multis, tum à Summis Pontificibus, tum à legitimis Conciliis, laudibus celebratum commendant; vitandum, ac fugiendum decernit. Hæc cùm à Religioſi hominis ſententia, ita diſſentanea ſint: vt vix ea à Catholico Viro profecta cenſeri debeant. Hinc facilè mihi perſuadeo: ea præter animi ſententiam, Auctore è calamo excidiſſe: Quapropter non Auctorem, cuius Religio, mihi multis titulis eſt veneranda; ſed ipſas Aſſertiones, quæ Cenſura dignæ ſunt; non quidem pro rei dignitate, aut grauitate; ſed breuiori, duntaxat ſtylo propulſandas duxi: ne in publicum Chriſtianæ Reipublicæ damnum redundent.

V. Igitur quod ad priorem Aſſertionem ſpectat: Habitum Minorum, B. Franciſci non Sordidum, non turpem, non indecorum, aut ignobilem eſſe. Primum Chriſtus ipſe, qui ſupremus Minoritanæ Regulæ Auctor fuit, non obſcurè declarauit; quum ipſe Pater Franciſcus, Monte Columbo, qui è Reatina Valle exurgit, conſcenſo, Regulam diuino ſpiritu dictatam, ac velut digito Dei conſcriptam, ab eo accepit: quàm dum Frater Helias, ſimul cum aliis Ordinis Miniſtris, quaſi aſperiorem recuſat: Chriſti vox, Franciſcum ad eum ingemiſcentem, his verbis alloquitur: Franciſce, quid gemis, aut turbaris? Regula hæc à me compacta fuit: quodque in ea exaratum eſt, non tuum, ſed meum totum eſt. Quo fit, vt eam ad literam, ad literam, ad literam ſine gloſa, aut commento obſeruari velim. Ita in Chronico Ordinis, & Annalibus Minorum legitur. Chron. Min. p.1.li.2.ca.8. Annal. Min. ann. 1223. 13. Cùm igitur in Regula Minorum, Habitus, atque illius qualitates perſpicuè tradantur: quis abſque diuini nominis iniuria, Chriſti inſtitutioni ſordes, ac turpitudinem affigere audeat; aut ſordidum appellare, quod diuina Chriſti voce ſacrum inſtitutum, ac celebratum eſt?

VI. Chriſtum præterea Dei Filium, Minorum Habitu amictum, olim apparuiſſe, antiqua traditio eſt, quam Bartholomæus Piſanus, Libro Conformitatum, his verbis commemorat. Conformit. l.1.2, p fruct. 9. Franciſcus Regulator. *In ſignum autem, quod hæc Regula ſit Ieſu Chriſti, eſt, quòd Chriſtus apparere dignatus eſt, & ſe oſtendere in Habitu Fratrum Minorum: nam cùm quidam deſideraret Deo ſeruire; & rogaret Deum, vt ſibi viam oſtendere dignaretur, qua ſibi perfectè ſeruiret. Dominus autem Ieſus Chriſtus, qui audit libenter preces bonorum, oſtendit ſe illi in Habitu Fratrum Minorum dicens: Quicunque me ſequi cupit, veniat, & taliter mihi ſeruiat: & hoc dicto euanuit ex oculis eius.* Iam verò, ſi Minorum Habitus Sordidus eſſet, ac turpis; quis vnquam ſibi in animum inducere poſſet; eo Dominum aliquando ſeipſum contexiſſe, atque eo indutum hominibus apparere voluiſſe? Cùm ſordes, quæ ab omnibus fugiendæ ſunt, procul à Chriſto omnino ſint arcendæ.

VII. Dicat amabò Auctor, qui Sordidum B. Franciſci Habitum eſſe ſtatuit: num ſordidum illud appellari queat; quod Summorum Pontificum Bullis, Diplomatibus, Reſcriptis, ac Declarationibus, velut Sacrum approbatum, conſtitutum, & maximis laudibus celebratum eſt? (Nefas quippe maximum cenſendum eſt: ſi quis aſſerat Sordes, quæ à Hieronymo, atque aliis Patribus reprobantur; ab Eccleſia, quæ Patrum doctrinæ inſiſtit; aliqua ratione approbari.) Exquirat, obſecro, quid Honorius III. qui Minorum Regulam, ab Innocentio priùs verbo tenus approbatam, Bulla proſecutus eſt; de Minorum Habitu, ac Religione prædicet. Bulla, quæ incipit: *Cùm dilecti Filij*, data 3. Idus Iunij ſui Pont. ann. 3. in qua illos vniuerſis Eccleſiæ Ordinibus maximè commēdat. Quid Gregorius 9. in Bulla Canonizationis B. P. Frãciſci, quæ incipit: *Sicut phialæ aureæ*, &c. data an. 2. ſui Pontificatus, & alia, quæ incipit: *Cùm qui recipit*, &c. 8. ſui Pontificatus anno edita. Quid Alexander IV. Bulla, quæ incipit: *Patris æterni benignitas*: data Neapoli 3. Idus Aprilis, Pontificatus ſui ann. 1. in qua tot Minores laudibus accumulat; vt iis vix quicquam aliud addi poſſe videatur. Euoluat quoque,

quid idem aduerſùs Minorum Ordinis detractores ſtatuat. Bulla, quæ incipit: *Quidam Sacræ Scripturæ*,&c. Edita Anagniæ,anno ſui Pontificatus 2. Quid Ioannes 22.Bulla quæ incipit: *Sacra Romana* contra Fratricellos edita; in qua Minorum Habitum commendat. Quid Paulus II. Bulla, quæ incipit:*Inter cæteros,&c.* in qua Priuilegia omnia Ordini priùs conceſſa confirmat. Quid Sixtus IV. Bulla, quæ incipit: *Cum ſemper*, &c. & alij plerique Pontifices. Quorum ſi Auctor plura teſtimonia expetit;Speculum Minorum,& Firmamentum trium Ordinum conſulat. Hi omnes, cùm Minorum vitam, ac inſtitutionem commendent; atque Habitum in Regula Inſtitutum, ſua auctoritate approbent:quo pacto is Sordidus, ac turpis nuncupari poſſit, ignoro. At his accedant Nicolai 3. *Exiit, qui ſeminat*, &c. Clementis V. *Exiui de Paradiſo*, &c. Et Ioannis 22. *Quorundam exigit*, &c.Regulæ declarationes,ac Martini V.Conſtitutiones:in quibus B.Franciſci Habitus,nedum Sordidus,ſed ſacer,ac veneratione dignus aſſeritur.

Spec. Min. tract.1. & 2. Firmam. trium Ord. 2.p. tract.1.

Poſtremò cùm B.Franciſcus Minorum Habitus Inſtitutor fuerit; atque eo, dum mortalis inter homines verſatus eſt,vſus fuerit:in eóq; innumeris poſt mortem apparuerit:demum plerique ex illius habitibus, qui apud nos, tum Florentiæ,tum alibi aſſeruantur;ac Sociorum,qui variis in locis religioſè cuſtodiuntur; contactu, miracula diuinitus patrata fuerint; ac quotidiè patrentur: quis tam glorioſum Virum, aut Sordium Inſtitutorem, aut Sordibus vſũ ſuſpicari queat? An non ſacrilegum cenſendũ eſt;ſi quis Sordes,ac Sordidum Habitũ à Deo miraculis probari ſentiat?Certè Aſſertionẽ,tã ab omni Religione alienã,Religioſo Viro è calamo inconſultò,ac preter animũ excidiſſe,mihi proculdubio perſuaſũ eſt:quo fit, vt ſi adhuc inter nos ſuperſtes eſſet,ab ea velut à degeneri abhorreret. VIII.

Pari modò,& alteram huic affinem,& conſectaneam, Aſſertionem,quæ communem Eccleſiæ ſenſum, & ſententiam oppugnat, ab eo velut adulteram repudiandam fore non dubito.Quis enim grauiſſimos Pontifices,Minorum Religionem,ac ipſius Alumnos ſummis laudibus efferentes, atque ab omnibus honorificè excipiendos audiat;qui fugiendos,ac velut Sordibus maculatos,deuitandos cenſeat? Certè cùm Honorius Papa,huius nominis Tertius,vniuerſis Epiſcopis, atque Eccleſiæ Catholicæ Præſulibus, his verbis mandat: *Cùm dilecti Filij, Fr.Franciſcus,& Socij eius de vita,& Religione Minorum Fratrum,abiectis vanitatibus huius Mundi elegerint, vitæ viam à Romana Eccleſia meritò approbatam, ac ſerendo ſemina Verbi Dei, Apoſtolorum exẽplo diuerſas circumeãt manſiones, vniuerſitatem veſtram rogamus,& exortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenùs latores præſentium de prædictorũ Fratrum Collegio exiſtentes, cùm ad vos duxerint declinandũ,ipſos recipiatis ſicut Catholicos,& Fideles,aliàs eis ob reuerentiam diuinam,& noſtrã exhibentes vos fauorabiles,& benignos.* Cùm Alexãder 4.his Mino.Fratres,apud vniuerſos Eccleſiæ Prælatos,encomiis proſequitur. *Patris*(inquit) *æterni benignitas pro ſui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda ſalute, inter perſonas plurimas diuinis obſequiis deputatas, viros in Eccleſia ſua Sancta conſtituit conuerſationis, & vitæ honeſtæ conſpicuos, ac ſcientiæ titulis inſignitos. Hi ſunt dilecti Deo,& hominibus Fratres Ordinis Minorũ,& Prædicatorum, qui ſuum ſemper affectum ad amorem Cæleſtium dirigentes; virtutem diuini nominis, per Orbem terrarum publicant,& Chriſtianæ Religionis ampliando cultũ vigili attentione deſudant. Hi ſunt qui vitã,& merita Beatiſſimi Pauli Apoſtoli contemplantes, gloriãtur in ſola Cruce Domini, ſpernendo Mundi ſolatia pro deliciis Paradiſi. Hi ſunt, qui hoſtes animæ per ſcutum Fidei, loricam iuſtitiæ, gladium ſpiritus, ſalutis galeam, haſtam perſeuerantiæ debellãtes, obtinere ſatagunt; vt Catholicis vniuerſis Fidei, ſpei,& charitatis augmenta perueniant; ac perfidis veritatis via pateat,& hæreticæ prauitatis inſania euaneſcat. De tantorũ ſiquidem meritorum prouenit claritate, quòd Nos Fratres eoſdẽ in Chriſto affectu ſinceriſſimo diligamus,& ipſos vbiq; terrarũ ſtatu gaudere pacifico affectamus; pro re indigna,& nimis amara ducentes, ſi quis de numero fidelium,& potiſſimè Prælatorum, eos aliquibus turbat iniuriis, vel offenſis. Rogamus itaq; deuotionem veſtram,& per Dei miſericordiam obſecramus, per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, ac in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes; quatenus illos, qui ſunt ex eis in veſtris Ciuitatibus, & Diæceſibus conſtituti, ſeu qui ad præſentiam veſtram quandocunque per-* XIX.

Honor. 3. Bulla cùm dilecti.

Alexand. 4. Bulla Patris æterni.





*uenerint: pro diuina,& noſtra reuerentia affabiliter,& benignè recipere. ac eos veſtræ charitatis ſtudeatis affluentia confouere: permittendo, vt Regularibus eorum obſeruantiis,& ſtatutis per Sedem Apoſtolicam approbatis, ac etiam indulgentiis,& literis, quas circumſpecta pietas Sedis eiuſdem olim conceſſiſſe dignoſcitur, de ſua gratia ſpirituali.* &c. Id proculdubio ſentire debent, eos, Non Sordibus pollutos,non Habitum Sordidum geſtantes, non vitandos, non fugiendos eſſe?

X. Quis verò Romanos Pontifices,in Minorum Religione,quæ ex habitu, vitæque inſtitutione à reliquis dignoſcitur, ſartatecta ſeruanda, adeò ſollicitos intuetur;vt neque illius pacem,ac tranquilitatem quoquo modo minui,ac turbari patiantur; qui Minores Fratres habitu Sordidos,ac proinde fugiendos, quin potiùs amplectendos,maximáque in veneratione habendos,ſibi perſuadeat? Audiant quibus verbis Clemens IV. Pontifex ad Generalem Miniſtrum, ac vniuerſos Minorum Ordinis Fratres reſcribat. *Ad conſequendam* (inquit) *gloriam cæleſtis patriæ, ſic diuina pietas humilitatem veſtram per ſuam gratiam cernitur allexiſſe; quòd ſemper ad hoc intenti eſtis, & vigiles; vt illam vobis, & proximis per innocentis vitæ ſtudium acquiratis. Hæc enim, & alia ſancta pauperrimæ Religionis veſtræ merita nos inducunt, quòd ſimus ex intimo cordis affectu ſolliciti; vt in omnibus, quæ ad Dei laudem,& tranquillum ſtatum deuotionis veſtræ cũpitis, habeamus prouidentiæ ſtudium efficacis.* Nec ſanè Minori ſtudio in eo tuendo ſe ſollicitum gerit, Bonifacius huius nominis VIII. ad eoſdem ita ſcribens: *Inter cæteros Ordines, quos Cæleſtis Agricolæ ſumma benignitas in horto plantauit Eccleſiæ, Sacrum veſtrum Ordinem iam per Orbis prouincias ſuperna gratia propagante diffuſum, dum minori fungeremur officio, ſincera charitate dileximus; ad ſtatum eius feliciter promouendum ſollicitis ſtudiis intendentes. Nec minuit itaque, ſed anxium potiùs circa ipſum præhabitæ dilectionis affectum, perſonæ noſtræ ſubſecuta promotio ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, cùm tãtò propenſiùs ad ipſius Ordinis intendamus augmentũ, quantũ à Nobis facultas præſtantior, quãquam noſtris non exigentibus meritis noſcitur cælitus attributa.* Audiant denique(vt reliquos prætereã)qua cura Martinus V.Põtifex erga Minorũ Ordinem afficeretur. *Amabiles fructus* (inquit) *quos Sacer Ordo Fratrum Minorum, velut pomerium quoddam diuina manu conſitum, in agro militantis Eccleſiæ in vbertate produxerit hactenus, & producit aſſiduè; ac odorem ſuauitatis in omnem terram, ex fructuoſis operibus dicti Ordinis profeſſorum continuè prodeuntem, in noſtræ conſiderationis intuitum ſpecialiter inducentes; de ſtatu præfati Ordinis proſperè conſeruando, vt felicibus ſemper ſucceſſibus augeatur, ſollicitè cogitare nos conuenit:& ad ea paternis ſtudiis intendere, per quæ profeſſores ipſi ab exteris, & ſæcularibus curis releuati, in humilitatis ſpiritu,& confirmationis ſuauitate ſinceriùs,& quietiùs poſſint Altiſſimo famulari.* Quòd ſi Minorum Ordo à Pontifice Sacer aſſeritur: num Habitus,quo is à cæteris diſtinguitur, ac velut externo ſigno declaratur; Sordidus, ac turpis cenſendus erit?Num qui Ordinem commendat, Habitum tanquam Sordidum fugiendum ſuadet? Si Ordo Sacer: Cur non & Sacer Habitus, nedum honeſtus cenſeri debeat? Etenim perſpicuum eſt, Pontifices, & Concilia, quæ Minorum Ordinem approbant,laudant,ac velut Sacrum commendant; ſimul cum Ordine, & Ordinis Habitum Sacrum prædicare. Hæc pro B. Franciſci,ac Minorum Habitu,ab his Aſſertionibus potiùs, quàm ab Auctore vendicando,obiter dicta ſint: neque enim Auctorem,aut alium Catholicum hominem, in eas vnquam conſpirare exiſtimauerim.

Clemens. 4. Bulla. Ad cõſequendam.

Bonifacius. 8. Bulla. Inter cæteros.

Martinus V. Bulla. Amabiles fructus.

XI. Verùm cùm alteram quoque reſponſionem propoſitæ quæſtioni Auctor ille adhibeat: hanc fortè magis ad Auctoris mentem efformatam,allatamque mihi facilè perſuadeo, quam ille poſt pauca his verbis ſubiicit: *Ego reſpondeo Monachorum, & maximæ Solitariorum Habitum, ſi vilis ſit, non poſſe iure reprehendi, vt patet exemplo Heliæ, S. Ioannis Baptiſtæ, Pauli primi Eremitæ, Arſenij, Franciſci: & probat S. Thomas Opuſculo* 19. *quia Patres Synodi Gangrenſis vilitatem in illis laudarunt: & ſeptima Synodus Generalis iubet puniri ridentes eos ob vilitatem.* Hactenùs optimè ex communi Patrum ſententia. At verò quæ his immediatè ſuccedunt; nonnihil negotij faceſſunt:ſubdit enim: *Dixi de Solitariis: quia eos*

*qui inter homines habitant, magis decet communis veſtitus, non nimis vilis. Et ideò Concilium Aquiſgranēſe ſtatuit, vt Canonici Regulares in veſtitu teneant mediocritatem. Et Martinus V. in ſuis Conſtitutionibus de Minoritis ſtatuit; vt veſtes eorum non ſint nimis viles, & groſſæ, vt terrorem incutiant, vel riſum aliis moueant.* XII.

Nonnulla hic diligentiùs examinanda ſunt, quæ Auctor his verbis perſuadere contendit. Primùm eſt: An veſtium vilitas ad Solitarios tantummodò ſpectet. Quod Auctor prioribus verbis adſtruit; quum ait. *Dixi de ſolitariis.* Quid verò Solitariorum appellatione Auctor intelligat, luculenter aperit: cùm eos illis opponit, qui inter homines habitant. Quo fit, vt Solitariorum nomine eos appellandos cenſeat; qui procul ab hominibus, ac Vrbibus inter Montes, ac nemora Eremos incolunt. His igitur Auctor duntaxat cùm veſtium vilitatem concedere videatur, id exemplo Ioannis Baptiſtæ, Pauli primi Eremitæ, Arſenij, probat: quibus & B. Franciſcum addit. Qua verò id ratione præſtet, ignoro: Cùm B. Franciſcus magis inter eos, qui inter homines habitant, quàm inter Solitarios, & Eremitas cenſendus ſit: quippe qui diuino oraculo didicerit; ſe, ſuumque Ordinem, ad hominum ſalutem curandam, diuinitùs excitatum: ac propterea ſuorum Minorum Monaſteria, haud longè ab hominum habitatione ædificanda curauerit.

D. Thom. Opuſc. 19. cap. 8.

D. Thomas fuſiùs de hac re diſſerens, Opuſculo XIX. multis rationibus probat, Religioſos quoſque, necdum Solitarios, vilem habitum decere: ibi enim eos ex profeſſo impugnans, qui vilem habitum in Religioſis damnant; ex multiplici capite illos erroris coarguit. Primùm ex Sacris Conciliorum Canonibus, 21. q. 4. Nam ſeptima Synodus ibi allegata, dum ita decernit. *Igitur ſi inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus, ac Religioſis veſtibus amicti ſunt, per Epithimium corrigantur.* Non Solitarios tantummodò, ſed Religioſos quoſque complectitur: quos vilibus induendos cenſet: Idem quoque docet Synodus Gangrenſis, dum veſtem viliorem in Sacris hominibus laudat. Cuius rei ſtatim cauſam ibidem reddit. D. Thomas, ita ſcribens: *Priſcis enim temporibus omnis Sacratus Vir, cum mediocri, aut vili veſte conuerſabatur*: tum paucis interiectis: hæc ſubdit: *Patet ergo, quod vilitas veſtium eſt amplectenda, & pretioſitas fugienda; & quod grauiter puniendi ſunt, qui contra vilitatem veſtium loquuntur.* Quapropter ſibi tum à Concilio, tum à D. Thoma caueant; qui Religioſos, qui inter homines habitant, communem veſtitum magis decere autumant. XIII.

Sep. Synod. c. 17.
Synod. Gangren. cap. vlt.

D. Thom. Opuſc. 19.

Ex alterò quoque Capite S. Thomas oſtendit, veſtium vilitatē Religioſos Viros maximè congruere: eò ſcilicet, quòd ad ipſos præſertim ſpectet pœnitentiam hominibus prædicare: cuius verba lubet referre: *Item* (ait) *eorum falſitas apparet exemplo Ioannis Baptiſtæ, de quo Matth. 3. dicitur, quòd habebat veſtimentū de pilis Camelorum: vbi dicit Gloſſa: Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit: In eo vilitas veſtis, & cibi laudatur, quorum vſus in diuite arguitur. Et alia Gloſſa dicit ibid. Quòd ſeruus Dei non debet habere veſtimentum ad decorem, vel ad delectationem; ſed tantùm ad tegendam nuditatem. Et Matth. 1. ſuper illud. Erat Ioannes veſtitus pilis; dicit Gloſſa. Conueniens veſtis Prædicatori. Ex quibus patet, quòd Serui Dei, & præcipuè qui pœnitentiam prædicant, debent vilibus veſtibus indui.* Hæc S. Thomas, qui & hoc ipſum paulò poſt colligit, ex veſtibus Prophetarum, de quibus Apoſtolus; *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*; qui non ſolitariè, ſed inter homines habitabant. Ex quibus perſpicuè liquet; non ad Solitarios duntaxat veſtium vilitatem eſſe contrahendam: ſed ad eos omnes merito extendi debere; qui ſe Deo, vel Religioni conſecrant; vel prædicationis in Eccleſia munere funguntur. XV.

Heb. 11.

Alterum quoque examinandum eſt: An ſcilicet Religioſos, qui inter homines habitant, magis deceat communis veſtitus, quàm vilis; aut nimis vilis: vt Auctoris verbis vtar. Vtrumque enim & vilem, & nimis vilem, ſeu viliſſimum communis veſtitus expellit. Hactenus ſanè ex Conciliorum, & D. Thomæ ſententia demonſtrauimus; non communem, ſed vilem habitum Religioſos omnes decere; qui vel Deo per Religionis vota ſe mancipant, vel pœnitentiam hominibus annunciant: atque eo maximè, quod ij XV.





non communem, ſed Religioſam, atque à Mundanis omnibus rebus ſemotam, vitam profitentur: cuius inſigne in habitus mutatione præſeferunt: quem à communi ſeiunctum eſſe debere, præſtantior, ac perfectior ipſa vitæ ratio videtur poſtulare. Ex quo id facilè euincitur; Religioſos, qui inter homines habitant, vilem potiùs, quàm communem veſtitum decere. Verùm vt id luculentius pateat: lubet Sancti Thomæ argumentum propriis verbis referre, vt non noſtrum, quod dicimus; ſed Sanctorum eſſe, cunctis manifeſtum ſit. Igitur vbi illud Hieronymi dictum; *Ornatus, & ſordes pari modo fugiendæ ſunt*: quod illi ab aduerſariis obijciebatur; quodque nobis opponit Auctor, ita expoſuit; vt eo non vilitatem veſtium, ſed abuſum, & ſuperbiam, quæ plerunque ſub ſordibus veſtium deliteſcit, Hieronymus cauendam moneret: quanquam altera magis loco propria, ac germana expoſitio eſſe videatur, quæ ex ipſo Hieronymo colligitur. Hieronymus enim in ea epiſtola Nepotianum Presbyterum inſtruit; quo habitu is, qui Presbyter eſt, incedere debeat: monétque ſordes in veſte Presbyteri, quæ gloriam apud homines aucupantur, fugiendas eſſe. At verò, quum ad Ruſticum Monachum ſcribens, de Monachorum veſte diſſerit. Sordes in ea approbat his verbis. *Sordes* (inquit) *veſtium candidæ mentis indicia ſunt. Vilis tunica contemptum Sæculi probat.* Quod etiam confirmat in Epiſtola ad Pamachium, de morte Paulinæ: vbi veſtium vilitatem commendat; Sextum aduerſariorum obiectum diluens, his verbis ratiocinatur. *In vſu exteriorum rerum; illud, quod eſt ordinabile ad meliorem finem, eſt commendabilius: ſicut abſtinentia ciborum, quæ ordinabilis eſt ad concupiſcentiam carnis domandam, eſt commendabilior; quàm communis victus, quo quis vtitur cibis cum gratiarum actione: cuius contrarium Iouinianus Hæreticus aſſerebat: vt patet per Hieronymum, qui hunc, & alios eius errores condemnat. Similiter etiam vilitas veſtium ordinatur ad humiliandum animum, & etiam ad corpus domandum: vnde etiam pari ratione vilitas veſtium ſecundum ſe, magis commendabilis eſt, quàm habitus communis. Et hoc modo ſicut in Ieiunio conſiſtit Religio, ita etiam in veſtium vilitate.* Hæc D. Thomæ ratiocinatio tam clara, ac perſpicua eſt, vt eam nulla ratione Auctor, aut alius pro illo, inficiari queat.

Hiero. epiſt. ad Ruſt. Monac.

D. Thom. opuſc. 19. c. 8.
Rheg. c. 2.

XVII. Quamobrem ad tertium, ac poſtremum, quod examinandum ſupereſt, accedo. Illud vero eſt: Vtrum Minoritas, qui inter homines habitant, magis deceat communis veſtitus, quàm nimis vilis. Affirmatiuam huius aſſertionis partem expreſsè docet Auctor, quam ex Martini V. Conſtitutione probare nititur. Lubenter accipio, quod Auctor agnoſcit: Minoritis ex Regula veſtium vilitatem congruere: quanquam meliùs ſenſiſſet; ſi eos Vilibus ex Regulæ præcepto induendos aſſeruiſſet. At illos magis communem, quam nimis Vilem decere, haud ſatis probo. Cùm enim communem veſtitum, ex D. Thomæ, & aliorum ſententia, à Religioſorum omnium vſu abiecerimus. Sanè multò magis ab his explodendus eſt, qui ad vilis veſtis vſum, ipſa Religionis lege compelluntur.

XVIII. Veruntamen, quia Auctor inter vilem, & nimis vilem veſtem, diſcrimen ſtatuit; vilique Minoritis conceſſa, ab iis nimis vilem, velut indecoram, ac inhoneſtam auellit: ab eò ſanè quærendum eſſet; quam is veſtem nimis vilem eſſe ſentiat? Et quidem ego illam, apud eum, nimis vilem veſtem eſſe arbitror; quæ vili, aut vilior, aut viliſſima eſt. Neque enim vltra vilius, aut viliſſimum, aliquis vilitatis exceſſus, aut nimietas excogitari poteſt. Hoc itaque conſtituto: Si de Minoritani Habitus vilitate, ratio ex Regula ineunda eſt; ab ea vilitas tantummodò abſque diſcrimine præſcribitur, quum dicitur. *Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur.* At ſi Legiſlatoris mentem, quæ legis anima eſſe dicitur, diligentiùs inſpiciatur; viliores, ac viliſſimas illum veſtes ſuis Fratribus præcepiſſe, tum ex prima Regula [illegible] illud, poſt hæc verba immediatè additum erat: *Et licèt dicantur hyp[illegible]*

*men ceſſent benefacere*: tum ex poſterioribus verbis, quibus dicitur: *Et poſſint ea repetiare de Saccis, & de aliis petiis cum benedictione Dei.* Facilè perſpicuum erit. Neq; enim in hypocriſis ſuſpicionẽ Religioſi incidunt: qui vilibus tantùm veſtimentis induuntur: cùm illud, vel cõmune ſit omnium Religioſorum indumentum; vel ex eo, quòd pleriſque ſaltem familiare eſt, quiſquam hypocrita cenſeri non poſſit. Quare hanc ex vilioribus tantùm, aut viliſſimis veſtibus ſuſpicionem oriri neceſſe eſt: quas quum B. Pater ſuis amplectendas præſcribit, illos admonet; ne ob eas hypocritæ appellari formident. Cùm verò veſtimenta ſacci, atque aliis panni, tametſi viliſſimi, præſegminibus reſarcire ſuadet: quis hæc viliſſimi habitus inſignia nõ agnoſcat? Quid enim ſacco vilius? quo quum Habitum reſarciri indulget; eo profectò indicat, inter Minorum Habitum, & ſaccum, eam vilitatis ſocietatem iniri: vt ſacci præſegmen veſtimento adſutum, illius vilitatem non excedat; aut illud deforme non efficiat. Porrò quis Minorum Habitum ſacco, atque aliis panni rudioris præſegminibus, vndique interpolum, ſibi ante oculos ſtatuat: qui illum viliſſimum eſſe non ſentiat? Huiuſmodi cùm B. Pater, ob altiſſimam Regulæ paupertatem, filiis amplectendum reliquerit; an non hinc facilè cuique perſpectum eſt; non vile tantummodò: ſed vilius, ac viliſſimum Minoribus veſtimentum in Regula commendari? ac proinde Auctorem non parum hallucinari; quum Minoritis communem potiùs, quàm viliorem veſtem quadrare affirmat.

XIX. Hoc tametſi ad huius Auctoris ſententiam coarguendam, tam efficax argumentum ſit; vt vel id ſolum ad propoſitam rem demonſtrandam ſufficeret. Alia tamen argumenta, ex Romanis Pontificibus, atque ab aliis Regulæ Declarationibus decerpta accedant: quò res clariùs, ac faciliùs omnibus innoteſcat. Clemens V. in Extrau. *Exiui de Paradiſo*, §. *Præterea* declarat, Vilitatem veſtium, quibus Fratres Minores ex Regula vti debent, ſecundum conſuetudinem, vel conditionem Patriæ; ex pretio, & colore venandam eſſe: ità vt Minorum Habitus ex vilioribus pannis, qui in vnaquaque Prouincia haberi poſſunt, confici debeant: id enim pretium, & color indicant. Nam cùm Minorum Habitus, vti ſæpè B. P. Franciſcus dicere ſolitus erat; Pauperiorum veſtes imitari debeat: planè conſtat, egenos, qui ſumma rerum omnium egeſtate laborant; non pretioſos, non coloratos; ſed viliores ſibi ad veſtitum pannos comparare. Quapropter ex Pontificis declaratione facilè colligitur; Minorum veſtimenta ita vilia eſſe debere, vt iuxta varias Regionum, ac Prouinciarum conditiones, viliores pauperum veſtes æmulentur.

XX. Eandem quoque declarationem adhibet Ioannes 22. Extrau. quæ incipit, *Quorumdam exigit*: Quòd verò vterque Pontifex, Miniſtris, Cuſtodibus & Guardianis, quænam maior, aut minor in panno vilitas cenſenda ſit, iudicium reliquerit; id indulgentiæ potiùs, ac fortè diſpenſationis fuit, propter collabeſcentem, tunc Religionis ſtatum: cùm tamen ea ſemper his Pontificibus mens fuerit; vt in Fratrum veſtibus, non modò vilitas; ſed & aſperitas, & paupertas relucerent; quæ maiorem vilitatem inſinuant, vt apertè tradit Ioannes 22. eadem Extrau. his verbis: *Ac inſuper, cuius, quantæque vilitatis indui eos ipſis veſtimentis oporteat: & an in veſtibus huiuſmodi, ſecundum Regulam, & Declarationes eorundem Prædeceſſorum noſtrorum, & præfatas Ordinis Conſtitutiones reluceat aſperitas, vilitas, & paupertas: vtrum, vel quantum ad colorem, precium, vilitatem, paupertatem quoque, ac cætera accidentia ſupradicta Fratres veſtimentis induantur, vt debent; ſuper quibus eorundem Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum conſcientias oneramus.*

Ioan. 22. Extrau. Quorundam exigit.

XXI. Horum Pontificum Declarationibus, inhæsêre Quatuor Magiſtri, qui grauiſſimam in Regulam Expoſitionem ediderunt: Hugo, Bartholomæus Piſanus, in Cap. 2. Regulæ; & altera Expoſitio abſque nomine Auctoris, quæ habetur in ſpeculo Minorum, in qua hæc leguntur: *Qualis autem vilitas imponatur, patet ex Cingulo, qui eſt vilis funiculus. Item patet ex nuditate pedum, & ex re-*

Specul. Minor. tract. 3.

*petiatione*



*petiatione ſaccina; quæ omnia hominum ſunt pauperculorum, & ſecundum Mundum, ſummè vilium.*

XXII. D. Bonauentura de Minorum habitus vilitate diſſerens, ait: *Quæcumque ſunt in vſu virorum pauperum, ſunt iuxta paupertatis Regulam menſuranda. Hæc vilitas in tribus attenditur: ſcilicet, in pretio, & in colore, & Superadditis alterius panni aſſumentis.* His ſuffragantur poſteriora Statuta Prouinciæ D. Bonauenturæ: in quibus ita decernitur. *Fratres deinceps ſint contenti vilioribus indumentis, vt noſtra ſancta præſefert profeſſio.* Hugo de Dina, & Bartholomæus Piſanus de noſtrarum veſtium vilitate agentes, hæc ſcribunt. *Antiquus fuit mos, tunicas pauperrimas habere, quas ſi contingat lacerari, non debent ſtatim nouæ procurari: ſed ipſæ debent repetiari de ſaccis, & aliis petiis; vt ipſe Beatus Franciſcus faciebat.* Porrò tunicæ pauperrimæ, ſi ſacci præſegminibus reſarciantur, an non viliſſimæ erunt?

S. Bonau. in Expoſit. Regul. ca. 2.

Statuta Prou. S. Bonauent. Hugo, & Bartholom. Piſan. in c. 2. Reg.

XXII. Cæterùm viliſſimis S. Franciſcum, ac Socios veſtibus vſos fuiſſe: eaſdémque Beatum Patrem ſuis impenſiùs commendaſſe; ex Ordinis Chronico paſſim perſpicuum eſt. Quo fit, vt Auctor nihil ſibi ſolidum vendicet; quo viliorem in Minoribus veſtem condemnet. Neque obſtat Martini V. Conſtitutio, quam is ad ſui præſidium adfert. Martinus enim idipſum duntaxat, quod priores Pontifices Clemens V. & Ioannes 22. declarauerant, ſua Conſtitutione decernit: cuius hæc ſunt verba: *Statuimus, & ordinamus, vt in generalibus Statutis prædicti Gullielmi habetur cap. 2. quòd veſtimentorum vilitas attendatur in pretio pariter, & colore: ita quòd ſemper in veſtimentis reluceat aſperitas, vilitas, & paupertas.* Quod verò deinde ſubiungit. *Ordinamus; quòd omnes Fratres veſtimentis talibus induantur, quòd nec ſint adeò pretioſa, quòd videntes ea, curioſitatem, vel vanitatem notare debeant: nec ita vilia, & groſſa, quod ipſa videntes ad terrorem inducant, & prouocent ad deriſum.* Eo Pontifex in primis nonnihil illorum temporum calamitati tribuere voluit: cùm enim ob communem Ordinis à Regulari obſeruantia lapſum, tunc pretioſitas, ac mollities in Fratrum veſtimenta paſſim graſſaretur: ſatis Pontifici viſum fuit; ſi pretioſitatem, ac curioſitatem à Fratrum veſtimentis auelleret: vilitatémque, quæ iam exoleuerat, in ea rurſus inueheret. Hic enim Pontifex floruit, anno Domini 1418. quo tempore, noua exurgente Obſeruantium Familia, Ordinis Reformatio excitata fuit. Cùm igitur in noua Obſeruantium Reformatione, efferueſcente paupertatis ſpiritu, plerique præ proprij contemptus ſtudio, adeò monſtruoſos habitus gererent; vt Religioſæ, ac Minoritanæ vilitatis honeſtatem excederent; eos Pontifex hac Conſtitutione compeſcuit: ne dum plus æquo ex habitu contemptibiles haberi volunt; Religionem in contemptum, ac deriſum pertrahant: vilitatis itaque vitium, ac monſtruoſitatem, non veſtium vilitatem; quæ quò maior eſt, eò magis Minoribus congruit: dummodò in monſtrum non degeneret, Pontifex damnat.

Mart. in V. Conſtit. in c. 2.

XXIV. His tandem ratio ex D. Thoma decerpta accedat: Certum namque eſt, ſuiipſius odium, ac contemptum Euangelicam virtutem eſſe, vnicuique conſultam: atque iis maximè, qui Euangelicam Regulam profitentur: quæ eò perfectior eſt, quò in ampliores, ac intenſiores ſe virtutis actus extendit. At cùm vilitas veſtium ad ſui ipſius odium, ac contemptum ſpectet; ſanè quò maior ea in exteriori homine apparet, eò magis virtus intus in animo intenditur, ac perficitur: ex quo facilè aduersùs Auctorem colligimus: Minores, qui ſuiipſorum contemptum ex Euangelica Regula profitentur; vilioribus, ac viliſſimis magis quàm communibus veſtibus, apud Deum, ac homines commendari.

Ex his qualis B. Franciſci Habitus fuerit: num Sordidus, turpis, indecorus; qualiſque Minorum, qui inter homines habitant, veſtis eſſe debeat, non obſcurè demonſtrauimus.

XXV. His igitur vndecim Demonſtrationibus abſolutis; quibus quadrati Caputij, ac vilioris Habitus genus, origo, inſtitutióque olim à B. Franciſco exorſa, ac per tot annorum curricula, in Orbe propagata; clariſſimis, ac vberrimis teſtimoniis à nobis probata fuit. Reliquum eſt, Beatiſſime Pater, vt

probata veritas ſuo apud Te, cui perenne, ac infallibile veritatis magiſterium, ac patrocinium à Deo commiſſum eſt, honore fruatur; benignitate foueatur; auctoritate comprobetur; poteſtate ſtabiliatur: ne dum variis fluctuantis Nauiculæ inſtar, ventorum procellis agitatur, vacillet; ac inſtabilis ſemper inter vndas fluctuet. Neque enim illius naufragium metuimus, cui è Cælo Rectorem inſidere non dubitamus: verùm ab inconcuſſa iſthac veritatis Sede inconcuſsè ea conſtabiliri optamus, quæ in Cæleſti ſede diuina olim inſtitutione firmata, primam ab ea vim, ac robur ſibi vendicarunt. Id humilis Capucinorum Congregatio ſanctiſſimis pedibus tuis prouoluta, à te ſupplex efflagitat; non vt vanum honorem, ac inanem exiſtimationem inter homines augeat: ſed vt diſſidiis pacem, calumniis finem, vexationibus modum, ſcandalis denique metam impoſitam, cernat.

*DEO OPT. MAX. GLORIA.*







# REGESTVM BVLLARVM, AC DIPLOMATVM, DE QVIBVS IN HOC PRIMO ANNALIVM TOMO FIT MENTIO.

*BVLLA EVGENII IV. DATA FLORENTIÆ OCT. KAL. Decembris, Anno* 1405. *in qua alia prior Gregorij IX. continetur, quibus datur facultas Eremitis Camaldulenſibus recipiendi quoſcunque Sæculares, ac Regulares, etiam Carthuſienſes: Congregationi Fr. Minorum Capucinorum ſpecialiter, & æquè principaliter communicata.*

EVGENIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filiis Priori, & vniuerſis Fratribus, Domus Fratrum Eremi Camaldulenſis præſentibus, & futuris: Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Illa quæ pro tranquillo perſonarum ſub Religionis habitu Domino famulari deſiderantium ſtudio, piæ vitæ ſtatu prouidè facta ſunt, vt illibata perſiſtant, cum à nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis robore communimus; eáque ampliamus, & extendimus, prout in Deo hoc conſpicimus ſalubriter expedire. Sanè dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Domus Eremi Camaldulenſis per Priorem ſolitę gubernari, nuper habita petitio continebat, quòd olim fel. record. Gregorius Papa IX. prædeceſſor noſter, Priori, qui tunc erat, & Fratribus dictæ Eremi, pro eorum, & ipſius Eremi incremento, quaſdam literas conceſſit in hæc verba. GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto Filio Priori Camaldulenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. FERVOR, & integritas Religionis, quæ in Domo tua, & præſertim in Eremo per beneplacitum Conditoris vigere cognoſcitur, inducit nos propenſiùs, & hortatur, vt petitiones tuas, quantum cum Deo poſſumus, prompto velimus animo exaudire. Hac itaque ratione inducti, tibi, & Fratribus tuis auctoritate Apoſtolica indulgemus, eos, qui de aliis Congregationibus venientes in Eremo veſtro (dummodò elegerint, & promiſerint ſub Ordine, & habitu veſtro in Eremo perpetuò deſeruire) liberè ſine cuiuſquam cõtradictione, retinere poſſitis: ità tamen quòd nõ permittatur in ſacris Ordinibus, niſi de ipſorum ordinatione certi fueritis, miniſtrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtram conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis

autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli ſe nouerit incurſurum. Datum Anagniæ ix. Kal. Iulij, Pontificatus noſtri Anno primo.

Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, propter diuerſa Priuilegia, & indulta diuerſis Congregationibus, diuerſarum Domorũ & Monaſteriorum poſtea per Apoſtolicam Sedem conceſſa, necnon diuerſas alias Conſtitutiones, & ordinationes editas, cõceſſioni præfati Prædeceſſoris noſtri plurimùm derogatum exiſtit: propter quod multi, qui in dicta Eremo Altiſſimo famulari affectant, ab eorũ propoſito retrahuntur. Quàre pro parte dictorum Prioris & Fratrum nobis fuerit humiliter ſupplicatum, vt eis ſuper hoc opportunè prouidere, dictæq; conceſſioni robur Apoſtolicæ confirmationis adiicere, & etiam quantum opus eſt, ipſam amplificare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de præmiſſis plenius informati, Prioris & Fratrum prædictorum ſupplicationibus inclinati, conceſſionẽ prædictam, nec non dictas literas, & quæcumque in eis contẽta, rata, & grata habẽtes, ea auctoritate Apoſtolica cõfirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio cõmunimus. Vobiſque vt omnes, & ſingulos, cuiuſcunque ordinis exiſtant, & de quibuſcunque Congregationibus, Domibus, ſeu Monaſteriis, ſiue Mendicantium, ſiue non Mendicantium, etiam Carthuſienſis Ordinis venerint, qui in Eremo veſtro, ſub Ordine, & Habitu veſtro in ipſa Eremo, Altiſſimo perpetuò famulari elegerint: Superiorum ipſorum licentia petitâ licet non obtenta, ſine cuiuſquam contradictione, & alias ſecundum præfati Prædeceſſoris noſtri in dictis literis contentam voluntatem, recipere, & retinere poſſitis, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Priuilegiis, & indultis quibuſcumque ſub quauis forma verborum in contrarium forſan factis, ſeu faciendis; De quibus etiam, & eorum totis tenoribus in præſentibus eſſet habẽda mentio ſpecialis: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, cõmunitionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Domini M. CCCV. Oct. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri Anno quinto. Gratis de mãdato D. N. Papæ. IOANNES DE STECCATIS.

*BVLLA CLEMENTIS VII. EDITA ANNO 1529. DIE 3. Septembr. qua antiqua Camaldulenſibus Priuilegia confirmantur, Congregationi Capucinorum æquè principaliter communicata.*

IN Nomine Sanctæ & Indiuiduę Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amẽ. Antonius Miſeratione diuina tituli S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis de Sancto Seuerino nuncupatus. Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas, ſiue præſens publicum trãſumptum inſpecturis, viſuris, lecturis, pariter & audituris Salutẽ in Domino ſempiternã, & præſentibus fidem indubiam adhibere. Notum facimus, & atteſtamur, vidiſſe, legiſſe, & diligẽter inſpexiſſe quaſdam literas Apoſtolicas fœl. record. Clementis Papæ VII. in forma Breuis ſub annulo Piſcatoris in cera rubea cordula pergaminea, vt moris eſt, circumdata à tergo earundem literarum impreſſo, expeditas, ſanas ſiquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, quarum quidem literarũ tenor de verbo ad verbũm ſequitur, & eſt talis. CLEMENS PAPA VII. AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Inter multiplices curas, quibus rerum occurrentium varietate diſtrahimur, illam libẽter amplectimur, per quam religioſa loca fundari, & ſtatus Religioſarum perſonarum in illis pro tempore degẽtium ampliari, ipſæque perſonæ Deo Duce, commodè, & honeſtè viuere poſſint. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Maioris, Viſitatorum, Priorum, & Fratrum Societatis Eremitarum S. Romualdi Ordinis Camaldulen. nobis nuper expoſitum fuit, quòd poſtquàm fel. record. Leo Papa X. Prædeceſſor noſter quondam Paulo Veneto, & quibuſdam aliis in literis, tũc expreſſis Eremitis, ſacræ Eremi Ordinis Camaldulenſium Aretin. Diec. expreſsè profeſſis ardore ma-

ioris



ioris obſeruantiæ, & perfectionis vitæ eremiticæ fruentibus, inter alia; quòd in quibuſdam locis etiam extra Italiam, & loca vltramarina, Monaſteria, Eremitoria, & religioſa loca erigere, & poſtquàm erecta forent, omnibus & ſingulis indultis, & priuilegiis quomodolibet à ſede Apoſtolica Eremitis ſacræ Eremi, huiuſmodi ac Cõgregationi eiuſdem Eremi, & Sancti Michaëlis de Murano cõceſſis gaudere, & habitum eiuſdem Religionis aliis exhibere poſſent, per ſuas in forma Breuis literas licentiã cõceſſerat: Et ipſe Paulus cũ vno Socio Eremita vigore cõceſſionis huiuſmodi, ad id electo, ad locum Criptarum nuncupatum Caſtri Maſſatij Æſinæ Diœceſis, qui tũc membrum Heremitarũ Sacræ Eremi prædicti erat, acceſſerat. Et ad eoſdem Paulum & Socium diuerſæ multarum partiũ, tàm Eccleſiaſticæ, & Religioſæ: quàm Seculares perſonæ in dies ad eoſdem venientes, cum eodem Paulò, & Socio ſe coniunxerant, & præfatis Paulo, ac Socio, & ſucceſſiuè receptis perſonis non nulla loca Eremitica partim ferè diruta, & partim ædificari cæpta, quæ poſtmodũ ipſi reſtauauerãt, & quaſi de nouo ædificauerãt, tàm à ſede Apoſtolica, quã à diuerſis Chriſti fidelibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis donata, & conceſſa fuerant. Vidẽſq; ipſe Paulus ſe tot perſonis, & locis quotidie multiplicari, ad tunc Congregationis Sacræ Eremi, & S. Michaëlis de Murano Vicariũ Generalem, ad præſens Generalem nuncupatum, & Viſitatorẽ acceſſerat, eiſdémq; ſeriem facti explicauerat; velléque tam ipſe, quàm cæteri Socij Eremitæ huiuſmodi ſub eorum obedientia, & viſitatione viuere declarauerat. Tunc Vicarius, nunc Generalis prædictus habens, vt aſſerebat, à Congregatione huiuſmodi omnimodam auctoritatẽ, ſynceritatem animi dicti Pauli cognoſcens, prædicta Eremitoria, videlicet quinque; Criptarũ Maſſatij, S. Hieronymi de Paſcelupo, Criptæ, S. Benedicti, S. Leonardi de Velubrio, ac S. Mariæ de Spiritu Sancto, Aeſinenſis, Eugubinæ, Anconitanæ, Firmanæ, & Larinæ, Diœceſum, à Sede Apodolica, aliiſq; Chriſti fidelibus prædictis eiſdẽ Paulo, & Sociis, vt præfertur conceſſa, & Eremitas in illis, ſic commorantes in eorũ Congregationem receperãt, ipſóſq; Paulum, & Socios receptos in Eremitas, eorũq; Eremitoria, & religioſa loca huiuſmodi in Societatẽ Eremitarum S. Romualdi per Maiorem, & tunc Correptores, nunc autem Viſitatores, Capitulum; & Eremitoriorũ, huiuſmodi ſingulorũ Priores, perpetuis futuris temporibus regenda, & gubernanda erexerat: Et eiſdẽ Paulo, & Eremitis prædictæ Societatis condendi, & celebrãdi generalia Capitula eiuſdem Societatis, & in eis Priores, Rectores, & alios Miniſtros eligendi. Et pro eiuſdem Societatis conſeruatione, & augmento Miſſas, & diuina officia in eorũ Capitulis celebrandi, Capitula generalia eiuſdẽ Societatis, & in eius Obſeruãtiam quæcũq; ſtatuta, Ordinatiões & Cõſtitutiones edẽdi, & pro tẽpore edita, corrigẽdi, reformandi, & mutandi: Quæ ſi cõtra ſubſtãtialia, Regulæ S. Benedicti non eſſent, à prædicto, tũc Vicario, & Viſitatorib. aut prędictę Cõgregationis Capitulis derogari, aut innouari, ſine dictorũ Eremitarũ cõſẽſu nõ poſſent: Ac alia loca quæcũq; & perſonas quaſcumq; in eadẽ Societate recipiendi; necnon quod eiuſdẽ Societatis Superior, ex tunc Maior nuncupãdus, per eiuſdem Congregationis Capitulũ de anno in annũ eligẽd⁹; loca, & perſonas de triẽnio in triẽniũ, & frequẽtiùs ſi ſibi videretur, viſitare deberet, licẽtiã cõceſſerat: & omnia & ſingula priuilegia, gratias, & immunitates Eremitis cõceſſas, & quomodolibet cõcedẽdas, tàm ſacræ Eremi Camaldulen. quàm totius prædictæ Congregationis eidem Societati Eremitarũ S. Romualdi loca, & perſonas cõmunia eſſe: dũmodo receptio, & admiſſio huiuſmodi per Capitulũ Generale Cõgregationis Sacrę Eremi, & S. Michaëlis de Murano prædictis approbaretur, voluerat: & prædicti Eremitę vigore cõceſſionis huiuſmodi in eorũ Capitulo cõgregati, nonnullas cõſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta ſuper tribus ſubſtãtialibus, & forſan aliis emittẽdis votis, ac regularibus inſtitutis Regulæ S. Benedicti, & diuinis officiis celebrãdis, ac aliis fœlicẽ dictæ Societatis, tàm in ſpiritualibus: quàm in tẽporalibus gubernationẽ, & directionem, ac honeſtè, & religioſè viuẽdi modũ cõcernentẽ ordinauerãt. Et poſtmodũ Præſidẽs, & Diffinitores Capituli Generalis Cõgregationis Sacræ Eremi, & S. Michaëlis prædictorũ, per eorũ ſpeciales literas dicta quinq; Eremitoria, & Societatẽ huiuſmodi ab eorũ Congreg. penitus ſeparauerũt; & diſſolutã, & ſeparatã eſſe declarauerũt, nullãq; ſibi eligẽdi Superiorẽ, necnõ Eremitoria, & illorũ perſonas huiuſmodi viſitãdi facultatem reſeruauerunt, quodq; prędicti Eremitę ad eorũ Superioris huiuſmodi electionẽ, prout eis viſu foret, procedere poſſẽt: ac in his, quę Eremitoria, & illorũ perſonas prędictas cõcernebãt, ac

quicquid

quicquid eidem Societati viſum foret, à ſede Apoſtolica petere poſſent, voluerunt. Nos prædicta omnia, & diſſolutionem huiuſmodi approbauimus, & confirmauimus, eiſque vnum dictæ Societatis Maiorem, & Correctores, nunc autem Viſitatores nuncupati, locorum Priores, & alios officiales, prout eis expedire videretur, per ſe ipſos annis ſingulis eligerẽ; qui eò ipſo quò electi forent, confirmati eſſe cenſerentur, indulſimus. Et ſucceſſiuè cùm ipſi pro dictæ Societatis commodiori gubernatione aliquas ex prædictis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & Capitulis eis diligentius, & maturius examinatis caſſaſſent; & aliquas de nouo ordinaſſent, & amotis quibuſdam ſuperfluis, in meliorẽ formam reformaſſent, illas etiam approbauimus, & confirmauimus: prout in diuerſis Inſtrumentis & Scripturis Vicarij Generalis, ac Viſitatorum, Præſidentis, & Diffinitorum, ac Prædeceſſoris, & noſtris diuerſis literis plenius continetur. Nos Maiorem, Viſitatorem, Priores, & Eremitas Societatis huiuſmodi præfatos amplioribus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, eorúmque in hac parte nobis porrectis ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, prædicta, & quæcumque alia eis pro nunc, & pro tempore dictæ Societati vbique terrarum conceſſa, & concedenda. Eremitoria, & religioſa loca huiuſmodi in Societatem Eremitarum S. Romualdi per Maiorem Superiorem nuncupati, Viſitatores, Capitulum, Priores, ac alios Officiales iuxtà dictæ Societatis, ſtatuta, & ordinationes recipienda, & retinenda, ac erigenda & gubernanda. Ita quòd omnes & ſinguli dictæ Societatis Fratres, præſentes, & futuri, quamuis in diuerſis locis, & extra Italiam, & loca vltra marina pro tempore maneant. Vnum tamen corpus, & vna Societas Eremitarum S. Romualdi Ordinis Camaldulen. perpetuis futuris temporibus exiſtant, & faciant; cum facultate celebrandi Generalia, Prouincialia, & alia Capitula eiuſdem Societatis, & in eis Superiorem Maiorem, Priores, Rectores, & alios Miniſtros eligenda, & pro eiuſdem Societatis cõfirmatione, & augumento, Miſſas, & alia diuina officia in eorum Capitulis celebranda, aliáque omnia, & ſingula, quæ ad ſimiles Societates pertinent, & pro tempore pertinebunt facienda, erigimus, & inſtituimus: Necnon ſeparationem, diſſolutionem, conceſſionem, & indultum, ac facultates eis quomodolibet conceſſas, conſtitutiones, ac ſtatuta per Capitulum dictæ Societatis Erectæ edita, & vt præfertur reformata, ac omnia & ſingula priuilegia, indulta, & gratias per Sedem Apoſtolicam dictæ Societati, vel per aliam facultatem habentem, etiam viuæ vocis oraculo, vel alias quomodolibet cõceſſa, & conceſſas approbamus, ac cõfirmamus, & ſtabilimus, ac robur Apoſtolicæ confirmationis habere decernimus. Supplentes omnes, & ſingulos, tàm iuris; quàm facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. Et pro potiori cautela Maioris, Viſitatorum, Priorum, Officialium, & aliorum Fratrum prædictæ Societatis illos, & illa quinque Eremitoria prædicta eidem Maiori, Viſitatoribus, Prioribus, & Fratribus eorũ erectæ Societatis pro tempore exiſtente de nouo cõcedimus, ac perpetuò vnimus, ac incorporamus. Quodq; omnes, & ſinguli dictæ Societatis erectæ Eremitæ Societatem ipſam profeſſi præſentes, & futuri in Capitulo Generali pro tempore faciendo in eo vocem habentes, pro fœlici dictæ Societatis ſtatu, & ſucceſſu alia ſtatuta, conſtitutiones, ordinationes, ac omnia & ſigula, quæ ſpiritualibus, & temporalibus ipſius Societatis, ac eius regularis diſciplinæ ſtatum, Obſeruantiam, indemnitatem, & circa diuini officij, & Miſſarum directionem, & ordinationem, ac cæremonias abſq; ipſius Regulæ in ſubſtantia vel effectu, variatione, interpretatione declaranda, & alia de nouo facienda, & ſic inſtituta, ordinata, interpretata, declarata, & de nouo facta in toto vel in parte, prout rerum, vel temporum qualitas exegerit, tollenda, & alteranda, & in melius commutanda. Necnõ pro honeſtate, qualitate vitæ Eremiticæ huiuſmodi Barbam deferendam plenam, & liberam eis concedimus facultatem. Quodque huiuſmodi Societatem, omnéſque & ſingulos Superiores Eremitas, Oblatos, Nouitios, Familiares, Seruitores, & perſonas dictæ Societatis nunc, & pro tempore exiſtenda, ac ac ipſius Monaſteria, Eremitoria religioſa, & alia loca quæcumque ac mobilia, & immobilia bona præſentia, & futura ad prædictam Societatem quomodolibet pro tempore pertinentia, & in poſterum eidem de nouo erectę Societati quandocumq;





ſeu quomodolibet vniri, & incorporari, ſeu ſubiici in perpetuum vel ad tempus contigerit; à quoruncumque Legatorum, etiam de latere, nec non Nuntiorum dictæ Sedis, ac quorumuis officialium Romanæ Eccleſiæ, & Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, & Inquiſitorum hæreticæ prauitatis; quacumque etiam Apoſtolica auctoritate, ac aliorum quorumcumque Iudicum Ordinariorum, & non Ordinariorum, quauis auctoritate, & poteſtate fungentium, Ditione, auctoritate, ſuperioritate, poteſtate, Dominio, Viſitatione, Reformatione, & correctione. Ita quòd contra dictam de nouo erectam Societatem, vel eius ſingulares perſonas, nec non Monaſteria, Eremitoria, & loca, & perſonas, ac familiares cùm eis degentes, ratione delicti, exceſſus, ſeu contractus, aut reide qua agetur vbicumque ineatur contractus; committatur delictum, aut reipſa conſiſtat; excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti; aut alias quaſuis ſententias, niſi de ſpeciali Sedis prædictæ commiſſione quomodolibet, directè, vel indirectè proferre, ſeu promulgare non poſſint. Nec non ab omnibus, & quibuſuis Decimis, collectis, exactionibus, gabellis, taleis, datiuis, datiis, tractis, ſubſidiis charitatiuis, impoſitionibus ordinariis, extraordinariis, Collegiis, Parrochianis, Vniuerſitatibus, Monaſteriis, Fabricis, & aliis quibuſcumque perſonis, quacumque auctoritate, & ex quavis cauſa, & conſideratione, etiam pro expeditione contra Infideles, aut Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut aliis imminentibus neceſſitatibus Sedis Apoſtolicæ, auctoritate prædictæ Sedis, vel quauis alia impoſitis, vel imponendis ſub quacumque verborum vi, & forma, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna exempti, & exempta cenſeantur, niſi de indulto, & Societate huiuſmodi ſpecialis, & expreſſa mentio fiat in literis Apoſtolicis. Et tunc non veram Decimam, ſed mediam auri vnciam Cameræ Apoſtolicæ ſoluendo pro omnibus eorum locis, ac Eremitoriis, bonis, & perſonis, liberationem conſequantur. Prorsùs eximimus, & totaliter liberamus, eáque omnia, & eorum quodlibet in ius, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ prædictæ, ac ſub eorum, & noſtra protectione ſuſcipimus: Quòd ſi Legati, Subdelegati, Ordinarij, aut aliæ perſonæ prædictæ contra exemptionem, & liberationem noſtram huiuſmodi quemquam attentare quoquomodo præſumpſerint, ac præſentium literarum vigore requiſiti per ipſius de nouo erectæ Societatis Prælatos, Eremitas, vel Procuratores eorum infra tres dies à die requiſitionis huiuſmodi computando, non deſtiterint, excommunicationis ſententiæ ipſo facto nouerint ſe ſubiectos: & ſi fortè aliter factum fuerit, eo ipſo ſit irritum, & inane, nulliúſque roboris, vel momenti. Prætcrea ipſis, vt Clericos eorum Ordinis ad primam tonſuram, & quatuor Ordines Minores; ad Sacros verò etiam ſi tempus à Canonibus ſtatutum non attigerint, per quemlibet Catholicum Epiſcopum in eorum locis, & alibi vbicumque eis commodum fuerit, abſque licentia Diœceſani etiam extra tempora, diebus tamen Dominicis, vel feſtis eos promoueri faciendi, & de eiſdem liberè conferendi, eumdémque pro conſecratione altarium, ſeu Eccleſiarum, pro oleo Sancto, & quolibet Eccleſiaſtico Sacramento eundi: & de licentia eorum Capituli generalis, ſeu Prouincialis, Hieruſalem, & alia loca Sancta viſitandi, & inibi habitandi, ac loca, & eleemoſynas etiam ab Infidelibus recipiendi licentiam, & facultatem concedimus. Et inſuper pro conſeruatione puritatis eorũ ſolitudinis, ne Mulieres ad eorum Eremitoria, etiam ſancti Hieronymi de Paſcelupo Eugubinæ Diœceſis præſentia, & futura intra videlicet per eos præfixos, vel præfigendos terminos, præter illos tantum dies, quos ipſi ſtatuerint, dummodo non vltra tres dies in quolibet anno accedere quomodolibet ſub excommunicationis pæna audeant, vel præſumant, Cellularum tamen ipſorum ingreſſu ſemper prohibito remanente. Inhibemus demum pro commoditate, & vtilitate Eremitoriorum, & locorũ huiuſmodi præſentiũ, & futurorum de licentia eorũ Capituli generalis, ſeu Prouincialis, eis, & cuilibet eorũ, ac pro tempore exiſtẽtibus, quæcumq; immobilia bona ad eos, eorumq; Eccleſias, Monaſteria, Eremitoria, altária, & loca huiuſmodi pro tempore ſpectantia, & pertinentia in

emphyteoſim perpetuam, vel ad tempus ſub aliquo annuo canone, ſiue cenſu, quibuſuis perſonis in euidentem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & regularium locorum huiuſmodi concedere, illáque pro aliis immobilibus bonis vtilioribus permutare, ſeu vendere, & alienare, & pretium inde veniens in aliis immobilibus bonis, Eccleſiis, Eremitoriis, & regularibus locis eorum vtilioribus, ac alias iuxta literas felic. recor. Pauli II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſ. non alien. Ita quod Priores, qui pro tempore fuerint, locorum huiuſmodi Iudices ad hoc, vt immobilia bona huiuſmodi in emphyteoſim, vel cenſu, aut alias danda, & permutanda, ſeu vendenda, & alienanda, coram eiſdem Iudicibus ſpecificentur, eligere poſſint, conuertere, & aliis cæteris Eremitoriis eorum Societatis, prout eis commodius viſum fuerit, pro eiuſdem Societatis conſeruatione applicare valeant, & quæcumque bona, etiam feudalia, & emphytheotica etiam Eccleſiaſtica eidem Societati, tàm inter viuos, quàm cauſa mortis, ſeu teſtamento, vel codicillo, dari, concedi, & relinqui liberè poſſint: ità tamen quòd ipſa ſocietas quoad eadem onera, ad quæ Donator, ſeu teſtator huiuſmodi occaſione bonorum eorundem tenebatur; & quæcumque alia quæ ipſe Donator, ſeu Teſtator etiam impoſuerit, omnino teneatur. Et ſi ad certum numerum generationum, aut nominationum eadem bona conceſſa fuerint, ipſa Societas, non perpetuò ſed per triginta annos, pro qualibet generatione, ſeu nominatione huiuſmodi bona eadem tenere poſſit; & finitis ipſis annis prædicta ad eorum directos Dominos deuoluantur, & abſque eorum conſenſu teneri non valeant.

Statuimus, & ordinamus vlterius ipſis de licentia Capituli Generalis, ſeu Prouincialis dictæ Societatis curam Animarum, Monaſterij Sancti Saluatoris de Monte Acuto, & Parochialium Sancti Michaëlis Archangeli, ac Prioratus Sancti Saluatoris de Fano, Peruſinæ, Tudertinæ, & Fanen. Diœceſ. & Eccleſiarum eidem Societati perpetuò canonicè vnitarum abdicare, & de conſenſu illarum Parochianorum, in loco dictis Parochianis accommodo alias Eccleſias, quibus cura Parochianorum prædictorum applicetur, conſtrui facere; ſeu alteri Parochiali, quæ Parochianis huiuſmodi accommoda fuerit, etiam de conſenſu illius Rectoris, cui pro huiuſmodi cura exercenda, quod inter eos conuentum fuerit, ſoluant; ac illas iuriſdictioni Ordinarij loci ſubiicere, ac loca quæcumque etiam per Eccleſiaſticas, & religioſas perſonas eis concedenda, recipere, & eorum vſui applicare. Nec non loca, ſiue Eremitoria pro tempore recepta perficere, & alia de nouo cum Eccleſiis, oratoriis, humili campanili, cellulis, & officinis neceſſariis conſtruere, ſeu conſtrui, & iam constructa pro conuenientiori eorum manſione demoliri facere, & ea ad aliorum locorum conſtructorum, ſiue de nouo conſtruendorũ vſum conuertere. Ac pro dicti Ordinis propagatione omnes, & ſingulos religioſos quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, & Congregationum, ac Monaſteriorum, & Eremitoria prædicta tanquam ad arctiorem vitam conuolare, & ſub Societate, & eorum habitu Altiſſimo famulari eligentes, Superiorum ſuorum licentia petita, licet non obtenta, abſque aliqua contradictione, vel obſtaculo recipere, ipſíque ſic recepti, & in eadem Societate, ſiue ordine profeſſi, ad omnia officia, & dignitates Societatis eorundem Eremitarum promoueri, & aſſumi liberè, & licitè valeant, indulgemus. Poſtremo Maiori, ac omnibus, & ſingulis Viſitatoribus, Prouincialibus, Prioribus, & aliis Officialibus, ac Fratribus, ſiue Eremitis prædictis; vt ipſi omnes, & ſinguli, ac commiſſi, Oblati, Nouitij, Seruitores, Familiares, Benefactores, & aliæ perſonæ, ac etiam Oratoria, Eccleſiæ Monaſteria, Eremitoria, & loca, & quæcumque bona, & cætera alia eiuſdem Societatis pro tempore pertinentia omnibus, & ſingulis indulgẽtiis, peccatorum remiſſionibus, gratiis, conceſſionibus, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, priuilegiis, præeminentiis, prærogatiuis, libertatibus, fauoribus, licentiis, & indultis Apoſtolicis, vel aliter qualiacumque ſint. Quibus omnes, & ſinguli Ordines, Congregationes, Societates, & Monaſteria, ſub approbatis regulis degentes, ſeu militantes, ac degentia, ſeu militantia, eorúmque Superiores, Generales,





Prouinciales, & particulares Monachi, ſeu Religioſi, Commiſſi, Oblati, Nouitij, Familiares, Seruitores, Benefactores, & aliæ perſonæ, eorum Eccleſiæ, Oratoria, & alia quæcumque bona, quæ omnia, ac ſi nominatim exprimerentur hic habere volumus, pro ſufficienter expreſſis coniunctim, & diuiſim eis, & cuilibet ipſorum, in genere, vel ſpecie, etiam viuæ vocis oraculo, vel alias quomodolibet conceſſis, ſeu concedendis, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus; tam in communi, quàm in particulari, ſeu aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent; ſeu vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, abſque vlla differentia, tam in communi, quàm in particulari; vel alias quomodolibet vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, & poſſint tenore præſentium, & in perpetuum: ac etiam de nouo concedimus pariter, & indulgemus; & in eis locum habere volumus, ac ſi eiſdem omnia, & ſingula præmiſſa directè, & expreſsè, conceſſa fuiſſent, exceptis his, quæ eſſent contra eorum Conſtitutiones approbatas, ac ordinationes, & declarationes capitulares factas & pro tempore faciendas. Ac vt dum Priuilegiorum, Conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, gratiarum, & indultorum eorum, & cuiuſlibet dictorum Ordinationum, Congregationum, Societatum, & Monaſteriorum Originales literæ, ſeu tranſumpta authentica, ex illis prout in fauorem dictæ Societatis eiuſque Superiorum, Eremitarum, Commiſſorum, Oblatorum Nouitiorum, Familiarium, Seruitorum, Benefactorum, & perſonarum, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Eremitoriorum, locorum, bonorum, & aliorum cæterorum eiuſdem Societatis adducerentur, vel exhiberentur, eadem Fides indubia adhibeatur; tam in Iudicio quàm extra, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac ſi pro, & in fauorem eorum Societatis, Eccleſiarum, Eremitoriorum, & Monaſteriorum, Fratrum, & perſonarum, ac bonorum prædictorum, & prædictarum à Sede Apoſtolica emanaſſent; ac eis, & cuilibet ipſorum fuiſſent immediatè conceſſæ, mandamus: Necnon quòd præſentium Tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici munitis, vbique ſtetur, prout Originalibus literis ſtaretur, & plena Fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus daretur, ſi eſſent exhibitæ, & oſtenſæ: Quódque eædem præſentes literæ, & in eis contenta quæcumque ſub quibuſuis reuocationibus, modificationibus, limitationibus, & ſuſpenſionibus quarumcumque literarum, gratiarum, & diſpenſationum, per nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio ex certa ſcientia, ſeu ad Imperatoris, Regum, & Ducum inſtantiam conceſſis, & concedendis, nullatenus comprehendantur, ſed ſemper ab illis exceptæ ſint, & eſſe cenſeantur, & quotiens reuocata, modificata, limitata, ſuſpenſa, aut alterata forent; in eo ſtatu, in quo ante reuocationem, modificationem limitationem, ſuſpenſionem repoſitæ, reſtitutæ, & integratæ, & ſi opus fuerit de nouo conceſſæ ſint, & eſſe cenſeantur; & quotieſcúmque per aliquem, aut plures actus contra ea, aut idipſum, à quocunque cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis fuerit, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, quibus ea conceduntur, aut alia quauis cauſa, ſcienter, vel ignoranter attentari, vel attentata obſeruari contigerit; nullum tamẽ propterea exemptionibus, immunitionibus, libertatibus, gratijs, indultis, & priuilegiis huiuſmodi præiudicium generetur: ſed ea omnia, & ſingula in ſuo robore, & firmitate permaneant; præſentes literas abſque aliorum inſtrumentorum, literarum prædictarũ productione, & oſtenſione ad probandum plenè omnia, & ſingula ſuperiùs enarrata, ſpecificata in Iudicio, & extra vbique ſufficere: nec ad id probationis alterius adminiculum requiri: Et ſi fortè contigerit aliquod dubium in dictis per nos confirmaris, & præſentibus literis, aut aliquo eorum pro tempore emergi data verborum ambiguitate, in Iuriſperitorum interpretatione dictæ Societatis de nouo erectæ, ac illius locorum particularium, & perſonarum fauorem interpretari debere. Sicque per quoſcumque Iudices Ordinarios, extraordinarios, ac delegatos, & cauſarum Palatij Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſententiari, iudicari, & diffiniri debere; ſublata eis, & eorum cuilibet quacumque alia iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Irritum quoque, & inane quicquid ſecus fieri, ſiue attentari contigerit, decernimus:

mandantes harum ſerie vniuerſis,& ſingulis,Patriarchis,Archiepiſcopis,Epiſcopis, Abbatibus,& aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, ac quarumcumq; Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum Canonicis; nec non prædictorum Patriarcharum, & Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in ſpiritualibus Vicariis generalibus, quatenus ipſi, vel duo,aut vnus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes noſtras, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes,ipſiſque Eremitis, ſiue Fratribus, ac perſonis prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem Eremitas, ac alias perſonas omnibus præmiſſis pacificè frui,& gaudere,non permittentes ipſos,ſeu ipſas ſuper his per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradicentes quoſlibet, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia opportuna appellatione poſtpoſita compeſcendi, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus;cenſuras,& pœnas ipſas iteratis vicibus aggrauantibus inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, non obſtantibus præmiſſis, ac recol, mem. Bonifacij octaui de vna, & de duabus dietis in Concilio Generali edita dummodo, non vltra tres:ac Innocentij I V. contra exemptos,quæ incipit. *Volentes.* & Pauli I I. ſuper alienat.bon.& etiam Eccleſiaſticorum, ac Religioſorum locorum; nec non noſtræ, qua inter alia volumus, quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis vnire, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundùm communem æſtimationem etiam beneficij, cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio non valeret; & ſemper in vnionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, & aliis Apoſtolicis, nec non in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus,ac prædictarum Eccleſiarum,Monaſteriorum religioſorum locorum, & Ordinum quorumcunque, etiam Camaldulenſium huiuſmodi, & Hoſpitalis S. Antonij de S. Antonio Viennen, & aliarum, ac etiam Mendicantium, & non Mendicantium ſtatutis,conſuetudinibus etiam illis in quibus cauetur,vt Mulieres ad dictum Eremitorium S.Hieronymi de Paſcelupo ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna nunquam accedant, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque & indultis, ac literis Apoſtolicis Camaldulen.aliiſque ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium,& Militiarum Monaſteriis, Eccleſiis, & Hoſpitali S.Antonij huiuſmodi, nec non vniuerſitatibus,Congregationibus,Societatibus,Communitatibus, Collegiis, & cæteris aliis perſonis, & locis per nos, & ſedem prædictam ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus & inſolitis, illis præſertim,quibus inter alia caueri dicitur expreſsè. Quod nulli Fratres, ſeu Monachi de dictis etiam Mendicantium Ordinibus ad alium Ordinem, etiam ſtrictiorem tranſeuntes,per Superiores, Priores, & alios Fratres Ordinum, aut Societatum,ad quos ſe tranſtulerint, etiam de licentia eorundem Superiorum petita, & obtenta recipi, & admitti poſſint; alias recipientes,& recepti excommunicationis ſententia incurrant, ipſique ſic vel alio modo recepti ad aliquod officium,ſeu prælaturam eiuſdem ordinis, in quo recipiuntur,eligi non poſſint abſque Apoſtolicæ Sedis ſpeciali & expreſſa licentia per ipſius Sedis patentes literas concedenda,facientes plenam,& certam, & determinatam de ſtatuto, & ordinatione huiuſmodi expreſſam,& indiuiduam mentionem. Quibus omnibus,etiam ſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa,& indiuidua mentio, ſeu quæuis, alia expreſſio habenda, vel aliqua alia exquiſita forma ſeruanda foret, eorum omnium tenores,& formas illarum cõceſſionum, ac ſi de verbo ad verbum infererentur,præſentibus pro ſufficienter expreſſis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris,hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteríſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem,quòd prædicti Eremitæ ſuper præmiſſis Bullam,ſeu literas ſub plumbo infra annum à Data præſentium computandum,expediri facere teneantur, alioquin elapſo dicto anno, præſentes literæ nullius ſint roboris vel momenti. Datum Romæ apud S.Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 3. Septembris 1529. Pontificatus





noſtri anno 6. Et infrà ſub plica. Balthaſar de Piſcia. Super plicam. F. Galleanus. Quibus quidem literis diligenter inſpectis ipſas per Notarium publicum infraſcriptum exemplari,& ſubſcribi,ac in publicam Tranſumpti formam redigi, ſigillique noſtri; quo in talibus vtimur iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Decernentes,& volentes huic præſenti tranſumpto talem,& tantam fidem adhibendam fore,& adhiberi in Iudicio,& extra coram quibuſcumque Iudicibus,& perſonis Eccleſiaſticis, & Secularibus, ac in omnibus locis; qualis, & quanta dictis literis Apoſtolicis adhiberetur. Quibus omnibus,& ſingulis auctoritatem noſtram, & decretum interpoſuimus,& interponimus per præſentes. Datum Romæ in Ædibus noſtræ habitationis, ſub Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione 10. de verò Sabbathi 8. Menſis Martij, Pontificatus S. D. N. Papæ Pauli I I I. Anno 3. Præſentibus ibidem Venerabilibus Viris Claudio Rotario,& Franciſco Ciro Cler. Tulenſis & Firmannenſis reſpectiuè Diœſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Et ego Claudius Sappart Clericus Senonenſis Diœceſis, publ. Apoſtolica auctoritate Notarius, & in Archiuio Romano Cur. deſcriptus & Matriculatus. Præmiſſis omnibus, & ſingulis dum ſic, vt præmittitur fierent, vnà cùm prænominatis teſtibus interfui, eáque omnia præmiſſa ſic fieri vidi, & audiui. Hoc igitur præſens publicum tranſumptum, cum ipſius originali comprobaui, & concordaui, ac ſubſcripſi & publicaui. Signóque, Nomine, & cognomine meis ſolitis, & conſuetis. Signaui in Fidem, robur, & teſtimonium præmiſſorum vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

A tergo Pergamenæ,
Tranſumptum Breuis magni Camaldulenſium Clementis V I I.

*Loco ſigilli pendentis.*

## *BVLLA, PAVLI TERTII, EDITA ANNO 1534. qua confirmantur omnia Priuilegia Camaldulenſibus antea conceſſa, & Congregationi Capucinorum æquè principaliter communicata.*

GVIDO Alcanius Sfortia Sanctorum Viti,& Modeſti in Macello Martyrum, Diaconus Cardinalis de ſancta Flora nuncupatus S.D.N.Papæ, & S.R.E.Camerarius. Vniuerſis, & ſingulis, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſeu quibus oſtenſæ fuerint,ſalutem in Domino, & eiſdem præſentibus literis Fidem indubiam adhibere. Rationi congruit, & honeſtati conuenit, vt ea, quæ à Romanis Pontificibus proceſſerunt, & in Archiuio S.Rom. Eccleſiæ ad perpetuam rei memoriam, vt illibata permaneant, recondita, & regiſtrata reperiuntur, cùm ab aliquibus petitur, veritatis teſtimonium perhibeatur. Hinc eſt quòd nos ad Vniuerſitatis veſtræ, & cuilibet veſtrum notitiam deducimus, & per præſentes indubitanter atteſtamur, quòd in Archiuio Cameræ Apoſtolicæ, vidimus, palpauimus, & legimus quaſdam literas Apoſtolicas S.D.N. D. Pauli Diuina Prouidentia Papæ I I I. libro quadrageſimo, fol. 1016. bullatas, tenoris infraſcripti videlicet.

A. Gratia Dei. PAVLVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit,& cõuenit honeſtati, vt ea, quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet eius ſuperuenienti obitu, literæ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum; Dudum Fœlic. record. Clementi Papæ V I I. Prædeceſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum Maioris, Viſitatorum, Priorum, & Fratrum Societatis Eremitarum ſancti Romualdi Camaldulenſis Ordinis expoſito, quòd olim poſtquàm piæ memoriæ, Leo Papa X. etiam Prædeceſſor noſter quondam Paulo Veneto, & quibuſdam aliis in literis,

tunc expreſſis Eremitis, Sacræ Eremi dicti Ordinis Aretinæ Diœceſis, expreſsè profeſſis ardore maioris obſeruantiæ, & perfectioris vitæ Eremiticæ feruentibus inter alia, quòd in quibuſuis locis, etiam extra Italiam, & loca vltramarina Monaſteria, Eremitoria, & Religioſa loca erigere, & poſtquàm erecta fuerint, omnibus, & ſingulis Indultis, & Priuilegiis, quomodolibet à Sede Apoſtolica Eremitis Sacræ Eremi huiuſmodi, ac Congregationi eiuſdem Eremi, & S. Michaëlis de Murano conceſſis, gaudere, & Habitum eiuſdem Religionis, aliis exhibere poſſent, per ſuas in forma Breuis literas licentiam conceſſerat: Et ipſe Paulus cum vno Socio Eremita vigore conceſſionis huiuſmodi, ad id electo, ad locum Caſtri Maſſacij, Aeſinæ Diœceſis, qui tunc membrum Eremitarum Sacræ Eremi prædicti erat, acceſſerat. Et ad eoſdem Paulum, & Socium diuerſæ multarum partiũ, tam Eccleſiaſticæ, & Religioſæ, quàm Seculares perſonæ in dies ad eoſdem venientes, cùm eodem Paulo, & Socio ſe coniunxerant; & præfatis Paulo, & Socio, & ſucceſſiuè receptis perſonis, nonnulla loca Eremitica, partim ferè diruta, & partim ædificari cæpta, quæ poſtmodum reſtaurauerant, & quaſi de nouo ædificauerant, tam à Sede Apoſtolica, quàm à diuerſis Chriſti Fidelibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis donata, & conceſſuerant.

Vidénſque ipſe Paulus ſe tot perſonis, & locis quotidie multiplicari, ad olim Congregationis Sacræ Eremi, & S. Michaëlis de Murano Vicariũ Generalem, tunc verò Generalem nuncupatum, & Viſitatores acceſſerat, eiſdémq; ſeriem facti explicauerat, velléque tam ipſe, quàm cæteri Socij Eremitæ huiuſmodi ſub eorũ obedientia, & viſitatione viuere declarauerat. Olim Vicarius tunc Generalis prædictus habens, vt aſſerebat, à Congregatione huiuſmodi omnimodam auctoritatem, ſinceritatem animi dicti Pauli cognoſcens, præfata Eremitoria, videlicet quinque, Cryptarum Maſſacij, S. Hieronymi de Paſcelupo, Cryptæ S. Benedicti in Monte Conaro, S. Leonardi de Volabrio, ac S. Mariæ de Spiritu Sancto, Aeſinæ, Eugubinæ, Anconitanæ, Firmanæ, & Larinæ Diœceſis à Sede prædicta, aliiſque Chriſti Fidelibus prædictis eiſdem Paulo, & Sociis, vt præfertur conceſſa, & Eremitas in illis, tunc commorantes in eorum Congregationem receperat, ipſóſque Paulum, & Socios receptos Eremitas, eorúmque Eremitoria, & Religioſa loca huiuſmodi in Societatem Eremitarum S. Romualdi per Maiorem, & olim Correctores, tunc autem Viſitatores, Capitulũ, & Eremitoriorum huiuſmodi ſingulorum Priores, perpetuis futuris temporibus regendã, & gubernandam erexerat. Et eiſdem Paulo, & Eremitis prædictæ Societatis condendi, & celebrandi Generalia Capitula eiuſdem Societatis, & in eis Priores, Rectores, & alios Miniſtros eligendi, & pro eiuſdem Societatis conſeruatione, & augmento Miſſas, & alia diuina officia in eorum Capitulo celebrandi, Capitula generalia eiuſdem Societatis, & pro eius Obſeruantia quæcumque Statuta, & Ordinationes, & Conſtitutiones edendi, & pro tempore edita corrigendi, reformandi, & mutandi: quæ ſi contra Subſtantialia Regulæ S. Benedicti non eſsẽt, à prædicto, tunc Vicario, & Viſitatoribus, aut prædictæ Congregationis Capitulis derogari, aut innouari ſine dictorum Eremitarum conſenſu non poſſent; & alia loca quæcumque, & perſonas, quaſcumque in eadem Societate recipiendi; Necnon quòd eiuſdem Societatis Superior, ex tunc Maior nuncupandus, per eiuſdem Congregationis Capitulum, de anno in annum eligendus loca, & perſonas de triennio in triennium, & frequentiùs ſi ſibi videretur, viſitare deberet, licentiam conceſſerat; Et omnia, & ſingula priuilegia, gratias, & immunitates Eremitis conceſſas, & quomodolibet concedendas, tam Sacræ Eremi Camaldulenſis, quàm totiùs prædictæ Congregationis eidem Societati Eremitarum S. Romualdi, loca, & perſonas communia eſſe, dummodo receptio, & admiſſio huiuſmodi per Capitulum Generale Congregationis Sacræ Eremi, & ſancti Michaëlis de Murano prædictis approbaretur, voluerat. Et prædicti Eremitæ vigore conceſſionis huiuſmodi, in eorum Capitulo congregati, nonnullas Conſtitutiones, Ordinationes, & Statuta ſuper tribus ſubſtantialibus, & forſan aliis emittendis votis, ac regularibus Inſtitutis Regulæ ſancti Benedicti, & diuinis Officiis celebrandis, ac aliis felicem dictæ Societatis, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus gubernationem, & di-

rectionem



rectionem, ac honeſtè, ac religioſè viuendi modum concernentia, ordinauerant. Ac poſtmodum Præſidens, & diffinitores Capituli Generalis Congregationis Sacræ Eremi, & ſancti Michaëlis prædictorum per eorum ſpeciales literas, dicta quinque Eremitoria, & Societatem eiuſmodi ab eorum Congregationibus penitus ſeparauerant, & diſſolutam, & ſeparatam eſſe declarauerant, nullámque ſibi eligendi Superiorem, necnon Eremitoria, ac illorum perſonas huiuſmodi viſitandi facultatem reſeruauerant. Quódque prædicti Eremitæ ad eorum Superioris huiuſmodi electionem, prout eis viſum foret, procedere poſſent: ac in iis, quæ Eremitoria, & illorum perſonas prædicta concernebant, ac quicquid eidem Societati viſum foret, à Sede Apoſtolica petere poſſent, voluerant. Præfatus Clemens Prædeceſſor prædicta omnia, & diſſolutionem huiuſmodi approbauerat, & confirmauerat, eiſque vnum dictæ Societatis Maiorem, & Correctores, nunc autem Viſitatores nuncupatos, locorum Priores, & alios Officiales, prout eis expedire videretur per ſeipſos ſingulis annis eligendi; Qui eo ipſo, quò electi forent, confirmati eſſe cenſerentur, indulſerat. Et ſucceſſiuè, cum ipſi pro dictæ Societatis commodiori gubernatione, aliquas ex prædictis Conſtitutionibus, Ordinationibus, & Capitulis, eis diligentiùs, & maturiùs examinatis, ceſſaſſent, & aliquas de nouo ordinaſſent, & amotis quibuſdam ſuperfluis in meliorem formam reformaſſent. Idem Clemens prædeceſſor illas etiam approbauerat, & confirmauerat, prout in diuerſis Inſtrumentis & Scripturis Vicarij Generalis, ac Viſitatorum, Præſidentis & Diffinitorum prædictorum, ac ipſorum Leonis & Clementis prædeceſſorum diuerſis literis dicebatur pleniùs contineri.

Ac pro parte eorundem Maioris, Viſitatoris, Priorũ, Fratrum, & Eremitarum, eidem Clementi prædeceſſori humiliter ſupplicato, vt ex prædictis, & aliis eis conceſſis, & concedendis locis, vnam tãtum Societatem Eremitarum S. Romualdi erigere, & inſtituere præmiſſis, & aliis infraſcriptis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ firmitatis adiicere, & alias in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaretur; præfatus Clemens prædeceſſor, qui ad ea per quæ ſtatus religioſarum perſonarum florere, ipſæque perſonæ acceptiùs diuinis beneplacitis ſe coaptare poſſent, ſolertiæ ſuæ curas libenter dirigebat, Volens Maiorem, Viſitatores, Priores, Officiales, ac Eremitas Societatis huiuſmodi ampliori Apoſtolici fauoris præſidio complecti, ac eos, & eorum ſingulos à quibuſuis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, &c. huiuſmodi ſupplicationibus inclinatus, Sub Dat. videlicet tertio Nonas Septembris, Pontificatus ſui Anno ſexto, auctoritate Apoſtolica, ex prædictis, & quibuſcumque aliis eis tunc, & pro tempore dictæ Societati vbiq; terrarum conceſſis, & concedendis, ac per eos recipiendis, & retinendis Eremitoriis, & religioſis locis, pro tempore degẽtium Societatem Eremitarum S. Romualdi nuncupandam, per Maiorem Superiorem Nuncupatum, Viſitatores, Capitulum, Priores, ac alios Officiales, iuxtà ipſius Societatis ſtatuta, & ordinationes regendam, & gubernandam.

Ita quòd omnes, & ſinguli dictæ Societatis Fratres, præſentes, & futuri, quamuis in diuerſis locis etiam extrà Italiam, & loca vltra Marina pro tempore manerent, vnum tamen corpus, & vnica Societas Eremitarum ſancti Romualdi Camaldulenſium Ordinis, perpetuis futuris temporibus exiſterent, & facerent; cum facultate celebrandi Generalia, Prouincialia, & alia Capitula eiuſdem Societatis, & in eis ſuperiorem, Maiorem, Priores, Rectores, & alios Miniſtros eligendi, & pro eiuſdem Societatis conſeruatione, & augumento Miſſas, & alia diuina officia in eorum Capitulis celebrandi, aliáque & ſingula quæ ad ſimiles Societates pertinebant, & pro tempore pertinerent faciendi, erexit, & inſtituit.

Nec non ſeparationem, diſſolutionem, conceſſionem, & Indulta, ac facultates eis quomodolibet conceſſa; ac Conſtitutiones, & ſtatuta per Capitulum dictæ erectæ Societatis edita, & vt præfertur reformata, omnia, & ſingula priuilegia, indulta, & gratias per Sedem eandem dictæ Societati, vel per alium fa-

 culta

cultatem habentem, etiam viuæ vocis oraculo, vel aliàs quomodolibet conceſſa, & conceſſas, auctoritate prædicta approbauit, confirmauit, ſtabiliuit, ac robur Apoſtolicæ confirmationis habere decreuit. Supplens omnes & ſingulos tam Iuris, quàm facti defectus, ſi qui forſan interuenerant in eiſdem. Et pro potiori cautela Maioris, Viſitatorum, Priorum, Officialium, & aliorum Fratrum prædictæ Societatis, illas, & illa quinque Eremitoria prædicta eidem Maiori, Viſitatoribus, Prioribus, & Fratribus eorum erecta Societatis pro tempore exiſtentibus de nouo perpetuò conceſſit, & aſsignauit. Quodque omnes & ſinguli dictæ Societatis erectæ Eremitæ Ordinem prædictum in ipſa Societate profeſsi tunc præſentes, & futuri in Capitulo generali pro tempore celebrando, & in eo vocem habentes, pro fœlici dictæ Societatis ſtatu, & ſucceſſu, alia ſtatuta, Conſtitutiones, ordinationes, ac omnia, & ſingula, quæ in ſpiritualibus, & temporalibus ipſius Societatis, ac eius regularis diſciplinæ ſtatum, obſeruantiam, indemnitatem, & circa diuini Officij, & Miſſarum directionem, & ordinationem, ac ceremonias abſque ipſius Regulæ in ſubſtantia, vel in effectu variatione, interpretatione, vel declaratione, quoquomodo concernere poſſent, inſtituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, & alia de nouo faciendi, & ſic inſtituta, ordinata, interpretata, declarata, & de nouo facta in toto, vel in parte, pro vt rerum & temporum qualitas exigeret tollendi, & alterandi, ac in melius commutandi. Nec non pro honeſtate, & qualitate vitæ Eremiticæ huiuſmodi, barbam deferendi plenam, & liberam eis conceſſit facultatem. Ac huiuſmodi Societatem, omnéſque & ſingulos Superiores, Eremitas, Oblatos, Nouitios, Familiares, Seruitores, & perſonas dictæ Societatis tunc pro tempore exiſtentes, ac ipſius Monaſteria, Eremitoria, Religioſa, & alia loca quæcumque, ac mobilia, & immobilia bona tunc præſentia, & futura ad prædictam Societatem quomodolibet pro tempore pertinentia, & in poſterum eidem de nouo erectæ Societati quandocumque, ſeu quomodolibet vniri, vel incorporari, ſeu ſubiici in perpetuum, vel ad tempus contingeret à quorumcumque Legatorum, etiam de latere, nec non Nunciorum dictæ Sedis, ac quorumuis officialium Romanæ Curiæ, & Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Electorum, & Inquiſitorum hæreticæ prauitatis quacumque etiam Apoſtolica auctoritate, ac aliorum quorumcumque Iudicum Ordinariorum, & non Ordinariorum quauis auctoritate, & poteſtate fungentium, ditione, auctoritate, ſuperioritate, dominio, viſitatione, reformatione, & correctione. Ita quòd contra dictam de nouo erectam Societatem, vel eius ſingulares perſonas, nec non Monaſteria, Eremitoria, & loca, & perſonas, ac familiares cum eis degentes ratione delicti, exceſſus, ſeu contractus, aut rei de qua ageretur vbicumque: iniretur contractus, committeretur delictum, aut res ipſa conſiſteret, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aut alias quaſuis ſententias, niſi de ſpeciali Sedis prædictæ commiſſione quomodolibet directè, vel indirectè proferre, ſeu promulgare non poſſent. Nec non ab omnibus, & ſingulis Decimis, Collectis, Exactionibus, Gabellis, Talleis, Datiuis, Datiis, Tractis, Subſidiis charitatiuis, impoſitionibus ordinariis, extraordinariis, Collegiis, Parochianis, Vniuerſitatibus, Monaſteriis, Fabricis, & aliis quibuſuis perſonis quacumque auctoritate, & ex quauis cauſa, & conſideratione, etiam pro expeditione contra infideles, aut fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut aliis imminentibus neceſſitatibus Sedis prædictæ, auctoritate eiuſdem Sedis, vel quauis alia impoſitis, & imponendis ſub quacumque verborum vi, & forma etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, exempti, & exempta cenſerentur, niſi de Indulto, & Societate huiuſmodi ſpecialis, & expreſſa mentio in literis Apoſtolicis fieret, & tunc non veram decimam, ſed mediam auri vnciam Cameræ Apoſtolicæ ſoluendam pro omnibus eorum locis, ac Eremitoriis, bonis,



& perſonis liberationem conſequerentur, prorſus exemit, & totaliter liberauit: eaque omnia, & eorum quodlibet in Ius, & proprietatem Beati Petri, & Sedis prædictæ, ac ſub eorũ, & dictæ Sedis protectione ſuſcepit. Et ſi Legati, & Sŭbdelegati, Ordinarij, aut aliæ perſonæ prædictæ, contra exemptionem, & liberationem huiuſmodi quicquam attentare quoquo modo præſumerent, ac literarum deſuper conficiendarum vigore requiſiti, per ipſius de nouo erectæ Societatis Prælatos, Eremitas, vel Procuratores eorum infra tres dies, à die requiſitionis huiuſmodi computandos non deſiſterent, excommunicationis ſententiæ, ipſo facto noſcerent ſe ſubiectos. Et ſi fortè aliter factum foret, eò ipſo eſſet irritum, & inane, nulliuſque roboris vel momenti. Præterea ipſis, vt Religioſos eorum Ordinis ad primam Tonſuram, & quatuor Minores Ordines promouendi. Ad Sacros verò etiam ſi tempus à Canonibus ſtatutum non attingerent, per quemlibet Catholicum Epiſcopum in eorum locis, & alibi vbicumque eis commodum foret, abſque licentia Diœceſani, etiam extra tempora diebus tamen Dominicis, vel feſtiuis, eos promoueri faciendi, ac illos eis liberè conferendi, eundemque Epiſcopum pro conſecrationibus Altarium, ſeu Eccleſiarum, ac pro oleo Sancto, & quolibet Eccleſiaſtico Sacramento adeundi, & de licentia eorum Capituli Generalis, ſeu Prouincialis, Hieruſalem, & alia loca ſancta viſitandi, & inibi habitandi, ac loca, & eleemoſynas etiam ab Infidelibus recipiendi licentiã, & facultatem conceſſit. Et inſuper pro conſeruatione puritatis eorum Solitudinis, ne Mulieres ad eorum Eremitoria, etiam Sancti Hieronymi de Paſcelupo Eugubinæ Diœceſis, tunc præſentia, & futura, intra videlicet per eos præfixos, ſeu præfigendos terminos, præter illos tantùm dies, quos ipſi ſtatuerent, dummodo non vltra tres dies in quolibet anno, accedere quomodolibet ſub excommunicationis pœna auderent, vel præſumerent: cellularum tamen ipſorum ingreſſu ſemper prohibito manente, inhibuit: Demum pro commoditate, & vtilitate Eremitoriorum, & locorum huiuſmodi, tunc præſentium & futurorum de licentia eorum Capituli Generalis, ſeu Prouincialis, eis, & cuilibet eorum ac pro tempore exiſtentibus, quæcumque immobilia ad eos, eorumque Eccleſias, Eremitoria, altaria, & loca huiuſmodi pro tempore ſpectantia, & pertinentia in emphiteuſim perpetuam, vel ad tempus ſub aliquo annuo Canone, ſeu Cenſu quibuſuis perſonis in euidentem Eccleſiarum Monaſteriorum, & Regularium locorum huiuſmodi vtilitatem concedere, illaque pro aliis immobilibus vtilioribus permutare, ſeu vendere, & alienare, & prætium inde proueniens in aliis bonis immobilibus eorum Eccleſiis, Eremitoniis, & Regularibus, ac alias iuxta tenorem literarum recolendæ memoriæ Pauli Papæ ſecundi, ſimiliter prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiaſticis non alienandis editarum. Ita quòd Priores, qui pro tempore eſſent locorum huiuſmodi Iudices ad hoc, vt immobilia bona huiuſmodi in emphyteoſim, vel cenſum, aut alias danda, & permutanda, ſeu vendenda, & alienanda coram eiſdem Iudicibus ſpecificarentur, eligere poſſent, conuertere, & cæteris Eremitoriis eorum Societati, prout eis commodiùs viſum foret pro eiuſdem Societatis conſeruatione applicare valerẽt. Et quæcũque bona, etiã feudalia, & emphiteotica, etiam Eccleſiaſtica Societati, tã inter viuos, quàm cauſa mortis, ſeu teſtamento vel codicillo dari, concedi, & relinqui liberè poſſit. Itaquòd Societas ad eadem onera, ad quæ Donator, ſeu Teſtator huiuſmodi occaſione bonorum eorundem tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipſe donator, ſeu Teſtator, etiam imponeret omnino tenerentur, etiam ſi ad certum numerum generationum, aut nominationum eadém bona conceſſa eſſent, ipſa Societas non perpetuò, ſed per triginta annos, pro qualibet generatione ſeu nominatione huiuſmodi bona eadem tenere poſſet. Et finitis ipſis annis bona prædicta ad eorum directos Dominos deuoluerentur, & & abſque eorum conſenſu tenere non valerent. Statuit, & ordinauit vlterius ipſis de licentia Capituli Generalis vel Prouincialis dictæ Societatis, curam Animarum Monaſteriis ſancti Saluatoris de Monte acuto, & Parochialium Sancti Michaëlis Archangeli, ac Prioratus Sancti Saluatoris de Fano, Peruſinæ, Tudertinę & Fanenſis Diœceſum Eccleſiarum, eidem Societati perpetuò Canonicè vnitarum abdicare, & de conſenſu illorum Parochianorum prædictorum applicaretur, conſtrui facer

ſeu a'

ſeu alteri Parochiali, quę Parochianis huiuſmodi accōmoda foret, etiā de conſenſu illius Rectoris, cui pro huiuſmodi cura exercēda, quod inter eos cōuentū eſſet, ſoluerēt. Ac illas Iuriſdictione Ordinarij loci ſubieciſſe, ac loca quæcumque etiā per Eccleſiaſticas, & Religioſas perſonas eis concedenda recipere, & eorum vſui applicare. Nec non loca, ſiue Eremitoria pro tempore recepta perficere, & alia de nouo cum Eccleſiis, Oratoriis, humili campanili, cellulis, & officinis neceſſariis conſtruere, ſeu conſtrui, & iam conſtructam pro conuenientiori eorum manſione demoliri facere, & ea ad aliorū locorum conſtructorū, ſiue de nouo conſtruendorū vſum conuertere, & pro dicti Ordinis propagatione, omnes, & ſingulos Religioſos quorūcumque etiam Mendicantium Ordinum, & Congregationum, ac Monaſteriorum ad Eremitoria prædicta, tanquā ad arctiorem vitam conuolare, etiam ſub Societate, & eorū habitu Altiſſimo famulari eligentes, ſuperiorum ſuorum licentia petita, licet non obtenta, abſque aliqua contradictione, vel obſtaculo recipere, Ipſique ſic recepti, & in eadem Societate, ſeu ordine profeſſi, ad omnia officia, & dignitates Societatis eorundem Eremitarum promoueri, & aſſumi liberè, & licitè valerent. Indulſit poſtremo Maiori, & omnibus, & ſingulis Viſitatoribus, Prouincialibus, Prioribus, & aliis officialibus, ac Fratribus, ſeu Eremitis prædictis, vt ipſi, & omnes, & ſinguli, ac Commiſſi, Oblati, Nouitij, Seruitores, Familiares, benefactores, & aliæ perſonæ, ac etiam Oratoria, Eccleſiæ, Monaſteria, Eremitoria, & loca, & quæcumque bona, & cætera alia eiuſdem Societatis pro tempore pertinentia, omnibus & ſingulis Indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, gratiis, conceſſionibus, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, priuilegiis, præeminentiis, prærogatiuis, libertatibus, fauoribus, licentiis, & Indultis Apoſtolicis, vel aliter qualiacumque eſſent, quibus omnes, & ſinguli Ordines, Congregationes, Societates, & Monaſteria ſub approbatis regulis degentes, ſeu militantes, ac degentia, ſeu militantia, eorumque Superiores Generales, Prouinciales, & particulares Monachi, ſeu Religioſi, Commiſſi, Oblati, Nouitij, Familiares, Seruitores, benefactores, & aliæ perſonæ, eorumque Eccleſiæ, Oratoria, & alia quæcumque bona; quæ omnia ac ſi nominatim exprimerentur dictus Clemens prædeceſſor haberi voluit pro ſufficienter expreſſis, coniunctim, vel diuiſim eis, & cuilibet ipſorum in genere, vel in ſpecie, etiam viuæ vocis oraculo, vel aliàs quomodolibet conceſſis, ſeu concedēdis tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & tam in cōmuni, quàm in particulari, ſeu aliàs quomodolibet vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ſeu vti, potiri, & gaudere poſſent, quomodolibet in futurum abſque vlla differentia, tam in cōmuni, quàm in particulari vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſent, & valerent in perpetuum. Ac etiam de nouo conceſſit pariter, & indulſit, & in eis locum habere voluit, ac ſi eiſdem omnia, & ſingula præmiſſa directè, & expreſsè conceſſa fuiſſent, exceptis quæ eſſent contra eorum Conſtitutiones approbatas, ac Ordinationes Capitulares factas, & pro tempore faciendas. Ac vt dum priuilegiorum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, gratiarum, & indultorum eorum, & cuiuslibet dictorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Monaſteriorum Originales literæ, ſeu tranſumpta autentica ex illis, prout in fauorem dictæ Societatis, eiuſque Superiorum, Eremitarum, Commiſſorum, Oblatorum, Nouitiorum, familiarium, Seruitorum, benefactorum, & perſonarum, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Eremitoriorum, locorum, bonorum, & aliorum cæterorum eiuſdem Societatis oſtenderentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhiberetur, tā in Iudicio, quàm extra, & aliis locis, quibus opus foret, ac ſi pro, & in fauorem eorum Societatis, Eccleſiarum, Eremitorium, & Monaſteriorum, Fratrum, & perſonarum, ac bonorum prædictorum, & prædictarum à Sede prædicta emanaſſent, ac eis, & cuilibet ipſorum fuiſſent immediatè conceſſa, mandauit. Nec non quòd literarum deſuper conficiendarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici munitis vbique ſtaretur, prout originalibus literis ſtaretur, & plena fides in Iudicio, & extra adhiberetur, quæ eiſdem deſuper conficiendis literis daretur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ; Quodque literæ ipſæ deſuper conficiendæ, cùm confectæ forent, ac in eis contenta

quæcumque



quæcumque ſub quibuſuis reuocationibus, modificationibus, limitationibus, & ſuſpenſionibus quarumcunque literarum, gratiarum, & diſpoſitionum per ipſum Clementem prædeceſſorem, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ſeu ad Imperatoris, Regum, & Ducum inſtantiam conceſſis, & concedendis nullatenus comprehenderentur, ſed ſemper ab illis excepta eſſent, & eſſe cenſerentur. Et quotiens reuocata, modificata, limitata, ſuſpenſa, aut alterata forent, totiens in eo ſtatu, in quo ante reuocationem, modificationem, limitationem, & ſuſpenſionem huiuſmodi, repoſitæ, reſtitutæ & reintegratæ, ac ſi opus foret, de nouo conceſſe eſſent, & eſſe cenſerentur? Et quotieſcumque per aliquem, aut plures actus contra ea, aut ipſorum aliqua à quocumque, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis forent ex negligentia illorum, quibus ea concedebantur, aut alia quauis cauſa ſcienter, vel ignoranter attentari, vel attentata obſeruari contingeret, nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis, & priuilegiis huiuſmodi præiudicium generare, ſed ea omnia, & ſingula in ſuo robore, & firmitate permanerent. Eaſdē literas abſque aliorum Inſtrumentorum literarum prædictarum productione, & oſtenſione ad probandum plenè omnia, & ſingula ſuperiùs enarrata, & ſpecificata, in iudicio, & extra vbique ſufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

Et ſi fortè contingeret aliquod dubiū in dictis per ipſum Clementē prædeceſſorē confirmatis, aut literis ſuis ſuper præmiſſis conficiendis huiuſmodi, aut aliquo eorū pro tempore emergi data verborum ambiguitate, & Iuriſperitorum interpretationē dictæ Societatis de nouo erectæ, ac illius locorū particulariū, & perſonarum fauore interpretari debere. Sicque per quoſcumq; Iudices ordinarios, & extraordinarios, ac Delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales ſententiari, iudicari, & definiri debere: Sublata eis, & eorum cuilibet quacumque alia iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Irritum quoque & inane quicquid ſecus fieri, ſeu attentari contingeret decreuit, ac voluit. Et conceſſit Vniuerſis, & Singulis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, ac quaruncumque Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum Canonicis. Nec non Prælatorum, Patriarcharum, & Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in ſpiritualibus Vicariis & Officialibus dari in mandatis, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios literas deſuper conficiendas huiuſmodi, cum confectæ forent, ac in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes. Ipſiſque Eremitis, ſeu Fratribus, ac perſonis prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere, ac facere eoſdem Eremitas, ac alias perſonas omnibus præmiſſis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes ipſos, ſeu ipſas ſuper his per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari, Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna Iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſci, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus foret, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Clementis, per quam inter alia voluerat quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica, aliis vniri tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem æſtimationem, tam beneficij vniendi, quàm illius, cui vnio fieri peteretur; alioquin vnio non valeret, & ſemper in vnioribus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet. Nec non Pauli prædeceſſorum prædictorum, ac ſimilis memoriæ Innocentij Quarti contra exemptos edita, quæ incipit *Volentes*. Nec non quibus cauetur, quòd nullus extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſin, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra dietam à fine ſuæ Diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati forent, contra quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere præſumerent, Bonifacij Octaui Romani Pontificis, etiam prædeceſſorum noſtrorum, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo non vltra tres dietas aliquis dictarum literarum deſuper conficiendarum auctoritate non traheretur; & quibuſuis aliis Apoſtolicis, nec

non Prouin

non Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, & ſpecialibus Cōſtitutionibus,& Ordinationibus, ac prædictarum Eccleſiarum Monaſteriorum, etiā Sancti Antonij de Sancto Antonio Ordinis Sancti Auguſtini Viennenſis Diœceſis,& Religioſorum locorum,ac Ordinum quorumcunque etiam Camadulenſis huiuſmodi, & aliorum etiam Mendicantium, & non Mendicantium ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam illis, in quibus cauebatur, ne Mulieres ad dictum Eremitoriū Sancti Hieronymi de Paſcelupo ſub excōmunicationis latæ ſententiæ pœna nunquàm accederent. Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque & indultis, ac literis Apoſtolicis Camaldulenſis, aliiſque Ordinibus Mendicantium,& non Mendicantium,& Militarium, Eccleſiis, Monaſteriis & Sancti Antonij huiuſmodi. Nec non Vniuerſitatibus, Congregationibus, Societatibus, Communitatibus, Collegiis, & cæteris aliis perſonis, & locis per eundem Clementem prædeceſſorem, & Sedem prædictam, ſub quibuſuis verborum formis,& clauſulis, etiam derogatariarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis, illis præſertim, quibus inter alia caueri dicebatur expreſsè, quòd nulli Fratres, ſeu Monachi de dictis, etiam Mendicantium Ordinibus ad alium Ordinem etiam ſtrictiorem tranſeuntes per Superiores, Priores,& alios Fratres Ordinum, ſeu Societatum, ad quos ſic tranſierint, etiam de licentia eorundem Superiorum petita,& obtenta, recipi,& admitti poſſent, alias recipientes,& recepti excommunicationis ſententiam incurrerent. Ipſique ſic, vel alio modo recepti ad aliquod officium, ſeu prælaturam eiuſdem Ordinis, in quo recipiebantur, eligi non poſſent abſque Apoſtolicæ Sedis ſpeciali,& expreſſa licentia, per ipſius Sedis patentes literas concedenda, facientes plenam, & certam,& determinatam de ſtatutis, & ordinatione huiuſmodi expreſſam,& indiuiduam mentionem. Quibus omnibus etiam ſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica,& expreſſa, & indiuidua mentio, ſeu alia quæuis expreſſio habenda, vel aliqua alia exquiſita forma ſeruanda foret, dictus Clemens prædeceſſor eorum omnium tenores,& formas illarum conceſſionum, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro expreſſis habens illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, auctoritate prædicta ſpecialiter, & expreſsè derogauit, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Ne autem de abſolutione, erectione, iuſtificatione, approbatione, confirmatione, ſuppletione, cōceſsione, aſſignatione, exemptione, liberatione, ſuſceptione, inhibitione, ſtatuto, ordinatione, indulto, volūtate, mādato, decreto,& derogatione prædictis, pro eo quòd ſuper illis dicti Clementis prædeceſſoris, eius ſuperueniente obitu, literæ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, ipſique Maior, Viſitatores, Priores, Officiales,& Fratres illorum fruſtrentur effectu: volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus; quòd abſolutio, erectio, approbatio, confirmatio, ſuppletio, conceſſio, aſſignatio, exemptio, liberatio, ſuſceptio, inhibitio, ſtatutum, ordinatio, indultum, voluntas, mandatum, decretum, & derogatio Clementis prædeceſſoris huiuſmodi perinde à dicta die, tertio nonas Semptembris ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Clementis prædeceſſoris literę ſub eiuſdem diei data confectæ fuiſſent, pro vt ſuperiùs enarrantur; quódque præſentes literæ ad probandum plenè abſolutionem, erectionem, inſtitutum, approbationem, confirmationem, ſuppletionem, conceſſionem, aſſignationem, exemptionem, liberationem, ſuſceptionem, inhibitionem, ſtatutum, ordinationem, indultum, voluntatem, mandatum, decretum, derogationem Clementis prædeceſſoris huiuſmodi vbique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Quo circa Vniuerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Dilectis Filiis Abbatibus, ac aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, nec non Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum Canonicis, ac eorundem Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicariis in ſpiritualibus, & Officialibus generalibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit,

ac quotiens



ac quotiens pro parte Maioris, Viſitatorum, Officialium, & Fratrum Prædictorum, ſeu alicuius eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, præſentes literas, & in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruari, ac ſingulos, quos eædem præſentes literæ concernunt, illis pacificè gaudere. Non permittentes eos deſuper, per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari: Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocando etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis iuxta voluntatem, & conceſſionem Clementis prædeceſſoris huiuſmodi. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à dicta ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, decreti, & mandati infringere, vel auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit. Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, tertio Nonas Nouembris, Pontificatus noſtri anno primo. B. Motta.

Quibus quidem literis ſeu Bulla, ſic vt præmittitur regiſtratis, per nos viſis, lectis, & palpatis debita cum inſtantia humiliter requiſiti. De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ viuæ vocis oraculo, deſuper nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus officij, præinſertas literas Apoſtolicas, ſeu Bullam per infraſcriptum Cameræ Apoſtolicæ Notarium de verbo ad verbum tranſumi, exemplari, & tranſcribi, & in hanc tranſumpti formam redigi mandauimus, eidémque Tranſumpto auctoritate noſtri officij interpoſuimus pariter, & decretum. Mandantes propterea de mandato, & auctoritate prædictis, vt huiuſmodi tranſumpto, tanta vbique Fides adhibeatur, quanta originalibus propriis adhiberetur, ſi originaliter exhiberentur. In quorum Fidem has præſentes fieri, & per eundem Notarium infraſcriptum Subſcribi, noſtríque ſigilli appenſione communiri fecimus, & mandauimus. Datum Romæ in Camera Apoſtolica, die quarto decimo Menſis Maij, anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, Indictione vndecima, Pontificatus prælibati S. D. N. Pauli Diuina prouidentia Papæ Tertij, Anno quarto.

Viſa Io: Gaddus Cameræ Apoſtolicæ Decanus.

*Loco* † *Sigilli.*

BARTHOLOMÆVS CAPPELLVS. G.

BVLLAM CLEMENTIS PAP. VII. QVA RELIGIONI Capucinorum communicantur, æquè principaliter omnia Priuilegia Eremitis Camaldulenſibus conceſſa.
Vide lector. ſuprà. In Annalibus.
Anno 1528.

OOOO *BVLLA*

### *BVLLA PAVLI TERTII, EDITA ANNO 1536. qua Capucinis confirmatur Communicatio omnium Priuilegiorum Congregationis Camaldulenſium.*

IN Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Antonius Miſeratione diuina Tituli S. Mariæ Transtyberim Sacroſ. Rom Eccleſiæ Presbyter Cardinalis de Sancto Seuerino nuncupatus, Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas, ſiue præſens publicum tranſumptum inſpecturis, viſuris, lecturis, pariter, & audituris Salutem in Domino ſempiternam, & præſentibus fidem indubiam adhibere. Notum facimus, & atteſtamur vidiſſe, legiſſe, & diligẽter inſpexiſſe literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Pauli diuina prouidentia Papæ tertij in forma Breuis, ſub Annulo Piſcatoris in cera rubea cordula pergaminea vt moris eſt, circumdata, à tergo earundem literarum impreſſo expeditas, ſanas, ſi quidem & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

Pavlvs Papa Tertius. Dilecti Filij Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut nobis nuper exponi feciſtis, aliàs poſtquàm fœl. record. Clemens Papa VII. Prædeceſſor noſter, Dilectis Filiis Ludouico & Raphaëli Foroſempronienſ. Ordinis Fratrum Minorum, vt ſecundum Regulam Beati Franciſci vitam Eremiticam ducere, & habitum cum Capucio quadrato geſtare, nec non omnes tam Clericos ſeculares, & Presbyteros, quàm Laïcos ad eorum conſortium recipere, & barbam deferre, & ad Eremitoria, ſeu loca alia quæcumque cum conſenſu Dominorum eorundem locorum ſe conferre, & in eis habitare, vitámque auſteram & Eremiticam inibi agere, & in quibuſcumq; locis mendicare, necnon omnibus, & ſingulis priuilegiis indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum huiuſmodi, ac Eremo Camaldulenſ. Beati Romualdi, illiúſque Eremitis in genere, vel in ſpecie eatenus conceſſis, & in poſterum concedendis, iíſque principaliter vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerent: plenam, & liberam per ſuas tam in forma Breuis quàm ſub plumbo literas, facultatem conceſſerat: ipſéque Ludouicus facultatis literarum huiuſmodi vigore nonnullos Clericos Seculares, ac Religioſos, & Laïcos ad eius conſortium receperat, ac ex tunc vos ſub ipſius Ludouici tanquam Congregationis veſtræ Vicarij cura, & ſuperioritate gratum Altiſſimo famulatum exhibere ſtudueratis: Cùm dictus Ludouicus officio Vicariatus huiuſmodi, in Capitulo Generali ipſius veſtræ Congregationis, in Alma Vrbe de Menſe Nouembris Anni proximè præteriti celebrato ceſſiſſet; Vos ad electionem noui Vicarij veſtri procedentes, Dilectum Filium Bernardinum Aſtenſem ipſius Ordinis profeſſorem in Vicarium eiuſdem Congregationis veſtræ elegeratis: Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt electioni huiuſmodi pro illius ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ firmitatis adiicere, ac altera in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur proſperum, & tranquillum ſtatum, & fœlicem ſucceſſum veſtræ Congregationis huiuſmodi paterno zelantes affectu, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, electionem de perſona dicti Bernardini vt præfertur, factam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus: Nec non literas Clementis prædeceſſoris huiuſmodi præfato Bernardino quoad exercitium Vicariatus huiuſmodi perinde ac ſi ei directæ fuiſſent, ſuffragari debere decernimus; Diſtrictius inhibentes quibuſcumque perſonis, cuiuſcunque conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eò ipſo incurrenda; ne habitum per vos deferri ſolitum, niſi ſub eiuſdem Bernardini Vicarij obedientia, & cura permaneant, geſtare quoquomodo præſumant: ac decernentes irritum, & inane quidquid ſecùs contigerit attentari, nec non mandantes Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori pro tempore exiſtenti, vt vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis con-





tenta firmiter obſeruari, Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna Iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus aggrauando, Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, de vna, & Concilij Generalis de duabus dictis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, nec non quibuſuis priuilegiis, & indultis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis conceſſis, & concedendis quæ aduerſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus: cæteríſque contrariis quibuſcumque Decernentes Tranſumptis præſentium manu Notarij publici, & ſigillo alicuius Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in iudicio, & extra adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxviiij. Aprilis M. D. xxxvi. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Et infra. Bloſius. A tergo, Dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Nuncupatis.

Quibus quidem literis diligenter inſpectis, ipſas per Notarium publicum infraſcriptum, exemplari, & ſubſcribi, ſigillique noſtri, quò in talibus vtimur, iuſſimus & fecimus appenſione muniri, Decernentes, & volentes huic præſenti Tranſumpto talem, & tantam Fidem adhibendam fore, & adhiberi in Iudicio, & extra, coram quibuſcumque Iudicibus, & perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac in omnibus locis, qualis & quanta dictis literis Apoſtolicis adhiberetur. Quibus omnibus, & ſingulis, auctoritatem noſtram, & Decretum interponimus per præſentes. Datum Romæ in Aedibus noſtræ habitationis ſub Anno à Natiuitate Domini, Millèſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decima, die verò vigeſima ſecunda Menſis Septembris, Pōtificatus prælibati Domini Noſtri Papæ Pauli III. Anno tertio: præſentibus ibidem Magnif. & circumſpecto Viro D. Antonio Camillo Laïco Marſicenſ. & Alexandro de Marzonis Laïco Imolenſ. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Et ego Claudius Gaſpart Clericus Senonenſis Diœceſ. publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & in Archiuio Romanæ Curiæ deſcriptus, & matriculatus. Quia præmiſſis omnibus, & ſingulis dum ſic, vt præmittitur fierent vnà cùm prænominatis teſtibus interfui, præſénſque publicum tranſumptum cum ipſius Originali de verbo ad verbum comprobaui, & concordaui, ac in omnibus, & per omnia inueni conforme, & ſimile, ideò hîc me ſubſcripſi, ſignúmque meum ſolitum, & conſuetum appoſui, vnà cùm præfati Reuerendiſſimi Domini Cardinalis ſigilli appenſione in Fidem præmiſſorum vocatus ſpecialiter, atque rogatus.

† *Locus Sigilli de Notarij.* *Loco* † *Sigilli*

### *BVLLA ANNO DOMINI 1528. SVB CLEMENTE VII. edita, cuius virtute, quinque fratres de Obſeruantia ab Ordinis Obedientia eximuntur, eiſque facultas datur tranſeundi ad vitam Eremiticam, ſub Obedientia Magiſtri Generalis Fratrum Minorum Conuentualium, de qua ſupra in Annalibus. Anno 1528.*

Lavrentivs Miſeratione Diuina, Epiſcopus Præneſtinenſis. Dilectis in Chriſto Matthæo de Sancto Leone, Petro de Pagnano, Bernardino de Offida, Antonio de Pennebilis, ac Paulo de Colleamato Fratribus Ordinis Minorum de Obſeruantia Profeſſoribus Salutem in Domino, ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quòd vos, cum animi veſtri quiete, & bona conſcientia in Ordi-

ne prædicto vlterius remanere non valentes,ob melioris vitæ frugem cupitis vitam ducere Eremiticam ſuper quo ſupplicare feciſtis, humiliter vobis per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio iuris prouideri. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cuius pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali mandato ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, Vobis, & cuilibet veſtrum, vt Superioris veſtri licentia ſuper hoc per vos, vel alium, ſeu alios petita, licet non obtenta, extra loca dicti Ordinis, vel vitam Eremiticam, aut Solitariam in aliquo pio loco à cœtu hominum remoto, vbi beneuolos inueneritis receptores, ſub habitu à B. Franciſco Ordinis prædicti Fratribus deſignato, & ſub obedientia, & Iuriſdictione Miniſtri Generalis Fratrum Conuentualium, eiuſdem Ordinis viuendo ſimul, vel ſeparatim vitam ducere, accipere eleemoſynas, & alia pia, & charitatiua ſubſidia vobis à Chriſti Fidelibus eroganda recipere, illáſque, & illa in vſus veſtros licitos, & neceſſarios conuertere, & nihilominus omnibus, & ſingulis priuilegiis, gratiis & indultis Ordini Minorum, prædicto quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, tenore præſentium indulgemus, & licentiam, & liberam concedimus facultatem.

Quo circa Venerabilibus in Chriſto Patribus Dei gratia Camerinenſis, & Vrbinatenſis, vel eorum, & cuiuſlibet ipſorum, & aliorum quorumcumque Ordinariorum locorum, in quorum Diœceſibus, vos pro tempore reſidere contigerit Vicarij, & eorum cuilibet auctoritati, & mandato prædictis committimus, & mandamus; quatenus vobis, & cuilibet veſtrum in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittant vos, per quoſcumque Ordinis Superiores, Prælatos, & Fratres, aut Iudices, ac perſonas alias, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares quauis auctoritate, etiam Apoſtolica fungentes, in perſonis, rebuſque veſtris, aliiſque quouis quæſito colore, vel ingenio moleſtari, perturbari, ſeu aliàs quomodolibet, inquietari: & Contradictores quoſlibet, & rebelles per Cenſuram Eccleſiaſticam, & alia Iuris opportuna remedia, inuocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis compeſcendo, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti Statutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia, priuilegiis quoque & indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Breuis, etiam per Bullam concordiæ inter Fratres Conuentuales, & Obſeruantes eiuſdem Ordinis, factæ Ordini prædicto illiuſque Superioribus, Prælatis, & perſonis ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus, ac clauſulis, & decretis communiter, & diuiſim, conceſſis, & confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quauis alia expreſſiùs habenda, aut forma ſeruanda foret illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpeciale, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub ſigillo officij Pœnitentiariæ. Tertiò Idibus Septembris, Pontificatus D. Clementis VII. Anno quinto. Fr. Baract. vig. in Off. M. Iacobatius SS. P. Auditor Proſigillatore ſep. reſiduum de conſenſu, G. Alcherigius. Iul. Cardellus, omiſſo ſigillo exiſtente in capula raminea cum Cordis rubeis.

## *BVLLA EDITA, ANNO DOMINI 1532. A CLEMENTE Papa VII. pro Reformatione totiùs Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia.*

IN Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Nouerint Vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum inſpecturi, lecturi, viſuri pariter, & audituri, quòd Nos





Paulus de Capiſucchis I. V. D. Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ in Spiritualibus Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, habuimus, tenuimus in manibus noſtris, & diligenter inſpeximus quaſdam literas Apoſtolicas à Sanctiſſimo D. N. D. Clemente Diuina prouidentia Papa ſeptimo emanatas cum filis ſericeis rubei, croceique colorum plumbatas incipientes. *In ſuprema Militantis Eccleſiæ ſpecula*, &c. quas ſanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentes inuenimus: quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. In ſuprema Militantis Eccleſiæ ſpecula licet immeriti diſponente Domino Conſtituti, inter multiplices nobis ex debito Paſtoralis officij incumbentes curas, illæ potiſſimum premunt, vt qui ſub voluntariæ Paupertatis habitu militantes in humilitatis ſpiritu deuotum, & ſedulum Altiſſimo impendere ſatagunt famulatum; non ſolum ad id ſublatis impedimentis intendant, verum etiam id eò ardentius efficiant, cùm maiores ſibi viderint exhiberi commoditates, & ex hoc fit, vt quæ antea ex rationabilibus cauſis à Prædeceſſoribus noſtris ordinata videbuntur, ea interdum reformemus, & in melius ordinemus, prout iuxtà temporum, & perſonarum qualitatem id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Sanè poſtquam fœl. record. Leo Papa X. prædeceſſor noſter ex certis tunc expreſſis cauſis voluerat, & declarauerat ſub nomine Reformatorum, ac purè, & ſimpliciter Regulam B. Franciſci Obſeruantium, comprehendi omnes, & ſingulos obſeruantes, tàm de familia, quàm reformatos ſub Miniſtris, ac Fratris Amadei de Collectaneis, Clarenis, de ſancto Euangelio, ſeu de Caputio, ac Diſcalceatos nuncupatos, aut alios ſimiles quocumque alio nomine nuncuparentur, & Regulam B. Franciſci eiuſmodi purè, & ſimpliciter obſeruarent, ex quibus omnibus vnum corpus inſimul efficiens eoſdem ad inuicem perpetuò vniuerat: ita quòd deinceps omiſſa diuerſitate Nominum prædictorum Fratres Minores S. Franciſci Regularis obſeruantiæ ſimul, vel diſiunctiuè nuncuparentur, & nuncupari poſſent, & deberent, omnéſque vt præfertur vnitos Generali, & Prouincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus dicti Ordinis, in quorum Prouinciis & Cuſtodiis reſpectiuè morabantur in omnibus, vel per omnia ſecundum Regulam eandem ſubiici deberent.

Cum nonnulli ipſius Ordinis profeſſores, ſicut fideli relatione percepimus, Spiritu Sancto inflammante, & vt B. Franciſci Alumni, & veri Filij affectent Regulam ipſam B. Franciſci purè & plenè, iuxtà illius literam & declarationes bonæ memoriæ Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum firmiter obſeruare. Nos qui in ſynceris eorum conſcientiis delectamur, quique ab ineunte ætate ad huius Ordinis profeſſores, & ordinem ipſum totum ſingularem geſſimus deuotionis affectum, nunc autem, ex communi cura paſtoralis regiminis, quàm immeriti ſuſtinemus ad ipſos fauentes dulciùs, & gratioſis fauoribus attentè proſequendos tantò prouocamur ardentius, quantò intenta mente frequentius cogitamus fructus vberes, quos ex Regulæ præfatæ arctiori obſeruantia ipſi Religioni, & toti Vniuerſitati Eccleſiæ ſperamus prouenturos: attendentes etiam quòd in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad euitandos grauantes remorſus pars ſecurior eſt tenenda. Igitur tam pia, & feruenti fratrum prædictorum prædicta intentione commoti, ad peragendum diligentiùs quod ab eiſdem deſideratur, ſtudia noſtra ducimus conuertenda.

Habita igitur ſuper his cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ac aliis de ipſo ordine ad plenum informatis, matura deliberatione præhabita, de eorundem Cardinalium vnanimi conſilio his noſtris in perpetuum valituris: Statuimus, & ordinamus, ac in virtute Sanctæ obedientiæ diſtrictiùs præcipiendo mandamus, quòd prædictis fratribus dictam ſtrictiorem obſeruantiam deſi-

derantibus per præfatos Generalem, & Prouinciales Miniſtros cæteriſque dicti Ordinis Prælatos, & quemlibet ipſorum, cui vel quibus hæc noſtræ vel earum tranſumpta præſentatæ, vel præſentata fuerint, aſſignentur loca quantum fieri poterit contigua, quatuor vel quinque iuxtà numerum fratrum eorundem, & ſi in futurum plures fratres voluerint ſe vitæ præcedentium conformare & ab eis acceptati fuerint, nullos eos impedire poſſit; ſed Miniſter Prouinciæ cum Diffinitoribus in Prouinciali Capitulo teneatur alia loca, quantum poſſibile fuerit, contigua prædictis eis aſſignare, & prioribus addere, quæ quidem loca fratres prædicti expropriare poſſint ſuperfluis, & prætioſis, & in vtilia, & neceſſaria commutare, medicante Sindico à Nicolao Tertio prædeceſſore ordinato.

Et Generales, & Prouinciales Miniſtri, & eorum Commiſſarij, non poſſint impedire prædictos à dicta ſtrictiori obſeruantia ipſius Regulæ, iuxtà prædictas declarationes Nicolai, & Clementis, nec à ſuo bono modo viuendi, quem inter ſe pro dicta arctiori obſeruantia ordinauerint: nec etiam impediant, cùm vilioribus, & repetiatis induuntur, & cùm nudis pedibus ambulant; ſed qui non poterunt, portent calepodia, vt cæteris conformentur.

Forma autem habitus, & Caputij, ſit cæteris dictæ Obſeruantiæ fratribus conformis.

Volumus etiam quòd fratres recipiendi, ſeu veſtiendi per fratres in dicta ſtrictiori obſeruantia venientes, examinentur iuxtà Regulam per Miniſtrum Prouincialem & ab ipſo cum conſilio ipſorum acceptentur, nec poſſint quicumque dicti Ordinis Prælati ſine præfatorum fratrum conſenſu, ad loca prædicta mittere alios fratres, nec prædictos à prædictis locis amouere, niſi ipſi petierint. In Prouincialibus verò Capitulis remoueantur per Miniſtros Prouinciales, & Diffinitores à locis prædictis illi Fratres, quos Cuſtos, vt infra eligendus, cum conſenſu maioris partis vocalium dictorum locorum duxerint amouendos.

Inſuper ſtatuimus, quòd prædicti Fratres in dicta ſtrictiori obſeruantia viuere volentes, habeant in ſingulis Prouinciis vbi fuerint, Cuſtodem vnum ex ipſis quem ſibi ipſi petierint à Miniſtro Prouinciali, vel ab eo, qui præeſt Capitulo ſimul cum Diffinitoribus confirmandum, & aſſignandum.

Qui habeat abſolutam poteſtatem plenariè in hoc tamen, vt Fratres prædictos viſitet, moneat, & corrigat, ac Manuteneat in dicta ſtrictiori obſeruantia Regulæ, Ordinationum, & gratiarum, eis à nobis, & Succeſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus, & prædictis Miniſtris Generalibus conceſſarum, & concedendarum in futurum; & in dicto ſuo bono modo viuendi: nec propter hoc impediatur Miniſter Prouincialis, quin viſitare poſſit eoſdem, ac corrigere delinquentes, qui etiam Cuſtos ire poſſit ad Capitulum Generale cum Miniſtro Prouinciæ, ad intimandum neceſſitates, & opportunitates dictorum Fratrum.

Ordinamus etiam quòd Cuſtos, Guardiani, & Diſcreti præfatorum locorum vadant ad Capitula Prouincialia, in quibus habeant Vocem actiuam, & paſſiuam ſicut cæteri vocales.

In quibus Capitulis Cuſtos prædictus præſentet Miniſtro Prouinciali, & Diffinitoribus fratres idoneos ad officium Guardianatus; ex quibus tantum fiant Guardiani ſupradictorum locorum, poſſit etiam idem Cuſtos infra annum, cum conſenſu Maioris partis Conuentus ſinguli remouere Guardianum ab eius officio, & alium ſubſtituere, quem Miniſter Prouincialis confirmet.

Cuſtos verò poſſit à fratribus prædictis reelegi vſque ad Triennium, quo Cuſtode infra annum decedente, Guardiani dictorum locorum alium, quem ſibi viderint expedire, petant à Miniſtro vel eius Commiſſario confirmari, & aſſignari; quem Miniſter ipſe, ſiue eius Commiſſarius benignè confirmet, & aſſignet. Poſſit quoque dictus Cuſtos, ſi fratribus eiſdem expediens viſum fuerit, eſſe Guardianus vnius dictorum locorum.

Si igitur Miniſtri Prouinciales, vel eorum Commiſſarij his præfatis contrauenerint, ſiue aliqui eorum immediatè fratres prædictorum locorum ſubii-





ciantur Miniſtro Generali, & ſi quod abſit, Miniſter Generalis prædictus eos impedire tentauerit, vel eis in præmiſſis, aut in aliquo præmiſſorum facere neglexerit; volumus præfatis Fratribus ad Apoſtolicam Sedem, ad totius Ordinis Protectorem liberum patere recurſum, à quo ſi quis eos impedire præſumpſerit, ſententiæ excommunicationis, quàm ex nunc, prout ex tunc ferimus in his ſcriptis, illicò ſubiacere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & promulgamus.

Quocirca moderno, & pro tempore exiſtenti Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, nec non Vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, & quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum ſupradictæ ſtrictionis Obſeruantiæ, ſeu alicuius eorum ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant eoſdem omnibus, & ſingulis prædictis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque, quiauis auctoritate fungentes, quomodolibet indebitè moleſtari, vel quouis quæſito colore, vel ingenio directè, vel indirectè perturbari, aut aliàs quomodolibet inquietari. Contradictores quoſlibet per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ipſius Leonis X. & quorumcumque aliorum prædeceſſorum literis, & Bulla aurea, Mari magno, vel aliis quibuſcumque, dictique Ordinis ſtatutis, priuilegiis, & indultis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis, etiam in forma Breuis, etiam anno præſenti, vel ſub quibuſcumque formis, ſolemnitatibus Eccleſiæ, & inſolitis, & quantumcumque fortiſſimis dicto Ordini, vel quibuſcumque Prælatis eiuſdem conceſſis, vel concedendis in futurum; etiam ſi tales forent, quòd pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio habenda foret, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur pro plenariè, & ſufficienter expreſſis habens, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis, quibuſcumque.

Cæterùm, quia difficile foret præſentes literas ad quælibet loca, vbi opus fuerit deferri, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd tranſumptis earundem Manu Notarij publici ſignatis, & alicuius Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis ea prorsùs Fides in Iudicio, & extra adhibeatur, ſi præſentes originales literæ exhiberentur, vel oſtenderentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, ordinationis, promulgationis, Mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerariò contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo. Sexto decimo, Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno Nono.

Quibus quidem literis diligenter inſpectis, ipſas per Notarium publicum infraſcriptum exemplari, & ſubſcribi, ac in publicam Tranſumpti formam redigi, ſigillique noſtri, quo in talibus vtimur iuſſimus, & fecimus appenſione communiri, decernentes, & volentes huic præſenti Tranſumpto talem, & tantam Fidem adhibendam fore, & adhiberi in Iudicio, & extra, coram quibuſcumque Iudicibus & perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ac in omnibus locis, qualis, & quanta dictis literis Apoſtolicis adhiberetur; Quibus omnibus, & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam, & decretum interpoſuimus, & interponimus per præſentes Datum. & Lat. Romæ in Aedibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno à Natiuitate

Domini Mil!eſimo, quingenteſimo,trigeſimo ſecundo,Indictione quinta,die verò duodecimo Menſis Decembris, Pontificatus Prælibati D. N. D. CLEMENTIS PAPÆ Septimi Anno decimo.

Et Ego Ioannes Baptiſta Andreæ de Gilis Romanus. Ciuis,Publicus Dei gratia, Imperiali auctoritate Notarius,& coram Reuerẽdo Domino Almæ Vrbis Vicario, ſcriba, & Actuarius deputatus, quia præmiſſis Tranſumpti cum auctoritate, & decreto interfui, eaque omnia & ſingula, ſic factis, vidi, & audiui, prout per hoc præſens publicum Tranſumpti inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum de mandato ſubſcripſi, & publicaui, & Teſtimonium præmiſſis rogatus, & requiſitus. Loco † ſigni. Loco † ſigilli appenſi.

Ego Vincentius Paueſius de Ancona publicus Apoſtolica auctoritate Notarius,ſupraſcriptum Tranſumptum trium Bullarum, ſeu Priuilegiorum, vt ſupra per me Vincentium Paueſium tranſumptati, pro vt in eorum publicis, & autenticis originalibus ad Inſtantiam, vt ſupra fideliter tranſumptaui, & vnà cùm Domino Ioanne Thoma Cicchino Notario Anconitano, de Verbo ad verbum, cum ſuis originalibus auſcultaui, & vtrumque concordari inuenimus, nil addens, vel minuens quod ſenſum mutet, vel variet intellectum, niſi fortè punctum, vel ſyllabam,quem; & quam calami velocitate forſan dimiſeram, & ſi quid in eo caſſum, & cancellatum apparet, id propria manu caſſaui,non dolo quidem, ſed tantummodo per errorem. Quapropter Magnif. V. I. D. D. Franciſcus Luparinus de Spoleto Auditor ad Ciuilia. Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Guaſtauillani Bononienſis Apoſtolici Gubernatoris,ſedens in quadam ſede lignea exiſtente in camera eiuſdem Magnifici Domini Auditoris Palatij reſidentiæ præfati Illuſtriſſimi Domini Gubernatoris, & Reuerendiſſimi D. Venturæ Maffetti Licentiati &c. Qui viſo dicto Tranſumpto,& habita Fide à me Vincentio Paueſio accopiatore prædicto, & à D. Ioanne Thoma Auſcultatore infraſcripto, ſuam,& pręfati Reuerendiſſimi D.Licentiati ac Magnifici Communis Anconæ auctoritatem interpoſuit pariter,& decretum, nec non pronunciauit huic copiæ tantum Fidei credulitatiſque adhiberi, quantum eorum publicis, & autenticis originalibus præſtaretur, & daretur. Sub anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono,Indictione ſeptima,tempore Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, noſtri Domini GREGORII diuina prouidentia PAPÆ XIII. die verò X. Menſis Iulij, Actum in ſupradicti Palatii Camera,vt ſupra,quod Palatium poſitum eſt in Ciuitate Anconæ, in Parochiali Sancti Ægidii iuxta bona magnif. Communis Anconæ, plateam Maguam, & alia ſua notiſſima latera, præſentibus Magnifico D. Petro de Ferretis legum Doct. & D. Petro Matthæo de Brancaleonibus Anconitanis Teſtibus ad hæc vocatis habitis, & rogatis, & ideo me ſubſcripſi, publicaui ſignum, noménque meum conſuetum appoſui. In fidem, &c.

Ego Ioannes Thomas Cecchinus,publicus, Apoſtolica auctoritate Notarius Anconitanus,Iudex ordinarius ſupraſcriptum Tranſumptum, Supradictarum Bullarum, ſeu Priuilegiorum, vt ſupra per ſupradictum D. Vincentium Paueſium. Notarium Tranſumptorem cum eis originalibus de verbo ad verbum, cum eodem tranſumptore fideliter auſcultaui, & vtrumque concordare inuenimus,interpoſitioniſque auctoritati, & decreto ſupradicti Magnifici D. Iudicis interfui, & præſens fui, ac rogatus de ſubſcriptione manu propria ſubſcripſi,& publicaui.Signum, nomen, & cognomen meum, quibus vtor appoſui conſuetum, rogatus, & requiſitus ſub dictis Anno, Indictione, Pontificatu, die dicta, loco & Teſtibus. Antiani Ciuitatis Anconæ &c. Vniuerſis & ſingulis præſentes noſtras inſpecturis Fidem facimus, & Atteſtamur Ser. Vincentium Paueſium, & Ser Ioannem Thomam de Cicconis de Ancona de ſupraſcripto Tranſumpto rogatos fuiſſe, & eſſe Notarios publicos legales,& Fide dignos,eorumque Inſtrumentis, & ſcripturis publicis plenam vbique adhiberi Fidem,&c. Datum Anconæ die XI. Menſis Iulii 1579. Ceſ. Cinthius Cancell.

QVIBVS quidem literis Tranſumpti literarum Apoſtolicarum,& aliorum





Iurium, vt ſuprà Tranſumptat. per ſupradictum. D. Vincentium Paueſium de Ancona publicum, Apoſtolica auctoritate Notarium in ſuis propriis originalibus diligenter per nos viſis, lectis, & inſpectis illas propterea ad inſtantiam, & requiſitionem Admodum R. P. Fratris Michaëlis de Valiadolid Cuſtodis Prouinciæ Cathalauniæ Tranſumi, & exemplari per infraſcriptum noſtrum Notarium, & in hanc publicam Tranſumpti formam redigi, mandauimus & fecimus: Decernentes, & volentes, vt præſenti publico Tranſumpti inſtrumento, ſiue exemplo deinceps, vbicumque locorum plena Fides adhibeatur, illíque ſtetur, & credatur in Iudicio, & extra, ac ſi literæ prædictæ originales dicti Tranſumpti in medium exhiberentur, & oſtenſæ forent. Quibus omnibus, & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam, & decretum interponendum duximus, & interpoſuimus, prout interponimus per præſentes fieri, & per infraſcriptum Curiæ noſtræ Notarium ſubſcribi, ſigillíque noſtri, quo in talibus Tranſumpti. Inſtrumentis vtimur, iuſſimus,& fecimus appenſione communiri. Datum Romæ ex Aedibus noſtris, Anno à Natiuitate Domini N. Ieſu Chriſti, Milleſimo ſexcenteſimo octauo, Indictione ſexta, die verò vltima Menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Pauli Diuina prouidentia, PAPÆ V. Anno 4.

LAVRETVS PERSICVS Cur: Car. Cam. Apoſtolicæ.

IL BVSATTVS Lñs.

Tranſumptum in forma vidimus.

## *BVLLA EDITA, ANNO DOMINI 1535. A PAVLO Papa III. quæ Capucinis ad tempus prohibet receptionem Fratrum Minorum de Obſeruantia.*

IN Nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Nouerint Vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum inſpecturi, lecturi, viſuri,pariter & audiri. Quòd nos Ioannes Dominicus Epiſcopus Portuenſis,S. R. E. Cardinalis Tranenſis vulgariter nuncupatus. Habuimus, tenuimus in manibus noſtris, & diligenter inſpeximus,quaſdam literas Apoſtolicas à Sanctiſſimo D. Noſtro Domino Paulo diuina prouidentia Papa tertio,in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris emanatas. Quas ſanas, integras, non vitiatas,non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentes inuenimus. Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum talis eſt.

PAVLVS PAPA III. Dilecti Filii Salutem,& Apoſtolicam benedictionẽ. Nuper accepto per Nos,quòd ex eo quod non nulli Ordinis Fratrum Min. de Obſeruantia nuncupatorum profeſſores habitum per eos geſtare ſolitum dimittere, & ſe de Domibus & locis eiuſdem Ordinis ad Domos, & loca veſtra ſe conferre nitebantur; Religio eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum plurimum ſcandalizabatur. Nos non valentes tunc ob varia negotia, quibus occupabamur huic rei, vt voluiſſemus vacare, ac ſperantes in Generali Capitulo Fratrum dicti Ordinis de Obſeruantia nuncupatorum, in proximo Pentecoſtes Feſto celebrando,maturiùs de hac re informari poſſe, de conſilio nonnullorum S.R. Eccleſ. Cardinalium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, per alias noſtras in forma Breuis literis ſtatuimus, & ordinauimus: quòd nullus dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia nuncupatorum profeſſor, ad domos, & loca veſtra quo vis prætextu, ſine noſtra licentia ſe conferre poſſet, & valeret, & contraueniens excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret. Inhibuimuſque ſub eadem vobis, ne aliquos dicti Ordinis Fratres de Obſeruantia nuncupatos, aut cuiuſuis alterius Religionis, vel Ordinis, aut domos, vel loca reciperetis, donec à Capitulo

Generali prædicto plenius informati huic negotio optimum remedium apponeremus: volentes quòd ſi interim aliqui ex vobis,qui ex Ordine Fratrum de Obſeruantia nuncupatorum egreſſi eſſetis,ad ipſum Ordinem de Obſeruantia nuncupatum reuerti velitis, ab ipſius Ordinis de Obſeruantia Nuncupati Vicario caritatiuè recipi poſſetis,prout in dictis literis plenius continetur.

Cum autem poſtea à fide dignis certiores redditi ſimus ex Fratrum aliorum Ordinum, & Religioſorum, ac ipſorum Domorum, & locorum receptione nullum ſcandalum naſci, ſeu prouenire. Nos qui ad inhibitionem prædictam ſolùm; vt ſcandala tollerentur, deuenimus, Motu, & ſcientia ſimilibus mentis noſtræ eſſe declaramus per literas prædictas ſolùm Fratrum de Obſeruantia nuncupatorum perſonarum, & locorum receptionem vſque ad dictum Capitulum generale vobis prohibere,, & quoad alios,vos remanere in eodem ſtatu, in quo antequàm dictæ literæ emanarent,eratis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quibuſuis aliis literis Apoſtolicis, per quas vobis,aliorúmque dictorum Fratrum de Obſeruantia Nuncupatorum,& eorum receptio locorum prohibeatur, ac quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, quibus omnibus etiam ſi ad eorum derogationem requiratur expreſſa, & ſpecialis ipſorum, & clauſularum in eis contentarum mentio ad effectum prædictorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteríſque contrariis quibuſcunque.

Volumus etiam quòd præſentium Tranſumptis ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, ac manu alicuius Publici Notarij ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xij. Ianuarij 1535. Pontificatus noſtri anno primo,& infra. Bloſius. A tergo. Dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum Capucinis Nuncupatis. Quibus quidem literis diligenter inſpectis ipſas per Notarium publicum infraſcriptum exemplari, & ſubſcribi, ac in publicam Tranſumpti formam redigi, ſigillique noſtri, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus communiri, & appendi.

Decernentes, & volentes huic præſenti Tranſumpto talem, & tantam fidem adhibendam fore, & adhiberi in Iudicio, & extra, coram quibuſcumque Iudicibus,& perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus,ac in omnibus locis, qualis,& quanta dictis literis Apoſtolicis adhiberetur. Quibus omnibus, & ſingulis auctoritatem noſtram,& decretum interpoſuimus,& interponimus per præſentes.

Dat. Romæ in Ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub Anno Domini MDXXXV. Indictione viij. die xiiij. Ianuarij Pontificatus Domini Noſtri D. PAVLI PAPÆ III. Anno primo.

Et ego Ioannes Baptiſta Balbus Clericus Ro: publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & in Archiu. Rom. Cur. deſcriptus, quia de præmiſſis rogatus illam Notam ſumpſi, ex qua hoc Inſtrumentum confeci; ideò hic me ſubſcripſi, ſignúmque meum appoſui conſuetum,in fidem veritatis rogat.& requiſit.

*Locus* † *Signi*

*Virtuti Fortuna Comes.*

BVLLA



*BVLLA PAVLI PAP. III. EDITA ANNO 1535. QVA Capucinis facultas datur recipiendi Fratres Minores de Obſeruantia, niſi intra duos menſes, pro Reformatione loca aſſignauerint.*

## PAVLVS PAPA TERTIVS.

AD futuram rei memoriam. Dudum poſt quàm per nos accepto,quod eò quòd Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Nuncupatorum Profeſſores, ſub prætextu frugis melioris vitæ, aut ex aliis cauſis, habitum per ipſos Profeſſores geſtari ſolitum, dimittere, & ſe Domibus, & locis eiuſdem Ordinis ad Domos, & loca Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum transferre nitebantur. Religio eiuſdem Fratrum Minorum plurimum ſcandalizabatur, Nos per quaſdam ſtatuimus, & ordinauimus, quòd nullus eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Profeſſor ad Domos, & loca dictorum Fratrum Capucinorum, quo vis prætextu ſine ſpeciali noſtra licentia ſe conferre poſſet, & contraueniens excommunicationis pœnam ipſo facto incurreret. Superioribus ante diebus cum accepiſſemus,quòd Capitulum generale ipſius Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Nuncupatorum, ſtatuerat, quòd eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Nuncupatorum Profeſſoribus, arctiorom vitam ducere cupientibus congrua loca, in quibus eandem vitam ducere poſſent, aſſignarentur.

Nos per alias noſtras in forma Breuis literas ſimiliter ſtatuimus, & ordinauimus, quòd ex tunc de cætero omnes & ſinguli dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia Nuncupatorum Profeſſores,arctiorem vitam huiuſmodi ducere cupientes, ad loca per capitula Prouincialia, iuxta eiuſdem Capituli Generalis determinationem ad hunc effectum deſignanda,ſe tranferre deberent, nec ad Domos ſiue loca dictorum Fratrum, quo vis prætextu, ſiue noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia,ſpecialem literarum earundem mentionem faciente, aut ſaltem abſque Miniſtri, ſeu Commiſſarij Generalis dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia ſpeciali licentia in ſcriptis habita, ſub pœnis, & cenſuris in eis prioribus literis appoſitis ipſo facto incurrendis ſe tranferrent, aut illorum habitum aſſumere, vel geſtare poſſent. Eiſdem Fratribus Capuciatis,nihilominus ſub excommunicationis pœna diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenùs dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia Nuncupatorum profeſſores,etiam in habitu ſeculari, aut cuiuſuis alterius Religionis ad eos accedentes in eorum Domibus, ſiue locis, quo vis prætextu, ſiue quæſito colore non reciperent.

Si verò ex præfatis Capuciatis Fratribus, qui olim de Obſeruantia fuerunt, ad eundẽ,vnde digreſſi erant,Ordinẽ redire vellent,ab eiſdem Generalibus Miniſtro, ſeu Commiſſario dicti Ordinis infra annum duntaxat, ex tunc computandum caritatiuè recipi poſſent, pro vt in eiſdem literis pleniùs continetur. Cùm autem ſicut Nobis ex Fide dignorum relatione innotuit, Prouincialia capitula dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia aliqua loca, ad quæ Profeſſores arctiorem vitam ducere cupientes, iuxta dicti capituli Generalis ordinationem ſe transferre poſſint, nondum deputauerint.

Nos ne ipſi Profeſſores arctiorem vitam ducere cupientes, quo minus illam ducere poſſint,prætextu dictarum poſteriorum literarum impediantur prouidere, ac eos in eorum propoſito confouere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & decernimus,quòd niſi capitula Prouincialia prædicta,iuxta tenorem poſteriorum literarum noſtrarum, loca ad quæ ipſi Profeſſores arctiorem vitam ducere volentes transferri poſſint, infra duos Menſes à die qua præſentes Dilecto Filio Miniſtro Generali dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia,vel dicti Ordinis Generali Commiſſario in Romana Curia exiſtenti intimatæ fuerit computandos, realiter, & cum effectu deſi-

gnauerint,

gnauerint,& deputauerint;Quicumque ipſius Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia arctiorē vitam ducere volentes ad loca dictorum Fratrū Capuciatorum, ſe abſque alicuius cenſurę,& pœnę incurſu transferre,ac in illis permanere,& dicti Fratres Caputiati, tam illos,quam etiam quoſcūque alios,etiam ſeculares,& cuiuſcūque alterius Religionis ad eos accedentes in eorum domibus,ſeu locis,ac etiam noua loca eis à quibuſuis concedenda recipere,& retinere liberè, & licitè poſſint, nec pręterea aliquas cenſuras,ſiuè pœnas incurrant, nec incurriſſe cenſeantur. Non obſtantibus noſtris prædictis, & quibuſuis aliis literis, priuilegiis, & indultis Apoſtolicis, eiſdem Fratribus Minorum de Obſeruantia ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio conceſſis; quibus omnibus illorum tenores, & Datas, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus ommiſſo, inſerti forent; præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes; quoad præmiſſa ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & aduerſus illas nullatenus ſuffragari poſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Decernentes præſentium tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis: eandem prorſus Fidem in Iudicio & extra adhibendam fore, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi fuerint exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud ſanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xxix. Auguſti M. D. xxxv. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Loco Annuli † Piſcatoris. Fabius Vigil.

*BVLLA PAVLI PAPÆ TERTII, EDITA ANNO 1537. qua, Fratribus de Obſeruantia, & Capucinis nuncupatis, mutua ad Ordines receptio interdicitur: Obſeruantibuſque præcipitur, vt in Capitulis Prouincialibus loca ad Reformationem apta aſſignent.*

## PAVLVS PAPA TERTIVS.

AD futuram rei memoriam. Regimini Vniuerſalis Eccleſiæ diſponente Domino præſidentes inter cætera, quæ Commiſſo nobis Apoſtolicæ ſeruitutis incumbunt officio, hoc præcipuum arbitramur, vt opem, & operam quantum nobis ex alto conceditur exhibere curemus, quòd hi, qui abdicato ſæculo, ſacræ Religioni, ac piæ vitæ ſtudio ſe dederunt ſemotis perturbationum moleſtiis & diſcordiarū diſpendiis votiuæ pacis, & quietis amœnitate iugiter in Domino gratulentur. Cum itaque ſicut accepimus inter Dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum de Obſeruantia Nuncupat., & Fratres eiuſdem Ordinis Congregationis Capucinorum Nuncupat. graues contentiones, & lites, quibus eorum ſtatus plurimùm deturbatur, exortæ ſint, quæ ſi diutiùs durarent in eorum perniciem, ac pernitioſum exemplum,& ſcandala plurimorum vergere poſſent.

Nos qui Ordinem ipſum propter vberes fructus, quos in agro Dominico hactenus attulit, & in dies afferre non ceſſat, inter cæteros Ordines, quos cæleſtis Agricola ſumma benignitate plantauit, paterna charitate proſequimur. Cupientes huiuſmodi contentiones, & lites noſtræ prouiſionis auſpiciis terminari, matura, ac digeſta ſuper his cum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, quibus cauſam huiuſmodi examinandam commiſimus, deliberatione præhabita, Motu proprio, & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cætero dicti Fratres de Obſeruantia Nuncupati nullum ex dictorum Capucinorum Profeſſoribus ad ſe venientem quouis prætextu abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia in ſcriptis habita recipere, ſeu in eorum domibus retinere poſſint, nec ipſi de Obſeruantia Nun-





cupati abſque huiuſmodi Generalium, ſeu Prouincialium Prælatorum ſuorum licentia ſpeciali, etiam in ſcriptis habita, ad eoſdem Capucinos tranſire, aut eorum habitum aſſumere, ſeu geſtare valeant, donec per nos, in dicti Ordinis Generali Capitulo, in hac Alma Vrbe noſtro ſpeciali mandato celebrando, aliud determinatum fuerit.

Si quis verò ex ipſis Fratribus de Obſeruantia nuncupatis arctiorem voluerit vitam ducere: ad loca ad hunc effectum deſignata, de Prælatorum ſuorum licentia ſe conferre debeant: ibidem ſub eorum Obedientia, ſeruata forma habitus, & caputij, quem eatenus geſſerint, ne nouam Religionem inchoare videantur in ſuæ profeſſionis priori Obſeruantia Domino vacaturi. Vbi verò dicta loca ad huiuſmodi effectum, adhuc deſignata non fuerint. Volumus quòd in eorum Prouincialibus Capitulis proximè celebrandis iuxtà capacitatem,& numerum dictorum Fratrum huiuſmodi vitam ſectari volentium, per Generales Miniſtros, & Commiſſarios dicti Ordinis, ſeu per Miniſtros Prouinciales reſpectiuè in ſuis Prouinciis, iuxtà ipſorum Generalis Capituli proximè celebrati determinationem omnino deſignari, & cum effectu deputari debeant.

Quòd ſi ſecùs factum fuerit, nos tunc Fratres huiuſmodi ſub actioris pœnitentiæ iugo Altiſſimo famulari cupientes, in eorum ſalubri propoſito paterno affectu confouere volentes, eis ſuper his quantum cum Deo poterimus, opportunè prouidere curabimus. Fratres verò Capucini nuncupati nullo modo dictos Fratres de Obſeruantia nuncupatos abſque ſuorum Generalium, ſeu Prouincialium Prælatorum licentia in ſcriptis habita recipere, aut in eorum Domibus retinere, ſeu ad eoſdem Fratres de Obſeruantia nuncupatos ſe transferre, vel contra præſentium tenorem quicquam attentare præſumant.

Mandantes omnibus, & ſingulis dicti Ordinis, tam de Obſeruantia, quàm Capucinis nuncupatis in virtute ſanctæ Obedientiæ,& ſub excommunicationis, ac priuationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad quoſcumque actus legitimos exercendos, pœnis ipſo facto incurrendis, vt præmiſſa omnia, & ſingula firmiter, & inuiolabiliter ſeruent.

Et vt eiſdē Fratribus tā de Obſeruantia, quàm Capucinis nūcupatis delinquendi,& vagandi tollatur occaſio. Volumus quòd ſi quis eorū, qui de Obſeruantia nūcupantur ex eiſdem Capucinis quenquam, & è conuerſo, ſi quis ex Capucinis quempiam de Obſeruantia nuncupatos, Profeſſorem ad ſe venientem contra pręſentium tenorem recipere, & penes ſe retinere præſumpſerit, arbitrio ſuorum Superiorum puniatur. Recepti verò à Prælatis ſuis vbicumque reperti, & iuxta dicti Ordinis ſtatuta corrigi, & puniri poſſint, & valeant.

Quocirca Dilectis Filiis Gubernatori Almæ Vrbis, ac Curiæ Cauſarum Camerę Apoſtolicæ Generali Auditori, dictæque Vrbis in ſpiritualibus Generali Vicario, nec non Vniuerſis,& ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, & Dilectis Filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus ſimiliter mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum ſtatutum, & ordinationem prædicta inuiolabiliter Obſeruari faciant: non permittentes aliquid per quoſcumque quacumque dignitate, præeminentia, & auctoritate fungentes contra præſentium tenorem quomodolibet attentari: Contradictores quoſlibet, & rebelles per Cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna Iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachij Sæcularis, non obſtantibus præmiſſis, ac fœl. record. Bonifatij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri de vna, & duabus dietis in Concilio Generali, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium non trahatur, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis etiam in forma Breuis, aut aliis quibuſcumque quomodolibet conceſſis, etiam ſi talia forent, quòd pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret.

Volumus autem, quòd præſentiũ Tranſumptis ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, ac manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die iiij. Ianuarij M.D. xxxvij. Pontificatus noſtri Anno Tertio. Loco † Annuli Piſcatoris. Bloſius.

*BVLLA PII V. EDITA ANNO DOMINI M.D.LXVII. qua, Superioribus Ordinis Minimorum, & Capucinis interdicitur mutua Vtrorumque receptio.*

IN Nomine Sanctiſſimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Nouerint Vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Tranſumpti Inſtrumentum viſuri, lecturi, pariter & audituri: quòd Nos Hieronymus Mattheius, Prothonotarius Apoſtolicus ſanctiſſimi D.N. Papæ, eiuſque Camerarii nec non Curiæ Car. Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius, ſententiarum quoque & cenſurarum in eadem Romana Curia, & extra latarũ, ac literarum Apoſtolicarum quaruncumque Vniuerſalis, & merus exequutor ab eodem S. D.N. Papa ſpecialiter deputatus, nec non vtriuſque ſanctitatis ſuæ ſignaturæ Referendarius. Vidimus, tenuimus, legimus, & diligẽter inſpeximus quaſdam literas Apoſtolicas in forma Breuis, cum præſentatione illarum à tergo deſcriptarum ad fauorem Ordinis S. Franciſci Capucinorum, & quia ſanas, integras, illæſas, ac omni prorſus vitio carere reperimus, idcirco ad Inſtantiam P. Fratris Silueſtri de Roſſano, dicti Ordinis Capucinorum Procuratoris, illas per Notarium noſtrum infraſcriptum tranſumptari, & exemplari, ac in hanc publicam Tranſumpti formã redigi fecimus, & mandauimus. Volentes, & auctoritate noſtra, & Curiæ noſtræ decernẽtes, quòd huic noſtro Tranſumpto cum dictis literis per dictum noſtrum Notariũ infraſcriptum diligẽter, & fideliter auſculato, collationato, & concordato talis, & tanta fides in Iudicio, & extra adhibeatur, qualis, & quanta eidem proprio originali daretur; & adhiberetur, aut extenderetur. Huiuſmodi literarum Apoſtolicarum talis eſt, videlicet.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apoſtolicæ ſolertia, dum ad ſalutare quorundam remedium extructa, in eorũ detrimentum vergere conſpicit, ne quod illis profuturum maturitate ſumma prodiiſſe comperitur, noxium incauto miniſterio efficiatur, celeris prouiſionis opem afferre conſueuit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè accepimus quod cum aliquando contingat aliquos Fratres Religioſos, tam ordinis Sancti Franciſci Capucinorum, quàm eiuſdem S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum de vno loco ad alium, etiam forſan abſque ſuorum ſuperiorum licentia transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eoſdem Fratres ſæpiùs oriri ſolent. Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis huiuſmodi quantum cum Deo poſſumus obuiare. Motu proprio, non ad alicuius inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa noſtra ſcientia, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus.

Nullus ex Fratribus Capucinis ad dictum Ordinem S. Franciſci de Paula, nec è conuerſo, quòd nullus Frater eiuſdem S. Franciſci de Paula ad Ordinem Fratrum Capucinorum huiuſmodi, vllo vnquam tempore, ex quacumque etiam quantumcumque iuſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum ſuperiorum ſe transferre poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes ſtatutum, & ordinationem huiuſmodi per Fratres præfatos ſub indignationis noſtræ pœna inuiolabiliter obſeruari debere, ac ex tunc irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate tam Ordinaria, quàm delegata, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nonoſtantibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterùm quia difficile foret, præſentes horas ad ſingula quæque loca in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri. Volumus quòd ipſis Tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in Iudicio & extra, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.





Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vj. Octobr. M D. LXVII. Pontificatus noſtri anno II. Cæſar Glorierius loco † Annuli Piſcatoris, Præſentationis, ſiue executionis à tergo illarum deſcript. tenor talis eſt, videl. In Nomine Domini Amen.

Per præſens publicum Inſtrumentũ cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd Anno à Natiuitate eiuſdem Domini M.D.LXVII. Indictione x. die verò xviij. menſis Decembr. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno ſecundo. Ego Notarius publicus infraſcriptus, requiſitus pro parte R. Fratris Bonauenturæ de Rhegio, Commiſſarij Generalis Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum in eius præſentia retroſcriptas literas in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris expeditas præſentaui, intimaui, & notificaui R. Fratri Ioanni inde Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Sancti Franciſci de Paula, perſonaliter inuento, & apprehenſo in eius Camera Cubiculari poſit. in Monaſt. ſanctiſſimæ Trinitatis de Vrbe eum requirendo, & de huiuſmodi diſpoſitione, & voluntate Apoſtolica quos opus fuerit, certioret, & ne de præmiſſis ignorantiam prætendere vel allegare poſſit, huiuſmodi Breuis Apoſtolici copiam cum Originali diligenter auſcultatam eidem dimiſi, ſuper quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis idem R. Frater Bonauentura vnum, ſeu plura, publicum ſeu publica fieri, atque confici petiit inſtrumentum, & inſtrumenta. Act. Romæ vbi ſupra, ibidem præſentibus Hieronymo q. Magnif. Io: Mariæ de Ferreriis Mediolanẽſis, & Angeluccio Pauli de Ioſia Farfenſis Diœc. Teſtibus ad præmiſſa vocatis, atque rogatis. Et quia ego Fabritius Gallettus Curiæ Car. Cameræ Apoſtolicæ Notarius de præmiſſis rogatus fui, ideo præſens Inſtrumentum manu aliena fideliter ſcriptum ſubſcripſi in fidem præmiſſorum requiſitus, loco † Signi.

Super quibus omnibus, & ſingulis, tanquam ritè, & legitimè factis auctoritatem noſtram interpoſuimus, & decretum. In quorum omnium, & ſingulorum Fidem præſentes fieri, & per Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri, quo in talibus vtimur iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in Palatio noſtro Iudiciali Anno à Natiuitate Domini MDLXXIII. Indictione xj. Die verò xxiij. Menſis Septembr. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N.D. Gregorij Diuina prouidentia Papæ xiij. Anno xij. Præſentibus ibidem DD. Pompeo Valerio, & Antonio Guidotto Romanis Curiæ noſtræ Connotariis Teſtibus ad præmiſſa vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

POMPEVS ANTONINVS eiuſdem Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

*HIERON. Aud. gratis.*

*Loco † Sigilli.*

## REGIVM DIPLOMA

*HENRICI TERTII FRANCORVM, ET POLONORVM Regis Chriſtianiſſimi: Quo Fratrum Minorum Capucinorum Ordo in toto Galliæ Regno confirmatur, ac ſub Regij patrocinij tutela aſſeritur; in ſupremo Galliarum Senatu viſum, & approbatum.*

HENRICVS Dei gratia Franciæ, & Poloniæ Rex. Omnibus præſentibus, & futuris ſalutem. Inter ea, quæ ad Regiæ noſtræ Maieſtatis, ad quam, Deo vocante, nuper acceſſimus; munus, ac ſollicitudinem ſpectant; Chriſtianę, & Catholicæ Religionis incrementum haud ignoramus potiſſimum eſſe: qua velut certa, ac ſola ſalutis via, ad veram Dei cognitionem ducimur, ac in ea continemur. Haud ſanè Deus Optimus Max. benigni Patris inſtar, noſtris infirmitatibus ſuo vnquam auxilio defuit; illis præſertim temporibus, in quibus Sancta Dei Religio, hominum diſputationibus, ac improborum malitia nonnihil minuenda timebatur; Viros tam morum ſanctimonia, quàm doctrina illuſtres in ea ſuſcitans: quorum præclaris vitę exemplis, atque efficacioribus monitis aberrantes in rectam ſalutis viam reuocarentur; aut ſaltem intra certos legum terminos continerentur.

Quoniam verò hac tempeſtate cunctas ferè antiquas hæreſes reſurgere, ac iterum pullulare cernimus; Deus, qui Eccleſiæ ſuæ curam haud negligit, cùm pleroſquę Epiſcopos, Doctores, ac diuini Verbi Præcones, homines magnos virtute, & doctrina excitaſſet; cum his quoque Viros pietate, Religione, ac Cæleſti conuerſatione illuſtres, tam Sæculares, quàm Religioſos ſuſcitauit; atque inter hos præſertim Fratres Minores, qui Capucini nuncupantur; qui cùm exactam, ac perfectam Regulæ S. Franciſci Obſeruantiam profiteantur: multos ſuis vitæ exemplis, Dei comitante gratia, à vitiis abſtrahunt, & ad pietatem compellunt. Dumque aſſiduè Pſalmodiæ, ieiuniis, orationibus, ac diuini Verbi prædicationi incumbunt; mira, ac maiora nobis in poſterum, ad diuini nominis gloriam, ſui incrementa pollicentur: quæ ex fœcunda tum Virorum, tum Conuentuum propagatione iam perſpecta fiunt.

Hac ratione, ac conſilio ductus, Sanctiſſimus D. N. Gregorius XIII. Pontifex Maximus, diligenti priùs de hac re inquiſitione facta; & Colendiſſimæ Dominæ, ac Matris Reginæ, multorumque huius Regni Principum, ac Optimatum poſtulatione permotus, nonnullis præfatæ Capucinorum Religionis Fratribus, nuper ex Itália, vbi prima illorum fundamenta iacta ſunt, in hoc Regnum venire permiſit: in quo honorabiliſſimi Domini, & Fratris noſtri Caroli Noni Regis nuper defuncti; (Cuius anima in pace requieſcat) patrocinio freti, iam nonnulla Cænobia conſtruxêre: vnum præſertim in Suburbio S. Honorati, noſtræ Vrbis Pariſienſis, propè palatium noſtrum ad Laterariam: aliud in Pago Meudonenſi Luteriæ proximo: tum verò alia duo in Lugdunenſi, & Auinionenſi Vrbibus: vbi plurima omnium ædificatione, atque vtilitate, omni pietate Domino famulantur.

Quapropter Nos Regum prædeceſſorum noſtrum veſtigia ſectantes, qui cùm ad Religionis Chriſtianæ non modò conſeruationem, verùm etiam propagationem, ac ampliorem diuini nominis cultum olim opes, vitamque contulerint; præ omnibus Chriſtianis Principibus Chriſtianiſſimi, & Eccleſiæ Primogeniti ſibi nomen, titulumque compararunt: Re conſulta ſtatuimus, eoſdem Fratres Minores in noſtri patrocinij cuſtodiam recipere, eoſque Regiis noſtris literis munire.

Quamobrem cunctis notum ſit, Nos hiſce de cauſis, atque aliis, quæ animum noſtrum mouent; tum eo maximè, quod Nos, Populoſque nobis ſubiectos, prædictorum Fratrum orationibus adiuuandos ſperamus: dictos Fratres Capucinos nuncupatos Minores Ordinis S. Franciſci, ſimul cum eorum Monaſteriis, Domi-





bus, Congregatione, & Familia: demùm quæcunque ad eos ſpectant, ſpeciali Priuilegio, plena poteſtate, ac Regia noſtra auctoritate in noſtram, & ſucceſſorum noſtrum Regum patrocinium, & tutelam, per has noſtras Regio noſtro Chirographo obfirmatas, literas, aſſeruiſſe, atque adſcripſiſſe; ſicut & aſſerimus, & adſcribimus.

Volumuſque, atque ita nobis placet: vt hi omnia, ac ſingula loca, quæ hactenus, tum à prædicto Domino, & Fratre noſtro; tum à præfata Domina, & Matre noſtra, liberaliter, atque eleemoſyna illis conceſſa; & quæcunque poſt hæc tam à Nobis, quàm à quibuslibet aliis, ad Eccleſias, Domos, Monaſteria, Habitationes, Clauſtra ædificanda, iis liberaliter donata fuerint; recipere, retinere, atque in his liberè, & abſque controuerſia habitare; Ædificia, Cænobia, & Conuentus nouos conſtruere; diuina in his Officia perſoluere, Miſſas celebrare, in Eccleſiis prædicare; atque alia huiuſmodi in toto noſtro Regno, ac Prouinciis Nobis ſubiectis, ſecundùm S. Franciſci Regulam, laudabileſque illorum Conſuetudines, exercere valeant. Inſuper volumus eos iiſdem Priuilegiis, Franchiſiis, libertatibus, ac immunitatibus frui; quas Nos, aut prædicti noſtri Anteceſſores Reges, cæteris prædicti Ordinis S. Franciſci Religioſis cõceſſimus; non ſecus quàm ſi dicta Priuilegia hîc ſpecialiter, ac de verbo ad verbum inſerta eſſent: à quorum poſſeſſione, iure, ac vſu à nemine vllo vnquam tempore, aut colore poſſint impediri, aut turbari.

Quamobrem omnibus dilectis, ac Fidelibus noſtris Viris Summæ Curiæ, ac Rationum noſtrarum Exedræ, Balliuiis, Seneſcallis, Præfectis, Tribunis, Prætoribus, cunctiſque aliis Iudicibus, ac Magiſtratibus, ad quos ſpectat: mandamus, quatenus iuxta mentem, ac beneplacitum noſtrum, prædictos Fratres, ac Religioſos omnibus perturbationibus, & impedimentis amotis, liberè, plenè, pacificè, ac perpetuò de ſupradictis gaudere faciant, patiantur, ac permittant; alios, quos oportuerit, ad hoc ipſum viis omnibus, ac modis debitis compellentes. Non obſtantibus quibuſcumque contradictoriis, oppoſitionibus, & appellationibus; propter quas, ſine tamen earum præiudicio, nolumus præſentium executionem differri. Tale enim eſt beneplacitum noſtrum. Non obſtantibus vt ſupra, nec non quibuſcunque Edictis, Ordinationibus, mandatis, prohibitionibus, ac literis his contradicentibus. Quibus & aliis Derogatoriarum Derogatoriis, hi contentis, derogauimus, ac derogamus. Atque vt hæc perpetuò fixa, & immota ſint, ſigillum noſtrum apponi iuſſimus. Dat. Pariſiis mente Iulij anno ſalutis, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Regni noſtri Tertio.

Signatum.
HENRY.

BRVLART
Viſa.

Hoc Diploma, Regio Procurator, audiente, & conſentiente in Actorum Codicem relatum fuit, vt impetrantes illius executionem, atque in eo contenta conſequi valeant. Datum Pariſiis in ſuprema Curia: ſexta die Septembris anno 1576.

Signatum. DV TILLET
Gratis.

# INDEX COPIOSISSIMVS

## Rerum omnium, quæ in hoc primo Annalium Tomo, notatu digna ſeſe offerunt.

*Prior numerus Annum, Secundus Numerum Margini affixum, indicat.*


ABSTINENTIA virtutum omniũ Dux aſſeritur. Ann. 1549. 17.18. Quænam Magis commendanda. ibid. In ciborum delectu minus quærẽda. ibid. In ea ſaturitas vitanda. ibid. 19. Orationem cumprimis fouet. ibid. priſcorum Capucinorum admirabilis. Anno 1529.83. à Carnibus Die Mercurij apud Capucinos perpetua. Anno 1529.54.

Accuſationis principia ſemper ſuſpecta eſſe debent. Anno 1561.4.

Adæ peccatum, quàm Hominum generi exitiale. Ann. 1524.2. Ex eo quot Dei ſapientia, ac bonitas, & potentia bona hauſerit, aperitur. ibid. Fœlix, qua ratione ab Eccleſia dicatur. Ibid.

Adoleſcentia ætas lapſui vicina aſſeritur. Anno 1534. 3. in ea quàm bonum, & opportunum Dei iugo colla ſubdere. ibid.

Ædificiorum paupertas olim apud Capucinos quanta. Anno 1528.31.32. Eadem etiamnum iuxta Generalium Conſtitutionum præſcriptum, obſeruatur. ibid. 32. apud Capucinos commendatur. Ann. 1529. 81. Conſtructio ſumptuoſa, & curioſa S. Bonauenturæ verbis damnatur. Anno 1524.45.

F. Ægidius Turrianus virtutibus præclarus. Ann. 1558. 13. Peruſiæ Capucinarum Monaſteriũ extruit. ibid. 14. Lanifico Eleemoſynam commẽdat, ac illuſtrem Eleemoſynarium præſtat. ibid. Poſt trigeſimum ſecundum ab ipſius obitu annum, ipſius corpus integrum cernitur. ibid. 15.

F. Ægidius Tarentinus Laïcus ſanctitatis opinione clarus. Anno 1566.36.

F. Ægidius Syracuſanus, Laïcus ſanctimonia conſpicuus. Anno 1567.33.

F. Ægidius à Mola peſte laborantibus miniſtrat. Anno 1576.54.55. nonnulla miracula patrat. ibid. multis deinceps miraculis coruſcat. ibid.

F. Ægidius ab Aquis Porettanis Laïcus, cœleſtis ſapientiæ dono clarus. Anno 1566.36.

F. Ægidius Luppienſis Concionator, integerrimus Regulæ cultor. Anno 1578.19. Diuina viſione fruitur. ibid.

Aetna Mons Siciliæ deſcribitur. Anno 1579.1. Nocturnis eſt mirus incendiis. ibid. Diurno tempore fumum euomit. ibidem 2.

S. Agathæ velum erumpentes ex Æthna flammas extinguit. Anno 1536.48.

F. Albertus à Neapoli Laïcus ſtrenuè aduersùs Carnis concupiſcentiam dimicat. Anno 1551.54. variis virtutibus floret. ibid. Plurimas à Deo viſiones ſibi vendicat. ibid. Ioannem Baptiſtam à Nurſia Cæleſti gloria donatum cernit. ibid. Dæmonum infeſtationes patienter ſuſtinet. ibid. Peruſiæ vitam cum morte commutat. ibid.

Albigenſium & VValdenſium Hæreſes circa duodecimum ſæculum excitatæ. Ann. 1524.5.

F. Alexander ab Interamnea Vir humilitate ſublimis. Anno 1572.46. Mortem ex obedientia auſpicatus. ibid.

F. Alexander à Butrio vir ad omnem virtutem compoſitus. Anno 1580.54. in Oratione, dum Dæmonis tentationem vincit, Corona illi è Cælo adfertur. ibid. Tres itidem è Cælo coronas ſibi cõparat. ibid. 25. Carnis tentationem ſuperans à B. Virgine Corona donatur. ibid. 26. Grauem calumniam patienter fert. ibid. 27.

F. Alexander Faneſtris Sacerdos plurimis virtutibus emicat. Anno 1564.5. Ex Ruſtici Verbis ſeipſum coarguit, ac contemnere diſcit. ibid. Mulierum aſpectum refugit. ibi. Oratione ac ſolitudini vacat. ibid. 6. Aegrotos ſigno Crucis ſanat. ibid. Duos Viduæ filios ægrotantes ſigno Crucis incolumes reddit. ibid. Maceratæ Carnis ſarcinam deponit. ibid.

F. Alexander Catanenſis Clericus eximia honeſtate præditus. Anno 1572.24. plurimis virtutibus emicat. ibid. Ipſius gloria poſt Mortem Tertiariæ cuidam reuelatur. ibid.

Alexander Farneſius Princeps pietate, ac Re bellica illuſtris. Anno 1577.37. Proregis poteſtate in Belgio dominatur. ibid. impari exercitu cum Hæreticis pugnat, ac vincit. ibid. Illius ante pugnam pietas refertur. ibid.

F. Alexius à Cunio pietate eximius. Anno 1551.52. In Morte B. Virginis, ac B. P. Franciſci præſentia potitur. ibid.

F. Alexius à Petrarubea præclaris virtutibus fulget. Anno 1174.5. Ipſius gloria poſt Mortem mulieri reuelatur. ibid.

F. Alphonſus Sueſſanus Sacerdos Conſilio, ac virtute inſignis. Anno 1575.34. A Generalatus dignitate aufugit.ibid.35.Nouitium ſigno Crucis à tentatione liberat. ibid.

Aluacinæ primum à Ludouico Fratrum Capitulum congregatur. Anno 1529. 3. De illo B. Bernardi à Quincaualle vaticinium explicatur. ibid.

F. Amadæus de Antuniato Sacerdos, omni virtutem genere ornatus. Anno 1568.28.Prophetiæ ſpiritu à Deo honeſtitur.ibid.

Ambitionis damna recéſentur. Anno 1551.7.Ea quàm Religionibus peſtifera. ibid.7.

F. Ambroſius à Butunto,Laïcus, propter nimiam carnis curam,fit Apoſtata. Anno 1566.39.

F. Ambroſius Locrenſis Laïcus, ſanctimonia nitet. Anno 1579.15. in morte cœleſti viſione potitur. ibid.

Amicitia quænam vera ſit. Anno 1537.19. Vera ſolummodò inter bonos conciliatur.ibid.vitiis comparata, non amicitia, ſed turpitudo appellanda. ibid.

Amor ſui blandus,ſæpè diuini Amoris ſe exuuiis contegit. Anno 1548.19.

Andreas de Valle,Cardinalis tit. S. Priſcæ totius Ordinis Minorum Protector. Anno 1527.35. Ludouicum, ac cæteros ſub Minorum Conuentualium Obedientia collocat.ibid.Per decem & ſeptem annos eo munere fungitur. ibid. Diem extremum claudit. ibid.

F. Andreas Burgundus Sacerdos vir eximius. Anno 1580.2. Ipſius Obedientia, ſacra Hoſtia confracta, diuina virtute inſtauratur.ibid.

F. Andreas à Crotone multarum virtutum laude celebris. Anno 1571.10. Sacerdotes ſumma veneratione proſequitur. ibid. Superioris licentiam admoriendum expoſcit. ibid. Sui obitus diuinitus præmonetur.ibid.

F. Andreas Tudertinus vitæ ſanctimonia inſignis Anno 1573.35.

F. Andreas Siculus,ob patratas in ſæculo cœdes,miraculo ab Altari arcetur. Anno 1572.47.

Angeli diuinas laudes in Choro concinentes audiuntur. Anno 1567.34.

Angelicus Phrattenſis Ordinem deſerit. Anno 1526.79. Sub Capucinorum habitu pœnitentiam prædicat.ibid. Sub Reformationis titulo diſcipulos colligit. ibidem. Apoſtata agnoſcitur, ac deſeritur. ibid.80.

F. Angelicus Bocherienſis virtute præclarus. Anno 1570.30.

Angeli Prouincia, qua ratione hoc nomine appellata. Anno 1535.8. Rebus omnibus fertilis aſſeritur. ibid.

F. Angelus à S. Martino puer, à B. Virgine è mortis periculo liberatur. Anno 1572.20. Ad Capucinos ſe confert;ac virtutibus emicat.ibid. Feruentiſſimè Dei Verbum prædicat.ibid. Nubem ad Solis ardorem temperandum, populo à Deo miraculo impetrat.ibid.Dæmon commota tempeſtate ipſius prædicationem impedire nititur.ibid.21. Nubium tempeſtatem ſigno Crucis diſſoluit.ibid. Ipſius Socius orans mente excedit, & in aëra fertur,ibid.22. Sui obitus diem prænunciat, ac piè obdormit. ibid.23. Ipſius gloria poſt mortem fratri reuelatur. ibidem.

Angelus Aſtenſis diuini Verbi Concionator inſignis. Anno 1560.6. Caſu formidabili perterritus,ex Obſeruantium Ordine ad Capucinos migrat.ibid. Caſus damnatæ mulieris narratur.ibid.6.7. Plurimis virtutibus floret, & in Conuentu S. Barnabæ,Genuæ in Domino quieſcit. ibid.8.

F. Angelus Fernenſis Concionator multis virtutibus emicat. Anno 1568.30. Pleraque Prophetiæ Spiritu prædicit.ibid. A Sancto Carolo Borromeo Eccleſiarum viſitator inſtituitur. ibid. Cardani diem extremum claudit. 9.

F. Angelus à Canobio Sacerdos ſanctimoniæ commendatur. Anno 1579. 4. Ipſius Obedientia illuſtri Miraculo comprobatur. Ibid. Sui obitus diem Fratribus prænunciat. Ibid. Dum illi funera in Eccleſia perſoluuntur, in Feretro ſedet, ac manu caput fulcit. Ibidem. 5.

F. Angelus Saonenſis celebris Concionator Bononiæ prædicat. Anno 1554.46. Conuentum Bononienſem ædificat.Ibid.Concionator eximius.Anno 1556.17. Antiquum de eo Elogium refertur. Ibid. virum ad necem vulneratum Signo Crucis curat. Ibidem. Puerum neruis attractum Crucis Signo incolumitati reſtituit. Ibidem.Bononienſes auerſos Capucinis, beneuolos reddit. Ibidem. 18. Æſij diem extremum, magna cum ſanctimoniæ laude, claudit. Ibidem. 19.

F. Angelus à Caſtro S.Petri cum Socio,Venetijs,peſte laborãtibus ſumma charitate miniſtrat.Anno 1538.12. Iis Chriſtus orantibus apparet, ac cœli præmia pollicetur.Ibidem.In Bononienſem Prouinciam redeunt. Ibid.Præſcripta die in Domino feliciter obdormiunt. Ibid.

F. Angelus Ferrarienſis Sanctimonia vitæ illuſtris. Anno 1576. 45. Nouitium Signo Crucis ſæpè à Diaboli tentationibus liberat. ibidem. Puerum ad mortem ſaucium ſua oratione curat. ibidem. Pleroſque Ægrotos ſuis precibus ſanat. ibid. 46. Prophetico ſpiritu multa prædicit. ibidem.

F. Angelus à Tipherno Metaurenſi ſanctimoniæ luce coruſcat.Anno 1569.30.Maximis virtutibus floret. ibid.

Angelus ſub viri ſpecie, Matthæo in gradibus Eccleſiæ SS. Apoſtolorum apparet, eúmque alloquitur. Anno 1525.7.Se Ductorem illi ad Pontificem pollicetur.ibid. Inuiſibiliter Matthæum ducit. ibid.

F. Angelus Cingulanus,Clarenus à monte Claro nuncupatus,Clarenos excitat.Anno 1528.8. Inter Ordinis Minorum Reformatores cenſetur. ibid. Diploma à Cœleſtino V. obtinet, quo Eremiticam cum ſuis vitam ducat.ibid.8. Ad perfectiorem Regulæ obſeruantiam anhelat.ibid.

F. Angelus Senenſis,paupertatis in Conuentus ædificatione regulas excedit. Anno 1540.8. A Prouinciali Vicario admonitus, in exceſſu perſtat, ibid.9. In Morte illi infauſta accidunt. ibid.9.

F. Angelus Tifernas Laïcus, vir virtutibus illuſtris. Anno 1566.36.

F. Angelus à Caſtellaneta Vir illuſtris,diem ſui obitus prædicit.Anno 1567.33.

F. Angelus Saonenſis Vir Angelicus. Anno 1574.7.Variis in Morte Dæmonũ tentationibus premitur.ibid.

Animi remiſſiones,quæ honeſtæ ſint cenſendæ. Anno 1562.39. Quare ab antiquis Patribus inuectæ.ibid. Immoderatæ à Religioſorum Cœnobiis expellendæ.ibid. Quæ ad diſſolutionem tendunt,à Chriſto damnantur.ibid.40.







Animus quanta diligentia à diſſolutione cuſtodiendus.Anno 1537.7. in ſui ipſius cuſtodia continendus.ibid.incipientium facilè ad vitia relabitur.ibid. Ad vitia præceps. App.41. cupiditate aliqua poſſeſſus minùs ſibi dominatur. Anno 1526.53. Falſa,vera opinatur. ibid.

Anonimus Frater,virtute illuſtris. Anno 1563.3. Pro Mortuo puero Deum rogat. ibid. Mira animi confidentia Deum alloquitur. ibid. Oratione puerum ad vitam reuocat.ibid.4.

F. Anſelmus à Petramolaria cum aliis ad Claſſem à Pio V. Pont.deſtinatur. Anno 1571.1. Pontificio diplomate,ac priuilegiis cohoneſtatur. ibid.2. Socios ad Charitatis,ac pietatis officia inſtruit.ibid.3. Socios per Triremes diſpertitur. ibid.4. Triremem ab Hoſtibus pene occupatam liberat. ibid.6.

F. Anſelmus Panormitanus prudentia,& virtute illuſtris. Anno 1573.35.

F. Anſelmus Aletinus Clericus Animi puritate conſpicuus. Anno 1580.15. Pro induſio, quo in ægritudine indui recuſat,cæleſte induſium illi à B. Virgine promittitur.ibid.

F. Antonius Puſinianenſis ſanctimonia floret. Anno 1568.41.

F. Antonius à Potentia Vir abſtinentia inſignis, ac pluribus virtutibus illuſtris.Anno 1567.38.

Antiquitas fidelis eſt veritatis depoſitaria.Dem.4.7.

S.Antonij Reſponſorio Fur obcœcatur, ac furtum reſtituere compellitur.Anno 1566.41. Res deperditæ inueniuntur. Anno 1546.20. Quædam huius rei exempla narrantur.ibid. 21.22.23. Reſponſorium ipſum exaratur.ibid.24.

Antonius Sanſeuerinus Cardinalis Capucinorum cauſam ſtrenuè agit.Anno 1536.27. rationibus pugnat,ne Capucini Obſeruantium Ordini ſubiiciantur.ibid.28.29.30.Cæteros Cardinales in ſuam ſententiam trahit. ibid.

F. Antonius Cyrnæus Sacerdos meritis, ac virtutibus clarus.Anno 1548.12. Ex Clarenorum familia ad Capucinos migrat.ibid.13. Vitæ illius auſteritas prorſus admiranda deſcribitur. ibidem. 14.15.16. Aſperrimis Ciliciis Carnem domat.ibid. Admirandum Abſtinentiæ genus inſtituit.ibid.15. Variis caſtigationibus corpus macerat. ibid.16. Dominicam flagellationem per quinque horarum ſpacia exercet.ibid.17. Ab ea illum Dæmon impedire conatur. ibid.17. Inter tot vitæ auſteritates vultus ſemper hilaritatem oſtendit. ibidem. 18. Opera ſua humilitate extenuat; ac Deo ſoli tribuit. ibidem. 19. Rerum paupertati ſtudet. ibidem. 20. Purgatorias pœnas, qua ratione non optandas doceret. ibid.21. Peccata venialia non deuitantes ſuggillat. ibid. 22. Orationem ſummo ſtudio proſequitur. ibid. 23. ſolitaria ſemper loca quærit. ibid. Dum orat, flammeus illius vultus cernitur. ibidem. Deum magis animum, quàm opus, ſpectare docet.ibid. 24. Orationem ad Dei dona aſſequenda neceſſariam aſſerit. ibid.Quænã ad diuinã contemplationem neceſſaria ſint, explicat. ib. 25. Obedientiã rebus omnibus anteferendam affirmat. ibid. Honores,ac dignitates reſpuit. ibid. 26. Aegrotos animo, & corpore ſua oratione curat. ibid. Sanctimonia eſt apud omnes celebris. ibid. Moniales mala fama laborantes ad meliorem frugem reuocat. ibid. 27. Dæmon Fulginij vrbem aduerſus illum concitat. ibid. Diabolum duabus vrnis aquam attingentem cernit. ibid. 28. Signo Crucis ægrotos ſanat. ibid. 29. Vlcere inſanabili laborantem ſigno Crucis curat.ibid. Puerum neruis attractum ſua oratione incolumem reddit. ibid. 30. Variis morbis laborantes ſigno Crucis ſanat. ibid. 31. Cœco puero lumen reſtituit. ibid. Cœcam puellam, & epilepticam Crucis ſigno curat. ibid. In Conuentu Montis Caſalis è viuis excedit. ibid. 33. Ioanne Appulo poſt mortem apparet. ibid. 35. Damnationis periculum,atque illius cauſam narrat. ibid. Seueriſſima Dei poſt mortem Iudicia affirmat. ibid. Ipſius conſpicilia poſt mortem penè cœco lumen reſtituunt. ibid.36.

F. Antonius Cincianenſis Laïcus vir perfectus. Anno 1580. 8. Nouitium ſua oratione ab aurium morbo liberat. ibid. quàm præclarè de Oratione ſentiret, explicatur. ibid. Varias à Dæmone in Oratione infeſtationes patitur. ibid. Occulta, diuina virtute intuetur. ibid. Dæmonum conſilia de Religione diſſipanda percipit. ibidem. 9. Dæmonem ſomnum Fratribus in Oratione excitantem cernit. ibid. 10. Fratri incolumi proximum obitum prænunciat. ibid. Falſi criminis calumniam patienter fert. ibid. 11. Crimen diuino Miraculo abſtergit. ibid. ſui obitus die prædicto Senis moritur. ibid.

F. Antonius à Monteſicardo inter Obſeruantes adſcriptus.Anno 1550.14. Inter Obſeruantes plurimis virtutibus lucet. ibid. Dei voluntatem à puero exquirit. ibid. 15. Ad Capucinos cum aliis migrat. ibid. Summis virtutibus ſtudet. ibid. 16.Auſteriorẽ vitam ducit.ibid. Paupertatis ſtudio flagrat. ibid. 17. Fratris cuiuſdam damnatione, cœteros à rerum poſſeſſione deterret. ibid. Superflua habentes argumento terret. ibid. 18. Proprietarios eſſe euincit. ibid. Roſarium dono acceptum in morte reſtituit. ibid. 19. Nouitium à Dæmone tentatum cernit. ibid. 20. Per triginta annos in pane & aqua ieiunat.ibid.21. Panis illi è Cælo miniſtratur. ibid. In menſa in mentis exceſſum rapitur; ac toto corpore ſurſum eleuatur. ibid. 22. A Guardiano ipſius ſpiritus probatur. ibid. In ſtabulo orans ſurſum corpore fertur. ibid. Horas Canonicas ſumma Religione decantat. ibid. 23. Quamplurimos Aegrotos diuina virtute curat. ibid. 24. Puerum ad vitam reuocat. ibid. Incendium ſola Oratione extinguit. ibid. 25. A Chriſto libro vitæ inſcribitur. ibid. 26. Grauiſſima Carnis tentatione Octogenarius à Deo probatur. ibid. 27. Maceratæ in Domino quieſcit. ibid. 28.

F. Antonius de Lochio Laïcus,Obedientiæ virtute illuſtris. Anno 1568. Dum B. Virginis Roſarium perſoluit,multa à Dæmone patitur. ibid.

F. Antonius Siculus, multarum virtutum laude clarus. Anno 1555. 9. Lanium contumelioſum ſua patientia lenit, ac pium præſtat. ibid. Charitate erga ægrotos effunditur. ibid. 10. Romæ piè in Domino obdormit.

F. Antonius Luſitanus mente puriſſimus, Anno 1545.31. Virginitatis florem multarum virtutum odoribus cumulat.ibid. Sæpè illi B Virgo in Oratione apparet.ibid. 32. Diem ſui obitus prædicit. ibid.

F. Antonius Senenſis Clericus plurima virtute illuſtris. Anno 1560.12. Præ humilitate à Presbyteratu abſtinet.ibid.Sanctimonia clarus obit.ibid.

F. Antonius Politianus ſanctimonia conſpicuus. Anno 1550. Plurimis tam in vita, quàm in morte miraculis emicat. ibid.37.

F. Antonius Aletinus, Laïcus, dilectione inimicorum inſignis. Anno 1573. 10. Neceſſaria cibaria ſibi ſubtrahit, vt pauperibus eroget. ibid. Sanctè in Domino obdormit. ibid.

F. Antonius à Spinatiola, Sacerdos, virtutibus eximius. Anno 1568. 31. Quàm à propinquorum amore ſemotus fuerit, exemplo declaratur. ibid.

F. Antonius Hiſpanus Prophetiæ dono illuſtris. Anno 1542. 29. Oranti Ochini lapſus diuinitus reuelatur. Ibid.

F. Antonius Monopolitanus, Sacerdos, Prophetiæ ſpiritu commendatur. Anno 1579. 19. Cingulo ſuo Mulierem à partus doloribus liberat. ibid. 20.

F. Antonius à Licunigro Miraculis clarus. Anno 1572. 2. Acidum vinum orans in generoſum mutat. Ibid. 3. vinum Operariis ſua oratione à Deo impetrat. ibidem.

F. Antonius Pinaroliensis Viſionem de Ochini Caſu à Deo accipit. Anno 1542. 20. Viſio ipſius narratur, & explicatur. Ibidem. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

F. Antonius Pilearius Vir bonus, & pius. Anno 1554. 9. A Domino probatur. Ibidem. Ipſius filius moriens futurum in eam Vrbem Capucinorum aduentum prænunciat. Ibidem. Capucinos vt filios habet. Ibidem. Pleraque Monaſteria ædificat. Ibidem.

F. Antonellus Liternenſis pius Ordinis Benefactor. Anno 1579. 21. Diem ſui obitus diuina reuelatione accipit. Ibidem. Fratribus extremum vale dicit. ibidem.

Apparitionibus & Reuelationibus non facilè credendum. Anno 1544. 2. Earum quatuor genera diſtinguuntur. Ibidem 4. Quomodo probandæ, & à falſis diſcernendæ. Ibidem 6. Diurnæ quibus ſignis dignoſcantur. ibidem 6. 7. 8. Ab Eccleſia, quo pacto probari ſoleant. ibidem. 8. 9.

Apoſtolicæ prædicationi, Deus os, & Sapientiam pollicetur. Anno 1526. 2.

Apoſtolos Barbam promiſiſſe, velut certum aſſeritur. Anno 1528. 16. fol. 100.

Apruſti, ſeu Caſtrouillari Conuentus illuſtri B. P. Franciſci apparitione conſtruitur. Anno 1561. 3.

Aprutiæ Prouincia in diſtinctam Prouinciam erigitur. Anno 1575. 2.

Aqua, qua Aduenarum Fratrum pedes lauantur, Grex ouium aſperſus, à morbo curatur. Anno 1759. 17.

F. Archangelus Alarconius, Generalis Commiſſarius in Hiſpaniam deſtinatur. Anno 1578. 3. Barcinonam cum Sociis appellit. ibidem. Ab Vrbis Conſulibus benignè excipitur. ibidem. 4. Sacram Deiparæ Mótiſſerrati domum cum Sociis veneratur. ibidem. 5. S. Geruaſij Ædem cum Sociis incolendam ſuſcipit. ibidem. 6. Ipſius & Sociorum Vita auſteritate plena deſcribitur. ibidem. 6. Ad S. Matronam, hinc ad S. Eulaliam migrat. ibid. S. Eulaliæ Conuentum ædificat. ibidem. Alterum Montis-Caluariæ Monaſterium extruit. ibidem. 8.

F. Archangelus Panormitanus Concionator, Vir illuſtris. Anno 1577. 20. Ipſius Conſtantia in Religione amplexanda laudatur. ibid. præclaris virtutibus elucet. Ardenter Dei Verbum diſſeminat. ibidem 21. Sodalitates Drepani inſtituit. ibidem. 22. Vrbem ſua prædicatione ad pietatem compellit. ibidem. Humilitatis exempla præbet. ibidem. 23. Mulierem illum ad turpia pellicientem ad pœnitentiam prouocat. ibid. Ipſius in pauperes liberalitas à Deo compenſatur. ibid. 24. Effuſa in omnes illius charitas exemplis adſtruitur. ibidem. 25. Sanctimonia clarus vitæ curſum abſoluit. ibidem.

F. Archangelus à Sacca, Clericus, Caſtimoniæ laude clarus. Anno 1577. 26. Ipſius Caſtitas illuſtri exemplo commendatur. ibidem.

F. Arſenius Bergomas, Clericus, vitæ innocentia inſignis. Anno 1580. 43. B. Virginem in morte cernens expirat. ibidem.

Audacia ſæpius ibi plurima, vbi minor prudentia. Anno 1526. 23.

F. Auguſtinus Pactenſis ſanctitate conſpicuus. Anno 1572. 46.

F. Auguſtinus Dipinianenſis multarum virtutum laude commendatur. Anno 1572. 43. Aridam Mulieris manum diuina virtute curat. ibid.

F. Auguſtinus Gallus, Concionator, Vir præſtantiſſimus. Anno 1566. 36.

F. Auguſtinus à Latertia, Laïcus, virtutibus illuſtris. Anno 1580. 13. Ante mortem gloriæ ſuæ certitudinem cœleſti Viſione accipit. ibidem.

Auinioni Conuentus fundatur. Anno 1576. 9.

Auſteritas Dei cauſa ſuſcepta, etſi incolumitatem minuat, à culpa excuſatur. Anno 1566. 18.

B.

BAldus à Callio coram Dei Iudicio ſiſtitur. Anno 1574. 6. Ipſius opera ab Angelo librantur. ibid. Poſt hæc virtutibus floret. ibid.

F. Baptiſta Laritionenſis, Sacerdos, Vir omni memoria dignus Anno 1564. 7. Plurima virtutum luce præfulget. ibid.

F. Baptiſta Fauentinus vir pœnitentia præclarus. Anno 1562. 5. In ſæculo plurimis ſceleribus obruitur. ibid. Proſcriptorum Princeps conſtituitur. ibidem. Naturæ illius feritas, ac ferocitas annuitur. ibid. 6. Dei Verbum Florentiæ audiens, animo compungitur. ibid. Ad Capucinorum vitam adſpirat, & ab Ochino recipi poſtulat. ibid. 7. Illius conſtantia à Bernardino Ochino multis modis probatur. ibid. 8. 9. Librorum ſacculum in humeris geſtans per hoſtes permeat. ibid. 8. Ab inimicis, fune ſibi ad collum alligato, veniam petit. ibid 9. Vrbem Fauentiam Cacabo onuſtus circumit, ac ſcelerum veniam petit. ibid. 10. Nouitiorum habitu Fauentiæ donatur. ibid. 10. 11. Nouitius ſeipſum ad pœnitentiam prouocat. ibid. Magiſtrum, vt ſeueriùs cum eo agat, adhortatur. ibid. 12. Summam vitæ auſteritatem amplectitur. ibid. 13. Humilitate ac ſui-ipſius contemptu emicat. ibid. Apud Nobilem in ſeipſum maledicentias congerit. ibid. 14. Aliorum pœnis & afflictionibus ſe dignum exiſtimat. ibid. Primos Naturæ impetus humilitate iugulat. ibid. 15. Naturæ impetum cohibens venam ſibi pectoris aperit. ibid. 16. Chriſto pectoris ſanguinem in oratione offerẽs, Chriſti vocem audit, Sanguinem illi lateris oſtendentis. ibid. Hoſtes qui in ipſius necem coniurauerant, humilitate placat. ibid. Iuuenem cum hypochriſis condemnantem, humili reſponſo, à iudicio reuocat. ibid. 18. Summa, erga Altaris Sacramentum Religione fertur. ibid 19. Longa flagellatione carnem caſtigat. ibid. Martyrij cupiditate flagrat. ibid. 20. Obitus ſui tempus prænunciat. ibid. 21. Rebus omnibus exutus, ac altiſſimæ Paupertatis ſectator hinc decedit. ibid. Poſt mortem molle illius corpus eſt, & tractabile. ibid. 21.


Barbam




Barbam Chriſtum promiſiſſe, multis aſſeritur. Anno 1528. 16. fol. 100. Eam quoque Apoſtolos detuliſſe affirmatur. ibid. Eadem quoque B. P. Franciſcum ornatum fuiſſe pluribus demonſtratur. ibid. 17. fol. 100. Quinam olim radere conſueuerint. ibid. 18. fol. 100. Qua lege id Clericis olim præſcriptum. ibid. Olim ab Eccleſia duntaxat Occidentali raſa. ibid. Radere, Romanis tanquam Nobilitatis inſigne habitum. ibid. 19 fol. 101. Orientalibus radere, turpe olim viſum. ibid. 18. fol. 100. Variæ illius ſignificationes traduntur. ibid. 20. fol. 101. Raſa, mœroris, ac luctus Hieroglificon. ibid. Intonſa rigiditatem, ac ſui, Mundique contemptum indicat. ibid. 20. fol. 101. Apoſtolicæ auſteritatis teſtimonium præſefert. ibid. Euangelicos maximè viros decet. ibid.

Barcinona Capucinos ab Hieronymo à Monteflorum poſtulat. Anno 1576. 11. Vrbis illius Conſulum Epiſtola exaratur. ibid. Vrbis Epiſtola in Generali Capitulo legitur, & Hiſpana propagatio decernitur. Anno 1578. 3.

F. Bartholomæus Gallus ſanctimonia clarus. Anno 1566. 13. Poſt mortem ſuauem odorem efflat. ibid. Poſt annum illius corpus, inter Soli humida integrum, & incorruptum apparet. ibid.

F. Bartholomæus Nitienſis Abſtinentia clarus. Anno 1560. 16.

F. Bartholomæus à Marciano, Vir Animi candore inſignis. Anno 1580. 29. Cum auibus cœli ludit. ibid.

F. Bartholomæus à Luciniano, Concionator virtute, & eruditione clarus. Anno 1579. 22. Dum orat, candida Columba ſuper eum volitat. ibid. Piè in Domino obdormit. ibid.

F. Bartholomæus à Cunio, Veronæ Guardianus, ab Ochino corruptus. Anno 1542. 25. In vincula à Veronenſi Epiſcopo coniicitur. ibid. 40. Meritas tandem pœnas luit. ibid.

Bartholomæus Zuchius Epiſtolarum ſcriptor illuſtris. Anno 1539. Capucinorum Religionem beneuolentia proſequitur. ibid. 21.

F. Bartholomæus Hiſpellenſis, vir virtute egregius. Anno 1562. 31. Ex Obſeruantibus ad Capucinos accedit. ibid. Virtutes ipſius quamplurimæ deſcribuntur. ibid. 32. Martyrij ſtudio flagrat. ibid. 33. Cum ſanctimoniæ laude ad Deum migrat. ibid.

Beati diuinum Euchariſtiæ cultum exhibent. Anno 1542. 15. Lux eorum vultum comitatur. ibid. 16. eorum corpora apud Deum in honore habentur. ibid. 17. 18. duntaxat in virtute immutabiles aſſeruntur. Apparat. 41.

Bellicæ fortitudinis laus explicatur. Anno 1551. 20. Ipſius bona à vera hominis felicitate aliena. ibid. 21. Illius incommoda enarrantur. ibid.

F. Benedictus à Modia ſanctimonia floret. Anno 1560. 16.

F. Benedictus Senenſis Ferrariæ Dei Verbum prædicans, primum Bononienſis Prouinciæ Conuentum ædificat. Anno 1533. 27.

F. Benedictus Vercellenſis, Clericus, virtutum Corona illuſtris. Anno 1565. 3. Nouitio illius gloria in morte reuelatur. ibid.

F. Benedictus Mutinenſis vita, ac virtutibus clarus. Anno 1562. 38. Ipſius caput poſt multos ab obitu annos integrum cute, barba, oculis incorruptis cernitur. ibid. Caput ipſius ligone vulneratum, recentem ſanguinem fundit. ibid.

F. Benedictus Galeratenſis Euangelica perfectione clarus aſſeritur. Anno 1575. 52.

Benedictione Menſæ venenum ab Artocrea expellitur. Anno 1575. 26.

F. Benedictus Brixienſis vitæ integerrimæ, vſqu ad finem, cuſtos aſſeritur. Anno 1560. 11. Multas Dæmone infeſtationes tolerat. ibid.

Benefactor Ordinis diuino Miraculo in neceſſitate ſubleuatur. Anno 1564. 20.

Benefactor Ordinis erogatum fratribus panem è Cælo recipit. Anno 1580. 55.

Bentiuoliorum familia Ferrariæ illuſtris, & in Capucinos beneuola. Anno 1533. 28.

Bergomenſis vrbs olim ſub Traiano Reſpublica. Anno 1535. 2. Ipſius incolæ magni ingenij. ibid. B. P. Franciſco Monaſterium extra vrbem ædificat. ibid. S. Bernardino aliud conſtruit. ibid. Primum Mediolanenſis Prouinciæ Capucinis Conuentum extruit. ibid.

F. Bernardinus Georgius iuſſu Generalis Miniſtri de Obſeruantia in carcerem truditur. Anno 1533. 23. Epiſtolam ad Regni Proregem ſcribit, quæ ab Angelo defertur. ibid. 24. A Prorege è carcere liberatur. ibid.

F. Bernardinus Georgius iterum Romam proficiſcitur. Anno 1529. 106. Eremum S. Angeli de Valle Tucis ad Reformationem à Pótifice impetrat. ibid. Romæ cum Ludouico Foroſemproniano colloquitur, & Religioni cum Ludouico & aliis adiungitur. ibid. 106. 107. Quadratum Caputium, Bullæ, & Conſtitutionum exemplaria in Calabriam defert. ibid. 108. Inter illum, & Ludouicum Foroſempr. acta à publico Tabellione excepta referuntur. ibid. 107.

F. Bernardinus Georgius à Ludouico Rhegino ad Siculos deſtinatur. Anno 1533. 6. Meſſanam appellit, & Dei Verbum magna cum vtilitate diſſeminat. ibid. 7. Primum ibi Conuentum ædificat. ibid. Panormum profectus, velut ignotus à Dei Verbo prædicando repellitur. ibid. Ipſius prædicatio, ob curioſitatem, à Panormitanis deſpicitur. ibid. 8. Stylum mutat, & nouus Vrbis Apoſtolus acclamatur. ibidem. Extra Vrbem Conuentum extruit. ibid.

F. Bernardinus Georgius Catanam proficiſcitur ibiq; Dei Verbum diſſeminat. Anno 1533. 9. Tertium in ea Vrbe Conuentum extruit. ibid.

F. Bernardinus Rheginus, qui & Georgius, Moritur; cuius vita deſcribitur. Anno 1536. 39. 40. Ex nobili ſtirpe progenitus. ibid. 40. Cum Ludouico Rhegino in Obſeruantium familiam cooptatur. ibid. A Pariſienſe Facultate Doctor creatur. ibid. Ipſius ingenium quam præſtans fuerit, indicatur. ibidem 41. Theologicas Theſes Meſſanæ ſuſtinens, Georgij nomen aſſequitur. ibidem 42. Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus, pro Reformatione, cum Ludouico laborat. ibidem 43. Cum Ludouico ad Capucinos migrat. ibidem. Dei verbum ardentiſſimè diſſeminat, ac virtutum exemplis emicat. ibidem 44. Panormi odia conciliat, & vrbis Apoſtolus acclamatur. ibidem 46. Euentura ſæpe prædicando prænunciat. ibidem. Catanæ incendium prædicit. ibidem 47. Rhegij deuaſtationem concionando prædicit. ibid. 49 Occultas hominum cogitationes diuina virtute penetrat. ibid. 50. Nobili Viro Rhegino occultum ſcelus


quod

ſtudioſus fuit. ibid. 16. Leuis animo conuincitur. ibid. 18. Ob leuitatem ad Hæreſim procliuis. ibid. Animi ſuperbia, quæ omnium Hæreticorum Mater eſt, laborauit. ibid. 19. Cumulata animi malitia eum in Hæreſim impulit. ibid.

F. Bernardinus Ochinus Venetiis prædicans, Hæreſim diſſeminare tentat. Anno 1542. 5. Tanquam Hæreſis ſuſpectus ad Apoſtolicum Nuntium defertur. ibidem. 6. Iterum Hæreſis venena diffundit. ibid. 7. A Prædicationis officio ab Apoſtolico Nuntio ſuſpenditur. ibidem. 8. Reip. Venetæ opera reſtituitur. ibid. Veronam ſe confert, vbi Pauli Epiſtolas Hæretico ſenſu interpretatur. ibid. 8. 9. Nonnullos Auditores corrumpit, & ad Hæreſim pertrahit. ibid. 9. Romam à Pontifice accerſitur. ibid. 10. Petrum Martyrem Lucenſem Hæreticum Florentiæ offendit, & ab eo ad fugam compellitur. ibid. 11. Fugam arripit, & Geneuam ſe confert. ibidem, 12. Ipſius lapſus Nouitio diuinitus oſtenditur. ibidem. 13. 14.

F. Bernardinus Ochinus fratrem Marianum à Quintiano ſibi ſocium eligit. Anno 1542. 31. Verbis circumuenit. ibid. 32. Fugam pietatis prætextu colorat. ibid. Turpem fugam verbis deplorat. ibid. 33. 34. 35. A Mariano corripitur. ibid. 36. In ſcelere pertinax, ſcelus excuſat. ibid. 37. Mariano diſcedente Religionis ſigillum tradit. ibidem. Ob illius fugam maximi in tota Religione mœrores. ibid. 39. Impiam Apologiam pro fuga ſua ad Pontificem ſcribit. ibid. 43. Propter ipſius lapſum res Capucinorum afflictiſſimæ. ibid. 44. Plerique ad priſtinas propter ipſius lapſum, Religiones remeant. ibid. 41. 42. Nec Capucinorum Auctor, nec primus Generalis fuit. Anno 1543. 43. Generalium ante ipſum ſeries explicatur. ibid. Tertius tantummodò Generalis numeratur. ibid. 44. Sub vitæ finem hæreſes omnes recantat. ibid. 46. In extremo vitæ diſcrimine Sacerdoti peccata ſua confitetur, & Hæreſes abiurat. ibid. Quæ malè docuerat, apud Diſcipulos reprobat ibid. 47. Romanam Eccleſiam, & Catholicam illius fidem ſolam veram eſſe prædicat. ibid. 48. Apud Magiſtrarum Geneuenſem à Diſcipulis accuſatur. ibid. 49. In fidei Catholicæ confeſſione conſtans interficitur. ibid. 50. De extrema ipſius conuerſione, & morte pro fide perpeſſa, octo probatiſſima teſtimonia adferuntur. ibid. 51. 52. 53. & ſequent. Brancacius ab eo Geneuæ conuiuio excipitur. ibid. 55. Ab eo ad Catholicam fidem iterum amplectendam prouocatur. ibid. 56. Mentem Brancacio aperit, ac reditum ad Eccleſiam pollicetur. ibid. 58. Theodori Bezæ apertum de illo teſtimonium affertur. ibid. 63. Pro illo Capucinorum Religio Deum rogauit. ibid. 65. Ipſius conuerſio Bernardino Aſtenſi à Deo reuelara oſtenditur. ibid. 65.

B. Bernardi à Quintaualle vaticinium de Capucinorum reformatione expenditur, & explicatur. Anno 1524. 31. 32. 33. & ſeq.

S. Bernardi beneficia in Eccleſiam collata referuntur. Apparat. n. 13.

F. Bernardus Aſſiſias Sacerdos à puero pietati deditus. Anno 1547. 19. Pro ſeruanda virginitate Deum orat. ibid. Religionis amplectendæ ſtudio flagrat. ibid. 20. Pro ea eligenda preces inſtituit. ibid. Cilicio tenerum corpus contegit. ibid. Erga Capucinorum vitam ac Religionem afficitur. ibid. 21. Capucinorum militiæ adſcribitur. ibid. 22. Sub Vincentij à Flauiniano diſciplina annum probationis agit. ibid. 22. 23. Admirabili vitæ auctoritate præſtat. ibid 23. Proprio corpori ignauiam exprobrat. ibid. Chriſti, ac Sanctorum exemplis ad dura toleranda ſeipſum prouocat. ibid. Ad Superioris præceptum fabis veſcitur. ibid. 24. Profunda ipſius humilitas indicatur. ibidem. Animum ab omni lethali culpa ſemper vſque ad mortem ſeruauit. ibid. 25. Paupertati altiſſimæ ſtudens ab omni victus prouiſione abhorret. ibid. 26. Iter agenti panes miraculosè miniſtrantur. ibidem. Sacra Miſſarum myſteria ſumma cum Religione peragit. ibidem 27. Narniæ cum ſanctimoniæ laude diem extremum claudit. ibidem 28. Miraculis in vita & poſt mortem à Deo illuſtratur. ibid 29. Poſt mortem Noſocomij Præfecto apparens delatam ſibi à Deo gloriam indicat. ibid. 30. Quanta in futuro ſæculo Dei ſeueritas ſit, aperit. ibid. Poſt quintum ſepulturæ annum cerebrum in ipſius capite incorruptũ cernitur. ibid. 31.

F. Bernardus Enneus virtutibus clarus. Anno 1554. 1. Morienti ſocio in Cælum migrans apparet. ibid.

F. Bernardus Panormitanus, & Hieronymus Zarentio, peſte laborantibus Panormi miniſtrantes in eo munere Deo ſpiritum reddunt. Anno 1577. 6.

F. Bernardus Foroſempronianus virtutibus clarus. Anno 1539. 50. Primus ex ſæcularibus viris ad Reformationem accedit. ibid. Admiranda vitæ auſteritate præſtat. ibid. Domini paſſionem magno eiulatu deplorat. ibid. Dominicam flagellationem per quinque horarum ſpacia exercet. ibid. Maceratæ cum ſanctimoniæ fama moritur. ibid.

F. Bernardus Offidanus Laïcus ex Obſeruantium familia ad Capucinos euolat. Anno 1558. 6. Perfectiſſimus Regulæ, ac virtutum cultor. ibid. 6. Altiſſimæ paupertatis ſtudium ſectatur. ibidem, 7. Admirabilis ipſius Abſtinentia commendatur. ibidem, 7. 8. Pro victus frugalitate, & abſtinentia pugnat. ibidem. Gulæ famem inſatiabilem eſſe oſtendit. ibidem. Paupertatis zelo quàm ferueret, exemplo indicatur. ibid. 9. Profunda quoque ipſius humilitas demonſtratur. ibid. 10. Orationi plurimùm vacat. ibidem, 11. A B. Virgine ſibi apparente accipit, ſe plenam à Deo peccatorum remiſſionem obtinuiſſe. ibid. Mortuum viduæ filium ſua oratione ad vitam reuocat. ibidem. Camerini ad Deum migrat. ibidem. Poſt mortem mulieri glorioſus apparens, eam ab afflictione liberat. ibidem.

F. Bernardus Catacrenſis Clericus præclaris virtutibus emicat. Anno 1567. 31. In morte à B. Virgine ad Cæli præmia inuitatur. ibid. Sorori Tertiariæ in Cælum migrans apparet. ibid. 32.

F. Bernardus Mediolanenſis Brixienſis Epiſcopus deſignatur. Anno 1565. 18. Epiſcopatum fugiens ad ſolitudinem ſe confert. ibidem. Capucinorum numero adiungitur. ibid. Humilitati, ac ſui-ipſius deſpectui ſtudet. ibid. Eximius Paupertatis ſectator. ibid. 19. Prophetiæ ſpiritu à Deo illuſtratur. ibidem, 20. Nobili viro Capucinis infenſo calamitatem futuram prænunciat. ibid. Sanctimonia clarus diem extremum obit. ibid. Poſt quintum ab obitu annum Oſſa ipſius ſuaueolent. ibid. 21.

Bigorij Cõuentus Diuino miraculo ab Hirundinibus deſignatur. Anno 1580. 6. Huius Conuentus ſanctitas celebratur. ibid. Admirabilis fratrum in eo degentium, vita, & auſteritas. ibid.

Blaſius Stella vir nefarius Bernardino à Monteulmo





prædicante ad Deum cõuertitur. Anno 1565. 32. Ad Dei clementiã prouocatur. ibid. 33. Peccata integra confeſſione lauat. ibidem. Dæmon eidem apparens quærimonias format. ibid. Dæmonem pellit, ac crepida fugat. ibid.

F. Blaſius de Hali virtutibus clarus. Anno 1576. 49. Genuflexus Deo animam reddit. ibid.

F. Bonauentura Rhegienſis vita, & miraculis celebris. Anno 1572. 5. Ipſius vita omnibus virtutibus ornata deſcribitur. ibid 5. 6. Feruentiſſimè Dei Verbum diſſeminat. ibid. 7. Vrbes ad concordiam prouocat. ibid. 8. Clericum ſcandaloſum diuina virtute mutat, & ad meliorem frugem prouocat. ibid. 9. Confraternitates erigit. ibid. 10. Pro Catholica fide aduerſus Hæreticos laborat. ibid. 11. Multa Prophetico ſpiritu futura prædicit. ibid. 12. Quadraginta Horarum Oratione agros à tempeſtate liberat. ibid. Procurator Generalis in Romana Curia inſtituitur. ibid. 13. Præclaro exemplo pro caſtitate pugnat. ibid. Impudicam mulierem flagello coërcet. ibidem. Damnatorum fratrum pœnitentiam refugientium voces audit. ibid. 14. Sanctimonia clarus ex hac luce migrat. ibid. 15.

F. Bonauentura Rheginus præclaris virtutibus emicat. Anno 1555. 19. Panem Operariis à Deo ſua oratione impetrat. ibid. 20. Diuinitus à trabis ingentis oppreſſione liberatur. ibid. Fornacem Calcariam ardentem ingreſſus, illius ruinas inſtaurat, & illæſus egreditur. ibidem 21. Obitus ſui horam prædicit. ibidem 22. Corpus ipſius in morte niue candidius apparet, ſuauiſſimum odorem efflans. ibid.

F. Bonauentura Picens virtute ac ſanctimonia clarus. Anno 1567. 30. Magnis virtutibus reſplendet. ibid. Plurima ſigno Crucis miracula edit. ibidem. Mortuum puerum ſuis precibus ad vitam reuocat. ibid. 30.

F. Bonauentura Venetus ex Obſeruantium ordine ad Capucinos migrat. Anno 1538 3. Monaſterium Eremi ad Capucinos transfert. ibid. 1. 2. 3. Quo pacto eo Monaſterio potitus fuerit, explicatur. ibid.

F. Bonauentura Panormitanus Sacerdos ſanctitate floret. Anno 1580. 41. In morte ad Dei Iudicium rapitur. ibidem. Salutis à Deo ſententiam fert. ibidem.

F. Bonauentura Gallus Laïcus ſanctitate conſpicuus. Anno 1563. 10.

F. Bonauentura à Raticina omni virtute ornatus. Anno 1575. 31. Vitæ auſteritate plurimùm præcellit. ibid. è Popina diuino Miraculo Sacerdotem ſacram Euchariſtiam efferentem videt. ibid. 32. Martyrij cupidus in Aphricam proficiſcitur. ibid. Sua Oratione panem à Deo familiæ impetrat. ibidem. Pleraſque à Deo reuelationes accipit ibid. 33. Obitum ſuum Deo reuelante præcognoſcit. ibid. Perpetuam virginitatem coluit. ibid. Ipſius caro poſt mortem ſuauiſſimum odorem efflat. ibid.

F. Bonauentura Cremonenſis Sacerdos, ſæpè B. Virginis & Apoſtolorum viſione fruitur. Anno 1571. 20. B. Petrum ſacra facientem intuetur. ibid. Neapoli piè in Domino quieſcit. ibid.

F. Bonauentura Bercellenſis Laïcus ſanctimonia illuſtris. 1563. 10. Poſt mortem ſupinus faciem ad Cælum conuertit. ibid.

F. Bonauentura à Monte-regali, patientiæ plurimùm laudatur. Anno 1557. 22. Ex Obſeruantium familia ad Capucinorum Religionem migrat. ibidem 25. Paupertatem ſtudioſiſſimè ſectatur. ibid. Quodnam Abſtinentiæ genus commendaret. ibid. Futura prædicit. ibid. 26. In Oratione Deo Spiritum reddit. ibid. 27. Ipſius corpus poſt quintum annum integrum ac ſuaue olens reperitur. ibid. 28.

S. Bonauenturam Quadratum Caputium non mutaſſe oſtenditur. Dem. 9. 3. 4. & ſeq.

Bononienſis Prouinciæ à F. Benedicto Senenſi fundamenta iaciuntur. Anno 1533. 27.

Bonum aliquod interdum omitti poteſt, ne maius ſcandalum emergat. Anno 1537. 1.

Borbonius, primus in Romæ expugnatione cadit. Anno 1527. 16.

Brandanus Eremita ſanctitatis opinione in vrbe clarus. Anno 1534. 26. Ob Capucinorum eiectionem Romanæ vrbi comminatur. ibid.

Bugellæ Conuentus extruitur. Anno 1559. 1.

Bulla Inſtitutionis Capucinorum propriis verbis exprimitur. Anno 1528. 3. Nonnulla ipſius capita perpenduntur, & explicantur. ibid. 4. Cur in ea nulla de Matthæo à Baſſo mentio facta fuerit, grauiſſimè ponderatur, ac cauſa in Dei conſilium reiicitur. ibid. 4.

C.

CAlabræ Reformationis Patrum vita, ſummis virtutibus plena deſcribitur. Anno 1532. 18. 19. 20. Eorum Auſteritas, Paupertas, Regularis diſciplina, virtutum ſtudia referuntur. ibid.

Caluinus ob nefanda ſcelera lilio inuſtus, ac patria pulſus. Anno 1524. 13. Geneuenſem Eccleſiam occupat. ibid. Hæreſum venena diffundit. ibidem. Pleraſque Orbis Regiones ſua tabe inficit. ibidem. Anno 1524. 13.

Camaldulenſes, & Carthuſienſes, non communes Eremitæ, ſed Monachi nuncupandi. Anno 1528. 8.

Camillus Vrſinus res Capucinorum tuetur. Anno 1534. 27. Cum Pontifice de Capucinorum reuocatione in Vrbem agit. ibid. Edicti Pontificij reuocationem à Pontifice obtinet. ibid. Capucinos in Vrbem reducit. ibid. In Capucinos obloquentes reprimit. Anno 1535. 36.

Camillus de Lellis re ſua omni diſſipata ad ſummam egeſtatem redigitur. Anno 1575. 7. In Capucinorum Religione Nouitius adſcribitur. ibid. Ob plagam incurabilem ab Ordine dimittitur. ibidem. In Hoſpitali S. Iacobi Incurabilium Domo, Romæ infirmis miniſtrat. ibidem 8. Iterum plaga ſanata ad Capucinos redit. ibidem. Rurſus renouata plaga ab Ordine dimittitur. ibidem. In eo Dei prouidentia ſuſpicitur. ibid. Ordinem Clericorum Infirmis miniſtrantium fundat. ibidem.

Capitulum primum Generale à Ludouico Aluacinæ congregatur. Anno 1529. 3. B. Bernardi à Quintaualle vaticinio illuſtratur, ibidem. Illius conuiuia, paupertate pinguia deſcribuntur. ibidem 7. Secundum, Anno 1535. 20. Idem confirmatur, Anno 1536. 2. Tertium Florentiæ, Anno 1538. 9. Quartum Neapoli, Anno 1541. 1. 2. Quintum Romæ, Anno 1543. 1. 2. Sextum Romæ, Anno 1546. 1. Septimum Neapoli, Anno 1549. 1. Octauum Romæ, Anno 1552. 1. Nonum Firmi in Piceno, Anno 1555. 1. Decimum Neapoli, Anno 1558. 1. Vndecimum Romæ, Anno 1561. 1. Duodecim…

Romæ 1564. 1. Tertiumdecimum Romæ. Anno 1567.1. Quartumdecimum Romæ anno 1570.1. Quintumdecimum Romæ, anno 1573.1. Sextumdecimum Romæ, anno 1575. Decimum ſeptimum Romæ, anno 1578.

Capucini non Eremitæ, ſed Fratres Minores nuncupandi. Anno 1528.7.8. Eremiticam vitam petunt, vt Regulam perfectiùs obſeruent. ibidem 22.23. Cur Eremiticam vitam ducere à Pontifice poſtulauerint, rationes adferuntur. ibidem 22. 23. fol. 99. Fratres Minores de Eremitica vita olim nuncupati. Anno 1528.24.fol.99. Hac appellatione à Conuentualibus, & Obſeruantibus diſtincti. ibidem. Barbam defer entes Chriſtum, Apoſtolos, ac B. P. Franciſcum imitantur. ibid.25.fol.99. Cur Barbam deferre iis à Pontifice conceſſum. ibidem. 25.99. ad Incurabilium S. Iacobi domum à Ludouico deſtinantur. Anno 1530.9. Ægrotis omni diligentia miniſtrant. ibidem 10. Eorum in miniſtrando charitas, ac ſtudium explicantur. ibid.11. Eorum opera, ac Miniſterio Domus illius Hoſpitalis vectigalia augentur. ibidem 12. Variis Conuiciis ab Aduerſariis lacerantur. ibidem 13. Quibus telis ij contra Aduerſarios pugnarent, indicatur. ibidem 14. Ob illata conuicia illuſtriores fiunt. ibidem. Diaboli tentatione, Martyrio flagrantes. Anno 1533.2. A Ludouico Foroſemproniano prudenter compeſcuntur. ibidem. Alia Dæmonis tentatione Monaſteria deſerere, & ad ſolitudines fugere conſpirant. ibidem 3. Qua ratione, & argumento in id contenderent, explicatur. ibidem. Quo pacto ab eo conſilio reuocati fuerint. ibidem.

Capucini ab Obſeruantibus apud Pontificem pulſantur. Anno 1532.68. Vtrorumque cauſa duobus Cardinalibus committitur. ibidem. Bulla ad vtroſque ſpectans à Cardinalibus fertur. ibid.68. Diploma aduerſus illos à Generali Obſeruantium Miniſtro impetratum, à Pontifice reuocatur. ibidem. fol.175.n.69. Clementis VII. *edicto* ab vrbe eiiciuntur. Anno 1534. 18. 19. Intermiſſo prandio Pontificis edicto parent. ibid.19. Ad S. Laurentij extra muros Baſilicam pergunt. ibidem 21. à Clericorum Lateranenſium familia hoſpitio excipiuntur. ibidem 21. Ieiuniis, & orationibus vacant. ibidem 22. in meliorem futurorum ſpem eriguntur. ibidem. Erga illos Crucifixi Confraternitatis tunc pietas elucet. ibidem. Ob illorum eiectionem publica vrbis commotio. ibidem. Catharinæ Ciboæ hoc tempore in eos officia. ibid. 24. Victoria Columna pro iis Pontificem adit. ibid.25. Brandanus Eremita ob eorum eiectionem Romanæ vrbi comminatur. ibidem 26. Eorum paupertas ab Aduerſariis ſuſpicitur. ibid. 19.

Capucini Mediolani, ac toto Agro Mediolanenſi Peſte laborantibus miniſtrant. Anno 1576.16. Ex his plerique in pio Miniſterio occumbunt. ibidem 18. In laborantium Miniſterio defuncti cum Martyribus comparandi. ibidem. Duo fratres Hieroſolymis pro fide obtruncantur. Anno 1577.7. Ob Mariæ longæ preces, Monialium Sanctæ Mariæ in Hieruſalem, Neapolitanæ vrbis, curam ſuſcipiunt. Anno 1538.13.15. Pontificis edicto in ea adminiſtratione confirmantur. ibidem 16. triginta ad Claſſem à Pio V. Pont. deſtinantur. Anno 1571.1. Per Triremes diſpertiti cunctos ad pietatem inſtruunt. ibidem. 4. Plenariam indulgentiam in die pugnæ militibus prædicant. ibidem 5. Eorum officia, dum pugna committitur, explicantur. ibidem. 6. Auguſtæ Taurinorum degentes, ereptam ſibi Martyrij coronam lugent. Anno 1555.28.29. Itinerantes à B. Virgine Hoſpitio excipiuntur. Anno 1580.56.57.

Capucinis ad Obſeruantes tranſmeare Apoſtolica Bulla interdicitur. Anno 1551.1. F. Matthæi à Baſſio nomen, ac memoria, ſumma apud eos in *veneratione habita*. Anno 1552.21.

Capucinos quàm in pauperes liberales eſſe oporteat, exemplo declaratur. Anno 1576.63.

Capucinarum Romæ Monaſterium fundatur, Anno 1576.19. Capucinorum Curæ Apoſtolico diplomate demandatur. ibid.

Capucinorum Reformatio è B. Virginis pallio erumpere, cœleſti viſione demonſtratur. Anno 1524.26. à Beatiſſima Virgine, Deo Filio, ad Orbis conuerſionem offertur. ibidem. Ipſius aſpectus Dei Filius in Homines iratus placatur. ibidem 26. 27. In Domini vinea ſtrenuè laborat. ibidem 28. Longè ante ipſius ortum à B. Bernardo à Quintaualle prænunciata. ibidem. 29. 30. 31. Secundum Spiritum Fundatoris à Deo excitata. ibidem 32. Anteriores omnes Reformationes Paupertatis ſpiritu antecellit. ibidem. Ad omnem Regulæ obſeruantiam ſe extendit. ibidem. Quis illius inter homines Auctor fuerit, ignoratur. ibidem. A viris ſimplicibus exorſa. ibidem. Anno 1524.32. ad Dei iram extinguendam inſtituta oſtenditur. Anno 1524.23. exemplis à Deo profecta comprobatur. Apparat.62.63. Non Caſu, aut Fortuna in Orbe exorta. ibidem. Ortus admirabilis deſcribitur. Apparat. 57. Abſque humano parente progenita aſſeritur. ibidem. Orbem ferè totum ſuis Cœnobiis complet. ibidem 58. à Deo genita commemoratur. ibidem 60.61. Ortus quàm humilis. Apparat.45. In eo diuini Operis magnitudo ſuſpicienda. ibidem. Eorum Reformatio iniquiſſimis Orbis temporibus exorta. ibidem 46. Ezechielis verbis deſcripta. ibidem. In ſuo ortu quàm obſcura, & ignobilis. ibidem.

Capucinorum *Reformatio humili virgulto ſimilis*, quod in Arborem excreſcit. Apparat.47. Cum paruo illo Danielis lapide comparatur. ibidem. 48. Dei Manu abſciſſa demonſtratur. ibidem. In ingentem montem euaſit. ibidem. Diuini operis magnitudinem oſtendit. ibidem 49. Nihil *niſi* humile in ſuo ortu præſefert. ibidem. Origo quàm humilis, & obſcura. Apparat.55. Miraculoſa ab Auctore Romualdinæ aſſeritur. ibidem. Eccleſiæ ortum æmulatur. ibidem 56. Ipſius ab humilitate gloria. ibid.

Capucinorum Congregatio à Chriſto plantata, ac inſtituta, ab eodem aſſeritur. Anno 1544. 26. Quam tenerè à Chriſto dilecta, explicatur. ibidem. 12.13. 15. 26. Illius incrementum à Chriſto, Ioanni Hiſpano reuelatur. ibidem. 26. Cur tot calamitatibus, ac perſecutionibus preſſa, à Domino indicatur. ibidem. Pontificis Bulla confirmatur. Anno 1528. 3. 4. Sub *Minorum* Conuentualium obedientia, quoad aliqua, à Pontifice conſtituitur. ibidem 6. Deo tantùm auctore,





ac B. P. Franciſco parente excitatur. ibid. 5. Monaſticum, ac Regulare Inſtitutum complectitur. ibidem. 8. cur Obſeruantium Ordini vniri recuſauerit, cauſæ afferuntur. Anno 1576.22.23.24.25. 26. Pro ea Cardinales ſententiam ferunt. ibidem 32. Ne Obſeruantium Ordini vniatur: Bernardinus Generalis ſchedulam offert. ibidem. 22. Pro illa Antonius Senſeuerinus Cardinalis ſtrenuè pugnat. ibidem 27. 28. 29. 30. Noua Bulla à Paulo III. Summo Pontifice confirmatur. ibidem. 32. Tunc profundiùs ſolidatur, cum grauioribus perſequutionibus pulſatur. ibidem 33. Linguæ aculeis, & obtrectationibus ab Aduerſariis oppetitur. ibidem 34. Pro Detractoribus ad Deum preces fundit. ibidem 35. Inter maledicta, pleriſque Viris inter obſeruantes illuſtribus augetur. ibidem 36. Inſtar Arcturi, ex perſecutionibus altior emergit. Anno 1526.50. Cum Domo Euangelica ſupra petram fundata, comparatur, ibidem. 65. eiuſdem victoriæ deſcribuntur. ibidem. 65. Inter magna Dei opera recenſetur. ibidem. 66. Harmonicum quoddam chroma aſſeritur, in quo vniuerſa virtutum genera ſuos concentus edunt. ibidem. 67. apud Calabros propagatur. Anno 1532. 1. Qui in eam adſcripti primùm fuerint, adnumerantur. ibidem. 9. Quanta virtutum ſanctimonia floreret. ibidem 22. Diaboli aduersùs eam odium, ac impetus exarantur. ibidem 23. Eorum erga perſequutores charitas commendatur. ibidem. 26.

Capucinorum Religio, quo anno exorta. Anno 1528.22.fol.101. Inſtitutionis ipſius Bulla, quàm facilè impetrata. ibidem 21.fol.101. Camerini, Catharina Duciſſa imperante, Preconis voce euulgatur. ibidem. 22. fol.102. In publicis Miſſarum ſolemniis prædicatur. ibidem. Ipſorum appellatio primum à pueris orta. ibidem 23. fol.102. Item 24. ibidem. Cur tam copioſè in B. Virginis venerationem ſe effundat, cauſa redditur. Anno 1524. 43. Illius dignitas ex pluribus expenditur. ibidem. 44. Ordinem à B. P. N. Franciſco inſtitutum præclarè aſſeritur. Demonſt. 10.7. 8. & ſeq. Pauli 5. verba. *Quamuis tempore B. Franciſci inſtituti non fuerint*, quo ſenſu intelligenda. ibid. 8. Refelluntur ſolidè obiecta. ibid. 9. 10. & ſeq.

Capucinorum Religio, ob Ochini fugam afflictiſſima. Anno 1542.44. Æmulorum calumniis vexatur. ibidem. 44.45. Vix ab Amicis agnoſcitur. ibidem 46. à F. Timotheo apud Pontificem accuſatur. ibidem 47. Libano comparatur. Anno 1542. 2. Maxima hoc anno tempeſtate iactatur. ibidem. 1.2. In pace amaritudo illius amariſſima. ibid. 3 maximo in diſcrimine verſatur. Anno 1543. 1.2. De ea extinguenda Pontifex cum Cardinalibus agit. ibidem. Pro illa Antonius Sanſeuerinus Cardinalis ſtat, ac rationibus pugnat. ibidem 4.5. 6.7. Pontificem in ſuam ſententiam pertrahit. ibidem. 8. Ipſius fides examinatur. ibidem 9. Integra in fide reperitur. ibidem. Maximo timore percellitur. ibid. 9.10. ob Ochini lapſum Paulus III. Pontifex illi interitum minatur. Anno 1542.49. In ea aſſiduæ Orationes ab omnibus fiunt. ibid. Eam Deus variis Reuelationibus conſolatur. ibid 50. Mulieris cuiuſdam piæ, viſione lætificatur. ibidem. Eius calamitatis anguſtias, B. Virgo F. Bonauenturæ Cremonenſi apparens, ſuauiter demulcet. ibid. 51. Eam à Chriſto, & ab ea diligi B. Virgo Bonauenturæ aperit. ibid. Cur ea tribulatio illi immiſſa fuerit, cauſa à B. Virgine exeritur. ibid. Inter anguſtias poſitam Aſtenſis, & Æſinus variis argumentis confirmant. ibidem. 52. Pro ea Camaldulenſes Patres Deum rogant. ibid. 53. Plerique alij pro ea apud Deum orationes fundunt. ibid.

Capucinorum Religioni Prædicationis officium à Pontifice interdicitur. Anno 1543.13. In ea Comitia Generalia conuocantur. ibid.14. Viri in ea prudentia, ac virtute illuſtres, enumerantur. ibid.15. 16. Ea à quàmplurimis ſanctiſſimæ vitæ, ac prudentiæ viris illuſtrata aſſeritur. ibid.17. Sub Franciſco Æſino Generali refloreſcit. ibid.23. Eidem Prædicationis munus reſtituitur. Anno 1545.27. Prædicatoribus fidei articuli proponuntur. ibidem. 3. 4. graui procella iactatur. Anno 1558.3. Ab ea, ſola Dei prouidentia liberatur. ibid. 3.4. Reformationis primordia, cur Deus maximis tentationibus pulſari permiſerit ratio expenditur. Anno 1526. 72. & Anno 1527.3. Ipſius ærumnæ graues, & diuturnæ. ibid.

Capucinorum nomen à pueris exortum. Anno 1528. 23. fol.102. A Dei Conſilio excogitatum. ibidem. 23, 24. fol. 102. perfectam eorum laudem explicat, ibidem 24. fol.102. A Quadrato Caputio deriuatum. ibidem 25. fol. 102. Veram habitus S. Franciſci formam mundo reſtitutam indicat. ibidem. Profundiſſimæ humilitatis inſigne. ibidem. 26.fol.102. Ad præſtantiſſimum humilitatis gradum compellit. ibidem. Cur Capucinorum, non Caputiatorum nomen inditum fuerit declaratur. ibidem. Capucinorum Capiti ſummæ abiectionis ſignum imponit, ibidem, fol.103. appellatio apud Calabros à pueris orta. Anno 1532. 28. A Deo profecta aſſeritur. ibidem. 29. Primùm inter perſecutionum tenebras illuceſcit. ibidem 28. Ea quid ſignificetur, noua ratione oſtenditur. ibidem. 29.

Capucinorum Religio cur Sanctos viros occultet, cauſa redditur. Anno 1546.18. Ipſius habitus deferendi Religio à Deo miraculo probatur. ibidem. 19. Dæmonum in eam odium. Anno 1547.1. cæleſtium virtutum luce, à ſuo ortu, coruſcat. Anno 1524.18. Ingentes ad pietatem motus in Orbe excitat. ibidem. Contra vitia, & Hæreſes pugnat. ibid.19. Murus pro Domo Dei aduersùs Hæreſes aſſeritur. ibidem. 20. cum prima Ordinis inſtitutione comparatur. Anno 1524. 25. 26. & ſeq. Mira inter eas concordia aperitur. ibidem 24.

Capucinorum Ordo Magno Nauigio comparatur. Apparat.64. Cũ Regio quodam Exercitu confertur. ibid. viris illuſtribus augetur. Anno 1535.9. Maiora inter ærumnas, & perſecutiones incrementa percipit. ibid.10. Fratrum de Obſeruantia illi receptio interdicitur. ibid.12. Interdictum noua Bulla reuocatur. ibidem. A Ludouico Foroſempr. per Commiſſarios adminiſtratur. ibidem. 26. Bernardini Aſtenſis potiſſimùm ſapientia, ordinatam ſacræ Reipub. formam adipiſcitur. ibidem. Viris illuſtrioribus ex Obſeruantia, & Domibus excreſcit. Anno 1530.3.4. A Sancta Maria Miraculorum ad S. Euphemiæ Conuentum migrat. ibid. 8. Regio diplomate in naturalem Regni filium in Gallia adoptatur. Anno 1576.10.

Capucinorum Religioni illuſtriores Viri ex Obſeruantium familia ſeſe adiungunt. Anno 1534.2. Admirabilis in eam Dei prouidentia, ac benignitas explicatur.ibid. Eorum qui ad eam accedunt, Catalogus recenſetur.ibid.3. In eam concedit F.Ioannes à Fano,è Saulo Paulus.ibidem 4.5. & ſequent. Conuentus Cingulani Obſeruantium familia ferè tota ſimul cum Ioanne Faneſtri ad eam migrat. ibid.7. Publica illorum in vrbe Proceſſio à Ludouico Foroſempr.inſtituitur. ibid.14. Hypocritæ ab Aduerſariis inclamantur.ibid. cum Obſeruantibus vnio à Lunello Generali apud Pontificem tentatur.Anno 1536.19. Eorum vnio ſex Cardinalium Iudicio à Pontifice commiſſa. ibid.20. Inter tres Cardinales ab ipſis electos,Antonius Sanſeuerinus adnumeratur. ibid.21. Eorum nomine à Bernardino Generali Schedula Sanſeuerino offertur. ibidem.

Capucinorum antiquorum abſtinentia admirabilis. Anno 1529.83. Apud illos Carnium eſus rariſſimus. ibid. Auſteritatis, & paupertatis exempla admiranda referuntur. ibid.84. Illorum Lecti auſteritas deſcribitur. ibid.85. Cum naturæ neceſſariis diſceptant.ibid. Ab omni rerum prouiſione adhorrent. ibid. Eccleſiarum apud illos paupertas exaratur. ibid.86. Eorum, in rerum Eccleſiaſticarum paupertate exceſſus excuſatur. ibid. Summus eorum rigor, ſupremum fuit Naturæ periculum. ibid.89. in Cælis gloria quanta,viſione declaratur. Anno 1572.4.

Capucinorum Conſtitutiones ſub Ludouico Foroſempr.tantùm promulgantur. Anno 1529.73. Eorum Vicarij Generales olim à Min. Conuent. Generali Magiſtro confirmati. 74. Cur eorum Generales olim Vicarij non Miniſtri appellati. ibid. 74. Antiquorum ſtudia, ac mores referuntur. ibid.76. Eorum obedientia,paupertas, humilitas,auſteritas, virtutes recenſentur.ibid. Apud illos Horæ diuinæ abſque cantu perſoluendæ. ibid.77.

Capucinorum calumniator infauſta morte à Deo plectitur.Anno 1549.43. Alter eorum perſequutor à Dæmone ſuffocatur. ibid.44. Pius eorum benefactor ab internecione miraculosè à Deo ſeruatur. ibid.45.Ad Conuentum pergens Angelos Comites habet. ibid. Ad Minimos Fratres Apoſtolico decreto tranſitus interdicitur, & è conuerſo. Anno 1567.11.

Caputium B.P.N. Franciſci Romæ in Eccleſia Sancti Marcelli aſſeruatum. Dem.4.15. Pyramidalem figuram habet. ibid. B.Ruffini, Aſſiſij, eadem forma donatum conſpicitur.ibid.16.

Caputium quadratum à Pontifice Matthæo conceditur. Anno 1525.10. Vera B.P.Franciſci habitus forma aſſeritur.ibid.11.Anno ſalutis 1525. Menſe Ianuarij Ordini reſtituitur. ibid.12. Capucinorum Ordini Canonicè à Clemente VII. reſtitutam fuiſſe multis demonſtratur. Demonſtr.10.1.2. & ſeq.Contrà obiecta diluuntur.ibid.2.& ſeq.Ex B.P. Franciſci inſtitutione manare oſtenditur. Anno 1533.16. Eo Capucini ab Obſeruantium, ac Conuentualium familia diſcernuntur.ibid.

Caputium quadratum, à B.P. Franciſco inſtitutum, quandiu in Ordine floruerit, indagatur. Dem.7.1.2.& per tot. An auctoritate alicuius Pontificis, aut Capituli Generalis ſublatum fuerit, ac mutatum. Demonſt.8.1.& per tot. Franciſci Coriolani opinio de Ioanne XXII. refellitur. ibid. 1.2.3. A Ioanne XXII. nullo anathemate percuſſum, aut immutatum fuiſſe,conſtanter, ac multipliciter probatur.ibid.4.5.& per tot. Ab Vrbano V.I. immutatum fuiſſe,reprobatur.ibidem 10. A D.Bonauentura in Capitulo Narbonæ non fuiſſe commutatum perſpicue traditur. Dem.9.3. Oppoſitæ rationes conuelluntur.ibid.5.6.& ſeq. Sua mutationis, ac corruptionis tempora habuit. ibid.11. Senſim dilapſum oſtenditur. ibid.12.13.& ſeq. Circa annum 1400. prior illius forma deperdita. ibidem 22.23. Rotundum,cum lunula,à B.P.Franciſco haud inſtitutum demonſtratur. Dem.2.21.& per tot. Oppoſitæ rationes refelluntur. Dem.3.2.3 & per tot.

Caputij quadrati forma à B.Franciſco inſtituta,ac Minoribus perpetuò præſcripta, aſſeritur. Dem. 4.1. & per totum. Sex Argumentorum Claſſes,ad huius rei probationem inſtruuntur.ibid.3. Prima, ex Regula. ibid.4.5.6. Secunda, ex propriis B.P. Franciſci,ac Sociorum Caputiis. ibid.7.8. & per totum. Tertia, ex Antiquis picturis, & imaginibus B.P. Franciſci,& aliorum.ibid.22.& per totum. Quarta, ex variis Apparitionibus S. Franciſci, S. Antonij Vlyſſiponenſis, & aliorum quadrata Caputia gerentium. ibid.930.931. Quinta, ex variis Caputij quadrati miraculis, diuina virtute patratis.ibidem. 931.per tot. Sexta, ex conſentientibus priſcorum, & recentiorum Auctorum teſtimoniis. ibid.935. per tot.Menſura quanta eſſe debeat, demonſtratur. Dem.4.113.114.121.122.123. Ipſius vſus ante B.P. Franciſcum omnibus ferè Ordinibus communis. ibid.125. Cum Habitu coniunctum eſſe debere, pluribus aſſeritur. Dem.5.per tot.

Caputio quadrato S.Antonium Vlyſſiponenſem vſum fuiſſe apertè demonſtratur.Dem.6.1.2.3.

Catharina Ciboa Camertium Duciſſa, Anno 1525.78. Matthæum de Baſſo ſingulari deuotione proſequitur.ibid.Grauiter Matthæi vincula accepit. ibid.29. Minaces ad Ioannem Faneſtrem Prouincialem Miniſtrum literas ſcribit, vt Matthæum è Carcere ſoluat.ibid. Guardianum Camerinenſis Conuentus verbis obiurgat. ibid. Matthæum è carcere redeuntem humaniſſimè excipit. ibid. 34. A Matthæo, quid noua illa Habitus forma præſeferat, ſciſcitatur. ibid. Ab eo veram B.P. Franciſci habitus formam addiſcit. ibid. Reformationis futuræ ab eodem Myſterium audit.ibid.34. Mulier pietate inſignis, atque erga B.P.Franciſcum deuotione ſingularis. Anno 1526. 34. Pro Capucinorum Reformatione Deum precatur. ibidem. Ob primæuam B.P. Franciſci Habitus formam reſtitutam lætatur. ibid. Ad Pontificem, & Cardinales pro impetrando Diplomate literas exarat.ibid.37. Camerini Capucinis Conuentum ædificat.Anno 1531.19.

Catharina Ciboa Camertium Duciſſa humanis,ac diuinis literis erudita. Anno 1525.36. Nouæ Capucinorum Religionis propugnaculum aſſeritur. ibid. Miniſtri calumnias literis apud Pontificem abſtergit. Anno 1527.37. Matthæum,ac reliquos maximè apud Pontificem commendat. ibid.37. poſt peſtem, fratres inuiſit. Anno 1528 46.Fauſta Capucinorum Reformatione ominatur. ibid. Capucinos apud Pontificem literis commendat.ibid.47. Concionatores à Ludouico impetrat, qui in Camerenſi ditione Verbum Dei diſſeminant. ibid.47. Poſt viri obitum totam ſe pietatis operibus addicit. ibid.49.







ob Capucinorum eiectionem, Romam aduolat. Anno 1534. 24. De eorum reuocatione cum Pontifice agit. ibidem.

Catharina Ciboa trium ſummorum Pontificum neptis aſſeritur. Anno 1528. 56. Doctrina, & eruditione inter fœminas, illuſtris, ibid. Græca, Latina, atque Hebræa lingua præſtat.ibid. Pietate, ac liberalitate erga pauperes inſignis. ibid. Religione in Deum eximia. ibidem. Capucinorum Religionem ſummo ſtudio, ac beneuolentia complectitur.ibid. Florentiæ bonis operibus plena extremum diem claudit. ibid. Illi Epitaphium ab Alberico Maſſæ Principe ponitur. ibid. 56.

Catharina Medicea, Galliæ Regina in Ordinem beneuola. Anno 1575. 6.

S. Catharinæ apud Calabros Conuentus extruitur. Anno 1580. Illius ædificatio Miraculis illuſtratur. ibidem 4.

Carafforum familia in Neapolitano Regno illuſtriſſima, aſſeritur. Anno 1532. 5. Multæ ditiones, ac plerique tituli, quibus olim cohoneſtata fuit,enumerantur. Ibidem. Paulo 4. Summo Pontifice, ac Pleriſque Cardinalibus exornatur.ibid.

Carbonarius Religionis antiquum ſigillum inter dumeta reperit, & Matthæo tradit. Anno 1525. 19.

Carnes, Oua, Caſeus à Capucinis non mendicanda. Anno 1529. 30.

S.Carolus Borromeus nonnullos Capucinorum Conuentus fundat. Anno 1560.3. Singularis illius erga Capucinos humanitas ac beneuolentia. ibid. Capucinos ad laborantium obſequia poſtulat. Anno 1576. 14. Varia per Agri Mediolanenſis loca illos deſtinat. ibid. 15.

Carolus V. Imperator vitam cum morte commutat. Anno. 1558. 16.

Carolus Nonus, Rex Galliæ Capucinos in Galliam vocat. Anno 1575. 3. Ad Gregorium 13.Pontificem pro iis impetrandis ſcribit. ibid. Illius erga Catholicam fidem ardor commendatur. Anno 1573. 3.

Carolus Droſius Gallorum nomine Vici arcem occupat. Anno 1540. 5. Vir tyrannus,ac perditus.ibidem. Concionatorem illum increpantem contemnit. ibid. Eidem comminatur, ibid. Diuino Miraculo terretur. ibid.7. In ſcelere computreſcit. ibid. Arx Vici fulmine proſternitur.ibid.In Cereſolienſi conflictu miſerè occumbit. ibid.

Carpenſis Cardinalis,Ordinis Protector ex humanis excedit. Anno 1664. 4.

Carthuſienſes, & Camaldulenſes, non communes Eremitæ, ſed Monachi cenſendi. Anno 1528. 8.

Caſalis Piſtorum Conuentus, Deo annuente, fundatur. Anno 1574. 4.

Caſinchæ Conuentus S. Mariæ gratiarum apud Cyrncos non abſque diuino Miraculo fundatur. Anno 1576. 20.

Caſtitatis præclarum à Fratre exemplum erumpit. Anno 1569.58.

Caſus & Fortuna, vbi Dei prouidentia elucet,ab humanis rebus arcenda Apparat. 63.

Ciboa familia vnde originem duxerit indicatur. Anno 1529.50. Antiquiſſima deſcribitur.Ibidem.Inter Genuenſes familias illuſtris. ibid. E Grætia Oriunda. ibidem 50. Illuſtriſſimos Heroas, tum Eccleſiæ, tum Vrbi, peperiſſe demonſtratur. ibid. 50.51. Innocentio 8. Pontifice illuſtris aſſeritur. ibid. Innocentium Cardinalem virum præclarum profert. ibidem 51. Maſſæ, & Carrariæ principatu fruitur. ibidem.

Ciborum in Capucinorum menſis frugalitas. Anno 1529. 26.

Cingulum Ordinis fune compactum, pleraſque fœtas mulieres è partus doloribus liberat. Anno 1554.51. 52. Cannabaceum aſſeritur. Anno 1580.54.

F. Cæſarius Spirenſis S.P. Franciſci Diſcipulus, Syluas, ac lucos habitat. Anno 1528.8.Primam Ordinis Reformationem excitat. ibid. Cæſarenos ab eo dictos inſtituit. ibidem. Inter Minores Fratres adnumeratur. ibid. 8. fol. 9.7.

Cellæ apud Capucinos claue non claudendæ. Anno 1529. 55.

Charitas inter virtutes præcipua. Anno 1548. 3.Operis exhibitione probatur. ibid. Omnem diuinæ, & Seraphicæ legis obſeruantiam complectitur. ibid. Illam ſimulantes ſuggillantur. ibid. Vera quibus ſignis dignoſci queat. ibid.4. Ficta quibus teſtimoniis probetur. Ibid. 5.

Charitatis perfectæ exemplum diuino Miraculo commendatur. Anno 1557. 30.

Chori Religio Angelorum Religionem imitatur. Anno 1569. 10. Poſt Sacra votorum vincula, nihil ea præſtantius. ibid. Ea non inertium, aut ignauorum, ſed perfectorum eſſe oſtenditur. ibid. Illam Hæretici,qua ratione inſectetur. ibid. 11. Abſque illa Religio imperfecta. ibid. Vociferationis, ſeu Iubilationis Hoſtia aſſeritur. ibidem.

Chriſti Saluatoris Vita,quàm neceſſitatibus plena. Anno 1529. 4. Omnibus,ac præſertim Fratribus Minoribus imitanda. ibidem.

Chriſtus Ioanni à Metymna campeſtri apparens, Religionis ſtatum indicat. Anno 1544. 12. Religionem ſe ſummopere diligere affirmat. ibidem 12. 13. Religionem ob ſimplicitatem, paupertatem, & Regularem Obſeruantiam commendat. ibid. 15. Maioribus ſceleribus contaminatos à Religione à ſe eiiciendos aſſeuerat. ibid. Æſini Generalis ſtudia, pro Religione laudat. ibid. Vera Regulæ Obſeruantia, qua via quærenda ſit, docet. ibid. 16. Indiſcretos, ac crudeles Paupertatis zelatores ſuggillat. ibid. Diuinum ſpiritum ad Regulæ Obſeruantiam neceſſarium autumat. ibid. Rerum prouiſionem damnat. ibid. 18. Singularem, & omnimodam Fratribus prouidentiam pollicetur. ibid. 19. Conſtitutiones Religionis à ſpiritu ſuo profectas confirmat. ibid. 20. Totos ab ipſius prouidentia,& voluntate nos pendere vult. ibid. 20. 22. Animum ab omni cupiditate cuſtodiendum monet. ibid. Inter Crucis dolores, nomen ſuper omne nomen à Patre accipit. Anno 1532. 28. In humanum genus ira percitus, Beatiſſimæ virg. precibus placatur. Anno 1524. 25. 26. Simul cum B. Virgine, & S. Franciſco, Dominico apparens, grauia Ludouico Foroſemp. comminatur. Anno 1536. 5.

Chriſtus Hiſpano Fratri apparens, quorundam Fratrum Ingratitudinem carpit. Anno 1546. 5. Aliorum ſpiritualem languorem, ac tepiditatem ſuggillat. ibidem.6. Iracundiam comprimendam monet, antequam in odium degeneret. ibidem 7. Illos damnat, qui iras nunquam ex animo remittunt. ibid. Illatas iniurias cum gaudio ſuſtinere docet. ibid. Bonum Religionis nomen zelantes, ſe diligere affirmat. ibidem.

Chriſtus Ioanni reuelat, illos ſe chariſſimos habere,

qui ſe integrè ipſius prouidentiæ, ac volũtati committunt. Anno 1544.18.19.22. Cur Minores Fratres bonis omnibus expoliauerit, cauſam reddit. ibid.19.Diuinæ Sapientiæ arcana curioſiùs non inquirenda docet.ibid.22.Præter vnum diuinæ gloriç obiectum,nihil quærendum eſſe admonet. ibidem. Capucinorum Religioni abſque ſua volũtate,prædicationem haud interdictam affirmat.ibid. Huius rei cauſam reddit. ibid.22.23. Prædicationis officium ſe Religioni redditurum aſſeuerat. ibid.23. Curioſos Prædicatores, Regularémque obſeruantiam negligentes grauiter reprehendit. ibid. Inter amicos ſuos diſcrimen indicat.ibid.24.25. Capucinorum Congregationem à ſe plantatam, atque inſtitutam aſſerit.ibid.26. Quantopere ab eo dilecta ſit, ex aliorum Ordinum comparatione demõſtrat. ibid. Idem ex variis tribulationibus illi immiſſis oſtendit. ibid. Ipſius amplificationem prænunciat. ibidem.Reuelationes à ſe factas confirmat.ibid.27. Quid de Obedientia ſucceſſori B. Franciſci præſtanda Fratribus ſentiendum ſit, docet, ac præſcribit.ibid.Vera Ordinis Minorum ſucceſſio vnde petenda ſit, declarat. ibid. Quinam in B.P.Franciſci ſemine cenſeantur,aperit. ibidem. Omnium corda ſcrutatur, & vocationem diſponit,ibid.28. Ob altiſſimum vocationis donum, atque alia beneficia à fratribus gratitudinem exquirit. ibid.30. Quænam ad perfectam Regulæ obſeruantiam ducant, fusè docet.ibid.30.31.32.34. Cordis munditiam à Congregationis huius fratribus exigit. ibid.31. Ambitionis, ac ſuperbiæ vitium quàm maximè in Religione oderit,explicat.ibid. 32. Spiritum Domini ad Regulam perfectè obſeruandam, quærere, atque à Deo poſtulare docet. ibid. 33. Duo perfectorum fratrum genera diſtinguit. ibid.34. Quinam à Domini ſpiritu in Religione agantur, indicat. ibidem 35.Catholicam fidem ab omnibus tenendam commendat. ibid.36. Ad Scripturarum intelligentiam quo ſpiritu accedendum ſit,inſtruit.ibid.37. Hæreſes cur in Eccleſia graſſari permittat, cauſas explicat.ibid. Ignis purgatorij veritatem, & pia pro Defunctis ſuffragia fratribus commendat. ibid. 38. Reuelationes Ioanni Factas velut diuinas probat. ibid.39.40. Cur hæc Ioanni reuelauerit, & quorſum,aperit. ibid.40.

Chriſtum Barbam promiſiſſe, pluribus teſtimoniis aſſeritur.Anno 1528.16.fol. 100.

Chriſti crucifixi imaginem primùm Capucini Concionatores in ſuggeſtu ponunt.Anno 1528.47.

Clauſtrum Monaſticum Paradiſus à Patribus appellatur. Appar.6.

Clemens ſeptimus,vir grauis,prudens,& in rebus gerendis tardus inſinuatur. Anno 1525.11. A Deo motus aſſeritur.ibid. Quadratum Caputium Matthæo indulget, & Diploma pollicetur. ibidem 9. Veram, ac germanam Franciſcani habitus formam Orbi reſtituit. ibid.12. ſummæ in rebus gerendis auctoritatis aſſeritur.Anno 1528.52. à Columnenſibus, ac Cæſarianis quamplurima perpeſſus. ibid. Carolum V. Bononiæ coronat. ibid. Catharinam Mediceam Henrico II. Gallorum Regi Matrimonio collocat.ibidem. Catharinam Ciboam,Neptem Ioanni Mariæ Verano coniugio copulat. ibidem. aduersùs Capucinos concitatur. Anno 1534. 16. Inter contrarias cogitationum vndas fluctuat. ibidem. Capucinorum Religionem delere ſtatuit. ibidem. Ab ea deliberatione Cæli prodigiis terretur.ibidem 17. Prodigiis perterritus conſilium mutat.ibid.Capucinos ad tempus ab vrbe eiicit,vt aduerſariis ſatisfaciat. ibid.18.19. Eoſdem in vrbem reuocat. ibidem 27. Diem extremum claudit. ibidem 34.

F. Clemens à Bocherio Laïcus Angelica puritate inſignis. Anno 1577.10. Virginitatem ad obitum vſque illibatam ſeruauit. ibidem, Clara circa lumbos luce, in Oratione circunfuſus cernitur. ibidem.

Clericus ex Capucinorum Ordine pro tuenda caſtimonia à mulieribus trucidatur.Anno 1567.35.

Commiſſarius,cum ProuincialiMiniſtro inito cõſilio, duabus fratrum turmisCapucinos proſequitur.Anno 1532.86. Ducem Nucerinum adit, & à Capucinorum patrocinio abſterrere nititur. *ibidem* 31. Excommunicationem Apoſtolicam Duci comminatur. ibidem 33. Plura aduersùs Ludouicum, ac ſocios, ob eorum ab Ordine ſeparationem, comminiſcitur. ibidem. Cum Ludouico Rhegino, ac Bernardino Georgio diſceptat. ibidem 35.36. & ſeq. Paupertatis in Ordine vitiatæ tranſgreſſiones excuſat. ibidem 36. Panni mollitiem in Ordinem inuectam inani excuſatione defendit, ibidem 39. Ordinis deſertionem Ludouico, & Bernardino exprobrat.ibidem. In Quadratum Caputium inuehitur. ibidem. A Capucinorum oppugnatione animum reuocat.

Concilium Tridentinum *inchoatur. Anno* 1545.30. In eo Minorum Conuent. & Obſeruantium Generales, de Religionis ſigillo contendunt. ibidem. Minorum Conuent. Generalis propoſitio Concilio placet. ibid. In eo Bernardinus Aſtenſis virtute, & ſanctimonia elucet.ibidem. Religionis ſigillum conſtanter recuſat. ibidem. Capucinorum Religio in eo, legitimus B. P. Franciſci fœtus agnoſcitur. ibidem. ſermonis elegantiam ſectantes, ab Euſebio Generali ad ſimplicitatem reuocantur. Anno 1555.2.

Concionatores Dei Verbum prædicantes,quales eſſe debeant. Anno 1529.36. Paucos ſecum libros deferant.ibidem. Audientium vtilitati ſtudeant.ibid. apud Capucinos quales eſſe debeant. Anno 1529. 81. Vim ex Oratione ſibi vendicant.ibidem. Vitia, & virtutes prædicare debent.ibidem. Curioſa prædicantes, ac Regularem obſeruantiam minùs curantes à Chriſto reprehenduntur. Anno 1544.23. Nihil præter Domini gloriam ſpectare debent. ibid.23. Quinam Chriſto chari.ibid.

Concionatores Capucinorum Theologicis articulis propoſitis, de fide examinantur. Anno 1545.2. Articulis aptè reſpondent. ibidem 5. Iis prædicationis officium reſtituitur. ibid.27. Illis è Cælo amplior gratia ad prædicandum accedit. ibidem 28. A Populis velut cæleſtes nuntij excipiuntur. ibidem.

Concionatoris noſtri eximius pro Catholica Religione zelus. Anno 1555.27.

Concupiſcentia oculorum cum vrbe comparatur, quæ ſquallidos Ciues alit. Anno 1537.121. Nihil illi ad ſaturitatem ſufficit. ibidem. Carnis cum Cœnoſa Planitie comparatur. Anno 1537. 121.

Confeſſiones ſæcularium hominum,ex inſtituto apud Capucinos non audiuntur.Anno 1529.40.





Congregatio à Ludouico Aluacinæ conuocatur. Anno 1529. 2. 3. in eam duodecim tantùm Fratres conueniunt. ibid.

Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli decollati inſtituitur, ac plurimis à ſummis Pontificibus facultatibus illuſtratur. Anno 1533.29.

Conſtitutiones Capucinorum à Spiritu ſancto profectæ probantur. Anno 1529. 14. Regulæ incolumitati quàm neceſſariæ. ibidem. 12. Antemurale Regularis Obſeruantiæ aſſeruntur. ibid. Indicto omnibus Ieiunio,& Oratione conſcribuntur. ibid. Ob variam temporum exigentiam aliqua ex parte immutatæ. ibid. 14. Quæ Aluacinæ conditæ ſunt propriis verbis, ex Italico in Latinum tranſlatis, referuntur. ibid. 15. & ſequent. ſub Ludouico tantùm promulgatæ. Anno 1529. 73. Prælo Mandantur. Anno 1552. 20. Apud Capucinos publicè in Refectorio legendæ. Anno 1529. 72. Earum Obſeruantia ſuperioribus commendatur. ibid. iterum auctæ in lucem eduntur. Anno 1575.2.

Conuentus Aluacinæ, & Foroſempronij à Ludouico extruuntur. Anno 1529. 1. S. Euphebij Neapolitanæ Vrbis commendatur. Anno 1530.15. Ter Generalia comitia in eo celebrata aſſeruntur.ibid. Mariæ longæ opera ædificatur. ibid. Quo auctore extructus fuerit, citra dubium aſſeritur. ibid. 16. Dauidis Romæi de huius Conuentus Auctore ſententia repellitur. *ibidem.* 16. 17. 18.

Conuentus qua conditione apud Capucinos recipiantur. Anno. 1529.56. Qua paupertate, & ſimplicitate ædificandi. ibid. 57. Extructi cùm offeruntur, non recipiendi, niſi humiles ſint, & pauperes. ibid. 59.

Corona eorum, qui peſto laborantibus Miniſtrant, Martyrio ſimilis. Anno 1526. 45.

Corſica Maris Mediterranei Inſula. Anno 1540.2. Cur Cyrnus appellata. ibid. Incolas alit ad vindictam procliues, ſed erga B. Franciſcum deuotos. ibidem.2.

Coſmas à Martina, Sacerdos, egregius Chriſti miles. Anno 1577. 11. graues in morte à Dæmone tentationes ſuſtinet. ibid. Cælorum Reginam è Cælo ſibi auxiliantem cernit. ibidem.

Crimen verum, ſed amarulento animo ad ſuperiorem deferens, in damnationis periculum incidit. Anno 1563. 2. Purgatio igne per triginta annos à Deo plectitur. ibidem.

Crux erecta Grandinem ab Agris Camplienſibus effugat. Anno 1564. 38.

D.

F. DAmianus Bergomas omni virtute ornatus aſſeritur.Anno 1576. 32. Ante mortem cæleſtis gloriæ, viſione patitur. ibid.

F. Daniel Leontinus Bernardum ſocium cælum ſcandentem in morte cernit. Anno 1554.2.S. Ioſephum, ac pleroſque alios ſibi in morte obuiantes videt. ibid. Animam piè Deo reddit. ibidem.

Dauidis Romæi de Capucinis teſtimonium. Anno 1529. 91. 92.

Dæmones ſub Ceruorum forma Hortulanum inobedientem oppetunt. Anno 1559.12.13.

Dæmones ob Nouitiorum à Religione egreſſum exultant. Anno 1576. 57. Cruce Horologio affixa fugantur. ibid. 62.

Dæmon ſub Sardi Fratris ſpecie Thomam Generalem in familiam concitat. Anno 1561. 4. Ipſius ars detegitur.ibid. Sub propinqui ſpecie Religioſum fallit. Anno 1557. 24. Morientem Fratrem accuſat, quod funem ex pilis contextum pro cingulo gerat. Anno 1580. 54.

F. Deodatus à Ripa Tranſona, Sacerdos Oratione, & charitate eximius. Anno 1566. 36.

Deus, cùm infirmos ad virtutem excitat, ſibi triumphum parat. Apparat. 50. Piſcatores, & Publicanos ad Eccleſiæ fundationem vocat.ibid.51. Quare non alios, cauſa ab Ambroſio, & Auguſtino redditur. ibid. Fide, Spe, & Charitate colitur. Apparat. 2. Quando mala vrgentia expulſurus eſt, tunc grauiora inducit. Anno 1524. 17. Cur mala interdum in Eccleſiam exundare permittat.ibid. In ea à malis purganda, admirabilis illius ſapientia declaratur.ibid. Ad antiquam Eccleſiæ faciem reſtituendam Capucinorum Reformationem excitat. ibid. Anno 1524. 17. interdum Angelorum, quandoque hominum miniſterio ad opus ſuum patrandum vtitur. Anno 1526. 9. & 10.

Dei plantatio nunquam infructuoſa. Anno 1533. 19. Stabilis, ac diuturna aſſeritur. ibid. Pro Minorum Ordine tuendo cura oſtenditur. Apparat. 31. Erga Eccleſiam prouidentia admirabilis, cùm eam maioribus impietatum, atque Hæreſum tempeſtatibus iactari permittit. Anno 1524. 21. Cur Petri Nauiculam in tranquillo nauigare non ſinat, Chryſoſt. verbis declaratur. ibid. In Fratres prouidentia Miraculo comprobatur. Anno 1575.55. Antiquus operandi modus, Infirma mundi eligere, vt cõfundat fortia. ibid. In eo mirabilis illius ſapientia declaratur. ibid. 50. In Moyſe eligendo quàm præclarè eluxerit. ibid. Conſilia in varia hominum vocatione expenduntur. Anno 1562. 4. In eleemoſynam pauperibus erogantes liberalitas, exemplo declaratur. Anno 1576. 63.

Dei vox è Cælo Matthæum orantem alloquitur. Anno 1524. 57. Quo illa ſpectaret, explicatur. ibid. Erga Fratres prouidentia in Conuentu *Schij Miraculo* demonſtratur. Anno 1540. 11. prouidentia Fratribus in itinere languentibus Miraculo ſuccurrit. Anno 1577. 32. Erga Fratres prouidentia in Conuentu montis Rotundi, Prouinciæ S. Angeli, Miraculo oſtenditur. Anno 1548. 40. Eadem erga duos alios Fratres exaratur. Anno 1549. 12. Eadem erga quatuor alios. ibid. 13. in Reformationis perſecutionibus conſiliũ aperitur. Anno 1527.3. In debellandis Aſſyriorum caſtris, quo bellandi genere vſus fuerit. ibid. 8. Prouidentia erga Fratres Niue obſeſſos Miraculo panditur. Anno 1567. 35.

Dei Miraculo Vrbis cuiuſdam ſcandalum à Fratribus ortũ tollitur. Anno 1573.36. Eiuſdem Prouidentia Fratribus in ſumma rerũ neceſſitate ſubuenitur. ibi. 37. In Nouitios à Religione deſciſcentes vindicta pluribus exẽplis explicatur. Anno 1576. 57.58. 59. Eiuſdem in vinum Fratribus denegantem pœna. ibid. 60. In Fratres niue obſeſſos prouidentia. ibid. 61. prouidentia, in Sigilli traditione, quæ à Carbonario Matthæo facta fuit, expenditur. Anno 1525. 20.

Defunctus ab Inferis excitatus, à peccatis abſoluitur, & iterum obdormit. Anno 1571.8.

Defunctorum corpora magna cum honeſtate ac veneratione tractanda. Anno 1572. 4.

Diabolus ſemper primordia bona pulſat. Apparat.42. Sub Draconis myſterio Minorum Religionem perſequitur.ibid. Sub Monachi forma Breuiarij raptorem, ac contumacem fratrem ſecum rapit. Anno 1569 4.

Diaboli in Minorum Ordinem conſilia olim agitata referuntur. Anno 1524.45.

Diuinorum operum duo genera diſtinguntur. Anno 1527. 9.

Diuinæ Prouidētiæ Miraculo Viniolæ Capucinis ſuccurritur. Anno 1574.36. Diuinæ Sapiētiæ opera, quibus in rebus potiſſimùm eluceant. Apparat. 50. In Eccleſiæ Chriſtianæ exordio præclariſſimè declarantur. ibidem. 51.

Dionyſius Mediolanenſis cum F. Remigio in Galliam mittitur. Anno 1573. 3.

Diploma Pontificium Ludouicum, Matthæum, &c. ab Ordinis Obſeruātia eximit, & ſub Ordinariis locorum conſtituit. Anno 1526. In Eremis viuere permittit. ibid. Ab Apoſtaſiæ ſcelere eoſdem liberat. ibid. 45.

Diſcalceati Fratres Hiſpaniæ ad Capucinorum obedientiam anhelant. Anno 1567. 10.

Diuitiæ quænam incommoda ſecum ferant, declaratur. Anno 1551. 18.19. Sitim ac cupiditatem augent. ibidem. ibid. Tam honeſtati, quàm improbitati ſeruiunt. ibidem.19. Homines fallunt, & meliori ſpe fruſtrantur. ibidem. Vera bona non exiſtimanda. ibidem.

Doliorum vſus apud Capucinos expellitur. Anno 1529. 32.

S. Dominicus, & S. Franciſcus ad Orbis remedium à Deo excitati. Anno 1524. 6.

Dominicus Cupis, Cardinalis Tranenſis, nouis Comitiis Pontificia auctoritate præſidet. Anno 1536. 1. Fratres ad Electionem ritè peragendam hortatur. ibidem. Tertium ſe in Comitiis Scrutatorem exhibet. ibidem. Bernardini Aſtenſis Generalis, ac Definitorum electionem confirmat. ibid. 2. Ludouicum ad *Generalis obedientiam prouocat.ibidem.* 3. Dominico à Domodoſcella fandi facultatem tribuit. ibidem 5. Iterum Ludouicum monet. ibid. 7. Ludouicum inſanientem è Capitulo expellit. ibid. 10. Fratres ob Ludouici caſum conſternatos, con*ſolatur. ibid.* Fratres ad virtutum perſeuerantiam hortatur. ibid. 11. 12. A Pontifice Diploma impetrat, quo Bernardinus Generalis in Officio confirmatur. ibidem. 13.

F. Dominicus à Molochio, inſignis puritatis & innocentiæ commendatur. Anno 1555. 23.

F. Dominicus Bononienſis Sacerdos ex Obſeruantium Ordine ad Capucinos Migrat. Anno 1551.53. Summam vitæ auſteritatem complectitur. ibidem. Miraculis clarus ex humanis excedit.ibid. 53.

F. Dominicus à Domodoſcella, Chriſtum, in Capitulo, cum B. Virgine, & S. Franciſco apparentem, & Ludouico grauia comminantem cernit. Anno 1536. 5. Domini verbis Ludouicum coarguit. ibid. Prophetico more ter ſe humi voluntat. ibid. Ludouico eiectionem à Religione prænunciat. ibid.

F. Donatus Aletinus omnium virtutum laude inſignis. Anno 1539. 51. Cum Virgine Deipara ſæpè colloquitur. ibid. Ipſius corpus poſt mortem ſuauiſſimo odore fragat. ibid. 52.

Dubia quædam, ob Concilium Tridentinum exorta, ad Pontificem referuntur. Anno 1566. 2.

E.

Eccleſia Chriſtiana quam debile principium habuerit, explicatur. Apparat. 51. Piſcatores, & Publicanos fundatores ſibi vendicat. ibidem. Aliquorum lapſu non denigratur. Anno 1543. 37. 38. Cur eam Deus in tranquillo nauigare non ſinat, Chryſoſtom. verbis aperitur. Anno 1524. 21. Cùm ea Maioribus pietatum, & Hæreſum tempeſtatibus iactatur, admirabilis in eam Dei prouidentia declaratur. ibidem. Anno 1524: 21.

Eccleſiæ gloria à Piſcatorum vocatione orta. Apparat. 56. Eiuſdem tempora poſt duodecimum ſæculum ſceleribus redundantia deſcribuntur. Anno 1524. 5. Facies poſt decimum quintum ſæculum, vitiorum colluuie fœdata. Anno.1524. 8.

Eccleſia Redemptoris Venetiis magnificentiùs extruitur. Anno 1578. 10. Capucini ab ea recedere tentant. ibid. Ad eam adminiſtrandam à Pontifice Diplomate compelluntur. ibid. 11.

Eccleſiarum ſuppellex apud Capucinos, quàm pauper, ac tenuis eſſe debeat. Anno 1529.69.70. Munda ſemper, ac nitida. ibid. Apud Capucinos cultus pauper, ac nitidus commendatur. Anno 1529. 80.

Eleemoſina Fratribus data diuino Miraculo commendatur. Anno 2560. 17.

Eleemoſinam Fratribus largientes à grandine liberantur. Anno 1577. 36.

F. Eleemoſinarius ob inobedientiæ, & propriæ voluntatis vitium, à Deo damnatur. Anno 1566. 38.

Electio Superiorum qua ſimplicitate in Capitulis peragenda. Anno 1529. 61. Quomodo agenda, Chriſti exemplo demonſtratur. Anno 1529.8.

Eleonora Concubleta Duciſſa Nucerienſis pietate ac virtute inſignis. Anno 1532. 10. In Pauperes liberaliſſima. ibid. Primum quadratum Caputium apud Calabros ſua manu præſcindit, & conſuit. ibid. Deuotione erga Capucinos ſingularis. ibidem. Ipſius ſtirps, ac familia illuſtratur. ibid.

Eloquentiæ quanta ſit vis, Anno 1527. 27.

Emmanuel Philibertus Sabaudiæ Regulus erga Capucinos beneuolus. Anno 1576. 3. Plurimæ pietatis commendatur. ibidem. Matthiæ Commiſſario tres Conuentus fundandos proponit. ibidem. Eo reſcribente Camberij Conuentus fundatur. ibid. 4.

Epiphaniæ Ieiunium illuſtri Miraculo à Deo commendatur. Anno 1558. 17.

Equitare, quando, & quomodo apud Capucinos permiſſum. Anno 1529. 51.

Eremus perfectorum Schola aſſeritur. Anno 1528. 10. Ipſius laudes à B. Laurentio Iuſtiniano decantatæ. ibid. 8. fol. 99. Illius præconia & encomia narrantur. Anno 1532. 14. Ea inuiſibiles oculos habet, quibus Deum intuetur. ibid. Familiariùs Deo gaudet. ibid. 15. Eorum, qui illas incolunt, fœlicitas enarratur. ibid. 14. 15.

Eremus Paſcilupi Camaldulenſium deſcribitur. Anno 1526. 74.

Eremitica vita Religioſis viris quid conferat. Anno 1528. 10.

Eremitæ communes quinam cenſendi. Anno 1528. 8.

Error errorem fouet. Dem. 1. num. 1.

F. Euangeliſta à Canobio Vicarius Generalis eligitur.





Anno 1564. 1. Cardinalem Vrbinate Protectorem poſtulat. ibid. 5.

Euchariſtiæ ſacræ Religio, & adoratio illuſtri Miraculo comprobatur. Anno 1575. 32. Veritas, ac Fides Miraculo comprobatur. Anno 1571. 9.

Exemplum fratris cuiuſdam inter Obſeruantes narratur, ob quinque Roſaria Superiori non manifeſtata damnati. Anno 1550. 17. Alterum Guardiani ob Conuentus mutationem, ac noui ædificationem condemnati refertur.

Exempla Maiorum quantam erga Poſteros vim habeant. Anno 1547. 16.

F. Euſebius Anconitanus Vir omnium virtutum laude illuſtris. Anno 1569. 37. Nobiliſſimis ortus Natalibus. ibidem. Ex Obſeruantium familia ad Capucinos tranſgreditur. ibid. Cœleſtibus virtutibus animum exornat. ibid. Generalis Vicarius Capucinorum eligitur. ibid. Ipſius in Religionem ſtudia exarantur. ibidem. 38. Ob humilitatem Generalatus dignitatem fugit. ibidem. 39. A Cardinalatus honore fugiens declinat. ibidem. 40. Coquinæ Præfectum ab indiſcreta auſteritate ſua prudentia auocat. ibidem. Fratris defuncti Anima ab eo ſuffragia petit. ibidem. 41. Diuini honoris quàm zelo æſtuaret, exemplo oſtenditur. ibid. 42. Gulæ cupiditatem præclaro exemplo cohibet. ibid. 43. Variis miraculis illius ſanctitas comprobatur. ibid. 44. Mulier ipſius veſtis fimbriam inter vbera reponens, lacte, quo carebat, abundat. ibid. Suo Cingulo Mulierem à partus dolore liberat. ibidem. 45. Ortam Cœlo tempeſtatem ſua Oratione ſedat. ibid. 46. Aegrotanti Coturnix à Dei prouidentia miniſtratur. ibidem. 47. Prophetiæ ſpiritu clarus fratri cuidam futuras anguſtias prædicit. ibidem. Dies illi obitus à Deo reuelatur. ibid. 49. Humilitatis ſigna in morte exhibet. ibidem. 50. Scapetiani ſupremum diem magna cum pietate obit. ibid. Ipſius corpus ad nonum vſque annum integrum & incorruptum à Deo ſeruatur. ibid. 51.

F. Euſebius Anconitanus Generalis paupertatis ſtudioſiſſimus. Anno 1553. 2. Simplicitatem in rebus etiam ſacris ſummoperè diligit. ibid. 3. Pleraque de Minorica paupertate, ac illius neceſſitate docet. ibid. Rerum diuinarum contemplationem, & orationem fratribus magnoperè ſuadet. ibid. 4. Vitæ auſteritate cæteris prælucet. ibid. 5. Paupertatem maximè ſectatur. ibid. Diuinæ prouidentiæ omnino confidendum docet. ibid. 6. Ipſius doctrina diuino Miraculo confirmatur. ibidem. 7. Omnem rerum prouiſionem à Monaſteriis proſcribit. ibid. 2.8.

F. Euſebius à S. Catharina Vir Sanctimonia illuſtris, ac potiſſimùm mentis puritate præſtans. Anno 1537. 84. Cum B. Virgine ſæpè velut cum Matre colloquitur. ibid. Mortæ Philocaſtri moritur, ac ſepelitur. ibid.

F.

Fabæ à Matthæo ſeminatæ miraculosè à Deo multiplicantur. Anno 1526. 4. Earum miraculo pleríque commoti ſæculo renunciare parant. ibid. 6. Apoſtolicæ prædicationis in Matthæo myſterium præſeferunt. ibid. 5.

Felis miniſterio Deus fratribus obſonium parat. Anno 1578. 31.

B. Felix à Cantalitio ab aratro ad Religionem Capucinorum euolat. Anno 1543. 67.

F. Felix à Carauaſio Clericus, ob Humilitatem à Preſbyteratu abſtinet. Anno 1572. 45. Sæpè B. Virginis colloquio fruitur. ibid. Obit ſanctimoniæ fama clarus. ibid.

F. Felix Meſſanenſis genere nobilis, virtute nobilior. Anno 1576. 52. Ipſius in Religione amplexanda conſtantia commendatur. ibid. Prophetiæ ſpiritu à Deo donatus, futura prædicit. ibid. 53. Polidoro Medico poſt mortem febris curationem impetrat. ibid. Beatiſſimam Virginem in morte cernit. ibid. Suauis ex ipſius corpore odor diffunditur. ibid.

Felicitas vera non in opibus quærenda. Anno 1551. 16.17.18.19. Non in re Bellica, ac Militia. ibidem. 20.21. Rationes redduntur. ibid. Non in corporis, ac ſenſuum voluptate. ibid. 22.23.24. & ſeq. Vbinam quærenda ſit, aperitur. ibid. 26. In ſummo bono collocanda. ibidem 27. In Cælo duntaxat repoſita. ibid. 28. Ad illam quænam ſit homini via, explicatur. ibid. 29.

Fœmina virili habitu inter Capucinorum Nouitios cooptatur. Anno 1567. 15. Sub Ioannis nomine in virtutibus proficit. ibidem. In morbum incidit, ac fœminam ſe in morte prodit. ibid. Piè in Domino obdormit, & illota, cum fratribus ſepelitur. ibid.

Ferrans Caraffa Nucerienſis Dux, prudentia & pietate clarus. Anno 1532. 4. Ipſius ſtirps, & origo ſignificatur. ibid. 5. Patrocinium Ludouici Rhegini ac Sociorum ſuſcipit. ibid. Primus ex Caraſſorum familia à Carolo V. inter Hiſpaniæ Magnates refertur. ibid. 6. Omnium ſtudioſorum Mœcenas aſſeritur. ibid. Res Capucinorum apud Calabros tuetur. ibid. Ad Prouinciæ Præfectum literas ſcribit. ibid. Ludouicum, & Socios Philocaſio hoſpitio excipit. ibid. 9. Capucinos defendit, & Commiſſarium obiurgat. ibid. 32. Diſceptationem inter Ludouicum Rheginum, & Commiſſarium mouet. ibid. 33. Com*miſſarij reſponſionem refellit. ibid. 37.* Commiſſario ſuadet, vt à Capucinorum impugnatione abſtineat. ibid. 48. Capucinos ad conſtantiam hortatur. Anno 1532. 49. Tiberium filium Romam cum literis mittit, vt Excommunicationem à Pontifice in Ludouicum & ſocios latam reuocandam curet. ibidem. Cubicularium cum Ludouico deſtinat, qui literas perferat. ibid. 51.

Ferrariæ Conuentus à F. Benedicto Senenſe extruitur, & prima Bononienſis Prouincia fundamenta iaciuntur. Anno 1533. 27. Alter in vrbe Entij Bentiuolij pietate extruitur. ibid. 27.

Ferdinandus Imperator vitæ finem imponit. Anno 1564. 21.

Feſti dies cur inſtituti. Anno 1559. 12. Non violantur cùm res ad victum neceſſariæ quæruntur. ibidem. Propter hominem, non homo propter illos inſtitutus. ibid. In his à laborioſis operibus, præſertim apud Religioſos, quieſcendum. ibid.

Fides poſt Apoſtolos à Religioſis viris in Orbe propagata aſſeritur. In Appar. n. 11.

Flagellatio fratribus conſueta à Deo miraculo comprobatur. Anno 1570. 8. Eam frater feruentiùs exercens cæleſte à Deo teſtimonium accipit. ibid. Dæmonem ab inſeſſa muliere expellit. Anno 1577. 31. Nocturna ſtatis diebus exercēda. Anno 1529. 21.

Fortuna ab humanis rebus arcenda, in quibus Dei prouidentia elucet. Appar. 63.

B. P. Franciſcus, Capucinorum auctor aſſeritur. Apparat. 67. 68. Solus omnium Minorum Patriarcha. ibid. 68. 69. Sui Ordinis Reformator. ibid. 70. Matthæo de Baſſo Capucinorum habitu indutus apparet. ibid. 70. Eremos, ac ſolitaria loca diligebat. Anno 1528. 10. 22. fol. 99. Quid in primo Capitulo Fratribus inculcauerit. Anno 1529. 5. Quàm illis ſummam Paupertatem commendauerit. ibid. Quid ſermone inſtituto illis perpendendum propoſuerit, commemoratur. ibid. 5. Ipſius Domus in Dei prouidentia fundata, ac paupertate ædificata aſſeritur. ibid. Certam, ac determinatam Habitus formam Fratribus Minoribus præſcripſit. Dem. 1. 1. Oppoſitum aſſerentes refelluntur. ibid. 2. 3. 4. & per totum. Id pluribus argumentis confirmatur. ibid. per tot. Non caſu Habitum Cruciformem ſibi ex paſtoritio ſago præſcidit, ibid. 3. Ludouico Rhegino Capucinorum Habitum indutus apparet. Anno 1532. 30. Eundem ad Reformationem ſtrenuè proſequendam hortatur. ibid. In Capucinorum Reformatione rediuiuus prædicatur. Anno 1524. 37. 38. Labentem Eccleſiam ſuſtentat. Anno 1524. 6. Regulam à Chriſto dictatam conſcribit. ibid. Minorum Ordinem ſuſcitat. ibid. Chriſtianum orbem ad præſtantiorem diſciplinæ formam reſtituit. ibid.

S. Franciſcus Eccleſiæ reparator à Chriſto inſtitutus. Anno 1524. 22. Minorum Ordinem diuinæ prouidentiæ conſilio excitat, vt dilabentem Eccleſiam ſuſtentet. ibid. Quod illi à Chriſto dictum fuit: *Vade Franciſce, repara domum meam, quæ labitur:* ad totum Minorum Ordinem extenditur. ibid. Ipſius ſpiritus ad quod potiſſimùm ſe extendat. Anno 1524. 31. Ad Dei mentem perfectè elaboratus. In Apparat. n. 19. Chriſti imago, & ſimulacrum, ibidem. Quorſum à Deo in Eccleſia excitatus. ibid. n. 20. Nouus Eccleſiæ Atlas aſſeritur. ibidem. Ab eo Minorum Ordo inſtitutus. ibid. n. 21. Regulam à Chriſto Domino dictatam accipit. ibid. n. 20.

S. Franciſcus, & Dominicus, ad Orbis remedium à Deo excitati. Anno 1524. 6.

B. Franciſci Arbor Senis plantata vnde originem ducat. Anno 1553. 46. Variis Scriptorum teſtimoniis aſſeritur. ibidem. Ruſticus illam ſecuri aggrediens à Deo fulmine proſternitur. ibidem. 47. Ab incolis multa in veneratione habita. ibid. Varia miracula præſtat. ibid. Fulmine icta refloruit. ibid. Pleriſque ægrotantibus incolumitatem reſtituit. ibid. 48. Ad languores curandos efficax aſſeritur. Anno 1554. 49. Puluis ex ea eraſus Ægrotum curat. ibidem. Quanta veneratione digna ſit, equi genuflectentis exemplo demonſtratur. ibid. 47.

B. Franciſcus Politianus inter Minores Conuentuales ſanctimonia clarus, & Prophetiæ ſpiritu inſignis. Anno 1524. 36. Capucinorum Reformationem futuram prænunciat. ibidem. B. Franciſcum rediuiuum prædicat. ibid. 37. 38.

F. Franciſcus à Cartoceto Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. Anno 1525. 2. Longa virtute probatus. ibid. Eremum S. Iacobi à Miniſtro incolendum impetrat. ibid. Vitam ſanctitate plenam ducit. ibidem. Ordinis Reformationem futuram diuina reuelatione accipit. ibid. Vicino Matthæi aduentu in ſpiritu exultat. ibid. 3. Cœcitate ob effuſas lachrymas laborat. ibid. 2. Matthæi aduentum Pacifico Tertiario prænunciat. ibid. 3. Matthæum ſumma exultatione hoſpitio excipit. ibid. 4. Quadratum Caputium manibus attrectat, amplectitur, oſculatur. ibid. Deo ſummas gratias refert. ibid. Prophetico ſpiritu clarus. ibid. 5. Matthæi propoſitum, ac conſilium laudat. ibid. Eidem conſulit, vt ad tempus à Quadrato Caputio abſtineat. ibid. 5.

F. Franciſcus à Cartoceto inter Capucinos ſecundus. Anno 1526. 7. Puer cœleſtibus rebus delectatur. ibid. 8. ſæculo in florida ætate valedicit, & Obſeruantium Ordinem ingreditur. ibid. Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. ibid. Abſtinentiæ præſertim virtute præcellit. ibid. Virtutibus emicat. ibid. Regulæ obſeruantiam zelans, reformationem maximo ſtudio proſequitur. ibid. 9. S. Iacobi Eremum à Ioanne Faneſtri impetrat. ibid. Ob lachrymarum copiam cœcus efficitur. ibid. Lucidiſſimam viam in morte conſpicit. ibid. 10. Beatiſſimæ Virginis ante obitum viſione potitur. ibid. Sacramenta à Pacifico Tertiario ſuſcipit. ibid. In Eremo S. Iacobi diem extremum claudit. ibid. Capucinorum primus cœleſte regnum ingreditur. ibid. 11.

F. Franciſcus Titelmanus Vir illuſtris, manuum laborem Fratribus inculcat. Anno 1537. 105. Mendicationem, in laboris manuum ſubſidium, inſtitutam docet. ibidem. Quibus argumentis manuum laborem Fratribus commendaret. ibid. Calathos, ac Fiſcellas cum aliis conſtruit. ibid. 106. Curioſa fratrum opera damnat. ibidem. His incumbentes cum ſcarabeis cõparat. ibid. Regulæ expoſitiones, ipſam Regulam tenebris inuoluentes damnat. ibid. 107. Variæ illius virtutes exarantur. ibidem. 108. Vitæ ipſius auſteritas quanta. ibid. Paupertatis cupiditate flagrat. ibidem. Fratres à rerum curioſitate, facto, & exemplo reuocat. ibid. Ipſius charitas perfecta. ibid. 109. 110. Martyrio maximè flagrat. ibid. 111. Obitum ſuum Fratribus prædicit. ibid. 112. Anticoli in morbum incidit, quadragenariúſque in Domino obdormit. ibidem. 113. Glorioſus poſt obitum quibuſdam apparet. ibidem. 115. Cœleſtis de Franciſci gloria, Ioannis Cardeni viſus exaratur. ibidem. 113. 114.

Franciſcus Titelmanus Anticoli diem extremum obit. Anno 1537. 85. Ipſius vita, & geſta deſcribuntur. ibid. Ipſius ſtirps, & origo indicatur. ibid. 86. Louanium mittitur, ac literarum ſtudiis incumbit. ibid. Omnium ferè linguarum peritiam ſibi comparat. ibid. Literarum ſtudia ſumma cupiditate proſequitur. ibid. 87. Ad pietatem procliuis. ibid. In Obſeruantium Ordine conſcribitur. ibid. 88. In Religione virtutibus ſtudet. ibid. Publicus Louanij Profeſſor creatur. ibidem. Quamplurima tum in Philoſophos, tum in ſacros libros Commentaria edit. ibid. Voluminum catalogus exaratur. 89. In Eraſmum Roterodamum & Fabrum ſcriptis inuehitur. ibid. 90. Ipſius ſcripta fidei puritatem, & pietatem redolent. ibid. Reformationis ſtudio in Italiam proficiſcitur. ibid. 91. Pariſiis cum Franciſco à Solerto colloquitur, ſimúlque ad Capucinorum Reformationem adſpirant. ibid. 98. Romæ à Bernardino Aſtenſi Generali, Religionis gremio excipitur. ibidem. Publici Prælectoris honorem reſpuit, atque infirmis miniſtrare petit. ibidem. 99. Ægrotis mira diligentia, ac charitate miniſtrat. ibid. 100. Vix vnquam Latinum verbum profert, vt ſuperbiam, ac literarum faſtum deprimat. ibidem. 101. Proprio neglectui maximè ſtudet. ibid. Præclarum, ac dignum Titel-





mano reſponſum iis redditur, qui eum ad librorum ſcriptionem compellerent. ibidem. Librum edit de exercitiis Religioſorum. ibid. 102. Vicarius Prouincialis Romanæ Prouinciæ eligitur. ibid. 104. In viſitatione quænam Fratribus potiſſimùm commendaret. ibid. 104. 105.

F. Franciſcus Titelmanus poſt obitum Bernardino Archidiacono lorica micante armatus apparet. Anno 1537. 114. Eius rei myſterium declaratur. ibid. 115. Ipſius Habitus ſegmen pleriſque Ægrotis incolumitatem præſtat. ibid. 116. Illius ſegminis contactæ mulier à diſſenteriæ morbo liberatur. ibid. 117. Iterum Ioanni ægrotanti apparet, & viſionis myſteria recludit. ibid. 121. Ipſius ſanctitatẽ Deus poſt mortem miraculis illuſtrat. ibid. 123. Ipſius corpus poſt quartum ſepulturæ annum inter aquas ſolidum ac integrum reperitur. ibid. Ipſius quoque caro mollis ac membra flexibilia cernuntur. ibid. Suauiſſimum odorem efflant. ibid. Quamplurimis ægrotis ad ſepulchrum confluentibus incolumitatem præſtat. ibid. 124. Archipreſbyter Anticolenſis ipſius manus contactu amiſſum oculi lumen recipit. ibid. Goſſipium quod ſacrum illius caput alligit, mulierem ab oculorum morbo liberat. ibid. 125. Alteram à gutturis morbo curat. ibid. 126. Ipſius illuſtris apud pleroſque Scriptores memoria celebratur. ibidem. 127. 128. 129. 130. 131.

F. Franciſcus Æſinus ſimul cum Bernardino Aſtenſi inter obſeruantes Bullam ad Ordinis reformationem à Pontifice impetrat. Anno 1532. fol. 176. n. 70. A ſuis in Vmbria in carcerem truditur. ibid. Ex Minoribus de Obſeruantia cum Ludouico Foroſemp. de Religionis ingreſſu paciſcitur. Anno 1530. 6.

Franciſcus Æſinus Vicarius Generalis eligitur. Anno 1543. 18. Multarum virtutum laude commendatur. ibid. A B. P. Franciſco baculum itinerarium accipit, quo ad viſitationem pergat. ibid. 19. Ipſius diligentia in Religione excolenda. ibidem. 20. Ochini fæces omni ſtudio abſtergit. ibidem. 21. Suſceptum onus reformidat, ac Deum pro eo rectè ſuſtinendo precatur. ibidem. 22. Sanctus Antonius Vlyſſiponenſis mulieri apparens, Franciſcum ad labores animat. ibid. 23. Religionem pedeſter, ac omni diligentia viſitat. ibid. 23. 24. Dum Fratribus ſermocinatur, ingens flamma è tecto erumpere cernitur. ibid. 24. Rurſus dum ſermonem ad Fratres habet, ſtella præfulgida per Refectorij tectum diſcurrit. ibid. 25. Quænam potiſſimùm Fratribus in ſermonibus proponeret. ibidem. Religionis agrum perfectiſſimè excolit, & ad fructum prouocat. ibid. 26. 27. Ipſius vita virtute, & ſanctimonia plena. ibid. 28. Fratrum multitudinem ad Portiunculæ Indulgentiam cur Aſſiſium conuocauerit, cauſa redditur. ibidem. 29. Ioannem Hiſpanum præcepto compellit, vt Deum de Religionis ſtatu conſulat. ibid. 30. Quænam illam ad id permouerint, explicatur. ibidem.

F. Franciſcus Æſinus vir clariſſimus. Anno 1549. 14. Æſij Epiſcopus deſignatur. ibid. 15. In ſacram Min. Obſeruantium familiam adſcribitur. ibidem. Prædicator Apoſtolicus inſtituitur. ibid. 16. Regularis Obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. ibidem. Ordinis Obſeruantium Reformationem ſimul cum Bernardino Aſtenſi proſequitur. ibidem. Pro ea in carcerem truditur. ibidem. De Capucinorum Reformatione amplectenda conſilium init. ibidem. Congregationi tandem aſſociatur. ibid. Pluribus virtutibus ac præſertim abſtinentia floret. ibid. 17. 18. Quam ille abſtinentiam commendaret. ibid. 18. 19. Quid de Orationis neceſſitate ſentiret. ibid. 19. 20. Rigidè paupertatem colit. ibidem. 21. A rerum prouiſione ſummoperè abhorret. ibidem. 21. 22. Superuacanea omnia à Fratribus reſecat. ibid. 22. Gulæ delicias auerſatur. ibid. 23. Ædificatione nihil periculoſius eſſe docet. ibid. A Laico Fratre admonitus à ſe ædificata diruit. ibidem. De ædificiorum magnitudine, ac ſuperfluitate quid ſenſerit, apertè declaratur. ibid. 24. 25. 26. Præclara ipſius doctrina de vera Spiritus paupertate explicatur. ibid. 27. 28. 29. Hypocriſim magnoperè vitandam monet. ibid. 30. Religioſæ hypocriſis ſigna recenſet. ibid. Eo ſermocinante ſtella fulgens è refectorio attollitur. ibid. 31. Publicam Nurſiæ pacem componit. ibidem. Dæmonem ſolo oris imperio ab obſeſſo homine eiicit. ibidem. 32. Nonnulla opuſcula edit. ibidem. Peruſiæ diem extremum claudit. ibid. 33. Poſt mortem F. Ioan. Baptiſtæ Nurſino glorioſus apparet. ibid. 34.

F. Franciſci Æſini cingulum poſt mortem obſeſſum à Dæmone liberat. Anno 1549. 35. Capitis ipſius contactu alter à capitis morbo liberatur. ibidem. 36. Ipſius gloria à B. Virgine reuelatur. ibidem. Ipſius corpus poſt decennium integrum cernitur. ibid.

F. Franciſcus Maceratenſis virtute ac miraculis clarus. Anno 1568. 3. Ex Obſeruantibus ad Capucinos migrat. ibidem. Quædam illius ex ſimplicitate acta referuntur. ibidem 4. 5. Admirabili vitæ auſteritate præſtat. ibidem. 6. Mira ipſius abſtinentia aperitur. ibidem. Humilitatis, ac honeſtatis potiſſimùm virtutes ſectatur. ibidem. 7. Mulierum omnium aſpectum refugit. ibidem. Sanctæ Ruſticitatis cultor aſſeritur. ibidem. 8. Erga afflictos ſumma charitate afficitur. ibidem. 9. Mendicatum panem pauperibus diſtribuit. ibidem. 9. Ipſius Oratione panis è Cælo Fratribus miniſtratur. ibidem. Emendicato pane fluxu ſanguinis laborantem ſanat. ibidem. 10. Panis fruſtulo ad mortem ægrotantem curat. ibidem. 11. Æternæ damnationis metu percellitur. ibidem. 12. Pleriſque diuinis viſionibus potitur. ibidem. In oratione aſſiduè lachrymas fundit. ibid. 13. Summa in res diuinas Religione fertur. ibid. 14. Noctu orans cum B. Virgine colloquitur. ibidem. Orans in extaſim rapitur, & altiùs è ſolo eleuatur. ibidem. 15. In nemore orans altiùs ſuper arbores effertur. ibid. 16. Moribundo fratri incolumitatem, ac futura incommoda prædicit. ibid. 17. Mulieri prolem maſculam futuram nunciat. ibidem. 18. Dæmonis opera quædam Dominicæ orationis verba proferre non poteſt. ibid. 19. A Pontifice ab illorum verborum prolatione diſpenſatur. ibid. 20. Nobilem paralyticam ſigno crucis à morbo curat. ibid. 21. Mulieri cœcæ oculorum lumen reſtituit. ibid. 22. Hydropicum crucis ſigno incolumitati reddit. ibid. 22. Mortuum infantem ad vitam reuocat. ibid. 23. Vrbinatum Duciſſam ſigno crucis à Cancro liberat. ibid. 24. A quodam Guardiano calumniis oneratur. ibid. 25. Piſauri diem extremum ſumma cum pietate claudit. ibid. 26.

F. Franciſcus à Palemone Calaber ex Obſeruantium familia ad Capucinos migrat. Anno 1544. 42. Ipſius

vita & geſta enarrantur. ibid. Vir ſimplex ac prudens fuit.ibidem. Ipſius conſtantia Diaboli tentatione probatur.ibid.43. Tentationem amico aperit,tum ad Deum confugit. ibid.44. A Chriſto illi in oratione apparente in Religionis vocatione confirmatur.ibid. Vitæ auſteritatem colit. ibid.45. Virtutibus plurimis emicat.ibid. Dei Verbum feruentiſſimè prædicat.ibid. Orando extaſes ſæpè patitur.ibid.46. Inter pſallendum Ochini illi caſus à Deo reuelatur. ibid. Quamplurimis ægrotis ſigno crucis incolumitatem reſtituit.ibid.47. Piè in Domino obdormit. ibid.

F. Franciſcus à Funcano Concionator illuſtris. Anno 1579.6.Perpetuus virginitatis cuſtos aſſeritur.ibid. Plurimis virtutibus refulget.ibid.Inter concionandum in mentis exceſſum rapitur, & morienti fratri aſſiſtit. ibid.7. Veſtium ſyrmata Bononiæ mulcta tollit. ibid.8. Meretrices quamplurimas ad meliorem vitæ frugem perducit.ibid.Venetiis turpem mulierum vſum obtruncat. ibid.9. Arimini, S.Antonij Vlyſſipponenſis ſacellam inſtaurat, ac ſodalitium inſtituit.ibid. Pro pauperibus eleemoſynas quærit. ibid.10. Fabas pro pauperibus ſerit, quæ à Deo mirè multiplicantur. ibidem. Panem pauperibus Deus in ipſius manibus multiplicat. ibid.11. Parmam fluuium exundantem ſigno Crucis, ac cera benedicta coërcet.ibid.12.Sæpè extaſes & raptus patitur. ibid. Laborum mercedem à Domino conſequitur.ibid.

F. Franciſcus à Montepolitiano concionator, Marcelli II. Pont. conſanguineus. Anno 1571. 17. Omnium virtutum ſectator. ibidem. Pleraque futura Prophetico ſpiritu prædicit.ibid. Ægrotos ſua oratione curat.ibid.

Franciſcus Abellinenſis Clericus obedientia illuſtris. Anno 1577.9. Guardiani obedientiam,& benedictionem ad moriendum expoſcit.ibid.

F. Franciſcus à Caſtroueteri Sacerdos; animi puritate,& innocentia præclarus.Anno 1580.45.

F. Franciſcus Daccalenſis,magnus virtutibus,diem ſui obitus prænunciat.Anno 1568.41.

F. Franciſcus à Canobio Vir præclarus. Anno 1570. 11. Plurimis in Religione virtutibus præſtat. ibid. Fratres ad perfectiorem Dei cultum exemplo prouocat. ibid.12. Conſcripta Epiſtola pleróſque ad Religionis ſinum prouocat. ibid.11. Pulchrum lilium ex ipſius ore poſt obitum oritur.ibid.

F. Franciſcus à S. Martino pietate ac Religione erga B.Virginem eximius. Anno 1574. 11. Plurimis viuens miraculis coruſcat. ibid. Diem obitus diuina reuelatione addiſcit.ibid.

F. Franciſcus Luppienſis Sacerdos,omni memoria dignus. Anno 1579.18. Carnis tentationem ſomni ſubtractione vincit. ibidem. Puellam à Dæmone infeſſam ſua oratione liberat. ibidem. Longa ægritudine à Deo probatur. ibidem. Poſt mortem ipſius membra, mollia ac tractabilia apparent. ibid.

F. Franciſcus Curenſis abſtinentia, charitate, ac ſui ipſius contemptu admirabilis. Anno 1557.29. Nudus ac Cruce onuſtus in vrbe Romana pœnitentiam prædicat. ibidem. Romæ piè in Domino obdormit.ibid.

F. Franciſcus Nouarienſis à puero ad diuina propendit.Anno 1562.22. Ex Nobili Torniellorum familia progenitus. ibidem. Futuræ ſanctitatis præludia à pueritia edit. ibidem. Adoleſcens Min.Obſeruantium familiæ adſcribitur.ibid. Franciſci Canobienſis Epiſtola permotus ad Capucinos migrat. ibid. Ob virtutum eminentiam Nouitiorum Magiſter creatur. ibid.23. Oris cuſtodiam qua ratione potiſſimùm Nouitiis commendaret. ibid.23. 24. Religioſos loquaces, velut Religionis nomine indignos,ſuggillat.ibid.24.Orationis illius ſtudium aſſiduum. ibid.25. Nouariam ad Religionem propagandam mittitur. ibid.26. Vrbem ſuis præclaris vitæ exemplis ædificat.ibid. Ad mortem ægrotans mira ſanctimoniæ ſigna demonſtrat.ibid.Poſt mortem variis miraculis emicat. ibid.27. Lis de ipſius ſepultura oritur.ibid.28. Cœco oculum poſt mortem reſtituit.ibid.29.Ipſius corpus poſt annum integrum,ac ſuaueolens reperitur.ibid.30.

F. Franciſcus Saccenſis,vita ac miraculis clarus.Anno 1575.20. Admirabilis illius abſtinentia refertur. ibidem. Decem integros dies abſque cibo & potu tranſigit.ibidem. Septem quotidie ſibi flagellationes adhibet.ibid.21. Aſperrimis ciliciis contegitur. ibidem. Internæ ipſius animi virtutes recenſentur. ibidem.22. Dei Verbum ardentiſſimè & cum fructu diſſeminat.ibid.23. Lampadis miraculo populum ad pœnitentiam prouocat.ibid.23. Altero miraculo peccatores exterret.ibid.24.Plurima viuens patrat miracula.ibid.25.Sua oratione imbrem à ſe, & à ſocio depellit.ibidem.Confractos vrceolos vitreos ſigno Crucis inſtaurat.ibid. Panormi diem extremum claudit.ibid.

F. Franciſcus à Sinagria vir vita, & miraculis illuſtris. Anno 1560.13. Paupertatis ſtudioſiſſimus ſectator. ibidem. Sæpè in mentis exceſſum rapitur, & in aëra effertur.ibidem. Honores, ac prælationes refugit. ibid.14. E Monaſterio aufugiens à S. Michaele Archangelo corripitur.ibid. Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes ſub flammæ ſpecie viſibiliter in eum illabitur.ibid. Panormi magna cum ſanctimoniæ laude moritur. ibid.15.

F. Franciſcus à Foroſempronio Sacerdos, inimicorum dilectione inſignis. Anno 1568.29. Graui Dæmonis tentatione ante mortem probatur. ibidem. Piè in Conuentu Montis veteris in Domino obdormit.ibidem.

F. Franciſcus à Chio Laïcus à Dæmone in Nouitiatu tentatione pulſatur. Anno 1578.20.B.Virgo illi apparens eum à tentatione liberat.ibid.

F. Franciſcus à S.Petro multarum virtutum ſplendore illuſtris. Anno 1574.12. Sæpè mente excedit,& in aëra fertur.ibid.

F. Franciſcus à S.Petro Sacerdos virtutibus fulget. Anno 1578.22. In morte in Electorum numerum conſcribitur.ibidem.

F. Franciſci Imolenſis in cadentem fratrem charitas ſingularis.Anno 1580.5.

F. Franciſcus Matteolenſis Laïcus vir virtutibus, ac præſertim obedientia clarus.Anno 1569 29. Ipſius obedientia aqua in vinum mutatur. ibid. Latertiæ purum Deo ſpiritum reddit.ibid.

Franciſcani habitus color,pro ſæcularibus viris,miraculo commendatur.Anno 1577.38.

Franciſcus Quignonius Generalis Obſeruantium Miniſter.Anno 1526.19.Quid Ludouico Foroſemproniano reſcripſerit,narratur.ibid.20.In Cardinalium numerum aſſumitur.ibid.19.Ordinis Protector extremum diem abſoluit.Anno 1540.23.





Franciſcus Gallorum Rex Ticini infauſto prælio dimicat. Anno 1537.9.

Frater à domeſticis ſe exercitiis ſubtrahens,diuino iudicio terretur. Anno 1569. 55. Cingulum ac femoralia exuens, à Dæmone corripitur. ibidem.56. Inobediens, ac propria voluntate tumidus, in Infernum detruditur. Anno 1551. 57. A Clerico in mortem damnatus conſpicitur. Ibidem. 58. inobediens à Dæmone raptatur. Anno 1573. 8. Negligentiùs ad chorum conueniens à Deo poſt mortem punitur.Anno 1573.38.Ægrotorum obſequia refugiens poſt mortem pœnas in ſepulchro luit. Anno 1579. 25. Alter Noſocomij Præfectus, æqua infirmis obſequia non reddens à Deo in morte condemnatur.ibid.26.Fretor intolerabilis ex illius corpore diffunditur. ibidem. Orationis tempore obdormiens horrẽda viſione terretur.ibid. 31.

Frater quidam inobediens, ac proprietarius in morte damnatur. Anno 1569. 17. In morte damnationis ſuæ cauſas aperit. ibid. Contumax & fur, à Dæmone rapitur. Anno 1569. 4. Alterius anima ob inania verba poſt mortem quo ſupplicio à Deo affecta fuerit, enarratur. ibid. S. Fratrum ſuffragiis à pœna liberatur.

F. Franciſcus à Sorriano Concionator vita, ac virtute celeberrimus. Anno 1567.18.Ex Obſeruantium familia ad Capucinos accedit. ibid. Diuina charitate in Dei verbo prædicando flagrat. ibid. 19. Lubentiùs in oppidis, quàm in vrbibus Dei Verbum diſſeminat, cuius rei cauſam reddit. ibid. Cœleſtis illi à Deo vis in ſermonibus indita.ibid. 20. Acriter vitia reprehendit. ibid. Abbatem quendam Concubinarium ad meliorem frugem compellit. ibid. 21. Orationem quadraginta Horarum mirum in modum illuſtrat. ibid. Inter prædicandum ventura prænunciat. ibid.22. Diuiti Fœneratori repentinam mortem futuram prædicit. ibid. Alteri fœneratori proximum eadem nocte interitum præſignificat. ibid.Ægrotos tranſiens ſigno Crucis curat.ibid.23. Dæmon eo accedente ab inſeſſa muliere aufugit. ibid. Dei miraculo cum ſocio à naufragio liberatur. ibid. 24. Oratione nauigantes à naufragio liberat. ibid. A propinato veneno diuina virtute ſeruatur. ibid.25. Quorumdam Eccleſiaſticorum calumniis à Prædicationis officio ſuſpenditur.ibid.Pro defuncti anima celebrans, ea à Purgatorio liberatur.ibid.26. in odio pertinacem à Dæmone poſſidendum præmonet. ibid. 27. Ab eodem ſigno crucis Dæmonem expellit. ibid. Mulierem odia fouentem prodigio ad pacem compellit.ibid.28.Ipſius obitus diuinitus frero demonſtratur. ibid. 29. Diutina ægritudine Romæ corripitur.ibid. Cum pietate dormitionem accipit. ibid.

Fuga imminentis periculi, quando ab Euangelico homine amplectenda. Anno 1526. 77.

## G

F. GAbriel à Iaueno inter Conuentuales pietatis opera exercet. Anno 1570. 9. Pro defunctis orans à defuncti anima ſuæ ſalutis admonetur. ibid. A Conuentualibus ad Capucinos migrat.ibid. Virtutibus inter eos emicat. ibid. Diuina cœleſtis patriæ viſione potitur. ibid.10. In Conuentu Montiſcalerij ad Deum migrat. ibid.

F. Gabriel à Calataniſſeta, & F. Rogerius ab Enna ſæculi virtutibus clari Anno 1550.38.

Generalis Miniſter de Obſeruantia Capucinos ſibi ſubiicere conatur. Anno 1533. 12. Quibus id rationibus tentaret,explicatur.ibid.Quænam ex his conſectanea eliceret, oſtenditur. ibid. 13.Alia ipſius aduersùs Capucinos obiecta exarantur.ibid.14. Nonnihil Pontificis animum commouet.ibid.15. Quiſnam ex Leonis X.Bulla legitimus ſit cẽſendus. ibid. 15.Omni iuriſdictione,& coactiua poteſtate in Capucinos caret. ibid. Ludouicum Foroſemp. Romæ doloſè in carcerem trudit.ibid.20.21.Bernardinum Georgium Meſſanæ in vincula cóiici imperat. ibid. 23.Aduerſus Capucinos Reges, ac Principes literis concitat. Anno 1534. 1. Callidè Pontificem in Capucinos excitat.ibid.15. Aduersùs Ludouicum Rheginum, & ſocios Apoſtolicum anathema obtinet. Anno 1532. 23. Commiſſarium Apoſtolici fulminis latorem inſtituit, & in Calabriam mittit. ibid.24.

Genuæ primum Monaſterium ſub titulo S. Barnabæ Apoſtoli extruitur. Anno 1538. 4. 5. Capucini in Hoſpitali incurabilium domo ægrotis pluribus annis miniſtrant. ibidem. 5. Pleríque ex Capucinis ibi defuncti poſt multos ſepulturæ annos integri reperiuntur. ibidem. 6. Monaſterij fundum Hoſpitalis domus Rectores à Fratribus S. Dominici pretio emunt, & Capucinis largiuntur. ibid.4.

F.Geruaſius Hyrminienſis Laicus vita, & miraculis illuſtris aſſeritur. Anno 1574.14. A puero ſanctitatis præludia præfect.ibid 15.Adoleſcentiam multis virtutibus exornat.ibid. E ſæculo ad Capucinos migrat.ibid. 16. Præclarum vitæ, ac virtutum tyrocinium inſtituit. ibid. Admirabili vitæ auſteritate præſtat. ibid. Pro virtutibus contra vitia dimicat. ibid. 17. Ipſius obedientia illuſtri à Deo miraculo illuſtratur.ibid. A populi honoribus declinat. ibid. 18.Temporis iacturam quàm magnifaceret,explicatur. ibid.19. Minimas quaſque animi maculas deuitat. ibid. 20. Voluntariæ animi maculæ ac venialia peccata ſpiritualem profectum impediunt. ibid.21. Illum Dæmon ab Oratione exturbare nititur. ibid. 22.Dæmonem variis artibus fratribus inſidiantem cernit.ibid.Dirè à Dæmone cæditur. ibid. 23. Sæpè B.Virginis,& S.P.Franciſci viſione & colloquio potitur. ibid. 24. Fax accenſa ex illius loquentis ore erumpere cernitur. ibid. Ægrotos ſigno Crucis ſanat.ibid.25.

F. Geruaſius Hyrminienſis quamplurima Prophetico ſpiritu futura prænunciat. Anno 1574. 25. 26. Paſſerculi garritus quid ſignificet, fratribus declarat. ibid.27. Tonſillis laborantem ſignó Crucis curat. ibid. 28.Putri vlcere affectum ſigno crucis ſanat. ibid.29.Thurij noui principem lethaliter ſauciatum ſigno crucis à vulnere curat. ibid. 30. Moribundum ſigno crucis ad incolumitatem reuocat. ibid. 31. Mortuum hominem ad viuos reuocat.ibid.32.Syracuſis diem extremum claudit.ibid.33.Glorioſus poſt mortem fratri apparet. ibid. Cœlum cum triumpho ingreditur. ibid. Poſt mortem varia edit miracula. ibid. 34.

Germania Hæreſum ferax. Anno 1524. 12.

F. Gratianus Nurſinus ſimul cum altero, tanquam exploratores, in cuſtodiam trahuntur. Anno 1534. 29. Neci adiudicantur. ibidem. Dei laudes ore

decantant. ibid Nudatis veſtibus illis cilicia apparent.ibid.Honorificè dimittuntur.ibid.

F.Gratianus Nouitius obedientia inſignis.Anno 1542. 14.Diuina viſione fruitur,quæ fusè enarratur.ibid. 15.16.17.18.Futura Religionis tribulatio ob Ochini lapſum eidem à Deo reuelatur.ibidem.

F. Gratus Septempedanus Sacerdos à S.Daniele Propheta Scripturarum intelligentiam aſſequitur. Anno 1575.19. Sæpè eiuſdem S. Danielis colloquio fruitur.ibid.Ætij piè in Domino obdormit.ibid.

F. Gratia Septempedanus Clericus , glorioſus poſt mortem fratri apparet. Anno 1578.18.

F. Gregorius Genuenſis multis virtutibus illuſtris. Anno 1579.23. Ipſius auſteritas,ac eloquij ſuauitas commendantur.ibid. Singularis quoque ipſius in omnes charitas exemplo illuſtratur. ibid. Sæpè in mentis exceſſum rapitur , & corpore in aëra effertur. ibidem. Obitum ſuum longè antè prænunnunciat.ibid.

F. Gregorius Gallipolitanus Clericus ob indiſciplinatos mores à Superiore corripitur. Anno 1580. 16. Reſipiſcens plurimis virtutibus emicat.ibidem. A B.P. noſtro Franciſco inſtruitur , qua via illi ad perfectam Regulæ obſeruantiam gradiendum ſit. ibid.17.

Gregorius XIII. Pontifex creatur,& coronatur. Anno 1572.1. Pauli III.diploma reuocat.Anno 1575. 3. Capucinis,vt vbique terrarum Religionem propagare ac Monaſteria ædificare valeant, Diplomate indulget.ibidem.

Guardiani cuiuſdam infauſtus exitus deſcribitur. Anno 1569.2. Ob eum octo Fratres ex Obſeruantibus ad Capucinos migrant.ibidem.

Guardianus miraculorum patrandorum auidus, à Religione excidit.Anno 1568.25.

Guido Bentiuolius S.R.E. Cardinalis, erga Capucinos beneuolus. Anno 1533.28.

Gullielmus Farinerius priorem S. Bonauenturæ de Caputio quadrato conſtitutionem refricat. Anno 1354.ibidem. Dem.9.4.

Gulæ fratres indulgentes cœleſti terrore concutiuntur.Anno 1569.48.

Gula, ac ventris ingluuies reprehenditur.Anno 1551. 7.Quàm Religioſis pernicioſa.ibid.


## H.


HAbitus Minorum honeſtas ex Euangelio à B.P. Franciſco deprompta.Anno 1532.40. Vnde, illius vilitas iudicanda.ibidem.Ipſius vilitatis iudicium quomodo à Pontificibus Ordinis Superioribus relectum. ibidem. Ex aſperitate, & auſteritate iudicandum pluribus demonſtratur.ibid.Martini V. dicta declarantur.ibid. Viles ex Regula eſſe debent. ibid.38. Vera à B.P.Franciſco forma inſtituta aperitur. ibid.47.

Habitus B. P. Franciſci , quo indutus, ſtigmata à Domino accepit, Florentiæ aſſeruatur.Dem.2.8. Quadrato,& pyramidali Caputio exornatur.ibid. Duo alij Aſſiſij, quadrato Caputio inſtructi conſpiciuntur.ibid.9.10. Quartus Piſis quadrato item Caputio adſutus cernitur.ibid.11.B.Petri Catanei,quem alij B.Petri Picentis fuiſſe ferunt , Apruſti cuſtoditur.ibidem.12. Quadratum Caputium coniunctum habet.ibid. B.Morici S.Franciſci Socij,Oropiti cuſtoditur.ibid.13. Quadrati Caputij formam gerit. ibid. B.Eleutherij in Monte Aluerniæ videtur,quadrato Caputio ornatus.ibid.14.

Habitus S.P. Franciſci num ſordidus ſit appellandus, graui cenſura perſtringitur.Dem.11 1.& ſeq. Auctor quidam id aſſerens,confutatur.ibidem. Nimis vilis num decet eos , qui inter homines habitant. ibid. 17. Religioſi olim omnes vilem induti.ibid.16. Minores viliſſimis indui , non indecorum eſſe comprobatur. ibid.18.19.& ſeq.

Habitus,& Caputia antiqua quamplurima referuntur, Pyramidali, & quadrata forma conſtantia. Dem.2. 18.19.20.

Hæreſis quænam ingenia ſibi vendicet,ex Hieronymo oſtenditur.Anno 1543.42.Cùm in eam graues interdum viri prolabantur,non mirandum.ibid. Ad Eccleſiæ exitium tendunt.Anno 1524.4.Variæ ab Eccleſiæ exordio excitatæ.ibid.Eccleſiæ Doctores genuerunt.ibid.Apud Germanos à variis excitatæ referuntur.Anno 1524.12.

Hæreſum colluuies poſt quintumdecimum ſæculum ab Inferis euocata. Anno 1524.11.

Hæretici Metaphoricas tantùm Inferni flammas aſſerentes ſuggillantur.Anno 1579.3.

Hæretici,Auguſtæ Taurinorum, in Capucinorum necem conſpirant. Anno 1555.28. Illos terror inuadit, & ad fugam compelluntur.ibid.

Hæreticorum familiaritas vitanda.Anno 1541.15.Ij Eccleſiæ,& Chriſtiani gregis inſidiatores.ibidem. Eorum ſcripta non legenda pluribus argumentis aſſeritur. ibid.15. Eorum proprium Nouitatis ſtudium. Eos leuitas, ac cumulata malitia parit , ac nutrit. ibid.18.20.

Henricus VIII. Angliæ Rex à Pontificis obedientia, & à fide deficit.Anno 1534 32.

Henricus III.Rex Galliæ & Poloniæ erga Capucinos beneuolus. Anno 1575.6.

F. Hieronymus à Pedona ſanctimonia , ac miraculis fulget.Anno 1576.35.Multa virtutum luce coruſcat. ibid. Geminas Moniales ſub virili habitu Nouitias detegit,ac Monaſterio reſtituit. ibid.36. Ipſius patientia à Deo calumnia illata probatur.ibidem. Inter imbres abſque imbre iter facit.ibid.37.Fluuium bis ſicco pede ſuper vndas incedens pertranſit. ibidem.38. Angina laborantem ſigno Crucis ſanat. ibid.39. Nobili prolem ſua oratione impetrat.ibid. Pleraque futura prænunciat.ibid.40. Mentis arcana,ac peccata detegit. ibidem.41. In Conuentu Fanenſi diem extremum claudit.ibid.42.

F. Hieronymus à Foroliuio à pueritia quædam ſanctitatis præludia edit. Anno 1566.19.Puer ter in Hebdomada ieiunat.ibidem.Erga B.Religione afficitur. ibid. Pro Condiſcipulis ſeipſum flagris cædit.ibid. 20. E ſtrato mollia omnia ſubtrahit,ac corpus flagellis cædit. ibid.21. Eum Pater à diuinis auocare nititur.ibidem. Audita blaſphemia à venatione aufugit.ibid.22. Ingenij præſtantia excellit.ibidem.In Capucinorum numerum adſcribitur. ibidem. 23. Ipſius inter Capucinos virtutes enarrantur. ibidem.24. Perpetuus fuit virginitatis cuſtos. ibidem. Omnium virtutum ſtudia amplectitur. ibidem. Sua humilitate Patrem iratum placat. ibidem.25. Diutino morbo Foroliuij corripitur.ibidem.26. In Hoſpitalem Orphanorum domum Superioris iuſſu tranſmigrat.ibid.27. Adoleſcenti Religionis ingreſſum pręſignificat.ibid.28.Eximia ſanctimonię ſigna edit.ibid.Virgo Beatiſſima eidem apparés,diem obitus indicat,ac cœlorum Regnum pollicetur.ibid.29.





Catharinæ B.Virginis viſionem aperit , ac verba indicat.ibid.30.Teſtamentum in morte condit,quo Patris ſaluti conſulit.ibid.31. Illum Dæmon trina tentatione aggreditur , & ab eo ſuperatur. ibid.32. Salutis ſignum Patri promiſſum in morte reddit. ibid.33. Pleriſque per mortem miraculis emicat. ibid. 34. Mulier cancro laborans corporis ipſius contactu ſanatur. ibid. Altera ab vberum tumore curatur.ibid. Ipſius corpus poſt ſextum annum incorruptum reperitur.ibid.35.

F. Hieronymus Rheginus virtute ac prudentia clarus. Anno 1572.19. Prophetiæ ſpiritu à Deo cohoneſtatus futura prædicit.ibid. Obitum ſuum prænunciat.ibid.

F. Hieronymus à Butunto magnis in ſæculo virtutibus elucet. Anno 1580.17. Abſens ſacram Euchariſtiam adorans bis diuino miraculo illius præſentia fruitur. ibid. 17.18. Diuino miraculo ad Religionem prouocatur. ibid.19. Capucinorum Ordinem ingreditur.ibid.20. Multarum virtutum laude commendatur.ibid.In Miſſarum celebratione ſæpè B.Virginis præſentia fruitur.ibid.

F. Hieronymus à Monteflorum Generalis Vicarius confirmatur.Anno 1578.1. Binos Generales Commiſſarios in Galliam deſtinat.ibid.2. Ætnam Montem conſcendit. Anno 1579.2. Intus flammarum globos, conſpicit, ac plorantium gemitus percipit. ibidem 2. Ibi Animas ob delicta puniri velut certum aſſeritur.ibid.Panes è Cælo ſociis ſua Oratione impetrat. ibid.3.

F. Hieronymus à Monteſorio vir præclarus. Anno 1561.5.Perfecta oris cuſtodia emicat.ibidem.Dum peſte laborantibus miniſtrat , ad Deum migrat. ibidem.

F. Hieronymus Panormitanus Sacerdos, morum ſanctimonia clarus.Anno 1579.17.Ex Diſcalceatorum familia ad Capucinos migrat.ibid.Ipſius poſt mortem gloria cuidam fratri à Deo reuelatur. ibidem.

F. Hieronymus Piſtorienſis vir doctrina , ac virtute clariſſimus. Anno 1570.21.Mortua Cóiuge ad Obſeruantes tranſuolat.ibid. Ad Capucinos cum aliis migrat.ibid.22.Ipſius virtutes exarantur.ibid. Prædicator illuſtris , mulierum proſtitutarum conuerſioni incumbit. ibid.23. S. Bonauenturæ inſignis ſectator , illius libros à vetuſtate vendicat. ibid.24. Ad Tridentinum Concilium deſtinatur.ibidem.25. Generalis Definitor , ac Prouincialis Vicarius ſæpè eligitur.ibid.26. Pij V. Pontificis Theologus creatur.ibid. Cardinalatus dignitatem recuſat. ibidem. A Pio V. Pontifice in Cretam inſulam mittitur. ibid.27. A B.Virgine ſui obitus præmonetur. ibid. Aberrans cum ſocio noctu cœleſti hoſpitio excipitur.ibidem.Cum Sociis peſte laborantibus miniſtrat. ibid. In eo charitatis officio vita defungitur: illius poſt mortem gloria reuelatur. ibid.28. Ipſius oſſa Caſertam transferuntur. ibid. Varia opuſcula edidit.ibid.29.

F. Hieronymus à Montepolitiano omnium virtutum laude præclarus. Anno 1546.10. A puero magnarum virtutum ſpecimen præbet. ibid. Puer orans ſurſum in aëra fertur.ibid. Eccleſiaſticam dignitatem fugiens , ad Obſeruantium Ordinem migrat. ibidem. Hieroſolymitana loca piè viſitat. ibid.11. Ad Capucinos tranſmeat. ibidem. Regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. ibidem 12. Humilitatis potiſſimùm virtuti incumbit.ibidem. 13. Ad honores inuitus rapitur. ibidem.14. Arctiſſimam linguæ cuſtodiam adhibet. ibidem. Ipſius erga B.Virginem pietas celebris. ibidem. 15. Vitæ quoque auſteritas commendatur.ibidem.16. Sola præſentia hominem à Dæmone obſeſſum liberat. ibidem.17. Dies obitus ter illi à Domino reuelatur. ibidem. 18. Glorioſus poſt mortem mulieri apparet. ibidem. Mulier neruis attracta corporis illius contactu ſanatur. ibidem. Poſt quintum ſepulturæ annum ipſius corpus integrum , ac ſuaueolens reperitur. ibidem. Mulier ipſius corpus contingens à ſanguinis fluxu liberatur. ibidem.

F. Hieronymus à Paradiſonio plurimis virtutibus emicat. Anno 1577.29. Mortis ſuæ diem longè antè prædicit. ibidem. Cœleſtia lumina in ipſius funere in Eccleſia apparent.ibid.

F. Hieronymus Camerinenſis Concionator vir præclarus.Anno 1563.12.

F. Hieronymus à Tipherno Metaurenſi virtutibus emicat. Anno 1560.16.

F. Hieronymus Mediolanenſis Lugdunum appellit. Anno 1576.1. De Conuentu extruendo cum vrbis Proceribus agit.ibidem. Quorundam piorum virorum opibus ſubleuatur. ibid. 2. Prima Conuentus fundamenta in vrbe iacit. ibidem. A Marthia Miſſus Auinionem proficiſcitur. Anno 1576. 6. Ab Hæreticis Dei miraculo liberatur. ibidem. Ab Georgio Arminiaco Cardinali Legato , Conuentus fundationem impetrat. ibid.7. Conuentus fundamenta ponit. ibid.9.

F. Hieronymus Melphitenſis Concionator ab Ochino corruptus. Anno 1542.40. Ad Hæreticos migrat.ibidem. Seipſum ſponte faſciculis conflagrat. ibidem.

F. Hieronymus à Georgia pius Dominicæ Paſſionis contemplator.Anno 1561.5.Peſte laborantibus miniſtrans occumbit. ibid. In ſui obitus hora Antonino Rhegino apparet , & ſuam gloriam reuelat. ibidem.

Hiſtoriographo quænam lex ſancita ſit. Anno 1524. 20. Vera,ac probata tacere non debet.ibid. Anno 1524.20.

Homo ad cœleſtia contemplanda conditus. Apparat. 1. Cur Dei ſimulachrum.ibid.

Hominum ingenia doctrinę politura, pietate tantùm meliora fiunt.Anno 1537.101.

F. Honorius à Montegranario vir clariſſimus, Anno 1569.6. In ſæculo varias cum pleriſque ſimultates gerit.ibidem. In Caroli V.Caſtris militat. ibidem. Ad Capucinos accedit.ibidem. Præterita crimina vehementer defler. ibidem.7. Corpus variis caſtigationibus plectit. ibidem. Abſtinentia ſingulari carnem extenuat.ibid.8. Orationi ſtudioſiſſimè vacat. ibidem. 9. Chori Religionem ſummo ſtudio proſequitur. ibid. Variis in Religionis Prouinciis Vicarius Prouincialis eligitur.ibidem.13. Paupertatem magno zelo proſequitur. ibidem.14. Nihil in Religione innouandum monet. ibid. Vera humilitatis indicia prodit. ibidem.15. Fratribus ſermocinans in extaſim rapitur. ibidem. Bononienſis Prouinciæ Vicarius eligitur. ibidem.20. Circulum ferreum ad lumbos præcinctum iuſſu Medici deponit. ibidem. A Deo futuri obitus admonetur. ibidem. Fratres ante mortem ad pietatem hortatur.ibid. Bononiæ diem extremum claudit.ibidem.

Ipſius gloria poſt mortem Sacerdoti in viſione oſtenditur.ibid.21. Medici vxor ad Honorij Sepulchrum vehitur. ibid. Dæmon illius iter impedire conatur.ibid.Honorio apparente,Ægrotans à paralyſi,& ab oculi cœcitate curatur.ibid.22. Ægra domum pedeſter redit.ibid.23. Fratres ipſius Beatificationis proceſſui reluctantur. ibid. 24. Cardinalis Palleoti, & Inquiſitoris erga defunctum pietas, ac Religio. ibid.24. Mulier ægrotans ipſius inuocatione ab ægritudine deſeritur. ibid.25. Pleriſque incolumitatem è Cælo largitur. ibid.26. Ipſius pes è tumulo erutus magnam odoris fragrantiam diffundit.ibidem 28.

Honeſtatis,& charitatis exemplum apud Hidruntinos enitet. Anno 1552,119.

Horarum B.Virginis codex Moloſſos compeſcit. Anno 1574.37.

Horæ Canonicæ, quomodo,& quo tempore à Fratribus in Choro perſoluendæ. Anno 1529.16. Sine Cantu à Capucinis fratribus recitandæ.ibid.

Horæ diuinæ apud Capucinos in Choro abſque Cantu perſoluuntur.Anno 1529.77.Eius rei ratio redditur.ibidem.Olim ſine Cantu in primæua Eccleſia recitatas Patrum teſtimoniis comprobatur.ibidem. 78.79.Grauiter,&moroſè decantandæ.ibid.77.

F. Hortulanus inobedientiæ cogitationem in animo concipit, ac nutrit. Anno 1559.12. Inexpiatus ad Euchariſtiæ Sacramentum accedit.ibid. Eum Coruorum multitudo aggreditur.ibid. Cum Coruis in Cellam irruentibus decertat.ibidem.13. Proprium ſcelus agnoſcit, ac Pœnitentiæ Sacramento expiat. ibidem. Illum Coruorum multitudo deſerit, atque aufugit.ibid.

Hoſpes meritorius Capucinorum Religionis merito ab ægritudine liberatur.Anno 1559.11.

F. Humilis Offidanus virtute præclarus commendatur. Anno 1541.23.24.Profunda illius Humilitas. ibid.24. Orationis, ac Dominicæ Paſſionis meditatio exarantur.ibidem. Vitæ auſteritate,ac plurimis aliis virtutibus emicat.ibid.24.25. Pleraſque à Deo reuelationes accipit. ibid.25. In Cœnobio Montis Caſſini diem extremum piè claudit.ibidem.26. Integrum ipſius corpus poſt multos ab obitu annos reperitur.ibid.26.

F. Humilis à Paterno Clericus virtutibus illuſtris. Anno 1580.46. B.Virginem in morte luce circumfuſam intuetur.ibid.3.

F. Humilis à Spoleto Laïcus virtutũ omnium exemplar aſſeritur. Anno 1580.31. Per quatuor annos Chriſti vocem quotidie audit, ei cæleſtia præmia pollicentem.ibid.

Humana omnia mutationibus obnoxia.Apparat.41.

Humanarum rerum ſtatus quàm labilis ſit, ac mutationi ſubiectus, exemplis declaratur.Apparat.38.

Hypocriſis ex virtutibus exorta. Anno 1549. 30. Ex remediis morbum contrahit. ibid. Nihil eâ Religioſo homini perniciosius. ibid. Omnem alterius vitæ honorem depaſcit.ibid.30.

Hypocriſis vitium quantoperè fugiendum. Anno 1565.24. A Capucinorum Religione exulat.ibid.

I.

F. IAcinthus à Fano vitæ innocentia eximius. Anno 1560.10. In extremis ægrotanti SS. Petrus & Paulus Apoſtoli apparent, & ad cœleſte regnum ſecum inuitant.ibid. Recuſat id abſque Superioris Obedientia præſtare. ibid. Obtenta Superioris licentia, & benedictione, ſtatim animam expirat. ibidem. Obedientiam cœleſti regno præfert. ibidem 10.

F. Iacobus à Melphicto Concionator illuſtris. Anno 1561.6.Inter Obſeruantes prudentia & auctoritate nitet.ibid. De Religionis ſigillo,ac eius tranſlatione quædam commemorat.ibid.6.7. Capucinos hoſpitio excipit, & cum his de Regulari obſeruantia agit.ibid 8.Cum Prouinciali Miniſtro de Prouinciæ reformatione agit.ibid.9. Reformationis Articulos in Capitulo proponit.ibid. In Neapolitana Prouincia fruſtra Reformationem tentat. ibid. Cum Bernardino Senenſi de tranſitu ad Capucinos ſermonem habet. ibid. Ad Capucinos poſt Quadrageſimales ſermones tranſmigrat.ibid. Forolíuij prædicans Vrbem ab Hæreſi expurgat. ibid.10. Ferrariæ, Hæreticorum Foroliuieſium opera, illi Hoſpitium, ac prædicatio denegatur.ibid.Ferrariæ de Prædeſtinatione diuina Sermonem inſtituit. ibid. Facetum illius dictum de Deo Ferrariæ non extincto. ibid. Ter à Generali Obſeruantium Miniſtro tentatur,vt ad Obſeruantiam redeat.ibid.11. Sapienti reſponſo oblatos à Generali honores recuſat. ibid. Epidaurienſem Epiſcopatum renuit.ibid.10. Conſtantiſſimus in aſſumpta Religione oſtenditur.ibid. Acriùs in Fœneratores inuehitur. ibid.12. Liberrimè,Potentum ſcelera arguit.ibid.13. Marchionem Vritanum ab Hæreſi fruſtra reuocare conatur.ibid. Marchio ipſius necem machinatur.ibid. Inuiſibilis diuina virtute militibus redditur.ibid.Acerrimus Catholicæ fidei propugnator aſſeritur.ibid.Fœneratori obitum breui futurum prænunciat. ibid.14. Hidruntinæ Prouinciæ Proregem arguit, atque illius in ſe odium concitat.ibid.15.Conficta cauſa à Prorege exilio mulctatur. ibid. Meſſapiæ diem extremum cum ſanctimoniæ laude obit.ibid. Ipſius corpus poſt quartum annum integrum, ac ſuaueolens reperitur.ibid.15.

F. Iacobus Rheginus pleroſque ſigno crucis ægrotos curat. Anno 1561.5. Peſte laborantibus miniſtrat. ibid. Peſte ſublatus in eo miniſterio Deo animam reddit.ibid.Poſt mortẽ Guardiano ſuo apparet.ibid.

F. Iacobus à Nurſia Vir puritatis ac ſimplicitatis eximiæ. Anno 1566.11. Ægrotanti auiculam ſua oratione impetrat. ibid. Obitum ſuum præſignificat. ibid.12.Eximium illius in morte obedientiæ exemplum refertur. ibid. B.Virginis in morte præſentia honoratur.ibid.

F. Iacobus Aletinus Concionator, Prophetico ſpiritu donatus futura prænunciat.Anno 1580.14.

F. Iacobus Florentinus Sacerdos Vir Angelicus.Anno 1548.39.Plurimis virtutibus,ac præſertim vitæ auſteritate illuſtris.ibid. In Conuentu Aſtenſi ad Dominum migrat. ibid.39.

F. Iacobus Hiſpellenſis Laïcus magnis virtutibus floret. Anno 1544.48.49. Pecuniam minùs cautè pertractat. ibid.49. In morte cum Dæmone conflictat. ibid. Varia poſt ipſius obitum terrifica accidunt. ibid.50. Ipſius vox plangentis auditur.ibid. Ob illam ſolam culpam, per decennium Purgatorij pœna à Deo mulctatur. ibid.51.

Ieſu Societas à S. Ignatio Loyola inſtituitur. Anno 1534.32. Dei in ea inſtituenda conſilium expenditur.ibid.





S. Ignatius Loyola illuſtrem Ieſu Societatem inſtituit. Anno 1534. 32.

F. Ignatius ab Apiro præclaris virtutibus fulget. Anno 1569. 52. In Cretam inſulam mittitur.ibid.53.Poſt obitum Miraculis coruſcat. ibid.

F. Ignatius de Valle duplici Nobiliſſimis ortus natalibus, virtute Nobilior aſſeritur. Anno 1571. 13.

Illuminatus à Nurſia Laïcus vir eximiæ ſanctitatis. Anno 1580. 28. Auibus Cæli imperat, & obediunt. ibid. Prophetiæ ſpiritu à Deo illuſtratur. ibid.

Imagines antiquæ pictæ, & exſculptæ, tam B.P.Franciſci quàm aliorum Minorum, fusè adferuntur, quæ Caputium quadratum, & pyramidale referunt. Dem. 4. 22. 23. & per totam illam Claſſem.

Imperatorum quorundam in Eccleſiam impietas commemoratur. Anno 1524. 5.

Infirmorum præfectus poſt mortem pœnas luit. Anno 1575. 30.

Ioachimus à Leuanto Laïcus ſanctimonia clarus. Anno 1578. 23. Admiranda vitæ auſteritate nitet. ibid. 23. 24. Variis modis à Dæmone infeſtatur. ibid. 24. 25. In extaſim raptus, triduò in eo perſeuerat. ibid. 26. Herbas ad morborum curationem adhibet, vt diuinam virtutem contegat. ibid. Pleroſque ægrotos diuina virtute curat. ibid. 27. Peſte laborantibus ſumma charitate miniſtrat. ibid. 28. Ob ipſius orationem Deus illuſtri Miraculo Montiſcalerij familiæ annonam prouidet. ibid. 29. 30. Lepidum ipſius ad Theologiæ candidatos dictum. ibid. 32. Actæ ſanctimonia clarus ex hac luce migrat. ibidem.

F. Ioannes à Fano miniſter Obſeruantium Picenſis Prouinciæ. Anno 1526. 14. Ludouicum Foroſempronianum Reformationem depoſcentem in vincula coniicit. ibid. 14. 15. Conſcientiæ ſtimulis vrgetur ob Ludouicum Carcere mancipatum. ibid. 17. Humanitatis ſigna Ludouico exhibet. ibid. E Carcere ſoluit, ac beneuolentiæ ſignis complectitur.ibid.17.Grauiter Diploma Fratribus conceſſum accipit. Anno 1426.46. Apud ſuos, prudentia, & auctoritate clarus. ibid. 48.Ipſius pro Ordine zelus, qua ratione commendandus. ibid. Reformationis Capucinorum nomen extinguere conatur. ibid. 46. 49. Quid ipſius pro Ordine zelum excuſaret, expenditur. ibidem. 48.49. Ad Pontificem ſe confert. ibid. 51. Cum homine, cuius ſpiritus eſt in naribus eius, comparatur. ibid. 47. Cum Torrente confertur. ibid. 47. 48. Aduerſus Dei conſilium fruſtra pugnat. ibid. 50. Apud Pontificẽ pro Diplomate reuocãdo laborat. ibid. 51. Sua ſpe fruſtratus Diploma à Sacræ Pœnitentiariæ Tribunali contra Apoſtatas obtinet, quo Ludouicũ proſequitur.ibid.53. Ludouicũ & ſocios Apoſtatas falsò ſibi perſuadet.ibid.53. De Ludouico & ſociis cõprehendendis,conſilio Patrũ aucto,decretum edit.ibid.53.Fratres cum ſatellitio ad Eremũ Cryptarũ mittit,vt Ludouicum cõprehendant. ibid. 67. Bis ſeptenos Fratres Paſcilupum deſtinat. ibid. 75. Iterum Ludouico & Fratri inſidias parat. ibid.75.Omnem in Ludouico perſequendo modum excedit. Anno 1527. 1. Ipſius perſecutio mala, ac iniuſta aſſeritur. ibid. 2. Qua ratione excuſanda. ibid. A Duce Vrbinate armatam familiam accipit; qua Ludouicum perſequitur. ibid. 6. Ad Ducem, ac Duciſſam Camertium literas ſcribit, vt Ludouicum ac alios exturbet. Anno 1527. 21.22. Ab his quid reſcriptum fuerit, indicatur. ibid. 23. 24. Camerinum aduolat, & Ducem à Ludouici, ac aliorum patrocinio verbis reuocare nititur. ibid. 26. Ludouicum, ac reliquos coram Duce alloquitur, ac verbis obiurgat. ibid. 29. Iis reditum ad Ordinem perſuadet. ibidem. Matthæi, ac Ludouici reſponſo obmuteſcit. Anno 1527. 33. In licentiam, qua Ludouicus cum cæteris ad Minores Conuentuales migrauit, minimè conſenſiſſe aſſeritur. ibid. 36. Supplicem libellum aduersùs Catharinã, Pontifici offert. ibid. 36. De Ludouici domicilio à Guardiano Maſſacij certior factus. Anno 1426. 64. Ad Guardianum Maſſacij literas ſcribit. ibidem. Ipſius Epiſtola ſub menſa à Monachis inuenta Ludouico oſtenditur. ibidem. 66. Armatam familiam à Legato imperat, qua Ludouicum perſequitur. ibid. 67. Neſcius, Reformationis propagationi famulatur. Anno 1527. 37.

F. Ioannes Faneſtris Saulum exutus, in Paulum mutatur. Anno 1534. 3. Diuino lumine illuſtratur. ibidem. Prius in Capucinos acta grauiter deplorat. ibid. 4. Ad Capucinos migrare cogitat. ibid. 5. 6. Geminos Fratres Capucinos hoſpitio excipit. ibid. 6. Ab his de Capucinorum ſtatu percunctatur.ibid. Romam cum Euſebio Anconitano proficiſcitur. ibidem. 7. A Ludouico Foroſemproniano Religioni adiungitur. ibidem. 8. Præteritas perſecutiones lachrymis ac luctu proſequitur.ibid.9. 10. Actorum veniam poſtulat. ibidem. 11. Pro Reformationis amplexu exultat,ac Deo gratias agit. ibid. In ipſius conuerſione admirabilis Dei ſapientia, & benignitas elucent. ibid 12. Mali ignorantia illum à ſcelere excuſat. ibid. Quò Dei conſilium in ipſius conuerſione ſpectauit. ibid. Dum Fratribus ſermonem habet, B. P. Franciſcum ſibi aſſidentem habet. Anno 1539. 39. Eo ſermocinante B. P. Franciſcus Fratribus benedicit. ibidem. 39. 40. Piceni Prouinciam optimè adminiſtrat. ibid. 38. 43. Ipſius verbo, ac exemplo permota Conuentualium Reformatorum familia ad Capucinos tranſuolat. ibidem. 43. In quartanam febrem incidit. ibidem. 44. Durantij prædicans pleuritide corripitur. ibidem. 45. Ante obitum de acceptis beneficiis Deo gratias agit. ibid. 46. 47. Inter Dei laudes Deo ſpiritum reddit. ibidem. 47. Plurimis poſt mortem Miraculis emicat. ibidem. 48. Ipſius corpus à Fanenſi Vrbe fruſtra petitur. ibid. 49. Apud Durantinos magna in veneratione habetur. ibid. 49. Bergomi Dei verbum diſſeminat. Anno 1535. 1. 2. 3. Primum Mediolanenſis Prouinciæ Conuentum extra Vrbem conſtruit. ibid. 3. 4. Brixiæ, & Mediolani Conuentus ædificat. ibid. 5. Cum Euangelico Ædificatore comparatur. ibid. 6.

F. Ioannes Faneſtris Modœtiæ Dei verbum prædicans, contemnitur. Anno 1539. 17. à Catharina Confalonia domo excipitur. ibidem. 18. Vir Dei à Modœtianis agnoſcitur, ibid. 19. Conuentum Modœtiæ ædificat.ibid. Veronam proficiſcitur:vbi amens cum ſocio putatur. ibid. 23. 24. 25. A pueris lapillis impetitur. ibid. 26. Improbus ac ſceleſtus cum ſocio putatur. ibid. 27. Mira illius in omnibus patientia. ibid. Fruſtra Antiſtitem adire tentat. ibid. 28. Sacra facere prohibetur. ibid. 27. Ab Epiſcopo vocatus, vir prudens agnoſcitur. ibid. 28. Veronæ Dei verbum, magna cum Vrbis commotione, diſſeminat. ibid. 29. Veronæ Monaſterium ædificat. 30. Aliud Berioloni conſtruit. ibid. Vbi Deus Fratribus niue

obſeſſis; Miraculo annorum miniſtrat. ibid. 31. Romam ad Generalia comitia profectus Definitor eligitur.ibi.32.Marmiroli Monaſteriũ extruit.ibid. In Picenum proficiſcitur. ibidem.33. Inter illuſtres illius tempeſtatis Concionatores recenſetur. ibid. 34. Mira illius in dicendo vis Bernardini Aſtenſis teſtimonio aſſeritur. ibid. Senis prædicans, ſecundum poſt S. Bernardinum nomen ſibi comparat. ibid. 35. Concionatorem alterius Ordinis Hæreſim prædicantem redarguit, & ad diſceſſum compellit. ibid. Picenſis Prouinciæ Vicarius eligitur. ibidem. 36. Biturgiæ prædicans Vrbis calamitatem prænunciat. ibid. Fratri, qui illi iuuentutem poſcebat, lepidè reſpondet. ibidem.

F. Ioannes à Fano vita, & geſta enarrantur. Anno 1539.3. Genus, ac ſtirps, indoles quoque præclara indicantur.ibid. Ad Minorum Obſeruantium Ordinem ſe confert.ibid. Vir prudentiæ ſingularis varias in Ordine dignitates obtinet. ibid.4. Zelo erga Ordinem exuberat.ibid. Capucinos acerrimè perſequitur.ibidem. Idem,& Obſeruantium Superiores, ob perſecutionem, à vitio excuſantur. ibid. Ipſius, & Ludouici Foroſemproniani geſta ponderantur.ibid.5.Antitheſis expenditur.ibidem. Dei in his diuerſa conſilia, ac indicia perpendenda proponuntur. ibid.5.6. Ipſius in Capucinorum Religionem conatus explicantur.ibid.6. Ipſius ad Capucinos conuerſio magnum diuinæ clementiæ teſtimonium.ibid.7. In Scandriliæ locum ſecedit,vbi ſummis in auſteritatibus vitam ducit.ibid.8. Superioris vitæ tenebras luget.ibid. Nonnulla Opuſcula componit pietate plena. ibid 9. Dialogum aduersùs Capucinos antea editum retractat. ibidem. Conuicia in Capucinos iactata per literas retractat.ibidem. A Ludouico Commiſſarius inſtitutus ad Mediolanenſes deſtinatur. ibidem.11. Bergomi primùm Mediolanenſis Prouinciæ Monaſterium conſtruit.ibid.12.13. Brixiæ aliud Monaſterium ædificat.ibid.13.Erga illum Nobilis viri factum narratur, ac illius humilitas commendatur. ibid.14. Mediolani primum Monaſterium extruit. ibid.16.

F. Ioannes Foroliuienſis Sacerdos Nouitiorum inſtitutione vacat. Anno 1580. 23. Prophetiæ ſpiritu fuit illuſtris.ibid.

F. Ioannes Tarratanenſis Concionator zelo Regularis obſeruantiæ illuſtris.Anno 1570.30. Diem obitus ſui præſignificat.ibid.

F. Ioannes à Nicoſia Laïcus multis virtutibus illuſtris. Anno 1570.13. Biduano ieiunio à Dæmone inſeſſam mulierem liberat. ibid.14.

F. Ioannes Andreas à Rhodigio Sacerdos præclara omnium virtutum laude illuſtris. Anno 1577.12. Nouitiorum curæ præficitur.ibid. Nouitium à Dæmone illuſum diuina reuelatione agnoſcit.ibid.13. Nouitio quæ illi futura erant,prædicit. ibidem.14. Nouitiorum occulta conſilia diuina virtute penetrat.ibid.15. Sæpe extaſes,& raptus patitur.ibid.16. Sanctimonia clarus ex hac luce migrat.ibid.

F. Ioannes Andreas Venetus S.S. Petri & Pauli præſentia in morte fruitur.Anno 1569.36.

F. Ioannes Firmanus, Sacerdos, multorum perſonas hiſtrionicè referens, hiſtrionica in morte profert. Anno 1566. 40. Os illi à Dæmone vſque ad aures protrahitur.ibidem. Acta tandem pœnitentia delet. ibidem.

F. Ioannes à Corleone ſanctitate conſpicuus. Anno 1562. Chriſtus oranti apparet,& quaſdam Fratrum animi remiſſiones immoderatas reprehendit. ibid. 39. Fratres ab iis remiſſionibus deterret.ibid.

F. Ioannes à Metymna Campeſtri Sacerdos ſanctitate conſpicuus. Anno 1544.11. Sæpè Domini colloquio potitur.ibid. Religionis ſtatum ſibi aperiri à Domino poſtulat. ibid.12. Oranti Chriſtus apparet, ac multa illi ad Religionem ſpectantia reuelat. ibid.12.13.14.& ſequent.

F. Ioannes à Metymna Campeſtri Hiſpanus Martyr illuſtris. Anno 1551.2. ex Nobili ſtirpe oritur. ibid. 3.Ab adoleſcentia res mundanas faſtidit.ibidem. In Obſeruantium familiam cooptatur.ibid.Ad Diſcalceatos poſt annum probationis migrat. ibidem.4. Aſperam inter Diſcalceatos vitam ducit.ibidem. In ſancti Gabrielis Prouinciam ob paupertatis ſtudium migrat.ibidem. Dei Conſilium à Moniali addiſcit,quo ad Capucinos accedit.ibid.4. De diuinis rebus ſuauiſſimè diſſerit.ibid.Solitaria ſemper loca quærit.ibid. Admiranda illius auſteritas commendatur. ibid.5. Miſſæ ſacrificium ſumma Religione celebrat. ibid.6. Plurima Horarum ſpacia diu noctúque in Oratione inſumit. ibid. Pleraſque à Deo reuelationes accipit.ibid.7. Quædam de Religionis diuturnitate ab eo obſcurè dicta.ibid.Ipſius de Prælatione præclarè dicta exponuntur.ibid.7.8. Martyrij cupiditate flagrat.ibid.9. De Martyrio obeundo cum Ioanne Appulo conſilium init. ibidem. Cum Ioanne Appulo ad Infidelium terras deſtinatur. ibidem. Conſtantinopoli Chriſti fidem Infidelibus prædicat. ibid. Cum Socio verberibus afficitur, & in carcerem traditur.ibid. A Mercatoribus liberatus Hieroſolymam proficiſcitur & ſacra loca veneratur.ibid. Babylonem adnauigat, vbi à Iudæo hoſpitio excipitur.ibid.11.12.

Ioannes à Metymna Campeſtri, & Ioannes Appulus, Baſſæ Babyloniæ Chriſti fidem prædicant. Anno 1551.13. In carcerem coniiciuntur,tum ante Iudicem ſiſtuntur. ibidem.14. Coram Iudice Chriſtum prædicant, & in Mahometem inuehuntur. ibidem. Contra Mahometanorum ſectam rationibus diſputant. ibid.16.17.18.& ſeq. Flagellis cæduntur,& in carcerem coniiciuntur.

F. Ioannes Sorianus Sacerdos diutina ægritudine à Deo probatur. Anno 1572. 18. Deiparæ ſæpè in Oratione colloquio fruitur.ibid.

F. Ioannes Candela Laïcus virtutibus nitet. Anno 1555.18. Sui obitus à Domino admonetur.ibidem. Auicula in ipſius morte Cellam ingreſſa dulciùs canit.ibidem.Suauem poſt mortem odorem ſpirat. ibidem.

F. Ioannes Viterbienſis Sacerdos, ſanctitate conſpicuus aſſeritur.Anno 1569.35.

Ioannes Galatrenſis, Vir agreſtis, Angelum Capucinorum habitu indutum conſpicit ante Reformationis ortum.Anno 1524.42. Eidem futura Capucinorum Reformatio ab Angelo reuelatur. ibidem. Eiuſdem Filius Patris viſione permotus, è ſæculo ad Capucinos migrat.ibid.

Ioannes Petrus Caraffa pietate apud omnes commendatiſſimus. Anno 1526.39. Teatinum,ac Brundatinum Epiſcopatum recuſat.ibidem. Collegium ſub Clericorum Regularium titulo inſtituit, quod deinde in Ordinem excreſcit. ibid. A Papæ eleemoſynario maximè Ludouico commendatur. ibidem. Magni Capellani apud Carolum V. Imperatorem





munere fungitur. ibid.41. Ab Adriano VI. ad hominum mores corrigendos Romam euocatur.ibid. 41. Apud Pontificem pro Diplomate conſequendo laborat.ibid. Capucinorum Reformationem ſingulari beneuolentia complectitur.ibid. Eidem ſe obſtetricatum gloriatur.ibid. Ad ſummi Pontificatus honorem aſſumitur. ibidem.41. Ochini Apologiæ reſpondit.Anno 1543.32.33. Paræneticam Epiſtolam ad Ochinum ſcribit.ibid.33. Ipſius Epiſtola exaratur. ibid.

Ioannes Maria Varanus Camertium Dux. Anno 1527. 18. Omnium exiſtimatione optimus.ibid. Pietatis, ac Religionis commendatur.ibidem.Matthæum ac reliquos apud ſe hoſpitare iubet.ibid.Spiritualibus Matthæi colloquiis delectatur.ibidem.20. Miniſtro moderatè reſpondet. ibid. 23. Eundem moderatè carpit.ibid.Peſtilentia ſublatus.Anno 1528.48. Pietatis,ac Religionis laude commendatur.ibid.

Ioannes Maria Varanus, & Catharina Ciboa ſub nomine Moab commendantur. Anno 1527.25. Capucinorum Reformatione patrocinantur.ibidem.Eorundem erga Capucinorum Reformationem amor. ibid.Argumenta in Miniſtrum retorquet.ibid.27.

F. Ioannes Hiſpanus,alter à martyre,multis virtutibus emicat. Anno 1546.4. Præ diuini amoris incendio clamores,ac rugitus edit.ibid. Eo orante fax ardens à Foroſempronianis ciuibus conſpicitur.ibid. Generali mandante nonnulla à Deo poſtulat. ibid.5. Chriſtus apparens quædam illi ad Religionem ſpectantia reuelat.ibid.5.6.7.

F. Ioannini Florentini Laïci vita, & geſta ſuccinctè enarrantur. Anno 1569. 32. In morte B. Virginis præſentia fruitur.ibid.

Ioannes Antonius Tuchius, & Catharina vxor, Ioannem Fanenſem, velut Angelum excipiunt. Anno 1539.18. Religionem maxima beneuolentia complectuntur.ibid.20.Modœtiani Conuentus ſtructuram ſuis opibus adiuuant.ibid.

Ioannes Cardenus Titelmano familiaris, illius poſt mortem viſione potitur.Anno 1537.115. Illuſtris illi viſio in ſomnis à Deo aperitur. ibid.119. Ob viſionis labores in febrim incidit.ibid.120. Franciſcum Titelmanum in meridie ſibi apparentem conſpicit. ibid.121. Ab eo viſionis myſteria addiſcit. ibidem. Abdicatis beneficiis religioſam vitam ducit. ibidem. 122.

Ioannes Cola Diues Auarus,ac Fœnerator.Anno 1563. 12. Pauperes, ac Religioſos expilat.ibid. Cum Tabernariis de pauperibus expilandis paciſcitur.ibid. 13. Vas olei Tabernario, eius iuſſu oleum ſubripiente,miraculo diſrumpitur. ibid. In morbum incidit, ac rugitus in morte horrendos edit. ibid.14. A Dæmone rapitur, & in inferno ſepelitur.ibid.

F.Ioannes Appulus inter Minores Diſcalceatos adſcribitur. Anno 1551.35. Alexandri inter eos nomen ſortitur. ibid. Martyrij cupiditatem concipit.ibid. 36. Omni virtutum laude floret. ibid. Sepulchrum ſibi ad orandum eligit. ibid. Martyrij cupidus cum aliis in Mauritaniam proficiſcitur. ibid.37. In ſiccum puteum ab Infidelibus cum ſociis coniicitur. ibid. In Hiſpaniam redit.ibid.Iterum ad Infidelium terras remeat,ac verberibus afficitur.Quartò ad Infidelium terras penetrat, ac repetita ſupplicia fert. ibid.38. In Italiam profectus ad Capucinos ſe confert. ibid. 40. Auſteriſſimam in antro vitam ducit. ibid.41. Patientiæ ipſius exemplum inſigne recenſetur.ibid.Abſtinentia,ac vitæ auſteritate præcellit. ibid.42. In Dominicæ Paſſionis meditatione clamores edit.ibidem.Dæmon variis artibus ipſum ab oratione auocare conatur. ibid.43. Dæmonis arte malleo manum ſibi vulnerat.ibid.Dæmones Latronum ſe Animas ſimulantes ſigno Crucis fugat.ibid. 43. De eo Beelzebub conqueritur, ac eidem comminatur. ibid.44. Variis modis à Dæmone infeſtatur.ibid.45. Dirè à Dæmonibus verberatur.ibidem. 46. Eidem Templi viſio ab Angelo demonſtratur, ac declaratur. ibidem. 47. Multis à Deo miraculis illuſtratur. ibid.48. Puellam Cancri morbo laborantem ſigno Crucis ſanat. ibidem.49. Chriſtus oranti Martyrij coronam pollicetur.ibid.50.

F. Ioannes Appulus & Ioannes à Metymna Campeſtri de Martyrio adeundo conſilium init. Anno 1551.9. Cum eo ad Infidelium terras deſtinatur.ibidem.Bizantium proficiſcitur, vbi Chriſti fidem prædicat, ibid. Verberibus afficitur, & in carcerem truditur. ibid.Memphi cum eodem Martyrio coronatur. ibidem,34.50.

F. Ioannes Baptiſta Ferrarienſis Clericus ſimplicitate ac puritate præcellit. Anno 1580.21. Ignem à Dæmone accenſum oratione extinguit. Ibidem cum pietate,extremum diem obit.ibid.22.

F. Ioannes Faſſatius Mediolanenſis ex Prædicatorum Ordine ad Capucinos migrat. Anno 1565.8. Regularis obſeruantiæ propugnator acerrimus. ibidem. Dum prædicat candida Columba illius capiti inſidet. ibid. Hoſpes meritorius vini potum illi denegans, dolia omnia vino vacua offendit. ibid. Ipſius oratione vinum ad dolia redit.ibid. Per horam ante obitum Fratribus ſermocinatur. ibid.9.

F. Ioannes Baptiſta ab Apiro, multis virtutum ornamentis illuſtris.Anno 1575.14. In morte B.Virginis præſentia fruitur.ibid. In extaſim raptus magna de Paradiſi gloria prædicat. ibid.

F. Ioannes Illiricus Concionator virtutibus elucet. Anno 1577. 8. Plurimarum virtutum laude commendatur.ibidem.Infauſto cuiuſdam Sacriſtæ exitu gulæ deditos exterrefacit.ibid. Monialium S. Mariæ in Hieruſalem Neapoli adminiſtrationem gerit. ibid. Eidem S.Ioannes Baptiſta diem obitus reuelat.ibid. In die S.Ioannis Baptiſtæ Natiuitate ſacro,piè diem ſupremum claudit.ibid.

F. Ioannes Baptiſta à Nurſia caſtitatis amantiſſimus. Anno 1549.38.Sponſam intactam deſerens ad Obſeruantium ordinem migrat. ibid. Cum Franciſco Æſino pro Obſeruantium Reformatione laborat. ibid. Ad Capucinos cum Æſino ſe confert, ac plurimis virtutibus floret. ibid. A locorum mutatione horrendo exemplo Fratres deterret.ibidem.39.Dæmonem ſub puellæ ſpecie ad Conuentum accedentem detegit.ibid.40. Viuens miracula edit.ibid. Graui vlcere laborantem ſigno crucis ſanat.ibidem. 41. Obitum ſuum Fratribus præſignificat, ibidem. Franciſcum Æſinum in morte glorioſum videt. ibidem.Peruſiæ ex humanis excedit.ibidem.A Chriſto gloria donatur.ibid. Ordinis deuoto glorioſus apparet. ibid.42. Poſt decimum ſepulturæ annum integrum ipſius corpus apparet.ibid.42.

F. Ioannes Baptiſta Florentinus vir præclarus, ac Prædicator illuſtris.Anno 1540.5.Carolum Droſium tyrannidis arguit.ibid. Ipſius minas contemnit. ibid. Inſignis ipſius in ſcelere arguendo conſtantia narratur.ibid.6. Ipſius verba à Chriſto miraculo com-

probantur. ibid. 7. Caroli necem, & arcis ruinam prænunciat. ibid. 7.

F. Ioannes Baptiſta Foſſanenſis præclara virtutum ſplendore in Religione emicat. Anno 1575. 29. Luciſſimum Ieſu nomen ſuper ipſius ægrotantis caput effulgere cernitur. ibid. Eiuſdem caput poſt tertium ſepulturæ annum incorruptum reperitur. ibidem.

F. Ioannes Baptiſta Aſculanus Clericus animi puritate inſignis. Anno 1572. 17. Beatiſſimam Dei Matrem in morte eum ad cœlum allicientem ſpectat. ibid.

F. Ioannes Baptiſta de Caſtro S. Petri Clericus vitæ ac virtutum ſplendore clarus. Anno 1571. 14. Dæmon in inſeſſa muliere illius gloriam in morte prædicat. ibid. Ipſius meritis inſeſſa à Dæmone liberatur. ibid.

F. Ioannes Baptiſta à Cherio Sacerdos ſanctimoniæ fama clarus hinc emigrat. Anno 1568. 41.

F. Ioannes Gallus abſtinentia clarus. Anno 1576. 33. Vitæ auſteritate præcellit. ibid. Peſtilentiam diuina reuelatione futuram prædicit. ibid. Peſtilentia Patauij occumbit. ibid. 33.

F. Ioannes Baptiſta Saonenſis omnium virtutum laude celebris. Anno 1575. 25. Ipſius oratione Annona Fratribus diuinitus adminiſtratur. ibid. Prolixo languore à Deo probatus ſancte in Domino obdormit. ibid. 26.

F. Ioannes de Via regularis Obſeruantiæ cuſtos integerrimus. Anno 1141. 27. Inter B. P. Franciſcum & S. Antonium cœlum conſcendit. ibid.

F. Ioannes à Terranoua Concionator inter primos Calabriæ Patres recenſetur. Anno 1573. 4. Præclaræ ipſius virtutes enarrantur. ibidem. Virginitatem perpetuò coluit. ibid. Catholicam fidem acerrimè propugnat. ibid. Prophetiæ dono clarus pleraque futura prædicit. ibid. 5. Pleriſque miraculis emicat. ibid. Galatri diem extremum cum ſanctimoniæ fama claudit. ibid. 6. Poſt mortem fratri oranti glorioſus apparet. ibid.

F. Ioannes à Leoniſſa concionator, & Minorum Conuentualium familia ad Capucinos tranſuolat. Anno 1565. 10. Mira virtute odia, ac diſcordia componit. ibid. Sacra celebrans inimicos ad concordiam pellit. ibid. 11. Ruſticum poſt Miſſarum ſolemnia ad pacem cum hoſte ineundam prouocat. ibidem. 12. Impœnitentem virum ad pœnitentiam compellit. ibidem. 13. Geminos populos Oratione ad concordiam adducit. ibid. 14. Pacem inire recuſanti necem certo loco futuram prænunciat. ibid. 15. Alteri concordiam reſpuenti repentinum interitum prædicit. ibid. 16. Aleatoribus futurum exitium præſignificat. ibid. 17. Fratri correptionem reiicienti futuram Apoſtaſiam prædicit. ibid.

F. Ioſephus à Colleamato à pueritia pietatis ſemina à Deo accipit. Anno 1557. 2. 3. Prius ad Obſeruantes, tum ad Capucinos accedit. ibid. 3. Ab Angelo iter faciens panem accipit. ibid. 4. Illius vitæ auſteritas commendatur. ibid. 5. Illum Dæmon ab oratione auocare conatur. ibidem. Mira in eo mentis humilitas elucet. ibid. 6. Orbis fidelitas paſſim à Fratribus nuncupatur. ibidem. Geminos panes in via ab Angelo accipit. ibidem. 8. Eo orante Panis è Cœlo Fratribus miniſtratur. ibid. 9. Operarium febricitantem verbo à febre liberat. ibid. 10. Partus incolumitatem à Deo mulieri parturiente impetrat. ibid. 11. Telam ſorori ſua oratione multiplicat. ibid. 12. Idem alteri mulieri præſtat. ibid. 13. Dolium vino vacuum ipſius merito plenum reperitur. ibid. Leproſum ſigno crucis ſanat. ibid. 14. Puerum è feneſtra delapſum ac capite colliſo moribundum ſigno crucis incolumem reddit. ibid. 15. Puellam claudam, ac gibboſam rectam ſuo contactu reddit. ibid. 16. Obitus ſui tempus longè ante prænunciat. ibid. 17. Magnus populorum ad illum venerandum concurſus. ibid. 18. Ipſius & aliorum Fratrum defunctorum corpora ſuauiſſimum odorem ſpirant. ibid. 19.

F. Ioſephus à Cocleone Laïcus, vita ac miraculis clarus. Anno 1580. 47. Admirabiles illius in virtutibus aſcenſiones deſcribuntur. ibid. Vitæ illius auſteritas eximia. ibidem. Plurimis animi virtutibus exornatur. ibid. 48. In oratione ſæpè mente excedit. ibid. Phialam à B. Virgine accipit, qua ab oculorum morbo curatur. ibid. Diuini amoris æſtu feruet. ibid. 47. Prophetiæ dono pleraque occulta prædicit. ibid. Ipſius oratione Hortus frugibus ac herbis deſtitutus, repentè his abundat. ibid. 48. Febricitans à B. Virgine curatur. ibid. In morte B. Virgo illi apparet, cœleſtia illi arcana patefacit. ibid. 49. Agrigenti ſupremum effundit halitum. ibid.

F. Ioſephi Fernenſis Concionatoris vita, & geſta exarantur. Anno 1556. 2. Obſeruantium Ordini adſcribitur. ibid. Palentiæ Theologiam prælegit. ibidem. Epiſtolam à F. Franciſco Canobienſi Capucino accipit. ibid. 3. Ea lecta cum aliis pleriſque commouetur. ibid. 4. Cum aliis quatuor fratribus ad Capucinos migrat. ibid. Verus Seraphicæ Regulæ cultor aſſeritur. ibid. 5. Virtutum omnium ſtudia proſequitur. ibid. Primus Orationis quadraginta Horarum inſtitutor fuit. ibid. Quadraginta Horarum oratione Mediolani ab eo inſtituta pax inter Cæſarianos & Gallos componitur. ibid. In pleriſque Italiæ vrbibus Quadraginta Horarum Orationem magno cum fructu inſtituit. ibid. 8. Ipſius conſilium de Oratione. 40. Horarum Aretij inſtituenda diuinitus confirmatur. ibid. 9. Aretium odiis, ac ſimultatibus dilaceratur, 40 horarum Oratione reſtituit. ibidem. Eugubium, 40. Horarum Oratione ab obſidione liberat. ibid 10. Quoſdam Clericorum Regularium ordines conſilio, ac viſitatione iuuat. ibid. 11. Generalis Capituli definitor eligitur. ibid. Senem Hoſpitem ſigno crucis ab ægritudine liberat. ibid. 12. Papiæ ardenter Dei Verbum diſſeminat. Anno 1537. 9. Quadraginta horarum ibi Orationem inſtituit. ibid. Primùm ibi Genuenſis Prouinciæ Conuentum ædificat. ibid. Simachæ Congregationis propoſitum Crucis ſigno à febre liberat. Anno 1556. 14. Germano fratri vinum ſuis precibus à Deo impetrat. ibid. 15. Pluribus aliis miraculis claruit. ibid. Mediolani Deo ſpiritum reddit. ibid. 16.

F. Ioſephus Drepanenſis oratione, & contemplatione inſignis. Anno 1575. 52.

F. Iulianus ab Ameſtrata Charitatis ardore inſignis. Anno 1576. 56. In extaſim toto populo ſpectante rapitur. ibid. Peſte laborantibus miniſtrans occumbit. ibid.

F. Iulianus à Deſio Laïcus, vita, ac miraculis clarus. Anno 1566. 36.

F. Iulianus Salodienſis Sacerdos Religionem bono ſanctimoniæ odore reſpergit. Anno 1551. 51. Pleraſque à Deo viſiones, ac reuelationes accipit. ibid.





Diem ſui obitus prænunciat, ac in Domino piè obdormit. ibidem.

F. Iulianus Camerenenſis Clericus ſuipſius contemptu inſignis celebratur. Anno 1568. 35. B. Virginis aſpectu in morte potitur. ibidem.

F. Iulius à Caſali Piſtorum virtutum odore religionem aſpergit. Anno 1575. 52. Poſt mortem ſuauem odorem efflat. ibidem. 52.

Iulius Feltrius, Cardinalis Vrbinas, Ordinis protector vitam cum morte commutat. Anno 1578. 35.

F. Iuniperus à Campo pluribus virtutibus inſignis celebratur. Anno 1537. 83. Arctiſſimi ſilentij cuſtos fuit. ibidem. Abſtinentia, ac vitæ auſteritate clarus. ibidem. In morte ferreo thorace contectus reperitur. ibidem.

F. Iuo Meſſanenſis Sacerdos admirabili vitæ auſteritate præſtat. Anno 1572. 25. Archangeli Michaëlis ſæpè colloquio potitur. ibidem. 26. Pro Melitæ liberatione orans ea illi ab Archangelo Michaële reuelatur. ibidem. Defuncti Patris ſalutem eidem S. Michael reuelat. ibidem. 27. Defuncti animam à Purgatorio ſuis precibus liberat. ibidem. 28. Mulieri ſterili à Deo prolem impetrat. ibidem. 29. Sui obitus diem à B. Michaele accipit, ac ſancto fine quieſcit. ibidem. 30. Ipſius corpus poſt mortem ſuauiſſimè olet. ibidem. Poſt vigeſimum annum ipſius corpus integrum reperitur. ibidem.

F. Iuſtinus à Panigaleo vir ſanctimonia inſignis. Anno 1547. 6. 7. Ex Obſeruantibus ad Capucinos migrat. ibidem. 7. Vitæ auſteritatem colit. ibidem. Pleráſque à Deo reuelationes accipit. ibidem. 8. Oranti Dominus apparet, ac futura quædam reuelat. ibidem. 9. In ſpiritu, quorundam Religioſorum in Choro canentium voces, quaſi canum latratus, ac blaſphemias audit. iibidem. 10. Futura orbis mala quæ euenêre, prænunciat. ibid. 11. Plurima erga infirmos charitate flagrat. ibid. 12. Peſte laborantibus miniſtrat. ibid. 13. Carnis tentationem à Dæmone excitatam ſuperat. ibid. Ei Chriſtus hoſpitium ſibi denegatum exprobrat. ibid. 14. Factum multis lachrymis deplorat. ibid. Paupertatis cultor ſeueriſſimus. ibid. 16. Futura Religionis tempora prænunciat. ibid. Conuentuum ædificatione nihil periculoſiùs eſſe affirmabat. ibid. Cur antiqua Capucinorum ædificia pauperrima, ab eo cauſa redditur. ibid. Beatorum Capucinorum ſupplicatio ad eum ægrotum pergit, ac diem obitus prædicit. ibid. 17. Piè in Domino obdormit. ibid. 18.

Iuuentutis ætas plena periculis aſſeritur. Anno 1539. 37.

## L

Laudi Pompeiæ Conuentus non abſque Dei conſilio exſtruitur. Anno 1565. 1. In ea vir nobilis agrum vendere recuſans à Deo caſtigatur. ibidem. Idem agrum donat, & erga ordinem beneuolus efficitur. ibidem. Filij eiuſdem in Patrem inſolentia à Deo punitur. ibidem.

F. Laurentius à Sarnano admirabili patientia inſignis. Anno 1569. 34. B. Virgo illi in morte apparet. ibid. Ipſius veſtes poſt mortem ſuauiſſimè olent. Ibidem.

F. Laurentius à Funiano Concionator virtutum laude celebris. Anno 1566. 14. Veri Paſtoris exemplum præclarum præbet. ibidem. Eximium illius caſtimoniæ exemplum refertur. ibidem. 15. Bononiæ ad Deum migrat. ibidem. 16. Poſt mortem pleráque edit miracula. ibidem.

Lectus apud Capucinos qualis eſſe debeat, lege ſtatutum. Anno. 1529. 62.

F. Leo Vennenſis Sacerdos Regularis obſeruantiæ virtutibus clarus. Anno 1555. 25.

F. Leo Genuenſis, ex Eremita Capucinus redditur Anno 1571. 21. A B. Virgine de Religionis ingreſſu bis inſtruitur. ibidem. Plurima in Religione virtutum luce emicat. 22. Admirabili abſtinentia præſtat. ibidem. 23. Sanctimonia clarus è viuios excedit. ibidem.

F. Leo Drepanenſis ſanctitate conſpicuus. Anno 1553. 11. Ab Angelo, ob diminutam pauperibus eleemoſynam corripitur. ibidem. 12. Ipſius cingulum poſt mortem Hidropiſi laborantem ſanat. ibidem. 11.

F. Leo Catanenſis Laicus ſanctimonia, & miraculis illuſtris. Anno 1580. 34. Multis in Religione virtutibus coruſcat. ibid. In oratione ſæpè mente excedit; at toto corpore in aëra attollitur. ibid. 35. Eo cum F. Andrea Catanenſi in Eccleſia orante, duo lumina ſuprà Eccleſiam conſpiciuntur. ibid. Ante altare Euchariſtiæ in aëra altiùs ſubleuatur. ibid. Dæmon ſtrepitum edit, vt eum ab oratione reuocet. ibid. 36. De Clerici ſalute à B. Virgine certitudinem accipit. ibid. 37. Sacerdotis animam in cœlum poſt mortem deferre videt. ibid. 38. Ægrotos ſigno Crucis curat. ibid. 39. Cum Dæmonum multitudine in morte contendit. ibid. 40. B. Virgo apparens Dæmonum turbam diſpergit. ibid. In Domino obdormit. ibid.

Leo decimus ex Medices familia plurimùm benignitate, ac liberalitate commendatur. anno 1528. 52.

Leo Pontifex huius nominis vndecimus, Mediceus, ante Pontificatum pacem inter Hiſpaniarum & Gallorum Reges componit. Anno 1528. 55. poſt 25. pontificatus dies ex humanis eripitur. ibid.

F. Leonardus Auguſtanus ex Patre Hæretico ortus, Anno 1548. 37. Capucinorum Religionis albo inſcribitur. ibid. ante obitum B. M. Virginis præſentia fruitur. ibid.

Lex Euangelica quàm hoc noſtra tempeſtate peſſumdata. Apparat. 40.

Libri ad pietatem excitantes in menſa apud Religioſos legendi. Anno 1529. 25. apud Capucinos in communi tantùm habendi. Anno. 1529. 42.

Literarum ſtudia honeſta aſſeruntur. Anno 1537. 87. Ex his, quæ naſcantur, commoda ex Tullio enumerantur. ibid.

Literæ apud Capucinos nec ſcribendæ, nec recipiendæ, abſque Superiorum licentia. Anno 1529. 44.

Lucaniæ Prouincia à cæteris diſtinguitur. Anno 1560. 5.

F. Lucæ Narini Sacerdotis vita & geſta narrantur. Anno 1555. 11. Dæmonum illi à Deo conſilia reuelantur. ibidem. Dæmonem fratris humero innixum fugat. ibidem. 12. Dæmonem ficus ex arbore fratri porrigentem cernit. ibidem. Dæmonum opera ex Eccleſiæ culmine dilabitur. ibid. 13. A Chriſto, qui crucem baiulans illi apparet, ſanatur. ibid. A Colicis doloribus B. P. Franciſci contactu ſanatur. ibid. 14. A ſubmerſione B. P. Franciſci ope liberatur. ibid. Vrceolos confractos ſigno crucis inſtaurat. ibid. 15. Mulierem paralyticam ſigno crucis curat. ibid. 16. Adoleſcentem moribundum aqua à ſe benedicta ad incolumitatem reuocat. ibid. 17. Clarus

Miraculis diem extremum claudit. ibidem.

F. Ludouicus, & Raphael Foroſempronjani Fratres in Minorum de Obſeruantia ordine conſcripti. Apparat. 53. poſteriores ad habitus formam, poſt Matthæum, accedunt. Ibidem. Reformationis propagationem abſque humano conſilio agitant. ibid. 53. 54. Quam vtérque ad reformationem ineptus exiſteret. ibid. A Capucinorum inſtitutione longè arceantur. ibidem. & 59.

F. Ludouicus Foroſempronianus Matthæi exemplo ad ſui reformationem excitatur. Anno 1526. 14. Ipſius natura, & mores deſcribuntur. ibidem. Reformationis ſtudioſus aſſeritur. ibidem. A miniſtro locum reformationi aptum ſæpè poſtulat. ibidem. Matthæo adiungi publice à miniſtro poſtulans, in carcerem truditur. ibidem. 14. 15. In carcere Deum Opt. Max. laudat. ibid. 16. A propoſito nec minis, nec pœnis deterretur. ibid. 17. Suauiùs à miniſtro excipitur. ibid. Prudenti ergo miniſtrum diſſimulatione vtitur. ibid. Cum Raphaele fratre reformationis conſilium communicat. ibid. 18. Ad Generalem miniſtrum, & protectorem pro reformatione obtinenda, literas exarat. ibid. 19. 20. 21. A neutro exauditur. ibid. 20. 21. 22.

Ludouicus Foroſempronianus, & Raphael terroribus concutiuntur. Anno 1526. 29. Terroris cauſa expenditur. ibid. Ad Matthæum de Baſſo accedunt. ibid. 30. A Matthæo iucundiſſimè excipiuntur. ibid. Aduentus cauſam explicant. ibid. 30. Coram Chriſti imagine habitum exuunt, ac rurſum indicunt. ibid. 32. 33. Ad Catharinam Camertium Duciſſam vnà cum Matthæo proficiſcuntur. ibid. 34. Romam ad Pontificem pergunt. ibid. 37. A Catharina Duciſſa commendatitias literas accipiunt. ibid.

Ludouici Foroſempronienſis factum grauiter expenditur. Anno 1526. 23. 24. 25. In ipſius vita, ac moribus nihil niſi vulgare, & commune. ibid. 23. Quid Deo ad reformationis opus adminiſtrauerit, expenditur. ibid. Cur illum Deus ad reformationis propagationem elegerit explicatur. ibid. Propriæ tantùm reformationi ſtudet. ibid. 24. Dei conſilium neſcius implet. ibid. 25. Ante factum doctos conſulit. ibid. 26. Supernæ lucis ſuffragium cum Raphaele poſtulat. ibid. Quadratum Caputium tunicæ aſſuit. ibid. 28. Cum Raphaele è Conuentu nocte egreſſus ad Matthæum proficiſcitur. ibid.

F. Ludouicus Foroſempronianus in agrum Cingulanum cum Fratre ſecedit. Anno 1526. 54. Illis à miniſtro inſidiæ parantur. ibid. 54. 55. Ab incola de miniſtri inſidiis fit certior. ibid. Raphaelis animum confirmat. ibid. Deo cauſam ſuam commendat. ibid. 56. Qua arte ſe à perſequentium technis eripuerit, explicatur. ibidem. 56. 57. 58. 59. Perſecutoribus pauorem incutit. ibidem. 59. Ad Camaldulenſes in Eremum cryptarum transfugit. ibidem. 60. A Paulo maiore benignè excipitur. ibidem. Cum Fratre auſterioris ibi vitæ cultum exercet. ibid. 62. Cauſam ſuam coram Legato Apoſtolico dicit. ibid. 69. Pro eo Paulus maior, ac monachi pugnant. ibidem. 68. Ab Apoſtolico legato liberatur. ibid. 70. Ægrotantibus monachis omni charitate miniſtrant. Anno 1526. 63. Iis à miniſtro inſidiæ parantur. ibid. 67. A lictoribus comprehenduntur, & ad legatum ducuntur. ibidem. 68. 69.

Ludouicus & Raphael poſt vincula triumphantes. Anno 1526. 73. A monachis cum lætitia excipiuntur. ibidem. Ad Eremum Paſcilupi Paulo conſulente migrant. ibidem. 74. Dei opem contra aduerſarios implorant. ibidem. 76. Militari actu aduerſarios fugant. ibidem. 76. Deo ex animo gratias agunt. ibidem. Ipſorum factam a calumnia liberatur. ibid. 77. Dei prouidentiæ adſcribitur ibid.

Ludouicus cum Raphaele Foroſempronium migrat. Anno 1527. 4. A conſanguineo quotidiana alimenta accipit. ibidem. 5. A Matthæo de Baſſo, & Paulo Clodienſe inuiſitur. ibid. ſimul diuinis laudibus incumbunt. ibid. Se, ſociósque noua arte à miniſtri perſecutione liberat. ibidem. 6. 7. Ipſius factum, an à Deo profectum ſit, expenditur. ibid. 8. Conſilium, ad miniſtri inſidias declinandas, excogitat, & cum aliis communicat. ibid. 11. 12. Exortas dubitationes ſoluit. ibidem. 13. Rom. cum Catharina Duciſſa confert, & ab ea auxilium expoſcit. ibid. 15. Cum cæteris apud Catharinam Duciſſam diuerſatur. ibid. 17. 18. Miniſtro coram Duce reſpondens, noui habitus cauſam reddit. Anno 1527. 31. Apoſtaſiæ crimen obiectum diluit. ibid. Simul cum aliis in Minorum Conuentualium tutelam recipitur. ibid. 34 35. Cum Raphaele Romam ad Põtificem proficiſcitur. Anno 1528. 2. A Catharina, & Camerinenſi Epiſcopo literas accipit. ibid. 1.

Ludouicus, & Raphael à Pontifice Bullam impetrant, qua reformatio propagetur. Anno 1528. 3. Eorum nulli fundatoris nomen attribuitur. ibid. 6. Fratres Minores, Heremiticam ſub P. Franciſco vitam ducentes in Bulla appellantur. ibidem. 7.

Ludouici conſilium de diplomate impetrando, num à Deo eſſet, expenditur. Anno 1526. 38. cum Papæ eleemoſynario colloquitur. Anno 1526. 39. Vrbis Romanę Eccleſias deuotè viſitat. ibid. Papę Eleemoſynarij conſilio acquieſcit. ibid. 41. Ioannem Petrum Caraffam adit, ac illius opem poſtulat. ibid. Pontificem adit, & diploma aſſequitur. ibid. 42. Ab apoſtaſiæ crimine, ſimul cum Matthæo vindicatur. ibid. 45. De reformatione propaganda nec dum hoc tempore cogitat. ibid. 45. Miniſtro diploma offert. ibid. 46. Poſt impetratum diploma in Picenum redit. Anno 1526. 45. Catharinæ Duciſſæ diploma oſtendit. ibidem. A Miniſtro grauiter obiurgatur. ibid. Matthæum à Baſſo, & Paulum Clodienſem congregationi aſſociat. Anno 1528. 27. fol. 103. Nouam Conuentus ædificationem recuſat. ibid. 27. Huius rei cauſa redditur. ibid. Primùm domicilium in Æde S. Chriſtophori eligit. ibid. 28. fol. 103. Inde Colmẽzonum migrat. ibid. Pleróſque ex Obſeruantium nuncupatorum ordine congregationi adiungit. ibid. 29. 30. fol. 104. Inter eos quinque enumerantur, virtute illuſtres. ibid. 29. Alterum Montemeloni Conuentum extruit. ibid. 30. fol. 104. Ædificia pauperrimè extruit. ibid. 31. Fratres ad pium Peſte ægrotantium miniſterium animat. ibid. 34. Iis nonnulla præcepta obſeruanda tradit. ibid. 35 36. 37. 38. 39.

F. Ludouicus Foroſemp. ex Matthæi renunciatione, religionem adminiſtrat. Anno 1529. 101. Romam quo conſilio proficiſcitur. ibid. 103 In Æde S. Mariæ Miraculorum primum domicilium collocat. ibid. Ædem. S. Mariæ Miraculorum victoriæ columnæ opera obtinet. ibid. Bernardinum Georgium, Ludouicum Rheginum ac duodecim alios congregationi aſſociat. ibid. 107. Cum Bernardino Georgio colloquitur. ibid. 106. Inter eum & Bernardinum





Georgium acta à publico tabellione excipiuntur. ibid. 107. Inter illos acta publica referuntur. ibid. Pontificem adit, & ab eo Commiſſarius Generalis Congregationis inſtituitur. ibid. 109. Siculam profectionem aggreditur. Anno 1533. 10. Meſſanæ fretum traiicere parans, bis ad littus reiicitur. ibidem. Romam ſumma cum feſtinatione reuocatur. ibid. 11. Miniſtri Generalis de Obſeruantia rationes aduerſus Capucinos obiectas retundit, ac diluit. ibid. 15. Conſectanea à Generali Miniſtro allata deſtruit. ibid. 16. Capucinorum Reformationem rectæ Heterogeneam conſtitutam eſſe demonſtrat. ibidem. A Generali Miniſtro de Obſeruant. in vincula coniicitur. ibid. 20. 21. A potẽti viro liberatur. ibid. 22.

Ludouicus Foroſempron. Religionem abſque Capitulis adminiſtrat. Anno 1565. 13. Eum Patres ad Capitulum celebrandum prouocant. ibidem. Comitia Generalia refugit. ibidem. Ipſius in iis refugiendis conſilium exploratur. ibid. 14. Quibus rationibus à nonnullis excuſaretur. ibid. 14. 15. Nihil ſincerum in animo geſtaſſe comprobatur. ibidem. 15. Ambitionis ſpiritu pulſatur. ibid. A Victoria Columna ad Comitia celebranda extimulatur. ibid. 17. Rationibus aduersùs Victoriam pugnat, ac tandem ſe cedere ſimulat. ibid. De Pontificis mandato Generale Capitulum conuocat. ibid. 18. Ante electionem à Generalatus officio ſe alienum ſimulat. ibidem. 19. Neque Definitor, neque Generalis eligitur. ibidem. 20. Præ furore ob id inſanus videtur. ibidem. Nulla Bernardino Generali reuerentiæ, aut obedientiæ ſigna præſtat. ibidem. 21. In Bernardinum Generalem verbis inuehitur. ibidem. Quid in Bernardini Electione lugeret, expenditur. ibid. 21. Superbum illius factũ narratur. ibid. 22. Ipſius caſum nemo mirari debet. ibid. 24. Ex eo quid poſteri addiſcere debeant, perpenditur. ibid. Nulla Generalis, ac Patrum humilitate placatur. ibidem. 25. A Capitularibus rebus ſeipſum ſubtrahit. ibidem. Ante Capituli celebrationem Fratres ad pietatem hortatur. Anno 1529. 4. Chriſtum, ac B. P. Franciſcum imitandum proponit. Ibidem. 4. & 5. Electionis neceſſitatem, & grauitatem ſumpto ex Regula themate commendat. ibid. 8. Bullam, & ſigillum coram omnibus deponit. ibid. 11. Cardinalem Tranenſem adit, ab eóque nouum Capitulum poſcit: Anno 1535. 28. Cum eo de Religione conqueritur. ibid. Qua ratione noua Comitia depoſcat. ibid. 29. 30. Schiſma in Reformatione excitat, & in quandã Ædem S. Thomæ dicatam cum nonnullis ſecedit. ibid. 31. Ab eo Schiſma excitatum ſcandala in Vrbe gignit. ibidem. 32. Ob ipſius ſeparationem plerique à Religione deiciſcunt. ibidem. 34. Dei Iudicio perterritus cum ſuis ad Religionem redit. ibidem. 35.

Ludouicus Foroſemp. poſt noua Comitia, ab honore pulſus immaniùs aduerſus Religionem fremit. Anno 1536. 3. Bernardinum Generalem non agnoſcit, aut veneratur. ibidem. In Religionem contumeliis debacchatur. ibid. 4. Chriſti, quidam Fratri tunc apparentis, graues in eum comminationes, referuntur. ibidem. 5. In Capitulo Religioni pernicioſa amplexanda proponit. ibid. 7. 8. Iterum vela dat indignationi ibid. 10. Religionis ſocius ac filius eſſe recuſat. ibidem. A Cardinale Tranenſi è Capitulo expellitur. ibid. Ab eo in Capitulo propoſita expenduntur. ibidem. 9. A Religione Patrum Decreto, à Pontifice confirmato expellitur. ibidem. 15. Ipſius caſum Capucinorum Religio luctu proſequuta eſt. ibid. 37. Quadratum Caputium exuere cogitur. Anno 1537. 14.

F. Ludouicus Rheginus, & Bernardinus Georgius in Obſeruantium Ordine Reformationi ſtudent. Anno. 1529. 105. Sub titulo Reformatorum SS. Apoſtolorum Conuentum Romæ habitant. ibid. Diplomate à Pontifice impetrato in Calabriam redeunt. Ibid. Tria Reformatorum loca ſibi ac ſuis incolenda eligunt. ibidem. Ad Capucinos migrare ſtatuunt. Anno 1532. 1. Generalem Miniſtrum de Obſeruantia adeunt, locaque ad Reformationem poſtulant. ibid. 2. Ad Meſſanenſem Congregationem conueniunt: ibid. A Generali Miniſtro Guardiani creantur. ibid. Iterum Reformationis poſtulationem apud Generalem Miniſtrum refricant. ibid. 4. A Reformationis ſpe deiecti, ad Ferrantem Nuceriæ Ducem confugiunt. ibid. Ab eo in tutelam accipiuntur. ibid. 8.

F. Ludouicus Rheginus Bernard. Georgius, ac duodecim alij, qui Capucinorum habitum induunt, Anno 1532. 10. Ludouicus à cæteris Prouincialis Vicarius eligitur. ibid. 11. Reliquos ad Ordinis ſocietatem recipit. ibid. Calabræ Reformationis Apoſtolus aſſeritur. ibid. Capucinorum Reformationis columen. ibid. Natalem Religionem ſua virtute ſuſtentat. ibid. Primum Panaliæ locum ædificat. ibidem. 12. S. Eliæ Ædem ab Abbate impetrat, & alterum ibi Monaſterium conſtruit. ibidem. 13. Pleróſque ad Ordinis conſortium recipit. ibid. 21.

F. Ludouicus Rheginus. Calabræ Reformationis Apoſtolus Anno 1537. 30. Quanta Regularis Obſeruantiæ diſciplinæ Reformationẽ in Calabria inſtituerit, indicatur. ibid. Per exteras quoque Regiones Reformationem diffundit. ibid. Remiſſionũ animi tempore in extaſim rapitur. ibid. 19. Quo argumẽto Ægrotorum curam Fratribus commendaret. ibid. Capucinorum Reformationẽ ab interitu vindicat. ibid. 30. A rerum prouiſione abhorret. ibid. 31 Panem è cælo ſuis precibus exorat. ibid. Pro ſuggeſtu ſæpe futura prænunciat. ibid. 32. Palmi direptionem pro Concione futuram prædicit. ibid. 33. Cladẽ in Rhegina Vrbe patrari illi à Deo inter concionandũ reuelatur. ibid. 34. Rhegij excidium, dum Seminariæ prædicat, diuina reuelatione accipit. ibid. 35. Sereno cælo futuram eo die pluuiam prænunciat. ibid. 36. Diabolum, ſub iuuenis ſpecie, populum à Dei verbo audiendo auocantem, detegit. ibid. 37. Nobili viro maſculinam, ac fœmininam prolẽ præſignificat. ibid. 38. Mulieri maſculam ſobolem prædicit. ibid. 39. Alteri mulieri Coniugis reditum, & filiorũ procreationem prædicit. ibid. 40. Mulieri necdũ fœtæ mortuum filium parituram prænunciat. ibidem. 41. F. Angelo à Calamnia futuram ante mortem tentationem, ac liberationem præſignificat. ibid. 42.

Ludouicus Rheginus ſæpe in Oratione in ſublime elatus conſpicitur. Anno 1537. 43. Pro puero ægrotante orans ſurſum corpore agitur. ibid 44. Inter pſallendum in aẽra effertur ibidem. 45. Globus igneus ſupra ipſius caput efferri conſpicitur. ibidem. Mulieri cœcutienti oculorum lumen reſtituit. ibidem. 46. Panem è cælo Operarijs ac Fratribus ſua oratione impetrat. ibidem. 47. Ipſius Baculus Tertiarium à Moloſſis liberat. ibidem. 48. Infantem à Matre in lecto oppreſſum ad vitã reuocat. ibidem. 49. Bernardino Georgio mortem multo ante præſignificat. ibid. 51. Obitum ſuum pleriſque

longè ante prædicit.ibid.52. Paralytico diem mortis prædicit.ibid. Pro concione obitum ſuum prænunciat. ibid.53. Sacramentis ſe ante obitum munit.ibid.55. Angelo à calumnia ſui corporis curam demandat.ibidem.56. Fratres obitum ſuum deflentes miris verbis conſolatur. ibidem.57.58. Fratribus lugentibus, quòd Reformationis columna caderet, quàm humiliter reſponderit. ibidem.58.59. Reformationis opus Dei ſoli adſcribit. ibidem. Reformationis propagationem in morte præmonſtrat.ibidem.60. Fratres ante obitum ad pietatem hortatur. ibidem.61. Extremum diem in Domino claudit.ibid.62. Ipſius anima in modum fulgentis ſtellæ Cælum penetrare à Tertiario conſpicitur. ibidem. Ferlitenſi Paralytico apparet Cælum conſcendens.ibidem.63. In ipſa obitus hora, Tertiario Obſeruantium moribundo apparet. ibidem.64. Fratres de Obſeruantia Quinque Frondium Ludouici animam, igneæ columnæ inſtar, Cælum conſcendentem intuétur.ibid. Poſt obitum miraculis emicat.ibid.65. Ipſius corpus magna populorum frequentia veneratur. ibidem. Caro illius poſt mortem tenera, atque artus flexibiles. ibidem. Suauiſſimum odorem efflat.ibidem. Ipſius corpus contingentes ſuauiſſimum odorem contrahunt. ibid.

Ludouicus Rheginus apud Pontificem calumniis impetitur. Anno 2532.23. Apoſtolicum Anathema à Generali Obſeruantium Miniſtro aduersùs eum impetratur.ibid. Subreptitium Anathema aſſeritur. ibid.24. Suis ab Anathemate, & à Generali Miniſtro cauet.ibid.25. Sacra facturus, nihil ſibi à perſequutoribus cauet.ibid.27. Ipſius in Deum Religio velut miraculo commendatur.ibid. In foueam labitur.ibidem.30. In fouea iacenti B.P.Franciſcus è Cælo apparet, eúmque verbis cæleſtibus conſolatur.ibidem. Coram Commiſſario ſui, ac ſuorum ab Ordine diſceſſionis cauſam reddit. ibid.35. Ordinis, circa Paupertatis votum, tranſgreſſiones enumerat.ibid. Commiſſarij reſponſionem diluit.ibid. 36. In molles, ac delicatos pannos inuehitur. ibid. 38. Quid agendum ſit, ad Bernardinum Georgium per literas ſignificat.Anno 1532.8. Ipſius Epiſtolæ tenor exaratur.ibid.

F. Ludouicus Rheginus Romam proficiſcitur. Anno 1532.51. Ducis Nuceriensis literas recuſat.ibidem. Ducis cubicularium fame languentem miraculo ſubuenit.ibidem.52. Sociis inter niues Hoſpitium prænunciat.ibidem.53. A Sene humaniſſimè cum ſociis hoſpitio excipitur. ibidem. Cum Sene diutius colloquitur.ibidem.54. Socio percontanti ſenem B.Petrum Apoſtolum fuiſſe ſignificat.ibidem. Ipſius Oratione vas oleo vacuum plenum reperitur.ibidem.55. Idem in vaſe multiplicatur. ibidem. Nobili cuidam adoleſcenti futura prænunciat. ibid.56. Conſilium de adeundo Pontifice, cum Foroſemproniano confert.Anno 1532.58. Pontificem adit, à quo benignè excipitur.ibidem. Suam coram Pontifice cauſam dicit.ibidem.59. Obiecta à Generali Miniſtro de Obſeruantia crimina diluit. ibid. 61.62.63.64. Regularis inobſeruantiæ vitia in Ordine pullulantia Pontifici aperit.ibid.66. A Pontifice commendatur.Anno 1532.67. Ad ſuos in Calabriam redit. ibid.68. A Generali Obſeruantium Miniſtro ad vnionem pellicitur. Anno 1536.31. Ad vnionem cum Obſeruantium Ordine propendit. ibidem. A Bernardino Generali literis deterretur. ibidem.

F. Ludouicus Rheginus Mottæ Philocaſtri Deo ſpiritum reddit. Anno 1537.15. Ipſius vita fusè exaratur. ibid.16.& ſeq. Præcipua Capucinorum Religionis columna aſſeritur. ibid.16. Ipſius progenies aperitur. ibidem.17. Ad literarum ſtudia procliuis.ibidem. A Paſcuis ad literarum ſtudia reuocatur.ibidem. Ludum literarium aperit.ibidem. Variis virtutibus in ſæculo emicat. ibidem.18. Bernardino Rhegino ſumma neceſſitudine coniungitur. ibid.19. Quis eorum amicitiæ fructus.ibidem. Cum eo ad Obſeruantium Ordinem migrat. ibid. Vitæ innocentiæ ſtudet. ibidem.20. Humilitatis cumprimis virtutem proſequitur. ibidem. In Oratione ad duodecimam vſque horam aliquando permanſit.ibidem. Pro Ægroto orans vſque ad ſextam horam pertingit.ibidem.21. Dæmonem Ægrotum tentantem profligat.ibidem. Vitæ auſteritate præſtat. ibidem.22. Brixiæ, ſub Licherò Magiſtro Theologiæ operam dat.ibid.23. Prædicator ardentiſſimè Dei Verbum diſſeminat. ibidem. Sæpè in Oratione mente excedit, & in ſublime fertur. ibidem.24. Futura diuino ſpiritu prædicit.ibidem. Futuram Patriæ liberationem prænunciat. ibidem. Futurum pueri periculum ſorori prædicit, ibidem.25. Panem ad Fratrum refectionem à Deo oratione impetrat. ibid.26. Reformationem cum Bernardino proſequitur.ibidem. Ad Capucinorum Reformationem concedit. ibidem. Ipſius in aduerſis conſtantia, & temperantia ſignificatur. ibidem.27. Eiuſdem vitæ apud Capucinos auſteritas, quanta. ibidem.29. Erga alios charitate effuſus. ibid.29.

Ludouicus Rheginus plerisque poſt mortem miraculis à Deo illuſtratur. Anno 1537.66. Paralyticus manus ipſius defuncti deoſculans, ſtatim à morbo ſanatur. ibidem.66. Claudus abſens illius merita implorans, curatur. ibidem.67. Ob illius miraculorum famam Rhegini ciues ipſius corpus rapere parant. ibidem.68. Conſilium mutantes ſanctum illius corpus venerantur. ibidem. Ipſi funera à Nicoterienſe Epiſcopo exſoluuntur. ibidem.69. Poſt triennium ipſius corpus integrum, ac ſolidum reperitur. ibidem.70. Membra quoque illius mollia, & tractabilia conſpiciuntur. ibidem. Suauiſſimum vt ab exordio odorem ſpirant. ibidem.71. Mulier ipſius digitum dentibus amputans, à Deo flagellatur. ibidem.73. Ipſius digito à muliere reſtituto Dei flagellum ceſſat. ibidem. Beati titulo à pleriſque ſcriptoribus donatur. ibid.80.

Ludouici Rhegini digitus bis Fratrem à mortis periculo, & à morbo liberat. Anno 1537.75.76. A dentium dolore alios liberat. ibid.77.78. Eius Caputium ſuauiſſimum odorem ſpirat.ibid. Nouitium ab inconſtantiæ ſpiritu ſeruat.ibid.

F. Ludouicus Fulginas plurima virtute clarus. Anno 1557.20. Ex Obſeruantium Ordine ad Capucinos tranſuolat. ibidem. Vitæ auſteritate ac plurimis virtutibus emicat. ibidem. Abſtinentia in eo potiſſimùm commendatur.ibidem. A ſenſibus ſæpè orans abſtrahitur. ibidem. Fulginij piè ad Dominum migrat. ibidem. Ipſius corpus poſt vigeſimum annum integrum reperitur. ibidem. 21.





F. Ludouicus à Stronconio Sacerdos virtutibus eximius.Anno 1562.34. Diu in Hoſpitali S.Iacobi incurabilium domo ægrotis piè miniſtrat. ibid. Eximia ipſius in ægrotis curandis charitas explicatur. ibid. Romæ diem extremum plurima ſanctimonię laude claudit.ibid.35.

F. Ludouicus Vrbinas virtute ac ſanctimonia clarus. Anno 1560.9. Dum terram fodit; theſaurum reperit, quem ſtatim deſpicit, ac humo operit.ibid.

F. Ludouicus Parmenſis virtutum laude præclarus. Anno 1574.10. Chriſtum in morte pro eo ſanguinem Patri offerentem cernit.ibid.

F. Ludouicus à Monte S. Sauini Oratione pleroſque ægrotos à morte liberat.Anno 1570 58. Profuſa illius in pauperes pietas diuino miraculo commendatur.ibid.19. Poſt multos ab obitu annos, manus qua eleemoſynas erogabat, reliqua carne exeſa, integra & incorrupta cernitur. ibid.

F. Ludouicus Agrigentinus Sacerdos Regularis diſciplinæ obſeruantiſſimus.Anno 1577.27. Sui obitus diem reuelatione acceptum prædicit. ibid.

F. Ludouicus Nettinus Sacerdos plurimis virtutibus emicat.Anno 1574.13.

Lunellus Generalis Obſeruantium Miniſter, nouam in Capucinos procellam excitat. Anno 1536.19. Capucinos ad Reformationis, quæ in Ordine excitanda erat, vnionem reuocare conatur.ibid.

Lunulæ, ſeu Mozzettæ, & Scapularis vſum, minimè à B. P. Franciſco effluxiſſe multis modis oſtenditur. Dem.3.6.& per tot. Oppoſita obiecta refelluntur. ibid.10.

Lutherus Saxo ex incubo Dæmone natus. Anno 1524.12. Hæreſum Auctorem ſe prodit.ibid. Germaniam mala Sectariorum ſobole replet.ibid.12.

M.

MAla cur Deus in Orbe graſſari ſinat. Anno 1524.1. Dei ſapientiam, & bonitatem, & omnipotentiam commendant. ibid. Ad impiorum pœnam ordinantur.ibidem. Bonis comparata ordinem in Vniuerſo aſſequuntur. ibidem. Ex Antitheſi bonorum venuſtatem augent.ibid. Eminentiùs vniuerſi pulchritudinem extollunt. ibid. Eorum permiſſio ad Dei gloriam tendit. ibid. Ex his bona facere, quàm mala nulla permittere, Deus meliùs iudicauit. ibid.1. Interdum Reipublicę conferunt, & qua ratione.Anno 1543.36. Poſt duodecimum ſæculum in Eccleſia graſſantia referuntur. Anno 1524.5. Suapte natura ſemper in peius proficiunt. Anno 1542.5. Inter ea nihil Hæreſi pernicioſius.ibid.

Maria Virgo humani generis apud Deum Patrona. Anno 1524.25. Filium humano generi ob peccata infenſum precibus placat. ibidem. Dominicum, & Franciſcum ad Orbis conuerſionem Filio offert. ibid. Capucinorum Reformationem è proprio pallio emergentem Filio oſtendit, & iratum placat. ibid.Anno 1524.26.

Maria Longa Capucinos Neapolim aduentantes Hoſpitio excipit. Anno 1538.13. In ſacra Æde Lauretana à diutino morbo diuinitus curatur. ibid.14. Facultates ſuas poſthæc in pias cauſas erogat. ibid.15. Hoſpitalem domum Incurabilium, & Monaſterium S. Mariæ in Hieruſalem fundat. ibidem. Eius prece, ac pietate permoti Capucini Monaſterij adminiſtrationem ſuſcipiunt.ibid 13.15. A Pontifice obtinet, vt Capucini in Monaſterij adminiſtratione Apoſtolico edicto confirmentur. ibid.16. Regulam S. Claræ arctioris obſeruantiæ profitetur. ibid.15.

Maria Longa piæ Incurabilium domus, & Monaſterij Sanctæ Mariæ in Hieruſalem Neapoli fundatrix. Anno 1542.54. Ægrotorum ſe obſequiis mancipat. ibidem. Mira ipſius in ægrotos charitas indicatur. ibidem. In Oratione plurima à Deo luce perfunditur. ibid.55. Ob ipſius merita Deus ægrotis miraculo prouidet. ibidem.56. Panem multiplicat. ibidem.57. Meretricem bis ſumma charitate curat. ibidem.58. Mariam Tertiariam ſua oratione apertè liberat. ibidem.59. Lupanaria petit, ac meretrices pretio promiſſo à peccato reuocat.ibidem.60. Orationem veſpertinam pro Defunctis inſtituit.ibidem. Ab Hoſpitalis domus adminiſtratione ſeipſam ſubtrahere cogitans à Domini voce prohibetur. ibid.61. Capucinos Neapolim aduentantes hoſpitio recipit.ibid.62. Dei monitu Monaſterium B. Mariæ in Hieruſalem fundat. ibid.63. Theatinos Patres recipit, ac illis domum aſſignat. ibidem. Cum duodecim virginibus ſolemne profeſſionis votum emittit.ibid. Apoſtolico Diplomate perpetua illius Monaſterij Abbatiſſa conſtituitur. ibid.64. Capucinorum Patrum ſuaſu primam S. Claræ Regulam cum cæteris profitetur. ibid. Capucinos Patres ad Monaſterij adminiſtrationem à Pontifice impetrat.ibid.

Maria Longa emiſſo Religionis voto iterum antiqua ægritudine corripitur. Anno 1542.66. Occultas Monialium cogitationes percipit.ibid. Dæmonem inobedientis ſororis humero inſidentem videt. ibidem. Pro ſorore moribunda orans B. P. Franciſcum & B. Antonium illi adſtantes cernit. ibid. 67. Puellæ ſua oratione in Religione ſtabilitatem à Deo impetrat. ibid.68. In exceſſum rapta cœleſtia intuetur.ibid.69. Abbatiſſæ onus deponit. ibidem. Sorores ad Regulæ obſeruantiam ac virtutes adhortatur.ibidem.70. Mariæ Aerbæ Termulanorum Duciſſæ obitum non longè futurum prædicit. ibid. Deum Neapolitanæ vrbi flagella minantem confeſſario aperit.ibid. Ante obitum profundæ humilitatis ſigna exhibet. ibid.71. Summa cum pietate Deo animam reddit.ibid. Illius pedes poſt obitum ſuauiſſimum odorem efflant. ibid.72. Mariæ Termulanorum Duciſſæ glorioſa apparet. ibid.73. Illi capilli & vngues poſt mortem excreſcunt. ibid.75. Poſt annum ipſius corpus integrum, ac ſuaueolens reperitur.ibidem. Brachium attollit, & Mariæ Termulanorum Duciſſæ defunctæ corpus amplexatur. ibid.76.

Mariæ Longæ corporis contactu ſoror apoſtemate laborans curatur.Anno 1542.77. Monialis vlcere reptili affecta illius capitis contactu ſanatur. ibid.78. Capitis illius contactus alteram ab occulta infirmitate liberat.ibid.

F. Marianus à Quintiano vir bonus, ac pius. Anno 1542.31. Ipſius erga pauperes inſignis pietas. ibid. A Bernardino Ochino Socius aſſumitur. ibid.32. Ab eo verbis circumuenitur. ibid. Ochini conſilium ex illius verbis percipit.ibid.36. Ochinum ab impio conſilio auocare nititur.ibid.37. Ochino malum dolum exprobrat.ibidem. In Ochinum acriter

inuehitur, & ab eo diſcedit. ibid. Ab Ochino chirographum ac Religionis ſigillum accipit, & ad Venetæ prouinciæ Vicarium defert.ibid.38.

F. Marianus Cyrneus, vir egregius deſcribitur. Anno 1540.3. Eximius diuini Verbi Prædicator. ibidem. In Corſicam inſulam à Bernardino Senenſi Generali mittitur.ibid. In ea inſula Dei Verbum magno fructu diſſeminat.ibid. Ferocem populum ab odiis ac ſimultatibus reuocat.ibid. Pleraque in ea inſula Monaſteria ædificat. ibid.4. Poſt obitum ex illius ſepulchro flos miræ pulchritudinis exoritur.ibid 4.

Marinus à S. Victoria Regularis obſeruantiæ diſciplina clarus.Anno 1576.34. Viuens miraculis emicat.ibid.Membris attractũ ſigno Crucis ſanat.ibid.

F. Marius à Foroſanſinio Vicarius Generalis eligitur. Anno 1567.1. Montis-acuti Conuentum fundat. ibid.11.

S.Martini Turonẽſis Epiſcopi illuſtre in morte exemplum imitandum proponitur.Anno 1529.73.

F. Martinus Belga vir ſanctus. Anno 1550.39. Multis miraculis illuſtris aſſeritur. ibid.

F. Martinus Rheginus Laïcus ſui obitus diem diuina reuelatione accipit.Anno 1571.24.Virtutibus lucet. ibid. Poſt mortem caro ipſius ad infantilem teneritudinem redit.ibid.

Martyrij Coronam, iis qui peſte laborantibus inſeruiunt,deberi demonſtratur.Anno 1528.45.

Mahometes Pſeudopropheta,ac illuſor aſſeritur.Anno 1551.14. In quo ſummam fœlicitatem repoſuerit, fusè explicatur.ibid.16.17.18.& ſeq Ipſius fœlicitas expungitur. ibid.28. Qua ratione magnus nuncupari poſſit. ibid.30. Magnus populorum ſeductor. ibid.Ipſius lex turpis.ibid.13.

Mahometanorum ſecta, in quo ſummam fœlicitatem collocet.Anno 1551.16.17.& ſeq.Eorum fœlicitas rationibus improbatur.ibid.17.18.19.& ſeq.Vitiorum omnium ſeminarium aſſeritur.ibid 14.

Manſuetudo,& humilitas in conuerſatione ſeruanda. Anno 1529.67.

F. Maſſeus Tridentinus Laïcus, virtutibus locuples. Anno 1561.4. Paupertatis amore flagrat.ibidem.5. Vitæ auſteritate præſtat. ibidem.4. Ægrotos ſigno Crucis curat.ibid.6. Diuino miraculo à ſubmerſione liberatur.ibid.7.

F. Maſſeus Genuenſis vitæ auſteritate ac virtutibus præcellit. Anno 1571.15. A Dæmone infeſtatus eidem ignauiam exprobrat.ibidem.Nouitiorum curæ præficitur.ibid.16. Nouitium à Dæmone ob inobedientiam penè ſuffocatum liberat.ibid.

F. Matthæus à Baſſio è Ruſticanis parentibus ortus. Anno 1552.22. A puero futuræ ſanctitatis præludia præmonſtrat. ibid.23. Pueros ad pietatem prouocat.ibid.24 Patriam à militũ deuaſtatione miraculosè liberat. ibid. Puer in platea peccatoribus pœnitentiam prædicat.ibid.25.Ob vitæ auſteritatis exceſſum adoleſcens in morbum incidit. ibid.26. Gallina ſyluestris inter ipſius manus incubat.ibid. Muſcas gallina circa Matthæum volitantes venatur. ibid. fol.469. Minorum Obſeruantium Ordinem ingreditur.ibid 27. Virtutibus ſtudet,& ad liberalia ſtudia promouetur.ibid.28. Apoſtolico Spiritu Dei Verbum prædicat.ibid. Peſte laborantibus Camerini miniſtrat.ibid.29.fol.469. Summa charitate neceſſaria ægrotantibus miniſtrat.ibid.30. Pro Ordinis reformatione Deum aſſiduè rogat.ibid.31. Diuinam voluntatem in oratione ſibi manifeſtari poſtulat. Anno 1524.57.A Deo exauditur.ibidem. Dei vocem audit dicentem. Matthæe hæc eſt voluntas mea, vt Regulam obſerues ad literam. ibid. Diuinæ vocis ſenſum plenè non aſſequitur.ibidem. 58. Quadratum Caputium tunicæ aſſuit.ibid. Romam verſus proficiſcitur.ibid.59. Ab Apoſtaſiæ illata calumnia vindicatur. ibid.59.

Matthæus à nebulonibus comprehenditur, ac ligatur. Anno 1525.1.Contumeliis afficitur.ibid. Patienter omnia tolerat.ibid. Inter cõtumelias Deum laudat. ibid.2. Franciſcum à Cartoceto inuiſit.ibid. Franciſci ſuaſu quadratum Caputium ad tempus deponit.ibid.5.Pleraque in itinere incommoda fert.ibid. 6.Romam appellit.ibid.Angelum ſub viri ſpecie ſe alloquentem cernit.ibid.7. In Eccleſia SS.Apoſtolorum integrum diem in Oratione inſumit. ibid.8. Ab Angelo inuiſibiliter ductus miraculo ad Pontificem penetrat.ibid.9. Pontificem alloquitur,& ab eo quadrati Caputij formam obtinet.ibid.9.10. In Eccleſia Apoſtolorum nocte orans febre corripitur.ibid.14. Diuinitus à diplomate Apoſtolico expectando deterretur.ibid. Ab vrbe diſcedens Picenum versùs proficiſcitur.ibid.16. Variis in itinere contumeliis afficitur.ibid.17. Sacras B.P.Franciſci memorias Aſſiſio colit.ibid.18. Antiquum ordinis ſigillum à Carbonario accipit.ibidem.19. Ad Franciſcum à Cartoceto reuertitur. ibid.20.21. In Oppidis Montis Feltrij Dei verbum diſſeminat. ibid. 24. Quis illius prædicationis modus, ac ratio eſſet indicatur.ibid.25. In Capitulo Matelicæ Miniſtro Prouinciali Min. Obſeruantium ſe præſentem exhibet.ibid.26.Ab eò in vincula coniicitur.ibid. Variis in carcere malis affligitur.ibid. Inter vincula Deum laudat. ibid.27. E carcere aufugere recuſat. ibid.28. Quid fugam illi ſuadenti reſponderit,aperitur.ibid.28.

Matthæus de Baſſo omni virtutum genere ornatiſſimus.Anno 1524.47. Regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimus. ibid. Abſtinentia,ac vitæ auſteritate præclarus. ibid. Paupertate & charitate inſignis. ibid. Peſte laborantibus omni ſtudio, ac diligentia miniſtrat.ibid. Veram B. P.Franciſci habitus formam ab Ordinis Sacerdote addiſcit. ibid.49. B. P. Franciſcum Capucinorum habitu indutum ſæpè in via intuetur. ibidem.50. Maxima erga veram B.P. Franciſci habitus formam cupiditate flagrat. ibid. 49.50.51. A Deo intus illuminatur.ibid.51. Quo pacto vera B. P. Franciſci habitus forma frui poſſit ſecum cogitat. ibidem. Inter varia conſilia fluctuat. ibid.52. Conſilium in Oratione à Domino poſcit.ibid.55. Chriſtum in mendici forma in via ſibi obuium habet. ibidem.56. Eidem ſubdititios quoſdam pannos largitur. ibid. Ad veram B.Franciſci habitus formam aſſequendam à Deo monetur. ibid.

Matthæus à Baſſo per Camerinenſem agrum Dei Verbum diſſeminat. Anno 1526.1. Quæ pro Concione frequentiùs agitaret. ibid. Peccatores non verborum eloquentia, ſed concitato animi ardore ad pœnitentiam compellit. ibid. Quo maximè homines à vitiis deterreret, explicatur. ibid.2. Vitæ illius auſteritas quanta. ibid.3. Fabas ad pauperum alimoniam ſeminat.ibidem.4. Hanc ipſius in pauperes pietatem Deus miraculo commendat. ibidem. Ipſius verba ſimplicia, & agreſtia, Fabarum miraculo Deo grata comprobantur. ibidem. 5.





Fabarum miraculo magnam ſibi apud homines auctoritatem comparat.ibid.6. Ionæ inſtar, Dei iram peccatoribus comminatur.Anno 1526.12. Grauem in ordine ad reformationem ſuo exemplo commotionem excitat. ibid.13. Huius exemplum Ludouicum Foroſempronianum ad Reformationem prouocat.ibid.14.Is atque alij vndecim Fratres vltrò peſte laborantibus Camerini inſeruiunt. Anno 1528.40.fol.107. Illorum ſtudium,& charitas erga languentes explicatur.ibid.41.42.43. A lue diuina virtute ſeruantur. ibid.43 45. Miniſtro reſpondet, ſuámq; atque aliorũ cauſam tuetur.Anno 1527.30.

F. Matthæus à Baſſo fornicationis ſpiritu tentatus nudus ſe inter vepres volutat. Anno 1552.53. Varia ipſius miracula referuntur.ibid 54. Dum paludoſa loca pertranſit, denſæ arundines ſponte ſe illius pedibus ſubſternunt.ibid.Altum gurgitem ſicco pede pertranſit.ibid. Pudum ſtrato ſub pedibus pallio traiicit.ibid.Venetias ſtrato ſuper vndas pallio Arimino adnauigat. ibidem. 55. In Mare demerſus nauigium Venetiis præcurrit. ibid.56. Venetiis tribunalia Iudicum percurrens Inferni comminatione deterret.ibid.57. Ab vrbe Senatus decreto dimittitur, ac Foſſam Clodiam deſtinatur. ibidem. Venetias ſtrato ſuper vndas pallio remeat. ibid. Ad Quiranthiæ Tribunal ſolita increpatione perſonat. ibid.58. De eo expellendo à Duce agitur. ibid. Sebaſtianus Venerius illius patrocinium ſuſcipiens,Ducem à ſententia reuocat.ibid.59. Venerij pro Matthæo prudens oratio exaratur. ibid. 59. Matthæi vita auſteritate plena.ibid.61. A Plebano S.Moyſis in domum recipitur.ibidem.62. Viliora domus loca ſibi ad habitationem eligit. ibid. Matrona epota aqua, quæ Matthæo ſuperfuerat, à dentium dolore liberatur. ibidem.63. Altera Matthæi vino lota vbera ſana recipit. ibid. 63. Iſchiaditico morbo laborans Matthæi aqua lotus ſanatur.ibid.64. Crucis ſigno confractum poplitem ſanat.ibid.65.Mulier diu ægrotans ab eo Crucis ſigno curatur.ibidem.66. Iuuenis eum verbis inſectans à Deo caſtigatur. ibid.67. Idem ipſius amplexu ſanatur.ibid. Poſt confeſſionem ægroto incolumitatem pollicetur.ibid.68. Dæmonem in Simiæ ſpecie Legiſperito inſeruientem detegit.ibid.69. Dæmonem è domo expellit.ibidem.Sanguinem è Legiſperiti mappa elicit.ibid.70. Maris aquam ſigno Crucis dulcem reddit.ibid.72. Super Solis radium madidum pallium extendit.ibid.73. Miræ domum à lue ſeruat.ibidem.74. Iudæis Chriſtum prædicat. ibidem.75. Iudæum ac illius familiam miraculo ad fidem Chriſti perducit. ibid.76. Venetiis in ſupremum morbum incidit.ibid.77.

F. Matthæus de Baſſo, & reliqui apud Catharinam Duciſſam diuerſantur.Anno 1527.19. Viliora Domus habitacula eligunt. ibid. Virtutibus plenam, vitam inſtituunt. ibid.20. Ipſorum abſtinentia, ac vitæ auſteritas deſcribuntur. ibid. Peſte laborantibus Camerini miniſtrant.ibid.

Matthæus à Baſſo Generalis Vicarius eligitur. Anno 1529.11.Electioni reluctatur.ibidem. Tandem Patrum precibus victus aſſentit.ibidem. Generalium Conſtitutionum compoſitioni cum aliis inſudat. ibid.12. Viſitationem inſtituit. Anno 1529.75.93. Fratrum non vitia, ſed virtutum exceſſus corrigit.ibidem.Ipſius ad Monaſteria acceſſus omnis ſuperbiæ expers deſcribitur.ibidem. Quis in eo excipiendo à Fratribus ritus obſeruaretur, explicatur. ibidem. Morum ſuauitate,ac pluribus aliis virtutibus emicat.ibidem. Quænam in viſitatione Fratribus obſeruanda,publico ſermone proponeret, exarantur.ibid.94. Paupertatem maximè commendat. ibid.95. Orationi aſſiduè incumbere monet. ibid. 97. Ad Euangelicam perfectionem, & Chriſti ac B.P.Franciſci imitationem filios prouocat.ibid.98. Generalatus officio ſe abdicat. ibidem. 100. Hæc ipſius abdicatio à Dei conſilio profecta certo argumento aſſeritur.ibid.102.

F. Matthæus à Baſſo, ex longa peregrinatione Romam redit. Anno 1537.10. A Capucinis læto animo excipitur.ibid. Inter varia pro quadrato Caputio conſilio fluctuat ibid.Quadrati Caputij acumen ſibi obtruncat.ibid.. Ad Obſeruantium obedientiam redit.ibid. Lunula, & Scapulario nunquam deinceps vſus.ibid. Dei Conſilium in hac Matthæi deliberatione expenditur.ibid.11. Quadrati Caputij formam ad Religionis Capucinorum duntaxat ortum excitat. ibid.12. Ad Reformationis nouæ inſtitutionem, aut propagationem à Deo nunquam vocatus. ibid. Ad Prædicationis munus Dei vocatione ſe propelli fatetur.ibid. Dei conſilium explicatur. ibid.12.13. Mauult animas Chriſto prædicatione lucrefacere, quàm caput quadrato Caputio obtegere.ibid. 10.

F. Matthæus à Baſſo quadratum Caputium, ob Pauli III.Pont.decretum deponit.Anno 1552.33. Pueros ad pietatem inſtruit.ibid. Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutor aſſeritur. ibid. Vini lagenam ſua oratione multiplicat.ibid.Turbas ad Deum laudandum prouocat.ibid.34.Vitæ ipſius auſteritas,& arcta Regulæ Obſeruantia commendantur.ibid.35. Poſt ſuum à Religione diſceſſum ſæpè ad Capucinos diuertit. ibid. A Paulo III. Pont. in Germaniam cum exercitu mittitur.ibidem.36. Cæſaris caſtra intrepidus præcedit, militéſque ad victoriam animat. ibid.37. Inter Bombardarum ictus manet incolumis. ibid. Ipſius habitus, eo incolumi, globulis perforatus cernitur.ibid.Blaſphemantem corripit,& ad pœnitentiam prouocat.ibid.38.Sancti Michaëlis in Gargano Eccleſiam viſitat, & Archangelum veneratur. ibid.39. Non ad Ordinis Reformationem, ſed ad veri duntaxat S. P. Franciſci habitus reſtitutionem à Deo electus aſſeritur.Anno 1525.15. Ad B.P.Franciſci ac Sociorum Caputia ſuum componit. ibid. 18.E carcere aufugere recuſat.ibidem.32.Tandem è carcere euolat.ibid.

Matthæus à Baſſio ex fœneratoris pane ſanguinem emulget.Anno 1552.40. Infantem adhuc lac ſugentem Capucinum futurum prædicit. ibid.41. Inſultanti futurum vita periculum ſignificat. ibidem.42. Ex fœneratoris veſte ſanguinem exprimit.ibidem. Rhetorem de occulto peccato redarguit. ibid.43. Vrbinatibus ciuibus futuram calamitatem annunciat.ibidem.Mortem iuueni poſt triduum prædicit. ibid.44.Puluerario concionatori obitum præſignificat.ibid.45.Iuuéculę petulanti poſt octauum diem mortem futuram nunciat. ibid.46. Copioſam viro ſterili prolem prænunciat.ibid.46. Ob liberas increpationes ſæpè contumeliis afficitur.ibid.47. Fuſtibus cæſus, & ex oppido eiectus percuſſoribus benedicit.ibidem. Alapa percuſſus,percuſſorem apud iudicem excuſat.ibidem.48. In gena percuſſus alteram percuſſori genam præbet. ibidem. [illegible]

inſectantes graui à Deo pœna puniuntur.ibid. Eccleſia Rectorem irreligionis redarguens, ab eo ad contumelias quæritur. ibid.49. Rector ab hoſtibus ipſo die interficitur, ac horrenda in ipſius morte accedunt.ibid. A ſanguinis fluxu liberari recuſans cauſam reddit.ibid.50. Fabas pauperibus fert, quæ à Deo multiplicantur. ibid. 51. Sacra Myſteria ad Altare offerens in aëra effertur.ibid.52.

F. Matthæus à Baſſo poſt ſuum à Capucinis diſceſſum qua habitus forma vſus fuerit, aperitur. Anno 1552. 78. Languens indigenti familiæ miraculosè ſubuenit. ibid. 79. Claudus aqua, qua is ſibi pedes lauit, ſanatur. ibid. Nullo præſente, Deo ſpiritum reddit. ibid.80. Ipſius anima ſub Columbæ ſpecie in Cœlum euolare conſpicitur. ibid. Pueri turmatim illius obitum Vrbi annunciant.ibid. Sancti Marci & S. Moyſis Campanæ, in ipſius obitu ab Angelis pulſantur. ibid. Odor ſuauiſſimus ex illius ore effunditur. ibid.82. Cœca mulier ad illius corporis contactum viſum recipit.ibid. Ob populi frequentiam funus illius intercipitur.ibidem.Ipſius corpus molle, flexibile, & odoriferum ſe offert.ibid. Senatus conſulto corpus aqua abluitur, vt odoris fragrantia expellatur.ibidem. Lotum corpus maiorem odoris ſuauitatem efflat.ibidem.Iis inter Plebanum & Obſeruantes de illius ſepultura agitatur. ibid. 83.84. Ipſius corpus Eccleſiæ S.Franciſci de vinea adiudicatur.ibid.84.Odor ſuauiſſimus ex Arca diffunditur, ac in Fratrum ſepulchro tumulatur.ibid. Obſeſſi à Dæmone ad illius ſepulchrum liberantur.ibid.85. Ipſius corpus in alium tumulum transfertur. ibid.86. Signum benedictionis dextra elata in Fratres edit.ibid. Ipſius Epitaphium tumulo inſculptum exaratur.ibid.

Matthæi à Baſſo proceſſus ad Beatificationem inſtituitur. Anno 1552.87. Miraculorum ipſius poſt obitum Catalogus deſcribitur. ibid. 88.89.90. & ſeq. Libellus de illius miraculis olim conſcriptus. ibid. 113. Eius memoria apud Scriptores illuſtris. ibid.114. Vera ipſius effigies indicatur.ibidem.116. Religionis Capucinorum putatiuus Pater fuit. ibid. 116. Ipſius vita à calumnia liberatur. ibidem 117.

Matthæus de Baſſo vir omnium virtutum laude clarus. Apparat.52. Antiquam habitus formam à B.P.Franciſco inſtitutam primus reſtituit. ibidem. Ad Ordinis Reformationem à Deo nunquam vocatus aſſeritur.ibidem. Capucinorum non Auctor, ſed antiqui habitus tantùm reſtitutor oſtenditur. ibidem.52. A Capucinorum fundatione expungitur.Apparat.58.Veram S.Franciſci habitus formam primus reſtituit. ibid. Ad Minorum de Obſeruantia Ordinem rediit.ibid.

F. Matthæus Leopolitanus Diuini Verbi Concionator, virtutibus præclarus. Anno 1531.9. Inter Minores de Obſeruantia ad Reformationem anhelat. ibidem.10. Patrum quorundam verbis ad futuram Ordinis Reformationem animatur. ibidem. Reformationis ſtudium cum aliis quatuor Fratribus communicat. ibidem.12. Diploma iis commune obtinet, ad vitam in Eremis agendam. ibidem 13. Conſilium mutat, & cum cæteris ad Ludouicum Foroſempronianum accedit, à quo ad Reformationis gremium recipitur.ibid. Inter Capucinos ſummis virtutibus emicat. ibidem. Rerum cœleſtium quantoperè contemplatione oblectatur.ibidem. In Dei verbo diſſeminando ardentiſſimus, homines ſuauiter ad pœnitentiam trahit. ibidem.14. Perſecutores fugiens quamplurima patitur. ibid.15. Auſteriſſimam vitam ducit. ibidem. Pro perſecutoribus Orationes fundit. ibidem. In ſupremum morbum incidit. ibidem. Altiſſimam pauperiem ſeruat. ibidem. S. Martini inſtar, ſupinus aſſiduè orat.ibidem.16. Nullo præſente ex hac vita migrat.ibid. In ipſius obitu campanæ ab Angelis pulſantur. ibid.17. Vir Dei manibus in Cœlum erectis, exanimis reperitur. ibidem. Camerinenſi Epiſcopo cum Clero, & Duciſſa confluentibus ipſius corpus in Eccleſia S. Franciſci Min. Conuentualium honorificè ſepelitur.ibid.Ioſiæ illi elogium decantatur.ibid.18.

F. Matthæus à Schio Concionator, vir illuſtris. Anno 1563.6.In Vicentinum agrum mittitur. ibidem. Schij Monaſterium pauperrimum conſtruit. ibid. Auſteriſſimam cum tota familia vitam ducit. ibidem. Ardentiſſimè Dei Verbum diſſeminat ibid.8. Eo cum familia orante, Deus è Cælo annonam miniſtrat.ibidem.7. Futuram cladem prænunciat. ibid.8.Zelo paupertatis flagrat.ibid.9. Illius exemplo maxima in eo Conuentu Regulæ obſeruantia viget.ibid.Piè in Domino obdormit.9.

F. Matthæus Rheginus vir memorabilis, ac pietate illuſtris. Anno 1555.6. Plurimis virtutibus, quæ enarrantur, coruſcat. ibidem. A Preſbyteratu, ob humilitatem, abſtinet.ibidem. Panem Operariis ac Fratribus à Deo miraculosè impetrat. ibidem.6. Signo crucis confractum ſanat. ibid.7. Pleroſque ægrotos ſigno tantùm Crucis adhibito, curat. ibidem.8. Ex ipſius corpore poſt mortem ſuauis odor diffunditur.ibid.

F. Matthæus à Leoniſſa, vir omnium virtutum laude clarus. Anno 1553.13. Piis ac honeſtis parentibus oritur. ibid. 14. A puero futuræ ſanctitatis ſigna præfert. ibidem.15. Ipſius adoleſcentiæ virtutes enarrantur.ibidem. Medicæ facultate ſtudet. ibid. 16. Ad Religionis ſtatum anhelat. ibidem. Parentum lachrymis ab ea reuocatur. ibidem. Tertij Ordinis B.P. Franciſci habitum induit. ibidem.16. 17. Rei Medicæ ſtudia cum oratione coniungit. ibidem.17. Panis ab eo Aegrotis pauperibus datus Pharmaci vim ſortitur. ibidem. Crucis ſigno grauiter ſauciatum curat. ibidem. Trabem ad Dominicæ Crucis memoriam humeris raptat. ibidem. Inter Capucinos adſcribitur. ibidem.17. Mirus illius animi feruor ad dura pro Chriſto ſubeunda. ibidem. 18. Humanam ſapientiam exuit. ibidem. Cœca in omnibus obedientia ducitur.ibidem.Nouitiatus diſciplinam integram vſque ad obitum ſeruat. ibidem. Summam vitæ auſteritatem colit. ibidem. 19. Admirabili abſtinentia nitet. ibidem. vſque ad decimum ſeptimum diem abſque cibo & potu peruenit.ibidem. Aſſiduè Orationi vacat. ibidem. Cibos cineris & aquæ immixtione inſipidos reddit. ibidem.20. Pium trabis raptandæ exercitium proſequitur.ibidem.21. Dum trabem raptat, cœleſtia lumina cum eo incedere conſpiciuntur. ibid. Occultas hominis cogitationes penetrat.ibid Dum ſacrum Myſterium peragit, in mẽtis exceſſum rapitur.ibid.22.Dei Verbum cunctis abſq; diſcrimine prædicat. ibid.23. Blaſphemantem à Dæmonum furore ſuis precibus liberat.ibid.24. Lites cõponit, & pacem inter inimicos conciliat.ibid.25.Arduum aliquod opus aggreſſurus pium trabis opus exercet. ibid.Pulmentum cinere conſpergit. ibid. Cœleſtia lumina eum trabem ferentem ſequuntur. ibid. 25.

F. Matthæus à Leoniſſa pleuritide laborantem crucis ſigno ſanat. Anno 1553. 26. in ſumma rerum neceſſitate victum fratribus è cœlo impetrat. ibidem. Germanum fratrem grauiter increpat, & ad meliorem frugem compellit. ibid.28. Ipſius germanus ad Capucinos tranſuolat. ibid. Os puellæ diſtortum manus contactu ſuo loco reſtituit.ibid.29.Futurum puellæ infortunium prænunciat. ibidem. Mulieri ſaluum partum prædicit.ibid. 30 Præuiſum infanti patibulum ſua oratione auertit.ibid. 31. Panis cruſtula in B. Virginis lampade intincta ægrotantem ſanat.ibid.32. Crucis ſigno Cœleſtinorum Prouincialem à morbo curat. ibidem. 33. Vinum mulieri hoſpiti ſua oratione impetrat, ac multiplicat. ibid. 34.Aquam in vinum ſua benedictione conuertit, atque eo ægrotantem ſanat.ibid.35.Mortuum Doctoris filium ad vitam reuocat.ibid. Mulieris viduæ filium à mortuis ſuſcitat.ibidem.36. Adoleſcenti ſua oratione vitam reſtituit. ibidem. 37. Moribundum poſt orationem incolumen reddit.ibid. Abſens illius opem efflagitans, à vitæ periculo liberatur.ibid.Per imbres cum ſocio abſque imbre incedit. ibid. 38. Oranti à Domino dies obitus reuelatur. ibid. Germanis valedicit, eóſque ad pietatem hortatur. ibid. 40. Aquilæ in morbum incidit, ac diutius eo laborat.ibid. Equo vti recuſat.ibid.41.Ad hoſpitalem vrbis domum ſe deferri poſtulat, vt ſummam paupertatem teſtetur. ibid. Horam ſui obitus prænunciat. ibid. 42. In ipſius obitu cœleſtia lumina apparent. ibid. Defunctus plurimis miraculis coruſcat. ibid. Glorioſus poſt obitum pleríſque apparet. ibid. 43. Candidum ex illius ore lilium in ſepulchro oritur. ibid.44. Illius effigies verbis delineatur. ibid.45.

F. Matthæus Auinionenſis Laicus ex Obſeruantibus ad Capucinos migrat. Anno 1564. 13.Magnis virtutibus fulget. ibid. 14. Hæreticum inſolentem facto terret. ibid.15. Ligna ad fratrum vſum, miraculo ad Conuentum pertrahit.ibid.16. Ipſius pro tuenda caſtitate illuſtre factum enarratur. ibid.17.

F. Matthias Salodienſis generalis capituli definitor. Anno 1576.1. Generalis Commiſſarius in Galliam mittitur.ibid. Cum Emmanuele Philiberto Sabaudiæ Regulo de Conuentu Camberij fundando agit. ibid.3. Dux illi plures Conuentus fundandos proponit. ibid. Maurianenſibus repugnantibus ab illius Conuentus fundatione abſtinet.ibidem. Camberij Monaſterium fundat.ibid.4. A Petro à S.Sixto literas accipit, quibus Capucinos Auenionem vocat.ibid.Hieronymum Mediolanenſem Auenionem deſtinat. ibidem. Lutetiam profectus nonnullos Conuentus fundat.ibidem.10.

F. Matthæus Venetus in morte cum B. Virgine colloquitur. Anno 1569.36.

Matronæ Romanæ de Capucinorum gloria reuelatio exaratur. Anno 1572.4.

Matronæ in Capucinos pietas miraculo commendatur. Anno 1575.56.

Medica familia quàm in orbe illuſtris. Anno 1528.52. Pleróſque ſummos Pontifices Eccleſiæ dedit. ibid.

Mens hominis cœleſtis. Anno 1532. 20. Dum ſenſus quieſcunt, in his immota manet, quibus ante quietem afficiebatur. ibidem.

S. Michael Archangelus, cur armis contectus apparuerit, myſterium declaratur. Anno 1537.115.

F. Michael Apruſtenſis virtutibus clarus, ſigno crucis complurimis ſanitatem reſtituit. Anno 1537. 82. Mottæ Philocaſtri magna populorum frequentia ad funus affluente, ex hac luce migrat.ibidem.

F. Michael à Neapoli Concionator virtute conſpicuus. Anno 7580. 50.Illuſtri viſione in morte potitur.ibidem.51. Inferorum ſupplicia narrat. ibid. 51. Purgatoriæ pœnæ acerbitatem recenſet.ibidem.52. Paradiſi gaudia quàm ingentia ſint, explicat. ibid. 53.

F. Michael Angelus Florentinus Concionator virtute præclarus. Anno 1572.46.

Michael Cæſenas contrà Narbonenſes Bullam à Ioanne 22.obtinet.Dem.8.2. ad Schiſmaticorum partes tranſit. ibidem. 4. A Ioanne 22. excommunicatur. ibidem.

Militiæ damna recenſentur. Anno 1551.21.Eidem fœlicitas nulla.ibid.Plures deiicit, quàm erigit.ibid.

Miniſter generalis Minorum cur ſit appellatus. Anno 1536.24. Subditis vitam, & ſpiritum miniſtrare debet.ibid.Vera ipſius officia exarantur. ibid.25. Quis à B.P.Franciſco verus agnoſcatur.ibid.

Minorum ordo, diuina luce, à pleríſque prænunciatur. Anno 1524.29 Per ſimplices, & idiotas fratres reformandus ſecundùm ſpiritum fundatoris prædicitur. ibid. 31. In altiſſima paupertate fundatur. ibid. Secundùm ſpiritum fundatoris in extrema Capucinorum congregatione reformatus oſtenditur. ibid. 31. 32. Religio quorſum à Deo inſtituta. Anno 1536. 9. Euangelicæ regulæ innixa. ibidem. Manuum labori ita incumbit, vt Euangelicam prædicationem non expellat. ibid. Plurimos Deo filios prædicatione generare debet. ibid. Studiis literarum ex ipſa Euangelica Regula incumbit. ibidem. Ordinis inſtitutio, quo tempore cœperit, declaratur. Dem.1.5.

Minorum religio cur tam ſæpè reformetur. Apparat. 28.32.41. Dei in ea reformanda admirabilis prouidentia.ibid.41. Quã immane in eam diaboli odium. ibid.42. Dæmonum aduersùs illam conſilium ibid. Eorumdem in eam conatus deſcribuntur. ibid. Ordinis excellentia ab altiſſima paupertate exorta. Apparat.35. Ipſius caſus vnde originem ducat apta ſimilitudine declaratur. ibid. 36.& 37. totam Euangelicæ perfectionis normam complectitur. Apparat. 37.Ordinis ſplendorem quænam obſcurent. D.Bonauenturæ verbis explicantur. Anno 1524.45.Ordo cur tam ſingulari religione Beatam Virginem proſequatur, cauſa redditur. Anno 1524.43.

Minorum paupertas quibus peſſumdetur. Anno 1532. 35. His perfectè regulam Obſeruantibus piorum eleemoſynæ deeſſe non poſſunt. ibid.37. Ad eòs poſt Apoſtolos illa Chriſti verba ſpectant. Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus ? aut quid bibemus ? ibid. Veſtitus ex regula vilis eſſe debet. ibid.38. Panni mollis ab eorum habitu diſſentanei. ibid. Eorum habitus vilitas vnde venanda. ibid. 40. Ex aſperitate, & auſteritate iudicanda pluribus demonſtratur.ibid. Eorum habitus honeſtas ex Euangelico à B.P. Franciſco deſumpta. ibid. Ordo ſæpè reuiuiſcit. Anno 1526. 78. Reformatione fit illuſtrior. ibid.

Minorum ordo quàm vtilis Eccleſiæ ſit, Pontificum teſtimonio ac aliis rationibus demonſtratur. Apparat.23. Huius in Eccleſia propaganda labores referuntur.

runtur. ibidem. 21. A Deo inſtitutus, aſſeritur, vt Eccleſiæ ruinas inſtauret. ibid. 22. A ſummis Pontificibus, ac aliis præclariſſimis laudibus effertur. ibid. 23. 24. 25. & 26. Perpetuus in Eccleſia futurus piè creditur. ibid. 27. Cur tam frequentes reformationes patiatur variæ cauſæ redduntur. ibidem. 28. & 32. Pro eo ſarcta tecto ſeruando quàm ſingularis Dei ſollicitudo. ibid. 28. Quàm ingentia ex eo in Eccleſia commoda fluant, enaratur. ibidem. 28. & 29 Huius lapſus ex altiſſima illius excellentia oritur. ibid. 32.

Minorum ordinis reformatio præclara ſub Patribus, qui de Obſeruantia nuncupãtur. Anno 1524. 7. Dum regulę Obſeruantiæ incumbit, Dei iram in homines excitatam extinguit. Anno 1524 23. Phœnicis inſtar reformationibus reuiuiſcit. Apparat. 44. ſub S Bernardino, B. Ioanne à Capiſtrano, & B. Iacobo Picenti refloreſcit. Anno 1524. 7.

Minorum ordo ex Chriſti promiſſione veris regulæ Obſeruatoribus nunquam carere debet. Anno 1524. 46. Regulari Obſeruantia in eo dilabente reformationes excitantur. ibidem. Reformationem petentes Ordinis perturbatores, ac nouatores habentur. ibidem. Eiuſdem generalem Miniſtrum Franciſcum Lichetum, quibus verbis venerabilis quidam Pater redarguerit. ibidem. 47. Illius reformationi, vt plurimùm, ſuperiores obſiſtunt. ibidem. 46.

Minorum vita eſt, Chriſti Domini crucem amplecti, & in ea gloriari. Anno 1529. 73.

Minoribus fratribus cur Deus poſſeſſiones omnes denegauerit. Anno 1544. 19.

Minores Conuentuales Reformati montis Politiani ad Capucinos migrant, Conuentúmque in eos transferunt. Anno. 1532. fol. 176. n. 71.

Minorem fratrem non habitus, ſed regulæ obſeruantia efficit. Dem. 4. 2.

Minores fratres à Deo dati vt Chriſti paupertatem referant. Anno 1553. 3.

Miſſa ex pura duntaxat charitate facienda. Anno 1529. 20. Pro ea eleemoſyna accipere, Capucinis qua ratione interdictum. ibidem. Grauiter ac deuotè celebranda. ibid. 80.

F. Modeſtus Foroliuienſis Clericus nouitius, cœlorum reginæ in morte aſpectu dignatus occumbit. Anno 1568 36. Poſt mortem miraculo fulget. ibid.

F. Modeſtus Placentinus Clericus ſplendidam crucem in morte cernit. Anno 1570. 20.

Monaſticus ordo à Patribus miris laudibus effertur. Apparat. 6. A Deo inſpiratus, & ab Apoſtolis inſtitutus à Conciliis aſſeritur. Apparat. n. 8.

Monaſticum clauſtrum verè Paradiſus quare à Patribus nuncupetur. Apparat. n. 6.

Monachi cuiuſdam de Minorum ordine & Capucinorum reformatione elogium. Anno 1526. 78.

Monachi cur cum Martyribus, & Angelis comparentur. Appar. 5.

Monachus nihil poſſidens pugil eſt inuictus. Anno 1532. 19.

Monachum non facit habitus, ſed virtus cum habitu coniuncta. Dem. 4. 2.

Monachorum pro fide propaganda labores commemorantur. Apparat. n. 11. & 12. Antiquorum abſtinentia quanta ea B. Hieronymo. Anno 1529. 73. exercitia à Patribus commendata. Apparat. n. 6.

Moniales duæ profeſſæ ſub virili habitu ad Capucinos ſe conferunt. Anno 1576. 35. In numerum Nouitiorum referuntur. ibidem. A Magiſtro deteguntur, ac ſuo Monaſterio reſtituuntur. ibidem. 36.

Moniales S. Mariæ in Hieruſalem vnde Capucinæ nuncupatæ Anno 1542. 64. Illarum vitæ auſteritas, ac regularis diſciplina commendatur. ibidem. 65.

Monialium curam ſuſcipere lege apud Capucinos interdictum. Anno 1529. 41.

Montis acuti Conuentus fundatur. Anno 1567. 11. Dei in huius Conuentus fundatione prouidentia miraculo remonſtratur. ibid. 12. In ipſius Eccleſiæ conſecratione ingens è cœlo ſplendor ſuper Eccleſia emicat. ibidem.

Mõtis acuti Comitum familia nobiliſſima, & antiqua. Anno 1567. 12. Illuſtre illius priuilegium à B. P. Franciſco latum, narratur. ibidem. 13. 14. Quotidiano ferè miraculo confirmatum. ibid.

Montiſcalerij Fratribus niue obſeſſis Deus è cœlo panem & vinum miniſtrat. Anno 1551. 55.

Mulier nobilis Saonenſis, ob nimium luxum damnatur. Anno 1560. 6. Damnationis ſuæ cauſas aperit. ibid. A dæmone arrepta ſolo alliditur. ibidem. 7.

Mulier dæmonem inclamans à dæmone raptatur. Anno 1563. 11. Dum pro ea à noſtris B. Virginis litaniæ recitantur. B. Virgine apparente, à Dæmone liberatur. ibidem.

Mortuorum funera proſequi Capucinis conſtitutione interdictum. Anno 1529 19.

Mulieres à Fratrum Conuentibus arcendæ. Anno 1529. 63.

Mundus leuis curſoris inſtar cum ſua concupiſcentia tranſit. Anno 1537. 121. Suis illecebris irretitos perdere feſtinat. ibidem. Alati iuuenis ſimulacro ſignificatur. ibid.

Munerum largitio inter Capucinos interdicta. Anno 1529. 43.

Murmuratores Fratres grauiſſimo poſt mortem ſupplicio à Deo plectuntur. Anno 1564. 19.

N

NEapolitana vrbs deſcribitur. Anno 1530. 15. In eius tophis ſuburbanis Capucinorum domus. Mariæ longæ opera ædificatur. ibidem. Conuentus S. Euphebio nuncupatur. ibid. Huius vrbis Conuentum à Ludouico Rhegino minimè extructum certo argumento comprobatur. ibidem. 16. Dauidis Romæi ſententia refellitur. ibidem. 16. 17. 18. Ludouico Foroſemproniano auctore ædificatus aſſeritur. ibidem. 18.

F. Nicolaus è Quinque frondibus omni virtutum genere ornatiſſimus. Anno 1570. 15. Aridum lignum ex obedientia rigans ad fructum prouocat. ibidem. Chriſti paſſiones meditans pleríſque viſionibus fruitur. ibidem. 16. Chriſtus ſub pueri ſpecie cum eo ex altari colloquitur. ibidem. 17.

F. Nicolaus ab Antionouo, virtute illuſtris. Anno 1569. 35.

F. Nicolaus Anconitanus Concionator vitæ auſteritate conſpicuus, Anno 1563. 5. Quæ ad rerum diuinarum contemplationem conferant, præclarè docet. ibidem. Dei verbum ſimplici ſermone prædicans, ingentes fructus colligit. ibidem. Ægrotos ſua benedictione curat. ibidem. In Conuentu Montis veteris ad Deum migrat. ibidem. 5.

Nomen Ieſu pleráque patrat miracula. Anno 1548. 41. Chartula conſcriptum, & collo appenſum febrim





aliáſque ægritudines curat. ibidem. Alterum à quartana febre liberat. ibid. 42. Capucinum fratrem ab Angina incolumem reddit. ibidem. 43.

Nouitatis ſtudium in rebus fidei quàm pernicioſum. Anno 1641. 16. Hæreſum omnium ſeminarium. ibid. A Patribus omnibus damnatum. ibidem. Eccleſia antiquum depoſitum proſcribit. ibid. 17.

Nouitius religione dimittendus, ante dimiſſionem à Deo mortem impetrat. Anno 1560. 4. B. Virginis in morte viſione potitur. ibidem.

Nouitius de Euchariſtiæ fide à Dæmone tentatus miraculo liberatur. Anno 1571. 9.

Nouitij Siculi à dæmone infeſtantur. Anno 1569. 3.

Nouitio ægrotanti lac diuinitus adminiſtratur. Anno 1540. 12.

Nouitij cuiuſdam obedientia à Deo miraculo illuſtratur. Anno 1566. 42.

Nouitius Vrbinas B. Virginem in morte ſibi adeſſe conſpiciens, piè quieſcit. Anno 1568. 35.

Nouitius è Corinalto pleróſque Sanctos ſibi in morte adſtantes cernit. Anno 1569. 33.

Nouitius in Conuentu Potentiæ aquam hauriens in exceſſum rapitur, atque in ſublime fertur. Anno 1550. 40. Alter ab ordine ob morbum dimiſſus in morte à Deo inter Capucinos adſcribitur. ibid. 41.

Nouitij quamplurimi à dæmone arrepti. Anno 1547. 2. Poſt emiſſa profeſſionis vota deteguntur. ibidem. Dæmonum vehemens in eos furor deſcribitur. ibid. 3. In his dæmonum conſilia, quæ fuerint, aperiuntur. ibidem. 4. Cuncti repentè, ac vno tempore à Deo liberantur. ibid. 5.

Nouitiorum ætas, probatio, educatio qualis eſſe debeat. Anno 1529. 45. 46. 47. 48.

Nouitij à religionis vocatione deſciſcentes infauſto fine tolluntur. Anno 1576. 57. Varia eius rei exempla afferuntur. ibid. 58. 59. & Anno 1577. 34.

Nugis, ac garrulitati vacans, graui poſt mortem à Deo pœna plectitur. Anno 1576. 64.

O

OBedientia ad regulæ Obſeruantiam ordinatur. Anno 1536. 22. Regulæ Obſeruantiam impedire non debet. ibid. 23. Satanæ artes, ac fraudes detegit. Anno 1544. 39. Quibuſnam à Fratribus debeatur Chriſti voce declaratur. ibid. 27. Cuiuſdam nouitij à Deo miraculo commendatur. Anno 1566. 42.

F. Obſeruantes duabus turmis Capucinos Panaliæ, & S. Eliæ Fratres inuadunt. Anno 1532. 26. S. Eliam petentes in contrariam viam diriguntur. ibid. In rectam viam reſtituti, eremum inuadunt. ibid. Neminem inuenientes, paratis ſibi à Capucinis fratribus, cibis veſcuntur. ibid. Ex his Petrus à Seminaria nouitius ad Capucinos migrat. ibid. Panaliam contendentes à via aberrant. ibid. Capucinos apud Põtificem pulſant. Anno 1532. 68. Vtrorúmque cauſa duobus Cardinalibus committitur. ibid. Bulla, ad vtroſque ſpectans, ab his Cardinalibus editur. ibid.

F. Obſeruantium Cingularia Conuentus familia, ferè tota, ſub vna nocte, ſimul cum Ioanne Faneſtri ad Capucinos migrat. Anno 1534. 7.

Ochini lapſus Dei erga religionem prouidentiam magis commendauit. Anno 1542. 30. Satanæ in eo conſilium à Deo deluſum. ibidem. Cur ab Annalium auctore fusè exaratus fuerit, cauſa redditur. Anno 154. 35. 36. & ſeq.

Odia quum primùm in animo ebulliunt, maturè extirpanda. Anno 1546. 7.

Odium dæmonis eſca ſuauiſſima aſſeritur. Anno 1559. 15. A ſatana ſub Æthiopiſſæ ſpecie in duorum Fratrum animis fouetur. ibid. Eo per reconciliationem mutuam ſublato, ſatan effugatur. ibid.

F. Onuphrius Bononienſis Laicus, virtutibus floret. Anno 1579. 14. Hidropicam mulierem ſigno crucis curat. ibid. Maceratæ diem extremum cum ſanctimonia claudit. ibid.

Oratio cunctarum virtutum parens. Anno 1529. 97. Abſque illa regularis Obſeruantia claudicat. ibid. Ad omnia quàm ſit neceſſaria S. Bernardi verbis, ſignificatur. ibid. Eiuſdem encomia à Ioanne Climaco decantata. ibid. Ad diaboli victoriam neceſſaria aſſeritur. Anno 1541. 11. Ipſius vis, ac neceſſitas ex Patribus oſtenditur. ibid. 12. Ceſſat benefacere, qui ceſſat orare. ibid. 13.

Opera bona Deo adſcribenda. Anno 1548. 19. Eatenus bona ac meritoria quatenus à Dei charitate procedunt. ibidem Non ſemper magna, quæ hominibus magna videntur. ibid. Quanti valeant, à Deo ponderanda, ac iudicanda. ibid. Ob charitatis incertitudinem ſemper incerta. ibidem. 20.

Oratio ad perfectam regulæ Obſeruantiam Minoribus neceſſaria. Anno 1539. 38 In ea dormitantibus diabolus tympanum pulſat. ibid. 41. Nihil ea acriùs dæmonem flagellat. ibid. Vitam piam, ac Dei cultu dignam conciliat. Anno 1532. 20.

Oratio quomodo totius religioſæ vitæ finis ac ſcopus ſit, declaratur. Anno 1549. 20. Quantoperè homini ad Deum diligendum neceſſaria. ibid. Ad Dei dona conſequenda neceſſaria aſſeritur. Anno 1548. 25.

Oratio, Retribuere dignare, &c. pluribus aureis ac argenteis nummis in lance præponderat. Anno 1554. 41.

Orationis mentalis tempora apud Capucinos ſtatuta. Anno 1529. 22.

Orationes, & ſacra munera cur plerúnque Deus reſpuat, & auertatur. Anno 1547. 10. A Clericis luxuriantibus oblata, magis Deo diſplicent, quàm mugitus boum, aut grunnitus porcorum. ibid.

Orbis ſtatus poſt decimum quintum ſæculum deplorandus à pleríſque deſcribitur. Anno 1524. 8.

Ordo Minorum quàm vtilis in Eccleſia fuerit, Pontificum teſtimoniis demonſtratur. Apparat. num. 23. Ipſius in Eccleſia propaganda labores enarrantur. ibid. n. 21. A Deo inſtitutus vt Eccleſiæ ruinas inſtauret. ibidem. n. 22. A ſummis Pontificibus, ac præclariſſimis viris commendatur. ibidem. n. 23 24. 25. & 26. Perpetuus in Eccleſia futurus piè creditur. ibidem. n. 27. Cur tot reformationibus ſubiectus fuerit, variæ cauſæ afferuntur. ibidem. n. 28. & 32. & ſequent.

Ordinis, de Obſeruantia nuncupati, Miniſtri aduerſùs Capucinos conſpirant. Anno 1530. 1. Supplicem libellum quærimoniis plenũ Pontifici offerunt. ibid.

Ordinis Minorum antiquum ſigillum S. Franciſcum refert, quadrato caputio ornatum. Anno 1525. 19. 20.

Ordines Religioſorũ quàm vtiles in Eccleſia fuerint. Apparat. n. 10. Ab his illuſtrior Dei cultus propagatus. ibid. Eccleſiam multipliciter illuſtrarunt. ibid. Sanctitate fœcundarunt. ibid.

Ordinis benefactori Deus vinum illuſtri miraculo in dolio multiplicat. Anno 1566. 43. Idem quoque al-

teri contingit.ibidem.44.45.

Ordinum Fundatores à Deo excitati. In apparat. n. 9. varij enarrantur. ibid. Eccleſiæ faces, & propugnacula. ibid. Eccleſiam illuſtriſſima prole fœcundarunt.ibid.

F. Otto à S. Germano vir præclarus. Anno 1571. 10. A Religione dilabitur, ac pluribus vitiis irretitur. ibidem. Ad Religionem redit, ac priorem labem maxima pœnitentia extergit. ibid. Noctatim luce clariùs emicat.ibid. A dæmone variis modis infeſtatur.ibid. 11. Ad bellum nauale pergens, ibi in Domino obdormit. ibid. 12. Illius gloria poſt mortem Fratri reuelatur. ibidem.

P

F. Pacificus Calaber Laicus, vir ſpectatæ ſanctimoniæ. Anno 1577. 17. Mulierem cingulo, quo præcinctus erat, à fluxu ſanguinis liberat. ibidem. Acidum vinum in generoſum conuertit. ibidem. 18. Ipſius Tunica poſt mortem nobili mulieri vim pariendi confert.ibid. 18.

F. Pacificus Faneſtris ex Tertiario ad Obſeruãtium ordinem ſe confert. Anno 1566. 4. Viſione perterritus ad Capucinos migrat. ibid. 5. Illius virtutes attinguntur. ibidem. B. Virgo eidem apparens, ab originali culpa ſe immunem fuiſſe reuelat. ibidem. 6.

F. Pacificus Luganenſis Concionator, omnium virtutum ſplendore illuſtris, Anno. 1568. 33. Admirabilis ipſius abſtinentia commendatur. ibidem. Regularis Obſeruantiæ propugnator acerrimus. ibidem. Eo orante flamma in Eccleſiæ tecto ardere cernitur. ibidem.

F. Pacificus à Spoleto Sacerdos inter illuſtres viros cenſendus. Anno 1580. 30. In morte Chriſtum Dominum, B. Virginem, & copioſa ſanctorum agmina videt, eum ad cœli gaudia vocantium. ibid.

F. Pacificus Materenſis ſanctimoniæ laude commendatur. Anno 1569. 54.

F. Pacificus à S. Geruaſio Commiſſarius generalis in Galliam deſtinatur. Anno 1575. 4. Huius commiſſionis myſterium expenditur. ibid. Cum ſociis multa in itinere patitur. ibid. 5. Catharinam Mediceam Reginam adit, ac Monaſterium Pariſiis impetrat. ibid. Hieronymum Mediolanenſem Lugdunum deſtinat.ibid. Plurima in Religione prudentia, ac virtute eminet.ibid. Diuini honoris zelo æſtuat.ibid. In eum contumelioſus repentina morte à Deo punitur. ibid. Catholicam veritatem miraculo confirmat, & Hæreticum ad fidem conuertit.ibidem. 13. Cum ſociis admirabilem vitæ auſteritatem colit. ibidem. 9. Pariſiis magna cum ſanctimoniæ fama Deo ſpiritum reddit.ibid. 11. 13.

Panis Fratribus à pio ordinis benefactore erogatus, eidem à Deo redditur. Anno 1578. 34. Pauperi denegatus ferreus euadit. Anno 1579. 29.

Pandulphi nouitij vita, & geſta deſcribuntur, Anno 1568. 37. Virginitatem perpetuam colit; Paſtoris vitam agens à nummis abhorret. ibid. Admirabilis illius inter Paſtores abſtinentia celebratur. ibid. 38. Pleræque ipſius inter Paſtores virtutes exarantur. ibid. In Capucinorum ordine Nouitius adſcribitur. ibid. 39. Nouitius in morbum incidit, & ante mortem in mentis exceſſum rapitur. ibidem. 40. Purgatorij, Inferni, ac Paradiſi viſio illi oſtenditur.ibid. Mira de Paradiſi gaudiis narrat.ibid. Piè in Domino obdormit. ibidem.

Panta Bulliona illuſtris fœmina in ordinem beneuola. Anno 1567. 16. Dum ſola capitulo annonam miniſtrare parat, triticum diuina virtute multiplicatum accipit.ibid.

Paſcilupi Eremus deſcribitur. Anno 1526. 74.

Paſtoris vita ſubditorum eſt diſciplina. Anno 1553. 5. Viſitatio quantam ouibus vtilitatem adferat. Anno 1559. 1.

Paulus Clodienſis Minorum Obſeruantium ordinem profeſſus. Anno 1526. 79. Apoſtolica auctoritate ex Ordine emergit, vt egenæ matri ſubueniat.ibi. Vitæ integritate, ac virtute cunctis prælucet.ibid. Angelici ſermonibus commonetur. ibid. Eidem ſeipſum aſſociat.ibid. Angelicum, apoſtatam agnoſcens, deſerit. ibid. 80. Romam proficiſci cogitat. ibid. 81. Matthæum de Baſſo in Piceno adit. ibidem. Ab eo quid illi agendum ſit, addiſcit. ibidem. Romam profectus Capucini habitus formam à Pontifice impetrat. ibid. Matthæo de Baſſo ſe ſocium adiungit. ibid. 81.

F. Paulus Clodienſis, inter primos reformationis Patres, virtute præclarus aſſeritur. Anno 1531. 1. Præclari ipſius à pueritia mores indicantur. ibid. 2. Generalis Vicarij officio apud Foſſæ Clodiæ Epiſcopos fungitur. ibid. 3. In ſacram D. Franciſci de Obſeruantia familiam conſcribitur. ibid. In eo Ordine virtutibus floret. ibid. Vt matri ſeni, atque egenæ ſubueniat, ad Clericalem ſtatum, Pontificis diplomate impetrato, redit. ibidem. 4. Inter Capucinos vitæ ſanctimonia emicat. ibidem. 5. Ipſius ieiunia, carnis macerationes, atque aliæ vitæ auſteritates referuntur.ibidem. Profunda eiuſdem humilitas, ac ſui contemptus expenditur. ibidem. Dei Verbum feruido ſpiritu inter populos diſſeminat. ibidem. Pennæ Biliorum piè in Domino obdormit.ibidem.

F. Paulus Salodienſis vir prudens hoſpitali Lazareti domui præficitur. Anno 1576. 16. Cum ſociis peſte laborantibus miniſtrat.ibidem. Ipſius virtus ac prudentia commendatur. ibid. 17. Falſi criminis apud S. Carolum accuſatur. ibid. Ipſius accuſator à Deo caſtigatur, & accuſationem retractat.ibid. Eius innocentia diuina virtute detegitur.ibid.

F. Paulus ab Arenario vir abſtinentia inſignis. Anno 1559. 12. Quid coruorum multitudo portendat, Deo reuelante, agnoſcit. ibid. 13. Hortulanum monet, & ad pœnitentiam prouocat.ibid.

F. Paulus Catanenſis Laicus ſanctitate illuſtris. Anno 1579. 16. Intimas hominum cogitationes diuina virtute penetrat.ibid. Orans in exceſſum rapitur, ac cœleſtia intuetur.ibid.

F. Paulus Ferrarienſis ſanctimonia fulget. Anno 1574. 9. Febrem à Sacerdote Obedientiæ præcepto fugat. ibidem. Ipſius pedes poſt mortem ſuauiſſimè olent. ibidem.

F. Paulus à Pedona Clericus in morte innumeras Beatorum Innocentium animas ſibi occurrentes conſpicit. Anno 1573. 7. Occulta quædam diuina virtute aperit. ibid. Beatiſſimam Virginem ſibi occurrentem videt.ibidem.

F. Paulus à Francauilla Sacerdos diuturno corporis languore premitur. Anno 1572. 41. In eo mirificè virtutibus proficit.ibid. A ſatana è gradibus deiicitur.ibid. Nonnulla miracula edit. ibid. 42.

F. Paulus ab Alcamo Nouitius puritate, ac vitæ innocentia inſignis. Anno 1577. 30. Dies & hora illi obitus reuelatur. ibid. In morte B. Virginem cernit, ac veneratur, atque eodem tempore è luce migrat.ibid.

F. Paulus à Nicoſia vir egregius peſte laborantibus miniſtrans ex humanis excedit. Anno 1576. 56.

F. Paulus Bercellenſis Sacerdos Nouitiorum curæ præficitur. Anno 1579. 13. Virtutum ſplendore emicat. ibidem. Signo crucis febrem à Nouitio fugat.ibid.

F. Paulinus Piſtorienſis Sacerdos plurimis virtutibus lucet. Anno 1568. 27. Nonnullis miraculis coruſcat. ibid.

F. Paulus Seſtinenſis Larini Conuentum ædificat. Anno 1535. 7. Prouinciæ S. Angeli fundamenta iacit. ibid.

Paulus III. Pont. Max. edicto cauet, ne Capucini Obſeruantes, & è conuerſo Obſeruantes Capucinos recipiant. Anno 1537. 1. Illum Bernardinus Aſtenſis Generalis, libello oblato, à propoſito reuocare tentat.ibid. Quibus id illi rationibus perſuadeat, aperitur. ibidem. Cùm Cardinalibus de Capucinorum Religione extinguenda agit. Anno 1543. 1. Cardinales ferè omnes in ipſius ſententiam propendunt. ibid. 2. Antonij Sanſeuerini Card. oratione ſententiam mutat. ibid. 8. Capucinos coram ſe conuocandos iubet. Anno 1543. 9. Durè illos primùm alloquitur, eum ſermonem lenit.ibidem. 12. Benignè cum Capucinis agit. ibid. Capucinis prædicationis officium ad tempus interdicit. ibid. 13. Iiſdem prædicationis munus poſt biennium reſtituit. Anno 1545. 27. Res humanas deſerit. Anno 1549. 43. In Dei iudicio laborat. ibid. 36. Poſt purgatorias pœnas à B. Virgine ſaluus aſſeritur.ibid.

Paulus 4. Pontifex rebus humanis valedicit. Anno 1559. 16.

Paulus Iuſtinianus Camaldulenſis, Congregationis Montis coronæ auctor. Anno 1526. 61. Nomine ac virtute celeberrimus.ibid. Ludouicum, & Raphaëlem hoſpitio recipit, ac conſolatur. ibid. Eoſdem contra aduerſarios tuetur. ibid. 68.

Paulus ab Arenaria vir abſtinentia celebris. Anno 1575. 37. Dæmones ſub coruorum ſpecie agnoſcit. ibid. Inobedientem fratrem ad pœnitentiam prouocat.ibid. & Anno 1559.

Paupertas ſpiritus in quo potiſſimùm conſiſtat, aperitur. Anno 1549. 27. Quàm Religioſo viro neceſſaria. ibid. Terrenarum omnium rerum amorem expellit.ibid. Perfecta à ſuipſius amore abhorret.ibid. 28. Perfectè ſeipſum relinquere, ac contemnere docet. ibid. Hoc ipſum argumento ab ipſo rei fundamento petito illuſtratur. ibid. 29. quàm Religioſo homini neceſſaria. Anno 1529. 96. Abſque illa Deo pura oratio offerri non poteſt. ibid.

Paupertas Minorum altiſſima. Anno 1548. 6. Deum ſui curatorem habet.ibid. Nihil præter Deum habet, aut quærit. ibidem. Nos in Dei poſſeſſionem transfert. ibidem. Quænam vera paupertas ſit, declaratur.ibid. 7. Quinam veri eius filij ſint, explicatur. ibid. Vera Capucinorum gloria aſſeritur. ibid. Ficta quænam ſit, & quibus ſignis dignoſcenda.ibid. 8. Ab ea ſummoperè cauendũ.ibid. Eam negligẽtes in sũma vitia prolabuntur.ibid. 9. Religionis fundamentum aſſeritur. ibid. Veram ſectantes veri B. P. Franciſci filij. ibidem. Fictam oſtentantes inter F. Eliæ filios reputantur.ibid. Quinam veri F. Minores Capucini cenſendi ſint, diſſeritur. ibidem. 4. 7. Quamcúnque egentium paupertatem antecellit.ibid. Chriſti paupertatem imitatur.ibidem. Ab omni rerum precioſarum, ac curioſarum vſu abſtinere debet. ibid. Superfluitatem, & curioſitatem in Eccleſiæ vaſis, & paramentis ex Clementis V. decreto expellit. ibid. 87. Ea S. P. Franciſci filij ab alienis diſcernuntur. ibidem. 95.

Paupertas Minorum rerum prouiſionem expellit. Anno 1549. 21. 22. Superflua eidem inimica. ibid. 22. In ædificiis quænam eſſe debeat.ibid. 24. A Pauperum ædificiis petenda.ibid. 24. 25. Illius præceptum omnium difficillimum. ibid. 25. Magnorum ædificiorum Minoribus vſum interdicit. ibid. 26.

Paupertatem in ædificando Cõuentu Nolanus horrendo fine tollitur. Anno 1565. 2.

Pauperes diuinæ prouidentiæ relicti. Anno 1526. 4. Iis benefacientes à Deo profusè remunerantur.ibid.

Peccata cur Deus in orbe fieri permittat. Anno 1524. 1. Ad impiorum pœnam ordinantur. ibidem. Cum bonis comparata ordinem in vniuerſo aſſequuntur. ibidem. Dei bonitatem, potentiam, & ſapientiam quomodo commendent. ibidem. Eminentiùs quo pacto vniuerſi pulchritudinem extollant, explicatur.ibidem. Ex Antitheſi bonorum ac virtutum venuſtatem augent.ibidem.

Peccatum veniale cum Euangelica perfectione pugnat. Anno 1548. 21. Ipſius cupiditas ab animo abſtergenda.ibid. Cœleſtis regni, donec expietur, ingreſſum prohibet.ibidem. Id minimè deuitantes ſæpè in lethale prolabuntur.ibidem. 22. Ab Euangelica perfectione animum remorantur. ibidem. 22.

Pecunia Minorum ordinis paupertati cum primis inimica. Anno 1524. 45. Incautè à Fratribus contrectatur. ibid.

Pedemontana Regio à Gallis occupata. Anno 1555. 26. Illius Metropolis Auguſta Taurinorũ. ibid. Gallia ſubalpina nuncupata. Anno 1540. 5.

Pericula fugere, quando viro Euangelico liceat. Anno 1526. 77.

Peſtis Camerinum inuadit, ibíque ſæuiſſimè graſſatur. Anno 1528. 33. Vrbis calamitas ob illius ſæuitiam deſcribitur. ibidem. Ea laborantibus Matthæus à Baſſo, atque alij vndecim Fratres vltrò omni ſtudio miniſtrant.ibidem. 34. 35. Ea ægrotantibus, qui ſeruiunt, quænam obſeruare debeant, explicatur. ibid. 35. 36. 37. 38. 39. De Alexandrina, & Senẽſi nonnulla.ibid. 44. Grauiſſima Mediolani. Anno 1576. 13. S. Carol. Borromei in ea pro vrbe ſollicitudo. ibid. Sæuiſſima Lutetiam Pariſiorũ inuadit. Anno 1580. 1. Ea ægrotantibus Capucini Fratres miniſtrant. ibidem. Nonnulli ex his piè in eo miniſterio occumbunt.ibid. Patauium, ac Patauinum agrum depopulatur. Anno 1555. 5. In ea Capucini Fratres Ægrotis miniſtrantes voluntaria pro Chriſto morte occumbunt.ibid.

F. Petrus à Mazara plurimis vitiis irretitus. Anno 1550. 29. Scortum, ac Riualem crudeliter trucidat. ibid. Puerum in fruſta concidit. ibid. Dum aluum expurgat, diuinitus illi arma eripiuntur. ibid. 30. Præterita ſcelera multis lachrymis deplorat.ibid. Acriùs ſeipſum antè Deum accuſat. ibid. 31. Diuinam clementiam ſibi propitiam inuocat. ibid. Ad Capucinorum gremium confugit.ibid. 32. Maxima humilitatis ſigna exhibet. ibid. Inter pſallendum in exceſſum rapitur, & in aëra effertur.ibid. 33. Nouitiorum Magiſter creatus, varios pœnitentiæ actus exercet. ibid. 34. Superbæ cogitationis motum ſeuera caſtigatione proſequitur. ibidem. 35. Martyrij cupiditate

flagrans in Aphricam proficiſcitur. ibidem. 36. A Chriſto ſui obitus horam addiſcit. ibid. Extremam diem claudit,& in Conuentu Caſtri-veterani ſepelitur.ibid. Ipſius corpus poſt annum integrum reperitur.ibid.

F. Petrus à Martina, meritis ac virtutibus clarus. Anno 1559 3. Vulneratus ex vulnere animi ad Deum conuerſionem colligit.ibidem. Ad Obſeruantium Ordinem ſe confert. ibidem. Hinc ad Capucinos tranſmigrat.ibidem. Nouitiorum Magiſter inſtituitur. ibidem. A Dæmone multis modis infeſtatur. ibidem. Nouitius illi à Dæmone ſubripitur.ibidem. Dum ſacra celebrat à Dæmone interturbatur. ibidem 4. A Dæmone verberibus læditur. ibidem.5. Dæmonem à muliere expellit.ibidem. Orans candida nube ſeptus cernitur.ibidem.6. Occulta Dei ſpiritu agnoſcit. ibid.7. Quoſdam à mutua cæde reuocat. ibidem. Fratribus in ſumma neceſſitate annonam à Deo impetrat. ibid.8. Orans ſpectante populo in aëra effertur.ibidem.9. Serpentem miræ magnitudinis ſigno crucis domat, & alligat. ibidem. Pleriſque diem ſui obitus prædicit.ibidem. Ad mortem ægrotat.ibidem. Ipſius Nouitij ob alterius ſermonem diſceſſum à Religione cogitant. ibidem. Nouitios in Religionis vocatione confirmat. ibidem. Sanctè diem extremum obit. ibidem.

F. Petrus Enneus Laïcus plurimis virtutibus floret. Anno 1578.21. Glorioſus poſt mortem Sacerdoti apparet.ibid.

F. Petrus de Quarteriis Sacerdos, Regularis diſciplinæ propugnator acerrimus.Anno 1580.44. Ipſius charitas erga pauperes miraculo commendatur. ibidem. Diem obitus prænunciat.ibid.

F. Petrus Vrbinas Clericus graui ante mortem Dæmonis tentatione percellitur. Anno 1572. 16. B. Virgo illi apparens Dæmones tentatores fugat. ibidem. A B.P.Franciſco ad cæleſtes delitias vocatur.ibid.

F. Petrus Clodienſis Laïcus ſexagenarius Religionem ingreditur. Anno 1555.25. Virtutibus clarus in Domino quieſcit.ibid.

F. Petrus à Meſſapia ſanctimonia illuſtris.Anno 1576. 44.Poſt mortem corpus ipſius,Loculus,Cella,ſuaui odore flagrant.ibid.

F. Petrus à Seminaria magnis virtutibus nitet. Anno 1576.47. Pleroſque ægrotos ſigno Crucis ſanat. ibid.48. Mortæ extremum diem cum pietate obit. ibid.48.

F. Petrus Nitienſis præclaris virtutibus fulget. Anno 1560.16.

F. Petrus Paludanus, ob inania aliorum verba, pœnas in Purgatorio luit.Anno 1579.24.

F. Petrus Ponceueranus Laïcus Regulari obſeruantia clarus. Anno 15 2.18. B.P.Franciſci in morte præſentia potitur.ibid.

F. Petrus à Ciuitate Ducali, multarum virtutum ſplendore illuſtris. Anno 1566.17. Illius virtutes quàm plurimæ inſinuantur. ibidem. A Deo multis corporis afflictionibus probatur.ibidem.18. Eiuſdem inter grauia corporis incommoda auſteritas. ibidem.

F. Petrus Tudertinus virtutibus emicat. Anno 1540. 13.14. Ex Minorum Obſeruantium Ordine ad Capucinos migrat. ibidem. Vir grauis, ac conſilij, optimúſque ab omnibus habetur. ibid. Carnes, & lautiores cibos qua ratione recuſaret. ibid. Erga Domini Paſſionem ſtudioſiſſimè afficitur. ibidem. Condemnatorum cadauera ſepelit. ibid. 15. Obitum ſuum Fratribus prædicit. ibidem.16. Nepoti poſt mortem glorioſus apparet, & illi mortem prænunciat.ibidem 17. Ipſius corpus poſt quartum ſepulturæ annum ſuauiſſimum odorem ſpirat. ibid.

Petrus à S. Sixto vir pius Capucinos Auenionem aduocat. Anno 1576.4.

F. Petrus Apuenſis, & alter à fero homine cæduntur. Anno 1534. 28. Pro eo genuflexi Dominum rogant.ibid.

F. Philippus à Monte-veteri Laïcus mira in pauperes charitate afficitur. Anno 1575.15. Perpetuam virginitatem colit. ibid. Multa à Dæmone patitur. ibid.16. Fratribus in ſumma neceſſitate, à Deo annonam impetrat.ibid. Ante obitum B.Virginis colloquio potitur. ibid. Ipſius corpus poſt 15.annum incorruptum cernitur. ibid.18.

Pius V. Pontifex Maximus creatur. Anno 1566.1. Huius Pontificis virtutes attinguntur.ibid. in Capucinorum Ordinem beneuolus. Anno 1568.1. Hieronymum Piſtorienſem ſibi Theologum eligit. ibid 2. Religionem falſo rumore perturbatam in priſtinam tranquillitatem reſtituit.ibidem.1. Chriſtianos Principes ad ſacrum fœdus conuocat. Anno 1570.2. Hieronymum Piſtorienſem in Candiam deſtinat.ibidem. Humana deſerit Anno 1572.1. Ex humanis migrat. Anno 1565.47.

Pius IV. Pontifex Maximus creatur. Anno 1560. 1. Tertia Bulla Min. Capucinorum Ordinem comprobat ac priuilegia confirmat. ibid.2. Bulla integra exaratur.ibid 2. Pontificatum auſpicatur. Anno 1528.54. Sanctum Carolum Borromæum ad Cardinalium numerum aſſumit. ibidem. Concilium Tridentinum abſoluit.ibid.

Pontifex Clemens VII. Bononiam profectus Carolum V.Imperatorem coronat. Anno 1530.7.

Potentiæ Fratribus Scropha ſylueſtris, diuina prouidentia, obſonium miniſtrat. Anno 155 56.

Prædicationi Apoſtolicæ Deus os, & Sapientiam pollicetur.Anno 1526.2.

Prælatio de genere bonorum aſſeritur. Anno 1551.8. Non appetenda, aut quærenda.ibidem. Quando ex obedientia imponitur non pertinaciter recuſanda. ibid. Ex obedientia impoſita ſpiritualem profectum non impedit.ibid. Quo pacto adminiſtranda. ibid. In ea quid fugiendum.ibid. Illius vitia ſuggillantur.ibid.

Procurator generalis Ordinis inter Capituli generalis electores Decreto refertur. Anno 1567.2. Decretum à Pontifice viuæ vocis oraculo confirmatur. ibid.3. Qua poteſtate in Ordine fruatur, indicatur. ibid.4.

Procuratores apud Capucinos Conſtitutione expunguntur. Anno 1529.50.

Propinquorum amor quam Religioſo homini perniciosus ſit, exemplo formidabili oſtenditur. Anno 1557.24. Quàm viris Eccleſiaſticis noceat, explicatur. Anno 1537.121.

Proprietarius Frater à Deo in morte damnatur. Anno 1570.7. Ipſius corpus poſt obitum fœtentiſſimum. ibid. ipſius Cella ob fœtorem nulli diu habitabilis. ibid.

Proprietatis ſcelus, qua pœna in Inferno puniatur,





exemplo declaratur. Anno 1579.28.

F. Proſper à S.Angelo ex Obſeruantium Ordine, caſu quodam perterritus, ad Capucinos migrat. Anno 1573.8. Inter homines virtute illuſtres collocatur. ibid.9. A Dæmone infeſtationes ſuſtinet. ibidem. Piè in Domino obdormit.ibid.

Prouidentiæ diuinæ nonnulla miracula enarrantur. Anno 1570.4. Fratres panes pauperibus diſtribuentes totidem à Deo recipiunt.ibidem. Singulare in ægrotum Fratrem illius teſtimonium oſtenditur. ibid. 5. Fratribus niue obſeſſis diuino ipſius miraculo annona miniſtratur.ibid.6. Erga Fratres, illuſtre miraculum in Conuentu Montiſcalerij exaratur. Anno 1578.30. Alterum in Conuentu Bettonæ. ibid.31. In Fratres teſtimonium, in Bugellæ Conuentu elucet. Anno 1552.118.

Prouidentiæ diuinæ theſaurus Potentiæ Fratribus miraculo aperitur. Anno 1556.20. Eadem in geminos Fratres cæleſti Hoſpitio exceptos elucet. ibid. 22. Præclarum erga Fratres argumentum oſtenditur. Anno 1554 46. Miraculum erga Fratres niue obſeſſos enitet. Anno 1553.27. Erga Fratres miraculum narratur. Anno 1558.5.

Prouinciarum, ac locorum vnio, ac diſtractio Apoſtolica auctoritate in Ordine ſuffulta. Anno 1567. 7. 8.

Prouiſio rerum etiam neceſſariarum à Minoribus fugienda. Anno 1529.31.

Pſalmodia vociferationis, ſeu Iubilationis Hoſtia ab Hilario aſſeritur. Anno 1569.11. Dei ad Hominem & Hominis ad Deum dulcis, læta, & iucunda alloquutio ex Laurentio Iuſtiniano.ibid.11.

Puer moribundus erogata Capucinis eleemoſyna conualeſcit. Anno 1575.54.

Purgatoria pœna non optanda. Anno 1548. 21. Ea Sanctorum merita non intercipiuntur. ibidem.36. Nec veneratio, quæ Sanctorum corporibus debetur, ea tollitur.ibidem. Animæ iis obnoxiæ pro viuis intercedunt. ibid. Sanctorum animæ iis detentæ interdum apud viuos miraculis emicant. ibidem 36.

Q.

QVadraginta Horarum Oratio à Ioſepho Fernenſi primùm inſtituta. Anno 1556 5. Chriſti Domini ſepulturam refert.ibid.6. Qua ratione, ac conſilio à Ioſepho inſtituta fuerit, exponitur.ibid. Illius quanta vis & efficacia. ibid. Concionatorum ſermonibus celebranda.ibid. Eius ſermones quo pacto, ac ratione inſtituendi.ibid.6.7. Ipſius inſtitutio diuinitus confirmatur.ibid.9. Cur illam Capucinorum Ordo ſingulari Religione proſequatur, cauſa aperitur.ibid.7. Pleræque vrbes, & loca earum celebratione grauiſſimis calamitatibus liberantur. ibidem.6.9 10.

R.

RAphaël Ludouici Foroſemproniani Germanus Frater Laïcus. Anno 1526.18. Reformationi cum Ludouico Fratre ſtudet. ibid.

Reformatio, intra Ordinis gremium, nulla vnquam ſtabilis, ac diuturna. Anno 1531.41. Variis id argumentis oſtenditur. ibid. 41.42. & ſeq. Pleræque Ordinis Reformationes recenſentur. ibid.42. 43. & ſeq. Fratrum de Obſeruantia ab Ordine ſeparari poſtulat.ibid.44.45. Varias perſecutiones intra Ordinem ſuſtinet.ibidem.44.45. Ad Concilium Conſtantienſe ſuas contra Ordinem querimonias defert. ibid.45. Ab Ordine Concilij Decreto ſeparatur.ibid.

Reformatio Capucinorum Deo auctore genita. Apparat.60.61. Ipſius ortus admirabilis deſcribitur. ibid.57. Abſque humano parente progenita aſſeritur.ibidem. Orbem ferè totum ſuis Monaſteriis complet.ibid.58. Magna ipſius incrementa.ibidem. 61. A Dei tantùm virtute in orbe excitata. Anno 1526.38. In ſuo ortu humano ſubſidio non indiguit.ibid. Ad illius natiuitatem ex antiqua habitus forma excitandam, Deus Matthæum deligit. ibid. Ipſius propagatio abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate fieri non potuit.ibidem.

Reformationis Capucinorum primordia, cur Deus maximis tentationibus pulſari permiſerit, ratio expenditur. Anno 1526.72. & Anno 1527.3. Ipſius ærumnæ graues, & diuturnæ.ibidem. Ipſius principia, non humano, ſed diuino conſilio agitata, Apparat.53.54.55. Quàm miraculoſa.ibidem.55. Quàm obſcura & ignobilia. ibidem. Initia à Matthæo de Baſſo auſpicata.ibid.70.

Reformationis familia aliquando Embrionis inſtar. Anno 1527.6. A Sathana oppetitur, vt tota vnico ictu proſternatur.ibid. A Miniſtri inſidiis noua arte liberatur.ibid.7.

Reformationis apud Obſeruantes neceſſitas ab ipſis aſſeritur. Anno 1536.22.

Reformationum variæ cauſæ aperiuntur. Apparat.32. Illarum quanta vtilitas.ibid.31.

Reformationes ad Religionum commodum à Deo excitantur. Appar.44. Cur in Minorum Ordine tam frequentes.ibid.28.32.41. In his Diuinæ prouidentiæ opus admirandum.ibid.

Reges, ac Principes Chriſtianæ Reip. brachia aſſeruntur. Anno 1527.26.

Regna, ac Principatus pietate, ac Religione ſubſiſtunt. Anno 1527.26.

Regum, ac Principum palatia à Fratribus Minoribus fugienda. Anno 1527.17. Principum munus quodnam ſit, declaratur. Anno 1527.26.27.

Regulæ Codex Dæmonem tentantem ab ægroto Fratre expellit. Anno 1577.33. Obſeruantiam omni via proſequendam variis argumentis adſtruitur. Anno 1524 53.

Regularis relaxationis principia ſtudioſiſſimè vitanda. Anno 1637.7. Quàm id neceſſarium ſit, exemplo Ruſtici demonſtratur.ibid.8.

Regularis Eccleſiæ ornamenta appellantur. Apparat. n.6. Ob cœleſtis vitæ conuerſationem cum Angelis à Patribus comparantur. Appar. 5. Martyrum appellatione cohoneſtantur.ibidem.

Religio à Regularis Obſeruantiæ diſciplina pendet. Anno 1527. 27. Quandiu amplexanda.ibid.30. Ob id, quòd ex hominibus compacta, firma ac immota per ſe perpetuò ſtare non poteſt. Apparat.33. Virtutum præſidiis, ac reparatione eget, vt incolumis ſtet. Apparat.34.

Religione inter homines nihil præſtantiùs. Apparat.1. Cur homini data. ibid. Vnde nomen acceperit.ibid. 2. Sola ad bonam, beatámque vitam ducit. ibid. 1.

Angelorum perfectiſſima.ibidem.2.

Religionum ſtatus cur interdum labatur. Apparat. 41.

Religionis præſtantiſſimum genus quodnam ſit. Apparat. 3. Nazaræorum, Phariſæorum, & Eſſæorum Religio olim apud Hebræos. ibidem.

Religioſi ad ſupremum Eccleſiæ decus, & ornamentum inſtituti. Apparat.n.6.

Religionum ortus à Chriſto. Apparat. 4.In his Euangelicorum conſiliorum præſtantia eminet.ibid perfectos Dei cultores reddunt.ibid.4.& 5. Chriſtianæ Religionis cultum ad ſupremum euehunt. ibid. Lapſus Hieremiæ verbis deſcribitur. Apparat. 29. & 30.

Religioſi viri nubibus diffusè comparantur. Apparat. n.16.17. Ad Eccleſiæ ædificationem, & propagationem dati. ibid. n. 15. Ex eorum abſentia quàm grauia incommoda Eccleſiæ orta.ibid.n.17.Illorum vitæ inſtitutum præſtantiſſimum deſcribitur. Apparat.n.7.Eccleſiam ad ſupremum ſuæ ſanctitatis apicem euehunt.Appar.n.7.A Patribus ſummis laudibus efferuntur.Apparat.n.7.

Religioſorum Ordinum quanta fuerit in Eccleſia vtilitas Apparat.n.10. Eccleſiam multipliciter illuſtrarunt. ibid. Illuſtriorem Dei cultum propagarunt. ibid.

Rerum dominium Minoribus à Regula interdictum. Anno 1519.82. Earum vſus ſimplex,& de facto illis conceditur. ibid. Illarum ſuperfluitas cur à Minoribus fugienda.ibid. Quarum Apoſtolica Sedes dominium ad ſe attrahat.ibid. Quænam à Regula concedantur. ibid. Vilitas,ac ſimplicitas apud Minores commendatur.Anno 1529.38.

Rerum humanarum ſtatus quàm labilis ſit, nonnullis exemplis declaratur. Apparat.38.

Res diuinæ ſub variis mutationibus fixæ afferuntur. Apparat.39.

Reuelationibus & Apparitionibus haud facilè credendum. Anno 1544.2. Quomodo probandæ,atque à falſis diſcernendæ. ibidem.6. Diuinæ quibus ſignis dignoſcantur. ibid.7.8. Ab Eccleſia quomodo probari ſoleant.ibid.9.

Rhegij Conuentus apud Calabros conſtruitur. Anno 1532.4. B. Mariæ de Conſolatione nuncupatus. ibidem.5. Bernardini Georgij ſepultura illuſtris. ibid.

Rodulphus Pius Cardinalis Carpenſis à Pontifice totius Ordinis Min. Protector inſtituitur. Anno 1542.4.

Rhodus à Solymano Turcarum Imperatore expugnatur.Anno 1524.10.

Roma,Duce Borbonio,à Cæſarianis deuaſtata. Anno 1524.40.41.& Anno 1527.16. Quantoperè in eam ſæuitum.Anno 1527.16.

F. Ruffinus à S. Vrſo Nouitios de perfecto orandi modo inſtruit. Anno 1575.47. Sacram Hoſtiam in Altari efferens vultum ſolis inſtar præſefert. ibid. 49. Mira erga afflictos charitas exemplo declaratur.ibid.50. Ægrotantem ſigno Crucis ſanat. ibid. Nonnulla ante mortem à Deo impetrat. ibid.51. Peruſiæ ex humanis migrat.ibid.51.

F. Ruffinus Libunatenſis miraculis clarus. Anno 1572.2. Vinum operariis ſua oratione à Deo impetrat.ibid. Acidum vinum in generoſum ſua oratione mutat.ibid.3.

F. Ruffinus à S. Vrſo vita & miraculis floret. Anno 1575.38. Nouitiorum curæ præficitur. ibidem.39. Perfectam Nouitiis ſpiritualis vitæ diſciplinam tradit. ibidem.40. Occulta Nouitiorum conſilia percipit. ibid 41. Nouitium ſigno Crucis à tentatione liberat. ibid. Nouitio ab Ordine deſciſcenti infauſtum exitum prædicit. ibidem. 42. Sæpè in extaſim rapitur,& in aëra eleuatur.ibidem.45. Auguſtini Valerij Epiſcopi Veronenſis de illo teſtimonium.ibid.46. Iter faciens ſæpè mente excedit. ibid. De cordis recollectione doctrinam Nouitiis tradit.ibid.47.

Ruſticorum bellum in Germania Thoma Muntzero auctore exortum.Anno 1524.9.

Regularis Obſeruantiæ bonum neceſſarium aſſeritur. Anno 1532.64.


S.


SAcerdotes potiùs aurei, quàm Calices expetendi. Anno 1529.88.

Sanctimonialis profeſſa virili habitu aſſumpto Religionem ingreditur.Anno 1564.18. Inter Nouitios adnumeratur. ibid. A Sene quodam Fratre fœmina detegitur. ibidem. Proprio Monaſterio reſtituitur. ibid.

Sandaliorum vſus ab Apoſtolis deſumptus. Anno 1529.35. Qualia apud Capucinos eſſe debeant. ibid.

Sathanas antiquus Reformationis hoſtis.Anno 1525. 1. Matthæi iter impedire nititur. ibid. Ad Apoſtatarum ſcelus buccinam elangit.Anno 1577.35.

Sanſeuerinorum familia in Neapolitano Regno illuſtris.Anno 1543.3. A pleriſque ſcriptoribus laudibus extollitur.ibid. Ei quamplurimùm Capucinorum Religio debet.ibid.8.

Saturitas in refectione vitanda. Anno 1549.19. Luxuriæ,ac laſciuiæ amica.ibid.17.

F. Sauinus Firmanus Clericus genere nobiliſſimus, ac virtute nobilior. Anno 1566.36. Ipſius oſſa poſt mortem ſplendent ac ſuauem odorem efflant. ibid.

Scandalum quod ex bono oritur,deſpiciendum. Anno 1532.63. Vtilius aliquando permittitur.ibidem. Quodnam ſit vitandum. ibid.64.

Scandala non Religionem,ſed ſcandala facientem deturpant. Anno 1543.39. Illorum Miriones ex Tertulliano ſuggillantur. ibid.41. Ochini ad Religionis tantùm probationem, & profectum redundarunt. ibid.40. Quænam ſint vitanda, & quæ non. Anno 1537.1.

F. Sebaſtianus Agricienſis Concionator virtutibus clarus.Anno 1570.30.Diem obitus ſui prænunciat. ibidem.

F.Sebaſtianus Engienſis,ſanctimonia celebris. Anno 1576.51. B. Virginem ſe ad Cæli præmia vocantem in morte conſpicit.ibid.

F. Sebaſtianus Vibonenſis Laïcus vitæ auſteritate inſignis.Anno 1577.28.Peſte laborantibus miniſtrans piè vita defungitur.ibid.

F. Sebaſtianus à Gratterio Sacerdos, vir ſanctimonia, ac miraculis illuſtris.Anno 1572.31. Admirabilis ipſius vitæ auſteritas, & carnis macerationes indicantur. ibidem. Satan illius flagellationem impedire nititur. ibidem. 32. B. Virginem Deiparam







ſingulari pietate colit.ibid 33. Chriſtus celebranti in Hoſtia ſpinis coronatus ac purpuram indutus apparet.ibid. Sæpè ſacræ Deiparæ,ac B. P. Franciſci colloquio fruitur.ibid.34. Febre laborans vas aquæ cæleſtis à B. Virgine accipit, qua à febre curatur. ibid. Piratarum iacula impedit, ne nauigantes feriant.ibid.35. B.P.Franciſcus ante illum ſtans conſpicitur.ibid. Prophetico ſpiritu futuram Caſtroboni peſtem prænunciat. ibid.36. Nouitio beneualente poſt triduum mortem nunciat.ibid. Inſanum ſigno Crucis ad mentem reuocat. ibid.37. Cœco oculorum lumen reſtituit.ibid.38. Fratribus in die Paſchatis à Deo obſonium impetrat. ibid.39. Panem familiæ ſuis precibus à Deo exorat. ibidem. Summam vultus hilaritatem in morte demonſtrat. ibid.40. Caſtroboni diem poſtremum claudit.ibid. Ipſius gloria Fratri oranti reuelatur. ibidem. Poſt mortem miraculis emicat.ibid.

Sebaſtianus Venerius Venetus æquitatis, ac pietatis commendatur.Anno 1552.59. Matthæi apud Senatores patrocinium ſuſcipit, ac præclarè orat. ibid. Dux Venetiarum creatur. ibid.

Senaciani Conuentus Min. Conuentualium Reformatorum ad Capucinos transfertur. Anno 1538.7. Ipſius familia tota ad Capucinorum Reformationem conuolat.ibid.

Senectus æui quædam maturitas affirmatur. Anno 1539.37.

Sepultura ſæcularibus apud Capucinos denegatur. Anno 1529.64.

F. Seraphinus Panormitanus Clericus, plurimis virtutibus emicat. Anno 1567.33. Ipſius corpus poſt trigeſimum ſecundum ſepulturæ annum integrum reperitur. ibid.

F. Seraphinus Saonenſis perfectus Regulæ cultor.Anno 1574.8. Diem ſui obitus à B. Virgine accipit. ibid. Ipſius caput poſt ſexdecim ſepulturæ annos incorruptum cernitur.ibidem.

Seueritas cum virtute temperanda aſſeritur. Anno 1560.3.

Siciniani Conuentus Deo ſignis conteſtante ædificatur. Anno 1572.2. Prædium vendere recuſans à B.P.Franciſco caſtigatur.ibid. Illius ædificationem Diabolus impedire conatur.ibid.

Sicula Prouincia in tres Prouincias diuiditur. Anno 1574.3.

Sigillum Ordinis Minorum olim B.P. Franciſcum referebat, quadrato Caputio ornatum. Anno 1525. 19.20.

Silentium quàm arctè apud Capucinos præcipiatur. Anno 1529.23. Quibus temporibus obſeruandum ſit,aperitur ibid.24.

F. Simon Monticulenſis Laïcus virtutibus illuſtris. Anno 1569.54.

Solitudo Deo dicata.Anno 1548.23.Cæleſtis diſciplinæ Schola, ac virtutis Magiſterium aſſeritur.ibid. Ad rerum diuinarum contemplationem neceſſaria. ibid.25.

Solitariorum vita à pleriſque periculis libera. Anno 1532.14. Quantæ fœlicitatis plena.ibid.14.15. Angelorum contubernium meretur.ibidem.

Spiritus ſanctus in Aluacinæ Congregatione ſenſibiliter poſt ipſius inuocationem in Electores illabitur. Anno 1519.9. Eorum mentes ad agenda illuſtrat.ibid. Corda ad perferenda aduerſa confirmat. ibidem.

F. Stephanus Bocherienſis ſanctimonia clarus. Anno 1570.30.

F. Stephanus Mediolanenſis ſanctimonia celebris. Anno 1562.36. Annonam Fratribus in ſumma rerum neceſſitate à Deo precibus impetrat. ibidem. Horribili à Deo tentatione probatur. ibid.37. Die ſui obitus prædicto ſanctè ex humanis excedit. ibid.

F. Stephanus Fulginas ex Miniſtro Prouinciali Obſeruantium Capucinus efficitur. Anno 1580.32. Quamplurimis virtutibus enitet.ibidem. Honores, ac dignitates recuſat. ibidem. Sancto fine quieſcit. ibidem.

Succeſſio Ordinis vnde ſit venanda, demonſtratur. Dem.10.9.10.11.12. Minorum potior à Regulæ obſeruantia petenda oſtenditur. ibid. Capucinorum vera,ac legitima,ab Vrbano VIII. poſt Concilium Trid.& Paulum V. decernitur.ibid.18.

Suppellex Fratrum Minorum tenuis eſſe debet.Anno 1529.29.

Superiores clariſſimis ſpeculis, ac Orbis luminaribus comparantur.Anno 1529.15. Conſtitutionum obſeruantiæ incumbere, ac inuigilare debent. ibid. In Capitulis quomodo, & quales eligendi. Anno 1529.61.

Superbia vitæ præaltis rupibus ſignificata. Anno 1537.121. Humanæ gloriæ cupidos ad certa præcipitia ducit. ibid.

F. Syluester Bochrienſis vir virtute præſtans. Anno 1570.30.

F.Syluester Vtinenſis Concionator virtutibus emicat. Anno 1576.43. Poſt octauum ſepulturæ annum integrum ipſius corpus conſpicitur.ibid.

F. Syluester quædam diruit,ac curioſiùs ædificat. Anno 1540.10. In morte horrendos mugitus edit. ibidem. Abſque Sacramentis ex hac vita migrat. ibid.10.


T.


F. TAddæus à Montepetriolo Sacerdos vitæ puritate præſtat. Anno 1580.33. Cum auibus in ſylua colludit.ibid.

Temporalium rerum adminiſtratio ab his, qui peſte laborantibus miniſtrant,fugienda. Anno 1528.39.

Terrenorum amor, tunicæ talaris inſtar, ſtudia cæleſtia impedit.Anno 1537.121.

F. Timotheus Bernardinum Aſtenſem, & Religionem apud Pontificem accuſat. Anno 1542.47. Ipſius calumniæ à Bernardino Aſtenſi refelluntur. ibid.47. 48. Ad Obſeruantes redit.ibid.48. Proprietarij crimine conuictus aufugit.ibid. Apoſtata extra Ordinem moritur.ibid.

Tiberis Romæ prodigioſè exundat.Anno 1530.7.

Tiberius Ducis Nucerienſis filius Romam proficiſcitur. Anno 1532.49. Pro Ludouico & ſociis apud Pontificem laborat. ibidem.57. Excommunicationis latæ reuocationem à Pontifice impetrat. ibidem. Potentiæ Epiſcopus creatur. ibidem. 49.

Theologica ſtudia in Religione inſtituuntur. Anno 1564.2.

Thomas Eremita apud Eugubinos ſanctitatis opinione floret.Anno 1531.7. Vrbinatum Ducem cum ſuo exercitu à certa clade liberat.ibid. Præclara de Capucinorum Reformatione vaticinatur. ibid. 8.

Generalem Miniſtrum de Obſeruantia à Capucinorum impugnatione Dei verbis deterret.ibid.

F. Thomas Tiphernas. Vir prudentia , ac virtute clariſſimus. Anno 1576. 22. Sacra Hieroſolymorum loca veneratur. ibidem. Ad Capucinos quadragenarius euolat. ibidem. Virtutes ipſius compendioſè referuntur. ibid. Romæ Generalis eligitur.ibid. 23. Præclara ipſius documenta attinguntur. ibid. 24. 25. Dæmonis artes Obedientia impoſita à Fratre expellit. ibidem. Diuinam vindictam ab ægrotante Fratre Obedientiâ auocat. ibid. 26. Admirabilis illius prudentia facto commendatur. ibidem. Ad honores diuinis teſtimoniis vocatur.ibid. 27. Sacram Deiparæ Coronam recitanti B. Virgo adſtare conſpicitur. ibidem. 28. Sacræ Deiparæ ope vitæ periculum cum ſociis effugit. ibidem. 29. B. Virginis excellentias in via contemplans , lucis radios è vultu emittit. ibid. 30. Mulierem ſua oratione à Dæmonis vinculo ſoluit. ibid. 31. Vinum à Deo Ordinis Benefactori impetrat , ac in dolio multiplicat. ibidem. 31. Pleraque edit miracula. ibidem. Piè in Domino quieſcit. ibidem. 31. Aegrotans ipſius Baculo Cruce conſignata ſanatur. ibidem.

F. Thomas Generalis Vir præclarus. Anno 1558. 1. Vicarius Generalis Romæ eligitur. ibid. Ordinis ac Priuilegiorum confirmationem à Pontifice impetrat. ibidem. 2. Genuenſem Prouinciam viſitat. Anno 1559.1.Quàm vtilis illius viſitatio fuerit,aperitur.ibid. In Nouitiorum receptione prudentiſſimus.Anno 1560.3.Illuſtres viros ad Trident.Concilium deſtinat. Anno 1562. 1. Omnium bonorum poſſeſſioni in Concilio renunciat.ibi.Generali Obſeruantium Miniſtro Conuentuales ſibi ſubiicere tentanti,obſiſtit.ibid. 2.Eidem Capucinorum vnionem petenti repugnat , atque argumento refellit. ibidem, Veram S. Franciſci habitus figuram ad Concilium defert , qua Concilij Patribus ſatisfacit. ibidem. 3. Vndecimum Generale Capitulum conuocat. Anno 1561. 1. Nimiæ ſeueritatis in Capitulo arguitur. ibidem. 2. In Generalatus munere confirmatur. ibid. Munus & honorem refugit. ibidem. Cæleſti voce ad munus obeundum compellitur. ibidem. A Dæmone ſub Fratris ſpecie in Porcariæ familiam concitatur. ibidem. 4.

F. Thomas Norcienſis Dei Verbum ardenter prædicans virtutibus lucet. Anno 1598.41.

F. Thomas Tauronenſis ex Equeſtri S. Ioannis Hieroſolymitani Ordine ad Capucinos migrat. Anno 1575. 28. In ipſius obitu ſuauiſſimus auium concentus auditur. ibidem.

Thomas Muntzerus in Germania Ruſticorum bellum excitat. Anno 1524. 9.

Turca B. Virginis ſimulachrum inuadens repentina morte mulctatur. Anno 1566. 3.

Turcicus Pirata,qua ratione à Cõuẽtus Monopolitani deprædatione abſtinuerit,explicatur.Anno 1575. 53.

Tyrannorum perſecutiones , Eccleſiæ quàm funeſtæ. Anno 1524. 3.Innumeros Chriſto Martyres peperêre. ibidem. His non diminuta , ſed aucta potiùs Eccleſia. ibidem.

V

VAldeſius Iuriſperitus Hiſpanus in Neapolitana Vrbe clam Hæreſim diſſeminat. Anno 1541. 6.

F. Valentinus Drepanenſis Vir illuſtris. Anno 1570. 30. Suum & alterius Aegroti obitum prænunciat. ibidem.

F. Valerianus à Caſtrobono peſte laborantibus miniſtrans , occumbit. Anno 1576. 50. In morte B. P. Franciſcum ſibi apparentem cernit. ibid.

Vatruniæ pleraque de Capucinorum Reformatione futura referuntur. Anno 1524. 29. 30. 31. & ſeq. B. Franciſci Politani , Bernardini Feltrij & Auguſtini Fulginatis exeruntur. ibidem. 38. 39. 40. 41.

F. Valerianus Viterbienſis cæleſti Viſione permotus, ad Capucinos migrat. Anno 1545. 33. Vitam virtutibus plenam beato fine concludit.ibid. B. Bernardi à Quintaualle vita expenditur , ac fusè explicatur. Anno 1524. 31. 32. 33. & ſeq. De Capucinorum Reformatione exponitur. ibidem. 32. 33. & ſequent.

F. Vbertinus ex Min. Conuentualium Ordine ad Capucinos cum tota familia,ac Monaſterio Tipherni Metaurenſis migrat. Anno 1538. 7. Inter ſeptem Ordinis Min. Conuent. Reformatores adnumeratur. ibidem.

Venetiarum Vrbs graui peſtilentia premitur. Anno 1567. 1. Votum de Templo Chriſto Redemptori ædificando ab illius Vrbis ſenatu emittitur. ibidem. 2. Capucinis adminiſtratio decernitur. ibid. 3. Prima illius Templi fundamenta iaciuntur. ibidem. 4. 5.

Veritatis quanta vis ſit , ex Tullio. Anno 1527. 33. Loquacem eloquentiam obmuteſcere cogit. ibidem.

Veritatem ſemper odia , ac inimicitiæ comitantur. Dem. 4, 1.

Veſtes Minorum viles eſſe debent. Anno. 1529. 38. Earum cura quàm ſollicita habenda. ibidem. 71.

Veſtium apud Capucinos qualis vſus eſſe debeat. 1529. 33. 34.

Vgonis Moncatæ opera pax inter Pontificem , & Columnenſes conficitur. Anno 1527. 16.

Via impiorum tenebroſa , ac periculis obſita. Anno 1537. 121. Antri via inſinuatur. ibid.

Via illa lucidiſſima à Franciſco à Cartocero in morte conſpecta , quid inſinuet , expenditur. Anno 1526. 11. Eadem in obitu S. Benedicti à ſene demonſtrata. ibidem.

F. Victor Bergomas omnium virtutum genere ornatiſſimus. Anno 1566. 7. In oratione cæleſti luce circumfuſus cernitur. ibidem. 7. Inimicorum dilectione inſignis aſſeritur. ibidem. Pro inimico orans à Domino commendatur. ibidem. Defunctorum animæ ab eo ſuffragia petunt. ibidem. Dæmonem eum damnatum aſſerentem,qua ratione expulerit. ibidem. 8. Prophetiæ dono præcellit. ibidem. 9. Puellæ cælibatum prænunciat. ibidem. Occulta peccata nobili viro detegit. ibidem. 10. Baretij diem extremum claudit.ibidem.

Victoria Columna Ordinis Capucinorum amantiſſima. Anno 1534. 24. Audita Capucinorum eiectione Romam aduolat. ibidem. De Capucinorum in Vrbem reuocatione cum Pontifice agit. ibid.

Victoria inſignis à Chriſtianis de Turca reportatur. Anno 1571. 7.

F. Vincentius à Monte-Vlmi Generalis vir præclariſſimus. Anno 1574. 1. Virtutes ipſius compendiosè narrantur. ibidem. Ex humanis excedit. ibid. 2.



F. Vincentius Gaſſanenſis Sacerdos, in morte, Chriſti, atque aliorum Sanctorum præſentia fruitur. Anno 1567. 33.

F. Vincentius à Collecario Laicus virtutum laude inſignis. Anno 1548. 38. B. Virginem in morte ſibi occurrentem cernit. ibidem. 38.

F. Vincentius Calaritanus virtute & ſanctimonia inſignis. Anno 1541. 28. B. Virginem in morte ad ſe venientem intuetur. ibidem.

F. Vincentius Platienſis Laicus vitæ ſanctimonia inſignis. Anno 1568. 32. Diem ſui obitus prænunciat. ibidem. A Dæmone tentationes in morte ſuſtinet. ibidem. B. Virginem ſibi auxiliantem cernit.ibid.

F. Vincentius à Flauiano ſanctitate , ac miraculis illuſtris. Anno 1573. 11. Ab infantia futuræ ſanctitatis ſigna prælibat.ibidem. 12. Puerulus nocte ſurgit, ac preces recitat. ibidem. Chriſtus adhuc puerulo apparens ſuæ imaginis periculum indicat. ibid. Puer nocte conſurgens Eccleſiam petit, ac Crucifixi imaginis caſum proximum indicat. ibidem. Puer cæteris pueris prædicat.ibidem. 13. Sæpè antè Crucifixi imaginem orat. ibidem. Dæmon illum vmbræ ſimulacro exterret.ibidem. Adoleſcens carnem macerat, & honeſtati ſtudet. ibidem. 14. Erga pauperes mirè afficitur. ibidem. 15. Cibos ſibi in menſa ſubtrahit, vt pauperibus diſtribuat.ibidem. Vinum ſua oratione in doliis multiplicat. ibid. Calceos pauperibus erogat.ibid. Chriſti Crucifixi ſtatua illi orãti ſe inclinat.ibidem. 16. Ad Obſeruantium familiam ſe confert. ibidem. 17. Regularis Obſeruantiæ ſtudio ad Capucinorum reformationem migrat. ibid. 18. Admirabilis vitæ illius auſteritas explicatur. ibidem. 18. 19. Ex Dominicæ Paſſionis memoria illi patiendi ſtudium oritur. ibidem. Præclaræ illius virtutes recenſentur. ibid. 20. 21. In rerum diuinarum contemplatione præcellit.ibidem. 22. Sæpè in mentis exceſſum rapitur. ibidem. Diuini amoris flamma totus ardet.ibid. 23. 24. Huius rei exempla proferuntur. ibid. 24. Oleo , ſed magis Dei virtute ægrotos ſanat. ibid. Prophetico ſpiritu futuram calamitatem prænunciat. ibid. 25. A B. Virgine languens reficitur. ibid. A ſatana diuerſimodè infeſtatur, ibidem. 26. Cum auibus colludit. ibidem. 28. Crucis ſigno Moloſſos manſuetos reddit. ibidem. Aquarum procellam ſigno Crucis ſiſtit. ibidem. 29. Multa Prophetiæ ſpiritu futura prædicit. ibidem. 30. Vlcus oſculo ſanat. ibid. Nardo cuidam abſens miraculo ſuccurrit. ibid. 31. Flauianenſium odia componit.ibid. 33. Obitum ſuum propinquis prædicit, ac ſuum illis poſt mortem auxilium pollicetur. ibid. Moriens humi ſe collocari poſcit. ibidem. 34. Corpus ipſius poſt mortem ſuaue olet.ibidem. Incorruptum in ſepulchro diu manet.ibidem.

Vinum quod altaris miniſterio deſeruit , Dei miraculo, in dolio multiplicatur. Anno 1578. 33. Capucinorum infirmis eroganti Deus in dolio multiplicat. Anno 1577. 39. Ordinis benefactori , in dolio diuino miraculo multiplicatur. Anno 1566. 43. Idem & alteri Ordinis beneuolo contingit. ibidem. 44. 45.

Vinum acidum eleemoſyna erogatum ſuaue efficitur. Anno 1579. 30.

Virgo Capucinis deuota vini multiplicationem à B.P. Franciſco impetrat. Anno 1574 35.

B. Virgo Offam vinariam Hieronymo Generali, ac ſociis miniſtrat. Anno 1579. 3.

B. Virginis erga geminos fratres Capucinos illuſtre miraculum narratur. Anno 1553. 10.

B. Virginis Deiparæ in duos Capucinos fratres benignitas miraculo commendatur. Anno 1580. 56.

Virtus præclarum animi indumentum. Anno 1548. 2. Suis fulgoribus animam illuſtrat.ibid. Ipſius poſſeſſio nunquam perit. ibid. Deo ſimillimum reddit. ibid. Quò magis deprimitur , eò altiùs excreſcit. Anno 1534. 14.

Viſio B. Virginis , ex cuius ſinu Capucinorum Congregatio prodit, enarratur. Anno 1524. 26.

Vitiorum fœtor, omni cadauere olidior. Anno 1537. 121.

Viſiones diuinas appetens, à Diabolo, ſub B. Virginis ſpecie fallitur. Anno 1563. 1. A Superiore conſilium poſtulans, Dæmonis fallaciam detegit.ibid. Dæmon ſub porci ſpecie, ex alto culmine ad illius pedes dilabitur. ibid.

F. Vitus à Monte laicus, Oratione inſignis. Anno 1577. 19. Sui obitus diem diuinitus agnoſcit, ac prænunciat.ibid.

Voluptas quid ſit , variæ referuntur ſententiæ. Anno 1551. 22. A vera hominis felicitate penitus abhorret. ibid. Qui in ea ſummum hominis bonum conſtituunt, hominum naturam cum brutis confundunt. ibid. Homines ad pecudum naturam transfert.ibid. 22. 23. Homini pernicioſa aſſeritur. ibid. 24. Innumera mala adfert , quæ partim explicantur. ibid. 25.

F. Vrbanus à Manfredonia Concionator, virtute , & ſanctimonia illuſtris , Anno 1578. 12. Præclaræ ipſius virtutes attinguntur.ibid. Inuitus ad dignitates rapitur.ibid. Prædicationes perfectio virtutum exemplis animat. ibidem. 13. Procellam à dæmone concitatam oratione auertit.ibidem. 14. Meretrices ad Chriſtum conuertit.ibid. 15. Dum ſacra myſteria celebrat , Angeli ſub auium ſpecie circa illum volitant.ibidem. 16. Panem operariis ſua oratione multiplicat.ibid. Grauiter à dæmone in morte tentatur. ibid. 17. Suorum ſermonum ſcripta incendi iubet, quæ diuina virtute illæſa ab igne ſeruantur. ibid. Piè in Domino quieſcit. ibid. 17.

Vſus rerum apud Minores qualis eſſe debeat. Anno 1529. 37. Illius proprietas quænam ſit. ibid. 41.

Z

ZVchiorum familia Modœtiæ inter alias præcipua. Anno 1539. 18. Erga Capucinorum Ordinem beneuola. ibid. 21. Ioannem Fanenſem hoſpitio excipit. ibid. 18.

F I N I S.

# Errata, quæ Typographo exciderunt; Sic corrigito.

Epiſt.Dedicat.pag. vlt. lin.3. parata. lege parta.

Apparatus pag.3.lin.13.Monaſticorum.lege Monachorum.Ibid p.3.lin.54. turribus.l.facilius. ibid. p.4.l.25 350.l. 484.ibid.p.5.Annot.Margin.Religioſorum. l.Religioſi ibid.p.9.lin.19.Satam.l.Satam. ibid p.9.l.23 offert.l.efferr.ibid. p.12.l39.humanibus.l.humanis . ibid.p.15.lin.4. Reformandis. l.reformandi. ibid.p. ead. Annot.marg. Renualdus.l. Romualdina ib.p.19.l.12.ſemen.l.ſemel. Anno 1524.p.32.l.49.Featrū.l.Fratrū.ib.Anno 1525.p.45.l 36.Aſſiſio.l.Aſſiſij ibid.p.48.l.29.pertundebantur.l.perfundebantur.ibid.p.ead l.42.eloquitas.l.eloqui fas. ibid p 37.lin 45.aumirer.l.admiror.Anno 1526.p.53.l.33 cōparuerit. l.cōparauerit.ibid.p 61.l 4.Fatris.l. Patre.ibid.p.ead.l.19.affatur eſt dele.Eſt. ibid.p.ead l.22.dines in miſericordia.l.diues es in miſericordia. ibid.Annot. Marg.1. Habitum.l. imagine ibid p.67.l. 50.Hinc Diploma.l.Hinc cum Diploma.ibid.p.72.l.37.niſi quod dele.Niſi.ibid.ſi quod. dele ſi. Anno 1528.p.109.l.36. repeterent.l.repeteret.Anno 1529.pag. 113. Annot. Marg 3. Ludouicum.l.Ludouicus.ibid.p.116.l.48. inſtat. l. inſtar. ibid.p.117.l.17.en parte.l.ex parte ibid.121.l.13.Breuiariis.l.Breuiarij. ibid. p.127.l.23. larent. l. exularent. ibid. p. 128.l.6. diſceptaretn l.diſceptarent. ibid.p.131.l.14 Diu.l Ke diu.ibid.p.132.l.1.git.l.agit ibid. acuius. l cuius.ibid.p. ead.l.2.Beata Maria.l.Beatæ Mariæ.ibid.p.ead.l.10 in parua.l.cum parua.ibid p.ead.l.50. celmentiam.l.clementiam. ibid.p.133.l.19. Apruſto.l. Apruſti. Anno 1530. p.137.l.49. vbi ſibi.del.vbi.ibid.p.ead.l.50.Porro audit. l.Porro vbi audit. Anno 1531.p.144.l.1.aſſequatur.l aſſequutus. Anno 1532 p.154.l.31.vtraque.l.vtroque ibid.p.ead.l 40.plane ei.l.plane cui.ibid.p.158.l.34.aut.l.haud.ibid.p.164.l.32.nihil Ordinis.l.nihil in Ordinis.ibid.p.ead.l.34.oppugnare. l.oppugnari.ibid.171.l.51.quotidi.l.quotidie.Anno 1533.p.177.l.5.familiæ.l.familia.ibi. p.178.l.23.& 24.Mileto,Cataco,Rhegio. l.Mileti,Cataci, Rhegij.ibid.3.ead.l.34 Bernardi. l.Bernardini.ibid.p.ead.in Titulo 1531.l.1533. ibid.p. 180.l.4.quod turpes. l. quod Ludouicus Rheginus turpes. Anno 1535.p.200.l.2.cumque.l.eumque.ibid.p.203.l.10.ſuggeſtu.l.ſuggeſto.Anno 1536.p.216 l.29.Generalis.l.Generali.ibid.p.220.l.19.Rhegio.l.Rhegij.ibid.p.229.l.17.exoraſſet. l.exornaſſet ibid.p.ead.l 48. eonque.l.eoque. Anno 1537.p.253.l.38.proregata. l.prorogata fuerit.ib.263.l.47.planitē l. planitiem.Anno 1539.p.270 l.17 eſſet.l.eſſent.ibid.p.ead.l.46.epulum.l.populum.ibid p.272.46.accapit.l.accepit. Anno 1542.p.297.l.27.deferretur.l.deferrētur.ibid.p.317.l.19.depoſcat.l.depaſcat.ib.p.321.Annot.Marg.1.obiectus.l.obiectas.

Anno.1543 p.340.l.33.Peruſij.l.Peruſini.ibid.p.342.l.44.pleriſque.l.pleroſque.ibid.p.353.l.31.Angeloque. l. Angeliſque. Anno.1544.p.361.l.26.lege. l. leges. Anno 1546.p.381.l.25. obtinet.l.obtineat Anno 1547.p.391.l.30 ob omnibus. l. ab omnibus. Anno 1444.in marg.ignen. l.igne. Anno 1548 l.p 404 l.13.percunctante.l percunctanti.ibid.p. 407.l.16. certiorem quamprimum. l.certiorem eum quam-primum.ibid.p.409.lin.48.die.l.diebus.ibid p 410.l.31.Fratribusbus.l.Fratribus.ibid.p.ead.l.37. latercia. l.latercia Anno 1549 p.416.l 44. malæ.l.malè, ibid.p.419.l.52.maximam.l. quas ob maximam. Anno 1550. pag.432. lin.28. quod abſoluta. lege quoad abſoluta.

Anno 1551 p.450.l.3.praſcriptio.l proſcriptio.ibid.p.460. Annot.marg.vltima.Mulier.l.Mulieri.Anno 1551.p.469. l.1.moribus.l.motibus.ibid.p.ead.l.32.animaduertetent.l.animaduerterent.ibid p.473.l.48 fænere.l.fænore.ibid.p.480. l.33.obeſum.l.obeſam.ibid.p.481.lin.20.ignorabilia.l.ignobilia.ibid.p 483.l.7.quod eroget.l.quod eret.ibid.p.ead.l.17. integram.l.integram.ibid.p.486.l 38.eam tum.dele eam.ibid.p.489.l.4.fragratiam.l.fragrantiam.ibid.p.489.l.49.poſtea dies.l.poſtera dies. Anno 1553.p.495.l.17.ex qui.l ex quo ibid.p.ead.l.18.quo illi.l.qui illi.ibid.p ead.l.44.indiſcretè.l.indiſcretæ.Anno 1554.p.518.l.38.fulsò.l.falsò.ibid.p.519.l.13.perringere.l.pertingere.ibid.p.524.l 41.inquam l.vnquam.Anno 1555.p.530.l.48.dextram.l.dextrum.ibid.quam.l.quod. Anno 1556.p.537.l.26.etiamnum tum.l.tam. ibid.p.538.l.15.Parentum l.Potentum.ibid.p.ead.l.24.Aretiuum.l. Aretium.ibid.p.540.l.10 at. l.ac. ibid.p.541.l.1. Maceratū.l.Maceratā.Anno 1557.p.543.Annot.marg.vltim.Mira.l.miro.ibid.p.546.l.36.vt cū l.vt cum ea.ib.p.548. l.48.ſpiritualium adde. rerum. Anno 1558.p.552.l.30.viſitionem.l.viſitationem.ibid.p.553.l.42.conſpectarent.l.conſpectaret. ibid.p.554.l.5.cum ad.l.tum ad.ibid.p.ead.l.35.ſumma.l.ſummo.ibid.555.l.37.Ini l.vini. ibid. p.ead.l.40. inuebirur.l.inuebitur. Anno 1559.p.560.l.17.Dæmone l.Dæmonibus. Anno 1560.p.577.l.26 depradandas.l.deprædandi. Anno 1561.p.579.l.32.Apparitione extruitur.l apparitione Conuentus extruitur. Anno 1562 p.589.l.52.ficiſci. l.proficiſci. Anno 1564.p.609.l.26.literatum.l.literarum.ibid.p.614 l.36 ſeſtineret ſmel.l.ſeſtineret ſemel.Anno 1565. p.626.l.46 Deriſæ. l.Phariſæ.ibid.p.629.l.12.natutam.l.naturam.ibid p.ead.l.51.hiſc.l hiſce.Anno 1566.p.643.l.28. ſegentem.l.ſegetem. Anno 1567.p.658.l.29.nullo.l.vllo. Anno 1568.p 673.l.50.Tentatotem.l.Tentatorem ibid.p.674. Annot.Marg.7. Pacifici.l.Franciſci. ibid.p.677 l.39.animos.l.nummos.ibid.p.ead.l.40.attractare. l. attrectare.

Anno 1569.p 681.l.18.rettibuat.l.retribuat.ibid p.688.l.41.agrotante.l.ægrotante.ibid.p.694 l.48.compellit.l.compelli.ibid.p.ead.l.45.accederet.l.accederent.ibid.p.695.l.37.ùm.l.cùm.ibid p 698.l.6.verrent.l.verrunt.Anno 1570.p. 707.l.8.auſteritate.l.auctoritate.ibid.p.708.l.33.ijs.l.is.Anno 1572.p.721.l.29 Religione.l.Religionem abſque virgula.ibid.p.723.l.22.probitate.l.probitatem.ibid.p 726 Annot. marg.2 Scapetiani.l.Senogalliæ.ibid. p.729. l.43. ſtato. l. ſtrato Anno 1573.p.737.l.29.ſatius.l.latiùs.ibid. p.745.40.leuiſſimi.l leuiſſima.ibid.p.751.l.6.aurem.l.aure. Anno 1574.p.761.l.10.poſturat.l.poſtulat. Anno 1575.p.767.l.28.qui iis.l.qui ex ijs.ibid.p.771.l.13.negotiorum eſt.dele.eſt. ibid.p.781.l.51.ſed ex.l.ſed qua ex. ibidem. p.782.l.39.deſpindeas.l.deſpondeas.ibid.p.786.l.44 miniſtrar. l.miniſtrat. Anno 1576.p.795.l.18.eum.l.15. ibid.p.800.l.30 ſileret.l.ſilere.ibid.p.ead.l.33.moderabatur.l.moderatur.ibid.p.804. l 42.expectantbreue.l.expectant breue.ibid.p.810.l.31.Naturæ concederet.l.Naturæ neceſſitati concederet.ib.p 813.l 45. Antoninus.l. Antonius. Anno 1577.p.819.l.40.exornatum l.exornatam.ibid.p.821.l.40.autæ.l.lautæ.ibid.p.824.l.29. illis.l.illi. Anno 1578.p.829.l.41 ædificandum.l.ædificandam. Anno 1579.p.841.l.22. leſſidi. l.ſeſſili.ibid.p.842.l.26. conſilij. l.conſilij.ibid.p.845.l.51.vittutibus.l.virtutibus.Anno 1580.p 854.l.11.quo.l.qui.ibid.p.859.l.21.qibus.l.quibus.ibid.p.860.l.33.ape.l.aperuit.ibid.p.866 l.5.more.l.mora.ibid.p.869.l.33.viliſſimum.l.viliſſimam.

Demonſtrat. 4.p.914 l.11.Hac.l.Hæ.ibid.915.l.34.at.l.ac. ibid.p.924.l.35.Caredra.l.Cathedra. Demonſtr. vlt. p.964.l.35. ei ſcilicet.l.eo.

Præter hos,plures in Indicibus,atque in Numeris.Annorum,Paginarum,Marginum,Literarúmq; Alphabeti,errores irrepsêre. Præſertim verò in Titulo Annorum : Cùm enim Anno 1528. in quo Capucinorum Reformatio Pontificia Bulla in Religionem euaſit,ac deinceps ; apponendum eſſet in Titulo. *Religionis Capucinorum* , à Typographo excuſſum fuit. *Reformationis Capucinorum*,ac ſæpè deinde idem error repetitur.Qui in ſecunda Operis Editione, ſimul cum aliis corrigendus erit.